511

Ex libris Gulielmi Fforme pretium

Cartwright
Harmonia
Evangelica

In large Letrs

Cartwright
Harmonia
Evangelica

THOMÆ CARTWRIGHTI,

S.S. Theol. in Academia Cantabrigiensi quondam Professoris,

HARMONIA EVANGELICA,


Commentario

ANALYTICO,
METAPHRASTICO,
PRACTICO,

ILLVSTRATA:

Antehac diversis voluminibus edita, nunc summa industria in unum corpus redacta, summariis aucta, & à mendis, quibus scatebat, repurgata.

Operis rationem & usum præfatio docebit.



LVGD. BATAV.
Ex Officina Francisci Hackii,
Anno CIↃIↃCXLVII.



Clarissimo, Doctissimoque Viro,

D. ADRIANO HEEREBOORD,

L. A. M. Philosophiæ Rationalis & Moralis in Acad.
Lugd. Bat. PROFESSORI ordinario, &
Coll. Theologici Illustriss. D.D.
Ord. PRO-REGENTI.



Cum apud animum meum dispicerem, cui hanc *Harmoniæ Evangelicæ* à summo Theologo CARTWRICHTO summa industria elaboratæ editionem novam inscriberem ac consecrarem, Tu in primis occurristi, *Vir honorande*, cujus inter alios hortatu hæc jam prodit. Audiveram non semel te deprædicantem CARTWRICHTI exactam eruditionem & singularem ejus in Scripturæ S. sensu indagando, inveniendo, explicando, applicando, felicitatem: quod tuum Authoris hujus encomium, magis mihi confirmavit idem ac cum tuo geminum de CART-


WRICHTO Rev. Theol. *Riveti, Spanhemii, Goodjeri,* aliorumque judicium. Non infeliciter mihi vel cecidit vel cessit, tuum de aliis in lucem ex Typographia nostra editis Authoribus aliquando ac non semel datum consilium: quo firmius tuo nunc de hoc Authore fretus fui ac steti judicio: atque ut porro omni & consilio & auxilio operas nostras typographicas prosequi ne dedigneris, pro amicitia nostra (addo, & cognatione) rogo ac peto, qui novi promtum & plenum benevolentiæ tuum in me affectum. Ego hac dedicatione testatum facere volui meum erga te studium, animique propensionem, tibi, ob virtutes & præstita mihi officia, debitam. Deus te diu servet incolumem, quo magis indies bene possis mereri, de Academia Patria, Rep. litteraria, & Typographia nostra: ita voveo, ita opto, & in hoc voto desino. Leydæ. Kalendis Novembribus. 1646.

Tui nominis cultor,

FRANCISCVS HACKIVS.

TYPOGRAPHVS LECTORI

S. D.



Vanquam non constitui, Benigne Lector, *aut operis ipsius, quod tibi jam damus, laudes longa oratione coacervare, quas nemo ignorare poterit, qui illud vel à primo limine salutaverit; aut operam & curam in hac nova ejus editione nostram multis & magnificis verbis commendare, quod à te expectare malo, quam praeproperâ ambitione praecipere: non potui tamen, quin te, cum quid ab* Auctore *in hisce commentariis, tum quid à* nobis *in hac editione praestitum sit, paucis certum redderem: quod tuâ interesse putarem, te operis constitutionem & nostrae editionis formam cognoscere, priusquam lectionem ejus, longe utilissimam, aggrediaris. Vides hic, doctissimi & gravissimi Theologi,* THOMÆ CARTVVRIGHTI Harmoniam Euangelicam, *Commentario* Analytico, Metaphrastico, Practico, *illustratam, nullis certe Commentariis posthabendam. Hanc* Author *ex omnibus Euangelistis accuratâ temporum rerumque habitâ ratione concinnavit, & quae in uno deerant, ex aliis supplendo, totam Christi historiam continuâ rerum gestarum serie complexus est: idque egit ratione admodum commoda. Breves sibi proponit ex Euangeliis pericopas, quas primum juxta regulas Dialecticae, non spinis & barbarie ab usu abhorrentis, sed purioris & tersioris, resolvit: quod quidem ex Eruditorum sententia medium est, ad eruendum S. Scripturae sensum, utilissimum, quem sine accurata analysi frustra rimeris. Atque in hac analysi, dexteritatem ingenii, subactumque judicium, mirifice ostendit noster* CARTVVRIGHTVS. *Analysi isti* Paraphrasin *seu* Metaphrasin *subjungit, in qua quod in analysi indicatum tantum est, & Dialecticae terminis immistum, ac sub iis propositum, continuo copiosioris paulo orationis filo deducit, legitimum loci exhibens sensum, ope praeceptorum logicorum in analysi, investigatum & inventum. Sequitur deinde ultimo loco* Praxis, *ubi doctrinae Euangelicae sententiam in Analysi repertam, in Metaphrasi deductam, ad veros* doctrinae, redargutionis, & disciplinae in justitia *usus, accommodat: ubi adeo* Author *noster excellit, ut nemini sit secundus. Nullas profecto virtutes in* Commentatore & Interprete S. Scripturae *expetiveris, quas hic in* CARTVVRIGHTO *non inveneris. In explicando perspicuus est, in docendo solidus, in refutando invictus, in reprehendendo severus, in adhortando mansuetus, in consolando plane divinus, in omnibus brevis & simplex: quas postremas virtutes (brevitatem dico & genuinam simplicitatem) sine ullo reliquarum damno hic elucere videbis; ita ut nec perspicuitati brevitas, nec orationis simplicitas rerum majestati obstet. Longas verborum farragines sine rerum ponderibus & momentis hic non invenies: singulae dictiones totidem rationes sunt, quae lectorem auditoremve*

remve in veritatis & pietatis studio confirment. Et licet multas doctrinas verbo tantum indicet Author, *nihil tamen in eo desideres ad plenam earum tractationem: nihil enim adeo nudum atque aridum proponit, quin argumentorum fontes, vel ipse indicet, vel sponte tibi occurrant. Textuum breves summas & accuratissimas dichotomias tractationibus ubique præmittit. Argumentis comparatis & dissentaneis fere utitur, ad commovendos hominum animos longe efficacissimis. Oratio ejus ipsis rebus admodum apta,* non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis consistit, sed in demonstratione spirituali & potente: *si enim alibi, certe in* Theologia, ornari res ipsa negat, contenta doceri. *Spiritualis doctrina fucum non admittit, & splendida oratione compta, plus efficaciæ amittit, quam acquirit. Verbo dicam: nihil hic reperies, quod non ad Ecclesiæ ædificationem prodesse possit.*

Præclarum hoc opus superiori editione fœdatum mendisque plenum sine textu Euangelico diversis voluminibus circumferebatur. Vno volumine Analysis & Metaphrasis *continebantur*; Praxis *seorsum edita tres tomos impleverat. Omnia fere confusa: multa, aliis, quam oportebat, locis disposita: non pauca typographorum errore sæpius repetita erant. Nos itaque cum nulla exemplaria prioris, ejusque corruptissimæ, editionis amplius prostarent, consilium doctorum Virorum secuti, difficilem laborem melioris editionis suscepimus; quæ diversis libris turpiter sparsa erant uno volumine complexi sumus: textum sacrum ex versione* Theodori Bezæ *singulis commentariorum sectionibus præmisimus*; Analysi & Metaphrasi Praxin *ubique subjunximus; omnia distincto & eleganti charactere expressimus, ut uno intuitu omnia videre posses, & variorum librorum molesta confusio tolleretur. Confusa suo loco & ordine poni; supervacua & otiose repetita tolli; Praxi in margine brevia summaria doctrinarum, quæ in priore editione desiderabantur, addi; curavimus: indicem geminum, alterum textuum in hisce commentariis explicatorum in initio operis, alterum alphabeticum rerum & verborum in calce ejusdem, adjunximus; quorum prior antehac vitiosus extitit, posterior fuit desideratus. Si in indice textuum aliquot versus (qui si aliqui, certe pauci erunt) non repereris, eorum loca parallela inspice, & habebis quod petis. Si præterea alicui textui, vel analysin, vel metaphrasin, vel praxin, additam non inveneris, inspice itidem loca parallela, ubi quod hic deerit abunde supplebitur. Sed & utile fuerit semper similes textus, si qui sint, inspicere, quia eædem materiæ in historia Euangelica sæpe occurrunt, aliis atque aliis argumentis à* CARTVVRIGHTO *illustratæ. Hæc tibi necessario indicanda esse putavi,* Lector Benevole. *Vale, & hoc labore nostro ad tuum & Ecclesiæ Christi commodum utere.*

INDEX TEXTVVM,

Designans paginas, quibus uniuscujusque Euangelistæ capita & versus in hisce commentariis tractantur.



HARMONIA EVANGELICA, COMMENTARIO ANALYTICO, METAPHRASTICO, PRACTICO ILLUSTRATA.

Sacra Historia commendatur,



CUM multa sint, quæ Historiam hominibus quam commendatissimam faciant, cumprimis vero delectatio & utilitas; tum nusquam illa aut certius, aut uberius percipiuntur, quam in Sacra. Cujus causa in promptu est; quod quum cæteræ omnes, quantacunque commoditate scriptæ, ab hominibus profectæ sunt, solam hanc à Spiritu Sancto dictatam, Deum auctorem habentem, ad omnes usus opportunam, & accommodatam esse necesse est. Si enim delectatio quæritur, quid jucundius, quam, in historiæ speculo, universam domus Dei οἰκονομίαν, ab origine mundi ad Apostolorum usque tempora, expressam & efformatam intueri? maxime cum in Ecclesia, tanquam in orchestra, divini splendoris & majestatis lumen se conspiciendum præbet; & ibi, tanquam in celeberrimo totius orbis Emporio, pretiosissimæ quæque merces explicantur. In quo illud ad voluptatem singulare est, quod præ reverenda hujus Historiæ antiquitate & canitie, cæteræ omnes veluti impuberes & imberbes sint. Quo accedit, quod delectatio quæ ex illis accipitur, paulo momento effluat: quæ vero ex Sacra depromitur, ita animum penitus afficit & perfundit, ut semel in mentem illapsa, ei nunquam eximi possit. Quod si utilitatem exquiras, istinc ita parce & carptim legitur, ut in racematione uvæ, aut in spicilegio spicæ, quæ hinc plena manu prehenditur: ibi enim sæpe multas paginas, tanquam milliaria, emetiaris, priusquam in aliquod milii granum incidas; hîc autem ne pedem quidem progrediaris, quin in saluberrimos & utilissimos fructus incurras. Et quidem quæ inde reportantur commoda, hujus vitæ finibus tenentur: ista vero fructus cum præsenti, tum futuræ vitæ utiles affert.

quod jucunda,

& utilis;

præsertim ea quæ de Christo:

Cum vero nulla Sacræ Historiæ pars inculta sit, tum nulla est fructuosior, quam quæ de Christo Servatore contexitur: sive enim ejus dicta, sive facta consideremus, in illis lumen facile apparet, quo cæterorum omnium dicta multis parasangis superantur. Tametsi enim quæ à Salomone proverbia edita sunt, eadem à Christi ipsius Spiritu dictata sunt: tamen Spiritus Sanctus augustius loquendi instrumentum nactus, sententias ponderosiores, & majorem quandam divinitatem spirantes, protulit. Hic enim est plane, cujus *labia gratia perfusa erant, Psal.* 45,3. & quem *omnes admirabantur ex sermonibus gratiosis, ab ejus ore profluentibus,* Luc. 4,22.

ob dictorum majestatem,

gestorum amplitudinem,

Si facta spectemus, ea extiterunt, quæ

cœlum & terram merito concutere dici posse mereantur. Quibuscum si Iehosuæ, Samsonis, Davidis facta præclara contendantur, puerorum umbratiles velitationes dicas præ illis: Hi omnes imperium non nisi ad Euphratem protulerunt; Christus vero devictis, non hominibus modo, sed dæmoniis; nec terra tantum, sed ipsis inferis subjugatis, universum terrarum orbem sibi subjecit. Vide *Psal.* 45,4. *Accinge ô fortis &c.*

scriptionem accuratam,

Hinc est, ut res ab eo gestæ tam sollicite monumentis literarum à quatuor Euangelistis perscribantur; ut his, velùti curru triumphali vectus, Dei Filius, ab omnibus melius, & gloriosius conspiceretur.

titulum insignem,

Vnde κατ' ἐξοχὴν, εὐαγγελίου sive grati nuntii, nomen obtinuit; eoque (quod nusquam in ulla scriptura factum est) seorsim à quatuor Dei Scribis, & Protonotariis perscribitur.

scriptionem variatam,

Quod Spiritus Sanctus hanc Historiam triplam, immo quadruplam, ex parte, extare voluit, quod de nulla historia perinde effecit, quæ, plurimum, dupla est: hujus Historiæ fructum arguit. Deus enim hoc modo unum & eundem cibum, diversis vasis nobis apponi voluit. Vt olim Magi, &c.

ordinem dictorum ac gestorum.

Hæc cum in se singularem cum delectatione utilitatem contineant, tum utriusque, utilitatis, dico, & delectationis, nobilis accessio fit, si singula eo ordine, quo aut dicta, aut facta sunt, proponantur. Nec enim, quæ à sapientibus dicta sunt, scire tantum interest, sed quo ordine, & quando illud dictum est. *Salomon* enim docet *verbum commode* (id est, suo & loco, & tempore) *dictum, esse sicut mala aurea cum figuris argenteis.* Prov. 25, 11. Quod quidem si tanti momenti in sapientum sententiis ducendum, qui tamen in his circumstantiis peccant: quanti æstimandum erit in Christi dictis & factis, quorum nullum non oportunissimo loco, & tempore dictum aut factum est. In elaborato & artificioso opere, opificis peritia in singulis seorsim fragmentis à se invicem disjunctis, & dissociatis spectatur; sed si suis commissuris compactum & constructum, singula suo loco & ordine consistant, peritiæ ejus laudem & admirationem auget: ita etiam rebus à Christo gestis decus & dignitatem addet, si quid primum, quid medium, quid extremum, quid in pueritia, quid in confirmata ætate, quid privatus, quid publicus minister, quid primo ministerii sui anno, quid secundo, quid tertio fecerit aut dixerit investigaverimus.

Eum ordinem cur Euangelistæ non servarint?

Quod si quis *occurrat*, mirum videri, cur rem hanc (tanti fructus cum sit) nemo ex Euangelistis persequutus sit:

Respondeo primum, hanc partem ab illis penitus desertam, & incultam non esse; cum *Lucas*, qui omnium primus Euangelicæ Historiæ scriptor extitit, ordine res, quas literis mandavit, persequutus est. Deinde respondeo, quæ maxime necessaria erant scriptu, monumentis literarum consignasse, illis prætermissis, quæ pii & studiosi homines suis lucubrationibus ad Ecclesiæ usum eruere possent. Tametsi enim nobis omnia abunde ad salutem in Scriptura tradita sint; ea tamen οἰκονομίᾳ singula disclusit, ut otium & inertiam in Ecclesia, & præcipue in Ecclesiæ Ministris fovere noluerit: sed quædam reliquit, in quibus eruendis & dirigendis, dona in illos collata exercerent. Denique considerandum est, Euangelistas tres posteriores sibi certa quædam scribendi argumenta proposuisse; hic, ut Christi humanitatem, ille ut divinitatem; hic ut miranda, ille ut doctrinam maxime posteritati commendaret: ideoque magis instituti sui rationem habuisse, ut quæ cum eo conjuncta essent simul comportarent, quam ut quo quidque ordine & tempore factum sit, explicarent.

alii etiam hunc ordinem secuti sunt.

Neque vero novitatis hoc studium insimulet quisquam, cum alii viri docti exstiterint, qui ad hanc causam operam suam contulerunt. Quorum laboribus adjuti, si Deus præterea nostra opella tam præclarum opus aliquousque provehere voluerit, de quo illi exsultantes gratias agamus, plenissimam materiam habebimus.

Euangelistarum scopus.

Scopus vero omnium Euangelistarum ab uno *Ioanne* c. 20, 31. peti possit: hæc scilicet omnia scripta esse, ut credamus *Iesum Christum esse Dei filium*, & ut credentes vitam æternam in ejus nomine consequamur. Ex quo illud liquet, quo potissimum nos animo, seu consilio esse oporteat, cum ad Ecclesiam, hujus Historiæ audiendæ causa, accedimus.

Historiæ de Christo partes.

Partes hujus Historiæ sunt de Christi { Persona & Officio.

De *persona* agitur Lucæ tribus primis capp. Præfatio Lucæ quatuor primis versibus constans.

LVC.

LVC. *Cap. 1. à vers. 1. ad 5.*

QVoniam multi aggreßi sunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est,

2 Prout tradiderunt nobis qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis:

3 Visum est etiam mihi, omnia alte repetita *penitus assequuto, ordine* illa *ad te scribere, præstantißime Theophile:*

4 Vt agnoscas earum rerum veritatem quas auditione accepisti.

ANALYSIS.

PROPOSITIO est, præsens opus omnibus commendatissimum esse oportere; quod probat quinis Argumentis. 1. est ab adjuncta difficultate. Eam docet à subjecto eorum qui hoc opus aggressi, illud præstare non potuerunt; quod etiam amplificat ab adjuncta multitudine eorum, quorum irriti conatus extiterunt. 2. Est ab adjuncta certitudine eorum quæ ipse traditurus est. Quod arguitur ab efficient. causis. Prima, Apostolorum informatione, qui præsentis Historiæ partim oculati testes, partim administri extiterunt.

Vers. 2. Secunda, sua & propria eorum omnium comprehensione, qua illa accurate percepta habuit. Tertia, Spiritus Sancti in corde ejus consignatione, qui hæc omnia persuasissima animo suo reddidit, *vers.* 10.

Vers. 3. Tert. Arg. est ab adjuncto ordine, quo singula prout tēpore gesta sunt describuntur. 4. Est à subjecto *Theophili*, cui hic liber inscriptus est; quod amplificatur ab adjuncta ejus nobilitate & potentia, deinde informatione in doctrina Euangelii ex Verbi præconio.

Vers. 4. Quint. Arg. est à fine, ut qui doctrinam Euangelii vivæ vocis præconio acceperunt, in eadem hujus libri lectione confirmentur, & certiores reddantur.

Partes sunt, quid in hac historiæ scriptione, { alii conati sunt, ipse perfecit.

METAPHRASIS.

CVum multi inventi sint qui narrationem & Historiam de Christo, ejusque cum factis tum dictis contexere aggressi, quam pertexere, & ad exitum perducere ob eam causam non potuerunt; quod nec res ipsas plene perceptas & comprehensas haberent, nec ulla divina vocatione ad illud negotium instructi essent: tantum abfuit ut eorum irrito & inutili conatu à scribendo deterritus sim, ut mihi hoc ad scribendum animum addiderit.

2. *Quamobrem visum mihi est, qui omnia penitus & accurate ab ipsis incunabulis, & (quod dicitur) ovo perscrutatus sum, de eisdem opus componere: fretus hinc quidem Apostolorum testimonio, quod (quia & oculati testes erant, & eorum quæ testati sunt administri) omni exceptione major est; istinc vero Spiritus Sancti testificatione, Apostolorum testimonium in animo meo obsignantis.*

3. *Ad majorem vero Historiæ hujus perspicuitatem facilitatemque, operæ pretium judicavi singula ea εἰρμῷ νομίμῳ describere, ut quodque quo est tempore & ordine prius gestum, hic priorem in hac narratione locum obtineat. Tibi autem (clarissime & speciatissime* Theophile, *qui φερωνύμως Dei cultor & amator es) placuit hoc opus nuncupare;*

4. *non quod harum rerum ignarus sis & veluti hospes: sed ut de his quibus jam ante viva præconis voce informatus es, hoc scripto certiorem & magis indubitatam notitiam consequaris. Qua inscriptione, sicut tuam pietatem nobilitando alios ad consimile pietatis studium provocare constitui; sic tua ejusdem grata & rei magnitudinis condigna amplexatione, multorum animos ad ejusdem lectionem allectos & inflexos iri existimo.*

PRAXIS.

LIQVET Lucam ad hoc officium scribendi adductum fuisse, dum quorundam in hoc negotio irritos conatus reputaret: in quo occulte illos stultitiæ & temeritatis notat, quod illud in manus susceperant, quod perficere non poterant; & quod de rebus sibi incompertis historiam perscribere vellent. Cum enim dicit *conatos*, subindicat non potuisse pertexere: cum autem dicit se scribere, *de rebus sibi penitus cognitis*, non obscure innuit, hæc illos non habuisse percepta & cognita. Vers. 1. & 2. *Quid Lucam ad scribendum impulerit?*

Librum autem inchoando, quem ad exitum perducere nequeunt, se aliis ad eum modum deridendum propinant, quo qui ædificii fundamenta jaciunt, quod per sumptus exædificare non possunt. Quod autem de rebus sibi incognitis scribere aggressi sunt, in eos non male proverbium *Salomonis cap.* 18, 13. quadrat: *Stultum & ignominiosum ei esse, qui priusquam rem audierit, responsum aptat:* item illud, *Testem falsum periturum, eum autem qui audiat,* id est, non nisi certa & audita referat, *in æternam testimonium* *ad quod non temere prorumpendum;*

monium dicturum, Prov.21,28. Cum autem in hominis causa falsum testimonium proferre grave sit, tum de Christo Domino hoc facere multo gravius est. Quamobrem monendi sumus, ne quid temere, vocatione non muniti, aggrediamur: maxime vero illud videndum erit ne in his, quæ ad Dei gloriam & fratrum salutem spectant, per oscitantiam peccetur; sicut sæpe ab his fit, quorum digiti ad aliquid scripturiendum pruriunt. Similiter etiam observandum, quod judicium tenendum sit de his Euangeliis, quæ in Canone Scripturæ non comprehenduntur: sive illud sit *Nicodemi*, sive quid aliud. Si enim ea antiquitate essent, qua esse à *Papistis* perhibentur; tamen hac antiquitate tueri se nequeunt, cum stigmaticos quosdam Euangeliorum scriptores, Lucæ & Apostolorum temporibus fuisse constet, atque adeo ipsis Euangelistis antiquiores.

ex quo de suppositis Euangeliis judicium.

Lucas tamen, tanquam sapiens ille, quem Salomon dilaudat, qui stulti agrum præteriens, sapientiam didicit: ex istorum hominum incogitantia, se sui erga Ecclesiam officii admoneri patitur; & ad illa scribendum se refert, quorum in Ecclesia incredibilis fructus perennis erit: videas autem plerosque, qui aliorum in rebus præclaris adeundis temeritatem, & præfidentiam intuentur, & irrisioni habent. Sed ex his pauci sunt, qui aut laborem, aut sumptus suscipere volunt, præclarum illud opus perficiendi; cum tamen horum inanes conatus nos stimulare debeant, ut quę in nos Deus dona ad proximorum bonum contulit, expromamus.

Vers. 3. *Theophilo cur Euang. suum inscripserit Lucas?*

Vtrumque libellum suum Lucas *Teophilo*, viro cum pietate, tum nobilitate claro inscripsit: ut cum illum in pietatis studio magis magisque accenderet; tum alios ad consimilis virtutis æmulationem excitaret, dum illum hac nuncupatione, ob virtutis & pietatis amorem, nobilitatum viderent. Cum enim ex summa nobilitate ea tempestate exstiterunt paucissimi (1 *Cor.* 1.) qui Euangelium exoscularentur, prudentiæ erat, eos qui se Euangelio adjunxerant, ita omni honesto obsequio retinere, ut non modo non deficerent semel vocati; sed aliis porro Ecclesiæ officiis allecti se adjungerent. Ex quo intelligitur, Deum honore afficientes, ab eo honoratos iri, 1 *Sam.* 2. & *Prov.* 4. Quantus enim honor illi habitus est, cum ejus bibliothecam Spiritus Sanctus, tam incomparabili thesauro novo modo exornare voluit?

Hinc etiam docentur nobiles, hoc officium illos manere, ut Sacras Scripturas ab omnibus corruptelis intactas, & inviolatas servent. Quod autem insigni aliqua nota, tanquam diademate, certos quosdam redimire solitus sit: eo intelligi etiam voluit, & tanquam documentum edere, omnes gloriæ divinæ amantes, honore, tametsi diverso modo & tempore, cumulandos esse.

ejus exemplo nobilium officium:

Nec vero quod Theophilo nuncupati, & inscripti sunt, minus nobis competunt; non magis quam Epistolæ urbibus, nationibus, aut singulis hominibus inscriptæ, fructus Epistolarum ad illos solos astringunt.

illud tamen ad omnes spectat.

Scriptis autem suis singularem laudem tribuit, quod nihil in his non persuasissimum sibi reperiatur; quo privilegio & immunitate, omnes & solæ Scripturæ ornantur: quia hominis arbitratu non sunt allatæ; sed *Spiritu Sancto ducti, loquuti sunt sancti Dei viri.* 2 Petr. 1,21. In hominum scriptis, quacunq; cura & diligentia exarentur, cribrentur, ventilentur, vanno quantumlibet purgentur; semper tamen quædam aut incerta, aut falsa, veluti lolium aut palea manebunt. In Scriptura præter purum frumentum, ne gry quidem. Hic aurum absque scoria: quod nobis debet, ad Scripturas tractandum animum addere.

Lucæ singularis πληροφορία,

Si *quæramus* unde hæc πληροφορία, & indubitata animi persuasio Lucæ innata, & infixa est.

unde hæc?

Respondet externa quidem media & instrumenta fuisse Apostolos Christi; qui rerum à Christo gestarum oculati testes, à se vero actarum ministri erant: qui cum testes sint omni exceptione majores, commentarios eorum, ex quibus libros suos composuit, suspectos habere nullo modo convenit.

Sed alia est propior & potentior causa, Spiritus Sancti testimonium, spiritui ipsius testimonium ferens, vera fuisse quæ ab Apostolis acceperat. Quod ni esset, scrupus certæ dubitationis animo semper adhæreret; tametsi ab hominibus, fide alioqui dignissimis, atque adeo ab ipso Christo, accepisset. Alioqui enim illi in mentem venire posset, Apostolos tametsi fideles, tamen in tanto rerum gestarum numero aliquid per oblivionem mutasse. Quandoquidem Ephemeridem rerum indies gestarum scribens, qui cum ingenio tum memoria valet, poterit eorum quid, quæ egerit oblivisci; poterit sitne ita, an secus, dubitare.

præcipue à Sp. Sancti testimonio:

Obser-

hinc ejus operatio evidens,

Observemus igitur admirabilem Spiritus in Scripturis tum scriptorum, tum auditorum animis obsignandis operationem: qua ab illis nec visa nec audita, tanta virtute in cordibus inscribit, ut de illis non minus certi fiant, quam quæ propriis oculis & auribus actitata comprehenderunt. Atque hoc proprium & peculiare Sacris Scripturis est. Si enim millies mihi incutietur, hanc Aristotelis, illam Augustini sententiam esse, quam eos proloquentes non audivi: tametsi probabili quadam animi inductione adducor, ut ita fuisse credam: hanc tamen πληροφορίαν in his rebus meus animus nunquam admittat; quod in Prophetarum & Apostolorum scriptis secus fit. Quod Ministros doceat, cujus authoritatem in tradenda doctrina adhibeant: Scripturarum scilicet, non Philosophorum, aut Poëtarum, aut Ecclesiæ Doctorum.

quæ S. Scripturæ authoritatem confirmat.

Vox τοῦ λόγου quo referenda?

Vocabulum τοῦ λόγου, propter articulum, ad Filium Dei refero, non ad syllabicum, & vocalem Dei sermonem: de quo personali Dei sermone pluribus, non ita multum post agetur.

Vers. 4. *Finis hujus Euang. piorum in fide securitas,*

Sicut autem scriptum suum ab *effic.* & *adjunctis*, atque ab adversis aliorum studiis commendat: ita non mediocrem ejus laudem collocat in *fine*, ut scilicet, pii de his, de quibus instituti & informati fuerant, magis securi & persuasi sint. Ex quo illud colligitur, provehere fiduciam & persuasionem in veritate, quod literarum monumentis à Spiritu Sancto consignata sint Dei oracula. Quamobrem *Pontificii*, qui nos à Verbo scripto ad ἄγραφα revocant, fiduciam nostram in promissa salute labefactant.

ideo cuivis credenti lectio Scripturarum concedenda,

Hoc autem loco observatione dignissimum, quibus lectio Scripturarum perutilis & opportuna est: his vid. qui prius ex Verbi præconio crediderunt. Nec enim generandæ fidei Scripturæ lectio destinatur, ut nostri homines dictitant, sed fidei confirmandæ. *Quomodo enim credent absque præcone? Rom.* 10, 14. cui consonat illud, *Prov.* 8, 9. Hinc est ut Apostolorum nullus Epistolas ullas exaruerit, nisi his tantum, quos aut ipsi ad fidei professionem sua prædicatione adduxissent, aut aliorum prædicatorum ad fidem aggregatos fuisse intellexerant. Fieri quidem potest, ut in Euangelii ruina, & Ecclesiæ pervastata conditione, Deus lectionem Scripturarum hac benedictione prosequatur, ut illa fidem in cordibus legentium gignat: sed illud extraordinarie factum, ad tempora Ecclesiæ bene institutæ traduci non debet.

cui semper in veritate proficiendum.

Deinde observandum est, pios jamdudum de veritate certos, certitudine debere crescere: cujus ignoratio Verbi Dei fastidium, & nauseam multis parat. Dicunt enim se probe intelligere Christum pro illis mortuum, fide hominem justificari, &c. nec igitur causæ quid esse, cur toties ad concionem ventitarent. Esto quod dicunt; sed meminerint, illos de rebus sibi cognitis certius aliquid affectari debere, quoad cum corporis exuviis omnes infidelitatis fæces abjecerint. vide *Phil.* 3, 1. & 2. *Petr.* 1, 11.

Consideratio naturæ Christi divinæ, humanæ præferenda.

Cum Christus, Euangelicorum librorum argumentum, ex duabus naturis constet, ordo postulat, ut priusquam de tota persona agatur, de sejunctis seorsim naturis, ex quibus persona illa coalescit, sermo fiat. In his autem naturis, Divina, tanquam tempore & dignitate infinite prior, primo in loco tractanda venit. Quod Euangel. *Iohannes* breviter, sed dilucide & nervose facit.

IOAN. *cap.* 1. *à vers.* 1. *ad* 6.

IN Principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus.
2 Hic Sermo *erat in principio apud Deum.*
3 Omnia per hunc Sermonem *facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit.*
4 In ipso vita erat, & vita erat Lux illa hominum.
5 Et Lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.

ANALYSIS.

IOhannes hoc commune habens cum reliquis, quod historiam scribat vitæ & mortis Christi, multa miracula plures autem conciones ab aliis Euangelistis prætervitas complectitur; & quod illi adhuc magis peculiare est, cum miraculis doctrinam miraculis obsignatam conjungit, ut 5. 6. 9. 11. & 12. capitibus.

PRopositio est *Christum esse Deum, vers.* 1. Argumentum primum est ab adjuncto tempore, quod in ipso mundi primordio extabat. Secundum ab adjuncta ejus cum Deo, id est, Patre præsentia. Tertium à testimonio: vel potest esse conclusio ex præcedentibus.

Vers. 2. Repetit primum & secundum axioma, &

illa ob eam causam conjungit, ut ejus rei veritatem clarius assereret. Nam ut largiatur, quod quidam stulte affirmant, Angelos ante mundum conditum extitisse, tamen apud Deum fuisse, & illi coessentiales extitisse, non nisi absurde dicitur.

Vers. 3. Argumentum quartum ab effecto creationis omnium: quod amplificatur per negationem contrarii, quod nihil &c.

Vers. 4. & 5. Aliorum expositione, est confirmatio prioris argumenti de creatione, ab enumeratione partium creatarum, viz. inanimatarum, animatarum & ratione illuminatarum: sed vide an non præstiterit exponere ad eum modum, ut sit novum argumentum ab effecto regenerationis & recreationis; quandoquidem hic sensus cum ex se fluit, tum aliis Scripturæ locis consentiens est, maxime Ioannis stilo, qui sic loquitur de Filio Dei 1. 1. *Epist. cap.* Neque vero cum hac interpretatione pugnat, *versus* 9. de *illustrato omni homine veniente in hunc mundum.* Quidni etenim illum versum exponemus, ut illum 1 *Tim.* 2. de generibus singulorum, non de singulis generum; præsertim cum *vers.* 7. dicatur Ioannem *de Luce testimonium dixisse*, ut omnes per illum crederent. *Vers.* igitur 5. dicitur vita, quod omnes mortui sint, & lux, quod omnes sumus tenebris obruti. Quamquam, ut verum fatear, formula loquendi hoc loco usurpata, discrepat aliquantum ab illa quæ est 1. *Ioh.* 1. aliud enim est Christum esse ζωὴν, aliud ζωὴ ἦν in illo: ne videatur autem κοινὰς ἐννοίας & naturæ lumini tantum tribuisse, ut ejus beneficio posset Christum ad salutem comprehendere: ad tantam hanc prolepsim respondet ab effectis tenebrarum quæ supersunt, hac luce naturæ non obstante. viz. illas Christum non posse comprehendere. Quamobrem post hanc fluctuationem & distractionem, in receptam doctorum interpretum sententiam inclino.

METAPHRASIS.

Qvum non desint impii & nequam spiritus, qui, nascente & pullulante Euangelio, in Christum credentium fidem convellere, infidelium animos à fide alienos magis adhuc aversos reddere conati sunt: Visum mihi est historiam eorum quæ à collegis meis prætermissa sunt, maxime quæ Christi divinitatem at-
1. *tingunt, conscribere. Cujus ut divinitatem*
2. *adstruam, quæ prior est Christi natura ipsam personam per se constituens, & subsistens antequam humanam naturam sibi assumsit: pono vobis ante oculos æternitatem, quæ jam tum extitit (non autem esse cœpit) in ipso mundi primordio. Qui enim ante omne tempus & secula omnia substitit, eum æternum esse certissime consequitur. Præterea, cum apud Deum fuerit Patrem, qui lux est, ad quam meræ creaturæ aditus nullus est, quin fuerit Deus necesse est. Vbi si quis causetur non consequi eum ob eam causam Deum esse, quod ante hunc mundum conditum extitit, quum Angeli tum etiam extitisse credantur, aut primo æternum deinde apud Patrem fuisse, Respondeo, tametsi vanum & fabulosum sit aliquid extitisse creaturarum ante mundum conditum: tamen ut nullus hac parte calumniæ locus sit, quæ duo prius seorsim enunciavi, conjungo: & aperte confirmo, Christum & ante mundum extitisse, & simul jam tum cum Deo conjunctum fuisse.*

Hujus rei veritas magis perspicua, & ad 3.
sensum & intelligentiam nostram magis accommodata erit, si quis deducto sermone ab his quæ mens humana cogitando complecti nequit, eum ad illa referamus quæ nobis sunt magis obvia. Reputemus igitur præclaras ejus res gestas & facta, utpote quod omnia quæ in tota mundi universitate inveniuntur creavit ad eum modum, ut nihil (ne vel unum aliquod) sit in rerum natura, cujus ipse autor & conditor non sit. Hujus rei documento sit quod cum res inanimatæ, tum animatæ vegetandi & sentiendi facultate præditæ, denique ipse homo rationis compos, & ab ipso condita & creata sint; nec enim vita hominibus commu- 4.
nicata luce destituitur rationis in tenebris illis densissimis, quas peccato attraxit veluti scintillante. Quæ lux ita tenuis & exilis est, ut 5.
Christum ad salutem ne minima quidem ex parte comprehendere valeat, quæ sponte sua in disputationibus & discursationibus suis evanescit, & Dei veritatem in justitia detinet.

Partes sunt:
- *Propositio comprehensa sub finem 2. versus, ubi est κρύψις axiomatis, quod consequens sit priore loco antecedens posteriore.*
- *Propositionis probatio reliquo contextu.*

PRAXIS.

Propositionem primum in medium affert, Christum esse æternū Deum; deinde duo argumenta subnectit quibus propositionem confirmet. ὁ λόγος Christus est. Prætergressa multiplici acceptione τοῦ λόγου, sive definitionis, sive sapientiæ, sive sermonis, quæ apertius aliis in Christum competit, quod nemini se Pater communicat nisi per Filium: prætermissis, inquam, his, & aliis plerisque, quæ turmatim afferuntur, hæc significatio aptissime huic loco convenit, ut sit ista persona, de qua Deus loquutus est omni tempore & ætate, per Patriarchas, Prophetas, & Apostolos in Scripturis, & quem unum

Vers. 1. *Λόγος Christus Dei filius,*

quomodo sic dicatur?

unum promisit fore mundi Servatorem; ut ὁ λόγος sit idem, ac *promissio illa*: sic enim sermo sumitur pro promisso, *Psal.* 119. *Memento sermonis tui, quem fecisti servo tuo*: & iterum; *Benignus sis secundum sermonem tuum*: &; *Erue me secundum sermonem*: & sic nostra lingua, *sermo* usurpatur pro *promisso*, *Giue me your vvorde*; *I vvill make good my vvorde*.

an recte pro promisso usurpetur? Quod si quis *excipiat*, parum convenire, ut de *promisso* prædicetur eum esse Deum &c.

Respondeo tropum esse usitatum adjuncti pro subjecto, promissionis pro re promissa Adamo, Noacho, Abrahamo, Davidi, &c. Hæc significatio confirmatur, *Ioh.* 5,37,38. ubi expresse dicitur, eos non habere sermonem Patris in se manentem, quia non crediderunt in eum, quem Pater misit: ubi Christus appellatur *sermo Patris*, tantum ob eam causam, quod secundum promissum ejus missus sit. *Act.* 13, 26. Paulus Christum appellat *sermonem salutis*; nam versu 27. expresse distinguit hunc sermonem à vocali sermone Prophetarum. Sed plenissimum adhuc hujus rei testimonium extat, *Tit.* 1,2,3. ubi spes æternæ vitæ (quæ Filio tribuitur *Col.* 1,27. & 1 *Tim.* 5,1.) & ὁ λόγος pro eisdem ponuntur; & 1 *Ioh.* 1,1. Christus appellatur *sermo vitæ*. Sed longe testatissimum, & omni exceptione majus est illud *Apoc.* 19, 13. ubi Christo expresse tribuitur nomen hoc, *Sermo ille Dei*. Hinc discimus eum esse, de quo omnes Prophetæ & Apostoli testati sunt, & in quo omnes Dei promissiones sunt, Est, & Amen.

Vers. 2. *Aeternitas* τοῦ λόγου: De hoc λόγῳ dicitur, quod *in principio erat*; quod idem est, ac æternum esse: non enim in mundi principio cœpit esse, sed tum erat; non creabatur, sed tum extabat: quod Salomon, *Prov.* 8,22, *ad* 30. luculenter exponit. Hinc Apostolus *Coll.* 1, 15. appellat eum πρωτότοκον πάσης κτίσεως. Huc accedit, quod Paulus *Eph.* 1, 4. notat æternitatem hoc adjuncto, *ante jacta mundi fundamenta*. Hæc etiam æternitas adumbrata est in Melchisedecho *Heb.* 7. qui cum à Mose celebretur, & eximiis elogiis nobilitetur, ab eo tamen non est ejus aut ortus aut occubitus indicatus; quod nisi in hoc uno nusquam à Mose factum: ut Apostolus acutissime sane peritissimeque inde colligeret, æternitatem Christi in illo fuisse delineatam.

Ex quo intelligitur Christum non tum esse cœpisse, cum mundus crearetur, ne dum cum ex virgine natus est; sed ab omni æternitate extitisse. Vnde etiam efficitur, eum verum, & γνήσιον Deum esse. Deus enim solus immortalitatem habet, 1 *Tim.* 1, 17. Nam tametsi Angeli & animæ finem non habent, tamen initium habent. Deinde æternitatem quam habent, mutuam sumunt. *hinc Christus est verus Deus,*

Πρὸς τὸν θεόν. Deus enim eum ab initio possedit, *Prov.* 8, 22. est autem idem quod alibi, *Pater & ego unum sumus*; & quod Pater in eo sit, & ipse in Patre, id est, coëssentialis, & consubstantialis Patri; cum enim nihil præter Deum esset, non potuit non esse apud Deum. Sicut autem hæc omnia *Arrium* refutant, ita hic locus adversus *Sabellium* facit. Post ex superioribus concludit Christum esse Deum. *Patri coëssentialis, contra Arrium & Sabellium.*

Quæ superiori versu disjungit, hoc conjungit, ne putetur eum prius æternum fuisse, post apud Deum cœpisse esse. Itaque docet hic versus & æternum esse Christum, & æterno suo Patri coëssentialem. Hæc cum proposuisset, argumenta sensibus & intelligentiæ magis accommodata, adjungit, quibus illa innitantur & incumbant. Quorum prius est ab *effectis creationis rerum*: Creatorem Deum esse oportet; sed Christus est rerum omnium creator; ergo, &c. Vide *Colloss. cap.* 1, *vers.* 16. eum cœlos & terram, visibilia & invisibilia, angelos creasse. Cum igitur Creaturæ omnes ab illo cōditæ sunt, apparet eum non esse creaturam: nec enim omnes Angeli conjunctis viribus unam muscam, aut lendem creare norint; nec pilum unum album aut nigrum facere. Vers. 3. *Christi Deitas probatur ab operibus divinis: creatione,*

Hoc satis declaratur, quod mutæ creaturæ ejus imperium agnoscere coactæ sunt, venti, & mare; quod ne diaboli quidem ipsi, qui illum odio habent, ejus imperium recusare poterant, tametsi maxime vellent. *subjectione creaturarum,*

In creatione etiam comprehenditur providentia, & administratio, qua mundi hæc moles ingens sustentatur, quod Christo etiam tribuitur, *Hebr.* 1,3. Hinc dicitur *Prov.* 8, 30. quasi nutrix. Quod etiam miraculis confirmatum est, restitutionis membrorum, aut debilitatorum, aut penitus convulsorum. Ex quo illud liquet, omnia ex nihilo creata esse: nam cum omnia ab eo creata sunt, apparet nihil increatum esse præter Deum; in quo incredibilis Christi potentia elucet, qui ex nihilo omnia creavit. Item mundum non esse æternum, sed creatum; quod enim æternum est, idem Deus est. Singularis consolatio hinc nascitur; *providentia ac multis miraculis: hinc omnia esse ex nihilo, etiā Mundum;*

quæ consolatio inde? tur ; quod omnia ab ipso creata esse , & ab illo conservari novimus : ex ipso nihil esse, quod se adversus nos , sine ipsius voluntate, commovere possit ; sed omnia ab eo regi, & quidem nostro commodo, si illius sumus: nec esse igitur homines extimescendos, aut ullam creaturam;sed Deum timendum esse, qui solus vitæ & necis potestatem habet. *quæ reverentia?* Deinde discamus ex ista æternitate , majestate, & æqualitate cum Patre , & omnipotentia , quam in mundi creatione exercuit, qua reverentia & timore verbum ejus excipiendum sit. vide *Hebr.* 2. Nam imperatores , pro ratione suæ potentiæ & dominatus , sua mandata à subditis exsequenda ducunt : vide historiam mandati Absolonis de interficiendo Ammone , 2 *Sam* 13, 28. & confer cum *Iehos.* 1, 9.

Vers. 4. *Vitæ fons Christus;* Quod vita plantarum , & brutorum animalium ab illo tanquam fonte manet , satis arguit , quam illa in eo immensa & interminata est, qui illam tot plantarum, muscarum , vermium , pisciculorum myriadibus elargitur; ut momentaneam hanc, & caducam vitam minoris faciamus , quæ nobis cum abjectis animalculis communis est : atque ut illam nobis abunde suppeditatam fore sciamus , modo ex re nostra sit , quum Deus eam tam effuse in vilissimas creaturas conferat.

Quod hominis vitam lumine rationis ornavit,nos docet rationis nostræ comprehensionem, & discursationem Christo creatori servire debere: ob eamque causam indignissimum esse,ut ea,tanquam armis utamur adversus Christum. Denique lumen rationis non esse illarum virium , ut Christum (vel minimum) comprehendat , 1 *Cor.* 2, 9. *quæ oculus non vidit , nec auris &c.* & *cap.* 11, 14. Quod plenius docetur, cum hominem *tenebras* magis, quam tenebrosum , maluit appellare. Vers. 5. *lumen rationis humanæ ab eo.*

LVC. *cap.* 1. *à vers.* 5. *ad* 11.

5 *Fuit diebus Herodis illius regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias , ex classe Abiæ : uxor vero ipsius* erat *ex filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeta.*

6 *Erant autem justi ambo in conspectu Dei , incedentes in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpate.*

7 *Nec erat eis proles , eo quod esset Elizabeta sterilis , & ambo provecti jam essent ætate.*

8 *Factũ est autẽ ut quum is sacerdotio fungeretur in ordine suæ classis ante Deum,*

9 *Secundum ritum functionis sacerdotalis, sortitus sit* munus *suffitus faciendi, ingrediendo in templum Domini.*

10 *Tota vero multitudo populi foris precabatur tempore suffitus.*

ANALYSIS.

VIR quidam describitur 1. ab adjuncto nomine *Zachariæ*, 2. ab adjuncta vocatione Sacerdotii. 3. ab adjuncta vice functionis , cujus origo ab *Abia* perpetua serie deducta ad illum successive pervenit , 4. ab adjuncto tempore regni *Herodis*; quod describitur à subjecto loco Iudææ. 5. ab adjuncta uxore;quæ describitur 1. à relatis,quod esset filia *Aaronis* , seu ab illo oriunda. 2. ab adjuncto nomine *Elizabethæ*.

Vers. 6. Postquam seorsim de utrisque scripserat , describit utrumque conjunctim à communibus adjunctis. Primo ab adjuncta justitia , quæ arguitur à partibus

coram { Deo intus & in corde. / Hominibus ; quæ arguitur ab effecto , conversatione inculpata : quod

effectum distributione arguitur mãdatorum. { moralium / ceremonialium } quæ notantur vocibus { ἐντολαῖς. / δικαιώμασι.

Vers. 7. Alterum adjunctum est , orbitas liberorum : cujus causa assignatur sterilitas seu infœcunditas *Elizabethæ*. 3. Adjunctum, ætatis provectio, seu ætas ingravescens.

Vers. 8. Hac præmunitione facta accedit ad visionem ; quam describit ab adjuncto tempore , nempe cum fungeretur Sacerdotis officio. Hujus officii executio ornatur adjuncto ordine , qui est à Deo institutus. 2. Ab adjuncta Dei præsentia.

Vers. 9. 3. A parte præcipua officii sacerdotalis, quæ est suffitum offerre ; quæ pars arguitur distributione ejus,

Quod præstitum est { Sacerdote offerente. / Populo adsistente.

A Sacerdote præstitum describitur, 1. ab adjuncta consuetudine. 2. à subjecto loco ubi debebat offerri , viz. in interiore sanctuario, quod erat Sacerdotum omnium proprium.

Vers. 10. A populo præstitum describitur ab affectu orationis , 2. à subjecto, debito viz. & à Deo instituto loco extra sanctuarium in atrio Templi, 3. ab adjuncto tempore, viz. dum Sacerdos suffitum faceret.

Expedita

Expedita parentum *Iohannis* conditione, ad insolitam Dei in ejus procreatione οἰκονομίαν accedit.

Partes sunt { Parentum *Iohann.* conditio. Insolita Dei in ejus procreatione οἰκονομία.

METAPHRASIS.

Dicturo mihi de Christi Servatoris in hunc mundum adventu, idque ut pollicitus sum accurate, & principio alte repetito: Ioan. Baptistæ *præcursoris ortus & origo pertexenda mihi est, cum quod ejus admirabili cōceptu fides matris Christi fulta & sustētata est; tum vero (idque præcipue) quod omnium piorum fides hoc pacto in Christum dirigitur: quæ neminem pro mundi Messia agnoscit, aut etiam debet agnoscere, nisi quem* Ioannes *cum tempore, tum prædicatione (qua inchoata ad Christum via communita est) præcesserit. Quamobrem* Ioan. *ortum, hinc, parentum nobilitate & virtute, istinc, admirabili & insolita Dei administratione amplificatum & exornatum accipito. Quo tempore* Herodes *Idumæus, natione in Iudæa, rex à senatu Romano constitutus & designatus est, vir erat nomine* Zachariæ, *vocatione Sacerdos Altissimi, qui in vicissitudinaria Sacerdotii, in templo administrationis vicem & locum obtinebat, qui primum* Abiæ *attributus est. Hic ut sua & propria, unde prognatus est, tribu nobilis & illustris extitit; sic sua uxore* Elizabetha *non minus suspiciendus erat, ut quæ ab* Aarone *genus & originem duxit. Hæc autem generis nobilitas cum omnino aspernanda non sit, major tamen & magis clara extitit illa origo quæ è cœlo ducta & tracta est. Erat enim uterque justus, idque ea justitia quæ in intimis animi præcordiis penitus insita, Deo cordium servatori probatur. Neque tamen hæc virtus & pietas, intus in animis inclusa & occulta mansit; sed externa eorum conversatione, cum mandatorum, tum rituum religiosa observatione testata est. Ad eum modum ut tametsi ab omni peccati labe per infirmitatem humanam liberi & expertes non fuerint, vacarint tamen omni crimine, quod illos seu civili seu Ecclesiastico tribunali obnoxios aut expositos reddere jure potuit. Tametsi vero pietate præstantes essent, & in ea omnibus pene aliis anteirent, tamen prolis & posteritatis beneficio plerisque etiam impiis postpositi sunt. Erant enim orbi liberorum, cujus semen & causa fuit* Elizabethæ *infœcunditas, & à Deo occlusa matrix. Sicut autem nulli jam tum ab illis sati & in lucem editi liberi sunt; sic ingravescens utriusque ætas omnem deinceps posteritatis spem & expectationem eripuit. Vt autem intelligatur* Zachariam *non nomine tenus Sacerdotem fuisse, sed munus ipsum, quod illi ex vocatione & nomine incumbebat, re præstitisse: factum est ut* Zacharias *Sacerdotio fungeretur in templo & coram Deo, congruenter instituto Dei, de vicissitudine ad sublevandum Sacerdotum laborem ordinata; & illam Sacerdotii partem obiret, quæ in suffitu faciendo versatur, secundum morem, quo alternis vicibus, hic victimis litandis, ille suffimento adolendo designatus est, idque in ea templi parte quam ingredi modo Sacerdotibus fas est: cum hæc, inquam, gerebantur, tota populi multitudo foris & in templi atrio conveniens, eo ipso tempore quo suffitus factus est ob eam caussam precibus vacabat, ut umbræ veritas, id est, suffitui, oratio anagogice responderet.*

P R A X I S.

Divinitatem Christi ordine sequitur humanitas: quoniam autem Christi in terris priorem adventum præcedit *Iohannis Baptistæ* nativitas, sicut Christi publicam vocationem Iohannis præconium præcessit, eam Christi nativitati præposuit Lucas: quo melius intelligeretur, Iesum Messiam esse per Prophetas promissum. Christo enim venturo in mundum, quendam spiritu & virtute Eliæ instructum, anteambulonem futurum à Prophetis prænuntiatum est. Nisi igitur de præcursore prius constet, de illo subsequuturo, jure dubitari poterit: sicut contra, illo præeunte, Christum per Prophetas promissum, in lucem mox edendum fore conficitur. *Ioannes B. Christi præcursor;*

Hunc autem, veluti metatorem, potentissimo Principi præmittere, Deo visum est; ut Christo hospitium in piorum mentibus pararet: Aut sicut magni principes ministrum habent, qui præcedat, ut viam consequenti regi muniat, occursantes summoveat, & populo signum det, ut prætereunti regi genu flectant. *Gen.* 41, 43. item *Esth.* 6, 9, 11. sic &c. Et quemadmodum φώσφορος solem aurora prævertit, & orituri mox solis nuntius est, sic Christo Iohannes præivit. Stirpem autem & prosapiam ejus ab eximiis parentibus repetit; quod tametsi Iohanni ornamento fuerit; tamen in ejus commendatione, Euangelista recta ad Christi gloriam respicit; cui honori est, quod *ejus officium,* *Vers. 5. prosapia Christo gloriosa,*

præcurſorem tot modis nobilitatum habuit. Veluti enim reges delectum habent eorum, qui ſummo loco illis ſerviunt, ut non ex ima plebe, ſed potius ex ſumma nobilitate deſumantur: & ſicut Lucifer fulgentiſſima ſtella ſolem præcedit; ſic Deus Filii ſui πρόδρομον his natalibus eſſe voluit: quæ filio aliquid dignitatis adjungentia, eum ad tanti Principis miniſterium, & obſequium magis idoneum redderent.

Nobilitatus autem eſt { ordinariis & extraordinariis } rebus.

parentes ex familia Aaronis; *Ordinariis* dico, primum quidem quod ex Aaronis familia, inter cæteras, eximia, utroque parente natus ſit.

ejus familiæ dignitas: Quanti enim Aaronis familia apud Iudæos æſtimata eſt, docent non tantum connubia, quæ cum regis ſtirpe inita ſunt; ſed maxime, quod illa tribus ad Dei cultum proxime adhibita eſt: quod noſtri ſeculi ingratitudinem coarguit; in quo pauci reperiuntur, ad Chriſti miniſterium efformati, qui honeſtiori loco nati & orti ſint: ſed ſi quid deforme, corruptum, mutilatum &c. ſit, illud Deo offerunt. Hoc cum non ſit nihil, tamen ex his minimum eſt, unde Iohannis ortus commendatur. *cur ex hac familia eū naſci voluerit Deus?* Niſi forte opportune hoc ob eam cauſam cecidit, vel potius oculata Dei proſpicientia gubernatum eſt: quo facilius Iohannes ad docendi in Eccleſia munus emergeret. Hoc autem adverſus *Pontificios* aperte facit, qui ignominioſum ducunt, ſi quis ab Eccleſiæ Miniſtris editus, ad miniſterium recipiatur. *Quotam vicem Sacharias obtinuerit?* Ex 24. vicibus, in quas tota Aaronis poſteritas, ad majorem in Sanctuario ſerviendi commoditate, diſtributa eſt, Zacharias octavam vicem, majoribus ſuis attributam, obtinuit.

Hæc diſtributio cum ad ordinem & diſciplinam Eccleſiæ inducta ſit: in ea tamen nihil præter Dei expreſſum mandatum tentatum eſt. Tametſi enim à Regibus Davide & Salomone, hæ & aliæ pleræque ſtabilitæ ſint Eccleſiæ politiæ: tamen abſque Prophetis Nathano & Gado, qui à Deo de ea re mandata acceperant, nihil eſt ab illis invectum, nihil innovatum: quod illos refellit, qui Eccleſiæ diſciplinam hominibus arbitrariam, & liberam eſſe ſtatuunt.

Verſ. 6. *Pietas parentum Ioannis;* Alterum eſt, ex ordinariis donis, quod uterque parens pietate inſignis eſſet: dicuntur enim *juſti* fuiſſe, juſtitia ſincera, non ſimulata; nec tantum hominibus ſe probaſſe, ſed Deo, qui cordium inſpector eſt. In quo videmus quænam illa juſtitia eſt, quam Scriptura, ut germanam & ingenuam approbat: *hinc juſtitia vera Deo accepta quæ?* non ea tantum, quæ hominibus ſatisfacit, ſed quæ etiam Deo accepta eſt: id eſt, non ea, cujus externæ actiones in hominum reprehenſionem non incurrant; quæ nec in civili, nec eccleſiaſtico foro rea peragi poteſt; ſed quæ ex mundo corde, & conſcientia pura profluat. Aliud autem juſtitiæ *adjunctum* notat; cum *omnibus*, non certis tantum Dei mandatis obſervandis ſtudetur, cumque ad omnium obſervantiam animum adjicimus, & nervos intendimus. Vide locum *Iacob.* 2.

etiam officium parentum erga liberos? Hinc parentibus diſcendum eſt, quanto illos pietatis ſtudio duci convenit, ut liberos ſuos Eccleſiæ, aut Reipublicæ commendatiores tradant, his præſertim, qui eminentiore loco poſiti, & facultatibus inſtructi, Remp. & Eccleſiam liberis ſuis capeſſendam, magis expoſitam habent. Hæc enim parentum Iohannis pietas majori illi ornamento fuit, quam ſi ditiſſimis & opulentiſſimis parentibus ſatus fuiſſet. Scimus enim quam facile in hominum animos influant hi, quorum parentes pietate celebres & notabiles extiterunt. Quod ex eo intelligi poteſt, quod iſtiuſmodi hominum liberos etiam exorbitantes, charitate quadam complectentes, beneficiis proſequimur, nec noſtrum adverſus eos amorem, animis noſtris facile expungi patimur. Eſt igitur paterna pietas præſtantius patrimonium, quam ſi quis filium ſuum multarum divitiarum hæredem ſcriberet: cum quod ejus exemplum, ad pietatis cultum potens & operoſum ſit; tum quod, ſeu in Repub. ſeu in Eccleſia, verſetur filius, civium voluntates & ſtudia mire conciliet.

hinc nihil pro propriæ juſtitiæ erectione. Quod autem *Pontificii* ex hoc tam feraci frumenti loco, ſpinas & tribulos propriæ, & humanæ juſtitiæ colligunt, facile refelluntur. Nam hic non de illa juſtitia, quæ nos ab ira Dei liberat & abſolvit agitur, ſed de illius fructu: quanquam dicuntur *juſti coram Deo*; id tamen non ita intelligitur, ac ſi Dei perſpicax oculus nihil in his injuſtum deprehenderet, ut *Roman.* 4,19. Sed quod Deum ſibi, in omnibus teſtem & inſpectorem proponebant, ut *Gen.* 15, 6. & *Pſalm.* 16, 2. Nam ſi Abraham tam dives operibus bonis, coram Deo non juſtificetur, quomodo hanc juſtitiam à Zacharia ſperabimus? maxime cum conſtabit, non ita multo poſt, illum turpiter lapſum eſſe? Et aliud eſt, inſiſtere

sistere in omnibus Dei mandatis, aliud ea factis implere. Denique aliud est, sine peccato, & ἀναμάρτητον esse, aliud non esse reprehensum, inobnoxium, & ἄμεμπτον.

Vers. 7. *Iohannis ex sterili ortus miraculosus;* Non fuisse autem illis liberos ostendit, quod uxor *sterilis* esset; nulla etiam verisimilitudine futuros, ex eo declarat, quod ambo annosi essent, & ætate provectiores. Quod causam dedit, Iohannis in ortu, aliquot miraculis & rebus extra ordinem gestis. *hanc sterilitatem cur Deus sæpe adimat impiis?* In quo notandum est, pios durius aliquando exerceri, & Deum fidei eorum, in perferenda afflictione, experimentum capere. Cum enim impii ad gregis multitudinem sobolescant, *Iob.* 21, 8, 11. qui hoc à Deo precibus non contendunt: ex piis tamen sunt, qui tametsi Deum assidue venerentur, eumque precibus de hac re appellent; sæpe tamen illud ægre, ut videtur, aut non omnino exorant. Quum enim Anna, ex liberorum orbitate, tristem & duram vitam ageret; Peninah procax & fastidiosa fœmina, liberis abundabat. Quot erant in mundo impiorum conjugum Pares, quibus liberi ex animi sententia & voto proseminabantur, cum Abraham fidelium pater pullatus, & anxius ea de re esset! Quot tempore Isaci, quot sanctissimi hujus Sacerdotis tempore, impii Sacerdotes fuerunt, quibus erat copiosa proles! *cum ea sub lege olim odiosa:* Tanto vero fuit hoc gravius, quo sub lege, res subodiosior esset, sine liberis esse; quod suspicionem etiam injiceret vitæ non tam probe & pie actæ; quandoquidem legis observandæ studiosis promissum erat, eos intus, & foras, cum in uxore, tum in brutis animalibus multiplicandos. Ex quo illud efficitur, Dei erga nos charitatem non esse ex rebus externis metiendam, neque de odio aut amore Dei, ex illis statuendum; cum ne sub lege quidem ipsa, sub qua hujusmodi prolixius in pios profundebantur, ista semper collata sint.

hæc tamen Elisabethæ beneficii locosuit. Notandum vero, quod Deus hac uxoris sterilitate viam sibi munivit, ad divinius & præstantius beneficium, in istos conjuges conferendum. Iohannis enim Baptistæ in eum modum nativitate, magis illos apud omnem posteritatem celebravit, quam si decem liberos suscepissent. vide etiam 1 *Samuel.* 1, 8. de Anna. Quod idem nobis cogitandum est, in commodorum nostrorum vel aversione, vel privatione. Tametsi enim omnes pii steriles & liberis orbi, senectute non fœcundentur, & Iohanne aliquo vel Samuele non ornentur; tamen certum est liberorum desiderium, aliqua alia non minus expetibili benedictione compensari.

Postquam conjunctim de utroque parente loquutus fuisset, seorsim de utrisque sermonem instituit; & primum quidem de patre: cujus visionem narrat; *Visio Zachariæ;*

In qua exponit { περιστάσεις { tempus, locum }; visionem ipsam. }

Quod ad *tempus* attinet, declarat fuisse tum, cum munus Sacerdotale obiret, & sorte illi obvenisset, ut suffitum faceret coram Domino. *Vers. 8. quando ea?* In quo notandum est, Deum hac visione, quam gratus sit illi suus cultus, tanquam sigillo obsignasse; idem videmus Danieli evenisse, dum Deum oraret. *Dan.* 9, 23. & idem Cornelio *Actor.* 10, 3. Et quanquam Deum legitime colentibus, & invocantibus non semper angelus apparet; tamen angelis maxime in publico cœtu circumsistuntur pii: Ideo enim Tabernaculi aulæa Cherubinis intus, & foris referta erant, ut intelligeretur Ecclesiam, Angelorum legionibus, in publico cultu, stipatam esse: unde Apostolus 1 *Cor.* 11, 10. mulieres hortatur, ne in Ecclesia capite aperto, & sparsis crinibus sint, quod angelos conspectores, & quasi corycæos habent. *hinc Angeli semper præsentes in piorum conventu:*

Hinc etiam liquet illius promissi, apud Esaiam, veritas; quo dicitur, Deum, dum adhuc preces funduntur, exauditurum.

Locus deinde designatur, in templo, & quidem in Templi mediana parte, quam populo ingredi non licuit, neque Levitis, sed Sacerdotibus duntaxat. *ubi illa facta?* Quo docemur publicas actiones non esse privatis in ædibus administrandas, sed in publicis. *cur in templo?* Quod autem Angelus Domini privatis in ædibus non apparuit, sed in templo, & quidem frequenti populi concione, id eo instituit, quia rem pervulgari & passim disseminari, populi salutis interfuit. In quo illud perspicitur, quod *Prov.* 8, 2, 3, *&c.* dicitur, Sapientiam editis locis, & hominibus maxime frequentatis vocem suam edere, ut aut ea imbuantur, aut non imbuti ἀναπολόγητοι pereant.

Quod autem dicit, coram Domino ministerio perfunctum esse, id eximiam doctrinam continet. *hinc etiam peculiaris præsentia Dei in cœtu piorum.* Tametsi enim Deus ubique sit, & piis ubique misericorditer & benigne adsit: tamen in cœtu piorum, & publicis conventibus, specialis quædam præsentia Dei est, cujus non tantum impii expertes

pertes sunt, sed ne pii quidem ipsi tam effuse & prolixe aliorsum participes fiunt. Hinc est, quod David, *Psalm.* 42, 1, *&c.* incredibili studio templum accedendi teneatur, ut illic Dei faciem intueatur; cum tamen non nesciret, & Deum ubique esse, & ipsi, ubicumque esset, eum benigne adfuisse.

Vers. 9. & 10. *Suffimenti mysterium quod?*

De populo vero in atriis precante, cum Sacerdos in mediano templo suffimentum accenderet, quod narrat: docere voluit, illa Thuris oblatione & incendio, piorum preces adumbrari; sicut diserte notatur, *Psalm.* 141, 2. & *Apoc.* 5, 8. & piorum preces, non, nisi per manum Sacerdotis, & interventum sacrificii, Deo offerri. Simul liquet, quantopere Deum oblectet, & quam acceptum ei sit, cum Deum, ex lege, aut precemur aut laudemus: quod enim hominibus odoratissimum suffimentum, hoc sunt Deo preces suorum, unde *Cant.* 4, 11. comparantur Labia Ecclesiæ cum favo, & lingua ejus cum lacte & melle; & ut pater sermone liberorum, tametsi titubantium & mussitantium, delectatur: non quidem per se, sed per Christum, ut est *Apoc.* 8, 3, *&c.* unde etiam Sacrificium pro peccato primum mactatum est, priusquam ad suffitum accederetur; & Sacerdos iste Christum exprimebat, cujus unius causa preces acceptæ sunt.

Preces piorum Deo acceptæ.

LUC. *cap.* 1. *à vers.* 11. *ad* 18.

11 *Visus autem est ei Angelus Domini, stans ad dexteram altaris suffitus.*
12 *Et Zacharias eo viso turbatus est, & timor incidit in eum.*
13 *Dixit autem ei Angelus, Ne time Zacharia. Nam exaudita est deprecatio*
tua: uxorque tua Elizabetha gignet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iohannem.
14 *Et is erit tibi gaudio & exultationi, multique super ejus nativitate gau-*
debunt.
15 *Erit enim magnus in conspectu Domini, & vinum siceramque non bibet: &*
Spiritu Sancto implebitur etiam a ventre matris suæ:
16 *Multosque filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum.*
17 *Nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ, ut conver-*
tat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum: ut paret Domino
populum instructum.

ANALYSIS.

Revelatio, quæ facta est *Zachariæ*, describitur à distributione

adjuncta { Visionis. / Loquutionis.

Vbi primum subjectum visionis proponitur Angelus, qui 1. à subjecto describitur, viz. quod Angelus Domini fuerit: 2. ab adjuncta visione, quod apparuit *Zach.* 3. ab adjuncta statione; quæ porro à subjecto loci, dextra viz. altaris describitur: quod altare suo adjuncto suffimenti, ab altero quod est holocaustorum, distinguitur.

Vers. 12. Hujus apparitionis adjunctum est, quod *Zacharias* Angelum videt; cujus visionis effectus duo assignantur in *Zacharia*, perturbatio & metus; qui describitur ab adjuncta irruptione & invasione.

Vers. 13. Altera pars revelationis est Angeli loquutio.

Cujus partes sunt { Dehortatio. / Dehortationis rationes.

Dehortatio est ut timorem deponat; quæ arguitur ab adjuncto petitionis suæ exauditæ; cujus effectum assignat, quod *Elizabetha* uxor pariet ei filium: cujus filii amplitudo & excellentia describitur ab adjuncto nomine *Ioannis*;

Vers. 14. Item ex effectu gaudii & exultationis; quæ amplificatur à distributione subjecti { *Zachariæ.* / Vniverso populo.

Vers. 15. Huius etiam gaudii & exultationis causa constituitur in *Ioannis* magnitudine seu præstantia; quæ arguitur ab adjuncta Dei existimatione, qui neminem magnum censet nisi qui singulari quadam ratione magnus est. Quæ etiam magnitudo & præstantia arguitur. 1. Ab adjuncta dieta insolita, quod vinum non sit bibiturus, nedum merum & generosum. 2. Alterum argum. præstantiæ ejus ab efficiente causa: quod Spiritu Sancto repletus sit: quod amplificatur ab adjuncto tempore, ipso conceptu.

Vers. 16. 3. Ab effectu conversione multorum ad Deum.

Vers. 17. 4. Ab adjuncto munere προδρόμου & anteambulonis; quod amplificatur à partibus, *Eliæ* viz. virtutis & spiritus. 5 Ab effectu convertendi & colligendi parentum animos ad liberos, & liberorum refractariorum animos ad parentes: quæ conversio cautione exponitur, viz. ab adjuncta prudentia; quæ etiam distinguitur à fucata prudentia, a subjecto iustorum. Post aliquot partium muneris

πρόδρο-

προοδοποιικῶ enumerationem totum concludit, quod est *præparate viam Domini.*

Summa est, revelatio quæ facta est *Zachariæ*, Sacerdotali officio fungenti :

cujus partes sunt { Visio. / Auditus.

METAPHRASIS.

INterea dum Zacharias *munere Sacerdotali*
in suffimento faciendo fungitur, illi se vi-
dendum sistit sub specie humana Angelus
beatus, & Dei viventis ministerio & servitio
addictus. Hic subito & insperato ad alterum
latus consistens potius quam coram, Zachariæ
infirmitati prospexit. At vero se collocans ad
dextram altaris, hac statione suam ad opitu-
landum promtitudinem non obscure indicabit.
12. *Quem* Zacharias *intuens, partim improvisa*
sui exhibitione partim splendore, Angelis sua
in apparitione consueto, animo turbatus est.
Atque ut animo perturbatis usu venire solet,
inde metus & trepidationis causam accipie-
bat, unde illum lætandi segetem percipere opor-
13. *tebat. Angelus autem piorum bono (prout u-*
sus est) destinatus, illum blande & benigne
alloquutur, ut cui insolita sua visione & appa-
ritione terrori fuisset, eum jucundo & familia-
ri sermone recrearet. Noli (inquit) timere
Zacharia, *quandoquidem cum quam olim de*
prole consequenda petitionem apud Deum in-
stituisti, tum quam in præsentiarum supplica-
tionem de Messiæ acceleratione fecisti Deus
exaudiens, utriusque postulationis tuæ conse-
quutionem & complementum parat & aggre-
ditur. Nam uxor tua Elizabetha, *utcunque*
natura sterilis & ætate effeta, tamen, cum ad
fœtum utero concipiendum, tum etiam par-
tum in lucem edendum vires & robur à Deo
accipiet. Quo autem certius de veritate par-
tus ejus constare tibi posset, prædico te pro jure
paterno nomen illi impositurum; ut autem de
prolis nascituræ præstantia liqueat magis, il-
lud nosce, tibi liberum non fore nomen pro tuo
arbitratu illi indere; sed, quod jam tibi impero,
Ioannis *clarissimo & gratiosissimo nomine il-*
14. *lum appellabis. Ex illo nato gaudium soli-*
dum, atque adeo gestiens exsultatio, non ad
te solum, sed ad universum Dei populum re-
15. *dibit : erit enim, vel ipsius Dei judicio & sen-*
tentia, magnus, qui omnia ut sunt sine erroris
periculo æstimat; ob eamque causam nihil
quod non revera sit magnum & eximium cen-
set. Quanquam vero tua vitæ conditio & vi-
ctus ratio, pleniorem & liberalem magis men-
sam & diætam facile apponat ingeratque, quo
tamen pueri major celebritas sit, habeatque
in ipsa victus ratione notæ aliquid, quæ cum
illum, tum alios de severitate & acrimonia
ministerii illius admonet : edico tibi, ut omnium
illi vini usum interdicas : at autem intelliga-
tur nomen hoc Ioannis *augustum & gratio-*
sum, non frustra aut per speciem inditum esse,
& hanc victus insolitam severitatem, quæ
Nazaræorum professionem sanctissimam imi-
tatur, non sine causa imperatam esse : addo
hoc, quod inter natos mulierum rarum & in-
solens est, eoque ipso nominis & victus insolen-
tiæ appositum, eum non tantum ab utero ma-
tris Spiritu Sancto leviter tinctum & imbu-
tum fore (quod plerisque electis infantibus usu
venire solet) sed Spiritus Sancti magna men-
sura proluendum, & quodammodo complen-
dum esse. Adultus vero & constanti ætate, 16.
postquam divina cœlitus vocatione instructus
fuerit, multos ex gente sua ad Deum, id est,
Christum Mariæ *filium, ab impietate conver-*
sos adducet. Spiritu etenim & virtute non dis- 17.
simili, ei quæ olim in Elia *viguit, Christum*
Dominum præibit: hinc patrum in errore ver-
santium animos ad liberos recte & pie sentien-
tes retrahens, istinc inobsequentes & insipien-
tes liberos ad majorum suorum prudentiam
(dummodo veram & infucatam) revocatus.
Atque ut uno verbo omnia complectar (quo-
niam iter ad singula longum est) Domino
Christo populum præparabit, quem ipse Chri-
stus pietate & scientia multo quam ille prove-
ctiorem reddet.

PRAXIS.

POst, ad *visionem* accedit : in qua considerantur quæ Zachariæ

Qualis Zachariæ oblata visio?

obtigerunt ex Angelo { viso & audito. } { Angeli vero aspectus / animo simul incussit } { perturbationẽ & metum.

Vers. 11. & 12.

illa cum perturbatione conjuncta, & quæ ejus causa?

Perturbatio vero est animi facultatum de statu dejectio : cujus una species est metus ; qui est impendentis mali expectatio. Perturbationis causa est peccatum, quod circumferimus, cujus conscientia terremur, quoties illustriori, & inusitato magis divinæ præsentiæ sensu percellimur : nam, & ante peccatum, Adamus Dei colloquio, & præsentiæ divinæ sensu, consternatus non est, sed tantum post lapsum ; & exuti peccato cum vitam cum morte permutaverimus, cum Deo & sanctis angelis suaviter, & absque ulla inquietudine consuescemus. Nec vero hunc timorem, aut metum, fidei de

Dei erga nos voluntate certitudo, penitus abarcet: quæ cum inchoata sit, & infidelitati, aliqua ex parte, admixta, & confusa, turbationem & metum hunc demitigare certe poterit, sed foras omnino pellere non potuit. Notanda est nostra infirmitas, qui inde argumentum timoris arripimus, unde materiam gaudii accipere oportebat. Quod si pii, quorum tecta sunt peccata, & qui sibi peccatorum ablutionis probe conscii sunt, Angeli unius visum tantopere exhorrent; quid impiis, peccatis suis universis onustis, & sibi de reatu coram Deo consciis, fiet; cum Deum ipsum infinitæ majestatis & splendoris incomparabilis, omnium simul angelorum fulgorem infinite & interminate superantem, intuebuntur? Quid, inquam? id scilicet quod Propheta prædicat, & Christus Servator; *Dicent* enim *montibus, cadite super nos.* Et si angeli misericorditer legati tantum terrorem incutiunt, quid facient ad vindictam missi? *Matth.*13,42,49.

inde infirmitatis nostræ argumentū.

In quo beneficium ministerii per homines delati conspici potest: vide orationem Elihu apud Iobum, & Iobi de ea re opinionem.

Quomodo se stiterit Angelus coram Zacharia?

Statio Angeli ad latus potius, quam coram & ante faciem videtur hoc consilio facta, ut ejus infirmitati consuleretur: cui situ ἐκ τ πλαγίε, aliquantulum occursum, magis quam si directe adversus illū constitisset.

cur potius ad dextrā?

Quod autem ad dextram potius quam ad sinistram constitit, declarat angelorum ad nostri defensionem commoditatem: quia qui nobis ad dextram adest, ad nostram propugnationem expeditior est; unde Deus nobis ad dextram consistere in Scripturis describitur. *Psal.* 16, 8.

Sequitur jam, ut quomodo erga loquentem angelum affectus fuerit consuleremus: in quo expendenda veniunt { Angeli oratio & Zachariæ responsum. }

Vers.13. Angeli oratio est tota consolatoria: in qua spectantur Propositio, & Probatio propositionis. *Propositio* est, non esse timendum Zachariæ: In quo perspici potest, Angelos quandoque ad consolandos afflictos adhiberi. Idem in Pastoribus cernitur, *Luc.* 2, 9. & in Servatore Christo; *Luc.* 22, 43. Quod quidem tum fit, cum aliunde consolatio peti nequit; scilicet, cum ab hominibus vel deserimur, vel summovemur; certumque est Deum nobis, potius quam afflicti destitueremur, Angelos suos submissurum, qui consolationum munere erga nos defungantur.

quid loquutus fuerit?

Quod si quis illos perbeatos *judicet*, qui consolationis ab Angelis suppeditatæ compotes sunt.

An nos nunc minus beati quod per ministros verbi consolemur?

Respondeo non minus beatos esse, si rem probe expendunt, quibus consolatio ab hominibus, ad id muneris ordinatis, suggeritur. Nec enim minus firma & solida est illa consolatio, quæ à Ministris ex Dei Verbo adhibetur, quam quæ ab ipsis Angelis affertur; eademque debet esse utriusque autoritas, eadem fides. Vnde Apost. *Gal* 4, 14. se à Galatis, ut Angelum Dei, acceptum, & auditum esse, atque adeo, ut ipsum Christum Angelorum principem affirmat. Igitur, modo ea, qua decet, erga Ministerium Verbi reverentia imbuamur, non minus fidei Ministro adhibebimus ex Verbo Dei dicenti (*Ne time*) quam si ab Angelo edita hæc consolatio esset.

Zachariæ petitio an pro prole suscipienda?

Argumentum vero, quo hæc consolatio innititur, & confidit, est ab adjuncta petitionis suæ exauditione; quæ cujusmodi fuerit, quæri potest: mihi vero non placet, vel Angelum de prole Zachariæ nascitura eis verbis respondere, vel Zachariam, Altari tunc temporis assistentem, Deum pro prole implorasse. Nam neque ex fide illud (nisi extraordinario spiritu ductus) petiisset, cum uxor, per ætatem parere non potuit, &, ne promissa quidem ab Angelo prole, fidem adjungeret. Multum porro alienum erat, publicis pro Ecclesia precibus, privata sua commoda admiscere. Quod ergo precibus cum Ecclesia contendebat, hoc erat scilicet, ut Deus Filii sui adventum properaret, & rebus tam confusis modum, & rationem poneret: quod quidem eo fecit confidentius, quod ex Daniele tempus adventare constaret. Sicut igitur Daniel, exactis jam LXX. captivitatis annis, Deum ardenter de promissæ liberationis præstatione interpellabat: sic pii sub adventum Christi. Ex quo colligitur quanto desiderio pii ardebant ea videndi, quibus nos liberalius fruimur, quam illi animo & cogitatione percipere potuerunt. Deinde observandum certitudinem rei quam petimus accipiendæ, non impedire fervorem precandi, sed potius eum corroborare. Denique docemur quo studio nos duci oporteret, secundi adventus Christi; quandoquidem eo omnia in ordinem cogenda sunt, & ad plenum perfectumque Dei obsequium revocanda, quod in priori adventu

quod pro Filii Dei adventu;

ejus piorum desiderium:

tale nobis nunc esse debet secundi.

ventu factum non est: nihil tamen impedit quo minus Angeli verba de Zachariæ petitione exaudita ad utramque petitionem tum prolis, quam olim, tum adventus Christi, quem jam tum precibus contendebat, referri possint. Arguitur autem adventus Christi, mox subsequuturus, ab adjuncto illius anteambulone Iohanne Baptista;

Ortus Iohannis ab Angelo prædicitur;

cujus prædicit { ortum, & ortus adjuncta.

isque præter naturæ consuetudinem, & cur?

Oriundus prædicitur ex Zacharia & Elizabetha ad liberos proseminandum ineptis, & quidem duplici veluti pessulo à liberorum generatione exclusis; cum quod mater sterilis esset, tum quod uterque processisset ætate. Qua ratione Deus Iohannem nobilitare voluit, & magnam in hominum animis expectationem de illo excitare, ut hoc modo expergefacti animos adjicerent, ut quid illo futurum foret intelligerent. Legimus Romanos Imperatores plerumque in natalitiis, aliquid vel ab aquilis, vel ab anguibus, vel ab Elephantis passos esse, quibus veluti notis, & signis de imperio orbis adipiscendo spem arripuerunt: sic etiam Deus in nativitate, in nomine, in educatione quasdam notas extare voluit, quibus tam celebrem præcursoris vocationem quam commendatissimam redderet.

IOHANNES ab Angelo ita nuncupatus;

Adjuncta ortus sunt {
Nomen *Iohannis* illi ab ipso Angelo inditum,
&
Gaudium { populi, & Zachariæ cũ primis. }
}

nominis hujus ratio:

Nominis etymo notatur is fuisse, qui à Deo gratiam esset consequutus. Erat enim eximia Dei in illum liberalitas & benignitas, Christi anteambulonem designari. Tametsi enim omnes Prophetæ Christum præcesserunt; tamen hoc ipsum, proxime Christum præcedere, singularis cujusdam dignitatis fuit.

Sicut in Regis comitatu fit, ut multi quidem præcedant, sicut subsequuntur multi; sed qui proxime hoc facit, eum oportet ex universa aula honoratissimum esse, puta, Cancellarium, aut Præfectum prætorio.

inde qualia nomina infantibus imponẽda?

Vnde etiam hujusmodi nomina imponenda sunt, quæ infantes post, cum per ætatem possint, alicujus officii & virtutis admoneant.

Vers. 14. Magnum gaudium super Iohannis nativitate;

Aliud *adjunctum*, est Gaudium ex illius nativitate, quod in uno Zacharia non consistet; sed latius se ad universam Ecclesiam diffundet. Hoc autem gaudium non aliunde ducitur, quam quod Christum omnibus veluti digito indicaturus esset, eique testimonium laturus. Quod si tantum gaudium ex Iohannis ministerio & testimonio percipitur: quantum esse decet ex Euangelico ministerio, in quo qui minimus est, Iohanni Baptistæ (quoad muneris amplitudinem, & prædicationis lumen) præfertur? Quin etiam sub lege, de Christo doctrina erat piis mellis favo suavior: unde tota sub Christo doctrina Euangelion nuncupatur. Quod si homines tali jam gaudio non afficiuntur, vitium non in doctrina est; sed in eorum animis, qui quod terrestribus gaudiis ad saturitatem explentur, ad Euangelii delicias nauseant: sicut enim hi, quorum palata morbi intemperie vitiantur, suavissimos & saluberrimos cibos non dijudicant; sic &c.

ideo majus debet esse piis ex Euangelii ministerio.

Vers. 15. Magnitudo illius coram Deo;

Gaudium probat ab adjuncta ejus amplitudine & magnitudine, quæ ab adjuncto Dei de ea re judicio confirmatur: quod enim coram Deo magnum censetur, id revera magnum est; sic urbs Ninive coram Deo magna appellatur: homines enim obscuri, & tenues, & imperiti, res sæpe parvas & minutas, magnopere suspiciunt: sed quæ reges, & sapientes rebus splendidis assueti admirantur, ea necesse est revera esse magna, &c. Quod si Iohannis ministerium ideo magni existimandum est, quod coram Deo pretiosum sit; quanti nobis erit æstimandum Euangelium, cui augustius testimonium fert Christus Dei Filius? *Matth.* 11, 4, 5, 6, &c. magna igitur perversitas hominum qui illud parvi, vel nihili potius æstimant, quod coram Deo magnum censetur. Probat autem magnum fore ex his, quæ gesta sunt.

ejusdem educatio insolita & rigida, cur?

In privata vita, vino & sicera interdicebatur, quod olim sub Lege Nazaræis factitatum est: non equidem quod, in se, tanti momenti esset, à vino & sicera abstinere; sed ut, quemadmodum ex insolita nativitate hominibus innotuit, sic ex insueta educatione notabilis existeret, & multorum in se oculos converteret, ut extraordinario convictu extraordinariam in Ecclesia functionem indicaret; denique ut victus severitate & austeritate, melius ad pœnitentiarium Ecclesiastem formaretur: vide historiam Sampsonis, *Iud.* 13, 4, 7, 14. Ex quo discendum, cuique eum convictum eligendum esse, qui vocationi ejus aptissimus est, & ex ipso vel convictus moderato usu, Deo gloriam,

riam, hominibus ædificationem edere debere. vide 1 *Cor.* 10, 31, 32. quod heluones & ebriosos contingit.

dona Sp. S. extraordinaria illi ab utero matris collata: In privata porro vita illi obtigit, ut Spiritus Sancti donis copiose perfunderetur; quod de extraordinariis donis, non de dono regenerationis intelligitur: nec enim in scholis, ut alii, instituendus erat, adeo ut à Matris utero hoc illi obtigerit. Piorum infantibus hoc non obtingit, qui tamen dono regenerationis donantur. Cum autem ab infantia tam liberaliter effusus sit, & indies cum ætate creverit, quin eximius Dei servus evaserit, & potens virtute, dubitari certe non potest: in quo videmus infantes Spiritus Sancti participes esse, eoque signum gratiæ baptismum illis denegari non posse; neque Christianos fieri baptismo, ut quidam falso putant, sed tales obsignari. *hinc infantes Spir. S. participes baptismo non privandi.*

Magnitudo vero quæ illi ex ministerii functione accedit, arguitur, { *effectis* & *fine*.

Effecta Ministerii Iohannis; *Effecta* vero Ministerii erant, ut primum homines { Deo & Hominibus } reconciliaret.

Quod dicitur *eum plurimos ad Deum conversurum:* eo docet aversos gessisse in Deum animos, qui tamen, dum Dei nomine appellabantur, ejus sigillis circumcisionis & signo Paschatis obsignati sunt, Dei ministerio & verbo potiebantur: Quo redarguuntur plerique, qui proram & puppim collocant in externa hac Dei vocatione; tametsi vim & virtutem pietatis penitus aut ignorent, aut etiam, quod pejus est, abnegent. Deinde observandum, veram apud Deum conversionem, cum hominibus conciliationem postulare. *Ephes.* 2, 13, 14, *&c.* 1 *Ioh.* 4, 2. *Vers. 16. conversio; quæ interna præcipue spectanda.*

Quod autem docet, majorum animos à veritate aberrantes, ad liberos & juniores recte sentientes retrahendos: hominum superbiam damnat, quibus consuetum est dicere, se nolle à suis incunabulis doceri; cum Propheta *Amos cap.* 2, *vers.* 11. inter eximia Dei beneficia numeret, quod ex filiis eorum Prophetas daturus esset: Liberos etiam inobsequentes reduceret ad parentum obsequium, sed ita, ut non nisi in licitis illis obediant. *Vers. 17. Iudæorum ejus ævi pervicacia.*

LUC. *cap.* 1. *à vers.* 18. *ad* 26.

18 *Tunc dixit Zacharias Angelo, Quo* argumento *istud noscam? ego enim sum senex, & uxor mea provecta est ætate.*

19 *Et respondens Angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adsto in conspectu Dei: missusque sum ut te alloquar, & hæc tibi læta nunciem.*

20 *Et ecce, silebis nec loqui poteris,* ad eum *usque diem quo hæc fiant: eo quod non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur tempore suo.*

21 *Erat autem populus expectans Zachariam: & mirabantur quod is tardaret in templo.*

22 Ille *vero egressus non poterat eis loqui: & agnoverunt eum visionem vidisse in templo. Nam ipse innuebat eis: permansitque mutus.*

23 *Et factum est, ut impleti sunt dies ministerii ipsius, abiit domum suam.*

24 *Post illos autem dies concepit Elizabetha uxor ejus: & occultavit se menses quinque, dicens;*

25 *Nempe ita mihi fecit Dominus diebus quibus* me *intuitus est*, ut *auferret probrum illud meum inter homines.*

ANALYSIS.

Zachariæ responsum ad Angelum est per interrogationem, cujus sensus est se non credere quod de prole à se proseminanda prædixerat: cujus rationem assignat ab adjuncta sua capacitate quam hic nuncius superavit; quam rem probat ab adjuncta sua senectute, & uxoris provectiore ætate.

Vers. 19. In Angeli responso primum Zachariæ infidelitas convincitur, 1. A subjecto quod esset beatus Angelus, qui describitur ab adjuncto nomine *Gabrielis*. 2. Ab effectu coram Deo consistendi, & munere Angelico fungendi. 3. Ab adjuncta ejus legatione & missione à Deo. 4. A fine legationis, qui erat læta & grata annunciare.

Vers. 20. 5. Ab adjuncta pœna, sermonis & auditionis cessatione; quæ amplificatur ab adjuncta particula, animadversione seu admiratione. Deinde à sua causa efficiente arguitur, quod ipsi facultas audiendi & loquendi illi adimitur, & adjuncto

juncto tẽpore mitigatur, quoad completa sint quæ prædicantur. Hujus autem pœnæ causa assignatur illius infidelitas; quæ etiam illustratur ab adversa Dei fide qua promissum præstabit, cujus præstatio adjuncto tempore ei rei præstandæ proprio & commodo definitur.

Vers. 21. Hæc revelatio *Zachariæ* facta modo, populo etiam innotescit, & apud illum quodammodo obsignatur, 1. adjuncta Ecclesiæ expectatione, 2. illius admiratione, cujus causa assignatur, diuturna *Zachariæ* in templo insolita commoratio, 3. ab adjuncta sermonis *Zach.* privatione.

Vers. 22. 4. Ab adjuncto indicio quod *Zacharias* mutus, signis, nutibus, & corporis gestibus fecerat. 5. Deinde docet veritatem Angelicæ comminationis, ab adjuncta continuatione ἀλαλίας.

Vers. 23. Denique regreditur *Lucas* ad ostendendum justitiam *Zachariæ*, 1. ab adjuncta constanti permansione in templo, quoad munus plene absolvisset, 2. deinde ab adjuncto regressu & reditu ad familiam, munere defuncto.

Vers. 24. 3. Congressu cum uxore; cujus effectus erat, quod *Elizabetha* prægnans extitit; cujus adjunctum erat, quod se abdidit ad 5. menses.

Vers. 25. Cujus occultationis finis assignari videtur, ut divinarum laudum prædicationi penitus vacaret; quas decantat à causa, quod hujus beneficii Deus autor erat: deinde hujus operis divini aliam superiorem causam designat, Dei beneplacitum. Denique à fine hoc beneficium amplificat, ut suum sterilitatis probrum à se depelleret.

METAPHRASIS.

18. Zacharias *Angelo dixit; sunt quæ narras longe gratissima, sed sunt etiam omnem fidem superantia. Quæro enim quid sit quod à quoquam in medium afferri potest, quo ut hæc vera esse credam in animum inducam meum. Repugnat enim primum mea senectus: atque ut ipse ætate vigerem maxime, tamen repugnat uxoris ætas provectior, quam ut per naturæ legem possit concipere, nedum prolem eniti & in lucem edere. Cui Angelus respondens*
19. *dixit.* Ego sum Gabriel, *quod nomen si interpreteris, idem sonat ac Dei fortis vir validus & robustus, qui cum Dei præpotentis assiduus minister sim, à cujus præsentia ne latum unguem discedam, in me uno tam valido & viribus instructo divinæ potentiæ ministro, illius virtutis specimen intueri licet, qua nihil illi difficile existit. Deinde cum non sis nescius me voluntarium non esse, aut quicquam ex meo sensu, sed Dei mandatum locutum esse, hæc injuria in me non hæret, sed ad Deum, qui me ad te legavit, assurgit. Atque ut rei tristis & luctuosæ nuntius extitissem, mihi tamen à Deo legatione fungenti fides habenda fuisset. Nunc vero lætæ nuntianti fidem dero-*
20. *gari, ab officio ne recedatis longius. Quamobrem ut potentiam Dei malo tuo experiaris, quam in collocando in te beneficio credere recusaris, animum adverte. Nam quandoquidem sermone & auribus, tibi à Deo ad ejus gloriam concessis, temere abusus es, utriusque usu ad illud usque tempus privaberis, quo hæc quæ tibi prædixi effectum & complementum sortiantur. Neque enim tua perfidia perficies, ut Dei fides de prole data excidat, quo minus justo & præstituto tempore fiat.*

Dum hæc geruntur in templo, populus in 21.
Atrio subsidens Zachariam *Sacerdotem, præter consuetudinem moram ducentem, præstolatur, ut ejus ministerio à Deo solennem & lege præscriptam benedictionem accipientes, alacrius quisque domum suam repeteret. Quum vero* 22.
probe noscent Zachariam, *sedulum & experrectum Dei Sacerdotem, nihil per somnolentiam & oscitantiam facere solitum, istam moram & cunctationem admirati sunt. Egressum vero templo cum intelligerent sermone & auribus captum, de visione illi facta omnino conjecturam faciebant. Qua de re* Zacharias *nutu & corporis gesticulatione eum certiorem fecit. Quanquam vero dubio procul sit* Zachariam *suæ in credendo tarditatis pœnitudine ductum fuisse, tamen congruenter Angeli dicto mutus permansit. Neque tamen hac tam tristi & gravi Dei plaga se à ministerio suo absolutum & levatum existimavit, sed in functione perstitit quoad quod lege tenebatur penitus exhausisset. Sacris vero peractis domum repetit,* 23.
& cum uxore, prout constitutum est, cohabitans, illa ex ejus concubitu concepit. Ea se ad 24.
5. menses undique tectam & conclusam tenet, quoad de rei certitudine condocefacta aliis eam annunciaret. Re vero comperta Deum in hæc fere verba prædicat. Hoc ego, inquit, 25.
beneficium à Deo mirifice collatum illi modo in solidum acceptum fero, cujus non aliam causam vel cogitando invenire queo, quam ipsius liberrimam voluntatem; idque hoc (inter cætera) consilio, ut meum ex sterilitate probrum depelleret.

PRAXIS.

Zacharias quærit *unde hoc futurum cognosceret*; quibus verbis fidei defectum prodit. Sicut ex Angeli verbis mox subjectis constat: tametsi enim verba ejusmodi sint, quæ non tam in fide destitutum, quam quæ in imbecillem rite quadrent; cum tamen eum credidisse Angelus perneget, fidei, ex hac parte, expertem fuisse in promptu est. Si enim, ut parens in Euangelio credens, sublevari fidei suæ infirmitatem postulasset, Vers. 18. *Zachariæ in præsenti negotio incredulitas.*

aut si credere se professus, signum (ut plerique) petiisset, quo promissum ad pleniorem fiduciam obsignaretur, & gravi peccato caruisset, & mitius cum illo actum fuisset.

hinc quomodo pii fide destituantur?

Quod si *quæratur* quomodo pius fide penitus destitueretur, cum fide justificetur?

Respondeo, fide particulari & extraordinaria destitui posse quandoque pios, sed generali & piis omnibus communi, non posse. Credidit enim Zacharias, Deum sibi in Christo propitium, omnia sua peccata sibi donaturum, justitia Filii sui induturum, &c. Sicut contra fit, ut quis particulari, & extraordinaria fide miraculi edendi imbui possit; tametsi veram illam, & justificantem fidem non habeat. vide *Matth.* 7, 22, 23. 1 *Cor.* 13, 2.

causa incredulitatis istius,

Vnde vero hæc infidelitas nata sit & pullularit, significat; quod uterque conjunx ætate provectus esset: in quo perspicimus eum, dum se naturæ, & rationis humanæ cancellis circumscribit, turpiter lapsum. Nihil enim velle de Deo, & divinis credere, nisi quod sub humanæ intelligentiæ captum cadit, indignum plane est. Est enim humani ingenii brevior & angustior mensura, quam ut ad divinorum operum mensurationem adhiberi debeat: & iniquum est Deum nostro pede metiri, potens Dei brachium ad nostrarum virium normam exigere, denique Creatorem ex creatura, Dominum ex servi impotentia & infirmitate æstimari. Ratio enim & natura, Dei creaturæ & servi sunt. Abrahamus nobis longe aliud exemplum proposuit, qui neque suum corpus emortuum, neque Saræ emarcidum uterum consideravit, sed ad Dei potentiam seipsum retulit. *Rom.* 4, 19.

quod rationis ductum secutus sit;

a quatenus sit licitum ejus ductũ sequi?

Neque tamen rationis usus in rebus sacris penitus ejiciendus est, cum illa nobis à Deo ideo in primis concessa sit, ut illius adminiculo, verum à falso, sanctum à prophano melius discernamus: maxime in his, quæ ad mandata Dei attinent, potissimum in secunda tabula.

Sed quoniam rationi humanæ, ex lapsu, magna caligo effusa est, & doctrina Euangelica profundior & reconditior est, quam quo aut hominum, aut vero etiam angelorum ratio penetrare potuit: idcirco operæ pretium est, ut in mysteriis cœlestibus, rationi præeat Verbi & Spiritus lumen; quibus illuminata ratio magnum momentum ad veri disquisitionem, & ad fidei certitudinem affert.

Si enim quod Scriptura docet, idem ratio ipsa suadet, facilius nobis fuerit, animum ad illis credendum inducere. Quod si ratio aliud dictet, quam quod Verbo consentaneum est, tum, sicut ad rationis imperium cupiditates; sic ad Verbi divini magisterium ratio revocanda erit. Quod propterea moneo, quia sunt, qui, ut suis portentis fidem concilient, rationem & sensus nos ponere volunt: sicut in *Transsubstantiatione* & *Consubstantiatione* vociferantur homines importuni: diffisi suam se causam apud nos obtinere posse, nisi prius orbati ratione obbrutescamus.

cur quidam simpliciter damnent?

Vnum obstaculum in uxore cur tantum assignet Zacharias?

Notandum porro Zachariam, unum tantum obstaculum in uxore sua assignare, ætatem provectiorem; quia Spiritus Sanctus sterilitatem prius adjunxisset. Quo docemur penes Deum esse modo, scire, vir ne an fœmina sterilis sit: quod nostram perversitatem arguit, qui si prolis beneficium non consequamur, alico hoc fœminæ impingimus.

Vers. 19.

Ex Gabrielis *nomine eum peccati cõvincit Angelus;*

In Angeli replicatione duo sunt: *Prius*, quo Zachariam admissi peccati convincit: *alterum*, quo pœnam ob infidelitatem prænuntiat. Quod vero se *Gabrielem* esse confirmat (quod *fortem præpotentis Dei* significat) docere vult Zachariam, illius intuitu moneri debuisse, ne hoc negotium ex humanæ infirmitatis modulo ponderaret. Hic enim Angelus (si cætera non essent) documento esse potuit, Deum incredibilis & infinitæ potentiæ esse, ad ea, quæ promisit præstandum: neque Deum in rationis seu naturæ cippos, seu carcerem fuisse compingendum. Ex quo docemur singulare fulcrum, & sustentaculum fidei esse, si quis opera Dei probe comperta & meditata habeat, si machinæ seu fabricæ mundi attentus contemplator sit; unde etiam Spiritus Sanctus, quoties rem aliquam specie difficilem Ecclesiæ prænuntiat, totius mundi tum creationem, tum providentiam nobis ob oculos proponit.

inde fidei singulare fulcrum:

etiam ex Dei adsistentia eum coarguit;

Quod vero dicit *se coram Deo adsistentem*, ab eo ad hoc prænuntiandum legatum esse, neque quidquam ex suo cerebro commentum esse, in eo docet, quam graviter Zacharias peccavit, qui Dei legato, & qui legationis suæ indubitatas notas, tanquam Dei mandata & diploma circumferebat, fidem abrogavit. Si enim sponte & non missus venisset, cur fidem illi derogaret justa causa suffuisset; sed cum intelligat probe, illum

illum mandata tantum referre, neq; sanctos Angelos unquam, vel latum unguem, ab imperio & obsequio Dei recedere, effectum est, ut etiam non tam sibi quam Deo fidem detractam esse, intelligat. Sic qui legitime vocatos in Ecclesia, & in Verbo Dei loquentes parvi æstimant, olim experientur, quantum falsi sunt, qui cum hominibus se rem habuisse existimarunt, cum non tam homines, quam Deum se in hominibus repudiasse sentient: ut olim Israël in Mose, Aarone & Samuële. Unde etiam populus peccata submississime deprecans fatetur, inter gravissima illorum scelera, hoc unum esse, quod servorum Dei sermonibus aurem non præberent: quod quam in omnibus grave sit, tum in his multo magis, qui de vocatione Ministri intus convicti, tamen in ejus monitis non acquiescunt.

cum Dei legatis fidē qui detrahunt, Deo ipsi detrahant.

Post subjicit peccati pœnam, sermonis usum illi ad tempus eripiendum: cum enim os suum adversus Deum aperuisset, nec silentio fidei in Verbo Dei acquievisset, justum erat ut illi os obstrueretur, & cum auribus ad audiendum datis non esset usus, simul etiam auditu privari meruit. Cum enim vox Græca *mutum* & *surdum* significet, videtur effici ex versu 62. illum surdum quoque factum esse: non enim illum alloquebantur, quod fecissent si auditu præditus fuisset, sed innuebant, & signis rem omnem transigebant. Discamus igitur sermonis beneficio, recte, & ad Dei gloriam uti, ne ejus abusu Deus irritatus eum nobis adimat. Tametsi vero Deus hoc sæpius non exequatur adversus eos judicium, qui lingua ad Dei dedecus, & proximorum pernitiem intemperanter abutuntur: tamen non proinde mitius cum illis agetur, si in improbitate perstiterint. Nam si tam eximio servo suo non pepercit, nedum illis, qui cum illo, ne minima quidem ex parte comparandi sunt, parcet: si suorum infidelitati non parcit, nedum impiorum: si particularem lapsum corripit, multo magis apostasiam à fide. Quanquam hoc ipsum, quod illis linguæ ad maledicentiæ usuram prorogat, gravius est, quam si fulmine divini judicii percussi obmutescerent simul, & obsurdescerent. Quanquam non est prætereundum, hanc castigationem Zachariæ notam continere divinæ misericordiæ, quæ castigationibus admiscetur; quandoquidem illi pro tessera & pignore fuit, fore, ut uxor pareret filium congruenter Angeli nuntio.

Ob incredulitatem Zacharias mutus & surdus factus;

hinc sermonis beneficio recte utendum.

Atque dummodo oculos aperiamus, nobis etiam in nostris castigationibus non obscura bonitatis in nos divinæ indicia intueri licet.

Quod si *quæratur* cur linguæ usum Deus sustulerit, cum hoc modo non tam Zacharias, quam Ecclesia Dei, quæ ab illo informanda erat, multata sit.

Cur linguæ usus Zachariæ ademptus ad incommodum Ecclesiæ?

Respondeo, Ecclesiam sua ingratitudine hoc fuisse commeritam. Deinde quod elinguis miraculo factus est, ad hominum animos personandos aptius & potentius fuit, quam si decem linguis præditus fuisset. Hoc enim miraculo nuntius iste celebratus est, & Iohannis oriundi conceptus nobilitatus.

Quod autem dicit *implendum esse suo tempore, quod dictum est*, eo docet hominum perfidiam Dei fidem irritam non facere: vide *Rom.* 3, 3. Quod si minime credentibus promissa facit Deus, quanto magis promissa credentibus servabit.

Quod diutius solito in templo morantem populus admirabatur, & tamen exitum ejus exspectabat, ut Sacerdotis benedictionem acciperet: indicat singulare studium populi, & religiosum animum, qui ex hac mora nullo divini cultus fastidio arripiebatur: Id quod nos pudefaciat, qui si concio paulo productior sit, statim nos ante finitam concionem, & benedictionem pronuntiatam proripimus: cum in ludis & tantis conviviis tempus sine ulla satietate effluit: quantum etiam temporis in Papatu homines non invite collocabunt. Hinc etiam liquet tempus quoddam Liturgiæ perficiendæ præstitutum esse: alioquin non tam facile fuisset diuturniorem solito in munere obeundo moram ei adscribere. Quod autem *Pontificii*, ex hoc diremptu Sacerdotis à populo, tempore liturgiæ, colligunt, sacra ignota lingua celebrari posse, ineptum est: quandoquidem Sacerdos legalis personam mediatoris sustinuit, qui solus apud Patrem causam nostram agit, quod ministris, qui nunc sunt, nullo modo competit. Est autem eximius locus *Ezech.* 46, 10. ubi princeps jubetur cum populo templum ingredi, & ibi per universam liturgiam commorans, cum populo exire: quo accedit, quod studiosi sapientiæ ejus portas observare dicuntur. Quod si Iudæorum cum nostro cultu contulerimus, quam est noster eorum liturgiæ præferendus.

Vers. 21. Populo in cultu assiduitas ex mora Sacerd.

an ex ejus diremptu sacra ignota lingua celebranda?

Quod vero excedens è templo elinguis factus sit, & mutus & surdus, & quod sic perman-

Vers. 22. Zach. non

ad pauxillum temporis mansit mutus,

permansisse dicitur, ne existimetur attonitum & perculsum, sermonis usuram ad aliquot horas aut dies perdidisse, docetur Deum non minus in judiciis, quam in promissis fidelem esse & verum. Simul etiam notandum, castigationem manere, quantumvis dubium non sit, quin ille resipuerit; non quod hoc modo peccatum expiandum erat, ut *Pontificii* garriunt; sed &c. Vide 2 *Sam.* 12, 10, 14.

Deus vero hanc moram Ecclesiæ & diuturnam Sacerdotis expectationem, divino beneficio compensabat: quod certe erga nos (tametsi alio modo) faceret, si cultus sui studio & delectatione teneremur.

quo tamen munus Sacerd. obivit.

Sacerdos tametsi mutus & surdus factus, tamen cum sacrificia offerre potuerit à templo ante absolutam septimanam non recessit: ex quo colligitur, quo loco ordo Ecclesiæ nobis esse debet; tametsi enim nuntius ille tanti momenti erat, ut quam expeditissime impleri operæpretium fuerit; tametsi etiam surdus & mutus factus, videbitur jure ad domum redire potuisse, ut se adversus tantam calamitatem consolatione muniret; tamen ordinem à Deo positum violari non debere recte sensit.

Vers. 24, & 25. *Elizabetha cur se per 5 menses occultaverit?*

Quod vero Elizabetha seipsam per quinque menses occultavit, meo judicio, ut alias interpretationes prætermittam, ideo fiebat, quod de re subdubitans, noluit rem evulgari, priusquam eam ex vitali infantis in utero motu, compertam haberet: nam circiter quinque menses infans se ad matris sensum movere solet. Nec vero mirum est, si Elizabetha fide infirma, cum maritus & mutus, & surdus, ad illam docendam inidoneus esset. Quod enim præstare potuit, nihil aliud fuit, quam ut in pugillaribus visionem uxori describeret. Sed cum surdus esset uxori aliquid excipienti difficultatis dissolvere nequibat. Officium gratitudinis quantumvis seræ exemplo Elisabethæ notatur. Quod autem *probrum suum*, potius quam mariti, depulsum esse dicit: eo docetur, utrumque conjugem sibi potius sterilitatis vitium tribuere oportere, quam in alterum transmittere.

cur probrū suum depulsum dicat?

LUC. *cap.* 1. *à vers.* 26. *ad* 39.

26 *Mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilææ, cui nomen Nazaretha.*

27 *Ad virginem desponsam viro, cui nomen erat Iosephus, ex domo Davidis: nomen autem virginis* erat *Maria.*

28 *Ingressus igitur Angelus ad eam, dixit, Ave gratis dilecta: Dominus tecum* est: *benedicta tu inter mulieres.*

29 *Illa vero quum* eum *vidisset, perturbata est super ejus sermone: & cogitabat qualis esset salutatio ista.*

30 *Tunc dixit ei Angelus, Ne time Maria: es enim in gratia apud Deum.*

31 *Et ecce, concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Iesum.*

32 *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus sedem Davidis patris ipsius:*

33 *Regnabitque in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.*

34 *Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit istud, quandoquidem virum non novi?*

35 *Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te: propterea* id *etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

36 *Et ecce, Elizabetha cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus ipsi quæ vocabatur sterilis.*

37 *Quia apud Deum non erit ullum verbum quod fieri non possit.*

38 *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et abiit ab ea Angelus.*

ANA-

ANALYSIS.

ALtera visio, quæ describitur primum ab adjuncto tempore sexto mense a conceptu *Ioannis Baptistæ*. 2. à Deo, causa efficiente principali. 3. instrumentali *Gabriele Angelo*. 4. à subjecto loci generali *Galilæa*. 5. proprio *Nazareth*.

Vers. 27. 2. Describitur à subjecto, cui visio facta est; quod arguitur 1. ab adjuncta virginitate, 2. à relatione sponsæ; cujus sponsus describitur ab adjuncto nomine *Ioseph*, & efficiente familia *Davidis* unde est oriundus. 3. ab adjuncto nomine *Maria*.

Vers. 28. Angeli obsequium & legationis functio describitur ab effectis, 1. ingressu in domum ubi *Maria* agebat, 2. sermone ad illam directo, ubi salutatio arguitur ab effectu lætitiæ; cujus tres causæ assignantur, 1. & ea præcipua est, quod gratis dilecta sit, 2. quæ ex priore provenit, quod Deus illi adsit. 3. ex duabus illis nata, quod sit benedicta inter mulieres.

Vers. 29. Hujus salutationis effectus in *Maria*, 1. est perturbatio, 2. commentatio & cum animo suo discursatio, quid sibi vellet hæc salutatio.

Vers. 30. Angelus *Mariam* metu perculsam jubet metum deponere; quod arguitur ab efficiente causa, quoniam gratis à Deo dilecta sit.

Vers. 31. Cujus gratuitæ dilectionis effectus describitur, 1. quod concipiet, 2. quod pariet filium, 3. quod nomen IESVS illi indet; quæ omnia adjuncta nota admirationis amplificat, ut majus quid concipiat animo, quam quo ratio humana pertingat.

Vers. 32. Hunc filium nomini suo & conceptui mirifico, re, & veritate analogice responsurum docet, primum ab adjuncta ejus magnitudine; quod partium enumeratione probatur, 1. à relatione, quod filius Altissimi sit: quod arguitur ab adjuncta celebritate, qua ex præclaris rebus gestis talis esse agnoscetur, 2. ab adjuncta donatione Dei Patris, qui tribuet ei solium *Davidis*; quod arguitur à relatis, quod *Davidis* sit filius.

Vers. 33. 3. Ab effecto administrationis illius regni, quod illi à Patre datum est, 4. à subjecto populo cui imperabit, *Israëli*, 5. ab adjuncto tempore æternitatis; quod etiam negatione privationis confirmatur, nullum illius regni fore finem.

Vers. 34. *Maria* fidem legationi adjungens, de ratione & modo hoc mysterium implendi percunctatur: cujus rationem affert, causæ quæ consueta est in generatione remotionem, quod virum non sit cognitura.

Vers. 35. Angelus hunc nodum dissolvit, insolitam causam indicans: Spiritum Sanctum in genere, deinde specialem ejus proprietatem, viz. potentiam admirabilem, cujus operatio duabus metaphoris superveniendi & obumbrandi congressum virilem aliquo usque repræsentantibus adumbratur; cujus admirabilis conceptus causa indicatur, quod qui sic concipiendus sit, Dei filius est & esse agnoscetur.

Vers. 36. Hoc probat argumento paris, quod *Elizabetha* ætate provectiore & sterilis concepisset, & uterum menses circiter sex gestasset.

Vers. 37. 2. A genere, quod nihil Deo sit ἀδύνατον, & ob eam causam, neque hoc quod *Mariæ* promissum sit.

Vers. 38. *Maria* pleniore fide nuncium amplectens se totam Deo permittit, cujus argumentum ducit à relatis, quod sit Dei famula; quam fidem porro adjuncta petitione seu postulatione testatur, ut fiat quod dictum est.

Summa est; visio alia, *Mariæ* virgini facta: partes sunt,
- Aditus ad visionem, *vers.* 26, 27. & dimid. 28.
- Visio ipsa dialogo inter Angelum & *Mariam* cõprehensa.

METAPHRASIS.

IDem Angelus Gabriel *suo nomine incredi-* 26.
bilem divinæ potentiæ efficaciam exprimens,
non immerito denuo à Deo legatur, ut qui
nuncium humanitus magis, quam prior, in-
credibilem perferret. De cujus rei veritate
ut constet magis (quod fabulosi scriptores stu-
diose declinant) circumstantias appono. Pri-
mum temporis; fere etenim semestri post Ba-
ptistam utero matris suæ conceptum legatio-
nem hanc obiit: deinde loci generalis, Provin-
ciæ Galilææ, *specialis*, urbis Nazareth. *De-* 27.
nique personæ apud quam legatione functus
est, virginis scilicet quæ nunquam viri con-
gressum experta erat. Quæ tamen viro Iose-
pho, *ex familia* Davidis *oriundo, desponsata*
erat; cui virgini nomen Maria *erat. Angelus* 28.
vero domum ubi erat subingressus illam his
verbis affatur: lætare & gaudio exulta, Deo
enim chara & gratis dilecta es; ex quo fonte
divinæ in te benignitatis hæc incomparabile
beneficium existit, Deum tecum esse, & à
partibus tuis stare: ex quibus utrisque hoc
porro beneficium manabit, ut sis inter alias
fœminas insigniter benedicta. Maria *partim* 29.
intuitu Angeli, partim illius sermone percul-
sa, animo perturbato secum ipsa disceptabat
& commentabatur, quid hæc sibi vellet An-
geli salutatio, & quorsum spectaret: Tum 30.
Angelus, non est quod tibi metuas Maria *ab*
ullo malo, cum te nihil quod ad accipiendum
nuncium impedimento esse possit cogitantem,
Deus singulari modo gratam & acceptam
habeat, eoque subducta cogitatione tua à ra-
tionis tuæ angustis finibus animum attolle ad
ea, quæ sensum & rationem longe superant;
concipies enim utero filium, quem consuetos 31.
menses gestabis, quoad justo tempore exacto
partum enitaris; cui nomen tu quidem indes,
sed ex me tamen præscriptum & præstitutum,
nempe IESVM. *Nec vero (ut inter homi-* 32.
nes fieri solet) gloriosum nomen nactus, rebus
gestis ille inferior erit. Erit enim magnus ad
eum modum, ut sicut Altissimi Filius re vera
est, sic rerum gestarum magnitudine talis esse
agnoscetur. Hunc Deus Pater in solio Davi-
dis,

dis, *ex cujus stirpe prognatus est, collocabit, &*
omnibus regiæ majestatis insignibus & infulis
ornabit. In solio vero constitutus, regale im-
perium exercebit, & suis veluti humeris solus
33. *regni totius molem sustinebit. Tanquam ve-*
ro Patris vicem gerens, in universum Dei po-
pulum, ut olim David *ante defectum regni,*
principatum tenebit; plurimum vero inter ejus
regnum & Davidis, *sicut & aliorum Monar-*
charum, intererit; ut qui in omnia secula re-
gnum suum prolaturus & propagaturus sit,
utpote cujus regnum nullis nec temporis, nec
locorum spatiis conclusum tenetur, quin ad il-
lud omnes filii Abrahæ, *id est, omnes fideles,*
34. *etiam carne præputiati, aggregati erunt. Ad*
hæc Maria: *equidem de hujus dicti veritate*
non dubito; illud modo quæro, quam viam ini-
bit Deus, ut quod verbo loquutus sit, opere
perficiat. Video enim penitus ejus generis pro-
lem edendam esse, quæ mihi omnem cum viro
35. *congressum consuetudinem inhibet. Angelus*
pro responso inquit: Spiritus Sancti hoc opus
universum est, non mortalis cujuspiam, &
Altissimi potentia interminata, non naturæ
contractæ vires, hoc perfectum dabit: Sicut
enim gallina suos pullos undique tectos ha-
bens, illos putamine demum excludit; sic ar-
cana quadam ratione & incomprehensibili
Spiritus Sanctus hoc in te efficiet, quod gallina
36. *naturæ instinctu facit. Atque hanc rationem*
hoc quod prædixi efficiendi non aliam esse,
quam quod Deus molli brachio efficiat, pono
tibi ante oculos Elizabetham, *ut natura, sic*
beneficii nonnulla similitudine cognatam; quæ
tametsi per ætatem simul & infœcunditatem,
ad prolem edendum inepta sit, tamen divina
virtute semen concipiens totos fere sex menses
37. *uterum gestat: Neque vero dubitandum tibi*
est, quin Deus, cui nihil impossibile, hoc facile
38. *effecturus sit. Tum* Maria: *Ecce me ad omnia,*
quæ Deus in me & per me fieri vult, para-
tam; ut quæ ejus famula sum: nec paratam
tantum, sed promptam etiam & alacrem, un-
de profiteor me, ut quod dixisti, fiat oppido ex-
petere. Angelus vero, absoluta legatione se
subducens, abiit.

PRAXIS.

De nuncio Angelico ad Mariam Virginem:

A versu 26. ad 39. alia visio de admirabili Christi conceptu narratur:

In quo Euangelista { primum circumstantias { temporis & personarũ } propriis verbis explicat. Deinde visionem ipsam prout gesta est, narrat, non suis, sed eorum verbis quibus visio constat. }

Vers. 26. cur illi additæ circumstantiæ temporis,

Circumstantias autem narrat ad majorem certitudinem: nam qui figmenta comminiscuntur, hi invitissime ad circumstantiarum indicium faciendum adducuntur. *Tempus* autem subindicat, ut intelligatur Iohannes Christi præcursor esse, & illum non diu præcessisse, sicut per Prophetam Malachiam prædictum est.

& personarum?

Quod ad *personas* attinet, primum declarat conceptus Christi Legatum eundem fuisse, qui fuit Iohannis: quod ut Iohanni honori fuit, eundem conceptus sui habere prænuntium, quem Christus ipse habuit; sic virgini Mariæ res fuit ad credendi facilitatem opportuna, cum secum prioris nuntii comprobatam eventu veritatem reputans, de consimili ad eam prædictionis exitu spem conciperet. Cum enim Lucas eundem fuisse Angelum confirmet, illud Ecclesiæ, nedum virgini innotuisse verisimile est: In Angelo vero exæquatur Iohannes; in aliis circumstantiis videtur Christi nativitas Iohannis nativitate obscurior; quod de Iohanne nuncius in Templo, ut in frequenti concione: Christi vero nativitas prædicta in obscuro oppidulo, & in privatis ædibus.

Vers. 27. Cur ex virgine debuerit Christus nasci,

Deinde accedit ad descriptionem matris Christi. Vbi prius notat locum habitationis ipsius, post, conditionem ejus indicat; Virginem scilicet fuisse, sed viro desponsatam. Quod autem ex virgine oriundus est, eo declaratur, verum illum fuisse Patribus promissum Messiam: nam *Esaias c.7, v.14.* ita fore prædixit: Cujus quidem ratio est, quod si ex consuetudine viri natus fuisset, peccati labe & contagio contaminatus, ad nos servandum ineptus & inidoneus fuisset. Nam immundum non esse, qui ex immundo semine conceptus est, fieri omnino nequit, *Iob.* 14,4. *Quod ex carne natum est, caro est:* unde *Genes.* 5, 3. dicitur Adamum peccato jam vitiatum, liberos ad suam non (ut alias fecisset) ad Dei imaginem genuisse. Atque ut ex serpentibus non nisi serpentes, & ex leproso parente non nisi liberi lepra infecti procreantur: sic ab hominibus peccatoribus non nisi peccatores gignuntur. Deinde Christus duos patres habuisset, quod est absurdum.

& ea quidem viro desponsata?

Quod autem Deus voluit filium suum nasci ex virgine viro jam desponsata, hoc duabus de causis fecit: cum ut 1. Mariam à fornicationis suspitione liberaret, unde etiam Iosephi filius est existimatus. 2. eique gravidæ & opis indigæ consuleretur, de his quæ

illi opus erant. 3. tum ut mysterium Christi revelati paulatim, & lente elucesceret. In quo oculatissimam Dei providentiam contemplari licet. Sunt autem ridiculi *Pontificii*, qui ex hoc loco perpetuam virginitatem, imo etiam votum virginitatis colligunt; quod quidem sive ante desponsationem, sive post desponsationem fecit, absurdum est.

hic nihil pro votiva virginitate,

Qui vero virginitatis, ex hoc loco, præcones sunt, ut legitimum conjugium deprimant, quod Dei Filius ex Virgine editus sit; hi nullo solido fundamento nituntur. Primum quidem quod virginis uterum non delegit, quod majus esset virginitatis, aut cælibatus meritum, quam conjugii, sed quod filium sic nasci placuit, ut est in Cantione Mariæ: *Respexit, &c. Luc.* 1, 48. Deinde ita Maria Christum concipiens, fuit virgo, ut simul tamen sacro conjugii vinculo viro juncta fuerit: quod quidem tantundem valere, ac si conjunx esset, docet lex, quæ desponsatam, ab alio vitiatam & corruptam, capitali supplicio sicut adulteram multet: ut ex hoc loco difficile sit dicere; plus ne virginitati, an legitimo matrimonio honoris habitum sit. In hac vero Mariæ descriptione videmus nihil de sanctitate, & pietate virginis admistum, cum tamen illud in uxore Zachariæ diligentissime factum sit: Scriptura enim præscia superstitionum, quæ olim virginis in cultu, & nimia existimatione exstituræ essent, in ea parte silentium sequuta est.

nec pro virginitate simpliciter:

nihil etiam de pietate Mariæ.

Sequitur Dialogismus Angeli cum Virgine: salutatio habetur.

In colloquio Angeli cum Virgine salutatio,

In qua Salutatione consideratur, quod est in ea { ordinarium & extraordinarium.

Vers. 28. In salutatione *ordinarium*, quod salvere jubet, sicut ex 2 *Ioh.* 10, 11. constat, & Iudæ proditoris salutatione; *Matt.* 26, 49. notandũ eam non tantum humanitatis & urbanitatis, sed pietatis officium esse, quo salutato secunda omnia à Deo precamur, ut *Actor.* 15, 23. Quamobrem qui temere, & fortuito, & sine serio ejus, quod dicitur sensu, salutem alicui impertit, is in tertium præceptum peccat, quod Sacrosanctum Dei nomen inconsiderate usurpet. Quod si salvere jubens, intus odio aut invidia ita in illum flagret, ut illius damno & infortunio lætetur, Dei nomine non tantum ad vanitatem, sed ad abominandam hypocrisin abutitur. Reliqua sunt *extraordinaria:* causam assignat cum superioris gaudii quod apprecatur, tum insequuturæ fœlicitatis; Dei scil. gratuitam gratiam nullo proprio merito evocatam, nec quod cæteris fœminis vitæ sanctitate præpolleret. Quod si nullo suo opere, neque omnibus bonis operibus promerebatur, ut Christi genitrix esset; nedum vitam æternam promereri potuit, quod divinius donum est, quam Christum in lucem edere, ut Christus ipse testatur. *Luca* 11, 28.

ordinaria,

& extraordinaria:

Ex hoc fonte gratiæ Dei lympidissimo rivuli deducuntur: { Dominũ cum illa esse: Eamque inter mulieres nominatissimam fore.

Dominum cum aliquo esse, significat Dei benignam & gratiosam cum aliquo præsentiam; qua illum juvat laborantem, consolatur afflictum, infirmum corroborat, periclitantem liberat, breviter bonis cumulat, nocituris eximit: Quæ præsentia cum omnibus piis communis sit; hoc tamen loco singularis quædam Dei præsentia promittitur, qua effectum erit ut virgo Maria inter fœminas, & eas quidem pias, celebris & nominata futura sit; hoc ipso quod mater Christi futura esset: hoc modo sumitur *Iudic.* 6, 12, 16. in Gedeonis exemplo. Hoc singulari consolationi est, cum res aliquas ex vocatione difficiliores aggredimur: nam si homines in hominum comitatu, & præsentia eximiam consolationem accipiunt, ut Baracus in præsentia Deboræ, *Iud.* 4, 8. LXX. discipuli per binos missi, *Luc.* 10, 1. Moses ex Aaronis consortio, & rem alacrius aggrediuntur: quanto hoc magis fiat in Dei præsentia. Hoc quantam vim habuit agnovit Moses, qui ne pedem quidem efferre voluit, nisi Christum comitem & ducem haberet: ut vero ab aliis omnibus deseramur, modo tamen Deum præsentem habeamus, satis esse debet ad nos reficiendum.

hinc, quid significet Dominũ cum aliquo esse?

hæc Dei præsẽtia Mariæ singularis;

inde in aggrediendis negotiis piis consolatio eximia.

Quod autem *benedicta inter mulieres* dicitur: eo docetur caput Virginis elatum super alias fœminas. Sicut autem Iohannis præstantia universa ad Christi excellentiam refertur: ita quod virgo beata prædicatur Christi partu, non alio referri debet, quam ad Christi decus & dignitatem exornandum: tantum viz. fuisse Christum, ut vel illum pariens beata habeatur. *Pontificii* igitur qui hinc Christi gloriam obscurare conantur, turpiter hoc & hujusmodi testimoniis abutuntur. Quod tamen an solidum & nervosum sit, ad probandum virginem Mariam omnium fœminarum præstantissimam, dubitari poterit. Tantum enim κατὰ τι prælata esse

Cur, benedicta inter mulieres?

utrum inde cæteris omnibus sit præferenda, improbabile.

ta esse videtur, & in hoc cæteras fœminas superasse, quod Christum enixa sit. Idem enim prorsus dicitur de Iaële Syceram interficiente, *Iudic.* 5, 24. quam tamen Deboræ simpliciter anteponendam fuisse, non ausim affirmare. Sunt autem *Papistæ* ridiculi, qui ex hoc loco colligunt, virginem Mariam in partu, in conceptu, aut uterum gerendo nullos dolores pertulisse; & hoc modo etiam præ cæteris omnibus fœminis beatam.

Vers. 29. *Cur ex Angeli aspectu Maria turbata?*

Virgo viso & audito Angelo turbata est; unde vero fit, quod Angeli aspectus eam turbavit, ante dicitur: quod Mariam peccati ream arguit, sine quo, viso Angelo, non fuisset turbata, maxime cum Angelus jubeat hunc timorem pellere; quod non fecisset, si peccatum non esset. Quod sermonem Angeli non satis explicatum & insolitum animo versavit; eo docet quo animo nos esse debemus in audiendo Dei sermonem, non satis percepto, non statim tœdio corripi, aut studium amplius audiendi deponere. Sed illum diligenter meditari, &c. Angelus autem responsum adhibendo rem omnem liquide & clare explicat: quo docemur, quærentes & sollicitos de mysteriis intelligendis adeo juvari: vide *Exod.* 3, 14. ubi dubitanti Mosi de nomine Dei responsum benignissimum à Deo accepit.

An hæc Angeli salutatio, precatio dicenda sit?

Deinde turpiter hac salutatione utuntur *Pontificii,* qui illam in precationem ad virginem converterunt. Nam primum alienum est Angelum precationem ad Mariam instituere. 2. Hæc salutatio designat beneficium, quod virgo ipsa accepit, non quod illa aliis confert. 3. Neque est petitio, neque gratiarum actio. 4. Priore in parte est ordinaria, reliqua extraordinaria. 5. Absurdum est illi gratiam Domini apprecari, quæ illo plenissime fruitur. 6. Quod sine vocatione illam salutant, & quidem absentem.

Angelus Mariam alloquendo,

In Angeli oratione duo insunt, { Vnum est propositio, non esse timendum. / Alterũ, Propositionis ratio, quod gratiam apud Deum invenerit: non tamen quod ea quæsivit naturæ donis, ut *Pontif.* somniant. }

Vers. 30. *cur jubeat non timere?*

Quod ad prius attinet, ante dictum est, ubi eadem consolatione erga Zachariam Angelus usus est: eoque docemur omnes carnis affectus prius ponendos, & abjiciendos, priusquam Verbi divini idonei auditores esse possimus.

quomodo gratiam invenerit?

Ratio vero quod *gratiam apud Deum invenerit*, idem sonat quod κεχαριτωμένη. Cum autem homines duobus modis inveniunt, vel quærentes, vel de re inventa non cogitantes, certum est virginem hac posteriore acceptione invenisse: neque enim vel per somnium se Christi Servatoris matrem fore percepit. In quo incredibilem Dei erga nos munificentiam considerare oportet, ea largientem, quæ nec nos petere, nec intelligere quimus. *Ephes.* 3, 20.

Gratiam apud Deum invenisse probat ab adjuncto { partu filii, & nomine. }

Vers. 31. *Magnitudo beneficii ex partu IESV Mariæ præstiti,*

Est enim magnum beneficium prolem consequi, *Psal.* 127, 3. Sed longe majus beneficium est, talem filium consequi, cui, quod nomen IESVS ab Angelo ex Dei mandato inditum est, servandi partes vere incumberent. Si enim singularis beneficii loco ducitur apud Amosum Prophetam *cap.* 2. *vers.* 11. quod Deus ex Israelitarum filiis sibi Prophetas, & Verbi Ministros delegisset: quantum in eam beneficium censebitur contulisse, cujus filium non tantum ad docendi, sed ad servandi munus, sevocavit?

item universo humano generi.

Sicut autem maximus ex hac re honos virgini cessit, proximus Israëlitis: ita universum genus humanum, cujus naturam Christus induit, ab hujus honoris societate excludi non potest: quemadmodum autem gaudium nativitatis Baptistæ ad multos, præter parentes ejus, redundavit; sic gaudium & honos ex Christi nativitate, non ad Mariam tantum rediit, sed ad alios præterea diffusum est. Incredibilem vero consolationem affert afflictis, & mox perituris, quod Christus non fortuito, nec hominum arbitratu, hoc *Servatoris* nomen sortitus sit; sed quod illi hoc, Dei ipsius mandato, & quidem fidelis Angeli nuncio impositum sit: ne dubitemus quin vere Servatorem præstaturus sit, qui ita sit à Deo ipso appellatus. Nam homines nominibus, per homines, & hominum arbitratu inditis, sæpe non respondent, sed φερόνομοι semper sunt, quibus nomen à Deo attributum est.

Vers. 32. *Nomẽ IESVS ex magnitudine cognoscendũ;*

Hoc autem IESVS, tam augustum nomen, jure in eum competere docet, ex adjuncta ipsius magnitudine: & quidem quanta sit hæc magnitudo inde intelligitur, quod cum de Iohanne dictum sit, eum esse *Coram Deo magnum*, id est, perquam magnum, idem tamen Iohannes eum esse majorem confirmet: hoc primum de Iohanne dictum est: quamobrem discrimen hic statuitur inter magnitudinem Iohannis & Christi; ut

ſti ; ut quod Iohannes non in ſe, ſed in Deo magnus, Chriſtus in ſe ; Iohannes ad tempus, Chriſtus in omne ævum ; Iohannes ad menſuram, Chriſtus abſque menſura. Sed præſtiterit illius amplitudinem ex præſenti loco conſiderare.

Conſideratur autem duobus modis, ex { divina ejus natura, & impoſita regis perſona.

quæ præcipue in ejus natura divina ſpectanda,

Divina ejus natura indicatur, eo quod ſit filius Altiſſimi, filius autem Altiſſimi eſt Altiſſimus ipſe, ut *Lucæ* 1, 76. ideoque maximus. Hoc vero Chriſto ſoli competere apparet, *Pſal.* 2, 7. *Tu es filius meus*, *&c.* Ex quo docetur ita in tempore natum eſſe, ut ante ſecula genitum, perinde conſtet ; ita virginis filium, ut æterni Patris æternum Filium eſſe agnoſcamus. Sicut enim homo Chriſtus, propter perſonalem unionem, de cœlis deſcendiſſe dicitur : *Ioh.* 3, 13. Sic etiam Dei Filius Maria virgine ſatus & editus dicitur, quia Chriſti divina, & humana natura unum ὑφιστάμενον conſtituunt : ſicut enim homo dormire dicitur, cum animus ejus ſomno nunquam ſopiatur ; & contra cogitare & contemplari, cum corpus, illius cogitationis & contemplationis expers ſit ; mori, cum anima non moritur ; in cœlum migrare, cum corpus in ſepulchro jacet. Et ſicut corpus *Exod.* 21, 3. & *Rom.* 12, 1. pro toto homine ſumitur, & in Geneſi, & aliis locis animæ pro perſonis ſumuntur; ſic hinc conſtat Dei matrem, virginem rite appellari, ſicut & poſt ab Elizabetha appellatur. Quanquam vero Chriſtus homo, vere Deus dicitur, & Chriſtus Deus, homo ſit : non tamen divina natura eſt humana nec contra ; nec divinitas Chriſti eſt homo, nec humanitas Chriſti Deus eſt.

Quod autem dicitur eum *vocatum iri Filium Dei*, illud veritati divinitatis non derogat ; ac ſi ita appellaretur, cum ipſe non ſit, ut homines ſæpius falſis titulis inſigniuntur : ſed ut intelligatur eum tam potenter brachium ſuum exeruiſſe, ut Deus non eſſet ſolum, ſed pro Deo etiam agnoſceretur.

Verſ. 33.
& ejus regia dignitate,

Magnitudo ejus porro arguitur *ex regia dignitate*, quæ illi à Patre delata eſt; & quidem ſuper domum Iſraëlis, ſive ſuper montem ſanctum Dei : in quo docet latius & auguſtius fore imperium, quam ut Iudæ tantum, aut decem tribubus præficiatur, ut alii plerique reges; ſed præficiendum omnibus tribubus, ut olim David ; *Servient Deo & Davidi. Ier.* 30, 9. *Quærent Deum & regem ſuum Davidem. Heſ.* 3, 1. Nec vero tantum his, qui ſecundum carnem ex ſemine Abrahæ oriundi eſſent ; ſed omnibus per totum orbem terrarum diſſipatis fidelibus, qui diſparati locis in unam tamen domum coaleſcunt. Obſerva quomodo gradatim Eccleſiam ſuam de hoc myſterio Chriſti incarnationis inſtituerit : Adamo patefecit ſemen mulieris &c. ſed an ex Gentibus aut Iudæis oriundus, ne verbum quidem : poſt ex ſemine Abrahæ ; ſed non patefecit ex qua tribu : poſt Iacobo, eum ex Iuda oriundum : Davidi revelatum, eum futurum marem, ſed an à virgine, vel matrona non explicat : Eſa. ex virgine oriturum ſignificat.

Hoc nulli unquam Monarchæ obtigit, ut imperium ſuum tam late proferret ; non Aſuero qui CXXVII. Provinciis præfuit. Huc refer alia diſcrimina regni Chriſti, & aliorum principum. Deinde quod *regni ejus non ſit finis*, in eo etiam ab omnibus aliis mundi regnis differt, quæ certorum annorum periodis terminantur; quod inductione oſtenditur. Hoc autem Chriſti regnum nullis machinis oppugnatum unquam convelli poterit. Hic vero ſingularis conſolatio nobis cum virgine communis eſt, & piorum incomparabilis fœlicitas, *Eccl. cap.* 10, *verſ.* 17. *O te beatam regionem, cujus rex natus eſt clariſſimus.* Si enim Iſraël beatus erat, quod illi regendo Salomonem Deus propoſuerat, ſicut conſtat 1 *Reg.* 10, 9. quæ tandem illa beatitas eſt, Chriſtum Dei Filium nobis à Patre ducem & moderatorem natum eſſe ? & ſi incorrupto adhuc Salomone, populus quietam & tranquillam vitam egit & fœlicem, quanto hoc magis ſub Chriſto fiet, qui à ſua integritate excidere nequit, ut Salomon fecit ? Nobis vero incumbendum eſt, ut tanto principi debitam reverentiam & obedientiam præſtemus.

quæ in æternum duratura:

inde quæ conſolatio piis?

Quod ſi *quæratur*, quomodo Chriſto omnium bonorum datori aliquid dari poſſit à Patre.

Quomodo potuerit Chriſto quicquam dari à Patre.

Reſpondeo ex præſenti loco, illum à Patre regnum accepiſſe, quoad Davidis filius ſit, & ex ejus ſtirpe oriundus.

Verſ. 34.
Virginis ſtudium in quærendo conceptionis modo laudabile;

Hoc nuncio accepto, cum intellexiſſet matrem ſe fore Filii Dei, collegit, conſuetudinem non eſſe cum viro mortali habendam ; nam ut ἐκδρῶ pro ἐκδράσω : ſic γινώσκω pro γνώσω. ideoque *quærit*, quomodo hoc futurum ſit ; nequaquam Angeli verbis fidem derogans, ſed in illa diligentius inquirens. In quo docile virginis ingenium, ad noſtram

imitationem, notandum; quæ non erubuit, de rebus non satis compertis quærens, suam ignorationem fateri: sic discipuli *Matth.* 36, & alibi: Cum plerique nunc sint, qui, ne videantur ullius rei nescii esse, de rebus sibi incognitis non modo non sciscitantur, sed se scire profitentur.

Vers. 35. *ille modus ab Angelo demonstratus.*

Angelus *respondet* concepturam virginem ex nullius mortalis congressu, sed Patrem per Spiritum suum, incredibili sua potentia effecturum, quod Pater in generandis liberis naturæ ordine consuevit: verbo autem *inumbrandi*, adumbratur Divinus Spiritus, gallina pullos ex conchis excludente, dum ova undique calore, & alis suis circumdat: ut enim spiritus in confusa mundi massa fovenda dicitur, veluti cum gallina suam pullitiem excludit; eam inumbrare, sic in Christi conceptione: hac igitur loquendi formula confirmat Angelus virginis fidem, Deum illum, qui olim confusam illam mundi molem, suo veluti complexu conservavit, vegetavit, & ab interitu vindicavit, facile inventurum rationem, qua sine viri consuetudine & congressu, hoc perficiatur. Nihil igitur hic crassum & carnale nobis in mentem veniat, sed illud tantum ponendum, Deum Patrem, admirabili sua virtute, hunc conceptum effecisse. Sicut igitur Matthæus Iosephum maritum negat consuetudinem cum virgine habuisse; ita hoc loco aliorum mortalium consuetudo excluditur, & opus conceptus ad Patrem per Spiritum ex asse, & in solidum refertur; nisi quod Filius ipse, quoad divinitatem, cooperatus sit.

Ex virginis genitura, vera caro Christi.

Hic ex verbis (*quod ex te genitum est, sanctum, &c.*) notetur veritas carnis Christi, eaque ex substantia matris suæ, ita tamen, ut ab omni contagione peccati libera fuerit: *filius Altissimi vocabitur*; quia nullus ita concipiendus erat, nisi Dei Filius, non quasi duo filii essent, unus æterna generatione, alter vero in tempore genitus; unus à Patre, alter à Spiritu Sancto; aut demum unus à patre, alter à matre.

Cur addatur, quod Filius Dei vocabitur?

Quod autem dicitur, *vocabitur*, non ideo fit, ac si revera non esset; sed quod ita agnitus & recognitus sit, ut Elizabetha *vocabatur sterilis*, non quod re ipsa non esset, sed quod ejus sterilitas innotuisset. Ecce Elizabetha confirmat fidem virginis à paribus: perinde enim est naturæ viribus ἀδώνατον, ut marcida anus, præsertim sterilis, ex congressu viri concipiat, atque ut virgo, extra viri congressum, & consuetudinem: prius autem factum est, & quidem eousque perductum, ut embryo vivere deprehendatur. Ex quo illud eruitur, fidem nostram in Dei promissionibus firmandam esse, ex beneficiis quæ Deus in eos contulit, qui nobiscum aut eadem, aut similia promissa acceperunt. Atque hoc modo, quod in unum aliquem beneficium collatum est, ad omnes pios, ad quos collati beneficii notitia pervenit, redundat. Nec vero exspectandum nobis erit, donec Angelus a cœlis descendat, ut nobis ista indicet; sed oculi, & animi, & corporis, in omnes partes circumferendi sunt, ut istiusmodi divinæ benignitatis documenta pervestigemus.

Vers. 36. *quod* Eliz. cognatæ?

Quod autem *Elizabetham cognatam* addit, id etiam ad fidei adminiculum spectare videtur. Nam sicut ex liberalitate Dei proficiendum erit; sic fidei incrementum provehit, si Deus in his qui nos proxime attingunt, misericordiæ suæ documenta edit; sicut etiam gravius nos percelli divini judicii severitate oportet, si in nostros illa judiciorum fulmina vibrentur, quam si in eos qui remotiores sunt. Huc accedit, quod hac cognatione, virgo faciliorem ad Elizabetham aditum habuerit, ut illam fidei suæ confirmandæ causa inviseret. Pudore enim alias prohibita fuisset, tam amplæ fœminæ ædes adire, nisi cognatione audacior facta fuisset.

Vers. 37. *hæc omnia ex Dei potentia certo futura;*

Aliud argumentum adnectit ab abjuncta Dei potentia: quasi diceret, hoc quidem hominibus ἀδύνατον, sed Deo non item. In quo humani ingenii malignitas notatur, Dei potentiam, ex suarum virium modulo & angustiis æstimantis, cumque ad ordinaria rei alicujus perficiendæ instrumenta alligantis: Quod Deus per omnes ætates cum præclare refutaverit: tamen, non tantum apud nos profecit, ut illum omnipotentem esse constanter credamus. Tametsi enim illud pleno ore rebus pacatis profitemur; cum tamen nos ad examen vocat, statim (nescio quomodo) fides vacillat, si non penitus concidat, ut ante Zachariæ obtigit. Hoc autem nos consolari debet adversus Tyrannorum vim & potentiam, qui posse putantur, quicquid volunt. Deinde etiam in his quæ ad futuram vitam spectant, operæpretium est ad Dei potentiam respicere, ut *Marc.* 10, *vers.* 27. docetur: & non despondere animum, tametsi omnia nobis mortem & inferos minentur. Observa methodum docendi quam sequitur Angelus, qua, non prius

Mariam

Mariam de Dei omnipotentia instruit, quam illam de voluntate & charitate Dei erga ipsam, docuerit.

quæ non nisi ejus voluntati adstringenda.

Nec tamen specie potentiæ Dei abutendum ad illa monstra *transsubstantiationis*, & *consubstantiationis* alenda, quæ hominum cerebra commenta sunt: tametsi enim Deus omnia potest, tamen non protinus omnia facit, sed ut est in *Psalmo* 115, 3. *Facit quicquid vult, in cœlo & in terra:* oportet igitur indicent, Dei voluntatem esse, panem in carnem convertere: potius dicendum, ἀδύνατα Deo esse, quæ Dei majestate indigna, ut humanæ naturæ divinam naturam tribuere; ex quo consequeretur Deum esse factitium, & qui cum tempore cœpit: sicut etiam Deus seipsum negare nequit, non potest mentiri &c. quæ tamen non posse facere imbecillitatis non est, cum potius cujusdam imbecillitatis esse constet, hoc posse facere.

Notandum virginem, tametsi ad tantum opus indignam, tamen oblatam gratiam non respuisse; sed se paratam esse profiteri ad illud accipiendum, quod Dominus per Angelum detulit: poterat excipere, & quidem ex sensu animi sui, alias esse virgines magis ad eam rem idoneas, tum propter splendorem, tum propter aliam vitæ amplitudinem: sed sciebat nihil Deo esse gratius obedientia: vide hujus rei luculentissimum exemplum in Davide 2 *Sam.* 7. *Papistæ* contra, ut ad Deum per Christum solum accedant jussi, obtendunt suam indignitatem, atque ita Dei liberalitatem ingratissime rejiciunt: nec vero humilitas est, quam opponunt, sed intolerabilis insolentia.

Vers. 31. Mariæ fides notabilis.

LUC. *cap.* I. *à vers.* 39. *ad* 46.

39 *Surgens vero Maria per eos dies, profecta est in montanam* regionem *cum festinatione, in urbem Iudæ.*

40 *Et ingressa est domum Zachariæ, & salutavit Elizabetham.*

41 *Et factum est, ut audivit Elizabetha salutationem Mariæ, subsiliit fœtus in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elizabetha.*

42 *Exclamavitque voce magna, & dixit; Benedicta tu inter mulieres, quia benedictus fructus uteri tui.*

43 *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

44 *Ecce enim, ut exstitit vox salutationis tuæ in auribus meis, subsiliit fœtus exsultans in utero meo.*

45 *Et beata* est *quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino.*

ANALYSIS.

MARIA admonita de prægnatione *Elizabethæ* cognatæ, quæ sterilis & effœta erat, profectionem ad eam suscipit; quæ profectio describitur ab adjuncto tempore, nempe circiter illud tempus, quo hic Angeli nuntius ad eam perlatus erat: deinde alio adjuncto diligentiæ & solicitudinis. Post à subjecto loco, primum generali, scilicet montana regione; deinde speciali magis, urbe *Iehudæ* (ex *Iosuæ* 14. & 21.) constat hanc urbem fuisse Hebron, quæ sola in montibus sita erat ex omnibus urbibus Iudæ, quæ *Aaronis* familiæ attributæ sunt.

Vers. 40. Denique maxime speciali, domo *Zachariæ:* post à fine ut illam salutaret; finis autem supremus est ut fidem confirmaret, qui ex circumstantia loci facile collectus subticetur.

Vers. 41. Hujus salutationis effectus est *Elizabethæ* inspiratio; cujus etiam effectus describitur Embryonis in utero *Elizabethæ* subsultatio. *Elizabetha* vero Prophetico spiritu imbuitur; nam spiritum adoptionis illam prius habuisse testatur *Lucas* initio cap.

Vers. 42. Cujus inspirationis effectus, Prophetia; quæ describitur primum ab adjuncto modo pronunciationis, nempe magna voce & contenta; deinde ipsa Prophetia proponitur ab effecto beatitudinis virginis; quæ exornatur à minori, scilicet beatitudine aliarum fœminarum, quæ ejus beatitudinem non æquant; cujus causa assignatur beatitas fructus ventris sui, nempe Christi.

Vers. 43. Absoluta prophetia suam tanti honoris indignitatem exaggerat; primum à causæ profectionis remotione, quæ ad majorem emphasim per interrogationem effertur: deinde à comparatis minoris, quod ipsa *Maria* longe inferior esset; quod ipsum arguitur a relatis, quod esset mater Domini.

Vers. 44. Probat matrem esse Christi ab effectis, quod ad vocem salutationis suæ *Elizabetha* præ gaudio exultans causam dedit Embryoni subsultandi in utero: ut salutatio virginis causa fuerit exultationis matris præ gaudio; ejus vero exultatio causa subsultationis Embryonis.

Vers. 45. Virginis præstantiam & beatitatem alio argumento amplificat, à causa, scilicet fide, quam adhibuit verbis Angeli, qui eam Deo gratam & acceptam declarasset: quod porro confirmat ab adjuncta Dei fide & veritate in servandis promissis, & præstando verbo & promissione sua.

METAPHRASIS.

39. MARIA, audito de Elizabetha prægnante nuncio, tametsi Angelo dicenti
fidem non derogavit; tamen ut ſuam fidem
porro confirmaret, ſe ad iter accingens, & quæ
itineri neceſſaria erant comparans; non ita
multum poſt Angeli diſceſſum, cum ſextus
menſis nondum plene exactus eſſet, ſe in viam
dat, & longum iter à Galilæa in Iudæam ſuſcipit:
nec longum tantum, ſed propter regionem
montanam & præruptam, arduam: quod
quidem iter ſuſceptum ſumma cum diligentia
40. & feſtinatione abſolvit. Ingreſſa vero Zachariæ
domum, de more præbito oſculo, Elizabe-
41. tham ſalutavit. Vix dum ſalutationis vox emiſſa
eſt cum Embryo, quem utero geſtabat
Elizabetha, ilico exſiliit, & in utero matris
ſubſultavit. Eoque ipſo momento Elizabetha,
de qua prius teſtatum eſt, eam Dei timentem
fuiſſe, eoque Spiritu Sancto præditam, illapſo
in illam cœlitus Spiritu Sancto, divinitus inſpirata,
magna & intenta voce, tanquam
certa ejus quod dictura erat, acclamavit, di-
42. cens; O te virginem, inter omnes quæ unquam
fuerunt, ſunt, vel in poſterum futuræ ſunt, fœminas
longe beatam! non equidem quod alias
omnes fœminas virtute & ſanctitatis perfectione
antecellas, ſed quod quem in utero geſtas
filius unus tantæ & tam omnibus numeris
perfectæ beatitatis eſt, & quidem omnis
fœlicitatis fons, ut hujus unius partus
magis te nobilitabit, quam quæ unquam fœliciſſimam
ſimul & numeroſiſſimam prolem
43. enixa eſt. Quamobrem nihil cauſæ ſubeſt cur
hunc ad me inviſendum laborem ſuſciperes,
quæ Domini & Dei mei genitrix es. Æquius
erat (ſi quid me velles) ad te venire. Quod
autem te Domini mei matrem audacter appellem,
id non parvo aut levi rationis momen-
44. to facio: Ecce etenim (quod tamen humanitus
dictu incredibile eſt) quam cito vox ſalutationis
tuæ meas aures perſonuit, infans præ
gaudio & exultatione mea in utero meo exiliit
& ſubſultavit, tanta contentione & impetu,
ac ſi infans jam in lucem editus potius
quam Embryo fuiſſet: tanquam conſcius quodammodo
eſſet incomparabilis redemtionis,
cujus filius tuus autor & parens futurus eſt.
45. Cum autem ex talis fœtus partu beata futura
ſis, tum hoc uno multo beatior, quod Deo
tibi per Angeli miniſterium gratuitum amorem
annuncianti fidem adjunxiſti: quandoquidem
tua te fides nunquam fallet, quæ re &
facto olim illud experiere, cujus nunc ſpe &
exſpectatione teneris.

Summa eſt Mariam Elizabetham *confirmandæ fidei ſuæ cauſa inviſentem, quod inſequuta eſt abunde aſſequutam:*

partes { Mariæ *iter confirmationis ergo.* / *Ejuſdem confirmatio per* Elizabetham.

PRAXIS.

VIrgo accepto nuncio de Elizabetha *Verſ. 39.*
quæ jam uterum geſtaret, tametſi nul- *Mariæ*
lum ejus rei mandatum expreſſe accepiſſet, *abſque ex-*
protinus ad illam, tametſi longiſſime ab ipſa *preſſo mã-*
remotam, accurrit. Quod non diſerte juſſa *dato iter,*
hoc iter ſuſcepit, eos coarguit, qui uniuſcujuſq; officii quod imperatur, expreſſum mãdatum poſtulant. Docemur etiam exemplo virginis, quorſum amicos inviſere debemus: non tantum ut convivemur, ſed ut ſanctis & ſanis ſermonibus, nos mutuo in fide & pietate confirmemus, & Deo laudes canamus. *cum virgi-*
Quod quidem tametſi videri poterit, à vir- *nali decore*
ginali conditione alienius, tam procul ab æ- *nõ pugnat:*
dibus peregrinari: tamen cũ reputemus hanc tam longinquæ profectionis cauſam fuiſſe, ut quod auribus arripuerat ab Angelo, oculis ad majorem fidei confirmationem uſurparet, non modo, non vituperio, ſed ſumma etiam laude digna cenſebitur. Tametſi enim vita teſtudinaria fœminis, cumprimis virginibus, maxime vero ſponſis, commendatiſſima ſit: tamen illis probro non datur, ſi conventibus Eccleſiaſticis, aut aliis locis frequentes ſint, in quibus timor Dei percipitur. Denique Mariæ exemplo docemur, *ſed fidei*
quã non ſit principiis tametſi bonis acquieſ- *firmandæ*
cendum: Maria Angelo εὐαγγέλια nuncian- *cauſa ſuſce-*
ti crediderat, ſicut 38. verſu conſtat, & verſ. *ptum:*
45. ſed credens perquam ſollicita eſt, ut fidem ſuam foveat & corroboret. Noverat enim quanti noſtra interſit, ut Deo loquenti credamus, niſi velimus Dei fidem in dubium vocare, & eum mendacii inſimulare: noverat porro quam ſit noſtra natura ad infidelitatem proclivis, quam non modo ad illam penitus in hac vita eradicandum ἀδύνατον, ſed ad fibras ejus elidendum difficile. Atque hæc veræ fidei natura eſt, ut indies ſuccreſcat, & ut à fide ad fidem provehatur, qui illa vere imbutus ſit: unde etiam liquet eos, quorum (poſtquam quædam deguſtarunt) ſtudia in diſcendo remittuntur, & veluti retunduntur, inflata potius & tumente veritatis opinione, quam fide præditos eſſe. Sicut enim ſi quæ nobis poſſeſſio *in qua nos*
aut hæreditas data ſit, nihil omittimus, ut *etiam ſim-*

eam

per corroborandi. eam quam certissimam reddamus, & ex omni parte munitissimam, maxime vero si qui sint qui litem nobis de ea movent: sic etiam pii omnes promissa à Deo data, eo diligentius confirmare student, quo magis intelligunt se à communi hoste, & à propria carnis corruptela, in jus veluti vocari. Quod si tantum studium fuit, fidem in illis promissis corroborandi, sine quibus vita æterna obtinetur; quanto magis desudandum est, ut illud nobis promissum quam compertissimum habeamus, cui salus nostra incumbit & annititur. Hic vero rei peraguntur hi, qui sacramenta neglectui habent, quæ Deus ad fidei firmitudinem instituit.

An Mariæ hoc modo in Angeli verba inquirere licuerit? Quod si quis alienum statuat à natura fidei, quod in Angeli verba inquirat, & eorum veritatem profectione exploret; is intelligat rem secus esse: Deo enim adlubescit, ut in opera & in dicta ejus inquiratur, ut quæ ex omni parte perfecta & accurata esse norit, eoque ex diligenti eorum pervestigatione, majorem veritatis & sapientiæ laudem ad eum redituram. Sicut mercatores merces suas fidelissime confectas, & comparatas mallent tractari, inspici, & omni ratione excuti: sic enim sperant emptores mercium studio ductos, majus pretium daturos, &c. Et ut sibi probi auri conscii lydium lapidem non refugiunt, &c. Hinc est ut Regulus ille *Ioh.* 4, 52. tam diligenter à servis inquirat tempus, quo convaluit filius, unde in fide eximie confirmatus est.

quam sedulo hoc iter susceperit? Notandum porro illud sedulo, & abjecta omni cunctatione factum esse. Quærens fidei confirmationem, illam invenit, idque majore mensura & multiplicius, quam sperare potuerat; ut quæ unius argumenti loco multas confirmandæ fidei tesseras acceperit.

Confirmatur autem { Embryone & matre { visa audita.

Vers. 41. *Pluribus indiciis confirmatur, ubi Maria ad locum destinatum pervenit;* Ab *Embryone*, quod exsultabundus exiliit in ventre matris, sicut Elizabetha ipsa post declarat. Elizabetham hoc non suo, aut privato instinctu loquutam esse, sed prophetico, ex sequentibus constabit magis; qui quidem exultans Iohannis in ventre matris saltus, incredibilis illius gaudii indicium est, quod nobis Filius Dei attulit; quod tantum est, ut ipsos infantes nondum natos quodammodo afficiat. Quam enim lætitiam capiet Dei populus ex Filii nativitate & adventu, considerari potest, quod essent ex Tyranni eos olim occupantis servitute eripiendi, quod carcere essent eripiendi & eruendi; quod essent ex regno tenebrarum in admirabilem lucem afferendi: quod si hoc tanti fit, ut potuerit nondum natum infantem quodammodo afficere, quam nos stupidos esse oportet, quos illud non delectat; & qui ejus rei intuitu nullo gaudio perfundimur, & qui ex hujus rei commentatione se oblectare nequeunt? & si ille ex Christo nondum nato, sed concepto tantum gavisus sit, quanto magis nos damnandi sumus, si ex Christo nato, passo, &c. voluptatem non capiamus?

Quod Elizabetha mirifice aspectu & voce Mariæ recreata sit, eo docetur quonam animo esse oportet excipiendis piis amicis & cognatis: non quod sumptus faciamus, sed alacri, quod mutua donorum Dei ad ædificationem communicatione confirmamus.

Confirmatio sequitur ex verbis ipsius Elizabethæ, quæ beatam Virginem pronuntiat, quod tam esset benedicti filii mater futura. Verba autem eadem usurpat, quæ ante Angelus, ut cum intelligeret se eisdem verbis salutari, quibus ab Angelo salutabatur, illa divinitus & prophetice dicta intelligeret; nec enim aliunde, quam revelatione divina, hoc Elizabethæ innotescere potuit, cum nuncius hic apud Mariam solam depositus sit: ita videmus Deum nunquam eos destituere, qui veritatem sitiunt, sed potius fœminas excitare, & omnium maxime ineptas, ut eos instituat, quam ut quod quærant non assequantur. Vers. 42. *etiam ex verbis ipsius Elizab.*

Notanda etiam utriusque humilitas; virginis, quæ Elizabetham invisit, & Elizabethæ, quæ se indignam judicavit ut à virgine quantumvis paupercula inviseretur: atque harum exemplo connitendum est, ut alius alium honore antevertamus, sicut præcipitur. *Phil.* 2, 3. Vers. 43. *utriusque notanda humilitas.*

Demum fidem ejus prædicat, ex qua beatam fore pronuntiat; quo magis adhuc Mariam confirmat, quod fidei suæ in corde reconditæ Elizabetha conscia esset. Vers. 45.

Quod si *quæratur* quomodo Elizabetha fidem in corde virginis reconditam cognovit? *Quomodo Mariæ fides Elizabethæ cognita?*

Responsio est in promptu: eadem Spiritus virtute, qua cognovit illam fuisse matrem Christi.

Deinde subjectum fidei indicatur: verbum scilicet, seu promissio Dei, quæ vers. 46, &c. à Deo per Angelum facta est. Cum enim *cui fides ea innixa?*

enim prius Christum undique beatum prædicasset, nunc docet instrumentum quo Christum prehendit: nec enim beata futura foret ex partu Christi, qui ex illa oriundus erat, prout verbo Dei promulgatum erat, ut illa non credidisset, nisi fidem habuisset Angeli verbis, qui illum Servatorem fore prædixit.

LUC. *cap.* 1. *à vers.* 46. *ad* 57.

46 *Tunc ait Maria, Magnificat anima mea Dominum,*

47 *Et exsultat spiritus meus super Deo servatore meo:*

48 *Quia respexit humilem ancillam suam. ecce enim, ex hoc* tempore *beatam me prædicabunt omnes ætates:*

49 *Quia magnifice mecum egit potens ille, cujus sanctum* est *nomen:*

50 *Et cujus misericordia in omnes ætates* parata est *timentibus ipsum.*

51 *Forte facinus fecit brachio suo: dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum.*

52 *Detraxit potentes è thronis, & extulit humiles.*

53 *Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.*

54 *Suscepit Israëlem puerum suum, ut memor esset misericordiæ.*

55 *(Prout loquutus est patribus nostris,* nimirum *Abrahamo, & semini ejus) in æternum.*

56 *Mansit autem Maria cum illa quasi menses tres: &* postea *revertit domum suam.*

ANALYSIS.

NOtatur primum causa efficiens, quod canticum cecinit, nempe anima *Mariæ*, & secundo versu spiritus: ubi est Synecdoche partis pro toto homine, nisi quod emphaticωs hæc dixit, ut sinceritatem hujus officii & animi contentionem designaret. Deinde notat subjectum circa quod hæc cantio versatur, nempe Deum: effectus est Dei laudatio, quæ adjuncto magnitudinis amplificatur. Alter effectus *Mariæ*, qui superioris effectus causa existit, viz. exultatio cordata & sincera; cujus causa magis generalis & remota notatur, Dei salus.

Vers. 48. Causa adhuc magis propinqua & magis specialis, quod Deus eam respexit: quæ causa amplificatur ab adversis, nempe abjecta & humili virginis conditione, quam opponit Dei celsitudini, qui ex summis cœlis eo se demisit ut ex illa nasci contentus fuerit.

Vers. 49. Beneficium illud amplificat ab adjuncta ejus magnitudine & magnificentia, cujus causas assignat, primum Dei potentiam, 2. sanctitatem cum potentia in Deo conjunctam, quæ fere in hominibus disparantur. 3. misericordiam; quam amplificat ab adjuncta æternitate, & proprio subjecto circumscribit, nempe Deum timentibus. Confirmat se à Dei potentia quam olim exercuit Deus exactis temporibus, quam distributione contrariorum effectuum probat, cum, propria sua potentia, sine cujusquam adminiculo, deturbando superbos & potentes, tum abjectos in altum evehendo, famelicos saturando & saturos inanes dimittendo.

Vers. 54 Finem notat omnium beneficiorum in suos seu judiciorum in impios, scilicet ut populo suo & fidelibus subveniret; cujus duplicem causam assignat: misericordiam Dei constantem, & veritatem in præstandis promissis; quas per Prophetas prædixit Abrahamo & semini ejus.

Vers. 56. Notatur commoratio *Mariæ* in domo *Zachariæ*, ab adjuncto tempore trium mensium, & conjuncta consuetudine cum *Elizabetha*, quibus exactis domum rediit.

METAPHRASIS.

MARIA *his perceptis quæ* Elizabetha *tanta fiducia ex Spiritus Sancti arcano instinctu promulgabat, & nuncio quem Angelus proferebat certissime persuasa, itidem atque* Elizabetha *Spiritu Sancto divinitus afflata, Prophetam egit, & dictante Spiritu Sancto canticum hoc cœleste ad hunc modum instituit: Tota ego quanta quanta sum, ex* 46.
intimo cordis sensu, & imis spiritus mei penetralibus Dominum consertis maxime & cumulatis laudibus prædico. Nam cum animum 47.
meum exultare Deus fecit vivo sensu salutis suæ: æquum est exultationis fructum ad eum redire, & in illum refundi a quo ad me promanavit. Quod autem illum Servatorem qui 48.
me à peccatis vindicabit appellem, illud non temere aut levi rationis momento impulsa facio; quand quidem quo Altissimo altior sit, non tamen se eo dimittere dedignatus est, ut ex me abjectissimæ conditionis ancilla sua quod ad humanitatem attinet) ortum & principium accipiet: videte etiam, & iterum dico videte, quantum mihi honorem habuit,

quæ

qui me in tantum culmen excellentiæ extulit ;
unde non tu tantum Elizabetha , *sed omnis*
49. *me posteritas beatam prædicabit. Plane etenim*
magnifica sunt quæ Deus infinita sua potentia
& virtute in me inchoavit, nec minor ejus in
hoc opere sanctitas quam virtus & potentia:
quæ fit, ut tametsi caro mea peccati labe infe-
cta sit, tamen sanctum sit , imo sanctissimum,
50. *quod in utero concepi. Atque hujus operis cau-*
sam inquirens , nullam in me invenio ; sed in
ejus gratuita misericordia, quæ in me una non
clauditur sed & eadem per omnia secula ma-
nebit erga omnes qui eum timent & reveren-
tur , qui hujus beneficii participes erunt : &
51. *ejusdem salutis cujus ego sum. Quanquam*
autem quod in me virtute sua fecit & opera-
tus est , nunquam in ullo exeruit , nec dein-
ceps exeret ; tamen ex eodem potentiæ fonte
manavit , quam olim exactis ætatibus decla-
52. *ravit. Nam si quis vetera replicando repu-*
tare velit , comperiet , eum superbos propriis
animi sui consiliis dissipasse , tanquam proprio
gladio jugulasse potentes , & dynastas solio de-
turbasse. & conditione ab eis extulisse , fa-
melicos bonis omnis generis implevisse , & o-
53. *pinione sua saturos inanes amandasse , Id-*
que propriis modo viribus, sine cujusquam
subsidio, sicut hoc opus in me operatus est ; ut
novum videri non debeat nec offensaculum
cuique præbeat , quod præteritis multis claris
& nobilibus fœminis me pauperculam ad hoc
54. *tantum opus delegit. Quæ omnia ejus præcla-*
ra in utroque genere facinora , maxime hoc
quod in me fecit. eximium opus, non alio respi-
ciunt , quam ut Israëli Dei, gravissime labo-
ranti & peccatorum mole pene succumbenti,
55. *subveniret ; idque ex veritate promissionis*
quam patribus ex pura & mera misericordia,
nominatim Abrahamo *& ejus genuinæ &*
germanæ posteritati, per Prophetas spopondit.
56. *Cum autem circiter tres menses plus minus*
confirmandæ sui causa cum Elizabetha *con-*
suesset , sermonibusque ultra citraque habitis
ipso Elizabetha *partu suam fidem roborasset,*
tandem Nazaretham oppidum, unde exiit, re-
versa est.

PRAXIS.

In Mariæ Cantico primo tempus notandum,

MAria virgo Deum celebrat, ob ejus in ipsam munificentiam, à cõstanti ipsius potentia & misericordia profectam. Primum, *tempus* notandum est , cum hoc canticum cœleste cecinit , scilicet , cum jam certior facta est de conceptu Christi , & una scivisset se suo tempore parituram: est enim tempus gaudendi , & tempus mœrendi, *Eccles.* 3, 4. Tempus gaudii est , cum Deus in nos spirituale aliquod beneficium contulit : vide David , quomodo gavisus, cum arcam a domo Obed Edomi, Hierosolymam advexisset , 2 *Sam.* 6. Nos autem tum fere gaudemus , cum lugendum sit , dolemus cum gaudendum sit.

deinde gratiarū actio & laudis divinæ prædicatio.

Deinde *partes*, quæ sunt { gratiarum actio, in 5. primis vers. cant. & divinæ laudis prædicatio, reliqua cant.

Gratiarum actionis partes duæ { forma , in 2. prioribus vers. cant. & ratio in tribus sequentibus.

Vers. 46. Quomodo Deum velit magnū facere?

Propositio est duobus versibus comprehensa , ipsam ex animo Dei amplitudinem declaraturam. Nam quod se *Deum magnum facere* velle spondet , non ideo dicitur , ac si Deus accretionem aut decretionem admittat; sed perinde sonat, ac si Deum per se magnum & augustum, pro hujuscemodi ab illa prædicatum iri profiteretur.

Interest autem plurimum , ut magnitudo Dei { Commẽtatione animis nostris insideat : cum ut gratiarum actio & accẽdatur, aut accensa foveatur. Sermone aliis innotescat ; tum ut spes in posterum }

idque ex anima sua.

Quod vero *animam suam* sedem affectuum, & *spiritum* testem rationis , & intelligentiæ , hujus laudis administram indicat; eo significanter ostendit , quanto studio & contentione , quanta alacritate & promptitudine ad hoc gratiarum actionis officium accesserit : Mentem enim & affectus primas partes habuisse , non (quod sæpe fit) linguam, & labia, mentem & affectus prius experrectos, linguam excitasse , ea linguæ præcurrisse, & veluti Archimusicos, & præcentores cantioni moderata esse. *vide alibi in Psal.* Atque hoc demum est, quod Paulus dicit, canere cum gratia in cordibus nostris. *Colos.* 3, 16.

Vers. 47. Gaudium exultans hoc ei canticum expressit;

Causa hujus cantionis subjungitur. Gaudium exultans , quo animum ejus Deus abunde compleverat, & omnibus vel abditissimis ipsius penetralibus & recessibus affuderat. Idem in Zachariæ cantione animadvertemus. Quo docetur , quibus rationibus gaudium, ex beneficiorum Dei sensu perceptum, prodendum sit. Cum enim omnis liciti & concessi gaudii Deus autor sit & artifex;

fex : æquum profecto eſt , ut ab illo profectum , in eum denuo refundatur & redundet ; quod tum fit, cum pſalmis, hymnis, & ſpiritualibus cantionibus omnia perſonant : ſicut Iacobus monuit eum, qui gaudio afficitur , animi lætitiam pſalmorum modulatione teſtari : *Iac.* 5, 13. Ex quo, quam inique ab his fit , facile percipitur , qui à Deo exhilarati , hilaritatis ſuæ fructum ad diaboli obſequium transferunt. Quod autem dicit *Deum Servatorem ſuum* : ſe gloria orbatam , juſtitiam & ſalutem ſuam in ipſo quærere, non obſcure declarat : ſimul innuit nullum ſolidum gaudium eſſe , niſi cum Deum Servatorem noſtrum agnoſcimus.

ejus gaudii cauſa.

Gaudium hoc natum eſſe docet ex Dei pietate, cum in { ipſam ſigillatim , tum reliquos homines, maxime Iſraëlem.

In pietate erga ipſam notat cauſas { effic. meram Dei pietatem, fin. nominis divini reverentiam.

Verſ. 48. *Singularis Virginis humilitas;*

Cauſa ſumma eſt quod illius, ut & obſcuræ & ignobilis virginis , rationem tantam habuit. Alludit enim ad hominum , in eos, quos amant oculum defigentium , conſuetudinem; ſicut eos quos charitate non complectuntur, faſtidioſe prætereunt: ſicut etiam 1 *Pet.* 4, 12. Dei voluntas & ſtudium erga pios notatur , quod oculi ejus in eos defixi ſint. Notandum vero, quos titulos illa ſibi vendicat: unum *famulæ*, ſeu ſervæ, qui communis eſt omnibus piis, qui redempti à ſervitute Satanæ , Domini ſui honorem procurare, & familiæ ſuæ, id eſt, Eccleſiæ utilitatem , illi in omnibus parere , nec quicquam abſque ejus mandato attentare debent. Altero titulo ſe aliis pleriſque facit inferiorem, cum ſuam abjectam & vilem conditionem agnoſcit. Ex quo liquet quam procul remota erat à titulorum vendicatione, quos *Pontificii* illi tribuunt , cum illam *Dominam, Reginam cœli, Matrem miſericordiæ, Portam Paradiſi, Capitis ſerpentini fractorem* appellent : & pleroſque alios blaſphemiæ plenos titulos illi affingant.

contra titulorum ejus vendicatores:

Hanc Dei pietatem commendatiorem ex eo reddit, quod cum homines ſolent obſcuros , & indignos præterire , nec ullos , niſi eos, in quibus claritatis aliqua nota & inſigne apparet , ad paulo honeſtiora miniſteria adhibere ; is tamen eam ad ampliſſimam pariendi Filii ſui dignitatem delegerat : unde conſtat nunquam Deum debite in ſuis beneficiis agnoſci poſſe, niſi prius noſtram indignitatem ſentiamus. Ex quo quam craſſe hallucinati ſunt , apparet , qui ex hoc loco, Mariæ ad Chriſti partum , meriti præcones extiterunt ; imperite ταπείνωσιν cum ταπεινοφροσύνη permutantes. Cumque virginis inſtitutum ſit , Dei laudes & gratiam prædicare , eam , tanquam ſui oblitam , ſuarum & propriarum laudum, & meriti præconem inducunt. Ex quo illud efficitur , gratiam Dei tanto magis commendatiorem reddi, quanto ex minoribus initiis , & obſcurioribus ad præſtantem aliquam conditionem quis emerſerit. Quod Iacobus præclare obſervavit , cum ſe baculo ad Syriam proficiſcentem, prædivitem patriæ ſuæ reſtitui profitetur. *Gen.* 32, 10. quod idem à Davide diligenter indicatur : *quis ego, aut quæ familia mea, &c.* 2 Sam. 7, 18, 19, 20.

inde beneficiorum Dei agnitio.

Effecta ſequuntur : quæ tametſi pietatis erga eam divinæ effecta ſunt ; ſui tamen inter ſe cauſæ exiſtunt: Effectum primum eſt, quod non Elizabetha ſolum , ſed tota Chriſtianorum & piorum natio illam beatam prædicatura ſit. Quod quidem admirabile eſt , fœminam (propter tenuitatem ſuam) vix ſuis & viciniæ notam , ad totius Chriſtianæ poſteritatis notitiam pervenire. Et ut virgo nuſquam domo ſua exiens , majorem nominis celebritatem acquirat quam potentiſſimi Cæſares , qui omne vitæ tempus in bello conſumpſerint , & multis clariſſimis victoriis nobilitati fuerint. In quo illius Proverbii veritas agnoſcitur , *Mulierem gratioſam continere honorem , ut potentes divitias continent*, Prov. 11, 16. Cum vero nulla poſteritas de ipſius laude fuerit tacitura , juſtum erat , ut virgo divinas laudes caneret.

Celebritas nominis Mariæ hinc ſecutura,

Verſ. 49. *propter Dei magnifica opera;*

Cauſam hujus celebritatis ſubjungit, nulla propria facinora, ſed Dei in illa magnifica opera, qui virtutem & robur illi contuliſſet, ut ſine viri conſuetudine conciperet. In quo lex nobis, in aliis quibuſcumque, & quantiſcumque vel Angelis ipſis laudandis ponitur, ut Dei gratiam in illis commendemus , non autem ſanctorum ipſorum merita; nec enim dicit , me laudabunt , ex ulla virtute mea, aut quod ſim mater miſericordiæ , &c. ſed quod *Deus magnifice mecum egerit, &c.* Licet igitur ſanctos laudare , ſed hac lege , ut in illis Dei gratiam & dona laudemus ; quæ omnia ad Deum authorem ejuſque gloriam referri debent. Æquum autem eſt , ut eum magnum deprædicaret , qui illam ex partu magnam effeciſſet : inde concludit, ſanctum eſſe & reverendum nomen ejus. Vt igitur debitam Deo laudem tribuamus , conſiderando

quæ ſolum in ſanctis laudanda.

randa simul est cum potentia, tum misericordia Dei in ejus erga nos operibus. Sicut enim è certis quibusdam metallorum generibus, eruunt aurum, argentum, &c. sic ex unico Dei opere, multæ ejus virtutes eruuntur, multæ ad ejus laudem idoneæ.

Hactenus fuit gratiarum actio: sequitur & Laus Dei	omnium temporum & locorum	misericordia / potentia.

Generaliora sequuntur, ubi administrationem notat erga pios Israëlitas, promissa illis præstando misericorditer.

Vers. 50. Misericordia Dei in his ab omnibus etiam celebranda;

Constantem hanc Dei virtutem, seu potentiam esse docet, & *misericordiam*, nec unius tantum aut ætatis, aut personæ; sed vero vel maxime ad Dei laudem compendiosum est, si quæ in nos conferuntur beneficia, aut miracula declarantur, non in nostris personis, aut initium sumere, aut finem accipere doceantur, sed ab usitata & consueta Dei erga suos administratione proficisci. Nec enim me afficeret, ad quem hujus rei sermo pervenit, si hæc uni tantum competere, in eumque modo cadere censerentur: sed cum illud reputo, Deum, aut pro natura, aut ingenio suo, quod variari nequit, aut ex promissi veritate, quæ convelli non potest, hæc aut illa facere; tum demum spem bonam capio, idem misericordiæ, aut consimile benignitatis specimen (prout usus erit) exhibendum. Hic notanda est peritia virginis in Sacris Scripturis, unde hæc verbatim fere mutuata est, ad nostram imitationem proponenda.

in quo uno beneficio non subsistendum;

Deinde videmus pios, arrepta ex uno aliquo Dei opere occasione, quasi pontem sibi sternere, ad alia etiam Dei opera celebranda. Si enim homines ex una injuria accepta, superiores etiam illatas refricant; multo magis debent, ex uno beneficio, aliorum memoriam replicare. Sensus enim divinæ in ipsos bonitatis non patitur, ut ab hoc laudandi Dei officio, subito & temere discedant; nisi argumentum argumento nectentes, aliquousque sibi, in hac parte, satisfaciant, & sitim quandam Dei laudandi relinquant.

Vers. 51. sed etiam potentia laudanda;

Confirmat quod priori in loco dictum est, de *potentia*: Deum olim potentiam edidisse suam, id est, potentissimas quasque res gestas, suo & proprio brachio, nullo hominum adminiculo, sicut in hoc miraculo usu venit, perfecisse: vide *Esaiam* 59, 16.

Vers. 52. quæ in destruendis potestatibus spectabilis.

Potentia autem non potuit magis illustrari, aut commodiorem sese exerendi & venditandi materiam nancisci, quam aut in præaltis & præpotentibus, qui suo se robore in omnem æternitatem stabilitos iri existimarunt, deturbandis, & de summo fastigio ad infima loca præcipitandis, aut abjectis (qui nec suo, nec aliorum judicio ex pulvere emergere posse credebantur) erigendis. Amplificat autem hanc Dei potentiam, quod nullis machinis, aut molitionibus inflatos, & prætumidos evertit, sed suis tantum, & propriis, quæ ipsi excogitassent, consiliis. vide *Psal.* 33, 10. & *Esa.* 8, 10. *Superbos* autem hoc loco videtur illos appellare, qui certa quadam, suos conatus & consilia perficiendi, fiducia insolescunt, & alios omnes contemptui habent.

Vers. 53. Humilem præferre nullam præbet offensionis causam;

Hæc autem videtur virgo commode ad præsentem causam adhibuisse, ut illis occurreret, qui sibi offensacula ponerent, & veluti laqueos necterent, quod Deus præteritis magnatibus & principibus, tam abjectam & obscuram delegisset. Docet enim non abhorrere illud à consueta Dei administratione, cum hoc sæpe factitatum legimus: vide exemplum Hammonis, & Mardochæi; Davidis, & Saulis.

inde spiritus non sumendi,

Admonentur ex hoc loco divites & præpotentes, ne spiritus sumant, nisi Dei forte potentiam, ad illorum interitum & internecionem experiri velint. vide *Esa.* 2, 11, *ad* 17.

nec animus abjiciendus.

Dejectis, etiam prostratis, consolatio ex hoc loco peti potest; ne aut animos despondeant, aut devias rationes sectentur, quibus aut pristinam dignitatem aut novam consequantur, cum intelligant Deum esse illis ὡ̓ϑρχῆ.

Vers. 54. Hæc beneficia ad salutem populi spectant,

Nunc docet misericordiam & potentiam hanc omnem, maxime vero hoc, quod in ipsa jam incipit ad salutem populi sui spectare, qui hoc modo populo suo laboranti manum porrigit. Qua metaphora ruentem, & convulsam fore illius Ecclesiam tunc temporis subindicat, quæ ab alienigenis in servitutem redacta, etiam sub tyrannide Satanæ pœne conclusi tenebantur.

Vers. 55. quæ promissionibus circumscribuntur.

Illud etiam notandum, misericordiam, quam exspectare debemus, promissionibus circumscribi & finiri, unde in fide & veritate promissionis confirmamur.

Quod ait autem mansisse, *quasi menses tres*, id est, plus minus: tandem domum suam reversa est.

L V C. *Cap. 1. à verſ. 57. ad 67.*

57 Elizabethæ vero completum eſt tempus ad pariendum : & peperit filium.

58 Et audierunt accolæ & cognati ejus, Dominum magnifica miſericordia ſua uſum eſſe erga eam : & ei gratulabantur.

59 Et factum eſt, ut die octavo venerint ad circumcidendum puerulum. Vocabant autem eum ex nomine patris ipſius, Zachariam.

60 Sed reſpondens mater ejus, ait, Nequaquam : ſed vocabitur Iohannes.

61 Et dixerunt ad eam, Nemo eſt in cognatione tua qui vocetur iſto nomine.

62 Innuebant autem patri ejus quid vellet eum vocari.

63 Iſque poſtulata tabella ſcripſit, dicens, Iohannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt omnes.

64 Apertum eſt autem os ejus illico, & lingua ejus : & loquebatur benedicens Deo.

65 Ortus eſt igitur timor omnibus accolis eorum : & in tota montana regione Iudææ divulgata ſunt omnia verba iſta.

66 Et omnes qui audierunt, repoſuerunt ea in corde ſuo, dicentes; Quiſnam puerulus hic erit? Manus autem Domini erat cum eo.

ANALYSIS.

Effectus promiſſionis divinæ ad *Zachariam* eſt filii in lucem editio, quæ notatur ab adjuncto tempore geſtationis juſto & conſueto.

Verſ. 58. Hujus in lucem editionis adjunctum eſt rumor, qui percrebruit;
ſubjectum hujus rumoris duplex aſſignatur { vicinorum, cognatorum.
Cujus effectus notatur, congratulatio quæ *Elizabethæ* facta eſt ; quæ amplificatur ab efficiente cauſa, Dei gratuita miſericordia.

Verſ. 59. Circumciſionis pueri adjunctum deſcribitur, primum ab adjuncto tempore octavo die, 2. ab efficiente cauſa adjuvante, ſcilicet vicinis & cognatis ; deinde ab adjuncto nomine quod vicini & cognati imponere voluerint, ſcilicet *Zacharia.*

Verſ. 60. Quod nomen refellitur ab argumento teſtimonii matris, & diſparato nomine.

Verſ. 61. Huic nominis impoſitioni opponunt ſe vicini & cognati, ab adjuncto novitatis & inſolentis appellationis.

Verſ. 62. Quæ controverſia ad patrem *Zachariam* utrinque defertur, nutu & ſigno dato, quod audire non potuit.

Verſ. 63. Hic item ſignis adjunctis ſigni & geſticulationis (quia loqui non potuit) pugillares poſtulat, & nomen diſcernit eſſe *Iohannem,* quod ſubjectis pugillaribus inſcribit ; cujus rationem aſſignat à diſſentaneis, quod nomen illi non jam imponendum, ut quod fuerit prius ab Angelo impoſitum ; cujus effectus notatur admiratio, amplificata à ſubjecto, ſcilicet omnium.

Verſ. 64. Arguitur veritas ſermonis Angelici effecto apertionis oris *Zachariæ,* quod notatur etiam ab adjuncto protinus, ſcilicet temporis, ac nomen puero impoſuiſſet, aut indicaſſet potius quod illi nomen impoſitum fuit. Quo etiam mirabilis oris apertionis effectu nobilitatur circumciſio pueri.

Verſ. 65. Hujus autem apertionis oris effectus notatur Dei laudatio. Secundus effectus timor; qui amplificatur comparatione minoris, quod non tantum illos invaſit qui præſentes erant, ſed porro omnes illis finitimos. Tertius effectus, quod hæc omnia quæ ibi geſta ſunt divulgabantur ; qui amplificatur à ſubjecto, tota regione montana.

Verſ. 66. Quartus effectus eſt quod omnes qui audierunt, animum ad hanc rem adverterunt; quod arguitur ab adjuncto ſermone admirationis, qualis hic tandem puer futurus foret? demum pueri magnitudo arguitur, admirabili Dei virtute, quam in eo exeruit etiam puero ; quæ virtus Domini comparatione paris, ſcilicet manus, amplificatur.

METAPHRASIS.

Concorditer dicto Angeli Elizabetha *fi-* 57.
lium peperit, idque juſto & conſueto tempore, exactis novem menſibus. Sicut enim ſingulari virtute, quæ nunquam à promiſſo disjungitur, factum eſt, ut Elizabetha *viribus ad concipiendum deſtituta, quæ aliis fœminis ſuppetunt, conciperet : ita eadem virtute & benedictione Dei confirmata eſt, ut totam geſtationis periodum impleverit, quam aliæ fœminæ naturæ quodam vigore aſſequuntur.*
Hujus autem partus fama ad cognatos & 58.
vicinos delata (utcumque prius ad credendum difficiles) ita tamen eos (re nunc perfecta) affecit, ut correcto & retexto errore ſuo de hoc gratuito beneficio parentibus filio auctis gra-
tulati ſunt : utut autem pueri cum conceptus 59.
tum partus, communem concipiendi & pariendi rationem tranſiliebat ; non tamen ob eam cauſam illum à communi, & omnibus pueris præſcri-

præscripta circumcisione lege eximebant, sed
octavo die ex Ecclesiæ laudabili usu convene-
runt, ut Sacramento assisterent ; imo vero pro
sua parte, quoad privatis hominibus concedi-
tur, assistendo sacræ actioni & Sacramenti ad-
ministrationi participabant : priusquam vero
Synagogam accedunt pro more, de nomine in-
fantis, in Sacramenti administratione indendi,
60. *consilium ineunt. Qua de re quod* Zacharias
mutus simul & surdus esset , cum Elizabetha
matre agunt, & illi suasores sunt, ut de patris
nomine ad majorem patris in nominis sui pro-
pagatione solatium , vocaretur. Quibus ma-
ter , à marito prius scripto ut videtur infor-
mata , restitit , & Ioannis *nomine appellan-*
61. *dum puerum indicavit. Illi ex adverso exci-*
piebant; non probari nobis hanc novitatem &
insolentiam nominis , cum in tota cognatione
tua nullus hoc nomine insignitus reperitur. Re
ultra citraque ad hunc modum disceptata,
tandem decernunt, ad patrem , ad quem jure
divino nominis impositio (autoritatis notam
in se continens) spectat, omnem hanc litem re-
62. *ferendam. Ei igitur, quod surdus esset, nutibus*
& corporis gesticulatione significabant , ut
63. *quid nominis filio indi vellet indicaret. Tum*
ille, quod mutus sermone uti non potuit, pugil-
lares postulavit , quibus scripto animi sui sen-
sum proderet : scripsit vero in hunc fere mo-
dum : non recte facitis , qui de nomine puero
imponendo tantopere laboratis ; est enim pri-
dem à Deo inditum potius quam jam inden-
dum , adeo ut ne mihi quidem , quantumvis
patri, aliquod pro meo arbitratu imponere con-
64. *cessum aut liberum sit. Qua re omnes admi-*
ratione permoti sunt. Vix dum pugillaribus
nomen pueri inscripsisset, cum dicto Angeli con-
gruenter os Zachariæ *apertum sit ; quod cir-*
cumcisionis potius quam partus die factum
credendum est , cum quod tum demum puer
verissime natus videtur, cum cœlestis nativi-
tatis & regenerationis sigillo consignatus sit;
tum quia conventus frequentia hoc tam ad-
mirabile Dei opus magis percrebresceret; deni-
que ut nominis, tametsi peregrini, impositio hoc
miraculo comprobaretur. Lingua vero solutus
ilico Deum laudibus , de tanta Dei charitate
65. *& beneficio , prædicavit. Cujus cum nominis*
impositionis , tum patris sermone & auribus
capti subitæ liberationis hic primum effectus
extitit; ut timor non præsentes tantum , sed o-
mes circumsistentes invasit , ejusque rei fama
per universam montanam Iudææ regionem
66. *divulgata est. Quod etiam hunc effectum sor-*
titum est , ut omnes ad quos hujus rei fama
pervenerat, animum ad ista advertebant, &
post diligentem de ea re cum animo suo com-
mentationem, in admirationem his verbis te-
statam erumpebant. Quid igitur tandem hac
re tam nova & insolenti fiet , quod puer ab
Angelo promissus sit à sene & infœcunda in
lucem editus , & tam peregrino nomine insi-
gnitus, cujus porro circumcisio tanto miraculo
innobilitatur. Sicut autem Sacramentum ex-
terius ab Ecclesia Christi administratum est;
sic Deus ex fœderis sui veritate interiorem
Spiritus sui gratiam in puerum contulit, idque
tam magna & insueta mensura, ut quodam-
modo Dei in illo virtus, spectabili quodam mo-
do se videndam præberet.

PRAXIS.

A versu 57 usque ad 80 describuntur ad Iohannem spectantia in { infantia, reliqua ætate quã privatam exegit.

In *infantia* considerator { Nativitas, usque ad 59. vers. Circumcisio usque ad vers. 80.

Elizabetha menses totos novem, de more aliarum puerperarum, complevisse docetur ; ut Angeli verbis , 19. vers. sua veritas constaret, nuncium perficiendum suo tempore, utcumque à Zacharia repudiatum. Vers. 57. *Elizabethæ legitimum partum,*

Edito in lucem Iohanne , aut certe mox edendo, cognatæ & vicinæ mulieres gratulabundæ accedunt. In quo Christianum fœminarum officium à Spiritu Sancto notatur , quod se Elizabethæ in gaudio conjungebant , ex Apost. præcepto *Roman.* 12, 15. *Gaudendum cum gaudentibus , aliorum bono lætandum tanquam nostro*, ut in ejusdem corporis membris propter mutuam συμπάθειαν : quod quidem cum ab omnibus fieri debet , tum ab his cumprimis, qui nos cognatione aut vicinitate attingunt : nam sicut membro uno sanitati restituto , sic cætera afficiuntur , ut quæ arctiori nexu copulantur interiori magis sensu tanguntur : sic &c. Vers. 58. *gratulantur vicinæ:*

Vicinitas enim fortuita non est , sed Dei providentia , atque adeo instituto gubernata : cujus singularis inter homines usus est, & eximium solatium. Eoque hæc societas & conjunctio sancte colenda est , dandaque opera , ut illis quam proxime benevolentia accedamus , à quibus nos Deus tam prope abesse voluit: unde etiam Salomon sæpe vicinum pluris esse docet, quam fratrem. Qui igitur vicino invidet sua bona, ut Achab Nabotho , eum perditum hominem esse opor- *hinc vicinitatis cõmoda.*

E 2 tet, &

tet, & sanctam societatem violat. Hujus vero gaudii meminit, vers. 14. Tanto major autem in his est ingenuitas, quod dubium non sit, quin perinde nil tale fore credebant; sed Elizabetham potius morbo, seu tympana laborasse existimarunt.

Misericordia Dei etiam hujus congratulationis causa.

Notandum etiam causam gaudii & congratulationis fuisse, quod Deus misericordiam suam in Elizabetham prolixe contulisset, non tantum quod prolis parentem fecisset; sed quod præter naturæ ordinem, & vires hoc ei contigisset: nec enim dum illis innotuerat, quantus, & quam eximius hic filius futurus esset. In quo harum fœminarum integritas & charitas magis illucet, quod Elizabethæ illis hoc miraculo prælatæ non invideant, sed serio & ex animo congratulentur.

Ad quod invidiæ monstrum pellendum percommode indicatur, illas hoc beneficium à Deo in Elizabetham profectum reputasse. Quoties enim reputamus proximorum, quibus ornantur bona, à Deo profluere, adversus invidiæ virus efficacissimum remedium, tanquam amuletum obtinemus. Quod enim ab illo collatum est, sapienter & magna ratione confertur, & quidem nostro (si Dei sumus) bono.

Circumcisio Ioannis frequenti consessu celebrata;

Sequitur circumcisio Iohannis, in qua considerantur quædam { ordinaria, & extraordinaria.

Ordinaria sunt { Cognatorum & vicinorum, octavo die, circumcisionis ergo consessus,
Nominis impositio.

Vers. 59. inde hoc initiationis Sacramentum ita fuisse celebratum, & adhuc celebrandum:

Quod conveniunt ad Sacramenti administrationem, indicat laudatam & perantiquam esse in populo Dei consuetudinem, ut initiationis nostræ Sacramentum, non nisi solenni in conventu eorum, qui ad Ecclesiam aggregantur, celebraretur. Si enim, nisi in frequenti civium conventu, quis civitate aut libertate non donatur: quanti æquius est, ut in civem regni Dei admissus, in civium Ecclesiæ frequentia & concione hoc privilegio ornetur? Et si homines hunc honorem regni sigillo habent, ut illud, non nisi pro tribunali sedens, regni Cancellarius apponat: multo magis regni cœlestis sigillum, ut eundem honorem habere æquius est: quid, quod Ecclesiæ & cœtus Ecclesiastici tanta necessitas sit, ut ipse quadam ex parte, Sacramenti administrationi participasse judicetur, cum dicuntur convenisse ad puerum circumcidendum. Quo gravius peccant, qui in angulo, aut obscuro loco, una aut altera muliercula præsente, hoc aggredi audent.

idque octavo nativitatis die;

Octavo die quod faciunt, ex legis divinæ præscripto est; cujus hæc fere ratio est, ut puer collectis viribus ferendo vulneri aptior esset. Quod quidem Deus fecisset nunquam, si ante octavum diem vita excedentes æternæ damnationi addicti fuissent. Neque enim Deus, qui in ferenda lege præcipua quadam ratione ad ea respexit, quæ futuram vitam continent; majorem præsentis, quam futuræ vitæ curam egisset.

hinc ante baptismum infantes qui moriuntur patet non damnari.

Eorum igitur ex hoc loco error refellitur, qui non baptizatos internecioni devotos esse constituunt, electionem simul & fœderis vocationem funditus evertentes. Ex quo tam fœdo errore, aliis præterea erroribus se implicarunt, ut à privato privatis in ædibus, & magna hominum solitudine & infrequentia administrari posse putent. Huc accedit, quod infans non baptizatus aliquando lueret parentum culpam, quæ tamen parentibus remitti posset: præterea quo animo matres futuræ sunt, quæ casu aliquo & ex improviso embryonis mortis autores sunt. Denique pœna, *Genes.* 17, 14. denuntiatur modo in contemptores. Nec tamen nectendæ non necessariæ moræ, ut ab his fit, qui ut pompæ susceptorum & aliarum rerum inserviant, Baptismi administrationem procrastinant.

Nominis in baptismo impositio à Deo profecta, ideoq. non futile sumendum,

Videmus nomen in Baptismo impositum, veteris Ecclesiæ autoritate communiri. Idem videri potest à Dei exemplo tractum, qui die circumcisionis, Abræ nomen novum indidit, *Genes.* 17, 5. quod nobis frænum injiciat, ne aliquid leve, & vanum, aut futile, pro hominum arbitratu, inferatur. Tametsi enim magna hic libertas sit; tamen meminerint semper, in sanctissima & gravissima Baptismi actione, omnia analogica esse debere; nec cæteris rebus tam sanctis futile nomen imponendum. Sed de nomine plura, ex ista de nomine disceptatione. In quo Vers. 60. & 61.
quod vicini & cognati Zachariam vocari voluerunt, forte ut patri (ut fit) gratificarentur, & excipienti matri Iohannem appellandum replicarunt, id fieri non oportere, cum nemo in cognatione sua hac appellatione hactenus insigniretur: discimus nova & peregrina nomina, non esse temere in Ecclesiam invehenda. Parentes enim Iohannis, à consuetis nominibus non recessuros fuisse liquet, nisi Deus autoritatem suam, in hac

nec etiam peregrinum:

hac

hac cauſa interpoſuiſſet. Quod ſi illi indignum judicarunt, aliquod à familia alienum nomen indicere, quanto id magis indecorum cenſebitur, nomen à Chriſtiana familia abhorrens inferre.

Verſ. 62. *quod jus patri competit.* Quod res ad patrem refertur, eo docetur, patrum hoc jus eſſe, nomen proli indere: nomen enim imponere imperii & dominatus indicium eſt, ut conſtat *Gen.* 2, 19. Et quanquam in Scripturis ſæpius dicitur, matrem nomen indidiſſe; tamen illud intelligendum eſt, patris conſenſu factum: alioqui repugnante & refragante patre, hoc illi conceſſum non eſt, ut conſtat, *Geneſ.* 35, 18.

Verſ. 63. Iohannis *nominis etymon vocationi cõgruit.* Pater vero, pugillaribus acceptis, ſcribit nomen jam illi inditum eſſe, *Iohannis*, Angeli Dei de ea re mandatum ſubindicans, cui omnes conſuetudines, utcumque vetuſtas, parere æquum eſt, ſicut & ceſſerunt; cujus nominis etymon eſt, *Iehova gratiam præſtitit:* ſic nimirum dictum eſt ab argumento prædicationis ſuæ: quia prædicabat gratiam Dei in Chriſto tunc exhibito. Nos vero tametſi hujuſmodi præceptum à Deo non habemus; tamen, ſicut dictum eſt, exleges hac ex parte non ſumus, ſed certis quibuſdam legibus circumſcripti, ne quid ſtultum, futile, aut peregrinum in Eccleſiam invehamus.

Sed videtur circumciſio privatis in ædibus adminiſtrata, cum Elizabetha una erat ex his, quæ hanc cauſam diſceptabant, quæ puerpera domo egredi nequivit: vide reſponſum in ſecunda ad Doct. replicatione.

In *extraordinariis* conſiderantur {
- miracula,
- &
- miraculorum effectus.

Sermonis & auditus Zachariæ reſtitutio ex prædictione Angeli, In *miraculis* explicatur Dei virtus exerta adverſus {
- Zachariā patrem, qui eſt {
  - ſermonis & auditus facultati reſtitutus.
  - &
  - Spiritu prophetico, ad laudem Deo canendam inſtructus.
- Iohannem filium, quicum Dei manus erat.

Verſ. 64. In priore vero miraculo veritas Angelicorum verborum ſpectanda proponitur; qui Zachariam tantiſper mutum fore prædixerat, quoad, quæ prædixerat, præſtarentur: prædixerat autem cum puerum in lucem cum gaudio edendum, tum *Iohannis* appellatione inſigniendum. *fidem Dei in promiſſis arguit,* Quorum cum utrumque completum eſſet protinus, ſine omni mora, pœna ſilentii & ſurditatis liberatus eſt. In quo non modo Dei in promiſſis fides nobis teſtata eſt, ſed incredibilis Dei ſapientia, ita rerum momenta regens, ut quodque eo tempore eveniat, quod eſt ad gloriam ejus compendioſiſſimum; quemadmodum enim in frequenti cœtu ſermonis uſus ei ademptus eſt, ſic etiam in magna frequentia reſtitutus.

Simul etiam eximia Dei munificentia notanda venit, quæ pleniore menſura promiſſa facit, quam pollicitus erat. *& eximiā ejus munificentiam.* Cum enim ſermonis beneficium promiſerat modo, illam liberalitatem nova Prophetici doni largitione cumulat: Quod enim additur ἐλάλει εὐλογῶν, id ad propheticam cantionem, quæ poſt ſubjungitur, libens retulerim. Quo æquius ferenda afflictio, cum nobis ſæpe Deus præſentia bona, non tantum illa, ſed alia præterea conferat.

Effectus miraculorum ſequitur; quod rei Verſ. 65.
fama percrebreſcens circumfuſos percutit timore, & admiratione,

Timor vero hic perneceſſarius eſt, ad diſcutiendum prophanam illam ἀναίσθησιν, quæ nobis ingenita eſt, quo aptiores ſimus ad myſteriorum Dei contemplationem, & reverentia quadam & attentione, ad illa meditanda accedamus. *Timor ex his profectus ad quænam utilis?* Vnde etiam laudantur, qui tremebundi ad Verbi auditionem, & ſacramentorum perceptionem accedunt: vide *Luc.* 5, 8. in exemplo Petri: contra fit in his, qui ad Verbi auditionem accedunt, tanquam fabulam, aut pervulgatam aliquam hiſtoriam audituri; & ad Cœnam Dominicam, tanquam ad quotidianum epulum.

Quod autem illa, apud ſe probe expendentes, *admiratio* inceſſit, quis tandem ille puer futurus eſſet, qui à Deo promiſſus ſit, à ſene & infœcunda natus, hoc tam inuſitato nomine inſignitus, id dextre, ex Dei ipſius ſententia fecerunt. Verſ. 66. *Admiratio hinc exorta celebritatis Præcurſoris Chriſti cauſa facta.* Cujus ſcopus erat, his miraculis Iohannis caput in populo erigere; non equidem Iohannis cauſa, ſed quod Chriſti Anteambulo futurus eſſet. In quo notandum eſt, eos tametſi myſterium non penitus cognoſcant; rem tamen diligenter expendiſſe, & placide exſpectaſſe, quoad Deus rei eventu, cujuſmodi futurum hoc eſſet, declararet.

Hanc admirationem auxit, quod manus Dei, nova quadam ratione, in Iohanne operata ſit, ut olim forte in Moſe, ea gratia in vultu relucebat, quæ facile eum magnum olim virum fore argueret: *Quomodo manus Dei cum eo?* Hæc enim loquendi ratio, cum 1 *Reg.* 18, 46. tum in Actis

Actis Apostolorum, extraordinariam quandam virtutem declarat, quam Deus in illis exerit, quos hæc Dei manus comitatur. Perinde enim sonat, ac si diceret; Dei gratiam ita fuisse in illo conspicuam, ac si quis oculis præsentem intuitus esset.

LVC. *cap. 1. à vers. 67. ad finem Capit.*

67 *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto: prophetavitque, dicens;*

68 *Benedictus Dominus Deus Israëlis, quod inviserit & redemerit populũ suum,*

69 *Et erexerit cornu salutis nobis, in domo Davidis pueri sui:*

70 *Prout loquutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarũ suorum.*

71 Fore ut nos *servaret ex inimicis nostris, & è manu omnium qui oderunt nos.*

72 *Vt uteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset fœderis sui sancti:*

73 *Et jurisjurandi quod juravit Abrahamo patri nostro,* nimirũ se *daturũ nobis,*

74 *Vt sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi,*

75 *Cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus.*

76 *Tu vero puerule, Propheta Altißimi vocaberis: præibis enim ante faciem*
Domini, ut pares vias ejus:

77 *Et des cognitionem salutis populo ejus, per remißionem peccatorum ipsorum,*

78 *Ex intima misericordia Dei nostri, qua invisit nos is qui prodit ex alto:*

79 *Vt appareat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pe-*
des nostros in viam pacis.

80 *Ipse autem puerulus crescebat & corroborabatur Spiritu: fuitque in desertis*
ad eum usque diem, quo se ostenderet apud Israëlem.

ANALYSIS.

Causa cantionis divinæ, quæ post proponitur, primum instrumentalis *Zachariæ*, qui describitur à relatis, quod sit pater *Ioannis*; deinde causa efficiens principalis indicatur, Spiritus; qui describitur ab adjuncta plenitudine, quæ in *Zacharia* confertur. Hujus effectum notatur, quod Prophetam agit, & divinitus inspiratus carmen hoc cecinit.

Vers. 68. Subjectum cantionis est Deus, qui describitur ab adjuncta dominatione, item ab adjuncto Israëlitici populi, cujus Deus est; post ab adjuncta laude, quæ Deo debetur; post ab effecto, quod populi sui rationem habuit, quod visitationis similitudine ab hominum consuetudine petita illustrat; deinde ab altero effecto, nẽpe redemtione, quam fecit & attulit: vel effectum unicum est populi salus; duabus metaphoris illustratum, una visitationis quod populus moribundus mox alioqui petiturus erat; altera captivorum, qui precio soluto ex captivitate eruuntur.

Vers. 69. Pretium autem seu materia redemtionis est Christus; qui describitur primum ab efficiente causa Deo Patre Filio & Spiritu Sancto, qui illum redemtorem excitavit, seu proposuit: deinde à comparatione parium illustratur salus quam attulit, nempe cornu, quod in cornubus animalium maximum robur sit, cui obniti nemo aut obsistere potest: post describitur à subjecto loci unde oriundus est, nempe *Davidis* familia.

Vers. 70. 71. Describit hanc salutem ab adjuncta Dei veritate in servandis promissis; quorum causam instrumentalem designat os Prophetarum, qui adjuncto tempore quo prophetarunt, & hoc prædixerunt, notantur, viz. ab initio mundi ad hoc usque tempus. Salus porro illa amplificatur ab adjuncta inimicitia & odio eorum, qui nos captivos detinebant.

Vers. 72. 73. Causa efficiens alia superior Dei misericordia, cujus effectum erat fœdus gratiæ cum populo suo initum, quod etiam à testimonio, viz. juramento Dei confirmatur, cujus juramenti subjectum *Abraham* proponit.

Vers. 74. 75. Finis salutis per Christum allatæ, ut Deo serviamus; qui cultus describitur ab adjuncta metus vacuitate, deinde à partibus, sanctitate, justicia: præterea ab adjuncta sinceritate, deinde adjuncto tempore omnibus vitæ nostræ diebus.

Vers. 76. Apostrophe ad puellum recens natum, qui primum describitur ab adjuncta vocatione Prophetæ generaliter; post ab effecto magis speciali, scilicet quod proxime Christum præcedet; deinde à fine vocationis, ut viam Domini paret.

Vers. 77. Hæc viæ Domini præparatio per metaphoram planis verbis explicatur, & simplici oratione, nempe ut det noticiam salutis populo Dei; quæ salutaris noticia arguitur primum ab adjuncto proprio remissionis peccatorum.

Vers. 78. Deinde ab efficiente causa Dei misericordia, quæ amplificatur metaphora viscerum maternorum, qua illius magnitudinem indicat; cujus etiam misericordiæ effectus assignatur descensus Christi in vallem misericordiæ, qui Christus assimilatur surculo, qui dissimilitudine arguitur, utpote qui habet suas radices non in terra defixas, sed in cœlo positas.

Vers. 79. Qui Christi descensus à fine arguitur, ut nos

ut nos visitet : deinde ut instar solis nobis in tene-
bris & umbra mortis illucescat : postremo ut nos
in viam pacis dirigat.

Vers. 80. Puer describitur ab adjuncta accretione corporis & animi donis, quibus non minus quam corpore confirmabatur; & subjecto loco, nempe paternis ædibus, quæ in deserto sitæ erant;& temporis adjuncto quoad publicum munus obivit, quod ab adjuncta ejus manifestatione designatur.

METAPHRASIS.

67. ZAcharias *pater non tantum sermonis &
*auditus facultati dicto Angeli congruen-
ter restitutus est , sed porro (quod plerumque
ex Dei munificentia fit) magis præstanti,quam
amisit , spiritu Prophetico imbutus est ; cujus
specimen edidit in sequenti cantico, quod ad
68. hunc modum orsus est. Deus in se semper be-
nedictus,ut nemo illum prædicet, à me præser-
tim atque ab omnibus fidelibus benedicendus
est ; Deus, inquam, totius mundi universita-
tis,sed præcipua quadam ratione Israëlitarum
quibuscum fœdus contraxit : quod populum
suum mox expiraturum clementer & paterne
visitavit;quod soluto per filium dilectionis suæ
justo pretio eundem ex captivitate Satanæ li-
berali manu asseruit ; quod denique potentem
69. & ineluctabilem salutem in familia* Davidis
*servo suo, prout facere in se recepit, excitavit.
70. Quod quidem novum & peregrinum videri
71. non debet, quandoquidem hoc ipsum à mundi
primordio Deus per omnium sanctorum suo-
rum Prophetarum ministerium locutus est,
fore ut nos asser.ret ab hostibus , & à violen-
tia omnium qui nos odio prosequuntur ; idque
72. mera misericordia adversus majores & Ante-
cessores nostros, tantū ut fœderis memor esset,
quod cum illis ictum & depactum est ; quod
fœdus ut Prophetarum ore , sic proprio ore in-
73. terposito etiam sacramento , patri* Abrahamo
*confirmavit , ut in duobus in quibus Deum
fallere τὸ ἀδύνατον est , firmam & indubita-
tam salutis spem obtineremus : quid dixi no-
vum & peregrinum non debere videri , imo
potius stupore & admiratione digna est Dei
veritas & fides in servandis promissis , quæ
nulla nostra perfidia & defectione , nullis no-
stris sceleribus & rebellione , nullis Satanæ
molitionibus , aut impiorum nequitiis ad im-
pediendum studiis irrita facta sit , quo minus
justo tempore filium ad servandum miserit;
74. idque in hunc finem ut ab hostibus nostris, sa-
75. tana, peccato, & morte vindicati eruti que in-
trepide tum in vero cultu, tum etiam sincera
justitia, Deo per omne tempus ætatis nostræ
serviamus ; renunciatis propriis carnis cupidi-
tatibus , quibus hactenus mancipati sumus.
Tu autem,puerule, utcunque nunc in cunis* 76.
*vagiens , ne verbum quidem mutire potes , o-
lim tamen Christi, qui Altissimus est , præco
palam à piis quidem agnosceris , atque adeo
impiis talis esse innotesces: præibis enim non ut
alii Prophetæ magno intervallo interjecto, sed
ut Lucifer solem , immediate Messiam : hoc
consilio ut Christo mox sequituro viam ster-
nas,quo facilius in mentes subditorum suorum
Christus influat & illabatur. Quod ut asse-* 77.
*quaris,instrues eos notitia & sensu salutis suæ,
quo tangi & affici nequeunt, nisi prius de pec-
catorum suorum remissione certiores fiant, ex
intima Dei misericordia promanante ; ex quo
fonte fluxit hoc incredibile & immortale Dei* 78.
beneficium , quod Christus , quasi sol justitiæ,
Iohanni *quasi Lucifero succedens , ipso exortu
non minus suos fulgoris radios emisit , quam
in ipsa cœli summitate meridie plena vim
suam sol exerit: eluxit vero hoc consilio,ut ra-* 79.
*diis cœlestibus affulgeret omnibus nobis in
summa ignoratione tanquam in tenebris de-
mersis, & in ipsius mortis faucibus absorptis ;
ut rejectis & discussis tenebris nos deducat in
viam,qua ad summam conscientiæ tranquilli-
tatem itur. Atque hactenus incomparabilem*
Iohannis *cum conceptum & nativitatem,
tum circumcisionem accepistis : unde non dif-
ficile vobis est conjectura consequi, qualis tan-
dem & quantus hic Dei servus futurus est.
Convenienter autem his initiis , cum puerilis* 80.
*ejus tum adolescens ætas acta est,ut qui pater-
nis ædibus privatim educatus , nec Magistro
aut schola in disciplinam traditus , quoad pu-
blicam præconis personam induit , animo ta-
men supra communem mensuram donis spiri-
tus auctus & cumulatus est.*

PRAXIS.

DEum laudibus celebrat , cumprimis ob suam , & fidelium in Christo plenissimam redemtionem; deinde quod Iohannem filium, ad illius redemptionis tam honorificum ministerium adhibuerit. *Cantio Zachar. à laude divina,*

Cujus *partes* duæ sunt, { Propositio , Deum esse laudandum, & Causa,cui hęc laus incumbit.

Deus in se benedictus est in secula,tametsi à nullo laudetur. Quod autem se à nobis laudari postulat,id nullo suo bono fieri vult; sed ut in grata beneficiorum Dei recordatione , cum præsentia bona confirmentur, tum nova accumulentur. *Vers. 67. ob beneficia præstita in salutis humani generis reparatione:*

Nec

Nec enim minimæ Dei in nos liberalitatis usura concessa est, nisi in Deum largitorem grati & memores extiterimus. Quo autem plenior & confartior ejus liberalitas est, eo nos magis ad laudem Dei accensos esse convenit.

Causa est humani generis salus, quæ tametsi promissa tantum, nondum præstita esset: tamen se à divinarum laudum prædicatione cohibere nequivit, multo magis nos gratos & memores esse oportet, quibus hæc tam pretiosa promissa adhibita sunt.

Causa gratiarum actionis { salus Israëlis per Christum, & ministeriũ salutis per Iohannẽ.

In *salute* cõsiderantur { nõ causæ, causæ. | *Non causæ* { effectum, subjectũ,

Effectum salutis ornatur triplici comparato paris, { restitutionis, redemptionis, cornu.

Vers. 68. *horum beneficiorum gratia,* *Visitatio* (vocabulum *μέσον*) hoc loco pro beneficio ponitur: hac igitur metaphora, quam exoptata res sit, salus per Christum parta, indicatur: sicut enim ægrotus, aut captivus lætatur adventu eorum, qui consolandi eos causa veniunt; ita etiam Christi visitatio nos reficit, qui peccati læthali morbo, & plusquam ferreis iniquitatis vinculis detinebamur. Quod si amicorum nos aspectus, & amica verba reficiunt, cum tamen morbo eripere, aut carcerem aperire nequeant: quanto magis suavis est & jucunda Christi visitatio, qui suo adventu istis nos malis eximit. Quod si barbarum & incivile esset, viro præsertim principi, hunc simul & laborem & molestiam suscipienti, gratiam non reponere: næ impiam ingrati animi labem esse oportet, nisi tantum beneficium Servatoris grata recordatione prosequeremur, qui Rex regum, de summo cœli palatio in humanæ naturæ nostræ custodiam, & in corpus mortis obnoxium descenderit, nos ut inviseret, atque adeo se, ut pro nobis, captivum, & morbo veluti confectum dederet, nos ut utroque & morbo, & carcere reduceret & absolveret. Est vero gratitudinis pars, ut sicut nos Christus invisit, ita nos Christum in ægrotis & captivis laborantem inviseremus.

amplitudo, *Redemptionis* vocabulo, salutis beneficium amplificat: nam sicut ab hoste in bello captus durissimæque servituti addictus, utpote molituræ, exhauriendis latrinis & aliis turpissimæ notæ operibus, nihil expetibilius aut optatius habet, quam ut ex tam duri domini potestate ereptus, veteri dignitati & libertati restituatur: quod si consequitur, omni officio & obsequio agnoscere paratus est: sic nos servituti Satanæ addictos, sub quo turpissimam peccati servitutem serviebamus, abjectissimis quibusque corporis officiis fœdiorem, Deo gratos nos præstare æquum est, qui soluto pretio, nos in pristinum decus & dignitatem asseruit.

Redemit nos à { Satana & pœnis peccati, quæ sunt extra nos, Peccati dominatu, & reatu intra nos, Ira Dei, quæ supra nos est, & capitibus nostris imminet.

Quæ quidem tyrannis tanto intolerabilior est, quod cum aliis tyrannis penso absoluto ita satisfit, ut pœnas à nobis non expetant: huic autem tyranno, quo magis obsequium præstatur, eo exquisitiores & asperiores pœnas à nobis sumit. Quam justæ igitur, & debitæ sunt ob tam insigne beneficium laudes. A peccato redemptis cavendum, ne in illud iterum recidamus, unde tanto pretio, non auro &c. redempti sumus. Redempti sumus ab ignoratione, quotusquisque invenitur qui illam cum pace non potius expetat, quam veram Dei notitiam, modico labore & vigiliis partam?

Imo verendum ne inveniantur, qui nollent libenter sibi suam inscitiam excuti, ne scilicet veterno hoc experrecti, suas cupiditates non possent sine conscientiæ stimulo explere: Redempti sumus à blasphemia & otio &c. sed &c.

Hanc porro salutem alio comparato *cornu* exornat: sicut enim à miseriis nos redemptos esse prius docuit, sic hac metaphora fœlicitatem nobis acquisitam docuit. Vers. 69.
Quo cum robur designetur, declarat salutem hanc nobis partam valentissimam & robustissimam esse, cui nihil obsistere potest: cujus interpretationem non aliunde petemus, quam ab ipso Zacharia, qui post seipsum explanans, salutem esse confirmat, quam ex hostibus nullus impedire queat, at ne universæ quidem inferorum simul collectæ copiæ, ut *Matth.16.* nec diaboli, nec peccatum, neque inferorum metus, nec mundi aut minæ, aut illecebræ. Hoc igitur modo salus ista mirifice commendatur, quod tuta & secura sit. Qui enim ab hominibus servitute erepti sunt, hi homnium etiam vi, & fraude ad servitutem rursus redigi, & revocari possunt: sed hac salute & redemptione præ- *& firmitas.*

ne præditi, veluti in petra arce collocantur, quæ inaccessa & inexpugnabilis est. Tametsi enim in Christo credentes non desinunt ab impiis infestari; cum potius hoc ipso quod credant, plurium in se inimicitias accendunt: nullæ tamen eorum injuriæ aut violentiæ, cœptam in nos salutem, quo minus ad exitum perducatur, impediunt. Gratitudinem igitur nostram adaugeat, tam certæ, indubitatæ, & perennis salutis recordatio.

Quod autem *excitasse* dicitur: ideo dictum est quod hæc spes, propter crebras & gravissimas, & animi, & corporis calamitates, quasi humi prostrata & proculcata salus jacere videbatur; cui salus ista paratur? nempe Dei populo, *Math.* 1, 20. *salvum faciet populum suum, &c.* ut spem adversus spem foveamus.

Per Christum hæc beneficia acquisita: In subjecto consideratur, per quem fit, scilicet per Christum, ex familia Davidis, ex promisso, ne in Servatore erremus.

Causæ salutis sequũtur,
- efficientes,
  - fides Dei in promissionibus servandis,
  - & misericordia.
- finales, ut metu liberati, serviamus ei intrepide in sanctitate.

Fides Dei spectatur in servãdo,
- promisso & juramẽto
- per os
- prophetarũ, propriũ,
- prolato.

Vers. 70. *eorum ante prædictorum infallibilis executio;* In divinæ laudis ex fide & constantia manantis considerationem cadit: quod nullis nostris quantumcumque atrocibus peccatis, nullis diaboli aut infernalis cohortis conatibus & molitionibus effectum sit, ut Deus datam fidem falleret, semel ex ore egressum refigeret, aut denique fœdus nobiscum depactum prophanaret. Hic enormia Israëlitarum peccata, & totius populi propinquans sæpe interitus, replicentur. Simul docetur hunc esse verum Messiam, cui scilicet omnes Prophetæ testimonium ferunt: ut Paulus in Actis Iesum docebat esse Christum, ex Prophetis.

quid fidei firmandæ. Hæc autem sicut ad gratitudinem accendendam, sic ad nostram in promissis divinis fidem muniendam accommodata sunt: quam enim horrenda & detestanda illa impietas censebitur, quæ Deo promittenti, juranti, & fidem suam toties & tot seculis comprobanti, fidem derogare, aut restitante quadam dubitatione nos subducere audeat? Quod tamen *Pontificii* non dubitant in laude ponere; indignius cum Deo agentes, quam cum illis agi æque ferrent.

Vers. 7[illegible] *Ex mera Dei misericordia hæc beneficia profecta;* Alium hujus salutis fontem indicat, *Dei erga nos misericordiam:* sicut enim benigna animi inductione, Deus incomparabile hoc redemptoris beneficium promisit; sic eadem erga nos animi propensione, quod Verbo promisit, re & opere implevit. Nisi enim in gratuito Dei erga nos favore, fundatum fuisset hoc beneficium, centies millies intercidisset. Si enim populus Israëlis terræ Cananeæ possessionem, & ex Ægypto liberationem, non aliunde consequuti sunt, quam quod Deus illos gratuito amore complexus sit, nullo eorum ut Moses testatur merito: quanto magis hac tanta & eximia liberatione privandi fuissent, nisi Dei eos misericordia à perditione vindicasset.

Vers. 72. *per quæ ab hostibus liberati sumus,* Finis partæ per Christum salutis est, *ut ab hostibus liberati intrepide &c.* Cum enim ex tam fœda servitute, & βαταινοζῶτοις operibus liberati sumus, æquum est ut ad illius præscriptum vitam exigamus, à quo tam benefice liberati sumus; maxime cum tam ad honestas, & ingenuas occupationes nos adhibeat: pretio enim redempti nec nostræ, nec aliorum potestatis sumus, sed illius tantum, qui λύτρον pro nobis dedit: liberi quidem, & soluti à peccato, & diaboli tyrannide, sed servi tamen subditissimi Christi Servatoris: vide *Tit.* 2, 11, 12. & *Ephes.* 2, 10. Nec vero hoc ad momentum; ut servi nuper asciti in familiam facere solent, sed per universum ætatis nostræ tempus, quod omne, atque adeo in seculum servi essemus, nisi à Christo vindicati, in ejus familiam coaptati fuissemus: hic igitur diligens cautio adhibenda est, ne ad pristinos vel errores, vel vitæ impuritatem, tanquam ad volutabrum aut vomitum redeamus.

& inde certam de Dei favore persuasionẽ habemus. Hic non est prætereundum, pacem conscientiæ, & indubitatam de Dei favore persuasionem, nobis ad bonos fructus proferendum opportunas esse. Ex quo illud etiam efficitur, *Pontificios* de hac pace semper fluctuantes, ad bona opera ineptos & inidoneos esse: quod quidem ut ad internos, & spirituales hostes cumprimis refertur; ita in externorum hostium metu, loci nonnihil habet. Nam præ nimio imminentis periculi, & insidiarum metu, minus sumus ad serviendum alacres.

Hactenus fuit causa gratiarum actionis prior, de salute Israëlis per Christum parta: sequi-

sequitur pars altera, de ministerio salutis per Iohannem:

In quo cō- siderantur quædam { propria Iohanni: & communia illi cum aliis ministris.

Vers. 76. *Ioannis præ aliis Proph. dignitas, quod Christum proxime præcurrat;* Puellum in Synagoga (circumcisionis ergo) præsentem alloquitur προσωποποιητικῶς. Cui hoc peculiare est, eum futurum nobilem & celebrem Prophetam, qui Altissimum, id est, Christum proxime præcurrat, & eundem, non ut reliqui Prophetæ, veluti procul venientem describeret, sed præsentem digito designaret; non prædicaret venturum, sed jam venisse, populo gratularetur. Quo spectat, quod dicitur, eum vias ejus parasse, montes & extuberantia loca dejecisse, valles opplevisse, aspera complanasse, tortuosa direxisse, ut facilior & expeditior esset Christi ad populum suum, populi ad Christum accessus, id est, (ut apertis & concisis verbis dicam) pœnitentiam agerent, & Euangelio crederent. Nec enim nisi fide pœnitentiam gignente, Christus ad nos accedere, aut nobiscum cohabitare vult. De hoc beneficio se plurium Deo destrictum fatetur, eoque gratias agit. *tanto major Euangelii, quod post ejus adventum.* Euangelii vero ministerium, cum Iohannis ministerio excellentius & præstantius sit, ut quo plenior de Christo cognitio percipitur, quam Iohannis ministerio: quæ hæc hominum perversitas est, tantam liberalitatem non agnoscere, usque eo ut nonnulli Deum sibi potius, quam se Deo obstrictum esse putent, si quando ex filiis unum ministerio addicant: cujus si causam requiras, non aliam reperies, quam quod gloriam hominum, gloriæ Dei anteponunt: scilicet, quasi splendidius esset, apud homines divitem fieri, aut honoribus affici, quam Christi præconem esse.

Cujus ministerium capessendum; Simulque quum considerant, ministerium non esse ad divitias, & honores quærendos compendiosum; fit ut à ministerio animos alieniores gerant, quod magis intelligitur ex consecratione liberorum Molocho, id est, Idolo *Pontific.* Zacharias, tametsi filium haberet, qui victus & cultus corporis ratione, contentissimus mundo videretur: tamen &c.

Quanquam vero hæc Iohanni propria extiterunt, tamen Ministri Euangelii aliquid hic simile habent: quod sicut Iohannes viam Christi priori adventui muniebat; sic illi secundo.

Vers. 77. *quod remissionem peccatorum annunciat,* Quæ sequuntur Iohannis munia, cum reliquis ministris communia sunt. Quorum prius est, ut scientiam salutis doceant per remissionem peccatorum: est vero eximium ministerii encomium, scientiam salutis tradere, propterea *Act.* 13, 26. dicitur Euangelium, *sermo salutis.* Est enim insignis illa scientia, quæ homines de salute adipiscenda informat, atque instituit: si enim Medicinæ ars in precio est, quæ corporis sanitatem tradit, & eam quidem primum momentaneam, deinde incertam: næ illa scientia plurimi facienda est, quæ corporis animique salutem, æternam & indubitatam proponit: si quis scholam aperiret, homines quomodo certas divitias acquirant, docendi; aut profiteretur viam se traditurum, qua ad certos honores, non nisi cum vita finiendos, pervenirent; innumeri se istis in disciplinam traderent: Christum vero scholam aperientem, qua sani, divites, honoratique in æternum sint, pauci adeunt.

sine qua omnes pereunt: Hoc etiam docetur, homines absque Euangelii scientia, perditos esse; quo magis debent, & cupidius hanc scientiam persequi: nam Medicinæ scientiam omnes vel maxime sani expetunt, sed in primis graviter & lethaliter laborantes; omnes divitias expetunt, sed mendici inprimis, &c.

cujus notitia certissima, Hinc etiam notatur notitiam, quam pii de salute sua habent, non esse dubiam & ancipitem, non esse in opinione & conjectura positam, sed scientiam, & proinde certam.

non implicita fide contenta. Simul etiam liquet, religionem Christianam non esse implicita fide contentam; ut quis, Andabatarum more, fortuito & inconsiderate, suam fidem ad alterius, cujus quæ sit fides nescitur, componeret. Docet autem scientiam salutis in remissione peccatorum consistere. Hinc est, ut beati dicantur, quorum remissa sunt peccata. *Psal.* 32, 1. *Rom.* 4, 7. & Servator paralyticum consolans, de remissione peccatorum eum certiorem facit. *Matth.* 9, 2. Non igitur servamur, quod à peccatis liberi sumus & intacti; neque quod pro peccatis compensationem aliquam instituimus; sed quod peccata nostra nobis remittuntur.

Vers. 78. *Ex intima Dei misericordia hanc remissionem consequimur;* Hoc magis adhuc declaratur, cum docetur, illud *misericordia Dei,* & ea quidem *intima*, & tenerrima fieri: misericordia enim Dei, in quotidiana providentia Dei erga nos, cernitur, ut *Psal* 36, 6. Sed ea demum tenerrima, & intima misericordia est, qua nobis peccata condonat; non secus quam parentes, filiorum miseriam intuentes, ita afficiuntur, ut viscera sua incalescere statim sentiant.

Quanta

Quanta autem, & quam immensa illa sit misericordia, hoc ipso declarat, quod non poterant peccata nobis condonari, nisi Filio suo in mundum misso; cum nullo nec auro, nec argento, nec Angeli missione peccata nostra expiari possint, sed tantum Filii descensu: in eo latitudo, altitudo, profunditas Divinæ in nos misericordiæ perspicitur: unde Servator *Iohan.* 3, 16. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Ex quo fit, ut quæ peccati vis sit, nesciant, qui illud suis operibus, suisque pecuniis redimi posse putant. Christus autem Sol, ex Scripturæ usu & consuetudine, vocatur, & quidem è summo cœlo, tanquam meridie, splendens; unde Iohannes prius inductus est, tanquam Lucifer solis ortum attendens.

non operibus aut pecuniis.

Vers. 79. *Illis qui eam ignorant hæc annunciandas;*

Iam redit ad alia ministrorum officia: est igitur alterum ministrorum officium, *his qui sunt in tenebris & in umbra mortis* lucem inferre. Hæc singularis etiam ministerii commendatio existit, quod in tenebris jacentibus effulgent face Euangelii; & quod, eorum ministerio, Sol mundi Christus exoritur. Citra enim Euangelii lumen nox atra, & cymmeriæ tenebræ sunt; cujus quidem caliginis quam horrenda & formidabilis ratio sit, cæcorum exemplo, aut oculis privatorum, quibus nullum Solis, Lunæ, Stellarumve lumen effulget (ut in Ægyptiis visitur) ostendi potest, vel potius adumbrari. Hinc est, ut Iohannes *ardens lampas* à Servatore Christo dicitur. In umbra autem mortis, idem est, atque in morte esse; quia umbra rei cujuspiam rei ipsi adjuncta est. Hinc Servator *Ioh.* 5, 25. Hoc Medici præstare non possunt, ut mortuum revocent: hoc igitur modo Euangelii ministerium egregie ornatur.

etiam minis & promissionibus adhibitis.

Τῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας] Aliud munus ministerii Ecclesiæ; nec enim satis est veritatem illis patefacere, & viam, quam ingredi debent, commonstrare, nisi adhortationibus & dehortationibus, minis & promissis homines ad pietatis studium adducant. vide *Tit.* 2, 15. Et pedes eorum sponte vagos & exorbitantes, hoc modo in viam dirigant: illa enim improbitas nobis insita est, ut viarum periti, volentes tamen & cupidi deflectamus. Quamobrem eorum judicium repudiandum est, qui, veritate proposita, adhortationis impatientes sunt: contra quam Apostolus ad Hebr. fieri oportere docet. *Heb.* 13, 22. Et quidem de his Iohannis gestis seu historia, octo primis ætatis suæ diebus, hactenus.

Vers. 80. *Quomodo Ioannes dicatur crevisse?*

Sequitur quod actum est, usque ad tempus, quo publicum munus obivit. Dicitur autem *crevisse*, (subaudi, corpore) inprimis vero Spiritus donis, & magnitudine animi corroboratus esse. Tametsi enim victus ejus, ex Dei præscripto, vilior esset, & minus ad acquirendas vires idoneus: tamen Dei benedictio illam incommoditatem superavit; sicut de Nazaræis dicitur, apud Ieremiam in Lamentationibus, & Danielem, *non enim solo pane, &c.* Cumprimis vero Spiritus donis ornatus & imbutus erat, ut provinciam illam tam augustam, pro dignitate obiret. Neminem enim Deus ad munus in Ecclesia vocat, quem non prius, virtutibus ad functionem aptis expolit.

Quamdiu manserit in deserto?

Quod autem dicitur, *mansisse in deserto, donec tempus advenisset, quo Israëli declarandus fuit:* id tempus cujusmodi tandem erat, ex aliis locis Scripturæ intelligitur; annus ætatis ejus, quasi trigesimus.

Cur non maturius ad ministerium adhibitus?

Quo in loco, si quis forte *quærat*, cur, cum tam excellenti veritatis scientia dotatus esset, maturius, in tanta præsertim fidelium doctorum inopia, ad ministerium adhibitus non sit?

Respondeo, illud, per vocationis ordinariæ formam non licuisse. Sacerdotes enim & Levitæ, ex quorum numero Iohannes extitit, non ante trigesimum ætatis suæ annum, ad publicum ministerium admissi sunt: quanquam enim quodam in loco dicatur, ad 26 annum ad templi ministerium accitos fuisse; tamen quatuor illis annis justum ministerium non obibant, sed tantum suæ probitatis & industriæ specimen præbebant, ut, si minus laudate se hoc tempore gesserint, Sacerdotum albo expungantur. In quo illud liquet, neminem quantumcumque donis dotatum, ad ministerium accedere oportere, nisi legitima vocatione instructus fuerit. Salomon, tametsi omnium qui unquam exstiterant mortalium ad Reipublicæ gubernacula aptissimus esset; tamen eam attingere non debebat, nisi ad regnum capessendum vocatus fuisset. Nec vero Sampson, qui portentoso quodam animi & corporis robore præditus erat, ad certamen cum pumilione prodire debebat, nisi Dei vocatione armatus fuisset.

MATTH. *cap. 1. à verſ. 1. ad 18.*

L*Iber generationis* IESV CHRISTI, *filii Davidis, filii Abrahami.*
2 Abrahamus genuit Iſacum. Iſacus autem genuit Iacobum. Iacobus autem genuit Iudam & fratres ejus.
3 Iudas autem genuit Phareſum & Zaramum è Thamara. Phareſus autem genuit Eſromum. Eſromus autem genuit Aramum.
4 Aramus autem genuit Aminadabum. Aminadabus autem genuit Naaſſonem. Naaſſo vero genuit Salmonem.
5 Salmo vero genuit Boozum è Rachaba. Boozus autem genuit Obedem è Rutha. Obedes autem genuit Ieſſen.
6 Ieſſe vero genuit Davidem illum regem. David autem rex ille genuit Solomonem, ex ea quæ fuerat uxor *Vriæ.*
7 Solomon vero genuit Roboamum. Roboamus autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſam.
8 Aſas autem genuit Ioſaphatum. Ioſaphatus autem genuit Ioramum. Ioramus autem genuit Hoziam.
9 Hozias autem genuit Ioathamum. Ioathamus autem genuit Achazum. Achazus autem genuit Ezeciam.
10 Ezecias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amonem. Amon autem genuit Ioſiam.
11 Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres ejus, in tranſportatione illa Babylonica.
12 Poſt tranſportationem autem *illam Babylonicam, Iechonias genuit Salatielem. Salatiel autem genuit Zorobabelem.*
13 Zorobabel autem genuit Abiudem. Abiud autem genuit Eljacimum. Eljacimus autem genuit Azorem.
14 Azor autem genuit Sadocum. Sadocus autem genuit Achimum. Achimus autem genuit Eliudem.
15 Eliud autem genuit Eleazarum. Eleazarus autem genuit Matthanem. Matthan autem genuit Iacobum.
16 Iacob autem genuit Ioſephum, virum Mariæ, ex qua genitus eſt IESVS ille qui dicitur Chriſtus.
17 Vniverſæ igitur progenies ab Abrahamo uſque ad Davidem, progenies quatuordecim: & à Davide uſque ad tranſportationem Babylonicam, progenies quatuordecim: & à tranſportatione Babylonica uſque ad Chriſtum, progenies quatuordecim.

LVC. *cap. 3. à verſ. 23. ad finem Capit.*

23 Ipſe autem Ieſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta, filius (ut exiſtimabatur) Ioſephi, filii *Heli,*
24 Filii *Matthati,* filii *Levi,* filii *Melchi,* filii *Iannæ,* filii *Ioſephi,*
25 Filii *Matthathiæ,* filii *Amoſi,* filii *Naumi,* filii *Eſli,* filii *Naggæ,*
26 Filii *Maathi,* filii *Mattathiæ,* filii *Semei,* filii *Ioſephi,* filii *Iudæ,*
27 Filii *Ioannæ,* filii *Rheſæ,* filii *Zorobabelis,* filii *Salathielis,* filii *Neri,*
28 Filii *Melchi,* filii *Addi,* filii *Coſami,* filii *Elmodami,* filii *Eris,*
29 Filii *Ioſæ,* filii *Eliezeris,* filii *Iorimi,* filii *Matthati,* filii *Levi,*

30 Filii

30 Filii *Simeonis*, filii *Iudæ*, filii *Iosephi*, filii *Ionami*, filii *Eljacimi*,
31 Filii *Meleæ*, filii *Mainani*, filii *Mattathæ*, filii *Nathanis*, filii *Davidis*,
32 Filii *Iessæ*, filii *Obedis*, filii *Boosi*, filii *Salmonis*, filii *Naassonis*,
33 Filii *Aminadabi*, filii *Arami*, filii *Esromi*, filii *Pharesi*, filii *Iudæ*,
34 Filii *Iacobi*, filii *Isaaci*, filii *Abrahami*, filii *Tharæ*, filii *Nachoris*,
35 Filii *Saruchi*, filii *Ragavi*, filii *Phaleci*, filii *Heberis*, filii *Salæ*,
36 Filii *Arphaxadi*, filii *Semi*, filii *Noæ*, filii *Lamechi*,
37 Filii *Mathusalæ*, filii *Henochi*, filii *Iaredis*, filii *Mahalaleelis*, filii *Cainani*,
38 Filii *Henosi*, filii *Sethi*, filii *Adami*, *qui fuit Dei*.

PRAXIS.

In quibus discrimen genealogiæ Matthæi & Lucæ?

Discrimen genealogiæ Matthæi & Lucæ quadruplex est. Primo ordinis inversione: quod Matthæus à majoribus descendit ad posteros: Lucas, à posteris capto initio, ad majores ascendit. Secundo quod Lucas numero Matthæum superat, qui ad Adamum usque genus Christi ducat. Tertio quod Matthæus à Davide ad Salathielem numerat posteros Salomonis; Lucas Nathanis, id est, prior legalem successionem Christi ad regnum, qui rex natus est; posterior naturalem Christi generationem, eoque ipse Salathiel filius legalis est Iechoniæ, & naturalis filius Neri. Quarto quod à Zorobabele usque ad Iosephum uterque enumerat; quod ille majores Iosephi, hic Mariæ recenset.

ea à Matt. cur in tres τεσσαρακαιδεκάδας distributa?

Quod Matthæus suum Catalogum distribuit in tres τεσσαρακαιδεκάδας, non tantum memoriæ juvandæ causa factum est; sed porro, ut tres populi Dei ἐποχάς, insignes conditiones notaret: unam, qua sub Sacerdotio tantum, una cum aliis legalibus ceremoniis, in terra promissionis vivebant; alteram, in qua Sacerdotio Regnum accessit: tertiam illam, in qua, amisso Regno augusto, ejus tantum reliquiis gaudebant.

illius necessitas,

In personis vel dignitate plenis, vel his, quorum ut genus inquiratur, plurimum interest, genus, & origo diligenter & operose excutitur, Annalia replicantur, tabulæ inspiciuntur, scripta tineis & blattis erosa & exoleta evolvuntur; denique omnia, quæ vel minimum momentum ad illius rei pervestigationem afferre posse putantur, sollicite comportantur.

dignitas,

Quod si *dignitas* quæratur; non est qui cum Christo contendat; qui decus humani generis est, & *pulchrior universis filiis hominum*. *Psal.* 45, 3.

utilitas.

Si *utilitas*: infinita est, se ad universi generis humani salutem proferens. Interest enim plurimum, ut sciamus, *Iesum* eum esse, qui à Prophetis & lege est *Christus* declaratus. Cujus cum hæc pars sit, ut sciamus eisdem majoribus prognatum esse, quibus oriundus prædicebatur: hunc locum tractatum perutilem esse consequitur.

Quod quidem inde perspicitur, quod hæc pars adeo est in Veteri Testamento culta, ut quorundam librorum præcipuum munus sit, in genere Servatoris declarando versari; sicut in libro *Ruth*, & 1 *Chro*.1, 2, 3. Cum vero Novi Testamenti scriptorum, Euangelistarum, & Apostolorum munus sit, impletum esse docere suo tempore & modo, quod futurum Prophetæ prædixerunt; inter cætera, hoc etiam sua lucubratione dignum indicarunt. Quod quidem eo fecerunt accuratius, quod non defuerant, qui supposititios Christos in Ecclesiam, singulis fere ætatibus inducere voluerunt. Plerique enim fuerunt, qui spurios Christos ad Ecclesiæ portam subjiciunt: quod si pro Sacerdote apud *Esram Cap. 2. v. 62.* agnitus non sit, qui genus suum ad Aaronem referre non potuit: nedum pro summo & æterno Sacerdote agnoscendus erit, qui genus suum ad domum Davidis referre nequit.

Cur in principio Davidis & Abrahæ mentionem faciat?

Primo dicit illum esse *Filium Davidis & Abrahæ*; quæ est propositio, quam reliqua oratione probat: Eorum vero idcirco meminit, quia pactum de Christo Servatore, ictum cum istis duobus, solemne & crebro repetitis promissis sancitum est: huc accedit, quod duo hi viri apud Iudæos, in maximo honore & existimatione fuerunt; ut non mediocris commendatio Christo apud Iudæos accesserit, quod horum duorum filius esset. vide *Rom.* 4. ubi Apostolus istos deligit, tanquam sanctissimæ vitæ homines, & Deo maxime gratos; atque eo cumprimis, cum quibus Deus pactum salutis pepigisset. Ex quo apparet, quod *Iohan.* 4, 22. dicitur, *Ex Iudæis salutem esse.*

Quod vero ad Abrahamum attinet, in

Christus etiam filius Davidis æque ac Abrahæ;

confessο est apud omnes, Christum ejus filium esse. An vero Davidis fuerit, quod tamen prædictum impleri oportuit, propter quasdam in genealogia difficultates; non perinde (apud calumniatores præsertim) constat. Id igitur primum nobis confirmandum est, ut si minus omnes difficultates dissolvere queamus, tamen semper in promptu habeamus, cui fides nostra innitatur.

Primum igitur illud constat ex verbis Angeli, qui Christum throno Davidis patris sui successurum prædixit. 2. Deinde ex persequutione Herodis; nec enim causa ulla fuisset, cur sibi à Christo propter principatum timuisset, nisi ex stirpe regia oriundus fuisset. 3. Ad hæc, quod Maria mater, census causa, ad Davidis civitatem Bethlehem recipere se coacta est. 4. Postremo, quod cum sæpe in magna frequentia, Davidis filius agnitus & recognitus sit, numquam tamen à Pharisæis, aliisque Christi juratis hostibus, huic confessioni reclamatum est; quod tamen & factum fuisset, & facile fieri potuisset, si non fuisset, qui esse agnitus est.

quamvis à Salomone dicatur prognatus,

Gravis vero & subdifficilis quæstio, an ex Salomone, an vero ex Nathane Christus natus sit, hujus rei fidem nequicquam elevat: nam utrumcumque verum sit, semper tamen verum erit, Christum ex posteritate Davidis proseminatum, cum uterque filius Davidis extiterit. In quam quæstionem quoniam incidimus, primum illam dissolvamus, dicamusque ex *Ier.* 22, 30. & ex *Luc.* 3, 31. Christum ex posteritate Nathanis oriundum; quandoquidem Salomonis posteritas in Iechonia exstincta est; ob eamque causam, qui post Iechoniam, populi principes enumerantur, non erant naturales posteri Iechoniæ, sed legales, id est, hi, ad quos jus principatus lege devolutum est.

tamen ex Nathane fuerit oriundus.

Quod si quis *excipiat*, quærendo; quid igitur causæ fuit, cur Math. Salomonis, & aliorum insequentium regum in Christi genealogia mentionem fecerit, cum ex Nathane fuerit oriundus?

Respondeo, id factum fuisse, ut, sicut ex Lucæ catalogo, filius Davidis naturalis agnitus est, ita quoque Successor, seu filius, primo jure hæreditario, illius temporalis regni, deinde spiritualis illius regni, cujus typum illi gerebant, esse agnosceretur. Interfuit enim saluti nostræ, non modo ut filius Davidis esset, sed porro regno ejus successisse intelligeretur: & ut ex comparatione regni illius terrestris extincti & deleti, regni Christi æternitas melius illustraretur. Sic enim constat regni æternitatem Davidi promissam, non nisi in Christo compleri.

Cur Christi genus non ad Mariā, sed ad Iosephum referatur?

Est vero *quæstio* adhuc difficilior, cur Christi genus uterque Euangelista replicans, illud tamen non ad Mariam, sed ad Iosephum, qui pater Christi non erat, refert?

Cui *respondetur*, primum à Scripturæ more alienum esse, fœminarum, viris præcipue nuptarum aut desponsatarum, genus repetere; eoque factum est, ut Mariæ genus sub Iosephi nomine à Luca replicetur: ob eamque causam Eli, qui Iosephi pater dicitur, Mariæ germanum & naturalem patrem extitisse, Iosephi vero socerum: nec hoc à Scripturæ sermone abhorret, cum Naomi nurus suus, filias appellet. *Ruth.* 1, 11, 12, 13. Nam cum Lucas Christi genus replicans, diserte profiteatur Iosephum ejus patrem non fuisse; non est verisimile, eum tantum laborem sumere voluisse, ut Iosephi majores in catalogum redigeret. Ex quo videtur alia etiam difficultas explicari, quod duo patres vnius Iosephi assignentur, à Matthæo Iacob, à Luca vero Eli: dici enim potest, Iacobum germanum patrem, Eli vero Socerum extitisse.

& Iosephi duo patres assignētur?

nec genus Christi legale post Iechoniam contexatur?

Quod si quis *occurrat*, genus Christi ne legale quidem, tum à Matthæo sub finem, id est, post Iechoniam contexi.

Respondetur, in more positum fuisse, (tametsi lege imperatum non sit) ut viri sorores ex eadem familia acciperent. vide *Iud.* 14, 3. Huc accedit, quod res erat tum pervulgata, & in omni intelligentia posita, ut non tam necessarium fuerit singula præcise persequi: præterquam quod in lege positum fuit, filiam, cui hæreditas aliqua, aut jus hæreditatis obvenerat; necessario esse in eadem tribu matrimonio collocandum. *Num.* 36, 5, 6, 7.

Cur hic Ismaëlis & Esavi nulla mentio?

Observandum primum, Deum servandis promissis veracem & fidelem esse. Secundo, Christum non esse omnibus propositum Servatorem, cum Ismaëlis & Esaui nulla hic mentio, quia in fœdere non erant: quod magis liquet, quod non tantum Iehudæ mentio fit, à quo Christus effloruit; sed & fratrum ejus, ut qui in fœdere erant, quamvis ab his Christus non sit oriundus.

cum tamen uxoris Vriæ & aliarum?

Tertio, quod ex uxore Vriæ descenderit adultera, & Rahab meretrice, indicat, eum non dedignatum esse ex peccatricibus fœminis nasci, ut peccatoribus facilior ad eum aditus esset, & confidentior. Quod ex Thamar natus sit incesta, docet sui cupidis se exhibere

hibere, utcumque graviter & atrociter peccavimus. Quod ex Rutha, docetur non Iudæorum tantum, sed & Gentium Servatorem à Deo proponi.

MATTH. *cap.* I. *à vers.* 18. *ad finem Capit.*

18 IESV vero Christi nativitas ita fuit. Quum enim mater ejus Maria desponsata esset Iosepho, priusquam ipsi convenissent, comperta est prægnans esse è Spiritu Sancto.

19 Porro Iosephus vir ejus, quum esset justus, & nollet eam ignominiæ exponere, voluit clam eam dimittere.

20 Hæc autem quum in animum induxisset, ecce angelus Domini in somnio apparuit ei, dicens, Iosephe fili Davidis ne metue accipere Mariam uxorem tuam. Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est.

21 Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM. Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius.

22 (Totum hoc autem factum est, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam, dicentem,

23 Ecce, virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.)

24 Experrectus autem Iosephus ex somno, fecit ut ei imperarat angelus Domini, & accepit uxorem suam.

25 Sed non cognovit eam, quousque peperisset filium illum suum primogenitum: vocavitque nomen ejus IESVM.

ANALYSIS.

PRopositio est, Christi in hanc lucem susceptio; quæ describitur ab efficiente causa minus principali *Maria*, quæ describitur ab adjuncta desponsatione & subjecto *Iosepho*, deinde ab efficiente principali Spiritu Sancto; quod arguitur syllogismo disjunctivo, aut fuit à Spiritu Sancto, aut à *Iosepho*; sed non à *Iosepho*; ergo. Assumptionem probat à comparatione minoris: quod nondum consuetudinem mutuam habebant, nedum ut ex illius concubitu conciperet.

Vers. 19. *Iosephum* non habuisse consuetudinem cum virgine, probatur ab ipsius *Iosephi* testimonio: quod corroboratur ab adjuncto illius ancipiti de hac re & sollicita disceptatione, hinc illam repudiandi, istinc vero, illam clam dimittendi. Cujus quidem disceptationis causa prior assignatur, quod justus esset; cujus justitiæ hic effectus est, quod noluit illam ducere quam existimabat ex alio prægnantem, eoque cogitavit illam dimittere. Altera causa disceptationis, quod noluit illam ad aliarum exemplum probro affici, præsertim re nondum comperta plene, quod illa (verisimiliter) illi rem totam ut gesta est narraret. Hujus autem posterioris causæ, disceptationis hic effectus declaratur, quod illam voluit clam & summo silentio dimittere.

Vers. 20. Hac anxietate animi *Iosephus* levatur; quæ levatio describitur 1. ab adjuncta admiratione, 2. ab adjuncto tempore, cum hæc apud se disceptata animo decrevisset. 3. Deinde alio temporis adjuncto, cum dormiret, 4. à principali causa efficiente, Domino, 5. instrumento, Angelo, 6. ab adjuncta forma, nempe quod se spectabili forma *Iosepho* exhibuit, 7. ab adjuncta oratione quam habuit Angelus: cujus partes sunt, compellatio & nuncius; cõpellatio describitur ab adjuncto nomine & relatis, quod esset ex posteris *Davidis*; nuncius constat adhortatione & adhortationis ratione. Adhortatio est, ne timeat accipere *Mariam* in uxorem; ratio est ab efficiente causa, quod prægnans esset ex Spiritu Sancto.

Vers. 21. Cujus effectus notatur quod pariet filium. Qui filius describitur ab adjuncto nomine IESV, & efficiente instrumentali ejus nominis *Iosepho*; ratio autem illius appellationis ducitur ab effecto, quod servabit populum suum: quæ salus generalius enunciata post ad speciem restringitur, nempe salutem ex peccatis.

Vers. 22. 23. Hic nuncius cõfirmatur à testimonio divino Prophetæ *Esaiæ*, qui hoc futurum prædixerat; cui in omnibus cum Angeli nuncio convenit, nisi uno nomine: quod voce discrepans à nomine quod Angelus indidit, re tamen idem est, *Emanuel*, quod adjuncta interpretatione declaratur, *Deus nobiscum*, id est, in nostra natura.

Vers. 24. *Iosephi* obsequium indicatur; quod describitur suis partibus, accipiendi uxorem & nominis impositione ab effecto, accipiendo *Mariam* in uxorem; quæ obedientia amplificatur ab adjuncto temporis, ilico ut è somno experrectus est: prolepsis est qua occurrit objectioni, quæ ex eo nasci poterat, quod dixit eum *Mariam* accepisse in uxorẽ.

Vers. 25. Objectio vero est ex adjuncta consuetudine, quæ ordinaria est inter conjuges cohabitantes. Responsum a diversis: quantumvis enim alioqui pro uxore illam haberet, non tamen cum illa consue-

consuetudinem habuit, quod porro describitur ab adjuncto tempore, priusquam Christum in lucem edidisset; deinde aliud effectum obsequii notat, quod nomen illi IESVS indit.

METAPHRASIS.

18. IESV *vero Christi cum conceptio, tum in*
lucem susceptio hujusmodi est. Cum Maria *mater Christi* Iosepho *desponsata, comperta esset ex arcana Spiritus Sancti & admirabili operatione uterum gessisse; tantum abfuit, ut ex viro suo* Iosepho *prægnans existeret, ut nondum ullum vel minimum congressum mutuum & inter se habuerant, nedum ut ex illo conciperet: minime omnium ab ullo alio mortali, cum esset virgo castitate insignis.*

19. *Cujus quidem rei testem produco ipsum* Io-
sephum, *qui ex hac uteri gestatione in ancipitem & tristem disceptationem incidit; hinc enim cum justus esset, nec vellet se fœminæ adjungere, quæ ex alieno concubitu concepisset, illam voluit repudiare: istinc vero quod illam noverat anteacta vita pudice & caste vixisse, nec omnino à veritate abhorruisse, quod virgo (omni verisimilitudine)* Iosepho *ad sui purgationem rem omnem ut gesta est explicasset, illam constituit clam & silentio summo ob eam causam dimittere, ne in illa severioris supplicii exemplum posteris statueretur. Quod quidem eo liberius facere potuisse sibi persuasit, quia adulterium (si quod admissum fuisset) ex uteri gestatione facile dignosci potuit: deinde quod illius criminis judicium penes Romanos esset, qui neglecta & præterita criminis vindicta, inde argumentum populi Dei ludificandi (maxime vero stirpis & familiæ* Davidis, *quam cane pejus & angue oderant)*
20. *arriperent. Hæc cum animo suo versasset multum diuque, & tandem in eam, quam dixi, sententiam inclinasset, Ecce opportune Deus, ut solet, utrique conjugi graviter laboranti succurrit. Angelus enim beatus à Deo missus* Iosepho *per insomnium, cum sensibus somno ligatus & constrictis mens liberior esse solet, forma humana se animo videndum exhibet, eumque in hæc fere verba affatur.* Iosephe *(quem etiam filii* Davidis *appellatione compello. non tantum ut te mihi penitus notum intelligas, sed ut lætitiæ majoris argumentum habeas) Christum ex tua fœmina oriundum prædico. Video te metuere tibi à sponsa tua, ne te illi propter adulterii suspicionem conjungas; sed hunc metum vanum plane & falsum depone. Nam quod in illa genitum est, non aliunde quam ex admirabili, sed arcana & incomprehensibili Spiritus Sancti operatione, profectum est. Vt autem ex Spiritu Sancto* 21.
concepit, ita suo justo & præstituto tempore filium pariet. Quem ut intelligas liquidius ex Spiritu Sancto conceptum esse, nomen ei IESVS *impones. Erit autem* φερώνυμος, *ut qui populum non omnem sed suum, id est, fide illum apprehendentem servabit; non equidem (quod Iudæi expectant & plerique præoptant) ab hujus seculi incommodis omnibus, sed peccatis, quibus, tanquam vinculis constricti, tenentur. Et ne cui novum aut inauditum vi-* 22.
deatur quod ab Angelo Iosepho *dictum est; recognoscite quid* Esaias *Propheta aliquot retroactis seculis de hac re, non modo eodem sensu, sed pene eisdem verbis, prædixit, quibus Angelus* Iosephum *affatus est: Ecce virgo* 23.
uterum feret & pariet filium, cui nomen (in Iosephi *&* Mariæ *persona Ecclesia) impones* Emmanuelis; *quod perinde (si interpreteris) sonat, atque Deus per incarnationem & naturæ nostræ assumptionem, nobiscum habitans, & à nobis partibusque nostris consistens.*
Iosephus *vero absque omni mora simulac* 24.
è somno experrectus esset, ilico Angeli dicto obsequens, Mariam *sibi uxoris loco acceptam habuit. Quod tamen non ita intelligendum est,* 25.
ac si pro more aliorum conjugum consuetudinem cum illa habuerit: tantisper enim ab ejus consuetudine abstinuit, quoad filium suum primogenitum in lucem edidisset; cui etiam congruenter Dei per Angelum mandato, nomen IESVS *imposuit.*

PRAXIS.

POstrema hac parte capitis Euangelista docet, Iosephum, de conjuge sua uterum gestante, anxium & inopem consilii, ab Angelo de re tota certiorem factum, acquievisse:

Cujus partes sunt, { Iosephi & Mariæ } tentatio anceps, & dubia ex tentatione exitus.

Tentationis vero causa assignatur, quod ex Spiritu concipiens, sine Iosephi consuetudine, gravida extitit.

Genus Servatoris postquam replicasset, modum etiam quomodo in lucem editus est perscribit. Vbi nota ejus conceptum multo magis quam Iohannis admirabilem. Quanquam enim naturæ legibus neutrum fieri potest, ut aut virgo concipiat, aut ætate exsoleta; tamen tanto magis fuit hoc admirabile, quo vetulam peperisse in Sara visum ante erat, virginem vero concepisse nunquam,

Vers. 18. *Christi cōceptus quā Ioannis multo miraculosior;*

quam, neque ante quidem auditum est, neque postea eventurum est. Quod ad gignendi partes attinet, Iohannes à consueta ratione non admodum recessit; Christus vero nullius mortalis viri adminiculo in lucem exiit, sed admirabili Spiritus Sancti virtute à Patre promanante. Cum enim consuetudinem non habuerit cum sponso suo (unde dicitur post, virginem parituram, non parituram Iosepho, ut de Elizabetha Zachariæ parituram dictum est) nedum cum aliis casta & pudica virgo consuevisse existimari debet: in quo videmus impletum esse, quod Mariæ per Angelum annunciatum est. Et hæc quidem causa extitit tam anxiæ & dubiæ cogitationis, qualem Iosephus animo agitabat. Notatur verecunda & casta Scripturæ loquutio, ex genere per Synecdochen, designans specialem congressum: sic *1 Cor.* 7, 1. *non est bonum tangere.* & *Gen.* 6, 2. *ingredi ad filias hominum.* Quo major est spurcities eorum, qui ex Sacris Scripturæ loquendi formulis, ansam arripiunt sermonis impuri.

is Iosephi tentationis causa,

Sequitur nūc ipsa tentatio, quæ Iosephum tantopere exercuit. Primum enim pro comperto habebat sponsam suam uterum gerere. Deinde non minus comprehensum habebat, ex suo cum illa congressu, illud non fuisse: hinc est, ut hanc cogitationem animo secum versaret, de illa dimittenda. Iosephus, justus cum esset, noluit sua opinione mœcham ducere, & quæ ad alium spectabat; eoque hanc cogitationem inivit, ut illam dimitteret. Quod vero illam nolebat παραδειγματίσαι, fecit ut consilium iniret de illa clam dimittenda. Id vero natum videri poterit ex singulari amore, quo illam amplexatus est; idque propter pietatem, adversus quam peccasse illam æstimavit, circumventam dolo & callidis consiliis. In qua re quid Iosepho accedit, quod humanitus aliis non obtingit? Quanquam pro Iosepho afferri potest, illum reputasse secum, Romanam gentem, penes quam erat crimen capitale, ludibrio habituram adulterium, potius quam illud debito supplicio affecturam: sic fore, ut neque scelus opinione ipsius admissum, debita pœna expiaretur, & Ecclesia Dei, maxime vero stirps Davidica Romano exosa, ludibrio exponeretur. Quanquam fieri potest, ut, tametsi re illi à Maria communicata, omnino fidem non adhibuerit; tamen non esse impossibile, quod virgo ad suam defensionem afferebat, judicârit.

& amor ac lex Romana clam dimittendi:

hinc præposterum corruptæ rationis judicium notandum;

Hinc liquet, illam esse humanæ naturæ imbecillitatem, ut sicut ex rebus nocituris, bona & grata sperant; sic ex his, quæ illis commoda sunt, sæpe tanquam nocitura timeant: vide Zachariæ exemplum, *Luc.* 1. item exempla filiorum Iacobi, qui ex argento reddito anxii erant, *Genes.* 42. Cujus nullam aliam causam assignare possumus, quam quod homines, sibi peccatorum suorum conscii, undecumque sibi à meritis pœnis metuunt. Tametsi enim in incorrupta Adami natura, arcana Dei consilia, non, nisi Deo patefaciente, sciturí eramus: tamen mens nullius peccati conscia, nihil minus, quam damnosum aliquid, aut noxium præstolari potuit. Erat enim præstans honos, illius fœminæ maritum esse, quæ eadem Dei mater fuit. Hoc in Zacharia etiam percipitur, qui inde metus, unde gaudii debebat causam præcipere.

Vers. 19. *attamen justi elogio insignitur.*

Illud autem merito hic quæri possit, quorsum, *Iusti*, elogium hoc loco Iosepho tribuitur. In quo considerandum est, illud certe causam non esse, quod compertum suo judicio adulterium, noluerit ex præstituto legis morte adulteræ expiari; sed potius contra, justitiæ studium, cum suo illam non traducendi consilio aut desiderio, conflictatum esse: ut cum justitia eum urgeret de illa in exemplum statuenda, tamen interior quidam erga illam amor, ab hoc consilio revocavit; maxime vero cum rem penitus indicatam non haberet.

Quod quidem alterum justitiæ proprium est, non temere aliquid adversus fratrem statuere, & quidvis potius (fieri modo quod possit) quam quæ fratri probrosa & ignominiosa sunt, in animum nostrum inducere. Istæ consultationes in improbos non cadunt, quanquam enim sæpe in consultando arduis difficultatibus impediuntur, nunquam tamen illud justitiæ, sed commodi sui studio faciunt. vide *Psal.* 10, 4. Hinc est quod nonnunquam apud Prophetas, homines insimulantur, quod cur hoc vel aliud faciunt, ne semel quidem quærunt: estque majus indicium pii viri, si in res à se gerendas inquirat, quamvis aliquando affectus depravatio, recte deliberantem in contrarium abripiat, quam cum homines nunquam suas actiones ad legis normam adigunt.

Hactenus de Iosephi tentatione, in qua Iosephus ipse testis productus est, se Christi patrem non esse.

Sequitur tentationis exitus.

Vbi consideratur { Dei per Angelum mandatum, & Iosephi obsequium.

Vers. 20. *Iosephus in proposito de dimissione sponsæ prægnantis in officio sedulus;*

Dicitur autem Angelus opportune, dum hæc agitaret, supervenisse, & scrupulum, eum cruciatu magno afficientem, exemisse; cumprimis vero virginis marito suo suspectam innocentiam vindicasse. Captum enim erat consilium mox illam clam dimittendi, & ad agnatos suos relegandi; quod cum illis grave, tum virgini probrosum futurum foret. Hoc igitur nos in officio & obsequio Dei animare debet, ut tametsi quod officii nostri est, videatur cum ignominiæ periculo conjunctum; tamen multis experimentis edocti, sciamus Deo rationes multas suppetere, quibus honestam existimationem nostram tueatur, & utcumque ad tempus occultum, post in apertum & meridiem adduci. Hic consideratur Abrahæ obsequium, in promptitudine filium Deo mactandi, tametsi periclitaretur hoc modo, non tantum ἄστοργος, sed parricida appellari. Idem exemplum est discipulis, qui, mandato Christi, asinam cum pullo, (domino & possessore non rogato) solventes asportarunt. Nec minus nobis auxiliarem hodie sentiamus, illi modo fideremus. Homines enim plerique ardentiorem religionis professionem refugiunt, ne videantur leves & inconsiderati esse: item alii oblatam pugnam detrectarent, nisi inde ignaviæ notam extimescerent.

à quo ab Angelo in somniis avocatur,

Quod in somniis Angelus Iosepho apparuit, non erat populo Dei insolens: vel enim in somniis vel per visiones solebat Deus his innotescere, quos majore honore dignatus est. *Num.* 12, 6. Cum vero hic nuncius Angeli, idem reipsa sit cum eo, qui ad virginem allatus est: fit ut idem nuncius, qui Iosephum recreavit, nos etiam mirifice & fidem confirmet. Hoc enim pacto duorum Angelorum testimonio de Christo ex Maria virgine nascendo, & ex Spiritu Sancto concipiendo, confirmamur. Quod si quid duorum virorum testimonio comprobatur, firmum censendum est, multo magis, quod à duobus Angelis. Idem etiam est fidei adminiculum, ex eo, quod hoc modo de Christi officio, quo homines à peccatis eripiuntur, nomini suo respondente itidem corroboramur.

& omnem metum abjicere jubetur.

Quod metum abjicere jubet, quia ex Spiritu Sancto est, docet nullum unquam peccatum nobis creari posse ex Spiritus Sancti in nobis, aut in aliis operatione. Quod à nobis, à mundo, & Diaboli instinctu provenit, metuendum est; sed quod à Spiritu Sancto, non item: contra autem in nobis usu venit, ut ab illis nos rebus potissimum metuamus, quæ à Spiritu Sancto proficiscuntur; in his vero securi & audaces sumus, quæ aliunde quam à Spiritu Sancto proveniunt.

Vers. 21. *Ex Christi nominis etymo peccatorum remissio electis competit.*

In quo Matthæus hoc amplius Luca habet, quod nominis etymon paucis quidem, sed efficacissimis verbis perstringat: ex quo etiam luculenter constat, quæ nobis in Christo quærenda sunt, non ut sæpe fit, divitiæ, honos, &c. sed peccatorum remissio. Quod autem *nos servare* dicitur *à peccatis nostris*, satis indicat peccata, sua natura, nos perdere & deglutire, aut tanquam famelicos canes, nos dilaniare velle: sicut etiam sæpe in Proverbiis, Iobo, & Psalmis dicitur, hoc & illud peccatum homines illi addictos internecioni traditurum. Quod restringit hanc salutem ad electos, qui modo populus ejus sunt, *Actor.* 18, 10. *Rom.* 11, 2. illos convellit, qui Dei electionem tollunt. Quod autem Iosephum filium Davidis appellat, gaudium ejus amplificat, cum Deus hunc honorem illi habeat, ut ex eadem familia nasceretur, ex qua Christus esset oriundus.

Vers. 22. & 23. *Hæc omnia ab Esaia prædicta;*

Quod ne incredibile videatur, testem profert Euangelista Esaiam, qui, cum virginem parituram, tum hujusmodi filium enixuram, qui suum populum servaret, affirmat. Nec enim, vel ipso Angelo autore, ullum, nisi in Prophetis descriptum Messiam, admittendum censemus.

cujus nomē Immanuelis Iesus nomini respondet:

Nomen vero *Immanuelis* Iesus nomini respondere, ex eo liquet, quod ad nominis illius confirmationem adhibeatur. Quanquam igitur hoc nomine Deum in carne nostra corporaliter habitare, intelligi potest; hic tamen potius ad remissionem peccatorum, quam per illum consequimur, rationem habere necesse est. Ex quo tum Deum à nobis esse cognoscimus, si nos à peccatis nostris asserat: homines vero aliter statuere, apparet ex Gedeonis responso ad Angelum. Nec enim videre possunt, quomodo Deus ab illis staret, quos crucis & calamitatum perpessione exercet. Hujus vero tam incomparabilis beneficii & consolationis, qua Deus secundum nos stat, fons est, quod Deus in carne nostra habitet. Quod si insignis beneficii loco fuit, Deum signis quibusdam & tesseris præsentem habuisse, quod olim in Ierosol. accidit, multo magis hoc erit, Christum vere in carne nostra habitantem

tem

inde Iudæorum de hoc nomine calumnia nulla;

tem habere. Quod autem *Iudæi* calumniantur, verum Messiam appellandum *Immanuelem*, cum noster *Iesus* nomen sortitus sit, facile refellitur: Scripturæ solenne esse nomen fusius sumere, quam ut ad proprium nomen, quo quis compellatur, restringi debeat: significat enim eximiam aliquam virtutem, qua quis præditus, nomen & celebritatem inde acquirit. *Esa. 9, 6.* vocatur nomen ejus *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis*: & *Ier. 23, 6. Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Iustitia nostra*: & *Esa. 62, 4.* dicitur de Ecclesia, *Non vocaberis ultra Derelicta, nec terra tua Desolata, sed vocaberis, Voluntas mea in ea, & terra tua Habitata.*

ut etiam de virgine marito nupta.

Quod virginis partus signi loco proponitur, & quidem cum admirationis particula, satis declarat, quam absurdi *Iudæi* sunt, qui per virginem intelligunt juvenem fœminam marito nuptam: nec enim tum signum fuisset ad fidem labantem constituendum, nec vero quid in ea re admiratione dignum accidisset.

Vers. 24.
Huic visioni paret Ioseph. ut divinitus immissæ;

Iosephus dicto Angeli paret, certus Dei hac in parte autoritatem intercessisse, & somnium hoc divinitus immissum esse, non autem ex naturalibus causis, ut alia insomnia. Istiusmodi enim somniis aurem aut animum adjicere, ut ex illis vel mala metuas, vel bona speres, superstitiosum est, & lege *Deut. 18, 10, 11.* vetitum: quo vitio hodie laborant *Anabaptistæ*, qui tanquam oracula venerantur, quæ homines parum aliquando sobrii somniant. In quo videmus Spiritum Sanctum nos docere, & testatum apud animos nostros relinquere, quodnam sit Verbum Dei, quod vero commentum satanæ: neque hujus rei judicium ab Ecclesia, vel ab Ecclesiæ Doctoribus petendum. Quis enim mortalium potuit Iosephum de hoc divino insomnio certiorem facere? Vbi Ecclesiæ judicium rectum accedit, fidem quidem nostram confirmat; sed fidei præcipuum fulcrum & statumen, non petitur ab hominum judicio.

contra Anabaptistarum somnia:

cujus obsequiū imitandum.

Deinde quod divina voluntate percepta, consilium suum, & quod apud se, post longam rei disceptationem, judicatum habebat, statim mutavit; obsequii est à nobis imitandi exemplum, à quo tamen sæpe disceditur. Nam homines se retexere nolunt, sed cum paulo deliberatius sententiæ alicui se addixerint, ab ea se difficillime dimoveri patiuntur. Seipsos enim, & suos fœtus & consulta, amant & deosculantur. Item, quod absque mora fecit, vide etiam exemplum Abrahæ, *Genes. 22, 3.* Sicut igitur jussus est Mariam ad se recipere, ita fecisse eum narratur.

Vers. 26.
Iosephus ante partum Mariæ cur eam non cognoverit?

Sed ne videatur eam omni ratione uxoris loco habuisse, & cum illa, ut alii mariti, consuevisse, expresse dicitur, *eum virginem non tetigisse, priusquam primogenitum suum,* Christum videlicet, *peperisset.* Nam si hic honos habetur viro defuncto, ut nemo viduam ejus gravidam ab ipso relictam attingat, priusquam posthumum enixa fuerit; multo magis hoc in isto cœlesti partu observari æquissimum erit. Et si mortalia semina in uno eodemque fœtu miscere turpe ducitur; multo magis Spiritus Sancti virtutem, cum mortalis corrupto semine confundere indignum fuerit; idque factum est, ne ulla ex parte à viro genitus putaretur.

an post partum incertum.

An post partum cum uxore consueverit, in medio relinquendum est; quandoquidem Spiritus Sanctus illud tacuit; ut antiquitas nimis severa censenda sit, quæ *Helvidium* hæreseos reum fecerit, quod post partum, Iosephum cum virgine consuevisse, & ex ea liberos suscepisse affirmat. Est enim ubi particula *donec* præscriptum & præcisum tempus notat, est etiam ubi non facit.

L V C. *Cap. 2. à vers. 1. ad 8.*

FActum est autem diebus illis, ut prodiret edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur totus terrarum orbis.

2 (Hæc descriptio prima facta est præsidente Syriæ Cyrenio)

3 Ibant igitur omnes ut describerentur, in suam quisque urbem.

4 Ascendit autem etiam Iosephus à Galilæa, ex urbe Nazareta, in Iudæam, in urbem Davidis quæ vocatur Bethlehema, propterea quod erat ex domo & familia Davidis:

5 Vt describeretur cum Maria desponsa sibi uxore, quæ erat prægnans.

6 Factum est autem quum essent illic, ut explerentur dies ad pariendum.

7 Peperit igitur filium suum primogenitum, & fasciis eum involvit, reclinavitque eum in præsepi: eo quod non erat eis locus in diversorio.

ANALYSIS.

CHRISTI nativitas in Bethlehem Iudææ arguitur primum ab efficiente causa, edicto *Cæsaris Augusti* de censu; quod describitur à subjecto, nempe totius orbis, ubi est synecdoche totius pro illa parte orbis, cui Romanus *Cæsar* imperavit; deinde ab adjuncto tempore, nempe interim dum virgo *Maria* uterum gestaret, ut est expressè positum Vers. 5.

Vers. 2. Post ab altero adjuncto temporis, nempe quod hic census esset primus; præterea ex tertio adjuncto temporis, scilicet cum Cyrenius Syriæ præfecturam obtinuit.

Vers. 3. Deinceps census describitur à subjecto loci, cujusque scilicet proprio, seu oppidulo seu urbe in qua natus est: præterea hujus edicti de censu effectus notatur, quod omnes edicto obsequentes se ad propriam urbem receperunt.

Vers. 4, 5. Hinc concluditur *Iosephum* cum *Maria* profectionem suscepisse Bethlehem usque; cujus profectionis finis indicatur, ut inter eos qui censebantur describerentur: causa efficiens notatur, quia essent ex familia *Davidis*; hoc autem syllogismo concluditur. Omnes Romano imperio subditi profecti sunt ad suas civitates ut censerentur; *Iosephus* & *Maria* erant subditi Romano Imperio; quamobrem & illi iter ad propriam civitatem susceperunt. Propositio habetur Vers. 3. Assumptio desideratur, Conclusio exprimitur, Vers. 4.

Vers. 6. Deinde nativitas Christi describitur sicut à causa sic ab adjuncto tempore, interim dum essent census gratia Bethlehemi; tum ab altero adjuncto tempore, cum justum mensium numerum, quo mulieres uterum gestare solent, implevisset.

Vers. 7. Post ab efficiente virginis partu, cujus effectus est Christi primogeniti in lucem eductio. Post nativitas arguitur ab adjunctis involucris, quibus infans à matre involutus est; præterea à subjecto loco præsepis, tumque cunarum ubi mater illum reclinavit: cujus reclinationis ratio notatur à disparatis, quod illi in diversorio locus non esset.

METAPHRASIS.

E*Odem ipso tempore quo virgo uterum gestavit, prodiit edictum à* Cæsare Augusto; *cujus edicti consilium, si* Cæsarem *respicias, sicut ex animi ambitione profluxit, quæ suas copias & vires ostentare voluit; sic hoc unum intuebatur, ut in censum referrentur Provinciæ, quotquot Cæsaris Romani sub jugo & ditione tenebantur: cujus quidem census hæc ratio fuisse videtur, ut singuli suum nomen, obsequium & censum profitentes, illud subscriptione propria testarentur, Sed si oculis à* Cæsare *deflexis ad Deum te & cogitationem tuam converteris, comperies Deum ex amore in populum* (Cæsare *vel ne per somnium quidem*
cogitante) de hujus edicti sensu sapientissime
constituisse, ut fidem de Messia ex oppido Be-
thlehem oriundo servaret: ob eam causam di-
co hoc effectum esse potius quam à Cæsare
Augusto, *ne Dei providentia, quæ singularis*
fuit, excluderetur. Hic census primus extitit 2.
tum cum Syriæ Cyrenius præsiderit, cujus mi- 3.
nisterio Cæsar *usus est ad hunc censum inter*
Iudæos perficiendum. Huic edicto congruenter 4, 5.
omnes se in viam dabant, quisque ad propriam
ubi natus est urbem, ut sub censum redigeren-
tur. Quamobrem Iosephus *Galilææ cum* Ma-
ria *conjuge, regione & urbe Nazaret, commi-*
gravit in Iudæam, ad civitatem Davidis, *quæ*
vocatur Bethlehem, quod à domo & familia
Davidis *originem duxerant: quod autem dixi*
de Cæsare, *per imprudentiam suo decreto im-*
plente quod Deus promisit, mirum videri non
debet, cum nec Iosephus *ipse aut* Maria, *ex*
Spiritus Sancti gratia tale aliquid cogitarint,
ut qui census modo causa hoc iter susceperint.
Interim vero dum Bethlehemi hærent, justum 6.
& consuetum pariendi tempus advenit: unde
virgo partum suum edidit, qui idem primoge-
nitus omnis creaturæ & unigenitus Dei Filius
est. Hunc cœlum & terram implentem virgo, 7.
tametsi puerperio admodum exhausta & de-
bilitata, omnibus maternis officiis, lavandi, la-
ctandi, & nominatim illum involucris de more
astringendi, & in præsepi tanquam in cunis
(quod in diversorio nullus illi locus repertus
est) reclinandi, prosequuta est.

PRAXIS.

MAria virgo cum marito, Bethleem, ut nomen suum profiteretur, ex Augusti Cæsaris decreto profecta, justis mensibus exactis, Christum eodem loci enixa, fasciis involutum in præsepi reclinat.

In quo agitur de { profectione Bethleem, & Christi nativitate.

In profectione causæ considerantur. { præcipuæ, administræ.

Et quidē si Augustum respicis, { efficiens causa, Ambitio, finis autem, Census.

Sed si Dei consilium intueris, { efficiens est, Amor Dei, finis est, ut Christus,

ex Prophetarum prædictione, cumprimis Micheæ, *cap.* 5. *vers.* 2. in Bethleem, civitate Davidis, nasceretur: qui enim nos à peccatis nostris assereret, non alio quam hoc loco

Quod Christus Bethleemi natus hinc verus Messias.

loco nasci potuit. Itaque necesse fuit, ut virgo, quæ in Galilæa, & in civitatula Nazarethe habitabat, in Iudæam, & civitatem Bethleem, tempore partus, traduceretur. Alterum igitur hoc vestigium est, quo ad Christum verum ducimur: alteramque hic notam puero impactam & impressam habemus, ex qua promissum Messiam esse dignoscimus: propago enim hæc, germen, seu malleolus, nullo alio solo provenire potuit, nisi solo Bethleeme; Sol iste, qui universum mundum illustraturus erat, nusquam alibi oriri poterat. Non est igitur leve, aut contemnendum fidei nostræ sustétaculum, quod eum, cui fides nostra innititur, ibi natum esse scimus, ubi Messiam ex Dei præscripto, & Prophetarum vaticinio, nasci oportuit. Quod quidem ex efficiente causa melius adhuc perspicietur:

quæ pro diversitate in hac actione cooperantium, diversa est:	hæc quidē princeps & moderatrix, Dei providentia oculata.	Augusti mandatū,
	illæ vero ministræ	& Iosephi & Mariæ eidē mādato obseq.

illud admirabili Dei providentia factum;

In Dei vero administratione, quam ideo oculatam & providam appello, quod hunc scopum implendi Prophetiam diserte sibi proposuit, & ad eum, tanquam ad metam, collimavit; observanda venit admirabilis Dei providentia & pervigilans, universum mundum ad veritatis suæ fidem, & Ecclesiæ suæ salutem moderans. Sicut enim prudens paterfamilias, in numeroso famulitio, ita singulis sua officia & operas attribuit, ut ad suum honorem, & ad paucorum filiorum familias commodum, & utilitatem omnia fere redeant & redundent: sic etiam Deus, in amplissima hac mundi familia, ita omnibus moderatur, ut ad suum honorem, & filiorum suorum fructum, singula revocentur.

Vers. 1, 2, 3. *quæ conspicua in Augusti jussu orbis descriptione,*

Sed hoc, quicquid est, melius exemplo Augusti & Iosephi, &c. intelligetur. Et quidem, primum Augusti; qui subjugatis plerisque populis, & devinctis ad eum modum multis gentibus, ut pacem illam, quæ nullis ante illud tempus seculis cognita est, constitueret: voluit ad nominis sui & victoriæ celebritatem, universum mundum censeri, ut singulis, nomina sua in illa civitate, ubi oriundi erant, profitentibus, & nummum subjectionis nomine pendentibus, quam late longeque dominaretur, & quam numerosi populi Imperator esset, facilius innotesceret. Et hoc quidem Octaviani Cæsaris, Augusti primo cognominati, institutum fuit. Deus vero, qui ex tenebris lucem educere novit, rem longe augustiorem hoc modo effecit, ejusque ad eam rem perficiendam tyrannide usus est. Ille libidinem suam explere voluit; sed Deus, hoc modo, sanctissimam voluntatem suam implevit; ille novum, & ante illud tempus inauditum capitis sui inventum executioni mandavit; sed Deus antiquissimum suum per Prophetas oraculum, effectum dare voluit: Cæsar imperium suum nobilitare simul, & stabilire decrevit; sed Deus imperium Filii sui, & stabilire, & proferre constituit. Quod idem de Præside Syriæ, & aliis Imperatoris ministris intelligi debet: hoc videre est in Iuda, Herode, Pontio Pilato, & Pharisæis; qui omnes imprudentes (ut Augustus hic) Dei voluntati in summa ipsorum rebellione obsequuti sunt. Hic notandum venit discrimen, inter justitiam Dei adversus scelera piorum & impiorum: Deus Davidis pii regis ambitiosum censum in unica Iudææ regione, illico formidabili pestis judicio ultus est: Augusti autem impii regis censum ostentationis plenum, late per Asiam, Africam & Europam diffusum, impunitum relinquit. Cujus discriminis, causa duplex assignatur; una, quod hic Tyrannus in tenebris ignorationis jacuit, Davide veritatis notitia illuminato. Altera, quod impiorum pœna (plerumque) ad seculum futurum reservatur, piis in præsenti seculo asperius castigatis.

Vers. 4. 5. *& Iosephi cum Maria Bethleemū hac de causa profectione;*

In Iosepho etiam & Maria idem considerandum venit; illis enim ne per somnium quidem in mentem venit, Christum Bethleemi nascendum esse. Nec nisi hoc edicto adacti, tantum tam importuno tempore iter suscepissent. In quo sicut Augusti Tyrannis singularis erat, ne prægnantibus quidem mulierculis parcens, & a tanti itineris molestia liberans; ita incredibilis Dei bonitas, hanc tyrannidem, ad summum piorum commodum dirigens, observanda: nec enim nobis profuisset ad salutem, si Iosephus ad Bethleem profectus, mater Christi in Nazareth reliqua fuisset: una etiam notandum, Christum ipsum jugum hoc servitutis nostra causa subiisse, ut in censum, tanquam Romani imperii mancipium, veniret. Tametsi vero tum Augustus, cum suis præbitoribus censoribusque, tum Iosephus cum sua conjuge, ministras operas decreto & consilio Dei implendo præbent, & quidem omnes imprudentes & inscii voluntatis divinæ: tamen

in utrisque tamen cum magno discrimine.

hoc interest, quod horum opera imprudenter collata promptissime præbita fuisset, si quidem hanc Dei voluntatem resciviissent. Eoque dubio procul, factum est, ut voluntate divina cognita, multum illis ex viæ & itineris fastidio detractum sit, vel potius penitus extersum: Augustus autem & ministri ejus, siquidem voluntatis divinæ gnari extitissent, omni ratione se ab ejus ministerio subduxissent. Ex quo elucet magis, quod superius observatum est, Dei longe vigilantissimam & oculatissimam esse providentiam, qui impiorum (obsequium ejus penitus detrectantium) opera, ad voluntatis suæ effectionem, illis non tantum imprudentibus, sed invitis utitur: unde nos consolari debet, & in fide promissorum Dei confirmare, cum non tantum pios scientes & imprudentes, sed impios etiam ad verbi sui complementum adhibeat. Exemplum habemus in Iosepho & Maria obsequii Christiani magistratibus prophanis, idque in mandatis eorum iniquis (sed tamen non ad obsequendum illicitis) præstiti: ex quo liquet esse quædam mandata, quæ imperatu illicita sunt, quibus legitimum obsequium præberi potest.

In Christi nativitate observātur, quedā illi
- cum cæteris infantibus communia:
- propria
  - magis
    - stabulo exceptus, & præsepi reclinat⁹.
  - & maxime, quod sit primogenitus creaturæ.

Communia sint quod
- justis mensibus exactis editus sit in lucem.
- involucris involutus sit, & constrictus.

Vers. 6, 7. *Christus in nativitate fasciis involutus,* Quorum sicut utrumque nos in vera Christi humanitate confirmat, ita posterius admirabilis cujusdam dispensationis est: eum, qui sævos ventos, effera maria, & indomitos dæmonum spiritus, verbo suo, tanquam catenis ferreis aut chalybeis, constringit atque coërcet, tam infirmis ex lino aut linteo fasciis arctari, & veluti captivum teneri: eum, quem totus mundus capere nequit, tantis & tam angustis spatiis arctari & veluti compingi; eum, sine quo nihil in cœlo, terra, aut inferis se movere possit, istis adstrigmentis ne se moveat, præpediri; gestatur, qui omnia verbo suo gestat; lacte matris nutritur, qui dat escam omnibus animantibus. *lacte matris enutritus,* Fasciis vero involutum, quod Lucas notat, συνεχῶς χυχᾶς intelligi voluit, eum communem cæterorū infantium conditionem subivisse. Hic notandus singularis amor matris, quæ partu Christi, sine obstetricis (ut videtur) ope debilitata, & pæne exhausta, hunc illum cunis involvendi laborem sumit: quod merito delicatulas nostras pudere faciat, quæ ne infantes quidem lactare, nedum in tanta virium destitutione fasciis involvere sustineant.

Magis propria, quod parentum tenuitate
- diversorio exclusus,
- &
- in præsepi reclinatus.

In quo primum incredibilem hominum ingratitudinem intueri licet; ut enim nescirent Christum Dei Filium: tamen, cum ex regia stirpe oriundum esse ignorare non possent, & ex ea familia, quæ non tantum de illis bene promerita erat, sed quam Deus hoc honore affici dignatus erat, ut inde Messiam proditurum prædiceret: bene certe ingratos esse oportebat, quos nihil horum ad tam mediocre officium humanitatis inflectere potuit, illi ut de commodo aliquo hospitio prospicerent: unde etiam efficitur, tantum abesse, ut mundus hunc Christi adventum suis meritis è cœlis devocaverit, ut eum tam barbara inhumanitate avertere & amoliri posse jure videatur. *& ex ingratitudinē hominum diversorio exclusus & in præsepi reclinatus;*

In Christo vero incomparabilis humanitas spectanda proponitur: fuisset enim infinita humilitas, è summo cœlo in terram descendere, vel ad Salomonis palatium; sed qui universi mundi, & creatione Dominus, & dispensatione hæres est, usque eo se dimittere, ut ne humilem quidem casam, ubi paulo commodius exciperetur, sibi reservarit; qui hominibus culcitras & molles lectos dat, qui cæteris animantibus sua latibula & nidos suppeditat, ubi suos fœtus & pullitiem commode educent; eum hoc solatio subsidioque caruisse, omnem hominum & Angelorum cogitationem infinite superat. *quæ omnia summam humilitatē spirant.* In quo videmus verum esse, quod Servator de se dixit; *Cœli volucribus esse nidos, vulpibus suas caveas & foveas, filio autem hominis non suppetiisse ubi caput reclinaret.* Item, quod Paulus dicit, *eum pauperem pro nobis factum esse*; nos enim promeriti sumus his omnibus vitæ subsidiis privari: quæ Christus in se transtulit, ut ejus paupertate ditesceremus. Deinde quod in stabulum compactus est, & in præsepi reclinatus, apparet eum, infra etiam hominem abjectum & indignum existimatum, qui inter homines ageret, & dignum, qui ad belluas relegaretur; sicut etiam in *Psal. 22, 6. eum vermem potius, quam hominem*

nem fuisse, & probrum hominum. Quod nos ad patientiam erudire debet, si quando nos Deus istorum commodorum desiderio exercere velit. Nec enim quod ullo jure, aut etiam æquitate conqueramur, habemus: dummodo nihil nobis, quod non prius Domino nostro obtigit, accidat: satis enim bene cum servo agitur, si deteriori loco, quam herus non sit.

Maxime proprium, quod *primogenitum* vocat Christum: sed vitio versionis ad Mariam refertur, ac si Christus illius primogenitus esset, quum hanc appellationem Deitatis respectu sortiatur; quod prior sit omnibus creaturis, ob eamque causam vere Deus, ut *Colos.* 1, 15. & *Heb.* 1, 3. *Quod primogenitus, ad Deitatem referendum.*

LVC. *cap.* 2. *à vers.* 8. *ad* 21.

8 *Erant autem pastores in eadem regione excubantes, & agentes vigilias noctis super gregem suum.*

9 *Et ecce, Angelus Domini supervenit ipsis, & gloria Domini circumfulsit eos: & timuerunt timore magno.*

10 *Tunc dixit eis Angelus, Ne timete: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo:*

11 Nempe *natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis.*

12 *Hoc autem vobis signum* erit, *Invenietis infantem fasciis involutum, jacentem in præsepi.*

13 *Et repente adfuit cum Angelo multitudo exercituum cœlestium, laudantium Deum, & dicentium.*

14 *Gloria in* cœlis *altißimis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia.*

15 *Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, tunc pastores illi dicerent alii ad alios, Eamus sane Bethlehemam usque, & videamus factum istud quod Dominus notum fecit nobis.*

16 *Venerunt igitur festinantes, & invenerunt Mariam & Iosephum, & infantem jacentem in præsepi.*

17 Eo *autem viso, divulgaverunt* id *quod dictum fuerat ipsis de puerulo illo.*

18 *Et omnes qui audierunt, mirati sunt ea quæ ipsis dicta fuerāt à pastoribus illis.*

19 *Maria vero ista omnia conservabat, conferens* ea *in corde suo.*

20 *Reversi sunt autem pastores, glorificantes & laudantes Deum super omnibus quæ audierant & viderant, prout ipsis dictum fuerat.*

21 *Et quum advenisset dies octavus ad circumcidendum puerulum, vocatum est nomen ejus IESVS, quod vocatum fuerat ab Angelo priusquam ipse in utero conciperetur.*

ANALYSIS.

Patefactio nativitatis Christi describitur primum à subjectis pastoribus, qui describuntur à subjecto loco, ubi erant, agro *Bethlemitico*, 2. ab adjuncta cubatione in agris, 3. à relatis excubiis & custodia gregis, 4. ab adjuncto tempore quo excubias egerunt, nempe noctu.

Vers. 9. Efficiente instrumentali Angeli ad eos apparitio, describitur, 1. adjuncta admirationis nota, 2. ab effectu Angeli, qui illis adstitit, 3. ab adjuncto splendore Dei quo fulgebat, 4. ab effectis hujus tam subitæ exhibitionis & gloriosi splendoris, timore pastoribus injecto.

Vers. 10. 5. Ab effectu sermonis, quo perterritos pastores consolatur. Hujus consolationis causa materialis describitur nuncius lætus, qui 1. adjuncta nota attentionem excitante, 2. adjuncta magnitudine lætitiæ, 3. à subjecto populo universo, ad quem hic nuncius lætus spectat.

Vers. 11. Hujus nuncii læti causa materialis assignatur Servatoris nativitas, quæ describitur ab adjuncto temporis & subjecto loci: ubi prolepsi, seu occupationi unde constaret eum esse Servatorem, respondetur ex adjuncta natura humanitatis, qua unctus est, & divinitatis, qua Dominus est.

Vers. 12. Alia prolepsis à disparatis, non esse verisimile eum esse Christum & Dominum, qui constrictus involucris in præsepi jacet, tanquam in cunis, Respondet à comparatione majoris, non modo

modo hoc non pugnare cum natura Domini & Messiæ, ut illis hoc indicio futurum foret, quo illum talem esse agnoscant.

*Vers.*13. Quæ abjecta Christi conditio ne illis offensaculo esset, Deus cœlesti testimonio Angelorum hoc confirmat; quod testimonium amplificatur ab adjuncto tempore, illico atque Angelus hoc illis signum dedisset, & adjuncto numero, quod Angelorum exercitus hoc testatur; præterea ab adjuncta laude, qua Deum ob ejus nativitatem celebrant.

*Vers.*14. Laudis species adnectitur, quæ complectitur primum finem gloriam, quæ Deo debetur, & effecta pacis & fœlicitatis, quæ ad homines pervenit: cujus causa efficiens est, Dei erga homines beneplacitum.

*Vers.*15 Obsequium pastorum dicto Angeli describitur ab adjuncto tempore, illico atque Angeli in cœlum se recepissent, 2. ab adjuncta mutua adhortatione ad hoc obsequium, 3. à fine, ut rei veritatem, de nuncio quem acceperant, cognoscerent.

*Vers.*16. 4. Ab adjuncta festinatione, 5. ab effectis, quod invenerunt infantem in præsepi jacentem, 6. ab adjuncta solitudine Christi, cui *Maria* & *Iosephus* modo adfuerunt.

*Vers.*17. Deinde notatur effectus pastorum, quod rem omnem spectabant & intuebantur; item alter effectus, quod rem omnem evulgârunt, quam ab Angelo audiverant & viderant.

*Vers.*18, & 19. Cujus prædicationis effectus notatur, admiratio auditorum omnium; ubi *Mariæ* virginis pietas exornatur à comparatione majoris, non tantum admiratam esse, ut alii, sed animo asservasse & illa inter se contulisse.

*Vers.*20. Describitur pastorum reditus ad greges ab adjuncta glorificatione & laudatione Dei; quæ laudatio describitur à causis, scilicet 1. visis, 2. auditis, & 3. fide & veritate Dei, qua effectum est, ut res ita eveniret quemadmodum dictum est.

*Vers.*21. Describitur circumcisio Christi, 1. ab adjuncto tempore octavi diei, 2. ab adjuncto nomine IESVS illi imposito; quod arguitur ab efficiente instrumento, Angelo; deinde ab adjuncto tempore, antequam in utero Matris conceptus est.

METAPHRASIS.

8. E*Odem ipso tempore quo Christus in hanc lucem editus est, pastores in* Bethlemitico *agro cubabant, excubias etiam noctu agentes, ut gregem suum à noxiis & voracibus bestiis (quæ illis regionibus passim grassabantur)*
9. *custodirent. Atque, tanquam in re admirabili, animum quæso advertite. Angelus beatus præteritis summæ nobilitatis & doctrinæ viris, ex insperato pastoribus adfuit: quos Domini gloria Angelo adhærens undique circumfulsit, unde*
10. *timore magno perculsi sunt. Quamobrem eos*
11. *Angelus affatur, dicendo; Nolite timere; advertite enim me nuncium missum ad vos magni gaudii, quod se tam late diffundet, ut omnis cujuscunque gentis & nationis populus, illius beneficii particeps futurus sit. Hoc ipso namque die* Bethlemi, *vestro maximo commodo in lucem editus est* Servator; *non qualis olim Deus sæpius, maxime Iudicum tempore excitavit, ut populum è temporali servitute emanciparet; Sed Messias tantopere per Legem & Prophetas celebratum, qui & cœli terræque Dominus, suum sibi fidentem populum ad plenum servare novit. Infantem quidem inve-* 12.
nietis fasciis constrictum de more aliorum infantum, & quod majus est, infra aliorum infantum sortem, in præsepi, tanquam in cunis jacentem: tantum tamen abest ut hoc illi Servatoris partes detrahat, aut vobis fidem in illum deroget, ut hoc ipso tanquam signo eum pro Christo Domino & Servatore agnoscatis, ut qui voluerit pro nobis pauper fieri, & servi non Domini formam accipere. Quod Angeli 13.
dictum ne pastorum fidem labefactaret, ilico Angelo se conjunxit magna Angelorum multitudo, qui læti hujus infantis nativitate Deum prædicabant in hunc modum; Deo in 14.
altissimis locis gloria ob hanc Filii sui nativitatem, utcunque specie humilem & abjectam, debetur; ad homines vero inde redundabit tranquilla animorum à peccati morsu pax, quæ unicæ Dei gratuitæ gratiæ & beneplacito accepta ferenda est. Nec prius se Angeli in 15.
cœlum disparendo receperunt, quam Pastores mutuis hortamentis sibi stimulos ad iter imperatum addiderint: pergamus (inquiunt) Bethlemum *usque, ut videamus rem hanc quæ gesta est, quam non tam Angelus quam Dominus, Angeli ministerio nobis declaravit.* 16.
Abierunt igitur (ut in re magni momenti) citato gradu, desertis gregibus, & Dei custodiæ & voluntati resignatis, ut quod ipse vellet, fieret: & appellentes Bethlem, *infantem inveniunt præsepi recubantem, in summa solitudine & destitutione; ut cui* Iosephus *&* Maria *adfuerint ad ea officia præstanda, quæ infanti recens nato & puerperæ exhibenda erãt.*
Circumspectis & diligenter omnibus lu- 17.
stratis, rem omnem, quæ illis ab Angelo annunciata fuit, de puerulo narrabant. Quibus 18.
auditis omnes ad unum quotquot audiverant admiratione correpti sunt, Domino per Spiritum cooperante, ut nuncium, quantumvis ab obscuris & illiteratis pastoribus propositum, non contemnerent. Maria *vero non tantum* 19.
rerum quæ narrabatur admiratione commota est: sed porro illa omnia studiose & memoria retinebat, & illa cum inter se, tum cum his quæ prius ab Angelo, Elizabetha *&* Zacharia *hauserat, composuit, comparavitque. Pasto-* 20.
res vero cum & fidem suam confirmassent, & alios

alios prout usus erat, & occasio oblata est, certiores de his quæ viderant & audiverant, fecissent, ad suorum gregum curam & custodiam reversi sunt; de omnibus quæ viderant & audierant, tum Deo gratias agentes, tum vero ejus laudes decantantes; maxime cum in illis omnibus, Dei fidem & veritatem perspectam & cognitam haberent.
21. *Cum octavus dies advenisset, quo ex Dei præscripto masculi omnes, ex populo Dei oriundi, circumcidendi sunt; Christus etiam, utcumque nulla ne minima peccati labe aspersus fuerat, tamen ut legem pro nobis impleret, circumcisionis ritui se submisit. Quo etiam tempore de more & laudabili Ecclesiæ consuetudine, nomen* IESUS *illi à parentibus inditum est. Quod quidem illi non proprio impulsu, sed Dei per Angeli ministerium authoritatem sequuti, fecerunt; qui hoc illum nomine vocandum censuit, priusquam in utero matris conceptus est, ut* Iosiam *regem & typum suum exprimeret, qui Ecclesiæ instaurator futurus, nomen à Deo, antequam natus est, inditum habuit.* 1 *Reg.* 13.

PRAXIS.

SUmma est promulgatio nativitatis Christi.

In nativitatis promulgatione consideratur { Angelorum & Pastorum } opera.

Hactenus fuerunt omnia in Christi nativitate obscura & despicabilia. Natus in civitatula, matre in speciem ignobili, cui pro triclinio, stabulum est; pro cunis, præsepe, nullius amicorum aut vicinorum concursus (ut in Iohannis nativitate vidimus) mentio, nulla Mariæ congratulatio, non magis quam si bubulcis aliquis filius in lucem editus fuisset. Quod ne cui scandalo justo esset, Deus sollicite cavet, dum Angelorum apparitione & præconio, Filii sui in mundum adventum exornat. Tametsi igitur tam incredibilis beneficii, in terris altum & ingratum sit silentium, tamen cœlum universum commovetur; & quanquam homines in hac Dei munificentia elingues & muti sint, in ea tamen deprædicanda, Angeli diserti extiterunt: Deo incomparabilem mundi thesaurum in lucem proferente, homines nec sibi gratulantur, nec Deo gratias agunt: Angeli vero, quorum minus hoc interest, & hominibus gratulantur, & Deo laudes canunt. Denique ut in regum filiis natis, publica gaudii testimonia imperantur, ita summi Regis filio nato, universi cœli imperium lætis vocibus personat. Quanto autem est cœlum terra præstantius & augustius, & hominibus angeli, tanto ab hoc cœlesti apparatu vincuntur omnes omnium ætatum pompæ & triumphi, qui celebrandis & honestandis hominibus adhibiti & comparati sunt. Ignobilitatem igitur & contemptum natalitiorum Filii sui, Deus hoc modo nobilitare voluit. Apparet autem hunc esse Angelorum dominum, cujus ad ministerium Angeli, tot numero, & toties adhibentur.

Ex Angelorum apparitione summa majestas Christi nativitati accedit;

Quanquam parum hoc prudenter & apposite, ad gloriam nativitatis Christi asserendam, factum videri poterit, quod cœlestis hic apparatus in agro, non in urbe; noctu, non interdiu; paucis, potius quam magnæ hominum frequentiæ; pastoribus ignobilibus & illiteratis, potius quam principibus & doctrina excultis declaratus sit. Quod si quis dicat illos indignos fuisse, quibus innotesceret, excipi potest fuisse quosdam integros & incorruptos, ut Zachar. &c Hic igitur admirabilis Dei sapientia spectanda proponitur, hominum sapientiæ plane contraria, quæ ad maximas & maximi momenti res perficiendas, minima quæque & contemtissima delegit, ut hominibus adempta, Deo omnis in solidum, gloria tribueretur. Et quidem illum, ut servum in mundum venire conveniebat, non ut principem; ut reum & Iudici sistendum, potius quam ut Iudicem. Ex quo apparet, quam futilis Euangelii calumnia erat, quæ olim renascenti Euangelio objecta est; vestiarios & opifices illius tantum professores fuisse. Quod nocturnas excubias pro gregibus ovium notat, condemnabit nostra idola, qui pro Christi grege periclitante, nec interdiu, nec noctu excubias agunt. Quod vero Pastores noctu excubias egerunt, concludi posse videtur, Christum hyeme non esse natum: quandoquidem hyeme, non in agris, sed in stabulis suas pecudes pascebant, quo de vide *Prov.* 27, 25. Quo etiam refertur, quod verisimile non est, Augustum mansuetum & æquitatis plenum principem, voluisse tam duro tempore, omnes, tributi causa, longa & molesta itinera suscipere. Longe vero certissima ratio peti potest ex tempore, quo Elizabetha uxor Zachariæ concepit, initio noni mensis: quam Maria, sex post mensibus subsequuta, abunde declarabit, partum Christi in æstatem incidisse: vide de hac re *Wolphium,* quendam Chronologum.

Vers. 8. in cujus promulgatione Dei sapiens consilium spectandum:

quæ æstivo tempore contigisse videtur.

In Angelorum vero opera consideratur ministerium { Christi exponentis, & cæterorum acclamantium, & concinentium testimonium.

Verſ. 9. *Ex circumfuſione gloriæ Dei, fides Angeli nuncio additur,*

In priore apparitione, præter ea, quæ prius annotata ſunt, obſervandum eſt, quod dicitur *gloria Dei circumfuſos* fuiſſe Paſtores, qui adverſus luporum, & aliarum beſtiarum gregibus infeſtarum inſidias, excubias noctu egerant. Sicut enim Angelum Domini appellârat, ita Domini gloria & ſplendore circumſeptum eſſe docet, ut fidem nuncio adderet. Angeli igitur nullum proprium ſplendorem ſed precarium & aſcititium habent à Chriſto, cujus miniſtri ſunt. Quod ob eam cauſam obſervandum eſt, ne ſplendore Angelorum pellecti, in amore erga Chriſtum frigeſcamus: eoque id cavendum magis, quo Iohannem Apoſtolum magnum Theologum, hic deceptum legimus. Quod autem de ſplendore eorum dicitur, idem de ſapientia, potentia, agilitate &c. intelligitur. Sicut autem nobilis viri ſatellites, ejus ſumptibus nitide & ſplendide veſtiti, magnificentiæ Domini teſtes, illius dignitatem hominibus quaſi loquuntur & enarrant: ſic & Angeli Gloriam Chriſti.

Verſ. 10, & 11. *cujus gaudium incomparabile.*

In nuncio Angeli, primo, gaudii maximi ſe nuncium eſſe prædicat; poſt cauſam, in qua gaudium hoc firmatum & fundatum ſit, adjungit. Quantum autem hoc gaudium ſit, *Eſa.* 9, 3, 4. docetur à comparatis ſuperiorum gaudiorum, quibus populus à Deo exhilaratus eſt. Illius autem comparationis duas partes, ſeu capita conſtituit: gaudia autem ſuperiora fluxa fuerant, quæ ex victoria aut liberatione aliqua redundarunt, hoc autem gaudium conſtans & perpetuum eſt, *Gaudium veſtrum nemo tollet*, *Ioh.* 16, 22. Deinde alia gaudia magnis difficultatibus & periculis, populi cæde parta ſunt, ut meſſis ſudore, & ſpolia ancipitibus conflictibus: hoc autem ἀναίμακτι καὶ ἀκονιτί fiet pueri ſcilicet nativitas, ut in Propheta ſequitur: quod ſi Abraham videns, & è longinquo proſpiciens diem Chriſti gaviſus ſit, *Ioh.* 8, *v.* 56. quanta nos lætitia perfundi oportet, qui illum veluti coram oculis præſentem cernimus? Tantum igitur nobis gaudium ex Chriſti nativitate affulſit, quantum per univerſum annum, adque adeo vitæ curriculum ſatis cumulate gaudere nequimus: nedum duodecim anni diebus. Nullum igitur gaudium eſt, quod cum hoc gaudio contendat; nec ullus tantus dolor & calamitas homini Chriſtiano accidere poteſt, quem hoc gaudium debite animis noſtris affuſum non demulceat, aut etiam abſtergat. Cæterum alia omnia gaudia, quæ in illo non fundantur, futilia & vana ſunt, & cito tranſeunt. Quod ſi ex nativitate jam patefacta, tanta lætitia provenit, ex paſſione, reſurrectione, &c. jam impletis, quam omnibus numeris cumulatum gaudium eſſe debet? ſed tum demum gaudio afficimur, cum Chriſtum non tantum natum; ſed nobis natum, crucifixum &c. eſſe, compertum habemus. Quamobrem demus operam ut ejus ſalutem in cordibus noſtris ſentiamus, & ut in animis noſtris per Euangelii prædicationem naſcatur, & adoleſcat.

Verſ. 12. *Signum nativitatis Chriſti anticipat Angelus, ne fidem adimat.*

Signum vero, quod adjungit Angelus, non eſt portentum aliquod, quo eorum fides vacillans confirmaretur, (nam illud cum circumfulgente illos Dei ſplendore ante, tum acclamantium Angelorum choro factum) ſed nota quædam, ſeu indicium, quo Chriſtus agnoſceretur. Anticipat vero, quod paſtorum fidem quatere potuit, perinde, ac ſi diceret, neque fidem veſtram impediat, quod eum in tanta infirmitate & paupertate offenſuri eſtis; illud enim vobis ante prædico, ne ſcandalum vobis pariat. In quo videmus Angelos ipſos non puduiſſe, eum ſuum Dominum confiteri, qui faſciis involutus eſſet, & in præſepi reclinatus; ne igitur nos pudeat, maxime cum jam in cœli palatium, & quidem ad Patris dextram, ſubvectus ſit.

Verſ. 13. *Ex Angelorum cantione nobis etiam hymnis ſacra facienda;*

Angelorum vero exercitus, incluſum gaudium ſacra cantione proferentes, nos docent, quomodo nobis Chriſti natalitia celebranda ſunt: non in crapula, ebrietate, non ſaltationibus & inſulſis cantilenis & inſipidis, non irregulari (quod ajunt) domino, & aliis partim ineptiis, partim impiis exercitiis &c. ſed cantionibus ſacris, hymnis, &c. Cujus rei exemplum omni exceptione majus habemus in Angelis, ad quorum obſequium conformari precamur quotidie, ut tandem etiam in regno cœleſti ἄγγελοι ſimus. Nec enim, niſi hic in terris agentes, eorum exemplum in pietate & cultu Dei imitemur, illis in cœleſti gloria cōmunicabimus. Quod ſi Angeli, quibus natus non eſt, hoc gratiarum actionis officium Deo præſtiterunt; quid à nobis fieri, quorū cauſa natus eſt, æquum eſſe cenſemus?

In cantione obſervatur { Propoſitio, gratiarū actionis Deo in altiſſimis cœlis. & αἰτιολογία, quod hominibus gratuita pax ſit.

Deum

Vers. 14. *hæc omnia beneficia per Christũ parta compectitur,*

Deum autem laudandum esse totus mundus, & quæ in eo fiunt singula, testis est, ut qui ejus causa creata sunt; maxime vero illud in Ecclesia fieri debet, *Ephes.* 3, 1. Deo, qui Filium in mundo nasci voluit gloria debetur: omnis enim laus, vel ad minimam ejus particulam, quæ Deo ab Ecclesia speciali ratione debetur, in Christi incarnatione fundata est. Nam gloria, quam Paulus ex prædestinatione, electione, vocatione, justificatione & sanctificatione ad Deum redundare docet, nisi in Christi incarnatione, ubi consistat locum non habet. Atque adeo nulla promissio Dei nobis facta, sive de rebus præsentibus, sive de futuris, sive ad hanc, sive ad futuram vitam spectantibus, complementum & suum Amen uspiam recipit, nisi in Christo. Denique in Christo, & quidem incarnato, hæredes sumus mundi, ut nihil sit, nec in hoc mundo, nec in futuro, quo jure nos frui liceat, nisi in eo. Quorum quidem beneficiorum summa, in hanc cantionem refarserunt Angeli; cum dicunt pacem per Christum hominibus partam, ut *Ephes.* 2, *vers.* 14. eamque cumprimis cum ipso Deo, quem nobis infensum peccata nostra reddiderant, deinde cum hominibus; princeps enim pacis dicitur, *Esa.* 9, 6.

quæ ex mero Dei beneplacito fiunt.

Hæc hominibus præstantur mera Dei voluntate & beneplacito, nullo eorum merito; non quod illi hoc voluerint, sed quod Deus voluit. Qui igitur merita hominum in Ecclesiam invehunt, Dei gloriam extinguunt & exterminant: deinde qui pacem hominibus cum Deo hæsitatione convellunt, hi gloriam Dei labefactant.

Vers. 15. *Pastorum obsequium in adhortationibus mutuis sine mora notandum;*

Nunc alia pars promulgationis sequitur: in qua Deus opera pastorum usus est, qui primum ex charitate ad obsequium mandati de Bethlemo adeundo mutuo se cohortantur, *Hebr.* 3, 13. *Esa.* 2, 3. 1 *Joh.* 3, 11, *ad* 19. in primis quos Deus vivendi similitudine, & vicinitate conjunxit, aut affinitate, ut *Ioh.* 4, 28, 29. Samaritan., *Matth.* 9, 10. Matthæus publicanos & peccatores; Cornelius amicos, &c. *Actor.* 10, 24. Sicut enim in cæteris cunctis, nautæ & messores se mutuo hortantur, &c. Hic vero non remoratur cura gregis, & metus ne à lupis, &c. vorentur, quemadmodum neque hoc faciendum, quoties vocatio nostra fert: nam cura in Deum jactanda, & promissione fides nostra munienda, quæ habetur, quærite regnum cœlorum. vide *Exod.* 34, 23, 24. Quod eunt spectatum & exploratum, an res ita esset, non pugnat cum fide, sed fidei augendæ præsidium est, & veræ fidei indicium: quæ, quoniam semper est imperfecta, semper quærit præsidia. Vide prius in exemplo Zachariæ, *Luc.* 1. inchoatæ argumentum, sic *Actor.* 17, 11. Quod disparuerunt, probat Angelos fuisse. vide *Iudic.* 6, 21.

quibus testimonium Angelorum fuit indubitatum:

A subjecto autem loco Angelos hos fuisse beatos spiritus affirmat; ut hoc modo testimonium haberemus omni exceptione majus, ut qui mentiri nequeant. Cum enim immundi spiritus in aëre sint, seseque in Angelos lucis aliquando transforment, peropus erat, ut hoc modo ab illis interrogarentur, quod illi in cœlis non sint, Dei cum dicta, tum facta, *βάσανον* & explorationem patiuntur, ut purum aurum non refugit lydium lapidem. Hic usus etiam sacramenti commode doceri potest; ut illa & videamus & gustemus, & quodammodo tractemus, hæc sunt exercitia natalitiorum. Notandum etiam, quod ad Deum referebant, quod ab Angelis audiverant. Quod si nos imitaremur in ministerii usu, nunquam auderemus tam dissolute audire & oscitanter, neque tam frigide obsequi, cum tamen nihilo minor est hæc autoritas. Quod dicunt eundum ad Bethleem, cum Angelus dixisset natum Christum in civitate David, eorum in Scripturis peritiam arguit.

Vers. 16. *ideo festinanter occurrunt,*

Quod festinabant &c. docet diligentiam, & ardorem in persequendis his, quæ ad Dei regnum spectent; *Psalm.* 119, 60. *Festinavi, non cunctatus sum.* vide *Rom.* 6, 19. *cum* 3, 15.

Vers. 17. *ac visa & audita aliis prædicant;*

Docetur hinc, non nisi comperta proponenda esse in Ecclesia, ut Apostoli visa & audita. Sic enim & majori gratia dicuntur, & fructu audiuntur: hoc docet nos esse oportere *κοινωνικῶς* in his spiritualibus præsertim divitiis, & quod intus in corde credimus, ore confiteri. Nec tamen hoc exemplo, privati homines ausint sibi dicendi partes assumere.

Vers. 18. *idque cum singulari effectu,*

Singulari virtute Deus suum verbum in ore pastorum subsequitur; sine qua rem tam incredibilem, à plebeque & obscuris hominibus dictam, penitus contempsissent, & ludibrio habuissent homines. Quod confirmat à Deo missos, & nos docet, ut veritati, propter se, non propter personarum dignitatem, qui nuncium perferunt, credamus.

Vers. 19. *atq; etiam fructu:*

Fructus perceptio concionis hic notatur; non enim solum requiritur præparatio ante auditum verbum, dispositio in auditione, sed etiam fructus perceptio post, quod ut

fuit

fuit &c. atque hoc opponitur fructui, qui percipitur ab impiis; ut rem admirabilem admirantur: sed &c. Confer hunc versum cum *Gen* 37, 10, 11.

Vers. 20. *post ad opus revertendum cum suo reditu docent.*

Quod redeunt ad pristinam vocationem, docemur professionem hominis Christiani non pugnare cum opere & artificio exercendo, ut *Anabapt.* ajunt. Quod autem glorificabant Deum, in eo Angelos imitantur, & nobis exemplum relinquunt, quomodo festum natalitiorum pie & Christiane celebrandum est; & quomodo inventa vera Dei notitia, Deum illius beneficii autorem celebremus.

Vers. 21. *Christus fuit circũcisus ut legẽ & promissiones impleret.*

Sequitur alia revelatio Christi, ordinaria circumcisionis administratione; quæ facta dicitur *octavo die, ex legis præscripto*, unde etiam περιτομῇ ὀκταήμερος, *Philip. c.* 3, *v.* 5. laudatur. Quod idcirco observatur, ut sciamus Christum legi per omnia obsequentem, legem implevisse pro nobis; deinde quod circumcisionis Sacramento Christus venturus adumbrabatur, & novum, & incorruptum ex semine Abrahæ semen proseminandum significabatur: sicut Isaci extraordinaria nativitas circumcisione obsignabatur; quæ quidem in Christo ex Spiritu Sancto concepto plenissime expletur. Sacramenta enim significabant non benedictionem solum, quam in Christo consequimur, sed ipsum Christum: ut petra Christum, & Manna, simul cum nostra in Christo pastione. Hanc sua circumcisione profligavit, veluti umbram corpus pellit, *Gal.* 4. Huc accedit, quod ex virtute circumcisionis Christi, vetus noster Adamus exuitur, *Colos. c.*2, *vers.* 11. ut circumcisionis veritas à Christianis hominibus sit colenda. Significat enim tum justificationem, tum sanctificationem, ut baptismus.

Quæ cætera hoc loco dicenda sunt, ex superioribus petenda erunt.

MATTH. *cap.* 2. *à vers.* 1. *ad* 13.

Q*Vum ergo natus esset IESVS in* ea *Bethleema* quæ est *Iudææ, temporibus Herodis regis, ecce, Magi ab Oriente advenerunt Hierosolymam,*
2 *Dicentes, ubi est ille rex Iudæorum qui natus est? vidimus enim ejus stellam in Oriente, & venimus ut adoremus eum.*
3 *His autem auditis Herodes rex turbatus est, & tota Hierosolyma cum eo.*
4 *Et congregatis omnibus primariis sacerdotibus, & scribis populi, percontatus est ab eis ubi Christus ille nasciturus esset.*
5 *At illi dixerunt ei, In* ea *Bethleema* quæ est *Iudææ. Sic enim scriptum est per Prophetam,*
6 *Et tu Bethleema terra Iudæ, nequaquam minima es inter duces Iudæ. ex te enim exibit dux, qui pascet populum illum meum Israëlem.*
7 *Tum Herodes clã vocatis Magis, exquisivit ab eis quo tempore stella apparuisset.*
8 *Et eis Bethlehemam dimissis, dixit, Profecti, penitus exquirite de puerulo illo: postquam autem* illum *inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam & adorẽ eum.*
9 *Ipsi vero, audito rege, profecti sunt: & ecce, stella quam viderant in Oriente, præibat eis, donec venit stetitque supra* locum in *quo erat puerulus ille.*
10 *Visa autem stella gavisi sunt gaudio magno valde:*
11 *Et ingressi domum, invenerunt puerulum cum Maria matre ipsius: & prostrati adoraverunt eum: apertisque thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, & thus, & myrrham.*
12 *Et divinitus admoniti in somnio ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam.*

ANALYSIS.

DEscribitur Magorum ad Christum profectio. 1. ab adjuncto tempore, post natum Christum Bethlemi oppidi Iudææ. 2. ab altero adjuncto temporis, cum regnaret *Herodes*. 3. ab adjuncta nota admirationis vel animadversionis. 4. à subjecta plaga mundi oriente. 5. à subjecto loco per quem iter fecerunt, Hierosolyma.

Vers. 2. Cujus quidem per Hierosolymam itineris causa

ris causa finalis subindicatur, ut ibi tanquam in totius regni Theologorum Collegio percunctarentur, ubi Christus nasceretur: quem describunt ab adjuncta regia potestate, quam amplificant ab adjuncto tempore scilicet nativitatis, quod rex natus sit: post causam efficientem itineris designant, stellæ ejus in Oriente apparitionem, & causam finalem, ut illum tanquam Regem Regum adorarent.

Vers. 3. Hujus quæstionis propositæ effectus 1. est turbatio *Herodis* & civium Hierosolymitarum.

Vers. 4. 2. Synodi coactio; quæ describitur ab efficiente causa *Herodis* authoritate, 3. à subjectis præcipuis Sacerdotibus & Scribis, 4. à fine ut ab eis rescisceret ubi Christus nasceretur.

Vers. 5. Synodi responsum est, Christum nasciturum in oppido Bethlemi; quod à disparatis circumscribitur, nempe Bethlehem in tribu Iudææ, non autem Galilææ in tribu Zabulon.

Vers. 6. Et confirmatur divino Prophetæ testimonio; quod & oppidum Bethlemi exornat, 1. à comparatione majoris, quod aliæ urbes illi dignitate inferiores essent, 2. hæc comparatio corroboratur ab adjuncta Christi nativitate, quæ etiam 3. exornatur ab adjuncto principali, cujus effectus notatur, rectio & gubernatio populi; denique principatus ejus amplificatur, à subjecto nobili Israële.

Vers. 7. Vafrum & simulatum *Herodis* consilium describitur 1. ab adjuncto tempore, tum cum Synodi responsum accepisset, 2. ab adjuncta Magorum clancularia advocatione, 3. ab effectis, accurata à Magis inquisitione quando stella primum apparuit.

Vers. 8. 4. Ab alio effecto, Magos amandandi, 5. ab alio effecto, illis edicendi, primo ut accurate de puero inveniendo operam ponerent: deinde ut illi in reditu, ubi esset renunciarent; quod simulato fine arguitur, ut puerum *Herodes* adoraret.

Vers. 9. Describitur profectio Magorum ab urbe *Hierosolymitana*, ab adjuncto tempore cum *Herodis* mandata accepissent, 2. ab adjuncto stellæ, quam viderant antegressu, 3. statione vel consistentia; quæ describitur à subjecto loci, ubi puerulus erat, quæ adjuncta nota admiratione exornantur.

Vers. 10. Hujus stellæ quæ disparuerat apparationis effectus describitur, Magorum gaudium; quod adjuncta magnitudine amplificatur, & magnitudo adjuncta vehementia.

Vers. 11. Magorum effectus describitur, Bethlemi ingressus in domum ubi puerulus cubabat, 2. quod eum invenerunt; quæ inventio ab adjuncta solitudine describitur, quod nemo illi adesset præter matrem, 3. adoratio, 4. oblatio, quæ describitur à partibus auri, thuris & myrrhæ.

Vers. 12. Denique reditus per aliam viam narratur; cujus causa notatur, quod in somnis oraculo admoniti sunt, ne per *Herodem* domum redirent.

METAPHRASIS.

1. *Rem vobis multis modis admirandam expositurо, quæso auribus & animis adeste. Quia autem plurimum nostra interest, noto circumstantias, ut rei veritas magis inclarescat, tum vero ut innotescat, hoc illud tempus esse quo Christus in lucem edendus erat. Magi etenim Christo in lucem* Bethlemi *edito, ab Orientali plaga (si* Iudæam *respicis) veniunt Christum quæsitum: tempus vero regni* Herodis *expresse appono, qui mox à Christo nato totum 72. virorum in Iudæa principum interfici curavit; quod veritas prædictionis* Iacobi, *de Christo prius venturo, antequam sceptrum* Iehudæ *penitus contritum & confractum foret, hoc modo liquido constat. Cur autem Hierosolyma veniunt, quæ urbs illis à patria Bethlemum proficiscentibus devia videtur, causa est, quod stella, quæ Spiritus Sancti instinctu illos se itineri committere impulit, inter eundum disparuerat. Quamobrem ad hanc urbem* 2.
tanquam ad oraculum divertunt, & confidenter percunctantur, qui locus est ubi Christus, ab ipsis etiam incunabulis & utero Iudæorum rex, in lucem ederetur. Nam vidimus stellam nunquam prius visam, cum in oriente essemus, quam non dubitamus ejus stellam appellare, nobis intus in cordibus Spiritu Dei dictante, hanc stellam ad ejus nativitatem indicandum recens creatam esse. Hoc autem tam longum iter suscepimus, ut coram illo procumbendo, eum ut Regem Regum adoremus.

Herodes *vero cum civibus Hierosolymitanis hoc audito, illico consternati & perterriti* 3.
sunt. Herodes *quidem vano metu, ne regali solio moveretur; Hierosolymitani vero, ne quid turbarum daretur novi regis (Messiæ viz.) surrogatione.*

Quamobrem Herodes *Synodum ex Scribis* 4.
& præcipuis Sacerdotibus cogens, ab illis locum ubi Christus nasciturus est, percunctatur. Respondet Synodus Bethlemi nasciturum. Quam 5.
sententiam Prophetæ testimonio confirmat. Et 6.
tu Bethlem utcumque magnitudine, ambitu, opibus & splendore minima es inter principes Iehudæ: tamen propter præstantem Christi dignitatem qui ex te orietur, principem locum obtines: quandoquidem ex te prodibit dux, qui populum, quem ego præ aliis omnibus gentibus elegi; Israëlem reget.

Herodes *hac re audita ilico clam Magos* 7.
cogit, & accurate rimatus est tempus, quo stella primum illis affulserat. Nec enim diei indicio contentus est nisi & horā perdisceret, nec in hora acquievit nisi etiam momentū quoad fieri potuit disceret. Quod quidē cum à Magis 8.
edidicisset, mox illos Bethlemum amandat: mandatque, tanquam suæ ditioni quandiu in Iudæa peregrinarentur, in hunc modum: exquisite, quæso, indagamini omnia, quæ ad puerulum spectare posse videntur, quibus parentibus,

tibus, quo loco & die in lucem editus sit, & id genus alia: atque eo invento ilico ad me revertimini, ut vestro indicio ipse quoque iter eo
9. *adorationis caussa instituam. Magi audito Rege è vestigio profecti sunt: iterum vero animi aciem intendite, non prius illos urbe illa scelerata excessisse, quin ilico stella quæ disparuerat, se videndam præbens, illis pro via duce extitit; donec ipsi domui, ubi Christus erat, im-*
10. *pendens consistebat. Conspecta autem stella*
11. *gaudio magno oppidò gavisi sunt. Domum autem, jam non stabulum, ubi natus est subintrantes, puerulum offenderunt in maxima solitudine & desertione, ut cui mater tantum aderat. Qua re tantum aberat, ut illis hoc offensaculo fuerit, ut humi prostrati, puerulum, tam abjecte & contemptim jacentem, adorarent. Atque ut quem illi merito honorem habebant, testatum relinquerent, munus ex auro, thure, & myrrha instructum illi, tanquam*
12. *regi obtulerunt. Vt autem* Herodis *callido consilio occurreretur, per insomnium oraculo admoniti, ne ad* Herodem *reverterentur; dicto obsequentes, per aliam viam in patriam redierunt.*

PRAXIS.

MAgi stellæ indicio eos deferente, callido, sed casso Herodis consilio, optatum Christi adorandi desiderium consequuntur.

In quo conside-rantur gesta in { itinere Bethleemũ usque, & Bethleem.

In priore *parte* habentur { disquisitio & investigatio loci, ubi Christus nasceretur, & inventi loci persequutio.

Vers. 1. & 2. Magorum studium veritatis insigne;

In loci disquisitione, primum occurrit quæstio à Magis proposita Ierosolymitanis civibus, *Vbi Christus nasceretur, Rex Iudæorum?* Quod satis declarat eos veritatis peramantes fuisse, quandoquidem de rebus sibi incompertis, suam inscitiam profiteri eos non puduit: maxime vero quod deserti & orbati stellæ ductu, quo freti patrias sedes reliquerunt; non tamen à Christi investigatione destiterunt, cum illud impune facere videri poterant: quandoquidem Deus illis viæ ducem, quem dederat, subtrahens, de repetenda patria illos admonere videri potuit; atque fugientem quodammodo veritatem prosequuti sunt. Quo docemur cavendum esse, ne veritatis investigandæ fastidio, aut fatigatione corripiamur; tametsi non statim nobis occurrat, tametsi peplo faciem suam velet & obtegat. Deus enim aliquando nubeculam oculis nostris offundit, ut quid erga veritatem animi & amoris habeamus pertentet. In quo si nos ipsos subducamus, quam minimo in pretio veritatem habemus, ilico prodimus, & quam indigni tam incredibilem thesaurum invenire. Eoque dicitur sapientiam, ut aurum & gemmas, eruendam esse. *Prov.* 2, 4. Si in agro constaret aurifodinam esse, quis non eam quærens terram effoderet? quod si profundam fossam defodiens, aurifodinam non invenit, ecquis tam iners aut insipiens est, ut protinus ab aurifodinæ investigatione desistat, ac non potius ad alium locum transeat, quoad universum agrum exploraverit? Aut si principis, aut Reginæ ad colloquium admitti cupiens, concupito non illico potitur, num idcirco indignabundus protinus discedit? quin præstolatur potius, & omnem eam adeundi occasionem & opportunitatem captat & aucupatur.

à cujus investigatione nunquã desistendũ:

etiam ingenua professio de Christo laudabilis.

Deinde laudem promerentur, quod tam intrepide Christum Iudæorum regem esse profitentur, nec Herodem, nec Cæsaris asseclas reveriti, qui regii nominis zelotypia quadam ducebantur: sed cum Christum regem esse didicissent, quod vere crediderunt, aperte profiteri non dubitarunt. Sicut enim *corde creditur ad justiciam; sic ore fit confessio ad salutem. Rom.* 10, 10. & *quem puduerit Christi, aut Euangelii coram hominibus, ejus Christum pudebit coram Patre, & Angelis sanctis, Matth.* 10, 33. Nec enim aut in Christo, aut in veritate quicquam est pudore dignum, in nobis vero nihil non pudendum, si ad Dei ἀκροσοδίκαιον exigatur. Meritissime igitur Christum negantes, à Christo negantur: nos igitur nostrimet pudeat, non Christi, pudeat propriæ vanitatis, non veritatis Christi.

Horum Magorum susceptum iter, cur cum admirationis nota elatum?

Est vero notandum, quod hanc rem admirationis nota Euangelista extulit, quod Magi Ierosolymam quærendi Christi caussa venerunt: quod quidem jure factum ab eo est; primum enim novum & insolens erat, Gentes Iudæis & Iudæorum religioni à multis seculis infensissimas, illos religionis ergo adire. Deinde ex Persica Gente, superstitioni & Idololatriæ addictissima, prodire qui Christum quærunt. Ad hæc quod ex Magis & sapientibus, qui omnia ex rationis pugno metiuntur, inventi essent, qui hunc quærendi Christi laborem susciperent; quod quidem tanto majorem admirationem habet, quo

bet, quo Iudæi, quibus Christus cumprimis promissus est, & à quibus oriundus, ad illum quærendum ne pedem quidem ex suis ædibus extulerunt. Hoc igitur veluti præludio quodam, Deus significare voluit, tempus prope esse, cum Gentes ad Ecclesiæ septa aggregandæ forent: istis, tanquam primitiis quibusdam, ad nativitatis Christi spectaculum admissis & advocatis, reliquam Gentium messem sibi sacram fore subindicavit. Nobis igitur, tanquam fidei prothyron hic cæptum est aperiri, quod majoribus nostris hic honos habitus sit, ut ad nativitatis Christi testimonium arcesserentur; eo ipso declarans, Gentibus etiam suam partem & suum jus esse in Davidis filio, nec mundi sapientes à salute excludi, dummodo suæ sapientiæ usque eo renuntient, quoad sapientiæ Dei contraria reperiatur. Summi etiam usus erat, ad Christi nativitatem à contemptu vindicandum. Quo autem numero venerant, tresne, ut *Papistæ*, ex triplici muneris genere, an quatuordecim, ut *Chrysost.* in Matth. opere imperfecto, non constat: minus adhuc an reges fuerint: certe ex insulis Tarsus &c. *Psalm.* 72, 10. venisse, commentum *Papistarum* est, nisi orbem invertere velimus, & meridiem, & occidentem in orientem convertere: quanquam non desunt ex antiquioribus, *Theophylactus* inprimis, qui reges eos nominant; quod certe verisimile non est: pertinebat enim ad Christi gloriam, ut hæc circumstantia dignitatis observaretur; siquidem vere hoc fieri potuit. Sed hæc ad eum locum potius transferantur, quo de munerum tribus speciebus agitur.

hinc Gentibus salus propinqua:

quot numero hi fuerint & cujus conditionis?

Postremo & illud maxima admiratione dignum est, quod stellæ indicio, Christus illis innotuerat. Deo enim solenne & consuetum est, homines Verbi ministerio ad veritatis agnitionem adducere: quod non tantum inter Iudæos, sed inter Gentes, quoties illos voluit sui notitia illustrare, sicut in Ninevitis ad pœnitentiam edoctis, intueri licet. Hi vero ad Christum stellæ opera deducti sunt: quanquam autem Magorum professio circa stellas, & reliquum cœli opificium versaretur, fuerintque Persæ magni in hoc genere artifices; tamen nulla Astronomiæ vi aut præceptis, ad hanc notitiam pervenerunt: primum enim aut recens creatam stellam; aut certe novum & inauditum cursum, & progressum sortitam esse oportuit, quæ recta eos Ierosolyma ducit: disparet, & nunc loco movetur, nunc immota & fixa manet, ab oriente in occidentem fertur, Solis splendore non obscuratur. Atque quod amissa stella, eam nulla sua arte recuperare possent, documentum est, nullam ipsorum, aut certe perexiguam, in hoc negotio artem intervenisse. Vt vero stellam probe notam haberent, & stellæ motum & progressum, unde tamen illis hoc innotesceret, stellam Christo addictam & nuncupatam esse, nativitatis Christi indicem esse, & ibi demum Christum fore, ubi stella insisteret; unde (inquam) hoc? certe in stella hæc omnia inscripta non erant, nec ista Magi, quantumcumque eruditi, in stella legere potuerunt. Oportuit igitur etiam Spiritus Sancti stellam in animis illorum oriri, quæ illis in istis præluceret. Spiritus igitur Sanctus, qui consueta quadam ratione in Verbi prædicatione potentem & efficacem se declarat, hic per stellam doctorem se præbuit: semper ut sit Spiritus Sancti opus, nullius artis aut ingenii, quo ad Christum adducimur. De Messia rumorem aliquem hausisse verisimile est: partim ex Balaami Prophetiis, qui & Chaldæus seu Aramæus fuit; partim ex Sibylla, quæ Maga & Chaldæa prædicatur; partim vero ex communicatione cum Iudæis, tempore Babylonicæ captivitatis.

Deus stellæ indicio tanquam medio hic usus est;

cujus notitiam Magi ex Astronomia non habuerunt:

sed instinctu Spir. Sancti.

Neque vero hoc, & aliis, si quæ sunt, tam raris exemplis labefactatur illud, neminem scilicet, nisi intercedente Verbi ministerio, credere posse aut salutem consequi. Nec ideo nobis vilescere debet, aut contemptui esse Verbi Dei prædicatio, tanquam aliis rationibus salutem consequi possemus. Nam si quando hanc rationem & viam Deus tenuerit, tum hoc fit & apud eos, quando, & apud quos Verbi ministerium non viget.

attamen Verbi ministerio Deus ad fidem utitur.

Quod autem hic Magis in summa veritatis ignoratione versantibus accidit, id & patribus quibusdam nostris, tenebris Pontificiæ religionis coopertis, accidere forte potuit; ut illos admirabili quadam ratione & insueta, ex *Papatus* incendio liberaverit. Quo facile intelligitur Pontificiis, qui nunc sunt, nullam superesse salutem, nisi Euangelium illis oblatum amplexentur.

ut & in patribus ex tenebris Papatus eductis.

Quod vero Deus stellæ opera, Magos istos ad veritatis agnitionem adduxit, ut qui Scripturæ nescii erant, nec ejus authoritatem agnoscebant, indicatur erga quos externa testimonia Philosophorum & Poëtarum adhibenda sunt; nempe erga eos, qui Scripturæ authoritatem abrogant: sic Paulus *Act.* 17, 28. Arati testimonio ad Athenienses convincendos

Vt stellæ opera hic Deus, ita externis testimoniis infideles convincendi.

vincendos usus est; ut qui sciret illos Prophetarum scriptis non moveri, nec ullam illis reverentiam deferre. Cum igitur cum illis certamen instituitur, qui Veteris & Novi Testamenti autoritatem agnoscunt, non nisi ex illis fontibus præsidia utrinque petenda & comparanda esse videntur.

Vers. 3. Ex quæstione Magorum operâ Sp. S. conturbatio orta;

Effectum hujus quæstionis notat Euangelium fuisse, Herodis, & totius urbis Ierosolymorum motum & conturbationem. Ex quo liquet Deum pondus & autoritatis momentum Magorum verbis addidisse: ut tametsi Iudæis promptum esset illa irrisioni habere, quæ Gentes de religione proferebant; tamen Deus ea Spiritus virtute, hunc sermonem legitime propositum stipari voluerit; ut nec à fastidioso & fastuoso Rege, nec à prætumidis Theologis cum contemni passus sit.

eam in Herode metus regni concitavit,

Quod autem Herodes conturbatus sit, idcirco factum apparet, quod regno suo timeret, ac si Christus venisset, ut illum regno moveret. In quo videmus quam graviter non tantum levi, sed nulla prorsus de causa impii crucientur; mens enim illis peccati & scelerum conscia, continuam quandam in illis carnificinam exercet, & furias assiduo parit, quibus, sine intermissione, inquietantur; vere ut de illis dictum sit, eos ad folii cadentis strepitum extimescere *Deut.* 28. & impium fugere nemine persequente, *Prov cap.* 28.

qui adhuc impedit quominus Christi Euangelium nunc recipiatur;

Deinde illud notandum est, reges, qui beneficio Christi sceptra sua & diademata obtinent: cujus doctrina, regibus obsequium, vectigalia, honor, habentur; sibi tamen a Christo, tanquam à regnorum suorum æmulo, metuere: vide Euangelistas & Acta, ubi Christus & Paulus hostes Cæsaris judicantur. Quod utinam in illa ætate constitisset, nec latius patuisset: nam & nostra ætate accidit, ut Reges fascinari se hac opinione facile patiantur, ut putent, sibi in regno locum nullum futurum, si Christus Euangelii sceptro populis eorum imperet. Mirus autem hominum stupor, & pessima, quam Euangelio reponunt, gratia. Euangelii enim prædicatione Reges è servitute durissima, & metu Pontificis, atque adeo vilissimi cujusque sacrificuli, quem tanquam principem suum aut dominum timebant, vindicati sunt. Euangelium eos vectigalibus liberavit; & tamen hanc gratiam illi referunt, ut pestem regnorum & perniciem somnient. Et quemadmodum plerique hoc commento impediuntur, ne ostium Euangelii aperiant; ita alii sunt qui piis regibus conantur persuadere, de ipsis & regnis ipsorum actum esse, si disciplinæ Ecclesiæ aditum & ingressum patefaciant. Confer illud, quod est apud Nehemiam de hostium Ecclesiæ calumnia, fore, ut si muri Ierosolymæ perficerentur, Iudæi deinceps vectigalia, & tributum Regi abnuerent.

& in populo mutationis imperii,

Cur vero Civitas commota sit, non perinde liquet. Cum enim alienigenæ imperium inique ferrent, qualis fuit Herodes, & Messiæ adventu sibi ab extraneorum jugo libertatem, quamvis falso pollicerentur: tamen fieri nequit, ut Herodis vicibus condoluerint: sin autem dixeris cives dolorem, quem non habebant, simulasse, ut ad principis voluntatem se compararent, videri poterit verbis vim afferre. Dicendum potius cives, sæpius per novarum rerum studiosos jactatos, & a Romanis attritos & accisos, metuisse, ne ex Messiæ adventu, novæ tempestates excitarentur, quibus simul, & ad paupertatem & ad duriorem servitutem redigerentur. In quo quanta sit hominum depravatio perspicitur, qui ut suis cōmodis prospiciant, & carnalem quandam securitatem tueantur, tam incomparabilem thesaurum respuunt. Idem legimus de Gadarenis, *Marc* 5, 17. qui tametsi viderunt, Christi ad eos appulsu, popularem & concivem suum legione dæmonum liberatum esse, tamen cum intellexissent se porcorum suorum jacturam hoc modo fecisse, Christum precibus aggressi sunt (nec enim minis ausi sunt) ut se inde transferret.

qui etiamnum Christum in Euangelio urbe arcet.

Atque hujusmodi Ierosolymitani & Gadareni plerique hodie existunt, tum magistratus, tum privati homines, qui pace utentes, idcirco Christum in Euangelio urbe arcent; quod vereantur, ne tanta mutatione & innovatione motus creentur, qui ad eorum post damnum recidant. Quamobrem non mirum est, si illis idem quod Gadarenis accidat, ut Christus eorum Rebuspublicis & familiis excedens, dæmonum postulatis annuat, dum illis suas ibi sedes & domicilia figendi potestatem faciat.

Vers. 4. Ex congregatione primariorum Ecclesiæ usus Synodorum notandus;

Sequitur altera loci investigatio; quæstione ab Herode omnibus his proposita, qui Ecclesiæ principem locum obtinebant. In quo primum Synodorum in Ecclesia usum pervetustum esse dignoscimus; ut quoties difficilior aliqua in rebus divinis quæstio oriatur, statim res ad doctissimorum hominum conventum referatur, non autem ut

res ad

res ad unius Episcopi, aut Papæ arbitratum definiatur; ne tum quidem cum unus Sacerdos cæteris omnibus, tanquam Christi typus, præponebatur; nedum hoc tempore illud fieri debet, ubi nullus istiusmodi principatus locum habet. Atque ob eam causam gravi controversia de justificatione orta, res ad unius Petri judicium delata non est, sed ad Apostolos & Ecclesiæ seniores. Deinde in hac synodo observandum, quis judex causæ sedebat. Neque enim hic personarum, aut præsentium, aut quæ ante in summa doctrinæ laude vixerant, autoritate pugnatur; sed nudis Prophetarum testimoniis. Quo magis culpandi sunt, qui veritatem controversam ex Scripturæ testimoniis definiri posse negant, nisi Doctorum, aut Papæ authoritas & dictatoria sententia intercedat: ne nunc quidem, cum Novi Testamenti accessione, luculentam & explicatam multorum in Vetere Testamento locorum interpretationem acceperimus. Quod cum ab his factum sit, qui suarum traditionum tenaciores æquo erant, næ nos jure reprehendamur, &c. Et hoc quidem libere consitentur, cum nondum Christus illos, & eorum ambitionem pupugisset: post vero omni scelere cum lacerare conati sunt.

in qua S. Script. solus judex.

Vers. 5, 6. *Bethleem minima quantitate non dignitate;*

Quod ad testimonium ab Euangelista citatum, tametsi specie pugnare videtur cum Prophetæ verbis, tamen reipsa summe conveniunt. Nam cum apud Prophetam sit Bethleemam *esse minimam ex Ducatibus Iehudæ*, Matthæus vero dicat *non esse minimam*, nulla tamen hic contradictio existit: Propheta vero minimam appellans indicat, illam quantitate & angustiis, opibus & splendore minimam; Matthæus vero non minimam appellans intelligit, illam honore & existimatione non esse minimam. Ex quo illud observatione dignum est, dignitatem & amplitudinem urbium simul & hominum, præcipue ex Euangelii professione, & conjunctione quadam cum Christo, oriri. Hinc est ut Bethleem, alioqui obscura urbs, plerisque amplissimis in Iudæa urbibus antehabita sit, quod in illa Christus nasceretur. Illa igitur urbs in qua Christus quotidie in civium cordibus Euangelii prædicatione renascitur, vere nobilis Prophetæ testimonio censetur. Sine qua, nobilissima in universa Europa Emporia, ignobilibus oppidulis Euangelium profitentibus existimatione postponuntur. Est autem observandum, Prophetam omnibus turmis Assyriorum & Babyloniorum opponere unum Christum, quod consolationis plurimum habet.

ex qua omnes civitates æstimandæ.

Vers. 7, 8. *Herodes quamvis callide simulet, Magorum tamen iter promovet;*

Et hactenus de quæstionibus loco nativitatis Christi investigando propositis: jam sequitur exsequutio inventæ veritatis: in qua priores partes, sed tamen teterrimas, habet Herodes, qui ad Magos Synodi sententiam refert, eosque, ut in suscepto itinere pergant, hortatur; ad eamque rem stimulum addit, se, tametsi provinciæ Regem, re tamen comperta, & ab eis ad se relata, adorandi causa Christum invisurum. In quo tametsi nihil, nisi Christi cruentam & sanguinolentam mortem, meditetur & designet: ejus tamen in hac re opera Deus, ad iter Magorum provehendum, utitur: de quo pluribus ante dictum est.

in quibus Dei providentia spectāda quod ita ejus mentem occæcarit:

Hoc autem loco apparet, quomodo Deus mirifice callida consilia præripit, sicut sæpe etiam dissipat: cum enim Christi sanguinem tantopere sitiret, mirum videri potest, cur ipse una cum illis non proficiscatur, ut infantem opprimeret, aut clam alios satellites & proceres substitueret, qui conspectum Christum trucidarent: hujusmodi exemplum eximium vide 1 *Reg.* 19, 2. ubi Iezabel nuncium mittit ad Eliam, se die sequente illum obtruncaturam, quo dicto veluti admonitus Elias fugam arripit. Sed Deus hoc illi consilium præripuit, & oculos, ne videret, occæcavit. Quod quidem Dei singulare opus ex eo liquet, quod Herodes cæteroquin vafer & versipellis esset: nam cognito loco cœpit etiam de tempore nativitatis accurate percunctari, ut facilius Christum opprimeret. Id vero non semel sed sæpius in Ecclesia fieri, modo oculos aperiremus, facile contueremur: Diabolum ipsum dementari, & sponte in suam & regni sui perniciem ruere, aut certe ita fræno divinæ providentiæ constrictum teneri, ut suas artes & regni Christi oppugnandi machinas & stratagemata, in medium proferre nequeat. Quod autem Herodes præcise res inquirit, ad Christum & Ecclesiam perdendum, pudori nobis esse debet, quibus convitium & ridiculum videtur, omnis præcisa præceptorum Christi observatio: contra quod Apostolus, ad *Ephesios* docet; *est lex, qua præcipitur, non esse ad dextram aut sinistram &c.*

quod adhuc indies in Ecclesia contingit.

Quod Magi Christū fere in periculum adduxissent, hinc nobis

Cum autem videmus Magos, optime in Christum affectos, periclitatos graviter, ne eorum opera Herodes ad Christi interitum abuteretur: cum circumspecte nobis conversandum, tum omnibus votis hoc ipsum

provide agendum. à Deo deprecandum. Hucusque enim illi subservierant, ut tempus nativitatis aperirent, fidem suam redeundi astringunt; porro ad Christi necem subservituri, nisi accepto à Deo responso fidem illi datam fefellissent. Quod tamen nonnunquam hac nostra ætate fit, ut homines magno ardore Euangelii,& veritatis promovendæ ducti, suo tamē inconsiderato & præcipiti zelo eo ferantur, ut magnam hostibus Ecclesiæ male de Euangelio loquendi ansam præbeant; dum se ab Ecclesiis Christi subducunt, quod in his nævi quidam aut strumæ inveniantur. Quibus idem accidat quod hominibus, qui strenue quidem & sibi minime parcentes pugnant, sed tamen ordinem & stationem deserentes.

Vers. 9. *Ex eorum in itinere constantia cultus Dei nunquam deserendus.* Superest ut de exsequutione,ex parte Magorum, dicamus: in quo, quod ab itinere non desistunt, singularem constantiæ laudem promerentur, maxime si objectam illis remoram expendamus. Cum enim soli proficiscantur, nullis Ierosolymitanis civibus comitati; quorum erat, ante omnes in toto orbe homines, Messiæ celebrando & honorando operam dare: potuit illos & eorum fidem tremefacere, ac si inani delirio delusi essent, cum quærendo qui nusquam esset. Quo docemur, nostra officia non esse ab aliorum quorumcumque judiciis & sensibus suspendenda: sed memorabile illud *Iosuæ* dictum, *cap.* 24,15. semper ante oculos observandum: *se, cum familia sua,cultui Dei adhæsurum, tametsi reliqui omnes discessum faciant.*In rebus humanis, etiamsi totius urbis conventus argentifodinam tanquam rem nihili præterirent, tu tamen corruptum eorum judicium non sequereris.

Quod stella denuo apparuerit inde confirmati, Quod viam ex Prophetæ Michææ indicio ingressis, statim illis affulget illa interpolata & interpellata ad tēpus stella, ad illos confirmandos accommodatum est, ne Ierosolymitanorum ingrata animi in Christum labe eorum fides vacillaret; & simul indicatur, stellæ usuram illis, ob eam rem ad tempus ademptam esse, non tantum ut Ierosolymitani inexcusabiles essent hoc Magorum testimonio, sed ut stellæ indicio certius & testatius de Christo testimonium acciperent.

ut & nos ex difficultatibus cōfirmandi; Ex quo illud elicitur, Deum nobis difficultatem quandam in fide & religione injicere, ut quod scimus,firmius & plenius cognoscamus. Hoc in Zacharia Sacerdote visum est, in hujus scilicet vitæ commodis; & à nobis observatum, quo æquius ferendum est, si quando scrupus aliquis, qui nos torquet, à Deo injectus sit.

Nam ex gaudio recuperatæ stellæ colligere promptum est, Magos, disparente ad tempus stella, mœrore perculsos fuisse: ex quo etiam efficitur, quanto nos gaudio ex Euangelii prædicatione perfundi oporteat; quæ nobis non tantum stellæ, sed solis instar, in Christo nobis declarando illucet. Simul notandum hoc stellæ miraculum non contravenire Verbo Dei, sed Verbum Dei per Prophetam confirmare: contra quam fit in miraculis *Pontificiis*. Vers. 10. *& gaudio perfusi, ut & nos ex Euang. præconio.*

Domum ingressi, illum tanquam Deum & Servatorem adorabant: tametsi in cunis adhuc vagientem viderent, tametsi matris ubera sugentem, huc illuc pro matris judicio convolutum,nullis satellitibus stipatum; denique nihil minus, quam splendorem aliquem regium. Cum igitur illa gloria nobis consignata literis est, quæ Filium Dei unigenitum decet,in eumque solum competit, *Ioh.* 1, 14. quanto hoc magis nos facere debemus? Vers. 11. *Ex Magorum adoratione in cunis, nos eo in gloria magis accendendi;*

Quod autem ex his depromserunt, quæ secum pro more munusculi nomine attulerunt, id commode ad sublevandam pauperum parentum tenuitatem accidit: quo docent nostri officii esse, quoties Ecclesia, maxime pauperes, aut Euangelium, nostram aut operam aut opes postulet, paratos nos esse oportere, ut laborantibus illis subveniamus. vide *Prov.* 4. Simul ut nobis dictum sit, dominum hac vel illa re opus habere,arcas nostras & omnes thesauros, & æraria reseranda esse. Hoc modo etiam paupertati parentum occursum est, & via munita ad sumptus in fuga faciendum. *ut ex oblatione munerum à nobis pauperes succurrendi.*

Quod autem astutum Herodis consilium irritum fit, Angeli aliam viam ingrediendam imperantis opera, non modo ad cumulum divinæ in Magos munificentiæ facit,qui hac tam insigni visione ornati sunt; sed Christi, tametsi in cunis vagientis, oculatissimam & perspicacissimam providentiam declarat;qui callida contra se & Ecclesiam suam irrita consilia,facile & quasi corpore declinare novit. Dicitur *Eccles.* 10, 20. coïtiones in regem & proditiones,vel ab ipsis cœli alitibus retegendas esse:quanto magis cum adversus Regem regum, capta & comparata sunt. Vers. 12. *Christi providentia Herodis cōsilium irritum factū.*

LVC. *cap.* 2. *à verſ.* 22. *ad* 29.

22 Et quum impleti fuiſſent dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam, ut ſiſterent eum Domino.

23 (Prout ſcriptum eſt in lege Domini, Omnis maſculus primogenitus, ſanctus Domino erit)

24 Et ut darent oblationem, ſecundum id *quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

25 Et ecce, quidam erat Hieroſolymis cui nomen Simeon: eratque *homo iſte juſtus ac religioſus, exſpectans conſolationem Iſraël, & Spiritus Sanctus erat ſuper eum.*

26 Fueratque ipſi divinitus nunciatum à Spiritu Sancto, ipſum *non viſurum mortem, priuſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini.*

27 Is igitur venit impulſore Spiritu in templum. Et quum introducerent puerulum IESVM parentes, ut ejus cauſa facerent quod ex Lege conſuetum erat;

28 Tunc ipſe recepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deo, & dixit:

ANALYSIS.

DEſcribitur ab adjuncto tempore, quod tempus confirmatur teſtimonio legis, quæ lex deſcribitur ab inſtrumentali cauſa *Moſis*. Hæc purificatio deſcribitur alio adjuncto purificationis, ſiſtendi puerulum in Templo coram Domino.

*Verſ.*23. Hæc pueruli præſentatio in Templo confirmatur teſtimonio legis, cujus cauſa indicatur Dominus, & ſyllogiſmo concluditur, cujus propoſitio exprimitur verſ. 23. Omnis mas aperiens matricem Domino conſecrandus eſt; Aſſumptio deeſt, Chriſtus eſt mas aperiens matricem. Concluſio eſt verſ. 22. Quamobrem Chriſtus Domino conſecrandus fuit.

Verſ. 24. Purificatio altero ſacrificii adjuncto deſcribitur, quod item teſtimonio divinæ legis confirmatur; ſimul ſpecies ſacrificii notantur par turturum aut pipiorum, unde adjuncta parentum paupertas arguitur.

*Verſ.*25. Hæc purificatio ornatur illuſtri teſtimonio viri, qui deſcribitur primo à ſubjecto loco, ubi erat *Hieroſolymis*, 2. deinde ab adjuncto nominis *Simeonis*, 3. poſtea ab adjuncto juſtitiæ in homines, 4. præterea ab adjuncta religione in Deum, 5. adhuc ab adjuncta expectatione & præſtolatione adventus Chriſti, 6. porro, ab extraordinariis donis Spiritus Prophetici.

*Verſ.*26. Deinde alio adjuncto extraordinario, quod oraculo edoctus fuit à Spiritu Sancto, ſe non moriturum antequam Chriſtum videret.

*Verſ.*27. Denique quod inſtinctu Spiritus Sancti templum ingreſſus ſit, eodem tempore, quo parentes Chriſtum Deo ſiſtebant.

*Verſ.*28. Ab effectis deſcribitur, quod Chriſtum ulnis ſuis complexus eſt, & altero effecto, quod Deum glorificavit; ſpecies autem glorificationis ſubjicitur, nempe quod canticum cecinit, quatuor proximis ſequentibus verſibus.

METAPHRASIS.

22. T*Riginta tribus diebus poſt circumciſionem plene exactis, tempus purgationis & purificationis, ex lege* Moſis *miniſterio lata advenerat. Quamobrem puerulum Chriſtum* Hieroſolyma *in templum adducunt, eum coram Domino ſtituri, prout in lege Domini ſcriptum eſt, omnem maſculum matricem aperientem Domino ſacrum & dicandum eſſe: venerunt porro ut ſacrificium afferrent, ſicut in* 23.
lege Domini præſcriptum eſt; par turturum, 24.
aut duos pipiones, quod ſacrificii genus pauperibus & exhauſtis lege imperatum eſt. Hæc dum geruntur, ex inſperato vir quidam Hieroſolymitanus, cui nomen erat Simeon*, omni* 25.
genere laudis plenus, intervenit, ut qui communibus piorum omnium, & propriis Spiritus Sancti donis à Deo, ad teſtimonium de Chriſto dicendum, nobilitatus erat. Et quidem quod ad communes omnium piorum dotes attinet, erat erga homines juſtus, deinde erga Deum pius & religioſus, denique conſolationem Iſraëlis *ex adventu Chriſti aſſidue expectabat & præſtolabatur. Quod autem ad propria & ſingularia communem piorum ſortem dona ſuperantia attinet, erat primo Spiritu Prophetico*
imbutus, deinde oraculo à Spiritu Sancto ad- 26.
monitus eſt, ſe mortem non guſtaturum, antequam Chriſtum Dominum videret. Huc ac-
cedit quod non fortuito, neque conſilio huma- 27.
no, ſed arcano Spiritus Sancti inſtinctu templum tum temporis ingreſſus eſt; cum pueruli
parentes eum adduxiſſent, ut legis ritum exe- 28.
querentur, quæ illum attingebant. Qui puero in ulnas accepto, Deo gratias egit, & canticum, fere in hæc quæ ſequuntur verba, Prophetico Spiritu pronuntiavit.

PRAXIS.

Hæc hiſtoria cur illi de Magis ſubjũgatur?

HÆc Hiſtoria Lucæ illi de Magis ſubjungitur, quia nullum tempus commodius occurrit ſiſtendi Chriſtum in templo ex

lege *Exod.*13.& *Lev.*12.quā quod in transitu in Ægyptū hæc legi obedientia præstita sit.

Christus cum matre templum ingressurus, ut ex lege illic peragenda exequutioni mandarentur: amplissimum attributi sibi Messiæ officii testimonium accipiens, populo suo magis innotescet.

In quo duo nobis consideranda proponuntur, { legi obsequium præstitū, & testimonium Christo redditum.

Vers. 22, & 23. *Christus ut primog. ex lege Deo offertur;* Et primum quidem de oblatione Christi, tanquam primogeniti, ex lege *Exod.* 13, 2. Vbi causa hujus legis repetatur, ex eodem capitulo, & *Num.* 8, 16. Sicut enim in primogeniti consecratione, reliqui omnes liberi Deo accepti & sacri fuerunt; sic in Christo primogenito, & fratre natu maximo, nos omnes fratres & sorores ejus Deo grati sumus.

idque post purificationem, & quæ illius causa? Hic lex *Levit.* 12. replicetur de purificatione: quam ideo procul dubio Deus instituit, ut peccati, in quo concipimur & in lucem edimur, nobis penitus insiti, tantam esse fœditatem adumbraret, ut non modo infantes ipsi impuri essent, sed quodammodo matrem impuram redderent, & alia omnia quæ mater attingeret, *Levit. c.*15, *v.* 19, 20. Sicut Sacerdotes ex sacrificiis pro peccatis, legalem quandam immunditiem contrahebant, corporum & vestium ablutione eluendam, quo peccati turpitudo, & lues seu contagium indicabatur. Hac ergo ceremonia proditur cum suo fœtore originale peccatum. Tametsi enim in ipsa generatione aliqua parentum intemperies est, cujus turpitudo coram hominibus matrimonii honestate tegitur; tamen coram Deo reos illos constituit, & misericordiæ divinæ indigens. Quanquam lex videtur hoc loco præcipue pueri recens editi impuritatem spectare, cum in hâc impuritate matris per dies quadraginta, tum in sacrificiis, quibus expiata est; alioqui enim tam patrem, quam matrem ex conceptu impurum esse oportebat, & pro utroque mactanda sacrificia, cum matri tantum mandata sunt. Hic vero peccati horror & turpitudo nobis observanda venit, quæ nos à sacrorum & civilium, à Dei & hominum consortio excludit, cujus labes nobis omnia impura facit. Hic refellitur commentum *Papistarum* de clausa virginis matrice, cum filium suum pareret; nam hoc loco contenditur uterum virginis, simul ut aliarum mulierum, reclusum esse. Et plane *Marcionicum* est Christi corpus, si editum absque uteri apertione fuit.

Quod autem septem tantum dies, quod ad hominum consuetudinem, quadraginta autem dies, quod ad rerum sacrarum commercium & communionem spectat, impura à lege judicata est, eo docetur majorem sanctitatem requiri, cum ad sacra accedimus, quam in communi hominum consuetudine. vide exemplum Mosis, *Exod.* 3, 5. qui jussus est calceos exuere, priusquam ad rubi contemplationem admissus fuit: sicut & animalia quædam, olim esui & communi victui erant, quæ eadem, quod ad sacrificia attinet, communia erant. *hinc cur 7 dies ab hominum, 40 vero sacrorum commercio puerperæ arceantur?*

Ex genere autem sacrificii arguitur paupertas Mariæ, utpote quod erat tenuioribus tantum & indigis præscriptum, cum alioqui illi agnus anniculus mactandus fuisset. Sicut igitur ne tum quidem pauperes à cultu divino exclusi sunt sua tenuitate, cum cultus majoris erat, quam nunc est, sumptus, nedum sub Euangelio hoc fit, ut cujusque paupertas, eum ad regnum cœlorum idoneum faciat. Hinc refellitur commentum de tribus Magis, in regia dignitate constitutis; si enim regia dona dedissent, pinguius sacrificium obtulissent. *Vers. 24. Ex tenuitate sacrificii Mariæ pauperes à cultu divino non excludendi.*

Sed hic merito *quæritur*, cur, cum hæ ceremoniæ, quæ puerperæ purgationem attingunt, ideo institutæ sunt, ut editi fœtus peccatum originale coarguant, Maria virgo ad illarum observationem abigeretur, cum ejus partus omni peccato caruit, nec in peccato conceptus est: videri enim potest Christo ipsi injuriosum, perinde ac si ipse peccati contagio inquinatus esset, dum ejus nomine his ceremoniis defungatur. *An ceremonia de purgatione, Christi peccatum originale coarguant?*

Respondeo Christum omni peccato vacantem, hanc legem subire oportuisse, qui se originalis peccati pro nobis reum profitens, nos qui eo inficimur, condemnatione eximeret: nam huic legi nulla sua causa subjectus, eo ipso declaravit, se pro nobis legem implevisse; quod non fecisset, si ipse peccati labe vitiatus fuisset. Eoque factum est, ut tam diligenter ista ab Euangelista explicentur; quod de nullo alio factum commemini in tota Scriptura. Quod si corporis pollutio non nisi sanguine purgatur, nedum animi pollutio. Et si originale peccatum non purgatur nisi Christi sanguine, nedum actualia: contra Missarum indulgentias.

Sequitur testimonium Christo in tēplo redditum, quod duplex est { viri, & mulieris: } in ore enim duorum &c.

In testibus considerantur: in priori loco quales fuerint, & quam ad testificandum idonei. deinde testimonium ipsum.

Vers. 25. Eorum qui testificabantur de Christo cur vitæ ratio expressa?

In testibus, ad rem paulo graviorem testandam adhibitis, spectatur probitas & fides vitæ superioris actæ; quæ si absint, vel testium loco summoventur, vel si admittantur, testimonii fides suspecta habetur. Hinc est quod utriusque testis conditio & vitæ ratio exponatur; maxime vero, quod de re tanti momenti testimonium dicendum. In capitalibus enim caussis major testium delectus & cautio adhibetur, quam in aliis caussis, quæ ad vitæ commoda duntaxat referuntur. Cum igitur hoc testimonio vita æterna aut paratur, aut amittitur, operæpretium erat, ut testes fide digni, & omni exceptione majores deligerentur.

In priori teste virtutes testem exornantes enumerantur: ordinariæ: justitia erga homines, & pietas erga Deum. extraordinariæ, Prophetiæ donum.

ex probitate eorum fides nostra firmanda;

Est vero singulare fidei nostræ fulcrum, Deum tam exploratæ fidei testes, tam plenos dignitate, in medium produxisse. His enim virtutibus eos excoluit, ut facile liqueat illos non tam è terra emersisse, quam è cœlo delapsos esse, ut de salute testimonium ferrent; idque ob eam causam, ne cujuscumque terræ filii testimonio à veritate dimoveamur. Quanquam enim veritas ab hominum testificantium dignitate & amplitudine suspensa non tenetur, tamen si hoc fieret, veritas mendaciis non concederet. Cum enim Angeli è cœlis, & quidem magno numero, cum homines ex oriente literis excultissimi, cum viri pietate & futurorum præscientia insignes, de Christo testimonium dixerint: qui istos amplitudine & animi dotibus superent, inveniri certe nequeant. Tametsi igitur docti & literis multis imbuti, specie quadam sanctitatis & larvæ insignes exsurgerent, qui fidem nostram de Christo labefactare tentarent: tamen nihil est, cur istorum splendore moveamur, cum qui contra testati sunt, multis parasangis eos antecellant. Quæ quidem præstantia si in his minime deprehendatur, qui nunc in vivis sunt, cogitationem ad retroacta tempora extendamus.

hinc Euangelii præcones docti & probi esse debent,

Ex quo illud conflatur, magnam in deligendis Euangelii testibus & præconibus rationem adhibendam, ut hi duntaxat coaptentur, qui doctrina & moribus clari, fidem facilius promoveant: quandoquidem ea est hominum perversitas, ut quicquid vitii aut defectus in Verbi Ministris hæret, id omne ad verbum ipsum transferant; ut Euangelium ipsum res levicula sit, si ministri futiles sint; ut iners sit, si illi inertes; ut male moratum, si ministri vitiis cooperti sint. Operæpretium igitur ut vitæ sanctitate & doctrina, veluti stellæ cæteris præluceant, tanquam lucerna & faces accensæ, tanquam sal, cujus sapore reliqui condiantur.

ut & omnes Christiani.

Nec vero tantum ministris hoc competit, sed & piis omnibus Christum profitentibus. Sicut *Psalm.* 50, 16, *&c.* 2 *Tim.* 2, 19. Quod etiam causa fuit, cur de se Christus Dæmonum testimonium, tametsi alioqui plenissimum, rejecerit. Sicut autem ministri doctrinæ & sanctitatis lumine fidelibus, sic fideles infidelibus prælucere debent, & illis instar solis esse.

Simeonis in angustiis Israëlis spes integra;

Pietatis erga Deum specimen expressit, quod *consolationem Israëlis exspectavit:* quod post dicitur *Redemptio*. Est autem illa consolatio, seu redemptio, quæ à Christo illata est; sicut post constat: ideo vero consolationis meminit, quod populus Israëlis maximis angustiis ex calamitatibus oppressus & attritus esset, omnibus servitutem duram subeuntibus, maxima vero parte, exilio simul & dissipatione afflictus. Quorum quidem omnium medicinam & instaurationem, Iudæi omnes in Christi adventu collocabant; sed ratione perquam dissimili: plerique enim eum externæ libertatis & dignitatis, vindicem & assertorem somniabant, qui illos corporis servitute emancipans, universi terrarum orbis dominos constitueret. Pii vero, & in veritate probe informati, redemptionis & consolationis summam in eo posuerunt, quod essent peccatis absolvendi: cujus persuasionis tametsi, ante Christi adventum, inanes non erant; tamen quia adventu Christi singulare additamentum illis adjunctum est, in eo magnam consolandi vim repositam piis fuisse, mirum videri non debet.

ea docet in ærumnis nunquam desperandum,

Est igitur pietatis, in maximis malis animum non despondere, nec ulla malorum mole obrui, quo minus in maximo & torridissimo æstu radicalem fidei humorem confoveat, quo se summa ariditate & sterilitate tueatur. Ex quo ostenditur, nullam tam gravem homini plagam infligi posse, cujus plena curatio in Christo non proponitur, etiamsi libertatis, facultatum, liberorum, uxoris, denique propriæ vitæ dispendium & jactura

sit: nec tantum ipsius Christi perfruitio, sed vel spes tantum illius perfruendi, tanti momenti est, ut nos afflictionum pondere & mole nutantes sustentet. Sicut autem olim pietatis erat, Christi primum adventum amare, & ejus exspectatione teneri; sic & nunc est secundi Christi adventus studio, desiderio & exspectatione duci. *Tit.* 2, 13. 2 *Tim.* 4, 8. Nam sicut olim omnes afflictionum & calamitatum morsus, & venenatas sagittas, pii adventus Christi spe, tanquam cervi dictamo degustato, corpore & animo excusserunt; sic pii jam secundi adventus Christi commentatione: atque ut nulli ictus patribus tam venenati sunt, quos adventus Christi commentatione, tanquam plantagine, non curarent; ita &c. Eoque major nostra & efficacior consolatio esse debet, quo priori adventu salus inchoata, secundo perficietur; priori peccatis absoluti sumus, secundo etiam omnibus corporis calamitatibus liberabimur. Cujus adventus propinquitas cum pios 1500 abhinc annis consolata est, & sustinuit; multo magis nos debet, qui propius ab illo glorioso adventu absumus.

& Christi adventum secundum cum desiderio exspectandum:

Quod autem Prophetiæ dono ornatus est, idque & rerum futurarum prædictione, & sacri hymni ad omnem posteritatem transmittendi concinnatione; mirifice ad testimonii ejus commendationem facit: nec enim eum in rebus præsentibus hallucinatum esse, aut errasse, verisimile est, qui nondum existentia, sed futura tantum spiritu præviderat; nec mentiri potuisse judicandus est, cujus per os Deus ipse loquutus est. Deus igitur hunc, non tantum veluti gemmam, sed sculptu & incisione, tanquam aliis gemmis insigniorem & magis illustrem, elegerat.

ejus testimonium ob donum Prophetiæ tanto firmius;

Idem animus sit in nobis, ut Christum antequam moriamur mentis oculis cernamus: alioqui eum nunquam læte deinceps intuebimur.

Vers. 26, & 27. nobis cum eo Christus ante mortem cernendus:

Futurorum & occultorum præscientia duobus modis declaratur,

oraculo accepto de { morte non obeunda, priusquam Christum oculis conspiceret. & templo sub id tempus ingrediendo, cum Christus templum subiit. }

Quod ulnis ambabus eum amplexabatur, id quidem cum explendi sui de Christo desiderio fecit, tum ut seipsum animumque ejus ad gratitudinis officium promptius excitaret; quo enim plures corporis sensus Dei erga nos beneficiis afficiuntur, eo & facilius & efficacius Dei amorem, veluti beneficiorum succum, ad animum transferunt atque transmittunt. Id in conviviis sentire nos æquum; cum enim non gustus solum delicatissimis cibis oblectatur, sed & odoratus fragrantissimis suffimentis, & auditus suavissimo vocum aut nervorum concentu & harmonia perfunduntur, risus nitidissimus & gratissimus, tum certe animum in Dei amorem magis accendi par est: maxime vero illud in spiritualibus cernitur; utpote in sacramentorum perceptione. Simul etiam Dei largitio in suos perspicitur, qui cum benigne pollicitus esset Christi Domini aspectum, illi etiam contrectationem & in ulnis complexum permittit: sicut ante in Zacharia visum est; qui cum restituendi sermonis promissum accepisset, non tantum sermonem, sed Propheticum sermonem sibi concessum sensit.

Vers. 28. pueruli in ulnis amplexatio desiderii explendi causa ab eo facta.

LVC. *Cap. 2. à vers. 29. ad* 40.

29 Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, cum pace:

30 Quia viderunt oculi mei salutem tuam,

31 Quam parasti in oculis omnium populorum :

32 Lumen detegendum Gentibus, & gloriam populi tui Israëlis.

33 Iosephus autem & mater ejus mirabantur super iis quæ dicebantur de eo.

34 Et benedixit eis Simeon, dixitque Mariæ matri ejus, Ecce positus est iste casui & resurrectioni multorum in Israël, & in signum cui contradicatur :

35 (Quin & tuam ipsius animam trajiciet gladius) ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.

36 Erat etiam quædam *Anna prophetissa, filia Phanuelis ex tribu Aseris, provecta in multam ætatem, postquam vixisset cum viro annos septem à virginitate sua.*

37 *Et* quum esset *vidua quasi annorum octoginta quatuor, non abscedebat à templo, jejuniis ac deprecationibus colens* Deum *noctem ac diem.*

38 *Hæc igitur eo ipso momento quum supervenisset, vicißim palam agnoscebat Dominum, & loquebatur de eo omnibus qui redemtionem expectabant Hierosolymis.*

39 *At* illi *ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in urbem suam Nazaretam.*

ANALYSIS.

OPtat mori & à Deo corpore solvi, 1. à relatis, quod sit Dei servus, qui pro suo in illum herili imperio, illum dimittere potest, 2. à testimonio divino, quod ita prædixerat, 3. ab adjuncta summa conscientiæ tranquillitate.

Vers. 30. Hanc probat ab adjuncta Christi visione oculis corporeis; quem describit a proprio effecto, salutis procuratione.

Vers. 31. Hujus causam efficientem designat Deum, qui salutare hoc paravit; quam amplificat à subjecto omnium populorum quibus hæc salus parata est.

Vers. 32. Omnes populos distribuit in duas partes, Gentes & Israëlitas, & Christi distincta effecta erga utrumque populum: erga Gentes, ut eas veritatis scientia mulceat, quod metaphora luminis illustrat: Israëli vero, jam ante illuminato, gloriam & decus afferat.

Vers. 33. Hujus cantionis effectu in *Maria* & *Iosepho* est admiratio.

Vers. 34. Postquam Deo gratias egisset, & effectum *Simeonis* erga Deum narrasset, subjungit alterum effectum erga parentes, quibus tanquam Dei Propheta benedixit. Deinde alter effectus *Simeonis* subjungitur, nempe Prophetica prædictio; quæ suo proprio subjecto describitur, nempe *Maria*, cui hæc Prophetia dicta est; Prophetia autem hæc adjuncta nota attentionis commendatur (*Ecce*) est autem Prophetia primum de puerulo, deinde de ejus matre; puer autem describitur primum duplici effectu casus & resurrectionis; qui amplificatur ab adjuncto numero magno, & subjecto Israële; deinde ab adjuncto signo, quod distinguitur adjuncto contradictionis.

Vers. 35. Quorum cum effectum tum adjunctum finis est, ut multorum cordium cogitationes retegantur. De matre, proprium ejus adjunctum afflictionem continet: cujus acerbitas allegoria illustratur, quod tanquam gladius animum ejus transfodiet & transverberabit.

Vers. 36. Hujus viri testimonio subjungitur aliud mulieris testimonium quod Christo reddidit; quæ describitur adjuncto nomine, deinde adjuncto dono Prophetiæ, 3. à relatis filia *Phanuel,* 4. à subjecto tribu Aser, 5. ab adjuncta senili ætate, 6. ab adjuncta virginitate cum nupserat viro.

Vers. 37. 7. Ab adjuncta viduitate; quæ definitur alio adjuncto 84. annorum, & amplificatur ab adjuncta paucitate annorum septem, quibus cum marito vixit, 8. ab adjuncta pietate; quæ arguitur, 1. ab adjuncta templi frequentatione, 2. ab adjuncta assiduitate precandi, & cum precibus jejunium conjungendi; quæ assiduitas arguitur à distributione temporis in diem & noctem, post ab adjuncto tempore quo templo adstitit.

Vers. 38. Denique testimonio quod Christo reddidit; quod testimonium describitur, 1. à relatis, scilicet quia *Simeonis* de Christo testimonium confirmavit, 2. describitur à subjecto viz. testificatam esse de Christo omnibus, qui redemptionem per Christum expectabant.

Vers. 39. Post abitum *Mariæ* & *Iosephi* Hierosolymis, describitur ab adjuncto tempore, quando perfuncti erant iis, quæ illis ex lege incumbebant.

METAPHRASIS.

SImeon *defixis oculis puerulum intuens,*
eumque ulnis suis adhuc (ut videtur) com- 29.
plectens, tanto & tam solido gaudio perfusus est, ut se continere nequivit, quin cantione in Dei laudes erumperet. Tui (ô Deus) in carne visione & in ulnis gestatione, tam cumulatum & confertum gaudium percipio, ut alia omnia in hac mundi universitate mihi seu ad spectandum, seu ad contrectandum sordeant. Quamobrem supplex peto, ut, me jam animo ex vivo sensu benignitatis tuæ tranquillo existentem, ad mortem properare sinas; quod non ausim petere, nisi illud tibi placere ex antehabita revelatione plane constaret; maxime cum mihi (quod summe expetivi) obtigit, ut Christi tui visione eum conspexerim, in quo omnes salutis nostræ fontes inclusi & obsignati sunt.
Quod meum tam solidum & expletum gau- 30.
dium non in eo tantum consistit, quod ipse ex hoc fonte salutis vitam æternam hauriam:
sed quod illam ab æterno, omnibus omnium 31.
nationum hominibus destinans, eandem omnibus expositam & obviam proponis. Nam il-
lum Gentibus in tenebris à multis seculis de- 32.
mersis, lumen ad ignorantiam discutiendum proponis: Iudæis vero, quibus peculiari quadam ratione promissus, & à quibus secundum carnem oriundus est, ut gloriæ & honori esset, constituis. His auditis Iosephus *cum matre de*
Christo dictorum magnitudine commoti, ma- 33.
xime vero, quod de Gentium vocatione sermonem fecerat, admiratione tenebantur, qui tamen non semel de hoc incomparabili mysterio
edocti fuerant. Simeon *vero Dei laudibus ab-* 34.
solutus, sua ad Iosephum *&* Mariam *oratione conversa, primum illorum & beatitudinem, ex tam incomparabilis pueri in lucem editione & enutritione, prædicat, & ut porro illis Deus benedi-*

benedicat apprecatur. Deinde de hujus pueri
admirabili eventu Mariam *præmonet, ne sibi*
ex his quæ dixerat in errorem inducta, ab o-
mnibus huic puerulo acclamatum & applau-
sum iri sibi persuaderet. Nam animum (in-
quit) adverte, hunc puerulum à Deo proposi-
tum esse, ut sicut multi, Dei singulari gratia
& charitate, à peccati morte ad vitam æter-
nam excitabuntur; sic quamplurimi Dei ju-
stitia & propria hominum pervicacitate ad
illum, tanquam ad petram, conterendi & con-
fringendi allidentur: in quem improbi omnes
tanquam in metam collimabunt, ut illum, si
qua fieri posset, transfigerent: sic autem fiet, ut
cum sibi tum aliis plerique in pietate placentes,
& impii & perditæ spei homines esse coar-
35. *guantur; interim tu, ipsa horum omnium*
spectatrix, dolore non minus acuto & acerbo
corripieris, quam si gladius animam tuam
transverberasset. Ut vero duorum fide & te-
stificatione res hæc constaret magis, & omnis
generis testibus hæc salus abunde testata esset,
ab Angelis & hominibus, ab illustribus &
obscuris, ab his qui publicam personam gerunt
& ab his qui privatam sustinent, denique à
36. *viris & mulieribus. Fœmina, quædam adfuit,*
Anna *nomine, dono Prophetiæ præter commu-*
nem sortem ornata, filia Phanuel, *ex tribu* A-
37. ser *oriunda. Hæc fœmina decrepitæ pene ætatis*
erat; nam inviolata & intacta virginitate,
conjugata cum viro septem annos in matrimo-
nio caste & incorrupte transegit. Marito de-
functo vidua circiter 80 annos permansit;
cujus ut erga homines castimonia, sic in Deum
pietas magis innotescat: nollem vos fugere
hanc fœminam assiduam in templo fuisse, iis
temporibus quibus templum adire receptum
est; interdiu & noctu assidua fuit in preci-
bus, quibus mala, quæ in Ecclesiam vasta-
bant, & porro vastitatem minabantur, de-
38. *precata est: quibus, ut Deum magis religiose*
colens postulata obtineret, jejunium adjunxit.
Eadem hæc fœmina ad id temporis cum hæc
gerebantur superveniens, Dominum non se-
cus quam Simeon de Christi adventu laudi-
bus extulit, & de eo sermonem apud omnes
Hierosolymorum cives habuit, qui expectatio-
ne & spe redemptionis per Christum parandæ
39. *tenebantur. His omnibus transactis, quæ ex*
legis præscripto præstanda erant, ab urbe Hie-
rosolymorum se domum versus receperunt.

PRAXIS.

CAntionem ejus Propheticam εὐχαριστικὴν esse, ex Lucæ verbis diserte liquet: in quo grati & memoris viri, nobis exemplum proponitur; sicut in Zacharia, Maria, & pastoribus prius vidimus. — *Vers. 29. Cantio Simeonis gratiarum actio:*

Cantio Dei in Christo erga homines benignitatem celebrat:

Cujus duę sunt *partes*,
- Propositio, placide & libenter ad mortem properare.
- αἰτιολογία, quod
  - ea esset Dei voluntas,
  - Dei salutē longe amplissime in Christo oculis conspexisset.

Mors, cum contra naturam sit, & animi à corpore diremptus, homini, natura sua, non potest non esse formidabilis & horrida: cui tametsi multa remedia quæsita sunt & solatia, philosophiaque humana & morata educatio, adversus ejus acerbitatem medicinam polliceantur; tamen nusquam hactenus, extra Christum, inventa sunt. Tametsi enim plerique fuerunt, qui partim voluntariæ morti se objecerunt, partim sibi ipsis interitum consciverunt; tamen aut stupore quodam correpti hoc fecerunt, & temeraria inconsiderantia, aut animi terrores intus simulate compresserunt, aut animi furiis & Bellonis exagitati, cruciatuum levationem in morte se inventuros, falso sperarunt: ecquis enim est, qui anguem, aut serpentem conspectum non horret & odio habet, cum ingenitum nobis in illud animal odium & penitus in natura nostra insitum sit? mors autem omni serpente & angue horribilior; cujus stimulus hominibus infixus diros cruciatus, & patientibus tantum cognitos ciet. Cujus quidem causa est, quod non modo præsens vitæ bonum amittentes, de nullo successuro persuasi sunt; sed quod malæ conscientiæ præsagio, magnam aliquam calamitatem exspectant. In Christo vero stimulus & aculeus ei eximitur: ut cum illa quodammodo (sicut alicubi cum serpentibus) colludamus. Hinc fit, ut Paulus non modo mortem non refugiat, sed vita expetibiliorem ducat; quoad per eam ad conjunctionem cum Christo transitus sit. *Phil.* 1,23. item 1 *Cor*, 15, 54, 55. morti insultat. — *mors in Christo non formidabilis,*

Prior ratio, qua ut mortem libens amplecteretur adductus est, fuit quod ita ferebat Dei voluntas, quæ tametsi nobis oraculo non constat ut illi; tamen cum aliis signis & indiciis, tanquam nuncio misso, intelligimus, ad voluntatem ejus nos conformare æquum est, & illud velle, quod Deus fieri vult. — *eam ex Dei voluntate libens amplectitur,*

Rationem aliam adjungit, quod viderat *Dei salutem*, viz. Christum oculis suis. Pii — Vers. 30. *cum oculis*

tametsi

ſuis Chriſtum viderit;

tametſi ad omnia momenta parati ſint, Deo diſceſſum hinc imperanti parere; tamen habent ſua quædam vota, quibus primum potiri avent, ut modo cum Dei voluntate non pugnet. Hinc eſt, ut *Gen.* 46, 30. Iacobus incredibili Ioſephi videndi deſiderio detentus, illo conſpecto profiteatur, ſe ilico vita excedere paratum eſſe. Et plerique ſunt, qui liberos elocandi ſtudio ducuntur, priuſquam vitam cum morte commutent: alii ut nomina & debita prius diſſolvantur: alii ut de commoda vivendi ratione uxori & liberis proſpiciatur: alii (qui rariores ſunt) ut ſcholam, collegium, vel πτωχοτροφιον aut aliquid hujuſmodi monumentum exſtruant; quod ſtudium, ad voluntatem Dei revocetur modo, non eſt vituperandum. Non diſſimili modo Simeon, tametſi in Chriſtum venturum ſpem ponens, ſemper ad migrandum paratus erat; tamen ad majorem fidei confirmationem, ſtudio Chriſtum etiam corporeis oculis videndi incenſus, hoc à Deo impetravit. Ei vero ad placide moriendum hæc Chriſti viſio neceſſaria fuit; quoniam promiſſum de ea re acceperat, qua non præſtita, quietus eſſe nequivit. Niſi enim fidei oculo Chriſtum ante vidiſſet, neque corporis oculis illum videre magnopere expetiviſſet; nec viſus illi quidpiam profuiſſet. Hic de Chriſti viſione, in Euangelii prædicatione & ſacra adminiſtratione, oportunus dicendi locus, &c. Hujus autem exemplo docemur, quis præcipuus nobis vivendi ſcopus propoſitus eſſe debet; nempe ut in Chriſti fide nos confirmemus, ſine qua nunquam pleni annis erimus, etiamſi ad milleſimum annum vita noſtra prorogaretur. Sine qua nunquam, tanquam maturæ fruges, in horreum colligi expetemus, aut tanquam matura poma, ſponte in Dei manum cademus. Denique, ſine qua, tametſi multa noſtra deſideria Deus expleverit, alia tamen atque alia ſubinde pullulabunt & renaſcentur; ſicut ſæpe fit, ut homines vitæ ſuæ terminum rei certæ conſecutione circumſcribentes, illis tamen adeptis non magis acquieſcunt, quam ſi voti compotes non fuiſſent.

hinc quæniam pius ante obitum procuranda?

Verſ. 31.

Ex amplitudine ſalutis mortem tanto libentius oppetit;

Ab adjuncta autem ſalutis hujus amplitudine, placidam & quietam animi ſui compoſitionem adverſus mortẽ confirmat; quod ſcilicet Deus hanc in Chriſto ſalutem omnibus hominibus expoſitam & obviam propoſuiſſet: *eſſe* enim *in conſpectu alicujus*, eſt illi expoſitum eſſe & patere, ut *Geneſ.* 20, 25. *Sic enim Deus dilexit mundum, &c, ut omnis, &c. Ioh.* 3, 16. 1 *Timoth.* 2, 6. 1 *Ioh.* 2, 2.

Poſt, populos ſecat in { Gentes, & Iſraëlitas. } Verſ. 32.

Et quidem de *Gentibus* dicit, eum eſſe *lumen*; quo declarat, extra Chriſtum, in his quæ ad vitam ſpectant æternam, nos eſſe in tenebris, ut non plus luminis nobis affulgeat, quam olim in initio mundi, cum tenebræ univerſæ mundi ſuperficiei effuſæ ſunt, ut ne lucis quidem ſcintilla minima micaret. Sic enim Paulus, 2 *Cor.* 4, 6. tenebras & ignorationem mentis, cum illis naſcentis mundi tenebris comparat, è quibus Deus, juſſu & mandato ſuo, lucem evocavit. Hujus ſpiritualis caliginis umbram & imaginem habemus in Ægyptiacis tenebris, quæ tantæ erant & tam ſpiſſæ, ut nemo potuiſſet loco ſuo movere: huc accedit, quod *Coloſſ.* 1, 13. antequam ad Chriſtum vocamur, in regno tenebrarum conſtitiſſe dicimur, id eſt, ubi tenebræ imperium obtinebant. Quod quidem ex adverſo plenius cognoſcitur; ſicut enim, cum in plenam regni Dei poſſeſſionem perveniemus, omnis caligo & ignoratio diſpelletur; ita, cum in regno tenebrarum captivi tenebamur, nulla prorſus ſalutari Dei cognitione imbuti ſumus. Eundem ſenſum habet, quod Iohannes homines non tantum tenebroſos, ſed *tenebras* appellet. *Ioh.* 1, 4, 5. & quod natura non luſci, ſed *cœci* ſumus. *Ioh.* 9, 39. Quo etiam refertur, quod Paulus *Epheſ.* 1, *v.* 18. *mentis lucem* à Deo precatur; quod pro accepta jam luce, & veritatis cognitione gratias agat: ut igitur Chriſtus nobis ſapiat & gratus ſit, altius nobis noſtra miſeria cogitanda. Quod enim *Pontificii* non majori ſtudio juſtitiæ tenentur, in cauſa eſt, quod liberi arbitrii & propriarum virium falſa opinione inebriantur: ſicuti autem pleno ventri, mel ipſum ingratum & faſtidioſum quid videtur; ſic illis &c.

quæ in Gentium illuminatione conſiſtit,

Quod vero *Iſraëlis gloriam* Chriſtum eſſe dicit; non eo dicitur, ac ſi Gentes, quod de Chriſto glorientur nequaquam habeant: omnis enim noſtra gloria in Chriſto ſita eſt, & abſit gloriemur niſi in Chriſto, & per Chriſtum. Sed hac phraſi loquendi docere vult, Iſraëlis peculiarem quandam gloriam ex Chriſto eſſe: ſcilicet quod ab illis oriundus, *Rom.* 9, 5. & illis primo deſtinatus ſit, *Rom.* 3, 2. Sicut etiam, non ita eſt Gentium lumen, ac ſi Iſraëlitæ aliquid extra eum luminis poſſiderent: ſed quod ejus in mundum adventu Gentes illuſtratæ erant, quæ ante

& gloria Iſraëlis:

K tenebris

tenebris obruebantur; cum Iudæi ante ejus in mundum adventum, nonnulla veritatis cognitione aspergerentur. Nos vero, si illum audientes, ei obtemperemus, *ejus & mater, & fratres, & sorores sumus.*

iis cum nos nunc fruamur tanto jucundius mors adeunda.

Quod si Simeon, futura hæc prospiciens, tantam inde lætitiam & consolationem percepit, ut placide & non invite in Domino obdormiret: nobis hoc magis præstandum erit, qui rem ipsam opere perfectam intuemur, & oculis usurpamus.

Vers. 33. *Hæc cum audiverant parentes Christi cur ita mirati fuerint?*

Quæri hic potest, quid sit, quod Parentes tantopere admirantur, cum nihil hic dictum, quod superioribus sermonibus & revelationibus, non ab illis plene perceptum esse videatur.

Cui *responderi* potest, mysterium Redemptionis tantum & tam profundum esse, ut quoties illius memoria mentem nostram subeat, tametsi illud sæpius in die fieret, propter ejus tamen magnitudinem admiratione nos duci conveniret: & certe, nisi stupidi essemus, ad quamvis ejus mentionem animis experrecti, miraremur tam incredibilem Dei in hominibus servandis bonitatem. Huc accedit, quod de Gentium vocatione, quæ ante attacta vix fuit, mentionem facit: quod quantum mysterium sit, passim ex *Actor.* 9, præsertim 10, & 11. & 1 *Tim.* 3, 16, liquet.

Vers. 34. *In quibus constiterit benedictio Simeonis?*

Postquam Deum benedixisset, benedicit etiam parentibus: quod quidem intelligi potest, vel ut eorum sortem beatam prædicaverit; Mariæ quidem quod Christum peperit, Iosephi vero, quod illius nutritius esset, ejusque tutelam sibi commissam à Deo haberet: vel quod omnia illa fausta & fœlicia apprecatus sit; vel, quod malim, utrumque. Hanc autem benedictionem magni ponderis esse, à Propheta præsertim profectam, non ignorabant. Hic de ordinaria in Ecclesia benedictione à Ministro promulgata dicendi locus est, ex *Num.* 6, 22, *ad* 26. & simul perstringendi eos, qui tantam Dei beneficentiam neglectui habent. Quod si cui hanc benedictionem ad Christum ipsum extendere videtur, est quo hæc opinio defendi potest: sed malim ad parentes.

Atque ne ex hac cantione, qua Deum celebravit, aut benedictione, qua illis fausta apprecatus est, aut Christum passim magno applausu & acclamatione omnium accipiendum, aut se omnibus afflictionum difficultatibus solutos fore existimarent: horum neutrum fore prædicit. Primum enim docet, *positum esse in resurrectionem & ruinam multorum:* quo indicatur, eum aliis quidem salutarem, aliis exitialem fore: his fundamentalem lapidem, cui superstruentur, illis vero lapidem impactionis, ad quem titubantes cadant. His lapidem angularem, qui illi per fidem conjunctos corroboraret; illis vero lapidem scandali, ad quem se allidentes atterantur: his petræam arcem, ad quam se recipientes tuti sint; illis vero petram, quæ in se incursantes frangat, & in minima frusta commoliat. Denique his, laqueis, quibus implicati tenentur, ereptorem & liberatorem; illis vero laqueum & plagas, quibus irretiti teneantur & comprehendantur; ut est *Esa.* 8, 14, 15. ad quem locum allusisse videtur.

item resurrectio & ruina?

Vbi *quæri* potest, quomodo Christus sit multis in ruinam, cum absque Christo, aut Christi seu adventu seu prædicatione, homines in se perditi sint?

quomodo futurus sit Christus multis resurrectio & ruina?

Respondeo, multos in Israële, qui ante Christi adventum stare videbantur, tum demum à Deo defecisse deprehensos esse. Deinde etiam, tametsi absque Christo ante perierant & ceciderant, tamen Christi contemptu gravius cadunt, & majorem damnationem sibi consciscunt: vide *Ioan.* 16, 22. *Si non venissem peccatum, &c.* Quanquam dispari modo Christus his est resurrectio, illis vero ruina. Servandis enim vera causa est & germana, ruina vero non sua natura, sed impiorum vitio: ut lapis scilicet ruinæ causa est, hominis incuria ad eum impingentis; & ut solis æstus è cadaveribus fœtorem educit; non quod fœtor ullus solis radiis adhæreat, quem in cadaver transferat, sed quod cadaver materiem fœtoris in se continet, quem solis æstus prodit, non autem efficit: sicut & solis lumen lippos afficit, non solis, sed oculorum vitio.

Quæritur etiam, à quo Christus positus sit: eum enim in resurrectionem positum esse à Deo bene convenit; in ruinam vero à Deo positum esse, videtur à Dei clementia & misericordia abhorrens.

à quo ita positus?

Atqui Paulus *Rom.* 9, 33. & 1 *Petr.* 1, 2. non dubitant hoc Deo attribuere, & Deum ipsum ex Propheta *Esa.* 8, v. 14. loquentem inducere. ***Ecce ego pono in Syon lapidem offendiculi, &c.*** dicitur ordinatos esse, ut ad lapidem Christum impingerent, 1 *Petr.* 2, 8. Hoc autem fortuito jactui, aut otiosæ permissioni assignari non potest, cum *à Deo positus* aperte dicatur: quamvis non eodem modo

modo à Deo ad ſalutem & ad perditionem poſitus eſt. Deus enim Filium in mundum non miſit, ut mundus per eum condemnaretur; ſed &c. *Ioh.* 3, 17. Poſitus enim eſt ad reſurrectionem, ita ut jacentes ipſe erigeret & vitæ reſtitueret ſua virtute; poſitus autem eſt ad impiorum ruinam, non ut illos ſtantes dejiceret, aut jam ante collapſos attereret; ſed tamen ut in eum inſurgentibus & incurſantibus, loco, in quo à Deo conſtitutus eſt, non cederet; neque illi petræa hæc durities proprie attributa eſt, ut reprobos comminueret, ſed potius ut electis firmitatem præſtaret, & immobilem durationem; quod ſi præcipites in hanc ſe duritiem jactent, Chriſto tamen ad ſuorum ſalutem intereſt, ut ſuam duritiem tueatur. Nota ex Petro, 1 *Pet.* 2, 8. eos omnes Chriſto impingere, qui ad Chriſti ſermonem impingunt, non Turcas tantum & Iudæos, &c. ἀναστάσεως voce notat, nos prius mortuos. vide *Ioh.* 5, 28. quod Chriſtus *Ioh.* 11, 25. ſe *reſurrectionem* eſſe dicit: eodem accedit, quod *nova creatura*, quod etiam *regenerati* dicimur: hæc enim declarant nos eſſe expertes omnibus bonis, extra Chriſtum.

etiam quomodo ſignũ cui contradicatur? Εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. alludit forte ad illum locum, *Eſa.* 8, 18. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus in ſigna, &c.* idque à Iehova; declarat autem eum inſtar vexilli cujuſdam in præaltum locum ſubvehendum, ut à multis hominibus & nationibus conſpectus, multi etiam ad illi contradicendum confluant: in ejus enim perſonam conjurarunt Iudæi, Gentes, Sacerdotes, Phariſæi, plebs, Pilatus, Herodes, in ejus membra univerſus pœne mundus conjurabat. Hinc ſcriptor ad Hebræos eum *peccatorum contradictionem tuliſſe* confirmat. Deus autem non ob eam cauſam eum extulit, ut homines hoſtiliter ad eum confluerent; ſed potius ut homines ad illius vexillum convolantes, à communibus humani generis hoſtibus, diabolo, peccato, morte tuti eſſent: *Cum enim in altum ſubvectus fuero, omnes* (inquit) *ad me traham. Iohan.* 12, 32, & 3, 14, 15. Ipſe vexillum album pacis inſigne in Filio explicavit, illi vero, tanquam nigrum aut rubrum explicaſſent, ad arma accurrerunt, & ad eum ſagittis ſuis collimarunt, ut eum configerent.

Verſ. 35. *& gladius Mariæ animam penetret?* Tantam vero docet contradictionem fore, eas in eum molitiones & machinationes, denique eas illi ærumnas, cruciatus & tormenta perferenda, quæ virginem non minus cruentarent, quam ſi per mediam animam diſtrictus gladius, trajectus & tranſverberatus fuiſſet: quod tum accidit, cum Chriſtus in crucem actus, indigniſſimas quaſque contumelias & injurias pertulit. *Gladius* enim *illius animam* ideo *penetraſſe* dicitur, quod mœror, ex Chriſti perpeſſionibus, ad intima animi penetralia pervaſit; ut *ferrum Ioſephi animam ſubiviſſe* dicitur, id eſt, dolor ex ferreis pedicis. Quo docemur, quam tenellus & acer ſenſus nobis eſſe debet perpeſſionum, quas Chriſtus nunc in corpore ſuo, Eccleſia, perfert.

Ex quibus omnibus, ut olim Virgo, ſic nos hodie à Simeone commonemur atque communimur adverſus tempeſtates, Chriſti & Euangelii cauſa coortas, vel poſt excitandas, ne crux Chriſti & Euangelii, nos ab illius amore abducat; & ut rem hanc probe meditatam & commentatam apud nos habeamus, ne ex inſperato in nos irruens, incautos nos opprimat. Si enim undique & paſſim Chriſti applauſum fore, ſi externam ſine interpellatione pacem & res ſecundas, ſi ſemper ſub vite & ficu noſtra ſedere, ſi ſemper æſtatem & aëris ſerenitatem ſomniemus; & nos ipſos fallimus, & nobis ipſis ad ruinam viam ſtruimus. Sed ſi animo venturam tempeſtatem, ex Simeonis admonitione, tanquam ex ſpecula, proſpiciamus, cum illa nos minus conturbabit, tum aſyla & pallia, ſeu navis armamenta, id eſt, Dei promiſſiones corroborabimus, quorum præſidio tecti ſimus, aut tempeſtati reſiſtamus: homines ſcilicet, quantas & quantaſcunque inſidias aut alias expugnandi Euangelii machinas comportaverint, nunquam tamen ne gry quidem profecturos, irritos eſſe & caſſos eorum conatus, neque tantum irritos, ſed illiſmetipſis noxios, nobis vero & Euangelio mirifice compendioſos & utiles. In primis vero, quod hoc loco à Simeone exprimitur, homines hoc modo, id eſt, partim prædicatione Verbi, partim pro Chriſto & Euangelii perſecutione, detegendos, illiſque larvas hoc modo detractas fore. Hinc eſt, ut Euangelii prædicatio *vanno* comparetur. *Matth. c.* 3, *v.* 12. & *gladio diſſecanti, Matth. cap.* 10. *verſ.* 34. Perſecutio vero tempeſtati levia rapienti, gravia poſt ſe linquenti, arbores radicem agentes relinquenti, palos vero in terram defixos, aut leviter radicatos ſubruenti; igni aurum expurganti, lignum vero & fœnum penitus abſumenti.

hæc omnia nos in adverſis, quæ Chriſti cauſa accidunt, firmos eſſe debere docent.

Vers. 36. *Incertum in quibus consliterit Annæ donum Prophet.* De Anna hoc primum dicitur, illam dono Prophetiæ ornatam, quod, an tantum ad docendi munus referatur, an ad futurorum prædictionem, quoniam illud non indicatur, in medio relinquo.

Vers. 37. *ejus ab adjunctis laudibus testimoniū commendabile.* Deinde omnes ejus vitæ partes enumerat, virginitatis, matrimonii, & viduitatis; in quibus omnibus cum sancte vitam egisset, idque ad summam senectutem: non potuit non magnum pondus testimonio ejus adjungere, & illud à dubitatione, quam sexus infirmitas inurere potuit, vindicare. Est igitur insigne Dei beneficium, universum vitæ cursum egisse, sine aliqua nota & labe infamiæ. Hinc est, ut Apostolus non tantum rationem habeat, qualis Episcopus sit, cum cooptatur, sed anteactæ vitæ examen illum subire vult.

Hoc autem Annæ testimonium extraordinarium est, utpote lege Dei vetitum. 1 *Timoth.* 2,12. *mulieri enim docere non permitto &c.* ideoque à Deo confusis Ecclesiæ temporibus tantum adhibitum, ut in Hulda, 2 *Reg.* 22, 14. 2 *Chronic.* 34,22. & hac Prophetissa videre est.

In voce *redemptionis* notandum est, non tantum priorem Christi adventum, tempus redemptionis vocari, sed & posteriorem, ut *Rom.* 8, 23. ob eamque causam ab omnibus piis præoptandam, tanto magis quod tum plene perficietur, quæ priore inchoata est fœlicitas. Vers. 38. *Redemptio etiam secundi adventus.*

MATTH. *cap.* 2. *à vers.* 13. *ad* 19.

13 Ipsis autem regressis, ecce, angelus Domini apparet in somnio Iosepho, dicens; Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & fuge in Aegyptum: & esto illic usquedum dixero tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerulum, ad eum perdendum.

14 Ille vero experrectus accepit puerulum & matrem ejus nocte, & secessit in Aegyptum.

15 Et fuit illic usque ad obitum Herodis: ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam, dicentem; Ex Aegypto vocavi filium meum.

16 Tum Herodes, quum vidisset se illusum esse à Magis, excanduit valde, & missis carnificibus *interemit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omni confinio ejus, à bimulis & infra, secundum tempus quod exquisierat ex Magis.*

17 Tunc impletum fuit quod ait Dominus per Hieremiam Prophetam, dicentem;

18 Vox in Rhama audita est, lamentatio, & fletus, & ejulatus multus; Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere de eò *quod non sint.*

ANALYSIS.

Describitur alia apparitio Angeli ad *Iosephum*, primum ab adjuncto tempore, cum Magi se domum versus recepissent, 2. ab adjuncta nota admirationis, vel animadversionis, 3. altero adjuncto temporis, cum *Iosephus* dormiebat noctu, 4. effecto Angeli oratione; quæ oratio complectitur effectum *Iosephi*, 1. ut acciperet puerulum & matrem; quod effectum declaratur adjuncto temporis, simul atque experrectus fuerit, 2. altero effecto fugiendi; quæ fuga definitur subjecto Ægypti, 3. effectum est ut ibi maneat; quod adjuncto tempore finitur, nempe quoad dicitur illi ut in patriam redeat, 4. Horum effectuum causam efficientem designat, quod *Herodes* puerulum quæreret ut eum perdat.

Vers. 14, 15. *Iosephi* adjunctum obsequium notatur: item mansio in Ægypto adjuncto tempore, usque ad mortem persequutoris; quæ in Ægypto permansio præcipuo fine arguitur, ut impleatur quod dictum est per Prophetam: *Ex Ægypto vocavi filium.*

Vers. 16. Describitur *Herodis* excandescentia, 1. adjuncto tempore, cum Christus in Ægyptum fugisset, 2. à causa efficiente, quod se à Magis delusum existimabat, 3. ab effecto, nempe missione satellitum; quæ missio fine arguitur, ut infantes agri Bethlemitici interimerent: qui infantes describuntur adjuncta ætate, nempe bimula, & hac ætate minore; cujus ætatis causa adnectitur, accurata disquisitio tēporis quo stella Magis affulserat.

Vers. 17. Deinde hujus infanticidii finis notatur, complementum Prophetiæ *Ieremiæ.*

Vers. 18. Hæc autem Prophetia describit hanc cædem, 1. ab effecto, ploratu matrum in agro Bethlehem; qui illustratur adjuncta magnitudine: hujus ploratus magnitudo amplificatur, ab adjuncta recusatione consolationis; cujus causa assignatur, quod non essent.

METAPHRASIS.

Postquam Magi patriam versus abiissent, 13.
Adverte quæso animum, ut Dei solicitam de Christo providentiam intelligas. Angelus etenim

etenim beatus Iosepho *dormienti, & nihil*
minus quam de insidiis in alumnum suum co-
gitanti, visibili hominis forma se videndum
præbet; quem in hunc modum compellat. Ilico
atque experrectus fueris, puerulum cum ma-
tre sua in tuam curam accipe, ut illis de his
quæ ad fugam vestram in Ægyptum necessa-
ria sunt, prospicias; ubi usque eo hærebis, quo-
ad ut nunc fugæ è patria, sic reditus in pa-
triam à me commonefies. Quæ fuga si forte ti-
bi insolens videatur: intellige gravem ejus
causam subesse, futurum enim non ita multo
post, ut Herodes *puerulum ad mortem quæ-*
rat. Qui quidem somno experrectus, de nocte,
puerulo cum matre assumpto, in Ægyptum se
recepit: ubi usque ad Herodis *mortem per-*
14. *mansit. Quia autem Christi fuga, nonnullis*
peregrina & aliena apparente, illius in Ægy-
ptum profectio magis adhuc aliena & absur-
da videri potest, quo populo Dei proficisci ve-
titum est, hi intelligant necessitate quadam
inevitabili hoc puerulo incubuisse, ut implere-
15. *tur quod à Domino per Prophetam prædictum*
est, dicente; ex Ægypto Filium meum *(quod*
Israëlitis servandis destinatus sit) vocavi;
unde certe evocari & educi non potuit, nisi
16. *prius illuc se recepisset. Tum* Herodes *videns*
se (sua opinione) à Magis ludificari (quem
Deus verius quam Magi irrisui habuit) ve-
hementer commotus, Satellites suos misit, ut
omnes agri Bethlemitici bimulos, & qui bi-
matum non attigerant, interimerent: habita
ratione temporis quod accurate à Magis per-
17. *didicerat. Hoc infanticidium, tametsi multis*
offensionem præbeat; tamen probe rem expen-
dentibus ita factum oportuisse comparet, ut
18. *Dei per Prophetam* Ieremiam *sua veritas con-*
staret; quæ in hunc sensum dictum est. Vox
in Rama tribu Benjamin *(sed finibus Bethle-*
mi) exaudita est lamentationis, fletus, & eju-
latus magni, cui calamitati deplorandæ ma-
tres, quæ tum in vivis erant, non videbantur
sufficere; nisi etiam Rachaël *multis ante secu-*
lis mortua, & in illis partibus sepulta, veluti
ex inferis ad hanc calamitatem lugendum ex-
citaretur. Quanquam autem fœminæ, lachry-
marum effusa copia, plerumque consolationem
in malis accipiunt; tantum tamen hoc malum
extitit, ut nec illachrymatione, nec ulla alia
admota & adhibita consolatione, dolorem de-
ponere potuerint, quod chara eorum pignora
illis adempta nusquam comparerent.

PRAXIS.

Historia de Christi fuga in Aegyptum;

CHristus interim dum Strages bimulorum infantum editur, in Aegypto, ex Dei mandato, agens: defuncto Herode, ejusdem Dei directione, Nazarethum reducitur, utrobique Messias comprobatus.

Cujus *partes* sunt, Christum
- insequentem tempestatem fuga in Aegyptum declinare,
- &
- ex Aegypto Nazarethum vocari.

In priore *parte* duo insunt
- fuga,
- &
- cædes infantū.

In *fuga* considerantur,
- profectio,
- &
- profectionis causæ.

In profectione mandatum Dei per Angelum notatur, fugam imperantis; in quo sollicita Dei de suis providentia apparet, qua Herodis adversus Christum sanguinariam mentem tempestive retegit: qua re ut suam in impios consultores justitiam, illos irremissa & irrequieta consiliorum agitatione & versatione torquentem; ita & in pios indulgentiam declarat. Vers. 13.

ea non sine Dei providentia per Angelum mandatur:

In re vero tanta, & tam magna vitæ mutatione, Dei imperium intervenire oportuit & mandatum: non enim tantum patrias sedes relinquere, sed terram Cananæam, voluntatis erga eos Dei pignus & testimonium, ut ad prophanam terram proficiscerentur grave fuit: commigrare à loco, ubi Deus colebatur, in regionem, ubi non nisi diaboli cultus vigebat, gravius hoc erat. Adhuc magis, quod in Aegyptum secedant, de qua expresse mandatur, ne Dei populus eo rediret, præsertim commorandi causa. Quo docemur patriam non esse illam temere relinquendam, maxime vero si quando à Dei Sacrario, & terra sancta, & Deo (Verbi prædicatione) consecrata, in regionem, ubi est Diaboli thronus, & dæmonum veluti cavea proficiscendum fuerit: magna cautio adhibenda, & Dei in Scripturis imperium & authoritas exspectanda; quod à nostris hominibus non fere observatur, qui parvi lucelli causa, Ecclesia per aliquot annos exulare non magnopere curant: a feraci & irrigua terra, ad sterilem & horridam nemo facile commigrarit; quanto minus ab illa terra, ubi Verbi Dei cœlestis ros & pluvia quotidie defluit, ad Aegyptum, quæ nunquam imbre cœlesti irrigatur.

cujus præcepti necessitas.

Parentes de permansione in Aegypto suspensos tenet; qua tamen difficultate eos, si voluisset, liberare poterat, ut Elizæus Schunamiten septem annis ejus exilium claudens:

Hujus fugæ reditus ad fidem exercendam incer-

tus relinquitur;

dens: 2 *Reg.* 8, 1. & Prophetæ Iudæos, septuaginta annis eorum exilium circumscribentes: *Ier.* 25, 11, 12. & 29, 10. *Dan.* 9, *v.* 2. Sed Deus istorum fidem hoc modo exercere voluit.

ut etiam quando Herodes puerulum quæreret.

Μέλλει γὰρ; tempestatem futuram prospicit, & quid facturus esset prædicit, forte priusquam Herodi quid faceret constitutum erat. Huic igitur tam perito gubernatori, vitæ nostræ naviculam tuto & secure committamus; qui longe ante advenientem tempestatem cernens, vel in portum aliquem nos deducet, vel navis armamenta & apparatum eum comparabit, quibus tempestati superiores futuri simus. Herodis ista consilia occultissime & callidissime comparata sunt; sed tamen videmus illa retegi: nec vero Christi capitis causa hoc factum est, sed & Ecclesiæ; ut in Israële perspicitur; adversus quem regis Syriæ consilia occultissime inita, ab Elizæo prodita sunt. 2 *Reg.* 6, 19. Idem etiam hodie Deus facit per hujusmodi ὠτακουστάς: citiusque *cæli aves portabunt vocem, & qui habet pennam annuntiabit sententiam. Eccles.* 10, 17. Simul etiam discimus, quæ legitima fugæ causa sit; nempe ut Christum in cordibus nostris per fidem habitantem, illæsum & integrum servemus & foveamus.

Vers. 14. *Iosephi promptum in fuga obsequium;*

Obsequium Iosephi diserte notatur eximium fuisse, ut qui *de nocte* illico ad fugam cum matre Christi accingit: à quo instituto eum deterrere potuit, quod indignum videretur, Servatorem mundi seipsum non nisi fuga servare, & quidem mortalis hominis opera & ductu: tenuitas ejus, qui non se domi ægre alere potuerat, & familiam, multo illud minus, remotus à patria id facere posse existimaretur: sed hos animi turbulentos motus comprimit, & ad Dei obsequium cogit, certus sapientiæ & benignitatis Dei, omnia ad lætum & optatum exitum dirigentis. Dei enim voluntas nobis instar mallei cujusdam esse debet, quo hujusmodi cogitationes obterantur, & tanquam ad scopulum allidantur. Docemur in exsequendis Dei mandatis cautionem, & humana præsidia adhibere; unde est quod Iosephus noctu fugam arripuit: vide exemplum Ierubaalis in demoliendo idola, ex sylva exscindenda. *Iudic.* 6, 27.

quæ cum Christo, ad nostri solatium in persecutionibus, ineunda:

In hac autem Christi fuga stupendum quid est: eum, ad cujus præsentiam montes liquescunt, scopuli diffunduntur, mare ipsum tremulum consistit, infernales principatus cohorrescunt, à metu Toparchæ fuga salutem quærere: perinde ac si aquila a musca metuens, aut à mure elephas, fuga sibi consulerent.

Sed ita Deo visum est, ut cum multos ad salutem per afflictionis omne pœne genus adducturus esset, principem eorum per varios & multiplices casus conservaret. Nec enim nos pigeat persecutionem perferre, cum recordemur Christum Dominum, in cunis adhuc vagientem, hujusmodi conditionem subiisse. Cum membris præclare agitur, cum servis & creaturis, si deteriore loco, quam caput, quam Dominus, quam creator non sint. Magna consolatio est, Abraham, Iacobum, Mosem & Davidem in exilium missos, & à populis & fratribus suis in exilium actos cogitare: sed multo plus consolationis in Christi exilio percipimus: cum concive extorrem esse, levationem habet; quanto magis cum civitatis principe, maxime cum bonam causam, & cum ipso principe communem, habuerimus.

ubi tutum consistendi locum invenit,

Notandum autem, Deum in medio Idolatrarum, de tuto & commodo hospitio Christo prospicere; cum in sua patria, & in Ecclesia Dei nullus tuto consistendi locus esset; & quidem apud populum, nominis Iudaïci inimicissimum infestissimumque. Sic olim Iosephus apud Aegyptios in honore vixit, cum in paterna familia per fratrum invidiam, ne vivere quidem ei licuit: ita etiam Eliæ apud alienigenam, Sareptinam videlicet viduam, prospectum est, cum in Israële ad mortem quæreretur. Nihil igitur est cur timeamus, ad quascunque nationes veritatis causa, quantumcunque barbaras & efferas, pervenerimus: quinetiam si nullibi, nisi apud ἀνθρωποφάγους asylum nobis in persecutione pateret; Dominus nobis tamen gratiam & favorem apud illos conciliaret, portas & ostia illorum nobis reseraret.

ut nos in fuga etiam inveniemus.

Vers. 15. *Hæc fuga in Aegyptum ex prædictione debuit fieri;*

Post præcipuam causam fugæ, adjungitur, cur in Aegyptum potius, quam ad alias vicinas & circumfusas nationes fugeret; sicut Naomi ad Moabitas, David ad Philistinos, &c. Scilicet, quod Hoseas hoc fore prædixerat, ut Dei Filius ex Aegypto evocandus foret; quod fieri neutiquam potuerit, nisi in Aegyptum commigrasset. Cum enim Prophetis solenne sit, munificas Dei promissiones de Israële instaurando, & in veterem dignitatem & libertatem restituendo, proponentibus, in aliqua Christi actione easdem promissiones stabilire & obsignare; nunc nativi-

nativitatis, nunc vero passionis, iterum equitationis super asini pullum: Propheta populo Israëlis promissiones exponens, illas in Christi ex Aegypto, id est, ejus obedientia ratas & firmas esse docet. Ex quo illud efficitur, Christum, tametsi fugere coactus sit; de via tamen discedere, aut devium aliquod iter suscipere, coactum non esse. Tametsi enim Tyranni furori cessit, idque saluti Iudæorum, quos ut servaret, venit, adversum videri potuit; tamen hac via recta itum est ad suorum salutem, quæ in eo posita est, ut omnes de se Prophetias adimpleret, ut verus Messias esse dignosceretur. Atque ita prorsus de piorum persecutione statuendum est: tametsi enim fuga illis in speciem noxia & infausta videri potest, ad eorum tamen salutem compendiosa est: estque ut Christi, ita & Christianorum omnium fuga non absimilis Israëlitarum fugæ à Iosua imperatæ, cum civitatem Ai occuparent, *Ios.* 3, 8, *ad* 19. An vero Christo Aegyptum ingrediente Idola sponte ceciderint, penes historicos ipsos sit fides; mihi, eam rem persequi, quam Scriptura attingendam non censuit, animus non est; præsertim cum ex loco Esaiæ, importune & contorte citato, illud fundetur.

quæ ideo nō nisi iter præstitutum fuit:

qualia & nostra exilia sunt.

Vers. 16.

Cædes Herodis ex ira orta,

Cædes sequitur, cujus causa assignatur exundans quædam regis ira, seu belluinus furor regis inflammatus, quod se illusum à Magis existimaret. Ex quo perspicitur, quam indomita bellua ira est, & quæ non operatur justitiam; verbum ut illud Salomonis verum sit, *iram stulti graviorem esse lapide, aut arenæ pondere. Prov.* 27, 3. maxime vero, cum hæc furia autoritate & imperio armatur. Quamobrem sicut omnibus hominibus, sic in primis Regibus, & his qui in autoritate collocantur, magnopere cavendum est. Simile quid de Saule legitur, cum universum Sacerdotum collegium crudeliter mactavit, ne ipsis quidem infantibus parcente. 1 *Sam.* 22, 18, 19.

quæ ab omnibus vitanda:

quia se illusum à Magis existimavit.

Ludificari se putavit à Magis, quod datam ei fidem non servarent: tametsi oraculo admoniti id fecerint. In quo sequuti sunt præceptum Salomonis, *Eccles.* 8, 2. qui præceptum Regis observandum esse docet, pro ratione obsequii in Deum. Quanquam vero serio hoc obsequium Deo detulerint, tamen tyrannus se ludibrio habitum existimavit: sic etiam fit, ut cum homines pii conscientia ducti pura, quædam facere detrectent quæ postulantur, pro ludificatoribus & contemptoribus habeantur. Quanquam verum quidem est, Deum istum tyrannum irrisioni habuisse, prout erat promeritus.

Hujus cædis immensitas,

Gravis vero hæc tentatio fuit, omnes bimulos mares, qui in illis oris & finibus erant, crudelissima morte opprimi, propter Christi causam. Subire enim animos hominum facile poterat, nulla verisimilitudine cum fore Servatorem, qui tantum infantum stragem permitteret: potuerat enim Herodis mentem in melius mutare; poterat, tametsi in impietate obfirmatum, fræno prudentiæ ita constringere, ut se contra populum non commoveret; poterat copias, seu cælestes, seu terrestres, quibus vim vi repelleret, opponere: quorum cum nihil fecerit, videri potuit, aut viribus, aut voluntate servandi populum suum defici. Verum si rem paulo altius expenderimus, intelligemus omnia non tantum sapienter, sed Iudæorum saluti convenienter facta esse. Cum enim tantus esset Iudæorum stupor, tanta dissolutio, Messiam susquedeque habendi, ut paucissimi fuerint, qui pedem domo efferrent, aut animum adverterent ad Messiam: peropus fuit hac clade, tanquam tormento excusso, aut tuba inflata, eos ex somno & stupore hoc excitare, & ad quærendum de Messia impellere. Deinde cum hunc de Messia errorem imbibissent, eum externæ libertatis assertorem fore, & externi regni Israëlitici in Davidis posteris collapsi instauratorem; percommode cum Christi fuga, tum omnium marium cædes & interfectio acciderunt: quæ illud delyrium refutarent.

non tamen, ob Iudæorum in Messiam ingratitudinem, injusta aut offensioni obnoxia;

Fortissimum vero & efficacissimum istius offensionis remedium est, quod Propheta hanc calamitatem prædixerat futuram, Christi sub adventum: nam Rama fuit tractus Bethlemiticus, in cujus confinio erat sepulchrum Rachelis; unde illa, veluti è sepulchro, ad lugendam hanc cladem à Propheta inducitur; tanquam qui in vivis tum essent, non possent satis pro dignitate tantam stragem lugere, nisi mortui ipsi quodammodo in luctus societatem advocarentur. Propheta enim Christi regis fœlicitatem & lætitiam describens, indicat tamen illa gaudia & læta tristibus admiscenda fore. Quoties igitur adversi quid nobis accidit, ad illius acerbitatem mitigandam occurrat, Christum & Apostolos hoc futurum prædixisse. Deinde videmus consilia, tametsi callida & profunda, & quæ ita capta sunt, ut Christus elabi non posse videretur, facile à Deo dissipari. Nullum est consilium, nulla sapientia

Vers. 17, & 18.

præsertim cum à Propheta prædicta.

Ex Herodis irrito consilio, omnium tyrannorum à Deo

facile dissipari. pientia adversus Deum: *Proverb.* 21, *v.* 30. Homines quidem mane surgunt, & noctem sæpe insomnem ducunt, ut Ecclesiam evertant; sed qui neque dormit, nec etiam dormitat, illorum cogitata facile superabit. Tametsi enim ea diligentia & accuratione usus sit, ut proprio suo filio Herodes non pepercerit, sicut memoriæ proditum est; tamen pisciculum quem capere voluit, non cepit: quamvis reti jaculum in totius piscinæ superficiem jactum sit, tanquam universas pisces extracturus esset.

MATTH. *cap.* 2. *à vers.* 19. *ad finem Capit.*

19 *Quum autem obiisset Herodes, ecce, Angelus Domini in somnio apparet Iosepho in Aegypto,*

20 *Dicens; Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & proficiscere in regionem Israëlis. Mortui sunt enim qui petebant animam puerulı.*

21 *Ille vero experrectus accepit puerulum & matrem ipsius, & venit in regionem Israëlis.*

22 *Quum autem audisset Archelaum regnare in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illuc abire: verum divinitus admonitus in somnio, secessit in partes Galilææ.*

23 *Et quum eo venisset, habitavit in urbe quæ dicitur Nazareth: ut impleretur quod dictum est per Prophetas, fore ut Nazarenus vocaretur.*

ANALYSIS.

Altera visio *Iosepho* facta describitur 1. ab adjuncto tempore cum *Herodes* suum diem obiisset, 2. adjuncta nota animadversionis, 3. ab instrumentali efficiente Angelo, 4. alio adjuncto temporis, cum *Iosephus* dormiens nihil tale cogitavit, 5. à subjecto loco Ægypto.

Vers. 20. 6. Ab effecto orationis Angeli ad *Iosephum*; ubi effectus *Iosephi* proponuntur, 1. ut puerum cum matre accipiat, 2. ut in patriam cum illis redeat: post causa reditus indicatur, mors eorum qui puerulum ad mortem quærebant.

Vers. 21. Deinde adjunctum *Iosephi* obsequium exponitur.

Vers. 22. Deinceps indicat cur *Iosephus* in Iudæam non est reversus: 1. causa metus scilicet; cujus metus causa indicatur, nempe quod Archelaus patris sui loco imperavit Iehudæ; cujus etiam effectus notatur, quod *Iosephus* in Galilæam se recepit; quod à testimonio divini oraculi confirmatur.

Vers. 23 Præterea locum magis specialem notat, oppidum *Nazareth*; notat porro magis specialem ejus in illo oppido commorationem, nempe habitationem. Quod etiam à fine arguitur, ut *Nazarenus* appellaretur; qui finis Prophetarum divino testimonio confirmatur.

METAPHRASIS.

19. *Ut sciamus Deum suorum calamitate non oblectari, nec amplius eos exilio exercere, quam res & eorum commodum postulat: adverte quæso non prius* Herodem *mortuum esse, quam ilico Angelus beatus per insomnium*
20. *humana specie se* Iosepho *in Ægypto agenti sistit, eumque admonet, ut simulac experrectus fuerit, de puerulo cum matre in terram Israëlitarum reducendo animum adjungat; quia diem suum obierant, qui puerulo vitam adimere conati sunt.* Iosephus *igitur experrectus, congruenter Angeli mandato, puerulum cum matre assumptum in terram Israëlitarum traduxit. Sed cum intellexisset Ar-* 21. 22.
chelaum patri Herodi *in regno successisse, & veritus ne sicut regni sic crudelitatis paternæ hæres esse, noluit illuc se recipere. Quamobrem oraculo divinitus admonitus, in Galilææ regionem divertit, & in urbe cui nomen est Nazareth sedes suas fixit. Quod quidem quocunque* 23.
Iosephus *consilio fecit, Dei certe singularis providentia intercessit; quandoquidem hac habitatione illi veluti nota impressa est, qua illum verum Messiam esse dignoscamus; quandoquidem duorum Prophetarum* Esaiæ *&* Zachariæ *testimonio, eum Nazarethi alendum esse prædictum est.*

PRAXIS.

Altera pars sequitur, de reditu Christi ex Aegypto in Galilæam. Commonitus igitur est Iosephus ab Angelo, ut domum reverteretur. Erat enim obsequii sui pars, ut Dei per Angelum imperium ad reditum exspectaret; idque ob hanc præcipue causam, ut certissime constaret, Christum a Deo ex Aegypto evocatū esse. Tametsi enim Deum vocantem vel tum sequimur, cum re mature deliberata, & expensis rationibus, professionem aliquam suscipimus; tamen illud minus liquet omnibus: ut igitur nullus hic

Vers. 19. *Iosephus per Angelum ex Aegypto vocatur.*

dubitandi

dubitandi locus relinquatur, Christi ex Aegypto egressus cœlesti oraculo communitus est. Cujus obsequium eo illustrius est, quod tam diu in Aegypto mandatum redeundi exspectavit.

Quamdiu ibi fuerit?

Nam cum Christus natus 32 anno Regis Herodis, circiter ætatis suæ biennium, in Aegyptum fugit, & Herodes anno 37 regni sui obivit, eum biennium aut triennium exsulasse efficitur. Tametsi enim magno patriæ desiderio ductus fuerat; noluerit tamen Deo inconsulto hoc facere. Sic Iacob in fuga à Labane, item in profectione sua in Aegyptum, Iosephum ut videret: sicut David, qui Iudæam natale solum & regni sui solium, defuncto Saule, non repetiit, nisi consulto Deo: quod Iacobo singulari solatio fuit, cum in maximas angustias ex fratris metu devenisset, se non nisi Dei jussu, viæ se dedisse.

Hinc itinera cum Deo ingredienda.

Nos vero, si molestum iter & difficultatibus plenum aliquando suscipiamus, Deum in Verbo consulimus; sed si iter nobis cordi sit & exoptatum, utpote cum patriæ sedes repetendæ sunt, hæreditas redhibenda, tum præcipites impellimur ad concupita, nec deliberationi ex Verbo locum fere damus; unde etiam fit, ut si post inopinantes calamitas aliqua corripiat, animum despondeamus, male nobis idcirco conscii, quod, Deo præterito, viam ingressi sumus.

Vers. 20. *Præter Herodē Christo plures insidiati.*

Ratio redditur; *quod mortui essent, qui Christum ad mortem quærebant.* Significare videtur aliquo numero fuisse, qui Christo insidiati sunt: quos tamen omnes obiisse declarat. *Sanguinarii enim vix medium vitæ cursum conficiunt, Psa.*55,23. maxime cum Christiano sanguini inhiant, in Christi causa; *mors enim sanctorum suorum Deo pretiosa & cara est. Psal.*116,15. Tametsi vero rex cum esset, nemo tam nefandæ cædis vindex esset, aut se illi opponeret: tamen Deus morte inflicta, eum punivit.

Vers. 21, & 22.

Quod in terram Iudæ se recepit, id eo factum existimatur, quod inde fugam capessebat; jussus igitur redire, putavit sibi eo redeundum, unde discesserat: maxime vero quod Christum in Iudæa natum, ibi etiam illum consuescere oportuisse putabat, ut melius innotesceret; quæ causa fuit, cur non potius ad suas ædes, in Nazareth rediret.

Ex metu ab Archelao fidei in Iosepho imbecillitas;

Sed ab Archelao sibi metuens, admonetur ad proprias in Galilæa ædes reverti, ubi propter Philippi clementissimi principis ingenium, Deus majorem spem pacis ostendebat. In quo primum imbecillitas fidei in Iosepho se prodit, cui tametsi oraculo dictum esset, extinctos fuisse, qui puerum Iesum opprimere decreverant: tamen non penitus acquiescit, sed novos timores ipse sibi comminiscitur, Archelaumque ut regno, sic etiam paterno in Christū odio successisse veretur. Ita fit, ut sæpe nos ipsos non necessario cruciatu & metu divexemus. *Sufficit autem diei sua & propria molestia, Matth.*6,34. sic porro fit, ut dum consiliis nostris & argutiis aures demus, pessime nobis ipsis prospiciamus, & alioqui liberos à calamitate, nos ipsos implicemus. Vide exemplum Loti, *Gen.* 19,20, *ad* 30. qui primum civitatulam perfugium expetebat, post ad montes, ad quos prius jussus erat se referre, fugere coactus est. Quod vero Deus in hac sua infirmitate illi obsequutus sit, eique, ut in Galilæam cursum reflecteret, indulserit: eo perspicitur, Deum ut patrem indulgentissimum se nobis accommodare, nec summo jure nobiscum agere; sed nobis, quoad illud cum interitu nostro conjunctum non est, obsecundare: sicut Medici humaniores, & natura magis propitii, ægrotis aliquando eorum potestatem faciunt, quæ propius ad eorum appetitionem & palatum, quam ad suum ex arte præscriptum accedant.

Cui tamen obsequitur Deus.

Vers. 23. *Quomodo Christus Nazaræus dictus?*

Quod autem Nazarethum deflectens, inde *Nazaræi* nomen, & quidem, ex Prophetarum prædictione, accepit, difficilem quæstionem continet. Cujus simplicissimus sensus est, illum è Nazareth urbe nomen duxisse; idque ex prophetia *Esa.* 11, 1. & *Zachar.* 6, 12. Vbi docetur Christum, qui surculus appellatur, ex loco suo, id est, in urbe, quæ ex surculo etymon accipit, alendum esse: ut Iericho urbs palmarum, ex palmis ibi provenientibus, nomen duxit: sic hoc loco Nazareth ex Ramis, quibus oppidum illud abundabat.

Ejus Iosephus typus.

Ex *Gen.* 49,26. & *Deut.* 33,16. ubi Iosephus (qui Christum in liberanda Ecclesia tempore famis delineavit) *Nazaræus fratrum* appellatur; sed ex uno Mose hæc deprōpta sunt: his igitur accedit testimonium ex libro Iudicum, qui à pluribus Prophetis constructus videtur. Ex crebris autem visionibus Iosepho apparentibus, hisque ne in Aegypto quidem eum deserentibus, hoc loco opportunum erit observare, eum tametsi paupertate minime exemptum, à Christo plus tamen consolationis accepisse & honoris, quam qui ditissimi erant: simul etiam Christum dominum Angelorum, cui tam frequenter & tanto numero serviebant.

LVC. cap. 2. à verſ. 40. ad finem Capit.

40 *Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturque ſapien-*
tia: & Dei gratia erat ſuper eum.
41 *Ibant vero parentes ejus quotannis Hieroſolymam in feſto Paſchæ.*
42 *Quum igitur factus eſſet annorum duodecim, ipſique aſcendiſſent Hieroſoly-*
mam ſecundum morem illius feſti:
43 *Et peregiſſent illius dies, revertentibus ipſis, ſubſtiterat puer IESVS Hieroſo-*
lymis: & hoc neſcivit Ioſephus nec mater ejus.
44 *Exiſtimantes autem eum eſſe in comitatu, ierunt viam* unius *diei: & requi-*
rebant eum inter cognatos & inter notos.
45 *Et quum eum non inveniſſent, reverſi ſunt Hieroſolymam quærentes eum.*
46 *Et factum eſt triduo poſt, ut invenirent eum in templo, ſedentem in medio*
Magiſtrorum, & audientem eos & eos interrogantem.
47 *Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentia & re-*
ſponſis ejus.
48 *Et eo viſo facti fuerunt* parentes ejus *attoniti: & dixit ad eum mater ipſius,*
Fili, cur ita feciſti nobis? ecce, pater tuus & ego anxie quærebamus te.
49 *Tunc dixit ad eos, Quid eſt quod quærebatis me?* an *neſciebatis oportere me*
in iis eſſe quæ Patris mei ſunt?
50 *Sed ipſi non intellexerunt verba quæ ipſis fuerat loquutus.*
51 *Deſcendit autem cum eis, venitque Nazaretam: & erat eis ſubjectus. Et ma-*
ter ejus conſervabat verba hæc omnia in corde ſuo.
52 *IESVS vero proficiebat ſapientia, & ſtatura, ac gratia apud Deũ & homines.*

ANALYSIS.

IN his verſibus illuſtre ſpecimen divinitatis Chriſti nobis præbet Euangeliſta, tum in ejus humana natura elucentis; aſſerendo eum in tenera ætate (duodecimo ſcilicet ejus anno) tam valido & invaleſcente fuiſſe ſpiritu, quam completa ſapientia: utraque à gratia Dei cohabitante; tum in converſatione, tam Theologica ſeu Prophetica erga templi Doctores, quam œcumenica & domeſtica erga parentes.

*Verſ.*41. Theologicam deſcribit, primo per ejus occaſionem, religioſum ſcilicet parentum Hieroſolymam adventum, ſecundum eorum morem ſolennem ob feſtum Paſchatis.

Verſ. 42. Et ipſius cum illis duodecimo ætatis ſuæ anno.

*Verſ.*43. Secundo, per ſubſequentem parentum ejus perquiſitionem (eo Hieroſolymæ iis inſciis manente.)

Verſ. 44. Primo die mediocri ſpe eum inter cognatos & notos inveniendi.

*Verſ.*45. Secundo die anxiam in eorum reditu Hieroſolymam.

*Verſ.*46. Tertio die mixtam; priori ſcilicet parte, adaucta cordium mœſtitia, verſ. 46. cum 48. poſteriori, ſucceſſu optato & fœlici, eo ſcilicet in medio Doctorum cœtu invento. Tertio, ex geſtis cum Doctoribus in medio quorum ſedebat in templo, eos audiens & interrogans.

Verſ. 47. Quarto per conſequentem ſtuporem tum auditorum omnium, ob ejus mirandam in reſponſis intelligentiam.

*Verſ.*48. Tum parentum, non ſine matris ob abſentiam, parentibus inſciis & afflictis, reprehenſione.

*Verſ.*49, & 50. Quæ in eam retorta, ob eorum divinæ ejus filiationis & negotii inſcitiam.

*Verſ.*51. Sequitur, 1. illius cum parentibus profectio, 2. eiſdem ſubjectio, 3. matris ſeria & ſedula dictorum obſervatio.

*Verſ.*52. Denique notatur mirum in Chriſto incrementum, 1. ſapientiæ, 2. ſtaturæ, 3. gratiæ cum Deo ſimul & hominibus.

METAPHRASIS.

PVerulus vero de more aliorum, nominatim 40.
Ioannis *Baptiſtæ, corpore auctus eſt, &*
Spiritus Sancti donis, pro ætatis ſuæ ratione,
incrementum ſumpſit; ſed & præter morem a-
liorum hominum, atque adeo ipſius Baptiſtæ,
ſapientia, & rerum tum divinarum tum hu-
manarum intelligentia abunde perfuſus fuit;
cujus quidem non alia cauſa aſſignari poteſt,
quam Dei in illum gratia & charitas incom-
parabilis. Porro, ut hujus incomparabilis ſa- 41.
pientiæ ſpecimen unum proponam, ſciendum
eſt, parentes ejus in ſingulos annos ex legis præ-
ſcripto Hieroſolymam profectos eſſe, ut ſacrificio 42.
& ſa-

& sacramento Paschatis participarent. Post-
quam autem puer duodecim suæ ætatis annos
attigisset, pro Ecclesiæ illius ritu, cum paren-
tibus, puer quoque Hierosolymam profectus
43. *est. Cum autem totum septidium, in lege im-*
peratum, complevissent: quo omni tempore di-
vino cultui in lege præstituto operam dabant;
parentibus domum redeuntibus, puer Iesus
44. *Hierosolymis remansit,* Iosepho *& matre ejus*
minime consciis: existimantes vero illum in
45. *comitatu esse, unius diei iter confecerunt, an-*
tequam illum exquirere inter cognatos & no-
46. *tos suos in mentem illorum venit. Sed illo non*
invento Hierosolymam redeunt, hoc consilio, ut
illum amissum quærerent: factum autem est,
ut triduo exacto illum in templo in consessu
Doctorum consedentem, & simul cum respon-
dentis, tum opponentis partem sustinentem of-
47. *fenderent. Quotquot autem illum audierunt,*
non indocti tantum, sed doctissimi quique stu-
pore quodam, ex argutis ejus interrogationi-
bus & acutis responsis, correpti sint: nec hi
tantum qui illum nunquam ante viderant,
sed etiam parentes, qui multa sapientiæ & co-
gnitionis ejus documenta viderant, attoniti
48. *sunt. Mater vero illum alloquuta, dixit; Ah*
fili, quid est quod sic nobiscum agis? ecce pa-
ter tuus & ego mater, doloribus tanquam
49. *parturientis, te quærebamus. Quibus ille; quid*
me quærebatis? an non ex his quæ vidistis in-
diciis multis, & ex his quæ audivistis cum ho-
minum, tum divinorum Angelorum testimo-
niis scire debebatis, mihi non tam incumbere
vos observare, quam cœlestis Patris mei nego-
50. *tia procurare? Sed illi quod loquebatur non*
51. *intelligebant. Interim tamen confectis cœlestis*
Patris negotiis, cum illis descendit, Nazare-
tum venit, denique se illis obsequenter submit-
tebat; mater ejus autem ista omnia verba a-
52. *nimo diligenter asservabat. Quod autem supe-*
rius dixi illum sapientia completum fuisse, non
ita intelligi volo, tanquam illi nihil superaddi
posset; nam ut statura, sic etiam sapientia in-
dies processit, Deo pariter & hominibus cha-
rus.

PRAXIS.

A versu 40, ad finem capitis proponitur, quid Christo factum sit, universo tempore, quo privatam vitam egit:

Vbi *duo* potissimũ consideranda veniunt: eum
- dotibus corporis, maxime vero animi mirifice auctum esse.
- specimen earundem duodecimo ætatis suæ anno edidisse.

Vers. 40 Christus homo crevit & corroboratus fuit;

In priore parte duo priora elogia ei cum Ioh. Baptista communia sunt; quod *creverit, & corroboratus fuerit spiritu*: in quo veritatem humanitatis Christi cõtuendam proponit; quod non subito & uno momento in virum evaserit, aut communem sortem anteverterit; sed cum ætate simul & corpore creverit, & animi facultates magis confirmatas, & ad agendum magis instructas & idoneas habuerit: in omnibus, nobis ut fuerit conformis, excepto peccato; nec ulla Christi ætas extiterit, quæ eum vere hominem non argueret. Nec enim Christo indigna res, cum ignoratione rerum, quoad humanitatem, versatum fuisse; cum nihil humani à se, præter peccatum, duxit alienum: ignorationem vero omnem non esse peccatum, inde constat, quod Adamus, ante lapsum, plurima ignorabat, & Angeli, qui nulla peccati labe inficiuntur: pœnam vero peccati subiisse à Christo alienum non est; tametsi omnis in Christo ignorantia pœna non fuit.

ut & nos Sp. Sancti donis augeri oportet:

Hoc loco docemur, ut membra Christi capiti nostro Christo conformemur, ob eamque causam, pro corporis & staturæ incremento, augeri nos oportere Spiritus Sancti donis: perinde etiam oportere, ut hi, qui hactenus in pietatis auctione laxi & remissi fuerint, deinceps majori animi contentione ad pietatem aspirent. *Gal.* 1, 14.

etiam sapientia à Sp. Sancto imbutus,

Alia vero elogia indicant, eum effusiore Spiritus mensura perfusum esse, quam cæteri homines; nominatim vero *sapientia*, & rerum intelligentia refertissimum fuisse, & prolixe admodum imbutum & affatim; ut non difficile fuerit videre, Deum illum ad insigne aliquod munus, suo tempore obeundum, formasse. Tametsi enim neque per rerum suarum angustias, neque per Messiæ officium, ad scholas aut Academiam duci illum oportuit: tamen eum Deus, Spiritu doctore, cultiorem & ornatiorem reddidit, quam si doctissimos & solertissimos instructores sibi attributos habuisset.

quod non nisi à Patre hausta nobis traderet:

Quod autem dixi, Messiæ officio eum prohibitum esse, ut ab hominibus rerum scientiam peteret: ideo factum est, non ut scholas in invidiam & contemtionem vocaret; sed ne fides nostra nutaret, si autor & Apostolus nostræ fidei, ab alio quoquam, atque ab ipso Patre, traditam nobis doctrinam hausisset. Nam si fidei nostræ interfuit, ut Apostoli Christi a nullo homine, sed a Deo duntaxat ad munus suum obeundum instituerentur: næ, ut Christus hoc non faceret, summopere interfuisse necesse

cesse est. Moses quidem & Salomon, sapientia singulari præditi, eam tamen ab hominibus didicerunt: nam dubium non est, quin Pharaonis filia Mosem pro proprio educans, eum in doctissimorum in humanioribus literis disciplinam tradidisset. De Salomone vero sicut diserte notatur, eum Nathanis, in his quæ ad Dei cultum spectant, alumnum fuisse; ita etiam in aliis ingenuis, quæ regem decebant, artibus, qui eum informarent undiquaque exquisitos esse, dubium videri non debet.

idque supra omnes homines. Quod autem *plenus* fuerat sapientia, eo indicat, plenitudinem gratiæ, qua perfusus erat, supra Iohannem & omnes homines; cujus vi ita totam vitam à pueritia instituebat, ut singula ejus vestigia eum Messiam fuisse coarguissent, si quis paulo attentius illa considerasset. Quorum quidem omnium fons assignatur Dei in illum gratia, seu amor incomparabilis: quod pios, ut ætate, sic pietate crescentes consolari debet, dum se Deo charissimos & dilectissimos esse reputarunt.

Hinc de Christi dictis & factis religiose existimandū. Hoc autem nos erudire debet ad reverendam de Christi dictis, & factis omnibus, religiosam existimationem: ut si quando stultitiæ, aut temeritatis species aut suspicio animos nostros subeat; statim illam animis, hoc de Christo testimonio, tanquam furca repellamus, & veluti ad scopulum allidamus, Christum plenum sapientia fuisse, etiam quod ad humanitatem attinet; præterquam quod, ut Deus, Patris sapientia sit. Et ob eam causam, tametsi facti aut dicti rationem animo non comprehendamus; tamen hac sapientiæ ejus fide & persuasione sustentati suspiciamus, quod nō intelligimus; sicut etiam hominibus in moribus est, hunc honorem illi habere, de cujus prudentia aliquam opinionem habuerint: videmus quam anxii homines sint de tuenda doctorum virorum autoritate & dignitate, quanquam sæpe vim illorum scriptis & monumentis afferant, ne quid illos errasse statuatur. Hoc etiam stimulum nobis ad avide eum audiendum addere debet: si Salomonis sapientiæ audiendæ causa, è tam longinquis regionibus, itinera suscepta sunt; certe Christi audiendi causa, qui Salomone major est, illud in primis faciendum; & si Salomonis sententiæ tam attente & avide acceptæ sunt, Christi vel syllabæ diligenter colligendæ sunt.

Vers. 41, & 42. Sequitur pars altera, de specimine & indicio virtutis & sapientiæ, quod de se duodecim annos nato præbuit: in quo Deo visum est, ut priusquam justam pugnam & certamen iniret, velitationem quandam susciperet; & priusquam in arenam prodiret, σκιομαχίᾳ quadam, tanquam in umbraculis, præluderet: non illud quidem ut de Filio periculum faceret, quem, cum Filius ipse, tum Pater, probe instructum noverant: sed ut Christus hoc progymnasmate Iudæorum animos expergefaceret, & ad officii Christi considerationem excitaret. Ita enim omnino Deus revelationem Filii sui temperavit, ut tametsi in obscuris parentibus, obscuro oppidulo, & quidem in ipsis terræ finibus, eum abdere, & ad tempus abscondere videri voluit: tamen usque eo etiam illum patefaceret, quoad cum piis consolationi, tum impiis contemptoribus graviori condemnationi satis foret. *Disputatio Christi cum Iudæis ad officii ejus considerationem instituta,*

& ad ejus desiderium excitandum. Neque vero tantum ad officii Christi considerationem, sed ad ejus desiderium ardentius eos inflammare voluit: suavissimo enim spiritualis unguenti, quo perfusus & delibutus erat, odore, hoc modo capti, non poterant non in ejus amorem rapi, quotquot virginali animo præditi erant, nec se hujus mundi deliciis exsatiassent, & veluti constuprassent. Quod si beatos ducimus, qui hujus velitationis spectatores admissi sunt; quam nos fœlices judicabimus, quibus cum mundo & infernalibus copiis, ejus cum pugnam tum victoriam cernere & intueri licet.

Ad Paschatis festum & fœminæ convenerunt; Tempus hujus velitationis notatur, Paschatis festum, omnium quæ Ierosolymis habebantur celeberrimum, & maxima hominum frequentia insigne. Nam cum mares omnes adultiores ter in anno se Ierosolymæ sistere tenerentur, *Deut.* 16, 16. hoc festo non mares tantum, sed & fœminæ se eo recipere obligabantur. Tempus igitur ad hanc velitationem aptissime deligebatur, quo ejus ad quamplurimos fama perveniret.

ibi cur tam frequentes? Causam vero si quæras, cur tanto numero ascenderent, cum mares tum fœminæ, præcipua hæc erat, ut sacrificii pariter & sacramenti Paschalis participes essent; quo, cum Christi olim offerendi memoriam & spem fovebant, tum liberationis ex Aegypto recordationem ad Dei gloriam refricabant; aliosque sacros ritus, typos Christi, viderent. Cæteroquin enim Dei Verbum in Synagogis eorum, per singulas septimanas, maxime vero sabbatha, promulgatum est. Hoc igitur loco nobis, aut ad imitationem proponitur studium populi Dei in sacramentorum *quod nostrū in rebus sa-*

tris segnitiem coarguit: torum usu, aut ad condemnationem, si tantam Dei erga nos munificentiam parvi fecerimus. Iudæos ex ultimis regni finibus sacramentorum causa Ierosolymam confluere, nos tam prope Ierosolymæ admotos, pedem nolle efferre: illos longissimi itineris laborem suscipere, nos absque itineris tœdio hoc nolle; illos magnis sumptibus venire, nos gratis, nullis certis impendiis; illos tam diuturna operis & artificii cessatione, ut totos septem dies commorarentur, præter illud, quod in profectione & reditu temporis insumebatur; nos, ne uno quidem die, Dei cultui vacare posse. Vnde vero, hæc tanta dissimilitudo? an quod eorum sacramenta nostris præstantiora? minime: ut quæ sint re eadem, nostra tamen illustriora & clariora; ut quæ Christum exhibitum nobis effingunt exprimuntque, cum illa exhibendum adumbrabant; an quod promissionibus præstantioribus comitata essent? ne id quidem; divinæ liberalitatis fonte nobis uberius exposito, quam illis: an quod minor pœna nostros, quam inter Iudæos contemptores manet? qui vero hoc; cum exquisitior, *Heb.* 2,1,2,3. denuntiatur? Apud Iudæos, ex populo Dei exterminandi erant, qui sacramentum Paschatis contemptui haberent; nostrum igitur qui vel neglectui habebit, ea pœna dignus censebitur: qui autem contemptui habiturus, ei meritissimo, non tantum Ecclesiæ communio, sed lucis etiam usura jure negari debet.

præsertim ob Iosephi & Mariæ studium, apud quos Christus erat; Sed in Iosepho & Maria, studium legitimi cultus magis adhuc cernitur; illi enim videbantur privilegio quodam exempti. Si enim templum adeundum, erat domi suæ templum, & templi Ierosolymitani veritatem & corpus, apud se habebant Christum Dominum; si arca visenda erat, ipse erat propitiatorium; si sacrificia, & in primis Pascha. Christus erat verum & unicum sacrificium, quo peccata expiarentur: si Sacerdos summus, Christus is erat. Denique quicquid eximium in templo habebatur, illud in uno Christo, ædibus suis incluso, verissime plenissimeque possidebant: tamen quia hic erat cultus à Deo lege præscriptus, recte existimarunt illum, nullius rei specie, negligendum. Et suntne homines tam fine, non mente solum sed fronte, qui audeant profiteri, se tam religiose Deum domi in ædibus & cubiculis colere posse, quam in Ecclesia? majora ne illis sunt domi suæ Dei colendi præsidia, quam Iosepho & Mariæ? huc accedit, quod aliquas ibi corruptelas irrepsisse certum sit, quæ tamen illos a cultu Dei deterrere non possunt; quo illis os obstruitur, quibus quod omnia non arrident, se à communione Christi subducunt: nam tametsi omnia non tam accurate fierent, sicut fieri docere parati sumus; tamen non idcirco, &c.

Alia profectionis causa erat, ut hoc conventu, & in unum locum Dei colendi causa concursu, mutuam erga fratres concordiam, & profiterentur & foverent. Vnde etiam Cœnæ sacramentum ideo instituitur, ut tessera esset mutuæ erga nos invicem charitatis: qui igitur se ad Cœnam non aggregant, profitentur se ab Ecclesia alienos esse, & à corpore fratrum discerptos; quemadmodum qui accedunt, profitentur se illis conjunctos esse: quo magis videndum illis est, ne mentiantur, dum odia intestina & invidiam alunt. *quorum iter ad concordiam fovendam:*

Deinde notandum est, eos Christum secum duxisse duodecim annos natum, ut ipse Deum, ex ritu Ecclesiæ Dei, coleret. Quo facto admonentur hi, qui familiæ curam gerunt, ut non tantum ipsi cultui divino operam dent, sed ut hi etiam, qui eorum fidei se permiserunt, eundem Deo cultum præstent, Deo alioqui responsuri, si qui in familia sua Dei contemptores inveniantur. vide *Psalm.* 101, 4. *idque cum duodecenni:*

Falluntur igitur si qui sunt, qui existimant, se præclare herili officio defunctos esse, cum victum, vestitum, & annuum, pro quo depacti sunt, salarium servis suppeditaverint. Apud quos non potior est servorum conditio, quam boum aut asinorum: quibus hujus vitæ adminicula præbentur omnia. *hinc liberi servi & hospites in sacris a dominis erudiendi,*

Sin quis *quærat*, quorsum igitur Ministri? idem de parentum in liberos, magistratus in subditos officio rogari potest; quibus cum hæc æternæ in suos salutis cura incumbat, heros hoc effugio hac cura minime liberari constat.

Respondeo, Deum salutem nostram pluribus curatoribus commendatam esse voluisse, ut salutis nostræ ratio exploratior, & undique magis septa esset. Nec vero tantum liberorum & servorum hæc cura suscipienda est, sed eorum, quos hospitio accipimus: Præcepto 4. &c. Ideoque Abrahæ laudi datur, quod cum tam amplam familiam haberet, ut 300 mares quotidie aleret, eos omnes ita in Dei timore informaverat, ut qui se à circumcisionis subeundo obsequio subduceret, ne unus quidem inventus sit. Si unus enim *quamvis ministrorum etiam ope utantur;*

nim paterfamilias, sine alterius Ministri opere solus hoc præstitit, quam turpe est illud non præstari à tot curatoribus.

Vers. 43, & 44. *nec cum Iosepho ante sacra peracta discedendum.* Notandum porro non prius Hierosolyma discessisse, quam tota Ecclesiæ liturgia peracta esset: sic regi apud *Ezech.*46,10. imperatur, ut cum primis se in templo sistat, & cum reliqua turba exeat; quod nostros pudefaciat, qui &c.

Negligentia Ios. & Mariæ quod filium desiderarint; Quod autem Iosephus & Maria Ierosolyma excedentes, Christum Filium desiderarent, negligentiæ & oscitantiæ eos coarguit; maxime vero cum cogitare debebant, non defuisse (inter aulicos præsertim) qui Messiam libenter ob regium nomen opprimerent. Si enim parens, ex filio pervulgato neglecto, jure coarguitur, hos non magnopere reos esse, qui tali & tanto filio orbati sunt, fieri omnino nequit. Hæc autem negligētia multo major fuit, cum unius diei itinere confecto, Christum inter notos & consanguineos non quæsivisse videntur: quæ negligentia magnum dolorem parentibus attulit, præsertim cū illū quærentes, non offendunt.

Vers. 45. *ideo in varios animi dolores conjecti.* Ante enim doloris acrimoniam emollivit eum inter cognatos, &c. offendendi spes, qua falsi, dolor auctus est. Cum vero etiam Ierosolyma reversi, aliquandiu quærendo illum non invenerunt, quo illos animo fuisse putamus? tristissimo scilicet & afflictissimo, ut Lucas ipse notat, ὀδυνώμενοι: tum enim res deplorata proculdubio videri cœpit. In quo videmus Iosephum & Mariam, paupertatis onere & crebris jactationibus exercitos, hac porro tam acerba tentatione oneratos fuisse: ne animi despondeamus, si quando plures simul calamitates in nos erumpant, & tanquam famelici canes in nos insiliant; vel potius à Deo, tentandi nos causa, catenis soluti emittantur. Quod autem Mariæ &c. evenit in carnali Christi possessione, ut illum amissum esse metuant, id piis in spirituali possessione accidit, ut se à Christo excidisse, & Christum ab illis discessionem fecisse, autument. vide *Cant.*& *Psal.* Sed ut Maria & Iosephus Christum quærendo tandem illum invenerunt, sic illi, postquam Deus eorum fidem aliquandiu veluti quæstioni aut eculeo subjecerit, Christum opinione sua amissum sibi præsentem sentiunt.

Vers. 46, & 47. *Christi cum doctoribus conflictus num audacia dicenda?* Disputantem eum cum summa omnium admiratione offendunt. Cum vero, excipiat aliquis, miram quidem fuisse ejus audaciam, qui duodecim annos natus se Doctorum numero inserere ausus sit: diserte exprimitur admirationem ex incredibili illius, in quærendo & respondendo, dexteritate & prudentia, excitatam esse, & peritia in Sacris Literis: cum enim & ætas & tenuis conditio, illum, præsertim inter superbos & turgidos Doctores, ab illo tam amplo consessu excluderent; ejus tamen tanta prudentia & fœlicitas ingenii fuit, ut illa obstacula omnia facile superaret, atque omnes in sui admirationem attolleret; non tantum eos qui illum ignorabant, sed & parentes ipsos, quibus erat familiariter notus. Tametsi enim parentes eum incredibili ingenio præditum sciunt, tamen eorum etiam de se opinionem vicit. Quod nos & fidem nostram in Christi doctrina confirmet: si enim duodecim tantum annos natus, & Spiritu Sancto vix dum (præut quod post ei accidit) leviter aspersus, tam præstanti peritia fuit; nedum triginta annos natus, & Spiritu Sancto largiter perfusus, omni Sacrarum Literarum cognitione præstans extitit.

sua præsentia scholasticas concertationes probavit. Deinde cum hanc disputationem ideo institutam esse certum sit, ut in ea exercitati plenius cum veritatem tueri, tum errores refellere possent; Christus eam sua non solum præsentia, sed opera cohonestans, satis declaravit, scholasticas hujusmodi concertationes & progymnasmata sibi vehementer probari. Apparet ex hoc loco, non tantum Sacerdotes & Levitas ad hanc exercitationem admissos, sed alios quoque, in quibus doctrinæ & literarum lumen apparebat.

Vers. 48. *Quod Christum mater increpavit non sine culpa;* Quamvis autem in his quæ præcesserunt, parentes Christi non videntur insimulandi; at certe mater his verbis videtur, aut illum neglecti erga parentes officii accusare, aut recte ne fecerit, aut secus subdubitare, culpa omni ex parte vacare non potest; quod magis adhuc ex Christi responso liquet: ex quo colligitur illos debuisse intelligere, se non nisi justa de causa, se ab illorum consortio subducturum fuisse.

Vers. 49. *ex cujus responso Dei obsequium parentum anteponendum:* In Christi responso discimus, Dei obsequium, parentum voluntatibus & desideriis esse anteponendum; nec parentum de nobis luctum & mœrorem animos nostros ita effœminare & emollire debere aut frangere, ut à Dei imperio minimum deflectamus, quo illorum mœrori aliquid detrahamus. Christus enim omnium hominum φιλόστοργος, non ignorans quo in animi angore parentes, ex hoc sui desiderio & absentia, versarentur; non est tamen ab obedientiæ suæ

erga

erga patrem instituto retardatus. Chari parentes, chari magistratus & principes, sed omnes omnium charitates unus Deus complexus est. Fieri quidem non potest quin animos nostros feriat, eorum ex nostro discessu dolor, ut in Pauli exemplo *Act.* 2, 13. videmus. Nec illud quidem a viri boni officio alienum est; sed ita moveri eorum aut precibus aut lachrymis, ut ab imperato in Deum obsequio dimovearis, illud demum reprehendendum est.

qui, à parentibus cum discessit, sine culpa.

Sin *quis dicat*, Christum ideo culpa non vacare, quod Parentes suos de hoc suo ab illorum latere discessu non præmonuerit, ut hoc modo eorum de se dolori occurreret.

Responderi potest eum idcirco parentes celasse, ne, re cum illis communicata, suum institutum retardarent. Quod vero dicit *patris mei*, non nostri, subindicat se unigenitum Dei Filium fuisse; nec tum cœpisse, cum triginta annos natus, Spiritum in baptismo acciperet, sicut *Ebionitæ* garriunt.

Vers. 50. *Responsum hoc Christi quod non intellexerint, hinc stupiditas nostra in sacris elucet;*

Quod autem parentes hoc non intellexisse notatur, tametsi pii fuerint & religiosi, tametsi in lege præclare instituti, ut de Maria luculenter constat, ex illa, quam concinnaverat, cantione: facile intelligitur, quam sumus natura stupidi in cœlestium mysteriorum intelligentia. Eorum tamen modestia simul elucet; qui tametsi quid sibi vellent illa verba non percipiebant, tamen amplius illi in hac re molestiam non exhibent, sed in responso ipsius, tanquam justo & idoneo, acquiescunt. Maxime vero in Maria considerandum est, illam sollicite observasse mente & memoria sua, quod nondum intelligebat.

Vers. 51. *cujus obsequium nobis imitandum:*

Quod vero *subditus fuisse* dicitur *parentibus suis*, & eorum votis obsequens, cum illis domum rediisse, præclarum obedientiæ exemplum continet, & imitatione nostra dignissimum. Dominum cœli & terræ, cujus ad obsequium promptissimum Angeli ipsi accincti sunt, hominibus mortalibus, hisque obscuris & contemptis parere. Memorabile est, quod scribitur de Salomone Rege Israëlis, matri venienti assurrexisse, & obviam ivisse inclinato corpore, & solio ad dextram suam ei collocato, observantiam suam declarasse, 1 *Reg.* 2, 19. Sed Christum Regem regum, & verum Salomonem, hoc matri suæ pauperculæ fecisse, multo majorem vim habet ad nos in officio erga eos, qui nobis præsunt, retinendos. Quis enim suo ingenio aut prudentia fretus, parentum autoritatem spernet, cum Christus tanta prudentia, quantam modo accepimus, præditus, parentibus suis obsequens fuit; cum tamen quæ sui erant officii, melius quam parentes ipsi nosset. Quemve humilis parentum conditionis, pudore ductum, parentes agnoscere pigebit, cum Christum omnibus ex sapientia admirabilem hoc fecisse constitit? Erubescant igitur filii, qui suis parentibus, servi qui Dominis, subditi qui suis principibus non parent. Nec omittendum illum Iosepho tutori suo obsequentem fuisse, adversus eos, qui vitricis nullam reverentiam se exhibere teneri putant.

Vers. 52. *qui pro ratione ætatis indies donis auctus est,*

Ad extremum additur, *Christum omni donorum & gratiarum genere*, nominatim *sapientia, indies profecisse.* Ne enim existimaretur ex his quæ dicta sunt, illis donis præditum vix aliquod incrementum capere potuisse, additur eadem proportione (pro ætatis suæ ratione) incrementa sumpsisse. Deinde Proverbio dicitur, cito putrescere, quod cito suam maturitatem est consequutum, & quosdam pueritia quàm senectute prudentiores reperiri. Quod ne quis de Dei Filio suspicetur, diserte dicitur, eum continua incrementa accepisse cum ætate. Atque ne existimaremus illud hominum tantum judicio (quod fallitur) factum, additur eum reipsa, & *coram Deo* crevisse: quo refellitur aperte opinio eorum, qui existimant Christum non fuisse Dei donis auctum & cumulatum indies; sed thesaurum cognitionis in illo ab ipso conceptu reconditum, cum tempore emicuisse, & ad hominum notitiam pervenisse. Nullum enim tempus erat, quo Deus illa non vidisset; neque temporis beneficio Deo opus erat, ut Christi dona cognita haberet. Hoc vero divinum donorum Dei in capite incrementum, pro rata portione Apostolus in membris Christi præstari affirmat. *Eph.* 2, 2. *Collos.* 2, 19.

idque coram Deo,

Ad hanc igitur normam profectus noster in pietate, & intelligentia voluntatis divinæ exigendus est: ut Christus in nobis per fidem adolescat & grandescat.

Gestorum Christi per xviij. annos cur meruni silentium?

Hactenus actum est de gestis Christi, quoad trigesimum fere ætatis suæ annum compleverat. In quo mirum est, Christi per xviij. fere annos gesta silentio sepeliri: quo tempore multa scitu digna ab eo facta esse, non est non verisimile. Cum autem magnorum Principum non solum dicta & facta, sed nutus pœne & gressus memoriæ proditi sunt; nec tantum in adolescentia & juventute, sed in pueritia gesta perscribuntur: hu-

jus

jus tanti principis, & in quo tantum ingenii & doctrinæ lumen resplenduit, tot annorum Ephemerides præteriti, oscitantiæ aut ingratitudinis videri potest. Hinc est ut quidam ausi sint Lucam insimulare, & nonnullam in eo diligentiam & sollicitudinem desiderare: quod in cæteros Euangelistas, qui eum subsecuti sunt, redundat, atque adeo in ipsum Spiritum Sanctum, qui Lucæ calamum rexit. Notandum igitur, Deum in Scripturis studiose declinasse, ne hominum curiositati & prurientibus auribus satisfaceret: sicut cũ hoc in casu, tum vero in eo, quod insignem illam disputationem, qua omnes homines in sui admirationem excitavit, ne per summa quidem capita, literis consignavit. Deinde ex multis, imo (ut Iohannes inquit) infinitis, ea, quæ satis essent, detegit, memoriæ nostræ imbecillitati consulens; quod quam operæpretium fuit, ex eo perspicitur, quod vix centesimus quisque unam partem eorum, quæ tam compendiose scripta sunt, retinet.

MARC. 1. *vers.* 1.

Principium Euangelii IESV CHRISTI Filii Dei.

LVC. 3. *vers.* 1, *&* 2.

Anno autem decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Iudæam, tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem ipsius fratre tetrarcha Ituræa & Trachonitides regionis, & Lysania Abilenes tetrarcha,

2 *Sub Pontificibus maximis Anna & Cajapha, factum est verbum Domini ad Iohannem Zachariæ filium, in deserto.*

MARC. 1. *vers.* 2.

2 *Vt scriptum est in Prophetis, Ecce, ego mitto nuncium illum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.*

MATTH. 3. *vers.* 1.

Temporibus autem illis adfuit Iohannes Baptista; prædicans in deserto Iudææ.

LVC. 3. *vers.* 3.

3 *Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Iordani, prædicans Baptismum resipiscentiæ ad remißionem peccatorum.*

MATTH. 3. *vers.* 2.

2 *Dicensque, Resipiscite: appropinquavit enim regnum cœlorum.*

LVC. 3. *vers.* 4, 5, 6.

4 *Vt scriptum est in libro sermonum Esaiæ Prophetæ, dicentis, Vox vociferantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.*

5 *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur: & quæ curva sunt, fient* via *recta, & aspera viæ* fient *planæ.*

6 *Videbitque omnis caro salutem Dei.*

ANALYSIS.

MARC. 1, v. 1. DEscribitur Euangelium primum à parte, scilicet initio; deinde à subjecto, videlicet Iesu; qui describitur ab adjuncta unctione, & relatione Filio Dei.

LVC. 3, 1. Ab adjuncto tempore, anno decimo quinto regni *Tiberii Cæsaris*; ab altero adjuncto tẽporis, cum *Pontius Pilatus* Iudææ præficiebatur, *Herodes* Galilææ, *Philippus* Ituræ & Trachonitidis, & *Lisanias Abilene*; item tertio adjuncto temporis, cum *Annas* & *Cajaphas* summo Sacerdotio fungerentur.

Vers. 2. Deinde describitur Euangelii initium ab efficiente instrumentali *Iohanne*; qui describitur a relatione filio *Zachariæ*, à subjecto loco in deserto. Porro; initium Euangelii describitur à genere, scilicet seu verbo seu sermone; & differentia, viz. Dei.

MARC. 1, 2. Confirmatur autem Euangelii initium à testimonio divino Prophetarum, primum *Malachiæ*. In quo proponitur primũ efficiens causa mi-

sa ministerii, *Ioannis* missio à Deo, qui etiam describitur ab adjuncto officii legationis. Præterea, altero adjuncto temporis, scilicet quod Christum præibat; præterea, à fine, ut viam ante illum pararet, & in *Luca* altero testimonio *Esaiæ*.

MAT. 3,1. *Iohannes* item describitur ab adjuncto officio *Baptistæ*, item ab effecto prædicandi, quæ prædicatio describitur à subjecto loco, deserto Iudææ.

LVC. 3,3. Item altero subjecto loco tota finitima regione Iordanis; subjecto prædicationis describitur, baptisma pœnitentiæ, cujus resipiscentiæ causa assignatur, remissio peccatorum.

MAT. 3,2. Summa concionis proponitur, quæ consistit adjuncta adhortatione ad resipiscentiam, & ejusdem adhortationis causa, quod appropinquavit regnum cœlorum.

LVC. 3,4. Distribuitur *Ioannis* officium ab adjuncto præconio; quod exornatur altero adjuncto zeli & vehementiæ, quam indicat *clamandi* voce. Post subjungitur concio pluribus & fusioribus verbis, quam prius; quæ describitur primum ab integro, præparandam esse viam Domini, & rectas ejus semitas esse faciendas.

Vers. 5. Post membrorum enumeratione, primum ut convalles & depressa loca compleantur, 2. ut montes & colles exuberantes deprimantur, 3. ut tortuosa ad rectitudinem revocentur, 4. ut aspera complanentur.

Vers. 6. Denique à fine, ut omnis caro salutare Dei videant & intueantur.

METAPHRASIS.

MARC. 1, 1. *EVangelium, id est, complementum promissionum Dei de gratuita humani generis salute, unum Iesum Christum æternum Dei Filium respicit, extra quem nulla ne minima*
LVC. 3,1. *quidem salutis particula existit. Hujus autem Euangelii initium captum est, anno* 15 *imperii* Tiberii Cæsaris, *cum* Pontius Pilatus *ab eodem Cæsare Iudææ,* Herodes *Galilææ,* Philippus *ejus frater Ituraæ & Trachonitidi regioni,* Lysaneas *denique* Abilene *præponebantur; ita tamen ut quatuor postremi, singuli*
2. *quadrantem seu Tetrarchiam obtinebant. Ad majorem autem rei certitudinem, ut civiles politeias gubernatores, sic Ecclesiæ moderatores summos,* Annam *&* Cajapham *adnoto, ut misera cum civilis, tum Ecclesiastica conditione intellecta, Dei incomparabilis erga suam Ecclesiam munificentia magis inclarescat. Hac igitur tempestate,* Ioannes Zachariæ *filius paternis in ædibus, quæ in deserto Iudææ, id est, loco oppidis & urbibus infrequenti, divinitus, & citra communem Sacerdotum*
MARC. 1, 2. *vocationem, evocatus est. Cujus ministerii autoritas, quo magis ad Euangelii propagationem constaret, duorum Prophetarum* Esaiæ *&* Malachiæ *autoritate confirmata est. Et primum quidem Propheta* Malachias, *ut hominibus ingenitam somnolentiam excuteret, illos nota attentionis dormitantes expergefacit,* Ecce (*inquiens*) ego Deus pater mitto legatum meum ante faciem tuam sibi, *id est, quem ipse mox insequuturus est, hoc consilio, ut aditum tibi muniat in hominum animos, & tibi in illis per fidem hospitium veluti paret. Quamobrem venit* Ioannes, *ideo* Baptista *di-* MATT. 3, 1.
ctus, quod primus Sacramenti baptismi Dei mandato administer esset: sicut autem ab utroque Propheta vox clamantis in deserto dicitur, sic in deserto Iudææ, & finitimis ejus re- LVC. 3, 3.
gionibus prædicabat, baptismo consignandos esse omnes, qui fiducia remissionis peccatorum resipiscerent. Cujus præconii si summam forte MATT. 3, 9.
quæris, in pauca conjecta hæc est; resipiscendum esse, quia pleniore gratiæ divinæ collata mensura, regnum Dei propius nos accedit, quam unquam ante. Quod si pluribus, & ver- LVC. 3, 4.
bis magis figuratis, ejus præconium placet accipere, sic habe ex Propheta; viam Domino sternendam, magna voce & lateribus: facite, inquit, & ita vos comparate, ut recta sine impedimento aut diverticulis ad vos veniat,
quod nimis depressum & abjectum est, ad mo- 5.
deratum de se sensum & judicium revocetur, quod instar montis aut collis nimis elatum & inflatum est, deturbetur & deprimatur, quod tortuosum & curvum à recta semita deflectit ad rectitudinem, seu rectam lineam exigatur, quod est asperum & scabrum complanetur, id est, omnis generis pravitas etiam minima
tollatur: sic fiet, ut non Iudæi tantum, sed 6.
etiam Gentes Christum unicum Servatorem à Deo constitutum, ad eorum salutem per fidem conspiciant.

PRAXIS.

NVnc sequitur pars secunda, de Christi prophetico munere.

Cujus duæ sunt *partes*, { præparatio ad munus, & muneris exequutio. }

In præparatione considerantur { Auditorum præparatio Iohannis prædicatione, & Christi ipsius { baptismo solemni, & tẽtatione in deserto. } }

Tertio Cap. Lucæ à primo versu usque ad 19 habetur initium Euangelii, in Iohannis Baptistæ inchoato ministerio. Apud Marcum enim diserte dicitur, Euangelii initium captũ esse à Iohannis in publico ministerio inauguratione. Tametsi enim Christus jam exhibitus esset, tamen quia nondum erat
MARC 1, ℣. 1. *Initium Euangelii à Ioannis ministerio.*

M pervul-

pervulgatus & promulgatus hominibus, quod Euangelii ratio cumprimis postulat, principium Euangelii ad Baptistæ ministerium jure revocatur: ut Euangelii nomine non historia, sed prædicatio Euangelii intelligatur. Et quanquam Angelorum præconio, Pastorum, Magorum, Simeonis, & Annæ testimoniis patefactus sit; tamen quia illa testimonia extraordinaria erant & momentanea, quorum paucis & certis quibusdam potestas facta est, non debebant in aliqua Euangelii parte censeri. Lex igitur & Prophetæ ad Iohannem usque durârunt. *Matth.* 11, 13. Ad Euangelii genuinam significationem, sicut ad singularem ejus præ doctrina legis commendationem, plurimum contulerit collatio *Exo.* 6, 2, 3, 4, 5. ubi Deus populi Israëlis conditionem proponit Abrahæ, Isaci & Iacobi conditioni. Cujus quidem inchoati Euangelii & legis antiquari ceptæ tessera & indicium erat, insolitus baptizandi ritus. Hoc autem titulo Iohannis ministerium insignitum, animos nostros ad majorem attentionem attollere debet. Principium enim παντὸς ἥμισυ dicitur, quo probe percepto, quæ sequuntur omnia faciliora nobis & magis exposita erunt.

Cur tamen ad Christi prædicationem à Paulo referatur?

Sed hic subdifficilis *quæstio* occurrit, quomodo Scriptor ad Hebræos, *cap.* 2, 3. initium Euangelii ad Christi prædicationem refert, quod Marcum ad Baptistam transferre palam est?

Respondeo, Apostolum ideo initium à Christi prædicatione fecisse, quia talis gloria miraculorum editione innotuit, quæ merito cum Angelorum legis ministrorum gloria contenderet, atque eam vinceret. Si enim Angeli primi legis ministri, cum Baptista primo Euangelii ministro compositi & commissi essent, videbatur lex aliquid habuisse, in quo adversus Euangelium gloriaretur: sed cum Christi persona compositi, qui Angelorum dominus est, omnis illa gloriatio evanescit. Deinde si Legis per Angelos promulgatio coruscatione, tonitruis &c. nobilitata, cum Iohannis ministerio nullis miraculis illustrato, in contentionem veniret, hoc illi merito postponendum videri potuit. Sed cum Christi ministerio infinitis miraculis obsignato in certamen adductum, manus dare æquum est: ut Apostolus non tam, cum Euangelium prædicari, quam quando prædicatione splendescere cœpit, & legis claritatem admirabili suo fulgore magis obscurare, indicare judicandus sit.

Lvc. 3. ℣ſ. 1, & 2. *Tempus Euangelii notatum ad ejus certitudinem.*

Tempus vero ex Historicorum more notat, in quo Euangelium prædicari cœptum sit: quod non tantum certitudinis historiæ testis, sed admirabilis Dei οἰκονομίας argumentum est; nam hoc sub Tiberio flagitioso Imperatore factum, indicans, Republica & Ecclesia misere discerpta & destructa, quam fuerit opportunum & tempestivum Dei auxilium, testatum reliquit. Neque enim solum alieni Principis mancipia erant, sed principatus unitas, quæ in magistratu, maxime vero Pontifice & Sacerdote olim ad hoc extabat, ut Christum venturum adumbraret, labefactata omnem illis instaurandi populi spem eripere videbatur. Nam sub aliis Medorum & Græcorum imperiis, utcunque captivi erant; semper tamen cum in Republica tum in Ecclesia principatus is remansit, qui illos ad venturi Messiæ spem erigeret: maxime cum suis hæredibus & legitimis Davidis & Aaronis familiis hi sufficiebantur, qui rerum inter eos potiti sunt. Sub Romano vero imperio, tanquam maxime ferreo, non tantum extranei in Republ. illis dominati sunt, sed uterque principatus miserabiliter dissectus & diffissus est, & Summi Sacerdotis dignitas & amplitudo turpissimo quæstui exposita. Quod autem horum malorum levationem Deus præbens mala ipsa non sustulit, sed tantum Euangelii prædicatione consolatus est, discimus adversus omnes omnis generis calamitates, perfugium & subventionem abunde in Christo suppetere; tametsi mala ipsa ab humeris nostris non depellantur. Quod vero Sacerdotii summi unitas scissa in malis numeratur, facile indicatur, quo loco sacramentorum usus & perfruitio habendus est.

Duo hoc loco initio Euangelii considerantur, Iohannis { Vocatio & Exsequutio.

Marc. 1, ℣ſ. 2. *Ioannis vocatio testimoniis Prophetarum firmata;*

Primo igitur in loco, Iohannis vocatio exponitur, duobus Malachiæ & Isaiæ testimoniis & prædictionibus communita; quo docetur, non nisi vocatos legitime ad ministerium admitti oportere. Tametsi fuit ex Sacerdotali genere, cui docendi partes demandatæ sunt; tametsi etiam raris & eximiis dotibus instructus esset (sicut prius visum est) tamen ut Iohannis ministerium augustius esset, & ad fidem nostram firmandam efficacius, eum oportuit Dei ipsius manu produci, nec nisi extraordinaria vocatione initiari. Si enim ab hominibus delectus fuisset, suspicio mentes subire potuit; fueritne

fidus

fidus Dei minister, maxime, cum qui tum rerum in Ecclesia potiebantur, & ad quos jus electionis spectat, doctrina & moribus maxima ex parte corrupti essent. Nunc vero cum à Deo dilectum & creatum scimus, de testimonii & ministerii sui fide & integritate nullus dubitationis locus relictus est. Sicut enim Apostolos & Euangelistas, Euangelii Christi perfectionem & complementum texentes, à Deo admirabili quadam vocatione instructos esse oportuit: sic Baptistam, cujus ministerio Euangelium initium cœpit, eodem vocationis genere instructum esse oportuit: ut Euangelii toto corpore ab his tradito & proposito, quibus Deus indubitatas divinæ vocationis notas insculpserat atque impresserat, in ejus fide tuto & secure acquiesceremus. Hic nota esse de Christo Euang. *Mar.* 1, 2. & *Rom.* 1.1. ut non sit Euangelium extra Christum. Neque divina voce tantum prodiit in ministerii lucem, sed veterum Prophetarum, de eo vaticiniis exornatus, & duorum Prophetarum *Esa.* 40, 3. & *Mal.* 3, 1. testimoniis, veluti duabus manibus, in cathedra collocatus. Hinc nota quod, ut initium Euang. ducitur à Propheta in totum Euangelii corpus *Rom* 1,1,2, *&c.* ut pro εὐαγγελίῳ haberi non debeat, quod non sit inde depromptum.

ideo magis commendabilis: Quod si Ieremiæ, Pauli, & cæterorum ministerium idcirco nobis commendatius esse debet, quod non sit fortuitum, sed à Deo ab utero, atque adeo ab omni æternitate præfinitum & constitutum: Baptistæ ministerium nobis quam commendatissimum esse debet, quod non tantum ab æterno decretum est, sed aliquot seculis notatum & promulgatum prius, quam executioni mandatum sit.

hinc Euangelium legi non contrarium, Ex quo hoc efficitur, Euangelium legi non esse contrarium: cum hujus interpretes de illius ministris testimonium dicant, eosque exornent. Hinc est, quod Moses & Elias legislator & instaurator in transfiguratione cum Servatore, tanquam summe consentientes colloquuntur, & quod Paulus *Rom.* 3, 21, 22. justificationem per fidem à lege testimonium accipere confirmet: ut 1 *Tim.* 1, 10, 11. scelera lege prohibita, sanæ in Euangelium doctrinæ adversa esse pronuntiet.

contra veteres & recentiores hæreticos. Quod non tantum adversus Iudæos, Manichæos &c. notandum est, qui legem ab Euangelio convelli existimabant; sed adversus quosdam nostrorum temporum homines, quibus si quid ex veteri lege objiciatur, ad eorum depravatas seu opiniones, seu mores reprehendendos, ilico regerunt, illud ex veteri lege desumptum esse. In primo autem Prophetæ testimonio, ministri Dei Legati dicti, cum nos admonent, quo loco à nobis habendi, tum ministros, ne id quod in mandatis illis est, transiliant.

Priusquam vero ministerium Iohannis fusius & per partes, exsequatur & explicet, Euangelium illud summatim complectitur, *Luc.* 3, *vs.* 3. & *Matt.* 3, *vs.* 2.

breviter designans compendium { Doctrinæ, quam proposuit, & Cultus vitæ ipsius, ad ministerii ejus rationem accommodati.

Remissio peccatorum doctrinæ Euangel. summa; Doctrinæ summam proponit remissionem consequutos, & ex misericordiæ Dei sensu, pœnitudine ductos; utramque & peccatorum remissionem, & pœnitudinem Baptismi sacramento obsignatam habere oportere. Apud Marcum apparet hoc subjici, tanquam plenam expositionem ejus, quod in Propheta dicitur, de paranda Domino via, dejiciendis montibus, implendo valles &c.

ex qua justitiæ imputatio, Primum igitur in Euangelii prædicatione est peccatorum remissio, &, ob eam ipsam causam, justitiæ imputatio in Christo; unde tanquam ex fonte rivuli, aut tanquam ex trunco propagines bona opera profluunt & erumpunt. Tametsi enim resipiscentia ordine verborum, præcedat remissionem peccatorum; tamen naturæ ordine remissio peccatorum, tanquam causa suo effectui, aut tanquam arbor suo fructui, præponitur; quod liquidius adhuc constat ex *Matth.* 3, 2. ubi regni cœlorum appropinquatio, causa resipiscentiæ assignatur.

etiamsi animi terrores sæpe præcedant: Quamvis enim remissionem peccatorum præcedunt nonnunquam animi terrores, angores, & diri cruciatus, ex metu maledictionis & justitiæ divinæ excitati: tamen vera resipiscentia, quæ odio peccati & justitiæ amore constat, ex præeuntis peccatorum remissionis sensu originem suam necessario ducit: neque enim nos priores sumus in amore, sed a Deo amati, Deum post amamus. Huc accedit quod charitas ex fide manat, & ejus fructus est. *Gal.* 5, 6. quodque prius bonam esse arborem oportet, quam fructus boni & salutares esse possint, id est, quod quia apud Deum misericordia est, ideo timetur & colitur, *Psalm.* 130, 4. & *Act.* 8, 37. Philippus aperte confirmat Eunuchum baptizari posse, si credat in Christum. Denique

 hinc

hinc est, quod Apostoli, qui Epistolis utramque doctrinam complectuntur, semper à gratuita justificatione initium capientes, in bonorum operum doctrinam desinunt. Magna igitur in *Pontificiis* perversitas &c. tametsi resipiscentia, tanquam gemma prior appareat, cum remissio per fidem, tanquam humidum radicale intus lateat & abscondatur.

hanc vera resipiscentia concomitatur aut sequitur;

Sicut autem remissio peccatorum praecedit; sic resipiscentiam & vitae in melius mutationem subsequi necesse est: imo vero simul tempore, cum illa est. Sicut enim simulatque est ignis calefacit; sic posita remissione peccatorum, una ponitur resipiscentia. Cui enim persuasum est, peccata sua omnia remissa esse, eum suus ipsius animus ad gratitudinem non excitare nequit. *Luc.* 7, 43, 47. *Remittuntur ei multa, quia dilexit multum:* ubi Servator Christus idcirco multa ei remissa esse confirmat, quia multum dilexit: charitatem magnam effectum remissionis multorum peccatorum assignans. Item, *Hos.* 2, 7. *Revertar ad Deum maritum meum, quia melius mecum agebatur, cum apud illum essem:* ideo *Ier.* 31, 33. remissioni peccatorum subnectitur legis divinae in cordibus nostris exaratio. Cujus enim animum, quantumvis ferreum, non emolliret, & ad Dei obsequium flecteret, cum infinitum aes alienum, quod contraxit, sibi gratuito condonatum, & cum se è durissima peccati & Diaboli servitute assertum, cum vinculis & compedibus ab illis explicatum & expeditum reputaverit; nec tantum ab his liberatum, sed horum contrariis restitutum. Opinio quidem hujus boni adepti non satis roboris habet, ad nos in obsequii divini studio retinendum, sed persuasio tantae munificentiae à nobis perceptae, satis virium habet. Sicut autem in legis promulgatione jubentur vestimenta lavare; ita initio Euangelii promulgati jubentur corda mundare, & à sordibus abluere. Baptismum autem docet utramque doctrinam hanc obsignare; ut *Rom.* 6, 3, 4. sicut olim circumcisio. Paralogismus *Pontificiorum* quem nectunt, ut probent poenitentiam remissionem peccatorum praecedere, est figurae dictionis; nam hac eademque ratione aeque contendant, baptizandos esse adultos priusquam docentur, quia *Matt.* 28, 19, 20. dicitur prius baptizantes, & tum docentes; cum ex duabus partibus discipulis conservandis, prior ordine & tempore est doctrina. Et hoc melius explicatur in Marco, ubi βαπτίζων proponitur κηρύσσων.

nunquam praecedit.

Praedicavit Ioannes circa Iordanem ut vaticinia impleret;

Summam doctrinae Baptistae confirmat ex testimonio Esaiae, Iohannem hac Euangelii praedicatione injunctum sibi officium obivisse. Primum enim quod dicitur illum praedicasse circa fines Iordanis, qui locus erat incultus, & oppidis civibusque infrequens, impletum est Esaiae vaticinium, *vocem in deserto esse auditam, Esa.* 40, 3. Deinde illi demum datum fuisse, ut homines admoneret, uti viam Domini sternerent, ut subditi Regi adventum & semitas, quibus aditus Christo pateret, complanarent. In quo illud primum intelligitur, natura multa obstacula & impedimenta esse, quae à Christo divortium faciunt; multos ingentes & praeruptos montes, quos superare nequimus; seu acclives peccatorum montes multos, tanquam fossas & convalles, quibus Christi salutaris aspectus adimitur, & montes denique & colles (tanquam superflua & redundantia) resecandos, convalles & fossas (tanquam defectus) implendos, in quibus demergimur. Sed nec tantum virium in nobis esse, ut colleam difficultatem superare possimus; ita esse tortuosas semitas, & tot confractibus & diverticulis impeditas, ut à proposita nobis meta non aberrare nequeamus; ita asperas & hiulcas, ut vel pedem in illis ponere, aut unicum ad vitam gressum facere nequeamus. Denique desertum quoddam esse, ubi mille modi pereundi & aberrandi occurrunt. *Psalm.* 107, 4, 5. Huc accedit, quod naturâ claudi sumus, ut ne pedem quidem moveamus ad Christum; quod caeci, ut viam despicere non possimus; quod muti, ut de via percunctari nequeamus; surdi, ut comiter viam monstrantes exaudire nequeamus: denique (ut Apostolus inquit) mortui, qui ad omnes vitae aeternae actiones inepti & inidonei simus.

hinc multa obstacula ad Christum venienti;

Quod si quis *excipiat*, frustra jnberi ut haec faciamus, nisi penes nos sit.

Respondeo, Gratiam conferre adhortationis opera. *Nam si tu nos cōvertis, resipiscemus, si tu instruis, femur percutiemus. Ier.* 31, 19.

Deinde illud etiam ad consolationem notandum, Euangelii praeconio omnes istas difficultates tolli, regiam viam parari, laevigari, flexuosas & sinuosas ad rectam lineam revocari, aut hermetibus & cippis insigniri, indicibus scilicet, ubi & quando deflectendum erit: gibbos & juga montium detruncari, fossas & convalles impleri; denique viam editam, & statuminibus hinc inde fultam esse, ut nisi quis de industria viam desererere

Vers. 4, & 5. quae Euang. praeconio tolluntur;

rere velit, extra erroris periculum fit. Deinde Euangelii prædicatione claudos salire, cæcos &c. Quo nomine nobis charum sit oportet. Vnde etiam ejus prædicatio, per metonymicum effectum, appellatur regnum cœlorum.

quamvis in Cant. sponsa advolare dicatur. Quod si *quaratur*, quid opus sit tanto in complanandis viis labore, cum in Cantico Christus ad sponsam suam advolare dicatur, & montes, & prærupta loca, veluti saltando subsilire, *Cantic.* 2, 8.

Sciendum est utrumque inter se probe consentire: nam ille locus, de Christi infinitis nostra causa perpessionibus intelligitur, in quibus hujus præparationis & complanationis fundamenta jacta sunt: noster vero hic Euangelista per montes &c. peccata intelligit, quæ primo resipiscentia indies deteruntur, donec morte stirpitus evellantur. Deinde utrumq; testimonium pulchre consistit; tametsi ad peccata utrumque referatur. Priusquam enim nos fide ad illum accedere possumus, cum gratia & misericordia ad nos appropinquare oportet, & fidei largitione; & priusquam nos pœnitentia ad illum accedimus, eum ad nos venire, ut corda nostra molliat, & ex lapideis & ferreis, carnea reddat, necesse est.

Et hactenus quidem de resipiscentia, quam Iohannes prædicavit ex Esaia confirmata; sequitur altera pars de remissione peccatorum, quæ visione interiori Christi salutaris designatur: quod idem est cum eo, quod dicitur, *appropinquat regnum Cœlorum.*

Vers. 6. Quomodo videbitur Dei salus, Καὶ ὄψεται: in allegoria persistere videtur, non tantum sternendam esse viam, ut Deo ad homines via muniatur, sed ut ab illis commodius inspiciatur. In deserto enim montibus, vallibus, collibusque pleno, nulla aliquem intuendi commoditas datur; maxime cum cujuspiam conspiciendi causa, multi undique confluant: oportuit igitur ut Christum, hominum salutem, utiliter videamus, fide intueri, qua veluti oculo illum inspiciamus oportet. Quod autem dicitur, *Vt omnis caro videat*, hac universitate Gentes, *idque ab omni carne?* olim à Republica Christi extraneas, complecti voluit. Quanquam enim Iohannis ministerium ad Gentes non pervasit: tamen suo ministerio Gentibus viam munivit; vel hoc ipso, quod novo ritu, credentes Deo consecravit: quod non obscure indicabat, instare tempus, quo paries intergerina, quâ inter Iudæos & Gentes divortium constitutum est, demolienda foret, atque adeo jam tum deturbari cœpisse.

MATTH. *cap.* 3. *à vers.* 4. *ad* 11.

4 Ipse vero Iohannes habebat vestimentum suum e pilis camelinis, & zonam co-
riaceam circum lumbos suos, alimentum autem ejus erat locustæ & mel agreste.
5 Tunc exivit ad eum Hierosolyma, & tota Iudæa, totaque regio circumjacens
Iordani:
6 Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.
7 Quum vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad Baptis-
mum suum, dixit eis; Progenies viperarum, quis vobis præmonstravit ut fugeretis à
futura ira?
8 Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ:
9 Et ne putate vobis *dicendum apud vos ipsos, Patrem habemus Abrahamum.*
dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.
10 Iam vero etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor
non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.

ANALYSIS.

Describitur *Ioannes* ab adjuncto vestitu
- chlamide ex pilis camelorum contexta,
- zona pellicea.

Item ab adjuncto victu
- locustis,
- melle sylvestri.

Vers. 5. Ab adjuncta frequentia discipulorum, qui ex subjecto loco designantur
- Hierosolymorum,
- Iudææ,
- vicinæ undique regionis fluvio Iordanis.

Vers. 6. Item ab effectu discipulorum qui ad eum egrediebantur. Deinde altero effectu publicæ confessionis peccatorum. Post à fine profectionis & publicæ confessionis, scilicet ut nova baptismi ceremonia consignarentur.

Vers. 7. Describitur à proprio effecto doctrinæ; cujus subjectum erant Pharisæi & Sadducæi: qui describuntur ab effecto, ad eum proficiscendi, & à fine, ut baptizarentur: doctrinæ species notatur, prior est acris reprehensio ob insignem nequitiam;

quam similitudine amplificat, qua illos serpentibus assimilat; tum etiam exaggerat à relatis, quia etiam a serpentibus oriundi sunt: deinde appellat eorum conscientias, an syncero affectu ut ad Deum revertantur accedant; cujus finem indicat, ut declinent impendentem Dei adversus illos iram.

Vers. 8. Alia species doctrinæ, adhortatio ad fructus dignos resipiscentia quam profitebantur, & in quam baptizabantur.

Vers. 9. Prolepsis qua occurrit tacitæ objectioni, quæ superiorem adhortationem ad resipiscentiam remorari posset; à relatis, quod, contra quam *Iohannes* dixerat, eos esse progenies viperarum, essent filii *Abrahami*, quibuscum Deus fœdus gratiæ pepigit, quod ipse irritum facere nequit. Huic respondet ab adjuncta Dei potentia, qui ex lapidibus excitare potest *Abrahamo* filios, ut illi pareant.

Vers. 10. Priorem adhortationem confirmat ab adjuncta comminatione divini judicii, omnes impœnitentes penitus perdendi; quod ab abjuncto temporis præsentis exaggerat, quia nunc oblata hominibus gratia Dei, judicium propius est si gratia respuatur: quam omnem orationem allegoria illustrat, homines arboribus, opera fructibus in hac vita, malum radicibus arborum, Dei ultionem securi, cujus ad radicem admotio designat justam vindictam; seipsum, ratione Ministerii, ei, qui securim agitat & attollit, æternum interitum igni comparans.

METAPHRASIS.

4. IOhannes *vero prudenter Dei mandatum expendens, de vini & Siceræ usu illi interdicto, reliquum victum ad ejus analogiam revocandum censuit, ob eamque causam tenui potioni viliorem cibum convenire ducens, ex locustis & agresti melle, seu rore quodam dulci, mensam sibi instrui curavit. Sicut autem in victus ratione homines plebeios imitatus est; sic vestitu eosdem representabat, dum ex pellibus camelorum, quibus pili detracti non erant, indumentum comparans, illud cingulo pelliceo ad lumbos suos astrinxit; non alio fine, quam ut* Eliam *hoc modo exprimens, homines ad sui ministerii justam admirationem expergefaceret:*
5. *frequentes vero ad eum egressi sunt cives Hierosolymæ, aliique totius Iudææ incolæ,*
6. *cum his qui regionem Iordanis fluvium ambientem habitabant: idque hoc consilio, ut post publicam fidei professionem & peccatorum confessionem, baptismi sacramento consignarentur:*
7. *conspectis autem plerisque ex Pharisais & Sadducæis, qui Baptismi causa ad illum accedebant, post generalem ad universum populum ad resipiscentiam adhortationem, specialius illos, tanquam hypocrisi magis obduratos & obfirmatos, ad hunc fere modum aggreditur. O vos (ob nequitiam insignem eamque inveteratam) fœtus serpentum jure appellandi; fierine potest, ut sensu divinæ iræ impendentis ad me veniatis, qui vestra hypocrisi adeo in peccatis obstupefacti estis, ut iræ divinæ sensu vix aut ne vix quidem percellamini? Quamobrem explorate vos quo consilio huc acceditis. Quod si, ut præ vobis fertis, an-* 8.
teactæ vitæ pœnitudine ducimini; ejus rei certissima tecmeria edite, dum in dictis & factis, quæ resipiscentiam testentur, strenue incum-
batis. Neque enim vobis imponat vana de A- 9.
brahæ *posteritate secundum carnem gloriatio. Cum mea etenim in vos instituta accusatione, qua vos serpentes ex serpentibus oriundos appello, non pugnat, quod ex* Abraha *oriundi estis, nisi fide & fidei fructibus patrem refer-*
tis. Sed neque illud vos fallat Deum sua in 10.
promissis servandis fide prohiberi, ne vos malos male perdat: quandoquidem alii plerique sunt secundum carnem filii, quibus Deus datum fœdus Abrahamo *servet, utut vos excidatis. Atque ut nulli essent, tamen ea potentia instructus est, ut vel ex istis ipsis lapidibus quos coram cernitis, sibi filios* Abrahæ *excitare possit. Porro nunc propius quam unquam ante instat Dei vindicta, qua (nisi oblatam gratiam accipitis) tanquam emortuæ arbores securi divinæ vindictæ excisæ, in gehennæ ignem projiciemini.*

PRAXIS.

MAtthæus victum & vestitum, veluti adjunctum quoddam ministerii Iohannis attexit. Nam cum Eliæ similis futurus foret, usque eo ut à Malachia & Servatore, Elias vocetur, oportuit Eliæ conformem esse, & notam aliquam conformitatis, & extraordinarii sui ministerii gerere. Sicut enim olim Elias, ad collapsum in Israele Dei cultum instaurandum, missus est; sic Iohannes, suo tempore, ad rudera Ecclesiæ reficienda. Atque ut Elias olim, mira fiducia & libertate orationis, hominum etiam maximorum insolentiã repressit & coarguit; sic Iohannes. Vt igitur pilosus dicitur cinctus zona pellicea 2 *Reg.* 1, 18, *&c.* sic Iohannes. Huc accedit, quod de eo patri mandatum est, ut à vino &c. abstineret, ex quo colligebat Iohannes tenuem & vilem victum, a Deo illi imperatum: eoque ipso recte & juste vestitus rationem, victus rationi analogicam esse conclusit: fuisset enim absurdum, si victu infra omnem sortem præcepto, vestitu molliori usus fuisset. Ex qua victus tenuitate & vestitus, veluti rusticitate, non tantum dona Dei, quibus se à contemptu vindicavit, magis eminebant; sed simul & jam adumbratum, quale

Vers. 4. *Ioannis cũ Elia in vestitu & victu comparatio.*

quale Christi regnum futurum foret: cum ex præcipuis ejus officiariis, & tanquam aulicis primariis, Iohannes tam tenuiter pastus & vestitus sit; quod ut ad Iudæorum vanam de Christo in hoc mundo opinionem minuendam aptum erat; ita & nunc dierum ad Papæ, Cardinalium & Episcoporum fastum & splendidum apparatum conficiendum & jugulandum accommodatum est. Hinc etiam patet, quam absurdi sint, qui Eremitarum, & voluntariæ paupertatis vota, in Iohannis exemplo stabilienda esse contendunt; cum hoc peculiari vocatione Iohanni obtigit, quod a Servatore ipso non est observatum. Quasi vero Iohannes in deserto ageret, qui tantum in locis non tanta hominum frequentia cultis degebat. vide *Esa.* 42, 11.

ex quorum tenuitate vota paupertatis non stabiliuntur,

nec ministrorum certum vestitus genus.

Simul etiam, quam iniqua eorum oratio est, liquet, qui ex hoc Iohannis exemplo, Ministris Ecclesiæ certum quoddam, distinctionis ergo, vestitus genus imperandum existimant; quo accedit, quod eadem æquitate, eandem in convictus ratione legem illis præscribere licebit, maxime vero cum liquidiore Scripturæ testimonio de Iohannis convictu, quam de ejus vestitu constat: illud enim expresse, hoc magis analogice & ratiocinatione continetur.

Hinc etiam Dei sollicitudo de humana salute apparet, qui suos ministros format & effingit, ut populi ingenio & moribus, quam accepti & accommodati sint.

Compendium hoc doctrinæ, sequitur uberior & plenior explicatio:

In cujus priori concione proponitur { Homilia Iohannis, & Effectus, quem in auditoribus sortita est.

Vers. 5, & 6. *Quid causæ fuerit quod populus ad Ioannem accederet?*

Primum vero quæstionem proponit, qua illis occasionem præbet, se, quamobrem venerint penitus excutiendi; simul etiam indicans, veram & legitimam ad eum accedendi causam. Fit enim sæpe, ut rerum novitas & insolentia, multos è cavernis suis ad Verbi prædicati auditionem extrahit: unde novus baptizandi ritus, insolita victus & vestitus ratio, magnum numerum ad Iohannem audiendum excitavit. Alios eximia, non tantum miranda, Iohannis conceptum & circumcisionem nobilitantia, sed dona etiam in eum mirifice, ut dictum est, collata commovere potuerant, ut certatim ad illum audiendum confluerent: quæ tametsi a Deo in hunc usum comparata sunt, ut Iohanni authoritatem compararent, & animos hominum ad eum audiendum accenderent; in illis tamen animos defixos & attonitos teneri noluit. Plerique ducebantur spe aliquid audiendi, quo in exspectationem liberationis a Romanæ servitutis jugo, attollerentur. Iohannes autem justam eum accedendi causam assignat, curam quandam & sollicitudinem venturæ in eos iræ declinandæ, & ab eorum humeris depellendæ. Perinde enim est ac si diceret; nisi hic præcipuus vobis scopus propositus sit, ut ingruentem divinæ iræ tempestatem à vobis propellatis, operam & oleum perditis: non obscure indicans, suum non idcirco ministerium à Deo institutum esse, ut illis Romanæ servitutis perfringendæ nuncium & Euangelia afferret: sed tantum ut excutiendi diaboli & peccati jugi, caduceator & fœcialis existeret: non ut præsentem, & jam urgentem, Romani imperii virgam, adventu Messiæ comminuendam doceat; sed ut futurum Dei flagellum, Diaboli tanquam Lictoris opera tergoribus impingendum, conscindendum declaret. Romanam enim quantumvis duram servitutem & asperam, pulicis quasi morsum esse, si cum peccati aculeo comparetur. Eorum jugum ligneum & veluti serico suffultum esse, si cum ferreo diaboli & peccati jugo contendant: Romanorum mucronem, tanquam urticæ cujusdam punctionem & ictum esse, si cum Diaboli scorpionibus, quibus impii cruciabuntur, conferatur.

quænam a Io.nne adsignetur?

Hinc discimus quo animo ad conciones accedendum est, non ut aures pascamus, aut curiositati indulgeamus, sed ut imminentem & impendentem iram deflectamus. Cumque hac ratione Iohannes docet, irã nos Dei defugere, nec alia ulla: singulare hoc studium in nobis ingenerare debet Verbi audiendi, sine quo certissime peribimus: nec enim ullum nobis ad Deum perfugium, nullum in Christo asylum, nullus receptus, nulla ab æstu umbra, nisi per Euangelii ministerium. Quod si magnum nos desiderium tenet, illis nos malis & difficultatibus expediendi, quæ in præsentiarum urgent, venturæ certe iræ, quæ nos obruet contereteque, magnam habere rationem convenit; nisi forte inania terriculamenta, & vanos crepitus, Dei in Verbo minas reputemus.

hinc quomodo ad conciones accedendum?

Vers. 7. *An Ioannes tam acriter incre-*

Fœtus viperarum, id est, impiorum parentum impii liberii, ex malo corvo malum ovum, quod appellant; tametsi magno studio & cer-

pa'tione populum non absterruerit?

& certatim advolárint, & quidem in ipso prædicationis vestibulo, imprudentiæ, illos absterrendo, potius quam incœpto acquirendi studio fovendo, attribui posse videatur. Quid enim gravius aut asperius, in eos dici aut excogitari potuit, atque illos tanquam plenos veneni criminari? cumque prudentiæ cujusdam esse videri potuit, eorum scelera nonnihil, primo cum illis congressu, dissimulare, & paulatim ad hanc reprehensionis asperitatem assurgere: videtur illos injustis criminationibus onerare, & præter quam rei veritas ferat, convitia illis facere: erant Domini, erant promissionum hæredes, gens sancta, regale sacerdotium, Abrahæ & regni filii.

Respondeo: verum, vidit vir prudens malo nodo malum cuneum adhibendum, populum hunc profundo peccati somno obrutum, non potuisse levi susurro aut summissa succlamatione expergefieri; magnum multorum & diuturnum peccatorum callum contraxisse, qui nisi gladii mucrone fortiter adacto penetraretur, nullum sui sensum post se relinqueret. Hypocritas fuisse, quibus nihil stupidius invenitur; qui cum fulminat Deus adversus omnes, se tamen privilegio quodam exemptos existimant. Quod nos admonere potest mollitiei nostræ, & aurium nimis delicatarum, qui verbum paulo asperius ferre nequimus; & æqualitatem erga omnes servare, maxime inæquale esse. Quod vero ad injuriam spectat, quæ illis illata videri potuit, ea nulla est. Quamvis enim natura Iudæi, & filii Dei essent, ut loquitur ad *Gal.* Apostolus: tamen cum fœdus Dei pedibus proculcarent, & neque patris Abrahæ fidem, nec obedientiam imitarentur; mirum non est, si Iohannes, illis adoptionis beneficio adempto, eos in communi reliquorum hominum colluvie & sordibus collocet. Sic enim Prophetæ sæpius Iudæos, veluti canes incircumcisos vocant; tametsi præputii illis pellicula præcisa erat. Nec secus de his existimandum est, qui Christianorum nomen ferentes, se tamen in omnia errorum & scelerum præcipitia dedant.

hæc potissimum ad Pharisæos directa.

Cum vero Matthæus hanc orationem in Pharisæos & Scribas contortam esse scribit, apparet ad universam concionem habitam fuisse; at in Pharisæos & Scribas peculiari quodam modo & majori vi vibratam esse, ut populus sibi ab illis corruptelis caveret: quæ res Iohannis in docendo fidem & integritatem aperte demonstrat; qui dignitatis & splendoris cujusquam rationem non habuit: simul eorum temeritatem indicat, qui Ministros accusat, quod Doctores populi, & Episcopos &c. coram populo coarguunt; id enim fecit Iohannes, ut populum ab eorum impuritate abstineret. Sic Paulus 1 *Tim.* 5, 20.

Vers. 8. Fides bonis operibus obsignanda;

Subjungit adhortationem, ad testandam eorum quam Baptismi susceptione, fidem & resipiscentiam profitebantur, bonis operibus. Quo docere voluit parum esse, quod externis his actionibus defungebantur, nisi bonis operibus eas obsignarent: fit enim, ut sicut nonnulli externum in Verbo & Sacramentis, Dei cultum nihili pœne æstimant; sic alii plus in eo, quam par est fiduciæ ponant; dum hac externi cultus observatione, tectos se & tutos fore ab ira Dei sibi pollicentur. Docet igitur Iohannes, quod & ad nos accommodari potest, qui sub clypeo baptismi, & auditionis Verbi Dei, nos ab iræ divinæ jactu salvos fore confidimus. vide 1 *Cor.* 1, 5. Sic Iudæi olim in sacrificiorum sollicita oblatione, caput & summam salutis suæ collocabant: perinde ac si servus hero suo, verborum & pollicitationum blanditiis satisfacere conaretur, dum manum interim in sinu continens eam operi faciendo admovere abnuat.

Vers. 9. non ad prærogativas majorum provocandum:

Alterum est, quod illos à resipiscentia averteret, stulta & tumida de se persuasio, ab Abrahamo se genus ducere, ejusque filios esse, cui promissiones datæ sunt, Deumque se ita obstrictum habere, ut aut hos utut flagitiosos, aut nullos sibi hæredes instituat: perinde ac si amplæ possessionis hæres, quod neminem pater præter se filium haberet, patris mandata hac fiducia aspernaretur, quod hæreditas ad nullum alium transferri possit; cum tamen servum aut quemvis alium hæredem scribere illi concessum sit. Hæc ad nostros in Christiani nominis appellatione acquiescentes accommodanda. Notanda vero locutio, Deum citius lapides ad regni cœlorum possessionem adhibituros, quam ut impuris canibus & porcis, ejus potestatem vel minimam faceret: ut citius *Turcæ*, *&c.* ad Christi societatem adsciscendi sint, quam ejusmodi impuri homunciones retinendi. vide *Num.* 14, 12. Hoc in *Papistas* rite quadrat; qui nullam putant Ecclesiam in mundo esse posse, nisi Deus eorum rudera & parietitias, pro domicilio Ecclesiæ agnoscat. *Pontificiorum* jactantia de successione Episcoporum suorum, non est multum ab hac jactantia dissimilis.

quod contra antiq. & success. Pontif.

Adhor-

Vers. 10. *Deus tandem ulciscitur improbitatem populi;*

Adhortationi comminationem adjungit: in qua in priori metaphora persistit, hominum enim opera *fructibus*, ipsos homines *arboribus*, trita & pervulgata similitudine comparat; per *securim* vero notat ultricem Dei manum, & iram illam, quam venturam prius dixerat. Quod autem ad *radicem admotam* dicit, indicat instare Dei judicium; sicut qui arbori securim apponit, locum velut designat, ubi mox securim adiget atque impinget. Quod vero docet, tum demum admotam & arbori applicatam esse, cum Euangelium per eum promulgari cœpit, insinuat, Deum hactenus quidem erga illos patientia usum esse, & eorum improbitatem longanimitate tolerasse; jam vero amplius tantæ liberalitatis, quanta in Euangelii prædicatione elucet, contemptum ferre diutius non posse. Quo docemur, quanto cum periculo Euangelii prædicatio contemnitur; ut si nos Deus tempore ignorantiæ tulit, eandem post Euangelium prædicatum lenitudinem exspectare non debeamus. Nam non jam falcem, qua ramos luxuriantes circumcidit, arripiet, sed securim.

ideo Euang. non resistendum.

LVC. *cap.* 3. *à vers.* 10. *ad* 15.

10 Et interrogavit eum turba, dicens, Quid igitur faciemus?

11 Respondens autem dixit eis, qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur: & dixerunt ei, Magister quid faciemus?

13 Ipse vero dixit eis, Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, exigite.

14 Interrogârunt autem eum etiam milites, dicentes. Et nos quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque dolo opprimite: & contenti estote stipendiis vestris.

ANALYSIS.

Effectum notatur concionis superioris addubitatio; cujus item effectus est percunctatio quid facerent; quæ quæstio describitur suo subjecto, nempe turba.

Vers. 11. Hæc quæstio item describitur suo relato, Responsione; Responsio autem constat effectis, nempe ut communicent, quæ communicatio arguitur, 2. subjecto ejus qui habet duas tunicas & illius qui non habet, & ejus cui alimenta suppetunt & cui nulla suppetunt.

Vers. 12. Turba per aliquot sui partes explicatur, & primum Publicanos, quorum effectus notatur quod *Iohannem* adibant, & profectionis finis, 1. ut Baptismo consignarentur, alter, ut quid facerent sciscitarentur; illi necessitatem respondendi imponentes, à relatis quod doctor sit.

Vers. 13. Hæc quæstio describitur suo relato, responsione *Iohannis*, constat autem respõsum effecto publicanorum, ut nihil exigant præterquam quod fas est.

Vers. 14. Alia pars turbæ erant milites, qui describuntur effecto, addubitatione de sua vocatione; cujus dubitationis effectum est quæstio quid facerent; quæ quæstio describitur suo relato, responso *Iohannis*; quod tria effecta à militibus præstanda complectitur, 1. ne concussione utantur, 2. ne calumnientur, 3. ut suis stipendiis contenti sint.

METAPHRASIS.

10. Superiore Iohannis *concione turba perculsa, ad maximas animi angustias & perplexitatem redacta (cum Pharisæi & Sadducæi suis in peccatorum fœcibus omni verisimilitudine immersi manerent, nec præ existimatione adduci possent, ut quid illis faciendum foret percontarentur) cœpit de suo statu plurimum addubitare. Quamobrem* Iohannem *sic fere alloquuntur; ad eum modum tua hac oratione nos pungis, ut plane quam viam meamus nos fugiat. Expedi igitur nos hac difficultate, & quid nobis faciendum sit commonstra. Quibus* Iohannes; *Dixi prius vobis fructus dignos resipiscentiæ proferendos esse. Quod si quæritis qui illi tandem sunt, sic habete; vobis, quibus seu victus, seu vestitus, plus suppetit, quam quod vobis satis sit, incumbite ut aliquid aliis, qui istis vitæ subsidiis destituuntur, impertiatis. Atque hæc quidem universæ turbæ confuse & generaliter proposuit: accedentibus vero Publicanis, qui tributa à* Cæsare *imposita exigebant, hoc consilio ut baptismi sacramento obsignarentur, de suæ vocationis conditione, ut videtur nonnihil hæsitantes*, Iohannem *item interrogârunt, quid illi facerent. Quibus* Iohannes, *ne quid præter illud quod lege constitutum erat exigerent, imperavit. Milites Publicanos subsequuti, & de sua militari conditione non omnino persuasi, quod illa conditio Dei populo exosa fuit, perinde ut Publicani, quid illis faciendum sit, à* Iohanne *sciscitantur. His* Iohannes *respondet, neminem oportere eos per vim aut fraudem opprimere, sed suis stipendiis penitus acquiescere.* 11. 12. 13. 14.

N *PRA-*

PRAXIS.

Vers. 10. *Populi inquisitio ex Ioan. ejus resipiscentiæ indicium;*

SEquitur Homiliæ effectus; qui & duplex, & duplicis generis est, { prior laudatus, & alter illaudatus.

Laudi ducitur, quod Iohannem sciscitentur, quid illis faciendum sit; quod quidem veræ resipiscentiæ argumentum est: indicio est Iohannis homiliam animos eorum pupugisse, & ex peccati veterno excitasse. Idem studium apparet in his, quorum fit mētio *Actor.* 2, 37. Non responsant Iohanni, ut populus apud Malachiam, quid fecimus, aut qua re legem violavimus; *Mal.* 2, 14. sed anteactam vitam sceleratam agnoscentes, de futura melius instituenda percunctantur. Cujus quidem quæstionis occasionem dedit Iohannes, verbis de fructibus edendis resipiscentia dignis: quærunt eum, qui illi tandem fructus sunt. Hinc discimus, de illis sperandum bene, qui cura officii sui investigandi ducuntur: ita contra, nequicquam ab illis exspectandum esse, qui nulla cognoscendæ voluntatis divinæ tanguntur sollicitudine. vide *Ier.* 6, 16. non interrogandum per hypocrisin, ut *Ier.* 41, 6. nec per oscitantiam, ut Pilatus.

Vers. 11. *cui cur ex mandatis secundæ tabulæ respondeat?*

Huic quæstioni respondet Iohannes, ex secundæ tabulæ mandato, non quod Dei cultum postponat, sed quod, ut sæpe dictum est, hypocrisis melius detegitur ex secundæ tabulæ mandatis, quam ex mandatis primæ. Attingit autem id, quod furti mandato continetur; non quod in parentes inofficiosæ actiones, aut cædes, aut vero adulterium, minora peccata essent, sed quod illud malum latissime patet; nec tantum corde, ut reliqua, sed & actu & affectu externo ab omnibus admittitur. Docet autem, non tantum non esse alteri detrahendum, quod tuum non est; sed aliquid erogandum ex tuo, & in communem vitæ societatem conferendum, ut Paulus *Ephes.* 5, 2. Ex quo apparet quam insulsa est eorum oratio, qui ut se probos viros venditent, se nihil quod alienum est accepisse inflatis buccis sonant, cum tamen nihil erogent. Quo igitur loco illos ponemus qui suos creditores fraudant, suos heros, suos, cum quibus commercia habent, mercatores, si vere resipuisse judicandi non sunt, qui nihil ex suo erogant, næ illi procul à dignis resipiscentiæ fructibus absunt, qui quod alterum est diripiunt.

quo modo dicat ex

Tunicarum vero & ciborum datione συνεκδοχικῶς omnia, quæ ad victum & vitæ cultum pertinent, ut Paulus 1 *Tim.* 6, 8. his duobus ad vitam necessaria complectitur universa. Quod autem ex duabus tunicis unam erogandam docet, eorum in fratres inclementiam non obscure declarat; qui cum aliquot syntheses vestium habent in vestiario, ne unum tamen pannum pauperibus distrahunt, & quibuscum multa variaque fercula suppetant, unum tamen ex his pauperibus non concedunt: non quod non sit fas duas tunicas possidere; sic enim neque duo indusia, aut duas patinas habere conceditur.

duabus unã tunicam esse erogandam?

Vers. 12.

Hæc cum universis dixit, deinde accedunt ad eum Publicani, & post milites, qui quid eorum officii sit quærunt. Ex quo non satis esse constat, quid omnibus in universum imperatur cognoscere, nisi quod te speciatim & proprie attingit teneas. Hinc Apostoli in Epistolis primum quid omnium simul, & confuse Christianorum; deinde quid servorum & dominorum, uxoris & mariti, liberorum & parentum partes & officia docent. *Ephes.* 5, & 6. *Col.* 3. 1 *Pet.* 2, & 3.

Cur speciatim publicani & milites inquirant?

Cur vero istorum mentio fit potissime, causa est, quod hi duo ordines Iudæis infensi & exosi essent, quod Romani imperii ministri essent & Satellites, ad Iudæos sub dura servitute, à qua abhorrebant, retinendum: publicani enim tributa, de quorum pensitatione sæpe quæsitum est, & à nonnullis addubitatum, exigebant: milites, tanquam custodes præsidiarii imponebantur, ut Iudæos ad defectionem proclives, in officio & obsequio continerent. Hos igitur apparet olim lucri spe captos hanc vitæ rationem sequutos esse, cum tamen penderent dubii, an cui se addixerant, vivendi genus viro pio & vere Iudæo dignum erat: nunc autem pœnitudine ducti in genus vitæ inquirunt. Qui igitur hærentes num Deo quod faciunt, & in quo occupantur, gratum sit, inquisitionem aversantur ne fraude perspecta in sequendo quæstu inquietiores fierent, aut refrigescerent, à conscientia morsi: se nondum ex Euangelii prædicatione resipuisse produnt. Hi enim, veluti clancularіam tabernam, seu posticum habent, quo se à Deo abdere conantur. Contra vero qui faciunt, germanos se Euangelii filios indicant. Exempli causa, qui vel alea vivunt, vel aleatoribus fores lucri causa aperiunt, qui cauponando servorum loculos, & pauperum artificium exhauriunt, unde illos & eos, quos curare debent, perdunt, fidem excutiunt, & agnitam ex verbo culpam non corrigentes,

non sunt in vere Christianis habendi.

Vers. 13. *cur publicanis ne ultra jus exigant responderit?*

Publicanis edicit, ne quid præter jus, & legem exigant: huic enim hominum generi solenne est, amplius constituto poscere: quod tametsi non nisi oblique plerumque faciant, ut cum moras idcirco nectunt, ut festinationis nomine duplum forte emungant ejus, quod illis ex lege debetur: tamen & hæc, & mille aliæ artes pietati adversantur, & ad furti caput referuntur; ut quod sui lucri causa merces exportari aut importari patiuntur, quæ è Republica non sunt. Nec mirum: cum enim tanti quæstuosos hos magistratus emant, has expilationes exercere necesse est. Quod autem illis permittit (contra quam suspicari poterant) ut vectigalia imposita exigant: eo docet, imperata à Principe solvenda esse; quæ enim juste ab illis deposcuntur, sine injustitia ab aliis subduci, aut detrectari nequeunt.

Vers. 14. *& militibus ut stipendio contenti sint?*

Militum autem ea licentia fere esse solet, ut sibi omnia jura divina & humana violare fas esse putent: unde natum est proverbium, de legum inter arma silentio: imo vero arbitrantur se militis titulo indignos esse, nisi alios, tanquam vilia quædam mancipia, contemnant: unde nisi illis obsecundetur, gladius, qui eorum manibus à Deo insertus est, ut hostem coërceant & ulciscantur, in optimos quosque cives distringitur; his ut pro lupis sint, quibus custodes dati sunt, & ex his plerique plures eorum, qui in officio manent, quam defectores diripiant: nec vero pudet illos se orbis terrarum pestes, flagella, malleos à Deo immissos, jactare, qui innoxiis clypei loco esse debent, aut muri; ut est in historia, 1 *Sam.* 25, 16.

Quia vero solent partim vi cives opprimere, partim calumniis, & fraude eos obruere; ideo utrumque vetuit.

proinde arma non abjicienda.

Cum autem non dicat abjicite arma, ex illis plaustra reficite, gladios in vomeres conficite, hastas in putatorias falces, nolite amplius stipendia merere: *Anabaptistarum* delyrium deprehenditur; nec vero quicquam eos juvat, quod dicunt Iohannem populum tantum ad tyrocinium informasse, cum de Iohanne dicitur, eum Deo & Christo perfectum populum efformare & polire debere, *Luc.* 1, 17.

LUC. *cap.* 3. *à vers.* 15. *ad* 19.

15 Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, numnam ipse esset Christus ille,

16 Respondit Iohannes, dicens omnibus, Ego quidem baptizo vos aqua: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni.

17 Cujus ventilabrum in manu ipsius: & qui perpurgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleam autem exuret igni inexstinguibili.

18 Multa igitur etiam alia exhortans euangelizabat populo.

ANALYSIS.

Error de *Iohanne* declaratur è subjecto populo, quod subjectum adjuncta nota universalitatis amplificatur; deinde species erroris explicatur, 1. quod majus quiddam ab illo exspectabant, quam ab illo præstari posset, 2. species, vel primi erroris causa efficiens, quod disceptabant apud se an *Iohannes* esset Messias; subjectum etiam hujus disquisitionis seu disceptationis notatur, animus seu cor populi.

Vers. 16. Hunc errorem (Spiritus Sancti, ut videtur, instinctu mirifice de eo edoctus) convellit: ubi primum effectum notat utrique commune, nempe quod uterque baptizat: Deinde, à comparatis minoris, docet Christum esse se præstantiorem, quod sit valentior & potentior, ubi apud Matthæum occupatione occurrit: cujus prolepsis est à relatis, quod tempore illum subsequutus est Christus. Cujus subjectio est à diversis, tametsi tempore posterior sit, quoad humanitatem; tamen prior est & dignitate quoad humanitatem, & tempore ipso quoad divinitatem: inæqualitatem præstantiæ docet, ab adjuncta indignitate Christo abjectissimi mancipii officium præstandi; quod à testimonio humano probat, proverbio scilicet, procumbendi ut corrigiam calceorum Christi solvat; deinde à comparatione diversorum effectorum, sui, Christi, quod ipse baptizat aqua tantum, Christus vero Spiritu Sancto: quod amplificatur specie baptismi Sancti Spiritus, nempe extraordinarii; quod probat adjuncto externo ignis, qui insidebat capitibus Apostolorum die Pentecostis.

Vers. 17. Altero effecto Christi præstantiam præ se docet, quod *Iohannes* omnes bonos & malos prædicatione sua colligit, cum Christus bonos ab hypocritis discernat; quod allegoria illustrat, ubi Ecclesia areæ, Christus Agricolæ, pii tritico, impii paleis, Euangelium ventilabro, prædicatio Euangelii ventilationi, cœlum horreo, cruciatus infernales igni, collectio electorum in cœlum collectioni tritici in horreum comparatur.

Vers. 18. Aliud effectum *Ioannis* notat, ampliorem scilicet Euangelii prædicationem; quod describit a subjecto populo apud quem concionem habuit, & forma prædicationis alia scilicet, præterquam quæ dicta est; summam enim doctrinæ à se comprehensam, quam *Iohannes* magna orationis varietate exornavit dilatavitque.

METAPHRASIS.

15. *CVm vero populus in continua exspectatione esset,* Iohannem *sibi Messiæ officium vindicaturum, & cum animo disceptarent ad unum fere omnes, num ipse esset Christus ille qui per Prophetas venturus promittebatur;*
16. Iohannes *ægre & indigne hanc de se opinionem conceptam ferens, coram omnibus palam professus est; equidem vos ego aqua modo baptizo, ipse vero vos baptizabit Spiritu Sancto, idque non tantum consueta & usitata mensura, sed effusa admodum & exundante: ad uncto porro extra ordinem & mirifice, ignis externo signo Spiritus Sancti efficacem virtutem & energiam exprimente & adumbrante. Neque vero nos moveat quod vel ætate prior sim, aut in Euangelii præconio illum antecedam, utcunque enim me ætate & Euangelii prædicatione sequatur, tamen cum dignitate quoad humanitatem, & tempore ipso quoad divinitatem mihi præferendus; idque tanto intervallo, ut ipse inidoneus sim procumbendo, & me ad pedes ejus advolvendo, calcei*
17. *sui corrigiam solvere. Cujus munus est prædicatione Euangelii, tanquam ventilabro, Ecclesiæ suæ aream, in qua boni simul & mali permiscentur, perpurgare, & ita hos ab illis discernere, ut electis tanquam tritico in cœli horreum convectis & comportatis, reprobos tanquam paleas & glumas igni nunquam restinguendo, id est, infernalibus pœnis & cru-*
18. *ciatibus adjudicet. Et quidem hæc sunt quæ ex* Iohannis *prædicatione delibanda censui, ut quæ summam doctrinæ totius complectantur; cum tamen multa alia magna varietate ab illo ad populi justam præparationem proposita sint, quibus recitandis, ne plus æquo prolixior sim, supersedeo.*

PRAXIS.

SEquitur depravata & corrupta turbæ opinio, quam ex Iohannis ministerio imbibissent. Cogitabant enim apud se, moti miraculis in conceptione & nativitate, victu, vestitu, sanctitate vitæ, doctrinæ gravitate, Iohannem fuisse Messiam; & porro forte exspectabant, ut hoc de se profiteretur. In quo intueri licet, hominis corruptissimam & inquinatissimam naturam, vel ministros pedibus obterendi, vel immodice evehendi; aut reges eos expetunt, aut eos in crucem agere parati sunt, ut in Christo visum est; aut ut Deos venerantur, aut ut odio habentes lapidant, aut eorum dicta tanquam oracula Dei adorant, & suam ab illis fidem suspendunt, aut nihil eorum, quod ab illis dicitur, credunt. Vide *Act.* 14, 12, 13, 19.

Vers. 15. Quod Ioan. Messiam putent turbæ corrupta natura,

Quod præterea hic error tam late patuit, ut totius multitudinis animos invaserit, docet quam male tutum sit, in multitudine acquiescere: quod adhuc magis cavendum, quia ut hoc loco turba, sic apud Iohannem constat, Scribas & Pharisæos hoc errore imbutos fuisse. *Ioh.* 1, 19, *ad* 27.

& instabilis;

Quo autem animo Iohannem fuisse putabimus, cum ista rescisceret? non alio procul dubio, quam Paulus & Barnabas *Actor. c.* 14, *v.* 12. qui acerbissimum animi sui dolorem, vestium discissione & laceratione testati sunt, quod se in deorum numerum relatos intelligerent: ita non modo in sui contemptu cruciantur pii ministri, sed & nimia sui existimatione & modum superante; quare hæc Paulus ad mediocritatem revocat. 1 *Corinth.* 4, 1. *&c. Sic nos existimet, &c.* Hanc autem suspicionem altius in animis eorum radices agere non patitur, sed illam statim eximit. Sic Petrus *Actor.* 3, 12. sic Paulus *Actor.* 14, 15. sic Angelus *Apoc.* 22, 6. Pii enim Ministri Ecclesiam non sibi ambiunt, sed Christo, nec se in admirationem adducere student: nolunt esse loco sponsi, sed amici sunt sponsi, qui lætantur sponsæ erga Christum amore; sunt paranymphis his dissimiles, qui per speciem pro alio amico ambiendi, ipsi puellam ambiunt: quod quidem si in vituperio sit, multo magis damnandi, qui cum paranymphi sint, ut Ecclesiam in amores Christi adducant, ejus amores ad se transferant; & si facinus fuerat in Absolone animos Israëlis à Davide rege abducere, ut illos ad se traduceat: quanto magis, &c.

Vers. 16. ex cujus responsione ejus animi dolor,

Quo autem discrimen inter se & Christum statueret, unde omnes à se illum internoscerent, utitur duobus argumentis ab effectis. Primum est, se in baptismo aquæ ministrum esse; Christum vero eum esse qui *Spiritu Sancto*, aqua effecto & expresso, homines baptizaret, Ministrum quantumcunque excellentem, ne guttam quidem Spiritus Sancti conferre posse; quod idem in Verbi prædicatione, & alterius Sacramenti administratione intelligendum: omnes & externos

quæ partim ex discrimine baptismi Christi qui cum Spir. S. efficacia,

externos sensus Ministros pulsare, Christum esse qui aures cordis perforat, oculos aperit, sordes peccatorum lavat. Quod si Ministri Spiritum conferre nequeunt, nedum mortua elementa & externum sacramentum. Discamus igitur ad Deum & ad Christum mentes precibus attollere, ut ab illo gratiam nobis accommodatam emendicemus, nec in cujusquam Ministri donis acquiescamus. Nam si lingua Angelorum loquerentur, si Daniele aut Iohanne Baptista sanctiores aut doctiores essent, nequicquam tamen nobis profuerint, nisi ad Christum fontem & thesaurum gratiæ ducunt. Vide 1 *Cor.* 3, *v.* 5, 6, 7.

quamvis substantia idem,

Ex hoc liquet, quam illi à veritate aberrarunt, qui Christi baptismum novum, à Iohannis baptismo, ritum & ceremoniam existimarunt; cum uterque Iohannis & Christi unum integrum Baptismum efficiant, cum quod Iohannis, sive alterius cujuspiam Ministri baptismo semel administrato adumbratur, quotidie, quamdiu hic versamur, à Christo exhibetur. Esse vero Christi (qui dicitur) baptismum spiritualem, non autem externam aliquam lotionem, constat *Act.* 1, *v.* 5. ubi hunc Christi baptismum post ascensum, cum primis perficiendum docet; præterquam quod hac sententia Iohannis baptismus mortuum quid esset, nec nos Christo in baptismo communicaremus, qui Iohannis baptismo baptizatus est.

& ejus abundanti collatione;

Quod vero *ignem* Spiritui Sancto adjunxit, designat admirabilem illam Spiritus Sancti collationem & communicationem, sub specie linguarum ignitarum. Nec igitur hinc *Hermianis*, aut *Seleucianis* aliquod patrocinium accedit, qui per hujus loci speciem igne baptizabant.

qui ideo majora præstat,

Quod vero Christum se ἰσχυρότερον dicit, eo indicat, eum longe majora Iohanne præstare: Iohannem aquam tantum & verbum externum præbere posse, illum posse Spiritum conferre; quo etiam refertur quod sequitur, de hypocritis à veris cultoribus internoscendis. Itaque hæc sententia priori præmittenda, ut quæ & illam, & sequentem χρονικῶς complectitur.

ac proinde ad abjectissima officia præstanda indignus:

Quod autem se *indignum* esse confirmat, *qui calcei corrigiam solvat*; quod ab alio amplificatur Euangelista, dum ne *procumbendo* quidem, & ad terram se dimittendo hoc illi officium præstare dignum se reputat: Christi divinitatem non obscure indicavit. Cum enim pauper & adhuc privatus is esset, cui tantus Propheta indignus erat, qui ei corrigiam procumbendo solveret, id est, abjectissimam & summissimam operam illi præberet, certe eum oportuit hominum ordini eximi. Hujusmodi est, quod legimus de Maria pedes Christi lachrymis abluente, & capillo abstergente; quod Christus vere Deus admisit. Hinc *Pontificem* intelligitur se pro Deo venditare, & honorem uni Christo debitum in se transferre, dum pedes suos Regibus & Imperatoribus osculandos præbet.

Vers. 17. *partim quod corda hominum noverit,*

Alia differentia inter Christum & Iohannem, seu omnes potius quascunque creaturas, quod ille solus novit hypocritas a germanis Dei cultoribus internoscere: quod similitudine agricolæ illustrat, qui aream suam purgat, paleas eximit è tritico. Vide *Matth.* 13, 47. in reti jaculi parabola, omnia complexus sua sagena, collegit bona, & abjecit mala, &c. Item *Matth.* 25, 32. in pastoris similitudine, capras ab ovibus seponentis. Homines igitur caveant, ne hoc sibi suscipiant & arrogent, quod unius Christi est, & quod Iohannes sibi assumere non est ausus, ne Dei judicium præripiamus.

quod Ministri nequeunt;

Ministri enim Euangelii religando cum frumento paleas, & urticas &c. in Ecclesiam comportant, oves simul & capras, &c. Christus post accedens, ea dispartit & segregat; est enim ille, cujus oculi flammantes, & igniti appellantur. *Apoc.* 1, 14. renes & penitissime penetrat.

ideo in eorum probatione non acquiescendum.

Simul etiam notandum est, homines non debere in hominum de se judicio acquiescere, si se Ministris & aliis bonis viris probent, nisi etiam se & sua omnia Christo probent, ad cujus tribunal sistendi sunt.

MATTH. *cap.* 3. *à vers.* 13. *ad finem Capit.*

13 Tunc advenit IESVS à Galilæa ad Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo.

14 At Iohannes obnixe prohibebat eum, dicens, Mihi opus est ut à te baptizer, & tu venis ad me?

15 Respondens autem IESVS dixit ad eum, Omitte me *nunc, ita enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc omittit eum.*

16 Et baptizatus IESVS ascendit statim ex aqua: & ecce, aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, & venientem super ipsum.

17 Et ecce vox adfuit *e cœlis dicens, Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.*

ANALYSIS.

EFfectus Christi itineris describitur à subjecto loco unde iter suscepit, nempe Galilæa, ad subjectum locum quo profectus est, Iordanem, & à subjecta persona *Iohannis*, ad quem se contulit, & à fine itineris, ut baptizaretur.

Vers. 14. *Iohannis* effectum declaratur quod prohibuit eum, quod etiam adjuncta præpositione amplificatur, scilicet quod vehementer & magnopere prohibuit; cujus ratio assignatur à comparatione majoris, quod tantum abesset ut ipse illi baptizando idoneus esset, ut à Christo baptizari sese opus habere professus sit.

Vers. 15. Christi responsum subjicitur; quod declaratur adjuncto adhortationis ne eum prohiberet; quod etiam adjuncto temporis definitur, quo declaratur hanc *Iohannis* in Christo baptizando eminentiam non duraturam. Cujus adhortationis ratio est ab adjuncto decoro; quod quidem decorum confirmatur ab effectis, scilicet quod uterque *Iohannes* baptizando & Christus se baptismo ejus submittendo, justitiam Dei perficeret: post effectus *Iohannis* subjungitur, nempe quod baptismo Christum consignavit.

Vers. 16. Vbi ex relato ascensus ex aqua arguitur descensus Christi in aquam, ut ibi baptismo consignaretur: cujus baptismi Christi adjunctum notatur, primum cœlorum diffissio, 2. quod *Iohannes* vidit Spiritum Sanctum descendentem, 3. quod Spiritus ille venit & insedit Christo; cujus externum Symbolum seu forma erat columba.

Vers. 17. Quartum adjunctum erat vox Dei Patris de cœlo, quæ speciatim exprimitur. In quo testimonio divino, primum describitur ex relatis, quod sit filius; deinde ab adjuncto, quod sit dilectus, 3 ab effectu, quod sit is qui patrem suum hominibus placatum & propitium reddit.

METAPRASIS.

13. P*Ost, ut Christus se ad publicum Mediatoris munus idoneum redderet, è Nazaretho Galilææ oppido, ubi triginta fere annos veluti in latebris dilituisset, ad* Iohannem, *prope fluvium Iordanem ob aquarum commoditatem ministerium exercentem, iter suscepit, hoc consilio, ut postquam* Ioannem *pro concione dicentem primus audivisset, ab illo*
14. *baptismi sacramento initiaretur*; Iohannes
vero Christo cum aliis suis auditoribus baptismum petenti, hoc officium non modo præstare renuit, sed obnoxe & asseveranter hoc facere pernegavit: cujus sui facti rationem potentissimam se afferre existimabat, quod ipsemet à Christo Spiritus baptismo consignandus erat: & ob eam rem indignum judicare, ut baptismi in Christum collatione, sibi alioquousque in eum autoritatem vendicaret: maxime quod ad se longo itinere confecto baptismi causa venisset: quem æquius erat (siquidem ab illo baptizandus foret) misso nuntio ad eum iter su-
scipere. Cui Iesus: sine ut quod peto fiat, ut ad 15.
tantillum temporis tuo ministerio utens, tibi quadantenus inferior sim; utcunque etenim hoc tibi absonum & absurdum videatur, tamen propius rem intuenti perquam decorum comperietur; quandoquidem hoc faciendo & tu mihi imperanti parens, & ego Patris obsequium sequutus, ambo quod rectum & justum
est, exsequemur. Quo dicto Iohannes *Iesum à* 16.
se baptizari permisit. Christus ergo in fluvium ut baptismo initiaretur, descendens, postquam sacro lavacro ablutus fuisset, ilico ex aqua ascendit emersitque. Ecce autem quomodo externam sacramenti tesseram, Spiritus Sancti
dona comitantur. Ilico enim diffissis cœlis Spi- 17.
ritus Sanctus, visibili columbæ forma cœlitus descedens, semper illum sessitavit. Iterum dico ecce & adverte animum, vocem Dei Patris cœlitus auditum, qua tanquam testimonio omni exceptione majore testatur, hunc Iesum ejus Filium esse unice dilectum, in quo uno gratos habet quicunque ad eum fide vera confugiunt: & quem omnes qui gratiam à Deo consequentur, ut fidem consequantur, studiose audire debent.

PRAXIS.

CHristus sua efflagitatione, à Iohanne baptismo consignatus, è cœlo amplissimo, eoque multiplici testimonio ornatur.

Partes sunt
- Christi per Iohannem Baptismus, Christus ipsius constanti & obnixa efflagitatione evocatus;
- &
- Dei è cœlis multiplex & augustum de Christo testimonium.

Sequitur Christi baptismus, quem a Iohanne petens tandem obtinet: in quo animadvertendum, quod Christus sponte cum accedit, ut sacramento communicet; nec dubium est, quin Verbi prædicationi, quæ sacramenti administrationem antecessit, interfuit. Vbi prætereundum non est, quod tantum iter pedibus ministerii causa confecit. Quo facto ministerium Verbi, & Sacramenta à

Vers. 13. Christus sponte ut à Ioanne baptizetur accedit,

ta à contemptu vindicavit: intolerabilis ut sit superbiæ, qui sibi confidens ista mysteria despectui habeat: sicut enim sapientia crevit, ita media proficiendi sibi non esse aspernenda duxit: quod nos pudefaciat, qui præ illo nani, cum in cognitione, tum in pietate, tamen ægre aliquot passus conficimus, ut sub Ministerio Ecclesiæ proficiamus; maxime si quis se, æque ut ministrum, in Scripturis peritum existimet; cum Christus peritior Iohanne eum attente audivit. Deinde quod sacramentum sibi administrari petit, & denegatus obnixe rogat, nobis exemplum reliquit studii & fervoris communicandi sacramentis; non equidem, ut plerique faciunt, ne alii contemptui sint, sed studio obsequendi Deo. Atque cum ad sacra, tanquam ad nuptiale convivium, nobis accedendum sit, ad illud, tanquam ad supplicium & carcerem, obtorto collo venimus, ut nisi vel lex, vel consuetudo, vel existimatio urgeret nos, non accederemus.

idque cum turba in ejus concione;

Ex Luca liquet Christum in media turba Iohannis concioni assistentem, tum baptismum petiisse, cum turba se baptizandum sisteret. In quo videmus quam rationem cœtus Ecclesiastici habuit Christus, qui se ad illum aggregat, neque (ut quibusdam in more est) aliam in baptismo pompam quærit, quam quæ est totius Ecclesiæ communis. Nam plerique nobiles sunt, qui se inhonoratos arbitrantur, nisi liberi recens nati domi suæ sacramento consignentur, inque argentea patina & aliis apparatus ceremoniis. Hic quis secum reputet, perbeatos fuisse illos, qui eodem tempore, eadem in aqua, & ab eodem ministro, baptismo consecrati sunt, quo Christus. Sed falluntur: nec enim beatiores, quam nos sumus, fuerunt. Æque enim se Christus nobis in nostro baptismo communicat, atque illis. Sicut enim in unius illius circumcisione, omnium piorum circumcisiones honorantur & efficaces redduntur; sic in illius unius baptismo, omnes piorum baptismi & ornantur, & sanctificantur; sicut impiis gravius judicium imminet, quod sacrum baptismum à Christo, suo & proprio baptismo consecratum prophanent.

Vers. 14, & 15. *cujus recusatio ex imbecillitate.*

Quod Iohannes verecundia & modestia hoc recusavit facere, suam prodit imbecillitatem, & animum non satis ad obsequium cōpositum. Tametsi enim humilitatis quandam speciem præ se fert; tamen superbiæ potius judicandum est, ut qui suam Christi prudentiæ anteponit, & Christum hoc postulato lapsum errore existimavit. Sic Petrus *Ioh.* 13, 8. noluit permittere, ut sibi pedes à Christo lavarentur. 1 *Reg.* 20, 35, 36. recusavit vir quidam jussus Prophetam percutere, unde ipse à leone interficitur. Unde intelligitur, quantum periculum in eo inest, si quis sua sensa, & cogitata, & rationis dictamen sequatur. Quis enim non putaret hos magna ratione motos, ne quod illis imperabatur, obirent. Tenendum igitur, obedientiam potiorem esse sacrificio: & *Prov.* 3, 8. neminem debere sapere suo judicio; extra enim Dei mandatum, nihil nisi laquei sunt, quibus nos induimus, vel tum, cum via nobis maxime expedita & strata videtur. Quod bonam *Pontificiorum* intentionem aperte convellit. Iohannes admonitus sui officii ilico se retractat, tametsi non desint illi prætextus & species præclaræ defensionis: quod illos redarguit, qui refractarii sunt.

Cur Christus baptizatus?

Quod si *quæratur*, quorsum baptismo consecratus est?

Respondeo, ut cum ad Filiorum Dei obsequium pertineret, sacramentis hujus particeps ipse, qui se ad eorum numerum & ordinem aggregaret, illud etiam obiret, & eo initiaretur, ut labes nostras & prolapsus, seu in baptismo reverenter suscipiendo, seu in suscepto debite & legitime usurpando, reficeret.

cum baptizaretur, precatus est;

Apud Lucam apparet, Christum cum baptizaretur, precatum esse, *Luc.* 3, 21. quod nobis documento est, nos in sacramenti perceptione Deum precari oportere, & sacramentorum administrationem precibus conjungendam esse, sicut moris est apud nos; maxime cum Christus, à quo Spiritus (sicut à Patre) procedit, & cujus est, sicut est Patris, hoc fecerit.

Hujus precationis *effectus* enumerantur,
1. Cœlorum diffissio.
2. Descësus Spiritus Sancti corporea forma.
3. Patris augustissimum de filio testimonium.

Vers. 16. & 17. *ejus precationis effectus.*

Signo res signata conjungitur; Spiritus Sanctus aqua figuratus in illum confertur, & quidem visibili forma, quæ ad singularem Christi mansuetudinem delineandam esset aptissima. Vide *Matth.* 11, 28, 29, 30. & *cap.* 12, 18, 19, 20. quod aptissime convenit testimonio *Esa.* 42, 1, 2, 3. unde Dei Patris testimonium desumitur. Notandum Deum Patrem, cui summa unam eandemque rem pronuntiandi varietas suppetit, elegisse in ipsis

ipsis Scripturæ verbis insistere; testimonium enim hoc ex *Esa.*42,1. desumptum est. Quod illorum nauseam & fastidium coarguit, qui veritatem aliis aut proponere, aut accipere verbis expetunt, quam Sacræ Scripturæ loquendi formulis.

Cur Spirit. Sancti. capiti insederit? Spiritus vero Sanctus capiti insidens, indicio fuit, eum animo plenissime Dei Spiritu perfusum esse, & ad obeundum Messiæ munus unctum esse. Quod autem Spiritus Sanctus descendisse dicitur, qui tamen cœlum implens à loco ad locum non transit, intelligendum est de corporea forma. Qua non Spiritus Sancti essentialis Deitas, sed ejus dona, à quibus Spiritus separatus non est, delineantur & effinguntur. Ne quis cum *Pontificiis* somniet, ipsam Dei essentiam ulla aliqua imagine repræsentatam esse. Hic etiam luculentum testimonium habetur Trinitatis personarum; Patris scilicet loquentis, Spiritus requiescentis super Filium, & Filii stantis.

IOH. I. *à vers. 6, ad* 15.

6 *Existit homo missus à Deo, cui nomen Iohannes:*

7 *Is venit ad* dandum *testimonium*, id est, *ut testaretur de illa Luce, ut omnes per eum crederent.*

8 *Non erat ille Lux illa, sed* missus fuit *ut testaretur de illa Luce.*

9 Hic *erat Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

10 *In mundo erat, & mundus per eum factus est, sed mundus eum non agnovit.*

11 *Ad sua venit, & sui eum non exceperunt.*

12 *Quotquot autem eum exceperunt, dedit eis hoc jus ut Filii Dei sint facti,* nempe *iis qui credunt in nomen ejus:*

13 *Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.*

14 *Et Sermo ille factus est Caro, & commoratus est inter nos, (& spectavimus gloriam ejus, gloriam,* inquam, *ut unigeniti* egressi *à Patre) plenus gratiæ ac veritatis.*

ANALYSIS.

Baptista describitur ab adjuncta vocatione divina, seu immediata à Deo, 2. ab altero adjuncto nominis, scilicet *Iohannis*, quod gratiam *Iehovæ* prædicabat in Christo jam exhibito.

*Vers.*7. 3. A fine prædicationis, ut de Christo testificaretur, qui lucis metaphora illustratur, 4. finis etiam testimonii indicatur, ut scilicet omnes crederent per eum.

*Vers.*8. 5. Probat à diversis eum non fuisse lucem illam insignem, nempe Christum, sed de luce illa testimonium perhibuisse.

*Vers.*9. 6. Probatur Christus esse lumen, non *Iohannes*, ab effecto illuminandi omnem hominem venientem in hunc mundum.

*Vers.*10. Humanitatem etiam proponit à subjecto mundo in quo Christus erat, cujus magnitudinem præstringit argumento à diversis, quod mundus ab eo factus, eum non cognovit.

*Vers.*11. Humanitatem Christi alio argumento effecti proponit, nempe quod per incarnationem suam venit inter Iudæos; quorum ingratitudinem præstrinxit, argumento à relatis quod ad suos veniens, à suis exceptus non sit.

*Vers.*12. Alio argumento divinitatem proponit ab effecto, quod dat hanc dignitatem, ut fiant homines filii Dei; quæ dignitas proprio subjecto credentium in eum describitur.

*Vers.*13. Cujus filiationis paternitas, seu causa efficiens assignatur Deus Pater: quod etiam probatur à distributione; Aut enim à Deo est, aut ab hominibus; sed non ab hominibus; ergo est à Deo. Ab hominibus probat non fieri, ab enumeratione partium; quod neque natura, nec ulla humana industria gignimur Dei filii.

*Vers.*14. Postquam humanitatem & divinitatem seorsim proposuisset, utramque naturam in una persona inseparabiliter conjunctam ostendit, dum λόγος naturam humanam assumtam sibi adjungit; cujus effectum notatur conversatio & commoratio inter homines; cujus conversationis adjunctum tempus similitudine commorationis in tabernaculo illustratur; ejus adjuncta gloria plane divina præponitur, quæ testimonio *Ioannis* & Apostolorum confirmatur; quod porro testimonium specie oculati testimonii augetur & amplificatur, & suo proprio subjecto, nempe illam gloriam fuisse, quæ Filium Dei deceret.

METAPHRASIS.

Tametsi vero Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & cognitionis divinæ confertim 6.

fertim & cumulate inclusi tenentur, se ipso contentus, hominis testimonio non eget: tamen sua in homines animi propensione, qua illorum saluti consultum voluit, prospexit sibi de illustri, & multis nominibus, cum conceptus & nativitatis, tum victus & vestitus ratione, nobilitato viro, qui vel ipso nomine suo celebritatis suæ indicium & notam prætulit. Ioannis *enim nomine insignitus, gratiæ Dei in Christo exhibitæ præconem egit clarissimum.*
7. *Hic divinitus absque hominum opera in ministerio inauguratus, venit ut testimonium perhiberet. Et congruenter officio cui perfungendo destinatus est, de Christo totius mundi lumine testimonium dixit; non equidem ut quidquam suo testimonio Christo accederet, sed hoc consilio, ut omnes omnium generum, nationum, linguarum & conditionum homines, ejus ministerio excitati, in Christum crederent.*
8. *Quanquam vero opinio multorum animos imbuerat,* Ioannem *esse mundi lumen per Prophetam promissum: tamen non erat ille lumen, sed tantum is qui de lumine testimonium ferret.*
9. *Nec tamen inficias iverim, quin propter singularem in rebus cœlestibus peritiam, & vitæ perraram sanctimoniam, luminis nomen aliquo usque obtineat, & quidem splendentis; sed cum Christo compositus, luminis appellatione indignus erat. Christus est enim verum illud Lumen, quod ex se lucens, sui splendoris radiis omnes totius orbis homines illustrat, dum illos ratione, & communibus æquitatis & justitiæ notionibus, ad præsentis vitæ moderationem summe utilibus, & oratione exornat.*

10. *Hic Christus assumta humana natura, in mundo erat & conversatus est: Gentes tamen passim in mundo vagantes & sparsæ, tametsi ab illo creatæ, tamen (asino & bove stupidiores, qui suum Dominum, qui illis pabulum subministrat, agnoscunt) eum non co-*
11. *gnoverunt, nedum agnoverunt. Quod gravius est, ne Iudæi quidem, quos sibi in populum peculiarem delegerat, & à quibus quoad carnem oriundus erat, illum ad se incarnatione venientem (non dicam non cognoverunt, cum ex illis plerique notitia perfusi sunt) fide rata*
12. *in animis admiserunt. Tametsi vero hac mundi & populi præsertim sui ingrata animi labe, jure ita commoveri potuit, ut se & quam secum tulit salutem penitus subduceret; tamen quotquot cum ex Gentibus tum ex Iudæis, fide in eum fixa & collocata ipsum acceperunt, illis sic jus & dignitatem contulit, ut filii Dei*
13. *fierent. Quod dixi fieri illos filios Dei, illud intelligi volo, non natura à parentibus, non viribus propriis, aut intelligentiæ, aut voluntatis; sed a Deo modo, qui Spiritus sui virtute per sermonem promissionis, tanquam per semen illos ad spem vitæ gignit. Quod autem dixi in mundum venisse, id copiosiore explicatione e-*
get. Quare sic habe sermonem: qui ab omni 14
æternitate apud Patrem fuit, assumpto ad se corpore & anima, una persona in duabus naturis non confusis factus est; qui etiam hic in terris ad tempus tanquam in tentorio commoratus, suæ majestatis tecmeria certissima edidit; cujus rei infiniti, maxime Apostoli, spectatores erant; qui cum miraculorum editione, tum Spiritus Sancti cumulata collatione, olim in lege ceremoniis adumbrata, illam spectârunt gloriam, quæ propria est æterni Patris Filio, ut quæ non possit ad ullam in cœlo aut terra creaturam transferri.

P R A X I S.

CHristus Deus & homo, una in duabus naturis persona esse docetur:

quod fit { Comparatione cum Iohanne, ad versum 10. / Sine cōparatione, reliquis versibus.

Notandum, vocatum fuisse ad ministerium, & à Deo immediate: *Nemo enim, sibi honorem sumit, nisi qui vocatus est, ut Aaron. Hebr.* 5, 4. utcumque conceptu, & nativitate, & educatione, maxime Spiritus Sancti singulari mensura, alios omnes suæ ætatis homines antecelluit; tamen nihil sine vocatione Dei tentare voluit: quod eorum temeritatem & præcipitantiam coarguit, qui suis donis confisi, se in Ministerium Ecclesiasticum ingerunt: multo magis eos, qui nullis idoneis ad ministerium donis imbuti, in Ecclesiam irruunt.

Vers. 6. Ioannes ad ministerium à Deo vocatus;

Cum primi legis ministri Moses & Aaron, à Deo immediate sint vocati; ne Euangelium hac parte legi inferius esset, decuit primos Euangelii ministros Iohannem, LXX & duodecim discipulos, sine hominum opera, ad Ecclesiæ ministerium adhiberi; & quidem Iohannis in primis ministerium debuit cœlitus institui, cum propter doctrinæ genus, quod novum fuit; tum sacramenti ritum inauditum Dei populo Deinde quod tanta obtinuit in Ecclesia corruptela, maxime in his qui Ecclesiæ primates erant; ut omnino ab illis demandata Ecclesiæ functio, suspecta plerisque reddita fuisset.

hinc Euangelium legi non inferius;

In *Iohannis* nomine, a Deo illi indito, singularis Dei cura ostenditur, homines ad salutem,

hac illi nomen singu-

lari cura impositum. lutem, quæ in filio proposita est, pelliciendi. Nam *Baptistæ* nomine audito modo, cum à Deo illud impositum intelligeretur, omnium animis, de doctrina, quam proposuit, suspicionem falsitatis minimam adimebat; adeo ut si vita flagitiosa fuisset, in ipso nomine tamen veritatis propositæ firmamentum habuisset: ut justissima fuerit eorum hominum condemnatio, qui Iohannis ministerium, conceptu, circumcisione, victu & vestitu, ipsoque nomine obsignatum, undique gratum & ratum non haberent. Quo docemur, non nihil ad pietatem præsidii esse in nominibus rite impositis; ne nobis in nominibus infantibus imponendis, omnem licentiam largitam esse putemus.

Vers. 7. *Ex Dei in homines amore Ioan. testimonium;* Quod ad testimonium de Christo dicendum est designatus, primum Dei & Christi in homines φιλανθρωπίαν demonstrat; qui hominum de se testimonium, quo ipse opus non habet, tamen instituit, ut nos servemur, *Ioh.* 5, 34. homines testes non adhibent, nisi eorum ipso bono qui testes asciscunt; Deus autem nullo suo, sed nostro bono hoc facit. Quod si aliis boni aliquid proponunt, ad quod accipiendum & amplexandum suo & proprio testimonio adduci nequeunt, ilico eos indignabunde abjiciunt, quia oblatum benigne beneficium rejiciunt; Deus autem trium personarum testimonio de Messia adhibito, Angelorum etiam exercitum, & lectissimum chorum hominum adjungit; non minus quam si suæ beatitatis prora & puppis in hujus rei comprobationem sitæ essent, cum tamen hîc illi nihil seu seritur, seu metitur.

hinc ejus ministrorum honos; Deinde honos, quem ministris suis habet, notandus est: nam cum nemo (Iohanne Baptista referente) dignus sit, qui humi procumbens corrigiam calcei Christi solvat, ad tam honorificum de eo testificandi munus provehi, omnem hominum & Angelorum captum superat; maxime cum præteritis ipsis electis Angelis, hunc humano generi honorem habuit, & eos in societatem ministerii sui hoc modo ascivit, qui ipse in mundum venit, ut veritati testimonium perhiberet. Vide *Ioh.* 18, 37. *Apoc.* 1, 5. & 3, 14.

& eorum officium. Hinc colligitur, quod sit officium ministrorum: primum quidem, ut honesti sint & inculpati vita: quia adversus testem, quicquid jure criminis intentari potest, id omne ad veritatis, quam testatur, labefactationem studiose conquiritur. Deinde illud porro in teste requiritur, ne quid, quod non aut viderit aut audierit, proferat, nihil ex suo cerebro affingat aut comminiscatur, *Ioh.* 3, 11. præterea ut illud modo proferat, de quo certus est; sicut etiam in teste requiritur, ut sit fidelis, ne quid reticeat quod illi post testandum est.

Christus lumen dicitur; cujus ratio ab effectis assignatur, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cap. 9, 5. *Lumen mundi*, alia ratione dicitur: nempe quod lumen salutare; de quo tum dicetur, cum ad eum locum pervenietur. Hoc enim loco *Lumen* dicitur, quod rationis, & orationis lumine homines perfundat, sicut versu 4. hujus capitis dictum est. Nam de hac luce hunc locum intelligi palam est; quia omnes homines natura filii iræ cum sint, illos in rerum omnium cœlestium ignoratione jacere conficitur. Meminerimus igitur rationis & orationis beneficium, utrumque natura, tamen a Dei Filio datum esse; ut quam indignum sit his, tanquam armis ex Dei armamētario desumptis, adversus Deum pugnare, expendamus. Vers. 8, & 9. *Quomodo Christus lumen dicatur?*

Ex octavo versu colligitur, quod prius accepimus, invaluisse apud plerosque, eosque principes inter Iudæos, Iohannem fuisse Messiam, non autem Christum: ubi humani ingenii cæcitas dignoscitur, quod inter servum & dominum, inter creaturam & creatorem non discernit; præsertim cum non sine dominatus, & creatoris insignibus & infulis, se spectandum præbeat: quod homines aliquando faciunt. *Populi cæcitas quod Messiam ignorarit;*

Hactenus de priore parte: sequitur altera; mundi cæcitas perstringitur, quod Christum non cognovit: & porro aggravatur & exaggeratur ab adversis causis; quod Christus, ut mundum rationis lumine ornarat, sic etiam creaverat: quod unius Dei est proprium, cum stupidissima animalia, bos & asinus suos, qui illa alunt, dominos agnoscunt. Vers. 10. *qui est Christus:*

Vbi *quæritur*, quomodo mundi in Christi ignoratione cæcitas jure mundo exprobratur, quandoquidem Deus Gentibus Filium suum non patefecerat. *cum Gentes criminandi quod Eum non noverint,*

Respondeo, tametsi non ita se mundo patefecit, ut Israëli; tamen Gentes, non sine sui testimonio reliquit, dum suum populum primum in Ægypto, post sub Monarchia Assyriorum, Babyloniorum, Persarum & Græcorum hinc inde disseminaverat; idque in hunc finem, ut inde, horum veluti semente, messem ex Gentibus colligeret. Deinde cum suas

suas Sibyllas habuerint, quibus in aliis rebus fidem adjungebant, jure condemnantur, qui in his, quæ de Christo prænuntiabant (siquidem vera sunt, quæ illis attribuuntur) non auscultabant. Denique cum unius Cyri, Alexandri aut Cæsaris rebus gestis totus mundus personuit percrebruitque, ita ut ad omnes eorum fama pervenerit: omnino culpandi jure erunt, qui rebus à Christo gestis, infinitis parasangis splendorem illorum superantibus, expergefacti non sunt.

Vers. 11. *multo magis Iudæi.* Iudæos autem gravius criminatur, quod Christum, qui & genere & fœdere ipsius erant, illum tamen rejecerint, & servum, immo quamvis errorem, domino prætulerint: quæ ingratitudinis nota nobis cavenda est; qui tametsi genere eodem prognati non simus, pluribus tamen beneficiorum vinculis cum illo colligati sumus, quam unquam Iudæi erant; nec minus in illum injuriosi comperiemur, si præ nobis verbis ferentes illum amplecti, re tamen & factis eũ abnegabimus.

Vers. 12, & 13. *Per Christũ Filii Dei sumus:* Alterum argumentum divinitatis Christi ab effectis sequitur, nempe quod in Gentes & Iudæos in ipsum credentes, hanc dignitatem & privilegium confert, ut filii Dei sint; quod beneficium totum divinæ beneficentiæ asseritur, dum naturæ, etiam in his qui ab Abraha oriundi sunt, aut nobis nostrisque viribus penitus denegatur.

Vers. 14. *qui ex duabus naturis in unitate personæ.* Postremo versu, unitas personæ Christi ex duabus naturis, divina & humana consistentibus, proponitur, & suis adjectis arguitur; primum quidem humanitatis, quod ad tempus nobiscum commoratus est; deinde divinitatis, cum gloria, quæ propria Dei est, tum communicatione effusæ gratiæ, quorum utrorumque Apostoli testes citantur. Voce enim (*factus*) unio designatur, non conversio divinitatis, quæ est invariabilis; non commixtio naturarum divinæ & humanæ. Voce autem (*carnis*) designat totam humanam naturam, ex corpore & animo consistente, ob eam rem, quia vox carnis maxime humanæ naturæ caducam conditionem exprimens, beneficium divinum, quo se Filius Dei ad tam abjectam sortem dimisit, magnopere illustret; non quod divinitas pro anima Christo fuerit, ut *Apollinari* visum est. Sic enim fieret, ut animæ nostræ à Christo minime redemptæ, in æternum perierint.

LVC. 4. *vers.* 1, 2.

IESVS autem plenus Spiritu Sancto revertit à Iordane, & actus est ab eodem *Spiritu in desertum.*

2 *Dies quadraginta tentante* eum *diabolo, Nec edit quicquam per illos dies, sed iis finitis postea esuriit.*

MARC. 1. *vers.* 12, 13.

12 *Statimque Spiritus eum expellit in desertum.*

13 *Et fuit illic in deserto dies quadraginta; tentante eum Satana: eratque cum feris: & Angeli ministrabant ei.*

MATTH. 4. *à vers.* 3. *ad* 12.

3 *Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si filius es Dei, dic ut isti lapides panes fiant.*

4 *At ille respondens dixit, Scriptum est, Non solo pane vivet homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei.*

5 *Tunc assumit eum diabolus in Sanctam urbem, & statuit eum super pinnas templi:*

6 *Dixitque ei, Si filius es Dei dejice te ipsum deorsum: nam scriptum est, Angelis suis mandabit de te, &* ipsi *attollent te in manus, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum:*

7 *Dixit ei IESVS, vicißim scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

8 *Rursum aßumit eum diabolus in montem sublimem valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.*

9 *Dixitque ei, Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.*

10 *Tunc dicit ei IESVS, Abi Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.*

11 *Tunc omittit eum diabolus, & ecce, angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

LVC. 4. *vers.* 13, 14.

13 *Et finita omni tentatione, diabolus abscessit ab eo ad tempus.*

14 *Reversus est autem IESVS cum virtute Spiritus in Galilæam: & fama de eo exiit in totam circumjacentem regionem.*

ANALYSIS.

Lvc. 4, ℣. 1, 2. IESV tentatio describitur ab adjuncto tempore, ilico post baptismum, & solennem inaugurationem in munus Mediatoris: deinde alio adjuncto tempore, postquam reversus esset Iordane domum à baptismo, 3. ab adjuncta Spiritus Sancti plenitudine qua cœlitus perfusus est, 4. ab efficiente causa, Spiritu qui illum sancto quodam impetu & furore impellebat, 5. à forma profectionis, quæ in *Matthæo* designatur, aut Christi in aërem subvectio (ut olim *Elias* correptus est) vel ad locum deserti qui eminentior situ fuit loco unde ductus est.

Marc. 1, 12, 13. 6. A subjecto loco deserti, quod describitur suo adjuncto ferarum habitaculo, 7. à fine, ut tentaretur. Alia causa tentationis diabolus seu Satan, qui caput est reproborum Angelorum, 8. ab adjuncto tempore tentationis 40 diebus, 9. ab adjuncta abstinentia ab omni cibo totidem dies, 10. ab adjuncta fame post 40 dies plene exactos.

Mat. 4, 3. Post generalem tentationem descriptam accedit ad certas species tentationum, quæ omnes primum describuntur ab adjuncto communi tempore, quo Satan illum invasit, nempe post 40 dies exactos, & alio adjuncto, scilicet cùm jam fames Christum urgeret; deinde à duobus communibus effectis, diaboli scilicet accessione ad eum, & colloquutione: prima tentatio est, ut suam fidem labefactet, ne crederet se esse Dei Filium, à præsenti famis calamitate; id facit ab adjuncta destitutione alimentorum, cum jam fame premebatur; quam destitutionem probat à disparatis, quod loco panis lapides modo suppeterent, tantum igitur abesse ut sit unigenitus Dei Filius, ut ne in filiorum Dei numero habendus sit, qui pane destituitur. Quod alio argumento ab effectu probat, nempe non esse habendum pro filio, nisi ex lapidibus panem conficiat.

Vers. 4. Christi responsum est, non deseri à Deo, nec semper destitui alimento, qui communibus alimentis destituitur; cujus ratio est à diversis: quanquam enim commune alimentum desit, tamen Deo suppetere rationes nos pascendi extraordinarias. Quod ipsum confirmat divino Scripturæ testimonio.

Vers. 5. Secunda tentatio, quæ est ut Christum ad inanem præsumptionem sollicitet, sequitur; quæ describitur ab adjuncto tempore, scilicet ilico post primam tentationem absolutam, 2. ab effectis diaboli. 1. Christum arreptum transferendi, 2. illum super pinnaculum seu toricam templi collocandi.

Vers. 6. 3. Illum sermone cõpellandi & hortandi ut se in terram præcipitem ageret; quod probat ab adjuncta oculatissima & maxime sollicita Dei providentia suos filios conservandi, nedum unigenitum. Quod argumentum probat à testimonio Scripturæ, corrupte & depravate detorto.

Vers. 7. Christi responsum est, pericula non esse temere obeunda; quod item confirmat testimonio Scripturæ divino.

Vers. 8. Tertia tentatio describitur ab effectis diaboli, 1. quod Christum acceptum deportavit in montem præaltum valde, 2. repræsentando veluti σκιωδῶς omnia regna mundi, cum adjuncta eorum gloria & apparatu, & adjuncto temporis nimirum puncto.

Vers. 9. 3. Sermone, quo hortatur ut provolutus se adoret; cujus rationem adfert ab adjuncto præmio, quod illi omnia donabit; quam rationem confirmat ab adjuncto jure, quod habet illa regna in quem vult conferendi.

Vers. 10. Christi responsum est hoc non esse faciendum; quod probat proprio adjuncto cultus Dei. Quod item confirmat Scripturæ testimonio, & cum adjuncta summa indignatione illi ut abeat imperat.

Lvc. 4, 13. Cujus imperati effectus sequitur, nempe diabolum abiisse; cujus abitus adjuncto tempore notatur, cum absolvisset omnem tentationem; item alio adjuncto temporis, nempe ad tempus modo discessisse.

Mat. 4, 11. Notatur effectus, Angelorum accessio scilicet ad Christum, & finis ut illi administrarent; cum illum consolando, tum alimenta illi suppeditando, prout Christus versu 4. dixerat; totum adjuncta attentionis, aut animadversionis nota amplificatur.

Lvc. 4, 14. Describitur regressus Christi ex deserto à causa, Spiritus Sancti vi quæ illum in desertum sustulit, 2. à subjecto loco quo ductus est Galilæa, ubi Iohannes exercebat suum ministerium, 3. ab effectis, scilicet fama de ejus virtute & Spiritus efficacia.

METAPHRASIS.

IESVS *congruenter visibili signo, Spiritus Sancti forma columbæ super illum reclinanti, Spiritus Sancti intus in animo donis prolixe prolutus atque perfusus. postquam domum à Baptismo reversus esset, ilico ab eodem Sancto & beatissimo Spiritu actus (sicut olim* Elias *à beato Angelo correptus à loco in locum translatus fuit) in locum hominibus, & omnibus vi-* Lvc. 4, 1. & Marc. 1, 13.

bus vitæ præsidiis desertum, & à feris modo
bestiis infestatum deportatus est. Hoc autem
consilio illuc deportatus est, ut cum Diabolo
Dæmonum omnium Principe singulari certa-
mine congrederetur, ut illo à se fuso & profli-
gato omnes electi cum victoria participes fie-
rent, tum alacrius cum hoste, tanquam prius
devicto & subjugato, non sine summa illum
Lvc.4,2. vincendi spe dimicarent. In illo autem deserto
totos 40 dies & noctes cum bestiis agens, ne
aut ille Mosi legislatori, aut Eliæ Legis in-
stauratori, aut Euangelium legi inferius cui-
quam videretur, ab omnis generis alimento
abstinuit. Quibus penitus exactis atque con-
fectis, tandem fame urgebatur. Quanquam
vero omni hoc tempore in assiduo cum Satana
conflictu esset, tamen quæ 40 hos dies insequu-
tæ tentationes sunt, tanquam omnium gravis-
simæ atque atrocissimæ, monumentis consi-
gnatæ sunt. Nam non solum loci, sed & tem-
poris quo esuriebat opportunitate arrepta,
Diabolus ad Christum accedit, qui propter ir-
requietum studium homines pertentandi &
solicitandi, ut à Deo & pietate deficiant, ten-
tatoris nomen obtinuit, & Christum Domi-
Matt.4, 3. num sic fere affatur. Percrebruit apud multos
& ipse (nescio qua voce cœlitus, ut tibi vide-
tur emissa) persuasum habes, te esse Dei uni-
genitum Filium. Sed qua non modo veritate,
sed vel verisimilitudine hoc nititur, ex hoc
uno tibi judicandum relinquo, quod tibi fa-
melico nullum alimentum, quo te sustentes,
suppetit, nisi forte pro pane lapidibus te vesci
collibuerit. Quod si ut de te prædicatur & ti-
bi persuades, Dei Filius sis, te Filium Dei
comprobato, dum ex his, qui coram sunt lapi-
4. dibus, panem conficias. Cui Christus, nequa-
quam alimento destitui, qui communi & per-
vulgata convictus ratione destituitur; quan-
doquidem Scripturæ testimonio confirmatur,
non tantum pane communi & trito vitam
hanc sustentari; sed re quapiam alia, quam
Dominus, pro infinita sua cum potentia con-
juncta sapientia, nobis ad nos alendum præsti-
terit.
5. Tum Diabolus Christum acceptum, illum
ad sanctam Hierosolymorum civitatem trans-
fert, eumque ibi super templi toricam seu pin-
naculum collocat, & in hunc fere modum al-
6. loquitur; video te plenum fiducia in Deo esse,
cujus indicium vel tecmerion potius edes, si te
deorsum in terram ex hac templi torica præci-
pitem dederis; maxime cum te non fugiat in
Scriptura comprehensum esse Deum Angelis
præcepisse, ut tui curam agant, manibus te
accipiant & servent, ne vel pede tuo ad lapi-
dem impingas. Quod quidem cum de omnibus
in universum Dei filiis vere enuncietur, de u-
nigenito quin maxime intelligatur extra con-
troversiam est. Cui Christus, tu mihi Scri- 7.
pturam à vero sensu detortam profers; ego
tibi Scripturam regero, Deum adeundo peri-
cula non necessaria non esse pertentandum.
Rursus Diabolus illum acceptum in mon- 8.
tem, oppido excelsum & præaltum, uno tem-
poris articulo transtulit, unde veluti συνόψει
omnia mundi regna cum eorum gloria oculis
spectanda exhibuit: adjecta porro promissione, 9.
se, si procumbens illum adoraret, illa omnia
Christo dono daturum, ut qui illorum omnium
justus possessor esset. Tum Christus, Apagesis 10.
Satana; Scriptura enim unum Deum colen-
dum esse prodidit, & uni modo serviendum,
nedum ut Dei hostem perennem & juratum
adoremus. Confecta igitur tentatione, Sata- Lvc.4,13.
nas Christi mandato coactus ad tempus seces-
sit. Quo se subducente, animum quæso adver- Matt.4,
te, electos Angelos concorditer Christi in Deo 11.
fiduciæ confirmandæ causa, immundo spiritui
successisse, & cum alimenta, tum consolatio-
nes animi sui cruciatibus opportunas submini-
strasse. Quo facto Christus eadem vi spiritus Lvc.4,14.
reductus est in Galilæam, ubi Iohannes suum
ministerium exercebat, qua in desertum sub-
ductus seu subvectus; quo de percrebruit de
Christo fama in tota illius regionis vicinia.

METAPHRASIS.

Christus à Spiritu Sancto in desertum ductus, & à damnato spiritu, & damnatorum spirituum principe, ad defectionem à Deo frustra sollicitatus, ab electis Angelis subsidium consequitur.

Cujus *partes* sunt { Profectio in desertum, & Quid ibi actum sit.

In *profectione* duo proponuntur, { quod illum in desertum Spiritus Sancti virtus & potentia subduxit. & Finis, ut tentaretur.

Desertum, hoc loco, non ita accipien- Lvc, 4,
dum, ut *Luc.* 1, 80. pro loco oppidis & pa- vers.1,2.
gis infrequenti minusque culto; sed pro lo- & Marc.
co horrido & vasto, & ab omni hominum 1, vers.12,
consessu & societate remoto; quod cum ex 13.
eo liquet, quod nihil ibi subesset, quo famem Desertum
sedaret, tum quod apud Marcum cum feris *hic locus*
bestiis egisse Christum commonstratur. *vastus,*
Hic etiam notandum, quod quemadmo- *ibi Christus*
dum admirabiliter in desertum per spiritum *a spiritu*

abve-

ductus & reductus; abvectus eſt, ut olim Elias, & poſt Philippus: ſic Lucas dixit cum eadem virtute ſpiritus, reductum & revectum eſſe. *quod contra Eremitarum ſectã:* Quo arguuntur *Pontificii*, qui hoc exemplum proferunt, ut Eremitarum ſectam ſtabiliant. Nam apud *Matth.* 4, 1. ἀνήχθη ſurſum ductus eſt, ut *Rom.* 10, 7. ac hoc etiam confirmatur à Marco, qui dicit ἐκβάλλει eum ſpiritus. Quamvis autem ἀνάγεσθαι ſignificat reduci: tamen hoc loco nullum locum habet, prætérquam quod ἐκβάλλει notat ſubitam Chriſti in deſertum ſubductionem. Vide ſi non poſſet dici ſurſum ductus, propter deſertum, quod loco eminente ſitum eſt, præ eo unde Chriſtus veniat. 2. Quod tentationem à diabolo quærere (ut Chriſtus fecit) alienum eſt. 3. Quod quadraginta modo dies Chriſtus ibi fuit, cum illi totam vitam in Eremo tranſigant. Huc accedit, quod Chriſti imitatione illis cum feris immanibus, leonibus, lupis, urſis, &c. conſueſcendum erit.

idque ut pro nobis contra ſatanam certaret; Ne autem putemus Chriſtum temere & inconſulto in has, cum ferarum, tum ἀσιτίας, ſeu inediæ difficultates ſe intuliſſe; à Spiritu Sancto hoc profectum confirmatur, idque hoc conſilio ab eo factum, ut à diabolo tentaretur: oleo enim Spiritus perunctus, tanquam ſtrenuus Athletes, in arenam, & ſpiritus πανοπλίᾳ armatus in aciem à Deo producitur. Primum quidem ut ejus victoria, noſtræ aut in bello ignavæ fugæ, accepta vulnera & clades, aut in lucta ſupplantationes compenſentur. Hoc enim duello, non de Chriſti unius, ſed de totius populi Dei capite & ſalute decertatum eſt: ſicut enim olim ſingulari Davidis cum Goliatho certamine, Iſraëlitæ victores, Philiſtæi victi univerſi conſtituti ſunt: ita in Chriſti unius victoria adverſus principem & fortiſſimum dæmonem, pii omnes palmam ferunt, & in unius diaboli cum Chriſto luctantis fuga & profligatione, univerſa inferorum cohors victa & ſuperata eſt: unde Iohannes, non in noſtro pugnandi ſeu robore, ſeu peritia, ſed in fide, adverſus mundum victoriam collocat. *Ioh.* 16, 33.

ex quo nobis alacrius cum illo congrediendum. Alterum eſt non nos ſolum in Chriſto triumphum agere, ſed ſpiritus hoc modo ſumere, alacrius cum diabolo congrediendi, quod cum hoſte fracto & devicto manus conſerendæ ſunt. Hujus enim victoriæ in diabolum virtute, cum vires impugnando enervantur, tum audacia & ad pugnandum alacritas diminuitur. Sicut enim Iſraëlitæ, cæſo per Davidem Goliatho, animos, qui prius ceciderant, ſumunt, & Philiſtæos in fugam verſos animoſe inſequuti ſunt: ſic &c. Et modo in prœlio contra diabolum ſtemus, & illi reſiſtamus, procul à nobis fugiet. *Iacob.* 4, 7.

Sequitur *pars* altera, quid actum ſit in deſerto.

Iejunaſſe dicitur quadraginta dies & noctes totidem. *Quare Chriſtus 40 dies jejunaverit?* Cujus facti ratio eſt, cum ut ſe Deum probaret, tum ut Euangelio, cujus & autor ſimul & miniſter futurus foret, authoritatem conciliaret: cum enim Moſes Legiſlator, & Elias collapſæ legis inſtaurator, uterque hac miraculi nota inſignitus eſſet, ſuamque divinitus vocationem confirmaſſet, Deo viſum eſt, eandem præſtantiæ teſſeram Filio inſculpere: ne ex hac parte vel Chriſtus Moſi & Eliæ, vel legi Euangelium concederet. Quanquam inter eorum & Chriſti jejunium hoc intereſt, quod illi aliena, Chriſtus propria & ſua virtute tot dierum ἀσιτίαν tulit. Nulla igitur hoc loco, corporis caſtigandi & macerandi, ſicut nec in Eliæ & Moſis abſtinentia, ratio habita eſt. Hoc enim ipſo Baptiſtæ miniſterium à Chriſti miniſterio ſecernitur, quod hic edens & bibens, ille longe ſecus venit. Nec vero ad corporis afflictionem aut exercitium referri poteſt, cum univerſo hoc 40 dierum & noctium ſpatio, nulla fame premeretur, aut laboraret inedia, ut qui expletis diebus & noctibus illis demum eſurire cœpit. Quantum enim corporis exercitationi hic datur, tantum miraculo adimitur. Atque ſi Chriſtus 40 &c. hos dies in corpore ſubigendo conſumſiſſet; tamen hoc factum ſine mandato in imitationem trahi non debebat: ut nec populus Iſraël Moſis aut Eliæ jejunium ſibi ad imitationem propoſuit: quod tamen ſi facerent, & ſemel tantum in vita id faciendum erat, & ſtatim à Baptiſmo ſuſcepto: quo accedit, quod ſi Chriſtum ſequi vellent, illud tamẽ aſſequi nunquam poterant. Quod autem dicunt omni conatu contendendum, ut quam proxime ad Chriſtum accedamus. Reſpõdeo, Non magis hoc tentandum, quam aquis, quantum datur, inambulare &c. Hoc factum ut Chriſtus non tam de terra homo, quam de cœlis Angelus in medium procederet; cum quod 40 dies & noctes jejunus permanſit, tum quod à feris intactus & illæſus evaſit, dum illum immanes beſtiæ, tanquam creatorem, ſponte agnoſcebant; ſecus quam Daniel ex ore leonum ereptus eſt: quorum

rum ora Dei Angelus obthuravit, ut avidis prædæ, illam attingere non concessum sit:

Nam & { a diabolo tentatur, &
subventio beatis Angelorum spiritibus præstatur.

Matt. 4, ℣. 3. cur à diabolo tentatus? Tentari à diabolo Christum oportuit, ut qui à propria concupiscentia non potuit; cum nulla subesset, non laudata, & ab omni peccati labe libera: forinsecam adeo esse oportuit. Tentatum fuisse à diabolo per 40 dies Lucas commemorat. Has autem fuisse gravissimas, & callidissime instructas tentationes, in quibus diabolus omnes astus & fraudis suæ sacculos deplevit, ex eo verisimile sit, quod has tantum Spiritus Sanctus litterarum notis consignavit.

idque cum esuriret? Primæ autem tentationis summa & caput est, ut Christum non esse Filium Dei ostenderet, utpote à Patre neglectum, & quasi desertum. Quod ex eo persuadere conatur, quod fame laboranti nullus cibus suppeteret, illi ut pereundum sit, nisi forte lapidibus vesci velit: quasi dicat, passim de te disseminatum est, & tu tibi hoc in animum induxisti, te esse Dei Filium. Sed quæro, qui id fieri possit, cum in has te Deus angustias conclusit, ut nisi lapidibus pro pane uti velis, unde famem hanc tollas, nihil occurrit, maxime vero, cum illo autore, in hanc solitudinem deveneris. Estne ille Pater tuus, qui tibi panem expetenti lapides comedendos præbet? sicut autem loci occasionem, id est, deserti ad omnes tentationes, sic temporis opportunitatem ad hanc tentationem arripuit, quod illum fame pressum adorsus *ita pios adhuc tentat in rerum inopia.* sit. Atque ut olim Christum hac tentatione; sic nunc pios exercet, dum ex rerum inopia & egestate, aliisque hujus vitæ calamitatibus, Deo aut exosos, aut à Deo spretos & contemptos revincere conatur. Hoc luculenter ostenditur exemplo Gedeonis; cui ægre persuaderi potuit, Deum a suis partibus stare, quamdiu se & alios tam dura Madianitarum servitute urgeri pateretur. Hunc autem sensum nobis à corrupto sensu dictari, apparet ex sermone, quem hostes in Davidem jactarunt; qui mutuo se ad eum persequendum & comprehendendum hortantur, quod ex præsenti calamitate eum à Deo desertum colligerent. *Psalm.* 71, 11. idem in Pilato cernitur, qui inscriptionem & titulum in cruce fecit: *Iesus Rex Iudæorum*, tanquam paradoxon aliquod proponens, eum qui Iudæorum Rex esset, cruci suffixum esse. Hanc etiam tentationem atrociorem facit improborum in omnibus affluentia, cum piorum angustiis composita. *Psalmo* 73.

Hujus autem καιρίου πληγῆς medicamentum, in Christi responso considerandum est: *Hominem non solo pane vivere*; ordinario & consueto pabulo; sed re quacunque, quam Deus illi pascendo destinavit: & proinde nullam causam esse, ut de Dei erga se paterna cura conqueratur; tametsi communis convictus desideraretur: habere enim Deum caveas vinarias, promptuaria, granaria &c. abstrusa & recondita, ex quibus, quoties & quantum volet, ad suorum subventionem expromat; sicut & olim erga Israëlitas fecisse, & quoties usus est Deum facturum testatur Moses. Tametsi igitur humana, nos in ærumnis & difficultatibus constitutos, subsidia deficiant, fidem tamen sustentet incredibilis Dei potentiæ cogitatio; cui mille rationes suppetunt, quibus nos facile juvet. Tantum operam demus, ut non nisi Deo præeunte, & facem nobis in Verbo præferente, in istas nos difficultates conjiciamus. Quanquam & illud etiam tenendum erit, ne non nimium properemus, & impatientia nos præcipites demus, quod hoc Dei subsidium ilico ad manum non sit. Tentari enim & explorari fidem nostram oportet; quod certe fieri nequit, si quamprimum atque alicujus rei inopia urgemur, protinus in os nostrum insereretur. Sic *Deut.* 8, 2, 5, 16. primum passus est eos esurire, & fame nonnihil pungi, antequam &c. *Vers. 4. Christi responsio in Dei potentia fundata; ut & nostra esse debet in tali casu.*

Secunda tentatio sequitur, in qua longe contrariam oppugnandi rationem init; atque inter alia hoc unum diabolicæ tentationis indicium est, quoties subito ab una tentatione in prorsus contrariam abripimur: sicut etiam cum subita, improvisa, & porro impetuosa est: quum enim superiori tentatione ad desperationē sollicitavit; hac ad nimiam fiduciam, & superbā quandam & temerariam audaciā impellere conatur. Fide eum plenum animadvertens, & in promissis divinis probe fundatum & radicatum, pertentare voluit, si eum ex ea parte mediocritatem transilire adigere posset. Quandoquidem enim tantopere Deo Patri tuo confidis, ut nihil tibi defuturum credas, quod te habere tua intersit, age teipsum ex hoc templi pinnaculo seu torica, præcipitem da. In quo astutiam Satanæ, & fallendi μεθόδειαν attente consideramus: qui non modo variis, sed contrariis plane machinis nos aggreditur, *Vers. 5, 6. Ab infidelitate ad fidei temeritatem conatur eum reducere;*

tur, ut parum credibile videatur, utramque ab eadem diaboli lacuna manare posse. Hinc est, ut avari, cum effusionis vitium verbo damnatum audiunt, sibi in sua ad rem attentione & tenacitate blandiri incipiant; & contra, Israëlitæ suam in Ægyptum redeundi inertiam damnatam intelligentes, sibi idcirco suam cum Amalecitis pugnandi alacritatem, Deo gratam fore & probatam existimarunt, *Numer. cap*, 14, *vers.* 35, *ad* 45. & *Deuter. c.*1. *v.* 42, *ad* 44. Quasi iccirco in ignem cadere tutum esset, quia in aqua mergi periculosum existat. Atque hoc modo homines hodie peccant: quia enim animi abjectionem & desperationem in maximis malis haberi intelligunt, Deum & summa injuria affici, & contumelia, nisi in misericordia ejus, adversus omnium peccatorum stimulos acquiescamus, plus sibi de Dei misericordia, quam veritas patitur, assumunt; sic aliquando eos, quos incontinentia vincere nequit, nimio odio matrimonialis congressus decipit.

ut adhuc homines peccant:

& eo Scriptura callide abutitur.

Deinde etiam, cum intelligeret, Christum libenter in Scripturarum autoritate vitæ regulam constituere; ei Scripturarum specie fucum facere conatur: sed, sicut ejus satellites Scripturam, dum eam truncant, ementitur. Quamobrem non satis nobis est, si vitæ actionum & fidei regulam à Scriptura petamus, nisi in illis assidue meditemur, ut verum & genuinum sensum nobis familiarem reddamus, quo Satanæ nodos, quos nectit, dissolvamus. Perquam autem callide hoc testimonium citavit, quo indicare voluit, non secus in hoc casu futurum, quam ille in cibo ante responderat: sicut enim tametsi ei ordinarius cibus deerat, se tamen à Deo pastum iri sperabat; sic hic ab omnibus humanis præsidiis destitutum, se tamen cœlitus & divinitus sublevatum iri existimaret. Et quidem si hæc illi à Deo via, in qua incederet, delineata & præstituta fuisset, quin à Deo cœlitus exspectare potuisset, dubitandum non est.

Vers. 7. *Sensus loci in Christi responso citati;*

Hunc locum de tentatione ex 6 *Deuter. v.* 6. citatum, quomodo ad præsentem causam accommodatur, ex historia *Num.* 21, 5. & *Psal.* 78, 18, 19, 40, 41. considerandum est. Cum enim Israëlitæ, Man cœlitus dimisso, pro dimenso uterentur; ejus tamen fastidio & nausea capti, novam, & aliam sibi mensam instrui expetiverunt. Deum ut tentare, perinde hoc loco sit, atque præstitutam homines alendi & fovendi rationem aspernari, & ad aliam à se confictam, & sibi magis adlubentem confugere.

Quocirca hoc testimonium apposite à Christo citatum est, quoniam Diabolus à consueta & ordinaria descensus ratione, ad novam & inusitatam transvolare Christo persuadere conatus est. Quo in genere ab his peccatur, qui ægroti medicorum operam contemnunt; idque per speciem insignis cujusdam in Deo fiduciæ, cui se totos tradere præ se ferunt, utramvis ab illo, seu vitæ seu mortis conditionem expectantes, Deo enim promptum & facile esse, illos sanitati reddere cum velit: idem faciunt, qui periculosa & non necessaria itinera, & peregrinationes suscipiunt, freti nescio qua, quam sibi animo suo effinxerunt, providentia: item, qui vitam æternam sibi pollicentur, cum tamen media, quibus ad vitam æternam itur, contemnunt. Notandum etiam, Scripturarum distortione non depelli Christum à legitimo Scripturarum usu; sicut *Papistæ* causantur, à Scriptura ad Patrum & Conciliorum dicta & interpretamenta esse deficiendum, quod hæretici Scripturas corrumpant. Huic vero diaboli tentationi, qua Christum perpellere voluit ad se præcipitandum, dummodo se Dei Filium probare velit; non dissimilis est illa Sicariorum, qua alium in pugnam provocant, his fere verbis; si vir sis, & virum te probare vis: quasi viri existimationem amittat, nisi ferarum more, & plane belluino, ad pugnam vocatus veniat.

ex quo non temere media rejicienda,

& Script. recte utenda.

Superest tertia tentatio; in quâ ut Satan summam victoriæ spem posuit; ita Christo ex ea parte acerbissimam fuisse dubium non est; quod rectam Dei gloriam peteret, quæ Christo sua vita charior erat. Hic vero Christum ad defectionem à Deo sollicitat, & ut illi cultum adhibeat, postulat; sed quam absurde (inquit aliquis) & inepte? quis enim, non dicô Christus, sed vel tenuissima pietate imbutus, ad diabolum adorandum induci potest? imo vero multi sunt, & quidem fortissimi viri, qui hoc prœlio occiderunt. Tametsi enim coram diaboli persona non procubuerunt; idolis tamen, spe allecti, aut metu perterriti, cultum præstiterunt: quod Apostoli judicio 1 *Cor.* 10, 20. & *Psal.* 106, 37. nihil aliud est, quam dæmonibus cultum præstare. Notandum etiam, vel poplitum flexione, tametsi ex animo aut superstitione quadam deceptus hoc non facias, in Dei legitimum cultum peccari, & à Deo aver-

Vers. 8, 9. *Gravitas tertiæ tentationis satanæ;*

aversionem fieri. Modo enim Christus, inclinato corpore, signum exterius cultus dedisset, suo diabolus voto potitus fuisset; unde 1 *Reg.* 19, 18. Deo fideles habentur, qui ne alterutrum quidem genu Baali flexissent; contra eos, qui corpore coram Idolo procumbentes, animum se inviolatum gerere prædicant. Quam vero potens homini tentatio judicanda ex eo liquet, quod multi pulchritudine unius regni, unius Provinciæ, unius urbis, atque adeo unius domunculæ splendore & pulchritudine capti, à veritate defecerunt. Cum igitur totius mundi splendor, commoda, delitiæ, ante oculos Christi obversarentur, quantæ virtutis fuit illa repudiare, dici non potest.

quæ cum pluribus mendaciis conjuncta.

Observandum etiam, quomodo diabolus mendaciis & falsis promissis, nos à Deo abducere conatur: dicit enim, mundum suum, regna sua, quod falsissimum, cum *Domini sit terra, & plenitudo ejus:* unde etiam falsum est, quod promittit se daturum. Christus enim mundi hæres est, qui etiam suis membris, ejus ad tempus usuram concessit. Quemadmodum autem diabolus impudenter mentitus est, sic & hi, qui blandis promissionibus nos à Deo abducere conantur: tametsi enim multi maximam mundi partem possident, tamen hoc nullo jure faciunt.

Quod satan oculos Christi fascinaverit nostro solatio est.

Singulari etiam consolationi est, Deum passum esse diabolum non tantum Filium accedere, & cum illo colloqui, sed ejus oculorum visioni imponere, & præstigiis fascinare, cum uno momento universum mundi splendorem vere illi exhibere non potuit. Ne putemus ullos Deo exosos, adversus quos diaboli non dissimilis potestas conceditur. An etiam hæc translatio in pinnaculum, & montem vera fuit, an potius visus deceptione, in medio relinquo. Certe hujusmodi quod de *Ezech.* legimus *cap.* 40, *vers.* 2. qui tamen corpore non translatus erat, sed per visionem.

Vers. 10. *Ex Christi*

In Christi responso videmus eum, consuetudinem suam, diabolum ex Scripturis refellendi, tenere; ubi notandum primum est testimonii citatio, qui ex eo quod Deum colere, idolis nullum cultum præstare præcipitur: Deum solum colendum esse colligit. Idolum illud omne in religioso cultu reputans, quod non est Deus. Deinde obstreperis & clamosis *Papistis* hoc modo os obstruitur; qui nostram perfidiam accusant, quod ex sola fide hominem justificari doceamus, cum illa vocula (*solum*) non inveniatur; quod non se Gentium Deos colere dicant, sed Sanctos & Martyres Christi.

reflon[illegible] [illegible] [illegible] idolorum cultus damnandus,

ejus exemplo à nobis Satan non abigendus.

Quod autem Satanam se subducere jubet; in eo à nobis imitandus non est: ut qui hic suam divinitatem asseruit: cum nos non Satanæ imperare, sed ut Deus eum abigat, à Deo precibus contendere debeamus.

Luc. 4, 13. *qui ut nos exerceat ad tempus cedit.*

Quod ad tempus tantum cessit, docetur hanc tentationum militiam non nisi morte definiri. Inducias quidem nobis à Deo fieri, ut vires colligamus, & ad pugnam alacriores & instructiores accedamus, non ut otio & deliciis nos tradentes, in mollitiem quandam, & effœminatos mores degeneremus. Ob eamque causam induciæ non in certos, aut annos, aut dies depactæ sunt, sed in unius Dei voluntate constitutæ.

Matt. 4, 11. *Christo ex Dei providentia angeli ministrant.*

Angelorum satellitium & ministerium Christo suppeditatum declarat, Christum vana spe providentiæ non fuisse lactatum; ut qui opem à Deo opportune consequitur, & cibum sibi sublevando & reficiendo accommodatum. Quanquam verisimile est, ministerium Angelorum latius patuisse; & adhibitum porro esse, ut mœstum ex tentationibus Christi animum consolarentur; sicut in ancipiti Christi cum inferis conflictu, Angelus illum recreasse scribitur. Quod nos etiam sustentare debet, cum quibus haud aliter, quam cum Filio, agit, ut graviorem aliquam tentationem & tristitiam, læto exitu excipiat. Ita enim amara dulcibus, lætis tristia miscere & temperare solet; ut nec his nimis inflari & turgescere, nec illis opprimi & animum despondere patiatur.

IOH. *cap.* 1. *à vers.* 15. *ad* 29.

15 *Iohannes testatus est de eo, & clamavit, dicens; Hic est de quo dicebam,* Is *qui pone me venit, antepositus est mihi: quia prior me erat.*

16 *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia:*

17 *Nam Lex illa per Mosen data est: gratia & veritas per IESVM CHRISTVM præstita est.*

18 *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille* nobis *exposuit.*

19 *Hoc etiam est testimonium Iohannis, quando miserunt Iudæi Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, quisnam ipse esset.*

20 *Et professus est, neque negavit: professus est*, inquam, *se non esse Christum illum.*

21 *Tunc interrogaverunt eum, Quid ergo es? Tunc es Elias?* Ipse vero *dixit, Non sum.* Et illi, *Es tu Propheta ille? Qui respondit, Non.*

22 *Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?*

23 *Ait, Ego* sum *vox vociferantis in deserto, Complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.*

24 *Qui vero missi fuerant, erant ex Pharisæis.*

25 *Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus ille, neque Elias, neque Propheta ille?*

26 *Respondit eis Iohannes dicens, ego baptizo aqua: sed in medio vestrum stat quem vos non nostis.*

27 *Hic ille est qui pone me venit, qui mihi antepositus est: cujus solearum ego non sum dignus qui solvam corrigiam.*

28 *Hæc Bethabaræ facta sunt secus Iordanem, ubi Iohannes baptizabat.*

ANALYSIS.

TEstimonium *Iohannis* secundum, de Christo præsente & ob oculos ejus versante; cujus adjunctum notatur magna contentio animi, cum clamasse dicitur, 2. effecto *Iohannes* eum describit, nempe exertione digiti, quo designat ipsam Christi personam; & quidem primum comparatione instituta Christi cum seipso, argumento diverso, quod tametsi quoad humanitatem prior tempore Christo sit, illum tamen & tempore, quoad divinitatem, & dignitate, quoad utramque naturam, sive seorsim, sive conjunctim consideratam, præstabiliorem esse.

*Vers.*16. Quod probat ab adjuncta plenitudine gratiæ in Christo; quam coarguit ab effecto communicationis illius gratiæ; quam amplificat ab adjuncta universitate electorum, quibuscum hanc gratiam communicat, seipsum ad hanc universitatem aggregans; item altero adjuncto profusionis copiosæ ejusdem gratiæ.

*Vers.*17. Hanc effusam Christi largitionem amplificat à comparatione minoris, *Mosis* scilicet cum Christo; cujus præ *Mose* eminentia arguitur ab effectis utriusque præstantiæ disparibus, quod per *Mosem* lex lata est, quæ cum peccata prodit & auget, tum rerum umbras, non res ipsas fere proponebat: per Christum autem gratia cum cumulate, tum umbris soluta, allata sit.

*Vers.*18. Hic comparationem instituit Christi cum omnibus qui ubicunque sunt, quibus omnibus Christum præponit, ab effectis, 1. quod solus Patrem novit, quod similitudine visionis illustrat; deinde altera metaphora, qui dicitur esse in sinu Patris, seu ipsa Patris profundissima perscrutari: deinde altero effecto, cujus prior effectus est causa, scilicet quod solus potest Patrem nobis patefacere.

*Vers.*19. Secundum testimonium quod Baptista coram & præsente Christo illi perhibuit; quod describitur ab adjuncto tempore, cum ad Baptistam quidam missi sunt, 2. à subjecto legatorum, quibus hoc de Christo testimonium dixit, qui à suo subjecto Hierosolymorum urbe describuntur: deinde ab adjuncta vocatione Sacerdotum & Levitarum, & vers. 24. ab adjuncta secta seu hæresi Pharisæorum, inter Iudæos nominatissima. Præterea ab efficiente causa legationis, nempe Iudæis, qui eos miserunt: denique à fine legationis, ut à Baptista percunctarentur quis esset.

*Vers.*20. Baptistæ responsum subjicitur per axioma negatum. Ego non sum ille Christus: cujus responsi cum adjunctam evidentiam, tum vehementiam proponit Euangelista, cum adjuncta affirmatione, tum privatione negationis.

*Vers.*21. Aliam interrogationem subjiciunt, an sit *Elias*, cui *Iohannes* negative respondet. Huic tertiam subnectunt, an sit Propheta? cui itidem *Iohannes* negative respondet.

*Vers.*22. Quartam adnectunt, ut quis sit indicet; quod arguitur à fine, ut responsum referant se legantibus.

*Vers.*23. Respondet se præconem esse in deserto & infrequenti loco Iudææ, cujus proprium effectum est præparare Christo viam: quod divino Prophetæ testimonio confirmat.

*Vers.*25. Quinta interrogatio legatorum sequitur, qui tacite *Iohannem* damnant, quod novum baptismi Sacramentum instituit: quod probare conatur ab efficiente, quod novum & insolitum sacramentum nemo potest introducere, nisi sit insolita & extraordinaria vocatione ornatus: non esse extraordinaria vocatione insignitum, probare conantur enumeratione partium, sed plane mutilata & imperfecta.

*Vers.*26, & 27. *Ioannes* agnoscit se baptizare, & ejus rei causam & authorem profert Christum, qui præsens (& Deus illis quæ prius allata sunt argumẽtis comprobatus) suum baptismum & silentio, & exem-

& exemplo baptismum accipiendi approbans, satis declarat baptismum à se administrari legitime.

*Vers.*28. Horum omnium subjectum loci describitur, adjuncto nomine *Bethabara*, & effecto *Ioannis* rite baptizantis.

METAPHRASIS.

15. *A reditu Christi à deserto, Baptista hoc de
eo testimonium edidit, quod & magno
cum ardore, tum παῤῥησίᾳ fecit ad hunc modum.
Hic quem coram cernitis, & quem
exerto digito designo, est ille, de quo (priusquam
mihi illum videndi potestas facta est)
testificatus sum, illum secundum humanam
naturam me jam sequi ut discipulum, quem
Deus decrevit non ita multo post, mihi praeferre,
meam existimationem imminuendo: ut*
16. *qui tum subsistebat, cum ego non essem; ex
quo etiam tanquam fonte & scaturigine omnes
quotquot electi sumus (nec enim meipsum
excipio) gratiam tum gratuitam, tum
abunde effusam fidei haustro hausimus. Tanta
autem est ejus praestantia, ut* Mosi *omnium
Prophetarum (idque Dei ipsius testimonio*
17. Num. 12.) *facile principi antelatus sit. Nam
cum à* Mose *tanquam ministro modo, lex quae
peccatum prodit, & (depravatione naturae
nostrae) illud etiam auget, quaeque Dei erga
homines gratiam umbratili quadam ratione
delineat, lata sit; à Christo gratia cum copiosa,
tum ab omni umbra & figura soluta manavit:*
18. *utcunque vero de* Mose *dictum est,
eum Deum facie ad faciem vidisse, tamen
proprie loquendo, nemo hominum, & ne* Moses
*quidem ipse, aut Angelus Deum unquam
vidit; sive Dei essentiam consideres, quae
impervestigabilis est, sive voluntatem Dei,
quae in Deo recondita & abstrusa mansit,
quoad Christus omnium conscius, & veluti
in ipso Patris sinu & praecordiis residens, illum
mortalibus patefecit; in quo per carnis
assumptionem ipsum etiam Deum videmus,*
19. *intuemur, & manibus palpamus. Quod si
pluribus placet quid* Iohannes *testificatus est
accipere, age exponam, quod de eo testimonium
praebuit, cum Iudaei, missis ex Hierosolyma
urbe legatis, ex Sacerdotibus, qui sacrifitiis
offerendis vacabant, & Levitis qui Sacerdotibus
in ministerio deserviebant conflatis, à
Baptista, per suos illos legatos, quis esset Baptista
suscitati sunt* Iohannes *autem interroga-*
20. *tus, non aut dubie aut obscure respondit, sed
clare, perspicue & categorice, ne illos suspensos*
21. *teneret. Non sum ego Christus ille: cui legati,
Num Elias Thesbites olim in coelum
translatus es tu? quibus Baptista, non; tum
legati, num igitur es Propheta ille de quo* Moses
praedixit, scilicet Mosi *similis qui audiendus
est ab omnibus? Minime (inquit)* Ioannes.
Tum illi; dic igitur quis es, ut certi aliquid 22.
*habeamus, quod his qui nos legârunt,
respondeamus: quandoquidem vides nos conjecturas
sectando scopum non attingere, dic
ipse quis sis. Tum ille, Ego sum Praeco ille* 23.
*quem in deserto Euangelium proclamaturum,
& viam Messiae straturum,* Esaias *multis
ante seculis praedixit. Erant autem legati ex* 24.
*secta Pharisaeorum, qui omnibus aliis in Iudaea
professionibus antelati sunt, ut tibi non
difficile sit quanta caecitas obtinuerat in Ecclesia,
colligere. Denique quaerebant, quid i-* 25.
*gitur baptizas, cum nulla extraordinaria
vocatione insignitus & nobilitatus sis, siquidem
cum te neque Christum, neque* Eliam, 26.
nec Prophetam esse ingenue fatearis. Quibus
Iohannes, *Equidem non eo inficias, quin baptizem,
sed addo tantum me aqua non autem
spiritu (ut Messias) baptizare, quod mihi praeconi
in deserto, & veluti metatori, & Christi
praecursori concessum est, qui hoc ipso munere
me à Deo extra ordinem vocatum esse satis
comprobo. Sed coram & in praesentia omnium* 27.
*vestrum est ipse, de quo tam solicite quaerere
videmini, ipse Christus, qui cum suo silentio,
tum vero exemplo, non ita pridem cum se baptismo
initiari dignatus sit, hoc meum de baptizando
officium comprobat: quandoquidem
(sicut testatus sum) post me veniens, prior me
extitit, cujus ego corrigiam calceorum solvere
idoneus non sum. Haec autem in illo Iordanis* 28.
*loco gesta sunt, ubi pons publicus erat, unde
solvunt qui secundam ripam appetere cupiebant;
ubi etiam propter frequentem populi
ex omnibus partibus concursum,* Ioannes *Baptismo
quamplurimos consignabat.*

PRAXIS.

PRoponitur Baptistae de Christi duabus naturis, & officio testimonium, cum in genere de Mediatione, tum in specie de Prophetia:

Cujus partes sunt
- Summa testimonii legatis Iudaeorum redditi coram populo; &
- Testimonium dialogo fusius explicatum.

Iohannis Baptistae concio Christi majestatem à comparatione amplificat
- cum certis hominibus separatim,
  - seipso. 15, 16.
  - Mose. 17.
- &
- cum omnibus conjunctim. 18.

Vers. 15. *Ioannes de Christo aperte testatur;* Notandum primo in universum est, quale fuerit testimonium: clarum scilicet, liquidum & apertum, nec sicco pede rem præteribat, leviter indicabat, obscure insusurrabat, aut clanculum aliquid in dentes mussitabat: sed illustre, enucleatum, & omnibus integumentis evolutum testimonium de Christo dixit. Hoc enim *clamandi* voce significatur; non quod magna voce, & magnis lateribus vociferabatur, sed quod illud, & singulari spiritus ardore, & magna orationis perspicuitate exsequebatur. Nec vero hoc aliud est, quam post subjungitur, eum veritatem confessum esse, eamque non negasse, id est, luculenter confessum & aperte. *quod & Euangelii ministri facere debent.* In quo sicut Iohannes vocationi suæ paruit, dum se vocem (ut prædictum est) clamantem præstitit: ita Euangelii Ministris eædem partes attribuuntur, ut rem, quam pro concione tractant, illuminato & perspicuo sermone proferant, non in nubibus versentur; vel ut invidiam aut periculum declinent, vel ut multiplicem eruditionem ostentent, siquidem viam Christo munire & sternere velint. Si enim tuba dubium & ancipitem sonum edat, quis se ad prœlium præparet? si homines tanquam ex dolio, aut ut pythones, tanquam ex terra seu tubo loquantur: Apollinis λοξίε potius mystæ, quam Christi Ministri habeantur. Præclare enim cum hominibus agetur, si (quà sunt ad cœlestia intelligendum hebetudine) planissime & aptissime enuntiata assequantur. Quandoquidem legimus Christi discipulos manifestissime verbis edoctos, nihil tamen eorum quæ dicebantur intellexisse, & *Matth.* 13, *v.* 36. apparet iræ divinæ erga Iudæos indicium, quod parabolis omnia loqueretur.

Ioannis cũ Christo cõparatio. In Christi cum Iohanne comparatione duæ partes sunt: una, qua se posteriorem, altera qua illum priorem, & proinde præstantiorem affirmat: quarum hæc Christi divinitatem, illa humanitatem declarat. Nam cum dicit Christum post se venisse, ut qui instar discipuli illum audiebat, & ab illo baptizatus est, qui tamen post, illi præponendus erat quod illo prior erat: de larva dici non potest aut phantasmate, aut inani quadam humanæ structuræ specie, post Iohannem venit. Quod vero suspicionem movere posset hæc Iohannis præcursio, eum Christo antelatum esse, illud anticipat, dum affirmat, eum (tametsi sequutus sit) tamen prius extitisse, nec tum demum esse cœpisse, cum in lucem editus est: quanquam neque illud cæteroquin satis firmum est, eum qui præcedat, majori semper honore dignum: quandoquidem Lucifer Solem antevertit, & metator ducem.

Quæ sequuntur Christi officium explicant, & videntur quibusdam per parenthesin, tanquam Euangelistæ verba inserenda. Et primum quidem in genere docet, omnia bona ad vitam spectantia ab eo, tanquam ex pleno aut inundante fonte, scaturire; omnium bonorum thesaurum in illo depositum esse, illi tanquam capiti effusum esse Spiritum Sanctum, qui in nos tanquam corpus deflueret; illum esse lumen, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; stirpem & radicem esse, unde propagines quicquid succi & humoris habent, exsugunt, & ob eam rem nos nihil nisi tenebras esse, nisi sicca & deserta loca; horridã & incultam terram, nobis ne guttam quidem cœlestis, & salutaris ad vitam gratiæ inesse. Vers. 16. *Per Christum omnia bona consequimur;*

Sicut autem à Christo omnia ducimus, ita gratis omnia consequimur: docet enim nos gratiam, & dona Dei consequi ex gratia, nullo nostro merito, nullis operibus; quid enim, antequam misericordiam consequuti sumus, promereri potuimus? scilicet quod mortem attrahat; quid membrum à capite, aut pampinus à stirpe desectus præstare potest? post vero acceptam gratiam, tantum abest, ut legitimo ejus usu, aliquid jure vendicemus, ut ad calculos revocati, meritissime ob illa damnemur. Et quanquam ad meritorum opinionem pellendam satis fuisset gratiæ appellatio; tamen ut omnis ejus rei vel minimus scrupus eximatur, & de humanis meritis superba sententia non tantum frangatur, sed quasi commoleretur, adjunxit &c. Sicut autem gratuitam Dei gratiam testatur; ita effuse & copiose collatam indicat, cum affirmet, gratiam supra gratiam exsuperasse. *idque ex mera gratia:*

Hanc Christi præstantiam auget, comparatione Mosis cum Christo; quæ quidem comparatio in duobus itidem versatur. Primum quidem, quod cum lex, quæ nos Deo obnoxios & obæratos constituit, per Mosen rogata sit; per Christum gratia, qua illud nomen dissolvitur, allata est: si igitur Mosis ministerium, illis tam gratum & gloriosum fuit, quod mortis & condemnationis, &c. vide 2 *Cor.* 3, 4. Vers. 17. *ejus cum Mose comparatio.*

Deinde, tametsi in legis doctrina quædam comprehendebantur, quæ spem remissionis peccatorum fovebant, utpote sacrificia, lotiones,

tiones, &c. tamen quia à Christo exhibita sunt & præstita; quæ in lege adumbrata sunt, & in Euangelio ad vivum expressa, quæ in lege crassis quibusdam lineamentis efficta & efformata sunt; cumque earum rerum veritas in Christo proponatur, quæ sub lege figuris & typis significabantur: magnam rationem esse, cur Christum Mosi præponent. Nec enim glorificatum est, &c. 2 *Cor*. 3, 7. *&c.* Hæc autem præstantia Christi quorsum spectet, & quam attẽtionem in nobis ingenerare debeat & sollicitudinem, vide *Heb*. 2, 2, 3. *&c.*

Vers. 18. *Quomodo Christus Deum solus noverit?*

Cum docuisset nos à Deo per Christum gratuita bona omnia accipere, adjungit nusquam illa alias peti posse, nisi per illum. Veram enim de Deo notitiam, quam hic *visionem* appellat, per Christum haberi, sicut *Matth*. 11. 27. *Nemo patrem novit nisi filius, & cui filius eum patefacere velit.* & 1 *Tim*. 6, 16. *Deum habitare lucem inaccessam, & acclivem; ignem esse ardentem, qui omnes absumit, qui ad illum sine sequestre Christo accedunt.* Quo etiam spectat quod dicitur, *in sinu patris*, tanquam unicæ conscrutorium voluntatis divinæ, quemadmodum in proverbium abiisse scimus, eum, qui alterum plene novit, in ipsius veluti sinu esse. Hinc est quod dicitur *Consiliarius, Esa*. 9, 6. Hoc planioribus verbis *Actor*. 4, 11. *Nullum nomen sub cœlo datum, &c.* Videtur venienti tacitæ cuidam objectioni occurrere; Mosem Deum coram, & facie ad faciem vidisse. Quod Iohannes negat; neminem enim Deum unquam vidisse, id est, cognovisse, præter Christum unum. Absque enim Christo omnia nobis clausa sunt & obsignata, omnia sunt ænigmata, omnia tanquam fugientibus & exoletis literis, aut arcanis notis tanquam σκυτάλῃ λακωνικῇ scripta esse, nec quenquam tametsi peritissimum plus in mysteriis Dei scire, quam unius diei infantem: in Christo vero, tanquam majusculis literis, omnia stylo ita exarari, ut quivis cursim & raptim ea legat: Deum denique nobis sine Christo in propria lingua barbarum esse, in eo vero Atticum.

Sequitur dialogismus, qui ad duas quæstiones responso absolvitur, { Quis esset Iohannes, & Quare baptizaret.

Vers. 19, &c. *In Pharisæorum quæstionibus crassi errores;*

Quot autem sunt quæstionis partes seu capita, tot sunt Legatorum fœdi & crassi errores. Quod enim de eo dubitant, an Iohannes esset Messias, pinguis error erat; non solum quod præcursorem, qui viam illi muniret, præmitti oportere ignorarunt; sed quod ex tribu Iuda, & ex familia Davidis oriundum eos latuit: quandoquidem Iohannes esset ex tribu Levi & familia Aaronis. In quo forte ob eam causam magis ad Iohannem inclinabant, & ei Messiæ honorem libentius deferebant, quod esset ex Sacerdotum ordine, fore sperantes, ut hoc illis non mediocrem honoris accessionem afferret. Deinde quod, Elias ne sit dubitent, qui ante aliquot annorum centena in cœlum translatus erat, futilis error est. Absurdum erat Eliam ex Zacharia & Elizabetha proseminandum. Potius enim erat ex corpore translatus è cœlo dimittendus; sed hoc loco apparet istos prælatos μετεμψυχώσει Pythag. infectos fuisse.

Quod vero quærunt, an esset *Propheta ille*, idem est, ac si dicerent, si non es Elias, numquid es ex aliis antiquis Prophetis, ut *Matth*. 16, *v*. 14. *quidam existimabant Christum Eliam esse, alii, &c.* Et quamvis jam quis Iohannes non sit edocti essent; tamen quis esset illis in mentem non potuit venire. Saltem enim debebant tandem de voce in deserto clamante cogitare; sed illis quidvis potius, quam veritas in mentem venit.

ideo alieni ordinis non plane confidendum:

Hic autem cum fuerit Sacerdotum & Levitarum sensus, nec eorum tantum, qui legati sunt; sed totius ordinis, qui coactus, & consilia sua conferens, hos tanquam inter cæteros instructissimos ad Iohannem misit: discimus quam non debemus ab eorum sententia, qui rerum in Ecclesia potiuntur, suspensi teneri; nec enim Ecclesia & concilia, quæ nunc conveniunt, ullo privilegio aut immunitate ab errore donantur.

tamen illis modeste respondet.

Quod vero Iohannes ad singulas quæstiones, tametsi perquam absurdas, modeste respondet, exemplo nobis est, quid nos itidem facere debemus; maxime apud eos, qui in Ecclesia, quamvis indigne, præsunt. Quod autem negat se Eliam, quem Servator ipse Eliam vocat, & Prophetam; cum Pater Zacharias Prophetam appellet, id ad Pharisæorum sensum refertur; quo sensu, se nec hunc, nec illum esse confitetur. Nec enim Propheta erat futura prædicens, aut de justo illo venturo prænuncians, sed ipsum jam venisse digito designavit, & præsentem indicavit.

Vers. 25. *Iohannis baptismus ex vocatione institutus;*

In quæstione, quam proponunt, altera, iterum suam inscitiam & inertiam produnt. In eo quidem recte senserunt, non cujusvis esse, novum in Ecclesia ritum introducere, & officio suo perfuncti sunt, quod qua authoritate hoc faceret, & qua fiducia fretus,

diligenter percunctati sunt. Sed cum Iohannes suum ex Esaia ministerium & vocationem exposuisset, debebant intelligere, Iohannis vocationem divinam esse, eoque nihil ab illo, nisi quod legitimum esset, tentari posse; & ei plus licuisse, quam ordinariis Ecclesiæ Ministris. In quo *Pontificiorum* arrogantia & temeritas proditur; qui nulla extraordinaria & divina vocatione ornati, nova tamen sacramenta procudere & fabricari in se suscipiant. Oportet enim prius diploma suum cœlesti & divina vocatione obsignatum proferre, quam hoc in se suscipere. Quanquam nunc ea est Ecclesiæ conditio, ut si Angelus de cœlo nobis nova sacramenta introduceret, pro anathemate habendus sit. Nam post Filium nemo exspectari debet, qui aliquid in Ecclesia innovet: *Heb.* 1, 1. *Iud.* 5, *&c.* Tempus enim adventus Christi, *tempus correctionis* dicitur; in quo omnia sunt ad perfectissimum exemplar reformationis accurata; ille Ecclesiam penitus exædificavit, fastigium & summam manum apposuit, & perfectissimum exemplar reliquit, ad cujus formam, & novæ Ecclesiæ construendæ, & veteres reficiendæ & reparandæ sunt. Ita enim Ecclesiæ corpus omnibus suis partibus & numeris perfecit, ut si quid addas, gibbus sit; mutilatio vero, si quid detrahas.

contra sacramentorum Pontif. invectionem.

Vers. 26, &c.

Altera Iohannis Responsio declarat, quis sit Messias, de quo tam anxie quærunt. Nec enim satis habuit hunc sibi oblatum honorem rejicere, nisi eum etiam, cui justus & debitus erat, commonstraret. Sed hîc videtur Iohannes de allio rogatus, de cœpis respondisse. Quid enim si Iesus Messias sit, an sequitur eum propterea legitime & debite baptismum administrasse? maxime vero; si enim Iesus Messias erat, oportuit necessario habere præcursorem, qui ei viam muniret. Oportuit etiam legis ceremonias ejus adventu profligari: idcirco ex Christi adventu, & inter eos præsentia, non sine causa, & suam vocationem, & novum hunc ritum colligit. Sicut enim Christus Iohannis ministerio suam aliquoties vocationem communiverat, sic Iohannes suam itidem, ex Christi persona, confirmat. Perinde enim est, ac si diceret; quandoquidem is in medio vestri versatur, & huic ministerio meo suffragatur, & assensum præbet, qui Messias est: & Messiæ hanc authoritatem vos ipsi largimini, ut, pro arbitratu suo, ministros & officiarios in regno suo instituat: me hoc ministerium non temere invasisse, in promptu esse debet. Ex quo iterum elucet, neminem, in Republica Christi, magistratũ gerere, nisi ejus designatione & arbitratu, oportere. Quamobrem cum Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, &c. absq; Christo in Ecclesiam invecti sunt, &c. Quod autem se *aqua baptizare* dicit, hoc ipso docet, se nihil sibi assumere, quod non in ministrum potius, quam in Christum (cujus est Spiritu Sancto baptizare) competat.

An Ioannes directe Pharisæis respõderit?

IOH. *cap.* 1. *à vers.* 29. *ad* 35.

29 Postero die cernit Iohannes IESVM venientem ad se, & ait, Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi.

30 Hic est de quo dicebam, Pone me venit vir qui antepositus est mihi, quia prior me erat.

31 At ego non noveram eum: sed ut manifestus fiat Israëli, propterea veni ego baptizans aqua.

32 Tum, inquam, *testatus est Iohannes, dicens, Conspexi Spiritum descendentem quasi columbam è cœlo,* qui *etiam mansit super eum.*

33 Et ego non noveram eum, sed qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat; Super quem videris Spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto.

34 Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium illum Dei.

ANALYSIS.

Alterum testimonium quod Baptista Christo perhibuit, cum Christus coram & præsens erat. Quod primum ab adjuncto tempore describitur, postridie illius diei quo ex deserto rediit; deinde ab altero adjuncto, cum videret Christum ad se venientem, 3. ab effecto sermonis quem proposuit de Christo; ubi attentionem adjuncta nota animadversionis expergefacit, *Ecce*, 4. Christum describit ab effectis Sacerdotii quod tollit peccata mundi; quod probat à comparatis similium, nempe quod sit Agnus ille, qui typico Paschatis agno adumbratur.

Vers. 30. Deinde à proprio subjecto, quod sit idem de quo testatus est; ubi occupatio est, cujus prolepsis est à relatis, venit post te tanquam discipulus tuus, ergo hic illi es proponendus: subjectio item est à relatis; tametsi discipulus meus nunc sit, tamen mihi præponendus est; cujus ratio adnectitur, ab adjuncta ejus æternitate secundum divinam naturam.

Vers. 31. Alia occupatio, cujus prolepsis ab adjuncto. Atque vos inter vos ex composito convenistis, ut mutuo vosipsos prædicaretis; subjectum est ab adjuncto se Christum non novisse, aut etiam vidisse; deinde illud refellit à disparato fine, se de Christo testimonium reddere, non ut Christo gratificetur, sed ut Israëli innotescat; quod de Christo testimonium confirmat adjuncto Sacramento Baptismi.

Vers. 32, & 33. Alterum testimonium Christi, ab adjuncta visione qua videt Spiritum Sanctum è cœlis descendentem, & super illum manentem; ubi est occupatio, cujus prolepsis est a diversis, non esse necesse, ut super quem Spiritus in forma columbæ requiescit, is sit Christus; subjectio est à divino Dei ipsius testimonio, qui eum Christum esse confirmavit super, quem reclinabat Spiritus in forma columbæ.

Vers. 34. Porro suum testimonium confirmat, ab adjuncta visione ejus rei quam testatur.

METAPHRASIS.

29. *Postridie illius diei, quo Christus peracta in deserto tentatione, in Galilæam rediit,* Iohannes *illum ad se venientem videns, coram & in ipsius Christi os, hoc quod sequitur testimonium edidit; omnes qui corpore præsentes estis, animis item adeste, hic enim est agnus ille Dei, olim sub lege parva pecude adumbratus. Nam sicut illa pecus ex ritu legis mactata, peccatum specie & umbra quadam sustulit; sic hic in crucem adigendus peccatum illud, cujus omnes in* Adamo *rei sumus, una cum illius peccati fœtu fructuque omni, ad eum modum aufert, ut ulla nec pœna, nec culpa imputetur, & simul illius peccati vis & energeia indies enervetur.*
30. *Vt autem intelligatur idoneus esse Sacerdos expiatoriam victimam pro nobis offerendi, idem hic est de quo dicebam, qui me tanquam discipulus sequitur, mihi propter ejus singularem præstantiam prælatus est, quia ab æterno à Patre genitus*
31. *me prior erat. Et ne cuiquam in mentem veniat, me ex composito hoc præconio illum ornare, ut ille vicissim me encomiis prædicaret, profiteor me illum prius ne vidisse quidem nedum cognovisse. Neque cuiusque mentem subeat meo testimonio quidquam Christo accedere, quandoquidem hoc tantum consilio, cum prædico, tum Baptismi sacramentum administro, ut Christus populo ab Israële prosemi-*
32. *nato innotescat. Porro testificatus est* Iohãnes, *dicens; quod contuitus sum Spiritum Sanctum cœlitus, veluti columbam descendentem, qui super caput ejus reclinans, aliquandiu permansit, nec momento disparuit aut avolavit.*
Et quidem quod ad me attinet illum non no- 33.
vissem, sed qui me aqua Baptizatum misit, ipse mihi dixit, super quem videris Spiritum forma columbæ discendentem & illi insidentem, hic est qui nos proluit Spiritus Sancti donis. Quam ob rem quod vidi, id etiam & testa- 34.
tus sum, hunc scilicet esse Filium illum Dei unigenitum.

PRAXIS.

Habetur aliud & alterius diei Iohannis testimonium. In quo docetur, Iohannem Christum digito indicasse, quem illi Deus, non mortalium quisquam commonstraverat.

Cujus duæ sunt *partes*, { Testimonium quod reddidit, & Fundamentum, cui testimonium & incumbebat, & innitebatur. }

Testimonio eum esse Dei agnum &c. alludit, ad celebre illud Paschatis sacrificium, cujus veritas & corpus in Christo est. Sic 1 *Pet.* 1, 8, 9. Quod autem *tollere* dicit, id plenissimum consolationis est: per Christum peccata nostra è medio sublata esse, ut non magis nobis nocere possint, quam si non essent, aut nunquam a nobis admissa fuissent. Tametsi enim peccatum in nobis hæret; tamen, quod ad reatum, & pœnam peccato debitam, penitus tollitur, & à nobis procul propellitur, tanto intervallo, quanto cœlum a terra, oriens ab occidente, profundum maris à terra quam incolimus, removetur. Cujus rei imaginem habemus in hirco emissario, *Lev.* 16, 8. cui omnia peccata & iniquitates populi imponebantur. *Esa.* 53, 4. dicitur, Christum omnia peccata nostra in corpore suo portasse: hoc igitur opponitur expiationi per martyrum sanguinem, & alia omnia, quæcunque Christi sanguis non sunt.

[Vers. 29, & 30. *Quomodo Christus tollat peccata?*]

Christus porro est agnus tollens *peccata mundi*; non tantum quod peccata nobis non imputantur, sed quod etiam virtute mortis Christi per spiritum atteruntur, indies cohibentur, sauciantur, & tandem mortis interventu penitus jugulabuntur. Ideo 1 *Ioh.* 3, 5, 6. & *Rom.* 6, 2. *qui mortui peccato sumus, quomodo adhuc in peccato vivemus?* Mundi peccata quod dicit tollere, eo complectitur non tantum Iudæorum, sed & Gentium peccata; non illa tantum, quæ perpetrata sunt, vivente

[*& illa quidem* mundi?]

vivente hic in terris Christo; sed quæcunque à fidelibus, ab initio mundi ad finem usque, admittentur, aut admissa sunt. Quo refertur, quod dicit, eum tollere, non sublaturum esse aut sustulisse, indicans continuum auferendi actum; ut non sit necesse aliud sacrificium adhibere Messiæ, &c. unde constat sacrificia sub lege peccata non sustulisse &c. vide *Hebr. 9, 9*.

quomodo agnus dicatur? Notanda etiam formula loquendi in sacramentis usitata; Christum dici *agnum*, quod agnus illum adumbravit; quod idem in Spiritu perspicitur, qui dicitur visus, quia forma columbæ oculis objecta fuit, & capiti insedisse. Hoc mediatoris officium ad illam personam spectare subjungit, quæ ex duabus naturis in una hypostasi unitis constat; de quo testimonio dictum est.

Vers. 31. Altera pars sequitur de testimonii fide indubitata, utpote de quo non ab hominibus, sed ab ipso Deo edoctus sit; qui cum fallere non possit, nec falli, & piorum infirmitati hoc modo prospectum esse, & infidelibus omnem excusationem detractam esse liquet. *Cur Ioan. dicat se Christum non novisse?* Quod igitur se *Christum nescivisse* dicit, id in eam sententiam dicitur, ne existimaretur Iohannem, ex composito cum Christo egisse, ut illi hoc testimonium daret, amplum à Christo vicissim testimonium accepturus, ut post *Matth.* 11, 7, *ad* 14. factum legimus. Illud igitur per occupationem adversariis præripit. Hinc est, quod ante dictum est, Iohannem in deserto, paterna in familia triginta annos mansisse, quousque publici muneris obeundi causa prodiret: tantum igitur abest, ut Iohannes in utero matris suæ exiliens Christum noverit, ut ne triginta quidem annos natus ejus specialem notitiam haberet: quod quidem singulari Dei providentia factum est, ut Iohannis testimonium omni exceptione majus sit: sicut enim fidem piorum plurimum confirmat, quod Paulus idem cum cæteris Apostolis Euangelium prædicaret; cum tamen nunquam cum Apostolis de Euangelio contulisset, & quod immediate à Deo edoctus fuisset: sic &c.

& tamen ut Israëli Eum patefaceret venisse? Adjungit se venisse, ut *Israëli patefieret* Christus: nullo Christi commodo & emolumento factum esse, ut tam honorifice de Christo loqueretur; sed tantum ut Israëlitæ salutem, ex illius testimonio, consequerentur. vide *Ioh.* 5, 33, 34. Homines enim cum ad pietatem urgentur & ad Dei cultum, occupat hæc opinio, Deo eorum cultu aliquid accedere; & proinde veluti justum præmium cultus sui, vitam sibi deberi existimant, aut certe se aliis ut præferantur commeritos esse. Sed succurrat eis Deum, nullo suo, sed eorum bono, severe & vehementer illa exigere; ut sæpe in lege est, *ut tibi bene sit*. In his enim videntur consiliarios Regis Ammonitarum referre, ad quem cum David suos legatos honoris causa misisset; hi Regi suggerunt, Davidem legatione illa, sua & propria commoda quæsivisse. 2 *Sam. cap.* 10. *vers.* 3.

Post subjungit, qua ratione Deus Christum patefecit, indicio scilicet Spiritus forma columbæ in eum descendentis, & super illum requiescentis: ubi nascitur quæstio, qui hoc constat, cum ex *Matth.* 3, 14. constet, Christum à Iohanne, ante baptismum, cognitum fuisse, ne se illi baptizandum offerret. Respondeo, Iohannem se negasse Christum cognovisse ulla re exteriori, seu familiaritate, seu cujusquam indicio, nisi interiori revelatione; Spiritum autem in forma columbæ descendentem, primum fuisse externum indicium quo illum novit. Vers. 32, &c. *quomodo ea manifestatio facta?*

Sunt qui *dicunt* in pane, symbolo corporis Christi, Christum perinde præsentem esse, sicut in columba, symbolo Spiritus Sancti, ipse Spiritus præsens est. *An sub formâ columbæ Spirit. S. fuerit præsens?*

Quibus *responsum* esto; Christum præsentem esse in pane, quoad divinam naturam, sicut Spiritus propter suam Deitatem, ubique existens, non excluditur columba; sed alia ratio est corporis & animæ Christi, quæ nisi uno loco esse queunt, qui locus nunc cœlis circumscribitur. Deinde columba symbolum non fuit præsentiæ Spiritus substantialis qua ubique est, sed singularis operationis, qua Christum donis suis replevit. Potius dicendum est, quod sicut columba appellatur spiritus, quia fuit symbolum Spiritus, id est, signum, unde cognosceretur Spiritus Sanctus, Christum suis donis replevisse & repleturum: sic panis Sacræ Cœnæ dicitur Corpus Christi, quia est symbolum corporis Christi; unde cognoscitur corpus Christi pro nobis crucifixum esse, ut nobis pabulo & nutrimento esset.

IOH. *cap.* I. *à vers.* 35, *ad* 44.

35 *Postero die iterum stabat Iohannes, & ex discipulis ejus duo:*
36 *Et intuitus IESVM ambulantem, dixit, Ecce Agnus ille Dei.*

37 *Audierunt autem eum duo illi discipuli loquentem, & sequuti sunt IESVM.*
38 *Conversus vero IESVS, & conspicatus eos sequentes se, dicit eis,*
39 *Quid quaeritis? Illi vero dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, Magister) ubi moraris?*
40 *Dicit eis, Venite & videte. Venerunt videruntque ubi moraretur: & apud eum manserunt diem illum, hora enim erat quasi decima.*
41 *Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant* illa *ex Iohanne, & sequuti fuerant eum:*
42 *Invenit hic prior fratrem suum Simonem, & dixit ei, Invenimus Meßiam illum, quod est, si interpreteris, Christus ille.*
43 *Et adduxit eum ad IESVM. Intuitus autem eum IESVS dixit, Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod* est, *si interpreteris, Petra.*

ANALYSIS.

ALterum testimonium *Iohannis* coram & in os Christi redditum; quod describitur primum ab adjuncto tempore, eodem scilicet die, quo proxime antegressum reditum est, videlicet, secundo post reditum ex deserto. Deinde altero adjuncto *Iohannis* situ corporis, seu statione; item comitatu *Iohannis*, id est, duobus ejus discipulis.

*Vers.*36. Postea ab effecto *Iohannis*, primo quod intuitus est Iesum ambulantem; secundo effecto sermone, quod idem est cum superiore, *Ecce agnus ille Dei.*

*Vers.*37. Hujus testimonii effectum describitur, 1. hoc testimonium auditum esse, subjectum autem auditionis subnectitur duo viri, qui à relatis describuntur, discipuli scilicet *Iohannis*, 2. quod sequuti sunt Iesum.

*Vers.*38. Fructus & effectus illius auditionis & insequutionis, describitur ab effecto Christi, 1. quod se & faciem suam prius illis adversum, ut qui pone illum sequebantur, ad eos convertit; deinde quod illos sequentes intuitus est, 3. sermone ad illos facto.

*Vers.*39. Cujus sermonis species subjicitur, interrogatio quid quaererent; quorum relatum responsum est per alteram interrogationem, ubi maneret? & adjuncta honorifica appellatione, quae relato Doctoris exprimitur.

*Vers.*40. Subnectitur Christi responsum, adjuncto mandato ut veniant; quod arguitur à fine, ut videant; postea describitur eorum obsequium, ab effecto veniendi & manendi apud illum illo die; cujus causa notatur, quod esset hora diei decima, quae nostrae pomeridianae quartae respondet, id est, quod advesperasceret, quia duae illius diei horae superessent modo.

*Vers.*41. Vnus ex duobus discipulis illis describitur adjuncto nomine *Andreae*, deinde à relato fratre *Simonis Petri.*

*Vers.*42. Altero relato quaerendi fratrem *Simonem*, sicut constat ex relato inveniendi expresso; deinde ab effecto sermone; cujus species subjicitur & describitur primum à relato inveniendi, & subjecto Messiae; cujus adjuncta interpretatio subnectitur Christus.

*Vers.*43. Postea altero effecto ducendi *Simonem* ad Iesum; cujus fructus adjunctum describitur ab effecto Iesus, 1. quod illum intuitus est, 2. effecto sermone, quo declarat suam divinitatem certis effectis, 1. quod illum de nomine cognovit *Simonem* esse, deinde quod Patrem ejus noverat *Iohannem*, 3. quod qualis futurus foret, praescivit, id est, firmus & immotus; quod à comparatione parium scilicet lapidis arguitur.

METAPHRASIS.

EOdem illo die Iohannes *iterum consistens,* 35.
& quidem duobus discipulis suis stipatus,
cum Iesum defixis oculis praetereuntem contui-
tus esset: intento & exerto in illum digito te- 36.
status est, Ecce hic est ille agnus Dei. *Quod* 37.
cum duo ejus discipuli audivissent, relicto prae-
ceptore suo, Iesum sequuti sunt. Cum autem 38.
timore & verecundia quadam impediti, Ie-
sum compellare ausi non sunt: Iesus conversa
ad eos facie, & illos sequentes intuens, sic al-
loquitur, quid vultis aut quaeritis? cui illi,
quod quaerimus (reverende Doctor) majoris
momenti & ponderis est, quam ut possis pau-
cis verbis expedire; quamobrem petimus ut 39.
ubi divertis nobis commonstres: quibus ille,
venite ut ubi divertam cognoscatis: Quam-
obrem mandato ejus obsequentes, iverunt ut
viderent ubi diverteret, qui apud eum illo die
remanserunt, supererant etenim illius diei
duae circiter horae. Ex duobus autem quos dixi 40.
discipulis, qui de Christo à Iohanne *audive-*
runt, & Christum sequuti sunt, unus erat no-
mine Andreas *frater* Simonis, *qui post* Pe- 41.
trus *cognominatus est: hic tametsi perangu-*
sto temporis spatio apud Christum remansisset,
usque eo tamen profecit, & tanto ardore ve-
ritatis promovendae incensus erat, ut ilico ad
quaerendum suum fratrem Simonem *profe-*
ctus sit: cui invento dicit, praeceptoris nostri 42.
Iohannis *testimonio, invenimus ego & alius*
condiscipulus meus MESSIAM, *quod si*
interpreteris, Christus est; quem quia nondum

Q plene

plene & accurate fratri explicare noverat, ad Iesum ut ulterius institueretur, adduxit, qui illum intuitus sic affatus est, Ego te nunquam ante visum tamen de nomine Simonis *probe cognosco, nec me fugit patris nomen* Iohannem *esse; majus aliquid dicam, sum enim præscius qualis futurus es: nam eris firmitate & constantia fidei instar* Petræ, *unde etiam tibi cognomen* Petri *indituturus sum.*

PRAXIS.

PRoponitur alterum Iohannis, cum adjuncto ejus fructu, testimonium.

Cujus *partes* sunt:
- Iohannis testimonium quibusdam suis discipulis Christo prætereunti redditum,
- &
- Ejusdem testimonii fructus.

Vers. 35, & 36. *Iohannis de Christo testimonium iteratum;* Euangelista Baptistæ testimonia singula, tanquam totidem separatos testes, diligenter collegit, sicut etiam Paulus 2 *Cor.* 13, 1, 2, *&c.* separatas suas cum sermone, tum scripto admonitiones, totidem testes esse confirmat, quibus eorum improbitas, nisi resipiscant, convincatur. Quo docemur, quantæ nos perfidiæ reos constituerimus, si tot non solum de Christo & Euangelio præconia, sed & præcones verbo & scripto, nobis ad veram fidem & resipiscentiam non prosint.

Nec vero puduit hominem tam undique instructum, eisdem verbis, quibus ante usus erat, testimonium dicere, ut Paul. *Phil.* 3, 1.

Vers. 37, & 38. Fructus vero est discipulorum ad Christum aggregatio, quæ fuit quidem illo Iohannis testimonio; sed dupliciter, mediate & immediate.

[illegible]? *Immediate*, duo discipuli Iohannis Christo adjunguntur, qui Christum sequentes ab eo accipiuntur. Christus autem, tanquam qui in dorso oculos haberet, illos pone se esse intelligens, respectans quid velint, quærit; videntur enim timore quodam & reverentia impediti, ne familiarius eum & audacius accederent: maxime cum à Iohanne audissent, eum tantum esse, ut ipse, qui corrigiam ejus solveret, indignum se judicaret. Quærit autem quid vellent; non quod ignoraret, sed ut eorum de se fidem probaret. Nam cum Iohannes eum Filium Dei testatus fuisset, eoque ipso cordium cognitorem: hac quæstione suam omniscientiam dissimulans, eorum fidem pertentavit; quæ si nullas radices egisset, hac quæstione concidisse videri potuit, & illis resiliendi occasionem præbuisse: subire enim eorum mentes potuit, eum nulla verisimilitudine Filium Dei esse, qui quid vellent nesciret: quod documento est his, qui recens ad Euangelium accedunt, ne ab Euangelio ilico deficiant, si quæ illis difficultas exoriatur, quæ alienam a veritate doctrinam Euangelii videtur coarguere: potius existiment Deum hoc modo fidei eorum periculum capere; præterquam quod eorum intererat, ejus humanitatem, perinde ut divinitatem, testatam habere. Hinc porro discimus Christum ad se accedentes accipere humaniter, & illorum imbecillitati succurrere & obviam ire.

Quod vero à Christo interrogati, eum vicissim interrogant, videntur a debita Christo reverentia recessisse: sed si scopum intueamur, rem secus esse intelligemus: perinde enim est ac si profiterentur, causam cur accedant, graviorem esse, quam quæ possit paucis verbis, & angusto tempore expediri; & propterea cupere ubi ageret aut diverteret, ut ad eum discendi causa subinde venirent, cognoscere: quod non obscure indicant, cum eum *præceptorem* appellant. In quo ostendunt se serio veritatis studio teneri, quod spectandi tantum, aut in dicendo facultatem pertentandi causa, ut plerique nunc dierum, non venerint. Quibus idem accidit, quod his, qui scholam prætereuntes, illam quidem ingrediuntur & intuentur præceptorem docentem, discipulos discentes audiunt & contemplantur; cum tamen ipsi se discipulos adjungere nunquam cogitent. His enim satis est, se dicere & profiteri posse in Ecclesia fuisse, hunc aut illum pro concione dicentem audivisse; quemadmodum illi sibi honori esse ducunt quod Academiis interfuerint, tametsi nullas inde literas reportârint. Vers. 39. *ex veritatis studio cum denuo interrogāt;*

Christus illos sequi jubet, nec locum tamen, quo proficiscebatur, indicat: suspensos illos tenet, secundo illorum fidem probans: ut Abrahamum olim, quem patria exire jubens, de loco, quo profecturus erat, non edocuit: cui cum hi obtemperarent, suo exemplo nos docent, Deo nos totos tradere oportere, & illum quocunque vocârit sequi, tametsi pedem domo efferentes, quo proficiscendum sit ignoremus: modo enim Christum in Verbo præsentem habeamus, in maximis erroribus ab erroris periculo liberi sumus. Quod horam diei notat, qua nox instaret, non modo occasionem eos cum Christo retinendi indicat; sed simul etiam, Vers. 40. *quos sequi jubet non indicato loco:* *cur horam diei notet?*

quam

quam exiguo tempore ſub Chriſti magiſterio, Andreas eximie profeciſſet, ut jam aliis Chriſto commonſtrando idoneus eſſet, ſignificare voluit. Ex quo videmus eos, qui ſyncere & cupide ad Chriſtum accedunt, ſui laboris ampliſſimum præmium, Dei veram cognitionem accipere; nec inanes ad ſuos redire paſſos eſſe, utcumque aliqui rudes & ignari ſunt. Sumus enim in Chriſto Sacerdotes facti Deo, eoque alius alium docere & privatim inſtituere debemus. vide *Hebr.* 3, 13, 14. ubi Apoſtolatus Chriſti omnes participes monſtrantur.

Verſ. 40. & 41. Andreas ex fide fratrem accerſit;

Sequitur fructus teſtimonii Iohannis, *mediante* & intercedente Andreæ opera. Ex quo diſcimus ita fidei myſterium animi theſauris reponendum eſſe, ut illud etiam cum aliis communicemus: *Eſa.* 2, 3. *Matth.* 25, 14, *ad* 29. non abdendum talentum, ſed ejus negotiatione auctius faciendum: atque ut pro inutili ſit cive habendus, qui nihil in communi affert ad hominum ſocietatem tuendam; ſic in Dei civitate. Et ſi inhumanum ſit alterius lucernam non accendere, cum tibi nihilominus luceat, &c. Maxima autem cura erga eos adhibenda, quos Deus nobis ſanguine conjunxit. *Actor. cap.* 10, *verſ.* 24. in Cornelio. Huc pertinet quod dicit, ab Andrea inventum, & ad Chriſtum deductum, ut eum hoc ſtudioſe non obiter feciſſe ſignificet.

Verſ. 42. de Petro quæ in Chriſtus futura prædicat?

Quod autem Chriſtus eum non viſum ante noſcit, & parentes, & quid eo poſt futurum ſit, prædicit, id non tantum ad Petri, ſed & ad Andreæ fidem confirmandam refertur. Sic enim omnino accidit, ut qui alios in fide juvant, ipſi hoc tam pio conatu provehantur, & talento exercendo plus acquirant. Nec vero Andream male habuit, quod fratrem ſuum à ſe ad Chriſtum deductum ſibi prælatum videt. Neque enim ſe pejori loco arbitrabatur, quod frater erat meliori: potius Dei erga ſe beneficium recognovit, qui fratrem ſuum ad tantum honoris apicem attollens, ipſummet honoratiorem reddidit: ut fratres ſibi valde gratulantur, ſi ex illis unus aliquis in aula ſummam autoritatem obtineat.

IOH. *cap.* 1. *à verſ.* 44. *ad finem Capit.*

44 Poſtero die voluit IESVS abire in Galilæam. invenit autem Philippum, &
dixit ei, Sequere me.
45 Erat vero Philippus ex Beth-ſaïda, civitate Andreæ & Petri.
46 Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei, Invenimus illum *de quo ſcripſit*
Moſes in Lege, & Prophetæ, nempe *IESVM filium illum Ioſephi, illum ex* urbe
Nazaretha.
47 Tum dixit ei Nathanaël, Ex urbe *Nazaretha poteſt aliquid boni eſſe? Dicit*
ei Philippus, Veni & vide.
48 Vidit IESVS Nathanaëlem venientem ad ſe, & dixit de eo, Ecce vere Iſraë-
lita in quo dolus non eſt.
49 Dixit ei Nathanaël, Vnde me noſti? Reſpondit IESVS & dixit ei, Priuſquam
te Philippus vocaret, quum eſſes ſubter ficum, videbam te.
50 Reſpondit Nathanaël, & dixit ei, Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex
Iſraël.
51 Reſpondit IESVS & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis: majora
iſtis videbis.
52 Præterea dixit ei, Amen, amen dico vobis, Ab hoc tempore videbitis cœlum
apertum, & Angelos Dei adſcendentes ac deſcendentes ſuper filium hominis.

ANALYSIS.

EVangeliſta *Philippi* vocationem deſcripturus, 1. adjunctum tempus notat, eodem die quo *Petrus* vocatus eſt, 2. ſubjectum loci, aliam ſcilicet Galilææ partem, 3. cauſam vocationis, Chriſtum, & quidem immediate, 4. Alteram cauſam, Chriſti puram voluntatem, qua illum ſalvum eſſe voluit: cujus effectum erat Chriſti in Galilæam profectio, & effectus finis ut illum inveniret, 5. inſtrumentum vocationis, ſermo Chriſti, cujus ſpecies exprimitur.

Verſ. 45. *Philippus* deſcribitur à ſubjecto loco Bethſaidæ, quæ certis adjunctis *Petri* & *Andreæ* indicatur, qui ibi habitabant.

Verſ. 46. Vocatio *Nathanaëlis* deſcribitur; cujus

cauſa

causa efficiens minus principalis est, *Philippus*; cujus effectum est quod eum quærebat, quod ex relato eum inveniendi arguitur: causa instrumentalis est Dei sermo, cujus species exprimitur. In quo sermone Iesus describitur; primum à testimonio legis & Prophetarum; deinde à relato filio *Iosephi*, tertio ex subjecta urbe Nazarethi; quarto ab adjuncta inventione ejus per *Philippum*, *Petrum* & *Andream*.

*Vers.*47. *Nathanaël* vocationi obsistit argumento à disparatis, quod à Nazareth nihil boni prodit, nedum Messias. Cui *Philippus* occurrit, hujus modi dissolutionem indicans, fore in effecto *Nathanaëlis*, ad Christum profectionis à fine illustrato, ut videat opera Iesu, unde cognoscat eum esse Messiam.

*Vers.*48. Ratio efficacis vocationis *Nathanaëlis* describitur; ubi causa instrumentalis indicatur Christi sermo; cujus sermonis adjunctum tempus notatur, postquam Iesus eum venientem vidisset. Species idem sermonis notatur, qui primum, adjuncta nota animadversionis exornatur, deinde describitur à relato patre Israële; tertio adjuncto synceritatis, quo discernitur ab Israëlitis qui secundum carnem modo Israëlitæ sunt. Quod ab effecto probatur, quod fraudem aut hypocrisin non exercuit.

*Vers.*49. *Nathanaël* interrogat de causa qua illum nunquam prius visum cognoscat, idque à distributione videtur subinnuere. An scilicet se ex propria scientia, aut ex aliorum de se fama & testimonio cognosceret. Cui Iesus ex propria præscientia, quod probat ab effecto, quod notat *Philippum* eum vocasse cum sub ficu esset.

*Vers.*50. *Nathanaël* eum Christum agnoscit, 1. ab adjuncta Prophetica functione, cum Doctorem appellat eum; deinde à subjecta persona, quæ describitur à relato Filii Dei; post altero adjuncto regiæ dignitatis, cujus subjectum subjicitur Israël Dei.

*Vers.*51. Laudat fidem *Nathanaëlis* ab adjuncta facilitate credendi; quæ arguitur ab adjuncto numero unius modo miraculi editi, & exornatur porro à comparatione minoris præ his quæ visurus erat, & denique adjuncta interrogatione tanquam admirabunde exornat.

*Vers.*52. Majora illa opera ab illo videnda enumeratione exponit, nempe cœlum apertum, 2. Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis; quod duplici adjuncta nota asseverationis, seu testimonii confirmat.

METAPHRASIS.

44. E*Odem ipso die quo supra* Andream *&* Pe-
trum *ad sui notitiam & professionem ad-*
duxerat, Christus studio incensus suos colli-
gendi, ab illo loco Galilææ ubi divertebat, in
alium ejusdem regionis profectus est: hoc ani-
mo, ut tanquam bonus Pastor ovem suum
Philippum *requireret & in septa Ecclesiæ*
Euangelicæ cogeret. Cui invento se ut sequere-
tur, non externa modo voce, sed interna Spi-
45. *ritus energeia, mandat. Erat autem* Philip-
pus *civis Bethsaïdæ urbis, quam* Andreas *i-*
tem & Petrus *incolebant. Hic* Philippus *suæ* 46.
& propriæ fœlicitate non contentus Nathanaë-
lem *exquirit, quem sic alloquitur: Eum quem*
lex à Mose *lata, & Prophetæ ejusdem inter-*
pretes descripserunt Iesum invenimus, filium
Iosephi *ex civitatula Nazareth. Cui* Natha- 47.
naël, *ex Nazareth potest ne boni quid prove-*
nire, nedum tantum bonum quantum est
Messias? Cui Philippus, *hanc difficultatem,*
ipse (ingenue fateor) expedire nequeo, quam-
obrem veni ut illum videndo Christum & un-
ctum Dei recognoscas. Iesus autem Natha- 48.
naëlem *ad se venientem videns, de eo dixit:*
ecce ex genuinis Israëlis filiis, utpote qui est à
fraude & hypocrisi remotus; cui iterum Na-
thanaël, *quo indicio me nosti, an fama alio-*
rum an propria præscientia. Cui ex adverso 49.
Christus, ego non te aliorum judicio pernovi:
nam utcunque spacio abs te procul dissitus, spi-
ritu tamen præsens eram, cum Philippus *te*
sub ficu agentem vocavit: respondit Natha- 50.
naël; *agnosco te Doctorem esse & Prophetam*
Ecclesiæ, agnosco te Filium esse Dei, denique
regem Israëlis: cui Christus, mirum dictu 51.
quod unica sententiola, qua te sub ficu agen-
tem me vidisse dixi, credis. Hoc tuum fidei
promptum obsequium majorum visione com-
pensabo. Quamobrem hoc vobis prædico, & 52.
summa fide confirmo, cœlum hactenus tenui
& parca mei cognitione veluti clausum &
obseratum, liberali deinceps & ampla mei
notitia apertum & reseratum iri; unde et-
iam pleniorem inter me & vos gratiæ commu-
nicationem & commercium, liberalius Ange-
lorum opera subministratum, non equidem o-
culis corporeis sed animi vero sensu & visione
percipietis, ut vobis veris & genuinis Israëli-
tis idem (vel potius divinius beneficium obve-
niat) quod Israëli patri vestro Syriam profi-
ciscenti olim obtigit.

PRAXIS.

CHristus duos alios ad se aggregans discipulos, eosdem in fide erga se corroborat.

Cujus *partes* sunt { Duorum vocatio, & In fide confirmatio. }

In *vocatione* discipulorum consideratur { immediata & mediata } vocatio { per Christum. / per Philippum. }

Et primum quidem Philippi vocatio proponitur, quem Christus immediate ad se vocat. In Vers. 44. *Quomodo*

Christus dicatur Philippum invenisse?

cat. In quo, quod *invenisse* dicitur *Philippum*, non ita existimandum est, quasi fortuito in illum inciderit, ut pastor suas oves requirens invenit, ut mulier amissam drachmam *Luc.*15, 8. cui quærendæ lucernam accendit, domum undique verrit; ideo dicitur expresse, *Christum voluisse in Galilæam ire.* Quanquam autem aliquando accidat, ut casu in illos incidamus, qui nostra opera ex tenebris extrahuntur; illud tamen consulta & deliberata Christi sententia fit, qui singulos ad æternam vitam, ante mundi fundamenta præscriptos, proprio & idoneo tempore ad se vocat. Id autem nos lætos habere debet, cum nobis à Deo Pastorem datum esse, qui nos citra controversiam quærens, inveniet, ut qui nos ubi simus, & qui sumus, bene novit.

cujus vocationi paret:

Quod vocanti paret, virtus Christi elucet, qui non tantum externum aurium sensum pulsavit, sed aures simul animi perforavit: quam virtutem quotidie in Euangelio experimur, quoties homines ab impietate ad Dei cultum, à flagitiosa vita ad probitatem attrahuntur: sicut enim Christus is solus est, qui internum baptismum externo repræsentatum confert; ita is solus est, qui externam ministerii vocem interno spiritus magisterio efficacem reddit. Ministri enim quantacunque virtute in docendo præditi, non nisi corporis aures feriunt; sicut aqua per illos administrata, corporis superficiem non transit. Hinc est, ut tametsi quibusdam Christi nomine millies dictum sit, ut eum sequantur; tamen ne pedem quidem moveant, sed in suo cœno impietatis aut improbitatis defixi hæreant. Quod nos sollicitos habeat, ut ad illum subinde animos attollamus, ut suo digito, quæ dicuntur, inscribat atque obsignet.

ejus mandatum in obsequio consulebat;

Vis autem mandati hæc est; ut se ad Christi obsequium componat, & eum verbo & voluntate illi præeuntem sequatur; tametsi ei obsequendo, per ignem & aquam, per vitam, per mortem, per bonam & malam existimationem transeundum sit. Quanquam illud notandum, ista non esse nobis suscipienda, nisi Christum in Verbo præeuntem habeamus: nam qui se flagellant, & omnibus se bonis abdicant sponte, Christo temere præcurrunt, non sequuntur.

Vers. 45. *qui hos fratres ex vili oppido singulari Dei providentia vocavit.*

Diserte autem exprimitur, Philippum cum duobus fratribus, Petro & Andrea, ex oppido Bethsaida fuisse in Galilææ regione. Qua in re admirabilis Dei providentia elucet, qui quasi columnas sibi ad Ecclesiæ structuram comparans, illas non veluti ex nobilissimis saltus Libani cedris, aut Basanis quercubus selegit; sed tanquam ex Sycomoris, aut aliis contemptis & ignobilibus arboribus, quæ neque formam nec firmitatem habituræ videbantur; aut perinde ac si prætenitis magnis & politis lapidibus, lapillos quosdam minutulos & rudes ad ædificium corrogaret. Vide *Dan. c.*1, *v.*3,4. quomodo Nebuchadnezor longe contrariam rationem iniit, eos deligendi, quos in regno principes esse voluit, & proceres. Eligere enim summos regni Christi magistratus ex genere obscuro, contemptissima Galilææ regione, improbissimo Bethsaïdæ oppido, videri potuit via gratiæ Euangelio conciliandæ aliena, ut quæ fulgentem Euangelii claritatem obscuraret: potius quam in tenebris micantem illustraret, & in hominum admirationem adduceret. Contra, si discipulos (quod potuit) sibi adjunxisset doctissimos quosque Pharisæos, qui literarum nota insignes essent: videntur universum mundum levi momento secum abducturi. Cujus providentiæ & procurationis divinæ hæc fere ratio est: primum quidem, ut in imbecillitate hominum, Dei virtus, in inscitia eorum, Dei admirabilis scientia inclaresceret, qui res tam præclaras tam contemptis & abjectis instrumentis confecit. Hinc est, ut aurea Spiritus Sancti dona, testaceo aut figulino vase, non autem aureo, hominibus obtulerit: ne oculorum acies vasis splendore & nitore capta, ipsa Spiritus Sancti dona minus attente consideraret. Deinde etiam ne homines interioribus litteris, aut hominū dignitati ascriberent, quæ veritati & Spiritus virtuti debentur. Quod enim hominibus stultis quandoque accidit, ut spreta hera, ancillam ambiant: id etiam plerisque veritatem profitentibus usu venit; qui Verbi & Spiritus virtute contempta, quicquid præclare geritur, hominum fœlicitati & dotibus tribuunt.

Sequitur vocatio alterius discipuli, sed Vers. 46
interposito medio, scilicet, Philippo, cujus opera Christus utitur.

Philippus demonstrat Messiam ex lege & Prophetis;

Germanum Christum ab adulterino & notho discernens, eum esse prædicat, quem Moses & reliqui Prophetæ, legis interpretes, depinxerunt. sic *Luc.* 24, 25, 26, 27. *Ioh.* 5, 39.

Scriptura siquidem naturas duas, ex quibus consistit, divinitatem & humanitatem notat: deinde humanitatis, cum corpus, tum animam; in divinitate eum à reliquis dua-

bus

bus personis discriminat; in humanitate notas quasdam insculpsit & impressit, quibus multifariam à cæteris hominibus & indubitate secrevit. Vt enim obstetrix illa *Gen.* 38, *v.*28. filo coccineo manum Zerachi circumligans, eum esse commonstravit: sic Scriptura, tanquam fideliter Christo obstetricans, hujusmodi potentiæ & miraculorum filum manui ejus circumposuit, quo ab omnibus possit pro primogenito agnosci; & ut duplici dimenso & synthesi, Iosephus suum erga Benjaminem eximium & redundantem amorem prodidit: sic Deus Pater in lege & Prophetis, tam conferta & multiplicata dona in Christum conferendo, docuit, ut hoc indicio facile Dei unigenitus & germanus Filius esse dijudicari possit. Atque ut Deus Salomoni eas virtutes cum animi, tum corporis dona indidit, quibus à reliquis Davidis filiis, tanquam consortibus, seponeretur: sic Christo, præ cæteris mortalibus omnibus. Deniq; ut Salomonis mater, ad diem inaugurationis ipsius, hujusmodi diadema fingi & formari curavit, quod aliorũ omniũ corollas & redimicula, multis passibus superavit: sic lex & Prophetæ illud regnum, sceptrum seu virgam, attribuunt, quæ illum unum omnium Monarcharum facile principem faciant. Vt igitur errorem fugiamus, Messiam, Messiæ personam, naturas, officium, ad Legem & Prophetas, tanquam ad βάσανον, exigamus. Sic enim *Iudæorum, Arrianorum, Turcarum, Papistarum* Messiam ψευδόχριστον deprehendemus. Hos quidem, quod cum aliam personam, tum officium alienum illi affingunt, quam veritas patitur; illos vero, quod de persona non male sentientes, in officio tamen Christi toto cœlo errent. Hinc etiam constat, neminem sanctorum esse, qui pro nobis sanguinem fudit, ut nos redimat, neminem qui noster sequester sit: non Mariam virginem, utpote de qua Moses, & omnes Prophetæ non scripserunt.

quod contra hæreticos qui ab his recedunt.

Vers. 47. *Quomodo à Nazareth nihil boni?*

Quærit Nathanaël, *an ex Nazareth bonum quid proficiscatur*; quod ex eo fluxit, quod Galilæa, cujus Nazareth oppidum erat, locus erat doctorum & piorum virorum inferax. *Ioh.* 7, 41. Scrutare & evolve omnia antiquitatis monumenta, & Prophetam ex Galilæa non esse exortum comperies. Fuerunt præterea Galilæi prophanis Gentibus vicini; unde Galilæa Gentium dicitur, eoque ipso forte Gentium corruptis moribus & corruptelis imbuti; quod eos Iudæis magis adhuc invisos reddidit. Sic igitur Nathanaël excipere adversus Philippum videtur: nemo eximius vir, nedum Messias ex Galilæa, nedum ex Nazareth exoritur. In quo illud non est illaudatum, quod in rem ipsam inquirit, neque credulus rebus non exploratis fidem habet: quod Salomonis proverbio commendatur. Sed quod ex hominum opinione aut consuetudine, non autem ex Scriptura examen instituit, id demum vituperio datur. Non enim si ante Deus ex Galilæa nullum ad præclarum munus adhibuerit, idcirco eum hoc non facturum consequitur; qui ex cultissima terra desertum, & ex deserto iterum irrigua loca facit. Neque si Christum in Bethlemo natum esse oportuit, propterea sequitur, eum ex Galilæa ad ministerium vocari non posse. Quamobrem hic Nathanaël gravissime in propriam salutem impegit, neque ad Philippi doctoris sui verba satis attendit: qui Messiam ex lege & Prophetis investigandum indicàrat. Dum enim cogitationem suam, in hominum opinione & consuetudine defixam habuit, quo minus à Christo divortium faceret, per eum non stetit. Vt discamus animos nostros a sensibus & consuetudine abductos, ad Verbi examen referre; à quo, qui vel tantillum deflectit, in errorem eum incidere necesse est, tametsi universæ Ecclesiæ judicium sequatur, & omnium toto terrarum orbe hominum placitis steterit.

hoc incuriam Nathanaëlis arguit:

Philippus injectum scrupulum, tametsi modo minus difficilem, eximere non potuit; quod Nathanaëli periculum creare potuit, & studium adeundi Christum impedire. Cum enim ipse vix ad Christum dux, causam Christi tam male sustinere potuit, verendum erat, ne Nathanaëlem hoc a Christo absterruisset. Impegerat ante dum Christum Iosephi filium vocat; nunc iterum ignorantiam suam prodit. Nec tamen iccirco hic labor ejus inutilis aut ignobilis fuit, sed cum fructu laudem simul consequitur; tam est Deo grata & jucunda opera eorum, qui aliorum salutem procurant, ut tametsi multis nævis deformata sit, tamen non idcirco rejiciatur. Hoc igitur animum piis addat, ea in medium afferre, quæ ad aliorum ædificationem referuntur. Tametsi enim tenue admodum sit & exile, tamen studio & amore veritatis propagandæ susceptus labor, vanus & irritus non est futurus. Sicut enim studio rei alicujus agendæ inflammatus, libenter omnes occasiones arripit, quibus illud provehat; sic Deus,

cujus scrupulum ei Philippus eximere nequit;

Deus, humanæ salutis sitientissimus, nullas sibi oblatas eam promovendi occasiones prçterfluere sinit. Exemplum est in Davide reducendi exulis filii cupido, qui aliquem apud se pro eo sequestrem dari discupiit. Tametsi hic judicium adhiberi oportet, ut cum illis communicemus, qui nostri ordinis sunt, & qui rerum scientia non nimium nobis antecellunt; denique in quibus veritatis aliquod studium & amor elucet. Si enim Philippus in homines incidisset, ex schola limatos, eosdemque veritatis parum amantes; veritatem potius ludibrio exposuisset, quam ad ejus agnitionem adduxisset: quod quidem à Philippo observatum esse dubium non est. Sicut etiam à latrone altero in cruce pendente factum legimus; qui non in Pharisæos perbacchantes, sed in æqualem suum invectus est. Simul etiam notandum est, neminem idcirco à veritate alienum esse debere, quod ejus alumni nonnulli sint, qui eam, pro dignitate tueri nequeunt. Bonam enim sæpe causam habent, qui in bello inferiores sunt, & rei militaris peritia.

ideo ad Christum eum remittit: Philippus se ad nodum expediendum non satis idoneum animadvertens, eum ut Christum adeat, & rem an ita sit experiatur, commonefacit: tanquam diceret; equidem hanc difficultatem ipse extricare nequeo, sed eum modo adeas, non dubito quin talem experieris, qualem eum apud te prædicavi. Quod nos docet, ut nostram paupertatem & tenuitatem confessi, homines, quos in veritatis doctrina erudiendos suscepimus, ad eos, qui hoc melius præstare possunt, deducamus; nec illis scientiam mysteriorum, quam ipsi non habemus, invideamus, aut commune officium illis recusemus; quod viatoribus ab omnibus non penitus inhumanis præstatur, ut quam ipsi viam commonstrare nequimus, alteri, ut hoc faciat, commendemus: & parentum in eo pietatem imitemur, qui quod liberos ipsi docere nesciunt, præceptoribus informandos tradunt: illud vero tenendum, ut ad Christum eos mittamus. Quamvis autem Christus non sit, ut olim, in terris: tamen in Ecclesia cum singularem quandam præsentiam pollicitus sit; verendum non est, quin nihilo nos secius, de salutari justitia sua nos erudiet, quam si in terris conversaretur.

Vers. 48. *in cujus alloquio ejus omniscientia apparet;* Hactenus de vocatione discipulorum; nunc sequitur eorundem in fide confirmatio. Christus venientem Nathanaëlem conspicatus, & eum cum magna difficultate intus luctantem cernens, hunc illi scrupulum eximere properat: hoc enim dicto declaravit, se, quod Dei solius est, cordis scrutatorem esse. Cum enim homines quotidiana & assidua cum aliis conversatione, nequaquam usque eo perveniunt, ut de eorum integritate certi aliquid constituant: Christum, qui primo aspectu nulla cum illo consuetudine, hoc de eo pronunciare potuit, homine majus quiddam esse necesse erat. Elogium autem, quod ei tribuisse videtur, ex *Genes.* 25. desumptum; ubi quo magis Dei admirabilis providentia eluceret in Iacobi fraude, qua fratrem suum decipiebat, prius præfatur Spiritus Sanctus; Iacobum fuisse virum integrum & incorruptum, nec fraudibus assuetum, ut illam fraudem admirabili Dei consilio gubernatam fuisse constaret. Cum autem Iacob Israël pariter vocaretur, affirmat Nathanaëlem, vere, non fucate; neque tantum secundum carnem, ut plerisque, Israëlitam fuisse. *Non enim qui foris Iudæus &c.* In quo satis declaravit, se eum esse, quem Baptista fore prædixerat, id est, eum esse Ecclesiæ Dominum, & aream ad eum spectare, ut cui ventilabrum in manu esset, quo paleas à tritico facile secernat. Danda igitur opera est, ut hypocrisin procul à nobis propellamus, cum eam qua aliis, tum qua nobis ipsis imponimus; & ne obsequium fronte præferentes, intus & mente proditionem in Christum circumferamus. Illud autem vehementer nos movere debet, quod Christum regem cordium nostrorum inspectorem habemus. Quem enim non moveret, ut animum erga regem suum fidelem servaret, si suas proditorias & inofficiosas cogitationes & consilia regi nota esse pernosceret? Quam vero singularem & eximiam in universum vitæ suæ curriculum, consolationem Nathanaëli attulisse putabimus, istud de ejus probitate testimonium! Quoties enim hujus de se judicii memoria ei subivit, toties suavissima delectatione animum ejus completum esse dubii nihil est. *inde hypocrisis abjicienda.*

Sed hæc, *inquiet aliquis*, Nathanaëlis propria quædam fœlicitas, ad nos consolandos nihil habere videtur momenti? *Nathan. hæc laus ad nos etiam spectat;*

Respondeo, Christum tametsi in terris non sit, ut ejus colloquio & testimonio utamur; tamen piis omnibus, per bonorum operum studium currentibus, spiritu suo idem testimonium, nec minus, aut certum, aut consolationis plenum, dicere. Ad eum igitur

modum,

modum, quo Nathanaël vitam instituentes, eandem procul dubio Christi vocem in nobis, per Spiritum & Verbum loquentem experiemur.

Vers. 49. *qui adhuc de Christi omniscientia dubitat.* Nathanaël Christum exaudiens, qui in eum finem sic locutus erat, ut Nathanaëli quærendi materiam suppeditaret, quærens unde hoc Christus de eo novit, adhuc de Christi omniscientia fluctuare se declarat: poterat enim animum ejus subire, Christum ex aliorum sermone hoc dixisse, aut ex vultu, in quo significatio aliqua virtutis est dignoscere. Quamobrem fici indicio, Philippo tantum & Nathanaëli noto, eum de sua omniscientia certum reddit; indicat enim se, & à quo, & ubi vocatus sit probe tenere, eoque sermonem, quem cum Philippo habebat: quibus duobus exemplis se omnium nostrarum actionum, cum animi, tum corporis, cognitorem esse declaravit. Oculus autem, quo Christus hæc vidit, idem est, qui tum fuit. Quod si omnes reputarent, Christum illos sub pomo aut pyro videre, aut in taberna, aut in globorum circulis, cum concioni adesse debent, hanc in illis sacrorum incuriam, credo, cohiberet.

Vers. 50. *Nathanaël informatus Messiam ingenue confitetur;* Istis Nathanaël confirmatus in fide, claram ejusdem confessionem edit, utramque in eo naturam, & divinam, & humanam, una cum adjuncto Messiæ officio agnoscens, cum in docendo, tum gubernando populum. Nam cum Regem Israëlis appellat, solennem illam promissionem respicit, qua ex semine Davidis excitandus prædicitur, qui disjectos, divulsos, & dissipatos Israëlitas, in unum colligere debebat. Cujus fides tanto liquidior & clarior exstitit, quod in externo habitu nihil videret, quod vel Filii Dei præstantiæ, vel regiæ dignitatis index & nuncius esset; potius vero omnia huic confessioni adversa, si humanam rationem in consilium adhibuisset.

Hoc autem loco notandum est viri integri ingenium; qui, ut quod nescit, se nescire profiteri non erubescit; ita veritatis semel cognitæ eum non pudet, sed illam, cum superioris inscitiæ suæ confessione, amplectitur. Et quanquam difficultas, quam ipse sibi movebat, nondum expedita esse videtur; tamen tam indubitatis argumentis erroris sui convictus, veritati cedit.

Vers. 51. *quare Christus majora promittit,* Christi autem ad eum responso discimus, eos, qui præsentibus Dei beneficiis bene utuntur & proficiunt, continuis accessionibus donorum à Deo augeri: habenti enim dabitur, ut satis superque habeat: modo enim in primis rudimentis, tanquam in lacte proficiamus, Deus nobis solidiorem cibum, tanquam indulgens, ad altiorem classem indies promovebit, donec in summo cœli sacrario collocarit.

Vers. 52. *eaque in gloriæ suæ splendore.* Ne Christi in speciem abjecta & ignobili conditione offenderentur, spem illis facit, admirabilem gloriæ suæ splendorem contemplandi, & adversus ingruentem crucem illos communit. Et cum Nathanaëlem, & in eo pios omnes, vere Israëlitas fuisse dixerat, subjungit, idem illis eventurum quod Israëli olim in Syriam proficiscenti accidit, ut visuri essent cœlos apertos, &c. In ipso enim vere jam compleri, quod visione illa adumbratum est, per eum, tanquam per scalam, angelos ad nos descendere ac ascendere, nos deducere & reducere, ne tam difficilem vitæ rationem sequentes, animos despondeamus. Hoc modo si accipiatur, ut visionis illius Analogia postulare videtur, hanc cœli apertionem, continuam & diurnam, & mentis tantum oculo perspici in promptu est; non autem illustri aliquo miraculo declaratam, aut visibili cœlorum diffissione repræsentatam. Hoc docemur, nostrum ex malis metum hac meditatione consolari, ut si minus hujus mundi sodalitio stipemur, aut illud nobis propter Christum adversum sentiamus, statim succurrat nobis hæc meditatio.

Qualis Nathanaël fuerit? An Nathanaël fuerit ex duodecim Discipulis, idemque qui Bartholomæus, quia non multum interest, in medio relinquo. Ad illas autem rationes quas *Iansenius* hoc loco citat, accedit altera ex *Luc. 6, v. 14, ad 16.* ubi septem illi, quorum vocatio expresse indicatur, priores inter duodecim Discipulos recensentur, inter quos est Bartholomæus.

IOH. *cap. 2. à vers. 1. ad 12.*

D*Ie autem tertio nuptiæ factæ sunt in Cana* oppido *Galilææ: eratque mater IESV illic.*

2 Vocatus est autem etiam IESVS ac discipuli ejus ad nuptias illas.

3 Et quum defecisset vinum, mater IESV dixit ei, Vinum non habent.

4 Dicit

4 *Dicit ei IESVS, Quid mihi tecum* rei est,*mulier?nondum venit hora illa mea.*

5 *Dicit ejus mater ministris, Quodcunque dixerit vobis facite.*

6 *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas.*

7 *Dicit eis IESVS, Implete has hydrias aqua. Impleverunt eas igitur usque ad summum.*

8 *Tunc dicit eis, Haurite nunc, & offerte architriclino. Obtulerunt igitur.*

9 *Vt autem gustavit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum, (nesciebat autem unde esset: sed ministri sciebant qui hauserant aquam) vocat sponsum architriclinus,*

10 *Et dicit ei, Omnes primo loco bonum vinum apponunt, & postquam* convivæ *affatim biberunt, tunc id quod minus bonum est: tu* vero *servasti bonum vinum usque adhuc.*

11 *Hoc initium signorum fecit IESVS in Cana* oppido *Galilææ, & manifestam fecit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.*

ANALYSIS.

DEscribuntur nuptiæ, 1. ab adjuncto temporis, tertio scilicet die post reditum Christi à deserto; deinde à subjecto loco Cana; quod oppidum alio subjecto distinguitur Galilæa, in tribu *Aser*, ut discernatur à Cana in tribu *Ephraim*, 3. ab adjunctis convivis matre Iesu, Iesu ipso cum Discipulis.

*Vers.*3. 4. Ab adjuncto miraculo quod Christus in nuptiis edebat; cujus occasio describitur ab adjuncto defectu vini, deinde à causa minus principali, matris Christi ad Christum pro vini suppeditatione petitio.

*Vers.*4. Subnectitur Christi responsum ex parte negativum, quod arguitur, 1. à disparatis; deinde ab adjuncto momento temporis.

*Vers.*5. Cujus responsi effectum subnectitur, matris Christi mandatum ministris, quod expresse ponitur, ut quod Christus jusserit facerent.

*Vers.*6. Post sequitur materia miraculi aqua; cujus subjectum notantur hydriæ; quæ item describuntur sua materia, lapidea, adjuncto numero & magnitudine; denique fine, quod positæ essent juxta ritum purificationis Iudæorum.

*Vers.*7. Postea principali miraculi causa Iesu, item instrumentali causa ministris convivii, qui jussi replebant hydrias aqua.

*Vers.*8. Altera instrumentali causa verbo suo, dum illos haurire jubet; cujus mandati finis est, ut ferrent vinum architriclino; cujus mandati effectum est, obsequium ministrorum.

*Vers.*9. Miraculum hoc amplificatur ab adjuncta laudatione generositatis vini; quod etiam adhuc illustratur magis à subjecto architriclini, qui illud testimonio suo commendavit; quod etiam testimonium amplificatur, ab adjuncta ignoratione autoris vini.

*Vers.*10. Exornatur porro à dissimilitudine; quod cum alii hospites vinum meracium in prima mensa apponunt, in secunda autem quod tenuius est, sponsus contra fecisset.

*Vers.*11. Miraculum describitur porro ab adjuncto ordine, quod scilicet fuit primum miraculum quod edidit Iesus; deinde à duobus effectis, prior manifestatio gloriæ suæ; posterior ex priore natus, confirmatio fidei discipulorum ejus.

METAPHRASIS.

TErtio die post reditum Christi ex deserto, 1.
celebrantur nuptiæ in Cana oppido Galilææ, in tribu Aser; *quarum ad convivium,* 2.
convivæ adhibitæ sunt mater Iesu, & Iesus
ipse cum discipulis suis: Cum autem (ut fit) 3.
vinum deficeret, mater Iesu solicita, ne nota
infamiæ ex vini desiderio sponso inureretur,
Christum sic fere affatur: Fili, vinum non habent,
quod tu uno tantum verbulo illis suppe-
dites; Cui Iesus, quid mihi tecum est nego- 4.
tii, fœmina potius quam mater, ut quæ tibi
in meum Ministerium (quod Patri modo dicatum
est) autoritatem arrogas? Atque ut
petitioni tuæ annuerem, mihi tamen à Patre
constituta sunt vel ipsa temporum momenta,
quibus quidque faciendum est. Momentum
autem, quo hoc miraculum à Patris præstitu-
to edendum est, nondum venit. Mater, tam- 5.
etsi acerbius castigata, acquiescit tamen, &
ministros hortatur, ut quicquid illi præceperit
(quantumcunque & alienum videatur) fa-
ciant. Erant autem ibi de more Iudæorum 6.
hydriæ sex lapideæ hoc consilio positæ, ut fre-
quentibus lotionibus inservirent, complecten-
tes duos circiter aut tres metretas, quæ am-
plius quam 200 congiorum capaces erant.
Quamobrem ministris edicit, ut hydrias im- 7.
plerent, qui illas obsequenter ad summum us-
que impleverunt; post edicit illis, haurite
nunc & ferte præfecto convivii, cui curæ erat 8.
ne quid libidinose aut petulanter, indignum

honesto convivio, diceretur aut fieret: ministri
9. *mandato congruenter, vinum tulerunt. Vt*
autem convivii præfectus gustasset aquam in
vinum conversam (nec enim unde esset nove-
rat, ne suspicio esset eum in Christi gratiam
quicquam fecisse) sponsum ad se vocat, eique
10. *dicit. Omnes fere prima mensa vinum gene-*
rosius apponunt, secunda vero, postquam affa-
tim biberunt, quod tenuius est, veluti vap-
pam; tu autem generosius vinum huc usque,
11. *ad finem scilicet convivii, reservasti.* ***Et hoc***
quidem initium fuit miraculorum, quod edi-
dit Iesus in Cana oppido Galilææ: cujus qui-
dem fructus & effectus erat, quod suam glo-
riam se Deum comprobando manifestavit; *un-*
de etiam, qui prius ab eo aggregati discipuli
fuerant, in fide confirmati sunt.

Summa est, miraculi, in nuptiis de aqua in vinum conversa editi, fructum fuisse divinæ gloriæ manifestationem, & fidei discipulorum confirmationem.

Partes sunt { *Miraculum in nuptiis aquæ in vinum conversæ,* / *Ejusdē miraculi effectus & fructus.* }

P R A X I S.

CHristus primum miraculum edens in Cana Galilææ, gloriam suam patefaciens, suos in se jam ante credentes, in fide confirmatiores reddit.

Cujus *partes* sunt { miraculum, & miraculi fructus. }

Vers. 1, 2. Ex primo hoc Christi miraculo nuptiæ cō-mendantur;

Christus ad nuptias invitatus veniens, non tantum sua præsentia, &, ut apparet, consulto & declinato itinere; sed etiam primo miraculo nuptias honestans, declarat satis quam honorifice de matrimonio senserit; ut intolerabilis sit *Pontificiorum* audacia, qui ex hoc ipso loco, matrimonio insidias struunt, ex quo longe omnibus commendatissimum existit. Nam ridicule comminiscuntur, Iohannem Euangelistam uxori hic vinctum, à Christo, priusquam cum ea consuetudinem haberet, ad ministerium vocatum esse. Ne dubitemus igitur, illum tametsi corpore à nobis remotum, honestis nuptiis, à quibuscumque justis de causis institutis, interesse. Quod nos admoneat, ut caste matrimonio utamur & sancte, cum illud primum ineundo, tum initum sancte colendo. Tametsi enim, *Prov.* 5, 18, 19. magna libertas in usu propriæ uxoris conceditur; tamen 1 *Tim.* 4, 5. & sobrietas, voce μετα-λήψεως præcipitur, sanctitas mandatur, coque jubetur, ut verbo & precibus sanctificetur. Nec vero desunt nobis rationes, quibus Christum, non tantum discipulos, ad convivium adhibeamus: scilicet, si non tantum divites amicos & vicinos, sed pauperes etiam adhibuerimus. Erat igitur κάνων, vel erant potius κάνονες, quorundam Concil. ἄκυροι, qui clerum (quem vocant) nuptiis interdicebant. Quod autem Discipuli Christi ad convivium cum Christo adhibiti sunt, indicat, quanta fuit Christi in communi convictu humanitas, verumque esse filium hominis venisse edentem &c.

Vers. 3. quidnam ad hoc ipsū Christum impulerit?

Occasio notatur editi miraculi, vini ad convivium explendum defectus; quod quidem nulla aut hospitis seu inopia, seu incuria, sed singulari Dei providentia factum esse existimandum, ut declarandæ gloriæ Dei locus esset, & Christum (tametsi, ut cæteri convivæ sponsis gratulaturus, aut gaudium & existimationem eorum promoturus, venisse videri poterat) hunc præcipue finem proposuisse; ut Patris voluntatem, gloria sua propaganda expleret: quo nos exemplo docet, Deum suas divitias proferendi, explicandique ex nostro defectu ansam arripere; & exemplo est, vel lætissimis temporibus nostris, & ad animi remissionem destinatis, non esse prætereundas Dei gloriæ augendæ, si quæ forte occurrunt, occasiones.

quare cum decoro convivia celebranda.

Quod quidem, sicut in hoc convivio Christo fuit, pro bellariis & tragematis; sic ut nobis singulari oblectationi sit elaborandum est. Quod ab his parum bene servatur, qui aut se vino & cibis supra modum infarciunt, aut levibus & libidinosis saltationibus convivia claudunt; & quos, non secus lætari se posse, profiteri nō pudet, quam si omnem de Deo, de Christo, de Euangelio, de vita æterna sermonem a conviviis exigant: ut cœli mentio illis, pro certis quibusdam inferis sit; Euangelium illis, ut tristissimus nuncius: ad Christi suavissimum nomen, non secus quam ad tyranni aut carnificis mentionem cohorrescant. Denique de vita æterna nihilo pœne cupidius audiunt, quam si in exilium aut ad mortem abire jubeantur. Atque hæc depravata hominum natura, convivia nobis periculosa reddit; ut sapiens non sine causa dixerit, præstabiliorem esse ad domum luctus, quam ad domum convivii profectionem: potiorem esse mœrorem risu, quod tristitia vultus animum ad sanctitatem revocat, *Ecclef.* 7, 4. Quare meminerimus, quod Moses *Deut.* 8, 10, *ad* 14.

Quænam fuerint causæ cur matrem reprehenderit Christus;

In Mariæ ad Christum verbis nihil prima specie apparet, quod non sit tam sancta virgine & Christi matre dignissimum. Cura enim, ne convivis quid ad justum convivium deesset, ne sponso ex vini inopia nota infamiæ inureretur, de ea re ad Christum referre, quem sciebat huic inopiæ facile succurrere posse, quid habuit non summe officiosum? Sed cum audimus illam à Christo asperius acceptam fuisse, subesse aliquid, in quo officium deseruit, necesse est. Alterutrum enim verū esse necesse sit, ut aut virgo temere petendo peccarit, aut Christus sine causa illam castigando, aberraverit; quorum cū hoc impium & blasphemum sit, alterum fateri necesse est: atque ut peccasse eam extra controversiam esse debet, ita in quo potissime lapsa sit, non perinde constare videtur. Voluisse virginem suam hîc in Christum authoritatem apud convivas ostentare, quibusdam non fine causa verisimile videtur; quo magis horrenda est *Pontificiorum* blasphemia, qui virginem dum orant, ut Filium jubeat, etiam jam glorificatum. In vitio etiam est, quod Christum admonendo vinum exhaustum fuisse, videri assidentibus potuit, Christum alioquin nescium, de hac re certiorem fecisse: quod cū Christi gloriam magnopere obscuraret, hanc Deo injuriam fieri, ferendam esse non duxit: deinde quod illud extemplo fieri postulavit, peccasse ex Servatoris responso revincitur; qui respondet, *tempus suum nondum venisse*. Verisimile enim est virginem sollicitam fuisse, ne hæc vini inopia cum Sponsi contumelia à convivis persentisceretur. Christo autem secus visum est; ut vini defectus & desiderium ob eam rem cognosceretur, ut Dei liberalitas & miraculum magis illustraretur. Hinc constat, tempora & temporum momenta, Christo permittenda esse, quæ ille saluti nostræ oportunissima esse novit: si igitur dixisset Christo perspectam esse inopiam, & illum probe nosse, non è gloria Dei esse vinum suppeditare, & quando hoc fieri oportunissimum esset, nihil, in quo Dei gloriam læsisset, dixisse videri potuit.

Vers. 4. *idque tam acriter?*

Sed cum hoc per imprudentiam à virgine admissum sit: videtur reprehensio Christi acerbior esse, quam delicti ratio pateretur: potuit enim modeste detrectare, saltem potuit honorifica matris appellatione reprehensionis acerbitatem demitigare: verum enimvero, cum tam interesset gloriæ divinæ, ut potius matris suæ se Dominum declararet, quam filium, & imperium in eam habere, quam ei obsequium præstare: nemo mirari debet, si eam paulo durius exceperit, ut suum, quoad divinitatem, imperium in matrem assereret. In quo nobis exemplo suo illuxit, quales in parentes, principes, heros &c. iniqua & illegitima imperantes existamus. Tametsi enim, quod ad loquendi formam attinet, hoc Christo peculiare fuit, ut parentis honorifica appellatione prætermissa, *mulierem*, sine ulla honoris præfatione, eam vocaverit, quod natura divina ejus filius non esset: tamen imperium eorum defugiendo, nobis cum Christo in istiusmodi causis probe convenire debet. Huc accedit quod Christus fore perspiciens, homines superstitiosos matri suæ nimium largituros, hoc illi recusavit, quod plerisque post largiter concessit.

Quod manum aut digitum ori admovet, & reprehensa acquiescit, & porro ministros hortatur, ut ejus dicto audientes sint, singularis modestiæ est, & animi Dei castigationem æque & patienter ferentis. Maxime vero si cogitemus, illam coram cœtu reprehensam acrius à Christo, punctam & perstrictam esse: vidit enim virgo plus satis ab illa peccatum esse, nisi imprudentiam pervicacia augere vellet. Quod nos docere debet, quo animo publicæ reprehensiones, tametsi perquam injucundæ, accipiendæ sunt. vide *Gal.* 2, 11, 14. Nostrorum autem temporum homines, ea honoris & existimationis suæ zelotypia ducuntur, ut se palam vel appellari, ægerrime ferant; scilicet quod illis propria gloria Dei gloria, quæ in libera & ingenua peccati confessione consistit, prior & antiquior sit; ut, qui Dei gloriam graviter feriunt, non magis eos afficiant, quam si acicula unguem scalpant; qui vero illorum honorem, vel voce lædant, pupillam oculi tetigisse videantur. Notetur etiam Christum non nimium eos plerumque amare, quos asperrime castigat.

Vers. 5. *cui reprehensioni plane acquiescit.*

Christus autem ut admirabilem potentiam, sic singularem etiam prudentiam adhibuit, qua miraculum præclarum fidei fructum reportaret. 1. Non enim discipulos suos adhibuit, sed ministros convivii, ne fraudem quis suspicetur. 2. Deinde noluit vasa vinaria, sed aquæ continendæ assueta seligere, ne quid vini suffuisse suspicarentur; quod saltem saporem aliquem vini parere potuisset. 3. Numerus congiorum & amplitudo, ad veritatem miraculi confert: nam si angustiora

Vers. 6, &c. *Circumstantiæ adhibitæ in hoc miraculo;*

gustiora vascula, & pauca fuissent, videri potuerat vinum in illis allatum aliunde advectum. Amplitudo vasorum præterea colligitur, quod ex illis non effundi, sed exhauriri jussit. Iubet impleri aqua, ne perstrictis eorum oculis, vinum occulte infudisse videri poterat. 4. Non prægustat vinum, ut peritissimi artifices solent periculum eorum facere, quæ exquisita arte elaborarunt; sed certus optimi exitus, nondum prælibato vino, illud mensæ apponi jubet. Denique architriclino, homini (ut videtur) acerrimi gustus, deferri jubet, ejus de vini generositate judicium non reformidans; quem etiam de industria, cœlatum est, unde vinum illud prodiret, ne ad Christi gratiam, vini laudes tantopere prædicasse videri potuit.

ex quibus ejus potentia elucet, Potentia vero primo in eo se ostendit, quod ministros tam obsequentes habuit, cum hoc hominum genus nimis procax esse soleat; maxime autem, quod aquam attulerint, cujus satis superque erat, & quod non sunt veriti vinum mensæ apponere, nondum prætentatum. Deinde, quod naturam unam in alteram convertit, quod Dei solius est. In quo Dei transsubstantiationem veram, à Pontificia fucata facile discernas. Nam Christus, ut substantias, ita etiam formas & proprietates mutaverat: nam ut vini substantia erat, ita erat & color, odor, sapor, & pondus; quod in *Papistarum* commento longe secus est.

& ejus vera divinitas. Tertio, quod sola voluntate hoc facit, sine ulla divini numinis imploratione, quod Prophetis olim & Apostolis negatum est. Hanc igitur gloriam, qui viderunt, viderunt gloriam, quæ est unigeniti à Patre. Quo accedit, quod momento illud factum sit, ut non citius dictum quam factum sit. Si enim divinum est ex aqua in vitem delapsa, solis æstu concocta, uvam, unde vinum exprimitur, creare: quanto magis &c.

Cur potius tali miraculo doctrinam Christus obsignaverit? Hic vero considerandum venit genus miraculorum, quo Christus doctrinam Euangelii obsignavit: poterat enim, si ex meritis Iudæorum agere voluisset, severissimis ultionibus se Dei Filium comprobare, eoque aquam non in vinum, sed in sanguinem permutare, sanos in morbum conjicere, sensibus præditos his privare, vivos & vegetos morte opprimere poterat, ostenta in cœlo & in terra, quæ potentiæ suæ nudi testes essent, proferre; nec hominum vitæ aut adjumentum aut nocumentum afferrent, cujusmodi erat baculi in serpentem, & serpentis in baculum conversio. Verum ut Christum Servatorem prodiisse & illuxisse intelligeremus, & ex præsentium malorum depulsione, bonorumque collatione, futuræ fœlicitatis principem & procuratorem, id genus miraculi delegit, quod hominum societati juvandæ aptum & accommodatum; quod etiam *Matth.* 8, 2, *ad* 17. notatur: ubi ex morborum sanatione, peccatorum expiatorem esse colligitur. Si enim unius fici maledictionem exceperis, ex tam infinito miraculorum, quæ edidit, numero, nullum invenietur, quod ad hominum in hac vita commoda non referatur. Quanquam vero major & deploratior erat hujus ætatis, quam qua Elias vixit, impietas, & in Christum magis, quam unquam ante in Eliam, inflammatiores; tamen Christum nunquam suppliciis exquisitioribus in eos egisse comperimus. Quamobrem *Pontificiorum* miracula in imaginis sudoribus, capitum demissione, oculorum volutatione &c. collocata, præterquam quod ementita erant, Euangelio digna sigilla non inveniuntur.

Sicut autem morborum fugatione se vitæ nostræ patronum, panis & piscis suppeditatione in hac vita nutritium; ita vini ad delicias & honestam oblectationem administratione, ad necessarium vitæ cultum, quædam etiam voluptatem facientia, ab eo suis quoties opus est præberi docetur. vide *Psal.* 104, 14, 15.

Quo magis detestanda eorum hominum projecta impudentia, qui Christum ex hoc loco ebrietatis & luxus in vino, ministrum & præbitorem fingunt; & ad eam rem verbi usu medii vitiosam interpretationem præripiunt: vide *Basilium* in oratione περὶ μέθης. Sed dulcia Christus suis sub finem suppeditat, gustatis prius amaris; cum tamen mundanis primo prospera, post autem tristia suggerat. ἀρχιτρίκλινος hic videtur idem, qui Gr. dicitur συμποσίαρχος, & apud Plautum Dictator. *in quo nihil pro ebrietate.*

Christi gloria hoc miraculo declarata, quis tanti miraculi fructus fuit expendere superest.

In miraculo hoc, sicut in cæteris omnibus quæ à Christo edita sunt, hic præcipuus finis est, ut agnita ejus majestate, credamus Iesum Christum esse Dei Filium, & credentes servemur, aut non credentes gravius damnemur. *Ioh.* 15, 24. Sic *Ioh.* 5, 36. *opera, quæ ego facio, testantur de me.* Quot enim sunt miracula, tot sunt divinitatis testimonia, & officii Mediatoris quod in Ecclesia exercet. *Vers.* 11. *Quare hoc miraculum Christus fecerit?*

exercet. In illis enim gloria apparet, quæ Dei tantum Filio competit, ut qui non precibus, aut emendicata aliunde potentia, ea ediderit; sed congenita sibi & propria potentia. Si illud unum de Lazari excitatione excipias, ubi se Patris servum testari voluit, ne miraculi magnitudine humanæ naturæ infirmitas absorberetur, quam agnosci non minus interest, quam divinitatem. Alius finis est, ut Euangelio authoritatem & reverentiam omnibus ingeneraret. Quamobrem doctrinæ Euangelii, veluti sigilla sunt, quorum impressio & effigies tam est hodie districta, & omnibus suis partibus expressa, & recens, ac tum cum primum edita est.

cujus debemus perpetuo recordari:

Sicut enim tempus veritati & legi non detrahit quicquam, nec illi vel minimum pondus & authoritatem adimit; sic neque miraculis, quibus illa veritatis doctrina obsignatur. Et sicut cœli opificium, perpetuo ad mundi finem, de Dei admirabili potentia & providentia loquitur; sic miraculorum horum, tanta vi editorum, tam sonora vox & potens est, ut (nisi à surdis) ad mundi finem usque exaudiri possit. Nec enim in cera impressa sunt, quæ rumpitur aut deformatur, sed ferreo stilo in rupe plumbo litterarum sulcis infuso.

ex quibus Pontif. miracula non flagitanda.

Quamobrem *Pontificiis*, miracula quibus doctrina nostra confirmatur, flagitantibus, *Respondeo*, nos nullam novam doctrinam afferre, sed illam, quæ infinitis miraculis dudum obsignata, alia quibus ejus firmitas nitatur, non desiderat. *Papistæ* vero suspectam suam doctrinam esse scientes, ei fidem novis miraculis conciliare videntur. Fructus vero, discipulorum Christi confirmatione circumscribitur. Id enim notatur, cum credidisse ejus discipulos diserte exprimitur: quod perinde est, ac si ne unum additum esse subindicaret, sed veteres tantum discipulos: omnes incredibilem hic Christi pietatem, sapientiam, potentiam spectarant; ullum fuisse, qui ex effusa Christi largitione non gustasset, parum credibile est, omnes procul dubio attoniti obstupuerunt, qui tamen animum adverterit ad hujus rei diligentem perscrutationem, præter discipulos, non est inventus. Deinde quin qui præclare & divinitus hoc factum esse confiterentur, existerent, extra controversiam est; sed tamen hoc eorum ipsorum judicio fecerunt, qui quod verbis incertum extollunt, illos sine fructu præterire sinunt: ministros igitur molestum habere non debet, si quem sperant, & quem eos referre par est, fructum non semper reportent, quandoquidem Filio Dei, rebus sapientissime & fortissime gestis, idem accidit: & quanquam quis miraculi exitus animo præcepisset, tamen quanquam oleum & operam perditurus esset, à tam insignis miraculi editione non abstinuit.

Fides autem Dei hîc relucet; quod primum miraculum, ut & primum Euangelii præconium, in Galilæa fuit. *Esa. c. 9, v. 1. & Matth. 4, 15.*

IOH. 2. *à vers. 12. ad finem Capit.*

12 *Postea descendit Capernaumum ipse & mater, & fratres & discipuli ejus: manseruntque illic non multos dies:*

13 *Nam prope erat Pascha Iudæorum. Ascendit igitur IESVS Hierosolymam.*

14 *Et invenit in templo venditores boum & ovium & columbarum, & numularios sedentes.*

15 *Factoque flagello è funiculis, omnes ejecit è templo, & oves & boves, & argentariorum numulos effudit, mensasque subvertit:*

16 *Et columbarum venditoribus dixit, Tollite hinc ista: ne facite domum Patris mei, domum mercatus.*

17 *Recordati sunt autem ejus discipuli, scriptum esse, Zelus domus tuæ exedit me.*

18 *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quod ista facis?*

19 *Respondit IESVS & dixit eis, Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud.*

20 *Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, & tu inter triduum illud excitabis?*

21 At ille loquebatur de templo corporis sui.

22 Postquam ergo suscitatus fuit ex mortuis, recordati sunt ejus discipuli quod hoc sibi dixisset, & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem IESVS dixerat.

23 Quum autem esset Hierosolymis in Pascha, in festo, multi crediderunt in nomen ejus, spectantes signa quæ edebat.

24 Ipse autem IESVS non credebat eis semetipsum, eo quod nosset omnes:

25 Nec opus esset ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

ANALYSIS.

Evangelista narrat quomodo templum à Christo repurgatum est; quod describitur ab adjuncto temporis, non ita multo post nuptias Canæ transactas; alterum adjunctum temporis est, cum à Cana ad Capernaum descendisset; ubi adjunctum ejus comitatus notatur, mater, consanguinei & discipuli, 3. adjuncto temporis, postquam paucos dies Capernai substitisset.

Vers. 13. Cujus brevis commorationis Capernai causa notatur, quod Pascha appropinquaret; hujus Paschatis appropinquationis effectus declaratur, Christi ascensus Hierosolymam.

Vers. 14. Cujus profectionis finis notatur templi repurgatio: primum quidem narratur effectus itineris Christi Hierosolyma, quod incidebat in venditores, qui describuntur subjecto circa quod, à distributione subjecta boum, ovium & columbarum: altero subjecto in quo, nempe templo, 2. effecto, quod incidit in numularios, qui describuntur ab adjuncta sessione.

Vers. 15. 3. Effectum, quod flagellum fecit; quod flagellum describitur à materia, nempe funiculis; cujus flagelli confecti finis notatur, ejectio ovium & boum è templo, 4. effecto, quod effudit numulos collybistarum; cujus effusionis causa notatur, subversio mensarum.

Vers. 16. Alterum effectum sermo, scilicet ad eos qui columbas vendebant; cujus sermonis species subjicitur, *tollite ista hinc*; quorum effectuum causa subnectitur, quod domum Patris sui emporium & mercatum effecissent.

Vers. 17. Effectus hujus repurgationis notatur, quod discipuli recordati sint Scripturæ; cujus species subnectitur, *Zelus domus tuæ devoravit me.*

Vers. 18. Alter & plane contrarius effectus incredulis Iudæis, cum Christo disceptatio; cujus species subnectitur, *quod signum monstras nobis quod ista facis?*

Vers. 19. Christi responsum subnectitur, quo suam hoc faciendi autoritatem asserit, ab effecto excitandi templum, quod Iudæi destructuri essent; cujus excitationis magnitudo ab adjuncto tempore illustratur, spatio trium dierum.

Vers. 20, & 21. Sequitur Prolepsis, cujus occupatio est à disparatis, alienum videri, ut tribus diebus templum excitaret, quod non nisi quadraginta annorum spatio exstructum est; subjectum est à distinctione à diversis, Christum de templo corporis sui loquutum.

Vers. 22. Hujus dicti Christi effectus in discipulis erat recordatio illius sententiæ, & ex recordatione alter effectus fidei quam adhibuerunt Scripturæ & Christi sermoni; qui declaratur ex adjuncto temporis, postquam resurrexerat ex mortuis.

Vers. 23. Christi profectionis ad festum Hierosolymis effectus notatur, fides in ipsum; quæ amplificatur adjuncta multitudine; causa indicatur, quod viderant signa quæ faciebat.

Vers. 24. Illam autem fidem non synceram fuisse, arguitur ab effecto Christi, qui se ipsorum fidei non commisit; cujus causa efficiens notatur, quod cognosceret omnes.

Vers. 25. Quæ Christi divina cognitio comprobatur forma cognitionis, scilicet quod ex se, sine cujusdam indicio, quid in homine esset cognovit.

METAPHRASIS.

Confectis nuptiis, vel nuptiarum potius 12.
convivio, Christus non Nazarethum ubi
vivente Iosepho *habitabat) sed cum matre,*
consanguineis, & discipulis suis Capernaum
descendit; ubi quod non multos dies substiterant in causa erat, quod Pascha Iudæorum
appeteret: Quamobrem Iesus ex legis præscri- 13.
pto, quæ omnem masculum ter singulis annis
se coram Deo sistere præcipit, Hierosolyma
ascendit; ubi templum ingressus, invenit in 14.
ejus atrio ubi populus Deum orabat, qui bo-
ves, oves & columbas venderent, præterea
numularios mensis suis assidentes. Vtcunque 15.
vero non deesset ad harum corruptelarum patrocinium pietatis species, scilicet ut cuique quod afferret in promptu esset; tamen cum præclare noverat hoc Sacerdotum insatiabili avaritia invectum esse, maxime vero quod templum ad alium quam ad quem constitutum est, finem, transtulissent, Zelo Dei accensus, & tantæ profanationis impatiens, propriis manibus (quod tamen in specie humile & abjectum erat) confecto ex funiculis flagello, omnes è templo exturbavit; præterea boves & oves ejecit, & collybistarum numulos subversis prius mensis effudit; cum his vero qui 16.
columbas vendebant (quod eorum angustus
erat quæstus) mitius egit, illos ad hunc modum
affatus; Summovete hæc istinc neque facite
domum Patris mei domum mercatus. *Hoc* 17.
cum

cum vidissent discipuli, ejus quod scriptum est meminerunt, Christum scilicet ita Zelo divinæ domus exarsisse, *ut eum ejusdem profanatio, & ad tam indignos usus traductio quodammodo expediret.*
18. *In Iudæis vero infidelibus fructus longe diversus subsequutus est, ut qui cum Christo litigarent, quærerentque, qua fretus autoritate hæc faceret, oportere enim*
19. *aliquod è cœlis signum edere, quo fidem sibi*
20. *ista faciendi astrueret: Quibus Christus;* solvite (*hoc enim vos facturos præscius sum*) templum hoc *ipsum*, & tribus diebus excitabo illud, *Ad quem Iudæi.* Quadraginta sex totis annis hoc templum extructum est, & tu tribus diebus illud destructum eriges?
21. *Iudæi autem in templi homonymia lapsi sunt, cum Christus non de templo Hierosolymitano, sed de templo corporis sui sermonem fecerit.*
22. *Discipuli vero tametsi quo hæc spectarent non jam tum intelligebant, tamen postquam à mortuis resurrexit Christus, & re completum erat, quod prius verbis prædictum est, recordati sunt ejus quod dixit, fidemque cum Scri-*
23. *ptura, tum sermoni Christi adhibuerunt. Interim autem cum Hierosolymis Paschatis festo Christus interesset, multi visis signis & miraculis quæ edebat, fidem Christi profitebantur;*
24. *ipse autem Iesus se ipsorum fidei non commisit, cum omnes qui essent probe norat, quod opus*
25. *non habebat, ut quis illi de homine testaretur, cum ipse quid in homine esset intus & in cute perceptum habebat.*

PRAXIS.

CHristus per Capernaum Hierosolyma proficiscens, & in celeberrimo Paschatis festo suam gloriam patefaciens, diverse excipitur.

Cujus *partes* sunt { Profectio ad Paschatis festum, & Acta in festo.

Vers. 12. Christus cum matre Capernaum commigravit, Quod Capernaum descendit cum matre, fratribus, & discipulis, quos omnes ibi substitisse constat, non autem Nazarethum; indicium est, Christum non amplius Nazarethi, ut olim habitasse, sed potius consuetum fuisse in Capernaum divertere. Vnde & *Matth.* 4, 13. ibi habitasse confirmatur; & *Matth.* 9, 1. Christi oppidum dicitur: *idque post obitum Iosephi.* Iosephus enim (ut verisimile est) jam mortuus erat, & quod nec nuptiis cum uxore interfuit, & quod Maria peractis nuptiis, Capernao substitit; quod minime factura videtur, si maritus adhuc superfuisset. Quo accedit, quod in tam frequenti matris deinceps mentione, nullum de Iosepho verbum reperitur, ne tum quidem, cum ejus opera potius, quam matris, adhibenda erat; quod clarius ex eo constat, quod Christus mundo excedens, cum non amplius ejus curam agere potuerat, amico Iohanni illam commendat. Ex quo confectum videtur, ut simul cum matre sua Christus alias sedes quærere coactus sit; vel hospitium potius, quam sedes. Cum vero ad Galilæos diverterit, quod ante patris & matris obsequio fecisse videri potuit, ut in Galilæa vitam duceret, id nunc judicio & certa quadam ratione fecisse deprehenditur; quod ei cum ad latendum aptum, tum ad claritatem suam declarandam accommodatum & peropportunum exstitit; dum ex obscuro loco oriens, omnes sui glorificandi causas in se positas & collocatas haberet.

Quod autem Paschati, ut & cæteris solemnitatibus, interfuit: id non ideo tantum fecit, quod lege se ibi, cum reliquo populo, sistere teneretur. *Exod.* 23, 14, *ad* 19. ut legi subjectus, nos qui sub lege eramus eriperet. *Galat.* 4, 4, 5. sed ut officium sibi à Patre demandatum ibi obiret; unde illius rei fama ad omnes quam facillime & citissime perferretur. Sicut enim piscatores & tempus observant, & locum notant, ad capturam opportunam; sic Christus, ad homines in Euangelii reti jaculo concludendum, tempus & locum non neglexit. *Vers. 13. Cur Paschati interesse voluerit?*

Acta in festo partim { Finite narrantur, & Infinite indicantur.

Finite narratur, cum perpurgato templo, indignissime multarum rerum mercatu defædato, sui facti percontantibus, defensionem adhibuisse. Venit, offendit non tam templum, quam mercatum, locum piorum conventui dicatum, in stabulum translatum, seu ovile, seu aviarium; locum tantopere à strepitu abhorrentem, ut nec cœli, nec securis olim inter ædificandum sonitus exaudiretur, strepitu & clamoribus completum; locum fidelium precibus devotum, avium pipitu, ovium balatu, & boum inconditissimo mugitu perstrepentem; locum denique fragrantissimis piorum precibus sepositum, bestiarum stercoribus & excrementis fœtidum & graveolentem. Quod cum horrendum esset unquam in templo fieri, tum istis solẽnitatibus ac sacris conventibus fieri, prodigiosum certe fuit. Nam Sabbathis hunc mercatum uspiam, multo magis Ierosolymis, maxime autem omnium in templo exerceri *Vers. 14. Templum turpiter defœdatum Christus purgat.*

ceri fas non fuisse, docetur *Ier.26,21,22,27.* & *Neh.13,15, ad 21.* Hæc cum magno suo mœrore intueretur, neque vel à religionis antistitibus, qui hujus confusionis patroni erant; nec à magistratu, utpote prophano & Dei contemptore, emendationem speraret; nec ab ipsis venditoribus suo lucro deditis hoc impetrari potuisse confideret, tam indigne Deo illudi, & misero populo imponi non ferens, ipse manum admovit, & à templi repurgatione reformationem auspicatus est. Quanquam non deerant speciosi colores.

ita & nos deformatam Ecclesiam: Nos etiam deformatæ Ecclesiæ condoleamus; repurgari quisque pro virili, ut vocatio nostra ferat, operam demus: saltem animos & corpora nostra, Spiritus Sancti templum, à vitiorum inquinatione vindicemus; nec patiamur aut porcorum fieri haram, aut immundarum avium caveam, & dæmonum latibulum.

Vers. 15. *ratio qua hoc effecit non despicabilis;* Rationem, quam iniit, si consideremus, illam in speciem despicabilem, & pœne ridiculam, adde etiam illegitimam, judicabimus. Quid enim abjectius est, quam ut Christus primum flagellum sibi aptaret, quod precio potius emi honorificentius fuisset; deinde, instar æditui, boves & oves templo exigeret, cum discipulis potius illud mandare debere videatur? præterea, quod collybistarum & nummulariorum mensas evertit, videtur hominis esse, qui temere & perturbate ferebatur, potius quam matura deliberatione, & certo consilio: denique videtur positos sibi ministerii cancellos prætergresse, ut qui civilis magistratus possessionem invasisse videri potuit.

sed in ea majestas reluxit. Verum quod ad rei abjectionem spectat & contemptum, quem hoc modo subire posse videbatur, intelligendum est, sub hac tam humili & abjecta agendi ratione, incomparabilem Christi majestatem reluxisse: & quidem liquidius se hoc pacto exeruisse, quam si Christus amplo satellitio, & armata manu stipatus, hanc rem aggressus fuisset. Hic verus Samson, qui asinino osse &c. abstinuit tamen à sanguine. Quid enim censebimus in causa fuisse, quod tanta Sacerdotum, pecuniariorum & mensariorum cohors, nudo & inermi Christo, vel invite cedunt; nisi quod incredibilis quædam in eo majestas & authoritas relucebat, quæ illos ita coërcuit, ut ne hiscere quidem ausi sint; qui cæteroquin, pro sui quæstus compendio, ad manus venire non dubitassent? quæ quidem majestas, nunquam in magnifico apparatu & pompa resplenduisset. Nemo manum illi injicit, nemo conatibus ejus obsistit aut renititur; cum vix quenquam fuisse credibile est, qui hoc fieri non inique tulit. Christi enim potentia eorum cum animos, tum manus ita constrinxerat, se ut contra illum commovere non possent; neque vero cum Christo hæc admirabilis potentia in cœlum commigravit: videmus enim olim tempus fuisse, cum Euangelium nudum & inerme, & ne flagello quidem munitum, per multas gladiorum cohortes perrupisset, adversarios nocendi cupidissimos non se commovisse magis, quam si manus amisissent. Anserino enim calamo, quam turpis mercatus plerisque in locis profligatur, quanta indulgentiarum, & aliarum nundinationum infinitas? qua Christi virtute freti, non dubitemus, cultum Dei, quoties vocatio nostra illud postulat, asserere; tametsi non sine gravi periculo res ea confici posse videatur. Semper enim illud Zachariæ aures nostras personet, *Zach. 4, 6. Non in virtute, nec robore, sed Spiritu meo*, subaudi templum, *ædificetur, & adversarii fundentur.* Cum Pontificiam religionem, nihil unquam, nisi armis & carnalibus præsidiis, profecisse cognovimus.

Quod autem mensas disjecit, & nummos hinc inde dispersit; id ideo fecit, non tantum quod mensarii illas summovere nollent, sed ut rei detestationem & sordes plenius declararet. Alioquin enim non fuisse Christum tanto ardore temere & inconsiderate latum abunde docet, quod columbarum negotiatores, tanquam & levius peccantes, & magis sanabiles, & Christi dicto obsequentes, jussit ut suas è templo merces subducerent. In quo etiam observandum est, Christum non, pro more, corvis veniam dantem, columbas sua censura vexasse; sed cum primis in illos gravius animadvertisse, qui gravius deliquissent. *Cur Christus nummulariorum mensas plane disjecerit?*

Quod autem videri potuit, falcem in alienam messam immisisse, primum sciendum est, Sacerdotum partes fuisse, impedimenta & onera in templum importata amovere, qui tamen se civilibus negotiis non immiscebant. Deinde considerandum est, hæc nulla magistratus authoritate invecta, sed tantum cujusque arbitratu suscepta, sine magistratus authoritate ejici & exturbari potuisse. Denique Christum, quod Rex in Ecclesia esset, ea fecisse, quæ aliis ministris Ecclesiæ non licet: eoq; ipso, ut se hæc jure facere assereret, suam è mortuis suscitationē allegat. *qua authoritate hæc omnia fecerit?*

Templum

Eadem & Pontificiæ corruptelæ expurganda. Templum à Christo repurgatum, non ita multo post, eisdem corruptelis iterum invectis, deformatur. Quod tametsi Christum non fugit, non tamen eum à repurgatione absterrere potuit. Multi vero propterea in *Pontificiis* corruptelis expurgandis tardiores sunt, quod vereantur, ne religio Pontificia denuo instauretur. Alii hominum pervicacia & obstinatione fatigantur, quos sibi relinquunt, postquam eos ad eundem lapidem sæpius impingere animadverterint: sed pudendum est, nos minus in honesta causa constantes esse, quam illi in mala causa pertinaces existunt.

Vers. 16. *Christus reformationi doctrinam adjungit;* Corruptelarum repurgationi doctrinam conjungit, qua, ut ex templo corruptelas, sic ex animo errores evellat: sicut igitur non satis est, corruptelas Verbi indicio prodere, nisi Magistratus externa obstacula è medio tollat: sic nec corruptelas è medio tollere, cum illæ in animis altas radices dent; nisi enim falce Verbi Dei, ex animis hominum corruptelæ exscindantur, expulsæ & exactæ facile redierint; & imperiti Chirurgi est, vulneris tantum in superficie hærere, nec ejus fundum pertentare; sic enim medicinam & curationem non faciet. *quam cur præmittat?* Quanquam illud quæri possit, cur reformationem doctrinæ præmittit, quam æquius erat doctrinam sequi. Sicut enim corruptelæ, & vitiosus Dei cultus prius animo concipitur, quam externo aliquo ritu proditur, ita in illis corruptelis medendis eandem viam teneri oportere videtur. Sed Christus à reformatione initium sumpsit, ut potentiam divinam & admirabilem declararet; quæ non ita aperte se ostendisset, si prius doctrinam in medium attulisset. Tum enim videri poterant doctrina potius adducti hoc tulisse, quam admirabili ejus virtute constricti.

Quomodo domo Dei non abutendum? Quod vero dicitur domum Dei non esse mercatu & quæstu abutendam, id latius patet; & non tantum ad mutuos contractus, & externam negotiationem, sed ad arcanas cogitationes refertur. Tametsi enim homines in templo non licitentur; tamen si suas negotiationes inter orandum animo agitent versentque, ab hoc scelere liberi non sunt: nedum hi, qui domo Dei ad libidinem abutuntur, neque ad Ecclesiam veniunt, nisi ut oculos huc illuc circumferant, ut in libidinis retia alterum attrahant.

Vers. 17. Hujus perpurgationis templi, effectus duo subjiciuntur; unus in Christi discipulis laudatus; alter in Iudæis illaudatus. In discipulis, quod recordati sunt testimonii Davidis, quo suum ardorem in cultu indicans, eo- *Ex zelo ejus a Christo hæc facta.* dem Christi zelum quodammodo adumbrabat. Nam Christus hoc facto se exinanivit, ad abjectissimam operam se demittens, neglecta sua dignitate & celsitudine. Deinde hic zelus ita eum exedebat, ut se præsentissimo vitæ periculo objecisset, nisi infinita potentia sua improborum animos mirifice cohibuisset; ut se contra illum commovere ausi non sint. Quod exemplum a Davide propositum, ad universam Ecclesiam, & singula corporis Christi membra accommodandum est; ut illo ardore gloriæ divinæ accendamur, quo illius dispendium proprio sanguine restinguere parati simus, nedum dignitatis & existimationis nostræ jactura. Vide exemplum Davidis 2 *Sam.* 6, 14. cum, posito Regio apparatu, coram arca saltavit. De nobis autem vere dicatur, nostram inanem gloriam nos exedere; quæ nos impellit, ut præsenti morti sæpe videntes & scientes objiciamur, cum tamen de conculcata & obtrita sub pedibus Dei gloria nihil laboramus.

Effectus in Iudæis illaudatus est, cum Vers. 18. Christo disceptatio & interrogatio, qua au- *Iudæorum perversitas in signi petitione.* thoritate hoc faceret: cum tamen majestas, quæ in hac flagellatione relucebat, uberrimum authoritatis testimonium præbuit. Sed inveteratum suum morbum signum exigendi produnt; idque ex ipsis cœlis superne editum, cæcis oculis interim miracula, quæ quotidie proposuit, prætereuntes. Quin ex hac ipsa ejectione è templo illud facile fuit colligere: unum enim hominem, tot turmas & catervas, tam abjecto instrumento (ut est flagellum) & tam pertinaces, quibus animus non defuit Christo resistere, & illi maximum damnum afferre, fugare, divinæ plane majestatis & potentiæ fuit. Quanquam ex hac quæstione, & Christi responsione illud colligitur, confusiones in Ecclesia, quantumcumque inordinatas & enormes, non esse reformandas, nisi ab his, qui ad eam rem legitima authoritate sunt instructi.

In responso Christi apparet, eum esse ve- Vers. 19. rum templum Dei, Hierosolymitano adum- *Quomodo Christus templum Dei?* bratum: quamobrem sicut omnes preces Deo fiebant, si non in templo, at certe ad templum respiciendo; sic Christus unicus est Mediator redemptionis, sic etiam intercessionis. Templum autem Dei Christus ideo verissime dicitur, quia in illo plenitudo Deitatis corporaliter inhabitat. In Hierosoly-

mitano habitabat sacramentaliter, in nobis per communicationem donorum spiritus; sed in Christo essentialiter.

Vers. 20, 21. *Homines ad mysteria Dei inepti;* Ex vigesimo & vigesimo primo versu docemur, homines naturæ instinctu mysteriorum Dei incapaces esse, & difficile esse animum ab his, quæ sensu percipiuntur, ad illa, quæ cœlestia sunt, transferre.

Vers. 22. *quæ tractu temporis percipiuntur.* In vigesimo secundo versu discimus, magni usus esse, illa memoria retinere, quæ primo accepta non intelleximus, quia temporis successu Deus eorundem intelligentia nos perfundit. Hinc est porro quod arcana illa, quæ Christus libro Apocalypseos prodidit, facilius à nobis percipiuntur; quod quæ prædicta sunt, re (maxima eorum parte) complentur.

Vers. 23, &c. Hactenus accepimus quæ finite acta sunt; scilicet, de repurgatione templi; jam narrat *indefinite*, quæ Christus fecit; nempe miracula: quorum effecta notat, multorum externam professionem. *Miraculorū Christi fructus amplus.* In superiori parte capitis fructum miraculi accepimus pertenuem fuisse, & illum soli Deo cognitum; nempe confirmationem fidei eorum, qui prius se Christo conjunxerunt. Hoc loco fructus in speciem & hominum judicio amplus est, cum reipsa, & Dei judicio, qui corda perscrutatur, perexiguus sit. Quod ministros consoletur, si sua spe uberioris messis frustrantur, quod ad Christum aggregati eorum ministerio, post deficiant. Vbi porro notandum, non tam firmiter fundatam esse & radicatam eorum fidem, qui illam ex solis miraculis, doctrina non prælucente, imbiberunt.

IOH. *cap.* 3. *à vers.* 1. *ad* 13.

ERat autem quidam ex Pharisæis, cui nomen erat *Nicodemo, ex primoribus Iudæorum:*

2 *Hic venit ad IESVM nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus te à Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.*

3 *Respondit IESVS & dixit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei:*

4 *Dicit ei Nicodemus, Quomodo potest quispiam nasci qui sit senex? num potest in uterum matris suæ secundo introire, & nasci?*

5 *Respondit IESVS, Amen, amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

6 *Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est.*

7 *Ne mireris me dixisse tibi, Oportet vos iterum gigni.*

8 *Ventus quo vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat & quo vadat: ita est quisquis genitus est è Spiritu.*

9 *Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?*

10 *Respondit IESVS & dixit ei, Tu es magister Israëlis, & hæc non nosti?*

11 *Amen, amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis.*

12 *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?*

ANALYSIS.

DEscribitur cujusdam ad Christum accessus, 1. ab adjuncta secta Pharisæorum, inter omnes sectas amplissima & augustissima, 2. ab adjuncto nomine *Nicodemi*, 3. ab adjuncto principatu; cujus subjectum circa quod, Iudæi.

Vers. 2. Describitur porro ab effecto, suo ad Christum adventu; qui adjuncto tempore indicatur, nocte, deinde altero effecto sermonis ad Christum, ubi adventus causa efficiens videtur indicari, quod sciret illum Doctorem à Deo venire; quod confirmatur à proprio effecto, signa & miracula edendi; cujus causa subnectitur, quod Deus præcipua quadam ratione illi adsit.

Vers. 3. Cujus sermonis effectum in Christo est, ejus instructio in Religionis Christianæ fundamentis; in quibus primum axioma est, oportere iterum nasci; quod argumento duplicis testimonii confirmatur Amen, Amen. Deinde ab effecto conse-

consequendi vitam æternam; quod ab adversis illustratur, perire scilicet omnes qui non denuo nascuntur.

*Vers.*4. Cujus sermonis Christi in *Nicodemo* effectum erat quæstio, quomodo possit denuo nasci; quod confirmat ab adjuncta impossibilitate remeandi & reintrandi in matris uterum; quod præterea amplificatur ab adjuncta ætate senili.

*Vers.*5. Cujus sermonis effectum in Christo erat asseveratio prioris axiomatis quod proposuit, adjuncta etiam distinctione à diversis, se spiritualem & cœlestem, non autem naturalem nativitatem designasse.

*Vers.*6. Cujus axiomatis causam assignat, corruptum esse quod à corrupto semine nascitur; quod illustratur ex adverso, spirituale vero, quod à spiritu generatur.

*Vers.*7. Docet non esse τῶ ἀδυνάτων iterum nasci, ut *Nicodemus* existimavit; ubi prolepsis est, cujus occupatio est: Si denuo nasceremur, Spiritus virtute modum ortus nostri sensu perceptum haberemus; subjectio est, possumus renasci tametsi modum renascendi sensibus perceptum non habemus.

*Vers.*8. Quod confirmat comparatione parium venti & Spiritus: sicut enim vim venti sentimus corpora nostra perflantem, tametsi unde aut veniat, aut quo abeat ventus nescimus; sic Spiritus Sancti virtus in nobis operatur regenerationem quam persentiscimus, tametsi modum nesciamus. Altera Prolepsis est, cujus occupatio est; atque si res sic habet, ut spiritus nos regeneret, cur me jam senem & Ecclesiæ Doctorem afflatu suo non perspiravit: perinde ut in alio subjecto, sicut ventus ubi vult, & quando vult, liberrime spirat, sic Spiritus Sanctus suo afflatu ubi & quando vult.

*Vers.*9. Hujus sermonis in *Nicodemo* effectum est, quæstio eadem quam prius proposuit.

*Vers.*10. Hujus quæstionis effectum est Christi responsum, quo *Nicodemum* asperius inscitiæ suæ coarguit; primum, ab adjuncta vocatione Doctoris, 2. à subjecto quod ignorabat, nempe prima elementa religionis.

*Vers.*11. 3. Ab adjuncta certitudine eorum quæ proposuit; quam confirmat ab adjuncta scientia eorum quæ affirmavit.

*Vers.*12. 4. Ab adjuncto modo & ratione quam Christus adhibuit in illis proponendis, nempe familiari, & sensibus, & intelligentiæ humanæ obvia; quam inscitiam exaggerat ab adverso, quod scilicet non cœlesti ratione, & congruenter summæ rerum quas proposuit dignitati, ista proposuit.

METAPHRASIS.

1. *Dixeram ante plures in Christum visis si-*
gnis credidisse, sed fide parum firma aut
syncera. Quod tamen non ita intelligi velim
ac si nulli omnino essent, qui integro & synce-
2. *ro animo erga Christum essent. Interim enim*
dum Christus Hierosolymis in festo Paschatis
ageret, vir quidam ex secta Pharisæorum no-
mine Nicodemus, *principatum inter Iudæos*
obtinens, Christum accessit: sed de nocte &
clam alios; ne aut invidiam apud suos con-
traheret, aut suam in his quæ ignoravit, &
de quibus Christum percunctaturus erat, in-
scitiam prodens illum suppuderet: Iesum vero
ad hunc modum aggreditur. Scio equidem
(venerande Doctor) te à Deo Optimo Maxi-
mo missum cœlitus esse, ut nos de ipsius volun-
tate condocefacias: nec ego modo, sed alii mei
ordinis, utcunque metu aut ambitione illud
dissimulant, hoc probe norant. Nec enim quis,
nisi à Deo immediate legatus, & singulari
favore communitus & stipatus, quæ tu facis
edere signa & miracula tot & tanta potest.
Quamobrem à Deo Doctor nobis datus cum 3.
sis, mihi viam ad regnum cœlorum commonstrare, ne, quæso, dedigneris. Cui Iesus; Nemo
nisi denuo renatus regnum cœlorum, vel per
transennam salutariter videat, aut primis
labris degustet. Quod tam certum est, ut illud
tibi constantissime affirmare audeam. Ad 4.
hæc Nicodemus; *Quid istud? qui potest ali-*
quis præsertim (ut ego sum) senex iterum re-
nasci, quandoquidem (quod absonum & ab-
surdum est) nisi in matris uterum remeando,
nemo iterum renasci & in lucem edi potest?
Ad quem Iesus: Quod prius dixi iterum re- 5.
pono; sed addo porro me longe aliam, quam
tu seminas, generationem intellexisse, eam sci-
licet, quæ ex Spiritu Sancto tanquam immor-
tali semine efficitur; cujus virtute, tanquam
purissima & limpidissima aqua, prioris nati-
vitatis sordes abluuntur. Cujus asseverationis 6.
meæ, quæ tibi tam absona videtur, hæc ratio
est; quia quod à corrupto hominis semine na-
scitur, corruptum & putidum non esse nequit;
sicut contra quod ex spiritu prosemniatur, suæ
originis puritatem & immortalitatem sequi-
tur. Quod vero renasci hominem oportere dixi, 7.
id tametsi revera mirabile sit & arcanum,
quod omnium hominum sensum & intelligen-
tiam superat; tamen ita te mirari nolim, ut
illud fieri posse ob eam caussam diffidas, quia
ejus rationem & modum in gyrum rationis
tuæ reducere nequis; sicut enim venti te per- 8.
flantis & perspirantis vim & efficaciam sen-
tis, tametsi ex quibus terræ spiraculis, aut
exeat, aut in quæ redeat ignores: sic Spiritus
Sancti vis & efficacia à piis omnibus percipi-
tur, tametsi modum & rationem supervenien-
tis & operantis Spiritus ignorent. Quod si for-
te excipias, hanc operationem & energeiam
Spiritus non esse jam amplius tibi exspectan-
dam, qui tot annis ætatis tuæ illam non per-
sensisti: respondeo, ut venti quando & ubi ve-
lit perspirantis; sic Spiritus Sancti liberrima

ratio est, quæ quos & quando vult, divino suo afflatu perfundit.
9. *Huic Christi sermoni suam*
10. *quæstionem regerit ; quomodo hæc fiant ? Quo dicto Christus paulo commotior factus, asperius* Nicodemum *alloquitur. Iniquum plane est te in Dei populo Doctorem & institutorem, qui aliis viam vitæ commonstrare debes, hæc*
11. *religionis primordia nescire. Atque ut istis tu aut alii quicunque fidem abrogatis, tamen illa certissima esse confirmo: utcunque enim vos Pharisæi sæpe incerta & dubia pro concione spargitis, tamen ad me quod attinet (quod idem de* Ioanne *Baptista, quem vos audivistis, confirmo) nihil nisi quod perspectum & cognitum probe habeo vobis propono; quo gravius vos manet judicium, si in testimonio no-*
12. *stro non acquiescitis. Quod si nobis de arcanis cœlestibus familiariter, & ad sensum & intelligentiam vestram accommodatissime disserentibus fidem non habetis, quomodo illa grandiloquentia, quam rerum dignitas requirit, hæc eadem pertractantibus credetis ?*

Summa est Christum Nicodemum *de religionis fundamentis informantem, post non proficientem asperius objurgare:*

Partes *sunt,* *Christum* Nicodemum { *Primum docere,* / *Post non proficientem redarguere.*

PRAXIS.

Dialogus est Nicodemi cum Christo ; in quo unica ad æternam vitam via exponitur.

Cujus *partes* sunt { Regeneratio per Spiritum, & Regenerationis fundus & fundamentum, Christus Deus & homo à Patre datus.

Vers. 1. *Nicodemus ex visis miraculis excitatus;* Hoc uno exemplo docet Euangelista, cujusmodi fuit eorum fides, qui ex visis miraculis crediderunt: cum enim in homine literato, & in lege instructo, tam tenuis esset, quid de plebe sentiendum ? Priusquam sermonem ultra citraque habitum exponit, Nicodemum certis quibusdam notis insignit, quo melius & Dei erga eum misericordia, & in illo totius generis humani cæcitas, elucesceret.

is cur à Pharasaismo & principatu Iud. desertatur? Nota Pharisæi, & Principis Iudæorum insignitur, ut sciamus Deum nullum hominum genus excludere, & adversus cum divitias, tum honorem, tum etiam Pharisaismi pervicaciam, Dei gratiam & electionem prævaluisse. *Iohannis* enim 7 utrumque *versu* 48 dicitur, neminem nec ex Principibus, nec ex Pharisæis credidisse; quanquam unius generis hæc non erant. Nam quod honores & divitias attinet, sunt illa quidem sua natura μέσα, & non, nisi hominum culpa, remoras adhibentia: Pharisaismus vero erat, per se, in malis, scilicet ex multis erroribus conflatus & consarcinatus ordo, seu professio: ne temere desperemus de his, qui a veritate alieniores sunt, & inimicitias cum veritate gesserunt, ut in Paulo liquet.

Hæc porro occasionem dedere, nocturnæ & clandestinæ accessionis ad Christum; ne aut invidiam apud sui ordinis homines, aut damnum contraheret, & principatu abdicaretur, si Christo amicior factus intelligeretur. Huc forte accessit, quod illum palam suppuduit, præsertim Doctorem, salutis viam ignorare videri. Parum igitur abfuit, quod honoris & divitiarum studium eum à Christo non avertissent: ut non sine causa dictum sit, difficile esse diviti regnum cœlorum ingredi; ut homini multis impedimentis aut oneribus implicato, difficile est, aut per arctam viam, aut per angustam portam ingredi; sicut contra expedito aut nudo, multo facilius est. Itaque nisi nox pallii aut nubis vicem præbuisset, qua adversus impendentem tempestatem securus esse posset, de illo prorsus actum fuisset. Vers. 2. *quare clam ad Christū accessit;*

In quo singularis Christi humanitas, & φιλανθρωπία conspicitur: poterat enim jure eum rejicere, quod furtim ad illum veniret, ac si parum dignus esset, quem palam confiteretur; ac si doctrinam aliquam traderet, quæ lucem & oculos hominum refugeret; ac si beneficium salutis, quod hominibus conferebat, tam tenue & exile esset, ut cum hujus vitæ commodis non esset commutandum. Huc accedit, quod *Doctorem* illum appellans, nec quicquam altius de Christo sentiens, magnam ei injuriam faciebat. Christus autem linum fumigans non extinguit, nec calamum quassatum diffringit, id est, neminem ad se venientem repellit; tametsi erecti non incedunt, tametsi altero pede claudi veniant, tametsi multis deformitatum strumis notentur, modo docilitatem afferat. Vide *Matth.* 11. & 12. *Ioh.* 6. *nec tamen ab eo rejicitur:*

Ab adjunctis miraculis colligit, eum esse Doctorem à Deo datum, ob eamque causam ad illum venit, ut doctrina cœlesti imbueretur: sic vidua Sarept. 1 *Reg.* 17, 24. idem colligit. In quo tametsi erratum ab eo sit, quod ex operibus eum Dei Filium & Messiam non recognovit; tamen aliis Pharisæis *eoque animum docilem ostendit;*

risæis longe sanius & incorruptius judicavit, qui ex miraculis quæ edebat, virtute Belzebubis eum dæmonia ejecisse oggerebant. Illud autem eximiam laudem promeretur, quod sponte Doctorem cœlestem quæsivit, & cupide in veritate institui expetivit, præsertim ipse in Israele Doctor. Qui enim docendi partes in Ecclesiam habent, hi sibi nihil deesse putant, aut defectus sui sensu tactos, sæpe tamen ab aliis discere eos plane pudet. In quo discamus, non tantum discipulos, sed summos quosque Doctores in Ecclesia, tanquam in Christi schola, se ad Christi pedes abjicere oportere, ut se illi docendos præbeant; nec unquam præclarum in Ecclesia Doctorem futurum esse, qui ab aliis, tametsi sibi inferioribus, discere recusset. Gubernatores enim peritissimi, se, non modo à suis (quos vocant) sociis, sed vel à vectoribus admoneri patiuntur. Exemplum egregium proponitur in Apolline, quem, cum ad dicendum & docendum potens esset, se tamen à fœmina humilis conditionis instrui, non puduit. Quod à Deo missum affirmat Dei gratiosa præsentia stipari, consolationem eximiam habet, qua omnes perfruantur, qui sibi legitimæ vocationis conscii sunt.

ut ab omnibus ministris fieri debet.

Vers. 3. *Per peccatū à Dei imagine privati;*

Christus cum intelligeret, eum desiderio doctrinæ salutis teneri, ad docendi munus se accingit, & præclarum religionis nostræ axioma proponit: neminem nisi prius renatum, posse, vel ad aspectum, nedum ad perpetuam possessionem vitæ æternæ admitti. Cujus ut rationem melius noscamus, omnis hæc causa longius à principiis repetenda est. Eramus enim ad imaginem & similitudinem Dei creati, in vera Dei notitia & sanctitate: hanc imaginem, lapsu primi parentis, non modo deformatam, sed penitus quoad vitam æternam, disjunctam omnino, instaurari oportet.

idesque natura corrupti & hostes Dei,

Alium igitur patrem adhibere oportet, aliam matrem, in cujus utero formemur, aliud semen; totum enim quod à parentibus traximus, corruptum & immundum est. *Quod enim ex carne nascitur, caro est. Quis det ex immundo mundum?* Vasis enim his similes sumus; quæ non tantum mediocriter deturpantur, deformantur, retunduntur, aut quæ non nihil concrepuerunt; sed quæ veluti ita in curvum convolvuntur, aut diffracta sunt, ut refundi ea, non refici necesse sit, priusquam ad honestiorem aliquem Domini usum adhiberi queant. Denique natura hostes Dei & Filii iræ sumus, nec enim bufones aut angues, hominibus magis exosi & horribiles sunt, quam nos natura Deo invisi & infensi sumus; utpote qui venenum nostrum à diabolo, jurato Dei hoste, suximus. Si igitur nos ad humilitatem erudire debet, quod ex terræ pulvere formati simus, & quod in luteis domubus, seu casis & tabernis habitemus; quanto nos magis deprimere debet, & contemptissimam de nobis ipsis existimationem ingenerare, quod in peccati putredine nati simus, quod in cœno peccati hæreamus & demersi simus? Nulla igitur nobis ex his natalibus gloriandi materia, quibus magis profuisset nunquam nasci, quam in illis nativitatis nostræ sordibus hærere.

proinde ad redemptionis curam excitari debemus.

Hæc etiam sententia aures nostras circumsonans, qua tanquam misso feciali, nobis Deus bellum denuntiat, nos ad singularem redemptionis curam excitare debet; & faciet proculdubio, si paulo altius in animis nostris illam insidere patiamur: quod quo efficacius fieret, duplici & gravissima asseveratione Christus hanc sententiam munivit, qua ingenitam hominibus sui ipsorum delinitionem excuteret. Homines enim, veluti ebrii, in carchesio per mediam tempestatem dormiunt. Vires enim nostras exploremus, lustremus, utrinque copias, utrinque bellum apparanti. Quod si illi inferiores sumus, nec ulla spe vincendi cum illo congredi possumus, prudentia erit, nos illi reconciliare; peccatum admissum confiteri & deprecari.

Vers. 4. *Nicodemi in sacris mysteriis cæcitas;*

Nicodemus τῶν ἀδυνάτων esse statuit, homini præsertim seni, iterum renasci, cum in uterum matris remeare non possit quis. Quo responso primo crassam & pinguem rudimentorum religionis inscitiam prodidit, nec enim magis de hac re quicquam intelligit, quam si quis de abstrusissimis Astronomiæ præceptis apud bubulcum dissereret. In cujus responso, non tam Nicodemi, quam omnium nostram in rebus cœlestibus cæcitatem & noctem agnoscamus. Ita enim prorsus nos ipsos à regno cœlorum abalienavimus, ut omnis fere de regno cœlesti sermo, nobis peregrinus & barbarus videatur; ut eum non magis intelligentia complectamur, quam si lingua nobis incognita proponeretur. Omnia enim sunt αἰνιγματώδη, omnia dicuntur in parabolis. Quod ideo indicatur, ut si cui mens in percipiendis sacris mysteriis exercitatior & magis perspicax, illius rei gloriam ad Deum datorem referat, & mirari desinat, si hunc stuporem sæpe in splendidissimis

dissimis

dissimis ingeniis animadvertat. Illud enim quosdam offendit, quod ea pro salutis humanæ fundamentis proponamus, quæ homines doctissimi, & in Theologia diu multumque versati, ne gry quidem norunt.

quem tamē non pudet profiteri.

Tum in hoc responso apertum & syncerum ingenium suum ostendit, quem quod nescit, nescire se profiteri aperte non pudet: quod in ambitiosis ingeniis longe secus fit, qui ne inter stupidos & bardos habeantur, illud se consequutos sæpe prædicant, quod ne minima quidem ex parte intelligunt; unde asini accedentes, asini discedunt.

Vers. 5. *Christus tamen in priori asseitione pergit.*

Christus, tametsi Doctori hæc fieri non posse videantur, à priori tamen asseveratione non recedit, sed eadem vehementia utitur. Causam tamen hanc apertius explicat, cum semen Spiritus notet, per quod hæc generatio efficitur; unde etiam illi promptum erat colligere, quis sit in hac παλιγγενεσίᾳ pater, nec esse carnalem, sed spiritualem regenerationem quam innuebat: Deus enim Pater, in Filio, per Spiritum, in utero Euangelii, nos regenerat. Hinc est ut hi filii dicantur & sint, quotquot Spiritu Dei aguntur; contra autem Christi non esse clarum est illos, qui Spiritum Christi non habent, *Rom.* 6, 3.

Spiritum cur per aquam exprimat?

Hunc Spiritum aquæ metaphora illustrat; qua nos cœno oblitos & penitus obductos esse subindicat; non secus quam lutulentæ sues, ut in Dei conspectum, nisi prius bene loti, non possimus prodire. Et fortasse alludit ad illam lotionem, quæ infantibus adhibetur, simul ac nati sunt, qua sanguis, quo manant, abluitur.

quod ex eo natum ex... tum ingredietur;

Regeneratos Spiritu probat cœlum ingressuros, à conjugatis; quia, quod ex Spiritu natum est, idem spiritus est, seu spirituale; spirituales autem Deo spiritui non esse gratos, fieri non posse; spirituale enim est non id, cujus substantia est spiritus, sed qui Spiritu vivificatur, 1 *Cor.*2,12,*ad* 16. & quod corruptioni obnoxium non est.

Vers. 6. *non vero quod ex carne:*

Hoc autem ita esse docet, argumento ab adversis; quia quod ex carne natum est, caro est: ubi per carnem non intelligit carnem creaturam, ut *Gal.* 3, 3. sed peccati corruptelam, quæ simul & spiritum & corpus pervasit, ut *Galat.* 5,19. opera carnis; & *Ioh.*1, *vers.* 13. *Qui non ex sanguinibus &c.* item *Matth.*16,17.*Caro & sanguis tibi hæc non revelavit, &c.*

cujus appellatio non expetenda.

Hic *dicet* aliquis, se non aliam conditionem in hac vita expetere, quam ut sit caro & sanguis, & ita de se libenter profitetur.

Sed nesciunt plane, quid dicant; si hac sua professione essent modo herba, seu fœnum, si essent pulvis & cinis, si sepulchrum esset pater, & vermes mater & soror, bene cum illis ageretur; nunc vero cum carnis & sanguinis appellatione, massa peccati, sentina fœtoris, habitaculum dæmonum, semen serpentis, atque adeo ut est *Ioh.*6. dæmon significatur; videant &c. Deinde alii sunt qui a spiritus & spiritualis appellatione ita abhorrent, ut illos ludificentur, qui aliquid ex spiritu resipiunt: in hoc ipsis *Pontificiis* pejores, qui tam honorifice sentiebant, ut hanc appellationem ad solos Sacerdotes transferrent.

Quemadmodum igitur ex prima satione, & partu nostro quid boni exspectare, est ex tribulis uvas, ex carduis ficus exspectare: ita ex Spiritus præclara semente, messem convenientem & idoneam præstolari oportet.

Vers. 7. *Quare Nicodemus regenerationem non intellexerit?*

Christus probe sciens id, quod Nicodemum, ne doctrinæ crederet, retinuit, scrupulum, qui illum torquebat, ei eximit. Deceptus autem est captione adjuncti; quod nullam spiritus regenerationem animo comprehendere valuit, nisi quæ sensu perceptibilis esset, & aspectibilis: ita enim animales sumus, & sensibus affixi, ut nihil, nisi quod sensuum testimonio comprobetur, fere admittamus. Hinc est, ut quæ de regno cœlorum dicta sæpe sint in Scripturis, Iudæi, atque adeo Apostoli, id mundanum regnum & regem transtulerint. Hinc carnis Christi manducationem nullam, nisi oralem, somniarunt. Operæpretium igitur est, in Religionis Christianæ perceptione mentem à sensibus abductam, ad ea, quæ sub sensum non cadunt, subvehere.

cur eum mirari vetuerit Christus?

Quod vero mirari eum vetat, non pure facit & simpliciter, ac si regenerationem admirationi habere non liceret. Nam cum communis ortus & naturalis, sit plane admirabilis; ut est *Psal.* 139, 14. hunc secundum multo magis admirabilem esse consequitur. Sed Christus illam admirationem abjiciendam esse docet, quæ cum infidelitate est conjuncta.

Vers. 8. *quem ex comparatione ventorum docere conatur;*

Christus vero argumento à pari hunc nodum dissolvit; quod videtur ex *Eccles.* 11,5. desumpsisse. Ventum enim præclaras suas aëris perpurgandi, hortos afflandi, sordes terræ desiccandi effectiones habere; idque à ventorum flatu perfici, aurium testimonio confirmari significat: cum tamen nec ventum

tum propter ejus subtilitatem videamus, nec aut unde exeat, aut quo evadat teneamus: certum viz. & determinatum locum nescimus; alioqui in genere, ex terræ spiraculis erumpere, & in illos iterum remeare, tradunt Physici: tametsi verisimilius est ex aëris impulsu nasci, ut ex vento arte ingenerato, utpote flabello seu follibus colligitur: quod cum à re corporea, & creatura fiat, hanc in animis innovationem à spiritu creatore, & corporea substantia libero fieri, tametsi illam sensus & rationis complexu non comprehendas, mirum non est. Deinde, sicut ventus liberrime fertur, nec ullis aut temporum articulis, aut locorum cancellis, circumscribitur: ita etiam & Spiritus Sanctus, quem & quando vult, afflatu suo dignatur, hunc prætergrediens, illum perflat, in hunc adhuc juvenem, in illum senem supervenit. Qua comparationis parte videtur Pharisaïcum de meritis commentum pervellere, cum regenerationem à Dei beneplacito suspensam, non autem meritis hominum devocatam, subindicat. Quo docemur, rerum inferiorum cum superis contentionem nos aliquousque ad Dei cognitionem attollere. Tametsi enim nihil hic in terris sit, quod res cœlestes, nulla creatura, quæ creatorem exprimat: sunt tamen quædam crassa lineamenta, quæ aliquam earum rerum repræsentationem exhibent. Et hanc quidem Spiritus Sancti imaginem, res in aqua, in igne, in vento, à Servatore depictæ, infinite picturis & sculpturis, ab hominibus excogitatis, præstant. Quanquam hoc in universum notandum est, Scripturam, in hac creatoris cum creaturis collatione, nusquam Dei substantiam aut essentiam, sed opera tantum, & adjuncta (si quod in Deo adjunctum inesse dici fas est) creaturarum facultatibus & affectionibus adumbrasse: substantiam, non tantum ut interminatam, sed veluti nobis cognitu minime necessariam, nulla similitudine adumbrare aut effingere conatam esse.

ex quo nos ab inferioribus ad Dei cognitionē evehendi.

Vers. 9. *Nicodemus tamen, rationis ductum secutus, nihil proficit;*

Nicodemus ad sensuum suorum & rationis, tanquam palum alligatus, in mysterii hujus cognitione, ne hilum quidem proficit: itaque in τοῦ ἀδυνάτου lapide iterum impingit, remque illam fieri posse inficiatur, cujus faciendæ modum & progressus, sensu & ratione non penitus complectitur. In quo majorem longe, quam ante, hebetudinem & inscitiam mysteriorum prodit. Antea enim illius ignoratio potuit in allegoricam Christi, & ænigmaticam locutionem rejici, nunc vero, Christo complicatum illum sensum propriis verbis adhibitis explicante, & apposita similitudine illustrante, illum non in verbis, sed in re ipsa rudem & infantem fuisse apparet: cum autem de uno tantum dubitabat, nunc de his omnibus, quæ à Christo proposita sunt, dubitare videtur, dum quærat, qui ista, (non istud) fiant? *Pontificii* autem, tametsi hic exsultant, & se quam longissime ab hac criminatione remotos esse autumant, quod in Sacramento à sensuum & rationis judicio, ad potentiæ divinæ tribunal provocent: tamen cum in plerisque aliis religionis capitibus, eisdem vepribus tenentur, tum in omnibus fidei mysteriis, fidei judices, nihilo ratione humana & sensibus æquiores adhibent; consuetudinem viz. & aliquot sæculorum præscriptionem.

quamvis Christum pro cœlesti Doctore agnoverit.

Quanquam *quæri* hic potest, quomodo Nicodemus sibi constat; qui fidem tam asseveranter affirmanti Christo detrectat, cum ante professus sit, se Christum pro cœlesti Doctore agnoscere: aut enim illum simulate loquutum esse existimabitur, aut priorem suam de Christo sententiam mutasse; quorum tamen neutrum est.

Sed cum homines fidem Dei ministrorum agnoscunt & prædicant, cum hac exceptione semper hoc faciunt, quoad quæ illis probantur, proponunt; à quorum sensu si deflectant, tametsi Dei illos angelos agnoscunt, non tamen fidem illis adhibebunt.

Vers. 10. *ideoque acrius reprehenditur;*

Nicodemum non proficientem Christus paulo asperius pungit, & ignorantiam ei exprobrans, illam duobus argumentis exaggerat; adjuncti officii, quo in Ecclesia fungebatur; & subjectæ doctrinæ, quam ignorabat, viz. cum facillimæ, tum in primis necessariæ.

idque ad sui curationem:

Hæc autem medicina cum ad Nicodemi curationem à Christo peritissimo medico adhibita sit, videmus ex usu eorum esse, qui in schola cunctantur, ut acrius aliquando objurgentur. Ne igitur despondeamus animos, si quando asperius nobiscum Deus agit, nec nobis illud doctrinæ nauseam pariat. Hinc in *Solom. Prov.* 12. 1. eum qui amat correctionem, amare scientiam; eum vero qui illam odit, brutum esse. Quis enim eum ferat, qui asperioribus verbis à patre acceptus, ab ejus obsequio deficit; aut quomodo inter studiosos literarum censeri æquum est eos, qui duriori præceptoris verbo scholam deserunt; nec mercatorum numero accipi merentur,

quare patienter ferendum.

merentur, qui unius transfretationis molestiam & nauseam ferre nequeunt: quod si homines vituperantes æque ferimus, multo magis debemus Deum verbis castigantem patienter ferre; maxime cum ex hoc exemplo constet, hanc reprehensionem, tametsi acerbam, ex amore fluxisse. Sed nostrorum temporum homines in his numerari possunt, de quibus *Oseas* 4, 4. qui a suis sociis corripi renuunt, imo qui ipsum Sacerdotem redarguunt, & si vel verbulum captare possint, de eo declamitant. Notemus dignitatem, quæ à reprehensione immunem & liberum Nicodemum constituere videri potuit, reprehensioni aculeos & mucronem addidisse. Presbyter enim delinquens asperius exagitandus, quod illius error multis noxius sit. Nec dubium est, quin Christus salute populi commotus, cui Doctor præfectus est, Nicodemum tum gravius feriit, quod sibi semitam non sapiens, aliis eam commonstrare in se recepisset.

Major in ministro quam reliquis membris notitia requirenda;

Quo fit, ut alia sit ministri, alia Ecclesiæ civium in Euangelio notitia; ut alia scientia in Ludimagistro & Duce, quam in discipulis aut militibus. Quandoquidem in specula constituti sunt, ut eminentius conspiciant, & oculum in corpore, lucernam in domo, stellam in cœlo præstent. Sicut autem merito Medicorum & Iurisperitorum numero moveri debent, qui nulla præcipua in his facultatibus scientia insigniuntur; ita & censoria virgula summovendi ex ministerio erunt, quos nullæ interiores in sacra Theologia literæ à reliquis civibus distinguunt, tametsi angelos vitæ sanctitate æquarent.

præcipue in religionis fundamentis,

In altera stimuli acrimonia docemur, religionis suprema capita ante omnia percipienda esse, & penitus pernoscenda, & frequenti sermonis & meditationis tractatione nobis quam familiarissima reddenda. Cujusmodi sunt perditæ naturæ nostræ lues, fides in Christum, sacramenta, judicium extremum &c. Plerique enim sunt, qui præteritis his, quæ ad salutem maxime necessaria sunt, illis mysteriis avidius inhiant, in quibus major species & ostentatio apparet: quæ res Nicodemum, & illius seculi homines procul dubio fefellit, oblitos ejus, quod Paulus 2 *Timoth.* 3, 16. docet, omnem Scripturam, utilitate, non inani quadam oblectatione aut ostentatione definiri. Propterea videas, qui in Theologia ita gloriose dicent & disputabunt, ac si recens è cœlo, ex ipsius Dei & Angelorum consessu delapsi essent; qui tamen, si in fidei præcipuis capitibus explorentur, nondum Theologiam à limine salutasse deprehendentur.

non inanis speculationibus.

Quorum vesania cum eorum hominum amentia contendat, qui de ædium pulchritudine & specie plurimum laborant, de firmitate & stabilitate parum solliciti: & qui de his quæ extant & eminent curam agant, de subterraneis vero fundamentis, quibus illa pulchritudo insistat & innitatur, non item. Nam fundamenta, sicut & radices, tametsi tam decorum aspectum non habent; tamen plus ad constituendas ædes & arbores, roboris & virium habent, quam quæ foris in oculos hominum incurrunt: aut si quis pane & vino vitæ nostræ scipione neglecto, tragematum & bellariorum oblectamenta & delicias studiose conquireret. Hujusmodi hodie *Scholasticorum Theologia*, quæ in tenuibus quibusdam speculationibus lincea, in gravissimis religionis causis cæcutiens, ne dicam cæca existit.

Vers. 11.
Firmitas testimonii Christi;

Cum doctrinam Christus proposuisset, eamque explicasset & illustrasset, illud tantum superfuit, ut doctrinæ veritatem asseveraret, & ejus certitudinem quam testatissimam redderet. Quod quidem argumento adjuncti, cum Doctoris legitimi tum testis fidelis officio confirmat. Doctoris enim est, ea populo proponere, quæ comperta & comprehensa habet; Testis fidelis, ea testificari, quæ non alienis, aut oculis, aut auribus, sed propriis hausit: quæ utraque cum à Christo erga Nicodemum perfecta sunt, ipsum merito sua infidelitate periturum consequitur, si fidem Christi verbis abrogaverit. Contra vero Apostolus 1 *Tim.* 1, 7. affirmat Iudaicos Doctores illa asseverare, quæ ignorant, & Apostolus ad *Col.* 2, 18. in illa se inferre, & his se inserere quæ nunquam viderunt, sed tantum παρ᾽ ἄλλων acceperunt. Christus vero, se cum aliis conjungens, videtur Iohannem Baptistam in hujus testimonii societatem advocare; ut Nicodemum & Pharisæos his testimoniis abunde convictos esse indicaret.

contra conjecturalem docendi modum.

Ex quo, quam male instituta est eorum doctrina, apparet, qui probabili quadam conjectura in his, quæ populo proponunt, nituntur; nec fere quid aliud in ore habent, quam quod multorum opiniones replicantes, aut nullam suam proponunt, aut si quam afferant, eam timide, ut illis videtur, modeste proferunt. Sicut & discipuli hi recte incusentur, qui incerto modo, nova & inaudita,

dita,

dita, certis & indubitatis præferunt. Hæc autem cum docendi tum discendi academica, seu conjecturalis, ut ita dicam, ratio, viam mihi ad atheismum munire videtur.

Vers. 12. *A principiis ad altiora Nicod. instituit Christum;* Alteram *partem* reprehensionis à subjectis ductam, altero argumento a comparatione minoris, urget; ubi terrestrium rudimentorum appellatione illa intelligit, non quæ terram aut res hujus seculi resipiant, sed quæ intelligentiæ & sensibus nostris magis obvia sunt: sicut cœlestium nomine ea, quæ sunt longius remota. Sic Mosaïca lex, quæ cœlestis est, comparata cum Euangelica doctrina terrestris dicitur, *Hebr.* 12, 18, *ad* 26. Cujus similitudinis hæc ratio est, quod quæ in terris nobiscum coalescunt notiora sunt, quam quæ tanto cœli à nobis intervallo removentur. Si enim super terram tanquam repere nequimus, qui in cœlum subvolabimus? si hyssopum scansione non superemus, quomodo cedros aut abietes contingemus? Quo docemur compendiosissimam ad maxime arcana viam patere, si quis in his, quæ faciliora sunt, se exercuerit: quæ quoniam sæpe sua facilitate contemnuntur, fit ut ad altiora progressus negetur. Hinc Apostolus *Hebr.* 5, 12. ubi iter majora & altiora docendi, apud eorum nonnullos præclusum esse significat, queritur quod in primis religionis elementis infantes & parum exercitati essent. Sicut enim in graduum ascensu, si quis præteritis duobus aut tribus infimis gradibus, à primo ad quartum gradum assilire conatur, sibi ipsi ruinæ potius periculum struat, quam ascensum paret; sic qui spretis & contemtis fidei initiis, assultim ea petit quæ altiora sunt, totidem longe gravissimum animæ casum struit. Quamobrem doctissimos quosque pudere non debet, illa, quæ tritissima sunt in religione Christiana, diligenter & pluribus inculcare. *ut firmem instituendum.*

IOH. *cap.* 3. *à vers.* 13. *ad* 22.

13 *Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cælo,* nempe *Filius hominis qui est in cœlo.*

14 *Prout autem Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis:*

15 *Vt quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

16 *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

17 *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.*

18 *Qui credit in eum, non condemnatur: qui vero non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.*

19 *Hæc est autem condemnatio, quod Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam Lucem: quia sunt eorum mala opera.*

20 *Quisquis enim quæ mala sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius:*

21 *Qui vero dat operam veritati, venit ad lucem: ut manifesta fiant opera ipsius: quod secundum Deum facta fuerint.*

ANALYSIS.

CHRISTVM causam administram omnimodæ salutis nostræ esse docet; quem describit à duabus adjunctis naturis, in unam personam adunatis. Hoc item probat ab ejus effecto, quod solus in cœlum ascendit; quod etiam paribus illustrat, quod solus è cœlo descendit.

Vers. 14. Ab adjuncta cruce, qua unica Christus salutaris nobis esse potuit: quod à paribus illustratur, quia ut serpens æneus in perticam datus est, sic Christum in cruce attolli oportebat.

Vers. 15. Item à causa instrumentali, fide per Spiritum Sanctum in corde infusa, qua Christus apprehenditur; quod alio pari illustratur, quemadmodum enim Israelitæ à serpentibus icti, serpentis ænei intuitu persanati sunt: sic fidei oculo in Christum converso, à veteris serpentis plaga sanamur.

Vers. 16. Postea principalem causam nostræ salutis notat, Dei charitatem; quæ adjuncta magnitudine amplificatur, & effectum comprobatur, quod unigenitum Filium dederit; cujus donationis finis assignatur, ut credens non pereat; quod item à suo adverso amplificatur, sed habeat vitam æternam.

*Verſ.*17. Hinc finis ſuo etiam contrario illuſtratur: ſcilicet quod non miſit Filium in mundum ut condemnaret mundum.

*Verſ.*18. Fide ſervari nos arguitur à negatione adverſi, quod ſcilicet non condemnamur; quod illuſtratur ab adverſis, eum ſcilicet condemnari qui non credit; cujus ratio aſſignatur à ſubjecto, quod non crediderit in unigenitum Dei Filium.

*Verſ.*19. Altera, & illa quidem ſecundaria condemnationis cauſa, quod diligant tenebras; quod amplificatur comparatione majoris, plus quam lucem: cujus cauſa aſſignatur, quod opera eorum eſſent mala.

*Verſ.*20 Quod probat ab effectis, quia qui malum facit odit lucem; quod item altero effecto probatur, quod non venit ad lucem; quod etiam à fine arguitur, ne redarguantur opera ejus.

Verſ. 21. Quod omne ſuo adverſo illuſtratur, quod ſincere agens venit in lucem; quod fine arguitur, ut opera ejus manifeſtentur; quod arguitur cauſa efficiente, quia Dei energeia efficiuntur.

METAPHRASIS.

13. *QVaris fortaſſe quis ille eſt, qui nos in cœ-*
lum deducit; ſic habe: nemo vel hic in
Eccleſia, viam ſalutis ingredi, vel deinceps in
cœlo fœlicitate perfrui poteſt, niſi Chriſto jun-
ctus cum illo in unum corpus coaleſcat: ſicut
enim humana natura aſſumpta ſolus de cœlo
deſcendit (ubi etiam homo factus quoad divi-
nam naturam etiamnum in cœlis eſt) ſic ſo-
14. *lus cœlum aſcendere & penetrare poteſt. Sicut*
autem univerſæ ſalutis noſtræ meritum &
materies in illo concluſa tenetur; ſic niſi per
crucis ſuæ mortem, nullus nobis ad Deum a-
ditus patet, ob eamque cauſam olim in ſerpen-
te æneo adumbratus eſt: ſicut enim ſerpens æ-
neus formam veri ſerpentis induens, veneni
expers erat; ſic Chriſtus nobis, cæteroqui in
omnibus conformis factus, à peccato, tanquam
veteris ſerpentis veneno, liber fuit. Deinde,
15. *ſicut ſerpens æneus in perticam elatus eſt, ſic*
Chriſtum in cruce attolli oportebat. Denique,
ut Iſraëlitæ à ſerpentibus icti, ſolo intuitu ſer-
pentis ænei ſanitati reſtituti ſunt; ſic nos ve-
teris ſerpentis ſtimulo percuſſi, ſola fide, tan-
quam animi oculo in Chriſtum converſo, per-
16. *ſanamur. Summa autem ſalutis noſtræ cauſa*
ſi quæratur, non alia acquirendo inveniri po-
teſt, quam Dei Patris charitas, quæ tanta &
tam incomparabilis fuit erga ſuos, quos in
mundo elegit, ut Filium ſuum unigenitum de-
derit; hoc conſilio, ut omnis qui in eum credit,
morte ereptus, vitam æternam conſequatur.
17. *Neque te anxium habeat, quod maxima pars*
hominum ſibi filii Dei repudiatione mortem
18. *acceſſat. Hoc enim eorum vitio fit; Deus enim*
Filium ſuum in mundum non miſit ut mun-
dum condemnaret, ſed ut mundus, ex Iudæis
pariter & Gentibus conſiſtens, per eum ſerva-
retur: Quamobrem qui in eum credit, nun-
quam in omne ævum condemnationi obnoxius
erit; qui autem infidelitate animum ſuum
contra illum pertinaciter obfirmat, is Dei de-
ſtinato conſilio jam exitio addictus & adjudi-
catus eſt: nec injuria, quum fidem ſuam in
unigenito Dei Filio figere renuit: ut propius
accedam, & ad ſenſum tuum accommodatius
& familiarius; hinc eſt hominum condem- 19.
natio, quod meo in mundum adventu mirifi-
ca lux affulſit, cum homines tamen luci tene-
bras prætulerint. Cujus præcipua cauſa (certe 20.
maxime propinqua) eſt, quod opera & ſtudia
illorum mala ſint; ſic enim penitus compara-
tum eſt, ut qui malefici ſunt, lucem cane pe-
jus & angue odiant, eamque quam maxime
fugiant: ne ſi luci admoverentur, opera eo-
rum mala eſſe coarguerentur: qui autem ſin- 21.
cere agit is ad lucem accedit, ut lucis beneficio
à Deo provenire, & profecta eſſe opera digno-
ſcantur.

PRAXIS.

HActenus de regeneratione per Spiritum, dictum: jam ſequitur de fundo & fundamento regenerationis noſtræ, Chriſto Ieſu, à Patre dato; ſicut enim Pater per Spiritus ſui ſolam virtutem nos regignit; ita propter Chriſtum ſolum, hoc in nos adoptionis beneficium confert. Quo in negotio ita Chriſtus verſatur, ut primum totum reformationis noſtræ aſſem ad Chriſti meritum referat; deinde ea refellit, quæ cum ea doctrina pugnare poſſe videantur.

Verſ. 13. *Quid indicetur per aſcenſionem in cœlum?*

Antequam ſenſum hujus loci reddamus, quædam, quæ occurrant difficiliora, explicemus. Per *aſcenſionem in cœlum* indicantur omnes viæ & rationes potiundæ fœlicitatis promiſſæ, ſive hic in Eccleſia, quæ in terris eſt, fidem & remiſſionem peccatorum conſequendo: ſive alibi in cœlis, poſt hanc vitam, re ſperata & perfecta redemptione perfruenda. Quod autem *filius hominis deſcendiſſe de cœlo*, & jam tum, cum in terris eſſet, *in cœlo extitiſſe* dicitur, id fit propter unitatem perſonæ in duabus naturis; quæ unitas tantam vim habet, ut quod Filio Dei proprium eſt, filio hominis communicetur; & contra. Cum enim hypoſtatica corporis & animæ unione, quæ ad aliquod tempus dirimi poteſt, fiat ut toti detur, quod uni parti competit; tum in hac unione, quæ eſt indiſſolubilis, hoc magis præſtatur. Diſcimus

quomodo Chriſtus in cœlo ſit & ex eo deſcenderit?

mus igitur, Christum hominem, tunc in terra existentem, in cœlis fuisse; nunc in cœlis, in terra esse: sed non tamen dicimus humanam naturam simul in cœlis & in terris esse; sicut Deum passum, crucifixum; sed non Deitatem. In eo tamen scrupus est, quod descendisse de cœlo dicitur; quod neque divinæ naturæ, quæ loco non movetur, nec humanæ, quæ ex terra germinavit, competit. Sed *descensus* hoc loco, ut *Genes.* 11, 5. & *Exod.* 20. ἀνθρωποπαθῶς, divinæ naturæ attribuitur, propterea quod Deus hic in terris, (quod nunquam alias tam admirabiliter) se declaravit. Deus enim est in carne manifestatus, vel potius, assumpta natura humana, apparuit in terra. Hac loquendi formula omnes homines, præter Christum, excludi videantur è cœlis. Sed sciendum, Ecclesiam Christi & Iesum, Mariæ & Dei Filium unum Christum constituere. 1 *Cor.* 12, 12. *Ephes.* 2, 5, 6. *Actor.* 9, 4. *Col.* 1, 24. Et hoc ex natura spiritualis dispensationis confirmatur. Non igitur minus à Christo disjungi potest corpus Christi mysticum (quod est Ecclesia) quam corpus naturale Christi à sua Deitate.

Vox descensus quomodo hic sumatur?

Sensus autem loci est, nemini ad salutem, aut ad ullam salutis partem, sive cognitione, sive agnitione, viam ullam patere: sive enim de mysterii intelligentia quæritur, in qua Nicodemus tam crasse hallucinatus est, aut per Christum ascensus patet, aut per quam illam consequaris, via nulla est. Ille enim nobis à Deo Patre Consiliarius & Sapientia factus est; & sapientiam mysterii Euangelii in Christo nobis patefecit: qui idcirco noster est à Deo Doctor designatus, solus in sinu Patris constituitur, ut nobis arcana ejus aperiat; sive de redemptione, &c. Is est agnus, qui tollit peccata mundi: is est Sacerdos. Vide *Esa.* 9, 6. 1 *Corinth.* 1, 24, 30. *Ephes.* 1, 8, 9. Quod illos coarguit, qui dicunt unumquemque servari sua religione. Item illos, qui vitam quærunt in se & operibus suis, aut in sanctorum meritis, cum Christus solus scala sit ad cœlum.

Ex his in Christo solo salus.

Vers. 14. Replicetur ex *Num.* 21, 9. Christi vero in altum elatione ejus crux designatur. Christus enim serpente æneo repræsentatur. Nam sicut serpens æneus formam serpentis habebat, cum tamen veneni expers esset; sic Christus per omnia nobis similis factus est, si peccatum excipias. Christi crux pertica adumbratur, sicut *Ioh.* 12, 32, 33. exponit apertissime. Cum igitur omnes partes salutis nostræ in Christo collocatas esse superius docuisset, hic subjungit, non nisi in Christo crucifixo illas à nobis possideri posse. Quemadmodum enim Israëlitæ, non nisi in serpente in perticam elato, medicinam a morsu consequuti sunt: sic neque in Christo nisi crucifixo salutem ullam adipiscimur. Fons enim salutis in Christo abundantissime conclusæ, nobis obsignatus & obseratus, nisi perforato corpore, & doloribus transverberata anima ejus, reseratus & reclusus non fuisset. Vnguentum illud preciosissimum, quod in Christo conclusum tenebatur, nos aut perfundere, aut levissime aspergere non potuisset nisi diffracto corpore ejus, tanquam alabastro, in nos effusum fuisset. Denique sicut panis in Cœna, nisi fractus & comminutus nos nequit pascere: sic neque Christus mundi panis, nisi in cruce fractus, nobis pabulo ad vitam æternam nunquam exstitisset. Hinc est, quod ad *Hebr.* 9. dicitur, sine sanguinis effusione non esse peccatorum remissionem. Quod Apost. 1 *Cor.* 1, *v.* 22. Iudæis signum, Gentibus sapientiam postulantibus Christum proposuit, & eundem crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Græcis vero stultitiam, sed nobis, qui cum Iudæis, tum ex Gentibus servamur, Christum Dei potentiam & sapientiam; & 1 *Cor.* 2, 2. se nihil inter eos profiteri, aut præ se ferre ajebat, nisi Christum, & eum crucifixum. & ad *Galat. cap.* 6, *vers.* 14. procul à se esse precatur, ut glorietur, nisi in cruce Filii Dei: nihil igitur est cur Christi humilitatis & crucis nos pudeat, cum ea nos evehamur, & inferni crucem declinemus. Nec tamen reliqua Christi obedientia excluditur; sed hæc synech. proponitur, eoque magis à Christo urgetur apud Iudæos, dicentes, quod Messiæ affingerent gloriosum nescio quem apparatum. Simul admonet Nicodemum, ne humili ea specie & habitu offendatur, ut illum Messiam esse minus credat; quandoquidem in Messiæ conditionem hoc etiam caderet, quod cruci suo tempore affigendus esset.

Christi cum serpente æneo comparatio.

Hanc similitudinem ænei serpentis ulterius persequitur: sicut enim Israëlitæ, defixis tantum in serpentem oculis, persanati sunt; ita nos, fidei oculo, à stimulo & veneno peccati nobis à vetere serpente infixo, servamur. Fidei enim, & oculi corporis aptissima convenientia est. Fide enim, Dei faciem quasi contemplamur: *Hebr.* 11, 27. *Per fidem Moses invisibilem tanquam visibilem*, Vers. 15. *ejus ulterior persecutio.*

præſtolatus eſt. Hic locus juſtificationem ex ſola fide illuſtrat. In quo etiam ſpecialius docet, quo potiſſimum Spiritus Sancti dono regeneramur: fide ſcilicet, ut *Ioh. cap.* 1, *verſ.* 12. *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis copiam, ut Filii Dei eſſent*. Hinc eſt, quod fides manui comparatur, qua Chriſtum prehendimus; Pedi, quo Chriſto appropinquamus. *Ioh.* 6, 35, 36. Dentibus, quibus Chriſtum comedimus; Ori, quo illum ad vitam bibimus; Alæ, qua in cœlum attollimur. *Rom.* 10, 6.

Verſ. 16. *Magnitudo Divini amoris in Filio miſſione;*

Iam efficientem, & primam cauſam ſalutis noſtræ attexit; Dei erga nos charitatem; ne dicatur merita noſtra, Chriſtum Dei Filium è cœlis devocaſſe: non igitur, quod nos primi eum dileximus, eramus enim inimici, ſed quod ille nos dilexit.

Vna etiam docet, quam ardens & intenſus Dei erga nos amor exſtitit; qui Filio ſuo unigenito ad mortem, & quidem crucis, non pepercit: nec enim, ullum efficacius amoris divini erga homines eſſe, aut excogitari potuit argumentum, quam quod Filium ſuum ad mortem tradidit. *Epheſ.* 2, *v.* 4, 5. Si Filium ſuum in terram detruſiſſet, ut totius mundi dominus & imperator eſſet, magna fuiſſet Filii dejectio: ſi ut pari cum reliquis hominibus conditione viveret, maior adhuc fuiſſet: Quod autem ſervi conditionem ei attribuit, morti ſubjecit, & quidem crucis, in eo incomparabiles amoris ſui divitias declaravit, præcipue cũ pro hoſtibus hoc fecit.

Verſ. 17. *quæ ad mundi ſalutem ſacta;*

Præripit occupatione argumentum ab adverſis, quod Nicodemum, quo minus in Chriſtum crederet, impedire poterat; maxime ſi conſiderentur Iudæorum in eum conatus, qui ſequuti ſunt: Chriſtum multis ſcandalo eſſe: & pleroſque eſſe, qui illum aut oppugnent, aut certe pro contempto habeant: unde Deus Pater videri poterit, Chriſtum ad multorum condemnationem introduxiſſe, ſicut à Simeone dictum eſt, ad multorum ruinam poſitum. Poterat enim animum ſubire Deum (ſi ipſe eſſet Dei Filius & Meſſias) effecturum, ut homines eum agnoſcerent. Reſpondet autem hoc Deo inſtitutum, & proprium opus non eſſe, ſed aliunde ab hominibus promanare. Deus enim filium non miſiſſet, niſi ſalus hominis hoc poſtulaſſet; Chriſtus ſuis operibus teſtatus eſt, ſe ſalutem hominum procurare omnibus modis, medicinam eorum malis porrexiſſe; illos autem, aut quod medicinam reſpuerant, aut quod ſecus, quam præſcripta erat, admitterent, interiiſſe.

Verſ. 18. *& qui eum rejecerent condemnationem;*

Hujus autem condemnationis præcipuam cauſam aſſignat, perfidiam ſeu infidelitatem, qua Chriſtum, apud illos eorum bono divertere cupientem, procul à ſe rejecerunt. *Ioh.* 1, *v.* 11. recipiunt enim Chriſtum fide. vide *Matth.* 20. Maxime cum tam copioſo teſtimonio Dei, hominum & operum ſuorum, nobis commendatus ſit; eique diffidere, ſit Deum (quoad in nobis eſt) mendacii argui.

Verſ. 19, &c. *quæ ex illorum malis operibus provenit;*

Alteram cauſam condemnationis aſſignat, mala illorum opera; quæ quoniam à Chriſto tanquam luce prodebantur, ideo illi tantopere infenſi fuerunt: ut cum quis in furum ſpeluncam facem infert, qua & hi, & furta eorum deteguntur. Scimus enim fures & adulteros, noctem & receſſus quærere, & qui merces corruptas vendunt, ægre illas ferunt in lucem pertrahi; ſicut contra viri integri meridie ſe ſpectandos præbere, & qui probas merces diſtrahunt, non recuſant, quo minus in lucem afferantur, quæ vendunt. Pii autem tametſi à malis operibus penitus liberi & immunes non ſunt; tamen ad lucem Verbi Divini ea libenter admovent, ut improbitatis convicti ea corrigant, & ut bona eorum opera, ex luce teſtimonium probitatis accipientia, alacrius perſequantur & accuratius.

in quam propria culpa incidere.

Hic ſi improbi oblatrant, ſe nullis viribus ad credendum, aut ad benefaciendum à Chriſto & Deo juvari; regeritur, eos in hanc ἀδυναμίαν proprio vitio incidiſſe, in illa adhuc manere, illa ſe oblectare, Deum vero pro ſua voluntate, liberrime agere, nullius in ære eſſe, nec quidquam cuiquam debere, omnes illi debitores eſſe. Quod ſi pergant oggannire, cur illis præteritis alios ad meriti ſui participationem adhibeat, nonne de ſuo largiri pro libito poteſt? eſtne oculus tuus malus, quod ejus ſit bonus? *Matt.* 20, 15.

IOH. *cap.* 3. *à verſ.* 22. *ad* 31.

22 Poſtea venit IESVS & diſcipuli ejus in Iudææ territorium: & illic educa-
batur cum eis, & baptizabat.

23 Baptizabat autem etiam Iohannes in Aenon prope Salim; quoniam aquæ
multæ erant illic, & veniebant ac baptizabantur.

24 *Non-*

24 Nondum enim conjectus fuerat Iohannes in carcerem.

25 Orta est igitur quæstio quibusdam *ex discipulis Iohannis cum Iudæis de purificatione.*

26 Veneruntque ad Iohannem & dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Iordanis, cui tu testimonium dedisti: ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.

27 Respondit Iohannes & dixit, Homo non potest recipere quicquam nisi fuerit ei datum e cœlo.

28 Vos ipsi mihi testes estis me dixisse, Non sum ego Christus, sed missus sum qui apparerem *coram eo.*

29 Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, hoc ergo gaudium meum impletum est.

30 Illum oportet crescere, me vero minui.

ANALYSIS.

DEscribit occasionem disceptationis de Baptismo *Ioannis*, & discipulorum Christi, ab effecto, Christi profectione Hierosolymis; quæ profectio describitur ab adjuncto tempore, absoluto scilicet dialogo cum *Nicodemo*, alio adjuncto, nempe comitatu discipulorum: deinde à subjecto loci, quo profectus est, Iudææ scilicet territorium, post adjuncta commoratione; denique ab effecto, quod scilicet discipulos baptizabat.

*Vers.*23. Hæc occasio præterea describitur ab effecto *Iohannis* baptizantis, qui baptismus describitur à subjecto loco Ænon, qui etiam locus describitur adjuncta propinquitate *Salem*; cujus causa redditur ab adjuncta materia aquæ copiosæ; cujus baptismi tum discipulorum Christi, tum *Ioannis* effectum erat, quod multi baptizabantur.

*Vers.*24. *Ioannis* item Baptismus ab adjuncto tempore arguitur, quod nondum erat in carcerem conjectus.

*Vers.*25. Hactenus de occasione disceptationis, sequitur ipsa disceptatio; quæ describitur primum à causis efficientibus, scilicet discipulis *Iohannis* ex una parte, & certis quibusdam Iudæis ex altera parte: deinde à subjecto circa quod, nempe de baptismo, qui suo effecto purificationis insignitur.

*Vers.*26. Postea effectum utriusque partis ad *Ioannem* accedentis; deinde altero effecto sermonis, quem apud *Iohannem* habebant; cujus species exprimitur enunciato cõposito copulativo, quod qui juxta Iordanem erat cum *Iohanne*, cui ipse *Iohannes* testimonium præbuit, baptizaret, & ad eum omnes venirent; ubi videntur Christum ingratitudinis erga *Iohannem* insimulare, argumento disparato, quod beneficio à *Iohanne* accepto, malam illi gratiam reposuerit, quod ad se venientes, & à Iohanne deficientes admiserat.

*Vers.*27. Hujus insimulationis effectum erat *Iohannis* responsum, quo illorum insimulationem retundit, 1. ab adjuncto fidelis ministri, nihil sibi arrogantis præter quod cœlitus illi datum est.

*Vers.*28 2. A suo de se testimonio, quod ipse non esset Christus; quod à disparato arguitur, quia missus erat tanquam apparitor & metator, ut illi viam pararet; quod omne à testimonio propriæ eorum conscientiæ confirmat.

*Vers.*29. Iesum à relato Christum esse probat, quia sponsus est, & propterea Ecclesia sponsa ejus modo; Christum autem esse sponsum à disparato confirmat, scilicet quod sit sponsæ amicus, seu paranymphus; cujus effectus describit stationem, scilicet propriam administri, deinde solidum gaudium ex auditione vocis sponsi ad sponsam, cujus adjunctam plenitudinem, & omnibus numeris quasi perfectionem, ex hoc ipso quod illi tam invidiose Christum criminabantur.

*Vers.*30. Ex adjuncto Dei decreto, adversus invidiosam illam criminationem Christi, coarguit, quod Christum oportet augeri; quod etiam ab adverso illustrat, quod se oportet minui.

METAPHRASIS.

A*Bsoluto Christi cum* Nicodemo *dialo-* 22.
gismo, Iesus nunquam in opere paterno
lassus, profectus est Hierosolymis cum suis dis-
cipulis in territorium Iudææ, ubi ad tempus
cum illis commoratus, discipulorum ministe-
rio baptizabat. Eodem ipso tempore Ioannes 23.
etiam in Ænon prope Salem baptismum ad-
ministrabat: erat enim eodem loci magna a-
quarum copia. Ad utrumque vero baptis- 24.
mum, tum illum quem Christi discipuli, tum
illum quem Iohannes *administrabat, homines*
aggregati baptismo consignati sunt: hic si quis
excipiat, non potuisse Iohannem *baptizare*
quod esset in carcerem conjectus, responsio in
promptu est: Iohannem *nondum in carcerem*
conjectum fuisse, eoque ab accepti muneris
functione, ne tantillum quidem temporis va-
care voluisse. Ex utroque igitur baptismo 25.
hinc discipulorum Christi, istinc vero Ioannis
Baptistæ disceptatio orta est; litigantes erant,
una parte discipuli Iohannis, *altera certi qui-*
dam Iudæi. Controversia autem nota est de 26
baptismo, qui propter eximium effectum (cujus
est singulare instrumentum, purificationis no-
mine insignitur. Quamobrem ad Iohannem
veniunt, illum ad hunc modum affati, vene-
rande præceptor: *is qui tecum erat secus flu-*
men

men Iordanis, cui tu peramice amplissimum
testimonium perhibuisti (adverte quæsumus
rem indignam) per suos administros baptizat,
& ad eum omnes te deserto veniunt, quos ille,
tuæ humanitatis & benevolentiæ oblitus, non
27. *gravate admittit. Quibus Iohannes, nemo*
(salvo boni viri officio) potest sibi quidquam
in Ecclesia arrogare, quod illi non à Deo (cu-
jus maxima in cœlis gloria splendescit) con-
cessum sit; unde etiam nec ego, nisi perfidus
esse velim, hanc quam defertis mihi dignita-
28. *tem accipere possum. Me quod attinet, non*
sum Christus ille, sed missus ut illi tanquam
metator viam struerem, quam me rem palam
29. *professum esse, vos ipsos testes appello: istum*
autem Iesum Ecclesiæ sponsum esse, argumen-
to est, quod Ecclesia tanquam sponsa se ad il-
lum recipit: de me vero satis mihi fuerit
quod sponsi amicus sim, quod mihi liceat tan-
quam ministro & præbitori adstare, ejus ad
sponsam vocem audire, & sic dulcissimo ejus
cum sponsa colloquio, solido gaudio gaudere:
tantumque abest, ut hujus frequentis concur-
sationis auditione discrutiar, ut pleno & ex-
30. *pleto gaudio inde perfundar. Atque ut hæc*
res me (quod absit) cruentaret, illum tamen
Dei immutabili decreto in dies augeri & au-
gustiorem reddi, me vero minui & obscurari
oportet. Quod quidem æquissimum esse inde
liquet, quia mea existimatione præter jus &
veritatem aucta, Christus debitam sibi glo-
riam nondum consequutus est.

PRAXIS.

CHristus invidiose apud Iohannem traductus, ab eodem defenditur, & amplissimo testimonio ornatur.

Cujus partes sunt { Delatio Christi apud Iohannem, & Iohannis pro Christo propugnatio.

Ex baptismo Christi & Ioan. orta de eo quæstio;

Criminationis hujus occasio notatur, quod uterque & Christus & Iohannes baptizabant. Qui cum (ut videtur) procul ab invicem dissiti non essent, numero discipulorum utrinque perspecto; orta est de *Purificatione*, id est, de Baptismo, quæstio. Nam sicut Marcus corruptas & superstitiosas Iudæorum lotiones, baptismi honorifico titulo insignit; ita Iohannes eodem purificationis vocabulo, quo *cap.* 2, 6. Iudæorum superstitiosas lotiones notarat, sacrum mysterium Baptismi appellat.

Vers. 22. qui ipse non baptizavit sed ejus discipuli,

Quod Christus baptizasse dicitur, quia discipuli ejus ipsius mandatu, hoc fecerunt, docet eos, qui aliis præsunt, conjunctam rationem habere, & communionem cum his omnibus, quæ à suis subditis, eorum aut mandatu aut permissu fiunt, sive bona sint sive mala; ex his laudem percepturos, sicut ex illis vituperium.

Vers. 23, 24. verū Ioan. ipse absque intermissione:

Quod Iohannes baptizasse dicitur, quia nondum in carcerem conjectus est: docemur fidelis ministri partes esse, quamdiu potest, suscepto muneri incumbere: quod utinam de nostris hominibus affirmare liceat, eos idcirco prædicare, quia libertate fruuntur, & possunt prædicare. Quid, quod Iohannes carcere inclusus non destitit discipulos instituere, quod idem Apostolus fecit.

Vers. 25. in hac quæstione discipulis Ioan. se adjungunt Iudæi,

Huic discipulorum Iohannis iniquissimæ criminationi, tanquam comites se adjungunt plerique ex Iudæis; sic enim hunc locum potius explicandum, quam ut Iudæos se Iohannis discipulis opposuisse, & Christi causam egisse existimarim; maxime cum ex *Luc.* 5,30, *ad* 33. & *Matth.* 9, 14. apparet, Iohannis discipulos, una cum Pharisæis, Christum aggressos; quo accedit, quod omnes hanc quæstionem ad Iohannem referunt, & criminationem apud eum instituunt. In quo docetur, quam promptum & proclive sit hominibus, in Christum & veritatem conjurare; quandoquidem his, qui diverse inter se sentiebant, bene tamen adversus Christum convenit. Nam Iudæos à Iohannis discipulis distinctos, ejusdem in religione sensus non fuisse liquet; sic Pharisæi cum Herodianis, item cum Sadducæis, & Herodes cum Pontio, inter se summe digladiantes, adversus Christum unanimiter feruntur: quod nos admoneat, ut invicem ad veritatis defensionem coalescentes, junctis viribus in Philistæos involemus, caveamusque ne brachia mutuo corrodamus.

quare non debemus offendi si quando veritatis propugnatores eam oppugnent.

Ne nos offendat si quando hi, qui veritatis se discipulos profitentur, veritatem impugnent; quod plerosque offendit, cum videant Euangelicorum nomine insignitos, Euangelio caliginem offundere, aut ejus celeriorem cursum impedire. Iohannis enim Discipuli, eandem cum Iohanne fidem præ se ferentes, Christum, quem Iohannes unice evectum cupiebat, deprimere, aut certe in ordinem cogere conati sunt. Quanquam & illud observandum, quosdam hoc per inscitiam imprudenter facere; sicut Iohannis discipulos fecisse verisimile est; in quos æquiores & faciliores nos esse oportebit: alios non sine malitia. *Phil.* 1, *v.*15. Sicut enim in bello, qui sub uno duce stipendia merent, nonnun-

nonnunquam sociis suis plus obsunt, quam prosunt, & hi quidem imperitia rei militaris, illi vero proditorie: sic &c.

Vers. 26. *Ex nimio amore in præceptore hæc his orta,*

Crimen intendunt, ut videtur, ingratitudinis, quod Christus à Iohanne baptizatus, & ejus testimonio ornatus, jam incipiat ejus existimationem imminuere. In quo forte existimarunt, Iohannem, modestia quadam priores Christo partes dedisse, ob eamque causam Christi partes fuisse, delatum ad se per Iohannem honorem, in eum refundere. Itaque nimio præceptoris sui amore, in hunc errorem lapsi sunt. Hujusmodi quid legimus de Iosua; qui Eldado & Medado invidet, propter Mosem. Cavendum igitur est, ne personarum aut Doctorum nimia admiratione, aliquando in veritatem ipsam iniquiores simus: quod quidem eo diligentius faciendum est, quo magis lubricus hic locus est, & in quo plerique prolabuntur. Nam hominibus sæpe videtur, nihil immodice aut dici aut fieri posse in eorum commendationem, qui pii & præclari viri, & veritatis assertores extiterunt; & iniquissime de illis sentiunt, qui eorum omnia sine exceptione, non probant, qui de Republica Christiana præclare meriti sunt: hoc Germanos plerosque fefellit: hoc & nostris hominibus, in præclaris nostri temporis luminibus, imponit; qui cum martyrii corona redimiti sint, magna illis injuria fieri videtur, nisi ea omnia probemus, quæ illis probata esse cognovimus. Videmus porro quomodo invidi aliorum bona, lippientibus oculis intuentur; quibus unum aliquid, multa; & pauca, omnia videntur. Bene enim pauci erant, qui ad Christum veniebant, prout qui debebant; & paucitas illa deploranda erat potius, quam æmulatione prosequenda. Quod magis ex Iohannis verbis liquet; qui nullos in Christum credidisse, & ejus testimonium prout decuit, accepisse, &c. nullos prout fieri oportebat questus est: hujus rei alterum exemplum exstat *Ioh.* 12, 19.

à quo nobis cavendum,

In Luthero.

In Cranmero, Ridleo.

quod sæpe absque Doctorum dissensio.

In Iohannis pro Christo propugnatione hoc, in universum, notari oportet, probe sæpe inter Doctores convenire, quorum discipuli inter se in eo etiam dissident, in quo se præceptorum suorum imitatores & admiratores præstare volunt; & in magna doctorum in doctrina consensione, sæpe existere discipulorum graves dissensiones, id aliqua ex parte in his, quos superius annotavimus, apparet. Hi enim Doctores, unde quidam se tantopere venditant si reviviscerent, pudore certe ab his suffunderentur, quæ ab eorum imitatoribus proponuntur.

Vers. 27. *Hæc his dirimitur ex officio ministri;*

Primum argumentum quo illos refellit, ducitur ab adjecto fidelis ministri, qui nullum sibi in Ecclesia honorem sumit, nisi qui datus est à Deo; eoque ipso se non posse sibi arrogare, quod Christi est solius. vide *Heb.* 5, 4.

Vers. 28. *ex quo Ioan. ipse de Christo testificatus est.*

Alterum argumentum est à suo & proprio testimonio, quo hanc dignitatem a se repudiatam Christo detulit. Coarguit illos erroris ab effecto principali, quod tametsi ab illo fidelissime, apertissime, sæpissimeque edocti essent, Iesum Messiam, se eum non esse, sed duntaxat ejus legatum & metatorem; tamen in tanta luce doctrinæ cœcutierunt; quod manifesto indicio est neminem posse nisi à Deo illuminatum, ad cœlestium mysteriorum notitiam pervenire. Hinc est ut discipuli toties de rebus clarissimis enucleatissime edocti, nihil tamen eorum percipiebant. Tametsi enim Paulus scientissime plantaverit, & Apollo diligentissime rigaverit, tamen nisi Deus fructum det, omnia cassa sunt. Perinde enim est, ac si surdo fabulam narres, aut coram cæco facem accendas, nisi Deus aures perforet, aut oculos adaperiat.

In hac autem Christi defensione comparatio Christi instituitur cum { Iohanne, & aliis { omnibus hominibus, & fidelibus.

Vers. 29. *Ioannes omnē honorem Christo tribuit;*

Argumento Relationis probat illum honorem, quem sibi habere parati erant, unius Christi esse, nec debere secum communicari: Ecclesiæ tanquam sponsæ, unus duntaxat sponsus est, quem cum Christum esse vos docui, hunc mihi honorem non competere in promptu est. Quod adhuc disparatorum argumento probat; se esse amicum sponsi, non igitur sponsum: sicut prius docuit se esse Christi legatum, non igitur Christum. Amici autē iidem sunt cum his qui *Luc.* 5, 34. dicuntur *Filii thalami*; qui non tantum ad convivium invitati sunt, sed ad thalamum ejus admissi; & qui sponsum ad sponsæ domum ducebant; & qui in ambienda sponsa adjutores fuerunt; delecti viz. viri ex omnibus, quos sponsus charissimos habebat. Vnde *Iud.* 14, 11. Samson delegisse dicitur triginta juvenes; quod idem à sponsa in virginibus factum est. Cujus utriusque exemplum proponitur in *Canticis*: cujas etiam umbra & vestigia apud nos visuntur. Vide *Psal.* 45, 9, *ad* 14. *Esa.* 54, 5. *Os.* 2, 19, 20.

Hinc

contra Papæ arrogantiam:

Hinc *Papæ* perfidia dignoscitur: qui se in Christi locum infert, & ea officia sibi vendicat, quæ sponsi unius sunt; ut quod Ecclesiam ad sui absolutum (sine exceptione) obsequium obligat; se ab Ecclesia coli & adorari patitur; leges & instituta familiæ ipse rogare sibi assumat; cum ut in bene instituta familia sponsus, sic in Ecclesia Christus, unice audiendus est, & ejus imperium agnoscendum est. Quanquam igitur totidem verbis se Ecclesiæ sponsum esse non dictitet, tamen cum illa sibi arrogat, quæ sponsi solius sunt, sacrilegii eum teneri necesse est; maxime vero cum alia Christi insignia, Christo non minus quam hæc propria, in se transferat: ut quod caput Ecclesiæ dicitur. Quam enim putidum sit eum esse caput ministeriale, aut vicarium, ex hoc loco constare potest: perinde enim illum ministerialem sponsum aut vicarium, quam vicarium caput dicas. Præterquam vero quod Christus per Spiritum suum in Ecclesia præsens, vicario non eget.

ministrorũ honos quod amici sponsi.

Observandum porro, quantus honos Ministris Verbi habitus est, cum inter Christi sponsi amicos adsciscuntur, quibus in ipsum thalamum sponsi aditus patet. Quo docentur, ut Iohannis exemplo, se propterea fideles Christo præstent, ne ipsi sponsam corrumpere audeant, & ejus amores à Christo ad se traducant. Memorabile est exemplum Iosephi, cui cum omnia, quæ in heri familia erant, permitterentur, hoc argumento usus est ad se in officio retinendum, adversus heræ suæ meretricias inescationes.

Ioannis in Christi incremento gaudium;

Argumento alio à paribus utitur: quo docet indignum esse, ut ipse Christo plures discipulos colligenti invideret: sicut enim amicus sponsi seu paranymphus, gaudet cum sponsæ voluntatem usque eo inflexerit, ut sponsus ad ejus sermonem admittatur, & veluti cum sponsa colloquatur; sic Iohannes se incredibili quodam gaudio perfusum declarat, quod tam fœliciter ei ceciderit, ut Ecclesia, prout ab illo commonita est, ad Christum se contulerit, & cum eo in colloquium venerit, eumque audire, & ei obtemperare parata sit: Illos igitur absurde facere, qui ejus causa id dolent, quo de ipse serio triumphat. Par studium in Paulo perspicitur, 1 *Thes.* 2, 19, 20. & 3, 8, 9. in quo perspicitur, Deum conatus Iohannis secundasse, qui homines à se ad Christum traducere diligenter conatus est; & Iohannem singulari gaudii fructu perfruitum.

Vers. 30. post quem debet ipse minui:

Argumento alio utitur adverso: vos meæ amplitudinis augendæ, studiosi estis, sed erratis; nam me existimatione decrescere oportet. Deinde illud vos urit, quod Iesu famam & nomen invalescere intelligitis; sed non minus stulte & illud, nam illum oportet indies honoris incrementa sumere. Præterquam igitur, quod summa voluntate mea, & animi mei voto fiat, ut & ego decrescam, & crescat ille; ita omnia fieri oportet: ut si vel ipse, vel vos contra moliremur, nihil esse cernamus; quandoquidem ita decretum est à Deo, summo omnium moderatore. Quod autem se decrescere dicat oportere, ideo facit, quod homines plerique adhuc nimis quiddam de eo sentiebant, quam veritas ferebat; ut contra de Christo minus, quam decebat honorifice. Hoc igitur frænum sit, quo cohibeantur homines, ne plus justo honores & existimationes appetant: tametsi enim eis ad tempus fruuntur, tamen tandem, tanquam fœnum aut stipula, ab igne & luce veritatis consumentur. Sicut enim in mercatoribus usu venire solet, ut qui plus negotiationis amplectuntur, quam res eorum & facultas ferat, non ita multo post fide concidunt, & foro concedant &c. Testes sunt multorum temporum Heresiarchæ, qui primo existimatione apud plerosque pollentes, exiguo tempore & paucis annis intermissis, tanquam herba in tectorum summitate & fastigio succrescens, exaruerunt, & nemine persequente, veluti in fugam se receperunt. Si enim pii Ministri & fideles, moderata & concessa existimatione contenti, & immodicam & superfluam omni conatu aversantes, hanc jacturam patiuntur, næ illos, qui eam studiose conquirunt & colligunt, ea mulctari oportet.

quare Ioan. hoc de se dicat?

IOH. *cap.* 3. *à vers.* 31. *ad finem Capit.*

31 *Qui superne venit, supra omnes est: qui è terra est, terrenus est, & terrena*
loquitur: qui è cœlo venit, supra omnes est.
32 *Et quod vidit & audivit, hoc testatur: sed testimonium ejus nemo recipit.*
33 *Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit Deum veracem esse.*

34 Nam

34 *Nam* is demum *quem misit Deus, verba Dei loquitur: non enim* huic *admetitur Deus spiritum.*

35 *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum.*

36 *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

ANALYSIS.

PRæstantiam Christi à subjecto loco arguit, quod superne veniat; cujus effectus est, quod supra omnes est; quod etiam illustrat ab adverso, quod omnes homines ex terra sunt: cujus effectus prior est, quod sunt affectu terreni; alter effectus, quod sermo illorum sit terrestris: quod per Epanalepsin resumit subjecto loco, quem specialius notat, nempe cœlum; cujus item effectum ut supra indicat, quod sit supra omnes.

Vers. 32. Alterum effectum & testimonium quod Christo præbuit; quod exornatur duobus, adjuncta visione scilicet & auditione ejus quod testatur; unde hominum adjunctam contumaciam & perfidiam notat, qui hoc non admittunt.

Vers. 33. Quæ perfidia illustratur ab adverso eorum qui testimonium ejus accipiunt; quorum illustre effectum est, quod Deum verum esse in promissis agnoscant; quod etiam comparatione parium illustratur, obsignatione scilicet veritatis divinæ.

Vers. 34. Cujus ratio assignatur à relato, quod legatus Dei verba Dei loquitur. Cum Christi præ omnibus hominibus præstantiam docuisset, nunc illam proponit præstantiam, qua omnibus fidelibus & electis antecellit; quam arguit à comparatione majoris, quia Deus illi dona Spiritus sui citra mensuram admensus est, quem certa mensura omnibus fidelibus distribuit.

Vers. 35. Deinde alio comparato, quod omnia illius potestati subjecit, quod nulli ex fidelibus fecit; cujus causa principalis efficiens, est Patris erga Filium amor.

Vers. 36. Hanc Christi præstantiam porro arguit ab adjuncto vitæ æternæ, quam consequuntur omnes credentes in Christum; quod etiam ab adverso illustratur, excludi scilicet vita æterna illos, qui in eum non credunt; cujus causa assignatur, quod ira Dei manet super illos.

METAPHRASIS.

31. *NEc mirum videri debet, si me præstantior sit, cum omnibus universum toto terrarum orbe hominibus præferatur. Superne enim oriundus, omnes superat, quandoquidem ex terra ortum ducens, nihil nisi terrena sapit, nec nisi terrena loquitur; qui autem cœlitus descendit, omnibus antecellit. Vnde etiam non*
32. *nisi certa, id est, tum visa tum audita testificatur; tantumque abest, ut omnes (quod vos invidiose dixistis) ad illum veniant, ut nulli fere (præ ut quod debent) illum accipiant &*
33. *exosculentur. Qui tamen ejus testimonium accipit, & in eo vera fide acquiescit, ei hunc honorem Deus habet, ut testimonium veritatis suæ (qui ipse veritas est) ab illo accipiat, qui etiam Deum verum esse tanquam sigillo obsignat. Nam verba ab illo quem Deus mittit* 34
profecta, sui autoris, id est, Dei pondus & autoritatem obtinent. Sicut vero omnes mortales principatu & excellentia superat; sic & fideles omnes, quotcunque & quanticunque sunt, præstantia infinitis parasangis vincit. Cum enim illis Spiritus Sancti dona ad cer- 35.
tam mensuram impertiat Deus, in Christo ejusdem Spiritus dona nulla mensura circumclusa & illigata admetitur. Pater enim Fi- 36.
lium mire diligit, ex cujus amoris fonte hoc item fluxit, ut omnia illius potestati & imperio tradiderit; idque hoc consilio, ut qui in Filium credant vitam habeant æternam; sicut à regione, qui in Filio fidei obedientia non acquiescit, ne minima quidem vitæ particula perfruetur. Vtpote in quem incumbit, & in cujus quasi caput & verticem residet, Dei furor & excandescentia.

PRAXIS.

HActenus in Christi propugnatione, contentio & comparatio Christi cum Iohanne facta est: reliquo capite Christus primum cum omnibus in universum hominibus, deinde cum omnibus fidelibus compositus, illis omnibus multis parasangis anteponitur; & his, qui prius exstiterunt, & illis, qui in posterum futuri sunt.

Argumentum autem ducitur à subjecto loco. Docet enim origine eum esse omnibus tanto intervallo præferendum, quanto cœlum à terra disjungitur, id est, infinito. Sive enim divinitatem, sive humanitatem spectemus, cœlestem ortum sortitus est. Nam tametsi carnem ex terra, id est, ex virgine accepit; tamen quia generatio illa à Patre cœlesti per Spiritum facta est, cœlestis non sine causa dicitur. vide 1 *Cor.* 15, 47. Nam si man, non nisi ex media aëris regione dimissus, cœlestis vocatus sit & Angelicus, eoque ipso quotidiano pani antelatus; quanto id fiat magis in Dei Filio, qui supra omnes cœlos & creaturas est, Angelos & Archangelos? hinc est, quod Apostolus 1 *Cor.* 15, 47.

Vers. 31. *Christi dignitas quod è cœlo provenerit;*

secundum Adamum, *Dominum è cœlo* appellat.

cum quod è terra abjectum, Hoc etiam argumento adversorum illustrat: quod qui ex terra nati & putredine, nihil aliud quam terra & putredo sunt, id est, abjectissimi; sicut prius dictum est, carnem esse, quod ex carne originem traxit. Hoc igitur obscuræ in stabulo nativitatis & crucis scandalum tollit, cum ejus è cœlis natalitia reputamus.

ideoque eorum doctrina rejicienda: Deinde docet quorsum spectat hæc cum hominum omnium depressio, tum Christi ad summum fastigium evectio; nempe ut horum doctrinam, tanquam falsam & mendacem, rejiceremus, Christi vero unius doctrinam, tanquam certam & indubitatam, amplecteremur. Idque argumento efficientis causæ concludit. Qualis enim quis est, tales sunt quæ ab eo profluunt & promanant affectus, actiones, tales sermones; hi scilicet, qui ab eorum cerebro excuti sunt, sine ullo Verbi Divini testimonio. Nam quæ ab hominibus ex præscripto Verbi, & ex thesauro Scripturarum deprompta sunt, ea non alio loco habenda sunt, quam si ex Christi sacro ore proferrentur; quorum contemptores ejusdem à Christo criminis rei peragantur, ac si Christum ipsum loquentem respuerent. Hinc stipulatur, *Esa.* 6,6,7. quod Prophetæ labia, tanquam natura sua immunda, a Seraphino prius excoquantur, quam ad Verbi ministerium admissus sit: item quod dicitur, Deum sua verba ori Prophetarum inserturum. Quod autem de Propheta dicitur seorsim, id Paulus *Rom.* 3,13,14. de omnibus hominibus pronunciat; eorum guttur apertum sepulchrum, linguis dolose agere, virus aspidum sub labiis eorum, denique os oppletum execrationibus & acerbitate. Quod si ad fontem recurratur, animum scilicet corruptum illum totum esse constat. *Gen.* 6,5.

contra humanorum inventorum evectionē, Hoc igitur, veluti malleo, commoliuntur & contunduntur humana inventa omnia, tanquam reprobum & commentitium æs, tanquam alienus ignis. Iohannes Christi personam tantopere effert, ut inde verbi ejus autoritas summa agnoscatur. Sic *Hebr.* 2. superioris capitis de Christi præstantia, & incomparabili celsitudine tractum, ad Verbi & Euangelii fidem & obsequium accommodat. Christi enim personam suspicere & admirari, nisi illa nobis doctrinam ejus commendatissimam faciat & exoptatissimam, frivolum prorsus est & inutile. Videmus enim homines illos, qui alterius sapientiam admirantur, ejus sermones avide captare. Vnde Regina Sabæ Salomonis assiduos ministros perbeatos idcirco judicavit, quod incomparabili quadam rerum multarum scientia pollerent; de sermone ejus, ex ipsius persona statuens. Hoc modo *Pontificii* Christi contemptores deprehenduntur. Qui tametsi magnifice & splendide de Christi persona disputent, eumque eximiis laudibus ornent: tamen cum Verbo Christi authoritatem abrogant, addendo, minuendo, commutando, ab Ecclesiæ denique arbitrio illud suspendendo, quin Christum in aliorum hominum ordinem cogere conentur dubitandum non est.

Nec vero hoc Pontificios tantum prodit, sed nostram etiam hypocrisin in lucem & apricum educit; qui cum nos Christi amantes & studiosos profiteamur, Verbum tamen ejus neglectui habere deprehendimur. Quod si verum est, ut certe est verissimum, nos tantum Christum amare, quantum Verbum ejus amamus & exosculamur; plerosque nostrorum perexiguo ejus amore & perfrigido teneri, vereor ut non nimium liquidum & clarum sit. Quos enim unius horæ somnus à concione abstrahit, quos parvi lucelli spes à precibus & gratiarum actione, quos alea, chartæ pictæ, aut cœlum tristius à sacris exercitiis abducit, eos ne putabimus Christi amore incensos esse? si ita vilis nobis Christi sermo, certe Christum ipsum non magni à nobis fieri, in promptu est, quicquid alioqui nobis ipsis affingamus. Hoccine est precium, quo Christi verbum æstimamus? appendimus ne illud ut tantillum pecuniæ, aut turpis, aut momentaneæ voluptatis? verendum certe est, ne qui tantuli Verbum ejus faciunt, ipsum, si in terris esset, non multi pluris venderent. Et hi sunt fructus illi præclari, quos illi de tanta donorum cœlestium largitione afferimus, qui tam copiosam & puram Verbi prædicationem excipimus? sed omnino verendum est, ne non, quod olim Iudæis comminatus est, pedum frangat, & pastoralem de nobis curam abjiciat. *& verbi divini neglectum.*

Hanc Christi doctrinam nobis ab adjuncta certitudine commendat, quoad cum visa, tum audita à Patre, unde descendit, testetur. Prius versu 11 certitudinem testimonii à visione arguit: Iohannes vero à visu simul & auditu, quorum cum alterutrum satis sit ad legitimum testimonium constituendum, tam utrumque simul multo illud magis *Vers. 32. Certitudo doctrinæ Christi;*

magis præstabit. Est autem metaphora à sensibus corporeis, ad divinam Christi intelligentiam, translata. Hic igitur denuo hominum commenta damnantur, dum soli Christo Patrem vidisse & audisse competere legimus; ut si quis aliam doctrinam proponat, quam quæ à Christo tradita est, eum incerta loqui & fluctuare necesse sit. Ex certitudine vero & indubitata ratione testimonii Christi, hominum fidem detrectantium pervicaciam arguit; sicut & Christus hoc prius in Nicodemo fecerat: maxime cum ad ea credendum, quæ vana & falsa sunt, mira animorum propensione sint.

quam tamen pauci accipiunt, Quod autem *nullos testimonium ejus accipere* dicat, id per comparationem intelligitur: eorum scilicet, qui fidem illi adjungere debebant. Quam formam loquendi propterea usurpavit, ut discipulorum suorum malevolentiam perstringeret; qui omnes ad eum undique convolasse invidiose questi sunt. Quod vero pauci in Christum credunt, illud non unius illius ætatis fuit, in qua Iohannes vixit, sed omnium insequentium temporum; sicut Christus aperte docet, angustam esse viam, & arctam portam, per quam ad salutem itur, & paucos ingredi &c. Quamobrem nihil est, cur animo frangamur, si omnibus pœne in Euangelii exitium conjurantibus, pauculos quosdam Deus ab illa coitione eximat; quin potius Deo gratias agamus, quod nos in paucitatis illius numero esse voluit.

quæ à piis non rejicienda. Piorum igitur est, nunquam sibi in Christi obsequio satisfacere, cum aliis magnum obsequium præstare videntur, sibi tamen perexiguum; si parvum præstant, sibi videntur pœne nullum præstare: contra improbi minima exhibentes officia, videntur sibi maxima exhibere.

Vers. 33. Ex fide in Deum ejus veritas obsignatur, Infidelitatis illius nequitiam ex contraria fidei virtute & energeia illustrat. Qui enim credit ei, is fide, tanquam sigillo, Deum veracem esse obsignavit; quia verba Dei loquitur, qui à Deo missus est. Magnum igitur nobis honorem habet Deus, qui nos per fidem ad veritatis suæ testificationem admittit; sicut illi ornamento est, si quis à Rege adsciscitur, ut illius testimonium virtuti ejus suffragetur, & eam probet. Deinde *Rom.* 4, *v.* 20. dicitur Deo gloriam dare. Quamobrem formidabile quid est infidelibus, qui Deum verum esse testari, aut obsignare, aut etiam subscribere recusant. Quod etiam 1 *Ioh.* 5, 10. adhuc magis aggravat, cum dicit, eum qui non credit Deo, mendacem eum facere. Ille quidem verus manet, nec seipsum negare potest, tametsi ab hominibus negetur; sed tamen qui fidem illi derogat, facit quoad ille potest mendacem. Non credere igitur, est gloria Deum spoliare.

Vna quoque observandum, fidem inniti Dei veritati, & Deum nobis in Verbo præire, priusquam nos aliquid obsignamus; neque fide nostra obsignare fas est, quod ille non exaravit manu sua. *cui ea innititur.*

Iam discrimen statuit inter Christum & omnes fideles. Vbi vers. tribus posterioribus argumento adjunctorum probat Christi, supra omnes fideles, præstantiam: quod cum illis, atque adeo Angelis, ex mensura se communicavit; Christo cumulatissime, & absque mensura hoc fecit: cumque alii plus, alii minus, nemo omnia habet; Christus unus omnia sibi communicata habet, utpote in quo divinitatis plenitudo corporaliter habitet. Quanquam præstiterit hæc de humanitate intelligi, in quam omnia collata sunt Spiritus dona, quoad illa natura eorum capax exstitit. De æterna enim generatione non videtur intelligi posse, quod causam hujus donationis assignat charitatem Patris; quæ cum voluntatis sit actus, non potest causa esse æternæ generationis. Tum enim videatur genuisse Filium non natura, sed voluntate, quod est *Arrianum.* Vt enim in reliquo corpore parcius disseminantur, quæ cumulate in capite coacervantur: sic &c. *Vers. 34, 35. Christi præstantia supra fideles ex Spiri. collatione,*

In Christo mare donorum Dei, quod bolide explorari non potest, habetur. In hominibus rivuli quidam, aut canales inveniuntur. Atque ut Abraham, collatis in reliquos omnes filios donariis, Isachum omnium hæredem instituit: sic &c. Et ut Provinciis singulis Satrapis distributis, Darius Daniëlem omnibus præfecit; & Pharao Iosephum: sic Deus certa quædam hominibus distribuens, omnia Christo permisit. Ex quo illud etiam perspicitur, Christi præstantiam, non in nuda quadam dignitate consistere; sed prout omnibus honore antehabitus est, ita etiam gloria, potentia, & majestate exornatus est. *eaque amplissima;*

Sicut autem superius celsitudinis ejus usum esse docuit, ut ejus testimonium & doctrinam, cum summa observantia & studio coleremus; sic nunc hunc tantæ in eum collatæ plenitudinis finem indicat, ut homines ad fidem in Christum animaret. Cum enim omnia illi data sint, nihil est, quod nostram *Vers. 36. illa ad nostram salutem ita exhibita;*

salutem promoveat, quod ille non largiri, nihil quod salutem impediat, quod ille summovere non possit: sic *Ioh. c.17. v.2.* omnia Christo data esse, ut vitam suis conferat. Docet præterea ab effectu fidei, quam illa nobis avide conquirenda sit; nam per fidem ex illo thesauro vitæ, & ex illa plenitudine, quæ in Christo est, vitam & omnia depromimus. Non igitur sibi tantum illa accepit, sed ut illa nobiscum per fidem communicaret; ut pampini & rami, succi qui est in trunco participes sunt; ut membra à capite, & uxor à viro, sacra & legitima conjunctione, ut unguentum capiti affusum per corporis membra defluit.

& qui eam rejiciunt Hanc fidei virtutem à contraria infidelitate illustrat; qua fit ut Dei ira capiti ejus insideat. In quo significatur Dei iram super illius hominis caput, vel animam potius incumbere, nec ibi, tanquam ad quorundam dierum hospitium consedisse, sed ut ibi habitet; non tanquam in conducto, sed tanquam in hæreditario; non ibi insidere, tanquam avem ramusculo innitentem, à quo mox excutitur, sed tanquam trabali clavo penitus fixam. Quam vero horrendum & formidabile hoc sit, docent satis piorum, de ira Dei deprecando, petitiones, querelæ, & luctus, quos ex minimæ iræ divinæ sensu ediderunt: quod hilarem & exporrectam Dei frontem omnibus rebus præposuerunt: docent diri cruciatus, quibus reprobi, qui vix unum iræ divinæ veluti digitulum senserunt, cruentati sunt. *ad æternam condemnationem.*

IOH. *cap.* 4. *à vers.* 1. *ad* 11.

VT ergo cognovit Dominus Pharisæos audisse ipsum plures discipulos facere & baptizare quam Iohannem.

2 (Quanquam IESVS ipse non baptizabat, sed discipuli ejus)

3 Reliquit Iudæam & abiit rursum in Galilæam.

4 Oportebat autem eum transire per Samariam.

5 Venit ergo in urbem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Iacobus Iosepho filio suo.

6 Erat autem ibi fons Iacobi. IESVS ergo fatigatus ex itinere, ita sedit ad fontem: hora enim *erat quasi sexta.*

7 Venit mulier Samaritana ut hauriret aquam: dicit ei IESVS, Da mihi potum.

8 Nam discipuli ejus abierant in urbem ut cibos emerent.

9 Dicit igitur ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu Iudæus quum sis, potum à me poscis quæ sum mulier Samaritana? (non enim utuntur Iudæi Samaritanis)

10 Respondit IESVS & dixit ei, Si nosses donum illud Dei, & quis sit ille qui dicit tibi, Da mihi potum: tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

ANALYSIS.

HYpothesis Euangelistæ est, Christi è Iudæa in Galilæam profectionem proponere; ad cujus ecthesin, causam efficientem notat, quia audiverant Pharisæi Iesum plurimos discipulos facere; quod à comparatione minoris amplificatur, quam *Ioannes*.

*Vers.*2. Porro declaratur à diverso, Iesum non baptizasse, sed discipulos ejus.

*Vers.*3. Cujus effectum erat desertio Iudææ, & profectio in Galilæam.

*Vers.*4. Cujus profectionis adjunctam viam notat, à subjecto regionis Samariæ; quam etiam amplificat altero adjuncto necessitatis.

*Vers.*5. Item altero subjecto magis proprio, scilicet oppido Sicher seu Sichem: quod oppidum porro describitur ab adjuncta propinquitate agelli; qui agellus describitur ab adjuncto dono, quod à subjecto *Iacobi* dantis & *Iosephi* accipientis designatur.

*Vers.*6. Porro ab adjuncto fontis, qui fons suo subjecto *Iacobi* declaratur; hujus profectionis effectum notatur Iesu defatigatio, defatigationis effecta sessio, quæ suo subjecto fontis declaratur; item adjuncto tempore, horæ scilicet sextæ, id est, meridie.

*Vers.*7. Altero adjuncto adventus fœminæ Samaritanæ ad fontem; quod etiam fine amplificatur, ut aquam hauriret; deinde effecto sermonis Christi, cujus species explicatur, qua potum à fœmina petebat.

*Vers.*8. Cujus petitionis causa assignatur, discipulorum Christi amandatio: quæ suo subjecto urbis, & fine emendi alimenta notatur.

*Vers.*9. Cujus sermonis Christi effectum indicatur,

catur, responsum fœminæ Samaritanæ; cujus responsi species subjicitur πυσματικῶς cur à se potum peteret; quod arguitur à subjecto, quod esset Iudæus; quod amplificatur ab adverso, cum illa esset fœmina Samaritana. Cujus etiam ratio porro subnectitur à testimonio consuetudinis inveteratæ, quod Iudæi cum Samaritanis commercium non solent habere.

Vers. 10. Cujus quæstionis effectum est Christi responsum, quod subjicitur, quo petitionis suæ recusationem redarguit ab adjuncta ignoratione personæ Christi, quæ exornatur adjuncto epitheto doni Dei; quam ignorationem coarguit ab effecto, quod ab illo spiritum adoptionis non peteret; quem spiritum illustrat metaphora perennis seu viventis aquæ; item alio effecto Christi dationis, siquidem petiisset.

METAPHRASIS.

1. *Cum ergo Christus Dominus comprehen-*
sum haberet, Pharisæos intellexisse se plu-
3. *res discipulos instituisse & baptismo obsignasse,*
quam Ioannes *(tametsi ipse Iesus propria per-*
2. *sona hoc non fecit, sed per vicariam discipulo-*
rum suorum operam) deserta Iudæa in Gali-
læam iterum concessit, hoc consilio, ut Pha-
risæorum in se incitatum odium, & ex odio
4. *periculum deflecteret. Galilæam autem profe-*
cturo per regionem Samaritanam transeun-
dum illi fuit, ne cui mirum sit, Christum non
ita multum post suis discipulis interminasse,
ne ad Samaritanos prædicatum transirent;
quandoquidem necessitate quadam itineris
5. *illi per Samar. iter facere incumbebat. Quam-*
obrem ad urbem quandam Samariæ Sicher
dictam, alias Sichem, contendit; quæ urbs
prope adjacet agello, quem Iacobus *filio suo*
Iosepho *dono dedit. Eodem loci fons quidam*
erat, quem olim Iacobus *effoderat. Cum igi-*
6. *tur Christus de via ex itinere defessus erat,*
usque eo ut præ lassitudine urbem pertingere
& pertinere non potuit, & porro æstus eum
premeret meridianus: secus fonte, ut fit, con-
7. *sedit. Interea loci (Deo oculatissima sua sa-*
pientia sic moderante) venit mulier Samari-
tana, ut aquam sua seu situla seu hydria ex
8. *fonte peteret: cui Iesus, cedo potum; discipu-*
los enim in urbem ut alimenta compararent,
amandarat, hoc, ut videtur, consilio, ut illis
absentibus, tum liberius cum fœmina collo-
queretur, tum honestius ejus operam in hau-
9. *rienda aqua efflagitaret. Cui vicissim Sama-*
ritana; mirum dictu, te quem ex habitu &
corporis vestitu Iudæum esse dignosco, potum à
10. *me quæ sum Samaritana petere: cujus responsi*
à fœmina adhibiti hæc causa est; quod longa
& inveterata consuetudine inoleverat, nul-
lum Samaritanis cum Iudæis commercium
intercedere: ad quam Iesus respondens dixit;
Si incredibile Dei donum novisses, id est, si
quis ego sim, qui tibi dico, cedo potum, perce-
ptum haberes, tu petitione illum prævenisses,
qua tibi petenti aquam fluentem & perennem
præbiturus erat.

PRAXIS.

CAp. 4. Iohannis ad 45. versum, complectitur Christi ex Iudæa in Galilæam profectionem.

Cujus *partes* sunt { profectionis causæ, & gesta in itinere.

Profectionis causa est duplex; prior quod Christus sibi à Pharisæis metueret, quos prospiciebat iratiores & inflammatiores in se futuros, quod plerosque ad suæ doctrinæ professionem adductos intelligerent, præsertim tanto numero, ut Iohannis discipulos superarent. Cum enim Iohannis sectatores ferrent ægre, quod sibi decedere & deperire putarent, quicquid illi accedebat; tum vero in Christo hoc minus ferre aut pati poterant. Quod Ministros Euangel. consolari debet adversus persequutionis tempestatem in eos excitatam, utpote quod sit indicium eximii alicujus fructus, quem illorum in Euangelii opera & studium protulit. Sicut enim Israëlitas olim hostium inimicitiæ tum potissime exercuerunt, cum se promptissime & paratissime ad templi & muri ædificationem dediderunt, *Neh.* 4,7. Sic &c.

Vers. 1. *Ex metu à Pharisæis Christi profectio instituta;*

Quod autem dicitur fecisse & baptizasse discipulos, sicut *Matth.* 28,19. μαθητεύσατε βαπτίζοντες, docetur prius esse discipulos Christi, quam baptismi sacramento obsignantur: adversus illos qui baptismo Christianos fieri putant, & cœlo excludunt, nisi baptismo tinctos. *Gal.* 2, 15. natura Iudæos vocat; sicut enim oves domini seu possessoris sunt, antequam nota & charactere Domini signentur; sic &c. Sicut enim ovibus characterem non impingunt homines ut suas facerent, sed ut cum sibi, tum aliis innotescat, suas esse; sic &c.

cujus discipuli ante baptismi administrationem sunt;

Est etiam eximiæ cujusdam consolationis, quod Christus eos dicitur baptizasse, qui erant à discipulis baptizati: quo docetur baptizatos per Ministros, non minus efficaciter lotos esse, quam si Filii Dei manu lavati essent, etiam quod ad externum lavacrum; adversus *Donatistas*, & nostri temporis *Anabaptistas*, qui baptismi efficaciam ex Ministri dignitate suspendunt; cum ex discipulis

à quibus baptizati id etiam à Christo esse dicuntur:

Iudas esset unus. Idem dicitur de prædicatione Ministrorum, *qui vos audit &c.*

Vers. 2. *cur ipse non baptizarit?* Hîc vero *quæritur* quid causæ sit, cur baptismum Christus ipse non administravit?

In quo cum multa afferuntur, illud maxime solidum judicarim, quod Christus, quo magis vacaret prædicationi Euangel. hoc discipulis delegasset. Cum enim centum, aut ducenti, aut plures uno tempore obsignandi erant, & cum singulis in aquam descendendum fuit, non potuisse hunc laborem angusto temporis spatio obiri, colligere promptum est. Quæ eadem causa fuit, cur Apostolus se ad baptizandum non fuisse legatum commemoret. Nec alienum est, si aliam causam assignemus, quod hoc modo Christus Ministri operam, à Dei efficaci per Spiritum operatione, voluit distinguere. Quicquid sit, illud certe non est, quod quidam, alioqui præstans vir, dicit, Sacramentum non satis dignam rem fuisse, quæ ab illis, Christo, inquam, & Paulo administraretur. Cum enim Christus Cœnæ sacramentum, & instituit, & administravit, cur non & baptismum.

Quomodo Christus dicatur fugisse in hac profectione? Altera hujus profectionis causa, à *Marc.* 1, 14. notatur, quod Iohannem Christus acceperat traditum esse, ut non amplius munus suum exercere posset; unde Christus ejus vices supplere voluit: unde periculum sibi non à Pharisæis imminere collegit; sed longe tanquam ex specula periculum prospiciens, declinatione persequutionem anticipavit. Nec vero locum hic habet, quod *Proverb.* Salomonis dicitur, *impium fugere nemine persequente.* Christus enim fugam, non tam propriæ salutis causa capessit, quam ut hoc modo caveret, ne ipsum, antequam vocationis suæ stadium decurrisset, comprehenderent. Quod facile ex eo constat, quod decursa meta, mortem non declinat; sed hostem, tanquam murus aut Leo præstolatur. Quo accedit, quod muneris ratio nullam in Iudæa perpetuam permansionem postularet. Nec quicquam obfuit, quo minus in Galilæa munus ministerii sui persequi potuit; quum potius per Prophetam Esaiam prædictum est, in Galilæa Christi doctrinam personare oportuisse. Quod nos docet, quoad nobis fugere conceditur; nempe quatenus commissam nobis provinciam non deseramus, nec eos nostra cura & patrocinio destitui patiamur, quorum rationes à nostra permansione suspensæ sunt. Interim tamen certum est, Iudæam incomparabili bono privatam esse.

Si quis *excipiat*, illud nullo populi merito factum, cum populus magna frequentia Christum accedebat, & se illi in discipulos tradebat. *hæc fuga an populi culpa instituta?*

Respondeo ea quæ à gubernatoribus fiunt, publica totius aut regni aut Ecclesiæ mala censeri. Quamobrem operæpretium est, ut studiose Principum, & Ecclesiæ Præsulum causas Deo commendemus, quorum recte, aut secus factis, populi totius vel promovetur vel impeditur salus.

Sed hic *quæri* potest, cur Christus in Galilæam metu Herodis fugit, cum Herodes esset Galilææ Tetrarcha. Videtur enim potius subsistendum fuisse in Iudæa. Vers. 3. *cur in Galilæam fugerit?*

Respondeo, Marci locum non modo intelligendum esse, de traditione Iohannis in carcerem per Herodem, sed quod Iohannem Pharisæi Herodi traderent; quod diserte apparet *Matth.* 17, 11, 12. ubi dicitur eosdem Christum ad mortem adacturos, qui Iohannem, tanquam alterum Eliam, pro arbitratu suo afflixissent. Hinc est, quod Iohannes dicit, Christum Iudæam reliquisse, ne idem à Pharisæis pati cogeretur, quod Iohannes passus erat. Nam Herodem nihil in Iohannem ausum fuisse, nisi a Pharisæis, qui magna authoritate pollebant, animatum, verisimile est; quare declinato Pharisæorum furore, nihil erat cur Christus ab Herode metueret: fuisse autem eandem profectionem, documento est, quod sicut alii Euangelistæ in hoc aditu declinatam Nazareth docent, quod Propheta non esset, nisi in sua patria inhonoratus; sic Iohannes sub finem historiæ idem notat, candemque causam assignat.

Quod dicitur Christum per Samariam transire oportuisse, ut in Galilæam perveniret, non de ipsa urbe Samariæ, ut quandoque, sed de regione Samariæ intelligitur. Viam autem per Samariam in Galilæam extitisse, apparet ex *Luc.* 9, 51, 52. in profectione è Galilæa ad Hierosolymam. Ex quo difficultas dissolvitur, de Christo per Samariam transeunte, cum discipulis illac divertere interdixerat; omnino enim, inquit Iohannes, illuc in Galilæam transeundum erat: quod nobis documento est, quousque cum hominibus à Deo & religione alienis consuescere fas sit; scilicet, quoad hoc nobis ad necessaria hujus vitæ munia obeunda, necessarium aut opportunum fuerit. Vers. 4. *idque per Samariam?*

Altera *pars* sequitur, de his quæ in itinere gesta sunt, quæ pro diversitate stationum Christi distinguuntur.

Notatur

Notatur enim quod gestum { Primum ad fontem prope urbem Sychar, Deinde, in civitate Sychar.

Vers. 5, 6. *Quæ ad fontem Sichar Christus considerit?* Et quidem quod ad priorem stationem ad fontem Iacobi attinet, illam à Christi lassitudine & defatigatione ex itinere occupatam esse notat Euangelista: tum quod locus subfrigidus esset, & ad æstum ex labore contractum sedandum opportunus; tum vero etiam quod siti restinguendæ aptus & idoneus esset. Quo spectat quod jam meridies erat; quo tempore solis æstus maximus esse solebat. Et ut intelligamus tempus fuisse, ut Christus illius causa præmitteret discipulos; præterquam quod absentia discipulorum opportuna erat, ut Christus adulteria arcana fœminæ objiceret. Perquam autem ex itinere defessum fuisse illud argumento est, quod urbem non longe à fonte dissitam, præ lassitudine attingere nequivit. In quo, *ex quo ejus humanitas elucet:* sicut in aquæ postulatione, ad frangendam sitim, veritas humanæ ejus naturæ revincitur. Inde enim perspicitur, illum nostram naturam induisse, quod eisdem infirmitatibus, quibus nos septi sumus, obnoxius compertus est. Spiritus enim non defatigatur, nec commentitum corpus sitit, non magis quam imago, aut pictura; per omnia nobis similis factus, excepto peccato. In infantia eadem illi obvenerunt, quæ aliis hominibus, ut quod fasciis involutus sit, statura, sapientia creverit; jam docetur etiam ea illi obvenisse, quæ in constanti & adulta ætate contingere solent, secundis rebus lætatus est, & adversis flevit.

Vers. 7, 8. In hac autem statione duo ab illo facta commemorantur: Colloquium cum Samaritana absentibus discipulis; & cum discipulis post Samaritanæ abitum.

cur debuerit petere aquam? Dicitur autem aquam postulasse à Samaritana muliere; cui postulationi ut locus commodior esset, dicitur discipulos Christi præmissos fuisse, ut cibos coëmerent, illis enim præsentibus, eorum potius quam mulieris operam efflagitare par erat.

Vers. 9. *ex qua petitione à Samaritana cur admiratio orta?* Hæc petitio Samaritanæ admirationem movet: quod Christus Iudæus ab illa aquam peteret, cum tantum utrinque odium incesserat, ut nulla esset inter illos officiorum commutatio vide *Luc.* 9, 52, 53. Hinc est, ut quodam in loco *Luc.* 10, 33. Christus, ut doceret proximi acceptione comprehendi impiissimum quemcumque inimicum, Samaritanum Iudæo saucio & semimortuo succurrentem inducat. Odio porro vatinano & irreconciliabili Iudæos in Samaritanos flagrasse docet, quod Iohannis octavo scribitur de Pharisæis, qui Christo maximum convitium facturi, illum *Samaritanum* appellarunt. Cujus odii cum initia & veluti semina in defectione decem tribuum à Dei & Davidis domo jacta sunt, tum magna ejus accessio facta est cum Assyrius, abductis in captivitatem Israëlitis, alios incolas ex variis nationibus in eorum locum surrogavit; qui cum à feris bestiis infectarentur, & illius calamitatis causa in ignorationem justi & legitimi cultus conferretur, tandem eam rationem inierunt, ut religionem quandam, partim ex Israëlitarum ritibus, partim vero ex ceremoniis populorum, unde ipsi traducti fuerant, consarcinarint: hæc tam fœda permixtio, dubio procul, contractum jam ante odium corroboravit; nec vero omittendum, illud Iudæos pupugisse, quod viderent terram suis fratribus destinatam, à tam prophanis hominibus possideri. Ad istius odii cumulum & veluti fastigium; accesserunt assiduæ inimicitiæ & injuriæ, quibus Samaritani Iudæos, ex captivitate Babylonica reduces, assidue divexarunt; nunc fraudibus & insidiis, nunc vi aperta eos aggredientes, nunc templi, nunc muri ædificium interrumpentes. Denique huc spectat quod 11. *lib. antiquit.* 7. & 8. *cap. Iosephus* scribit, in Samaria omnibus a Iudaismo defectoribus, perfugium & asylum à Sanballado patefactum esse.

Odii Iudæorum & Samaritanorum causa.

Rectene Christus fecerit quod ab ea hoc petierit? Ex quo hic *quæri* potest, rectene Christus fecerit, qui præter Iudæorum morem operam fœminæ Samaritanæ efflagitat. Apparet enim fœminam religione quadam coactam, hoc officium ei detrectasse tantisper.

Responsio, vel ex hoc loco, & hoc Christi facto apparet, odium hoc modum omnem excessisse. Neque enim quisquam à nobis tam alienus esse debet, aut nos ab illo, ut ab illo nullum officium accipere, aut nullum in eum conferre debeamus: si enim inimicissimi asinum sublevare, & oneri succumbentem erigere officii sit, multo magis asini possessorem. Illud quidem deprecandum est (tametsi non omnino illegitimum) ne inopia adigamur ad nostrorum & Dei hostium auxilium confugere. Quo nomine Ecclesia queritur in *Lament.* se coactam fuisse ab Ægyptiis stipem emendicare. vide 1 *Thessal.* 4, 12.

Christus autem hoc loco docet, se non tam ut beneficium acciperet, quam ut majus confer- Vers. 10. *ut ei majo-*

ra daret illud petiit;

conferret, aquam ab illa petiisse. Sicut autem hoc loco evenisse videmus, ut Christus, in sua ipsius persona, minutum quid petivit, ut lautiora daret: sic, ut nunc dierum, in persona indigentium fratrum, sibi exiguum aliquod munusculum seu eleëmosynam erogari petit, ut nos amplioribus donis remuneret; terrestria postulat, ut cœlestia reponat; momentanea & caduca, ut reddat æterna; carnalia metere à nobis postulat, ut spiritualia in animis nostris disseminet. Qui igitur quæstuosos & lucrosos contractus avide sectantur, caveant ne oblatum, ac in os eorum delatum, recusant & repellant. Obiter vero observemus, Samaritanos, qui ita verum Dei cultum corruperant, ut interim plures quam ulla alia natio, legis Mosaicæ ceremonias retinerent, multo fuisse in Iudæos, id est, veram Dei Ecclesiam iniquiores, quam ullam aliam gentem, quæ ritibus longius remota erat: ut mirum minus sit, cur *Papistæ*, nobis in plerisque religionis nostræ capitibus consentientes, majori nos odio prosequantur, quam *Turcæ* aut *Iudæi*.

Aqua vivente intelligitur, sicut postea liquido constat, spiritus regenerationis.

quod à nobis imitandum:

Liquet Christum operam dedisse, ut officiorum vicissitudine contractas, & confirmatas inimicitias sensim deponeret; quod nobis imitandum est, ut quoties opportunitas eos juvandi occurrit, quos nobis parum æquos & benevolos esse cognoscimus, illam nobis è manibus elabi non patiamur. Quod si nos etiam eorum opera indigemus, meminerimus illam indigentiam à Deo immissam ut hoc modo nos gratiæ apud illos restituat.

quæ tamen respuit ex ignorantia;

Præterea duo obstacula subesse docet Christus, quæ illam à petendo Spiritu retinerent. Vnum est, quod Spiritus Sancti vim & virtutem ignoraret. Alterum, quod nesciret Christum eum esse, qui illum largiretur, id est, cum fontem, tum aquam: quæ duo si rescisset, fore dicit, ut neglectis inter ipsam & Iudæos inimicitiis, prior ab illo Spiritum, quam ille ab ea aquam, petiisset.

quæ à nobis vitanda.

Nos equidem (Dei gratia) fontem probe novimus; sed donum plerosque nescire, quantum, quam præstans, quam necessarium sit & salutare, declarat satis, quod Verbi prædicationem, per quam, tanquam per canalem, ad animarum nostrarum ædes deducitur; quod preces, quibus, tanquam haustro, vel hydria, ex fonte extrahitur, aut plane negligimus, aut certe non eo loco, quo par est, habemus. Si enim hæreditatis arrhabonem & pignus, si aquam sciremus, qua sola incendium ignis Gehennæ opprimitur, sitis extinguitur, ex Satanæ mancipiis eximimur, intra Dei filios reponimur; certe majore illius acquirendi studio duceremur. Præterea si nosmet reputaremus (ut revera sumus) terram sterilem & aridam, si sitibundos & siti perituros, si Sarmenta, & ἄκαρπα ligna &c. Quum cisternæ, quæ aquam continere non poterant, in terra prostabant, omnes ad illas catervatim & certatim convolabant; nec dubitabant longas & plenas laboris & sumptus peregrinationes suscipere, magno pretio cibum, qui non pascit, potum qui sitim non restinguit, comparare. Quo magis inexcusabiles fiunt, qui fontem aquæ vivæ, illis in os delatum, contemptim prætereunt.

IOH. 4. *à vers.* 11. *ad* 19.

11 Dicit ei mulier, Domine, neque quo haurias habes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam vivam?

12 Num tu major es patre nostro Iacobo, qui dedit nobis hunc puteum, ex quo ipse bibit, & filii ejus & ejus pecora?

13 Respondit IESVS & dixit ei, Quisquis bibit ex aqua ista sitiet rursus:

14 Quisquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15 Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam istam, ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum.

16 Dicit ei IESVS, Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17 Respondit mulier & dixit ei, Non habeo virum. Dicit ei IESVS, Bene dixisti, Non habeo virum.

18 Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.

ANALY-

ANALYSIS.

SErmonis Christi effectum est fœminæ perversa, sed minime tamen malitiosa verborum Christi interpretatio, qua negat illi aquam suppetere quam petenti suppeditet; quod arguit syllogismo connexo, si mihi aquam viventem suppedites, vel ex hoc puteo, vel aliunde ex altero suppedites necesse est: Neutrum horum est; Ergo vana est jactatio hæc tua. Ex hos puteo non posse probat ex instrumentalis causæ remotione, quod scilicet situlam aut haustrum non haberet Christus; deinde ab adjuncta profunditate putei.

Vers. 12. Aliunde non posse probat à subjecta Christi persona, quam extenuat à comparatione majore, *Iacobi* Patriarchæ; ex cujus adjuncta præstantia, aquæ quam haustum venit præstantiam arguit; deinde ab effecto, quod potus usum præbebat: quem usum porro amplificat ab enumeratione subjecta, quæ ex illa aqua bibebant, 1. *Iacobo*, 2. liberis, 3. jumentis & pecore ejus.

Vers. 13, 14. Christus præstantiam aquæ, quam ipse daturus est, tuetur & defendit ab effecto potationis terrestris aquæ: scilicet quod illam bibens iterum sitiet; & adversum effectum aquæ quam Christus præbebit, quod illam bibentes nunquam sitiant: cujus rationem assignat ab effecto, quia aqua illa quam bibit, evadit & assurgat in fontem; qui fons describitur suo effecto, nempe quod non potest exhauriri & desiccari, quo minus fluat ad vitam æternam.

Vers. 15. Hujus aquæ præconium hunc effectum sortitur, ut aquam hanc sibi præberi expetat; quam petitionem confirmat duplici fine, uno ne sitiat unquam; altero (quo suam adhuc inscitiam & ignorationem prodit) ne iterum ad hunc puteum veniat.

Vers. 16. Christus à fœmina Samaritana in ordinem coactus, & ipsi *Iacobo* postpositus, ab adjuncta omniscientia suam excellentiam probat: cujus omniscientiæ speciem proponit, quod rem, alioqui arcanam & ab omnium notitia remotam, probe norat. Cui ut viam præmuniret, jubet appellare virum: intelligebat autem Christus virum qui vulgi opinione suus erat.

Vers. 17. Hac adjuncta jussione prima frõte Christus videri possit à vero aberrare, & falsa rerum specie cum aliis hominibus decipi, ab adjuncta veritate responsi quod aptavit fœmina.

Vers. 18. Ad quam rem confirmandam testimonium Christi accessit; quod porro confirmatur à diverso, quia utcumque pro viro ejus vulgo habitus esset, re ipsa tamen maritus non esset: quam rem porro confirmat ab adverso, quod 5 priores justo matrimonio illi conjuncti essent, hic autem minime.

METAPHRASIS.

11. CVi mulier; *Tune ut mihi aquam perennẽ & fluentem præbeas, cum situlam qua*
haurias non habes? atque ut situlam haberes
12. *tam.n profundior est puteus, quam ut brachio*
illam ad scaturiginem aquæ demittas. Quod
si forte dicas tibi aliunde quam ex hoc fonte
aquam præstantiorem parabilem esse: num
(cedo) tu major es Iacobo *patre nostro, qui*
nobis Samaritanis hunc fontem dono dedit. Is
(dubio procul) de meliore prospexisset, si ullus
in his partibus præstantior inventus fuisset:
præsertim cum non jumentis solum, sed sibi
ipsi & charissimis pignoribus hunc fontem 13.
excidit. Tum Iesus respondens ei, dixit; omnis
ex hujus fontis aqua bibens, utcumque ad
tempus recreatur, tamen subinde siti recur- 14.
rente ad bibendum denuo adigitur; quisquis
autem ex aqua bibit quam ego suppedito,
nunquam deinceps siti urgebitur: quando-
quidem quam bibit aqua (tametsi una tan-
tum guttula sit) in fontem aquæ perennis e-
vadit, unde abunde salutaris aqua ad vitam
æternam suppeditatur. Hinc iterum mulier; 15.
Quæso Domine, cedo mihi ex hac aqua quam
bibens nunquam deinceps ut sitiam, nec isto
aut veniendi aut hauriendi labore fatiger. 16.
Cui Iesus; video equidem te in magna igno-
ratione versari: quæ & abjecte de me sentis,
& tua quam turpis sit vita conditio non
intelligis. Agam igitur tecum ad eum mo-
dum, ut & meam præstantiam aliquousque
intelligas, & tuas sordes aliquantulum per- 17.
sentiscas. Quamobrem vade, maritum tuum
appellato, ut eum tecum ad me deducas, ut
eodem morbo laborantibus, eandem medici-
nam adhibeam. Tum mulier; Equidem ma-
ritum non habeo, unde (ut prius in aqua) sic
nunc in marito toto cœlo aberrare videris.
Cui Christus; Illud plane vere dixeris, vi-
rum non habeo, utcunque in superiore sermo- 18.
ne tuo procul à veritate aberraris. Nam cum
te virum tuum vocare jussi, illud volui, ut
eum vocares qui vulgi opinione pro marito
habetur: probe enim noveram, te 5 viris ju-
sto & legitimo matrimonio conjunctam fuisse:
sed eum, quo cum jam consuetudinem habes,
opinione quidem maritus est, re & veritate
non esse.

PRAXIS.

Vers. 11, 12. Samaritana ex cæca ratione Christo respondet;

ILla tota in terra defixa, nihil nisi de sensibili & pervulgata aqua, vel per somnium quidem cogitat, & propterea veritatem sententiæ Christi non assequitur: ratiocinatur autem disjuncto syllogismo, adversus Christi dictum; aut hujus te aquæ fontem præbiturum recipis, aut alium quempiam hujus aquæ fontem præstantiorem te habere prædicas; sed neutrum horum est; proinde vana & inanis ista tua promissio est. Nam ex hoc fonte aquam mihi porrigere non potes, cum situlam non habeas, & puteus profundior sit, quam ut manu eam haurias. Quod si dicas te

cas te præstantiorem aliquam habere, illud perinde absurdum est. Sic enim sequeretur te majorem esse patre nostro Iacobo, qui & hunc nobis dedit, & ex eo cum familiis & jumentis bibit, meliorem paraturus, si melior in his partibus inveniri potuisset. Sic omnes sumus natura, egregii in disputando artifices & ingeniosi, ut nobis imponamus. Atque ita fere Dei facilitate abutimur, qui quæ ad nostrum captum crassius dicuntur, ad nostram perniciem detorquemus; ut discipuli plerumque in fermento &c. Nicod. *Ioh.* 3. *Papistæ* in cœna Domini.

quomodo Iacobum patrem suorum appellet? Notemus vero Samaritanos *Iacobum patrem suum* appellare solitos, cujus erant filii maxime degeneres & adulterini; ut qui purum Dei cultum, quem Iacob inviolatum servaverat, fœdissime corruperant; imo ne filii quidem, cum essent ab Assyriis oriundi. Non mirum igitur si *Pontificii* veteres patres, Abrahamum, Mosem, Davidem, Apostolos, Augustinum &c. crepant; tametsi eorum sint dissimillimi. Quo accedit, quod falso jactat fontem illis hunc Iacobum dono dedisse: sicut *Pontificii* justam Ecclesiæ possessionem, à qua alieni sunt, præ se ferunt.

Vers. 13, 14. Christus duo proposuerat, unum de dono, alterum de datore & largitore. Priorem partem hoc loco, posteriorem proximo sermone explicat: nisi forte seipsum donum à Patre datum hominibus intelligat.

cui Christus ex Spirit. præstantia rejecerit; Donum autem amplificat à comparatis minoribus; unde se Iacobo præstantiorem, argumentis potius quam verbis declarare voluit, ut jactantiæ suspicionem declinaret. Aquam enim putei ita sitim restinguere, ut statim recurrat, hanc vero, de qua ipse loquitur, semel potam, sitim in posterum profligare. Cujus causa subditur, quod aqua elementaris exiguo spatio, in corpore desiccatur & exhauritur; sed cœlestis aqua à nobis hausta, fontis & scaturiginis perennis naturam habet, ut *Ioh.* 7,38,39. Hac autem ratione non aquæ tantum, sed generosissimo vino præfertur. Commendat igitur Spiritus Sancti gratiam ab effectu stabili, & in æternum duraturo. Sic *Luc.* 16, *v.* 11. Servator omnia hujus vitæ commoda & divitias *aliena* vocat, quæ nobis cito adimuntur; cœlestia vero *propria & domestica* appellat. Nos

quæ a nobis cognita eo magis sectanda. sectamur ea quæ stabilitatem habent, eoque fundum potius, quam pecuniam expetimus; tametsi pecuniæ inpræsentiarum major usus sit. Quod si potus, aut cibus is parabilis alicubi exstaret, quo hausto, aut sumpto, deinceps in hac vita, adversus famis & sitis stimulum tuti essemus: dici non potest quam omnes certatim eo convolarent, & quanto illud pretio redimerent. Quo magis reprehendendi sunt, qui cum sciunt ubi cibus & potus ille, gratis paratur, quibus sumptis, nunquam deinceps, nec esurire, nec sitire eos continget; tamen illum nullo studio aut desiderio quærunt. Quod si commodum sit eximium, ut quisque fontem domi habeat suæ, cur hoc beneficium gratis oblatum aspernamur? Hic notetur, spiritu adoptionis semel imbutos semper imbui, nec posse perire: fieri quidem posse, ut leviter tincti pereant, *Hebr.* 6,7,8. ut his accidere solet, qui multa siti pressi ita bibant, ut extrema tantum labra madefaciant, nihil deglutiant; sic &c.

Sed quod dicitur, eum nunquam deinceps siti laboraturum, qui biberit ex hac aqua, difficultatem habet; quoniam videmus eos, qui Spiritum acceperunt, adhuc sitire, seu incredibili quodam ardore ejus augendi teneri; cum contra, qui Spiritum hunc non gustarunt, illum non appetunt nec sitiunt. *Quomodo non ultra sitiat qui Spir. habet?*

Respondeo, Christum hoc loco de perniciosa siti, & ad interitum spectante loqui; qualis est sitis corporis, cum qua illam comparat; cum sitis illa piorum salutaris sit, & sanæ mentis indicium sit. Sicut enim sanitatis in corpore argumentum est, si quis cibum & potum appetit, contra vero ægritudinis, si nulla edendi & bibendi appetitione ducatur; sic &c. Quemadmodum enim amore Servatoris semel incensi, quotidie magis ac magis ejus pulchritudine inflammantur, donec in amplexus ejus veniant, & illi plene conjungantur: sic etiam qui semel ex musto Spiritus gustarunt, ejus dulcedine ita capiuntur, ut nunquam eo in hac vita expleri possint.

Muliercula in aquæ puteo veluti demersa, nihil, ne per somnium quidem, de Spiritu adoptionis cogitat; quod cum in Nicodemo Doctore in Israële ante vidimus, & in Christi ipsius discipulis post perspiciemus, non mirum est si imperitæ, & in cœno ignorationis defixæ mulieri id usu venit; ut nihil hic necesse sit, mulierem irrisi Christi crimine condemnare, tanquam salse eum momorderat. Vers. 15. *Remanet illa in ignorantia sua;*

Christus ad posterius illud, quod proposuerat (quis scilicet erat quicum loquebatur fœmina) accedit, & illi occultissima quædam, quæ fecerat, retegit. Nec vero existimemus Vers. 16, 17, 18. *quà Christus alio medio aggreditur,*

memus Christum imperite à priore argumento recessisse, quod nondum illam causam satis fœminæ probaverat. Quia quam jam aggreditur, causa explicata, prior etiam illa innotescet; ut cognito puteo & fonte facilius est aquā perquirere. Nam cum Christum intelligeret Dei Filium hujus aquæ largitorem esse, non erat difficile de aquæ genere, quod tandem esset, statuere.

sui viz. omniscientia; Nam ex 39 versu Christum pleraque, quæ homines latebant omnes, ei indicasse, illa potissimum, quæ sitim divinæ gratiæ ingenerare poterant, flagitia viz. sua, videtur colligi posse, unde eum Deum esse colligere in promptu erat; sed hujus tantum Euangelista meminit, quia in ea potissimum interminata Dei misericordia relucebat; cum in Idololatram & populo suo infestissimam, tum etiam in scortum putidum, tam incredibili clementia & benignitate usus fuisset. *ex qua divina erga peccatricem misericordia;* Quod exemplum divinæ misericordiæ nobis semper ob oculos versari debet, ne conscientia peccatorum nostrorum opprimamur. Succurrat enim nobis hujus erga, cum impiam tum impuram fœminam, misericordiæ recordatio; qua, (ut est apud Prophetam) ipsum non quærenti inventus est, eique occurrit, quæ de eo non interrogabat; imo vero etiam illi, quæ illum se ingerentem & offerentem, repudiarat; præsertim tam infami & turpi, ut vix quispiam paulo melioris & honestioris notæ eam in suam familiam cooptaret. Hanc Christus non modo accurrentem excipit, sed fugientem retrahit; & non in ancillarum tantum, sed & filiorum locum cooptat. Insignis & memorabilis pietatis erat, fœminam peccantem, venientem, se ad pedes ejus abjicientem, lachrymis pedes ejus irrigantem admittere, nec illam pedibus proterere: sed major hæc est pietas, cum scortum, tum idololatram ipsum repudiantem insequi, & fugientem retrahere. Modo igitur peccatis nuntium mittamus, eaque abjiciamus, nihil est quod nobis à peccatis nostris metuamus.

Hic etiam notandum est, adulteria, tametsi tectissime & occultissime admittantur, *unde adulteria ejus ipsi perspecta.* ut omnium oculos fugiant; Deum tamen & Christum, illa intueri, eaque tanquam literarum notis consignare, ut aliquando illa nobis objiciant. Quod si convitium adulterii ab hominibus metuimus, quanto magis à Deo hoc probrum audire grave est? audire vero eos omnes necesse est, qui admissam turpitudinem non deplorant. Vt enim hi, quibus remissa sunt peccata, eadem tecta & operta habent: sic quæ remissione peccatorum conjuncta resipiscentia, non delentur, ea olim in lucem proferenda sunt; & quanquam in abditissimis penetralibus patrata sint, tamen super ædium fastigia promulganda erunt.

IOH. *cap.* 4. *à vers.* 19. *ad* 27.

19 *Dicit ei mulier, Domine, video te Prophetam esse.*

20 *Patres nostri in hoc monte adoraverunt: & vos dicitis Hierosolymis esse locum illum ubi oporteat adorare.*

21 *Dicit ei IESVS, Mulier, crede mihi, venit tempus quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem.*

22 *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est.*

23 *Sed venit tempus, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate: etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent.*

24 *Deus est Spiritus: & qui adorant eum, oportet ut Spiritu ac veritate adorent.*

25 *Dicit ei mulier, Scio Messiam venturum (qui dicitur Christus,) quum venerit ille, nobis annunciabit omnia.*

26 *Dicit ei IESVS, Ego is sum, qui loquor tibi.*

ANALYSIS.

EFfectum est antecedentis Christi sermonis, maxime illius, quo arcana & occulta mulieris retexuit.

Vers. 20. Effectum ejus opinionis quam imbiberat de munere Christi Prophetico, item illius accusationis qua illam fornicationis insimulavit: scilicet inquisitio de cultu Dei vero, quo peccatum suum expiare cogitavit: Argumentatur vero à distributione. Aut hic noster cultus est legitimus, quem in monte Geresimorum præstamus; aut vester

ster quem vos adhibetis Hierosolymis in monte Sionis. Suum vero & proprium cultum confirmat testimonio majorum; cultus vero Iudæorum rationem adfert testimonium ipsorum Iudæorum.

Vers. 21. Christi responsum tanquam in re incredibili παραδοξολογῶν: munitur suo testimonio, cui fidem adhiberi postulat: responsum vero est, neutrobique, neque in monte Geresimorum, neque Hierosolymis legitimum Dei cultum fore; responsum igitur constat partim a subjecto loci, partim ab adjuncto tempore.

Vers. 22. Refellit cultum Samaritanorum ab adjuncta ignoratione cultus, quem Deo præstant; sicut Iudæorum cultum confirmat ab adjuncta scientia cultus, quem Deo exhibent: cujus ratio à subjecto petitur Iudæorum, à quibus salus proficiscitur.

*Vers.*23. Describit Euangelicum cultum, 1. ab adjuncto tempore mox futuri; quod ἐπανορθώσει quadam adhibita corrigit, quod tempus illud jam advenerat; deinde describit verum cultum à subjecto Patris cui præstatur: postea duobus adjunctis Spiritus & veritatis; quod probat ab adjuncto Dei desiderio & effectu.

Vers. 24. Deinde altero argumento materiali, quod Deus sit spiritus.

Vers. 25. In responso mulieris, ab adjuncta scientia Messiæ venturi, videtur conari refellere Christi accusationem, qua illam inscitiæ insimulabat. Messiam autem describit ab effecto, omnia quæ necessaria erunt annunciandi.

*Vers.*26. Christi responsum docet, Messiam non amplius exspectandum; quod probat à disparato, quod jam venerit; quod item confirmat ab effecto, præsentis cum ea sermocinationis.

METAPHRASIS.

19. H*Vic fœmina respondet. Ex certissimo in-*
dicio multorum quæ adeo tecta & abs-
condita fuerunt, ut omnium notitiam fuge-
rint, compertum habeo te (mi divine) prophe-
tam esse. Quamobrem libet tecum de his rebus
quæ ad vitam æternam spectant disserere; ut
de vero Dei cultu certior facta, rationem de
expiandis peccatis (nominatim fornicatione,
20. *quam tu mihi exprobras) ineam. Iuvat au-*
tem hanc causam ingredi; quod de illa inter
vos & Iudæos & nos Samaritanos gravis quæ-
stio existit. Nos enim in hoc monte Geresimo-
rum (majorum nostrorum exemplo commu-
niti) Deum veneramur; vos contra Hieroso-
lymis locum divino cultui destinatum esse con-
21. *tenditis. Cui Iesus; mulier, rem miram, &*
tibi prorsus novam dicturo mihi, fidem quæso
ne inhibeto: tempus enim propediem adve-
niet, cum neque in hoc vestro monte, nec no-
stro, qui est Hierosolymis, Patrem cœlestem
22. *venerabimini. Interim tamen magnum est*
inter vestrum & nostrum cultum discrimen;
adoratis enim vos quod nescitis, & cujus ra-
tionem reddere non potestis; nos adoramus
quod scimus, & cujus ratio ex verbo Dei nobis
constat. Quam rem declarat satis quod salus 23.
à Iudæis *ad reliquas gentes promanare debet;*
quod tamen non fieret, nisi prius penes Iudæos
esset. Sed ut occœpi dicere, tempus venit, at- 24.
que adeo jam esse cœpit, cum veri & genuini
Dei cultores Patrem cœlestem Spiritu, non
rebus corporeis atque caducis; & veritate,
non autem typis & umbris ceremoniarum
adoraturi sunt. Et quidem Pater tales culto- 25.
res exquirit atque desiderat: nam cum spi-
ritus sit Deus, ejus cultores Spiritu & verita-
te illum adorare par est. Cui mulier; non sum
forte tam ignara quam putas, probe enim no-
vi Messiam *(is est qui Christus dicitur) ven-*
turum: porro scio, illum cum advenerit omnia
nobis necessaria annunciaturum. Cui Iesus; ut 26.
cætera omittam, vel hoc ipso falleris, quod
Messiam venturum prædicas. Ego enim is sum
qui tecum loquor, & ob eam causam, tibi o-
mnia quæ opus sunt explicare & expedire
novo.

PRAXIS.

NOnnihil ex præcedenti sermone cum Christo profecit fœmina Samaritana; nam quem ante impium hominem, & à Deo alienum judicarat, nunc ut Dei servum & Prophetam fatetur, tametsi longe infra dignitatem ipsius de eo sentiebat, quam Messiam æquius fuit ex tam præclaro effectu agnoscere. Nathanaël enim ex indicio loci occulti, ubi illum Christus esse cognoscere se declarat, ad divinitatis ipsius notitiam evectus est. Sed tamen pro hac fœmina afferri potest, eam in ignoratione omnium jacuisse, tanquam in profundo, Nathanaëlem in lege exercitatum fuisse. Erat autem in laude ducendum, quod non excandescat, nec pudore refusa resilit, prodito & indicato peccato: qua in re à multis peccatur.

Vers. 19. Profectus Samar. ex sermone cū Christo;

Cum autem Prophetam fuisse in animo sibi persuaserat, ex miraculo arcana retegendi, ab illo se doceri cupit; quasi dicat, quandoquidem video te Prophetam esse, age, missis istis, de religionis summis capitibus tecum sermones conferam. Si curiositati (qua omnes naturæ instinctu laboramus) obsequi voluisset, à Christo de reliqua vitæ præsentis conditione interrogasset, quæ scilicet foret sua (quod dicunt) fortuna, quamdiu victura, quot maritos & quales habitura, quot liberos, & sexcenta hujus generis alia quæsivisset. Hic igitur docemur, oblatam discendi opportunitatem minime prætermittere:

Vers. 20. de religione deinceps cupit conferre,

termittere: deinde quid sit, quod à Ministris Verbi nobis expectandum est; scilicet, institutio & informatio in via, quæ ad vitam ducit. Frugi hominis est, unumquodque posse ad illos usus accommodare, ad quos destinatum est, & aptissime convenit, & inde pro virili, omne (quod datur) emolumentum percipere. Hæc prudentia vel maxime in hoc de ministerio negotio tenenda est. Est autem longe gravissima, & dissentientibus hominum judiciis difficillima quæstio, quis sit legitimus cultus. Nos & patres nostri existimavimus, Deum in hoc monte rite & legitime coli; vos autem Iudæi dicitis Hierosolymis tantum verum Dei & legitimum cultum haberi; velim igitur quid de hac re judicii habeas, libenter cognoscere.

idque de cultu adorationis:

qua occasione de eo quæsiverit?

Hujus vero quæstionis occasionem dedit, quod in monte item illo Garisim, splendidum templum exstructum esset; quod mons ipse quibusdam sacris conventibus celebris esset & veluti sacer, præsertim accessu in terram Canaan; maxime vero quod Iacob ibi olim Deum coluerat, *Gen.* 33, 18, 19, 20. cum fuerit in possessione filiorum Emor. *Deut.c.* 12, *v.* 11. Certo loco adorandum esse Deum docetur. Hunc locum Iudæi Hierosolyma recte interpretantur; Samaritani vero, ex supradictis argumentis, montem Garisim. Quod vero ad Prophetæ testimonia attinet, quibus Hierosolyma locus ad cultum delectus est, eorum sanctam authoritatem non agnoscebant; sed Mosis tantum, sicut & Sadducæi.

hinc patet ejus animũ & judicium mutatum.

Iam igitur apparet, Deum viam huic mulieri ad perennem aquam potandam munivisse, dum illius divinæ voluntatis cognoscendæ sitim quandam inseverat. Indicium enim est, eos serio regnum cœlorum cogitare, qui de itinere, quo illuc pervenitur, solliciti sunt. Vide *Luc.* 3, 10. & *Actor.* 2, 37. Deinde ex hac quæstione illud liquet, eam sese ex ea parte retexuisse, & judicium mutasse; quo existimavit non esse communicandum cum Iudæis, cum in causa etiam religionis, & gravissima quidem illa, Christum in concilium adhibet. Deinde levitatis probrum non est reverita, quod & suam, quam ante tenuerat, & majorum suorum religionem in dubium vocavit. Quæ quidem obstacula quam magna exstiterunt, in *Papistis* quotidiana experientia docet. Si igitur veritatis studiosi simus, à consuetudine, à vetustate multorum seculorum, & à propria φιλαυτία animus est abducendus.

Vers. 21. *Christus indifferentiam loci adorationis ostendit;*

Respondet Christus, legitimum & probatissimum Dei cultum, ex loco non esse finiendum; nec tam interesse ubi, quam quomodo Deum colas. Tempus enim advenire, cum neque monti Garisim, nec monti Sionis Dei cultus affigendus sit. Cum igitur fœmina alterutro loco Deum necessario colendum esse rebatur, Christus neutro postmodum adorandum esse confirmat; tempus scilicet notans, quo ipse, impleto salutis nostræ mysterio, cœlos ascenderet. Quo sermone illam ad Prophetarum vaticinia revocat; in quibus, de cultu Dei in omnibus orbis plagis instituendo, mentio fit. *Zeph.* 2, 11. *Mal.* 1, 11. *Esa.* 19, 19, 20. Ita ut universa terra, vel maxime Deo & ejus populo infesta, Deo sacra futura sit. Qua sententia peregrinationes ad *terram sanctam*, ad *Iacobum Compost.* jugulantur. Si enim Hierosolymorum urbs & Iudæa tot Christi miraculis, & præsentia, nativitate, & sepultura nobilitata, aliis in cultu Dei locis minime præfertur; quænam illa demum rabies erat, qua olim homines, &c.

& in iis ut ipsi fides adhibeatur petit.

In quo tanto atrocius peccant, quanto Christus hoc axioma tam asseveranter confirmavit. *Crede mihi*; si enim, plus fidei Christo, quam leviculo sacrificulo haberent, nunquam tam crasse hallucinarentur. Quod si quis ex eo forte colligat, perinde Deum coli in privatis ædibus, atque in Ecclesia, perinde in officina, atque in publico loco precibus destinato, is sibimet ipsi imponit. Quod ad locum quidem attinet, fateor nihil discriminis esse: sed in conventu & cœtu Ecclesiæ magnum est discrimen; utpote in quo Deus longe efficaciorem præsentiam promisit, ubi conjunctæ vires & copiæ plus possunt, quam separatæ; ubi Verbi præconio, & sacramentorum usu preces accenduntur: ubi horum tarditas & segnities, aliorum alacritate castigatur; ubi denique & religionem erga Deum, & mutuum cum fratribus amorem profitemur. Conferuntur igitur loca publica cum publicis, non publica cum privatis; confertur Iudæa cum Italia, Hierosolyma cum Roma, cum Constantinopoli, cum Londino &c. templum Sionis, cum templo Petri Romæ, Pauli Londini. Alioqui si (quod temporibus persequutionis fieri solet) privatis in ædibus Ecclesia convenerit, præstabilius fuerit in ædibus fieri preces, quam in templo: Christus enim jam promissionem non affixit parietibus seu ligneis, seu lapideis, pictis, aut

deauratis; sed hominibus, legitimi cultus causa, aggregatis.

Vers. 22. *Ex præscripto ejus Deus Hierosol. colebatur;*

De cultu Dei legitimo deinceps ad finem usque futuro loquutus, nunc de præsenti aliquid intexit, ne videretur superiori responso Samaritanorum cultum illi adæquasse, qui apud Iudæos vigebat, aut templum in monte Garisim exstructum, cum Hierosolymitano templo composuisse. Discrimen autem statuit ab adjuncto cultus divini. Nos, inquit, qui Hierosolymis cultum Deo præstamus, certa legitimæ adorationis scientia sustentamur, quare rite Deum colimus; vos autem, quibus cultus, quem præstatis, opinione tantum & conjectura constat, in verorum Dei cultorum censum admitti non potestis. Quod si quæratur, unde Iudæis hæc scientia cultus Dei gignitur, in promtu est, ex Verbi divini certitudine illam peti; quod unicum cultus Dei scientiam tradit. Vnde etiam Dei cultus *Rom.* 12, 1. rationalis appellatur; & 1 *Pet.* 2, 5. Sicut enim observantia, quæ regi in aula defertur, ab Aulicis, Regis unius præscripto, definitur: sic cultus, qui Regi regum præstatur, ab ejus unius nutu & voluntate pendet; & ut medendi ratio ab arte medica, numerandi ab Arithmetica, &c. sic à Scriptura, scientia de Deo & cultu ejus petitur.

quod contra hominum placita in rebus sacris,

Vnde sequitur eos omnes, qui ex hominum cerebro religionem suam & cultum petiverunt, conjecturis tantum & fluctuantibus opinationibus & divinationibus niti, nec quid certi in religione habere; tametsi millies se certos esse & securos de sua religione crepent. Fluctuent igitur & vacillent necesse est *Papistæ*, *&c.* qui ab hominum placitis religionem suam, & à vetustis consuetudinibus suspendunt. Eosque ipsos, si se à veritate vinci patiantur, fateri necesse est, se cum in cultum suum introspexerint, & ad examen & calculos adegerint, nullum sui cultus subjectum & substratum fundamentum habere; quandoquidem irrationalis est.

& ignorantiam in iisdem.

Hoc autem non tantum Pontificios, sed & nostrûm plerosq; attingit; verendum enim est, ne si ad hanc legitimi cultus notam omnes *Euangelici* revocentur, plerique reperiantur, quos ex legitimorum Dei cultorum catalogo dispungi rectum erit. Nam tametsi nos cum illis conjungamus, qui Deum ex Verbi præscripto colunt; tamen nisi hujus cultus ratio nobis constet, nisi externa actio interni Verbi notitia fulciatur & sustentetur, in rite colentium choro consistere nequimus.

Cultus Dei rectus est ubi salus;

Quia *salus ex Iudæis est*, confirmat verum Dei cultum apud Iudæos, non apud Samaritanos vigere, ab effectis; quod Iudæa verum Dei cultum, in universum terrarum orbem transfundere debebat & propagare: quod certe non potuit fieri, nisi in Iudæa verus cultus exerceretur. Videtur autem promissionem respicere, qua dicitur Tribus discrimen & Legislatorem, non esse auferendum ex Iuda, donec Messias veniret; item ad illud, quod *Esa.* 2, 2. & *Mich.* 4, 1. dicitur montem Sionis supra omnes montes esse efferendum.

Vers. 23. *qui nunc spirit. & simplex esse debet,*

Fusius explicat, quod ante dixerat, de vero Dei cultu, & non tantum locorum discrimen sublatum iri docet, sed & alias ceremonias, corporeum & terrestrem quendam cultum resipientes. Cujusmodi erant sacrificia bestiarum & aliarum rerum in lege præscriptarum, lotiones, unctiones, lumina, instrumenta musica, vestes, dierum observationes, tribuum discrimen, quæ eadem etiam figuræ & typi erant; quorum exemplaria & veritas sub Euangelio vigerent: ita ut veritas & spiritus hoc loco re non differant, sed ratione tantum: nam eædem res, cum corporeæ, tum figuræ sunt: sicut contra, eædem cum spirituales sunt, tum veritas ipsa & corpus. Hinc altera differentia aut adjunctum veri cultus petitur, quo verum ab adulterino cultum interstinguamus; nempe si sit spiritualis, non corporeus, si sit simplex, & non figuratus; ad quas regulas & normas, si *Pontificiam* religionem exigamus, intelligemus talem esse, quæ Deo non probatur. Constat enim ex rebus terrestribus & corporeis, quæ majori numero apud eos sunt, quam unquam in Iudaismo. Cujusmodi sunt organa, Campanæ, thus, candelæ, palmites, sal, oleum, cremor lactis, vestes, sputum, cruces, rasio; deinde nihil non est plenum figuris, ut nulla vestis missatica aut sacerdotalis sit, quæ non mysterium, nulla crux, &c. Istis igitur, tanquam certissimis indiciis scimus Deo non probari cultum illum, qui in Papatu obtinet.

contra Pōtific. ritus multiplices:

tales cultores Deo accepti sunt.

Probat, quod dixit, de veris cultoribus, ab adjuncto Dei desiderio, qui tales cultores exoptat. Hi enim sunt Dei veri cultores, quos Deus expetit; expetit vero eos, qui eum in spiritu & veritate colunt; ergo illi sunt veri cultores. Sicut enim in diligendis servis, cuique curæ est, eum adsciscere in servum,

servum, qui aptissime illi inservire norit: sic &c. Facem autem & stimulum addat cultoribus Dei, quod se à Deo expeti sciunt, & illi in deliciis esse. Sic *Rom.* 12, 1. Hinc est, ut preces piorum adsimulentur suffimentis odoratissimis, quod etiam ex contrario cultu intelligitur, quem detestatur. Legimus 2 *Sam.* 23, 15, 16. quomodo tres viri Philistæorum exercitum perruperunt, postquam intellexissent, Davidem magno desiderio captum bibendi aquam ex puteo Bethleem: quanto igitur magis ut Deo placeamus, elaborandum est?

Vers. 24. *Quia Deus spiritus ideo talis ejus cultus;* Probat Deum hoc cultu oblectari à subjecto: talis enim est Dei cultus, qualis ipse Deus: Deus autem est spiritus; ergo cultu spirituali oblectatur: sic sanctos nos esse vult, quia ipse sanctus est. Hoc videmus inter homines etiam obtinere, ut quales ipsi sint, tales sint hi, quorum opera utuntur; ut in proverbium abierit, tales esse servos, quales sunt domini. Homines autem illum cultum Deo affingunt, qui illis corporibus septis gratus est; inde cantus ille incisus & fractus in *Papatu*; inde Campanarum strepitus; inde thura; vestes holosericæ; inde sexcenta alia: quia enim nobis illa arrident, itidem existimamus Deo placere, perinde ac si servus aliquis nequam, justo domino placiturus, illi id officii præstaret, quod sibi ab alio præstitum summe placeret. Vt qui proditorie & inofficiose Saulem & Ishboshetum interfecerunt: persuasi ea re, illud Davidi gratum fore, quod iidem ab aliis eorum causa factum probaturi essent. Sed contra cecidit; mercedem enim expectantes, mortis pœna plexi sunt.

non corporeus ut in Papatu;

quomodo tamen Deo placuerit ceremonialis Iudæorum cultus? Quod si *excipiat* quis, Iudæorum religionem Deo placuisse, & tamen terrenis & corporeis ceremoniis & typis oppletam.

Respondeo, placuisse quidem, quandoquidem illam instituit: sed institutam non tam pro naturæ suæ ratione, quam pro illius temporis ratione, & populi capacitate. Quemadmodum enim pater aliud obsequium, & alia officia à liberis adhuc puerulis exigit, alia ab adultis: sic &c. Sicut etiam obsequium illud puerile, & officia puerilia, non tam exigit, quod illi maximo usui sit, aut voluptati, quam quod hi meliora præstare nequeunt. Ita etiam in Iudæorum cultu factum est. Præterea ut puerile illud obsequium, suo in genere, perfectum erat & Deo acceptum: sic &c. Denique sicut puerile illud obsequium, jam adultis factis, summe patri ingratum foret: sic etiam Iudaïcus cultus, si cum Christo olim sepulto in æternum sepultus iterum excitetur, Deo non potest non esse ingratus, multo magis aliquis cultus ab hominibus excogitatus: nam si Deo displicent, quæ ab eo instituta sunt, næ illi multo magis exosi sunt, qui ab hominibus excogitati sunt. Et si puerilia nos, jam ex ephebis excedentes, non decent, nedum infantum in cunis vagitus & uberum suctus. Nec vero cultus spiritualis, ita à corporeis aut figuris adhuc alienus est, ut nihil cum his commercii habeat: sed tantum per comparationem dicitur. Nam figuræ nostræ sunt numero planissimo & simplicissimo.

Mulier recte intellexit sermonem, de innovando Dei cultu, ad Messiæ tempora referendum; quem & brevi venturum, & quicquid ad cultum Dei spectat expositurum credit. Videtur autem conari illam notam inscitiæ in religione eluere, quam Christus illi prius inussit. Quorum posterius diligenter nobis observandum est: quod omnia nobis patefacturus est. Quod à Christo præstitum esse legimus. Quæcunque enim à Patre audiverat, loquutus est; & *Ioh.* 17, 8. Quæcunque dedisti mihi, dedi eis (unde Doctor & Apostolus noster est) quæcunque igitur vel ad doctrinam, vel ad disciplinam spectant. Apostoli autem mandatis instructi fideliter legationem suam obierunt, & accepta à Christo nobis reliquerunt, ut de Paulo præcise dicitur, *eum tradidisse, quæ acceperat*; 1 *Corinth.* 11, 23. & *Actor.* 20, 27. *omnem Dei voluntatem patefecisse*. Illi igitur, qui nova indies procudunt & comminiscuntur, cum hujus dicti veritatem elevant, tum Christum aut Apostolos perfidiæ insimulant. Vers. 25. *Messiæ officium cultum exponere;*

Tandem hac occasione accepta, aperte seipsum eum esse declarat, qui aquam vitæ suppeditet, & esse fontē & puteum, unde illa aqua manat & hauritur. Cum igitur hunc esse fontem, Christi ipsius indicio, vitæ perennis & omnium bonorum cognoscimus, certatim omnes ad eum accurramus; fons est, ad sitim nostram frangendam & explendam, perennis, inexhaustus, ubi dracones ipsi & onagri, id est, homines maxima peccatorum suorum siccitate & ardore laborantes, se exsatiare possunt. Fons est ita omnibus expositus & publicus, ut singulis eum domi suæ possidere liceat. Illud modo caveamus, ne cisternas & stagna nobis effodiamus, quæ aquam continere nequeant, Vers. 26 *quod Christus fecit qui verus Messias.*

dum

dum ex cœno & palude liberi nostri arbitrii propriorumque meritorum promamus. Nemini enim unquam vituperio datum est, quod ex perennis vitæ fonte large & prolixe potus sit: nec vero in eo periculum subesse potest; sed cisternis pertusis & palustribus locis aquam petere, periculo non caret.

IOH. *cap.* 4. *à vers.* 27. *ad* 35.

27 *Interea vero venerunt ejus discipuli, & mirati sunt quod cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit, Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?*

28 *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in urbem, dixitque ejus loci hominibus.*

29 *Venite, videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci: num iste est Christus ille?*

30 *Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.*

31 *Interim autem rogabant eum discipuli, dicentes, Rabbi, ede.*

32 *Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo quemdam, quem vos non nostis.*

33 *Dicebant ergo discipuli alii ad alios, Num quis attulit ei quod ederet?*

34 *Dicit eis IESVS, Esca mea est exequi voluntatem ejus qui misit me, & consummare ipsius opus.*

ANALYSIS.

Reditus discipulorum ab oppidulo Sychar describitur, 1. ab adjuncto tempore ipso scilicet momento quo Iesus de se testimonium absolverat; deinde ab effecto, admiratione, cujus causa assignatur, quod arguitur à causa efficiente colloquio scilicet cum fœmina; post alio adjuncto reverentiæ erga Christum, cujus effectum arguitur à diverso quod quamvis admiratione ducebantur, nec causam colloquii cum fœmina animo complecterentur, tamen quid vellet, aut cur cum illa loqueretur ne verbum quidem fecerint.

Vers. 28. Effectum colloquii fœminæ cum Christo describitur, insignis charitas suorum concivium salutem promovendi; quæ arguitur, 1. ab effecto, quod oppidum reversa sit relicta hydria, hoc consilio, ut gradum acceleraret; deinde altero effecto sermonis ad suos concives.

Vers. 29. Quo sermone Iesum Christum esse confirmat: quod ad majorem asseverationem ἐρωτηματικῶς proponit; quod arguit à Christi effecto omnia quæ unquam fecerit patefaciendi; item altero argumento testimonio experientiæ, dum hortatur ut veniant & videant.

Vers. 30. Effectum sermonis fœminæ ad suos concives describitur, profectio ad Christum.

Vers. 31. Describitur colloquium discipulorum cum Christo, 1. ab adjuncto tempore, interim dum fœmina ad urbem profecta est, & concives ejus ad Christum venerint. Species autem sermonis quem habuerunt discipuli cum Christo est adhortatio, ut cibum sumerent.

Vers. 32. Adhortationis effectum est Christi responsum, se habere cujus majore studio ducitur quam cibi; quod illustrat similitudine à cibis ducta, quam etiam amplificat ab adjuncta discipulorum ignoratione, quis ille cibus sit.

Vers. 33. Cujus sermonis Christi effectum est error discipulorum, qui cibum improprie & translatitie dictum, pro communi cibo accipiunt.

Vers. 34. Hujus erroris effectum est Christi sermonis complicati explicatio; ubi cibum metaphorice dictum interpretatur, facere voluntatem mittentis se, ut illud plene & perfecte exsolvat.

METAPHRASIS.

Vix dum Christus hoc de se testimonium 27.
reddiderat, cum discipuli ejus oppidulo
ad illum rediissent; qui cum Christum cum
muliere Samaritana sermocinantem conspexissent, illius rei insolentia admiratione moti sunt; qui tamen reverentia erga Christum ducti, quod illum nihil temere facere persuasum haberent, de hac re ne verbum quidem fecerunt, nec quid tibi vis, aut quorsum cum illa loqueris, rogitarunt.

Quamobrem mulier illa, ut gradum acce- 28.
leraret relicta hydria, ad oppidulum reversa
est, & suos in hunc modum concives affatur:
Est vir qui mihi omnia quæ feci etiam recon- 29.
ditissima exposuit, ecquis est qui hunc Chri-
stum esse negare possit? sed venite queso, &
ipsi ad pleniorem vestram confirmationem eum
spectate. Egressi igitur ex urbe ad illum ac- 30.
cesserunt. 31.

Interea vero dum & mulier in urbem reversa est, & cives ab urbe ad Christum convolarunt, discipuli cum Christo colloquium habebant; colloquii vero initium sumptum est ab interrogatione qua discipuli à Christo quærunt num illi cibum capere placeret? *Quibus ille; me quod attinet, suppetit mihi cibus ad manducandum, quem vos quis sit nescitis.*

33. *scitis. Tum discipuli clam apud se disceptabant, numquis illis absentibus ei alimenta suppeditasset.*
34. *Quibus Iesus; video vos in cibi genere plurimum errare, quem enim cibum meum dixi, non est alius, quam ut Patris qui me misit voluntati obsequar, & ut opus ab illo mihi demandatum penitus expleam.*

PRAXIS.

Vers. 27. *Admirationis discipulorum causa;* Admirationis hujus in Christi discipulis causa est, Iudæorum inveterata consuetudo, cum Samaritanis non communicandi. Quanquam autem consuetudini plurimum tribuebant, tamen Christo plus honoris deferebant. Suffuisse enim justā causam existimarunt, quamobrem, præterita Iudæorum consuetudine, sermonem cum fœmina misceret; tametsi eam minime tenerent. In quo modestiæ Christianæ exemplum nobis præbent; ne ilico illud damnemus, quod nobis novum & insolens, aut alienum videtur, quodque aut sensuum nostrorum testimonio, aut rationis præscripto, aut consuetudinis vetustate improbatur. *qui ne nova ilico damnemus suo exemplo docent.* Canitiem enim sapientiæ divinæ revereri nos magis decet, quam consuetudinis canitiem, vel potius mucorem. Nec enim attendendum ad ea, quæ alii ante Christum fecerunt, sed quid ipse fecit qui ante omnes est. Hoc etiam in dictis Christi observandum est vel maxime, *Matth.* 5, 2, *&c.* Quod si sapienti viro hunc honorem habemus, ut ad rei illius condemnationem non statim prosiliamus, quum secus instituit, quam nos vellemus: quanto &c. Hic docemur quem honorem habere oportet Magistratibus & Ministris, ne ob speciem mali, de illis perperam judicemus. Vide Iobum, quomodo cum ridebat, in animum non inducebant, illum subrisisse. *Iob.* 29, 24.

Vers. 28. *Mulieris lætitia etiam ad concives;* Læta hoc tam salutari nuncio domum decurrit, & suos cives ad tanti thesauri societatem invitat: vide *Ioh.* 1, 41, 45. in Philippo & Andræa. Est tanquam ignis accensus in visceribus, qui ita amore gloriæ Dei & salutis proximi ardet, ut nulla re opprimi aut cohiberi possit, & sicut fermentum dilatat se. *Math.* 13, 33.

cum Deus docentibus aliis sua revelet: Hinc etiam Iudæi pii, tanquam semen bonum, per Gentes disseminandum, dicuntur, unde centuplum redderetur; utque columba una aliam ducit. Ex *Gen.* 18, 19. colligitur Deum promptius sua nobiscum arcana communicare, quod eadem alios docere faciles simus. Quod si quatuor illos leprosos conscientia coarguebat, quod urbi fame perituræ relicta spolia non indicabant, 2 *Reg.* 7, 9. quanto magis &c.

Notandum vero illam aquæ causa advenientem, hydriam post se reliquisse, oblitam scilicet commodorum suorum, ut concivium saluti inserviret: nam cum intelligeret eum transire modo, verebatur ne, nisi summa celeritate uteretur, hæc illa civibus cōmodandi opportunitas eriperetur. *in cujus sedulitate nos excitandi.* Quamobrem ut quam expeditissime festinaret, hydria se exoneravit. Quo docemur quam sedulo & sollicite, proximorum salus est procuranda. Si enim nuncium expeditum eum præcipue quærimus, cum adversus imminentem mortem remedium quærimus, quo nomine Elisæus servo præcepit, ne quem inter eundum salutaret. 2 *Reg.* 4, 29. quanto id magis in animæ salute præstandum erit? Quamobrem discipulos suos ad Euangelium prædicandum missos jussit, ut neminem prætereuntem salutarent, sandaliis induerentur, nullum aut baculum, aut gladium, nullas sarcinas secum comportarent. *Mat.* 10, 9, 10. Qui enim in ignoratione jacent, hi in ipsa mortis umbra consident.

Vers. 29. *Fœminæ fides Christi dictis adhibita notabilis;* Mulier, ut Messiam esse doceret Iesum, argumento effectorum utitur; quod quæ ab illa clam & occulte facta sint, patefecit omnia. Alio argumento utitur ab adjuncta ejus rei experientia; quod accedentes ad eum, rem ita se habere intelligent. In quo illud liquet, eam Servatori de se affirmanti credidisse, eo ipso miram fidei promptitudinem declarans, quam etiam profiteri non verebatur. Et quanquam ipsa rudis adhuc & ignara, ex arcanorum indicio Prophetam duntaxat illum esse collegerat; melius tamen edocta Iesum Christum esse, ex eodem argumento apud alios proposuit, & quidem magna asseveratione: addo etiam cautione: nec enim sibi hujus rei indicium arrogat, sed eorum conscientiam appellat; nec vero didicit Christum, hoc de se affirmasse, quod vere poterat, sed potius divinitatis tam eximio effectu illud considerandum relinquit. Hic igitur profusa Christi in hanc meretricem largitio conspicitur; quam tam angusti temporis spatio tanta sui notitia perfudit, ut ad alios docendum apta & idonea esset. Ex quo illud satis liquet, non ex meritis, neque ex operum dignitate, conferri Dei gratiam; cum in scortum, & quidem adhuc in cœno adulteriorum volutans, tam benignus exti terit, ut illi etiam promulgandæ veritatis honorem habuerit. Multæ enim fœminæ

 erant,

erant, quarum erat honeſtior & magis laudata vita, quibus tam luculenta dona non obtigerunt.

quæ ut alii eo properent hortatur:

Quod vero hortatur, ut illum adeant & ſpectent, non tam ad corporis lineamenta & formam refertur, quam quod fore pollicebatur, ut idem experiantur, quod illa ſenſerat: idem fecerat, *Ioh.* 1, 46. Philippus. Cum igitur ſimul cum aurium teſtimonio, oculorum etiam & aliorum ſenſuum fides obtineri poteſt, utrunque conjungendum eſt. Hæc ad ſacramentorum uſum referenda ſunt.

Verſ. 30.
cujus verbis quod fides adhibita mirabile.

Quod autem mulierculæ teſtimonium, in re præſertim tanta, contemptui habitum non ſit, ſicut poſt etiam docetur verſu 39 mirum videri poterit, maxime ſi cum Loti ad ſuos generos dicto conferatur, à quibus irriſus eſt: & ſi cum nuncio mulierum Chriſti reſurrectionem promulgantium, apud Chriſti diſcipulos, conferatur: ſed eo declaratur, ſicut & exemplo Paſtorum *Luc.* 2, 17,18. non eſſe verendum, ne noſter in Chriſto labor inutilis futurus ſit, modo prompte & incitato promulgandæ veritatis ſtudio accedamus. 1 *Cor.* 15, 58. Atque ut intelligamus, nulli noſtro acumini, exiſtimationi, aut loquendi fœlicitati, tribuendum eſſe, ſi quos laboris noſtri fructus feramus; cum &c. Nec vero nos abſterreat tenuitatis noſtræ ratio.

Verſ. 31, &c.
Chriſti deſiderium explendi voluntatem Patris,

Interim dum illa iret, & cum oppidanis ſuis rediret, ſermo hic cum Diſcipulis habitus eſt. Cujus caput eſt, Chriſtum incredibili ſtudio teneri Patris mandati de ſervandis hominibus exhauriendi, & ut idem in eis ſtudium accenderet, aliquot rationes expromere. Hujus autem ſui ſtudii teſtificandi occaſionem arripit, ex hac diſcipulorum ad cibum ſumendum cohortatione; quæ quidem importuna eſſe non videtur, cum quod meridies nimirum eſſet, tum quod vires collapſæ ex itinere, reficiendæ erant, tum quod hæc ſolitudo & vacuitas à negotiis invitare ad cibum videbatur; maxime quod diſcipuli exiſtimarent ſupereſſe nonnihil itineris, quod illis à prandio erat conficiendum.

humanis omnibus rebus poſthabitis;

A comparatis igitur minoribus demonſtrat incomparabile illud deſiderium, quo in exſequendis Patris mandatis flagrabat: ut tametſi pro humanæ imbecillitatis ratione cibum & potum, ut reliqui, appeteret, & in his oblectationem caperet: tamen cupiditas obtemperandi Patri, ita illud deſiderium vinceret, & quodammodo obrueret, ut, ejus ſtudio, alterius veluti oblivio eum caperet. Illud liquido conſtat, obſequia Deo uſque eo probari, quoad voluntaria ſunt, & alacri animo præbita. Quam autem promptum & propenſum eſſe debet, hac ſimilitudine declaratur. Scimus enim quam cupide ſitientes, & fame laborantes ad menſam accedimus; ita ut in proverbium abierit de rebus maximo ſtudio ſuſceptis, tam nos alacriter illa obire, quam &c. *Prov.* 7, 1, *ad* 4. Hinc eſt ut David ſuaviſſimo ſomno, qui media nocte nos arctius complectitur, precandi officium prætulerit. *Pſalm.* 119, 62. Docet Chriſtus ita à nobis obeundam Dei voluntatem, ut illam exſequuntur Angeli. Niſi igitur ad conciones, ad preces &c. tanquam ad convivium famelici & ſitibundi accedimus: ſciamus nobis tantum deeſſe, quantum ab hoc deſiderio abſumus. Quod ſi, veluti ad palum vel ſudem urſus trahimur, ſi ut ad lanienam bos, ſi tanquam ad carcerem rei, ſic ad Dei mandata obeunda accedimus, quod à Deo expectemus nihil eſt. Vt igitur probemus nos obſequio Dei oblectari, eorum quæ nobis cordi ſunt, nonnunquam oblivíſci oportet, ut ſomni, cibi, potus: videmus quam ſunt famis & ſitis patientes venatores, maxime Eſau, uſque ad ſui pœne ſummam cōvulſionem. *Gen.* 25, 30.

quod noſtrum ſtudium in ſacris excitet:

hoc deſiderium in peccatorum converſione;

Notandum etiam genus mandati, quod tam cupide exſequutus eſt Chriſtus; ſcilicet, illud quod in peccatoribus Patri reconciliandis & colligendis cernitur. Vt enim paſtor in amiſſa ove recuperata, ut mulier inventa drachma, & pius pater in prodigo filio ad frugem redeunti, *Luc.* 15, 5, *&c.* ſic &c. Hinc eſt, ut Chriſto tanquam infinitarum pro nobis perpeſſionum merces à Patre aſſignetur, multorum ad Deum converſio. *Eſa.* 53, 2, *ad* 12. Et tanquam præda aut manubiæ glorioſæ, ejus adverſus mortem victoriæ. Id nos conſolari debet Deum noſtram ſalutem perfecturum, quandoquidem ea oblectatur. Voluptas enim actionem perficit. Chriſtum non minori ſtudio ejus nunc flagrare, quam olim cum in terris verſaretur; eoque eam magis provehere, quo nunc nec cibo nec ſomno ad vires reficiendas eget. Nunquam opus illud intermittatur. Simul etiam cum diſcipulos ſuos Chriſtus, tum in illis omnes fideles Miniſtròs commonefacit, quanta ſollicitudine eorum ſalus provehenda eſt, qui eorum fidei commiſſi ſunt. Exemplum habemus inſignis cujuſdam diligentiæ

quod noſtro ſolatio,

& miniſtrorum ſtudio excitando.

gentiæ in servo Abrahæ, qui in Syriam, ob herilis filii uxorem missus, appositum sibi cibum repudiavit, donec quid ea re fieret, intelligeret. *Gen.* 24, 33. quanto id magis præstandum, cum de ambienda Dei Filio uxore agitur?

IOH. *cap.* 4. *à verf.* 35. *ad* 43.

35 Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimestre spatium *superest, & messis erit? Ecce, dico vobis, attollite oculos vestros, & spectate regiones: nam albæ jam sunt ad messem.*

36 Qui autem metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

37 Nam in hoc dictum illud verum est, Alius est qui seminat, & alius qui metit.

38 Ego misi vos ad id *metendum in quo vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.*

39 Ex urbe autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter sermonem mulieris illius, testantis, ac dicentis, *Certe dixit mihi omnia quæ feci,*

40 Quum ergo venissent ad eum Samaritani, rogarunt eum ut apud ipsos maneret: & mansit ibi duos dies.

41 Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius.

42 Et illi mulieri dicebant, Non amplius propter tuos sermones credimus: ipsi enim audivimus, & scimus hunc esse vere Servatorem illum mundi, Christum.

ANALYSIS.

SVo exemplo discipulos ad ministerii opus excitat atque exacuit, à comparatione minorum. De temporaria & caduca messe homines totos quatuor menses antequam messis advenit, soliciti sunt, multo magis vos de spirituali messe jam nunc matura soliciti esse debetis; quod confirmat ab adjuncto sensu oculorum, & intelligentia mentis.

Verf. 36. Hanc solicitudinem porro confirmat ab adjuncta mercede quam accepturi sunt in spirituali messe operarii; deinde ab effecto, quod fructum percipiant, id est, homines colligant ad vitam æternam, deinde altero adjuncto gaudii; quod amplificatur duplici subjecto, tam ejus qui sementem facit, quam qui metit.

Verf. 37. Postremum argumentum confirmat testimonio proverbii pervulgati, dispartitas scilicet esse seminandi & metendi operas; hunc scilicet sementem facere, alium vero messem percipere.

Verf. 38. Alterum argumentum est ab adjuncta facilitate operis, quod spiritualem messem ibi percepturi sunt, ubi ipsi non laborarunt; quod à disparato confirmat, quia alii, id est, Prophetæ se in hoc opere fatigarunt.

Verf. 39. Effectum sermonis fœminæ ad suos concives exponitur, scilicet quod crediderunt in Christum; quod amplificatur adjuncta multitudine credentium; forma etiam sermonis, quo testificata est de Christo apponitur, scilicet quod *dixit mihi omnia quæ feci.*

Verf. 40. Effectum fidei Samaritanorum exponitur, petitio ad Christum facta ut apud illos maneret; cujus petitionis effectum erat permansio Christi, quæ declaratur adjuncto tempore duorum dierum.

Verf. 41. Effectum Christi permansionis apud illos est fides aliorum, præter eos qui crediderant ex fœminæ sermone: quod etiam effectum amplificatur ab adjuncto numero, quod essent multo plures; & porro arguitur à sua causa efficiente Christi scilicet sermone.

Verf. 42. Effectum fidei concivium Samaritanorum, aperta professio suæ in Christum fidei, ex causa efficiente quod illū audivissent; quam amplificat negatione diversorū, nempe se non credidisse propter sermonem fœminæ; quod tamen se verum dicere velimus, potius referendum est ad comparationem minorum: scilicet non tam propter sermonem fœminæ credidisse, quam propter sermonem Christi: fidei autem professio est, se probe scire Christum esse Servatorem mundi.

METAPHRASIS.

QVod dixi de mea in negotio Patris tanquam in cibo, oblectatione, id ut mihi faciendum est, sic ad vestram imitationem propono. Nec enim vos fugit quod quadrimestri ante messem, solent homines de frugibus in granarium condendis curam suscipere. Advertite quæso quod dicam, sustollite & circumferte quaqua versum oculos vestros, & mente considerate circumsistentes regiones. Sicut enim fruges ad messem albæ & maturæ, sic magna multitudo eorum est qui ad salutem Dei amplexandum prompti & alacres sunt; ut mirum vobis videri non debet, si cibum neglexerim ut messem Patris colligam, cum solemne sit messoribus somnum simul & cibum negligere, 35. 36.

 ut mes-

ut messem alioqui perituram colligant: cui vos
operi tanto alacrius accingere debetis, quod
mercedem accepturi estis; deinde quod messis
ejus generis sit, quæ ad vitam æternam in cœ-
lum convehitur & comportatur, maxime ve-
ro cum hac vestra opera, tum vos messores
gaudium percipietis, tum eos qui sementem
37. *fecerunt, exhilarabitis. Hic enim verum est*
illud verbum, quod dici solet, hunc sementem
38. *facere, alium vero metere. Ego enim vos le-*
gavi ut summam manum his servandis im-
poneretis, quorum in cultura & veluti semen-
te non laborastis, alii ad fatigationem usque
laborarunt: vos autem illorum laboribus su-
39. *pervenistis. Ex urbe autem illa plerique in il-*
lum crediderunt, idque ob fœminæ sermonem,
quo testificata est quod omnia quæ feci mihi
40. indicavit. *Cum igitur Samaritani ad illum*
venissent, studio incensi se in accepta fide con-
firmandi, eum rogarunt ut apud se maneret,
qui & ibi mansit & duorum dierum usuram
41. *illis concessit. Tantulo autem & tam angusto*
spacio multo quam ante plures in Christum
crediderunt, idque ob sermonem quem apud
42. *illos habebat Christus. Usque eo autem confir-*
mati sunt & in fide profecerant, ut aperte pro-
fiterentur & fœminæ ad istum modum dice-
rent; probe novimus Iesum esse Christum &
mundi Servatorem, idque non tam tuo sermo-
ne, quam quod illum ipsum prædicantem au-
divimus.

PRAXIS.

Vers. 35. *Christus similis messis ministerium explicat;*

Seipsum exemplo illis primum proponens, quo illos in instaurando Dei regno accendat, alia deinceps argumenta admittit: primum à comparatis minoribus, de messe in horrea convehenda sollicitos esse colonos, & quidem ejus rei curam suscipere, cum quadrimestri adhuc spatio ab illa removentur. Cœlestem autem & plane auream messem jam maturam esse, ob eamque caussam omni conatu & contentione connitendum, ut in Ecclesiæ granaria comportetur. Sicut enim messis tempore, tempestive & intempestive hi coloni in assiduo opere sunt, ut fruges, quas terra progenuit, percipiant; sic &c. Sensus autem albentis & præmaturæ messis est, esse magnum numerum hominum, qui Ministrorum, tanquam messorum, opera indigent, qui si Ministerio Verbi inveniantur, ad vitam colligentur; sin minus, ut frumentum jam maturum, quod folliculis excutitur, aut à bestiis depascitur, aut imbribus computrescit, penitus interibunt.

quæ suo tempore est colligenda;

Quemadmodum igitur messis matura protinus demetenda est, si illam salvam cupimus; & quemadmodum studio ejus comportandæ, cætera manibus abjicimus, somnum dulcem abrumpimus, cibi obliviscimur, nec temporis opportunitatem præterire nos patimur; sic etiam &c. Ut minus mirum vobis videri debeat, si ut hanc mulierem in granariis Patris recondam, & alios, quos illa mox adducet, ordinarium pastum negligam. Sicut autem messem maturam attente intuendo, ad colligendas fruges acceleramur; sic Servator discipulos jubet, ut animo hanc rem diligenter pertractent, quo facilius ad officio suo fungendum excitentur. Nemo enim, non omnino perfidus colonus, messem hero depereuntem æquis oculis intueri potest; nullus pastor in montibus oves suas dissipatas videre, æquo animo fert. Hoc modo Christum ipsum ad majorem populi commiserationem legimus excitatum. *Matth.9,36.* Quod autem ministros ad falcem immittendam impellat, idem & nos, si rem probe expendemus, ad preces adiget, ut Deus misertus suæ messis, operarios extrudat. Hinc etiam illæ querelæ de vastata per apros vinea, de hæreditate Domini vastata, de ædificio Ecclesiæ demolito; ministerii necessitas hoc loco observetur.

Vers. 36. *cujus fructus vita æterna:*

Ab adjuncto præmio hortatur, vita scilicet æterna. Messoribus enim animum addit, si præmium constitutum habent, præsertim liberale. Illud enim facit, ut sudorem, æstum, lassitudinem, sitim, famemque contemnant, dummodo præmium consequantur. Deus autem non tantum victum & vestitum Ministris Euangelii suppeditat & præstitit; sed porro vitam æternam pollicetur his, qui fidelem & sedulam operam navarint; nec vitam modo æternam, sed coronam præcipuam & singularem. Vide *Daniel. 12, v.3. Doctores splendebunt, ut stellæ.*

ideo ob difficultatem non relinquenda,

Quoties igitur pondere hujus operæ premimur, mentem statim subeat mercedis incomparabilitas, quæ ut in magnitudine, sic etiam certitudine, omnia messorum præmia infinite vincit: merces enim agros demetentium sæpius retinetur à messis dominis, quam cohibitionem messorum luctus & lachrymæ excipiunt. Hic autem certum est nos, cum summa lætandi materia, manipulos nobiscum relaturos. Qui in stadio currit ad mercedem subinde oculos attollens, cursum maxima contentione accelerat: sic &c. Oculos igitur ab hominum injuriis & ingratitudine defle-

deflectamus, & in Deum conjiciamus oportet, si in suscepto semel officio permanere velimus. Quod si fecerimus, facile fuerit pastus nostros, quietem, & alia vitæ commoda, quoties res ita postulat, contemnere.

quæ cum magno gaudio conjuncta. Hujus autem vitæ æternæ effectum adjungit, solidum & cumulatum gaudium: sicut enim absoluta messe convivia instituuntur, jugulatur anser messoribus, aulædi & cytharædi conducuntur, alia lætitiæ adminicula conquiruntur, quæ superioris tædii molestiam pellant: sic &c. Cujus rei fidem facit à paribus: non enim (inquit) nescitis Prophetas, qui sementem hanc sacram fecerunt, jam concupitis gaudiis frui; vestram igitur non disparem conditionem fore, certe apud vos statuatis. Hoc parva quadam inflexione, & verborum permutatione, ad omes fideles accommodetur.

Vers. 37, 38. *Quod à Prophetis inchoatum apud Iudæos, ab Apostolis perfectum,* Aliud argumentum ab adjuncti laboris moderatione, Deus enim hunc laborem sui populi servandi divisit & distribuit; quod à similitudine confirmat: sicut enim sæpe fit, ut iidem non metant, qui sementem faciunt; sic etiam in hoc negotio factum est, ut Deus arationis & sationis partes Prophetis attribuerit, Apostolis autem messis laborem reservavit. Apostolos igitur Iudæis colligendis destinans, tanquam ad messem jam paratam misit, seu tanquam ad postremam pugnam, quam spolia exciperent; proinde non gravate hoc munus obire debere, quandoquidem spes fœlicitatis potiundæ jam in propinquo est, cum qui sementem facit, diuturniori exspectatione laboris perfruendi tenetur.

ut à Pastoribus quod apud Gentes à Paulo &c. Sicut autem Prophetæ sationem & arationem inter Iudæos & Samaritanos; sic Paulus & Barnabas inter Gentes fecerunt, *Rom.* 15, 16, *ad* 21. quibus tanquam messores, succedunt Pastores & Doctores ad mundi finem: qua ratione architecti, patres, plantatores, hi; illi fabri, nutritii, irrigatores appellantur. Quamvis autem hi vere sationem fecisse dici possent; tamen comparatione quadam, & modo quodam, hi, qui exstinctum pœne Euangelium instaurarunt primi, suis scriptis, concionibus, denique martyrio, arare in nostro agro dici possunt; & nos illis, veluti messores, submissos esse, qui in eorum labores ingressi sumus. Eoque operam dandam, ne cum nobis meliores partes datæ sint, in his obeundis dissoluti aut ignavi reperiamur; neve Dei agricolationem inchoatam aut mancam esse sinamus.

Samaritani Christo (ex sermone mulierculæ) credentes eum rogant, ut apud se divertat; qui prius rogati, illud nunquam fecissent. Quod idcirco faciunt, cum ut gratitudinem suam testatam faciant, tum vero ut eo Doctore, plenius salutis notitiam imbibant. Prioris generis exemplum est in Lydia, *Act.* 16, 15. & *Matth.* 9, 10. in Matthæo. Sed hoc exemplum est multo illustrissimum: nam non tantum hic agitur de animi ad liberale hospitium promptitudine, sed de sui & consuetudinis inveteratæ abnegatione, de famæ & existimationis apud vicinos jactura, de odio erga plerosque conflando. Vers. 39, 40. *Studium veritatis in Samar.*

Parum est Christum rebus secundis, omnibus illi faventibus & applaudentibus, hospitio accipere; sed refragente mundo & reclamante hoc facere, id demum fidei singulare testimonium censetur. Quam ad rem ut Christus suos animaret, docet eximium ejus hospitii præmium fore, accipient enim (inquit) mercedem Prophetæ: & quo periculosius est eorum apud pios hospitium, eo & amplior remuneratio, & protectio, defensioque magis sollicita. *etiam odio gentis posthabito;*

Quod vero id fecerunt, ut uberiorem veritatis notitiam ex eo, tanquam ex fonte, haurirent, id cum diuturniore Christi permansione, tum ex eventu auctæ eorum & confirmatæ fidei perspicitur. Atque hoc studium discendi & proficiendi in agnita veritate, Christo Domino pro exquisitissimis epulis, pro bellariis, pro suffimentis, pro pretiosissimo unguento fuit, sicut ex siti & fame humanæ salutis, qua Christus tantopere ursus, potus & cibi oblitus est, perspici potest. Hinc est, ut à duabus sororibus, Martha & Maria Christus hospitio exceptus, à Maria Christus hospitio exceptus, à Maria pedibus suis ad discendum affixa, quam a Martha, quæ ut magnam ferculorum varietatem pararet, satagebat, lautius se accipi judicaret. *Luc* 10, 38, *ad* 42. Hunc animum pii Ministri gerunt, ut malint mensam piis & sanctis sermonibus, & utilibus ad ædificationem quæstionibus, quam magna ciborum varietate instrui. Hospes etiam ipse, qui veritatis causa aliquem invitat, recordari debet, bonam partem divinæ liberalitatis, qua ejus humanitatem remunerare pollicitus est, sæpe se sua negligentia sibi excidere & deperire pati, dum quæ illum dubium habent, in medium non proferat, nec concesso bono fruatur. *quod ex permansione Christi apud ipsos perspicuũ,*

in qua ejus facilitas elucet.

Quod vero se Christus exorari patitur, miram in eo facilitatem declarat, qui tam cito injuriarum obliviscitur sibi & genti suæ inflictarum, ut non tantum hospitio ab illis accipi se passus sit, sed tantum beneficium in illos conferre voluerit. Quod nobis exemplo esse debet promptitudinis in gratiam cum illis redeundi, à quibus alieniores exstitimus, & quibuscum inimicitias olim gessimus, quantumvis inimicitiæ cum inveteratissimæ, tum vero etiam acerbissimæ intercesserint; & quanquam non defuturi sunt, qui hanc facilitatem, levitatis & stultitiæ damnaturi sint. Sicut etiam forte Christum idcirco Samaritanum appellaverunt, quod in illos præteriens tam facilis exstitit. Maxime vero Christi non exemplum tantum, sed sanguis etiam hanc vim habere debet, ut ardentissimas odii & inimicitiarum flammas exstinguat: *Ephes.* 2, 13, *ad* 16. cui accedit Sacramenti cœnæ usus. In quo quantum à nostris peccatur notandum, qui ad accipiendas offensiones videntur tanquam igniarii fomes, ad illas vero conceptas retinendum chalibem exhibent quodammodo, aut si quid sit quod ardorem ignis diutius retineat.

Vers. 41. Samar. plurimi Christi sermonibus credunt;

Duplicem fructum Euangelii notat hujus hospitii; Priorem, quod plerique alii ad fidem Christi attracti sunt, præter eos, qui ex indicio mulieris crediderant. In quo veritas Christi constat, qui dixit hanc messem Samaritanæ urbis fuisse: siquidem immissa Verbi divini falce, statim in Ecclesiæ granarium collecti sunt. Populi vero hujus aperta & simplex sinceritas liquido inde constat, quod ilico audito Euangelio, crediderunt; ita ut duorum dierum spatio, magna discipulorum multitudo aggregata sit. Quam sinceritatem Paulus in Philippensibus celebrat, & singulari encomio ornat. *Phil.* 15, 3, *ad* 11. Cum tamen homines, qui sapientiæ opinionem captant, veritatem cognitam non protinus profitebuntur, ne sapientiæ laude spolientur. Quid igitur nobis fiet, si jam annos 22 Christum audientes, nondum in eo radicati sumus.

eo magis eorum fides commendabilis;

Quod autem *propter sermonem* ejus credidisse dicuntur, non tantum fidei subjectum notat, sed fidẽ eorum commendat; qui tametsi coram miracula nulla edita esse conspicerent, tamen nudo ejus verbo, fidei longe firmissimo præsidio & basi, fidebant. Sicut igitur eorum fidem *Ioh.* 2, 24, 25. perstrinxerat, qui ex miraculis illam collegerant, usque eo ut Christus se illis credere noluisse dicitur; sic hoc loco eorum fidem Euangelii celebrat, quæ Verbo Dei innixa est, ut non se temere Christus illis crediderit: perinde ac si is plus honoris alicui haberet, qui promissioni ejus acquiescit, nec vades aut pignora alia quærit.

non tamen ideo sacram. rejicienda.

Quod si quis inde *inferat*, fidei nostræ γνησιότητα tum præcipue lucere, cum Verbo solo contenti sacramenta præterierimus.

Respondeo, hoc loco, fidem ex miraculis non damnari; sed cum miraculis major aut æqua ratio habetur, atque ipsius Verbi. Deinde ideo eorum ex Verbo laudatur fides, quod miracula Christus non apposuit. Quod si oblata miracula respuissent, aut neglectui habuissent, tum demum graviter reprehendendi erant.

Vers. 42. A Christo in fide Samarit. confirmantur;

Alter fructus est, quod qui prius ex mulierculæ sermone crediderant, in ea fide confirmati sunt: *justificamur enim ex fide in fidem*, quæ assidua incrementa accipit. Hoc autem fidei incrementum testantur, quod non jam ex sermone fœminæ, sed quod Christum ipsum audiverant, in eo fidem ponerent. In quo non prorsus operam ejus rejiciunt, sed καθ' ὑπεροχὴν Christi erga eos ministerium extollit. Hic autem operæpretium fuerit observare, unde fidei nostræ firmitas pendet; non equidem ex Ecclesia, ut *Pontificii* obstrepunt, sed ex Christi sermone. Tametsi enim Ecclesiæ opera ad fidem aditus recluditur; tamen adepta semel fide, illa non in Ecclesiæ authoritate acquiescit, sed inde firmamentum suum mutuatur, quod Spiritu dictante, illud Christi Verbum esse persuasi simus. Sicut enim præstantissimis & sapientissimis hominibus non ideo credimus, quia illi hoc dicunt, tametsi illis hunc honorem habemus, ut aliqua verisimilitudine eorum oratio perfundatur: sed tum demum illis fidem adjungimus, cum eorum orationem cum ratione, & rei veritate consentire animadvertimus: sic &c. Et sicut aureos synceros esse eos existimamus, qui ex publica cudendi officina exeunt: tametsi illud non certe credimus & constanter, nisi ad lydium lapidem exigantur: sic &c.

non ergo ab Ecclesia ea petenda.

IOH. *cap.* 4. *verſ.* 43.

43 *Duobus autem poſt diebus exiit inde, & abiit in Galilæam.*

MATTH. *cap.* 4. *verſ.* 12, 13.

12 *Quum audiſſet autem IESVS Iohannem traditum eſſe* in cuſtodiam, *rediit in Galilæam:*

13 *Et relicta Nazareth, venit & habitavit in Capernaumo* urbe *maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim.*

IOH. *cap.* 4. *verſ.* 44.

44 *Ipſe enim IESVS teſtatus fuerat, Prophetam in ſua patria honorem non habere.*

MATTH. *cap.* 4. *verſ.* 14, 15, 16, 17.

14 *Vt impleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem;*

15 *Terra Zabulon & Terra Nephthalim:* ad *viam maris ſecus Iordanem, Galilæa Gentium:*

16 *Populus poſitus in tenebris, vidit lucem magnam: & poſitis in regione & umbra mortis, lux exorta eſt.*

17 *Ex eo tempore cœpit IESVS prædicare, & dicere, Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cœlorum.*

ANALYSIS.

IOHAN. 4, 43. CHriſti commigratio à Iudæa in Galilæam deſcribitur ab adjuncto tempore, poſt duorum dierum commorationem in Sycharis vico.

MATT. 4, 12. Deinde ab efficiente cauſa rumore quem acceperat de *Iohannis* carcere; ubi etiam cauſa finalis innuitur, ut Chriſtus Euangelii prædicationem à *Ioanne* inchoatam continuaret.

Verſ. 13. Poſt commigratio ejus deſcribitur à Nazareth, oppido Galilææ unde profectus eſt, & ſubjecto particulari Galilææ, quo ſe recepit, Capernao; quod deſcribitur à ſubjecto generali, maritima regione & magis ſpeciali finibus *Zabulonis* & *Napthali*. *Verſ.* 15. Deſcribitur porro à ſitu juxta Iordanem, qui locus deſcribitur ab adjuncto populi & incolarum numero.

IOAN. 4, 44. Diſceſſus notatur ab efficiente cauſa, videlicet contemptu quo Nazarethæi Chriſtum ſuum alumnum aſpernabantur: quod à toto confirmatur, quia Propheta in ſua patria honore caret; quod ipſum Chriſti teſtimonio corroboratur.

MATTH. 4, 14. Hæc Chriſti commigratio Nazaretho in Capernaum, cauſa finali porro confirmatur, impletione Prophetiæ *Eſaiæ*.

Verſ. 16. Deſcribitur Chriſti ad eas partes commigratio ab effecto, quod populus illius regionis vidit magnum lumen; cujus item cauſa aſſignatur, quod lux illis exorta eſt. Quod omne amplificatur ab adverſo, tenebris calamitatis & ignorationis, in quibus populus ille verſabatur: & porro adhuc exaggeratur adjuncta duratione malorum, in quibus demerſa jacuit: quæ duratio conſedendi vocabulo indicatur.

Verſ. 17. Hujus effecti cauſa efficiens notatur, Euangelii per Chriſtum prædicatio; quod Euangelium ejus partibus declaratur, pœnitentia & fide; hac cauſa, illa vero effecto. Quam ad pœnitentiam & fidem cohortationem confirmat adjuncto temporis, ſcilicet quod tempus proprium ei rei promulgandæ adveniſſet.

METAPHRASIS.

POſtquam vero duos dies in vico Sycharis (Samaritanorum votis reſpondens) commoratus fuiſſet; ſe in Galilæam denuo contulit. IOH. 4, ℣. 43.
Cujus profectionis, ſicuti ſuperius unam cauſam accepimus, Phariſæorum malevolentiam inde natam, quod Chriſtus plures diſcipulos faceret, quam Ioannes *Baptiſta: ſic alteram jam ſubnecto, quod rumore non dubio Chriſtus* Ioannem *carcere incluſum eſſe intellexerat.* MATT. 4, 12.
Quamobrem Chriſto viſum eſt, Iohannis *in prædicando apud Galilæos vices ſupplere.* 13.
Quod vero relicto & præterito Nazaretho, Capernaum oppidum maritimum in finibus Zabulonis *&* Napthali *habitatum venit: id eo fecit quod Propheta nullibi fere minus æſtimatur, quam in ſua, ubi enutritus eſt, patria, & apud ſuos contubernales. Quod ipſum (occaſione præbita) alicubi poſtea Chriſtus teſtatus eſt. Tametſi hujus ſui conſilii cauſa multo gravior & auguſtior extitit: ſcilicet ut quod ab* Eſaia *Propheta prædictum eſt, impleretur.* IOH. 4, ℣. 44. MATT. 4, 14.

Cujus

15. *Cujus prædictionis hic (quod ad hunc locum attinet & quantum præsens argumentum po-*
16. *stulat) sensus est : Regioni & oræ* Zabulonis *&* Naphtali *ad mare secus Iordanis flumen projectæ, populoque propter agri fœcunditatem numeroso , quam diutissime in densissimis calamitatum & ignorationis tenebris, tanquam in ipsa morte, demerso, lumen longe splendidissimum exortum esse , & simul illius aspiciendi copiam factam esse. Nam hoc ipso , quod di-*
17. *ctum est , tempore , Christus Euangelium apud illos prædicare cœpit. Cujus prædicationis caput & summa erat , jam tempus illud penitus impletum esse, quo Dei gratia majori mensura illis proponitur , quam unquam ante : ob eamque causam præcipua quadam ratione nunc illis incumbendum , ut malorum præteritorum penitudine ducti , bonis operibus strenuam operam navent.*

Summa *est Christum , relicta Iudæa , in Galilæam proficiscentem, & Nazaretho præterito in Capernaum Euangelium, cujus summa proponitur, prædicasse.*

Partes *sunt* { *Causæ Christi prædicationis in finibus* Zabulonis *&* Naphthali. / *Summa prædicationis Christi.*

PRAXIS.

CHristus , relicta patria , maritimam regionem afflictionibus & veritatis ignoratione obtenebratam , Verbi prædicatione illustrat.

Cujus *partes* sunt { Prӕterita patria in Capernaum concessio, & / Causa concessionis.

Ioh. 4, ℣s. 43. Ex Christi commigratione certo loco cultus non alligandus.

Quod, præterita & relicta patria, ulterius in Galilæam profectus sit, idque ob eam causam, quod sciret se & doctrinam suam , non tam illis gratam & acceptam fore ; docemur , nullis privilegiis tutum esse posse illum populum , qui Dei Verbum parvi penderit. Tametsi enim Nazareth cum in censu populi Dei esset , tum etiam hoc privilegio ornata, ut Dei Filium puerum educaret; tamen hæc Christum neglectum alligare nequeunt, quo minus ejus defectionem meditaretur. Neque tamen dubitandum est , quin Christus , eadem propensione fuit erga suam patriam , qua nos nostram prosequimur ; adeoque στοργὰς illas naturales , dummodo incorruptas , in Christo perfectissime viguisse. Verum neque patriæ charitas, neque consanguineorum necessitudo efficere potuit , ut illis plus se affixum & devotum haberent , nisi quoad veritatis amore illos duci intelligebat. Sed nec Hierosolymæ urbs multis eximiis promissis ornata & munita, ultionem Dei à se amoliri potuit , ex Verbi contemptu contractum : quanto minus igitur nobis parcet ?

Matt. 4, ℣s. 12, 13. nec temere nosmet in periculum conjiciendum.

Quod periculum in Iudæa , ex Pharisæis & eorum insidiis imminens , declinans Christus in Galilæam , ditionem Tyranni & persequutoris, concessit ; liquido docet , nullo illaudato aut illegitimo timore Pharisæis cessisse ; ut qui videtur è fumo (quod dicitur) in flammam incidisse , id est , e grandi periculo in discrimen gravius. Sed hoc modo & suam in officio fidem Deo probavit, & nobis exemplum præbuit , ut ne temere nos in minimas difficultates conjiceremus, & à gravissimis etiam non abhorreamus, quoties de Dei voluntate in illis perpetiendis constaret, & vocationis nostræ ratio hoc postulet.

Amisso Ministro Deus sæpe præstantiores surrogat.

Deinde quod Ioanne in carcerem concluso , Christus ejus in prædicando apud Galilæos vices obeat : consolationem continet, ne amisso ex persequutione aut morte , pio ministro, animis cadamus; cum videmus hoc loco alium , & quidem priore multo præstantiorem , in ejus locum suffectum & surrogatum esse. Illud modo cavendum, ne nostra aut in Deum, aut in Ministrum ingratitudine perimatur, sed aliorum potius nequitia, ut hoc loco factum est. Quandoquidem Iohannes nulla Galilæorum opera in carcerem detrusus est , aut morti deinceps traditus. Quod si nostra nequitia , vel hominum crudelitate pereant , nec Dei manu consumantur , verendum est ne pro Pastore , justo Dei judicio , lupi substituantur , qui gregem invadent deglutientque.

Ioh. 4, ℣s. 44. Quare in patria Propheta aut Minister non tanti fiat?

Proverbium: cujus veritas constat in his, quæ sunt ἐπὶ τὸ πολύ. Cujus causæ sunt, primum invidia , quæ facile conflatur inter æquales & populares, cum quis æqualem suum , multo magis sibi inferiorem præferri videt : in quo hujus existimationem , suum contemptum judicat, deinde familiaritas contemptum parit. Ægre enim aliquid magnum de eo nobis persuademus , in quo nos superat , quicum convivimus , collusimus, colloquuti sumus , cibum sæpe sumpsimus. Existimamus enim , nobis aliquando pares, nunquam deinceps præponendos. Huc accedit, quod hujusmodi nostrarum ex assidua consuetudine infirmitatum , testes & spectatores admisimus; quarum recordatio in animis nostris neglectum parit. Quo accedit, quod non nostra duntaxat , sed & parentum

& consanguineorum abjecta conditio, ad elevandam authoritatem, & minuendam fidem nostram, observatur & studiose colligitur *Matth.*13,54,*ad* 58. Cum contra summi beneficii loco esse debebat, quod hoc modo illis adeundis fidentiores efficimur, cum plerique verecundia prohibentur accedere Ministros, quod illis ignoti sint. In his vero quæ ad hanc vitam spectant, non tam delicati, vel potius petulantes sumus. Sive enim ad jus dicendum Advocato, sive ad sanitatem constituendam Medico egeamus, sive inopia laboremus, ad eorum qui nobis notissimi sunt, & quibuscum consuevimus opem libentius confugimus: hos enim habemus cum nobis spectatissimos, tum apud quos majori fiducia uti nos posse judicamus.

MATT.4, ✠. 14,15. *Dei misericordiâ primo Euangelium annunciatum Galilæis;* Hinc, tanquam inscripta & expressa nota in persona Iesus, agnoscimus Iesum Christum esse, & mundi redemptorem, qui unicus sol est, seu luminare magnum, quod istis Galilæis exortum est. Deinde videmus singularem Dei in misericordia æquitatem, ut ubi prius judicio Dei, tanquam fulmine, fracti sint, ibi prius Dei misericordia affulgeat. Nam sicut hæ regiones à Tiglath Pelezero prius pervastatæ, priusquam reliquæ tribus attactæ sunt; sic lætus nuncius Euangelii prius apud illos percrebuit, quam apud alios Israëlitas personuit. Quod ad afflictorum consolationem opportunum admodum. Novimus quod à Petro dicitur, 1 *Pet.* 4,17. tempus esse, ut à Dei domo judicii initium sumatur: & perinde pessimam fore inobsequentium conditionem. Sed neque nos conturbet, si (ut hoc loco accidit) primi inter Dei populum vapulemus: nam ut hic factum est, priores futuri sumus in accipienda misericordia, qui priores fuimus in malis experiundis: vide *Ioh.* 5, *v.* 5, *ad* 9. in exemplo ejus, qui tot annos claudus & captus pedibus erat. Deinde mitius sæpe cum illis agitur, qui primam Dei manum sentiunt, quam qui secundam aut tertiam: qua de re vide *Ierem.*26,18,*ad* 23. Sicut enim, cum brachium viri concaluerit, graviorem plagam infert, quam prima aut secunda percussione: sic multo magis illud in Dei plagis verum est. Quod autem consolationis eximio loco à Propheta proponitur, adversus summas calamitates; docemur, in Euangelii luce, nos omnium gravissimorum malorum remedia & medicinam consequi. *quod maxime in miseriis solatio:* Quod si hæc consolatio aliquot centum annos post declaranda & repræstanda, populum, qui tum vivebat, erigebat; multo magis nos debet, qui hoc beneficio fruimur, singulari consolatione recreare.

Illud præterea singularem consolationem habet, quod diutius malis oppressi, opportuno tamen tempore, è malis eruuntur. Nihil enim ad desperationem homines magis sollicitat, quam quod mala in quibus sunt, cum illis consenescant; ut animum illorum subeat, mala illa, tanquam præscriptione (ut Iuridici nostri loquuntur) in illos jus habentia, nunquam sua possessione moveri posset; ut in illis penitus conputrescere oportere, in animum inducant suum. Huc pertinet, *si inter cutropides jacentes demigrati fueritis, tamen &c. Psalm.* 68, *v.*13, 14. Deinde nos confirmare debet in studio precandi pro his, qui tenebris ignorationis diu obruti sunt, fore ut tandem Dominus illis in Verbi sui luce affulsurus sit; maxime pro Iudæis, quorum ad Deum conversio, Dei promissione nititur: ut Zabulonitarum &c. de quibus hoc loco agitur. Vers. 16. *quamvis diu in tenebris detenti.*

Matthæo affirmante Christum tum cœpisse apud Galilæos prædicare, *Marc.* 1, 14. addit, illum prædicasse Euangelium regni Dei. In quo eximium præconium, & singulare elogium prædicationis Euangelii cōtinetur. Quod nos Reges facit, & Reges Deo, quod nos in possessionem regni mittit, & quidem regni Dei. Non est contemnendum beneficium Euangelii, quod mortuos vitæ nos restituit, unde & *verbum vitæ* appellatur, quod nos Diaboli mancipia in libertatem asserit; unde & perfecta lex libertatis appellatur. *Iac.* 1, 25, & 2, 12. & *Luc.* 4, 19. annum acceptum promulgare: sed illud encomium est longe augustissimum, quo dicitur, regnum cœlorum viam nobis sternere. Deinde notandum, duas partes Euangelii constitui, pœnitentiam & fidem; ubi notandum pœnitentiam esse Euangelii, non legis partem: de qua re vide alibi. Vers. 17. *Euangelii encomium quod de regno Dei;*

Quod etiam stimulum adhortationi adjungit, quod tempus hoc opportunum sit, nempe quod tempus illud à Prophetis prædictum advenisset; illud ad nos accommodandum, quibus hæc opportunitas oblata est. vide 2 *Cor.* 6, 2. *idque opportuno tempore.*

IOH. *cap.* 4. *à verſ.* 45. *ad finem Capit.*

45 Quum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, quum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in feſto: nam & ipſi venerant ad feſtum.

46 Venit igitur IESVS rurſum Cana oppidum *Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in* urbe *Capernaumo regius quidam, cujus filius infirmus erat.*

47 Is quum audiſſet IESVM veniſſe ex Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & cum rogavit ut deſcenderet ac ſanaret ſuum filium: erat enim moribundus.

48 Dixit ergo IESVS ei, Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.

49 Dicit ei regius ille, Domine, deſcende priuſquam moriatur puerulus meus.

50 Dicit ei IESVS, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni quem dixerat ei IESVS: & profectus eſt.

51 Iam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & annunciaverunt dicentes, Filius tuus vivit.

52 Percontatus eſt ergo ab eis horam qua melius habuerat: & dixerunt ei, Heri circiter *horam ſeptimam dimiſit eum febris.*

53 Agnovit ergo pater id factum eſſe *illa ipſa hora qua dixerat ei IESVS, Filius tuus vivit, & credidit ipſe, ac domus ejus tota.*

54 Hoc rurſus, id eſt, *ſecundum ſignum edidit IESVS, quum veniſſet ex Iudæa in Galilæam.*

ANALYSIS.

Effectum profectionis Chriſti è Iudæa in Galilæam, quod Galilæi Chriſtum complexati ſunt; quod arguitur à cauſa efficiente, viſione ſcilicet miraculorum quæ fecerat Hieroſolymis in feſto; cujus etiam viſionis cauſa ſubjungitur, Galilæorum Hieroſolyma profectio.

Verſ. 46, 47. Superiore verſu ſubjicitur loci generalis deſignatio Galilæa, quo ſe contulit Chriſtus, nunc particulare ſubjectum loci Canan ſubjungit: quod oppidum deſcribitur ab adjuncto miraculo converſionis aquæ in vinum; quod etiam ſuo efficiente Chriſto amplificatur: poſt deſcribitur quidam ad Chriſtum accedens, 1. ab adjuncta conditione Aulici: deinde à relato filio; qui ſuo adjuncto morbi declaratur, 3. à ſubjecto loco ubi habitabat, 4. effecto acceſſus ad Chriſtum; quod arguitur ab efficiente cauſa, fama Chriſti ex Iudæa in Galilæam reditus, 5. à fine, ut Chriſtum rogaret, ſecum ut deſcendat ad ſanandum filium ſuum: hæc petitio confirmatur ab adjuncta gravitate morbi, quod filius morti proximus eſſet.

Verſ. 48. Hujus petitionis effectum eſt Chriſti reſponſum, cujus forma eſt objurgatio, cauſa autem objurgationis eſt fidei tarditas & tenuitas; quam arguit à ſubjecto fidei, ſcilicet quod non acquieſcerent in verbo; quod probat à diſparato ſubjecto, niſi ſcilicet viderent ſigna & portenta.

Verſ. 49. Chriſti objurgationis effectum eſt poſtulati iteratio; quam corroborat ab adjuncta mortis propinquitate quæ filio imminebat.

Verſ. 50. Effectum poſtulati eſt petitionis conceſſio, & conceſſionis, Spiritus Sancti efficaci energeia, Aulici fides particularis, fore ſcilicet, ut filius convaleſcat congruenter Chriſti dicto: & fidei effectum, nempe domum ſuam reverſio, tanquam qui eſſet de filii ſanitate ſecurus.

Verſ. 51. Poſt ſervorum occurſus proponitur; qui deſcribitur ab adjuncto tempore, interim dum ille domum redibat; & effecto, nuncio ſcilicet de filii convaleſcentia.

Verſ. 52. Hujus nuncii effectum eſt percunctatio Domini, quo tempore convaluit, & percunctationis effectum reſponſum ſervorum, cujus forma ſubjicitur.

Verſ. 53. Vtriuſque, cum percunctationis domini tum reſponſionis ſervorum, effectum eſt Patris cognitio, quod eadem illa hora ſanatus ſit filius, qua Chriſtus eum ſanitati reſtitutum pronunciaverat; & collationis ſimul & miraculi effecta fides ſubnectitur, non particularis, filium ſanitati reſtitutum eſſe, ſed fides qua perſuaſum habet Chriſtum eſſe Meſſiam: quod declaratur diſtributione ſubjecta patrisfamilias, tanquam cauſa fidei domeſticorum, ut qui inſtituebat familiam, & familiæ quæ inſtituebatur.

Verſ. 54. Hoc miraculum adjuncto numero declaratur, ſcilicet quod ſecundum fuit; non ſimpliciter, ut ex 45 verſ. ſed ſecundum, quod in Galilæa & Cana oppido edidit.

METAPHRASIS.

Cum igitur Ieſus Samariam tranſiens Galilæam veniſſet, eum Galilæi libenter equidem accipiebant: non tamen illa promtitudine qua Samaritani, qui ſolo verbo acquieſcebant: quandoquidem miraculis, quæ Hieroſolymis in feſto Paſchatis (quo profecti fuerant) vidiſſent, permoti, Chriſto hoſpitium apud 45.

46. apud se præbuerunt. Rediit itaque Iesus in op-
pidum Canæ, in provincia Galilææ, ubi aquam
(sicut dictum est) in vinum converterat.
Erat autem regius quidam Officiarius, cujus
47. filius (ut fit) Capernai decumbebat. Hic, cum
percrebuisset Iesum Iudæa in Galilæam redi-
isse, ad eum accedens, supplex rogat ut Caper-
naum secum proficiscens filium, mox cæteroquin
48. moriturum, sanitati restitueret. Ad quem Ie-
sus: Possem equidem vobis hoc & alia huic si-
milia officia jure denegare, qui ad credendum
tam adversum animum geritis, ut in verbi
mei autoritate non acquiescatis, nisi signa &
prodigia accesserint; non quod plane vetitum
sit signorum præsidio oblato uti, aut etiam eo-
rum adminiculum postulare, sed quod signis
49. postulandis nullum modum statuitis. Ad quem
Aulicus; Ista nunc mitte, quæso, & mecum
mature veni, ne si filius graviter decumbens
vita defungatur, cum re spes etiam pereat.
50. Ad quem Iesus; Noli amplius de hoc negotio
laborare; domum revertere: filius enim tuus
hoc ipso quo jam te alloquor momento conva-
luit, & integræ & confirmatæ prorsus valetu-
dini restitutus est. Credidit igitur vir ille
Christi verbo, Spiritu Christi intus cooperante,
& efficaciter animum Aulici, ut in verbo ac-
quiesceret, permovente: unde tanquam de sa-
nitate filii securus, domum versus profectus
51. est. Dum in itinere est, Servi ejus certatim
accurrunt, tanquam qui εὐαγγέλια referendi
studio incenso invicem contenderent. Herum
igitur alloquentes dicunt, filius tuus, qui in
ipsis mortis faucibus hærere visus est, jam pe-
52. nitus convaluit. Quamobrem ab illis tempus
sciscitatus, quo valetudinem pristinam recu-
peravit, responderunt; heri circiter primam
pomeridianam, & deseruit eum febris. Quo
53. responso, agnovit pater illud ipsum tempus
fuisse, quo Iesus dixerat, filius tuus convaluit.
Cujus cum miraculi tum cum servis colloquii
hic fructus & partus extitit, ut & Aulicus Ie-
sum Messiam esse crediderit, & servos & reli-
quam familiam ad eandem fidei societatem,
54. diligenti institutione pertraxit. Hoc autem
ex miraculis quæ Iesus in Galilæa edidit, nu-
mero secundum est, reliqua miracula quæ cæ-
teri Euangelistæ in Galilæa facta scribunt,
tempore præcedens: pleraque enim Hierosoly-
mis in festo Paschatis prius fecisse, superius
vers. 45 monstratum est.

PRAXIS.

CHristus rogatus, moribundum Aulici filium valetudini restituit; qui, re penitus cum servis examinata, cum tota sua familia credit.

Cujus *partes* sunt { Moribundi pueri ad sanitatem restitutio Christi dicto, & Fructus illius sanationis.

In priore *parte* habetur colloquium Aulici cum { Christo, & Servis.

Proponitur vero primum ejus ad Christum petitio, ut cum ipso, sanandi filii causa, descenderet. Vbi spectanda proponitur causa, quæ hunc Aulicum Christum accedere coëgit, filii sui grave periculum. Neque enim cæteroquin credibile est, hunc Christum adire statuisse, nisi hoc malo adactus, quo & tanquam tubæ sonitu ex aulicis delitiis experrectus est, & veluti flagello ad Christum actus. Quo fructus afflictionis eximius docetur. Nam si pii & Dei timentes rebus secundis Deum oblivioni tradunt, ut *Psal.* 30, 6. nihil certe mirum est, si hi, qui se voluptatibus, & hujus seculi cupiditatibus dant, tantisper peccatis suis indormiscunt, quoad somnus ille afflictionis cujuspiam strepitu pellatur. Deus autem suis non tantum imperavit, ut ursi ad eum accurrant, & eum appellent; sed promisit fore, ut prementis calamitatis acerbitate, ad nominis ejus invocationem, tanquam ad arcem, confugiamus. *Prov.* 18, 10. *Hos.* 5, 15. *Quum angustia erit eis, mane quærent me. Psal.* 119, 67. *Antequam in ærumnas incidissem, erravi, nunc autem custodio eloquia tua.* Hic igitur sal est, quo afflictiones ovi albumine insipidiores condiantur; hoc saccharum, quo nimia amaritudo corrigatur; hoc oleum, quo acetum ejus mitigetur: neque tamen hoc ex afflictionis ingenio fit, quæ refractariam naturam magis à Deo aversam reddit, sed precibus per Spiritum. *Phil.* 4, 6. Itaque in prælium aut luctam cum afflictionibus commissi, sequamur Iacobum, qui tametsi claudus ex lucta effectus esset, Angelum tamen dimittere noluit, nisi prius benedictione eum prosequeretur. *Gen.* 22, 24, *ad* 31. Sic nos nec ex afflictionibus emergere debemus cupere, nisi in illa prius ad salutem, fide & humilitate & mansuetudine profecerimus. Alioqui enim citius, natura nostra, monocerotem à *Iobo* descriptum imitamur 39, 12. Omnis enim natura bestiæ, magis domabilis & cicur est, quam hominis.

Perquam tenuem fuisse ejus fidem constat; primum quidem, quod non putet posse Christum sanare, nisi, ut olim Elias, & Elizæus,

Vers. 46, 47.

Quare Aulicus petat ut Christus cum eo descendat?

hinc in afflictionibus ad Deum recurrendum,

& aulici fides exigua;

zæus,& post Apostoli,ad laborantes accederet, preces pro his conciperet, corpus suum laborantium aut mortuorum corporibus applicaret,his manus imponeret,unguento eos perfunderet. Infirmitas ista secundo loco apparet ex responso Christi; quo declarat Galilæos,& in his eummetipsum,nisi miraculorum adminiculo, fidem illi & doctrinæ ejus abrogaturos. Tertio, hæc tenuitas inde dignoscitur, quod responso ad Christum, filium suum, siquidem eum mors prius opprimeret,quam Christus se illi sisteret,non posse crederet excitari. Quod tamen Prophetis, Eliæ & Elizæo olim obtigisse, nosse potuisset. Sicut de servis Iairi legimus, qui herum admonuerunt, ut Christo deinceps negotium non facesseret, quod filia ejus expiraverat.

in quibus Christi benignitas conspicua,

Hinc intelligitur, quanta sit Christi benignitas & φιλανθρωπία,qui fidem tot ignorationis & corruptelarum involucris implicitam non rejicit; qui arundinem quassatam non confringit, nec linum fumigans exstinguit; tametsi inter plures cineres una tantum scintilla sit, illam fovebit. Quamobrem hoc nobis stimulo sit ad nos, ut ad Christum accedamus, incitandum; quod tam facilis & benignus sit, ut homines tot infirmitatibus impeditos, tanquam pannis obsitis, non aspernetur, nec suo aut jucundissimo aspectu, aut necessario præsidio privet. Quod si probe expenderemus, non tam facile ab eo fugam meditaremur, quam hi facere solent, qui cum se perturbatione,seu iræ,seu vindictæ commotiores sentiunt, statim se à Cœna abducunt, cum tamen nisi his succumbant, & ab his se vinci patiantur, seseque in eorum potestatem, tanquam dedititios & captivos concludant, Christo grati convivæ sint. Quandiu enim in lucta sunt, &c. Neque enim Deus ita omnia ad calculos revocat, sicut agricolæ solent, qui nisi aut ager frumentum, aut fructum arbor ferat, labori aut sumptibus analogum, utriusque culturam deinceps abjiciunt. Modo enim aliquem fructum non prorsus insipidum & ingratum deferamus, nos pro suis agnoscit. Tanquam enim ad rigidum judicem accederent, qui suas injurias persequeretur, sibi in animum inducunt. Sicut autem hac in parte, à plerisque peccatur: ita alii sunt,qui ad mensam audacter vel impudenter potius prosiliunt, nihil omnino de datis scandalis, aut exulceratis fratribus colligendis & reconciliandis solliciti.

cujus instituta non intermittenda.

Vers. 48, 49.

Christi reprehensio ob infirmitatem aulici,

Deinde hanc Christi suavitatem, aliqua acrimonia temperatam esse ex responso liquet. Vide in Nicodemo, *Ioh.* 3, 10. Summa autem reprehensionis est, illos quicquid rationum aut demonstrationum affertur, quibus perspicuum fiat eum esse Dei Filium & Messiam, & quamvis ipsa meridie clarius sit, quod de Messia credendum est: tamen eos nolle, nisi adhibitis miraculis credere. Sic igitur filios suos cum omnibus eorum infirmitatibus & deformitatibus amplectitur, ut interim deformitates non probet, sed illas emendare conetur. Peccatores vocat ad resipiscentiam. *Prov.*9, 3, *ad* 6. stultos apud se divertere hortatur; sed ea lege ut stultitiam abjiciant. Neque enim Deus ita in suos indulgens est, ut in suis liberis desipiat,&,ut plerique parentes faciunt, nævos & strumas in ornamentis numeret. Hac autem responsione Christus explorare eum voluit, an esset germanus & ingenuus Christi Discipulus, si correctionem admitteret: sicut enim Aquilæ pulli germani,ex recto solis intuitu, ab adulterinis discernuntur; sic veri Ecclesiæ filii ex æqua reprehensionis perpessione, à spuriis internoscuntur, *Iacob.* 1, 19, 20. *Prompti ad audiendum, tardi ad iram.*

ad fidei explorationem,

Quod quidem commune vitium fuisse totius gentis Iudaicæ testatur Apostolus, 1 *Cor.*1, 22. non tantum Galilæorum aut Aulici istius. Vniversitas igitur erroris neminem debet reprehensione eximere. Nec quod plerique, adhibitis etiam miraculis, non crediderunt, illos excusabat, qui non, nisi miraculorum adminiculo,credere Christo in animum inducebant. Sicut plerisque in more est,ex erroris communitate,& quod alii gravius illis peccant,se & suam improbitatem tegere.

quamvis ejus error communis.

Sed illud alienum videtur, quod Aulico sanitatem filio quærenti Christus de fide sermonem injicit, cum illud ἀπροσδιόνυσον videtur.

An Christus ei quæsita aulico responderit?

Verum quomodocumque ab Aulici consilio alienum fuit, Christi tamen cum instituto conjunctissimum erat, qui non tam sanandi corporis, quam animi medendi causa venit; cujus cum sola medicina fides sit,non mirum videri debet, si de corporis restitutione postulatus, de fide responderit. Huc accedit, quod Christus visus est sæpiuscule fidem in his desiderare, qui sanitatem ab illo adepti sunt. Et certe, dummodo cum fructu Dei erga nos liberalitatem consequi velimus, fidei manu ille fructus carpendus &

legendus est. Quamobrem danda opera est, ut non, nisi ex fide, quid à Deo petamus; nisi perniciosum illud, quod impetramus, placeat experiri.

Vers. 50. *cujus postulata exequitur;*

Christus petitioni repetitæ & vehementius efflagitatæ annuit; nolens, citra fidei mensuram, eum ulterius pertentare. Nam quod dicit *filium* ejus *vivere*, perinde est ac si diceret convaluisse; ut ex versu 52 constat. Quod autem proficisci eum jubet, perinde est ac si eum adhortaretur, ut tanquam re confecta, domum quietus & à curis solutus iret. Cum vero Aulicus filio suo restitutam sanitatem non nisi Christi ad eum adventu exoptet, Christus tamen ilico restituendam pollicetur, plus illi largitus est, quam ille petiisset, aut sperare potuisset. *Eph.* 3,20. Vide in Salomonis oratione 2 *Paral.* 1, 7, *ad* 12. Quanto magis si ea petamus, quæ futuræ vitæ sunt: quibus præbendis descendit? &c. Maxime cum illa vocationi, in qua nos Deus collocavit, necessaria sunt.

à quo Christi verbis fides adhibita:

Quod vero Aulicus *verbo Christi credidisse* dicitur, apparet eum nonnihil ex Christi sermone profecisse. Nam cum Christum accederet, non nisi Christi ad filium profectione, eum convalescere potuisse existimavit; nunc vero unius velut ambulatiunculæ sermone, solo ejus verbo, vel ab absente sanitatem conferri statuit. In quo cum Christi munificentiam perspiciamus, qui momentanea petentibus, cum illa, tum æterna etiam munera contulit, videmus quantum lucri ex uno ad Christum accessu percipi possit. Sicut etiam ex Samaritanæ mulieris exemplo liquido constat: unde quantam jacturam illi faciunt intelligi possit, qui vel unius concionis & conventus fructu se privant, cui non incommode interesse possunt. Quanquam enim nullum tempus sit, quo præclarum ex Verbi exercitio fructum non capiunt: tamen sunt quædam etiam momenta, in quibus Deus virtutem suam in hominibus potentius & efficacius declarat. Fieri enim potest, ut qui ex centum concionibus, in re magni alicujus ad salutem momenti non profecerit, una concione illud percipiat.

quare nullum tempus opportunum audiendi conciones negligendam.

Quare male sibi & saluti suæ consulunt, qui leviculis de causis se vel ab uno sacro conventu subducunt, cum Christianæ cujusdam prudentiæ sit, conventus ecclesiasticos assidue, tanquam principis aulam, aut tanquam emporium & mercatum fræquentare, ut nullam aut obtinendæ causæ, aut lucroſi contractus consequendi opportunitaté prætermitti sinamus. Videmus mendicos, & dura necessitate pressos, totos dies & annos sub dio in summis æstibus & frigoribus prætereuntium transitus observare, & mille repulsas passos, non tamen desistere; & his quidem nulla promissione armatis, aut certa stipem obtinendi spe munitis; qua si non excidunt, tamen quantulum est illud, quod consequuntur, præsertim si cum æternæ salutis mercede componatur. Quid est igitur, cur nos tam sumus ad cœlestes divitias comparandas segnes? quandoquidem non minor, adeoque major nostra est in hoc genere egestas & indigentia, quam pauperrimi cujuspiam; qui, natura nostra, ne folium quidem ficulneum habemus, quo turpitudinem nostram tegamus.

Fructus miraculi sequitur.

Vers. 51, 52. *Aulici cũ servis de filii sanitate collatio;*

Interim dum Capernaum Galilæa descendit, tametsi ex sermone Christi credens, animo fuerit longe, quam ante, placidiore; tamen ut Deus illi omnem scrupulum cito detraheret, servos, ut illi occurrerent, permovit; à quibus nuncium restituti filii perferentibus, tempus quo convaluit percontatus est. Qui cum tempus adnotassent, ac vicissim servis (sicut facile colligitur) Aulicus omnem rem exposuisset, utrique cum servi, tum herus, cum reliqua familia, crediderunt. Vbi primum notandum est, non esse alienum à fide, ut Christi in promissis veritatem exploremus. *Ier.* 2, 5. Cum Deus quærit, quid injustitiæ patres eorum in eo experti sunt, illis permittit, ut superiorum temporum fidem & veritatem Dei replicent. Beroensibus laudi datur, quod testimonia à Paulo citata, an sic haberent, explorarent. *Actor.* 17, 10, 11. Idem aurifex in purgatissimo auro, & mercator in incorruptis & synceris mercibus æquissime fert, & in tabula sua egregie & artificiose depicta pictor: sic etiam accepta beneficia in nos collata, aut judicia in nos exercita, ad aliquam seu promissionem, seu comminationem revocanda, ut nobis cum fidem, tum Dei reverentiam comparemus, alioqui beneficii veluti nucleum perdimus, nec ad Dei judicia cautiores efficimur; maxime vero tum eximiam utilitatem habet, cum de veritate promissionis Dei cum aliis conferimus: sicut ex hoc exemplo liquet, ubi tota familia hoc modo Christo lucrifacta est.

quæ ad fidem firmandam recte instituta:

Quod autem cum verbo & dicto Christi in longe absentem sanitas collata est, infinitam Christi potentiam indicat; cujus in manibus

ex cujus sanitatis restitutione

 nibus

Christi infinita potentia, nibus vita & mors, morbus & sanitas ita sunt, ut à solo ejus nutu pendeant. Quod si absens, cum adhuc infirmitate septus esset, gratiam & dona contulit, næ nunc ab infirmitate liber, facile poterit, quamvis in cœlo, dona sua cœlestia nobis conferre, tametsi ad mensam hanc corpore humano non descendat. *Pontificii* enim Christum de cœlo ad altare devocant; non dissimiles his, qui nihil ad se boni à Christo redire credebant, nisi Christus corporali præsentia adesset.

Vers. 53. *& fidei collatione divina liberalitas.* Tota vero familia hoc miraculo ad Christi fidem adjuncta, cumulum divinæ liberalitatis declarat; qua ex tam humilibus & contemptis initiis, tam præclarum opus exstructum est. Pater tantum corporis sanitatem filio quærebat; invenit autem non tantum filio sanitatem, & ex morbo convalescentiam, sed ex ipsa morte æterna sibi & toti familiæ medicinam consequutus est. Neque vero restrictior est, quam olim exstitit: potius vero ideo in cœlum ascendit, ut fontem liberalitatis suæ magis expositum & obvium redderet. Modo igitur precibus Deum accedamus, ne inanes ablegemur, nihil est cur timeamus.

Hoc versu videtur Euangelista fructum uberrimum notare, quem Christus relicta Iudęa perceperat; tum ut Iudæorum pervicaciam perstringeret, apud quos tam exilem ex tot miraculis fructum retulisset; tum ut indicaret Christum, ex persecutionis mœrore recreatum esse; quod Ministros suo loco ejectos & extrusos, consolari debet. Potest autem *secundum* dici, ratione habita illius miraculi, quo in Cana vinum ex aqua fecerat: qua oratione indicare voluit, miraculum hoc in Galilæa, tempore illa præcessisse, quæ à reliquis Euangelistis in Galilæa edita esse commemorantur. Vers. 54. *Quinam fructus ex his perceptus?*

LVC. *cap.* 4. *à vers.* 16. *ad* 23.

16 Venit igitur Nazaretham, ubi fuerat nutritus: & intravit ut consueverat, die Sabbathi, in synagogam: & surrexit ut legeret.

17 Tunc datus est ei liber Esaiæ Prophetæ: quumque explicuisset librum, invenit locum in *quo scriptum erat;*

18 Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut euangelizem pauperibus misit me, ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visus recuperationem, ut confractos emittam in libertatem.

19 Vt prædicem annum Domini acceptum.

20 Et complicatum librum quum reddidisset ministro, sedit, & omnium in synagoga oculi erant intenti in eum.

21 Cœpit autem eis dicere; Certe hodie impleta est hæc Scriptura audientibus vobis.

22 Et omnes testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus plenis *gratia, procedentibus ex ore ipsius, dicebantque, Nonne iste est filius ille Iosephi?*

ANALYSIS.

Christi effectum indicatur, profectio ad civitatem Nazaretham; quæ arguitur ab efficiente, quod ibi enutritus esset; deinde à fine, ut illis Euangelium prædicaret: quæ prædicatio explicatur adjuncto tempore, die Sabbati, & subjecto loco; altera adjuncta consuetudine cum Sabbatho, tum in Synagogo prædicandi. Item adjuncto surrectionis, quæ amplificatur fine legendi contextus quem tractaturus erat.

Vers. 17. Item ab efficiente instrumento, Æditui seu Ministro, qui librum Scripturæ porrexit, subjecto generali, *Esaia* Propheta: ab effecto explicandi voluminis, quod suo fine declaratur, ut contextum inveniret.

Vers. 18, 19. Subjecto particulari περιοχῇ Prophetæ, quod continet primum Dei dona, quibus Christus instructus erat; quæ similitudine unguenti illustrantur, & suo fine declarantur, ut Euangelium prædicaret; quæ prædicatio suo subjecto arguitur, pauperum. Deinde Euangelii prædicatio suis effectis explicatur, 1. captivos dimittere, 2. cœcis visum conferre, 3. emittere quassatos, 4 Prædicare omnem conscientiæ libertatem: quæ omnia effectis suis metaphora illustrantur.

Vers. 20. Lectionis absolutio declaratur adjuncto, 1. libri complicatione, 2. redditione in manus Æditui, 3. situs corporis mutatione, ut qui prius erectus consistens, jam in Cathedra obsiderat, 4 defixione oculorum omnium in se.

Vers. 21. Forma concionis proponitur, quæ consistit in adjuncta impletione Scripturæ; quæ porro declaratur adjuncto tempore, nempe illo ipso die, quo Christus illa legit.

Vers. 22. Quod confirmatur testimonio totius Ecclesiæ,

Ecclesiæ, quæ aderat, & effecto admirationis totius populi: quæ admiratio sua causa declaratur, gratioso sermone, qui ex ore Christi procedebat. Quæ etiam admiratio amplificatur à diversis, quod quamvis esset filius *Iosephi*, tamen sermo gratiosus &c.

METAPHRASIS.

16. *TAmetsi Iesus conscius ingrati animi, quem Nazareni cives erga illum gerebant, illic sedes suas figere noluit: tamen ut suam erga illud oppidum, ubi educatus & enutritus erat, gratitudinem testaretur, (postquam in aliis Galilææ partibus, maxime Capernao, ministerium suum exercuisset) ad illam civitatulam se recepit. Die vero Sabbathi Synagogam ingressus est. Quod utrumque de more & consuetudine fecit, utcumque aliquando oblata occasione, & profestis diebus, & extra Synagogam doceret. Ibi ut suam erga Sacram Scripturam reverentiam profiteretur, erectis pedibus insistebat, eo indicio declarans, se ad Scripturæ lectionem quam pro concione pertractaturus erat, accinctum esse.*

17. *Quamobrem libro* Esaiæ *Prophetæ (qui tum forte ex Ecclesiæ constituto legendus erat) in manus tradito, eum usque eo evolvit explicatque, quoad in illum locum incidit ubi ad hunc*

18. *modum scriptum est; Spiritus Sancti omnis generis dona affatim in me, seu humanam naturam meam, collata sunt: quorum viva & expressa imago olim in pretiosissimo unguento, Regum & Sacerdotum capitibus affuso, repræsentata est. Hæc dona ob eam causam à Deo in me collata sunt, ut me ad Euangelium prædicandum miseris & omnibus Dei salutaribus donis penitus nudis mortalibus legaret; scilicet, ut animo contritis medicinam faciam, captivis à peccato & Diabolo missionem & emancipationem promulgem, cæcis visum restituam, confractos & contusos mole peccati in*

19. *libertatem emittam. Denique ut annum jubilæi exoptatissimum in omnem ætatem duraturum, ad perfectam & consummatam ab omni ære alieno & servitute spirituali absolutionem, una cum restitutione in amissam regni cœlorum possessionem, proponerem.*

20. *Libro autem complicato & Æedituo reddito: ad auctoritatem doctrinæ testandam in Cathedra consedit. Tota autem Ecclesia, oculis in Iesum conversis, eum attentissime inspe-*

21. *xit. Quo facto Iesus in hunc modum loqui orsus est; Hodie hæc Scriptura vobis audientibus complementum accipit: quandoquidem ipse, de quo hæc dicta & prædicta sunt, jam*

22. *adveni, & eadem opere complevi. Vnanimi porro consensu testificati sunt omnes, Iesum quæ prædicta sunt perfecisse, & simul admiratione commoti sunt de gratioso sermone, qui ex sacro illius ore promanavit; sed admiratio male fundata est, quod nihil de illo altius aut augustius sentientes, quam quod esset* Iosephi *filius; ex hoc illius gratioso sermone, stupore correpti sunt.*

PRAXIS.

CHristus concione apud Nazarethæos se Messiam promissum comprobans, ab illius urbis civibus indignissime accipitur.

Cujus *partes* sunt de {
- Concione in synagoga per Christum habita.
- Concionem consequentibus.

In *concione*, notantur concionis {
- Circũstantiæ ex {
  - subjecto loci.
  - Adjuncto, {
    - tẽpore sc.
    - Concionãdi etiam ritu seu ceremonia.
- Sũma.

Locus generalior est, scilicet urbs Nazareth, ubi educatus erat: quod causam continere videtur cur illos adiret; cum tamen eorum improbitatem & animi in se acerbitatem & iniquitatem prænosceret. Quod enim ibi educatus fuerit, voluit (ut videtur) id beneficii recognoscere, & majus quoddam beneficium veluti in compensationem conferre. Tametsi enim quoad divinitatem totius mundi dominus esset, & quoad humanitatem illis donis instructus ut urbs illa ei potius obnoxia foret quam ipse urbi; tamen tanquam ex media hominum plebe esset, se accepti istic beneficii memorem ostendit. Cum enim politeias illius urbis adminiculo Christus commode & tranquille educatus fuerit, putavit ad se pertinere ut hanc Dei gratiam, illius urbis ministerio præstitam, agnosceret. Hanc gratitudinem Deus Iudæos docet, cum in Babilonem deportarentur, ut quoniam ibi nutriendi & alendi forent, & illius imperii procuratione & pace victuri, regni totius pacem precibus & modis omnibus procurarent. Hoc etiam Israëlitas Deus docuit, cum humanitatem erga Aegyptium exhibendam admonet, quod in illa terra peregrini essent; quanquam ab Aegyptiis pessime accepti fuissent, & peregrinorum libertate exuti, in servorum conditionem redacti essent, Aegyptiisque suis laboribus plurimum lucri & sibi ipsis damni attulissent. Hoc improbis ipsis natura inditum est. Sed multum interest inter eorum affectum & piorum. Improbi enim, charitate complectuntur patriam & tribum, &c. sed amore

Vers. 16, 17. *Beneficii compensationis ergo Christus in Nazareth prædicavit;*

amore Dei & studio Verbi hoc non faciunt. Quod declarant satis, cum populares suos & tribulos seu gentiles, veritati ipsi præponant.

Locus specialis Synagoga: de qua re alibi.

Quod die Sabbathi factum verũ Dei cultum arguit,

Tempus erat Sabbathi: qui dies cum ad Dei cultum destinatus sit, hinc intelligitur quis sit legitimus Dei cultus: nempe ut Verbum legatur & prædicetur. Vide *Actor.* 13, 14, 15. & *Actor.* 15, 21. ut sciamus hoc esse institutum Apostolorum & veteris populi, ut iis diebus istis exercitiis Deum colamus: & Missaticum cultum, & reliquum *Pontificiorum* apparatum, commentitium esse.

Et quod stans Scripturam legerit ejus reverentiã ostendit.

Quod *Stans* legit Scripturæ contextum, eo docuit quem honorem Verbo Dei habuit. Quod idem de populo confirmatur. *Nehem.* 8. 5. Ob eamque causam nos ut honorem quem Scripturæ deferimus testemur, aperto capite simus, quoad Scripturæ contextus legitur. Quod tamen ipsum nisi ex animo profectum fuerit, Deo detestabile censendum est. Si enim literas à Principe nobis redditas, non nisi osculo aut alio honoris indicio & significatione legendas accipimus, nedum Dei, &c. Corda igitur aperiamus: idque ut erectum coram Deo sit, diligenter elaboremus. Nam si cor præputio irreverentiæ aut pinguedine impœnitentiæ opertum sit, si illud negligentia & remissa quadam dissolutione jaceat, parum profuerit, &c. Quod Christus memoriter locum illum tenens, voluit tamen ex libro eum recitare, quod illa Ecclesiæ consuetudo postulabat, notandum est adversus eorum vanitatem, qui præterito libro contextum memoriter recitant, ut inde gloriolam quandam aucupent.

In Scripturæ περικοπῇ, id est, circũcisura seu limitatione continentur
- Spiritus Sancti in Christum collatio.
- Ejusdem Spiritus effecta erga Ecclesiam.

Vers. 18. *Quare Christus fuerit unctus?*

Hanc Spiritus in Christum collationem explicat primum à fine, idcirco enim Spiritum accepit ut illi sit instar unguenti cujusmodi, quo ad sacerdotium & regnum initiaretur, & munus illud obiret quod in lege & Prophetis descriptum habetur. Hic figura legis explicanda, & doctrina de Sacramentis pro temporis oportunitate pertractanda. Sacerdotes enim & Reges, Christum adumbrabant: unguentum Spiritum Sanctum oculis & naribus exhibebat, vel animo potius per hæc instrumenta. Hic locus indicat Christum verum esse Messiam, in quem Dei voluntate pretiosissimum unguentum est effusum.

per quem nobis ad Deum aditus.

Deinde illud nobis consolationi sit, quod cum nos simus aridi & tanquam vasta quædam deserta, omni succo veræ bonitatis orbati, Christus ipse fontem bonorum in se inclusum habet: quodque in carne nostra fons ille reperiatur, unde nobis ad eum via exposita sit, quæ alioqui erat inaccessa. Quamdiu enim Deo obsignatus tenebatur fons, tanquam in prærupta rupe, adiri non potuit: nunc vero in carne nostra collocatus, tanquam in planitie aut convalle, nihil est quod quisque vereatur accedere. Perinde enim est, ac si fontem domi nostræ aut thesaurum in proprio agro possideremus, ubi quoties ex usu est appropinquemus. Quin potius sponte a Christo, tanquam capite aut montis summitate, ad nos, qui membra & in convalle sumus, defluit atque decurrit,

Spiritus in eum collatio uberrima;

In collatione Spiritus notandum est, designari uberrimam spiritus copiam abundantissime collatam; sine modo & mensura *Ioh.* 1. In quo notandum est, regnum Christi non consistere in multo milite, divitiarum copia, classis & murorũ celebritate, ut hujus mundi regna, sed virtute Spiritus. Virtute enim Spiritus & ejus veluti gladio, in obsequium redigit & reprobos, & contumaces frangit atque obterit. Sic *Zachar.* 4, 6, quod eodem loco figuratur lychnuchori. Lampade cujus lecythi (id est, *oyle cruse pot glasse or viole*) oleum sine humana ope ad lucernas fovendas suppeditatur. Hinc Apostolus 2 *Cor.* 10, 34. & *Heb.* 4. *penetrantior est bipenni, &c.* Hoc igitur nos consolari debet, sicut improbis terrorem injicere, qui minas Verbi Dei & censuras Ecclesiæ, tanquam nugas & inania terriculamenta aspernantur, ut Goliathus olim Davidis balistam & contemptos lapillos.

ex qua ejus missio legitima, & aptitudo summa;

Deinde ab adjunctione missionis legationis Christi; unde legatus & Angelus Dei vocatur. Nec se ingessit, sed ejus vocem expectavit qui dixit, *Tu es filius meus, &c.* Hinc intelligitur Deum neminem mittere, nisi quem prius idoneis ad munus obeundum ornavit donis. Nec enim tam dissolutus pater familias aut pastor est, ut suam aut familiam aut gregem committat eis, qui nulla regendæ familiæ aut pascendi gregis peritia pollent; majoris enim constat. Nec tam alienus à judicio est ut cuipiam illas partes attribuat, quas ipse obire nequit: quis servum ad opus adigat, qui impar est viribus aut peritia? nisi Pharao aliquis tyrannide insignis. Mandatorum quidem merito exequutionem

nem exigit à nobis Deus, quod ad eorum obsequium olim vires, quibus illa perficerentur, contulit: sed in mandandis muneribus, alia ratio est. Ideo inquirenti in Apostolatum Pauli, ipse signa Apostolatus ostendit quibus ministerium illud obsignatum est. Quod idem in magistratu perspicitur. Hoc igitur singularem consolationem habet.

hæc omnia nostro bono facta sunt.

Deinde arguitur hæc Spiritus in Christum collatio ab effectis. In quibus hoc observandum est, illa non ad Christi compendium, sed ad Ecclesiæ rationes referri. Hujusmodi enim sunt, quæ nostram utilitatem intuentur. Vt enim fons, aquam, ager, thesaurum, radix effusum humorem non sibi sed aliis habet; sic Christus, &c. Non igitur tantum ex ejus redundantia & exundatione dona sua in nos transfundit, sed quæ in illo manent Spiritus dona universa, ad rem nostram expromit. Eoque non tantum ipsius descensus nobis profuit, sed illius iterum in cœlos ascensus ad utilitatis nostræ normam revocatur. *Ioh.* 14. *Expedit vobis, &c.* Quod Euangelii prædicatio Spiritus Sancti effectum est, eo docemur de ipsius in omni genere præstantia, authoritate, certitudine, sufficientia. Vide 2 *Pet.* 1, 20, 21. Non parvam authoritatem habitura fuisse videtur, si à Christi incorrupta & erroris experte natura humana, profecta fuisset: sed cum ab ejus humana natura non aliter proficiscatur quam Spiritus Sanctus cœlo dimissus, & cum Patre & Filio consubstantialis humanæ naturæ dictavit, magnum authoritati pondus accessit. Nam Adamus si incorruptus mansisset, ad legem Ecclesiæ ferendam inidoneus tamen fuisset. Quin etiam ipsos Angelos tanto negotio impares futuros fore illud declarat, quod ad ministerium in Christo obstupescebant. Est enim Euangelii mysterium infinitæ sapientiæ, quæ in finitam creaturam non cadit. Ex quo apparet, quam stulte faciunt qui hominibus peccato infectis hoc tribuunt, ut legem Ecclesiæ & conscientiæ ferant: & qui dictata *Pontificis*, cum Scriptura ipsa authoritatis pondere exæquant.

Qui sunt hoc loco *pauperes*, ex superioribus petatur.

Per Christum contrita corda sanantur;

Aliud effectum Spiritus, interveniente prædicatione Euangelii; quod scilicet contritos spiritu sanet. In quo admirabilis virtus Spiritus Sancti apparet, qui animos contritos & laceros *Ioël* 2. sanat, & ita obvolvit ut restituantur. A Chirurgia similitudine ducta; vel potius dissimilitudine. Est enim incredibilis Chirurgia quæ membra non luxata aut contusa solum, sed diffracta & penitus dissipata reponit. Quod nobis singularem consolationē affert; tametsi enim conscientia nos multorum peccatorum stilo vulneret, tametsi lex suis diris & maledictionibus animum nostrum confodiat, tametsi Dei judicium in animum nostrum incursans nos obterat atque comminuat, tamen Christi Spiritus per Verbi prædicationem nos reficiet. Quis igitur sibi ex hoc oleo seu unguento non comparet, ut quoties peccati conscientia & æstu divinæ iræ & judicii opprimatur, semper in promptu habeat quo persanetur. Quibus scorpii ictus frequens est, iis semper ad manum est lecythus olei, quo ilico stimulo scorpii resistatur; sic &c. maxime cum sciat se ictum iri, & a scorpione feriendum. Nos enim cum peccatis referti simus, iram Dei & judicium ejus jure pertimescamus: cujus sensus & veluti stimulus si in præsentiarum nos non urget, at veniet aliquando tempus cum punget. Quo tempore nisi animus qui vulnera infligit, idem etiam in promptu remedium suppeditet, periculum est ne configamur.

quibus solum Christi Euangelium salutiferum:

Hinc etiam colligitur, quibus Euangelium Christi salutiferum est. Nec enim nisi contritis corde, & peccatorum conscientia vulneratis, fructuosum est. Vt enim Chirurgi operam aut Medici nemo, nisi aut ægrotus, &c. requirit, aut oblatam admittit; sic &c. Omnes quidem saucii & ægroti sumus, sed pauci hoc sentiunt. Idem de onere *Matth.* 11. sed præstat hæc simul & semel colligere: scilicet pauperes, confractos corde, captivos, cæcos, &c. Quod de singulis separatim agere longum esset. Videtur autem *Pauperum* titulo; reliquos omnes complecti, tanquam partes quasdam paupertatis.

etiam per Christum assertio ex captivitate Satanæ,

Deinde effectum aliud (vel potius idem, aliis licet verbis exornatum) spiritus, per prædicationem Verbi, est assertio ex captivitate plusquam Babylonica, sub regno scilicet Satanæ, catenis & ferro peccatorum, corpore simul & animo: idque non ad Iubilæum usque, sed in omne ævum, ad obeundum fœdissimas peccatorum occupationes, & post ad perpetiendum durissima & asperrima flagra. Hujus vel minimus digitus gravior est, lumbis Babylonici tyranni. Huc accedit, quod dicitur *Tenebrarum regnum:* quod apud Zachariam comparatur carceri fœculento & cœnoso, ubi captivorum tibiæ demersæ hærent. Hoc modo Scriptura nobis

bis conditionem nostram delineat, quæ infinite tetrior est, quam quæ possit his similitudinibus adumbrari. Ecquis igitur est qui tam miseranda conditione expediri non lætetur? qui liberationis ex his malis nuntium gratuitum non libenter audiret? qui hujus tanti boni accipiendi quam certissimus fieri non expeteret? & tamen homines, ac si in regio palatio aut paradiso essent, ac si liberrimi essent & nullis vinculis præpediti, in hac conditione acquiescunt.

& ex cæcitate naturali liberatio, Aliud effectum, vel idem potius, &c. scilicet, quod cæcis visum restituit. Quantum sit malum luce carere, in promptu est dicere; his præsertim, qui iter maximi momenti conficiendum habent, neque ullum viæ ducem nancisci possunt, neque palpare aut explorare baculo valent. Nam corpore cæcus, palpando & exploratione baculi aliquid consequitur. Deinde cum ipse sit cæcus, tamen ab alio duce ad concupitum locum dirigi posset; sed viæ dux nobis nihil profuerit, nisi nos etiam qua nos via ducat sciamus. Non enim admittendum est, quod *Pontificii* dicunt, aliena scilicet seu Ecclesiæ fide aliquem servari, tametsi ipse in ignoratione omnium versetur. Vide quantopere premebant Aegyptios tenebræ. Quod autem hac cæcitate non magis consternemur, causa est quod cæci nati sumus, & nunquam lucem aspeximus. Vt enim qui oculis captus est, & visu casu orbatus, hoc beneficium valde desiderat, quod ejus voluptatem præcepit, cum cæcus natus non item; sic &c.

n. & ex peccati servitute: Sequitur alia metaphora, qua virtus Spiritus Christi per Euangelii prædicationem amplificatur, scilicet, quod confractos oneribus & operibus laboriosissimis, ex servitutis ratione exactis, nos expedit; ut olim Israëlitis accidit, cum servitute pressi durissima, in libertatem vindicati sunt. Onus enim peccati, quomodo ossa ipsa confringit quodam modo, vide *Psalm.6.* dorsum incurvat, gemitus exprimit, quibuscum gemitus Israël magnitudine non sunt comparandi.

Vers. 19, &c. *tandem gratia amissa per Christum restituitur.* Extrema metaphora, est omnium & elegantissima & feracissima; quæ non tantum metaphora, sed & figura seu typus est effecti Spiritus, per prædicationem Euangelii. Anno enim Iubilæi singuli ad possessionem suam redibant, qui illam per egestatem abalienaverant. Servi emancipati sunt, nomina omnia concerpta, & tabulæ novæ concessæ sunt. Quæ omnia Euangelii prædicationi aptissime competunt. Eo enim ad pristinam, atque adeo ad meliorem pristina, possessionem revertimur: servitute peccati & diaboli eripimur, exhausti debitores, syngraphas & apochas concerptas habemus, &c.

Quod autem *testimonium Christo reddebant*, id ita accipio ac si suis in conscientiis convicti tenerentur, cum Messiam fuisse qui à Prophetis depictus sit. Tantum enim sapientiæ, gravitatis & facundiæ effulsisse in illius oratione, quæ vel in cæcorum oculos incurreret. Vers. 22, *Populus ex Christi sermone convictus;*

Convicti tamen, non agnoscunt nec acquiescunt: sed facile ea eorum animis illabi patiuntur, quibus hoc judicium excutiant. Quæ autem hoc judicium labefactabant, partim ab ipsis Nazarethæis explicantur, partim à Christo anticipantur. *cui tamen non acquiescit:*

Explicantur autem à Nazarethæis *causæ duæ*, scilicet quod { literas non didicisset. obscuris parentibus & cognatione esset.

Quod enim quærunt, unde illi hæc sapientia & virtutes venissent, tantundem est ac si dicerent, suspecta hæc esse oportere; quandoquidem literas non didicerit, nec filius Prophetæ fuit, & inter Prophetas educatus. Quo etiam refertur quod apud *Marcum c.6. v.3.* eum non in schola educatum, sed in partis officina fabrilem artem exercuisse, confirmare videntur. Quia enim solemne est hominibus qui literas testantur, ex schola excultos & limatos prodire, Christum qui nulli homini in disciplinam traditus erat, existimarunt nulla solida & integra Dei cognitione imbutum fuisse. Non cogitabant illum à Patre didicisse; non reputabant Prophetarum verba, quæ illum à Spiritu informandum & θεοδιδάκτον esse oportere commonstrant: denique obliviscuntur operæ pretium fuisse ad Euangelii authoritatem firmandam, ut ad Christum docendum nullius hominis opera intercederet; ne si Christus, qui Euangelii Doctor summus esset, ab hominibus doctrinam accepisset, tanquam humana existimata foret. Idem causæ fuit cur Baptista primus Euangelii præco, & Apostoli qui post per universum mundum illud disseminarunt, à Deo Patre & Filio per Spiritum, non hominum opera edocti sunt. *causæ cur hoc non fecerit;*

Nosse porro debebant, Spiritum Sanctum non esse scholis alligatum, sed ubi vult spirare, & quos vult. Ejusque rei exempla non deerant, in Saule, Davide, Amotso, &c. unde 1 *Sam.* 10. his qui convitiatorie quærebant an Saul esset inter Prophetas, responsum *cum etiam alii sine doctore insignes extiterint,*

ſum eſt Prophetiam non tam magiſterio hominum, quam Deo doctore & patre adipiſci. Erant igitur ſuperiorum temporum experientia inexcuſabiles, quod Chriſti doctrinam non agnoſcebant, quia eam in ſcholis non didiciſſet. Sic *Pontificii* Epiſcoporum mitris, Doctorum δισάφοις, & cucullis monachorum veritatem & doctrinam veritatis adfigunt. Nos autem diſcamus, ipſam doctrinam intueri, eamque juſtis ponderibus examinare, id eſt, ex oraculis legis & Prophetarum de illa judicium ferre; & illam, tametſi ex officina, tametſi ex agro, aut aratro prodeat, &c. Non quod Scholæ, his præſertim temporibus, negligendæ ſunt, aut hanc docendi rationem quæ Chriſto obtigit, nobis expectandam, &c. ſic &c. Nam certius & exploratius eſt judicium, quod ex collatione & examinatione doctrinæ ducitur, quam quod à loci celebritate & Doctorum ſplendore petitur.

nec obſcuritas parentum Alia cauſa, qua ſibi ad fidem in Chriſtum obicem & aggerem oppoſuerunt, eſt quod parentibus & cognatione obſcurus eſſet. Sic legimus impium Saulem & Shemeum & Shebam, occaſionem arripuiſſe à patre Ieſſe, Davidem Dei unctum aſpernandi & repudiandi: tanquam nihil excelſum & divinum, ex tam humili tugurio proficiſci poſſit: atque ita Dei gratiam & eximia ejus dona, divitum & nobilium inſignibus & imaginibus affigere, ut nuſquam alias reperiatur. *[illegible]*

in quibus humani ingenii perverſitas conſpicue Hæc autem eſt mira humani ingenii perverſitas. Nam ante omnia in id ſedulo incumbunt, ut aut figmento aliquo & excogitato mendacio, aut ſaltem ſpecie aliqua turpitudinis, miniſtrum in invidiam & contemptionem trahant; quod ſi non datur, carpunt aliquid & captant ab amicis & parentibus. Homines autem ſtulti & inſipientes, non reputant eos qui ad miniſterium vocantur, novos homines fieri & quaſi cœlitus delapſos. Quod de Saule & Davide dicitur, idem etiam in principis legatis conſideratur, ſi quidem parentes hæc dona conferrent, ratio erat, cur hæc exiſtimarent: ſed &c.

LVC. *cap.* 4. *à verſ.* 23. *ad* 31.

23 Et dixit ad eos, Omnino dicetis mihi hoc proverbium, Medice cura teipſum:
quæcunque audivimus facta fuiſſe in urbe Capernaumo, fac etiam hic in patria tua.
24 Dixit autem, Amen dico vobis, nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.
25 Sed in veritate dico vobis, multæ viduæ erant diebus Eliæ in Iſraële, quando
clauſum fuit cœlum ad tres annos & ſex menſes, adeo *ut fuerit fames magna per to-*
tam regionem:
26 Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, ſed Sareptam urbem *Sidoniæ, ad mu-*
lierem viduam.
27 Et multi leproſi erant in Iſraële ſub Eliſæo Propheta: & nullus eorum purifi-
catus eſt, ſed Naamanus Syrus.
28 Tunc repleti ſunt omnes excandeſcentia in ſynagoga, hæc audientes.
29 Et quum ſurrexiſſent, ejecerunt eum extra urbem: & duxerunt eum uſque
ad ſupercilium montis ſuper quem urbs ipſorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.
30 Ipſe vero quum tranſiſſet per medios ipſos, profectus eſt.

ANALYSIS.

Prolepſis eſt, cujus occupatio hoc verſu continetur: cujus propoſitio eſt, Chriſtum debere miracula edere in civitate Nazarethana; cujus rationem aſſignat à minore, quia edidit miracula Capernai, cui non tantum debet, atque urbi in qua educatus eſt; quod confirmat teſtimonio veteri, ſcilicet proverbio, Medicum ſeipſum & ſuos ſanare debere, priuſquam ad alios ſanandi cauſa tranſeat.

Verſ. 24. Subjectum continetur 4 verſibus; cujus propoſitio eſt, nihil neceſſe eſſe ut Nazarethi miracula edat, quia hoc alibi fecit; cujus argumentum 1. eſt ab adjuncto contemptu quo parati erant illum accipere; quod confirmat teſtimonio γνώμης, ſeu proverbii; Prophetam nullibi magis deſpicabilem eſſe quam in patria.

Verſ. 25, 26. 2. Argumentum eſt à minore, quod *Elias* in ſumma rerum ex fame penuria, præterito univerſo Iſraëlis & populi Dei regno, ad alienigenam miſſus ſit, ut illam & filium ejus in fame miraculo edito paſceret.

Verſ. 27. 3. Argumentum item à minore, quod *Eliſæus* Naamanem Syrum lepra liberavit, cum omnes in Iſraële hoc morbo laborantes præteriti ſunt.

Verſ. 28. Effectum hujus occupationis notatur, accenſus in Chriſtum furor; qui amplificatur adjuncta quantitate omnium, & ſubjecto loco.

*Vers.*29. Cujus furoris effectum, 1. est ejectio Christi ex urbe, 2. effectum, diductio in verticem montis cui urbs superstruebatur; post hi effectus fine declarantur, ut scilicet eum ex illo vertice præcipitem agentes interficerent.

*Vers.*30. Hi effectus Nazarenorum causa extiterunt, cum Christus suam divinam potentiam exercens, per medium eorum agmen perrumpendo, se eriperet.

METAPHRASIS.

23. *PErrexit Christus illos porro pro concione alloqui. Equidem non ignoro quid animo apud vos versetis,& quid supra hoc prædicandi Euangelii beneficium à me flagitatis: scilicet, ut quæcunque fama ad vestras aures pertulit, miracula Capernai à me edita esse; eadem hic in patria civitate vobis omnibus spectantibus proponam. Quam ad rem proverbium illud in me jactabitis, Medice cura teipsum: eo non obscure significantes alienum esse,& alios qui non tam arcto vinculo mecum conjuncti sunt, sanem, illis præteritis, qui me prope attingunt, & qui propinquitate, veluti alter idem sunt. Verum enimvero audite quod*

24. *vobis respondeo; & sancte confirmo, proverbium enim proverbio opponens. Nec enim nescii estis omnium fere ore circumferri, quod experientia docuit, Prophetam in sua patria parum acceptum & gratum esse; ut qui propter familiaritatem, qua cum illo à pueritia consueverunt, sui contemptui facile obnoxius*

25. *esse solet. Sed est adhuc firmior ratio, quam hac miraculorum hoc loco inhibitione sequor, Dei scilicet Patris sapientissimam dispensationem: qua quibusdam hanc gratiam facit, quam aliis, & quidem his quibus humano judicio maxime competit, eandem gratiam abnuit. Quam ad rem ex ipsa Scriptura, quæ mentiri nescit, depromo vobis primum* Eliæ *exemplum. Nam cum pauperes viduæ multæ sua ætate eo ipso tempore essent, quo propter clausum tres annos cum dimidio cœlum, gravis fames per totam illam terram invaluisset,*

26. *ad nullam tamen ex his omnibus indigenis viduis* Elias, *miraculosæ nutritionis causa, missus est, nisi ad illam modo, quæ Sareptam op-*

27. *pidum in agro Sidonis incolebat. Ejusdem omnino generis est, quod Propheticum in Israële munus exercente* Elizæo, *ex multis lepra infectis, ne vel unus quidem Israëlita à lepra morbo purgatus est; cum tamen Naaman Syrus, à Republica Dei alienus, sua qua gravissima laboravit lepra sanatus sit. Quibus*

28. *auditis ad unum omnes (congruenter Christi de his dicto) idque in media Synagoga, contempta loci & temporis religione, furore quodam in illum commoti sunt. Quamobrem in* 29.
Christum insurgentes, eum ex urbe per vim exturbabant: deinde in montis supercilium, cui monti urbs eorum imposita est, eum deducunt; non alio consilio, quam ut eum ex montis vertice præcipitem interficerent. Sed Christus, qui 30.
se usque eo deduci passus est, recordatus nondum advenisse tempus, quo pro nobis mortem oppeteret, nec hoc genus mortis illi subeundum, nec hunc esse locum ubi mors illi obeunda erat, divina quidem virtute, tanquam verus Nazaræus & Sampson, per medium eorum agmen perrumpens, se eripuit.

PRAXIS.

IN Christi oratione primum occurrit, alterius offensionis anticipatio; deinde, ad utriusque generis obstacula responsio. Vers. 23. *De Christi miraculis error Nazarethæorum.*

Omnino dicetis, &c. Argumentum adjuncti officii Christi: scilicet, ipsum apud se & cum animo suo traducebant, quod ministerio perfungens & plerosque sanans, deploratissimis morbis & infirmitatibus laborantes, idem in illo oppido non præstitisset ubi educatus fuisset; sed paucos tantum languidos, & levioribus morbis detentos, restituisset, sicut ex clausula hujus historiæ liquet; cum tamen non deessent in illa civitate, qui gravioribus malis urgerentur. Hoc illustratur Medicorum consuetudine, qui se primum & suos curant, quam ad alios accedant. Si enim iisdem morbis vexatos domi suæ non prius curat, quam alienos adeat, suspicionem inscitiæ & imperitiæ in Medicandi arte injiciat. Idcirco autem Christus hoc anticipare voluit, ut eo declararet suis Nazarethæis, se eorum cogitata quæ animo cogitabant & agitabant cognoscere; quod unum admonere debebat, eum Messiam esse.

De proverbio, quo ad explicatam Nazarethæorum exceptionem responsum est, vide quæ prius observata sunt in *Iohannem cap.* 4. *vers.* 44. Vers. 24.

Ad anticipatam exceptionem, qua ingrati animi labem illi impingere conantur, respondet ab adjuncta Dei vocatione, ministerium servorum suorum, ut tempore ita etiam & loco definiente & disponente; ut non quod illi maxime cupiunt, sed quod Deo collibitum fuerit, & quo ille per Spiritum dictaverit, ipsis obeundum sit. Hæc Christus respondet quibusdam illum detinere cupientibus, hoc ipso *cap.* 4. *vers.* 43. Istud confirmatur Vers. 25. &c. *qui à Christo retunditur.*

idq; exemplis Eliæ & Elizæi: matur exemplis Prophetarum Eliæ & Elizæi: qui cum animo magis in suos populares quam in extraneos propendebant, nec στόργαις laudatis distituerentur; vocationis tamen ratione, præteritis suis, panem filiorum veluti canibus distribuebant. Quod si Prophetæ, Spiritus Sancti directione, extraneos & extorres à Repub. Israëlis, ipsis Israëlitis in medendis his malis antetulerunt; non mirũ videri debere, si ipse alias urbes Deum profitentes, eorum urbi antehabuerat. Apostolorum etiam etsi videbatur liberrima vocatio esse, tamen *Actor.* 16, 5, 7. constat, illos certis quibusdam regionibus à Spiritu ad tempus exclusos esse, quod nondum venerat tempus quo Deus illius populi misereretur.

hinc affectibus in ministerio non indulgendum. Ex quo liquet, affectibus & στόργαις in ministerio non esse indulgendum: patrem & patriam non esse agnoscendos, ut vel latum unguem à suscepta vocatione discedamus. Cavendum igitur ne vel patriæ vel parentum amor, nobis ullius rei vel dicendæ vel faciendæ stimulus sit, quæ nobis ex vocatione non incumbat; sed ut aureum vocationis cingulum ita lumbos nostros accingat, ut affectus nostros non nimis laxos & solutos esse patiamur. Quod idem in Magistratu tenendum.

nec præstituta vocatio deserenda. Ex hoc loco colligitur, quam gregi additus & affixus pastor esse debet, cujus vocatio gregis cura circumscribitur: ut tametsi plenioris messis spes affulgeat, non tamen provinciam susceptam deserat.

Vers. 28. *Nazar. ira ex Christi sermone;* Hoc sermone Christi exardescunt: quod ingratissima erat memoria majorum suorum ita Deo exosorum, ut illis extraneos anteposuerit; tum quod se arbitrarentur, hoc modo Gentibus postponi, aut certe ex Galilæis pessimos haberi. Ita in eum vero furorem vertuntur, ut non tantum urbe Christum extrudant, sed nefariam ejus cædem moliantur: sic *Actor.* 7. Stephanum disceptantem & apologiam texentem patienter ferunt tantisper, donec accommodata ad eos oratione illos pungat; tum demum fremunt, & furore correpti in eum ruunt. Idem hodie experimur; docentes enim & refellentes ac hortantes æque ferunt; sed, &c. Sicut enim equi & muli, in quibus non est intellectus, sanare illos conantem, quia eos stimulat, calcibus petunt atque mordent, &c. Considerati vero homines, cruciatus sanitatis causa perferent, & amarum medicamentum exsugent, vel spe tantum incerta ducti sanitatis quæ cito amittitur. Quanto nos magis, &c.

Quamobrem meminerimus Apostolum ad *Hebr.* 13, 22. & *Iacob.* 1, 19, 20. hac enim nota ingenui filii & discipuli à spuriis & cunctatoribus discernuntur: hac eadem nota, stultus & insipiens à sapiente, ut sæpe in *Prov.* 15. & *Amos* 5. Tametsi stulti homines ex hac ἀπαιδευσία, sibi sapientiæ gloriam acquirere se putant.

Hujus excandescentiæ notemus effectum, scilicet cædem indignissimam & maxime ingratam, quam admisissent nisi se Dominus exemisset; sic *Actor.* 7. & *Genes.* 49, 6. 7. ut mirum non sit, si ira coram Dei judicio vultu sanguinario repræsentetur, *Matth.* 5. Quod si cædem non pariat, tamen ingenerat odium si animo aliquandiu inhæreat, quod coram Deo non minus cæde est exosum. *Vers. 29. ex qua cædem ei moliuntur;*

Quamobrem demus operam & hos affectus contrahamus, frenaque ferociæ nostræ injiciamus; non autem nos sinamus ejus cæco impetu ferri, ad nostrum & aliorum exitium. Quo magis mirum est, esse qui ultionem propriam, tanquam fortitudinem quandam viro dignam existiment; sed se non esse Angelos aut Christum obtendunt, quod certe facile obtinebunt. Verendum enim potius illos diabolos esse, quam dubitandum an Angeli sint, si rebus male gestis lætentur & exultent. Quasi vero propterea angeli aut Christi futuri essent, si à tam crassis & fœdis lapsibus liberi forent: aut quasi homines non fuerint & peccati contagio infecti, qui ab istiusmodi sceleribus sibi temperarunt. Sed hoc volunt & quærunt, ut pravis suis cupiditatibus penitus obsequantur, nec ullis vel divinis vel humanis legibus se constringi patiantur: ut gloriam Dei vana eorum gloriola pedibus conculcet, ut cœlum terræ, suprema infimis potius misceantur, quam ut illi se non ulciscantur. *ideo ea à nobis vitanda.*

Ira autem eorum impotentior fuit, quam ut eam sustinere potuerint, tantisper quoad res in judicio disceptanda foret, aut sibi à cœde Sabbatho temperarent; quamobrem indicta causa, illum ad supplicium educunt. Sic *Actor.* 7. Verebantur enim ne examinata eorum impietas magis innotesceret, aut conscientiæ suæ veritati deliberatius renitentis stimulis, acrius premerentur. Sed in hac tanta iræ præcipitantia illud observant, ne in ipsa urbe flagitium perpetrent. Quod idem *Actor.* 7. observatur. Quod idcirco faciunt, ut eo magis suum in Christum virus evomant, tanquam indignum declararent qui urbis lapides calcaret. *Indicta causa Christum ad supplicium educunt,*

Unde eorũ scelus tanto gravius: Interim hoc modo eorum scelus gravius & atrocius evadit. Ad singulos enim quos faciebant passus, debebant animo percelli, & pœnitudine tam indigni facinoris duci. Quod cum non faciunt, scelus magnam accessionem accipit: hoc ipso quod deliberatius, & sumpto ad cogitandum spatio, patrari constitutum erat. Et certe nisi dura fuisset eorum iracundia, illam tanto tempore concoxissent. *Hinc iram nox digerat.* Quo est eorum hominis ira intolerabilior, quorum ira ne nox quidem tota digerat: quæ cum quieta sit & apta cogitationibus & consultationibus, mirum est, aut nullas toto hoc tempore bonas nobis suggeri, aut suggestas suffocari; præcipue vero cum ad Deum precandum ventum fuerit, & dominicam orationem recitandam. Quomodo enim aut qua fronte, petitionem sibi remittendi peccata, prout ipsi aliis remittant, prætergrediantur? quod si recitent, quomodo non cohorrescunt, sibi iram Dei apprecari quam deprecari debebant? illa igitur una petitio, tanquam agger & obex iræ nostræ frangendæ objicitur; quem certe sine gravi conscientiæ vulnere transilire nequimus.

Vers. 30. *Christus se patitur in extremum adduci ut eos irrideat;* Christus ad montis verticem se duci patitur, priusquam se illis eripiat. Tum vero cum suam in eum iram explere cogitarent, & voto penitus potituros, per medium ignẽ prorumpens se eripit. Patitur eos vana evertendi se spe pasci, quoad ad extrema ventum esset, cum ante se ipsum eripere potuisset. Sic Deus sæpenumero facit in Ecclesiæ salute; patitur ut ejus perdendæ consilia ineant; patitur ut decernant; ut molitiones & machinamenta comparent, quibus cœptum consilium executioni mandent: sed tandem illos irridet, & irrita omnia reddens, efficit ut operam & oleum perdant. Sic *Exod.* 14. ad mare rubrum fecit, cum Israëlitis ad extrema redactis transitum per mare paravit. Sic etiam Petrum asseruit *Actor.* 12. Tametsi autem prima specie hæc ratio non tam certa & explorata ad Ecclesiæ salutem videatur, sed potius consilii sit quam maturrime principiis obstare, & ipsum ovum antequam in pullum evadat frangere, & semen priusquam in herbam & culmum assurgat suffocare; ob eamque causam consultius videri potuit, si Christus ante se hoc periculo eripuisset, quam se pertrahi pati ut momento eum præcipitem agerent; tamen &c. Et quidem inter homines, quorum tenues & exiles copiæ & angustæ vires sunt, hoc consultissimum videtur: sed in Deo hæc ratio sæpe cum ad ludificandos hostes, tum ad declarandam Dei potentiam aptissima est; non secus quam si quis validus viribus suis fretus, adversario se armandi & instruendi copiam faciat, quo victoria nobilior sit.

& ex admirabili sua virtute per mediũ ipsorum transit. Deinde, quod per medium eorum perrupit, & non clam se subduxit; nec uno aliquo vehementiore nisu aut saltu ex eorum manibus effugit, sed illis invitis, per medium populi tanquam æneus penetravit; in eo specimen edidit admirabilis virtutis, seque verum & germanum Samsonem seu Nazaræum esse declaravit: qui cum nobis a Deo vindex & Iudex datus sit, ut nos ab omnium, non Philistæorum tantum, sed omnium etiam hostium vi & servitute asserat, solidam gaudendi materiam habemus; cum ejus vires non in cæsarie aut coma collocantur, sed ita divinæ naturæ cum humana adunatione illi adhærent, ut ei nulla unquam vel fraude vel vi eripi possint. Nam sponte suam vitam sibi tandem ereptam, hic locus declarat, ubi quod nec tempus, nec locus, nec genus mortis conveniret robur suum declaravit. Cum autem hostes suos ut Samson sternere posset solo nutu, tamen contentus est se ipsum servare; in eo mirabilis illius clementia & longanimitas relucet, sic in Ecclesia è manibus impiorum eripienda. Hinc etiam colligendum est, Ecclesiæ liberationem admirabilem & hominum cogitationes superantem esse; nec desperandum esse, tametsi nobis humana subsidia non affulgeant.

Hæc Christo accidere quod pauca miracula ex ipsorum incredulitate ibi patraverit; Occasionem *Marcus* adjungit *cap.* 6. *v.* 5. unde ad istam insaniam prosilierunt: scilicet quod tantum pauca miracula, & illa non tam illustria, illic edidisset. Cujus ratio petitur ab adjuncta Nazarethæorum infidelitate, quæ Christum omnipotentem quodammodo vinculis, ne se commoveat, constringit; quæ brachium ejus validissimum quodammodo exarescere facit; quæ extentum in infinitum contrahit & convolvit. Non quod quicquam Christo fuerit ἀδύνατον, sed quod ex dispensatione & ratione administrationis officii sui, illud non potuerit efficere, ut quibus nulla fidei manus erat qua collata beneficia acciperent; nullus sinus aut gremium, quibus illa acciperent; nulla denique vasa in quæ præstantissimum liquorem beneficiorum suorum infunderet. In quo videmus fidem non tantum futura, sed præsentia & hujus vitæ commoda percipere. Situlam igitur & vas, &c. fidei paremus, si veli-

si velimus &c. Simul etiam indicat, sanguinarii eorum animi causam fuisse infidelitatem.

quæ maxima in Nazar. fuit: Quod autem dicitur Christus eorum infidelitatem admiratus, id cum insignem eorum infidelitatem, tum æquissimam Christi in edendis illic illustrioribus miraculis recusationem docet. Cum vero multis miraculis celebris & omnium testimonio nobilitatus ad eos accesserat, cumque illam docendo dignitatem & præstantiam ipsi novissent, quæ eorum conscientias convictas tenebat, eum esse egregium, cum denique inter eos aliquod specimen edidisset: prodigiosum erat tot testimoniis tam claris non cedere, sed levissima parentum & cognatorum occasione se à fide in Christum subducere. Eadem Christum si hic esset admiratio incessat, quod promissionibus variis muniti, experimentis omnium ætatum cum propriæ tum aliorum edocti, non tamen in Deo acquiescimus, sed fluctuamus, & ex fluctuatione ea captamus quæ contra officium sunt.

Quod tamen luctando cum eorum infidelitate, usque eo eluctatus est, ut aliquot indicia pietatis & potentiæ ediderit, incomparabilis cujusdam bonitatis & mansuetudinis est, quæ illos ad pœnitentiam erudire debebat, sicut & pervasio ipsa per medium agmen. Simile aliquid vidimus in Gargezenarum regione, apud quos dæmoniacum legionarium reliquit, qui illustre illud miraculum apud homines ingratos promulgaret. Hic quanta sit Christi ad largiendum promptitudo, qui vel hostes suos & repellentes ditat. Quo magis speremus prolixe nobiscum & benigne acturum, siquidem in illius fide acquiescamus. Simul etiam ne in animum nobis inducamus, rem nobiscum bene geri, si donis externis à Deo afficiamur. *tamen ex ejus bonitate quædam ibi edidit.*

MATTH. *Cap. 4. à vers. 18. ad finem Capit.*

18 Ambulans autem IESVS ad mare Galilææ, vidit duos fratres, Simeonem, qui dictus est Petrus, & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare: (erant enim piscatores)

19 Et dicit eis, Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.

20 Illi vero statim omissis retibus sequuti sunt eum.

21 Tunc progressus illinc, vidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem ejus, in navigio cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua: & vocavit eos.

22 Illi autem statim omisso navigio & patre suo, sequuti sunt eum.

23 Et obivit totam Galilæam IESVS, docens in synagogis ipsorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans quemvis morbum, & quemvis languorem in populo.

24 Tunc emanavit fama ipsius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes male affectos, variis morbis & cruciatibus detentos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos: sanavitque eos.

25 Et sequuta est eum turba multa à Galilæa ac Decapoli & Hierosolymis, & Iudæa, & regionibus *trans Iordanem* sitis.

ANALYSIS.

Vocatio *Petri* & *Andreæ* describitur, 1. ab efficiente principali, Iesu, 2. adjuncto modo describitur, nempe cum ambularet, 3. describitur subjecto loco ubi Christus vocavit, nempe ad loca maritima, & subjecto eorum qui vocati sunt; qui describuntur ab adjuncto nomine, deinde à relato fratrum, 4. ab effecto retia in mare jaciendi, 5. ab adjuncta vitæ conditione, nempe piscatoria.

Vers. 19. Deinde causæ aliæ subjunguntur, 1. quod Iesus illos vidit, 2. ejus sermo efficax ex Spiritus Sancti operatione, qui Spiritus ab eo, ut à Patre, processit.

Vers. 20. Effectum vocationis est obsequium *Andreæ* & *Petri*, quod amplificatur ab adjuncto tempore ilico aut confestim; deinde altero adjuncto derelinquendi retia.

Vers. 21. Vocatio aliorum duorum exponitur, 1. à subjecto loco, paulo intervallo à loco ubi duos priores vocarat, 2. principali efficiente Iesu, & instrumentali, cum vidisset, 3. sermone Christi quo illos colloquutus est: deinde subjecto vocationis notatur; qui describuntur ab adjunctis nominibus, relatione fratrum, ab effecto sarciendi retia, à subjecto loco in nave, & adjuncto comitatu patris, qui suo nomine describitur.

Vers. 22. Vocationis effectum describitur obsequium utriusque, & amplificatur adjuncto tempore ilico, item adjuncta derelictione retium & patris.

Vers. 23.

*Verſ.*23. Deinceps Christi in Galilæa gesta γενικωτέρως deſcribuntur, primum ab efficiente circumeundæ & perluſtrandæ totius Galilææ; quæ luſtratio duobus finibus arguitur, primum ut doceret, quod ſua materia Euangelio regni, & ſubjecto loco Synagogæ arguitur:

Deinde ut ſanaret { morbos, & languores.

Verſ. 24. Effectum ſanationis, quod fama ejus percrebuit per totam Syriam; cujus famæ aliud effectum narratur, quod male habentes ad Christum afferebant; cujus aliquot ſpecies ſubjicit: cujus deportationis effectus ſubjicitur, ſanatio.

*Verſ.*25. Effectum cum prædicationis tum ſanationis indicatur, turbam multam Christum ſequutã eſſe; quæ turba ſubjecto unde venerat deſcribitur.

METAPHRASIS.

IESVS *lacum Galilææ luſtrans, ſollicitus*
18. *de Eccleſia Euangelica colligenda, quæ ad*
mundi conſummationem uſque propagaretur;
vidit duos fratres, Simonem *qui à fidei in*
Christum firmitate, deinceps Petri *cognomen*
adeptus eſt, & Andream *fratrem ejus, rete in*
mare jacientes, non animi cauſa (ut aliquando
fit) ſed ut victum inde quærerent: quandoquidem
vitæ conditione & profeſſione piſcatores
erant. Quibus Ieſus dicit, venite, & vos mihi
19. *in ſervitutem & diſciplinam tradite; nam*
efficiam ut ex piſcium captoribus, piſcatores
hominum reddamini, dum illos ex hujus mundi
mari reti Euangelii, in Eccleſiæ littus ſeu
piſcinam extrahatis. Et quidem hi (audito
20. *hoc verbo) ita virtute Spiritus Sancti, à Christo*
procedentis, commoti ſunt; ut ilico, relictis
retibus, illum ſequuti ſint. Paululum vero in-
21. *de progreſſus vidit alios duos fratres,* Iacobum
filium Zebedæi *&* Iohannem *fratrem ejus,*
in nave una cum Zebedæo *patre ſuo, non ut*
Simonem *&* Andream *jacientes in mare, ſed*
ſarcientes retia: quos itidem ut priores ad ſe
vocavit. Hi pari promptitudine & alacritate,
22. *patre cum nave relicto, Christum ſequuti*
ſunt. His ad ſe allectis, totum Galilææ tractum
23. *obivit Ieſus; idque hoc conſilio, ut in ſingulis*
Synagogis doceret, illis Euangelium (quo ſolo
ad regnum cœlorum pervenitur) prædicans;
tum ut morbos & languores omnis generis populum
infeſtantes ſanaret. Quamobrem fama
24. *ejus in totam Syriam percrebuit: unde ad Ieſum*
afferebant omnis generis ægrotos, variis
morbis & cruciatibus detentos. In his præcipui,
& morbo atque cruciatu maxime enormes,
erant à dæmonibus agitati, lunatici, &
paralytici: quosomnes perſanavit. Hinc fa-
25. *ctum eſt, ut ſua ſponte, non ſicut duo fratrum*
paria, illum ſequuta ſit, cum à Galilæa, tum
à regione quæ decem civitatum cognomine inſignis
eſt; item ab Hieroſolymis & reliqua
Iudæa, denique à regione, quæ ultra Iordanem
ſita eſt, turba magna.

Summa *eſt, Ieſum duobus fratrum paribus ad ſe vocatis, per totum Galilææ tractum cum Euangelium prædicantem, & miraculis obſignantem, magnam undiquaque multitudinem ſe ſequentem habuiſſe.*

Partes *ſunt* { *Vocatio duorum pariũ fratrum.* *Fructus Euangelii prædicati & miraculis obſignati in Galilæa.*

PRAXIS.

IN vocatione duorum parium, notandum eſt; primum, quod fratres ad miniſterium adhibens, idque (minimum) ad tria paria, ut ex hoc loco & aliis liquet: eo docet, quam conjunctos, & arcto vinculo inter ſe colligatos, Christus eos eſſe vult, qui in Verbi miniſterio collegæ exiſtunt. Erant enim duo pares, cum profeſſione piſcatoria, tum communi & conjuncto (ut videtur) commercio, tum denique ſanguine inter ſe devincti. Cujus ratio eſt, ut priuſquam in miniſterio conſtituti ſint, inter ſe devincti, firmius ſibi in benevolentia conſtent. Quamobrem ſecus in regno Christi, quam in hujus mundi regnis fit. Reges enim & Reſpublicæ, ſibi metuunt à ſumma benevolentia & charitate ſuorum officiariorum: eoque cavent ferre, ne ad ſummos honores, & Reipublicæ procurationem fratres deſignentur; puta ad Quæſturam, ad ſigilli regni cuſtodiam. Suſpicione enim ducuntur fore, ut ſingulari inter illos conſenſu & conſpiratione, ſibi & Reipublicæ damnum afferant. Quin etiam his temporibus politia hæc diabolica invaluit, ut ſuam ſummam pacem & ſecuritatem, in officiariorum diſtractione poſitam arbitrentur. Quod ex ima plebe eos ad ſummam Apoſtolatus dignitatem ſuſtulit, vide quæ ſuperius annotata ſunt *pag.* 125.

Verſ. 18, &c.

Et parium vocatione concordia miniſtrorum neceſſaria.

Piſcatoria ſimilitudo aptiſſima eſt, ad miniſterii delineationem; mundus enim mari, Euangelii prædicatio reti jaculo, miniſtri piſcatoribus aptiſſime comparantur. Diſſimilitudo eſt, quod piſcium ſalus conſtat, ſi in mari degunt; hominum vero, ſi è mundo hamo Euangelii extracti ſint. Et quidem piſces capiuntur, ut jugulentur; homines vero ut in vivis conſerventur. Mundus enim eſt veluti mare mortuum, de quo ſcribit Ezechiel: ubi nihil piſcium eſſe conſtat, quod ſpiritum ducat.

quorum cũ piſcatoribus comparatio.

Quod

Horum vocatorum promptitudo,

Quod vocati veniunt, non tam fratrum promptitudinem, quam Christi verbi & Spiritus incomparabilem vim, qua, tanquam magnete ferrum, attrahuntur, docet: quæ vis amplificatur ex obnisu & luctatione, qua Moses & Ieremias, homines singulari & pietate & doctrina imbuti, vocationi Dei obsistebant: ex quo varia & multiplex Dei in suis fidelibus servis, eaque longe dissimilis operatio colligitur. Deinde quod ilico hoc faciunt, nec cum carne consultant, apparet illos levitatis notam non esse reveritos: quod tamen multos implicatos in errore & peccatis tenet; maxime cum Christus ipse pauper, illis de victu parando, ne verbum quidem fecit. Vide mandatum Dei ad Abrahamum, cum esset in Vr Chaldæorum, *Gen.*12, 1, *ad* 4.

eaque ex fidei obsequio.

Denique obsequium ex fide egregie commendat, quod relictis rebus suis charissimis, Christum sequuti sunt. Erat enim fidei anxia & dubia admodum exploratio; quod non tantum spem lautioris conditionis non facit, sed præsentis jacturam.

Vers. 23. Christi per Galilæam iter Euang. ministerium capessendum docet;

In Galilæa res gestas summatim, & γενικῶς complectitur. Eadem cura ministerii nobis commendatur; non tantum ut precibus eos deposcamus, sed ut sumptibus, & liberorum ad ministerium consecratione, hoc negotium promoveamus. Quod certe facerent, si ex ministerio Euangelii eximium aliquem se fructum percepisse judicarent: si scirent quid sit ex Diaboli laqueis explicari, ex inferis erui, in cœleste regnum transferri, non tantum sui quam posteritatis, ex hac parte sollicitudinem agerent. Agrum emunt, quo & vivi perfruantur, & mortui ad posteros transferant; domicilium exstruunt, hortos conserunt, non quæ sibi soli, sed posteritati usui sint, &c. maxime vero quod hæc sine veritatis notitia inutilia, imo noxia, nec diuturna futura sunt. Olim ministerium Ecclesiæ tam in pretio fuit, ut nomine privilegii filiis natu maximis concederetur, ut Reges ejus functione se honore affici existimarent. Vnde igitur nunc fit, ut, cum præstantius sacerdotio Euangelii ministerium sit, pauciores ejus præcones reperiantur? quis nollet filium suum illis literis & institutis imbuere, quibus eum sciret regi à secretis fore, aut Regis vel Oeconomus vel Legatus fieri. Quod vero Christus hoc ministerium obivit, ministerii Euangelii laudem continet non mediocrem.

Partes vero hujus sunt
- Acta Christi in Galilæa,
- &
- Fructus, videlicet magna hominum multitudo, qui ad Christum aggregati sunt.

quod ex speciali vocatione factum:

Quod circumibat oppida & vicos, non exspectans donec illi ad eum venirent, id ex speciali vocatione profectum est, quod esset Apostolus circumcisionis, ministerium vero præsens & ordinarium est, ut singuli certi gregis curam agant. Christus enim (ut Apostoli) universi gregis inspectionem habebat, nos vero singuli unius tantum particulæ illius gregis.

illud publice proponendum;

Verbum in Synagogis prædicans exemplo docuit, quoad commode fiat, curandum esse, ut palam & publice proponatur Dei Verbum. Vult enim Dominus suas cœlestes Euangelii merces in lucem & apricum educi, ab omnibus conspici; contra lucifugas *Anabaptistas*, qui tenebras & latibula captant, quod indicio est, meretricii aliquid ibi exerceri; eademque ratio est sacramentorum: item adversus *Papistas*; qui tametsi in publicis locis, & plena luce, & meridie cantillant, tamen sub nocte demurmurationis, & ignotæ linguæ omnia agunt.

cum maximo encomio efferatur.

Encomium Euangelii est præstans, quod *Regni Euangelium* vocatur; quia regnum cœlorum nobis reserat, & nos in ejus hæreditatem introducit. Eo enim non tantum emancipamur ex diaboli servitute, sed etiam in filiorum numerum asserimur; nec filiorum solum, sed hæredum & cohæredum regni cœlestis. Parum igitur consulte facimus, si satagendo ut annuum 200 librarum vectigal sectantes, terræ & cœli possessionem amittamus.

Vers. 24 Morborum à Christo sanatio ad peccatorum remissionem indicandam instituta;

Additur autem, morbos & languores omnes persanasse; nominatim vero dæmoniacos, lunaticos, & paralyticos, mala pertinacissima, & maxime deplorata: nullum enim malum tam indomitum, & veluti præscriptione possessoris firmum, quod loco suo cedere coactum non sit: imo vero mortuos ipsos excitavit. Quæ quidem corporum sanationes, cum spiritualium morborum, id est, peccatorum signa & sigilla sint, singularem consolationem nobis afferre debent, nos in Christo omnium peccatorum remissionem & curationem consequi. Sanavit ingenitos & connatos nobis morbos, ut originalis peccati Medicum agnosceremus; ut qui cœci, qui muti &c. à nativitate erant. Sanavit contractos nostra inscitia morbos,

ut actualia etiam peccata nobis per Christum deleri intelligamus. Sanavit animi & corporis morbos; ut non tantum crassorum affectuum, sed & eorum peccatorum, quæ intelligentiæ sunt, & ab intelligentia vitiata proficiscuntur, redemptorem agnoscimus. Sanavit gravissimos & periculosissimos morbos, sed etiam levissima; ut levia peccata, & quæ vocant venialia, non aqua lustrari, aut istiusmodi nugis, sed sanguine Christi lavari constet. Quos autem sanavit, eos persanavit, & pristinæ valetudini restituit: ut sciamus plenam salutem à Christo nos consequi, nullam ejus partem à nostris, aut matyrum meritis, nullam ex purgatorii encausto, ex indulgentiis. Sicut autem incomparabilem Christi benignitatem, sic & omnipotentiam ex his miraculis colligimus: nam cum alios morbos sanaverit, qui humanitus insanabiles sunt, & quidem solo verbo; satis &c. Notanda est formula loquendi, quæ universitatis nota, genera singulorum, non singula generum designat; adversus illos, qui consimili loquendi forma, Dei electionem & prædestinationem labefactare conantur, ex 1 *Timot.*2,4. vide *Luc.*11,42. *Decimatis metham, & rutam, & omne olus.*

Vers. 25. *inde concursus plurium secutus,* Effectum notat, magnam è longinquis partibus hominum concursationem, etiam Hierosolymitanorum civium, quorum ad urbem, templi & religionis causa, omnes undique confluere solebant. Quo docetur, miracula non tantum æternam salutem nostram obsignasse, sed instar tubæ fuisse, qua homines stupidi expergefacti, & ad Christum audiendum excitati sunt; quorum quidem miraculorum sonitus non jam emortuus est, sed tam nos afficere debet, & in Euangelii admirationem & amorem attollere, quam quo die primum edebatur. Sicut enim tonitrua in legislatione &c. legem non tantum ab audientium, sed & à posteritatis contemptu vindicarunt; sic &c. Quamobrem Apostolus *Hebr.*2, *v.*3,4. Euangelii præconium eo ipso amplificat, & à contemptu removet, quod miraculis illustratum & nobilitatum fuit.

idque ex longinquis locis. Quod vero è tam longinquis locis accedant, nobis exemplo sunt, ut nullum laborem, nec longissima itinera, Euangelii causa, recusanda existimemus: sicut enim olim ad templum ex omnibus mundi plagis Hierosolymam & templum concursatum est; sic ad Christum, qui templi Hierosolymitani veritas est, undique confluendum. Sicut vidimus fieri à fratribus nostris, qui cum in patria Euangelio frui non potuerunt, in exteras regiones, Euangelii causa, concessserunt. Quo est Dei erga eos beneficentia prolixior, quibus obtigit, ut Christum in Euangelio sibi perquam vicinum habeant. Tametsi enim Christus, quoad divinitatem, ubique præsens sit; tamen salutaris ejus præsentia, ab Euangelii prædicatione & notitia non potest disjungi.

LVC. *cap.* 5. *à vers.* 1. *ad* 12.

FActum est autem, quum turba incumberet ei, audiendi verbi Dei causa, ipse stabat apud lacum Genezareth.

2 *Viditque duo navigia quæ ad lacum erant: piscatores vero quum ex iis descendissent, abluebant retia.*

3 *Ingressus autem in unum istorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut à terra proveheret paululum: quumque consedisset, docebat turbam ex navigio.*

4 *Vt cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Provehito in altum, & dimittite retia vestra ad capturam.*

5 *Tum respondens Simon ait ei, Magister, quum per totam noctem nos fatigaverimus, nihil cepimus, tamen ex tuo jussu demittam rete.*

6 *Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem magnam: dirumpebatur autem rete eorum.*

7 *Et innuerunt consortibus qui* erant *in altero navigio ut venirent, & sibi opitularentur. Venerunt igitur, & impleverunt ambas naves, ita ut pene mergerentur.*

8 *Quum autem* hæc *vidisset Simon Petrus, accidit ad genua IESV, dicens, Discede à me. Nam homo peccator sum, Domine.*

9 *Pavor enim occuparat eum & omnes qui cum eo* erant, *super captura piscium quam comprehenderant:*

10 *Similiter autem & Iacobum & Iohannem filium Zebedæi, qui erant socii Simoni. Tunc ait ad Simonem* IESVS, *ne metue: ab hoc* tempore *viros capies homines.*

11 Illi *autem quum subduxissent in terram navigia, relictis omnibus, sequuti sunt eum.*

ANALYSIS.

Hanc Historiam aliam esse ab ea quæ Matth. 4. *scribitur argui videtur, 1. quod* Andreæ *nulla hic mentio, 2. quod ibi sarcire dicuntur retia, quod fere fit cum captura fit ruptura: hic vero lavare dicuntur retia, ut illa complicarent, 3. quod apud* Matthæum *dicitur, Christus progressus à nave* Petri *ad navem* Iacobi *&* Ioannis, *cum hoc loco dicantur advocari nutu ad navem* Petri, *in qua Iesus erat.*

NArrat Euangelista Christi in unam navem ingressum, 1. ab efficiente causa, quia premebatur à turbæ frequentia; quæ frequentia suo fine declaratur, ut Verbi prædicationem audiret: deinde à subjecto loco, ubi consistebat Christus, nempe littore maris, qui opportunitatem præbebat navem conscendendi.

*Vers.*2. Deinde ab adjuncta commoditate navium, quæ ad ipsum littus appulerant: cujus appulsus causa exponitur, quod piscatores ad lavandum retia navibus egressi fuerant.

*Vers.*3. Navis autem quam Christus ingressus est suo subjecto describitur, *Simone:* post Christi ingressum aliud effectum narratur, Christi postulatio ut paululum à terra propelleret; qui cum ingressus, tum postulatum Christi suo fine declaratur, ut turbam ad littus consistentem commodius doceret, dum & Christus à turbæ concussione hoc pacto liber foret, & turba interjecto aliquo spatiolo commodius Christum audiret.

*Vers.*4. Miraculum proponit, quo doctrinam obsignabat, quod primum describitur ab adjuncto tempore, postquam absolvisset concionem: deinde causa efficiente instrumentali narratur petitio Christi, ut in altum navem impellerent, deinde retia sua in mare dimitterent; quæ duo suo fine declarantur, nempe ad capturam piscium.

*Vers.*5. Hic narratur altera causa efficiens *Petri* & aliorum obsequium, jussa Christi capessentium; quod suo diverso amplificatur, quod totam noctem piscantes nihil cæpissent.

*Vers.*6. Cujus obsequii eventus declaratur, piscium captura perquam numerosa; quæ suo effectu arguitur, retis ruptura.

*Vers.*7. Et porro amplificatur adjuncto auxilio sociorum, quod ipsi qui piscabantur rete attrahere nequibant: denique effecto implendi duas naves, quæ impletio exaggeratur effecto alio, nempe quod naves onere tanto piscium deprimebantur.

*Vers.*8. Hujus miraculi effectus declaratur, primum in *Petro*; primo quod ad pedes Christi se advolvit, deinde quod illum à se discedere jussit: cujus utriusque effectus causa assignatur, miraculi interior & attentior consideratio: posterioris vero effecti causa proponitur, peccatorum suorum acutissime & maxime serius sensus.

*Vers.*9. Deinde communis effectus tum *Petri*, tum aliorum qui præsentes erat adnectitur stupor.

*Vers.*10. Qui per species quasdam declarantur *Iacobum* & *Iohannem*, qui describuntur duobus relatis filiorum *Zebedæi*, & participio commercii cum *Petro:* deinde *Petri* consolatio subjicitur; ubi effectum deponendi metum sua causa arguitur, quod ad ministerium Euangelii appelletur; quod comparatione dissimilium illustratur, quod homines in se mortuos ad vitam in illis ingenerandum capiet, contra quam in piscando fecerat, ubi pisces vivos (ut illos mactaret) cepit.

*Vers.*11. Prioris vocationis effectum adnectitur, quod nave ad littus adducta Christum sequuti sunt *Petrus* &c. quæ obedientia suo adjuncto amplificatur, omnium desertione, quæ imperatum Christi sequendi obsequium impedire possent.

METAPHRASIS.

CVm turba Christo imminens, eum Verbi 1.
Dei audiendi causa premeret, ad lacum
Genezareth consistentem; circumspiciens vidit 2.
duo navigia, quæ ad ripam lacus in anchoris
erant, è quibus egressi piscatores, confecta piscatoria, ad retia lavandum & complicandum
se contulerant. Ex his navigiis alterum quod 3.
Simonis *erat, Iesus ad vitandum turbæ concussionem ingressus est: quem ad majorem cum prædicandi tum audiendi commoditatem, paululum à ripa navigium subducere & submovere rogavit: ubi (de more Docentium) considens, turbam illam in ripa manentem è*
navigio docuit. Vt vero concionem absolvisset, 4.
doctrinam propositam obsignare in animo habens; Simoni *dixit; Duc quæso navem, unde*
retia ad capturam demittatis. Tum respon- 5.
dens dixit ei; Magister, totam noctem (quod tempus piscibus capiendis aptissimum est) ad lassitudinem laborantes nihil, ne squammam quidem aut pinnam, cepimus. Tametsi vero interdiu aliquid capiendi nulla spes affulget,
tamen tibi mandanti morem geremus. Quod 6.
cum fecissent, è vestigio magnam piscium multitudinem concluserunt: quæ tanta fuit ut
rumpi cœperunt retia. Atque præ pondere re- 7.
tia attrahere non valentes, & præ stupore elingues quodammodo facti, nutu socios in com-

mercio, qui in altero navigio erant significa-
runt, ut accurrentes adjuvarent : qui advo-
lantes utrumque navigium piscibus compleve-
runt, usque eo ut illa submergi periclitaren-
8. *tur. Quæ cum* Simon (*post cognominatus* Pe-
trus) *penitus considerasset, ad Iesus genua*
advolutus, dixit ; Quæso, Domine, egressus è
navigio procul te à me submove, ne, cum pec-
catis onustus sim, tanta majestate tanquam
9. *stipula igne absumar. Pavor etenim illum*
occuparat, sicut & cæteros omnes corripue-
rat, qui cum illo erant, ob piscium captu-
10. *ram quam junctis operis ceperant. Præcipua*
vero ratione (post Simonem) *pavor invase-*
rat cum Iacobum *tum* Iohannem *filios* Ze-
bedæi, *qui iidem* Simoni *in hoc piscationis*
commercio se socios adjunxerant. Ad Simo-
nem *vero, utpote singulari mensura supra a-*
lios tremefactum, dixit ; noli timere, qui amo-
ris in te mei hanc indubitatam tesseram, non
ita multo post, habiturus sis : ut qui nunc
pisces è mari vivos ad mactationem capis,
homines in peccatis mortuos ad vitam, Euan-
gelii reti, è turbulento mundi mari extrahes.
11. *Quamobrem navigiis ad terram subductis,*
relictis quæ Christi obsequium & comitatum
retardare poterant omnibus, eum sequuti sunt.

PRAXIS.

CHristus ad Galilæam illuminandam accedens, clarissimumque doctrinæ, & miraculi lumen præferens, singularem operis sui fructum percipit; nominatim in duobus fratrum paribus.

Cujus *partes* sunt { Lumen, quod Christus prætulit Galilæis, & Illuminatio certorum, quibus illud præferebatur,

In *priore parte* insunt { Verbi præconium, & Miraculi editio, quo doctrinam obsignavit.

In *verbi præconio* narratur, { Populum doctrinę avidum ab illo doctum esse, & Modus quomodo populum docuerit.

Verſ. 1, 2, 3. *Christus populum avidum docet;*

Quod autem populo discendi studioso satisfacit, argumento est, eos, qui cœlestis panis fame urgentur, à Christo exsatiatum iri; ut periculum non sit, ne hac fame laborantes aliquando pereant, ut in corporis fame. Sicut enim 2 *Reg.* 7, 12, *ad* 20. post gravem Samariæ famem populus turbatim ad eum, qui frumento præficiebatur advolavit, & eum nimia aviditate pedibus obtrivit; ita post ingentem Verbi in ea regione famem, populus certatim ad Christum accurrit, frumento Patris præfectum spirituali : & ut olim, tempore famis, omnes Iosephum certatim accedebant: *Gen. c.* 47, *v.* 15. sic & nunc Christum. Si igitur causam quæramus, tam pauci & angusti apud nos ministerii, hanc, inter cætera, causam reperiemus, panis cœlestis satietatem & fastidium. Si enim eo desiderio ejus teneremur, & Christo, ut isti, instaremus, alias rationes alendi ministerii, & fovendi scholas & Academias iniremus.

In *modo docendi* notatur { Subjectum loci, & Adjunctum sessionis.

idque in navicula Petri, & cur?

Locus est Lacus Genezareth, & propter imminentem ipsi populum, eumque prementem, Petri navicula aliquantulum à littore summota; cum ut multitudinis impressionem declinaret, tum vero etiam ut commodius à populo exaudiretur. In quo ut omnem locum Deo sacrum esse discimus; ita illud videtur alienius, quod Christus, Synagogis relictis, ad Verbi Dei auditionem designatis, in agris, montibus, & desertis locis conciones habet. Nec enim Ecclesiæ ordo temere violandus est. Verum quidem est alicubi significari, Christum deserta loca concionibus habendis quæsivisse; sed id persequutionis metu factum esse, quod illi in Synagogis docere integrum non esset aperte liquet: hoc autem loco, illud persequutionis causa factum esse, videtur dici non posse. Intelligemus enim postea Christum in eorum Synagogis docuisse. Respondeo igitur, præter illam persecutionis, aliam etiam causam fuisse, quæ ad istas sub dio conciones Christum detrusit, multitudo eorum videlicet frequentissima, quæ illum audiendi causa convenerat, quam una Synagoga, quantumvis capaci, contineri potuisse non sit verisimile: vide *Matth.* 4, 25. ut hoc sub dio docendi exemplum, non sit temere in exemplum trahendum. Sicut contra, si necessitas urget, non debemus esse nimis in ea re restricti.

quod tamē ejus primatum non arguit.

Quod ex hoc ingressu in Petri naviculam primatum *Pontificis Romani* stabiliant, ridiculum est. Cum enim duæ naves tantum essent, & aut hanc, aut illam ingredi necesse fuit; quod in Petri navem ingressus sit hoc naulum à Christo exigere, erat certe perquam sordidum. Exigere enim illum hoc oportuit, quandoquidem Christum hunc illi primatum, ob hanc causam, nusquam obtulisse

lisse legitur. Quod si inde primitus nascitur, quod Christus ea fiducia apud eum utatur, majori usus est erga Iohannem, cui matrem suam commendavit. Quid? quod etiam de Iacobo & Ioanne dicitur, eos non tantum artem piscandi, sed & patrem Zebedæum reliquisse; hoc certe plus promeritum est, quam naviculam suam à Christi pedibus calcatam habere: forte etiam Petri navem ingressus est, quod ea commodius ad Verbi prædicationem sita esset. Deinde si ex hoc loco primitus fidem acciperet, illud tam Andreæ cederet, quam Petro: liquet enim unis in ædibus habitasse, & conjunctim artem piscandi exercuisse.

Ea doctrina cum authoritate conjuncta,

Adjunctum sessionis, quæ etiam 4 *Lucæ v.* 15, 16, & 13 *Matth. v.*54. adnotatur, docentis authoritatem indicat, ejusque signum & argumentum est: nec vero à Christo summo Doctore tantum usurpata, sed ab aliis Ecclesiæ Doctoribus, *Matth.* 23,2. Doctoris enim in Ecclesia munus cum authoritate conjunctum esse docet Apostolus 1 *Tim.* 2, *v.*11,12. Nec pugnat quod 1 *Cor.*11,3, *ad* 10. habetur, ubi Apostolus non pileo opertum virum, sed promisso capillitio reprehendit: mulieres enim virorum more se tondebant, contra vero viri mulierosi erant, & comam instar mulierum nutriebant.

Vers. 4. *& miraculo obsignata.*

Finita concione ejus doctrinam obsignaturus, rogat Simonem, ut aliquantulum in altum solverent, & ut retia ad capturam in mare dimitterent. Hoc enim miraculo, tam maris quam aridi se dominum esse declarare voluit. Quod autem miracula doctrinæ, tanquam sigillum apponit, documento est, miracula nullam apud nos fidem aut pondus habere debere, nisi quoad doctrinam à Christo propositam, & ab Apostoli litteris consignatam, confirment. Si quæ igitur adduntur, quæ doctrinæ Christi contrarium aliquid continent, non pluris illa apud nos esse debent, quam sigillum publicum suffuratum, & commentitiis & falsis tabulis affixum. Diabolum enim quandoque videmus mira quædam, & judicio humano incredibilia facere; ut in Saulis & filiorum mortis prædictione. 1 *Sam.* 28, 19. Deinde Christus docet pseudo-Christos miracula edituros tanta, & tam illustria, ut illis, si fieri posset, electi deciperentur. *Matth.*24,24.

Vers. 5. *Petri & sociorum Christi dictis fides;*

In Petro & sociis, eximia quædam obedientia elucet; qui tametsi retia abluissent & complicassent, nec ulla spe capturæ ducerentur, qui ne nocte quidem ipsa ad piscandum opportuna squammam veluti cœpissent: tamen Christo obsequentes imperata faciunt, nec enim toties jacientes retia, & ea inania recipientes, verisimile erat hoc uno jactu aliquid nancisci posse; neque qui noctu nihil cœpissent, probabile erat, interdiu aliquid effecturos. Nocturnum enim & silentium, & caligo, capturæ peraccommodum est. Hoc nos docet adversus spem, spem ex verbo Christi fovere, & Dei promissis (reclamante ratione, sensibus, experientia, consuetudine) acquiescere, & illis confisos, Deo mandanti obsequi. Vt si Deus nos juberet in petra, aut mari sementem facere, ei obsequi non dubitaremus, & fructum inde sperare. Hujusmodi est, quod Israëlitæ mandato Dei obsequentes, ab Ægyptiis gemmas, & quicquid pretiosum est, mutua sibi dari peterent. Quis enim ab illis boni aliquid sperare potuit, quos haberent infensissimos hostes? nos autem promissionibus munimur, fore ut honesto labore nostro, pane nostro vescamur. Tametsi sensus, & ratio nostra dictent nobis, non nisi fraudibus, mendaciis, & vanitate nos lucrum posse facere; tamen Deo loquenti fidamus, & ex fide præceptis ejus insistamus. Sicut autem honesto labore nostro, nobis ad cultum & victum necessaria suppeditatum iri ex Verbo intelligimus; sic & ditescere, siquidem hoc ex usu nobis sit. Si igitur ratio & sensus, & aliorum corrupti sermones hoc nobis suggerunt, nos non posse nisi fraudibus & latrociniis, & illicitis artibus opulentos esse; tamen hanc tentationem, in Verbo Christi repellamus. Cum autem uni Christi verbulo paruerunt, pudeat nos toties jussos ea facere, quæ nostri officii sunt, ne digitum quidem ad rem nobis præceptam admovere.

Quæ nos contra spem confidere docet,

ut & sensus & rationis dictamen.

Vers. 6, 7. *Eventus piscationis copiosa captura;*

Non prius retia dimiserant, quam illa infinitam multitudinem piscium cinxerant; perinde enim, ac si pulli cicures fuissent, ad Christi nutum & voluntatem se sistunt. Certatim vero accurrunt tanquam pretio inter se certaturi, quisnam alium in obeundis creatoris mandatis præverteret; & quanquam ad certam mortem accurrant, tamen tanquam ad lautum aliquod epulum undique confluunt. Neque enim ulla inescatio tam potens est, ad pisces attrahendum, quam Christi voluntas. Hanc admirabilem Dei virtutem cernimus in bestiis, quæ ordinatim, & veluti militari distributione Noëum accedebant, & arcam ingressæ, & inde egressæ sunt. Sicut autem in promptitudine, sic in multi-

multitudine, miraculi magnitudo docetur. Quæ arguitur multis argumentis; retium ruptura, sociorum in altera nave in auxilium advocatione, navis utriusque cumulata expletione, ut mergi periclitaretur, denique piscatorum admiratione; qui tametsi se diutius in hac arte exercuissent, nihil tamen hujusmodi unquam experti essent. Muti igitur pisces Christum Dei Filium, & verum Deum clare pronuntiant, & ad hunc usque diem prædicant. Simul etiam notandum est, aliquando benedictionem laboribus nostris suam cohiberi, ut post eam luculentius & testatius effundat. Sicut hoc loco dubium non est, quin antecedente nocte pisces à retibus abarcuisset, ut insequentis diei miraculum magis illustraret. Et quidem sæpissime hoc facit Deus, ut suorum peccata castiget. Sicut apud Aggæum legimus, ubi ex ampla semente angustam messem ideo eos accepisse dicitur, ut Dei benedictio & largitio illustrior esset, cum ad templi exædificationem animum adjecturi essent. *Hag.* 1, 6. Sed nonnunquam etiam tentandi nos causa fit, an velimus in obsequio & vocatione manere, ut hoc loco: ut cum Israëlitæ adversus Benjamitas in optima causa ideo ceciderunt, ut eorum fidem & constantiam Deus exploraret. *Iud.* 20, 21, *ad* 25.

quæ ad tẽpus dilata ut eo esset uberior.

Vers. 8, 9. *Stupor ex hoc miraculo ortus;*

Sequitur pars altera de fructu: quem tametsi dubium non est ad plures, quam ad duarum navicularum nautas se diffudisse; tamen eorum potissimum meminit, propter trium Apostolorum vocationem. In his autem duplicem fructum peperit, stuporis (in Petro vero præcipue) & obedientiæ, qua vocati Christum relictis omnibus, prompte & alacriter sequuntur. Quod stuporem attinet, quo correpti qui propius ad miraculi spectaculum admissi sunt, declarat eos adeo experrectos sensus habuisse, evigilatamque intelligentiam, quod rei magnitudinem majestatemque, seu gloriam Christi in istis intueantur, ut non tantum verbi & miraculi, sed & Spiritus Sancti lumen apud illos accenderit. Neque enim instar pecudum obbrutescebant. Quam igitur nos brutos esse oportet, qui subita tot hominum conversione non commovemur, ut Christo procidamus, peccata nostra confiteamur? &c.

qui in Petro peccatorum confessionem effecit:

De Petro autem diserte dicitur, eum ad pedes Christi advolutum, & se peccatorem confitentem, ab eo contendisse, ut à se recederet. Vbi quod abjectus ad Christi pedes esset, divinitatis Filii Dei agnitionem continet. Quod vero peccatorem se fassus sit, majoris cujusdam lucis accensæ argumentum est, utpote qua Petrus ad tenebras suas retegendas adjutus est; sed illud quæritur, quomodo ad interiorem peccatorum suorum agnitionem adductus est, conspecto miraculo. Nam cum ante crediderat, peccatorem se fuisse non potuit agnoscere. Respondeo, tanto nos nostram fœcilitatem acutius sentire, quo Dei aut sanctitatem, aut potentiam &c. propius intuemur. sic *Esa.* 6, 5. 1 *Reg.* 17, 18, 24. & Abraham propius Deo sensu suo admotus, interiorem vilitatis suæ sensum habuit. *Gen.* 18, 27. Sicut enim oculi lippitudo tum melius sentitur, cum quis ea laborans in apricum educitur: sic &c. Quamdiu enim aut in tenebris, aut modica in luce & angusta agimus, oculorum vitium non admodum sentimus, nec oculorum sanitatem valde requirimus: & sicut luscus inter cæcos præclare se videre existimat, his vero compositus & admotus, quorum acies perspicax est, statim suam inopiam intelligit: sic &c. Nec aliunde est, quod *Papistæ* tantopere de suis meritis gloriantur, quam quod justitiam Dei, & sanctitatem in lege patefactam ignorent; eoque & peccata sua extenuant, & merita extollunt. Sicut etiam ex eodem fonte manat, quod nos ad peccandum tam audaces sumus, quia Dei potentiam, gloriam & sanctitatem animorum nostrorum oculis expressam, & repræsentatam non habemus.

ad eam quomodo adductus?

Illud etiam quæritur merito, cur Petrus peccatorum sensu commotus, Christum rogat, ut se ab eo idcirco subduceret. Quid enim spectavit? cum enim Christum peccatorum suorum unicum medicum cognosceret, cur non potius ei arctius conjungi postulat? Deinde cum justitiæ thesaurum apud ipsum depositum sciret, gravis causa suberat, cur Christum vel fugientem prosequeretur, nedum ut accedentem repelleret. Videmus Centurionem humilitate quadam, & suæ indignitatis ratione, Christum nec accessisse, nec se idoneum esse, ut ejus tectum subiret judicasse: hæc etiam causa proculdubio Petrum nonnihil commovit; sed hanc neque totam nec gravissimam fuisse, ex Christi verbis colligitur. Cum enim Christus timorem deponere eum jubet, apparet eum, ex peccatorum sensu, timore aliquo correptum, ne Dei ira in eum flagraret, & peccata ejus gravissime ulcisceretur. Peccatorum enim vivus & acer sensus, timorem, vel in ipsis fidelibus,

cur ideo ut Christus ab eo recedat roget?

fidelibus, aliquem ultionis injicit divinæ: tametsi enim charitas ex fide manans timorem expellit; tamen quia, ut fides, sic charitas ex fide manans imperfecta est, nihil absurdi est, timorem aliquem cum fide,& charitate in piis cohabitare: sed sic tamen, ut charitas tandem superior sit, fide omnia profligante. Providendum ergo, ut adversus divini judicii metum probe muniti simus; maxime cum illa tempora incidunt, quæ nobis peccatorum nostrorum interiorem sensum afferunt.

Vers. 10. *Apostolorũ horum vocatio æqualiter instituta,* Alter fructus est, quod Christum vocantem ilico, relictis omnibus, sequuntur. Vbi primum expendamus Christi verba eis vocatis; quæ tametsi Petro hic dicta proponantur, tamen cum par cæterorum ratio sit, aliique à Christo vocati sint, ut ex *Matth.* 4, *v.* 18, *ad* 22. constat, & hoc loco indicatur, qui non Petrum tantum, sed illos omnibus relictis, Christum sequutos esse affirmat, duobus reliquis dicta esse intelligantur. Omnes enim piscatores, omnes etiam attoniti & timore perculsi, omnes ad Apostolatum vocati sunt: cum vero eædem causæ in omnibus extiterunt,tametsi non eadem mensura, cur Christus illos non alloqueretur? si non eisdem,certe non dissimilibus verbis eos *ut etiam consolatio;* consolatum esse, dubitandum non est. Iubet autem eos metum pellere, quod ad Verbi ministerium adhibendi sunt. Hoc enim argumento illos de peccatorum remissione confirmare vult, quod eorum fidei populi salutem crediturus esset. Perinde enim est ac si diceret; nihil est quod metuas, ne te ex domesticorum meorum numero & censu expungam, quandoquidem etiam familiæ meæ te præficiam. Hoc modo Paulus se à plerisque contemptum, à Christo fidelem judicatum esse, ab adjuncta Euangelii prædicatione sibi commissa, arguit. 1 *Tim.* 1, 11.

quorum donorũ à Deo collatio. Inde etiam est, quod Christus Petrum, qui Domini abnegatione à ministerio jure exciderat, novis mandatis Verbi ministerio restituit,ut inde acceptæ peccatorum remissionis certior evaderet. Tametsi enim plerisque ad ministerium admissis peccata retenta sint: tamẽ qui sibi suæ ad ministerium vocationis probe conscii sunt, dona, quibus illud munus obeant, se accepisse à Deo norunt, studio aliquo non contemnendo Euangelii promovendi incensi sunt; hi certe præclarum divinæ erga se charitatis pignus consequuti sunt, quo se adversus remissionis peccatorum diffidentiam muniant. Nec enim Deus aliquem ad opus suum adhibet, eoque utitur, ut post, cum ejus mandata exhauserit, aut opus perfecerit, eum abjiciat: sicut ingrati & avari quidam heri faciunt; sed eum defunctum opere, majore in honore collocat, & uni aut paucis civitatibus præpositum, post decem civitatibus præficit, *Matth.* 25, 21. *Luc.* 19, 17. Sicut autem hujus rei veritas evidentissima clarissime in ministerio Verbi cernitur; ita etiam non aut obscure, aut infructuose in omnibus fidelibus cernitur, qui gratum aliquod Christo officium præstant. Semper enim illud Manoeh uxoris dictum memoriæ ad consolationẽ repetendum erit, Deum, quod ipsius & mariti sacrificium gratum habuisset, illos interficere noluisse. *Iud.* 13, 23. Qui igitur mercatoris artem hoc animo exercuit, ut non tantum sibi, sed fratrum & populorum suorum, maxime vero Ecclesiæ cõmodo hoc fecerit,&c.

Quod dicit eos hominum piscatores futuros,& quidem vivos ab illis captos & conclusos iri, in eo non solum singularem honorem, quo eos dignabatur, indicat, qui à tam humili cura, ad hominum, & quidem Ecclesiæ, idque in his, quæ summam salutis eorum continerent, curam & procurationem attolleret: sed etiam ea loquendi formula usus est, quæ illis notissima esset, & intelligentiam eorum magis attingeret; sicut *Psal.* 78, 70, 71. dicitur, Davidem Deum à gregibus ovium abduxisse, ut populũ suum, sicut olim patris oves, pasceret: sicut Samaritanam, & discipulos in aquæ & cibi similitudine: *Ioh.* 4, 10, 12. *Euang. ministerium cum piscatione quomodo à Christo cõparatum?* Sicut autem piscatorum cura est, ut pisces vivos capiant, quo vendibiliores sint; sic Christus etiam pollicetur homines vivos ab illis capiendos esse. Quanquam in eo discrimen est, quod pisces in mari, priusquam reti circumcludantur, vivacissimi sint, homines vero ante in mari mundi peccato mortui, tum demum animantur & reviviscunt, cum Euangelii reti circumcinguntur: deinde pisces capiuntur ad eorum interitum, homines vero ad salutem. Hujus promissi veritas luculenter docetur *Act.* 2, 41. ubi uno jactu 3000 hominum ad salutem attracti sunt. Tametsi enim cum Christi, tùm Apostolorum omnium labor in prædicando irritus videri posset, toto fere triennio, quod omnium ordinum contra Christum, & Euangelium tam consentiens conspiratio esset, tamque pauci essent, qui Christo laboranti subvenirent; tamen oblata opportunitate, non dubitant

rete

rete Euangelii per medium frementis & furentis maris jacere. Neque dubium est quin hoc miraculo capturæ piscium, & Christus docuerit, & illi didicerint, non esse animum despondendum, tametsi multos nostros lucrandi homines conatus, nullus fructus consequutus sit.

Vers. 11. Horum in sequendo Christo obsequium;

Subjungitur, illos vocanti Christo obtemperasse, & subductis in terram navibus omnia reliquisse, ut Christum sequerentur; quam eorum promptam obedientiam adjuvit plurimum, quod eos potenti miraculo Christus ad humilitatem erudiverat. Sic etiam indomitam Pauli ferociam Deus fregit, dum ad terram ex equo eum deturbavit, priusquam ad ministerii participationem eum vocarit: stimulum quoque addidit illis, quod hoc miraculo Christi potentiam & divitias didicerant, qua opificium deserentes, & artem, unde victum sibi quærebant, posset eos abunde alere. Maxime autem eos, dubio procul, permovit, quod Christus hoc modo se, adversus peccatorum suorum conscientiam, magis armatos fore docuit, quod Dominus illis hunc honorem habuerit.

quod monasticum votum non promovet,

Hoc autem Apostolorum in sequendo Christo obsequium, ad omnes pios accommodandum est, ut omnes Christo vocanti pareant, & omnes omnia relinquant. Quod si quis excipiat, monachatum hoc modo in Ecclesiam invehi: minime omnium. Nec enim Apostoli omnia reliquerunt; sicut alibi apparet; cum quod uxores retinebant, & domos, quibus ante habitabant; sed illa tantum, quæ ministerio obstacula erant, & cum ministerii exercitio pugnabant; ut, quia simul ministerio, & piscationi animum utiliter adjicere non poterant, ideo retia reliquerunt, & quia Christum assidue quocumque iret, sequi non poterant Iacobus & Iohannes, nisi patre Zebedæo domi suæ relicto, ideo etiam à patris amplexibus se avelli passi sunt. Sic nos hac lege & conditione ad Christum vocamur, ut quæcumque cum Christiani hominis officio pugnent, illa quantumcumque aut chara, aut nobis lucrosa, abjiciamus: uxores tamen, aut domos non abjecisse patet, ex Petri & Matthæi exemplis, & similitudine, 2 *Tim.*2,4. nam milites in militiam profecturi non statim cum uxoribus divortium faciunt, aut illas repudiant, nec possessiones suas abjiciunt, aut aliis dant. Non pugnat cum Christiani mercatoris officio, &c. sed hoc pugnat, &c.

sed impedimenta ad Christi ministerium abjicienda docet.

Quare ex plebe Apostoli vocati?

Cur ex Galilæis contemtissimis hominibus, & quidem inter illos ex ima plebe, ad tam amplum Apostoli munus arcesserit Christus, tanquam collectitio milite universum mundum subjugaturus, vide in his, quæ prius in Philippi vocatione dicta sunt, qui primus ad Apostolatum vocatus est.

eorum cur plures vocationes referantur?

Hic autem ex multiplicibus in speciem horum fratrum ad Apostolatum vocationibus, *Ioh.*1. *Matth.*4. *Luc.*5. *Marc.*1. difficilis *quæstio* nascitur: nisi enim illi refractarii Christi vocationi obstitissent, aut eam primo admittentes post ab ea defecissent & resiliissent, nulla ratio videtur, cur una plures vocationes ab Euangelistis exponerentur.

Respondeo, quod ad Andreæ & Simonis vocationem *Ioh.*1. adnotatum est, clarissimis verbis liquet, illam vocationem non fuisse ad ministerium, sed tantum ut sua nomina inter Christi discipulos, seu cultores profiterentur.

LVC. *cap.*4. *à vers.*31. *ad* 38.

31 *Et descendit Capernaumum urbem Galilææ, ibique docebat eos Sabbathis.*

32 *Et percellebantur super doctrina ejus. Erat enim sermo ipsius cum auctoritate.*

33 *Erat autem in Synagoga quidam habens spiritum Dæmoniacum impurum, qui exclamavit voce magna.*

34 *Dicens, Ah, quid nobis tecum IESV Nazaræe? venisti ut perderes nos? novi te quis sis:* nimirum *Sanctus ille Dei.*

35 *Et objurgavit eum IESVS, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Tunc dæmonium projecto illo in medium, exiit ex eo, nihilque ei nocuit.*

36 *Et obortus est pavor in omnibus: & colloquebantur alii cum aliis, dicentes, Quid hoc rei est, quod cum auctoritate ac potestate imperat impuris spiritibus, & exeunt?*

37 *Et dimanavit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.*

MARC.

MARC. *cap.* I. *à verſ.* 21. *ad* 29.

21 Et ingrediuntur Capernaumum : ſtatimque ſabbatho ingreſſus IESVS in Synagogam, docebat.

22 Et percellebantur ſuper doctrina ejus, docebat enim eos ut auctoritatem habens, & non ut Scribæ.

23 Fuit autem in Synagoga eorum quidam in quo erat ſpiritus impurus : qui exclamavit,

24 Dicens; Ah, quid nobis tecum IESV Nazarene? veniſti ut perderes nos? novi te quis ſis : nimirum *Sanctus ille Dei.*

25 Et objurgavit eum IESVS, dicens, Obmuteſce, & exi ex eo.

26 Tunc, quum diſcerpſiſſet eum ſpiritus impurus, & clamaſſet voce magna, exiit ex eo.

27 Et expaverunt omnes, ita ut mutuo quærerent inter ſe, dicentes, Quid eſt hoc? quæ doctrina nova hæc, quod per poteſtatem imperat etiam ſpiritibus impuris, & auſcultant ei?

28 Emanavit autem fama ipſius ſtatim in totam regionem circumjacentem Galilææ.

ANALYSIS.

CHRISTVS deſcribitur ab effecto docendi : ubi ſubjectum circa quod notatur, *Cives Capernai*, & generali ſubjecto in quo, *oppido Capernai*, & magis ſpeciali & proprio, *Synagoga*, ut verſu 33. conſtat, & adjuncto tempore ſabbathi, & adjuncto comitatu 40 diſcipulorum, quos vocaverat, ut ex *Marco* liquet.

Verſ. 32. Effectus doctrinæ Chriſti, ſtupor audientium; cujus cauſa efficiens apponitur, quod ſingularis virtus & potentia doctrinam comitabatur; quod apud *Marc.* 1, *verſ.* 22. diſſimilitudine Scribarum & aliorum Miniſtrorum illuſtratur.

Verſ. 33. Declarat doctrinam miraculo fuiſſe obſignatam, ubi ſubjectum in quo miraculum editum eſt erat Synagoga, ubi concionem habuit: ſubjectum circa quod, erat homo ſpiritu immundo præditus. Hoc miraculum amplificatur effecto dæmonis exclamantis.

Verſ. 34. Deinde ſpecies clamoris exprimitur, querela ſcilicet quod illum invitum ad ſe attraxit : deinde alio effectu dæmonis, quo Chriſtum confitetur Sanctum Dei.

Verſ. 35. Effectum confeſſionis dæmonum eſt quod Chriſtus illum increpavit. Cujus partes ſunt, primum ut ſileret, deinde ut exiret ab homine. Cujus increpationis effectum eſt, quod Dæmon hominem in medium projecit, & apud *Marc.* aliud effectum narratur, quod ſcilicet illum huc illuc jactavit, item 3. effectum quod exclamavit. Quæ omnia apud *Lucam* diverſo amplificantur, quod quamvis hæc omnia dæmoniaco fecerit, nihil tamen illi nocuerit.

Verſ. 36. Effectus miraculi eſt ſtupor, qui amplificatur adjuncta quantitate, quia omnes ſtupefacti : & effectum arguitur, ſermone, in quo cauſam admirationis exponit, quia Chriſtus cum imperio & autoritate dæmonia ejecit, quod nemini unquam obtigit; quod totum ad doctrinæ novitatem quam Chriſtus propoſuit, referunt.

Verſ. 37. Alter effectus doctrinæ ſimul & miraculi, fama ſcilicet; quæ ſuo ſubjecto circumſcribitur, circumjacente regione.

METAPHRASIS.

IESVS *cum duobus fratrum paribus, quos* 31.
ſibi vocatione adjunxerat, deſcendit in Ca-
pernaum oppidum Galilææ : ubi ſabbathis ali-
quot docendi partes obivit. Obſtupuerunt vero 32.
qui illum audierunt, ex doctrina quam propo-
nebat; quod ejus ſermo magna virtute & po-
tentia ſtipatus eſſet, longe ſecus quam ſermo
Scribarum. Erat autem in Synagoga (ubi Ie- 33.
ſus doctrinam ſuam propoſuit) vir quidam
Diaboli ſpiritu impuritate oblectato correptus,
qui arcana virtute Chriſti in illum locum per-
invite pertractatus, ingenti voce exclamavit.
Sic autem ſpiritus callide ſermonem inſtituit; 34.
Ah! quid eſt Ieſu Nazarene quod me & alios
meos, in obſidendis hominibus in hac regione,
collegas infeſtas, cum nulla ſis à nobis injuria
aut moleſtia laceſſitus. Deinde ut de nobis ul-
tionem ſumas, tamen tempus ultioni deſtina-
tum anticipare non debes. Ad me quod atti-
net (quod de meis collegis audeo polliceri) equi-
dem probe novi qui ſis, & agnoſco te eum eſſe,
quem Deus Pater ad populi ſui ſalutem ſan-
ctificavit : ut videatur à tua humanitate a-
lienum, eam ejectione cruentare, qui tibi debi-
tum honorem habet. Ieſus vero illum increpa- 35.
vit dicens; Ne verbum addas, ſed tanquam

capistro in os illud impurum injecto obmutesce: tuum enim utcunque verum tamen insidiosum testimonium, mihi ingratum est. Tibi porro edico, ut è viro quem occupas egrediaris. Tum spiritus virum in medium projectum, & membris corporis sui misere distortum, cum ingenti clamore, quo suum ex ejectione mœrorem testatus est, reliquit. Sed admirabili Iesus virtute factum est, ut in maximo conatu illum aut interficiendi, aut certe corpus ejus conquassandi,
36. *di, nihil illi damni intulerit. Pavore autem omnes correpti sunt, & mutuo secum colloquebantur, dicentes; Hanc novam oportet doctrinam esse quam iste docet, cum sit miraculis his obsignata; neque enim hactenus auditum est, cui cum imperio & autoritate mandanti, ab immundis spiritibus obsequium præstitum*
37. *sit. Hanc etiam ob rem fama ejus, in omnes circumquaque jacentes regiones divulgabatur.*

PRAXIS.

IN Synagoga Capernai Sabbatho docens potenter, & dæmoniacum sanans, conventum utrinque in sui admirationem extulit.

Cujus *partes* sunt { Christi virtus exerta, { Euangelii præconio, & ejectione dæmonis. } & Conventus stupor & admiratio, }

Vers. 31, 32. *Christus cũ authoritate docuit;* Virtus autem illa, quæ admirationem ex præconio Verbi in auditoribus excitavit, varie consideratur: primum quidem in ipsis Christi verbis, sicut *Psalm.* 45,1,2. & *Luc.*4, *v.* 22. Vbi diserte dicitur Nazaræos admiratione permotos fuisse, ex gratiosis verbis, quæ ab ore ejus produebant. Vnde etiam illud *Ioh.*7,46. *Nemo unquam loquutus est ut iste.* Deinde quod tanta fiducia, & authoritate in hominum corruptelas invectus sit, cum Pharisæi, tanquam mancipia quædam, nunc populum, nunc Herodem, nunc Romanos metuentes, sermonem ita temperabant, ut sibi & suæ securitati consulerent; præterea, quod sermo sic ut debuit institutus, virtute & efficacia non caruit, sive ad permulcendum promissione, sive ad minis percellendum hominum animos adhibebatur.

quod illi peculiare, Vide etiam, an ex *Matth.* 5, *v.* 21. & similibus, colligi non possit, Christum in Magistrali (ut ita dicam) docendi ratione, seipsum etiam his verbis ab aliis ministris quantumvis fidis distinxisse. Atque adeo ita esse ex hoc loco patet: primo quod spiritus Christi inusitata ratione illos perculit, cum dicitur ἐξεπλήσσοντο: deinde quod eadẽ vox ἐξουσίας hic usurpatur, quæ post in miraculi editione adhibetur; ubi cum extra controversiam sit, Christum aliter ejecisse Dæmonium, quam ullos mortalium unquam fecit, imperiose scilicet: idem in doctrina usu venire effectum est; cum sit hic & istic.

in quo ab aliis Doctoribus discernitur. Ex quo illud colligitur; non tam ut *Papistis* videtur, ἀδύνατον esse populo inter Doctores internoscere, cum rudes isti Galilæi facile internoscebant, magnum discrimen fuisse inter Christi, & aliorum Doctorum prædicandi rationem. Qua autem ratione norunt discernere Christum ab aliis omnibus Doctoribus, eadem possunt internoscere Scripturas ab omnibus aliis scriptis. Vide *Ioh.* 10, 4. adversus Pontificios, qui dicunt neminem, nisi accepto prius Ecclesiæ testimonio, posse Scripturam ab Ovidii Metamorphosi distinguere.

In miraculo, quod in dæmoniaco edidit, Christi virtus dupliciter consideratur, { dæmonium invitum attrahendo, & idem ejiciendo. }

Spiritus autem *immundus* dicitur, ad distinctionem electorum Angelorum, qui mundi & puri sunt.

Admirabilis autem virtus illum attrahendo apparet, quod cum Dæmon à Christi præsentia adeo abhorreret, ne aut Dæmone agitatus fidem ex concione imbiberet, aut ipse possessione exueretur: tamen arcana Christi potentia factum est, ut vel invitum se in synagoga sisteret, & dæmoniaci pedibus eo accederet: quod quidem apertius erit ex *Marc.* 5, 6. ubi non dissimile exemplum proponitur. Alibi potentia Christi spectatur in mari, hic in ipsis infernis, alibi in piscibus, qui sicut voluntate præditi non sint, ita non coacti, aut reluctantes accesserunt; sed hoc loco major potentia Christi cernitur, qua potentissima creatura, & in Christum immortali odio conjurata, nolens & invita, & quidem sola voluntate, tanquam hamo in rictum hujus Behemoth inserto, sine ulla vi adhibita, facit. Tanquam piscator aliquis seta equina, aut tenuissimo filo cœtum ingentem è profundo maris in aridum attrahat. Vide *Iob.*1, *v.*6, *ad* 12. 1 *Reg.*22, *v.*21, 22. Quanquam illud interest, quod ibi mandata obit, quæ illi in exequendo jucunda erant; obsequium vero, quod hoc loco commemoratur, in his versatur, quæ admodum illi ingrata & injucunda sunt. Nam & venire ad Synago-

Vers. 33. *Christi virtute Dæmon ejectus;*

Synagogam, ubi Verbum proponebatur, & tacere ne in concione Christo obstreperet, & post concioni finita in Christo prædicando pergere, & exire ex dæmoniaco, grave illi fuit & permolestum.

Vers. 34. *quam ultro ipse agnoscit:* In diaboli autem ad Christum verbis, primum notandum est, cum confiteri Christi nutu & voluntate se, veluti catena quadam ferrea, teneri, eoque ut abire patiatur, eum perquam rogatum esse vult. Vbi notandum est, opus diaboli esse homines à sacris conventibus abducere. Quanquam autem nunc in plerisque illud allectamentis efficit, quod olim in paucis vi illata fecit; tamen tam hoc, quam illud diaboli opus est: eoque est hoc, quam illud deterius, quod periculosius est hominem annuentem abduci, quam retractantem asportari, & mente, & spiritu abesse: quod his accidit, qui nunc dietum absunt, quam corpore, non autem mente, quod dæmoniacis accidere potuit. Hinc est, quod alibi dicitur, dæmoniacum actum esse in montana & deserta loca & sepulchreta. *Marci* 5, 5.

qui nō immerito expellitur; Quod autem dicit, *nihil illi cum Christo commercii esse*, indicare vult, Christum ab illis minime lacessitum, illis vim inferre iniquum esse. Deinde quod indignius esset, ut illos perderet, ideo dicitur, quod *Matth.* 8, *v.*29. liquidius exprimitur, alienum scilicet videri, ut ante tempus, id est, ante ultimum judicium, eos vehementius torqueret. Ac si scelerati captivi quererentur, judices tempus præstitutum anticipare. Dicitur enim hos spiritus veluti carcere quodam teneri, ad eum usque diem, quo pœnas suæ defectionis daturi sunt. Quanquam Christus hoc modo cancellos sibi à Patre positos non transgreditur. Tametsi enim universale omnium immundorum spirituum, & ultimum exquisitissimumque supplicium in eum diem rejiciatur: tamen quo minus in certos quosdam immundos spiritus, levioribus pœnis animadverterat, nihil impedit. Vbi etiam notandum est, quod perdi se & divexari profitetur, cum sua in homines possessione cedere cogitur. Hic enim quasi infernus quidam dæmonum est, cum ex hominibus migrare à Christo jubentur, eorumque in homines dominatu exuuntur: tametsi simplicior forte sensus est, dæmonem hac ejectione, metu quodam in inferos præcipitationis correptum, hæc dixisse, sicut ex deprecatione quadam dæmonum *Luc.* 8, 28. liquido constat: quam præcipitationem non ideo solum deprecantur, quod gravius eis judicium impendere existimarunt; sed quod nollent ibi tanquam ergastulo teneri, & ab hominibus perdendis prohiberi.

cujus pœna cum homines cogitur deserere.

Adjungit, se scire, quod sit *Sanctus ille Dei*, de quo Prophetæ vaticinati fuerant: in quo proculdubio dæmon subdolus non hoc ideo loquutus est, ut Christo honorem haberet; sed ut illi fidem abrogaret, dum tam mendacis spiritus inhonesto testimonio talis esse doceretur. Hic docemur nihil a dæmonibus interrogare. Deinde noluit subito & uno momento innotescere, ne cursum conficeret, ne ingressum stadium plene decurreret, cui retardando dæmonem hæc effutivisse dubium non est. Quod tamen testimonium à mendacissimio spiritu, & immundissimo prolatum, cum nihilo minus verum erat, quod a tam immundo & vano spiritu profectum sit respuebat: discamus, non ideo veritatem Euangelii merito suspectam, quod à præconibus inhonestioribus, & pessimæ notæ hominibus promulgatur: ecquis enim est dæmone tetrior? & tamen qui hoc testimonium à Christo abhorreret, sui sanguinis reus esset. Verum quidem est istiusmodi hominum ora obturanda esse, ab his, quorum interest; sicut & Christus huic silentium imposuit: sed si hujusmodi erumpunt, aut erumpentes non cohibeantur & opprimantur, non ideo veritas repudianda est.

Quare testetur dæmon de Christo? *cujus testimonium nō admittitur;*

Hinc porro liquet non satis esse credere Christum esse Dei Filium, & veritati testimonium perhibere, cum utrumque & credere Christum esse Dei Filium & Mediatorem, & idem palam profiteri à dæmone præstitum sit.

Quanquam *quæri* potest, cur Christus simul & futuri præscius, & omnipotens, dæmonem non impedierit, ne in hunc sermonem prorumperet? *quod cur Christus tamen permiserit?*

Respondeo, ut in sequenti, & imperato illi silentio virtus Christi magis elucesceret. Tametsi enim post incondite clamarit, tamen sonum potius, quam vocem aliquam intelligibilem edidit.

Hoc autem loco notandum est, diabolum divinitatis, atque adeo mediationis & officii Christi accuratiorem notitiam percepisse, quam ullos qui in conventu essent: ne nimis nobis in nuda Euangelii notitia, sive fide, aut praxi placeamus.

Quod exclamans Dæmon hominem discerpsit, & in medium humi projecit, docet, non tantum quam invite & reluctanter loco Vers. 35. *Dæmonis recessus ex corporis*

 suo

dæmoniaci jactatione; suo cessit, sed simul etiam malignum spiritum fugam jam arripientem, sæpe magis quam unquam ante furenter sævire; rugienti enim, & famelico leoni, cum Leo ex tribu Judæ prædam è faucibus eripuit, quin exulceratissimus fuerit, fieri nequit. Quemadmodum enim ædium ingratus conductor & avarus, absolutæ locationis tempore, omnia quæ potest corradit, & locatori quam minimum relinquit: vel potius veluti hostis castra moturus, & recedere coactus, omnia quoad datur pervastat, & depopulatur, ne quid inde commodi capiat, qui illum subsequitur hostis; sic &c. Quamobrem mirum nobis videri non debet, si Euangelii præconio diabolus ab hominum mentibus, & voluntate exire jussus, turbas sæpe det in Rebuspublicis. Idem etiam in individuis hominibus sæpissime usu venit, ut eos tum maxime peccatorum conscientia diabolus cruentet, cum Deus illos ex ejus tyrannide asserit.

qua tamen ei non nocuit. Additur ei nihil nocuisse toto hoc conatu suo dæmonem, unde discerptionem illam non fuisse membrorum ab invicem, aut distractionem, aut divulsionem apparet; sed tantum discerpendi conatum, & corporis huc illuc jactationem, quod nos proprio linguæ nostræ vocabulo (*tovvsinge*) appellamus. Etiam videtur fuisse quædam membrorum distortio & luxatio, quam immundi spiritus sæpe in corporibus effecisse dignoscuntur, quæ ilico ad justam & consuetam membrorum concinnitatem redit. In quo iterum Christi potentia evidenter & clare conspicitur, quæ misellum homuncionem tanta ex violentia, intactum servavit & incolumem. Quæ Christi potentia non minus, atque adeo magis in animis nostris, à peccati & diaboli tyrannide asserendis, perspicitur. Nam à Diabolo peccatorum nostrorum conscientia gravissime appetiti, id à Christo patrocinii consequimur, quo non tantum illæsi & inviolati, sed etiam adversus eorundem stimulos tecti magis, & tuti perstamus. Tam enim gravem adversarii impressionem sustinentes, cum ejus ad pugnandum studium nonnihil frangimus, aut retardamus, tum nostram ad congrediendum (cum opus sit) fiduciam, & alacritatem accendimus.

Superest hujus miraculi fructus, qui aliquis, sed minime tamen ad salutem obtinendam idoneus, ab Euangelista percensetur. Est autem primus hic fructus, quod admiratione permoti sunt, de qua prius dictum est. *Vers. 36. Ex hoc miraculo admiratio orta,* Alter fructus, quod miraculum tanquam sigillum diplomati, aut tabulis, doctrinæ præcedenti apponunt: oportere enim recte existimarunt doctrinam novam & insolitam, tantis & tam insolentibus miraculis obsignari. Non quod diversa doctrina fuerit ab illa, quæ olim Synagogis personavit, sed quod ratione & modo quodam nova foret; quo modo Novum Testamentum à Veteri distinguitur. A nobis igitur, cum nullam novam doctrinam proponimus, nullo jure miracula exigantur. Tametsi miracula non sunt semper firmissimum veritatis testimonium. vide *Deut.* 13, 1, 2. Quamobrem ad legem recurrendum est. *Esa.* 8, 20. Tertio, *& Christi potentia celebrata,* Christi potentiam ita expendunt, ut illum facile ab omnibus vel sanctissimis Prophetis distinguant, hoc ipso, quod potentissimis & maxime refractariis spiritibus, imperiose & herili plane imperio mandata, quibus hi cedere coacti sunt, dedit: quod nulli unquam mortalium obtigit, qui tametsi non minora Christo gesserant, illa tamen precibus, & ascititia, non sua authoritate fecerunt. Sicut enim θαυματοποιοῖς cum Prophetis Dei compositis, illustre quoddam discrimen attentis & consultis hominibus semper animadversum est; ita etiam inter Christum & legitimos ministros, ex hac parte, satis magna dissimilitudo est.

Vers. 37. & rumor divulgatus. Postremo, dicitur hoc miraculo famam Christi ad alia loca percrebuisse: quæ fructum proculdubio æternum ex eo perceperunt; tametsi illud oppidum fructum non perciperet: quod etiam ministros erigat, quibus greges refractarii obtigerunt; doctrinæ fructum ad vicina oppida, & vicos sæpe dimanare.

LUC. *Cap.* 4. *à vers.* 38. *ad finem Capit.*

38 Egressus autem IESUS è Synagoga, introivit domum Simonis: socrus vero Simonis detinebatur febri magna: & rogaverunt eum pro illa.

39 Tunc ipse *adstans supra eam, objurgavit febrim: &* febris *eam dimisit.* illa *vero quum ilico surrexisset, ministravit eis.*

40 Occidente autem sole, omnes qui habebant infirmos morbis variis, ducebant

bant ipsos ad eum, ille vero unicuique ipsorum impositis manibus, sanavit eos.

41 *Exibant autem etiam dæmonia ex multis, clamantia ac dicentia; Certe ut es Christus ille Filius ille Dei. Sed ipse objurgans non sinebat ea loqui, quod scirent ipsum esse Christum illum.*

42 *Orto autem die egressus profectus est in desertum locum, & turba quærebat eum, veneruntque usque ad ipsum, & retinebant eum ne ab ipsis discederet.*

43 *Ille vero dixit eis; Certe etiam aliis urbibus oportet me euangelizare regnum Dei: nam ad hoc missus sum.*

44 *Et prædicabat in Synagogis Galilææ.*

MARC. *cap.* I. *à vers.* 29. *ad* 40.

29 *Et statim è Synagoga egressi, venerunt domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Iohanne.*

30 *Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & statim dicunt ei de illa.*

31 *Tunc accedens erexit eam prehensa manu ejus: & dimisit eam febris statim, & ministravit eis.*

32 *Quum autem serum diei esset, occidente sole, adducebant ad eum omnes male affectos & dæmoniacos.*

33 *Et civitas tota coacta erat ad ostium.*

34 *Et sanavit multos male affectos variis morbis: & dæmonia multa ejecit, & non sinebat dicere dæmonia quod ipsum nossent.*

35 *Et mane, valde multa nocte quum surrexisset, exiit, & abiit in desertum locum, & illic precabatur.*

36 *Et prosequuti sunt eum Simon & qui cum ipso erant.*

37 *Et quum invenissent eum, dicunt ei, Omnes te quærunt.*

38 *Tunc dicit eis, Eamus in contingua opidula, ut & illic prædicem; ad hoc enim sum egressus.*

39 *Et prædicabat in Synagogis eorum in tota Galilæa: & dæmonia ejiciebat.*

ANALYSIS.

NArratur effectus Christi post concionem finitam & ejectum dæmonium; nempe egressus ex Synagoga: post aliud effectum Christi profectio ad domum, quæ domus adjuncto *Petri* & *Andreæ* notatur; Christus etiam suo adjuncto designatur, comitatu scilicet *Iacobi* & *Iohannis*. Deinde describitur mulier primum ex relatione, quod esset socrus *Petri*: deinde ab adjuncto morbo ex quo decumbebat, post à forma morbi, scilicet febri; post ejusdem curatio describitur, primum ab efficiente minus principali precibus, quæ suo subjecto declarantur, domesticis.

*Vers.*39. Deinde Christus principalis causa curationis notatur, post aliæ causæ adjuvantes, ut quod in decumbentem se inclinavit, 2. quod illam manu prehendit, 3. quod febrem increpavit. Effectum autem sanationis indicatur, quod surrexit febricitans, 2. quod ministravit & familiæ munera obivit, maxime mensam instruendo, quæ utraque effecta amplificantur adjuncto temporis, nempe è vestigio.

*Vers.*40. Narratur quomodo Christus multos sanavit; quæ sanatio describitur adjuncto temporis, post solis occasum, quod tum sabbathum Iudæorum clauderetur: deinde declaratur subjecto infinito, scilicet variis malis affecti. Adjuvans causa efficiens declaratur, hi qui illos deducebant & deportabant; qui adjuncto numero amplificantur, viz. tota civitas, & subjecto loco notatur, nempe ad portam ædium *Petri* & *Andreæ*. Deinde instrumentum sanationis notatur, quod scilicet manus singulis laborantibus imposuit.

*Vers.*41. Subjectum finitum notatur, dæmoniis exagitati. Cujus sanationis effectum est, quod dæmones clamabant, 2. effectum, loquebantur; deinde forma sermonis attexitur, cujus sermonis effectum est Christi interminatio ne loqui pergerent. Interminationis causa subjicitur, quod Christum norant dæmones.

*Vers.*42. Narratur Christi in desertum profectio ex illis ædibus, primo adjuncto temporis, scilicet postridie; deinde adjuncto temporis magis proprio, valde mane cum nox non penitus depulsa esset; finis etiam notatur apud *Marcum*, ut Deum precaretur: cujus profectionis effectum, quod discipuli Christum prosequuti sunt; cujus prosequutionis finis notatur, ut illi significarent populum illum quærere: aliud effectum notatur, quod populus ad il-

ad illum inventum accedebant, quod suo fine etiam declaratur, ut illum apud se & suam Capernai urbem detinerent.

*Vers.*43. Hujus detinendi cupiditatis effectum erat, quod Christus hoc illis denegat. Quod argumento à disparatis probat, non illis tantum se addicere oportere, cum & aliis urbibus & oppidis illi prædicandum sit: cujus efficientem causam assignat, quod ad hoc sit à Deo missus.

*Vers.*44. Effectum Christi responsum notatur, nempe eum aliis Synagogis, præterquam in Synagoga Capernai, Euangelium promulgasse.

METAPHRASIS.

38. *Concione finita, & doctrina dæmonii ejectione obsignata, statim Iesus è Synagoga egressus; una cum* Iacobo *&* Iohanne *domum* Petri *&* Andreæ *ingressus est, ut hospitio exceptus apud illos cœna sumpta pernoctaret; utcumque enim ex Bethsaida oriundi essent, Capernai tamen sedes suas fuisse & hic & alibi constat. Ibi tum (ut fit)* Petri *socrus,*
39. *ardente febri detenta decumbebat; quod cum Christo ilico ab adventu indicassent, & simul ut eam sanaret, illum supplices rogassent, illam accedit, & inclinato super illam corpore, prehensaque manu, febri demque ut fugam arriperet, imperata, haud secus quam si sensu & intelligentia ad obsequium domino præstandum prædita fuisset, eam è lecto erexit. Illa extemplo è lecto excitata, eodem temporis articulo ita plene convaluit, ut (morbo fugato, viribus pristinis restitutis, & quidem nativo (ut videtur) colore revocato) omnia matronæ in familia officia, illa præsertim quæ ad cœnam parandam spectabant, sedulo & prompte obiret.*

40. *Cum autem fama hujus miraculi ad civium aures percrebuisset; & simul sol occubuisset, cujus occasu Iudæorum Sabbatum conclusum & definitum est, omnes qui prius superstitiosa observatione impediti, suos variis flagellis cruentatos domi retinebant, eosdem certatim ex omnibus civitatis partibus ad Iesum adduxerunt. Nec hi modo qui domi afflictos habebant, sed tota fere civitas ad portam domus* Petri *&* Andreæ, *tanquam ad civitatis oraculum, confluebant: Iesus vero manibus, tanquam benedictionis signo, singulis*
41. *impositis, omnes sanitati restituit. E plerisque vero dæmonia vi adacta exierunt, quæ formidabiles clamores ediderunt, simul palam profitebantur Iesum esse Christum Dei Filium. Quibus Iesus, additis minis, imperavit ne de suo loqui pergerent, quod se illis probe notum intelligeret.*
42. *Postero mane, cum tenebræ vix dum discussæ essent, surgens in desertum locum se recepit, ut precibus operam navaret, cum gratias agendo ob fœlicem Ministerii successum, tum postulata nova instituendo, ut insequutura mox prædicationi benediceret.* Simon *vero cum aliis domesticis Christi discipulis, illum prosecuti eum invenerunt, & illi se ab omnibus Capernaitis quæri renunciarunt. Quo nuncio accepto, ilico ipsi Capernaitæ ad eum venientes, illum apud se retinere voluerunt. Ad quos* 43.
Iesus; mihi incumbit in aliis itidem civitatibus Euangelium Dei prædicare, quandoquidem hoc ut faciam à Patre missus sum. Quamob- 44.
rem verbi præconio in singulis Galilææ Synagogis assiduus, doctrinam suam dæmoniorum ejectione obsignabat.

PRAXIS.

Christus multos varie divexatos in oppido Petri & Andreæ sanans, seipsum ad Euangelii, in circumjacentibus vicis & civitatibus, prædicationem contentis precibus munit.

Cujus *partes* sunt { Divexatorum curatio, & Ad Euangelium ulterius disseminandum Christi præparatio.

In divexatorum curatione { Vna præcise & specialius narratur: Reliquæ infinite, & magis confuse indicantur.

In Petri socrus curatione notatur, primum, Christum pastus & cibi causa ad Petri ædes concessisse; fierique potest Christum (ut post à Matthæo factum est) idcirco à duobus istis fratribus invitatum esse, ut suam erga Christum, qui eos ad se sequendum delegisset, gratitudinem testarentur. Christus vero non gravate, se confert. Quo perspicitur Petrum & Andream, ex Bethsaida dictos *Ioh.*1,45. in Capernao habitasse, oriundi igitur, ut videtur, ex Bethsaida, in Capernao habitabant. Tametsi autem probe sciret, in domo piscatorum mensam illi non quam alibi lautam instrui: tamen quia se ab illis intime amari sciret, vel eos se unice potius diligere (aliis exquisitioribus mensis & hospitiis præteritis) ad eos divertit, & suam erga eos charitatem magis testatam reddidit. Si quis enim depositæ inimicitiæ specimen, & argumentum edere velit, nullum efficacius videtur declarare posse, quam si eum vel ad mensam invitet, vel ab eo invitatus, ad ejus se mensam adhiberi patiatur, quocũ inimicitias exercuit. Vide *Apoc.*3,20. vide

Vers. 38. *Christus cœnandi causa Petri ædes ingreditur,*

vide historiam *Gen.* 26, 30. Hoc utrunque hodie à nobis præstari potest: quomodo enim Christus ipse a nobis hospitio accipitur, docetur, *Cant.* 5, 1, *v.* 2. quomodo etiam nos Christus ad Cœnam, & in Verbo & in Sacramentis invitat, vide *Proverb.* 9, *v.* 3, 4, 5. *Matth.* 22, 2, 3, 4.

ibique Petri socrum sanat: Hanc vero grati animi testificationem non tantum in ipsis fratribus, sed in eorum etiam necessariis, atque adeo in concivibus, Christus prolixe remuneratur. Nam Petri socrum graviter laborantem sanitati restituit. In qua sananda primum observandum est, illam, aliorum precibus intervenientibus, sanatam esse. Ea enim erga suos effusa largitione utitur Christus, ut non tantum pro se, sed & pro his, qui eos attingunt, eximia dona auferant. Sic cum Abrahamo initum fœdus est, Deum ab illis fore, qui pro Abrahamo starent; ut in Loto visum est, Abrahæ nepote. Quæ Christi munificentia eo amplificatur, quod totius terræ ex asse hæres & dominus, micam, quæ sua erat, tam largiter compensat.

Vers. 39. *quare externas actiones co adhibuerit?* Quod vero illam sanaturus eam accedat, & manu prehendat, id facit ut eorum se fidei accommodaret, qui nondum eo adoleverat, aut id roboris acceperat, ut illud absentem, & intacta febricitante, Christum præstare potuisse, in animum sibi induxissent. In quo videmus, quam benigne nobiscum agat, cui tametsi via ad gloriæ suæ declarationem compendiosior videri poterat, hanc fœminam solo verbo pristinæ sanitati restituere: tamen tantundem a sua gloria devium hoc ducit, quoad à nostra salute alienus videri possit. Hoc Christi exemplo taxantur hi, qui in Eleëmosynis suis erogandis, eam viam ineunt, quæ eorum gloriæ, non quæ pauperibus reficiendis aptissima est. In quo genere sunt, qui suas eleëmosynas ad portam omnibus, sine delectu, prostituunt. Item qui certis anni temporibus omnibus advenis, sine discrimine, fores reserant; cum major benignitas esset aliquid ad domos pauperum, qui pudore suffusi domi suæ in summa egestate desident, transmittere. Quanquam re ipsa hoc gloriæ Christi non magis detrahit, quam patrifamilias munificentiæ laus deciditur, quod in familia sua ciborum omne genus copia, non tantum robustis solidus cibus, sed & infantibus lac, & ægrotis medicamenta suppetant. Hinc videmus Petrum, ad summum ministerii fastigium elatum, maritum fuisse, & post susceptum ministerium, uxorem secum circumduxisse, 1 *Cor.* 9, 5. contra cælibatum *Pontificium.*

Quod autem sanitati restituta, statim domestica & matronalia in ædibus officia obit, totam domum circumit, quæ ante decumbebat, aliis ministrabat, cui prius ab aliis ministerium præstitum est: eo declaratur admirabilis Christi potentia, quæ non paulatim (ut fit) sed subito & uno momento, non valetudini tantum, sed viribus etiam & colori eam restituit. Ideo enim ministrasse dicitur, ut intelligatur eam plene & integre sanatam esse. Ex quo illud colligitur, inchoatam hanc illorum fidem & mancam, non minutulum à Christo beneficium obtinuisse, sed absolutum, & omnibus suis numeris perfectum, quod ad fidem æternam salutem credentem, transferri debet & potest: tametsi enim mille infirmitatibus implicita & impedita fides sit; tamen modo syncera & vera sit, totum justitiæ Christi assem acquirit. Cujus quidem ratio est, quod justitia Christi non fidei merito confertur; fides enim nunquam perficitur, ut charitas, sed semper inchoata manet; quia hujus vitæ spatiis, in qua nihil perfectum & accuratum est, definitur. *Quod statim illa ministraverit Christi potentia arguitur,*

Deinde, quod ministeria familiæ obivit, id mirifice Christi gloriam omnibus convivis declarabat: quod nobis documento sit, ut per Christum liberati ejus gloriam vitæ integritate, & laudibus illustremus: qui nos è tenebrarum potestate, in admirabilem suam lucem vindicavit. *& gloria declaratur.*

Hujus miraculi fama egressa Simonis & Andreæ ædibus, ad reliquos illius oppidi concives pervenit; qui suos partim ægrotos, partim dæmoniacos vesperi adductos, domum curatos & liberatos educebant. In quo, quod vesperi hoc factum fuisse dicitur, ad pudorem, quo seu divexati, seu eorum parentes & amici, ex morborum & dæmoniorum agitationis turpitudine, suffusi sunt, referendum videtur. Hæc causa fuit, quæ sanguinis fluxu laborantem fœminam impulit, ut clam homines, sanitatem surripere conata sit, propter morbi fœditatem. Est enim in certis morbis turpitudo quædam, quæ his detentos rubore afficit, ut hoc modo facilius ad pudorem ex peccato, pudendi illius morbi causa, adigantur. Magna enim perversitas est pudore morbi duci, nullo autem rubore ex admisso peccato affici: id est, vereri hominum oculis visendum exhibere quod illis ingratum sit, non vereri Dei in conspe- Vers. 40. *Cur vesperi ægrotos ad Christū adduxerint?*

conspectum afferre, quod illi exosum & ingratum est; tanquam fur stigmatis, & in manu cauterii rubore duceretur, cum nulla ex furto verecundia afficitur.

ex eo etiam Christi benignitas augetur; Quod Christus eorum à gloriæ suæ compendio alienior videretur, cujus meridie potius ista fieri intererat, superius indicatam Christi benignitatem & mansuetudinem confirmat: quod nobis exemplo sit, majoris in aliorum salute, quam nostri gloria, curæ suscipiendæ. Hoc ideo factum est, quod Sabbathum, vesperi appetente, absolutum & finitum erat: unde campus dicendi datur contra nostram Sabbathi prophanationem; qui multo sumus hac parte deteriores quam Iudæi, in Sabbatho observando superstitiosi.

& benefaciendi studium arguitur. Deinde tametsi tempus quieti opportunius esset, quam sanationi: tamen suum etiam requiescendi tempus, sicut ante comedendi, hominum commodis condonare voluit, sive in agro, sive in urbe, sive in Synagogis, sive in privatis ædibus, sive interdiu, sive vesperi, semper omnes benefaciendi ansas & opportunitates vel sponte captabat, vel oblatas admisit. Quo eodem hominibus benefaciendi studio perpetuo & nunc in cœlis cum teneatur, prompti & alacres eum accedamus, certi fore, ut nunc non minus, quam olim, nos nostris malis sit liberaturus; tanto etiam magis, quod omnibus infirmitatibus exutus, sine ulla corporis tuendi, & valetudinis cura, nobis penitus vacare potest. Si enim importunitate à vicino nobis necessaria impetramus, cum illi inde damnum accidit, multo magis à Christo amico ea obtinebimus, qui omnia, sine minimo ipsius dispendio, largiri potest. Vide *Luc.* 11, 5, *ad* 9.

Nobilitatæ hinc ædes Simonis. Quod apud *Marcum* dicitur, totam civitatẽ ad portam ædicularum Simonis & Andreæ aggregatam, eam familiam valde nobilitavit; quæ tametsi obscura casa aut tugurium erat, tamen plus amplitudinis ei adjunctum est, quam augustissimæ in universo mundo aulæ; utpote ad quorum januam plus ex regia munificentia uno vesperi erogatum est, quam in omnibus omnium imperatorum palatiis. Ipsum tantum honorantes, honore afficit Christus. Vide 1 *Sam* 2, 30.

Quod vero dæmones loqui passus non est, notandum est quam perverse faciunt, qui cum dæmonibus communicant, & illos consulunt. Christus enim ne veritatem quidem ab illis disci patitur, quamvis certissime & summe necessariam. Nam præterquam quod sæpe mentitur, etiam tum periculosissime fallit & nocet, cum vera dicit; ut ex priore exemplo visum, & quidem τὸ γνῶζον ab illis peti non patiatur Christus: quanto minus quod arcanum & occultum est, & quod celari Deus vult. Estque meræ proditionis certissimum indicium, si quis aliquem ex suis videat, concilia clam cum hoste captantem, aut in ejus aurem insusurrantem. *Vers. 41. Ex dæmonum loquela prohibita illi non consulendi.*

In altera parte de Christi precibus quibus cum Patri de acceptis beneficiis, & felici ministerii successu gratias agit, tum se ad Euangelii prædicationem accingit, notandum primum est; quod ædibus seu cubiculo excedens, solitudinem captavit, id fecit, partim ne interpellaretur ab accurrentibus, ut ex *Marc.* 1, 36, 37. constat; partim ut liberius suo Patri petitiones exponeret, & majore animi contentione: quæ quoniam sæpe vehementiores etiam vocis sonitus peperit, ideo ne quid indecore fieret solitarium locum quæsivit, ob eamque causam sæpius ad hortum quendam concessit, ubi illum traditor Iudas offendit. Quanquam igitur locus privatæ orationis *Matth.* 6, 6. conclave indicatur; non tamen idcirco prohibemur, &c. vide Isaci exemplum, qui in agrum precum causa exiisse dicitur. *Gen.* 24, 63. Petri, qui in summo tecto oravit. *Act.* 10, 9. Suo autem exemplo precandi, non tantum docuit, quam sollicite Ministri suos Deo labores commendare debent, sed etiam quanta cura auditoribus Deus comprecandus sit, ut & Ministri dextre doceant, & ipsi fructuose audiant; cum cæteroquin sine spiritus irrigatione, non modo non prosit, sed plurimum illis obsit. *Vers. 42, &c. Christi in deserto preces quare institutæ?*

Quod Capernaitæ homines, qui post deploratissimi evaserunt, tam studiose Christum retinere voluerunt, eumque tam sollicite prosequuti sint, postquam ex gratia Christi degustassent: nos cautos & sollicitos faciat, ne præclaris initiis acquiescentes, post in Euangelii professione remissi, refrigeamus. *Cum Capernaitis non refrigendum.*

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 1. *ad* 13.

QVum vidisset autem turbam, ascendit in montem: & quum consedisset, adierunt eum discipuli ejus.*

2 Tunc

2 *Tunc aperto ore suo docebat eos, dicens.*

3 *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

4 *Beati qui lugent: quoniam ipsi solamen recipient.*

5 *Beati qui sunt mites: quoniam ipsi terram hæreditario jure obtinebunt.*

6 *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.*

7 *Beati qui sunt misericordes: quoniam ipsis misericordia tribuetur.*

8 *Beati qui sunt mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*

9 *Beati qui sunt pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.*

10 *Beati quos persequuntur* homines *justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

11 *Beati eritis quum vos conviciis affecerint, & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me.*

12 *Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cœlis. ita enim persequuti fuerunt Prophetas qui* fuerunt *ante vos.*

ANALYSIS.

CHRISTI concionis causa efficiens assignatur, populi ad se aggregati intuitus, & discipulorum ad se adventus: quæ etiam concio describitur à subjecto loci monte, scilicet quem ascendit: subjectum vero circa quod, sunt turba, & discipuli, qui illum accedebant, adjuncta sessione.

Vers. 2. Alia causa efficiens concionis est, oris sacri apertio.

Vers. 3. Materia concionis est, descriptio beatitudinum Christiani hominis, quæ suis partibus explicatur: prima beatitudo est paupertas, quæ suo subjecto spiritus explicatur, quo distinguitur à paupertate externa; quæ suo effecto declaratur, regni cœlorum consequutione.

Vers. 4. Secunda beatitudo est mæror animi, qui suo item effecto arguitur, consolatione.

Vers. 5. Tertia est mansuetudo, quæ suo adjuncto hæreditariæ possessionis terræ arguitur.

Vers. 6. Quarta est desiderium Iustitiæ, quæ illustratur similitudine sitis & famis, & suo effecto arguitur consequutionis justitiæ; quæ etiam comparata similitudine satietatis, & saturitatis illustratur.

Vers. 7. Quinta est misericordia erga mortales, quæ suo adjuncto arguitur, misericordiam cum apud Deum tum apud homines consequendi.

Vers. 8. Sexta est munditties cordis, quæ arguitur adjuncto Deum cognoscendi; quæ cognitio visionis similitudine illustratur.

Vers. 9. Septima est studium pacis, quod suo adjuncto arguitur, filiorum Dei appellatione, cum re consequenda conjuncta.

Vers. 10. Octava est persequutionis perpessio, quæ primum sua efficiente causa explicatur justitiæ, deinde adjuncto consequendi regnum cœlorum arguitur.

Vers. 11. Nona est probri & convitiorum perpessio, quæ suo adjuncto falsitatis explicatur: deinde causa impulsiva seu efficiente, studio Christi & Euangelii declaratur.

Vers. 12. Post suo adjuncto gaudio & exultatione, quæ sua causa arguitur, quia merces magna illis in cœlis reponitur; quod etiam à paribus illustratur, nempe Prophetarum perpessione ob consimilem causam.

METAPHRASIS.

Christus turba illa, de qua supra dictum est, conspecta & lustrata, ilico montem ascendit, & pro docentium more considentem discipuli ejus accesserunt. 1.
Quamobrem Christus singulari animi alacritate ob spem uberioris messis, & vocis contentione, ut ab omnibus exaudiretur, cum discipulos tum turbam, Euangelium ad eum qui sequitur modum docuit. 2.
O beatos omnes qui sibi sua pravitatis cōscii se bonis omnibus exhaustos, malis vero obrutos & onustos serio animi sensu percelluntur; quod istiusmodi hominibus regnum Dei, quo bonis omnibus locupletandi sunt, destinatum sit. 3.
Beati & hi sunt (utut mundus illos miseros reputat) qui suam illam ex peccato & pœna illi debita mendicitatem lugent, quia ad eos consolationes ex gratuita Dei promissione, de peccatorum remissione provenientes, jure spectant. 4.
Beati mansueti qui illatas sibi injurias non ulciscuntur: ut qui non tantum cœlestis regni participes sunt, sed (contra quam vulgo creditur) hic etiam in terris placide & tranquille agunt, ne illi soli terræ hæredes jure habendi sint. 5.
Beati sunt qui studio justitiæ ita ducuntur, ut illam non minus persequantur, quam cibum famelici, aut potum sitibundi; quandoquidem Deus auctis indies justitiæ fructibus, tandem vitæ suæ exspiratione illos ita saturabit, ut deinceps quod amplius præoptent non suppetet. 6.
Beati justi qui aliorum malis ita condolent, ut illis pro virili subvenire parati sint: nam iidem illi cum ab hominibus ubi usus fuerit, tum à Deo, cum maxime illorum intererit, misericordiam consequentur. 7.

8. *Beati sunt quibus animus est syncerus, & hypocriseos involucris exutus: nam hi tanquam velo dissecto Deum hic quod datur, post hanc vitam perfecte, ac si oculis intuerentur, co-*
9. *gnoscent. Beati sunt qui paci student ad eum modum, ut nec ipsi cum aliis simultates exerceant, & alios dissentientes & inter se distractos conciliare operam navant: quia Dei (qui Filio suo, ut mundum cum sibi tum secum ipso reconciliet, non pepercit) filii ab omnibus*
10. *agnoscentur. Beati sunt qui justitiæ causa persequutionem patiuntur, quia his perpessionibus sibi regni cœlorum, olim suo tempore possidendi, tam indubitatum testimonium colligunt, ac si eo in præsentiarum fruerentur.*
11. *Denique beati estis cum jactis in vos probris vos persequuti fuerint, & omnis generis convitia in vos congesserint, dummodo nulla vestra culpa hoc fiat: tum vero hæc beatitas auctior est, cum mea causa hæc omnia vobis ob-*
12. *venient. Lætamini, atque adeo exultate, quia utcunque hic in terra malis afficimini, in cœlis tamen merces longe amplissima vos manet. Nec vero anxios vos habeat, ac si vestræ naturæ perversitate provocati tam sint in vos, magis quam in alios contumeliosi; sic enim Prophetas, qui vos intercesserunt, insectati sunt.*

Summa *est Christum studio docendi, ex frequentia auditorum, maxime discipulorum, commotum, hominis beatitatem, contra quam humanum judicium ferat, describere.*

PRAXIS.

Generatim de fœlicitate Christiani hominis edisserens, sigillatim illud ad Apostolos accommodat. Summa est, Christum studio docendi ex frequentia auditorum, maxime discipulorum, commotum: hominum beatitatem, contra quam humanum judicium fert, describere.

Partes sunt Christi { Ad docendum præparatio, & Doctrina de hominis vera beatitate.

In *posteriore parte* considerantur quæ beatum hominem { præcedunt, ad Christianum instituendum, & subsequuntur, ad Christiani hominis declarationem.

Vers. 1, &c. *Beatitudo a Dei æstimatione metienda.* Christus, quo suos in fide & bonis operibus confirmaret, utcumque à mundo damnatos, & in miserorum numero habitos, perbeatos pronunciat. Quamobrem in causa fœlicitatis animum, non ad miseros & infœlices homines, quid illi sentiunt; sed ad beatum Deum, quid ipse statuat advertamus, & ad illius incorruptum judicium aliorum omnium sententias exigamus. Primo, inquit, beati prædicantur omnes, qui spiritu pauperes sunt: id est, qui suam bonorum omnium inopiam, inanitatem, seu mendicitatem: sicut contra omnis generis pravitatem, & perversitatem in seipsis cumulatam & confertam sentiunt: qui nihil boni in carne sua residere agnoscunt: qui se, quanti quanti sunt, nihil nisi corpus quoddam, seu peccati massam profitentur: denique in se justitia nudos, vitiis omnibus coopertos agnoscunt. Hic locus eximie illustratur *Apo.*3,17. *Vidisti virum sapientem in oculis ejus, spes est melior de stulto, quam de illo. Prov.*26,12. Quod si odiosum hominibus sit, videre pauperem, & eundem superbum; non minus certe odiosum est coram Deo, si quis malis oppletus, & bonis vacuus omnibus, de suis meritis & facinoribus glorietur. *Quinã sint pauperes spiritu?*

Hanc beatitudinem arguit ab adjuncto regno cælorum, quo tanquam immenso thesauro ditantur hi, qui spiritu pauperes sunt. Vide *Prov.*18,12. item illud *qui se humiliat, extolletur, Matth.* 18,4. sicut contra &c. qui enim suam mendicitatem, nuditatẽ, deformitatem, cæcitatem agnoscit, & vere sentit, is ilico ad studium, & investigationem contrariam quærendi excitatur. vide *Apoc.* 3,18. Compendiosissima igitur ad cœlos via est, si prius nos ipsos damnando, veluti ad inferos detrudamus, ut vestes justitiæ consequamur, nos in nudorum censum dimittere; ut cibum nobis reficiendis idoneum nanciscamur, nosmet famelicos & inanes profiteri. Quo enim demissius in nostræ indignitatis sensu descendimus, tanto nos magis Deus evehet. Nec vero tantum regnum consequuturos, sed jam consequutos docet. Spe enim certa illud jam possident. *Qui regnum cælorum sunt adepturi.*

Vers. 4. *Quinam sint vere lugentes?* Altera beatitudo est eorum, qui hanc suam paupertatem lugent, & deflent; ut sensum indignitatis nostræ dolor gravis excipiat. Si enim externa paupertas sit spiritus contritio (ut est in proverbio) quanto magis spiritualis hæc paupertas & mendicitas. Et quidem externæ paupertatis sensu nimium dejicimur, ut eodem proverbio; sed interna paupertate ne gry quidem conturbamur: quod tamen fieri oportuit, maxime cum ex summa opulentia & bonorum omnium abundantia, nostro vitio in hanc mendicitatem deciderimus. Est enim illorum paupertas gravior & odiosior, qui rebus aliquando melioribus perfruiti

perfruiti sunt. Neque enim hoc loco omnis mœror nobis commendatur, sed qui cum pœnitudine conjunctus est. 2 *Cor*.7,10. Est enim quoddam genus hominum, qui sibi in sua mendicitate placent; nec eam conditionem libenter cum meliori commutarent. Complectitur etiam hæc beatitudo eos, qui ex castigatione, peccatorum nomine, mœrent; dummodo eam æque & patienter ferant. Iudicium igitur de proprio luctu, seu nostro, seu alieno ad istam Servatoris sententiam exigamus: & hoc ipso tristitiam consolemur, quod à Christo beatam duci intelligimus. Neque hic judicium nostrum ad rei eventum suspensum teneamus. Quicquid enim accidit, pro judicato habendum est, beatos nos esse.

In quibus eorum consolatio consistat? Eventum vero lætum fore docet, quod consolationem accipient, luctus eorum in lætitiam convertetur, lachrymæ in risum, saccus in sericum, cineres in corollas & unguentum, jejunium in epulum, manuum detortio in applausum. Hoc nos docet vicissitudo lucis & tenebrarum; hyemis & æstatis; autumni & veris, tum sabbathi institutio. Ne metuamus, ne hinc nobis quid damni accedat, aut ne hic dolor, ossa nostra desiccans, exstinguat vitam: promissionum enim dulcedo nos fovet, & dolores ita macerat, ut faciles ferendo sint. Præterquam quod tempus adveniet, cum malis, in quibus versamur, penitus expediemur, & eorum loco bona reponentur, eaque pro numero & mensura afflictionum quæ nos exercuerunt, 2 *Cor*.1,4,5,10. & *Psalm*.94,13,14. imo vero pro semente lachrymarum, manipulos reportabimus; & momentanea afflictio pondus æternæ lætitiæ affert, 2 *Cor*.4,17. Quod tametsi in futuro seculo perficitur, tamen hoc seculo inchoatur. Cujus consolationis nobis & nostra opera Deus uti vult, in solandis afflictis. Christus enim ad consolandum afflictos missus, *Esa*. 61,1. has partes Ministris cumprimis, & aliis piis dedit. Et hæc quidem quæ beatitatem præcedunt.

Eorum quæ subsequuntur { hæc beato inhærent, & illi beatum sistunt.

Vers. 5. *Vera mansuetudo in quibus consistat?* Tertia beatitudo est eorum, qui mites & mansueti sunt: quæ virtus ex nostri spiritus paupertate promanat; nostræ enim vilitatis, & abjectæ conditionis consideratio, nos facile ad facilitatem & mansuetudinem erga fratres erudit: ut probra & injurias æque ferentes, nos ipsos non ulciscamur. Nam propriæ indignitatis sensus, & nostrorum in Deum atrocissimorum peccatorum commentatio, nos commonefaciunt, ne leves injurias à fratribus illatas persequamur, & talenta, quibus Deo obstricti tenemur, nos flectant oportet, ne minuta nostra tam severe exigamus. Qui igitur minima de causa excandescunt, & ad vindictam prosiliunt, eos promptum est, nulla aut perexigua peccatorum suorum conscientia deprimi. Hoc Davidem in Simei æquiorem facit, ut illi vitam suam condonarit, tametsi capitaliter in eum deliquisset. Pondus enim propriæ iniquitatis eos ita deprimit, ne se facile adversus fratres attollant, reatus ora nostra obturat, ne illa adversus eos tantopere laxemus. Nec certe plurimum de Dei erga se misericordiam polliceri possunt, qui ad ulciscendum tam paratos animos gerunt; vide quam hoc pugnet cum judicio humano.

Arguitur hæc fœlicitas ab adjuncta terræ hæreditate. Alludit autem ad locum *Psal*. 37,10,11. ubi docetur impios subito perire, & quidem radicitus extirpari; mansuetos vero superstites esse, & vitam suam ad extremam senectam proferre: idem 1 *Petr*. 3,9, 10,11. Qui enim manum suam in quemvis effert, in eum etiam omnes manum suam injiciunt: qui autem iniquorum furori concedit, is etiam improborum & obduratorum animos emollit: unde etiam quærit, quis sit, qui illis nocere velit, qui benigni sunt; tanquam diceret monstrum esse, & non tantum pietate destitui, sed omnem etiam humanitatem exuisse. Longe igitur secus est, quam homines existimant: qui putant brevissimum & expeditissimum iter ad quietem esse, si injurias suas probe ulciscantur; & si sint tanquam Lamechus ille. vide locū *Gen*.4. Hujus etiam promissi veritatis exemplar in Moyse habemus: qui cum omnium qui in terris erant mansuetissimus fuerit, & longam & vegetam ætatem egit. *Deut*.34. *quæ longævitatem secum trahit.*

Vers. 6. *In quibus desiderium ad justitiam?* Quarta beatitudo est eorum, qui fide justificati, bonorum operum iter ingressi sunt: à quorum meta & perfectione, cum se quam longissime abesse, ex legis divinæ cum eorum vita collatione, sentiant, ad scopum non minore aut mœrore anguntur, aut desiderio feruntur ad pietatem, quam famelici & sitibundi ex cibi & potionis defectu dolore capieates, alimenta, quibus se reficiant, sectantur; ut cervus sagitta confixus & à canibus fugatus; ut desertum & arida terra, claustris tanquam ore aperto, pluviæ inhiat;

sic &c. vide *Psalm.*119. *sect.*14. *vers.ult.* *Inclino animum meum ad faciendum statuta tua in seculum.* item *sect.*6. *vers. ult.* *Attollam manus meas ad præcepta tua : &c.* item *sect.* 7. *vers.* 4. Item *Philip.* 3, 13, 14. *Quæ sunt à tergo obliviscor, versus scopum feror &c.* & *Tit.* 2, 14. Studio bonorum operum. Hinc sequitur singularis voluptas, quam pii in bonis operibus prosequendis capiunt, sicut qui esuriunt & sitiunt, cibo & potione incredibiliter delectantur; vide *Psal.*119. item *Ioh.* 4, 32. vide supra: contra etiam, vitiorum nausea quædam & fastidium sit. *Ps.*119.

illud etiam in usu mediorum; Hinc item pii vehementi mediorum, Verbi, Sacramenti &c. desiderio tenentur, cujus exemplum vide *Psal.* 63, 1. *Vt gelidam cervus, &c.* *Psal.*27, 4. *Vnum petii &c.* Hinc dolor cum absint, & ex dolore querelæ, *Psal.*63, 2. *In terra deserta & siticulosa, &c.* *Psalm* 84. *Etiam passeres juxta altare &c.* & quamdiu sedentur. *Psalm.* 122. Ecquis ne famelicus gaudio non perfunditur, cum mensam stratam, dapes appositas &c. videat? & contra.

quod ejus satietatem consequitur: Ab adjuncta autem satietate, hoc confirmat; omni enim petenti dabitur. A fide in fidem, senecta ætate plus fructus ferunt. *Psalm.* 92. *eorum lux splendebit magis usque ad diei meridiem, Proverb.*4. In altero (corporis scil.) famis genere, multi pereunt: sed in hoc minime. *Ioh.* 4. *Qui bibit ex aqua quam &c.* & *Ioh.* 6. *Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum.*

hanc qui non desiderant fame ejus premebantur. Apud Lucam hæc beatitudo ab adversis arguitur, vide *Esa.* 65, 13. *Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis; bibent; sitietis; lætabuntur; erubescetis; clament præ hilaritate, &c.* Ex quo intelligitur quo loco habendi sunt, qui de operibus supererogationis gloriantur: & qui ita se plenos jactitant, ut ex eorum redundantia aliquid operum revomant, quibus aliorum fames saturetur. Quanquam etiam hæc saturitas quæ Christi maledictione confingitur, non in Pontificiis solum invenitur, sed & in his qui Euangelium profitentur. Nam cum nulla cura & sollicitudine proficiendi in bonis operibus teneantur, quo alio quam saturum loco habendi sunt? sicut pleni judicandi sunt, qui cibos non appetunt. Quibus omnibus olim eveniet, quod Lucas de fame futura pronunciat: cum scilicet coram tribunali Christi collocati, millies se bonorum operum magis studiosos fuisse frustra optabunt: nam quasi vento pasti & flatibus, tum demum se inanes & famelicos sentient: & sicut qui somniant se edere & bibere, post cum expergiscuntur se fame & siti urgeri sentiunt; sic hi homines veluti per somnium pasti, coram Deo in judicio è somnio excitati, suam inopiam & inediam sentient.

Hic illos redargue, qui Mensam Sacram nauseant & fastidiunt.

Quinta beatitudo est eorum, qui aliorum miseria commoventur, & illis subvenire parati sunt. Tametsi enim stultum & miserum hominibus videatur, ex alterius infœlicitate dolorem accipere, præsertim cum ipsi propriis calamitatibus, satis superque urgeamur; tamen hanc ad συμπάθειαν propensionem, Deus beatam prædicat. Poterat videri via esse ad fœlicitatem magis expeditam, animum gerere adamantinum, & doloris ex alieno malo expertem: sed animum circumferre tam facile vulnerabilem, ut 2 *Cor.*11, 9. & *Hebr.* 13, 3. *Roman.* 12. videtur extremæ dementiæ esse. Quis enim beatum existimet, gaudii & lætitiæ materiam ab aliis potius suspensam esse, quam in se collocatam. Quam si bovis aut asini miseria nos tangi & commoveri oportet. *Exod.* & *Deut.* nedum hominis, & multo adhuc magis fratris. Vers. 7. *Misericordia quomodo exercenda?*

Ab adjuncta misericordiæ consequutione, illud arguit: consequitur autem, non levatione à malis & miseriis hujus vitæ, Deo aliorum erga eum animos ad commiserationem flectente, (ut in exemplo Davidis erga filios Ionathanis, Barzillai, & regis Ammonitarum, atque adeo truculentissimi tyranni Saulis erga Davidem) tum etiam à futuræ vitæ miseriis, condonanti enim in se offensas, condonantur ejus in Deum peccata: & misericordia adversus judicium gloriatur *Iacob.* *Misericordia redime peccata tua. Daniel.* 4. hoc ab adversis confirmatur. *Iudicium enim absque misericordia &c.* *Iac.*2, 13. vide *Psal.* 109. *Indic.*7. & *Matth.*18. Quod si corporeæ & momentaneæ calamitatis sensu nos affici oportet, nedum spiritualis & in æternum duraturæ: quod si omnium, nedum familiarium & nobis sanguine conjunctorum. *qua denuo misericordes donantur.*

Sexta beatitudo est eorum, qui animo sincero sunt, & à simulatione libero & hypocrysi sunt: sicut ex *Psalm.* 24. (unde hic locus desumitur) liquido constat. Tametsi enim inscitiæ apud homines datur, si quis versutus & vafer non sit, & aliud mente aliud lingua & manibus præ se ferat; tamen hi qui aperti Vers. 8. *Quodnam sit cor vere mundum?*

aperti sunt, & in quibus nulla simulationis latebra invenitur, à Deo perbeati indicantur. Coram me ambula, tanquam Deum semper ob oculos habentes. Si enim à servis requiratur, ut non minus fideliter heriles occupationes obeant, hero absente, quam si præsens oculis servum inspiceret; quanto magis &c. Nam cæteroquin *quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato? Prov.* 20. & 1 *Ioh.* 7. *si dixerimus quod peccatum non habemus &c.*

quod ipsum Deum videbit? Hoc probat ab adjuncta Dei visione. Quod etiam ex analogia præsentiæ Dei in tabernaculo colligitur *Psal.* 24. hypocrysis enim instar veli cujusdam est, quo a Dei visione & intuitu arcemur: cum in hac vita, mysteriorum & Dei voluntate pleniore cognitione, tum vita futura præsentiæ divinæ fruitione, vide *Heb.*12,14. Sicut enim homines se his non exponunt, qui sua eos consilia celant; sic &c. & ut corporis oculus, pituita vel squammis vitiosus, solem hunc mundi intueri nequit; sic neque Deum animus cernit squammis & pituita simulationis impeditus. Contra vero, ut speculum mundum figuras corporum & imagines facile admittit, ita animus ab hypocriseos immunditie liber & solutus, Dei faciem & intelligentiam suscipit. Atque ut coram principibus sistuntur, quorum corpora vestibus & aliis ornamentis nitent; sic coram Deo qui &c.

hinc quinam verus Dei cultus? Ex quibus hoc elicitur, qui sunt quos Deus sui cultores exquirit. Iudæi ad faciem Dei in templo intuendam satis esse ducebant, si aquis à corporis immunditie loti erant. Mundi Sapientes & Philosophi docent, cuique tanto majorem intuendi & contemplandi Deum copiam fore, quanto quis doctior, & in naturæ arcanis perscrutandis perspicientior & acutior reperietur: sed Christus interiorem hominis partem seu animam, & in anima non tam sapientiam quam affectum rite compositum requirit: ut hæc beatitudo perinde ideotis & rudibus, atque doctissimis quibusque exposita sit.

Vers. 9.
Veri pacifici qui? Septima beatitudo est eorum, qui controversias & lites componunt. Cum enim supra beati hi censeantur, qui miti anima existentes, non facile ad lites prosiliunt; & mundi corde, qui apud se & in se pacem fovent; nunc porro longe beatissimos indicat, qui inimicitias, quas vel alii erga ipsum, vel erga alios exercent, quoad possunt tollunt. Plerique enim existimant inscitiæ esse, si quis aliorum causam ita complectatur, ut relictis subinde rebus & negotiis suis, aliorum negotia procuret: sicut contra sapientiæ esse ducunt, res suas contemtis alienis agere; nec curare multum quid aliis fiat, modo illis bene sit. Alii sunt, qui gaudeant contentionibus & discordiis; existimantes se in aliorum gratiam obrepturos, si socios suos apud illos in odium vocent, ut Doëg. Nec desunt qui prudentis viri partes esse putant, si alios inter se digladiantes videant: fore putantes, ut quamdiu simultates & inimicitiæ inter illos exerceantur, ipsi quieta pace fruantur. Quod si minus quam volumus litigantium importunitate efficiamus, non tamen idcirco operam perdemus: Dei enim benedictio ad nos spectat, & veluti in caput nostrum reclinat. Nec enim Mosis opera minus erat Deo grata, cum Hebræos litigantes non potius reconciliare, quam si &c. Nec Ionathan minus aut apud Deum aut apud Davidem gratiæ inivit, quod Davidem apud Saulem traductum in patris gratia reponere non potuit. Hic tamen cavendum, ne per nomen pacis constituendæ, quis se in alienam litem ingerat, alterutrius ad partes se adjungat, seque alterum litigatorem constituat, eoque contentionem foveat, & ab invicem remotos longius disjungat. Qui enim hoc facit, canem auribus prehendit. *Proverb.*26.

Hæc vero beatitudo potissimum in fideles Euangelii præcones convenit: qui homines à Deo alienos, in ejus gratiam per fidem ponunt, & homines inter se conciliant. Ob quam speciosi pedes Euangelizantium pacem. *hi etiam Euang. præcones,*

Ac multo etiam magis in Christum, qui est pax nostra &c. vide *Ephes.*2. Hoc ex adversis concluditur: *est enim is qui contentiones serit inter fratres abominabilis coram Deo. Prov.*6. Caveamus igitur, ne quando semen contentionis seramus, aut satum opera nostra, ne crescat & corroboretur. Caveamus ne vel titiones simus, aut flammam contentionis ab aliis injectam, tanquam effuso in ignem oleo foveamus. *maxime vero Christus:*

Ab adjuncta filiorum Dei appellatione beatitudinem confirmat: in quo quod dicitur eum *nomine* filiorum Dei censendum; non ita accipiendum est, ac si nuda tantum appellatione filius Dei sit, non autem re ipsa, sed significat eum revera esse ut talis agnoscatur: ut de Christo dicitur, Eum *vocatum* iri Dei Filium. Hujus autem ratio assignatur, *isti quomodo Filii Dei futuri?*

censa est, coram hominibus, ut ipsi vestris praeclaris cum dictis tum factis penitus conspectis & animadversis, ad Patris vestri qui in coelis est nomen celebrandum incitemur, qui vestras tenebras densissimas in admirabile lumen converterit.

PRAXIS.

Vers. 13. *Ministerii requisita ex comparatione cũ sale;*

APostolis eximias quasdam cum scientiæ, tum pietatis dotes necessarias esse docet, quibus cæteris antecellant. Quod probat, ministerii subjecto cui dotes adjunctæ & annexæ esse debent. Ministerium vero ipsum illustrat argumento parium: & primum salis, cujus acrimonia redundantem in carnibus sanguinem exsugit; cibosque à putredine & fœtore vindicat, & eosdem palato gratos & sapidos reddit. Sic etiam Ministri doctrina partim, partim vitæ laude redundantes in nobis peccati humores desiccant; nos corruptioni & internecioni addictos, in immortalitatem vindicant; natura fœtidos & Deo abominabiles, ut *Psal.*14. à graveolentia illa eximunt: denique cibos insipidos & nauseabundos, vel victimas potius Deo gratas efficiunt in Christo Domino.

etiam ejus efficacia ex eadem,

Quamobrem ministerii sal multo majorem vim habet ad homines condiendos, quam sal ad cibos hominum esui temperandos aptandosque. Nam sal ad diuturnitatem aliquam servat; ministerii vero sal ad æternitatem: sal iste cibos & carnes adhuc à fœtore liberos, à fœtore vindicat; sed sal Ministerii, homines jam ante natura sua fœtidos & putres, à fœtore & putredine eximit. Hinc apparet, quam nostra sit sine probo Ministerio perdita & deplorata conditio. Quo est deprobatior eorum sors, qui se à concionibus & Ecclesia subducunt. Sicut enim ministri salem admovent, ita Ecclesia locus est ubi sal iste aspergitur & admovetur. Non igitur mirum est, si fœtidas & rancidas Deo animas (nonnunquam etiam luxu & libidine corpora hominibus ipsis exosa) circumgestant, qui &c. Reperiuntur etiam qui ad ministerium Verbi in Ecclesia accedant, & tamen ut carnes compelatæ & obduratæ, salem illis aspersum non admittunt.

quæ cum acrimonia conjuncta;

Sin vero sal nos aliquando sua acrimonia mordeat, non inique ferendum est; quod res illa salutaris sit. Atque ut vomere terram nostram proscindamus, sic si vomer Euangelii ad intestina nostra pertingat, tamen cum urticæ & cardui hoc modo radicitus evellantur, non ægre feramus.

Ministerii item necessitas, sine quo homines, &c. hinc astruitur: uti excitentur ad curam idoneam idonei ministri, qui sal est, consequendi. Tametsi enim scientiis ut Iuris Civilis, Philosophiæ humanæ, & cæteris notitia imbuantur: tamen si non sint sal &c. *item ejus necessitas,*

Quod vero dicuntur *terræ sal*, eo indicatur quam late patens sit Apostolorum ministerium. Arguit autem à subjecto quod tractaturi erant. *Terræ* enim voce intelligitur terrarum orbis; sicut post liquido constat, quod *Apostoli mundi lumina* appellentur. Nobis enim qui nunc Ministri sumus, portio tantum carnis salienda obtigit; Apostolis vero, tota hominum massa; illis universus mundus, nobis angellus colendus. Illi luminaria erant ad totum templum collustrandum; nos vero ad aliquam partem templi lumine nostro ornandam adhibemur. Atque ne Prophetis quidem ipsis tam ampla provincia data est, quanta Apostolis est concessa: nam illi Iudææ, hi vero, non nisi totius orbis finibus circumscribuntur. Quo igitur amplior & patentior cujusque præfectura est, tanto magis &c. Quod si in curandis domesticis curam adhibent homines, quanto magis in Republ. procuranda vel Ecclesia? *& amplitudo ministerii Apostolorum.*

Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ. Hortatur eos ad officium faciendum ab adjuncta pœna: quia nisi hæc fecerint, omnium pessimi futuri foras ejicientur. Nam alii si nihil in se salis habeant, & insipidi sint, tamen à ministris, vel etiam (ut fit quandoque) ab aliis inferiore loco positis sale condiri possunt: sed quibus partes alios condiendi traduntur, hi si salis expertes sint, non inveniunt qui vel illos instituant, vel si quis forte occurrit, ejus informationem non facile admittunt. Sicut sal acrimonia carens, aliunde eam accipere nequit. Si oculus, qui & sibi & omnibus in corpore membris videt, visione caret, unde tandem visionem petet? Si nubes siccæ sint, unde fontes ipsi aquam ducant, unde tandem humorem accipiet terra? ex quo liquet inidoneum ministrum esse omnium hominum nequissimum, & difficillime ad bonam frugem venire. Hoc etiam ad Magistratus & Presbyteros accommodetur, & eos omnes qui præsunt, *Negligentia in ministerio omnium pessima;*

Quo enim loco altiore & eminentiore collocantur, eo majore impetu decidentes, suo pondere obteruntur, & in minimas particulas *cum tales ad omnia sint inepti.*

ticulas franguntur. Hinc est ut dicat Servator, tanquam *rem inutilem foras projiciendam & pedibus conculcandam.* In aliis enim rebus is finium delectus est, & usus tam multiplex, ut si ad unam rem accommodari nequeat, ad alterum possit tranferri usum, quod in rebus pœne infinitis cernitur: salis autem ea ratio est, ut nisi cibis condiendis utilis sit, prorsus sit ad cætera omnia inutilis. Agros enim steriles reddit, si illo aspergantur, eoque in sterquilinium ipsum projicitur. Hic qui se in ministerio Ecclesiæ perfide gerunt, ad omnes legitimas vocationes obeundas inutiles sunt: cum in artificiis & vivendi generibus qui ad unam artem inidonei sunt, ad alteram idonei perspiciantur. Eoque è cellis in plateas projicitur, & ab omnibus conculcatur. Quod ad eorum ne cum hoc seculo, tum in futuro contemtum commode refertur. vide 1 *Tim.* 3, 6. Hujusmodi quid legimus apud *Ezech.* 15. ubi de Ecclesia sermonem instituit, sicut hoc loco de Ministris: illam enim viti comparat; quæ nisi fructum agricolæ usibus aptum producat, omnium rerum inutilissimam esse confirmat: & quæ nulli rei, nisi ut igne comburatur, accommodata est.

Vers. 14. *Ministerii operatio ex collatione cum lumine,*

Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς &c. Alterum arg. à paribus. Lumen enim hominibus non minus necessarium est, quam sal carnibus; quo res inter se discrepantes discernant; quo negotia ad vitam hanc spectantia, & occupationes obeant; quo præcipitia, & foveas, & scobes declinent. Sine lumine omnia confusa & perturbata sunt; non secus quam initio mundi antequam lux creata sit. Nam sine luminis beneficio nullum esset inter aurum & æs, inter argentum & stannum &c. Deinde sine lumine, aut omnino ociandum esset, ut Ægyptii in crassis tenebris, aut cum periculo negotiandum. Dum enim dies est operemur, cum nox venit nemo operari posset. Ita sine Verbi Ministerio inter creatorem & creaturam, inter Dei & diaboli opera, inter animi pabulum & venenum, inter viam quæ ad cœlum, & quæ ad interitum spectat, nemo &c. Denique absque hoc lumine, homines mœstos & tristes sedere necesse est.

& ejus summa necessitas,

Ex quibus, quæ iterum sit probi Ministerii necessitas apparet. Quod si tollas, quantumcumque lumen ingenii & Philosophiæ in mundo relucet, nihil tamen nisi tenebræ sunt. Ministerii vero lumen, longe majorem efficaciam mundano lumine habet. Nam lumen exterius tantum medium ad videndum præstat, sed cæcos non illuminat; tantum his qui acie oculorum præditi sunt, prodest: sed lumen prædicationis Euangelii, cœcos illuminat &c. *Psal.* 19, 8. *&c. Actor. cap.* 26, *vers.* 18. Et sol quidem iste mundi occidit; hoc autem lumen nunquam extinguitur, 1 *Pet.* 1. ut meridie hominibus mundanis non luceat sol iste mundi; cum tamen media nocte (afflictionibus scilicet densissimis) in Ecclesia clara sit dies.

ut etiam manifestatio,

Οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι. Sicut adjuncto officio ad omnem pietatem exstimulavit, sic ab adjuncta eorum quæ ab illis fient manifestatione illos ad pietatem excitat. Vitiorum enim fomentum est impiis, si suam improbitatem latentem fore sperant. Sicut enim qui in stadio currunt aut decertant, quod multos inspectores habent, se ad omnem cursus & decertationis laudem excitant; & sicut eas partes corporis sæpe lavamus & ornamus, quæ omnium oculis objectæ sunt, ut vultum, manus, &c. sic etiam quoties considerabunt, &c. vide *Rom.* 12. & 2 *Cor.* 8, 20, 21.

sicut gesta ministrorum ejus;

Apostolos autem docet, non magis hominum oculos effugere posse, quam civitas super montem posita, quam facies in corpore humano, quam qui in theatro collocantur. Omnia enim non tantum verba & facta, sed nutus, gressus, gestus, vultus, &c. Maxime vero hoc faciendum est, quum plerique lynces nos aspiciant, & in nos male animati. *Phil.* 2, 15. 1 *Pet.* 2, 12. Hinc apparet quam *Pontificii* hoc loco abutuntur, ut semper Ecclesiam conspicuam esse doceant.

Vers. 15. *quæ ex Dei liberalitate evidentior,*

Altero argumento probat Apostolos latere nequire, scil. à fine Dei liberalitatis in eos; quæ ideo confertur, ut ab hominibus conspiciatur. Quod Dei consilium illustrat consilio patrisfamilias, qui lucernam non alio consilio accendit, nisi ut homines oculos ad lucernam adjiciant, quo commodius sua negotia conficiant. Sic *Marcus capite* 4. & *Lucas capite* 8. hunc locum interpretari videntur.

Vers. 16. *ideoque doctrina bonis operibus ad Patris cœl. gloriam ornanda.*

Hinc concludit à causa finali ad effectum; scilicet, dandam illis operam, ut cum doctrinæ & ministerii ratione ab omnibus conspiciendi sint, omnimodam doctrinam pietate & bonis operibus ornarent, quo materiam omnibus cœlestis Patris glorificandi præberent. Finis igitur bonorum operum & prædicationis Euangelii, non est ut per ea servemur, sed Dei gloria. Non gloria propria

pria, aut ut bonis operibus servemur: tametsi Dei gloriam nostra salus comitatur, & eorum quorum saluti præficimur. 1 *Tim.*4,16.

Ad hanc autem gloriam attentius procurandam utitur argumento relatorum, scil. quod ipse Deus pater noster est, nos autem filii. Deinde illud amplificat a subjecto, scil. Cœli, quod in cœlis sit; eoque tanto dignior cujus gloriam procuremus, quanto est cœlum terra splendidius.

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 17. *ad* 21.

17 *Ne existimate me venisse ut dissolvam Legem, aut Prophetas: non veni ut* eam *dissolvam, sed ut* eam *impleam.*

18 *Amen quippe dico vobis, usquedum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, usquedum omnia facta fuerint.*

19 *Quisquis igitur solverit unum* ex *mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quisquis autem fecerit & docuerit, iste magnus vocabitur in regno cœlorum.*

20 *Dico enim vobis, nisi abundaverit vestra justitia plus quam* illa *Scribarum & Pharizæorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cœlorum.*

ANALYSIS.

PRolepsi anticipat occultam opinionem, quæ auditorum animos occupaverat, se venisse ut legem & Prophetas tolleret; quod refellit ab adversis, venit enim implere non tollere.

*Vers.*18. Alio argumento minoris illud confirmat: ne minima pars legis & doctrinæ sacræ potest frustrari, nedum tota lex; quod confirmat à pari, quia tam durabit doctrina sacra quam cœlum & terra: quod porro à testimonio suo confirmat, & gravi asseveratione.

Vers. 19. 3. Argumentum est ab adjuncta pœna exilii, è regno cœlorum in eum statuenda, qui minimum præceptum violaverit, & violandum docuerit: quod illustratur adverso, nempe præmio amplissimum locum in cœlis consequendi, cum contra fecerit.

*Vers.*20. Idem porro confirmat à comparatione minoris, scilicet quod majorem exigat legis observationem, quam Pharisæi & Scribæ Legis admiratores, seu verbis docent, seu factis præstant.

METAPHRASIS.

17. *NOvi mentes vestras subintrasse hanc opinionem, me venisse ut legem & Prophetas solverem: quæ opinio minuenda est, cum tantum absit ut ad legem solvendum & Prophetarum doctrinam labefactandum venerim, ut contra illam mihi penitus implendam in*
18. *me susceperim. Et quidem hoc vere & audacter affirmarim, tantam esse legis & doctrinæ Veteris Testamenti firmitatem, ut merito possit cum cœli & terræ stabilitate & duratione contendere, ad eum modum, ut illa citius deperitura sint, quam non dico tota lex, sed legis vel minima particula interitura sit, quoad omnia in lege comprehensa suum effectum*
19. *sortiantur. Quamobrem quisquis est, quocunque titulo ornatus, & quantalibet autoritate instructus, qui ex his Dei mandatis quæ nunc dierum pro minimis habentur, & hominum constitutionibus postponuntur, vel unum solverit, & solvendum docuerit; idem plane cum hic in Ecclesia, tum alibi in regno beatorum nullus admittetur: sicut è regione, qui ista Dei mandata studiose observaverit, & alios ut illa observent docuerit, & hic in militanti, & deinceps in triumphante Ecclesia magnus habebitur. Quod prius occulte de legis corru-* 20.
ptis & depravatis Doctoribus dixi, dicam jam apertius. Omnino enim vobis edico fore, ut è regno cœlorum penitus exturbemini, nisi justitia vestra & vitæ innocentia, justitiam Pharisæorum & Scribarum (qui tamen legis admiratores & religiosissimi cultores videri volunt) superaveritis.

Summa *est: erroris quo imbuti erant Iudæi de Lege, & Prophetis per Christum tollendis, per anticipationem refutatio.*

Partes *sunt* { *Anticipatio erroris de Lege & Prophetis per Christū tollendis.* / *Ejusdem erroris refutatio.* }

PRAXIS.

SVperius ad pietatem cohortatus, nunc tacitæ objectioni obviam it, quam sciebat Christus Apostolorum & Discipulorum, & turbæ mentibus obrepsisse. Cujus suspicionis causæ diversæ assignantur. Vers. 17. *Causa suspicionis Apostolorū de legis solutione à Christo;*

Prima est, quod nunc tandem *Advenisse regnum cœlorum* confirmabat.

Secunda, quod etiam Sabbathi observandi non tam accuratam rationem habuisse videtur, maxime cum captum pedibus Sabbatho jusserat grabatum in humeros attollere.

Tertia,

Tertia, quod novum Sacramentum Baptismi institutum erat: hanc promovebat causam seu occasionem, quod toties a Pharisæis transgressæ legis accusetur.

Quarta, quod Christus fidem sæpe urserat, & ab illa vitam æternam suspenderat, unde promptum erat hanc opinionem menti illorum insidere. Ideo etiam Paulus hanc de justificatione per fidem doctrinam proponens Epist. ad *Rom.* & ad *Gal.* cogitur hujus opinionis invidiam declinare.

Ultima vero, quæ & maxima & verissima causa (cæteræ enim occasiones potius sunt quam causæ) est, quod nobis legis divinæ odium natura ingenitum sit, quo fit ut ejus jugi excutiendi occasiones captemus.

quæ eadem apud Pontif. de justificatione per fidem:

Sicut enim causam illis nullo negotio probamus & persuademus, vel levissimis argumentis, qui ejus præ judicio occupantur; sic, &c. Hinc est quod plerique qui Euangelium profitentur, & Iustificationis per fidem doctrinam avide amplectuntur, *Monachorum* ad normam & vitam se revocari queruntur, quod eorum mores & vitæ conversatio ad legis præscriptum exigantur.

Præterea novum non est, hanc doctrinam à *Pontificiis* tanquam legis bonorum operum inimicam insimulari, quod eodem nomine, Christi & Apostolorum temporibus, à Pharisæis & aliis veritatis hostibus sugillata sit. Quod si his ministris & præconibus, ab hac infami accusatione libertas non erat, nobis, &c.

Cum igitur hæc opinio periculosa futura foret, ut quæ pios & legis studio addictos ab Euangelii amore absterruisset, & aliis occasionem omnem religionem subsannandi præbitura esset, tueamur igitur & colamus sacram concordiam, quæ est Euangelii cum lege, vide 1 *Tim.*1,8,9,10,11.

quam falsam ostendit, quod ad eā implendam accesserit;

Ad hanc opinionem animis eorum eximendam, utitur 4. argumentis: primum est ab adversis; scilicet *non venire se ut legem dissolvat, sed ut illam impleat*, cum Doctrina, tum vita, *Ioh.*14,30.& 8,46.& 1 *Pet.*1,18,19. & *cap.*3, 1 *Pet.vers.*18. Hinc est ut nulla eam mortem obeundi necessitas imponi potuerit. *Ioh.*10. nisi ipse sponte ei se submisisset. Quod ideo quadantenus fecisse sæpius in Sacra Scriptura legitur, ut exemplar nobis præberet bonorum operum. Si enim ipse, in quo nulli animi perturbati motus erant, & qui natura mansuetus & cicur erat, huic jugo collum suum submisit; nedum nos, quibus hoc jugum necessarium est, ut nos effero s & indomitos quasi boves subigat & mansuefaciat.

in quibus eam maxime impleverit?

Maxima vero causa cur legem implevit, est; ut cum *lex* carnis nostræ infirmitatis respectu ἀδύνατον esset, illam in Christo impleamus. *Rom.* 8,3,4. Quoties ergo in lege maledictos audimus, qui singula legis mandata non exhauriunt, statim succurrat eam in Christo pro nobis impletam esse.

Quemadmodum autem Christus spretæ legis & contemptæ accusatus, ejusdem nihilominus observantissimus cultor extitit; ita Euangelii doctrina, cumprimis vero doctrina fidei eodem nomine traducta, legem tamen corroborat. *Rom.*3,3,1. Nam probe intellecta lex, nos ad nostræ paupertatis & condemnationis agnitionem deducit, ut divitias justitiæ Christi consequentes apprehendamus, & in eo legem plene expleamus. Deinde pacem animis nostris constituens, & admirabilem Dei amorem in nobis excitat, & efficit ut alacriter Dei mandatis quoad datur insistamus.

Vers. 18. Hanc sanitatē etiam à legis firmitate evincit;

Aliud argumentum affert ad refellendam illam de *legis* antiquatione opinionem, ab adjuncta firmitate *legis*: quam sæpius in omnes ætates latam legimus. *Psal.* 119, 96. *Vidi omnium rerum finem, &c.* Hoc autem loco argumento parium; apud *Lucam* vero, *cap.* 16. argumento minoris amplificatur. Omnium enim rerum quæ sunt, nihil tantæ apparet firmitatis esse, atque cœlum & terra; quæ tametsi cætera omnia, sua diuturnitate veluti absumunt, ipsa tamen præstant. Quin etiam non modo *totam legem* non interituram, sed nec *minimam ejus particulam, &c. totum cœlum & terram*, atque adeo magis apud Lucam, perinde *transire* posse, atque legis vel minimam particulam. Quam tenuitatem & parvitatem illustrat similitudine cum *minimi consonantis*, tum *vocalis* illius linguæ, in qua Christus locutus est. Nisi igitur novam cum cœlo terram formemus, caveamus à novis legibus *Dei legi* affingendis: ut nisi cœlum & terram evertere & convellere possimus, à minima *legis* parte mutanda aut evertenda abstineamus. Ejusdem enim est autoritatis *legem* & *cœlum* convellere; nec minus hominibus licet *legem* tollere, quam illis facultas datur cœlum suo loco extrahendi, aut ulla machinatione expugnare.

quare nullæ leges possunt dici exoluisse:

Quamobrem *Pontificii* hic damnantur; nec hi soli, sed ex Euangelium profitentibus plerique, qui aliquot Dei leges exoluisse se cre-

se credere declarant. Si enim de ludicris & otiosis dictis appellantur, si de levioribus jurandi formis, aut minus certe atrocibus, si de jocosis mendaciis &c. tanquam hæ leges vigorem & vim suam amisissent, stultam quandam curiositatem hanc accusationem ducant, & novum istiusmodi hominibus accusantibus & reprehendentibus mundum fabricandum esse cum irrisione dicunt; quum ipsis potius iisdem novus mundus primum conquirendus & inveniendus esset, priusquam sibi horum copiam faciant.

quomodo tamen cæremoniales? Hoc autem loco *quæri* possit, quo modo hujus sententiæ veritatem tueamur, cum cæremonialis lex antiquetur.

Respondeo, illam respexisse Christi tempora; & in Christo partim capite partim corpore administrata sunt, & quotidie adimplentur. Christus enim est Sacerdos summus, altare, sacrificium, templum, &c. Ecclesia est templum seu tabernaculum in qua Sabbathum inchoatur, *Heb.* 3. & in cœlo perficietur, & alia infinita.

Vers. 19. *Eandem falsitatem arguit ex pœna legis transgressoribus impositas;* Aliud argumentum ab adjuncta legem violantium pœna, leges enim in civium suppliciis stabiliuntur. Si enim latam legem quis impune violari patiatur, indicio est, eum legem ratam non habere; contra vero, si, &c. Sic Deus pœnas à legis suæ contemptoribus expetens, satis declarat illas ut stabiliat sibi curæ esse. Parum enim est lapidibus aut ære leges incidi, nisi etiam earum violatio in corporibus eas violantium insculpatur. Dei igitur leges firmissimas esse apparet, quod earum transgressionem suppliciis præsentis & futuræ vitæ ulciscatur. *Heb.* 2, 2. Quarum offensionem potius quam inultam pateretur, ejus pœnas in Filii unigeniti corpore & anima expetivit. Quam vero severe hoc Deus ulciscitur, docetur, quum ob unius tantum, ejusque minimi mandati prævaricationem regno cœlorum (seu Ecclesiæ censu) exigi hominem addit. *quomodo illi vocentur minimi?* *Minimus* enim *in regno cœlorum*, idem hoc loco significat, ac si nullum fore diceret; ut *Matth.* 20, 16. *novissimus* nullus habetur. Sicut etiam & nostra loquendi forma idem patitur, plerumque enim dicimus nostram esse in re quapiam partem minimam, cum tamen nos illius rei participatione penitus exclusos sciamus. Ideo vero hanc loquendi formulam usurpavit, ut pœnæ descriptione ad peccati rationem alluderet, vel frivolam potius peccati defensionem eluderet.

cur doctrinæ & facti vitium conjungat? Quod vero utriusque scilicet cum doctrinæ tum facti vitium conjungit, non eo fit, ac si alterutro non excludatur regno cœlorum; sed partim quia apud Apostolos orationem habens, illos de eorum officio admonere voluit, partim vero ut Pharisæorum qui utrimque peccabant corruptelas perstringeret.

hinc peccati gravitas ex pœnæ acerbitate: Discamus igitur ex hoc loco, peccati gravitatem ex pœnæ acerbitate metiri; maxime vero in pœnis à Deo irrogatis. Nam homines quidem, quandoque pœnam delicto majorem constituunt; in Deum vero hoc minime cadit. Quæ igitur Deus regni cœlorum amissione punit, illa nos ne putemus frivola esse. Exilio mulctari grave apud homines est; nedum regno cœlorum exulare. Vide quam Deus severe ea vindicavit, quæ homines nihili fere æstimant, ut in Adamo, in Nadabo, &c. in Vzziah Rege, &c.

Cum igitur homines sibi copiam, consulto Dei mandatum semel transgrediendi (modo peccatum non repetant) faciant, meminerint, &c. Quoties sibi fores ad peccandum hoc modo aperiunt, quod minima duntaxat mandata prætereant, meminerint, &c. Et quidem de his hæc sententia intelligitur, qui sibi in suis peccatis adulantur; non autem de his qui aut per ignorationem, aut carnis imbecillitatem, unum aliquod in lege præceptum violarint.

cōtra merces vera docentibus. Hoc argumentum amplificat ab adversis, scilicet quod vera docens & faciens, vel in minimis, incomparabili beatitudinis mercede remunerabitur. Nec enim contemtum aut vile aliquod esse potest, ex cujus obsequio tam amplum præmium consequitur. vide *Danielis* 12.

Vers. 20. *Hæc falsitas tandem quod ipsi legem negligant cōvincitur;* Vltimum argumentum, quod ex antecedente consequitur, à comparatis majoris ducitur. Docet enim tantum abesse ut legis usum tollat, sicut Pharisæi calumniabantur, ut majorem cum in docendo, tum in agendo & accuratiorem observationem ab illis exigat: eaque severitate exigat, ut nisi quod præcipitur fiat, omne illis ad cœlorum possessionem iter claudatur. Quod cujusmodi sit, post fusius & speciatim exsequitur.

contra bonorum operum jactatores: Idem nobis vere hodie profiteri apud *Pontificios* licet; tantum abesse ut bona opera repellamus, ut nisi plura & meliora, quam quæ ab illis, etiam a Monachis & fratribus (qui splendent in Papatu, ut Scribæ & Pharisæi in Iudæis) fiunt, ipsi faciamus, nosmet ad regnum cœlorum ineptos esse pronunciare

ciare non dubitemus. Nam ut Pharisæorum hæc conditio erat, ut quædam falsa docentes, ea bona opera censebant quæ erant secus & contra, quædam quæ vere docebant ne minimo digitulo attingebant, alia ad externam tantum speciem obibant neglecto affectu interiore, (quorum quum primum tum tertium Christum intellexisse hoc loco ex sequentibus patet) sic etiam Pontificii. Ex quo liquido constat, sæpe bona opera crepere, qui ipsi bonorum operum maxime inanes sunt. vide *Gal.6.13*. In quo imitantur ranarum coaxationem (*the kroking of frogs and todes*) item dolia, quæ quo magis inania sunt, eo sunt sonantiora; & ignavos, qui quum nihil præclare gerant, gloriose tamen de se, deque aliorum factis contemptim loqui consueverunt.

Hoc autem loco observemus, Christum non dicere, *nisi abundaverit justitia vestra plusquam legis & Prophetarum*; quod eorum commentum refellit, qui arbitrantur Christum legis quosdam defectus & imperfectiones, perfectioribus præceptis supplevisse. Lex enim perfecta est. *Hoc fac & vive*: & perfectam charitatem habet. *Deut. cap.* 10. *Et si vis ad vitam ingredi serva legem. Matth. cap.* 19. unde Apostol. *Roman. cap.* 8. *Legem non in se imbecilem*, sed in nostra carne affirmat. Christus enim venit, non novas leges laturus, sed interpres & doctor legis.

nec Christus legem perfecit.

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 21. *ad* 26.

21 *Audistis dictum fuisse à veteribus, Non occides: quisquis autem occiderit, tenebitur judicio.*
22 *Ego vero dico vobis, quicumque irascitur fratri suo temere, tenebitur judicio; quicumque vero dixerit fratri suo, raca, tenebitur consessu: quisquis autem dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis.*
23 *Igitur si munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te.*
24 *Omitte illic munus tuum coram altari, & abi: primum reconciliator fratri tuo, & tunc ubi veneris offer munus tuum.*
25 *Esto amicus adversario tuo cito: dum es in via cum eo: ne quando te tradat adversarius judici, & judex te tradat ministro, & in custodiam conjiciaris:*
25 *Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc usquedum reddideris ultimum quadrantem.*

ANALYSIS.

Errorem proponit, qui apud Iudæos invaluerat, in sexti mandati interpretatione. Error est, eum modo, qui hominem interemit, reum esse violatæ legis, & judicio divino obnoxium: confirmatio erroris ducitur à testimonio humano, scilicet antiquitate, quæ hoc errore tenebatur.

Vers. 20. Erroris refutatio, quæ constat argumento triplici; disparato, iræ scilicet temerariæ, convitii ῥακὰ, & stulti; quibus omnibus cum homicidium admittatur, consequi necessario non tantum ἀνδροφόνος sextum mandatum violari: deinde refellitur in adjuncta pœna, idque à comparatione minoris: nam cum levissima violatio hujus mandati ea pœna plectatur, qua Iudæi ἀνδροφόνειαν mulctandam censuerunt, reliqua graviora adversus hoc mandatum scelera atrocius (quam Iudæi putabant) punienda esse consequitur. Quæ omnia testimonio Christi divino confirmantur, ἐγὼ δὲ λέγω.

Vers. 23, 24. Hinc adhortationem ducit ad pacem, cum Antagonista incundam, ab adjuncta pœnæ gravitate, quam Deus infert hujus mandati transgressoribus; deinde illud à comparatione minoris confirmat, quia pluris Deus reconciliationem hanc facit, quam sacrificium lege imperatum, & illam ei præponit. Quod porro amplificatur alio argumento, comparatione majoris, vel tum revertendum esse pacis constituendæ causa cum altari adsistit, ut sacrificium offerat, nedum cum domi de simultate inter se & alium illi in mentem venerit.

Vers. 25, 26. Admonet porro, ut mature pacem ineamus cum his quibuscum nobis est simultas, & inimicitiæ; quod probat primum ab adjuncta commoditate, opportunitate temporis antequam ad extrema ventum est: quod similitudine illustrat eorum qui in itinere sunt, ut jure experiantur; deinde ab adjuncta pœna, ne adversarius te judici, judex commentariensi, commentariensis carceri tradat, 3. ab adjuncto ἀδυνάτῳ judicium divinum effugiendi, si in simultate perstiteris: quod paribus illustratur, eorum qui rei in judicio constituti, post carceri perpetuo adjudicantur. Quæ omnia Christi divino testimonio, & vehementi asseveratione confirmantur, ἀμὴν λέγω σοί.

METAPHRASIS.

21. *QUod in genere de Pharizæorum & Scri-*
barum, cum doctrinæ tum morum corru-
ptelis dixi; illud (ne quid invidiose & per ca-
lumniam dictum putetur) per partes & magis
articulate exponam. Quamobrem veniat vo-
bis in mentem, quod ab illis pro concione dicen-
tibus auribus percepistis: quomodo majorum
& antecessorum suorum autoritate freti,
non dubitarunt affirmare eum modo qui ma-
nu alteri vitam eripuerit, reum esse violatæ
legis divinæ; & pœnam incurrere non Ge-
hennæ, sed civilis fori, quod in singulis oppidis
exercetur, quo sententia mortis in illum fertur
22. *qui hominem interfecerit. Ego vero unus &*
solus universæ huic cum docentium turbæ, tum
cui confidunt antiquitati utut pervetustæ, me
& vocem meam oppono, confirmoque constan-
ter, eum qui vel temere irascitur proximo suo,
maxime illi quicum religionis nexu conjunctus
est, reum esse judicii divini, quo morti æternæ
adjudicatur; eum vero qui suam illam iram
levi & volatili convitio vacuitatis & inani-
tatis cerebri prodit, teneri atrociori condemna-
tione, non secus quam qui propter sceleris gra-
vitatem, coram consessu Hierosolymitano, ex
72 judicibus conflato, sistendus erat: eum de-
nique qui consulta & deliberata malitia alium
contumeliose insipientem & delirum appella-
verit, supplicio magis adhuc in imis inferis
exquisito cruciandum, ut superiores illas pœnas
ad eum modum quodammodo excedat, quan-
tum hujus seculi exquisitissima tormenta à
23. *pœnis infernalibus superantur. Quamobrem*
peccati & pœnæ acerbitate commotus, vide
sis ne donum tuum ad altare Dei offeras, si
mentem tuam subeat, proximum aut re aut
opinione tua læsum tecum inimicitias exercere.
24. *Quin potius relicto apud altare munere tuo,*
pedem refer, & primum proximo reconciliator,
ut post reversus sacrificium Deo gratum &
25. *acceptum offeras. Vide sis porro ut mature*
cum adversario transigas, dum opportunum
est, & cum illo sis in itinere; sicut qui cum
adversario litem componit; interim dum am-
bo ad jure experiendum proficiscuntur, ne si
adversarius Dei opem adversus te inclamet:
Deus justus judex te diabolo tradat tanquam
commentariensi, diabolus vero te in inferorum
26. *carcerem conjiciat. Omnino enim sancte tibi*
confirmo, te non magis ex inferis unquam e-
mersurum, quam debitor qui suum creditorem
irritavit, è carcere exiturus est; priusquam
extremum (quem exhaustus non potest) qua-
drantem exsolverit.

Partes sunt { *Pravæ interpretationis sexti præcepti refutatio.* / *Adhortatio ad pacem inter dissentientes constituendum.* }

PRAXIS.

Vers. 21. Pharizæorum in doctrina defectus,

PHarizæorum & Scribarum justitiam apud suos traducens, nunc ejus vitia & defectus assignat: qui cum tam in doctrina quam in moribus hærerent, à doctrinæ defectibus initium facit; & legis purissimum fontem, eorum glossematis & depravatis interpretationibus obturatum, hoc consilio repurgat, ut & ad justitiam quæ est per fidem interclusus per illos aditus pateñat, & ut fidelium quisque scopum pietatis & bonorum operum haberet propositum, quem cum attingere nequiret, operam tamen daret ut quam proxime accederet.

isque præcipue in lege,

Quod enim legis justitiam externa & civili quadam innocentia definiebant, callum quendam & stuporem adversus peccatorum sensum conscientiæ inducebant. Nec hoc solum, sed & propriæ justitiæ opinionem, qua Iudæi turgidi & inflati, Christum & per Christum justitiam ne teruncii quidem æstimarunt. Hinc est ut Paulus Pharizaismo penitus imbutus, se vivere in se dicebat, quoad quid concupiscendi mandatum vellet, intelligeret, *Rom.*7. Sicut enim cum turpis & deformis speculum maculis & cœno oppletum intuetur, non modo sua deformitate non angitur, sed in falsam propriæ pulchritudinis opinionem facile attollitur: sic &c.

& studio bonorum operum;

Deinde eadem Pharizæorum doctrina hominum studium ad bona opera fregit, & extinxit ardorem, & animos ad vacandum bonis operibus languidiores hoc ipso reddebat, quod ut in re facili non magnopere illis laborandum foret. Sicut enim qui unum aut duo tantum milliaria emetienda habet, tibias ægre & languide post se trahit, qui autem longum iter sibi conficiendum exputat, contentiore gradu & magis citato festinat; sic, &c.

quæ corruptelæ per aliquot ætates invaluerant,

Antiquis: seu temporibus seu patribus. Quibus verbis Christus occupatione utitur; scilicet, se non ignorare has corruptelas per multos annos, aut etiam per aliquot ætates invaluisse; sed tamen veritatem hac vetustate non convelli, aut antiquitate antiquari. Canitiem doctrinæ nisi veritati conjuncta sit, non magis reverentiam promereri, quam senem adulterum; cujus ætas adulterium per se exosum, magis adhuc fœdum reddidit.

Estque

Estque hujusmodi vetustas mucor (*filthy horenes*) potius, quam canities. Sicut enim manna quo diutius contra Dei præceptum reservatum est, eo fetebat magis; sic &c. Hinc Paul. *Gal.* 1,14. & 1 *Pet.* 1,18. Patrum apud Iudæos traditiones, cum in malis, tum malorum causam extitisse docet. Quanquam veritatis major revera antiquitas est quam erroris; ita ut error præ veritate imberbis sit: nec magis veritati anteponendus, quam Rehoboami Iuvenes Consiliarii Salomonis Senatoribus, longo usu & rerum tractatione consultissimis: eoque Christus & Paulus ad primam institutionem controversiam revocant. *Matth.* 19. & 1 *Cor.* 11. Sicut etiam hoc ipso loco cernere licet.

& speciatim in lege de non occidendo. Οὐ φονεύσεις. Non intelligit legem quæ his verbis lata est, sed perversam interpretationem Pharisæorum, qui externa actione hoc mandatum definierunt, neque nisi manibus interfecto homine, hoc mandatum violari existimarunt: Deum hoc modo, & ipsius leges, ad humanæ imbecillitatis modulum revocantes, sicut & pœnam transgressæ legis ad civilem & politicam pœnam revocabant; cum mandata omnia per Synechdochen & Metonymiam sint interpretandæ: ut in hoc præcepto, in effecto homicidii quodnam admittitur, intelliguntur causæ, ira videlicet & verba probrosa & conviciatoria. Hinc etiam liquet quomodo errores nascuntur, cum Scriptura ad τὸ ῥητὸν, ut *Pontificii* in Sacra Cœna, revocatur.

Vers. 22. *Huic vetustati suam Christus solam autoritatem opponit,* Ἐγὼ δὲ λέγω. Suam vetustati autoritatem opponit, & unicam ejus vocem multorum sententiis, quantacumque autoritate aut doctrina pollentium. Atque hoc modo videtur aliqua ex parte illud indicari, quod *Marc.* 1. & *Luc.* 4. scribitur, scilicet Christum quasi autoritatem habens docuisse. Perinde enim est, ac si diceret: quicquid alii dixerunt, quotcumque & quicumque; ego tamen unus qui legislator sum, & mentem legis optime calleo, meam hanc vocem illis objicio. Quod in alios Ecclesiæ Doctores non competit. vide *Matth.* 13,8,9,10.

ut etiam aliquando Paulus; Hujusmodi aliquid habet Paulus *Gal.* 5,2. Sed illud derivata a Christo autoritate, nempe Apostolica, dixit: quæ quoniam falli non potuit, ideo tam confidenter & nomine suo interposito hoc affirmavit. Nam 2 *Cor.* 5,20. & 13,3. apparet propria autoritate hac loquendi formula non esse usum. Quamquam Ministris qui jam sunt, hæc Apostoli mutanda formula videtur; sed potius sic *dicit Dominus*, aut *verbum Domini*, aut *scriptum est*.

Quoties igitur hujus aut illius autoritas, aut etiam temporis vetustas objicitur, statim ad Christi vocem provocemus, tanquam ad summum Dei in terris tribunal, a quo nulla datur provocatio: & ad quod omnes, in his quæ ad Deum pertinent, perferri debent. Quicquid igitur Anglici & Seraphici Doctores, quicquid Magistri nostri dictitant: tamen &c. *ideoque semper ad eam provocandum.*

Christus temerariam & injustam iram, homicidii constituit speciem; quia Deus quum spiritus sit, legem tulit quæ non tantum manus cohibeat, sed & affectus interiores constringat: quod & in cæteris intelligendum est. Ira enim est animi perturbatio, qua impellimur ut proximi vitæ aut saluti minus bene velimus, quam cæteroquin faceremus. Atque hæc animi erga alium mutatio, tametsi neque in verba neque in verbera prorumpat, aut nec illa quidem proponat aut animo designet; tamen quia cura nostra & studium vitæ proximi conservandæ immittitur, in homicidiis numeratur. Quum igitur iracundia sanguinolenta facie coram Domino repræsentetur, danda opera est ut fræno & lupato (*a sharp bit*) & omnibus repagulis illam iracundiam, ne in animis nostris exoriatur aut suppullulet, cohibeamus. Eam igitur totis viribus impediamus. Tametsi enim homines hic sanguinem non deprehendant, Deus tamen hoc facit. In hac re Salomon præclaram operam navavit, iracundo vituperii, mansueto laudis notas imprimens: quo refertur quod hoc loco à Christo positũ est, scilicet fratris appellatio. *Quare iracundia homicidii species?*

Quod si rite consideretur, facilius erupturam iram retineremus. Fratribus enim non facile succensemus, nec levi de causa. Tametsi enim proximi appellatio nos in charitate alterius retineat, multo tamen magis hoc fit, &c. *propterea ea cohibenda;*

Quod si ira vel iracundia erepserit, danda opera est, ut quam citissime expellatur, ne in odium evadat; quod homicidii adhuc atrocior species est, ut 1 *Ioh.* 3,15. vide *Ephes.* 4,26,27.

Εἰκῇ. Omnem igitur iram non damnat, sed stultam & præcipitem. Hic igitur quæritur quæ sit legitima ira? Ea vero est cum quispiam in Dei legem quid, sive adversus Deum, sive adversus proximum ita admisit, ut pietas lædatur & charitas violetur aperte. De hoc enim peccato omnes irasci justum est; ut tanto quisque gravius irascatur, quoad ipsius *non tamen omnis, & quæ non?*

ipsius est procurare, ne quid hujusmodi oboriatur; ut Ministri, Magistratus, Patresfamilias, &c.

quænam igitur ira justa aut injusta? Causa igitur iræ sit, non tam quod nos damnum accepimus, quam quod Dei voluntati contradicitur; quod Dei gloria obscuratur, hominum societas violatur. Qui igitur in suis damnis mentem defixam habentes irascuntur, horum est ira maledicta. Tametsi ex proprio damno irasci mihi liceat, tamen ira ea potissimum fundamento niti debet, quod ea ratione ad Dei gloriam, vel ad proximi salutem promovendam minus aptus sim. Deinde, qui jure vel à magistratu cæsi, vel à Ministro correcti, vel etiam à privato aliquo fraterne admoniti succensent, temere irascuntur. vide *Iac.*1,19. Maxime vero eorum ira est intolerabilis, qui aliorum bono irascuntur, ut Cain *Gen.*4. Quod autem universali nota utitur, patet nec Principes aut Dominos in subditos & servos, nec parentes in suos liberos temere irasci oportere. Duo alii gradus constituuntur in linguæ præcipitantia, quæ ex ira nascitur. Voluntatis enim erga proximum ex ira mutatio, homicidii damnatur. Quod si ira illa se convitio, imo vultu prodat, tum homicidii alia species nascitur, & pro convitii acerbitate hæc homicidii species, illa atrocior est. Nam qui impetu iræ ductus levissimum & mollissimum convitii verbulum in illum jactat, majori reatu quam ante se constringit, & gravius sibi judicium accersit; ut si vanum illum aut levem, aut non satis consideratum dicat.

hæc injusta sæpe intenditur, Sed qui impotentius adhuc fertur, & in os suum laxans *Stultum, Nebulonem, Carnificem,* &c. vocat, arctiore vinculo divini judicii se constringit, Prout enim convitii sagitta fortius & majori animi contentione emittitur, &c. Hoc enim iræ nostræ judicio fit, ut alius alterius in nos etiam animus mutetur: (& magis magisque) unde utrumque charitas fraterna (& magis &c.) violetur.

imo ad verbera prorumpit, Quid igitur fiet, & quam grave homicidium est, si ira pugnum in maxillam impingat, &c. His autem modis, aditus etiam ad sanguinis effusionem intercluditur. Ab ira enim ad verba; à verbis ad verbera; atque ita ad cædes descenditur.

ad quæ justa nunquā debet: Notandum vero, non hoc loco dici, nec etiam intelligi oportere, si temere hoc dixerit, sed si temere irascatur. Nam ut vere ab illo dicatur, tamen dici aut fieri nihil horum debet; irasci quidem (modo rite & jure) licet: sed probra aut pugnum impingere non licet, nisi Magistratui, qui Dei vices agit; idque Magistratui etiam non licet ut affectibus suis satisfaciat, sed ut Reipublicæ & penatibus consulatur. Quod tamen non impedit quo minus Ministri, aut alii superiores, acribus verbis delinquentes perstringant, ut Christus & Paulus *Galat.*5,1.

Hic autem *quæritur*, quo modo quæ ad nonum mandatum referuntur, ad hujus mandati rationem aggregantur? *an ita hæc explicando præcepta non confundantur?*

Sed *respondeo*, pleraque esse quæ alia atque alia ratione ad diversa præcepta referantur. Fine enim hæc distinguuntur aut causa efficiente; ut hoc loco convitia, quia magis impotenti & effræni iræ impetu promanant, quam deliberato aliquo consilio proximo detrahendi, ad hujus mandati sexti violationem referuntur. Quod quidem inde liquet, quod hæc convitia sine delectu jactantur, nulla subjecta causa; unde fit ut illum sæpe scorti filium appellemus, quem scimus justo parente natum; & carnificem appellamus, qui neminem unquam laqueo præforavit: & furem appellamus, quem tamen nihil furatum esse ipsimet non gravate confitebimur. Quod & de his omnibus intelligendum est, quæ nullum certum & definitum peccatum notant. Cavendum igitur est, nec si minus ab ira liberi fuerimus, eam tamen foras proripere non patiamur; sed ostium veluti os & claustra opponamus, cum aliter ad verba nostra sanguine tincta coram Deo appareant.

Tametsi vero hos gradus pœnarum hoc loco constituat, quorum exquisitissimus est Gehennæ ignis, qui pro inferorum pœna usurpatur; priores tamen duo gradus, inferos promerentur, sed hac formula loquendi, damnationis æternæ gradus alios atque alios designat, sicut & peccatorum inæqualitas existit. Alludit vero ad morem judiciorum qui tum in usu fuit, de quo quoniam nihil certi habemus, nihil etiam certo definire possumus. Sed verisimile est leviores offensas unius judicio commissas leviori pœna, utpote pecuniaria, plexas fuisse; graviores ad frequentiorem judicum consessum relatas esse, qui etiam graviora supplicia, carceris aut exilii irrogabant. *Quomodo in his gradus damnationis statuantur?*

Crimina vero, ad plenissimum & frequentissimum judicum conventum indicata, etiam ab iisdem morte, & quidem crematione, punita esse. Sicut etiam & apud nos fit, ut in

ut in gravioribus causis, judices certis causarum judiciis & consessibus disclusi conjunctam operam ponant; quod nos appellamus *a Checker case:* & carceres pro delicti gravitate distinguantur; ut obærati, Lugdato, Errones, *Briduvello,* Homicidæ, Hugato, proditores, Arci Londinensi addicuntur.

Vnde inferi Gehenna appellati. Explicandum unde Inferi *Gehennæ* nomen & appellationem sortiti sunt: propter sc. detestandam idololatriam Moloch erectam, ubi ignis cremandis idolo hominibus accensus erat; sic princeps dæmonum Baal Zebub appellatur, &c.

Vers. 23, 24. *Munera puris manibus offerenda;* Ab adjuncta per Deum sacrificii repudiatione, probat graviter peccare eos qui ira perciti sunt temere, &c. huc pertinet *Esai.*1. ubi sacrificia repudiantur, quod manus essent sanguinolentæ. Quis enim sanguinolentis aut stercore oppletis manibus, munus suum coram Principe sistere audeat. Quamobrem 1 *Timoth.* 2,9. idem in precibus fiat: scil. ut manus puras attollant sine ira, &c. & 1 *Pet.*3,7. eleëmosyna etiam quæ sacrificium est Deo gratum, sine charitate nihil prodest, ut 1 *Cor.*13. vide *Levit.* 6,15. Sacerdotes antequam ministerium obibant se aqua purgabant: quo significabatur &c. sic nos cum sacerdotes simus &c.

inde ira non asservanda, Et cum nostra sacrificia quotidie offerenda sint, non committendum, ut iram nostram ad occasum usque solis asservemus. Et *tum veniens offer munus tuum:* contra eos qui quod cum alio rem habent, se à Cœna subducant.

sed misericordia exerenda. *Misericordia præstantior sacrificiis.* Quod hoc loco probatur, ab adjuncto ordine seu tempore, misericordiam prius præstandi quam sacrificium offerendi. Quo satis declarat se offensum esse, cum fratrem offenderis.

Injuria affectus ipse primus adeat inimicum. Ἔχῃ τι κατὰ σοῦ, id est, te aliqua in re eum offendisse: ut constat ex *Luc.*7,40. & *Apocal.*2,4. &c. Vnde quæri potest, si ego tenear illum adire qui mihi injuriam faceret? sed cum Deus nos adversus ipsum prævaricantes adeat, & Christus discipulos qui ab eo defecerant, prior adit, & non expectat donec eum illi quærerent; ejus nobis exemplum ob oculos proponendum est. Quis autem est qui offensus a rege illius amicitiam non prior quærat? Id igitur pacis amore faciendum, quod periculi metu faceres. Quanquam etiam qui litem fovent, aut non omni honesta ratione dissolvere student, hi adversus Deum ipsum litem intendunt. Hoc modo docet eos se fallere, qui suo externo cultu expiare posse putant, injurias quas in fratrem admittant. Vt Pharisæi qui dicebant (Corbam) & alii apud nos, &c. In adeundo vero fratrem, magna difficultas accidere solet; hic enim nostri nimia æstimatio, & fratris contemptus nobis obstaculum & remoram objicit. Vnde hæ voces audiuntur, *Egone prior eum adibo?* atque item illud, *Egone eum pauperem adibo?* non faciam. Vide Abrahami exemplum *Gen.*13. qui nepotem adivit. Qui seipsum demiserit exaltabitur, &c. Vide etiam Iobum, qui servum etiam suum secum causam agere passus est. *Iob.*31. Hæc vero intelligenda non sunt sine omni exceptione; si enim loco magnopere dissiti sint litigantes &c.

Hic *quære* cur Dei cultum charitatis officiis postponat? *Cur Dei cultus charitatis officiis postpositus?*

Resp. 1. cæremonias primæ tabulæ minores esse perpetuis secundæ, 2. non esse legitimum Dei cultum qui sine charitate in proximum exhibetur.

Aliud argumentum quo ad sarciendam concordiam homines extimulat, idque mature, ab adjuncto damno, quod cæteroquin perciperet. Nam alioquin nisi in gratiam redeat, & amissam fratris voluntatem colligat, simul & carceris pœnam & ignominiam luet, & sibi ipsi ad transigendum cum eo viam præcludet. Vers. 25. *Concordia neglecta cũ damno conjuncta;*

Dum cum eo, in via sis, id est, dum eum libere & sine impedimento adire potes. Carcere enim inclusus, tibi illum accedendi copia non fiet. Quod si usque eo moras nexueris quoad jam ut jure experiamini ventum sit, saltem adhuc dum in itinere eris ad disceptandam coram Iudice causam, illud facito. Quod si non feceris, sententia semel in te lata, nullus deinceps veniæ aut etiam demitigationis locus relictus erit. Nam & Adversarius tua obstinatione offensus, nihil jam de suo jure remittet; & forte pro illorum temporum more & consuetudine, reum in judicio factum, judex à carcere damnatum non liberabit, nisi totum nummum dissolvisset; ut hoc modo rei pertinaciam mulctaret, & cives ad lites inter se domi componendas adigeret. Et certe videmus homines ita comparatos, ut qui irritati primum in gratiam redire non erant difficiles, post tamen deprehensa adversarii contumacia, irreconciliabiles sint. vide *Psal.*34,15. & Salomonis consilium *Prov.*6,1,2,3. Quod huc prorsus spectare videtur. Hujus pruden- *quæ ideo commode statim resarcienda:*

tiæ exem-

tiæ exemplum, quadantenus in Abigaële habemus: si enim ad preces non ante confugisset, quam David ad se ulciscendum domum ejus venisset, actum de illa & de tota ejus familia fuisset. 1 *Sam.*25. Idem de Shemei, 2 *Sam.* 19. Hoc consilium si tibi Salomon ex illa sapientiæ abundantia qua omnibus probatus est dedisset, nonne in eo acquiesceres? quanto magis, &c.

hinc purgatorium minime stabilitur. Purgatorium vero ex hoc astrui, nonnullis etiam *Pontificiis* displicet, unde scilicet sequeretur omnibus qui simultatem cum alio pertinaciter exercent, per purgatorii ignem transeundum esse; cum illorum opinio sit, pessimos quosque in Inferos, non in purgatorium præcipites dari. Vnde etiam sequeretur, nobis cum Diabolo transigendum esse atque reconciliandum, quandoquidem cum hic adversarium constituunt; denique cum hoc modo nullus ex Purgatorio exitus pateret: nam nisi ipsemet debitum dissolvat non est exiturus; tamen purgatorio exempti & eruti dicuntur Missis & indulgentiis.

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 27. *ad* 33.

27 Audistis dictum fuisse à veteribus, Non mœchaberis.

28 Ego vero dico vobis, Quicumque aspicit mulierem ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo.

29 Quod si oculus tuus dexter facit ut tu offendas, erue eum, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

30 Et, si dextera tua manus facit ut tu offendas, exscinde eam, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

31 Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei libellum abscessionis.

32 Ego vero dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur: & quisquis dimissam duxerit, mœchatur.

ANALYSIS.

ERror Iudæorum proponitur, adulterium non esse nisi quis cum alterius conjuge concubat. Cujus firmamentum assignatur, humanum testimonium antiquitatis.

*Vers.*28. Repellitur error à disparato, quia qui alterius uxorem ita aspicit, ut illam & ejus concubitum solum concupiscat, hoc mandatum violat: quod confirmatur à subjecto, quia corde hoc scelus admisit; deinde à testimonio divino, scilicet Christi Iesu.

*Vers.*29,30. Hinc hortatur ad præcisionem & abjectionem affectuum, & libidinum, quibus hoc peccatum committitur. Quam adhortationem exaggerat ab adjuncto amore quo hujusmodi affectus complectitur, qui illustratur à paribus: tametsi tam chari nobis sunt, atque oculus, aut dextra manus; quæ fere hujusmodi affectus accendendi instrumenta existunt. Quam exhortationem confirmat ab effecto, quod hominem impingere faciunt, deinde ab adjuncta pœna Gehennæ, quæ amplificatur à comparatis minoris.

*Vers.*31. Alius error proponitur axiomate connexo. Si quis quatunque de causa uxorem velit dimittere, illi satis esse, si uxori dimissæ libellum repudii dederit. Probatur à testimonio vulgi.

*Vers.*32. Quod refellitur argumento disparato, scilicet unicam modo causam justæ separationis & conjugalis vinculi dissolutionis: quod probatur ab effecto ejus, qui propter aliam causam quam adulterium uxorem dimittit, 1. quod occasionem uxori præbet adulterium committendi, 2. quod qui se cum demissa vel matrimonio conjunxerit, adulterium committit. Quæ omnia confirmantur testimonio Christi divino. *Ego dico*, &c.

METAPHRASIS.

PRæterea à Pharisæis & Scribis, Patrum 27.
authoritate fretis, pro concione dicentibus
auribus percepistis, eum modo qui corpore cum
alterius uxore congreditur adulterio teneri. At 28.
ego dico vobis, unumquemque qui defixis in
alterius uxorem oculis, ejus complexus & congressum expetiverit, hoc ipso desiderio mœchatum esse; quandoquidem corde seu animo (quem Deus inviolatum esse præcepit) impurus est, utcumque rem cum illa variis obstaculis
impeditus non habeat. Quæ cum ita sint, us- 29.
que eo cohibendus affectus animi libidinosus, ut tametsi tibi non minus quam tuus oculus dexter (per quem tanquam per fenestram animum libido subintrat) charus sit, tamen potius quam in hoc peccatum impetat illum

veluti vibrata manu injecta, vehementi & contenta obluctatione abscinde, & procul abs te abjice. Nam cum tolerabilius sit unius quantumvis præstantis membri jacturam facere, quam ut totum corpus perenni Gehennæ igne arderet, nedum ut incompositæ perturbationis damnum sustineas, siquidem damnum appellare licet quod in lucro ponendum erit.
30. *Pari ratione si idem affectus animi libidinosus,
qui ad hoc scelus perpulerit, tibi non minus
charus sit quam dextra manus, quæ lasciva
contrectatione hunc affectum parit: tamen
31. illum veluti &c. Vulgo etiam ab aliquot se-
culis perhibetur integrum esse marito quavis
de causa uxorem ablegare, dummodo libello
repudii castitatem ejus testante muniatur.
32. Ego autem vobis dico, unumquemque qui
uxorem à se ulla de causa ablegaverit, nisi
quod mœcha sit, ansam illi præbere cum alio
adulterium admittendi, usque eo, ut adulterii peragatur, & is qui repudiatam in uxorem acceperit, & maritus qui uxore depulsa aliam ascisci t.*

Summa *est, castitatem extra matrimonium & in matrimonio, intus in animo ad Dei offensam, foris ad vitandum scandalum hominum, maxima virium animi & corporis contentione colendā.* Partes *sunt ut in superiori ἀντιθέτῃ.*

PRAXIS.

Vers. 27, 28. *Septimi præcepti verus sensus.*

Aliud cupiditatis vitium, hominibus non minus natura insitum quam ira, aggreditur. Cum enim Pharisæi septimum mandatum, non nisi consuetudine cum alia violari affirmarent, Christus hoc ipso docet mandatum septimum violari, si quis ita illam intueatur ut inde ejus complexus appetat, quod animus lege Dei non secus ac corpus ipsum constringitur. Hinc Paulus 1 *Cor.*7, 34. Virginem definit eam, quæ non corpore tantum, sed & Spiritu sancta est: & non tantum ad fornicationem, sed ad ustionem declinandam, matrimonii necessitatem injungit. hinc etiam *Prov. 6. Ne concupiscat cor tuum pulchritudinem alienæ.* Hinc *Iobus* 31,9. ut suam integritatem probet, suum animum negat ab aliena pellectum esse. Cum igitur in Dei conspectu concupiscentia ipsa fœda sit, nobisque ad Dei oculum aspectumque conformanda vita, & dirigendi gressus *Genes.*17,1. pudeat nos &c. Si enim coram hominibus turpe sit conspici fœdum admittere, an non Dei judicium pertimescemus?

illud ne

Deinde causam hujus adulterii, oculorum scilicet ad alienas fœminas adjectionem, assignans, nobis remedium adversus hoc malum præscribit; si pater tanquam manus, mater tanquam oculus, amicus tanquam pes tibi scandalo, &c. si oculos scilicet abstinentes & castos geramus. Nam per oculos, tanquam per fenestras, concupiscentia in animum subintrat; his oculis tanquam nunciis, judicibus, & speculatoribus diabolus utitur. Has igitur seu fenestras seu portas, clausas & obseratas tenere oportet. Hinc 2 *Pet.*2,14. dicuntur *oculi pleni adulterio.* vide *Gen.*39,7. de Potipharis uxore, & 2 *Samuel.*11,2. de Davide. Aliud remedium præscribitur *Prov.*6,23.

transgrediatur remedium.

Vers. 29, 30. *Quomodo oculus eruendus ne adulterium committamus?*

Cum oculus tibi peccandi causa sit, ut peccatum tollas, causam submoveas oculum eruens; sic à causæ submotione, effecti interitum arguit. Quod tamen non præcise & rustice ad τὸ ῥητὸν revocandum est, tanquam oculus eruendus esset, quod cum naturæ mandato ex diametro pugnat; sed sensus est, hujus mandati eam vim esse, ut si observatio carissime nobis constaret, & oculi etiam dextri jactura redimenda, illum oculum nobis eximi pati non esset dubitandum, si nulla alia ratione illius mandati obsequium tueri possemus: est autem Metonymia sub oculis, pro vitioso affectu qui oculorum intuitu generatur. Hæc igitur loquendi formula, nobis quodammodo vim afferendam docet, ut mandatum hoc apud nos sartum tectumque servetur. Si igitur seu naturæ corruptela, seu consuetudine depravata, hæc oculos huc illuc circumferendi libido tam cara esset, aut consortium quo in discrimen adulterii venires, aut quælibet alia delinquendi illecebræ, atque oculus tuus dexter; eam tamen deponere aut abjicere vel abscindere potius debebis. Sensus vero est, mandatorum Dei observationem nobis potiorem esse oportere nostra vita: ut ex comparatione sequenti liquidius patet. Sed quia oculus sæpe hujus septimi mandati violandi minister est, ideo oculi evulsionem potius quam vitæ amissionem urget, ut etiam ad sanguinem huic peccato resistendum sit: quod Christus tanto urget magis, quod homines sibi hic multa concedunt, & suis oculis indulgent. Sed quæ ratio potissimum ineunda est, quo malum hunc oculum (salvo tamen corporis oculo) eruamus? Id optime fecerimus, si cum oculis nostris fœdus ineamus, exemplo *Iobi c.*31. Hoc enim nobiscum constituere & Deo sancte vovere,

 instar

instar veli aut pepli cujusdam erit, quo oculos habentes, tanquam non habentes erimus.

Deinde cum vanitatem ingeniorum nostrorum, & mentis in rebus bonis levitatem cognitam habeamus, Davidis exemplo *Psal.* 119,17. Deum precabimur ut oculos avertat, ne vanitatem contueamur. Denique ut omnes occasiones declinemus. Tametsi enim malo animo quis ad spectandum non veniat, fit tamen ut malum nascatur, quod non necessariis periculis nos ingesserimus. Vide exemplum Dinæ *Genes.* 34.

quomodo etiam dextra abscindenda? Idem etiam de dextra manu dicitur, quia impuris aut lascivis contrectationibus, hoc animi adulterium sæpiuscule contrahitur. Nec dubium est, quin Potipharis uxor manu in Iosephum injecta, inflammatior in suo adulterio fuerit. Quod quidem tanto atrocius est quam oculis intueri, quod contrectationibus impudicis non tantum ipsi impingimus; sed & alii lapsum sternimus.

hinc gravitas pœnæ adulterii: Hoc probat argumento distributionis: scilicet aut hoc est faciendum, aut gravius aliquid subeundum; totius scilicet corporis in Inferis præcipitium. Quis autem totum corpus ab incendio non eripiat, unius membri jactura? Quo loco declarat adulterium illud quod animo & corde tantum admittitur, æterna morte plectendum. Qui enim templum Dei vitiat & corrumpit, eum Deus identidem perdet. Non igitur leve mandatum sit, quod tam gravi pœna coërcetur.

an tali explicatione hoc præcept. cum 10 non cōfundatur? Sed hic *quærat* aliquis, quomodo Christus hoc mandatum cum decimo non confuderit?

Resp. Decimum mandatum naturæ tantum ad malum propensionem damnare; hoc autem septimum mandatum, ejus propensionis fructum suppullulantem seu gemmas, tametsi sine oculorum adminiculo oriantur; & tametsi consensum non præbeamus ei rei, quam concupiscimus: cum *Papistæ* nullum hic peccatum agnoscant, nisi consensu nostro confirmatum.

Vers. 31, 32. Alteram legitimi matrimonii corruptelam aggreditur; & non magis propriam dimittendam, quam alienam appetendam proponit. Docet vero in eo multipliciter peccari, in quo ne minimam à justitia aberrationem Pharisæi collocabant. *Quare uxor non dimittenda?* Primum enim quavis de causa uxorem dimittere, erat sacrum conjugii fœdus dissolvere. Deinde, fœminæ occasionem ad novas nuptias provolandi præbere, erat illam in adulterii præcipitium, simul cum illo cui nubebat dare. Quod ipsum ab eo qui uxorem dimisit tum fiebat, cum ipse novam superinducebat. Quod si adulterii causa interveniret, tum quidem demissa à marito, adultera reddita non est, ut quæ adultera discessit. Sed hic merito quæratur; quomodo hoc crimen in Pharisæos conferat, quod est à Mose permissum? verum, meo judicio, hanc permissionem Pharisæi ampliarunt. Et quod à Mose permissum tantum est, hoc illi licere putabant.

Hic notandum non dici à Christo, audistis ab antiquis dictum, quia majorem & augustiorem, Mosem scilicet, obtendebant.

quod si licitū etiamnum fieret; Verendum, ne si magistratus & leges, hominum improbitati fræna non injiceret, plerique reperiantur, qui causis non minus levibus uxores dimitterent quam Iudæi. Hi autem hac ipsa voluntate Dei legem violant, & illas coram Deo dimittunt, quod nulla erga eas conjugali charitate, sed legum metu illas domi retinent.

quomodo tamen à Mose permissum? Videmus hic lege permitti, quod lege divina non permittitur. Moses enim tanquam civilis magistratus, non tanquam Propheta hoc permisit. Si igitur fornicationis causa eam repellat, novam posse ducere ex hoc loco liquido constat. Qua de re amplior erit deinceps dicendi locus.

ex hac permissione quænam exortæ? Deinde animadversione dignum est, quo modo ex unius legis articuli neglectu multæ difficultates nascuntur. Quod enim adulteria morte non plectuntur, pullularunt hæ controversiæ, 1. an liceat conjugi offenso reconciliari cum parte delinquente. 2. an huic vel utrique novas nuptias inire: 3. an liceat parti noxiæ rursum matrimonium contrahere. vide *Rom.* 12,12. *Ioh.* 7,17.

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 33. *ad* 38.

33 Rursum audistis dictum fuisse veteribus, Non pejerabis, sed reddes Domino quæ tu juraveris.

34 Ego vero dico vobis, ne jurate omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est:

35 Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia urbs est magni regis.

36 Neque per caput tuum jures, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.

37 Esto autem sermo vester, etiam etiam, non non: quod autem supra hæc redundat, à malo est.

ANALYSIS.

Error Iudæorum erat non violatum fuisse tertium mandatum, nisi quis pejerasset; quod apparet ab adverso, ut qui illius mandati observationem in eo tantum collocabant, si quis juramentum datum præstitisset: cujus erroris confirmatio ducta est, ab humano testimonio antiquitatis.

Vers. 34. Refellitur error à disparato, violatur enim jurando, non igitur tantum pejurando; quod confirmatur testimonio Christi divino, deinde inductione partium, 1. Cœli; quod confirmatur ab adjuncta ejus excellentia, quæ arguitur à subjecto solii, quod solium amplificatur ab adjuncto Dei.

Vers. 35. 2. Terræ; cujus excellentia arguitur à subjecto scabello Dei, 3. Hierosolymæ; cujus excellentia arguitur item à subjecto, civitate Dei, qui describitur à relatis, regis.

Vers. 36. 4. Capilli capitis; quod probat ab adjuncta ejus excellentia, quam astruit ab adjuncta homines illum faciendi ἀδυναμία, quam ἀδυναμίαν confirmat à comparatione minoris, ut qui nec album nec nigrum illum facere queat.

Vers. 37. Probat juramenta illicita esse à subjecto, ut quæ in communi sermone adhibebantur. Quod confirmat à distributione, quia nec in affirmatione, nec in negatione familiaris colloquii, juramentum adhiberi debet: quod confirmatur ab adverso *ita*, & *non*, quæ tantum adhibenda sunt; deinde ab efficiente causa juramenti in communi sermone, scilicet diabolo.

METAPHRASIS.

33. *Ut ab antiquitate* Mosaicæ *permissionis, ad intermissum de neoterica & veluti imberbi antiquitate unius aut alterius seculi redeam: audistis per speciem illius antiquitatis, pro concione dictitatum, mandati tertii violationem angustis pejerationis finibus contineri; sicut contra ejusdem observationem eo tantum circumscribi, si quis quod juramento confirmat*
34. *ratum habeat, aut verum esse comprobet. Ego vero, cujus unius (inter mortales) authoritati standum est, non omnino (sicut vos docere consuevistis) jurandum esse confirmo, neque per cœlum aut cœlestes exercitus; cujus tanta præstantia est, ut solum divini quodammodo nomen obtineat, quod Deus in eo suæ majestatis & gloriæ notas & vestigia expressa maxime*
35. *impressit: neque per terram, aut quæ in terra sunt, quia utcumque ab hominum pedibus teratur, tamen singulari artificio, quo Deus illam finxit atque formavit, jure suo scabelli pedum suorum appellationem sortitur; neque in terris per Hierosolymam (remve aliam quæ Deo sacra est) cum sit civitas Regis Regum, quam fideles omnes qui subditi sunt, revereri par est. Non denique per rem ullam vel minimam (exempli causa) capillum capitis, cum vel ejus utcumque contempti ea est præstantia, & artificium tantum, ut nemo hominum non modo illum formare, sed nec fictum & formatum colore albo aut nigro duraturo, tingere aut inficere potest. Quod tamen non ita intelligi velim, ac si jurare penitus illicitum sit; sed hoc tantum præcipio, ne quis in familiari sermone juramenta admisceat: in quo satis fuerit ad rei alicujus affirmationem, particulam ita adhibere, sicut ad negationem voculam* non *abunde sufficiat: cui si quid superadditur, non aliunde quam à diabolo (qui nominis divini violatione oblectatur) provenisse censendum erit.* 36. 37.

Summa *est divini nominis abusu sublato, legitimam sermonis & linguæ rationem proponere.*

Partes *sunt.*
- *Corruptelas Iudaicas in juramentis refellere.*
- *Rectum linguæ & sermonis usum instituere.*

PRAXIS.

Corruptelas illas, quibus cupiditatuum seu affectuum habenæ laxantur, superius refellens, nunc alias aggreditur, quæ in communi hominum sermone versantur. Vbi eadem perfidia utuntur Pharisæi qua in superioribus; scil. ut homines, quos Deus sibi obnoxios & obæratos habet, absolvant. Hoc καθόλου dicendum est, de omnium præceptorum depravatione. Qua in re perfidum œconomum *Luc.* 16. imitantur, qui pro centum olei batis, 50. scribi jussit, &c. Linguam enim multis modis Deo obstrictam, nexibus suis liberant, proximum autem fuit illam in homines laxare; nunc vero etiam in Deum & cœlum hoc facere gravius est. Dicebant enim, dummodo quis jurando vera diceret, legis divinæ non teneri. Hæc Theologia Pharisæorum apud multos hodie locum obtinet, qui de juramento reprehensi, illico regerunt, se vera referre; perinde ac si ad religionem juramenti, veritas solum requireretur.

Vers. 33. *Pharisæi homines à Dei obedientia abducebant, etiam in explicatione tertii præcepti.*

[illegible] violatio Deum petit.

Quod addunt Pharisæi *Domino juramenta persolves*, eo docent, juramenta violata Deum ipsum petere. Quod etenim juramento interposito promisisti, illud non tam homini quam Deo promisisti, qui abs te hoc requiret: quod ut præstitum Deo præstatur, sic negatum Deo negatur. vide exemplum Abrahami *Genes.c.14,v.22. Extendi manum meam ad Iehovam, &c.* Si igitur hominibus fidem fallere perfidiosum sit, nedum Deo. Etsi pudet fidem præsentibus hominibus datam non servare, nedum præsente Deo; eoque in testem assumpto. Tametsi vero cum proximo transigeres, Deum tamen quomodo placabis? 1 *Samuel.* 3. Hoc enim modo actio & accusatio ab homine, quocum commercium erat, ad Deum transfertur.

Vers. 34, &c.

Christus omnino non jurandum docet;

Christus ne omnino quidem jurandum docet, tametsi vere hoc facias; & unico juramento violari præceptum Dei, linguam fœdari, reatum contrahi, gehennam promereri. Frivola igitur est eorum excusatio, qui vituperationibus suis respondent, se non multum solere jurare. Quasi jurare illis esset hac conditione licitum, si rarius id faciunt. Sed an existimant sibi semel furari aut homicidium admittere licere, modo illud frequẽter non faciant? Meminerint vero minimos fore in regno cœlorum, qui minimum præceptum violant; quanto magis qui tantum præceptum &c. Nec solum gehennam promerentur, sed eam atrocem; unde etiam *Iacobus cap.* 5. monet, ante omnia ut illud caveamus. Nam si hominis famam semel læsisse in malis sit, nedum Dei nomen. Si aliquid alterius nomine accipere ipso inconsulto & sine illius jussu indignum sit, nedum Dei nomine sine ejus jussu abuti: unde facile intelligitur quam est illorum absurda oratio, qui dicunt se parum esse de Dei judicio sollicitos, si Deum gravius non irritent quam juramento.

quare hoc non faciendum?

Rationem autem quare non sit jurandum, Iacobus assignat, scilicet, ne in hypocrisin quis prolabatur. Hoc enim modo fit ut vero Dei timore pulso, dum nominis divini contemptus & irreverentia inducitur, homines sibi Deum ante oculos non proponant; eoque aliud præ se ferunt, aliud animo agitent. Huc accedit, quod ipsi propriam hoc modo perfidiam prodant, & veluti despumant vanitatem, tanquam sibi ipsis conscii se nullam, ne in minimis quidem rebus, fidem promereri, nisi adhibito juramento.

non tamen legitimum juramentũ prohibitũ;

Sed hoc loco quæritur, an *Anabaptistæ* recte ex hoc loco colligant non esse fas jurare? quod certe magna ex parte solutum est, cum Christus se legem dissolvere non venisse profiteatur. Ex loco item præsenti *sit sermo vester, &c.* Hic enim explicat ubi juramentum sit licitum.

quod per creaturas non est licitum,

Neque per cœlum, &c. hoc diserte exprimitur, ad alium errorem à Pharisæis introductum refellendum; qui ut Dei reverentiam præ se ferrent, ajebant per ipsum Dei nomen non licere jurare, per creaturas vero jurare licuisse. Quem errorem inde duxisse videntur, quod dicatur *Exod.20. Non assumes nomen, &c.* Christus autem docet neque per cœlum, neque per terram, &c. jurandum: quibus verbis universitatẽ creaturarum cum cœlestium, tum terrestrium intelligit. Cœli enim complexu res cœlestes, terræ terrestres continet. Quarum rerum per minimas jurare non licet; ne per capillum capitis. *Ierosolymæ* autem nomine, sacra omnia Ecclesiæ mysteria complectitur: unde liquet eos qui per ignem, lumen, murem, &c. jurant, graviter offendere; item eos, qui per fidem, per Sacramentum, &c. jurant.

in quibus Dei gloria elucet,

Ratio vero cur per istas creaturas jurandum non sit, hæc est, quod in illis Dei gloria eluceat; sicut magnificentia & splendor regis in suo solio, seu civitate. Quemadmodum igitur Salomonis gloria, eximie in solio & ejusdem scabello substrato; sic &c. Sicut enim sapientia, divitiæ, &c. in illo opere Salomonis perspiciebantur; sic in cœli & terræ, &c. Sic fit ut si quis regis insignia deturbet, perinde accipitur ac si rex ipse si præsens esset, solio deturbaretur. Non quod Deus suum solium more hominum, &c. sed ut hac ἀνθρωποπαθείᾳ, suam cum in creaturis omnibus præsentiam, tum in universas imperium significet.

& inde ejus cõtemptus oritur,

Quod si quis sibi permittat illa, in quibus gloria regis elucet, parvi ducere, ei facillime ipsius Dei contemptus obrepet. Quemadmodum qui vel sceptrum vel imaginem regis contemptim tractaret, & se mejere super illum, aut cum illis secessum adire velle juraret, aut cum sceptro pulicem abigere conetur, annon ad tam viles & leves res adhibitum nomen succenseret? aut si quis regis indumentum tum conspuat, quum illud rex gestat magis punitur, quam cũ eo exuitur. Quum igitur Deus in suis creaturis semper ut præsens sit, cavendum ne &c. Nam suis creaturis tanquam vestibus induitur, *Psal.*104. Sic etiam, atque adeo multo magis

magis Deus puniet, quandoquidem hæc non tantum Dei causa sunt comparata, sed etiam ab ipso Deo nullius adminiculo creata. Hujusmodi igitur contumelia in Deum ipsum fertur: quemadmodum Christus diserte notat, *Matth.*23. scilicet eum qui per cœlum jurat, per Deum ipsum cœlis insidentem jurare. Aliquam autem divinæ in creaturis gloriæ partem notat, ab adjuncta hominum ad aliquid vel tantillum in earum creatione imbecillitate: scilicet quod ne capillum quidem fingere possint, aut jam factum aut formatum, colore albo aut nigro eum inficere.

& præsentia violatur. Aliud vestigium notat in Dei præsentia; nam atrocius est solium regis violari eo pro tribunali sedente, quam &c. & majorem contemptum arguit, si quis regis, ut dixi, indumentum tum conspuat cum illud rex gestat, quam, &c. ut supra paulo ante. Hic tractanda est quæstio an liceat per creaturas, quum oportunum fuerit, jurare?

An ad juramentum præpositio per requiratur? Non minus ridicula est eorum opinio qui juramentum esse non existimant, nisi præpositione *per* adhibita: ac si juramentum syllabis, non re autem ipsa definiretur: ac si quis syngrapham suam esse neget, quia non subscripsit per me, &c. Sicut vero Pharisæorum ex hac parte magna erat hypocrisis & superstitio, sic quorundam nostris temporibus insignis est irreverentia, quibus non modo sacrum Christi nomen sordet, sed qui illum quoad possunt, dilacerant, & per membrorum & vulnerum Christi horrenda juramenta, eum denuo tanquam lanceis perforant, ut de illo crucifigendo cogitasse videantur: & qui altius linguas suas in Christi sanguine demergunt, quam illi olim manus suas.

Hi sunt qui se non satis fortes & magnanimos fore putant, nisi in Deum ipsum irruant. Quorum si linguæ candenti ferro à Magistratu perforarentur, non nimis certe severe cum illis ageretur. Tametsi vero Deus hæc longanimi patientia ferat, nec cœlum sudet, aut terra hujus facinoris horrore contremiscat, tamen veniet olim tempus cum eum videbunt quem pupugerunt.

Sit Sermo. Quid igitur, inquit aliquis, faciemus? videtur enim hoc modo omnis sermonis mutui usus tolli? *Sit vestra inquam affirmatio, &c.* Et certe nisi mira in nobis perversitas esset, & libido jurandi hoc ipso nos incessierit, quod illud nobis Dei præcepto negatum sit, non tanta facilitate hoc modo loquamur, quā si juramento rem confirmemus. In adulteriis, furtis, &c. est quædam boni species oculos perstringens, ira etiam naturalis quidam impetus est, quo homines præcipitantur; in juramentis neutrum horum est, sed mala mens, malus animus. Sed dicunt esse ornamenta & complementa sermonis, sine quibus sermo horret. Siccine vero ornamenta tibi sunt quæ sunt Deo horrenda? tibi flores, quæ piis omnibus urticæ & cardui sint? imo vero sermoni gratiam & salem adimunt. Quod certe existimabunt, si coram se sermones habere secum reputent. *Vers. 37. an absque eo sermonis usus tollatur?*

Complementa vero quare dicas non intelligo, quum sine his ita perfici sermonem Christus doceat, ut quicquid ad *Ita* & *Non* accedat, ex malo nasci confirmet; *Ex malo*, scil. vel impietatis, vel temeritatis: certe irreverentiæ, atque adeo ab ipso diabolo. Siquidem scilicet ad puram affirmationem aut negationem accesserit, id est, si juramentum accesserit: nam aliæ affirmandi aut negandi formulæ concessæ sunt. Quod adversus eos stringitur, qui nihil mali se cogitare dicunt, dum jurant; tantum inveterata consuetudine hoc fieri asserentes. *quomodo illud ex malo?*

MATTH. *cap.* 5. *à vers.* 38. *ad* 43.

38 Audistis dictum fuisse, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

39 Ego vero dico vobis, ne obsistite improbo: sed qui te cædet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram:

40 Et ei qui velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium:

41 Et quisquis te angariabit ad *milliare unum, abi cum eo duo.*

42 Petenti abs te dato: & volentem mutuari abs te, ne aversere.

ANALYSIS.

PRopositio est, Iudæos docuisse privato homini fas esse, injuriam sibi illatam retaliare; quam confirmarunt à testimonio antiquitatis.

*Vers.*39. Refellit Christus hunc errorem à contradictione, non esse resistendum malefico & injuriam inferenti: quod probat triplici argumento, compa-

comparatione majoris, 1. potius obvertendam sinistram percussori maxillam, postquam in dextram colaphum impegerit.

*Vers.*40. 2. Potius pallii jacturam ferendã, quam jure cum altero, qui tunicam tibi injuste surripit, experiendum.

*Vers.*41. 3. Potius duo milliaria in itinere conficienda, quam cum illo disceptare jure, qui te injuste ad unius milliaris iter adigere velit. Quæ omnia divino Christi testimonio confirmantur, vers. 31.

*Vers.*42. Confirmatur hoc porro à comparatione parium: paris etenim juris est reddere malum malo, atque non conferre beneficium in eum qui beneficium referre nolit, aut non possit; sed beneficium etiam his non conferre est in malis, quamobrem & malum malo reddere.

METAPHRASIS.

38. *His accedit alia doctrinæ corruptela, quam
ab eisdẽ Doctoribus per speciem antiqui-
tatis accepistis; cuique licere acceptum malum
rependere, & illatam sibi injuriam pari damno
ulcisci. Exempli causa, oculum sibi erutũ evul-
sione oculi illius qui damnum hoc intulit, vin-
dicare: dentis excussionem dentis ejus qui per-
cussit privatione mulctare: & quæ sunt hujus
generis, quia ad omnia iter infinitum foret.*
39. *Ego vero, cujus unius authoritas omni anti-
quitati præponderare debet, longe contrarium
statuo: scilicet malefico & damnum immerito
inferenti non esse usque eo resistendum, ut quod
malum acceperis, ipse retribuas. Fac enim te
aliquem bacillo aut virga in dextram maxil-
lam ignominiose cædere: tamen par pari re-
ferre, fas non est: contra malum duplicatum
patienter ferendum. Quod tamen non ita in-
telligi velim, ac si accepta in dextram plaga
sinistram maxillam objicere teneris; sed hoc
dico & confidenter doceo, tantum abesse ut illi
in dextram maxillam alapam impingere tibi
fas sit, qui te prius irritavit, ut satius sit sini-
stram etiam illi obvertere, quam ut vicem*
40. *rependas. Et si quis tecum jure contendere ve-
lit de tunica per injuriam auferenda; tibi ut
pallium etiam cedas author sum, potius quam
ut ejus pravo exemplo permotus, illi itidem de*
41. *sua tunica adimenda litem intendas. Denique
si quis autoritatem sibi arrogans, te ad unius
miliaris iter adegerit; præstabilius fuerit illi
ad duo etiam miliaria comitem præbere, quam
ut autoritatis usurpatione illum ad consimile*
42. *in miliaris confectionem perpellas. Ut uno ab-
surdo dato, multa ilico consequuntur; sic hanc
doctrinæ corruptelam alia illi non dissimilis co-
mitatur: si enim malum malo opponere fas
esset, etiam beneficio afficiendus non foret, nisi
qui beneficio alium remunerare aut possit, aut
certe velit. Meum vero consilium est ut alteri
tametsi vel exhausto ut non possit, vel ingrato
ut nolit, cum dando tum mutuando gratifice-
ris.*

Summa est, *refutatio erroris Iudæorum de privata vindicta.*

Partes *sunt* { *Error Iudæorum de privata vindicta.* / *Erroris confutatio.* }

PRAXIS.

Legem *Exod.* 21, 22, 23, 24. qua Magistratus officium describit, ad privatum quemque traduci declarat; atque ita justissimam legem iniquissimam reddiderunt, & mel legis in absynthium converterunt. Vindictam enim privatis & talionem prohiberi, constat *Lev.* 19. & *c.*18. Hoc fermentum Pharisaicum è Christianis cœtibus non est expurgatum. *Vers. 38. Vindicta privata semper vetita;*

Error hic natus est, ut alii, ex depravata Scripturæ interpretatione; ex quo perspicitur quanti sit recta Script. intelligentia in Ecclesia facienda, & quam operæpretium sit ministerio gaudere, accurate voluntate divina instructo, eodemque vera pietate imbuto; ne affectibus suis obtemperans, obluctante conscientia falsa pro suggesto proponat. *unde ergo ea invecta?*

Deinde si, quod *Pontificii* dicunt, Scripturarum lectio plebi interdicenda sit, quod inde errores plebs exsugat; tum viris doctissimis, & in iis exercitatissimis, quia Levitæ & Sacerdotes, &c. hos errores pepererunt; sed hæc duo præponantur initio harum corruptelarum, ut quæ generalia sunt. *idque ab ipsis Sacerdotibus.*

Primum consideranda justitia legis, accuratissime ad coercendam & cohibendam vim accommodata. Est enim hæc lex quæ *Exod.*21, 22, 23. habetur sic intelligenda, ut verba sonant. Sicut enim omnium consensu justum est, illum morte plectendum, qui mortem alteri intulit; ita qui manum, oculum, &c. Hujus exemplum luculentum, vide *Iud.*2, 6, 7. item 1 *Sam.*15, 33. Hanc æquitatem in judiciis exercendis Deus ipse fere servat. Vide *Rom.*2. & *Lev.*20. & 2. *Chron.c.*16, 10, 12. & 21. *vers.*4, 15, 18. Hæc lex si hodie obtineret non essent tot manci, mutili, &c. Si enim pes illi aut manus, carnificis ministerio, in summa hominum corona truncandus esset, esset profecto ad alios mutilandum tardior. *Verus sensus legis de ultione;*

Hujus legis depravatio in eo versatur, quod quæ Moses ad Magistratum, isti ad omnes *in quibus ejus depra-*

ratio conſi-ſtat? mnes accommodarunt? atque ita pœne omnem Christianæ patientiæ uſum e medio ſuſtulerunt: & quos lex divina reos peragebat, reatum eximentes callum induxerunt: quod aperte pugnat cum *Pſal* 22. ubi mentio magiſtratus fit. *Deut.*32,35. Mea eſt vindicta, quod fit non immediate, ſed & per magiſtratus manus. Et *Lev.*17,11. ne quis ſe vindicet vetatur; cujus æquitas hinc conſtat, quod nemo idoneus in ſua cauſa judex, ne tum quidem cum à perturbationibus liber eſt. *Prov.*18. nedum cum commotior, &c. Da enim hoc licere; & pro uno oculo ambo, pro uno dente omnes, imo pro oculo aut dente, vita auferetur: ſic ſecunda injuria quæ ultionis nomine fit, priore deterior erit.

quæ adhuc in Eccleſiis Chriſtianis. Sed hoc Iudæorum fermentum à Christianis Eccleſiis non eſt expurgatum, multi enim malum malo rependunt; imo unum duobus, verba verberibus, quia & ſe hoc facturos profitentur. Iudæorum peccatum tanto minus atrox erat, quod à Doctoribus ſuis decepti, &c. nos vero &c. idem de *Pontif.* qui hoc præceptum ad monachos, &c. pertinere dictitantes, plebem in hujus præcepti prævaricationem impellunt.

Verſ. 39, &c. *Quomodo alapa accepta altera maxilla offerenda?* Hanc doctrinam Christus confirmat à compar. Primum majoris, &c. tantum abeſſe debere, ut acceptam injuriam ulciſcamur, ut potius ad illam ſæpius repetitam ferendam parati eſſe debeamus, &c. Sed non eſt mordicus verbis adhærendum. Christus enim alapa accepta, non obvertit aliam maxillam; ſed eum redarguit qui, &c. *Ioh.*18, 22,23. Et Paulus virgis cædendus, ut illud declinaret urbis Rom. privilegium expoſuit. *Actor.* 22, 25. Chriſtus enim hac loquendi hyperbole ſuos erudire voluit, &c. Futiliter ergo *Anabapt.* hinc conantur civilia tribunalia & belli jura evertere, præſertim cum Paulus *Roman.*13. gladii uſu, & *Actor.*25,11. ſuo provocationis exemplo, jure experiundi libertatem corroboravit.

Retaliatio non inſtituenda. Alio argumento parium confirmat. Si enim in eos conferendum beneficium, qui illud reponere aut nolunt aut non poſſunt, tum non minus mali retaliatio prohibetur ei qui malum intulit; at, &c. Quo taxatur hominum perverſitas, qui niſi illorum largitio aut mutatio in illos redundet,&c. atque hoc eſt mercatum exercere, non largitionem. Contra *Luc.*14. menſa pauperibus ſtruenda, quia non poſſunt compenſare.

Cur majoris interdum liberalitatis ſit mutuare quam dare; vide in quæſt. de uſura.

Cum ante docuiſſet, quomodo nos erga vim nobis facientes habeamus; nunc adjungit quomodo erga ſupplices vel indigos potius nos geramus: ſeu dono ſeu mutuo a nobis accepturos, ſeu vi etiam auferentes. Verſ. 42. *Liberalitas erga pauperes exercenda;* Si enim in injurioſos & vim inferentes ea nos manſuetudine eſſe oporteat, qua dictum eſt, adverſus illos certe qui precario aliquid accipiunt, illa benignitas præſtanda erit. Quid, quod injuriis ſæpe ob eam cautam impedimur, quod in voluntaria & benevola largitione reſtricti ſimus. Scimus enim animum quibuſdam maleficis hinc addi,ſi quem inſigniter avidum & avarum noverint; ſeque arbitrantur injuſtitia vacare, & pæne rem laude dignam perpetrare, cum tenaces hujuſmodi & illiberales, bonis ſuis exuant. Quod tametſi ab illis inique, a Deo tamen juſte fit. Alii ad ſummam inopiam redacti, & ab iſtiuſmodi tenacibus & avaris quid exprimere deſperantes, ad latrocinia aut furta confugiunt.Quod vero ſine exceptione hæc proponantur, eo docetur, quam debemus eſſe κοινωνικοί. *Iuſtus enim diſpergit &c.* *Pſal.* 112. & *Eccleſ.* 11,12. Non tamen hæc abſque omni cautione ſunt facienda; ſic enim otium foveremus. 2 *Theſſ.*3,10. noſque ipſos, & neceſſarios ad inopiam redigeremus, 2 *Cor.*8. Sed tantum voluit ſignificare, non eſſe æſtimandum qualis in te fuit aut eſſe poſſit is, qui petit à te; ſed etſi nihil habeat quod rependat, aut ſi te læſerit, &c.

*Luc.c.*6,30. his annectit, non eſſe repetenda quæ tibi alius ademit. *adempta non repetenda;* Quod, tametſi videatur cum ſuperiori præcepto coincidere de cedendo pallium, &c. tamen probe expendenti facile erit cognoſcere, hoc ab illo plurimum differre. Prius enim præceptum illos duntaxat complectebatur, qui per avaritiam in aliena bona involant; hoc vero præceptum eos qui per egeſtatem aut clam aut palam aliquid auferunt. Mendicare enim cum quoſdam pudeat, nec ulla ſpe mutuum accipiendi ducantur, ad furta, &c. convertuntur. In quo caſu Chriſtus erepta repeti vetat. Tametſi enim furem quis jure perſtringat, & aſperioribus verbis caſtiget, tamen id quo neceſſitatem expleat, non eſt auferendum.Nec vero hoc Chriſti præcepto tollitur, quod *Prov* 6,30,31. ſcriptum eſt. Tametſi enim judex compenſationem tibi adjudicabit, & tibi rem judicatam accipere fas ſit; tamen Chriſtus hoc loco, non quid liceat, ſed quid expediat, explicat. Tametſi

etiam in lege cautum erat, ut viator fame pressus poterat aut spicas carpere, aut novas reficiendi sui causa colligere, invito Domino, & inconsulto.

fratri ne furetur munificentia præveniendum.

Hoc loco illud notari possit, fratrum necessitati præveniendum esse, ne eos ad furta adigamus; sic enim duplici beneficio fratrem affecerimus, cum ejus egestatem sublevando, tum vero illum à mandati divini violatione vindicando. Hic igitur locum habet proverbium, bis dare eum qui mature & tempestive dat; semen enim quod tempestive terræ mandatur, est feracissimum. Vnde etiam prius dictum: non tantum mutuum abs te petenti, sed volenti petere mutuum non esse denegandum; fratris enim indigentia, eo tacente, ita in nostris auribus clamat, ut nisi surdastri simus hanc vocem exaudiamus. Eaque in re Patris cœlestis erga nos clementia & munificentia est imitanda, qui non semper expectat quod nos priores ab illo petamus; sed illa etiam quæ non petimus nobis suppeditat, quibus ipse nos opus habere optime norit.

MATTH. *Cap.* 5. *à vers.* 43. *ad finem Capit.*

43 Audistis dictum fuisse, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

44 Ego vero dico vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt, & persequuntur vos:

45 Vt sitis filii Patris illius vestri qui est in cœlis, facit enim ut sol suus exoriatur super malos ac bonos, & pluit super justos & injustos.

46 Nam si dilexeritis eos qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? nonne & ublicani idem faciunt?

47 Et si complexi fueritis fratres vestros solum, quid amplius facitis? nonne & publicani ita faciunt?

48 Estote igitur vos perfecti, ut Pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.

ANALYSIS.

PRopositio est error Iudæorum, proximi nomine amicos & propinquos comprehendi modo; eoque ipso inimicos odio habendos, quia amici sunt diligendi.

*Vers.*44. Refutatio: in qua contradictorium axioma statuitur, diligendos amicos; quod arguitur à divino Christi testimonio; deinde ab effectis charitatis ad hanc vitam & futuram spectantibus, civilibus scilicet & religiosis. Civilium autem duo genera proponit, ut scilicet benedicamus his qui diris nos devovent, & beneficiis eos afficiamus: Religiosas ut pro eis preces ad Deum fundamus, qui nos persequuntur.

*Vers.*45. 3. Alio arguitur effecto, ut cum ipsimet tum alii agnoscant, eos esse Dei filios germanos; quod confirmatur à paribus, quia sicut Deus multifariam suos hostes eisdem beneficiis afficit, quibus suos amicos, speciatim solis fulgore, & pluviæ irrigatione; sic &c.

*Vers.*46 4. Adjuncta mercedis privatione, nisi inimicis benefecerint.

*Vers.*47. 5. A comparatis minoris, quod publicani amicos diligant, quibus in amore Christiani superiores esse debent. Vt in superiore versu.

*Vers.*48. 6. A comparatione similium, quia nos similes Patri cœlesti esse convenit, benefaciendo inimicis sicut & amicis.

METAPHRASIS.

DEnique à Doctoribus vestris, levicula patrum authoritate subnixis, pro suggestu 43.
accepistis, proximi acceptionem amicorum, propinquorum, & necessariorum significatione definiri: unde inimicum non minus odio quam amicum amore prosequendum, ratiocinatione (sed sophistica plane) conclusistis. Ego vero ut 44.
legislator, sic optimus legis interpres edico vobis, ut inimicos vestros chare complectamini, charitate non simulata; sed quæ vim & energeiam suam efficaciter prodat: primum quidem de illis beneloquendo, qui vos omnibus diris devovent: deinde, quod majus est, beneficiis, non verbis modo sed re & factis afficiendo eos, qui vos odio habent: denique, quod vel maximum amoris indicium est, pro his preces apud Deum fundendo, qui vos infestant & insectantur. Sic fiet ut cum aliis innotescet, tum 45.
vobis ipsis compertum erit, vos filios & filias Patris cœlestis germanos & genuinos esse: ut qui cum bonos seu amicos, tum malos seu inimicos solis fulgore illustrat; & utrorumque agros matutina & serotina pluvia, ad telluris fœcunditatem irrigat. Quod si illos modo dile- 46.
xeritis,

xeritis, qui vos diligunt, quam amoris vestri à Deo mercedem exspectetis, cum hoc dilectionis genere, ne ipsos quidem publicanos (quos è regno Dei extorres futuros vos ipsi profitemini)
47. *superiores eritis. Et si propinquos & consanguineos modo mutuo complexu salutatis (inimicum insalutatum prætereuntes) ecquid eximium & Christiani hominis officio dignum facitis, cum vel ipsi Publicani idem officium*
48. *præstant? Quamobrem quantumvis Deo perfectione infinitis gradibus semper impares futuri eritis; tamen date operam, ut quam proxime ad illum, benefaciendo amicis simul & inimicis, accedatis.*

Summa *est, erroris Iudaici in depravata dilectionis proximi interpretatione, seu glossemate, refutatio.*

Partes *sunt* { *Error Iudaicus in depravato dilectionis proximi glossemate.* / *Ejusdem erroris refutatio.* }

PRAXIS.

Vers. 43. Corruptelis secundæ tabulæ in separatis & sejunctis præceptis explicatis, accedit ad omnium illorum præceptorum summam & compendium, quod isti homines suis glossematis fœdarant: sicut etiam perfidi ratiocinatores, si quid in particularibus rationibus fraudulenter perverterint, idem in generali pertentant.

Depravatio legis de proximi amore; Tametsi prior pars hujus sententiæ verbis ipsis ex lege desumpta sit, quæ proximum diligere præcipit; tamen ex altera parte liquet, verba à verò legis sensu detorta, utpote quibus amicos tantum & nostri amantes comprehendebant, exclusis inimicis. Cum igitur Deus amplissimam & capacissimam charitatis facultatem instituerat, qua homines per orbem universos compleсteremur, Pharisæi eam in summas angustias redegerant, &c. Cumque Deus fores dilectionis omnes patere voluit, ut in charitate nostra tanquam in oportuno diversorio conquiescerent, Pharisæi tanquam ἄξενοι & inhospitales, omnes (exceptis amicis & sui studiosis) foras excluserunt.

quæ ex ratiocinatione perversa accidit: Nec dubium est quin Pharisæi his verbis, non modo suam sententiam proposuerint, sed & sententiæ rationem, cui eorum sententia inniteretur & confideret, apposuerint; scilicet idcirco odio habendum inimicum, quod amicus sit diligendus. Quorum posterius cum liquido constet, sequi etiam ex adversorum ratione, ut prius non minus verum sit. Sed intelligendum est: Dialecticam (cujus est in Theologia magnus usus) Theologiæ ancillam esse: & usque eo admittendam, quoad cum præcepto Dei consentit. Dialecticæ enim ars cum nihil aliud sit quam norma rationis, rationemque hominis depravatam esse constet, Dialecticam ipsam corruptam esse aliqua ex parte necessum est. Est igitur σοφιστική quædam hæc formula disputandi, ut & illa *Pontificiorum* est: scilicet ob mala opera damnamur; bonis operibus idcirco justificamur. Hunc autem esse paralogismum inde declaratur, quod odio eos prosequi qui nos odio habent, vindictæ quædam species sit & talio: quæ vindicta cum lege divina prohibeatur, istam etiam retaliationem injustam esse sequetur. Deinde, tametsi ejus in me malevolentia meum erga eum animum avertat; tamen aliæ amoris erga eum causæ subsunt: Dei scilicet imago, in omnibus: in fratribus autem, quod ejusdem corporis membra sint. Sicut videmus inter homines usu venire, ut eos quos sua & propria causa non diligimus, tamen amicorum gratia. Si enim ejus proximitas nullos laqueos nexuisset, quibus tuus erga eum amor retineatur; at Deus eos texuit, quos ille nulla sua erga te ingratitudine adimat.

Mira vero insania ince sserat horum animos, qui charitatis in hostem vinculum solventes, odium etiam in inimici perniciem strinxerant. Tametsi enim (si rem attendas) odio ducitur alterius qui eum non diligit, tamen Pharisæorum hic animus erat, licuisse in inimicum odio non minus flagrare, quam amore in amicos. Quod certe erat lucem in tenebras convertere. Ad hanc vero insaniam sæpe nos impellit ratio nostra, nostro judicio maxime sana. *ut etiam quod inimici perniciem voluerint.*

Idem *Pontificii* tentarunt: qui docent, pro magnitudine amoris nostri erga proximum, partem aliquam certa proportione desumendam & admetiendam, qua proximum amemus. Atque in hac sententiam afferunt regulam regulato, (ut loquuntur) majorem & ampliorem esse oportere; ut particula (ut) non sit æqualitatis, sed similitudinis (scilicet *ut te ipsum* diliges proximum tuum.) Sed refelluntur ab effectis, scilicet, quod eadem proximis præstanda sint, quæ nobis fieri velimus. In quo etiam dicunt *Eadem* præstanda & optanda, sed non *Eodem affectu*, frivolum est: cum charitas ipsa quæ præcipitur affectus sit, præterquam quod simulatione non caret, si pro ratione officii quod præstatur, *Hæc perversitas etiam in Pontificii;*

tur, affectus se comitem non præbeat.

quæ charitas in proximum decrescit.

Huc spectat, quod jubemur ita calamitate alterius (fratris præsertim) affici tanquam propria. Vide *Hebr.*13. & *Galat.*6 &c. Quod si *Pontificium* commentum admitteretur, fieret, ut nostra in proximum charitas quotidie decresceret, quandoquidem in piis φιλαυτία indies diminuitur; cum contra Dominus voluit charitatem in proximum quotidie augeri, nostri vero amorem indies diminui; ut hujus incremento, illius autem diminutione, charitas in nos & proximum ad paritatem revocaretur & mediocritatem.

Regulam vero regulato majorem esse, quid sit non intelligo. Si per *Majorem*, *priorem natura*, fateor; sed si *Quantitate majorem* intelligant, nullo modo assentior. Modius enim publicus & à magistratu obsignatus, regula est aliorum modiorum, ad cujus magnitudinem illi exigantur: sed tamen ejusdem cum aliis capacitatis & ambitus esse debet, &c.

Vers. 44. *Christus nihil novi in hac lege profert;*

Ego autem, &c. Nihil hic novi à Christo introduci, quod non fuit lege Mosis præceptum, declarat satis illud quod *Prov.*24. habetur. *Ne læteris cum ceciderit inimicus tuus, & in sinu tuo ne exultes, &c. ne forte, &c.* Vnde etiam Christus *Luc.*10. infensissimum hostem docet nomine proximi comprehensum. Iudæi enim & Samaritani maximo inter se odio flagrabant. Hæc via salebrosa & spinosa hominibus videtur, sed non est tamen: nisi quod homines spinas & carduos φιλαυτίας & odii, penitus sibi insitas habent. Via cæteroquin plana & æquabilis est. Danda igitur opera est, ut spinam nobis eximamus. Et quoniam alte defixa sit, & sponte sua radices in nobis agit, contentis viribus contra nitendum erit: ob eamque causam,

quid per proximum in ea designetur?

suavissima *Proximi* appellatione, inimicum lex nuncupari voluit. Sicut Romani olim, ut ad majorem adversus hostes in bello æquitatem & moderationem se erudirent, *Peregrinos* eos appellant, quos post *Hostem* censuerunt. Nec vero sine causa hac appellatione insignitur. Tametsi enim voluntate à nobis distinguitur hostis; tamen Dei imagine (cum in corporis eleganti structura, tum in animæ incredibili fabrica) nos prope attingit; sæpe etiam fidei & ejusdem hæreditatis conformatione. Animos igitur nostros à suis in nos maleficiis, ad Dei in eum beneficia revocemus: ut in illis occupatis & defixis animis eum diligamus. His nobis exemplum est Deus & Christus Servator, qui nos inimicos dilexerunt.

cujus dilectio ibidem præcipitur,

Hoc arguitur ex effectis charitatis: ut doceatur nostram non esse simulatam charitatem, cum se efficacem per officia erga inimicum declaret. Plerique enim inveniuntur, qui cum se non secus in Christianorum numero & censu haberi posse perspiciant, nisi inimicos diligant, se inimicos diligere verbis profitentur; sed cum ad facta ventum sit, nihil minus hoc præstant. Quamobrem ne nobis hic imponamus, charitatis effecta in inimicos adjecit. Sic effectis suum erga nos Pater, *Ioh.*3,16. & Filius *Ephes.*5,2. amorem declaravit. Charitas quæ animo non egreditur, charitas censeri nequaquam debet. Cum vero perdatur aut factis aut dictis, in utroque genere officium nostrum erga inimicos Deus constare jubet: & pro maleficiis beneficia, pro maledictis benedicta reponamus. Prioris generis sunt illa *Prov.*25. & *Rom.*12. inimicum esse pascendum & potandum. Quibus officiis Synecdochicωs, omnes hujus vitæ necessitates comprehenduntur. Nec vero in ipsius inimici persona, hæc cura conclusa tenetur, cum ad asinum & bovem inimici errantem aut oneri succumbentem porrigatur. Sicut enim proverbio dicitur, eum qui aliquem amet, vel canem ejusdem cura aliqua & humanitate complecti; sic etiam inimicum & omnia quæ inimici nostri sunt, Deus à nobis curari vult.

& mutui datio commendatur;

Lucas vero *cap.*6,35. in hoc beneficiorum genere expresse annectit mutui dationem, cum hac conditione, ut si sors ipsa amittenda sit, tamen nostrum in hoc genere officium non debere requiri.

quæ pro datione habenda:

Atqui, inquit aliquis, mallem dono dare quam ea lege mutuo dare.

Sed, inquam, considerandum est, non quid tu magis, sed quid ad inimici calamitatem sublevandum aptius est. Sæpe enim fit ut plerique egestate pressi, dono aliquid accipiendi pudore impediuntur: qui iidem mutuo libenter accipient. Quorum ut consulatur pudori danda opera est, ut ad eum te accommodes: nec quomodo tu munificentior appareas, sed quomodo illi succurratur rationem habebis. Quod quidem ut adversus alios, sic adversus inimicum hoc nomine exerceri debet, quod ipse qui tecum simultates exercuit & inimicitias gessit, invitissime ut dono aliquid abs te accipiat admitteret.

ideo usura

Ex quo illud elucet, quam ad usuram pecuniæ

quæcunque non damnanda. cuniæ quamcunque damnandum, importune hic locus citetur, cum hoc loco non nisi de illo mutuo agatur, quod ad Eleëmosynæ naturam accedat, vel potius plane Eleëmosynæ locum obtinet; non autem de illo mutuo, quod ad opes augendas, aut mutuo accipientem locupletandum, aptum & idoneum est; cumque ne de sorte quidem recuperanda aliqua spes affulgeat. Nam aliud mutui genus, nemo (in quo mica salis est) cum illo exercebit, quem sibi infensum esse norit. Hujus in inimico scilicet promerendo exempla existunt in Elizæo erga Syros: & David erga Saulem: qui non modo inimicis non nocuerunt, sed etiam ne non nocerentur, studiose procurarunt: præterquam quod beneficiis eos affecerunt.

Apud alios de inimico bene loquēdum; Aliud officii genus erga inimicum exhibendum, in verbis versatur: quod duorum generum est, scilicet, vel civile & ad communem vitam, vel Ecclesiasticum, & quod ad futuram vitam referatur; civile exercetur, vel in nostro de inimico *Apud alios*, vel *Apud se* sermone. *Apud alios* de eo *Bene*; apud se comiter & humaniter loquendum. In quorum priore ut magna est propter insitam nobis pravitatem difficultas, ita etiam propter inimici aut in nos injuriam aut cæteram ejus iniquitatem, inconvenientia. Videbimur etenim de vanitate periclitari, si de illo bene loquamur & eum laude ornemus. Verum intelligendum est, Christum non hoc agere ut nos maleficiorum præcones constituat, sed tantum morbo occurrere quo laborant omnes fere qui inimicitias exercent: quibus consuetum est per odium inimici omnia, ipsius dona seu dotes obscurare, aut unica veluti litura delere. Odium enim quo in alium flagramus, aut nobis ita oculos perstringit, ut quod inimico speciosum est, deforme apparet, quod album nigrum, &c. aut certe si ita luceant, ut vel cæcis velint nolint innotescant. Id tamen agunt, ut vel callide dissimulent, vel ambitiose extenuent, vel modo quopiam alio depravent. Sensus igitur est, caveri debere ne odio abrepti inimicum justa laude (si quam laudem mereatur) privemus: sed eum quoties res postulat, testimonio nostro ornare non dubitemus. Hujus rei exemplum habetur in Davide, qui justas Sauli laudes in Epitaphio cumulate tribuit. Item in Paulo 1 *Corinth*.4,12. & *Rom*.9. ubi privilegia Iudæorum & immunitates ingenue & libere prædicat, tametsi sibi infensissimi erant.

Aliud civile erga inimicum officium est, si eum comiter & urbane salutemus. Quod quam urgeri operæpretium est, declarat satis congressus & occursus eorum qui dissidio aliquo inter se laborant. Ita enim mutuo se prætereunt ac si ex ultimis terris egressi, se nunquam ante conspexissent. Ita se etiam torride aspiciunt mutuo, ac si idem illos periculum mutuo aspectu maneret, quod illis accidere dicunt, quos Basiliscus prior aspexerit. Atque ita quoties aut occurrunt aut congrediuntur, susceptas inimicitias reficiunt & corroborant. In quo declarant quam sui potius quam Dei amantiores sint. Papistam enim, aut Turcam, aut Iudæum, aliumve infidelem, non dedignabuntur salute impartire, suum vero inimicum tametsi Christianum & Euangelicum salutare recusabunt, tanquam muto quodam diabolo occuparentur. Sed hic aditus humanitati præcluditur, quo quis prior incipiet utrinque attenditur. Verum meminerimus ex Paulo ad *Philipens*.2. ut alios honore antevertamus. *comiter & urbane inimicus salutandus,*

Superest postremum, quod tamen primum esse possit officium: scilicet, ut inimicos Deo precibus commendemus: ut pro illis omnia bona (maxime quæ salutem attingunt) impetremus. Quod cum gravissimum & maximum officium sit, tamen ab hominibus facillime adversus inimicos impetratur. Qui enim nullo alio officio inimicum juvare recusat, & ne salutare quidem inimicum sibi animum inducere potest, tamen precibus se illi non defuturum pollicebitur. Quod totum simulatum est. Nam qui ex animo, & sine fuco & hypocrisi pro hoste omnia bona ei apprecatur, cum acturum ut quod à Deo petiit, inimico eveniat dubitare certe nemo debet. Ecquis enim est qui sibi à Deo bona ex animo petit, qui idem non ut illa accipiat operam dabit? alioqui enim Deo illusisse videbitur qui ea petiit, quæ contemptim præterit. Hoc igitur difficillimum quod est, ut præstemus summa contentione & conatu elaborandum est. Cujus exempla extant in Christo, in Stephano. *Actor*.7. in Paulo 1 *Corinth*.4,12. & Davide, qui etiam precibus pro illis jejunium adjunxit *Psal*.35,11,12,13,14. *& Deo precibus commendandus.*

Sic videmus quomodo in omni genere officiorum nos abundare oporteat adversus inimicum: primum affectu & charitate: deinde, factis & dictis: tam in his quæ ad homines, quam quæ ad Deum spectent. Quæ- *Summa eorum quæ inimico præstanda*

que hanc & futuram vitam continent: tum erga ipsum inimicum, tum erga eos qui eum attingunt. In quibus quantum nobis deest, tantum Christi egemus magis: tantum nobis ad Christiani hominis officium præstandum deest. Quod si omnia desunt, deesse etiam charitatem in promptu est: quemadmodum omnibus perfectus nisi ex charitatis affectu procedant, vana sunt & inutilia. 1 *Cor*.13. Neque vero existimandum est doctrinam hic proponi eorum quæ nobis avia sint, & quorum consequendorum nulla major spes apparet, aut Christum magis quid fieri debeat, quam quid possit, spectasse, quandoquidem exempla occurrunt eorum qui hæc olim præstiterunt. Quid igitur (inquit aliquis) superest, in quo nostram erga amicos gratitudinem comprobemus? videntur enim nulla officia reliqua fieri, quibus me accepti beneficii gratum & memorem ostendam, & in quo adversus inimicum officia superem, &c.

Vers. 45. *ex quibus nos Dei filios probabimus,*

Ad hæc nos officia charitatis cohortatur argumento ab effectis, scilicet, quod sic nos Dei filios esse comprobabimus, dum eum imitemur qui bonos & malos, gratos & ingratos, amicos & inimicos beneficiis afficit. Quanti veró hoc est, nos terræ filios, Dei filios nuncupari nullos habet explicatus. 1 *Ioh*.3,1. sive præsentem honorem, sive futuram hæreditatem spectemus. Si quis genus suum ad regiam stirpem referre possit, eo sibi ipsi non deerit, maxime si regni hæreditas inde suspensa teneatur, &c. Nulla vero tam certa nota inveniri potest, qua quis alterius filius dignoscatur, quam hæc est ad nostram cum Deo cognationem stabiliendam. Non enim ex aliorum fide & testimonio pendet; sed indubitato propriæ conscientiæ testimonio. Matris testimonium nos fallat. Pater opinione sua decipi possit: vultus & corporis lineamenta nec semper respondent, nec si respondeant originem indubitato arguunt. Quamobrem si nobis jucundum sit cœlo oriundos esse, & genus ab ipso Deo ducere, demus operam & nervos intendamus, & charitatis munia exerceamus.

quod fide consequimur:

Quod vero dicit, (*ut simus*) non ideo fit ac si his officiis, in filios Deo coaptaremur. Fide etenim hanc dignitatem consequimur *Iohan*.1,12. *Rom*.4,11. nec inimicos diligere quis potest, nisi prius Dei filius sit. Sed reipsa non simulate nos Dei filios esse, hoc modo arguitur. Fides enim coram hominibus nos Dei filios non reddit, sed bona opera hoc esse declarant. vide 1 *Ioh*.2,5.

cui Deus maxima beneficia confert.

Ex multis autem beneficiis, quæ Deus in humanum genus confert promiscue, duo præcipua seligit: scilicet, solis & pluviæ. Quæ cum tanta sint quanta ab hominibus erga suos inimicos conferri nequeunt, sitque certum Deum à suis gravius offensum quam nos à nostris inimicis, indigni certe fuerimus qui filiorum Dei appllatione censeamur, nisi lucerna nostra inimici tenebras illustremus, & scutella aquæ nostræ ejus inopiam sublevemus. Vix enim lucernæ aut scutellæ aquæ nomen obtineat quod conferimus, si cum largitione divina contendat. Observandum eosdem *bonos*, qui grati; *malos* autem qui ingrati sunt ab Euangelio appellari: ut sciamus quo loco habendi sint, qui Cœnam detrectant, in qua de tam incomparabili beneficio gratos se præstare debent Observandum præterea non esse nobis ipsis adulandum, si externis bonis fruamur; cum illud profligatissimis accidat, &c.

Vers. 46, 47. *Merces eximia ex officiis inimico præstitis,*

Alterum argumentum quo ad hæc cohortatur, est ab adjuncta mercede, qua illi privabuntur qui nulla in inimicos charitate utuntur; sicut contra, mercedem magnam his repositam esse docet *Lucas*, qui se in his officiis exercuerunt. Ita ut inimicus sit veluti ager feracissimus, in quem qui semen projicit liberalitatis, multiplicem & copiosum fructum profert: præsertim vero certitudinis, nos esse germanos Dei filios & magnam mercedem in cœlis reportaturos. Nec tamen sequitur, mercedem hanc nostris officiis erga inimicos comparari (pessimum enim est à mercede ad meritum argumentum) est enim gratuita merces, non minus quam & merita. Vita enim æterna est donum Dei *Rom*.6.

sine quibus publicanis non sumus meliores.

Hoc probat à paribus: quia hoc modo charitas nostra, non erit peccatorum & publicanorum gentiumve charitati superior; hos vero cum vosmet regno cœlorum indignos judicetis, efficitur quod dixi, ut nulla vobis in cœlis merces reposita sit. Mercedem quidem hic habetis, quod beneficium in amicos conferentes paria accipiatis: sed in cœlis nulla vos manet remuneratio: quæ (*Gratia*, scilicet apud Deum) vos manet: ut est apud Petrum. Hæc igitur nota, *Charitas in inimicum*, Christianum ab Ethnico: Iustum à peccatore: pium à prophano seu publicano non distinguit. Nisi igitur quis aliquo-

aliquousque hoc præstet, Christianum te esse falso obtendit. Atque hoc modo indicat Christus, quam absurda erat Pharisæorum, &c. de charitate doctrina; qui non aliam Iudæis necessariam putabant, quam Gentes inter se colendam existimarant.

Estote perfecti, id est, ad perfectionem contendite, sic *Ephes.4,13. Philip.2,15.* ut hoc modo vos esse germanam & spiritualem Dei sobolem declaretis. Vers. 48. *idcirco ad perfectionem contendendum.*

MATTH. *cap. 6. à vers. 1. ad 9.*

ATtendite ne justitiam vestram exerceatis coram hominibus, ut spectemini ab
eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui est in cœlis.
2 Itaque quum præstabis eleëmosynam, ne curato buccina cani coram te, sicut hy-
pocritæ faciunt in Synagogis & in plateis, ut gloriam consequantur ab hominibus.
amen dico vobis, retulerunt mercedem suam.
3 Quum vero tu das eleëmosynam, ne noverit sinistra tua quid faciat dextera tua:
4 Vt sit tua eleëmosyna in occulto: Pater autem tuus qui te aspicit in occulto, red-
det tibi in propatulo.
5 Et quum precaberis, ne esto ut hypocritæ. amant enim in conventibus, & in
angulis platearum stantes precari, ut appareant hominibus. amen dico vobis, retule-
runt mercedem suam.
6 Tu vero quum precaris; introito in conclave tuum, & clauso ostio tuo precare
Patrem tuum in occulto: & Pater tuus qui te aspicit in occulto, reddet tibi in pro-
patulo.
7 Precantes autem ne eadem blaterate ut Ethnici. putant enim fore ut sua illa lo-
quacitate exaudiantur.
8 Ne igitur ipsis assimilamini. novit enim Pater ille vester quibus sit vobis opus,
antequam vos petatis ab eo.

ANALYSIS.

PRolepsis est cautionem adhibendam esse in eleëmosynis dandis, ut hominibus præsentibus spectantibus non fiant: quod arguitur à fine, ne ideo pauperibus largiantur ut ab hominibus spectentur; deinde ab adjuncta mercedis jactura, quæ amplificatur ab efficiente Deo Patre, qui etiam describitur à subjecto.

Vers.2 A remotione efficientis instrumenti quo eleëmosynæ erogatæ innotescunt, tubæ scilicet cantus; quod amplificatur à disparato, quod hypocritæ hoc faciunt: deinde à remotione subjecti loci, Synagogis & vicis; porro à fine ulteriore quam fuit prior, ut spectentur, qui autem ad hunc refertur; qui etiam finis arguitur ab adjuncta præmii jactura apud Deum, quod innuitur ab adverso, quia præmium suum ab hominibus receperunt.

Vers.3. Quod etiam testimonio confirmatur: deinde à comparatione minoris arguitur, ne sinistram &c. quod testimonio triti proverbii confirmatur.

Vers.4. Quod confirmatur à fine, ut sit eleëmosyna occulta, deinde ab adjuncto præmio, quod arguitur ab efficiente Deo Patre, qui videt quod occultum est; & amplificatur adjuncto omnium hominum & Angelorum intuitu.

Vers.5. Alia πρόθεσις, non esse precandum simulate; quod arguitur à disparato, quia hypocritæ sic faciunt: qui describuntur, 1. ab effectis, qui solent ad hominum aspectum precari: quod probatur à subjecto loco, vicorum & platearum ubi precantur; item à fine, ut ab hominibus conspiciantur: deinde ab hoc peccato dehortatur à jactura præmii à Deo; quod indicatur ab adverso, quia ab hominibus præmium acceperunt, & testimonio gravissimæ asseverationis confirmatur, *Amen.*

Vers.6. Hoc porro confirmatur à subjecto loco privatæ orationis; scilicet conclavi: deinde ab adjuncta ostii conclavis clausura, deinde ab adverso privatim & clam alios precandi; quod probatur ab adjuncta Dei visione in his rebus quæ abditissima sunt; denique ab adjuncta mercede, quæ amplificatur ab efficiente Deo, qui dat; & adjuncta publica & omnium oculis objecta remuneratione.

Vers.7. Alia propositio est, non in precando oportere multiloquio uti, 1. ab effecto, quod sit imitatio quædam inepti hominis; deinde à disparato, quod Ethnici hoc faciunt: quod confirmatur ab adjuncto errore, quia putant se exauditos iri ob multiloquium.

Vers.8. Quod porro arguitur à comparatione dissimilitudinis; denique ab adjuncta Dei notitia, quæ omnia norit, quibus opus habemus.

METAPHRASIS.

SIcut ab his cavendum, quæ lege divina 1.
prohibentur, ita animum adhibete, ne in
his ipsis quæ lege imperantur, reatum contrahatis.

batis. Et quidem primum opera danda est, ne
eleemosynam vestram coram hominibus con-
feratis, hoc præsertim consilio, ut ab illis spe-
ctemini. Quod si secus feceritis, mercede, quam
Pater cœlestis in eos conferre solet, qui in ege-
2. *nos benefici sunt, penitus excidetis. Quamob-*
rem privatim daturus eleëmosynam, noli tan-
quam tubæ sonitu hominum oculos in te con-
vertere; sicut facere consueverunt hypocritæ,
qui, quod pauperibus erogant, non nisi in locis,
ubi quamplurimos testes & arbitros habeant,
puta Synagogis & vicis, liberalitate in indi-
gos utuntur: qui quid aliud quærunt aut se-
ctantur, quam ut manem apud homines glo-
riam aucupentur? Nec inficias eo, quin quam
sequuntur gloriolam nonnunquam assequan-
tur; sed sancte vobis confirmo & illis, quod à
Deo præmii recipiant nihil subesse, nisi forte
præmium placet appellare quod illis pœna no-
3. *mine interponitur. Tu vero cum quid ad pau-*
perum subsidium erogaveris, adeo latenter &
tecte illud in paupertatis sinum insere, ut
non modo alii illud non rescifcant, sed ut ne
sinistra quidem manus (quod proverbio cele-
4. *bratur) quid dextra faciat, conscia sit. Ut*
cum eleëmosynam, quam confers, homines ce-
les, Pater cœlestis (cui occulta omnia retecta
sunt) in summa totius mundi corona & con-
sessu, tibi collatum in pauperes beneficium a-
5. *bunde reponat. Par ratio est in illis officiis,*
quæ ad Dei cultum spectant: & quidem pri-
mum in precandi lege danda opera est, ne ad
hypocriticum exemplum vos conformetis, qui-
bus solemne est locis frequentatis, puta conven-
tibus, & platearum angulis, in quos urbis vi-
ci se exonerant, stantes Deum comprecari: hoc
spectantes, non ut alios ad precandum excitent,
sed ut ab hominibus spectati laudem conse-
quantur; quam quin assequantur equidem
non inficias eo: illud unum constanter affirmo,
nullum illis à Deo præmium esse repositum,
quod non pœnæ potius, quam præmii nomine
dignum reputetur.
6. *Tu vero cum Deum privatim precaris,*
conclave ingredere, & occluso ostio, Deum
Patrem, qui te in occulto loco intuetur, ora: sic
fiet ut Pater tuus te in abstruso loco orantem
contemplans, tibi mercedem invocati nominis
sui, in maximo omnium & hominum & An-
7. *gelorum consessu, & corona reponat. In pre-*
cando alia porro cautio est adhibenda, ne vos
ad insulti & inepti [illegible] Poëtæ Batti, qui ca-
dem fere chorda oberrabat, exemplum confor-
metis. Quod idem à Gentibus prophanis (qui-
bus vos dissimillimos esse convenit) observa-
tum est: apud quas hæc opinio invaluit, fore ut ob duplicatas & sæpe iteratas preces exaudiantur. Nolite igitur illis similes esse: quandoquidem preces ideo institutæ sunt, ut omnes ad Dei obsequium erudiant, non autem ut rem clam illum retegant; nam ut nulli admoneamus, omnia quibus opus habemus cognita prius & perspecta habet.

Summa *est in his quæ lege Dei imperantur, declinandum esse à corruptelis, ut illa Deo probemus.*

Partes *sunt: corruptelæ declinandæ in*	*Eleëmos. erga homines.*
	Oratione ad Deum.

PRAXIS.

HActenus de iis operibus, quæ lege prohibita sunt, sequuntur quæ præcipiuntur, sed ab hominibus ita inquinantur, ut non minus, interdum magis exosa sint, &c.

Attendite, &c. summam curam & cautionem adhibendam docet; ita est naturæ nostræ infixum ut hominum cura, &c. Secundo, non tantum cavendum, ut quis in iis quæ lege mandantur, se exerceat, sed etiam ut debito modo & ratione, &c. quod in tribus, Eleëmosynæ, precum, & jejunii officiis expresse, ad omnia alia Synech. id referri debet. Homines, modo quod præcipitur fiat, non valde sunt solliciti de modo, &c. sed Deus, &c. Multi peccatores sunt, qui sibi fræna vivendi ut velint laxantes, &c. Vers. 1. *Modus quinam in Dei mandatis tenendus?*

Alii qui arctiorem viam ineuntes, oleum tamen & operam perdunt, quia rem à Deo præscriptam foras exsequentes, animo tamen intus rite & debite comparati non sunt. Hi non meliore, sæpe pejore conditione sunt quam illi. Hinc Christus cœlorum portas, publicanis & meretricibus aperiens; Pharis. &c. excludit. Contra Iudæorum & Pontificiorum opus operatum; item Christianorum, qui quod se concionibus, sacram. precibus sistunt, &c. egregie secum agi putant.

Deinde hic implicite jubemur eleëmosynas in pauperes erogare. Ideo enim pauperes inter nos, &c. ut nostræ charitatis experimentum Deus caperet: imo ut inde liqueret quo animo simus erga Deum 1 *Ioh.*3. *qui hujus mundi bona possidet, & fratri egenti non succurrit, quo modo charitas Dei, &c.* Quin hac de causa diligenter laborandum, ut nobis suppetat quod pauperibus largiamur. *Ephes.*4. multi sollicite laborant, ut suis & suorum necessitatibus, &c. sed quotusquisque Vers. 2. *etiam in eleemos. erogandus?*

tusquisque

tusquisque est qui ideo mane surgit, aut sero cedit cubitum, ut eos qui egestate premantur reficiat?

Coram hominibus, id est, primo hæc de privatis his pietatis & justitiæ officiis, non de publ. intelligenda, nam publice profiteri & præ nobis ferre, & licet & cōvenit. Secundo de privatis non sine aliqua exceptione, &c. nam si pauper occurrat cui subventio debetur, nec possis nisi spectantibus fratribus illi subvenire; tamen, &c. Vetat ergo studium hominum curam & existimationem captandi; *ut spectemini*, id est, hoc vobis proponentes, ut, &c.

Eleëmosyna est liberalitas quæ ex cōmiseratione alterius miseriæ evocatur; ut enim omnes facultates in pauperibus pascendis & nutriendis impendas, charitatem tamen non habeas, &c. 1 *Cor*.13,1,2.

quo neglecto merces concidit; Prima ratio, quod præmium à Deo non consequantur; ubi observandum manere precium his qui debite & ex Dei præscripto dant. *Eccles*.12. pauperes agro feraci comparantur, in quo quicquid sementis jactum est læte & fœliciter provenit. 2 *Cor*.8.& *Galat*.6. qui pauperibus gratificantur, sementem facere dicuntur, &c. ut semen Isaaci apud Philistæos & septem anni feraces in Ægypto.

Hæc grana non sunt unius generis. quædam { in cœlis, *Matth*.6. *Luc*.16. inter. eaq; resp. vitæ { futuræ, ut in Cornel. *Act*.9. qui ex eleëmos. &c. præsentis, vid. *Deu*.24. 19,20.& 2 *Cor*.8.

quod hypocritæ faciunt. Secundum argumentum à dispar. quod hypocritæ hoc faciunt; simul à personatis, qui aliam in theatro personam gerunt quam, &c. hoc Deo valde exosum, ut quis virtutem & pietatem quæ nulla est simulet: ac si Deus nihil cognosceret aut curaret, eorum quæ in terra aguntur.

Tuba ponitur Synechd. pro rebus omnibus quibus tanquam præconibus publicis homines utuntur, ad suam liberalitatem ostentandam vide *Prov*.20,6. & quæ in illum locum annotata sunt.

Retulerunt mercedem sc. inanem apud homines liberalitatis existimationem, nec quicquid est quod ulterius a Deo expectent. Imo non tantum mercede expectata privabuntur, sed porro gravius judicium subibunt, vel eo nomine portio cum hypocritis.

Remedium præscribit adversus hanc ambitiosam humanæ laudis affectationē. Theatrum longe augustius erigit & excelsius; cœleste: spectatores prioris, homines caligine suffusi, cui facile imponat quis; qui sæpe prodigos, interdum avaros pro benignis & munificis deprædicent: hujus, Deus, cui nemo imponat, &c. Illi præter vanas & vanescentes laudum voces nullum βραβεῖον conferunt: sed Deus, &c. Deinde & hæc laus quam homines tanto studio affectantur, debita & justa largitione potius quam priore comparatur: nam in die judicii totius orbis terrarum, laude & approbatione ornandi erunt, &c. Vers. 3, 4. *Quomodo ambitio in iis vitanda?*

Eædem in precibus corruptelæ quæ in eleëmosyna. Vers. 5, 6.

Hic primum error proponitur, & ratio cui incumbit. 2. rectus usus, rationibus etiam munitus. Vers. 7, 8.

Error est multiloquium, de quo vide *Eccles*.5. Describitur autem hoc multiloquium à subj. insulsi cujusdam Poëtæ, nomine Batti, qui una eademque voce eodem carmine sæpius perstrepebat; perinde etiam ut imperitus musicus, una eademque chorda oberrat. Non ergo vetatur prolixa oratio, aut sæpius Deum precibus interpellare; aut vero etiamsi quis zelo inflammatus easdem voces repetat. vide *Psal*.22,1.*Deus mi, Deus mi, &c.* sed, &c. *Ethnicorum in precibus multiloquium;*

Ratio cui hæc corruptela innititur, quod existimant se ex multiloquio exauditos iri; expressa imago precum *Pontific*.

Christus nos his dissimiles esse vult; ratio quia Deus novit quibus opus habemus, &c. non ergo precamur ut Deum necessitatum nostrarum certiorem faciamus: sed ut nostrum obsequium ei præstemus. 2. ut acceptis his quæ petivimus, testimonium divini in nobis exaudiendis favoris comparemus. *quod non imitandū.*

MATTH. *cap*. 6. *à vers*. 9. *ad* 14.

9 *Vos igitur ita precamini*, PATER *noster qui* es *in cœlis*, *sanctificetur nomen tuum*.

10 *Veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo* ita *etiam in terra*.

11 *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*.

12 *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*.

13 *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos ab illo malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, Amen.*

ANALYSIS.

A Disparatis probat pios dissimiles esse Gentibus Deum precando: qui ad formam precationis à Christo præscriptam preces exigere debent. In præfatione fiduciam docet in precibus adhibendam, à relatis, quia in Christo Pater noster est Pater Christi. Deinde reverentiam à subjecto loco, ubi Deus potissimum gloriam suam declarat in cœlis. Prima petitio ex subjecto Deo, seu Dei nomine, & adjuncto Deo proprio, Dei gloria constat.

Vers. 10. Secunda petitio ex subjecto Dei regno, & adjuncta ejus amplificatione & dilatatione, 3. ex subjecta Dei voluntate, & adjuncta ejus obedientia, & obsequio: quæ obedientia declaratur suo subjecto in terris, & illustratur parium obedientia in cœlo.

Vers. 11. 4. Petitio ex subjecto Dei dono quo prospicitur, & adjuncto pane; qui panis describitur suo altero subjecto, nempe noster, & adjuncta commoditate & aptitudine nos pascendi. Item donatio Dei declaratur adjuncto tempore, hodie.

Vers. 12. 5. Ex subjecto Deo remittente, & adjuncto, peccata seu debita nostra; quod confirmatur à comparatione minoris, quod nos nostris debitoribus, & qui nobis obnoxii sunt, remittimus: quibus vix granum est illius misericordiæ, quæ in te immense, infinite inest.

Vers. 13. 6. Ex effecta tentatione, & causa efficiente Deo, qui aut juste, nostro merito inducit in tentationem, aut misericorditer nos ab illa eripit: quod declaratur adverso, conclusio vero gratulatoria ex effecto Deo petitiones nostras concedente, & ex efficiente quia nos omnia Deo adscribimus, quibus perficiantur, quæ petimus; quæ per partes explicantur, regnum, potentiam, gloriam. In *Amen* est nota adjuncta fidei certitudinis, quam adhibemus Deo; fore, ut tam indubie à nobis postulata præstentur, ac si jam exsequutioni mandata essent.

METAPHRASIS.

9. *ATque quo commodius vobis à precandi corruptelis, quibus infideles implicantur, caveatis; ad hanc formam preces vestras quascunque ad Deum fuderitis, conformabitis: ut si non totidem verbis Deum oretis, tamen nihil præterquam quod sit his verbis comprehensum, admisceatis. Te Deum per Filium in Spiritu Sancto, ad colligendum fiduciam, Patrem appellantes, ob eam causam omnia implentem in summo cœlo, seu beatorum domicilio, nobis ob oculos proponimus, ut animos nostros sensu majestatis tuæ perfusos, facilius in religioso tui timore contineamus. Cum autem petitiones nostræ duorum generum sunt, unum quod te & cultum tuum respicit, alterum quod nos & beatam nostram conditionem intuetur, à tuo cultu principium (ut decet) capiemus. In quo primum & summum quod petimus est, ut quæcunque cogitantur, dicuntur, & fiunt, sive à nobis, sive ab aliis, ea omnia ad tuam gloriam, cui omnis in solidum honos debetur, redeant atque redundent: tametsi honori, atque adeo saluti nostræ decideret, quod tibi & honori tuo accesserit.* 10.
Quia autem gloria tua procurari nequit, nisi te regnum obtinente: precamur, ut rebus omnibus quæ in cœlo, terra, atque adeo in inferis sunt, infinita potentia tua, ad Ecclesiæ commodum moderatis: ipsa Ecclesia Verbo tanquam sceptro, & Spiritu tanquam clava per illos administros quos constituisti gubernata, usque eo & numero, & splendore provehatur, quoad Christi Iesu glorioso adventu, omnibus suis numeris & partibus perfecta absolvatur. Porro, quia te regnum & imperium obtinente, gloria nominis tui inter homines non illustratur, nisi tibi sancte & juste imperanti obsequenter & observanter pareatur: supplices petimus, ut in nobis, nostra voluntate & affectibus abnegatis, tua, quam nobis in Verbo patefecisti voluntas unice obtineat, quam precamur à nobis non tantum studio & nisu tentari, sed re & facto impleri: idque ea alacritate, promptitudine, & per omnia & singula mandata obsequio, quod beatorum in cœlis spirituum (tametsi eam non exæquet) obedientiam, quam vivacissime exprimat &
imitetur. Nostra omnia cum minima tum maxima, tanquam unico fonti & authori accepta ferentes, abs te supplices precamur, ut cum victum & operimenta, tum eam aëris & cœli temperiem aliaque id genus, benigne & gratuito largiaris, quibus caduca hæc vita nostro labore non tantum ad necessitatem, sed ad honestam & moderatam oblectationem sustentetur; cum hac tamen exceptione, quoad illa tibi sapientissimo Patri expedire videbun- 11.
tur. Sed ante omnia quæ nos attingunt contentissime precamur, ut agnoscentibus omnis generis peccata nostra, & serio eorundem sensu tactis, nobis indies fidem adaugeas: qua peccatorum, quæ nulla nostra aut cujuspiam alterius opera, vel minima ex parte, expiari queant, gratuitam remissionem consequamur. Cujus remissionis indubitata persuasio, quia plurimum ad pacandum conscientias momenti habet: precamur porro, ut spiritu miserationum visceribus nostris indito, sic animos nostros flectas, ut condonatis ex intimis animi 12.

precor-

præcordiis, injuriis & delictis, quibus nos alii immerito gravant, cum animis nostris nostra nobis abs te peccata omnia condonari penitus statuamus; præsertim cum nobis, natura nostra instinctu immanibus & efferis, tu natura & gratuita promissione infinite misericors
13. *existas. Sicut autem de exactis peccatis veniam petimus, sic non minus nos sollicitos habet cura, ne illis peccatorum laqueis denuo teneamur, quibus nos tam benigne expediveris. Quamobrem cum ad peccandi promptitudinem, quæ nobis natura penitus insita est, merito accedat judicium tuum justissimum, quo nos ob peccata jam ante perpetrata in manus peccatorum nostrorum concludere, & in reprobum sensum tradere possis: precamur obnixe, ne nos aut in peccata aut vero afflictiones, quæ sua gravitate nos ad peccandum impellant, inducas. Ob eamque causam petimus ut nos à diaboli, mundi, & carnis propria tyrannide asserens, aut peccandi occasiones & irritamenta nobis præscindas; aut si tibi & sapientiæ tuæ visum fuerit, nostri in te obsequii periculum capere, illam ut virtutem & vires conferas, quibus resistendo pares simus. Denique petimus opido, ut si per carnis nostræ pravitatem aliquantulum à recta semita deflexerimus, tu paululum nutantes sustineas, & ilico priusquam in cœno peccatorum nostrorum demersi fuerimus, extenta manu inde nos eruas extrahasque. Quæ omnia ut abs te supplicissime petam, mihi stimulum addit quod tui unius (si proprie loqui velimus) regni & imperii in cœlo & in terra jus sit: quod homines commodato abs te accipiunt: nec tantum regni jus, sed potentia omnia quæ petimus efficiendi, qua Reges quibus jus imperandi abs te concessum sit, plerumque destituuntur. Quod cum regnum & potentia nullis nec temporum nec locorum cancellis (ut in aliorum imperio & potentia) circumscribitur: tibi etiam uni ex hoc tam augusto regno & potentiæ amplitudine, omnis gloria & laus in omnia secula justa & debita est. Quæ quidem postulata omnia, ut abs te supplicissime & cupidissime mihi concedi precor: ita ex illis singula suo tempore tam certo præstanda fore confido, ac si jam præstita essent.*

PRAXIS.

De dominicæ orationis petitionis.

Quænam petantur dominica oratione?

DOminica oratione petuntur, quæcunque nobis divina lege & doctrina præcipiuntur, sive animi tantum sint, sive animi simul & corporis esse indicantur. Atque ut decem præcepta veluti pugnus contractus sunt persequendorum & fugiendorum; sic hæc oratio compendium est omnium, quæ à Deo comprecanda aut deprecanda sunt.

ea ad formam decalogi constructa.

Quamobrem ad formam etiam Decalogi à Christo constructa est hæc oratio. Sicut enim Decalogus duabus tabulis discluditur, sic hæc oratio in duas petitionum veluti tabulas distribuitur. Quarum tres primæ, Deum: posteriores tres, nos & proximum respiciunt. Sicut igitur in ordine mandatorum, sic & petitionum docemur majorem rationem eorum quæ Dei sunt habere, quam proximi: seu nostrimet, seu aliorum; juxta illud, *Primum quærite regnum Dei, Matth.6.* Docemur igitur hic precari, ut abnegatis nobismet ipsis, nedum aliis, in Dei amorem feramur: idque non tantum ad hujus vitæ, sed & futuræ dispēdium, siquidem res ita flagitaret. Hoc docemur exemplis Mosis *Exo.32.* & Pauli *Rom.9.* Si enim vel proximo hoc debemus, ut præsentis vitæ & commodorum ejus jacturam libenter perferamus, officium quod Deo debetur majus & accuratius esse necessum fuerit. Homines principi suo quibus in vitam imperium est, vitam suam quoties usus est, debent: quanto magis Deo, cui in animum simul & corpus summum jus est, &c.

In petitionibus quæ Deum recta respiciunt { Prima Dei gloriam apprecatur. / Reliquæ duæ, rationem Dei glorificandi indicant. }

Vers. 9. Quid sit Nomen Dei & illud sanctificetur?

Primæ petitionis verba primum excutiantur. In qua, quid sit *Nomen Dei*, quid *Sanctificare*, docetur ex contrario, scilicet *polluere Nomen Dei, Ezech.36.* unde illud liquebit, quantum nobis honorē Deus habet, qui sanctissimus cum sit, cui nihil vel addi vel detrahi possit, à nobis tamen prædicari velit. Hic igitur locum habet insignis illa oratio Davidis, 1 *Chronic.92, 14.* &c. Item illud Salomonis 1 *Reg.8.* neminem esse idoneum qui Deo templum extruat. Perinde enim est, ac si quis ex mille talentis quæ illi ipse donavit, aliquid ipsi regi adhuc abundanti ex eo quod ipse donavit Regi offerret. Hoc magis, quod infinitis Angelorum myriadibus instructus sit, à quibus gloriose prædicari & celebrari posset. Imo lapides ipsos ad hanc rem fingere potest. Huc refer, quod ideo servi fideles nuncupamur, &c.

quid ea petitione intelligatur?

His igitur ad hunc modum positis, videamus quis sit hujus petitionis sensus. Quod quo facilius intelligatur, sciendum quousque

que Dei gloria pateat, & quam latum campum sortiatur. Apparet autem nusquam excludi: sed in omnibus & cogitatis & dictis & factis locum habere. *Prov.*16. *Deus omnia suam ob gloriam facit: impium etiam in diem malum*, 1 *Corint.*10, *v.*11. *Colos.*3. *v.*17. Hinc conficitur sensum hujus petitionis esse, ut quæcumque in mundo gerantur, ad Dei gloriam cedant, & quidem ut pii omnes, hoc sponte & studio agant: impiorum vero facta, tametsi ex se gloriæ divinæ obsunt, tamen omnipotenti Dei sapientia ad ipsius gloriam, ipsis autem nolentibus aut non cogitantibus, contorqueantur. Atque hæc summa hujus petitionis est.

Sanctificatio Dei quibus potissimum peragitur? Hanc vero melius intelligemus, si in partibus illam consideremus. Et quidem illud hic & in reliquis his petitionibus, quod in præceptis observatur, scilicet præcipue peti & ante omnia ut corde & intus Deum sanctificemus. Cor enim præcipuum subjectum est sanctificandi Dei & prima sedes sanctitatis. Hoc olim adumbratum est legali lotione corporis & vestium, idque mente & affectu.

Sanctificamus autem Deum corde, fide in eum recumbendo penitus, & ab illo omnia quæ pollicetur certissime exspectando. Hinc Abraham dicitur credendo Deum glorificasse *Rom.*4. idque non tantum in his quæ ad æternam, sed in his quæ ad hanc vitam spectant: fideles enim nunquam deserit; *nunquam vidi justum derelictum*, *&c. Psal.* 34. In quo homines suam hypocrisin produnt, qui de vita æterna se minime dubitare profitentes, hæsitant tamen de his quæ minora sunt. Hoc autem arguitur ab adversis Mosis & Aronis exemplis, qui Deum non sanctificasse dicuntur, quod non firmiter crederent aquam è Petra profluxuram. Quamobrem nulla est legitima precatio quæ non ex fide *Jacob* 1. Si enim homuncio se inhonorari ducit, cum ei dicenti non creditur; quanto, &c. Hinc non acquiescens Dei promissis, Deum mendacii insimulare dicitur. Quamobrem hic precamur, &c.

Sanctificatur etiam Deus in corde, *Timore Esa* 8. & 1. *Pet.* 3. *Et ipse sit timor vester.* Si enim Principes se contumelia affici putant à suis subditis & servis, si cujusque subditi eorum metu illa obire metuant servi & subditi quæ à principibus facienda præcipiuntur; multo magis, &c. Hinc 2. *Sam.* 13.28. Absalon servis suis de Ammonis cæde præcipiens, subjungit; *nonne ego præcepi*, *&c.* quanto magis Deo justa imperanti parendum, absque timore creaturæ ullius. vide *Ioh. cap.* 1,9. Quamobrem cum natura plus nobis ab hominibus & à paupertate, &c. metuamus; hic petimus, ut &c.

Foris etiam. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra & glorificent, &c. Matth.* 6. ut contra per prævaricationem legis Deus blasphemiis petitur *Rom.* 2. non secus quam cum degener filius de patre maledicendi ansam præbet, aut servus infrugi. Promittit Dominus honore se afficientes, ipsum eos honore rursus affecturum. 1. *Sam.*2.

Regnum Dei *duplex*,
- Hoc quidem quo omnia quæ creavit, regit, gubernat, & sua in integritate conservat. Vers. 10.
- Illud vero, quo hominibus ita imperat, ut electis ad vitam per Christũ adductis reprobi æternis suppliciis constringuntur. Quod regnum Christi appellatur; & hoc loco Regnum Dei; sed tamẽ quoad noster in Christo pater est.

Quomodo Christi regnum adveniat? De posteriore membro hæc petitio intelligitur, de quo regno *Luc. cap.*1. *Ose. cap.*2. *Dan.*2. Hoc loco vide quanta sit fœlicitas Christum regem habere. Si enim Israël beatus populus judicabatur, quod Salomonem regem habuit; quanto magis, &c. Petimus igitur hoc loco ut regnum Christi in terris inchoatum usque eo provehatur, quoad omni adversaria potestate ejus pedibus subjugata, perfecta illi undequaque obedientia exhibeatur. Hoc quo melius intelligatur, cogitandum nobis est omnes homines natura esse filios tenebrarum, & sub principe hujus mundi & regno Diaboli captivos & mancipia; nec quicquam extra Christum esse præter confusionem & perturbationem; omnes esse veluti feras bestias, in deserto aberrare paratos in singula momenta à Diabolo tanquam venatore opprimi, & in fossam ignis æterni absorberi, omnes esse sicut oves quæ in montibus palantur, sine pastoris custodia: omnes confusum esse chaos, sicut olim nunc tota mundi moles sine ordine & lumine esset. 1 *Corinth. c.* 4. Quod quidem nostrum in precando ardorem accendere debet, ut precibus homines ex ore leonis, ex incendio tanquam titiones semiustas eripiamus.

Partes hujus regni sunt
- Hostium & obnitentis potestatis subjugatio.
- Contrarii erectio & institutio.

In *priore*

In priore parte hæc sunt:
- Peccatum, id est, prævaricatio legis.
- Peccati pœna, Tyranni castella & propugnacula.

quænam ejus causæ? Hoc loco considerandum est quæ sunt causæ hujus regni, scilicet media causa, verbum, &c. efficiens, spiritus. Verbo enim regnat Christus, vide *Ps.*110. ubi *sceptrum Dei* dicitur, & *Ps.*45. ubi *gladius* dicitur. & *Eph.*6.

voluntatis Dei necessaria executio; *Fiat voluntas tua.* Distinguendum est quanam de Dei voluntate: *Quis enim voluntati ejus resistat? Rom.*9. Et *omnem voluntatem meam facito. Esa.*46,10. Et *facit quæcunque vult. Psal.*115. & 135. ut enim lutum in manu figuli sumus. Tametsi in aliis potentissimis regnis multa imprudente & invito dominatore fiunt; tamen, &c. Tametsi enim *Ecclesiast.*3. dicitur, *Regem quod vult facere*; tamen, &c.

quæ nostræ naturæ corruptionem arguit. Precamur igitur hoc loco, ut quæ Deo ex lege grata sunt, fiant; ubi primum naturæ nostræ pollutio indicatur. Nos scilicet natura nolle quæ Deus vult, & velle quæ ipse nolit. *Rom.* 8. *Sapientia carnis inimicitia est coram Deo, ut quæ Dei voluntati subjici nequit.* Et, omne figmentum humani cordis tantummodo malum est, à primo tempore quo movere se incipit. *Gen.*8,21. Idque omni tempore *Gen.*6,5. opus manuum Dei sumus, & nova creatura; ut igitur nos creare nequimus, ita, &c.

Vers. 11. *Per panem omnia necessaria petimus;* *Panem nostrum*, &c. Panis nomine intelliguntur quæcunq; ad hanc vitam spectant. Ἐπιούσιον Græcis proprie significat, quod nobis sustentandis aptum & accommodatum est. Ex quo liquet, peti hoc nomine ut quæcunque ad hanc vitam oportuna & idonea sunt, nobis suo quæque tempore a Deo misericordissimo concedantur.

quibus in dies opus habemus; Experientia nos docet eam esse vitæ præsentis miseriam, ut vix unum diem sine gravi vitæ periculo agamus, nisi alimentis tanquam adminiculis & statuminibus corpus sustentetur. Cum enim ante peccatum nobis pastus necessitas incumbere visa est, tum multo magis ex peccati labe hæc alimentorum durior necessitas fuit. Vitæ igitur hujus fragilior conditio quam tugurii vetustissimi, ut quæ indies refici & restrui debet. Vtraque hac ex parte brutis animantibus quibusdam durior est conditio, quorum hæc famis, illa sitis patientiora sunt. Nec minus verum est hæc nobis non aliunde, quam à Deo clementissimo Patre suppeditari. *Oculi enim omnium Deum intuentur, &c. Psal.*104. *Act.*147. Hoc tamen minus à nobis sentitur, propter insitam nobis ἀπαιδευσίαν; qui vel terræ nutrici, vel amicis, vel propriæ pecuniæ, &c. hæc attribuimus: & securi de illis, Deum largitorem & patremfamilias, in his rebus non magnopere æstimamus. *quod sæpe non sentimus;* Perinde ac si quis uberem singularem rationem habens, nutricem cujus ubera sunt, aspernaretur. Hinc fit, ut aut Deum de his non oremus, aut orando frigeamus. *ideo petendo frigemus.* Sicut enim qui satures sunt mendici, in petendo stipem languidi & fastuosi sunt; sic, &c. Contra vero sensu famis ducti, &c. sic, &c. Danda autem opera, ut quoties à Deo petimus id ex interiore sensu orbitatis & paupertatis nostræ promanet: cæteroquin Deo illudere videbimus, si ea petamus, quæ accipiamus ne an secus, non magni nostri interesse putemus.

Quomodo quæ nobis suppetunt petenda? Sed quomodo, *inquit aliquis*, hoc fiat, ut ita à Deo vitæ adminicula petamus, tanquam eorum orbi, quorum abunde nobis suppetit copia.

Dicam, animum advertas modo. Primum scias nos omnes in patre Adamo, mundi hæreditate excidisse; nec ullum legitimum jus in illum nobis superesse, nisi idem jus in Christo per fidem recuperemus. Extra Christum igitur omnes sunt in creaturarum usura grassatores, & malæ fidei possessores. Per Christum vero suppeditata nobis precibus impetrari: unde *Sanctificari* dicitur. 1 *Timoth.*4. Atque hæc omnium gravissima ratio est, quæ nos ad precandum ardenter impellat. Deinde, quod alimentorum participes, illorum mille modis à possessione depellamur, antequam esu eorum nostra fiant. Exemplum vide 2 *Reg.*7. adhuc luculentius vide 2 *Sam.*30. vbi cibus ex imis faucibus Madianitis ereptus est. Item *Dan.*5. Denique ut maxime cibis potiamur, tamen nisi accedit Dei benedictio, non prodest: Domino panis & vini baculum frangente. *Agg.* 2. *Comeditis & non saturamini, vestibus induitis, & non caletis, &c.* imo in venenum convertantur, *Psal.*78. dum adhuc in faucibus coturnices hærerent, immisit maciem, & plerique confecti sunt. Contra vero Dei benedictionis virtus cernitur in Daniele & in Nazaræis, qui tametsi à cibis exquisitioribus abstinuerint, tamen instar pyroporum splendebant.

Quænam omnino hic petantur? Cum igitur à Deo nobis oportune peti vel tum quidem sciamus, cum maxime abundemus, dicamus quæ sunt, quæ hic petuntur.

Sunt autem illa { Vitæ cultus. / Cum cultu vitæ necessario conjuncta.

Cultus *vitæ* sunt { Victus, { Cibus, / Potus, } 1 *Tim.6.* & *Gen.* 28. / Tegumenta, { Ædes, / Vestes.

Cum cultu *vitæ* conjuncta { Externa hæc, sc. { cœli temperies, / terræ fœcũditas, } *Act.* 14. / Interna illa, sc. benedictio; unde { Valetudo corporis, *Psal.* / Animi gaudiũ, *Actor.* 14.

Sed hic memores simus nostræ inscitiæ, qui ut pueri infantes nescimus quid nobis expediat; eoque omnia hæc, Dei voluntati permittamus.

illa nobis gratuito donantur, Quod autem precamur *(ut det)* gratuitum Dei donum agnoscimus; ideoque eum ut filii parentem adire jubemur, non ut servi; cum ne guttulam aquæ, aut micam atri panis promereamur. Digni enim non sumus quibus mensa cum porcis paretur. Quod nos non modo ad patientiam, sed etiam ad gratiarum actionem accendat, quantulumcunque sit cujus nobis usura conceditur. Hinc Christus de hordeaceo pane, & pauculis piscibus Deum Patrem celebrat.

qui tamen panis noster *dicatur?* Hinc nascitur quæstio, unde *noster* dicatur *panis*, scil. quia nobis datur, & quia nostro labore parari debet. *Gen.*3. & 1 *Thess.*5. *Psalm.* 128. Nec tantum ut nostris necessitatibus manus nostræ subministrent, sed ut aliis aliquid largiamur. *Ephes.*4,28. maxime cum beatius sit, dare quam accipere *Act.*20. Pauperes enim semper futuri sunt, ut nostræ charitatis Deus experimentum capiat; eoque precamur ut Deus viribus ad laborandum concessis, nostros etiam labores sua benedictione prosequatur. Hinc insignis illa Mosis sententia, *Manducandum prout manus nostra contingere potest, nec metas facultatis nostræ transiliendas.*

nostra conditio eo quotidie eget; Ε'πιέσιον, לחק חחי *Prov.*30,1. nostræ conditioni & ordini accommodatum. Proinde vetamur, ne sollicitudine ducamur carnis; at ejus cupiditates expleamus. *Rom.*13. *Petitis, & non accipitis, quia male petitis, ut in voluptates conferatis. Iacob.* Hinc insignis illa sententia Salomonis *Prov.*30,8,9. Hinc est ut omnis in vestitu luxus, in victu intemperantia studiose cavenda sit, & μαςγλδειαι illæ quæ hac ætate inoleveruut cavendæ; nedum gula, crapula, ebrietas, mollities, &c.

ideoque assidue flagitandus. Denique *Hodie* à Deo nobis dari precamur, ut sciamus nobis assidue & in singulas horas à paterna ejus providentia hoc beneficium petendum: ut liberi à suis parentibus non semel in anno, mense aut die dimensum accipiunt, sed tantum quantum urgenti eos necessitati competit, idque ut quotidianis benignitatis suæ experimentis de sua in nos charitate certiores simus. Vide Parabol. *Lucæ* 12. Deinde ut doceamur curam nostram non in longinquum tempus extendere. *Matth.6. Ne sitis solliciti in crastinum, &c.*

Vers. 12. *Sequentes petitiones vitam futuram spectant;* Sequuntur petitiones quæ futuram vitam intuentur. Quum autem plena salus consistat in duobus, scilicet ut adversus cum præterita mala tum futura, tuti undique & tecti simus; priore petitione, præteritorum, posteriore, futurorum malorum remedium quærimus. Priore, justificationem; posteriore, sanctificationem postulamus.

Petimus igitur hoc loco ut nos divino judicio multiplici transgressione obnoxios, Deus absolutos, & ejusdem absolutionis non minus certos reddat, quam nobis ipsis condonatæ fraternæ in nos offensionis probe conscii sumus.

Partes sunt, Petitio { Remissionis, / Certitudinis de accepta remissione.

quarũ prior peccatorum confessionem includit; In priore petitionis *parte* implicita & involuta tenetur confessio peccati, sc. nos non modo non esse innoxios, sed multis noxis impeditos, multorumque generum peccatis, hujus quidem originalis, illius vero actualis, hujus in Deum, illius in proximum; at quidem, &c. *Si enim dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est,* 1 *Ioh.7. Non est enim homo qui non peccat*, 1 *Reg.* 8. Quin etiam Propheta sanctissimus fatetur, peccata sua esse numero plura quam capilli capitis sui. *Psalm.* & *Psal.*19. Legis accurationem expendens in admirationem multitudinis peccatorum erumpit: tantamque esse confirmat, quantam nemo pernoscit. Et certe ut bene precemur, legem prius probe cognitam & perceptam habere debemus. Quoniam speculum est quo maculæ retegantur: amussis est quæ ad vitam admota, ejusdem curvitatem & contortuplicabiles flexus prodit: lucerna est, quæ illata in recessus conscientiarum tenebras & fœtorem aperit.

Precamur igitur hoc loco, ut Deus indita nobis peccatorum cognitione, animi humilitate nos induat, qua peccata nostra libere

bere & ingenue confiteamur; non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, quoties Ecclesiæ utilitas, & Dei lex hoc postulabit.

cujus necessitas quanta? Quæ quam necessaria nobis petitio sit, declarat nostra perversa natura, qui hoc officium aversamur. Primum quidem tantus est animi stupor, ut vel coram Deo celare cui omnia aperta & resupina sunt, non dubitemus, aut certe extenuamus. Vide Adami exemplum *Genes.* 3. Item Saulis, 1 *Sam.* 15. Pharisæi, *Luc.* 18. Quod cum parcius apud Deum faciunt hypocritæ, tum apud homines minus hoc facere sibi persuaderi patiuntur; diligunt enim hominum gloriam magis quam Dei: unde certo illis statuendum, illos remissionem peccatorum non habere. *Si confiteamur peccata Deus fidelis est, &c.* 1 *Ioh.* 1. Item *Proverb.* 28, 13. vide exemplum *Psal.* 32. Vt enim qui tegit vulnus, & illud dissimulat, non curatur; sic, &c. Contra autem indicium nobis remissi peccati, cum illud libere & imprime confitemur. Vide *Psal.* 51. plenam & accuratam eamque publicam peccati confessionem. Item Pauli *Actor. cap.* 22. & 1 *Tim.* 1. Quo intolerabilior est eorum oratio, qui admoniti hujus officii, statim in Ecclesiam auricularem confessionem excipiunt.

quæ à nobis expiari non posse hic etiam confitemur; Sicut autem tacita peccatorum nostrorum confessio hac petitione postulatur, ita hac petitionis parte fatemur, peccata nostra à nobis expiari non posse: nec penes nos esse pretium pro illis dare; eoque petimus, nominis condonationem. vide *Matth.* 18. eximiam parabolam. Hinc prædicatio Euangelii *Luc.* 4. comparatur promulgationi Iubilæi. Nec vero (ut in exhaustis nonnunquam fit) cum Deo ita transigimus, ut petitione de quorundam peccatorum remissione instituta, pro reliquis ipsi dissolutionem polliceamur, aut vero etiam diem nobis ampliari; sed &c. Hinc *Ezech.* 16. comparamur recens natis & in suo sanguine volutatis; ut enim illi sibi umbilicum præcidere, sordes abluere, sale corpus firmare, reliquaque ad vitam officia obire nequeunt; sic, &c.

ideo per Christum ab iis liberandi; Item contriti corde dicuntur, quos unus Deus obvolvat. *Luc.* 4. Item αἰχμαλώτ, & quidem in fortis tyranni potestate, qui omnia possidet in pace, quoad eo fortior leo de tribu Iuda nos asserat. Quomodo enim sperandum ut agnus ex faucibus & ungulis leonis evadat? præsertim quum tantum abest, ut eluctari, ut ne conari quidem possimus, aut voluntate hæc expetere, priusquam, &c. Denique hinc est quod onere peccatorum nostrorum pressi, & sub ejus gravitate nos subsistere non posse, nos sentientes, ad Christum accidere jubemur. Quid enim est quod ei demus? etiamsi infinita olei dolia, tametsi sacrificium offeras quantum libamen consumere, &c. Etsi unigenitum illi dares, &c. Tamen, &c.

Cum autem satis non sit ad salutem sordibus ablui, nisi justitia induamur; non satis est centones & pannos nobis detrahi, nisi stola alarti induti sumus: non satis sit sanguinem nobis elui, nisi illa præclara ornamenta quibus sponsa ornetur nobis adhibeantur; nec satis sit ferreas catenas & pedicas nobis abrumpi, nisi armillis & torquibus decoremur & cohonestemur. Si enim Iosepho coram Pharaone sistendo aliæ vestes splendidæ induendæ erant, &c. Petimus non tantum peccata nobis non attribui, sed imputari justitiam perfectam, id est, Christi injustitiam, quia nostra omnis justitia imperfecta est, & plena pollutionibus. *Rom.* 3. & 9. *Tim.* 1. &c. Tametsi enim sæpius in Scripturis harum partium alterutra pro tota hominis beatitate Synechdochicως sumatur, tamen distinctæ & necessariæ partes salutis nostræ sunt. *& ejus justitiâ perfundendi.*

Hinc apparet nostram beatitudinem in hac vita non consistere in eo quod peccati inanes sumus, aut vero in eo quod infecti peccato pro eodem λύτρον dare possimus; sed, &c.

Hæc autem cum & peccatorum remissio & justitia nobis fide obtingat, nos hac petitione Deum per fidem & de fidei confirmatione appellare certum est. Hic igitur cum parente illo Euangelico, vel cum lacrymis dicendum: Credo, domine adauge mihi fidem: ut sciamus lituram omnibus nominibus inductam esse, & Syngraphas cruci Christi affixas; onus peccatorum nostrorum in profundum maris, tanquam lapidem aut plumbum unde nunquam emergat, depressum & demersum esse; ut sordes tanquam crassa & densa nube elui sciamus. *Esa.* 44. ut dibaphum in nivem aut lanam commutari sciamus. Hoc quum quotidie precari doceamur, apparet quam futile est quod *Papista* de fide tantum sub mortem inculcanda mussitant. Quam ob rem etiam precamur, ut promissiones Dei & sigillo promissionum sollicite utamur: hic perstringe pomeridianas negotiationes die Dominica, &c. *Fides confirmationẽ hic etiam precamur;*

Altera

ut & persuasionem de peccatorum remissione,

Altera pars petitionis est, ut illud nobis certum & penitus persuasum reddat. Scimus enim quam difficile sit trepidantem hominum conscientiam πληροφορίᾳ quadam securam reddere; ita sumus ad diffidentiam propensi. Rationem autem ostendit qua hoc consequamur, nempe si offensacula fratrum in nos libenter & alacriter condonemus. Est quidem omnium bonorum operum scopus unus, ut electionem, eoque etiam justitiam nostram certam reddat. Sed hujus Christiani officii præcipua quædam ratio est ad illud efficiendum. Cum enim sentimus ita Deum animos nostros flexisse, ut natura sævi ἀνθρωποκτόνοι & μισάδελφοι, fratribus injurias in nos condonemus; quanto id magis Deum nobis peccata nostra remissurum credendum erit, qui natura mitis, misericors, &c. Si nos cum aliquo nostro dispendio & jactura hoc facere parati sumus, quo modo &c. Si nos quorum charitas inchoata, &c. quanto magis ille qui perfecta charitate est? Hinc est ut Iohannes dicat, nos ex Deo inde esse cognosci, quod fratres diligimus. Et Paulus, 1 *Tim.*2,8. *Attollentes puras manus sine disputatione. Esa.*1. econtra, nisi quis amittat, &c. vide *Matth.*18. & *Iacob.*1. *Iudicium sine misericordia, &c.* Quin etiam Deum in pernitiem aliquí accersimus.

Hinc constat, hoc modo non constitui commutationem cum Deo remissionis peccatorum. Quæ enim comparatio mille talentorum cum 100. denariis, & his quidem ex lege debitis?

Vers. 13. *& simul ne in mala prolabamur:*

Priorem locum jure obtinuit, cura remissionis impetrandæ; ut quæ sit radix fons & mater hujus quod hic petimus. Hoc enim nisi promisso assequi nequimus; nec assecuti quippiam ex eo juvaremur. Quemadmodum fieri nequit quin qui de remissione, &c. vehementer sit sollicitus, is hujus etiam rei curam habeat quam maximam.

Precamur autem ut Deus qui nos justo suo judicio cupiditatibus nostris addicere & tradere possit, non modo illud nolit, sed nos sponte & natura depravata duce ad mala properantes & præcipites, potenti manu asserat:

Partes sunt petitio { Ne nos in concupiscentiæ nostræ potestate tradat: ut sponte in concupiscentias nostras propendentes eruat.

hinc justificatio à sanctific. nō divellenda.

In priore considerandum, justificationem & sanctificationem, utcumque cum re tum ratione distinctas, ita tamen inter se conjunctas, ut invicem à se divelli nequeant: unde *Matth.*9. vocat peccatores, sed ad resipiscentiam, & 1 *Ioh.*3,3. *Rom.*6,1,2,3,4. *Pro.*9,6. *Divertite huc ô stulti, sed ita ut stultitiam abjiciatis.* Ecquis enim ex fœtidiss. carcere & tenebricoso ereptus, ad illum libens recurrit? Ecquis ad graviss. onus quo levatus, sub quo gemebat, & in momentum succumbere paratus sit, &c. Ecquis è morbo ignominiosissimo & periculosissimo liberatus, se ilico hoc malo denuo immerget? ac non potius a medico diætam expetat, cujus accurata observatione à morbo tam contumaci tutus sit? Sus quidem lota ad volutabrum; canisque expurgatus ad vomitum: sed secus est in hac lotione: qui enim vere loti sunt, &c. *Pontificii* cum confessione peccata sua in Sacerdotis aures exonerarunt, statim ad veterem peccandi consuetudinem redeunt: non secus quam qui nimio potu oppressi, eo se expedientes, ita ad potandum validi & idonei redeunt. Sed hoc eo fit, quod quid sit peccatum, & quæ ejus vis, aut quid valeat remissio peccatorum, ignorant. Hoc nobis tanto diligentius precandum, quanto est eorum conditio, qui veritatis qualicunque cognitione perfusi resilierunt, deterior, quam eorum qui veritatem nunquam cognoverunt. 2 *Pet.*3. vide *Ioh.*5. *Ne pecces amplius, ne quid deterius tibi accidat.* vide *Matth.*12,43. &c. morbi recidivi, &c. tenebræ post lucem semel perfruitam perceptamque tristiores, &c. Hoc igitur studium nostrum in precando accendat.

Deus veritatis contemptores in reprobū sensum tradit.

Præter incredibilem animi nostri ad peccandum proclivitatem, Deus justissimus & severissimus peccati vindex, homines veritatem injustitia detinentes, & oblatam illis gratiam aspernantes in sensum reprobum tradit. *Rom* 1. *Psal.*81. Quod si fiat, quam præcipites & accelerati ruimus, non secus quam catafractus equus admissis calcaribus ruit, aut aquila ad prædam advolat. Et qui natura duce ambulamus, accelerati justo Dei judicio currimus, aut currentes natura nostra, judicio Dei provecti volaremus.

Quibus modis Deus nos in tentationem adducat?

Sic Deus inducit in tentationem quum falsos Prophetas suscitat, qui propositis miraculis falsam doctrinam proponunt, ut facilius nos a veritate abducant. *Deut* 13. item *Thess.*2. Sic Achabum Deus induxit, quum 400. Prophetas miserit, qui illi perfectionem ad bellum suaderent. Sic regem Amorrhæorum induxit in tentationem, cum missa ad eum pacis legatione, animum ejus obfirmavit,

mavit, ne oblatam pacem acciperet. Sic Pharaonem &c. Precamur igitur, contra autem petimus, ut nobis Deus iter complanet, *Psal.* 5. Quamobrem diluta & somnolenta est illa lectio *ne patiaris* &c. eo præsertim sensu quo *Pontificii* accipiunt, &c.

quomodo dicatur Deus aliquem tentare:

Sed hic *excipitur*, Deum neminem tentare, sicut à nemine pertentatur; sed unumquemque à propria concupiscentia allici.

Sciendum igitur *tentationem* aliter atque aliter accipi. Primum sumitur pro *periculum & experimentum capere, vel fidei vel patientiæ, &c.* ut in Abrahamo, &c. Deinde, *cum hominem in suas cupiditates tradit*, aut *occasionem peccandi offert*, non adigit quempiam ut hoc faciat, sed cum summa oblectatione quisque peccatum patrat; nec hoc facit Deus facto delectatus, sed delectatus justitia, qua peccata antegressa punit. Non facit illud tanquam approbator mali quod fit, sed tanquam justus judex qui gravissime peccantes gravissimis suppliciis iniquitatem coërcet. Quia vero hac traditione nihil atrocius est, idcirco &c. Deus igitur in eadem actione operam suam adhibens, in qua homines graviter peccant, nihil tamen ab his labis contrahit, primum quod justitiæ studio hoc facit: quod declarat, cum omnium gravissimo & acerbissimo supplicio illud constringit: deinde fine, gloriæ scilicet suæ, & saluti aliorum. Ostéde illud in Christi passione, qui à Patre, à Christo ipso, à Iuda etiam traditus est. Item in Pharaone, qui cor suum obduravit, ut in Deum contumeliosus esset, & avaritiæ suæ satisfaceret; quem Deus etiam induravit, ut potentiam suam declarans gloriosus existeret. Nec vero hoc mirum videri debet in Dei sapientia & virtute infinita; cum hoc quodammodo inter homines perspicitur. Videmus enim præstantem artificem, instrumento tortuoso & inepto ad præclarum opus uti, & ut apopocæi venena ad pharmaca conficienda adhibent, quibus &c. Idem judex juste facinorosum laqueo suffocat, quod tamen facinoroso qui illud commeritus est facere non permittitur.

Nos vero cum à concupiscentiis propriis incescemur, cavere debemus, ut omnes peccati ansas declinemus. Cum enim concupiscentia nostra tanquam fomes sit, cavendum est ne prope ignem aliquem ubi flammam concipiat, illam admoveamus. Vid. *Pro.* 17. ubi docet non attingendam meretricem. Vide quæ annotantur in *Luc.* 8. & *Marc.* 5. in historia dæmoniaci, qui à legione occupatus est. Hic igitur precamur ut sensibus caste utamur: quia per illos nuntios, &c. *Proverb.* 30. *Sapiens timet & sollicite ambulat: stultus se obdurat & in periculum incidit.*

hinc cupiditatibus non indulgendum,

Deinde cum in summa quæ in hac vita cautione adhibetur, nonnunquam fit ut à cupiditatibus decipiamur, petimus ut nos Deus ab illis eripiat, & nobis ea remedia disponat, &c. Sic eruebat Davidem, ad cædem Nabalis (occursu Abigaëlis) properantem. Sic Iosephum qui illecebris heræ suæ restitit. Sic Davidem denuo, qui à suis sollicitatus est ut Saulem interficeret.

à quibus nos liberet Deus.

MATTH. *cap. 6. à vers.* 14. *ad* 19.

14 Nam si remiseritis hominibus suos lapsus, remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis:

15 Sin autem non remiseritis hominibus ipsorum lapsus: nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.

16 Quum autem jejunatis, ne estote ut hypocritæ tetrico vultu: deformant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunare. amen dico vobis retulerunt mercedem suam.

17 Tu vero, quum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava:

18 Vt ne appareas hominibus jejunare, sed Patri tuo qui est *in occulto; & Pater tuus, qui aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.*

ANALYSIS.

Rationem reddit quintæ petitionis, & anticipat quod ex illa formula petitionis objici poterat ad operum justificationem; docet etenim argumento ab effectis nobis remitti à Deo, si nos hominibus suas in nos offensas condonemus: atque ita statuit nostram condemnationem non esse causam, sed effectum & fructum remissionis peccatorum.

Vers. 15. Hoc ipsum confirmat ab adversis, quia retinentibus nobis in nos admissas offensas, retinentur

nentur nostra etiam in Deum debita.

*Vers.*16. Πρόθεσις est privato in jejunio hypocrisin & ostentationem esse devitandum; à qua dehortatur, 1. argumento parium: quod larvas & personatos in scena imitantur: 2. illos describit ab adjuncta vultus torvitate: 3. ab effecto, suas facies seu vultus deformandi: 4. à fine, quod hæc faciunt, ut ab hominibus spectentur: 5. ab abjuncta mercede, vana modo hominum aura & gloriola.

*Vers.*17,18. Hanc jejunandi perversitatem suo adverso illustrat, nempe ut quam occultissime faciat: cujus occultationis causas assignat, faciei lotionem & vultus delibutionem; quarum finem indicat, ne hominibus jejunare appareant; quem finem illustrat contrario fine, ut à Deo videatur. Ad quod hortatur argumentis duobus, scilicet adjuncta Dei visione & retributione.

METAPHRASIS.

14. *QVod rationem assignavi divinæ erga vos*
remissionis, injuriarum erga vos invicem
condonationem: longiorem explicationem de-
siderat. Si etenim hominibus in vos delinquen-
tibus ingenue delicta & lapsus ex animo remi-
seritis: non dico ob eam causam vos peccato-
rum remissionem accipere, sed illud dico, pec-
catorum vestrorum gratuitam remissionem
(utpote à Patre profectam) hoc modo animis
15. *vestris testatam & persuasam reddi. Si autem*
non remiseritis hominibus quæ in vos com-
missa sunt, vestro merito & justa compensa-
tione Deus (quem vos immites falso patrem
appellatis) vestrorum peccatorum condona-
16. *tionem vobis abnuet. Quum vero ad precan-*
di studium & ardorem intendendum, ex gra-
viore aliquo incommodo vel premente, vel im-
minente, vel etiam ex difficiliore negotio in
manus suscipiendo, jejunaveritis: nolite hy-
pocritas agere, ut hominum applausum capte-
tis. Quamobrem moneo ne vultu tristi & te-
trico sitis. Hypocritæ etenim faciem, frontis
contractione simulate accersita, deformant, ut
hominibus jejunio se macerasse appareant. O-
mnino etenim sancte confirmo illos præter po-
pularem auram, quam avide affectati sunt,
17. *mercedem non accepturos. Tu vero cum priva-*
tim jejunas, utcunque coram Deo gemitus &
suspiria alta ducas: tamen apud homines hila-
ritatem quandam (ut fieri solet cum hilaria
aguntur) faciei lotione & capitis pretioso un-
guento delibutione, præ te ferto, ut hominibus
18. *te jejunasse non innotescat. Nec tamen propte-*
rea operam te ludere existimandum est. Nam
& te studiosissime hæc occultantem cœlestis
Pater probe novit, & tibi tuam jejunio resi-
piscentiam testanti, copiose (sed gratuito) præ-
mium palam reddet.

PRAXIS.

SVmma est, cum quintæ petitionis pleniore explicatione, privati jejunii informatio.

Partes { Rationis quintæ petitionis plenior explicatio. | Iejunii privati informatio.

Quæst. cur præcipue hanc petitionem tractandum resumat.

Resp. primo, quia ex charitate, cujus fructus eximius est peccatorum condonatio, omnium nostrarum petitionum concessiones aliquousque suspensæ sunt. Vide *Esa.*15. & 2 *Tim.*2,8. Secundo, quod Christus probe novit quam ægre ad hoc officium trahimur, non quod nostra fratrum condonatio causa sit remissionis peccatorum; sed quod hoc tanquam sponsore & arrhabone nobis peccata nostra remissa esse testatum sit. 1 *Iohan.*3,14. Hinc scimus nos è morte in vitam transiisse, quia diligimus fratres. Gratis enim justificamur per fidem, nec nos eum prius diligimus, &c. 1 *Ioh.* 4, 10.

Vers. 14, 15. *Cur Christus quintam petitionem resumat?*

Pereunt quidem qui non condonant, sed non propterea servantur qui condonant; quia peccando legem violamus, at bene agendo legem non implemus. vide *Catechismum* de bonis operibus.

An quis servetur quod fratri condonet:

Hinc constat quam insignes sint hypocritæ, qui se de remissione peccatorum certos esse prædicant, nec tamen fratribus ignoscant: imo vindicandi cupiditatem palam profitentur, aut istos aut Deum mendacem esse necesse est.

Quæst. quomodo dicitur Deus Pater istorum qui non condonant fratribus.

Resp. 1. non quamvis vindictæ cupiditatem nos à filiorum dignitate abjudicare; sed si quis perstiterit, &c. 2. Pater eorum vocatur, quia ad cœtum fidelium aggregantur.

qui hoc non facit qui Deum patrem vocet?

A precatione ad jejunium cōmode transit, quia jejunium est orationis adjunctum; adeo quidem ut nusquam pæne in Scripturis de jejunio mentio, quin de precatione, &c.

Vers. 16, &c.

Iejunii plures causæ; negotiorum multitudo, quæ nobis vescendi copiam adimit, 2. remedium adversus crapulam, 3. avaritia aut aviditas; sed hoc jejunium, &c. Hinc oratio tanquam ala qua ad cœlum evolat; tanquam verticilla ἀτράκτου, qua preces nostræ tendantur & attollantur altius. *Esa.*28, *vers.*4.

Veri jejunii causæ;

Contra *Pontificiorum* jejunium, quod nullas preces extraordinarias adjectas habet. Deinde ipsa vis vocis Pontif. jejunium refellit, quæ

contra Pontif. falsum.

lit, quæ ab omni cibo abstinentiam designat. vide *tract. de jejunio*.

Præcipue vero taxatur hic ambitiosa jejunii venditatio. De qua vide quæ ante in priore parte hujus cap. scripta sunt, & huc accommoda.

MATTH. *cap. 6. à vers. 19. ad 25.*

19 Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea & erosio corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur.

20 Sed recondite vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque erosio corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur.

21 Nam ubi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum.

22 Lucerna corporis est oculus. itaque si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit:

23 Sin autem oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?

24 Nemo potest duobus dominis servire aut enim unum habebit odio, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ.

ANALYSIS.

PRothesis est, ut amorem & studium divitiarum procul abjiciamus, ad cujus ἔκτασιν utitur argumento primum à subjecto ubi sunt, in terra; post ab adjuncta divitiarum vanitate & instabilitate: quam confirmat distributione ex effecto, quod res seculi aut deformantur, aut eripiuntur: quod item à distributione causarum synecdochicως confirmat, tineæ, erosionis & furum.

Vers. 20. Deinde ab adverso, quærendi firma & solide bona, quæ primum exornantur à subjecto loco cœli, deinde ab adjuncta eorum firmitate, quæ ex adversis causis arguitur.

Vers. 21. Aliud argumentum ab effecto, quod ex studio divitiarum nascitur; quia scilicet animum hominis in cœlos attollendum in terris depressum & defixum tenet: sicut contra accommodatum ad thesauros cœlestes cor eo attollit.

Vers. 22, 23. Hoc effectum amplificat alio effecto, totum hominem corrumpendi; quod illustratur comparatione parium, idem esse cor in toto homine, quod est oculus in corpore; quia sicut corporis commoda moderatio ex oculi bonitate, sic hominis ab animi integritate pendet. Quod etiam suo adverso arguitur, & comparatione minoris illustratur.

Vers. 24. Aliud argumentum est à disparato, quia studium divitiarum cum vero Dei cultu non consistit: quod item comparatione parium illustratur, non magis Deo & divitiis nos addicere posse, quam servus unus duobus dominis mente summe distractis, & inter se conflictantibus obsequi possit.

METAPHRASIS.

19 *SIcut de his quæ ad Dei cultum spectant*
infucate præstando vos monitos volo: sic
ad eum inviolate colendum necesse est, ut de
his qui vobis & curæ vestræ commissi sunt,
quantum necesse est ad vitam hanc susten-
tandam prospicientes, à divitiis congerendis
quam longissime abscedatis: præsertim cum
earum tam incerta sit, & tam male fida pos-
sessio; ut quæ cum sua fragilitate & caducæ
conditione deformantur & corrumpuntur,
tum furum & latronum rapacibus manibus
surripiuntur, tametsi in abditissimis terræ ca-
vernis defossæ sint. Quamobrem tutissima di- 20.
vitiarum custodia procuratur, cum liberali
earum usu legitimo, & à Deo imperato veluti
in cœlo repositæ sunt: ubi neque aut tineæ &
blattæ illas corrumpere, aut fures aut latrones
perrumpere norunt. Qua in re tanto major 21.
cautio adhibenda, quod thesauris in terra con-
gestis animus possessoris veluti in terram de-
primitur, sicut legitimo divitiarum usu & be-
nefica distractione sursum in ipsos cœlos attol-
litur. Hoc autem quanti intersit ex his non 22.
erit difficile existimare: sicut enim oculus a-
cutus & perspicuus totum corpus lucidum
reddit, ipsumque quocunque fertur, rite diri-
git, contra autem caligans & glaucomate offu- 23.
sus, totum corpus tenebricosum reddens, facit
ut temere feratur, & ruat: sic animus male
affectus multo magis omnes partes corporis &
animæ facultates sua pravitate pervadit.
Tametsi enim homines sibi in animum indu- 24.
cant, se posse & divitiis accumulandis & cul-
tui Deo præstando abunde sufficere: tamen
non magis hæc præstare possunt, quam unus
servus duobus Dominis secum summe dissi-
dentibus, & ex dissidio contraria imperanti-
bus servire. Nam aut divitiarum studio reje-
cto Deo adhærebunt, aut præterito Deo ad di-

 vitiarum

vitiarum accumulationem animum apponent; omnino etenim Deo & divitiis servire pariter non possunt.

Summa, *dehortatio à studio divitiarum efficax.*

Partes *sunt* { *Dehortatio à studio divitiarum.* *Rationes quibus dehortatio nititur.* }

PRAXIS.

Vers. 19. *Quomodo divitiæ non recondendæ?* VEtat Christus ne animum ad divitiarum cumulationem adjiciamus: nota vocis Etymon, quod divitiarum in crastinum reconditionem notat. Non enim quævis reconditio, &c. vide exemplum Iosephi. Æstate recondit pro hyeme formica, nos in juventute pro senectute, ne aliis onerosi simus. *Infideli pejor est qui &c.* 1 *Tim.*5. Parentes pro liberis debent reponere, 2 *Cor.*12. Illa ergo reconditio hic vetatur, quæ nullum modum aut mediocritatem servat, qua in beneficentia restrictiores, in Dei cultu frigidiores simus.

idque propter earum incertitudinem; Prima ratio ab adj. incertitudine divitiarum, homines errore seducti, & divitiarum studio abrepti, illis summam firmitatem affingunt: hinc *substantiæ* nomen illis tribuunt, quod Scriptura tantum veræ Dei cognitioni tribuit *Prov.* cum divitias incertas 1 *Timoth.*6,17. alatas. *Prov.*23,4,5. vanas *Eccles.* instar floris *Esa.*40. Scriptura pronunciet.

Quod Christus distributione causarũ confirmat: aut enim vetustate atteruntur, tinea arroduntur, furibus & latronibus auferuntur, &c. Atque ut maxime firmæ essent, tamen cum indies moribundi eas asportare nequimus. *Luc.*12,1. *Tim.*6,7. nec scimus an qui nos conjunctione attingunt iis fruituri sunt. *Eccles.* quanta hæc inscitia est nosmet tanta cura cruentare & labore improbo fatigare, &c. Quod si de divitiis juste partis verum sit, nedum, &c. quæ profuturæ non sunt. *Prov.*10,2.

Vers. 20. *quæ in cœlis collocatæ stabiles:* Ab advers. docet coacerv. div. in terris incertam esse, quia earum in cælis accumulatio certa est & periculi expers. Hoc stimulos addere debet ad munificentiam in pauperes, & in cultum divinum. *Actor.*10. Eleëmos. dicuntur ad Deum pervenisse. *Prov.* Deum nobis debitorem constituunt. *Matth.*25. in Christum conferuntur. Perstringe nostrorum siccitatem, qui ne dominum quidẽ Deum hac in parte sanctificant.

Vers. 21. *apud quas animus cujusque.* Aliud arg. ab effect. quia ut quis in hanc vel illam partem studio incumbit, ita animus vel in ima deprimitur, vel in altum attollitur. Hinc illud *Psal. Si divitiæ affluant ne apponito cor.* Et *Coloss. Avaritia idololatria.* Vide quæ in eum locum notantur, videtur illud ex vers. 24. depromptum esse.

Vers. 22. *Divitiæ ut visus privatio totũ hominem perire faciunt;* Ab adjuncto commodo & periculo docet, quam alienum sit animum a Dei charitate avulsum & abductum, in thesauri terrestris amore hærere. Hinc enim fieri docet, ut totus homo in idem præcipitum abripiatur. Quod similitudine illustrat. Quemadmodum enim se habet oculus ad totum corpus, sic animus ad totum hominem. Ex quo sequitur, ut sicut ex oculi habitudine, totum corpus aut probe illuminatum ac tenebricosum existit; sic ex animi constitutione de toto homine pronunciari licet. Sicut enim reliquum corpus in se cæcum & caliginosum, oculi tamen valentis beneficio satis illustratur; sic cæteræ hominis partes tametsi in se minus sint ad Dei cultum & pietatem idoneæ, tamen si rectum animum tanquam perspicacem oculum aut oculatum ὁδηγὸν (aut viæ ducem) tanquam fenestram in domo, gubernatorem in navi consequutæ sint, &c. Sicut igitur natura diligentem custodiam, & veluti quadruplum vallum instituit ad oculi aciem tegendam; sic solers quædam & industria cautio est adhibenda, ut animum probe tectum & probe asservatum tueamur. Nam ex corde, blasphemia in os, adulteria in pudenda; cædes & furta in manus, &c. transmittuntur, *Matth.*15. vide *Prov.*4,23. *Et nunc Israël quid est quod Deus abs te exigit. Deut.* Et sicut Rex in bello sollicite servatur, utpote in quo populi veluti salus continetur; sic &c. Vide exemplum Israëlitarum, vel Iudæorum potius, qui Davidem in tuto manere voluerunt, ne eo aut capto aut cæso reliquus exercitus funderetur: item 3000. qui cingebant Saulem dum dormiret. Et adversus animum omnes insidiæ collocantur: tendiculæ ponuntur: gladii distringuntur: arcus intenduntur à Satana: ut olim Rex Syriæ exercitui suo mandavit ut Achabum Regem Israëlis tantum peterent. Cum igitur pecuniæ congerendæ cupiditas oculos perfodiat & configat: contra cum prædicationis lucerna hæc illuminetur, & oculus aperiatur, &c.

mentis tamen cæcitas multo deterior: Quin etiam mentis cæcitas multo est quam corporis deploratior: non tantum quod hominem impellat in æternæ perditionis foveam, sed quod oculis corporis captus, ducem viæ sibi expetit, cujus ductu viam

viam teneat: mente autem & animo captus nullum ducem admittit: quod si oculis corporis captus ducem viæ minus consequatur, tamen palpando, & scipionem tanquam speculatorem præmittendo viam explorat, & pleraq; pericula & præcipitia declinat; cum mente cæcus præceps temere quo pes tulerit, feratur: præterea si ducem viæ consequatur, tamen ipse dux quasi palpare, & verbum Dei tanquam scipionem & speculatorem præmittere cogitur, &c.

Vers. 23. *quare quibus videmus non abutendum.*

Ποσον. Cum enim quod sibi & cæteris perspicere & providere debet exoculatum sit & cæcum, tenebras ibi tam spissas & densas esse necesse est, quantæ olim Aegyptiacæ erant: vel potius initio creationis, cum omnia indigesta & confusa mola involverentur. Quemadmodum enim si oculus mundi (Cœlum scilicet) obtenebratum sit, terram caliginosam esse necesse est: & sicut fenestræ quæ sunt veluti domus oculi, si oblinantur, & cæno obducantur, domum tenebris offusam esse necessum est: sic, &c. Huc arcesse adhortationem ad cordis custodiam, tanquam ad locum magis proprium & idoneum; quam adhortationem *Lucas* notat alicubi, cum monet ne lux quæ in nobis est, in tenebras convertatur: ob eamque causam oculos castos & aures repurgatos tueri debemus, mutuas enim sibi operas præbent cor & corporis instrumenta. Nam ut cor ad illa suum virus transmittit, sic illa tanquam prænuncii malorum cupiditatem ad cor deferunt.

Vers. 24. *Deus simul cum divitiis non potest coli,*

Οὐδεὶς δύναται. Hæc oratio anticipat quod adversus istam adhortationem excipi posset. Occurrat enim aliquis, nihil impedire quo minus simul, & ad thesaurum congerendum animum admoveat, & Deum religiose colat. Sic enim homines sibi sæpe in animum inducunt, utrumque præstari posse: ut & divitiis quærendis animum adjiciant, & Deum simul venerentur ex Verbi præscripto: eam in hominibus solertiam esse & industriam, ut utrumque præstent: eoque inique facere eos, qui ex suis viribus & facultatibus de aliis statuunt: tanquam alii utrique studiose sectando inepti essent, quod hoc ipse in se experiatur. Et cum aliorum ἀγχίνοια, id est, solertia, industria, sagacitas, ingenium dextrum & illius acumen: Tres autem sunt partes docilitatis, μνήμη, id est, memoria, ὀξύτης, id est, acumen, acies, amor, acrimonia, celeritas discendi, & hæc ἀγχίνοια, id est, ingenii nobilitas, quadruplo quorundam facultatum superat, non satis considerate definiri de aliis, ex proprio sensu. Atqui Deus, qui vires animi confert & notas habet, ipse docet, simul utrumque præstari non posse, etiamsi solertissimus quis esset, & in omnes partes se verteret: tametsi noctes diesque irrequietus, in illam partem incumberet. Nemo se igitur ipsum fallat, aut sibi imponat, dum hoc animo suo persuaderi patitur, se posse simul & Deo & divitiis accumulandis inservire. Dei enim zelotypia non patitur, ut quis cultum & observantiam suam partiatur. Quamobrem animus integer & rotundus, sæpe prædicatur; contra qui vias suas tortuosas instituunt, in vituperio ducuntur. Poterit quidem dives esse, ut interim Deo serviat: sed addictus esse & inservire nemo potest.

Servire autem est, illas sectari, his neglectis & postpositis ad quæ nos Deus vocat: *præsertim postpositis Dei mandatis;* ut quum Deus nos ad cœtus ecclesiasticos vocat, studium pecuniæ ad se revocat: ut cum Deus in pauperes liberalitatem nostram patere vult, avaritia nobis & mammon occludit fores, &c. Qui igitur constituunt sub senectutem ad frugem redire, interim vero genio indulgere, hi Deo non serviunt. Qui mentem ab effectu disjungunt, qui ab animo corpus, à seipso facultates suas disjungit; Deus enim facultatibus honorandus est *Prov.*4. Illud igitur Dei loco substituere, quod ipsum Deo oporteret consecrari, indignum est. Tametsi igitur avaritia hominibus non ita vituperabilis sit, coram Deo tamen abominabilis est. Vnde etiam *Idololatria* dicitur: & etiam à Christo dicitur, ut facilius sit camelum, &c. Hic locus latius patet. Nemo enim potest Deo & ventri, & his quæ sub ventrem sunt; maxime, nemo potest Deo & Baali servire. 1 *Reg.*11. Quis consensus Deo cum Belial? luci cum tenebris, &c.

Hoc argum. adversis confirmat, & argumento testimoniorum; quod petit à provulgato prov. scil. *Neminem posse duobus dominis servire.* *non magis quam duobus dominis unus servus:* Quum enim hominibus qui ejusdem naturæ sunt, ab uno serviri non potest, tametsi ejusdem ordinis atque loci, ejusdem ætatis & (quoad datur) ingenii sint, nedum Deo & Mammoni diversissimæ & adversissimæ naturæ, ingenii, ab uno inserviri potest. Quid, quod ne fratribus quidem, nec vero etiam conjugum pari, unus & idem servus sæpe morigerus sit? non tantum quod Domini sua in servum morosita-

te, ejus animum ab alterutro abalienant; sed quod servi ipsius affectus in alterius amore defixus, nullo negotio in alterius contemptum prolabitur; & quum intro sit aliquid quod cum servi ingenio magis conspirat, fit, &c. Reperiatur forte parasitus qui duobus aut etiam pluribus assentetur, sed qui illis serviat non perinde promptum est. Quod si mortales parva mercede universum servi obsequium & observantiam sibi vendicant: nedum Deus hoc faciat; qui simul & ad compensationem & pœnam potentior & valentior est. Mancipiorum & ancillarum oculi continuo in heros & heras defixi sunt. Huic dicit, *Veni, & venit*: illi *Abi, & abit*. Quod si homines hoc suis indulgent, & pluribus serviant; tamen Deus, &c.

Notandum, *diligere divitias esse Deum odio habere. Illis adhærescere, esse Deum contemnere*, quod ad alia etiam tranferri potest & debet: præsertim adversus Pseudo-Nicodemitas.

nec etiam cum omnibus quæ ab eo recedunt; Hic locus latius patet. Nam eadem ratione qua divitiis mancipationem excludit à Dei cultu, omnes etiam res alias ad quas animum penitus adjicimus foras pellit, carnis scil. appetitus, immodicam honoris, potus, ludendi cupiditatem: quin & eos ipsos qui cum nullo horum teneantur desiderio, tamen ut sanitatem colant, ab officio erga Deum abducuntur. Hæc enim omnia eo concessa sunt, ut nobis ad id serviant quo nos Deo liberius serviamus. Quod si nos deserto & contempto Deo ad harum servitutem convertimur, idem facimus ac si Domino servo suo Mediastinum (*a drudge to doe all vile service in the house*) permittente, quo liberius & honorificentius sibi serviat, servus a Domino deficeret, & ad mediastini servitium transiret: vel etiam (quod sæpe usu venit) ut cum maritus servos quosdam honoris & cōmodi causa conjugi attribuat, illa spreto marito servorum aliquem deperit.

inprimis ab ejus cultu religioso. Omnium vero æmulorum divini cultus, nullus infensior aut magis irreconciliabilis est, quam si quis conetur Deo simul & Beliali servire. *Quæ enim communio, &c. 2 Corinth. 6.* Quod tamen hi faciunt qui nomen suum inter *Euangelicos* profitentur, & tamen animo & intus, Pontificium Idolum inclusum retinent. Quod etiam non obscure declarant, non modo quod rari hic in Ecclesia conspiciuntur, (quod illis cum aliis Dei contemptoribus commune est) sed quod cum adsint, suis privatis lectionibus dum publica aguntur, occupentur, eorumque se consortio adjungant, qui illam superstitionem furenter sectantur. Vtinam etiam aliquando, per speciem Missæ Idolum videndi, illud non adorent! Quod si fecerint, non vereor ne non deprehendantur. Quod quo facilius fiat admonendi sunt, hi quorum animos ab illa fœce & cœno Idololatriæ Deus liberavit. Quandoquidem alterutrum eundo faciunt, scil. ut aut pacem Reip. violent. si operti & contumeliose illud intueantur, aut si metu pœnæ se relegant, adversus Deum adulterantur. Interim subit me mirari, si hujusmodi hypocritæ & religionis simulatores tam stupidi esse possunt, ut se propria conscientia cōdemnatos non sentiant: quandoquidem utracumque religio vera est hæc aut illa, utercumque Deus sit, Dominus cœli & terræ, aut Idolum, tamen illos perire necesse est, qui utroque pede claudicant. Diligenter autem circumspiciendum est ut rite & ex animo Deum colamus. Nec illius cultum cum cujusque rei servitute partiamur, ut non tantum Sabbatho sed profestis diebus, non *cum cujusque rei servitutem* matutino tantum tempore, sed & pomeridiano, &c. neque putemus Deum coli velle ut quidam domini, quibus satis est ter aut quater in anno domini vestem (seu insigne) gestare, & ferculum ad mensam afferre. Quod nisi fecerimus, veniet aliquando dies, cum Dominus hypocrisin hanc omnibus & nobilissimis conspicuam reddet: & quod heri faciunt ut vestes seu insignia nequam servis detrahant, & per aures (quod dicitur) revellant; sic etiam Dominus aut excommunicatione, aut voluntaria à veritate defectione, hanc externam professionem, qua sordes eorum teguntur, ori eorum eximet.

MATTH. *Cap. 6. à vers. 25. ad finem Capit.*

25 Propterea dico vobis, ne estote soliciti de anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri: neque de corpore vestro, qua re sitis induendi. nonne anima plus est quam alimentum, & corpus quam vestitus?

26 Intuemini in volucres cœli: non enim serunt, neque metunt, neque cogunt

gunt in horrea, sed Pater ille vester cœlestis alit eas, nonne vos multo præstatis eis?

27 Quis autem ex vobis solicite cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum?

28 Ac de vestitu quid soliciti estis? discite quomodo lilia agrorum augescant: non fatigantur, neque nent.

29 Sed dico vobis, ne Salomonem quidem cum universa gloria sua, sic amictum fuisse ut unum ex istis.

30 Quod si herbam agri, quæ hodie extat, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: nonne vos multo magis, ô exigua fide prædit i?

31 Ne igitur estote soliciti, dicentes? Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo amiciemus?

32 (Nam omnia ista gentes requirunt.) novit enim Pater ille vester cœlestis vos indigere his omnibus.

33 Sed quærite primo regnum Dei, & justitiam ejus, & ista omnia adjicientur vobis.

34 Ne igitur estote soliciti de crastino: nam crastinus dies *solicitus erit de* rebus *suis, sufficit diei sua vexatio.*

A N A L Y S I S.

VT studium divitiarum frangat, dehortatur ab avaritiæ causa efficiente, anxia cura pro rebus ad vitam spectantibus; quæ distributione subjecta declaratur { Victus. Cultus.

Refellitur comparatione majorum, dedit enim Deus vitam & corpus absque nostra cura, nedum victum ad vitam sustentandam & cultum inducendum.

Vers. 26. Alio argumento comparationis minoris priorem partem de victu probat, quia aves cœli pascit; quod amplificatur à contrariis effectis, quia aves non seminant, nec in horreum convehunt, cum tamen fideles utrumque faciant: deinde à comparatione minorum, quod Deus sit avium creator tantum, cum fidelium sit non solum creator, sed in Christo pater.

Vers. 27. Aliud argumentum ab effecto inutili solicitudinis mundanæ, quod effecto, comparatione minorum, probatur; quia sua cura non posset suam staturam augere.

Vers. 28. Solicitudinem pro cultu corporis anxiam refellit à comparatione minoris: primum quod herbæ terræ sine sua cura vestiuntur, nedum pii: deinde amplificatur à contrariis effectis, quod illis non laborantibus, nec nentibus, vestes tribuuntur, nedum nobis, qui pro vestibus laboramus & artes exercemus.

Vers. 29. Denique alio argumento majoris, quod lilia agri splendide vestiuntur; quod argumento minorum amplificatur, nempe splendidius, quam *Salomon* vestitus est, nedum vos indumentis quæ vobis tegendis satis erunt, vestiet.

Vers. 30. Denique ab adjuncta herbæ momentanea duratione, quæ sua adversa in perpetuum permansione amplificat: ubi etiam tacite causam procreantem hujus solicitudinis indicat, fidei tenuitatem.

Vers. 31. Effectum imbecillitatis fidei notat sermonem plenum diffidentiæ, de rebus ad victum & vestitum spectantibus.

Vers. 32. Quam perfidiam retundit ab adverso, quod Gentes à Deo alienæ hoc faciunt, & proinde à fidelibus alienum esse: deinde ab omniscientia Dei, qui probe noscens quorum nos opus habemus, illa nobis suppeditabit.

Vers. 33. Aliam causam procreantem hujus immodicæ curæ indicat: quod primo tempore, & præcipua cura non suscipitur de rebus cœlestibus; quibus recte procuratis, terrena hæc sponte se veluti in os nobis offerent.

Vers. 34. Denique ab adjuncta fatigatione & molestia, quam singuli dies secum necessario afferunt: quā curis non necessariis cumulare stultum est.

METAPHRASIS.

VT autem pecuniæ cupiditatem ex animo 25.
evellatis, nolite anxia cura hujus vitæ,
quæ ex anima originem ducit, vosmet discruciare, hæc assidue animis versando, quid edatis? quid bibatis? quibus indumentis corpus operiatis? An non vita quam Deus absque vestra cura vobis dedit majoris pretii est, quam alimentum; & corpus quod vobis nihil cogitantibus formavit, pluris est quam vestitus?
Sistite, quæso, gressum, & acie oculorum men- 26.
tis defixa, contemplamini aves, quæ in infimo cœlo seu aëre volitant: sementem non faciunt, nec messem in granaria comportant; & tamen Deus, vester Pater cœlestis (qui avium modo creator non autem pater est) illas pascit: quanto magis vos, qui avibus plurimum præstatis, & artem edocti estis, qua semine terræ mandato, illud auctum, & ad maturitatem perductum, suo tempore collectum in diuturnum tempus
recondatis? Estne ex vobis vel unus, qui curis 27.

&

& angoribus se conficiens, sua statura cubitum unum modo adjungat, nedum corpus ad ju-
28. *stam magnitudinem provehere potest. Sicut de alimentis vos torqueri contra officium est; sic de corporis cultu cur vexemini nulla ratio est. Considerate enim quæso (non dico horti lilia quæ pleniorem culturam habent) agri lilia quomodo crescunt: non laborant, non nent, nec quampiam aliam artem qua indumenta a-*
29. *ptantur (quod vos facitis) exercent. Tamen hoc vobis confirmare possum, ne* Salomonem *quidem ipsum in summa cum divitiarum copia, qua vestium materia suppeditatur, tum sapientia qua forma exquisitissima excogitatur, tam laute & splendide vestitum fuisse,*
30. *quam ex his unum. Quod si herbam agri (quæ hodie vigens non ita multo post (lignorum penuria) furno accendendo abhibita penitus consumitur) Deus tam magnifice & ornate amicire solet: quanto magis vobis de vestibus (saltem usui vestro accommodatis) prospiciet? ut hæc vestra anxietas non aliunde provenire censenda sit, quam quod in Dei paterna pro-*
31. *videntia parum fide conquiescitis. Quamobrem apagesis has voces ex anxia solicitudine promanantes:* Quid edamus, quid bibamus,
32. *aut* quo demum indumento operiamur? *Hæc enim omnia Gentes, à Deo & promissionibus alienæ, (quibus vos quam dissimillimos esse convenit) sollicite exquirunt. Nam Deus, qui quod Pater est, studio in vos propendet, & quod cœlestis, omnia vobis suppeditare potest: cum non ignoret his vos opus habere, omnia hæc affatim subministrabit. Vultis dicam unde hæc superflua & tabida cura nascitur? dicam*
33. *uno verbo, quod veræ pietatis studio non tenemini. Quamobrem si ante cætera & præ cæteris omnibus procuremus, ut Deo in nobis regnum per verbum & spiritum exercenti, ad justitiam obsequium præstetur, omnia hæc hujus vitæ commoda sponte sua tanquam addi-*
34. *tamenta accedent. Nolite igitur anxie vos cruentare, curam vestram vel in crastinum, nedum in multos annos extendentes: nam crastinus dies suas secum affert (quas suscipere nos convenit) curas. Quamobrem cujusque diei cura & solicitudo ad nos fatigandum satis est: ut alias, quibus nos obruamus, stulte non accersamus.*

Summa *est exhortatio ad abjiciendum conficientem curam efficax.*

Partes sunt:
- *Adhortatio ad curam conficientem abjiciendam.*
- *Rationes quibus adhortatio incumbit.*

PRAXIS.

Priorem exhortationem confirmat, argumento ab efficiente. Homines enim incenderentur ad studium cōgerendi & corrogandi thesauri, nimia rerum quæ ad victum & vestitum referuntur cura, id est, studio & cupiditate hujus momentaneæ & incertæ vitæ: cui tuendæ quoniam victus & vestitus ante omnia requiruntur, fit, ut eorum cura in his vitæ præsentis subsidiis defigantur: contra vero, ad studium pauperum subventionis, & thesauri in cœlis recondendi, adhortatur ab adversis, largitioni enim in pauperes, penitus adversa est sollicitudo de nobis & nostra vita, immodica. Quod autem ad posteriorem hanc spectat, apparet unde tanta in pauperes restrictio; scilicet, quod homines metuunt, ne non illis satis sit, si quid pauperibus erogarint. vide *Eccles. Non seminabit qui observat ventos:* nubes cum plenæ sunt aqua distillant in terram. Homines quam in vitæ subsidiis refrigerationem sentiunt, in eodem genere illis rependunt, ut David Barzillæ filiis: Deus autem justissimus simul & munificentissimus remunerator hoc non faciat? Vers. 25. *Sollicitudo vitæ præsentis damnatur;*

Quod ad priorem partem attinet, certum est homines animales nullo sensu futuræ vitæ imbutos, aut in ejus spe munitos, statim ad immoderatum hujus vitæ amorem transire; quibus mors quædam est de morte mentionem audire: tanquam enim perfidi villici rationum positionem & initionem refugiunt: tanquam malefici judicis adventum exhorrent: & veluti fide concidentes & foro concedentes, apparitorem mortem cane pejus & angue pertimescunt. *quæ efficacior in homine animali;*

Quæ omnia nonnisi post hanc vitam expectant, ideoque omnem operam dant, ut hic quam diutissime vivant: & quoniam nullam spem cœlestis domicilii & mansionis concipiunt, omnia converrunt ut luteam hanc casam quacumque ratione reficiant. Vbi etiam, quia, sicut est in proverbio, pecunia instar omnium est, ut qui illam habeat nulla re prorsus destituatur, huc sua consilia conferunt, ut nummis quam sint ditissimi. Qua in re longe falluntur, quum illa potius irritamentum sit & inescatio, qua plurimi nobis & vitæ nostræ insidiantur: ut melius hac ex parte cum inopi agatur multipliciter. vide historiam captivitatis Babylonicæ, ubi tenues soli reliqui facti sunt. 2 *Reg.* 24, 14. Atque ut cum illis maneat pecunia, *speciatim ad vitæ longævitatem,*

cunia, tamen nemo illa vitam redimat. *Psal.* 49. Sed neque victum & vestitum semper pecunia redimant: ut Israelitæ auro & gemmis onusti, ne panem quidem & gelidæ aquæ guttam in diserto consequi potuerunt: ne tum quidem, cum abunde suppetebat; ut cum transirent per Aedomæos & alios. Atque ut utrumque victum scil. & vestitum pecunia emant, tamen morbo afflicti delicatissimi cibi nausea corripiuntur.

& corporis valetudinem:

Denique ut valeant: tamen nisi Deus eosum, &c. benedictione sua prosequatur, id evenit quod Aggæus prædicat, scil. ut panis illos non alat, ut ex coturnicum historia liquet; vestitus non calefaciat; pecunia in pertusam crumenam & loculos injicitur. Non itaque in eo posita est hominis vita, si multum possideat.

hinc rerum terrenarum cura abjicienda;

Hinc novam dehortationem aggreditur, à nimia scilicet in rerum terrenarum cura; quam multis argumentis confirmat. Quorum primum in ipsis dehortationis verbis continetur, & ab adjuncta ipsius curæ qualitate ducitur: quæ quidem talis est, ut hominis animum in diversas quasi partes distrahat, cruciet, cruentet, &c. quod verbi etymo continetur: nisi ergo velimus animum nostrum distrahi, &c.

Secundum ab absurdo, quod ratione à comparatione minoris colligitur. Si vitam habetis sine cura vestra, nõne etiam alimentum huic vitæ subministrabitur? si corpus: annon vestimenta? Væ mihi misero: unde mihi alimentum suppeditabitur? unde vestes? stupide; unde tibi vita, corpus nudum? Quod si quæ præstantiora sunt nulla tua cura adeptus es; annon etiam quæ minus præstant multo magis? videtur ergo erutus illi & effossus aut saltem obtenebratus vel ipsius rationis oculus, qui hoc morbo tantopere laborat.

Vers. 26. *cum qui viliores pascit etiam præstantiores pasturus sit;*

Tertium argumentum à comparatione minoris. Qui viliores pascit, is præstantiores multo magis pasturus est. At Deus volucres cœli qui nobis multo viliores sunt, & nostra causa creati & conservati, sine ulla eorum cura aut labore pascit: ergo. Qui infimi ordinis servis utpote lixis & mediastinis de victu honeste & liberaliter prospicit, is reliquis qui honestiore loco & conditione illi deserviunt multo magis prospecturus est; nedum filiis & filiabus. Hinc ergo constat vix dici posse quanta contumelia Deum afficiant, qui nimia rerum terrenarum cura anguntur. Hinc item constat nobis ex officio incumbere, ut vel ipsos cœli volucres intueamur, eosque ad immoderatam hanc curam comminuendam præceptores adhibemus. ἐμβλέψατε.

Vers. 27. *quæ cura etiam inutilis.*

Quartum argumentum ab adjuncta hujus curæ vanitate & inutilitate; cum ea nehilum quidem proficimus, ad ea quæ cupimus comparanda. Si quis enim parvæ staturæ homuncio, Zachæo similis, magno proceræ staturæ adipiscendæ studio teneretur, eoque omnes curas & cogitationes converteret, dies noctesque hoc unum animo suo volveret, seque hac cura nunquam non torqueret & cruentaret; ecquid proficeret? Quod si ne rem quidem minimam præstare possumus; quid de reliquis sumus solliciti? *Luc.* 12, 26.

Vers. 28. *Vestium cura quoque abjicienda;*

Tertium argumentum Vestimentis applicat. Qui vestes vilioribus suppeditat, is præstantioribus multo magis. At Deus herbis agri, quæ, &c. Ergo hinc, præter ea quæ supra notata sunt, discimus, quo magis arte, industria, opibus &c. valeamus, eo magis nos in Deo confidere debere, eoque minus de rebus ad hanc vitam necessariis sollicitos esse. Contra eos qui quo pluribus mediis & adminiculis fulciuntur, eo sunt infirmiores.

Vers. 29. *cum rerum naturalium forma speciosior:*

Item res naturales esse artificialibus magis amabiles. *Ne Salomon quidem, &c.* cujus meditatio non modo ad sollicitam istam de rebus mundanis curam frangendam; sed & ad curiositatem frænandam aptissima est.

Vers. 30. *harum curæ ex infidelitate;*

Denique ex hujus argumenti conclusione liquet, ex quo fonte hæc immoderata cura profluit: nempe ex infidelitate. Si enim de paterno Dei erga nos amore & cura persuasi essemus, neutiquam de rebus ad hanc vitam necessariis, Ethnicorum & infidelium more, anxii & solliciti essemus. Hinc ergo constat, eos aut fide prorsus destitui, aut certe exigua & imbecilla imbui, qui se ultra modum curis mundanis torquent. Contra eos qui suam de vita æterna adipiscenda fidem jactantes; in rebus ad hanc vitam spectantibus infidelitatem produnt. Dei fidei animas suas committunt; corpora vero non item: ac si qui in magno fidelis est, in exiguo se infidelem præberet: sed isti revera ne animas quidem suas Deo credunt; neque vere vitam æternam ab eo expectant. Postremo hinc liquet, quæ tandem cura sit quam Christus hic perstringit, nempe quæ ab amara infidelitatis radice germinat.

Vers. 31, 32. Hinc concludit, simulque dehortationem repetit, novisque argumentis confirmat. In dehortationis repetitione diffidentem animum verbis depingit, quæ ex illius abundantia promanant. Vnde constat eos qui in has anxias & sollicitas voces erumpunt, utcumque præ se ferant se ab infidelitate immunes esse, eam tamen intus reclusam prodere, hujusque infidelium curæ reum teneri.

quæ ideo in infidelibus viget, Argumentum primum est à disparatis, (Ethnicis & Tyrannis) unde dissimilitudinem & differentiam colligit, quæ inter nos & illos hac in re esse deberet, hoc modo: omnia ista Gentes requirunt; At nos illis longe dissimiles esse oportet; ergo. Et certe cum Gentes nullis harum rerum promissis muniuntur, nulla specialis Dei favoris experientia confirmantur, fide destituuntur, Deum verum non colunt, terrena tantum sapiunt, &c. nihil mirum, si hoc morbo non laborant modo, sed & confossi succumbunt. Nos vero cum, &c. Qui enim filium proprium nobis gratificatus est, quo modo non cum eo nobis omnia daret? pudeat ergo hac in re Gentibus similes fieri.

à nobis vero amovenda qui Deo curæ; Hanc dissimilitudinem probat a descriptione veri Dei, qui cum infinitæ sit majestatis, & in suos amore plusquam paterno propendeat, omnes eorum necessitates probe cognitas & perspectas habet. ***Pater vester cœlestis:*** de his vocibus, vide quæ supra annotata sunt, in præfatione Dominicæ orationis. Istud autem nos securos reddere oportet, quod Deo ipsi curæ sumus. Nec enim ipse nos curam deponere & abjicere suaderet, nisi ipse idem præsens & præsto adesset, cui curarum nostrarum sarcinam imponeremus & injiceremus.

cui nostræ necessitates perspectæ. Neque vero cum dicit eum probe nosse nos indigere his omnibus, hoc tantum vult, ut intelligamus nostras necessitates ipsi perspectas esse; sed porro etiam ipsum omnia nobis necessaria suppeditaturum. Id quod, tum voce (*Patris*) continetur. (Pater enim quid filio negabit, præsertim cum hoc ipsum ei dedit ut ejus filius fieret?) tum etiam promisso sequenti; ***Et omnia hæc adjicientur, &c.***

Vers. 33. *Sollicitudo terrestrium, abjicienda cum cœlestia quærenda;* Arguit ab adversis, scil. non oportere sollicitudine rerum terrenarum victus & cultus torqueri, quia regnum Dei & ejus justitia quærenda sunt: quæ nemo consectetur, qui hujus vitæ curis se confecerit. Sicut enim prius dictum est, neminem posse Deo simul & Mammoni servire, sic nemo hac cura simul & cœlestia & terrestria complectatur. *Matth.* 13,22. Eousque contraria est hujus mundi cura, ut in his in quibus magna species & magni progressus apparent, semen regni Dei suffocet. Cum itaque præsenti vitæ noxia est quam prorogare præ se fert quilibet, (ut quæ ossa exsiccat) tum futuræ cumprimis adversaria est.

Ex hoc autem loco elucet magis, quænam illa mundi sollicitudo sit, quæ Servatoris nostri oratione jugulatur, scilicet cum ea efficitur ut regnum ante omnia non consectemur, sed illud præsentis vitæ commodis postponimus. *hinc quænam vera sollicitudo;* Quod autem πρῶτον dicit, non eo tantum intelligit Deum esse mane invocandum antequam vel quid edas, aut operari incipias, &c. (quod tamen æquissimum est) sed præ omnibus, & *plusquam omnia.*

Hac igitur, tanquam certissima nota filii hujus seculi à filiis regni discernuntur. *ex qua hujus seculi filii à fidelibus discernuntur,* Quod si sibi hypocritæ imponant, & sibi persuadeant se primas regno cœlorum dare, est unde illorum hypocrisis & fucus detrahatur. *Prov.* 47. Vbi primariam & principem sapientiam, quam ante ***Reverentiam Iehovæ*** definierat, *Prov.* 1. & docet universa possessione nostra redimendam: quod Servator Christus illustravit duplici parabola. ***Matth.*** 13,44,45. Paulus vero suo exemplo confirmavit. *Philip.* 3,4,5,6,7. & ***Luc.***14. ***Qui non abnegat patrem, &c.*** His autem contraria faciunt illi *Luc.*14. invitati, qui per speciem negotiationis, &c. Item Israëlitæ qui *Zachar.*30. argenteos &c. Quibus quam multi similes repeiuntur, non est difficile dicere. Verum, inquit aliquis, res nondum eo redit, ut de hac re recte pronunciari possit. Nondum enim in discrimen vocamur desertionis Euangelii, aut bonorum & vitæ amissionis. Atqui, inquam, ut id non sit, de hac re tamen aliquid constitutum habere non est τῶν ἀδυνάτων. Conferatur igitur pars aliqua regni cœlestis, cum certo commodo aut lucello ad hanc vitam. Qui enim plus æstimat lucelli particulam concione, Cœnæ participatione, precum communione, baptismi celebritate, psalmi cantione, eum certe totum Euangelium cum opibus commutaturum verisimile est. Qui vitæ non tam subsidium quam voluptatem redundantem pluris facit, quam ordinarium animæ suæ pastum, eum præsentem vitam futuræ præpositurum verisimile est. Quo accedit *Luc.*16. *Qui fidelis fuit in parvo, erit & in magno.*

Πάντα ταῦτα προστεθήσεται, scil. ad victum & vestitum *quibus di-*

vinitus hæc suppeditantur, vestitum necessaria ; & quidem *adjicientur,* id est, sine vestra sollicitudine, divinitus, seu divina quadam virgula suppeditabuntur, si res ita postulat. Sunt enim veluti annexa & comites. Vide *Aggæ.*1,5. *&c.* item *Prov.*3,9. *Psalm.*34. Hinc est quod divitiæ timori Domini ad sinistram, vita vero & valetudo ad dexteram collocentur. *Proverb.*3,16. Sicut enim qui præpotentem aliquam dominam in matrimonium obtinet, satellitium & Gynecæum satis amplum consequitur ; sic, &c. Hoc illustratur, profectione in deserto ex præscripto Domini : ubi simul & pasti & vestiti sunt abunde. Item his qui Christum in desertum secuti sunt.

ut illis qui principum aulas sequuntur, Sicut etenim in ambulatoriis aulæ papilionibus *(pavilions or tents that go on vvheeles, or may be removed.)* fit ut coqui, piscatores, cupedinarii *(huxsters or vittailers)* sutores, &c. Denique artificum & opificum omne genus satis magno numero sequuntur, qui aulæ comitatum omnibus quibus opus habet, sublevent : sic multo magis qui tanti principis aulam affectantur. Quam autem stultum esset homini ab ancilla initium ambiendi (*off vvoing*) facere, & operam & oleum in eo consumere : ut sicut ineptum esset si quis aulam diutius sectari cogitans secum viaticum, calceos, paleam farraginem, &c. circumferet : sic, &c. quod tamen ab Israëlitis factum legimus. *Hos.*7,14.

quomodo Dei justitia, quæ hic quærenda, accipienda sit? Notandum quod studio & investigationi regni cœlorum adjungit, tanquam regni in nobis certissimum testimonium *justitiam Dei.* Quod tametsi intelligi videtur *justitiam qua justi coram Deo sumus per fidem in Christum,* tamen ex superiore sermone Christi ea prorsus indicari videtur justitia, qua justi coram hominibus reputamur. Quum enim *cap.*5. abundare dixit oportere justitiam nostram, præ illa quæ est Pharizæorum, &c. ut in regnum cœlorum ingrediamur, satis subinnuisse videtur quam hoc loco intelligit *Dei justitiam* (non regni cœlorum justitiam) ut plerumque vertitur, sine qua regnum quod nobis apparet umbra aut larva censenda est. *Sine sanctitate enim, nemo Deum videbit. Hebr.*13. *Rom.*14.

Vers. 34. *Sollicitudo crastini quomodo abjicienda?* Concludit, quod superius proposuerat, de cura & anxietate profliganda : sed vetitam illam sollicitudinem, ab adjuncto temporis aptius explicat. Docet enim tum esse in vituperio, cum in futurum tempus profertur, nec præsentibus acquiescimus, cum præsentis paternæ providentiæ sensus, nos deberet de ea continuanda securos & confidentes reddere. Usque autem eo hanc nostram anxietatem prohibet, ut ne in crastinum illam extendere patiatur. Qua in re videatur eos imitari, qui ut æqua auferant, iniqua postulant : quandoquidem durum videatur homines à crastini diei cura abigere, qui solent suas curas ad mille annos & amplius protendere ; sed nihil hic præcipitur quod non sit aliis Scripturæ locis conforme ; ut cum *panem hodiernum* in oratione dominica, &c. item filiorum conditio in patris familia hoc postulat. Quis enim filius paulo honestioris familiæ, qui de dimenso crastino & in patris familia subsistens, sollicitus est? Ad hanc rem eruditi sunt & conformati Israëlitæ in deserto, quibus male cessit quoties de crastino solliciti *Man* in sequentem diem reservabant ; nisi ut Deo magis indivulse adhærerent : huc etiam nos vocat quod stultitiæ damnatur, qui pleraque in multos annos recondiderat. Quo est detestabilior eorum hominum cupiditas habendi insatiabilis, qui in centesimum annum non minus anxie laborant, quam alii pii de præsentis diei necessariis præsidiis. Quanquam videatur hoc simul & familias & Respublicas labefactare, si de crastino die non liceat Christianis sollicitos esse. *prospicientia vero semper licita :* An non enim licebit semel in anno patrifamiliæ tantum tritici, farris, salis, hordei, &c. comparare, quantum in universum annum familiæ ejus suppetit? Et certe nisi urbibus, quibus insidiæ ab hoste collocantur, fas sit de commeatu in annum, aut etiam plures annos prospicere, quo modo obsidionem sustinebunt? Intelligendum igitur aliud esse curam, aliud *prospicientiam.* Ita ut in futurum *prospicere* non prohibetur, sed prohibetur *cura torqueri.* In futurum etiam tempus laborare non prohibetur, imo vero à sapiente mandatur formicæ exemplo ; sed angoribus se ex cultu & victu corporis dare vetatur. Exemplum vero cum *prospicientiæ*, tum *solertiæ* in vitæ necessariis parandis, illustre nobis proponitur in Iosepho ; in Christo etiam, qui loculos unde necessaria comparabantur, secum circumferri voluit : in Paulo etiam, qui adversus famem Ierosolymitanam sancta prospicientia cavit.

Hinc argumentum annectit ab adjuncta humanæ vitæ afflictione, quæ illam citra hanc non necessariam curam comitatur. In quo sicut vetitam curam ante notavit esse a diffidentia, & a rerum cœlestium non satis *ex afflictione humanæ vitæ immoderata cura eruenda.*

 digna

digna existimatione; sic eandem plenius adhuc indicat, cum docet hanc curam esse prementem, *urentem pungentemque curam*, & quæ homini molestiam non necessariam affert. Die enim præcipitur ut laboremus. *Gen.*2. *Psal.*104. Hoc onus satis in se grave, homines gravius & ponderosius reddunt, arrepta curarum sarcina; unde canities acceleratur, frons corrugatur; cum tamen crastini diei cura hoc modo non excutitur: crastinus enim dies suas curas nihilominus secum fert & feret.

MATTH. *cap. 7. à vers. 1. ad 6.*

NE *judicate, ut ne judicemini.*

2 Quo enim judicio judicatis, judicabimini: & qua mensura metimini, eadem *contra metietur vobis.*

3 Quid autem spectas festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem vero quæ est in oculo tuo non animadvertis?

4 Aut quomodo dices fratri tuo, Sine ejiciam festucam ex oculo tuo: & ecce trabes in oculo tuo?

5 Hypocrita, ejice primum trabem illam ex oculo tuo, & tum despicies ut ejicias festucam ex oculo fratris tui.

ANALYSIS.

PRothesis est, caveamus à temeraria fratrum condemnatione, quam vetat ipsa cogitatione concipere: ad cujus ἐκθεσιν adhibetur argumentum a fine, ne ipsi temerariis judiciis graventur.

*Vers.*2. Quod etiam confirmatur argumento à toto universali, scilicet genere: quia prout illi aliis fecerint illis ipsis fiet. Quod etiam illustratur comparatione parium, quum sicut in legitimis commerciis eadem mensura emitur & venditur, sic Deus justus judex nobis retribuet, prout nosmet erga alios gerimus.

*Vers.*3. Perversi & temerarii judicii causas duas assignat; unam, curiosam inspectionem vitiorum alienorum, alteram oscitantiam propria peccata excutiendi: quod comparatione parium illustratur, perinde enim esse, ac si festucam in alieno oculo cernens, ad trabem in proprio cæcutiret.

*Vers.*4. Effecto curiosæ disquisitionis in alienis peccatis, & in propriis conniventiæ, notat acrem censuram: cujus absurditatem illustrat comparatione parium, perinde esse, ac si quis cuperet festucam ex oculo fratris eximere, priusquam trabem in proprio oculo exemerit.

*Vers.*5. Hujus porro cum curiositatis tum oscitantiæ causam notat, hypocrisin, qua homines pluris se æstimari cupiunt, quam res & veritas postulat; quam rem adhortatione claudit, se prius purgandi & emendandi; quod confirmat à fine; ut aptior sit & magis idoneus, fratri ad resipiscentiam revocando.

METAPHRASIS.

1. VT *ad intermissa in proximum officia revertar, & illa perstringam, quibus proximus dictis & factis læditur, sicut superius illa fere complexus sum, quibus cogitatione modo violatur; moneo ut à temerario & præcipiti fratrum condemnatione, vel ob eam saltem causam caveatis, ne & vos pravis aliorum suspicionibus & perversis judiciis gravemini.*
Sicut enim in legitimis commerciis & negotiationibus, eadem mensura venditur atque emitur: sic Deus justissimus judex, qui omnium & animos flectit & linguas regit, potenti manu sua efficiet, ut prout nos nosmet erga alios mentis conceptu & linguæ usu laudato aut illaudato gessimus, sic alii de nobis & intus in animo sentient, & foras sermones serent. 2.
Qui vero suum contra fratres judicium præcipitant, fere hujusmodi sunt, ut ipsi gravioribus peccatis laborent, quam hi quorum nævos acerbe insectantur. Quamobrem ut veluti coram cum illo agam: age dic, qua fiducia tam curiose aliena in peccata inquiris, ut vel minimarum à recto aberrationum severus Censor sis, dum interim ad propria peccata, tametsi atrocia, cæcutias? 3.
Atque qua fronte tuam de fratre collapso instaurando curam & solicitudinem profitearis: cum interim te scelera tua, omnibus obvia & conspicua, corrigendi studium nullum tenet? 4.
Quamobrem tu (hypocrita insignis) qui aliorum sedula vituperatione, tuæ innocentiæ & integritatis (quæ nulla est) fidem facere cupis; primum & ante omnia te tuis sceleribus per resipiscentiam expedi: sic enim ad alios instaurandum & restituendũ, paratior multo & instructior accedes. 5.

Summa est, *depulsio à præcipiti & temerario de fratribus judicio.*

Partes sunt { *A præcipiti judicio dehortatio duobus versibus.* / *Ejusde acerba reprehensio 3 aliis.* }

PRAXIS.

PRAXIS.

Vers. 1, 2. *Præceps de proximo judicium damnatur,* OFficiis in Deum adjungit alia in proximum, quæ *cap. 6.* interposita intermisit. Tametsi enim *cap. 5.* quædam ex secunda tabula ad tractandum delibavit; tamen illa ex ea parte tractavit, qua hominem coram Deo obnoxium reddunt, non ea parte qua proximus violatur.

Orditur autem ab animi tacito judicio, quod ne de proximo præceps nimis & acceleratum sit, diligenter monet. Imitemurque illud *Esa.*11. de Servatore, qui ex oculorum intuitu & aurium auditione, sententiam de rebus non tulit, sed potius quod apud Patrem audivit & vidit, illud testatus est. Hic igitur suspicionibus aditus præcludi debet ex charitate 1 *Corinth.* 13. qua facile ad sententiam de aliquo dicendam deducimur. Deinde, sicut dictum est, non nimium signis & rerum incertis judiciis credendum: ut si quis ex titubatione & casu ebrietatem statim concluderet, in quo genere peccavit Eli. 1 *Sam.*1. Sic si quis semel in libidinosi consortium incidat, non statim judicandum &c. Fieri enim potest ut aut incautus, aut non conscius hujusmodi in consortium inciderit. Hic igitur prudentia & cautio illi similis adhibenda est, quæ in lepræ judicio Sacerdoti præcipitur *Lev.cap.*1. *vers.*14,15.

nec male de eo sentiendum; Deinde cavendum ne cujusque de fratre sermone, ad male de eo sentiendum adducamur. Et cum boni nominis proximi, Deus nos custodes esse voluit, danda opera est ne illud nobis leviter & nullo negotio eripi patiamur. In quam partem non Saul tantum, sed sanctissimus David peccavit, dum Sibæ de hero falsa narranti crederet.

vitia tamen manifesta culpanda, Contra vero stultum est quod quidam hunc locum, suis facinoribus tegendis proferunt. Nec enim vel tum se judicari æque ferunt, cum res sole & meridie clarior est; ut si quis per plateas incedens huc illuc se flectit & reflectit, vel si sermo illi deficit præsertim sobrietati conjunctus: si quis quotidie lupanaria itet, de tali fas erit, &c. tametsi *Pontificii* osculantes, volunt fœminæ consilium sanum dare videri.

Vt ne judicemini.) Nec à Deo qui misericordiam vobis præstabit, nec ab hominibus, quorum animos & corda Deus manu sua retinet, ne quid contra, &c.

Vers. 3, 4. *sed levissima non curiose excutienda,* Causam temerarii & præcipitis judicii notat; cupiditatem scilicet aliorum vel levissima & minutissima peccata curiose excutiendi, & illa in fratribus exagitandi: tanquam Pædagogi, Chirurgi & Medici avari & crudeles, qui vulneratorum & ægrotorum multitudine lætantur: difficiles sane Pædagogi, &c. cum *Patres* aut *Incorruptos* Iudices nos imitari oporteat. Nam pater diligenter liberorum mores considerat; sed ita ut nihil mali ab his admitti cuperet, sicut nec admissum pervestigare gestit. Deinde Iudices integri & æqui, eorum numero non oblectantur: potius enim omnes insontes esse pervellent. Quemadmodum igitur ubi hæc libido, seu chirurgos, seu judices invasit, non deerunt perversa judicia, & male institutæ curationes; sic neque infrequentes futuræ sunt pravæ de fratribus opiniones, quoties homines maledicendi aut reprehendendi studio pruriunt.

nec gravia cum voluptate castiganda: Sed videtur potius istis verbis Christus, aliud vitium perstringere: & non tantum eos insectari qui falsis & iniquis judiciis fratres obruunt, sed & eos itidem pungere qui vere quidem de fratribus delinquentibus, sed non syncere statuunt: cum nullo delicti odio, sed voluntate quadam & studio reprehendendi ducantur; aut etiam (quod fit) odio ejus qui reprehenditur. Inique vero hoc facere satis indicat, quod ad eadem aut graviora in se ipso peccata connivet qui carpit. Quod si odio peccati duceretur, non minus illud in se quam in alio damnaret: nec minus peccatum in semetipso corrigeret, quam in aliis illud castigare præ se fert.

Vers. 5. *cum tui ipsius emẽdatione frater coarguendus,* Ex quo illud facile liquet, non damnari, si quis frater fratrem coarguat, cum lege illud præcipiatur. *Lev.*19. scilicet. *Non esse odio habendum fratrem, sed penitus coarguendum ne ejus peccatum luas (vel ne tamen super eum peccatum tollas tanquam vexillum, blaze his sinne, &c.)* Quod item *Psal.*147. & *Prov.* celebratur; sicut contrarium apud *Hosæ.*4,4. Sed nec minima vitia perstringere prohibetur. Sicut enim nulla tã minuta festuca est, quæ si oculum subintraverit non illam molestiam exhiberet qua quivis liberari se expeteret; ita nec vitium ullum tam exile & exiguum est, quod animi aciem non conturbet, nisi sedula cura eximatur. Quamobrem hortatur Christus, non ut à reprehensione desistat, sed ut sui ipsius emendatione, se ad hoc officium magis idoneum reddat. Quam enim absurdum sit te illius oculi acie quæ trabe impedita est,

conari ejus oculum restituere qui injecta tantum festuca caligat? Ex quo illud efficitur, homines non tantum veritatis ignoratione sed & morum corruptela cæcutire: nec tantum in tenebris captos esse oculis, sed summa meridie: sicut & 2 *Pet.c.*1,8,9. ad festucam deprehendendam, tum etiam ad illam artificiose & dextre eruendam. Nec enim qui vitium in oculo deprehendit, ilico oculi vitio mederi potest. Cavendum igitur, ne nobismetipsis vitiorum consuetudine oculos configamus.

Sine qua reprehensio noxia. Hujus rei apud Lucam argumenta quædam a testimoniis citantur, quæ ex jactatis & pervulgatis proverbiis petita sunt. Quorum prius est, *Cæco cæcum ducente, ambos in foveam cadere.* Quamobrem cum vituperator ipse cæcus sit ex trabe quam in oculo infixam habet, alienum esset, ut alterum ex festuca caligantem ducat. Perinde ac si claudus claudo deportando designaretur. Eodem spectat alterum proverbium, ubi reprehensus discipulo, vituperator magistro assimilatur. Reprehensus enim cum viderit, seipsum pejore loco non esse quam *vituperator*, præclare secum agi putabit. Ex quo illud liquet, tantum abesse, ut hujusmodi vituperatorum reprehensiones prosint, ut plurimum etiam obsint.

MATTH. *cap.* 7. *à vers.* 6. *ad* 13.

6 *Ne date* quod *sanctum* est *canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis: ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.*

7 *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.*

8 *Quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, invenit: & ei qui pulsat, aperietur:*

9 *Nam quis est ex vobis homo, qui si filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?*

10 *Et si piscem petierit, num serpentem dabit ei?*

11 *Si vos igitur, qui mali estis, nostis dona bona dare liberis vestris, quanto magis Pater ille vester, qui est in cœlis, dabit bona iis qui petierunt ab ipso?*

12 *Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis, ista enim est Lex & Prophetæ.*

ANALYSIS.

PRothesis est, admonitiones non esse temere, & promiscue adhibendas; ad cujus ἔκθεσιν adhibetur distributio

A subjectis { Contemptoribus, qui comparatione parium illustrantur, nēpe suum: quod effecto calcandi, subj. pedibus arguitur. Virulentis, qui item comparatione parium illustrantur, nēpe canum, qui nos admonentes mordent & lacerant. }

Præterea aliud argumentum causæ admonitionis ab adjuncta sanctitate ejus, quam illustrat pari rerum Deo in lege consecratarum. Deinde aliud argumentum ab adjuncto precio verbi seu admonitionis, quæ pari illustratur margaritarum.

*Vers.*7. Prolepsis est, cujus occupatio est ab adjuncta ignorantia, an aut contemptores sint, aut virulenti: subjectum est à corrumpente causa illius ignorantiæ, nempe precibus ad Deum fusis, quæ ad Deum precatio duobus comparatis parium exornatur, quærendi rem perditam, & pulsandi ostium clausum; sicut ejus petitionis effectum, nempe consequutio rei quam petimus, duobus aliis amplificatur, inventionis scilicet rei amissæ, & apertionis ostii clausi.

*Vers.*8. Hoc arguitur porro à toto universali, seu genere; quia omnis qui petit, &c. accipit, &c.

*Vers.*9,10,11. Aliud argumentum à comparatione minoris: nam si illi homines nihil negant suis filiis, nedum Deus suis, & si illi mali nihil negant suis, nedum Deus summe bonus suis filiis negabit. Denique, si illi panem & piscem non denegant filiis, quo tamen illi ipsi indigni sunt: nedum Deus suis dona dabit, quibus ipse abundantissime fruitur, quæ nulla erga homines largitione exhauriri posset; ubi etiam petitiones describuntur à subjecto rerum bonarum & nobis commodarum.

*Vers.*12. Omnia officia erga proximum, quæcumque vel hactenus exposuit, vel etiam enumerari possunt adjuncta summa indicat; ita scilicet nos erga proximum gerere oportere, ut nobiscum illum agere expetimus.

METAPHRASIS.

ATque ut sitis animis synceris & incorruptis, optime comparati, & reprehensionis 6.
argumentum non desit; tamen delectus personarum adhibendus erit: si enim in virulentos tanquam rabidos canes, qui vos conviciis aut maleficiis incessent; aut vero in Epicuræos tanquam sues, qui voluptatibus adeo addicti sunt, ut præ illis in quibus se volutant omnia spernant,

nant, & pedibus conculcent, incidatis: nolite
admonitiones veſtras, tanquam res ſanctas è
ſanctuario minime ad communes uſus efferen-
das, iſtiuſmodi canibus proſtituere; neque re-
prehenſiones, ipſis margaritis pretioſiores, hu-
juſmodi ſuum & porcorum pedibus obterendas
7. *objicere. Vbi ſi forte quæratis, quibus indiciis*
tales ab aliis ſecernatis: equidem ut alia ta-
ceam ſuperioris anteactæ vitæ eorum experi-
menta, unum hoc vobis plurimum juvabit, ſi
prudentiam (ut alia omnia quibus opus habe-
tis) à Deo precibus petitis, ſi hoc donum primi
parentis lapſu amiſſum diligenter exquiſiveri-
tis, ſi denique portam noſtris peccatis occluſam
8. *precibus pulſatis. Neque vos terrere debet,*
quæ vobis ante oculos obverſatur indignitas:
omni enim ex fide per Chriſtum petenti dabi-
tur, quærenti ſe obvium ſiſtit Deus, & pulſan-
9. *ti aperietur. Quis ex vobis eſt (utcunque miſe-*
ri mortales ſitis) cujus ſi filius quidpiam quod
conducit & ſalutare eſt, exempli cauſa, pa-
nem petierit, numquid lapidem illi daturus
10. *eſt? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpen-*
11. *tem illi daturus eſt? Si igitur vos propter in-*
hærens & adnatum vobis peccatum, mali,
præſertim cum Deo qui ipſa bonitas eſt) com-
poſiti (cum judicio & delectu ejus quod com-
modum & utile eſt) dona liberis veſtris op-
portune confertis: quanto magis Pater veſter
cœleſtis, vobis bona & vobis ſalutaria peten-
12. *tibus, nihil denegabit? Sed quia ad omnia in*
proximum officia iter infinitum eſt, quæcum-
que vel hactenus explicata ſunt, vel etiam
porro percenſeri in hoc genere poſſunt, uno
quaſi verbo complectar, eoque ita familiari &
obvio, ut omnium fere ore teratur. Quæcun-
que ut alii vobis faciant legitime & ex incor-
ruptæ rationis præſcripto cupiveritis, eadem il-
lis itidem facitote; nec enim quidquam (quod
proximum attingit) in lege aut Prophetis, le-
gis interpretibus, fuſe & paſſim in Scripturis
conſignatur, quod paucis his verbis ſumma-
tim non comprehenditur.

Summa *eſt, Chriſtum pergere in officiis erga proximos explicandis.*

Partes ſunt, *documentum*:
- *Speciale de admonitionis cautione.*
- *Generale omnia ſecundæ tabulæ officia ſummatim complectens.*

PRAXIS.

Vers. 6. *Quinam ſeria reprehenſione indigni?*

CVm quo quis animo alterum reprehendere docuiſſet, in hominibus ipſis qui reprehenduntur delectum adhibendum eſſe docet. Duo autem hominum genera notat, quos noſtra admonitione indignos judicemus. Vnum eorum, qui admonitionum nulla cura ducuntur. Alterum eorum qui etiam odio habent reprehenſiones, & reprehenſores perſequuntur, & contumeliis afficiunt. Hos homines Servator canibus & ſuibus comparat: animalibus Iudæis odioſiſſimis, quæ neque ad cultum Dei, neque etiam ad communem vitæ uſum idonea erant: vide *Eſai. 66, 3.* Hinc etiam Salomon, & poſt Salomonem Petrus, deploratæ ſalutis homines, his animalibus comparat.

quibus igitur ea adhibendæ?

Adhortatio autem ducitur ab adverſis, ſcilicet ſanctum prophanis non convenire. Sanctum enim ſanctos; prophana prophanos decent. Hoc illuſtratur à Servatore *Matth. capit.* 15. ſicut enim non ſolent canibus præberi liberorum alimenta, ſed oſſa, & rancida quæque, & putres carnes ſeu cadavera; ſic etiam, &c. Et ſuibus, margaritæ aptæ non ſunt, ſed ſiliquæ, &c. Proinde cum admonitiones & reprehenſiones ad filios regni ſpectant, non ſunt proſtituendæ perditæ ſpei hominibus. In utramque igitur partem peccari in hac cauſa poteſt, ſcilicet vel ſi admonitiones juſtis earum dominis ſubtrahamus; vel ſi omnibus abſque diſcrimine illas obviam exponamus. Sicut enim œconomus utrinque peccat, vel ſi dimenſum domeſticis ſubducit, vel ſi transferat ad alienos ad quos non ſpectant. Sic videndum, ut quum nos Deus œconomos admonitionum fecerit, ne, &c.

illæ quanti ſint faciendæ?

Quanta autem ſollicitudine hoc cavendum ſit, docet quum *Admonitiones* ex verbi penu depromptas, ſanctas, & propterea etiamnum *Margaritis* comparandas eſſe dicat: ut major quædam cautio hic ſit adhibenda, quam ne pecunias in eos erogemus qui illas prodigunt & decoquunt. Quo etiam ſpectat quod *pretioſo unguento* aſſimilantur *reprehenſiones*, *Pſal.* 141. Quod in putidum canem aut lutulentam ſuem effundi nefas eſt. Sæpe etiam *admonitiones pharmacis & medicamentis* pretioſis aſſimilantur, quæ Hippocrates deſperatis præberi prohibet. Atque hoc quidem argumentum utriſque hominum generibus omittendis, & in reprehenſione prætereundis competit.

ideo vituperatores non perſtringendi?

Sequuntur argumenta, quæ propria ſunt ſingulorum generum. Et quidem adverſus *Canes*, illud valet, quod ultimo loco poſitum eſt adjunctum, ſcilicet vituperatori periculum. *Canes* enim non modo non reſpuunt quod ſanctum eſt, ſed etiam in datores in-

res in-

res insurgunt; illis allatrant, eosque pro virili lacerant. Tanquam igitur a feris molossis & truculentis aut ferientibus, ab istiusmodi cavendum. Quæ tamen admonitio videatur potius humanam quam divinam sapientiam resipere, quum quis ut sibi & suæ saluti consulat, ab admonitionibus abstinuerit. Contra autem videtur fecisse Dominus, qui Prophetam ad Ieroboamum misit: & Eliam ut Ochosiam de adventante morte commonefaceret, jussit. Sed notandum hæc de canibus intelligi; non autem existimandum est eos omnes canes esse qui allatrant vel etiam mordent, tametsi enim canes omnes allatrent & mordeant, non ilico tamen canis est qui allatrat.

nec etiam contemptores: Contra secundum genus deploratorum peculiare argumentum est ab admonitionum conculcatione. Sicut enim sues siliquas mallent quam margaritas, & objectas *Margaritas* pedibus obterunt, siliquis vero avide ingurgitant; sic, &c. Eos autem intelligit qui verbum Dei contemptui habent, nec ullam ejus rationem habent. Nec his absimiles sunt, *qui filium Dei pedibus conculcant, &c. Heb.*10,29. vide *Prov.*29,8. Qui tametsi non ita ut alii furiunt, non tamen idcirco minus impii sunt. Hujus enim seculi deliciis penitus capti in illas toti incumbunt, nec sua studia in alia distrahi patiuntur. Hi quidem facile inveniunt, qui eos tanquam moderatos & innoxios laudent: sed emunctæ naris homines intelligunt hoc esse pessimum. Hunc totum locum conclude. *Prov.*9,7,8.

præsertim ab Euangelii ministris. Hoc autem cum omnes sollicite servare debent, tum hi inprimis qui ministerio deserviunt. vide *Matth.*10. *Actor.*13. Exempla hujus doctrinæ visuntur in Christo, qui à Pharisæis, Pilato, Herode, interrogatus, illis respondere noluit. Hinc colligitur quo loco habendi sunt, qui admonitiones aspernantur. His enim similes sunt, qui allatum Pharmacum effundentes, scutellam pedibus proterunt: vel etiam furiosis, qui Medico aut Chirurgo manus afferunt. Deinde hinc liquet, quam charæ nobis esse debent fratrum admonitiones & reprehensiones, maxime ministrorum, quibus se Deus nobis tanquam filiis exhibet, & (ut idipsis sibi chara pignora) se gerit. Sicut porro quamdiu Medicus domum ventitat, spes sanationis subest; sic, &c. Contra formidabili loco sunt, quibus ex libidine omnia gerentibus ne verbo quidem obsistitur. Quamobrem meminerimus æquitate & clementia uti adversus monitores, ne difficilioribus & morosioribus responsionibus omnium ora recludamus. Vide exemplum Saulis, quem per aliquot annos Samuel non invisit, nec scelus anhelantem repressit.

Occurrit difficultati quæ cujusque pii cogitationem subire ex superiori sermone possit; queratur enim quis, hæc difficillima observare esse. Quibus Christus respondet argumento ab efficienti instrumento: precibus enim de rebus quibuscumque, quarum opus habemus, consequendis, securos facit. Eoque ipso spiritu suo non iri destitutos, cujus præsidio delectum in admonendis hominibus habeamus. Hic igitur remedium informatur, quo mendicitati nostræ & indigentiæ subveniatur, scil. si petamus duntaxat. Apud homines quum aliquid desideratur, secum cogitant de precio quo concupitum redimant: aut de solertia & labore improbo, quorum si neutrum est, se quicquam accepturos desperant. Tametsi vero etiam & pecunia & solertia præditus sit, tamen non occurrunt, nec parabilia sunt quibus indigemus. Sed apud Deum ut nos hæc deficiant, tamen quod petimus, auferimus, nec quicquam est quod petenti deesse possit. *Vers.* 7. *Admonendi delectus à Deo petendus;*

Hoc petendi studium vehementius incendi oportere docet, non tantum verborum congerie, rem eandem signante, sed porro metaphoris quibus hoc studium indicatur. Et primum quidem, metaphora *Quærendi*, quæ diligentiam & sollicitudinem subindicant. Quærimus enim non sine magno inveniendi desiderio, eoque diligentiam & vigilantiam adhibemus; maxime vero si aurum aut argentum aut gemmas terra defossas eruere conamur. Vide *Psal.*5. *Mane precabor, &c.* & 1 *Pet. Vigilate in oratione, &c.* Deinde *Pulsandi* metaphora ardor & zelus notatur: cum scilicet obstacula, quasi opposita repagula, assiduitate precandi perrumpimus. Huc refertur, quod ad Deum vociferati sunt pii, & quod vocem attollunt: vide *Luc.*11. & *Luc.*18. de injusto Iudice. *idque diligenter & assidue;*

Vt nos in hoc officio precandi confirmet & corroboret, præstantissimo promisso nos munit: fore scilicet ut votis à Deo potiamur. Petitiones enim nostras, instar clavis esse qua omnia Dei adyta adeuntur, arcæ reserantur, conditoria recluduntur: & tanquam canis sagax, quæ omnia quæsita pervestigatur, & machina qua obstacula omnia perfringuntur. *Vers.* 8. *quod etiam consequemur,*

In hu-

Si in Christi nomine fiat, In humanis sæpius petitur cum nihil aufertur, quæritur, &c. Unde *Quicquid petieritis à Patre in nomine meo, &c.* Nihil aut in cœlis tam altum, in mari tam profundum, tam in terræ visceribus, &c. secretum, quod non acquiritur,&c. Nullius ut præpotentissimi Imperatoris tanta sit potentia & facultas, qua concupita comparet, quanta sit abjectissimi cujusque Christiani; fide nomen Dei implorantis.

etiam ab unoquoque; Notandum vero, universalem particulam (*quisquis*) eximiæ consolationis esse. Sæpe enim subit animos nostros, Deum quidem exaudire preces, sed justorum, sed doctorum & eloquentium hominum. Denique eorum, qui vitæ splendore ad eum propius accedunt. Nemo enim excluditur, nemo excipitur, nemo repellitur, nisi quem propria infidelitas arcet: portæ & valvæ patent omnes.

Vers. 9, 10, 11. *cum patres liberis suis nihil denegent,* A minori fiduciam nostram confirmat. Si enim homines, etsi mali, dona filiis petentibus bona datis, quanto magis bonus cœlestis Pater. Homines enim cum sitis, fontem bonorum in vobis non habetis, neque abundatis; deinde, ipsi egetis. Cum mali sitis, ad benignitatem non tam prompti estis. Postremo vos illos non creastis, sed tantum secundum carnem patres estis, & nihil nisi instrumenta estis quibus in hunc mundum editi sunt: ita ut vitrici potius aut novercæ præ me sitis.

idque legitima petentibus. Simul etiam indicat, quæ nobis petenda sunt,& inde fieri ut quandoque non exaudiamur; quia loco panis, lapidem, piscis loco, serpentem à Deo petimus.

Vers. 12. *Officia talia proximo præstanda quæ nobis* Quoniam longum iter est ad omnia officia enarranda, summatim illa complexus est, dum præcipit,&c. Est autem hoc præceptum conforme illi, scilicet diligendum esse proximum ut teipsum. Sicut enim affectum eundem exigit erga proximum, quo ipsi in *facta vellemus;* nosmetipsos sumus; sic eadem etiam officia illis exhiberi præcipit, quæ ipsi nobis ipsis præstari cupimus. Hoc modo, hac ulna utamur in officiis erga alios præstandis. Hic enim, pondus & pondus, lapis & lapis Deo sunt abominabiles; scilicet, si una mensura nobis officia velimus exhiberi, alia autem mensura nos nostra illis officia præstemus. Deinde, cum satis curiosi sumus, ut quæ nobis ab aliis debentur officia exploremus, non sine causa Christus nostrum erga alios officium, ab eo peti voluit, quod nobis ab aliis deberi cupimus. Sed hic *quæritur*, quomodo Dominus à servo sibi id fieri velit, quod eum erga servum præstare indignum foret? pauper sibi à divite erogari pecuniam vult, quam in divitis sinum iterum refundere, æquum non foret. Intelligendum igitur, hos se servi & pauperis loco ad tempus cogitatione subjicere oportere, & secū expendere, quid sibi fieri vellent si eo loco essent. *quæ igitur dominorum erga servos officiorum ratio?*

cum lege rationis pugnantia ab aliis non exigenda. Deinde cavendum hic, ne in expetendis ab aliis hominibus officiis, ea velimus quæ cum lege rationis pugnant. Non enim si tu alii fraudandi te potestatem concedis si possit, ideo licere tibi putabis fratrem fraudare. Nec si tu alteri uxoris tuæ potestatem facias, ideo alius idem tibi præstare tenebitur. Exemplum exstat in duabus fœminis, quæ tempore famis de liberis suis comedendis depactæ essent: tametsi enim altera fœminarum voluerat filium alterius in communem cibum proponi, non tamen idcirco ipsa debebat suum itidem filium pro epulis comedendum proponere. Distinguendum igitur hic, inter voluntatem & cupiditatem. Notandum hoc loco non dici: *Idem alii faciendum quod alii tibi fecerint, sed quod ab aliis ipse fieri velles.*

MATTH. *cap.* 7. *vers.* 13, 14.

13 Introite per angustam portam: quoniam lata est porta & spatiosa via quæ abducit in exitium, multique sunt qui introeunt per eam.

14 Quia angusta est porta, & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant eam.

ANALYSIS.

Prothesis est, cohibendas nobis esse & veluti constringendas carnis cupiditates; quod sui adversi effectu, nempe interitu, confirmatur, & amplificatur adjuncta multitudine eorum, qui suas cupiditates sectantes, perierunt.

Vers. 14. Sicut etiam studium nostrum acuit ad cohibendum cupiditates, ex adjuncta paucitate eorum, qui frænandis & subjugandis cupiditatibus servati sunt. Quæ utraque comparatione similium illustrantur, ubi vita æterna & exitium perpetuum duabus civitatibus comparata; ratio, qua utramque adimus, portæ & viæ comparatur.

METAPHRASIS.

13. *Aliud compendium piæ & probæ vitæ proponam; nimirum ut vobis à propriæ mentis & voluntatis vestræ sensu & cupiditate,*

(quæ ad malum proclivis & præceps est) solicite caveatis. Quamobrem per portam veluti arctam succincti lumbis mentis & voluntatis vestræ ingredimini: quandoquidem porta lata & via spatiosa veluti est, quæ ad exitium adducit; & plerique luxu diffluentes, & cupiditates suas laxantes (quod per angustam portam non possunt) illac ingrediuntur. Nec minus studium vestrum ad pietatem acuere debet, quod arcta sit porta & stricta & angusta via quæ ad vitam ducit, quam tametsi non desunt qui quærunt quam plurimi, tamen pauci (præ his qui perversam viam ineuntes pereunt) eum invenire queunt, quia ad præscriptum Verbi Divini illam non investigent.

Summa *est, constringendos esse carnis affectus, ne nos in exitium præcipites agant.*

Partes sunt { *Affectus cupiditatum & mentis probe cohibendos.* / *Rationes quibus hæc adhortatio nititur.* }

PRAXIS.

Postquam rectum navigationis ad cœlum cursum descripsisset, scopulos quosdam naufragiis infames, declinandos esse admonet: & quidem hujusmodi scopulos, ad quos non una tantum Christiana virtus, sed universus omnium virtutum chorus alliditur & convellitur.

Vers.13. *Via & porta diversæ,* Quorum scopulorum primus est, si quis latam viam iniens, portam etiam latam & spatiosam ingrediatur. *Ubi Beata piorum, & miserrima* impiorum conditio, duabus civitatibus comparatur: quarum ad hanc, lata via & porta, ad illam, angusta & via & porta pervenitur.

per angustam solum incedendum; Quamobrem per angustam viam & portam incedendum esse admonet, declinata lata cum via, tum porta. Magni interest ut quis viam, quæ ad optatum locum ducat, notam habeat. Quod cum in terrestribus itineribus homines sollicite curant, tum in cœlesti itinere id multo magis præstandum est. Vide *Ier.6,16.&c.* Quo magis attendendum est huic Servatoris doctrinæ, qua & recta via indicatur, & devia innotescit. Quo vero doctrinam hanc altius animis inscribat, allegoria usus est: cujus germanus sensus est, neminem qui vita æterna frui velit, sibi cupiditatum suarum & rationis habenas laxare oportere, ut illud sequatur quod sibi maxime adlubescat, & quod sibi suus sensus & ratio dictat.

quinam latam ingrediantur; Qui enim ex præscripto oculorum & affectuum suorum vitam instituit, is veluti in lata via insistit: ut qui nullas molestias sentit, nec ulla difficultate aut angustiis impeditur. Contra, qui cupiditatibus suis frænum injicit, is se in arctam veluti viam conjicit, & veluti septis & repagulis conclusum tenet, ne pro libidine exspacietur & oberret.

angustam ingredientibus constanter decurrendum; Hinc est etiam quod jubemur, viatorum more, lumbos cingere, & vestes cum pendulas (*that haeg dovvne* seu ad talos dimissas, tum laxas & quæ diffluunt, & nunc huc nunc illuc vento dispelluntur constringere. Cum enim quis habenas cupiditatibus remittit, eædem tanquam laxæ & longæ vestes, nobis ad iter faciendum impedimento sunt. Vide 1 *Pet.*1,13. Hinc etiam est, ut recta ad vitam æternam via cursui in stadio comparetur: ubi, qui metam contingere vult, non huc illuc oberrat, sed recta scopum fertur, & se intra oleas continet. Quo etiam refertur quod pii omnes, cum cursoribus Olympiacis conferantur: qui in diætæ ratione genio suo non indulgebant, sed illis vescuntur quibus ad cursum pernicissimi sunt, minimeque anhelant; tametsi ea sapori non adeo arrideant: & *Hebr.*12. vestes exuunt, quibus in cursu graventur & onerentur.

cum latam incedentes dissoluti sint. Contra, profligata vita describitur, cum quis in sensum reprobum datur, ut faciant ea quæ maxime adlubescunt. *Rom.*1. *Eccles.* 9,7.1. *& vers.*11. *cap. penult.* Vnde improbi indomito juvenco assimilantur, qui huc illuc oberrat per prata, cum pii domitis & mansuetis dicantur similes esse, qui jugum ducant, & lyra (*in the ridge or balke*) seu porca(*a furrovv*)incedunt. Et *Ier.*2,24. Impii idololatræ fœminæ onagro comparantur, quæ in deserto huc illuc discursat. Hujus exemplum habes. *Psal.*2. ubi impii queruntur se Dei lege & mandatis, tanquam vinculis & ligamentis, constringi, se vero pati nequire profitentur, tantis angustiis urgeri: eoque daturos operam ut elabantur, effractis & obtritis vinculis.

Huic contrarium est, si quis ex præscripto Verbi vitam formet & effingat, seque cancellis his circumscribi patiatur, ut neque hinc & ad dextram, nec illinc ad sinistram deflectat.

Præmiorum diversitas horum viatorum; Hanc cautionem confirmat argumento adjuncti præmii. Quo enim facilius affectus suos cohibeant & coërceant, proponit præmium æternæ vitæ, iis qui ad illos subigendos prompti sunt: sicut contra, exitium iis qui pro libidine agant, subjicit. Molestias igitur

igitur quas vita bene instituta secum ducit facilius sustineant, quoties reputaverint per angustam & viam & portam incedentes, tandem in locum quietis & tranquillitatis appulsuros, in locum amplum & spatiosum, ubi pro voluntate & omni desiderio animi, huc illuc se sine periculo vertant. Sicut enim viatores difficilia itinera superant, hac spe quod exanthlatis laboribus in oportuno quodam diversorio conquiescent: sic, &c. ideo dicit Christus *Matth. cap.*11. *vers.*30. *Iugum meum suave, onus meum leve.*

qui per angustam vita æterna, Meminerimus igitur hac via nobis in Paradisum Domini aditum patefieri, sicut contra lata via & porta in angustissimam foveam devenitur. Vt enim boves pinguissimis pascuis saginati amplissimisque, tandem ad macellum veniunt, cum boves jugum ducentes à labore ad præsepe aguntur: sic, &c. Et ut aves sibi indulgentes & inescationi inhiantes, tandem in maximas angustias deveniunt, & laqueolis ne qua se moveant tenentur: sic improbi, &c. Hinc est ut *Eccles.* 11. in judicium adduci comminentur. Et *Psal.*2. *Virga ferrea, &c.*

per latam exitium. Quod si prioris consolationis veritatem contueri placeat, eam in Mose dignoscemus, qui cum Pharaonis filiæ filius nuncupari potuit, & carnis deliciis frui; maluit tamen, &c. *Heb.*11. unde tandem in summum dignitatis, cum in hac tum in futura vita, fastigium elatus est. Comminationis vero veritas comprobatur in Absalone & Adonyah: qui cum ex libidine sine ullo correptionis obstaculo vitam traduxissent, tandem misere perierunt. Vide Parabolam divitis. *Luc.*16.

Vers. 14. *Ex paucitate eorum qui arctam viam ingrediuntur ea sollicite incedendaj* Alterum argumentum est ab adjuncta multitudine pereuntium per latam viam & portam: sicut contra paucitate eorum, qui arcta via & porta ab interitu servantur. Cum enim plerique lata via pereant, danda opera est, ut tu forte illa eximaris: & cum pauci serventur, &c. omnis diligentia & industria adhibenda est, ut in paucorum numero inveniantur. Eodem argumento utitur. 2 *Pet.*2. ad cautam sollicitudinem ingenerandam, quod plurimi imposturis Pseudodidascalorum deficerent. Quod ergo homines præcipites plerunque ad nequitiam agit, quod multo maximam partem eo rapi vident, & quod paucos videant se pietatis studio tradere, id cumprimis ab iniquitate abducere debet: & homines sollicitare ut excubias diligenter agant, ne hominum multitudine, tanquam rapido torrente, asportentur. Si cohors militum cum hac prædictione in aciem traderetur, scilicet fore ut ex 100. tantum 10. superstites forent; alia vero cohors cum hac præsagitione, ut ex 100. decem tantum occumberent: an non prioris cohortis milites impensius sollicitos fore existimamus, ut se ad omnem cautionem excitent quo periculum declinent? Hinc est quod Ezechiel Iudæos reprehendat, quod cum viderent judicio divino decem tribus ob suam Idololatriam involvi, ipsi tamen non caverent. Contra etiam: quod pauci hanc viam ineant serventurque, nobis remissas manus afferre non debet; sed potius industriam acuere. Sicut in cursu: tametsi pluribus cursu certantibus, unus præmium reportet; non tamen ideo conatus suos inertia retundunt, sed potius ad rem gerendam se magis magisque exsuscitant. Vide *Iosuæ cap.*24. Quo autem plures nos vidimus & legimus hac via periisse, &c.

Hinc porro colligitur, nos natura è via deflexisse, & quemque extra viam consistere natura. Nam cum hortetur ut ingrediamur rectam viam, non autem ut metam teneamus, satis indicatur, quemque in errore tamdiu versari quoad Euangelii notitia inde eruatur. Hinc *Iacobus cap.* 45. *Spiritum qui in nobis est ad invidiam propensum esse.* & *Rom.*3. *Pedes eorum ad effundendum sanguinem veloces esse.* Quæ proclivitas & propensio cum in omnibus ætatibus locum habeat, tum maxime in juventute. Vide *Psal.* 119. *sect.*2. Item *Eccl.*11. *vers. penult.* Quocirca, ut est in *Luca*, *Contendamus nec desperemus*: majorem enim gratiam confert Deus. *Iacob.* 4, 5. modo caute & sollicite ambulent. *à qua natura deflectimus:*

Illud vero quærendum videtur, quomodo fit quod pauci inveniant rectam illam viam: scilicet, inquit aliquis, quod eam non quærant. Id vero nihil miri esset, si minime quærentibus copiam sui non faciat; sed *Luc.*13. additur, multos quærere ut intrent, sed tamen qui hoc faciant non invenire. In quo species quædam apparet repugnantiæ. Prius enim accepimus: omnem qui quærit invenire; sed intelligendum est, quærentem omnem precibus scilicet, & debita ratione invenire. Hos autem homines viam quidem investigare ex præscripto sensus, aut rationis propriæ, aut consuetudinis. Hinc est ut vel tam errent maxime, cum omnem operam posuerunt ut veritatem attingant. *qui fiat quod pauci rectã viam inveniant?*

tingant. *Esaiæ capite quinquagesimo tertio.*

Postquam omnes nos errasse confirmat, adjungit causam, scilicet, quia quisque respicit ad eam viam quæ ante se est, id est, sibi maxime placentem: & *Prov.14,12. Est via quæ bona hominibus videtur, cujus exitus est exitium.* Secus fit cum ad præscriptum Verbi hoc quærant, & precum subsidio illud prosequantur, suæ simul & sapientiæ & viribus diffisi.

MATTH. *cap. 7. à vers. 15. ad 21.*

15 *Cavete vero vobis à Pseudo-prophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.*

16 *A fructibus eorum agnoscetis eos. Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus?*

17 *Ita omnis arbor bona fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus putres.*

18 *Non potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala fructus bonos ferre.*

19 *Quæcunque arbor non fert fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.*

20 *Nempe igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.*

ANALYSIS.

Propositio seu axioma est, cavendum à pseudo-prophetis; quam duplici adjuncto confirmat, 1. simulatione pietatis, quæ comparatione parium illustratur, quod veluti ovina pelle induti incedunt, 2. periculo, quod item illustratur comparatione parium, luporum scilicet rapacium.

*Vers.*16. Aliud axioma est, ut doceat quomodo dignoscantur; ubi prolepsis, cujus occupatio est. Quomodo ab illis nobis cavebimus, cum tam egregie pietatem simulent? subjectio est, ab effectis eorum dignoscetis; quod illustratur item paribus, nempe ut frutex patet ex fructibus. Quod porro ex speciebus fruticum confirmatur, spinis & tribulis.

*Vers.*17. Idem confirmatur ex comparatione parium, nempe arborum: & ab adversis, quia bona arbor bonos fructus fert, idcirco mala malos.

*Vers.*18. Altera prolepsis, cujus occupatio est: quæcunque est eorum doctrina, tamen vita bona est: subjectio est ab adjuncta ἀδυνασίας, fieri non posse, ut sit vita bona, cum doctrina sit corrupta.

*Vers.*19. Aliud argumentum, quo dehortatur à pseudo-prophetis audiendis, ab adjuncta excisione, & in ignem gehennæ conjectione; quod illustratur pari arborum infrugiferarum, seu sterilium. Quo non obscure innuit idem exitium eventurum his, qui illis acquiescunt.

*Vers.*20. Conclusio est secundæ propositionis, ubi videtur futuram iræ divinæ effusionem in pseudo-prophetas in his fructibus numerare, ex quibus dignoscatur pseudo-propheta: eoque hanc excisionem non esse restringendam modo ad corporis pœnas, quas in hoc seculo sæpe effugiunt; sed etiam ad mentis excæcationem & reprobum sensum, in quem à Deo conjecti, omnibus suam amentiam conspicuam reddunt. Quod etiam ex *cap.* 3, *vers.*10. videtur confirmari.

METAPHRASIS.

15. *Sicut à propriis cupiditatibus, tanquam ab intestinis hostibus, sic à pseudo-doctoribus, tanquam forensibus & externis, omni cura & studio cavendum, ne imprudentes eorum imposturis implicemini. Cujus cautionis duæ cumprimis causæ subsunt; una, quod (ut in voluntariis & nulla legitima vocatione munitis usu venit) larva pietatis tanquam ovina pelle induuntur; altera, quod non secus quam lupi famelici exitiales, & ad æternum animæ & corporis interitum perniciosi existunt. Quod si,* 16.
unde (detracta larva) eos à veris Dei Ministris internoscatis, forte quæritis: Respondeo ab effectis, non aliter quam ex fructu planta bona, aut mala deprehenditur. Ecquis enim in- 17.
ventus est qui vel ex spinis uvas, vel ex tribulis ficus unquam collegit? Sicut autē in fructibus, sic & in arboribus omnino usu venit: ut arbor omnis bona præclaros fructus ferat, sicut è contra ignobilis aut agrestis, fructus insulsos & insipidos profert. Sed excipietis forsan, pseudo- 18.
doctorum mores & conversationem esse (propter summam pietatis speciem & simulationem) piam & laudatam, quicquid de doctrina statuere nobis placet. Scilicet, perinde est (quod tamen summe absurdum foret) ac si bona arbor vitiosos & putres fructus, aut mala præclaros simul ederet. Quod si corruptæ 19.
doctrinæ periculum grave vobis ad cautionem non sufficit, moveat tamen, quod ut infrugiferæ arbores justo Dei judicio excisi, æternæ damnationi addicentur: quo non obscure intelligatis idem vos exitium manere, si illis aurem simul & obsequium præbueritis. Ex his igitur 20.
indiciis doctrinæ, morum, denique divini judicii, aut palam in omnium oculis, aut occultius piorum sensu & conscientia, per cordis excæcationem & indurationem ad æternum exitium præviam & præcursorem, quæ etiam vita summe flagitiosa proditur, tanquam ex indubitatis fructibus, pseudo-doctores deprehendetis.

PRAXIS

PRAXIS.

Seductio ex propria cupiditate oritur,

PEriculum ex Pseudo-prophetis prædicēs, nos adversus morsus eorum venenatos munit. Quum enim superius eum scopulum indicasset ad quem nostrapte sponte sine impulsore ruimus, tum hoc loco eum scopulum describit, ad quem animorum cupiditate detrudimur. Quo magis circumspiciendum nobis est, ne hinc istinc incauti opprimamur. Sæpe enim fit, ut quos cupiditatum suarum illecebræ irretitos tenere nequeant, eosdem impostorum fraudes in exitium præcipites agant.

eoque periculosior;

Ob eam rem non minore in periculo versamur, quam urbs quæ intus intestinis proditionibus laborans, foris etiam obsidetur. Nec minus miserabilis nostra conditio est, quam ovium quæ & intus interitus sui causas inclusas tenent, ad varios exitiales morbos propensionem, & foris ferarum prædæ sunt obnoxiæ.

Admonet autem hoc loco Christus { sollicite cavendum à Pseudo-phrophetis. studiose discernendos ut declinentur.

Vers. 15. *cui Ecclesia Dei semper obnoxia futura,*

Cavete vobis.] His verbis docuit Christus obnoxiam fore variis imposturis suam Ecclesiam, ideoque periculum esse ne à fide multi excidant, nisi intenti sint ad cavendum. Scimus quanta sit hominum ad vanitatem propensio, itaque non modo naturaliter falli appetunt, sed singuli ad seipsos fallendos ingeniosi videntur esse: jam vero Satan mirus fallaciarum artifex, non desinit laqueos tendere quibus simplices ac incautos irretiat. Vulgo autem Iudæi sperabant lætum sibi sub Christi regno fore statum, omnique certamine & molestia exemptum. Admonet ergo discipulos suos si perstare cupiant, ut se comparent ad vitandas Satanæ insidias. Dominus enim in continua militia suam vult Ecclesiam in hoc mundo.

illique fide armati resistendum;

Quamobrem ut nos illi discipulos præstemus usque in finem, non sufficit sola docilitas, ut sinamus nos regi ipsius Verbo, sed fidem nostram, quia subinde à Satana impetitur, armatam ad resistendum esse oportet. Est quidem hoc maximum si nos à probis & fidelibus Christi Ministris regi patimur, sed quia ex opposito emergunt falsi Doctores, nisi sedulo vigilemus & muniti simus constantia, facile erit nos à grege abduci. Quo etiam pertinet illud Christi dictum, *Oves audire pastoris vocem, alienum vero non audire, sed fugere ab eo. Ioan.*10. Vnde etiam colligimus non esse cur animis deficiant fideles vel turbentur, dum obrepunt lupi in Christi ovile, dum falsis doctrinis conantur Pseudo-phrophetæ labefactare puram fidem, quin potius expergefieri debent ad excubias agendas: neque enim frustra cavere jubet Christus. Quare si modo nos propria socordia non circumveniat, quasvis decipulas effugere licebit: & certe sine hac fiducia nobis non esset animi satis ad cavendum. Nunc cum sciamus Dominum nolle nos frustrari per quosvis Satanæ incursus, intrepide pergamus, Spiritum discretionis ab eo petentes, per quem ut cordibus nostris fidem suæ veritatis obsignat, ita Satanæ fallacias & imposturas deteget, ne ludamur.

quæ per eam magis excitatur;

ideoque cū prudentia amovenda.

Cum dicit Christus, *venire in vestitu ovium, qui intrinsecus sunt lupi rapaces:* significat bene colorato prætextu non carere, nisi ad eos penitus excutiendos adhibeatur prudentia.

Vers. 16. *Hi seductores ex fructibus dignoscendi;*

A fructibus eorum.] Nisi hæc apposita fuisset discriminis nota, poterat sine exceptione in discrimen venire tota quorumlibet Doctorum authoritas. Nam si exitiale periculum in doctoribus timetur, nec vitandi ratio constat, omnes esse suspectos necesse erit: nec melius restabit compendium, quam aures habere omnibus clausas. Et videmus profanos homines, ut impune rejiciant quodvis doctrinæ genus, periculum hoc obtendere, infirmos etiam ac rudes hærere perplexos. Christus ergo ne quid reverentiæ detrahat suo Euangelio, sincerisque ejus Ministris & Doctoribus, judicium de Pseudo-prophetis à fructibus facere jubet.

ideo Papistæ à nobis abhorrentes damnandi,

Quare nimis putidi sunt *Papistæ*, qui conflandæ nobis invidiæ causa, illam Christi vocem præcise jactant, à Pseudo-prophetis cavendum esse: ac suis clamoribus efficiunt, ut imperiti, causa incognita, temere à nobis abhorreant. At vero quisquis Christi consilio parere cupit, necesse est ut prudenter & interposito delectu judicet. Nos vero non tantum fatemur libenter cavendos esse Pseudo-prophetas, sed etiam sedulo & acriter hortamur simplices ut eos caveant. Tantum monemus secundum præscriptam à Christo regulam, ut justa cognitio præcedat, ne simplices, purum Dei Verbum respuendo, temeritatis suæ pœnas luant: nam inter maturam cautionem, & præposterum fastidium longe interest.

& inquisitionem prohibentes.

Nimis autem improbe Christi mandatum abrogant *Papistæ*, qui injecto falso metu, miseras

seras animas ab inquisitione deterrent. Sit igitur hoc certum, eos qui trepidando incognitam doctrinam respuunt vel fugiunt, perperam hoc & minime ex Christi mandato facere.

Hæc ex fructibus cognitio omnium certissima, Omnium autem judiciorum nullum nec certius nec illustrius est, quam quod ab effectis ducitur: quæ alia scilicet fructuum metaphora illustrantur. Vt enim fructus certissime arborem prodit, sic effecta Pseudo-prophetas. Sicut enim flores & folia sæpe mentiuntur, nec certum aliquod bonitatis arboris testimonium præbent; sic larva & externa hominis superficies simulationem sæpe sustinent, quominus incorrupte de iis pronunciemus. Contra vero, ut fructus inclusum in arboris radice succum arguit; sic effectus seu opera Pseudo-prophetarum, sensum animi qui intus latet, palam facit.

qui in doctrinæ puritate consistunt, Sed hic despiciendum est, qui sunt ii fructus, quibus judicium hoc constituitur. Doctrinæ? an Morum? an utriusque? utriusque respondendum. Sicut enim fucum nobis, duobus modis facere nituntur, doctrina scil. & vita, (utraque dealbata:) sic etiam eisdem vestigiis, eorum fraudes persequendæ sunt. Et primum quidem, quod ad doctrinam seu ministerii rationem attinet, quærendum: an vocatione aliqua legitima instructi sint, an potius voluntarii ministri? hoc enim hominum genus currit nemine mittente, & tanquam circumforanei huc illuc cursitant. Vnde etiam *Ioh.*10. tanquam latrones aut fures non per ostium, sed per fenestram, aut aliunde perrumpere dicuntur, quod hoc loco non obscure indicat. In ipsa autem doctrina quærendum, si quid præter id quod à Christo & Apostolis traditum sit, innovent *Gal.*1. *Rom.*16. *Nam si vel angelus è cœlo, &c.* Deinde videndum, si hominibus placere student: tum enim Dei servus esse nequit *Galath.* 1. Quod ii omnes faciunt, qui liberi arbitrii & rationis nostrę vires prædicant, & opera justificantia coram Deo, qui alios adulterinos & suppositios sequestros inserunt, &c. Vnde veri præcones Dei, nihil nisi Christum scire & prædicare sibi ante oculos proponunt. *Actor.*8. in Philippo proponitur exemplum. Et 1 *Cor.* 2. in Apostolo, cum alii propriam gloriam quærunt, non ejus quem se mittere præ se ferunt. Atque hæc prior & certior investigatio est, à ministerii ratione ducta, cujus exempla sunt, *Apocal.*2. *&c.* Si enim ululet ut lupus, & vocem lupi edat, de veste nihil refert; ut ille qui speciem agni referebat, cum voce draco esset. *Apoc.*

Sequitur altera, quæ ex moribus ducitur, in qua judicium adhibendum est, ne quem præcipitemus, neve ex qualicunque pietatis specie de illius pietate pronunciemus. *& morum integritate:* Sæpe enim fit, ut homines quo facilius aliorum animos inescent, quandam probitatis in quibusdam speciem ostentant, quam tamen post ipsi produnt. Difficile enim est, simulationem diutius sustinere, quin minima quaque oportunitate emanet. Sicut enim lupus suam voracitatem & rapacitatem ad tempus dissimulans, subinde ad ingenium recurrit; sic &c. & sicut in arboribus usu venit, ut si quis ex foliis aut floribus judicium formare velit, non expectata fructuum maturitate, plane hallucinetur; sic etiam qui de initiis quibusdam judicium sibi fingant, &c. tandem enim eorum amentia omnibus innotescet. 2 *Timoth.* 3. Hinc elucet, quam nos omnes in Sacra Pagina versatos esse oportet, & pulchre exercitatos, ut acies oculorum acuta sit. Quo est detestabilior horum negligentia, qui nullam in illa legenda operam ponunt, aut perexiguam. Illorum vero sacrilegium, qui rudioribus lectionem Scripturarum interdicunt. Ex quo etiam refutantur cum *clerus pontificius*, tum insulsi homines qui sibi ipsi quodammodo oculos effodiunt, dum penes se esse negant de pastoribus judicare: cum ovis lupum discernit, & vocem pastoris ab alieni voce. *Ioh.*10.

Hoc argumento porro confirmatur à disparatis. *hi in Pseudo-prophet. ambæ corrupt&,* Si enim eorum doctrina & mores, improba deprehendantur, illos ipsos bonos esse τ ἀδυνάτων erit. Vbi Pseudo-propheta insuper vepribus, dumelis, & tribulis confert. Vide 2 *Sam.*23,6. Idem *Iudic.*9. in parabola Rubi, Abimelechum exhibentis. Sicut contra pii & fideles Doctores, vitibus & ficis comparantur, quorum sunt suavissimi & saluberrimi fructus.

Hoc posterius corroboratur argumento ab adversis: nempe bonas arbores, bonos fructus proferre, non autem ideo proferre malos, &c. vel argumentum est ex comparatione majoris. Cum enim bonos fructus bona arbor edit, nedum malos edat. Vers. 17. *quia ipsi tales sunt;*

Quoniam autem sæpe fit, ut ex specie quadam & levissima virtutis significatione, homines stupidi audacter de suis impostoribus pronunciant, & doctrinam tueri non valentes excipiunt, bonos tamen & pios esse, quamcumque doctrinam proponunt: docet Vers. 18. *ideoque non possunt ipsi esse boni.*

Christus,

Christus, non posse illos bonorum numero haberi, si corrupte & falsè doceant. Plerique enim hominum ita impostorum liberalitate fascinantur, ut quicquid proponant monstruosæ doctrinæ, tamen pro bonis habeant. Quibus Christus respondet, non modo hujusmodi homines bonos non esse, sed ne esse quidem posse.

Deinde, quia sunt qui utrumque conjungunt, scilicet hominem simul bonum & malum esse posse, scilicet malum, doctrina; & bonum moribus, aut contra: ideo Servator subjicit, &c. ut hoc ipso *vers.* 18. *Non potest, &c.* & *Non potest, &c.*

Quomodo ex eorum corruptelis nihil sani?

Sed hic (vel potius antea paulo) *quæritur* primum, quomodo dicatur ex tribulis ficus non percipi, nec ex spinis uvæ, cum Christus *Matth.* 23. à corruptissimis Pharisæis sacram doctrinam (rem scilicet pretiosissimam) percipi posse confirmet.

Respondeo, sanam doctrinam nulla eorum pietate nobis utilem esse. Quatenus enim ab illis per avaritiam aut ambitionem proponitur, non prodest: sed primum propter Verbi prædicati incorruptam naturam, quod per tam fæculentum canalem transiens, nihil inde contrahit contagii. Deinde, admirabili Spiritus Sancti virtute; qua fit, ut corruptissime editum, ad salutem tamen potens sit. Non igitur à tribulis, ficus: sed à ficis, ficus per tribulos colliguntur: & uvæ, à vite, licet per spinas: tanquam si quis injecta in sepem manu, uvas ex vite colligeret. Deus enim is est, qui leonibus ipsis ita moderatur, ut qui animo voracissimi sunt, alimentum etiam præbeant: & qui dissipant & dilaniant homines & jumenta, à dilaceratione vindicent. Quod spectatur in historia illius Prophetæ, qui à veteratore deceptus, per leonem & interfectus est, & ab eodem custoditur.

etiam quomodo bona arbor cum omnes mali?

Quæritur hic secundo, quomodo dicatur bona arbor, *non nisi* bonos fructus edere, cum nemo sit qui non sæpius peccet, prout vetus Adam in illo minime extirpatur?

Respondeo, ita ista inter se assimilari, ut interim magna diversitas & dissimilitudo maneat. Nam bona arbor quoniam universo sui succo bona est, non nisi bonos fructus profert: homines vero cum non nisi ex parte ea boni sint, qua Spiritu Dei per fidem regenerantur (altera sui parte corrupti) nihil mirum est si bonis malas quoque actiones admiscent. Comparatio igitur instituitur inter arborem bonam, & eam partem hominis quæ instaurata est spiritu; ut sicut turba bona non est censenda nisi quæ bonos fructus facit, sic etiam spiritu imbutus non habeatur, qui secundum spiritum non incedit. Deinde notandum est, non omnem qui peccat, statim iniquitatem patrare. Iniquitatem enim is operari dicitur, qui totus in ea exercetur; sicut justitiam facere, qui se bonæ vitæ penitus dediderit.

Vers. 19. *Omnes qui non ferunt fructus excindentur.*

Postquam furem & lupum retexisset, alio argumento adjunctæ pœnæ omnes ab illis deterret; sic 2 *Pet.* 2. ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν. & *Iudæ cap. unico vers.* 12. ut intelligant, se quoque una perituros, si ab illis se duci patiuntur. Hoc illustrat similitudine agricolæ, qui infrugiferas arbores, in horto præsertim & loco feracissimo, non fert. Vide supra. Vites enim & arbores frugiferæ ædificiis ineptæ sunt. Quo etiam refertur, quod de spinis, rubis & tribulis scribitur. 2 *Samuel. cap.* 23. *Iudic. cap.* 9. Finis enim spinarum est, ut igni subjiciantur.

MATTH. *cap.* 7. *à vers.* 21. *ad* 28.

21 *Non quisquis dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui facit quod vult Pater meus qui in cœlis est.*

22 *Multi dicent mihi die illo, Domine Domine, nonne* per *nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, &* per *nomen tuum multas virtutes edidimus?*

23 *Tunc autem profitebor eis, Certe nunquam novi vos, discedite à me qui operam datis transgreßioni legis.*

24 *Quisquis igitur audit ex me sermones istos, & eos præstat, aßimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram:*

25 *Decidit autem nimbus, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi: sed non cecidit. fundata enim fuerat super petram.*

26 Et

26 *Et quisquis audit ex me hos sermones, & eos non præstat, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum suam super arenam:*

27 *Descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunt in domum illam: & cecidit, & fuit casus ejus magnus.*

ANALYSIS.

PRolepsis est, cujus occupatio est ab adverso, si qui Pseudo-Prophetarum corruptæ doctrinæ aurem præbent, pereunt; ergo salvi erunt, qui veræ doctrinæ se auditores præbent: subjectio est, non salvos iri qui veritatem profitentur; quod confirmatur à comparatione majoris, ne hos quidem salvos fore, qui veritatem profitentur, tametsi illam magna voce & bonis lateribus faciant; quod ingeminatione professionis indicatur *(Domine, Domine.)* Quod etiam confirmatur proprio effecto eorum qui servantur, nempe faciendi voluntatem Patris: cujus obsequii adjuncta assiduitas & perseverantia participio præsentis temporis, ex more Hebræorum, designatur.

*Vers.*22. Hoc ipsum confirmat comparatione majoris, ne ipsos quidem doctores, veram doctrinam miraculis & signis doctrinam obsignantes salvos iri, nisi operibus bonis incumbant, nedum auditores.

*Vers.*23. Confirmat ejectos fore regno Dei operantes iniquitatem ab efficiente causa, nempe quod illos non dilexit; quod etiam amplificatur ab adjuncto tempore, quo docebant & miracula edebant.

*Vers.*24,25. Hanc doctrinam ab adversis confirmat, quia bene operantes servabuntur: quod illustratur comparatione parium, ubi bonis operibus incumbentes comparat prudentibus, qui domum super petram ædificant; quod confirmat ab adjuncta ejus firmitate, quæ nullis procellis afflictionum aut tentationum concuti potest.

*Vers.*26,27. Hoc porro amplificatur ab adversis; quæ itidem comparatione parium, stulti ædificationis, domum suam super arenam fundantis, exornatur.

METAPHRASIS.

21. *TAmetsi pereunt omnes, qui ab impostoribus decepti, & erroribus imbuti, à recta via deflectunt: non tamen idcirco ad salutem perveniunt, quicunque cognita veritate eam profitentur, ne tum quidem cum magna voce & bonis lateribus verum Dei cultum præ se ferunt: sed hi modo qui opere quod cœlestis Pater meus in præceptis dedit, ad extre-*
22. *mum usque spiritum persequuntur. Dicam amplius, non defuturos formidabili Dei judicio quamplurimos, qui me quam contentissime Dominum appellabunt, de sua salute in hunc modum disceptantes: Nonne tua cum authoritate, tum virtute instructi, Euangelium regni promulgavimus, dæmonia ejecimus, & in refractarios & rebelles judicia divinitus & admirabiliter exsequuti sumus? Quibus ta-*
23. *men omnibus palam profitebor, me eos nunquam, ne tum cum doctrinam puram & synceram certissimis & clarissimis miraculis consignarunt, approbasse. Quibus edicturus sum ut à me quam longissime recedentes, ad inferos (quod iniquitatem operati sunt) ab Angelis detrudantur, ne mirum vobis sit, eos qui Verbi modo auditores sunt, non etiam præcones regno cœlorum exclusos iri, nisi quod verbis profitentur, re & factis exprimant. Quisquis igitur* 24.
sive Doctor sive Discipulus sit, qui hos meos sermones auribus percipit, & ad eosdem tanquam ad normam totum vitæ suæ cursum dirigit: eum assimilabo viro prudenti, qui domui, quam ædificat, petram pro fundamento substernit. Tametsi etenim imbres desursum 25.
irruant, & flumina deorsum impetum, venti denique irruptionem faciant, & conjunctis viribus domum illam invadant, domus tamen firma & arrecta perstat, utpote quæ petræ imposita fuerat. Contra quisquis sive Doctor, sive 26.
Discipulus sit, qui hos meos sermones auribus percipiens, ad eosdem tanquam ad normam totum vitæ suæ cursum non dirigit: viro insipienti merito assimilabitur, qui domui quam ædificat arenam pro fundamento subjicit. Nam 27.
incursantibus sursum imbribus, fluminibus deorsum impetum & impressionem facientibus, ventis denique reflantibus (maxime vero si conjunctis viribus in domum insiliant) domus illa corruit, cujus est (ut quæ sit ab ipsis fundamentis convulsa) casus longe gravissimus, qui nullam suæ instaurandæ spem relinquit.

Summa est, *ut doceat qui sunt fructus, quibus proferendis nos bonas arbores esse probabimus: scilicet cum verbis profiteri, tum re & factis exsequi quod pie & sancte profitemur.*

Partes:
- *Subjectio ad tacitam objectionem, quæ subjectū est, illos tantum salvos fore, qui quod bene profitentur, factis exprimunt. vers.*21.
- *Subjecta confirmatio, versibus reliquis.*

PRAXIS.

EX iis quæ superius dicta sunt, excipi veluti ab adversis potuit; omnes eos, qui fidos Doctores nacti illos audiunt & profitentur, servatos iri; sicut pereunt qui pseudo-phrophetis auscultant. Quod Servator penitus

Vers. 21. *Qui fidos doctores habent ideo non servantur.*

penitus negat, contraria quidem illa esse subinnuens sed tanquam extremum extremo, non tanquam extremum mediocritati, hunc ad dextram, illum ad sinistram deflectere: neutrum in arcta via consistere. Simul etiam docet, qui sunt illi fructus ex quibus bona arbor deprehenditur; non si magnifice loquantur, quum nihil aliud præstent; sed si operibus bonis perficiendis seduli incumbant.

si bonum se facturum polliceantur & non faciant;

Ii qui dicunt se facturos, & vineam ingressuros, nec faciunt tamen, à domino rejiciuntur: tametsi pleno ore & inflatis buccis hoc dicant. Si quis servus imperata ab hero in se recipiens, & magna voce ea se obiturum confirmans, fidem tamen fallat, gravius peccat in herum sæpe quam si facturum negasset. Vide *Iac.*2,5. Sicut vero is qui se laboraturum jactat, nec unquam manum operi admovet, victu destituitur *Prov.*13. sic &c.

Sicut etiam in artibus & scientiis, nunquam peritus artifex evadet qui praxin speculationi non adjungit; sic, &c. In aliis artibus profuerit nuda speculatio; hic vero non modo non prodest, sed obest plurimum, *Psal.*119,48,59,69.

ideo perpetuo in bono perseverandum.

Præstat tempus præsens continuationem denotare ex usu Hebræorum *Gen.*4,17. Hinc vita Christiani cursui comparatur, 1 *Cor.*9. quia cursum semel inceptum non nisi confectum abrumpunt; & Christiani viatoribus comparantur, qui non nisi itinere confecto, &c. Edunt quidem, dormiunt, quiescunt; sed ut, &c. In artibus aliter fit. Qui enim tres aut quatuor, imo septem aut decem annos artem aliquam exercuerit, ita perfectus evadit, ut etiamsi cesset, tamen ejus oblivione non capitur; at in pietate, si quis 59 annos illi studeret, anno vero 60 deficeret, oleum & operam perderet. *Ezech.* At vero ut in cursu potest quis titubare, cadere, deviare, &c. & artifex potest aliquid præter artis normam facere, &c. sic, &c.

Vers. 22, 23.

Ipsi Doctores si fructus non ferant non servabuntur,

Hoc arguitur comparatione majorum. Si enim ne ii quidem ipsi qui verbum promulgant, & miraculis idem obsignant, servabuntur, nisi fructus dignos proferant, nedum discipuli & auditores nude audiendo servabuntur. Si enim docendo tantum & miracula edendo hoc non efficiunt ut ad vitam ingrediantur, nedum audiendo tantum. Instructos autem Prophetiæ dono non ilico regno potituros 1 *Cor.*13,2. Vide exemplum Saulis & servorum ejus, ad necem Davidem postulantium.

nedum auditores.

Si enim qui Christo propius accedunt, ut sunt Ministri Verbi & Sacramenti, imo vero Ministri extraordinarii, ut sunt qui dæmones ejiciunt; tamen, nisi factis exprimant, &c. nedum qui auditores tantum: &c. Ideo Paulus *corpus suum contudit, ne, &c.* 1 *Cor.*9, *vers.*27. Et 1 *Tim.*4,16. *Attende tibi & doctrinæ, in his permane: ita enim teipsum & alios servas.* Imo vero tanto gravius judicium auferent, &c. Sic auditores qui alus antecellunt donis scientiæ, &c.

Notandū hypocritas qui nunquam Deum in hoc mundo invocant, eum duplicatis petitionibus precaturos, vide *Matth.*25,11. ergo quærendus Deus dum prope est. *Esa.*49, 8, 2. *Cor.*6,2.

Quomodo in die judicii tales disceptationes futuræ?

Quod autem in die judicii futuræ sunt tales causarum disceptationes, quales hic & *Matth.*25. describit; cum *Matth.*22,12. impii hypocritæ dicuntur elingues fore.

Respondeo, propriæ conscientiæ testimonio convicti nihil solidi habebunt quod oblatrent: tamen non deerunt qui justissimæ condemnationis sententiæ obloquantur; tamen quædam quæ *Matth.*25,37,38,39. non tam ad rei olim gerendæ veritatem, quam parabolam ad doctrinæ illustrationem proposita videntur.

Quænam causæ rejectionis aut salutis?

Causa principalis eorum rejectionis Dei odium, quod illos non probat, nec illis delectatur; ut contra causa efficiens salutis, ejus amor. *Rom.*9. nota etiam constantiam Dei in suo odio, *nunquam novi vos*; ne tum quidem cum Verbum prædicati estis, Sacramentū, &c. Contra eos qui existimant justos à sua pietate & justitia excidere posse, & amissam justitiam recuperare.

Causa subordinata, & inter Dei decretum, & decreti exequutionem, interveniens iniquitatis perpetratio; perditio ergo improbatur ex seipsis.

In hac iniqua perpetratione se totos collocarunt, ut artifex artem exercet; pii non item, sed reluctante spiritu. 2. Resipiscentia (in impiis dominatur peccatum:) in piis habitat: impii ad iniquitatem, ut aquila ad prædam advolat; ut equus cataphractus in bellum ruit.

Hinc liquet gloriosissima impiorum opera, ut eleemosynam, Verbi prædicationem, &c. esse peccata.

quomodo improbi jubeantur discedere?

Discedite à me: utcumque hæc fecistis, tamen abite, quandoquidem iniquitatem operamini.

Quæritur, quorsum hoc, cum nunquam

Mm cum

cum illo communicarint? 1 *Ioh*.1,6,7.

Respondeo, externa specie, sua opinione & aliorum existimatione, in Verbo, Sacramento &c. cum illo communicarunt, quod vere factum non fuisse, tum demum liquebit. Hæc vero sententia quam justa sit, hinc constat; quod impii Deo dicunt *Discede à nobis*, *Iob*.21,14. At illud non tam verbis quam factis. *Viis tuis non delectamur.* Quid ergo aliud Deus pro sua justitia dicere potest, quam *Discedite à me*.

Vers. 24, 25, 26, 27. *In quibus pii & impii pares,*

Hanc doctrinam, ut altius animis insideat, comparatione illustrat. Hic videndum quæ sint in quibus pii & impii pares, quæ in quibus impares; pares in hoc sunt, 1. quod uterque ædificat se ut domum, in qua sibi vitam æternam proponit, hæc similitudo in Scriptura pii templum Dei, impii sathanis habitaculum, 2. quod utrique tentantur: quare confirmemus nos, &c.

in quibus impares.

Disparantur primo in fundamento: notandum, in his quæ cernuntur similes sunt, at in subterraneis, &c. pii super Christum; impii opera sua aut aliorum; deinde qui Christo innituntur non coalescunt cum illo vera fide, ut lapides fundamento impositi; sed nullo cemento revincti, ut sarmenta in terram defixa, non insita trunco; cum pii plantati & radicati, &c. *Psal*.1. & *Matth*.16. *vers*.18.

Hinc aliud discrimen, quod pii nullis tentationibus convelluntur & submerguntur, impii vero funditus convelluntur & radicitus extirpantur. *Proverb*.16,25. *Iobi* 8,14, & 27,18. Item *Matth*. 16, 18. vide *Psal*. 1. ubi comparantur arbori plantatæ, &c. Vide item 2 *Pet*. 1,6,7,8,9,10,11. contra vero domus impiorum, tanquam domus aranei. Hoc loco observatur, perseverantia finalis fidelium.

MATTH. *cap*. 7. *à vers*. 28. *ad vers*. 5. *cap*. 8.

28 *Factum est autem quum finiisset IESVS sermones istos, ut percelleretur turba super doctrina ipsius.*

29 *Docebat enim eos ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ.*

DEscendentem autem eum è monte, sequuta est turba multa.

2 *Et ecce, leprosus quum venisset adoravit eum, dicens, Domine, si velis, potes me purgare.*

3 *Extensaque manu tetigit eum IESVS, dicens, volo, purgator. Statim igitur purgata fuit ejus lepra.*

4 *Tunc dicit ei IESVS, Vide* ut *nulli dicas: sed abi, ostende te Sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moses*, ut hoc sit *eis testimonio.*

ANALYSIS.

EFfectus concionis declaratur, stupor & admiratio turbæ; qui effectus sua causa efficiente arguitur, virtute Christi, quam in docendo exercuit: quæ illustratur suo disparato, non ut Scribæ seu alii Ministri utcumque fideles & ad docendum instructi.

MATTH. 8. ℣. 1. Narrat miraculum, quo Christus superiorem doctrinam designat: ubi primum adjunctum temporis observat, nempe cum e monte descenderet Christus; item alterum adjunctum descensus sui, nempe comitatus magnus, qui iidem adjuncti spectatores erant miraculi mox edendi.

Vers. 2. Subjectum notat miraculi, nempe leprosum, qui suis effectis describitur; primum sponte ad Christum veniendi, 2. illum adorandi, 3. sanitatem ab eo petendi; cujus petitionis efficiens causa assignatur, fiducia potentiæ & virtutis Christi, ad illum (si velit) sanandum.

Vers. 3. Hujus petitionis effectus proponitur, leprosi sanatio; cujus causæ proponuntur minus principales, contrectatio leprosi manu Christi: principalis vero Christi verbum, seu mandatum de ejus purgatione.

Vers. 4. Adjunctum officium proponit lepra purgati, illi ex mandato Christi incumbens. In quo quod primum jubet peculiare est, ad præsentis temporis circumstantiam accommodatum: scilicet ne miraculum evulget, alterum est generale omnibus à lepra purgatis ex legis præscripto; cujus duo sunt membra: unum ut se Sacerdoti ostendat, ex cujus sententia societati civium restituendus erat: alterum, ut Deo sacrificium lege indictum persolvat; quæ utraque suo fine illustrantur, nempe ut Christi officium magis testatum illuceat.

METAPHRASIS.

POstquam hos sermones absolvisset Iesus, turba admiratione correpta obstupuit ad 28.
doctrinam ejus. Etenim docebat eos tanquam 29.
qui authoritatem non precariam, sed propriam haberet, & qui non tantum aurem foras personaret, sed intus in ipsos animi recessus penetraret:

traret: quod alii doctores, quantumcunque aut pii aut instructi, præstare nec possent, nec
Cap. 8, vers. 1. *debent. Cum autem ab illo monte ubi superiorem concionem habuit descenderet, magna illum turba comitata est.*
2. *Atque adverte quæso animum mihi rem miram dicturo, quocunque te convertis, sive ad eum qui beneficium accepit, sive ad Christum, qui beneficium contulit. Nam leprosus interiore fidei oculo Christi majestatem, quam carnis infirmitas, paupertas, & hominum fere omnium contemptus velabat, contemplans, illum accedens & religiose veneratus, sic alloquitur: Domine, si tibi visum est (qui melius, quid mihi opus sit, quam ego, nosti) equidem te me sanare posse probe*
3. *noro. Quamobrem Iesus extenso brachio (quod se à contagio morbi facile vindicare norat) manu sua eum tangens, humanissime his verbis affatus est:* volo, purgator: *quo dicto ilico lepra, immunda & odiosa omnibus, liberatus*
4. *est. Tum dixit ei Iesus, vide sis ne cuiquam hoc dicas, ne si fama hujus rei percrebescat, cum tu Sacerdotum in me malevolentia hominum societate etiamnum exsules, & ipso opportunitate in oppidis & urbibus prædicandi, ex eorum in me odio excludar: potius recta templum adito, & te Sacerdoti (ut de te sententiam ferat) sistens, donum, lege Dei* Molis *ministerio lata, præscriptum offer. Quod (ut alia prætercam) hoc boni saltem habebit, ut hoc tam luculento divinitatis, & officii Mediatoris testimonio convicti, quod ignorantiæ suæ prætexant, habeant nihil.*

PRAXIS.

Vers. 1. *Quomodo Christus dicatur in montis descensu hoc fecisse?*

DE duobus ultimis *cap. 7. vers.* vide quæ notata sunt *Luc.* 4. & *Marc.* 1, 22.

Hoc loco narrantur { Leprosi purgatio. Eam consequuta.

In *Marco* quod dicitur Christo montem descendenti hoc accidisse, non ita intelligendum est ac protinus a descensu hæc contigissent, quandoquidem post descensum concionem habuit; sed potius supplere *Matthæum*, quod ante prætermiserat de descensu, tantum enim mentionem fecerat ascensus, omissa descensus mentione.

Cujus *partes* sunt, quid { fecit } leprosus Christo, Christus leproso.

Vers. 2. *Leprosi fides conspicua;*

In priore loco primum leprosi fides conspicienda occurrit, quæ se mirifice in accessu ad Christum prodit. Neque enim vel peccati conscientia, vel abjecta sui conditio qui morbi fœditate omnibus prope exosus erat, nec morbi jam invalescentis & confirmati ita ut universum corpus occuparet, deplorata & perdita ratio, nec denique Christi à tam multis & magnis viris contumeliosa & superba rejectio, illum repellere potuit quo minus morbi medicinam a Christo peteret. Horum non singula per se obstacula miserum hominem à Christo adeundo deterrere possent? ita tamen adversus omnia Deus hujus animum muniverat, ut invitis omnibus prorumpens Deum sibi propitium senserit: fide enim omnes acies, aggeres, propugnaculaque expugnamus, quibus Dei oportuno auxilio prohibemur. Quod nobis cum in calamitatibus nostris, tum in peccatis est imitandum; maxime vero cum morborum (præcipue vero lepræ) curatione, nobis peccatorum condonatio adumbretur.

Quamobrem tametsi peccatis pleni & onusti simus, tametsi veluti a summo ad imum nihil præter peccatum apparet, idque tam horrendum, ut omnibus merito abominationi simus; tamen ne putemus Christum idcirco nos deserturum, aut fastidio & nausea nostri correptum iri. Cum enim Medicus nobis à clementissimo Patre datus sit, ne dubitemus quin partes fidelis Medici & Chirurgi obibit. Cumque animarum nostrarum Episcopus & pastor sit, existimandum non est, eum qui alios sub se pastores tam sollicite de eorum erga gregem officio admonet, proprio officio, quod sibi à Patre impositum suscepit, defuturum. *qualis in peccatorum remissione nostra esse debet:*

Hoc vero in isto homine singulare fuit, quod non ut plerique Christum tanquam Prophetam duntaxat purum hominem accedat, sed tanquam verum viventis Dei Filium. Quod tametsi non penitus declaretur, illius tamen genuflexio teste *Marco*, & sui ipsius (ut *Lucas*) ad terram prostratio, ut quæ, quamvis Iudæis bene familiaris erat, quoties honoratiorem aliquem compellabant, &c. vide *Matth.* 17. tamen ex petitione seu oratione liquido constat, hunc honorem divinum, & tanquam Deo ipsi habitum esse. Quod quidem si ab illo tum factum est cum Christi divinitas multiplici carnis infirmitate & improborum contemptu velata delituit, nedum id a nobis Christo jam glorificato præstari convenit. Nisi igitur majestatis Christi per fidem intuitus nos ad animi summam summissionem erudiat, ne scintillam quidem veræ fidei nos consequutos esse declarabimus. Si enim per transennam illam gloriam fides olim deprehendit, apertis fenestris multo nunc magis di- *præsertim in agnitione Christi divinæ naturæ,*

gis dignoscetur, aliqua modo veræ fidei acies adsit. Quod si animus se coram tanta majestate dejecerit, in ejusdem summissionis societatem, corporis membra attrahet.

quæ fides adhuc in sanitatis petitione efficacior.

Hæc fides liquidius se adhuc in petitione ostendit: cum aperte profiteatur, penes Christum esse sui sanationem. Nec enim (ut alii mortali) dicit, scil. precibus Christum apud Deum efficere posse ut restituatur, sed hoc propriæ esse Christi potentiæ; neque sanationem à cujusque voluntate præterquam Christi unius suspendit, sed supremam Christi voluntatem profitens, eandem Christi cum Patre & Spiritu esse subin dicat. Tametsi videatur hæc petitio non tam ad fidei regulam instituta, qua de Christi potentia persuasus, de illius tamen pietate & propensione ad sanandum subdubitat; cum &c. Sed responsum in promptu est, hoc genus petitionis in rebus externis & ad hanc vitam spectantibus, ordinatissimum esse, cum earum largitio conditionibus quibusdam impedita tenetur. Secus autem faciendum in his quæ ad æternam vitam necessaria sunt, prout promissiones illæ, puræ & omni hypothesi nudatæ sunt.

Tamen cum claram Filii Dei notitiam proxima historia Christus Iudæis omnibus afferre videtur, fieri potest ut tametsi à Christi voluntate omnia suspendat, tamen senserit illam ita penitus Dei voluntati fuisse subjectam, ut nihil sentiret quod Deo gratum esse non sciret, eoque etiam perficeret.

Ex his Christi in homines amor conspicuus:

Ad Christi vero in sanando facilitatem quæ passim in historia Euangelii apparet, accedit etiam incredibilis φιλανθρωπία. Primum quod ejus commiseratus est, quod est apud *Marcum*.

Quod enim commiseratus hoc fecisse dicit, ejus porro φιλανθρωπίαν auget. Nulla enim captandæ gloriæ cupiditate ductus, hoc fecit: sed tantum quod illius malo condolebat tanquam proprio. Vide *Heb*.4,15,16. Tametsi enim lepra & aliis plerisque morbis quibus nos urgemur non labore, tamen ex humanitatis ratione probe novit quæ sunt cujusque morbi perpessiones, & ex συμπαθείᾳ non minorem ex morbis hominum dolorem accepit, quam si ipse iisdem laborasset. Hoc exemplo discendum est, ex sensu miserationis hominibus subvenire, non autem quæstus aut gloriæ causa: alioqui ipsi vere leprosi judicabimur, quorum sensus ita obstupefacti sunt, ut in fratris carne conjuncti, nihil sentiamus. Nec satis fuerit subito aliquo motu commoveri qui statim evanescit, cujusmodi in reprobis qui nondum omnem humanitatem excusserunt cernere liquet, sed constanti & judicio suscepto: maxime quod Deum hoc velle intelligimus.

Christus etiam tametsi verbo eum sanare Vers. 3.
potuisset, manus tamen impositionem adjunxit, qua declaravit, quam amanter nos complectitur, & quam à nobis quantumvis horrendis & detestandis, non abhorreat. Cum etiam morbi turpitudo oculos etiam ipsius avertere potuisset, tamen eum vel contrectare dedignatus non est. Tametsi vero sanctissimam illam manum attingere nunc non detur, tamen quoties medicam illius manum & digitum salutarem in auxilium advocabimus quæ cœlos expandit, eum dubio procul non minori animi lætitia & consolatione experiemur, quam ii fecerunt qui corporis & humanitatis manum ad salutem experti sunt. Immo vero quoties recordemur Christum non manu sola, sed tota natura humana nos tangere, ut qui carne nostra assumpta, caro est de carne nostra, non potest non jucundissima consolatione nos complere.

quare manus impositione in hoc miraculo usus?

Quomodo licuerit Christo leprosum contrectare?

Quantum discrimen inter hanc Christi humanitatem, & *Papæ* fastum? qui osculum pedum regibus præbet. Hic excipiat forte quis Christum legi contra venisse, quæ de leproso declinando sollicite cavet; sed legis finis intellectus, dubitationem tollit. Iubebantur enim ab illo propter contagii periculum deflectere. Sed cum in hujusmodi interdicto Medicus & Chirurgus, qui restituendi hominis causa in operam strenue navant, semper excipiuntur, Christus verus omnium Medicus hac regula eximatur necesse est. Præterea cum Sacerdos eum adire & potuit & debuit, isque Christi Sacerdotis typus fuit, &c.

etiam quomodo hoc in urbe factum?

Sed hic rursus alia *difficultas* nascitur. Quod *Lucas* in civitate hoc factum esse narret, cum leprosis locus extra urbes ex lege designatus sit.

Respondeo, civitate interdictos esse, quod ad lecti & habitationis rationem attinet, licuisse tamen per civitatem transire: quod videtur Gehesei exemplo confirmari, qui gravi lepra percussus cum rege sermones habebat 2 *Reg*.8. Illud enim videtur in regia gestum.

Christi ex sanitate ci-

Divina Christi virtus apparet, quod non citius sanitatem verbo imperasset, quam illa

reddita

to restituta potentia; reddita est; nec magis in difficilioribus & deploratissimis morbis, quam in levissima valetudinis declaratione laborat: ut nos tam facile magnorum quam parvorum malorum medicinam, ab eo speremus. Secus enim hic atque Medici faciunt. Vnica enim voluntate sua omnes morbos curat, & malis medetur.

Vers. 4. *ex ejus mādatis Dei laus & Ecclesiæ fructus;* In Christi vero mandatis, quæ illi injungit, illud in universum curæ Christo fuit, ut cum Deo debita laus & gratiarum actio cederet, tamen ad Ecclesiam fructus perveniret: neve hominum inconsiderantia plagam Ecclesia inde acciperet, unde medicinam petere conveniret: tantumque abest ut de nominis sui propagatione laboret, ut ne quid illud gloriæ Dei officeret. Quotusquisque reperietur, qui re præclare gesta, non ilico omnes suis prædicandi oportunitates quærit? tantum abest ut, exemplo Christi, contra nitamur.

hinc quænam beneficio à Deo accepto præstanda? In priore mandato (hoc vero posterius ponit) primum discimus, quid primo quoque tempore faciendum, postquam Dei beneficium singulare consequuti fuerimus: sc. templum ut adeamus. Quod in morbo Ezechiæ liquido constat. Item in nautis apud Ionam, & in claudo sanato *Actor.*4.de cæco. *Ioh.*9. non (ut quibusdam mos est) in taberna primum à recuperata sanitate pedem ponere, aut aliis locis, &c. Hinc est quod pii nihil tam grave aut tam acerbum in suis calamitatibus querebantur, quam quod seu morbo seu exilio à templi accessu arcebantur.

Quare Christus leprosum ad Sacerdotem miserit? Hujus porro missionis alius finis erat, ut Sacerdotibus testatum abunde relinqueret se eum esse quem lex & Prophetæ Messiam indicarent: nec eum, quem illi calumniabantur, qui legis rationem non duceret. Hoc igitur alterum est quod Christus respexit. Primum id egit, ut piorum ora ad Dei laudem aperirentur: deinde, ut impiorum ora obstruerentur. Quod nobis etiam in præclare factis imitandum. 1 *Petr.* 3,15,16, *&c.* 2,11,12. Idem nobis hodie præcipue adversus *Pontificios* præstandum est. Quod si Christus hujus curam gessit cujus innocentia testatissima erat, & cujus vocatio sole meridiano clarior erat, quanto id magis nobis præstandum erit? verendum vero est, ne sicut olim ex Iudæis veritas Gentibus odiosa fuit, sic nunc apud Pontificios ex nobis Euangelium. Cum enim in nostris, religionis contemptum cujus illi summam rationem ducunt; cum in sermone nostro, vanitatem: cum fraudes, avaritiam, &c.

Hoc loco, inepte suam auricularem confessionem *Pontificii* astruunt. *hoc nihil pro auriculari confessione.* In quo impie faciunt, qui quod Christo peculiare est, quoad Sacerdotum legalium ἀρχέτυπος est, ad Sacerdotes transferunt. Deinde, stulte: qui præterquam quod allegoria nituntur, & purgatum à lepra cum peccatore conferunt, pro eo quod debebant onustum peccatis, cum eo qui lepra plenus est, componere.

Hoc loco, ministrorum potestas in solvendo & ligando illustratur. Sicut enim Sacerdoti non licuit, &c. adversus *Papam*, qui pro arbitratu remissionem peccatorum confert.

In altero mandato, Christi studium in Dei gloria promovenda magis apparet *A Christo in hoc miraculo Dei gloria procuratur,* Sicut enim superiore mandato lepra liberati impendiis & labore hoc fecit, sic hoc loco, propriæ gloriæ dispendio & nominis sui silentio, cum Dei gloriam tum Ecclesiæ commoda procurat. Hoc autem insigne est, non modo propriam gloriam non quærere, sed eam à se usque eo repellere, quoad Dei gloriam in Ecclesiæ ædificationem obscurare possit, idque non tantum ea repellendo quæ ad eum jure non spectabant (ut in Iohanne Baptista) *Ioh.* 1. in Petro *Actor.* 3. & 10. in Paulo & Barnaba *Actor.* 14. factum est, sed illa etiam quæ sibi jure optimo vendicare potuit: cujusmodi est quod Paulus fecit erga Corinthios, à quibus nihil accepit. Et Elizæus, 2 *Reg.*5. Qui igitur cum dispendio gloriæ divinæ, & Ecclesiæ offensa ea prosequuntur quæ illicita sunt, &c.

cujus mandata à lepra sanatus non exequitur. In istius mandati obsequio, bonus vir parum pie se gessit. Nam contra quam est à Christo mandatum, hujus rei famam sparsit. Quod certe non fecit nisi consilio (ut ipsi quidem videbatur) optimo. Tam præclarum enim miraculum celari, indignum illi videbatur, ex cujus notitia, infinitus fructus ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem manaret, sicut esse ex propria experientia proculdubio sensit. Christum vero existimavit verecundia quadam prohiberi, ne illud promulgaret, & per modestiam dixisse, ne evulgaretur. Sed debebat recordari obsequium præstantius sacrificio esse, & non inniti sua prudentia *Prov.* 3, 6. Nec sequi quod bonum est, in oculis ejus. Ex quo illud liquet quid sentiendum de *Pontificiorum* bonis intentionibus. Item quam parum se defendunt, qui dicunt se nihil mali cogitasse, cum hi qui boni etiam aliquid cogitarint

rei apud Deum peraguntur.

Quam autem graviter ab illo peccatum sit, Euangelista *Marcus* docet, qui dicit Christum hoc modo prohibitum ne in civitate concionem haberet, sed desertum Euangelii prædicandi causa proficisci.

MATTH. *cap.* 8. *à vers.* 5. *ad* 14.

5 Ingressum autem IESVM Capernaumum adiit Centurio, precans eum,

6 Et dicens, Domine, puer meus projectus est domi paralyticus, & vehementer torquetur.

7 Tunc dicit ei IESVS, Ego, quum venero, sanabo eum.

8 Et respondens Centurio, dixit, Domine non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris: sed solum loquere, & sanabitur puer meus.

9 Etenim ego sum homo sub potestate constitutus, *habens sub me milites: & dico huic, proficiscere, & proficiscitur: & alteri, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.*

10 Hæc *autem quum audisset IESVS, miratus est: & dixit iis qui sequebantur, Amen dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem inveni.*

11 Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Iacobo in regno cœlorum:

12 Filios vero regni ejectum iri in tenebras illas exteras, illic erit fletus & stridor dentium.

13 Et dixit IESVS Centurioni, Abi, & ut credidisti, fiat tibi. Sanatusque est puer ejus eo ipso momento.

ANALYSIS.

PRolepsis seu institutum est, sanatio pueri paralytici, cujus ἔκθεσις primum describitur à subjecto loci Capernao, 2. à causa efficiente, precibus Centurionis: cujus forma proponitur *Vers.*6.

*Vers.*7. Effectus precum apud Christum, promissio se venturum, ut illum sanaret.

*Vers.*8. Hujus promissionis adjunctum est Centurionis de sua indignitate professio, ut suum tectum Christus subeat: alia causa efficiens hujus miraculi est fidei Centurionis firmitas: cujus fidei singularem effectum indicat petitio, ut solo verbo absque itineris labore suscepto, puerum suum Christus sanaret.

*Vers.*9. Hanc petitionem confirmat comparatione minorum, primum quod ipse homo sit, qui alios homines suo dicto obsequentes habet, nedum Christus qui Deus est, hoc verbo efficere potest: deinde quod quum illi alterius potestatis subdito obsequium præstitum sit, nedum Christo, qui omnium Dominus nullius imperio continetur.

*Vers.*10. Hujus petitionis ex fide promanantis adjunctum, 1. est admiratio Christi, 2. prædicatio fidei, quæ illustratur 1. à subjecta multitudine, quæ illum sequebatur, 2. à comparatione minoris, fidei scilicet Israëlitarum.

*Vers.*11. Tertium adjuncta prophetia, quæ duplex est, 1. vocationis Gentium, quæ describitur primum à subjecto loco, oriente & occidente, unde venturæ essent: quæ beatitas exornatur comparatione parium *Abrahami, Isaci,* & *Iacobi* beatitate.

*Vers.*12. Altera de rejectione Iudæorum, quæ amplificatur à subjecto loci, in quo erant, nempe regno cœlorum, 1. Ecclesia cujus filii erant, deinde altero subjecto loco, in quem erant exturbandi, scilicet tenebras exteriores, quæ describuntur adjuncto luctu & stridore dentium.

*Vers.*13. Effectum petitionis ex fide promanantis est, sanitas puero restituta: cujus causa formalis Christi verbum erat, quo declaravit Centurioni futurum, sicut ipse crediderat; quæ ad sanitatem restitutio adjuncto tempore amplificatur, nempe momento quo Christus hoc futurum dixerat.

METAPHRASIS.

IESVM *vero in reditu & ingressu in oppi-*
dum Capernai, ubi magna ex parte commo-
rabatur, accessit Centurio supplex: sic autem
instituit petitionem: Domine, puer meus domi 5.
paralyticus decumbens & graviter cruenta-
tus, tua ad sanitatem consequendam ope indi-
get. Cui Iesus; domum tuam ibo, ut illum sa- 6.
nitati restituam: tum Centurio respondens,
dixit; equidem, Domine, me indignum & in-
idoneum statuo, cujus vel tectum subeas:
quamobrem hunc laborem noli suscipere, si 7.
verbo tantum illum sanum esse jusseris, proti-
nus sanabitur puer meus. Nam & ipse homo 8.
tantum, & quidem peccato obnoxius, præterea
alterius imperio subjectus; cum habeam tamen
sub ditione mea aliquot milites, pro illa qua
instructus sum authoritate, huic dico, proficis-
cere,

9. *cere, & ilico proficiscitur: illi vero, adesdum, &*
protinus venit: denique servo meo, fac hoc, &
facit: nedum tu, qui præterquam quod homo
es, ab omni peccato liber. Deus es in secula benedictus, ob eamque causam nullius imperio
subjectus, hunc morbum, tanquam militem,
& servum tuum, tibi obsequentem habes: ut
& te jubente accurrat, & ut recedat edicen-
10. *te, & è vestigio fugam arripiat. Et quum Ie-*
sus audivisset, tanquam in re insolita, quoad
naturam humanam admiratione correptus,
his qui illum comitabantur dixit; sancte vobis
affirmo, me in universo populo Israëlis, quem
ego mihi peculiarem consecravi, fidem tam
firmam & tam illustrem non offendisse. Quam-
11. *obrem prædico vobis, quamplurimos ex oriente*
& occidente, atque adeo ex omnibus mundi
plagis venturos, qui primum ad Ecclesiam ag-
gregati, postea in beatas regni cœlorum sedes
transmittentur, ibi eadem fœlicitate usuri,
quam Abrahamus, Isaacus *&* Iacobus *per-*
12. *fruuntur. Contra vero Israëlitæ adoptionis gra-*
tia ad regni cœlestis participationem vocati,
quia oblatam gratiam respuunt, in illas tene-
bras præcipites dabuntur, quæ non secus extra
cœli fines positæ sunt, quam olim carceres tene-
bricosi fœtore & pedore odiosi, ab urbe aliquo
13. *intervallo removeri solent: his in tenebris ex*
summæ infœlicitatis sensu erit luctus & stridor
dentium. Denique Iesus à turba ad Centurio-
nem sermonem convertens, dixit: Domum repe-
te, nam tibi (prout te credere ego cordium scru-
tator conscius sum) obveniet. Centurio verbo
Christi acquiscens, securus domum se recipiens,
puerum (re penitus à domesticis excussa) eo-
dem temporis momento persanatum offendit.

PRAXIS.

An hæc historia eadẽ cum Luc. 7.

INitio quæritur hoc loco, an eadem hæc historia sit cum illa *Lucæ* 7. ubi cum locorum tum personarum circumstantiæ satis arguunt non esse unam eandemque historiam: ut quod *Matthæus* Centurionem præsentem inducat petitionem pro servo apud Christum instituentem; *Lucas* legatos ab illo primum quidem Iudæorum seniores, deinde proprios amicos cum hac professione se idcirco non venisse, quod se indignum judicaret, qui ad illum veniret. Maxime vero quod Christus hic jubet Centurionem domum abire, quod de quo Centurione Lucas describit, intelligi nequit, &c.

Summa est, singularis Centurionis fides per illum declarata, à Servatore Christo insigniter ornatur.

Cujus *partes* sunt, { ipsum declarata,
fides Centurionis per { Christum ornata.

In priori parte cum fides ipsa in animo lateat, ea fructibus indaganda & commonstranda est. Et primum quidem, charitas ejus eximia apparet, qui servi ægrotantis eximia cura tangitur. Cum enim plerique fere servos laborantes aspernentur, ut boum laborantium majore cura sæpe ducantur, quam servorum; quum boves mortuos non nisi pretio redimant, servos autem novos nullo pretio aut dispendio. Tum militum animi cædibus & frequentibus cadaveribus assueti, minus sæpe curant; hic tamen eam curam agit, quam vel pro filio quis susciperet. Vnde etiam non secus summos Iudæorum proceres sollicitat, quam si filii causam ageret. Quemadmodum certe filiorum certa quadam charitate complectendi sunt servi: unde hanc illis appellationem Scripturæ attribuit, quæ servos filiorum loco ducit. Vt mandato 5 *Exod.* 20. & 2 *Regum* 13. & vide quomodo servum dimitti velit Deus. Sed hic non mirum est dominos in servos tam duros esse, cum servi negotia herorum tanquam peregrinorum procurent.

Vers. 5. &c. Centurionis charitas in servi ægrotantis cura;

Alius fructus, singularis animi submissio: quæ in eo apparet, quod seipsum indignum judicans qui coram Christo appareret, primum seniores populi: deinde, amicos ad eum legavit. Submissio vero duplex apparet: primum quidem, erga Deum coram quo se sistere indignum putavit: deinde erga homines, quod eos (sibi Christi testimonio inferiores) meliores & magis pios judicavit. In priori notandum: quod cum ante in laude positum sit, quod lepra infectus se coram Christo prostravit, & ad pedes Christi advolvit, hic Centurio ne se quidem ad eam rem idoneum judicavit. Vide *Dan.* 9. Et *Luc.* 18. quod eo magis in hoc notari debet, quo & populum Dei chare dilexerat, & ei Synagogam extruxerat.

Vers. 8. ejus singularis coram Christo submissio;

Sed hic *quæritur*, an summissio ista bene ordinata & instituta sit, cum aditus ad Deum omnibus patefiat etiam indignissimis, cumque erroris sit & mendacii alios nobis deteriores præponere.

quæ an recte sit instituta?

Respondeo, indignitatis nostræ conscientia à propitiatorio ita arceri, ut ad illegitimas rationes precandi confugiamus (ut *Pontificii*) fas non est: sed alios hic nobiscum viventes abhibere qui nostram causam juvent & promoveant, non alienum. Nec enim existimandum est eum domi nihil fecisse, aut

se, aut precibus se non exercuisse; sed, &c. Quod vero ad alterum attinet. Respondeo, cum præterquam optime de illis suis legatis judicavit, ideo Iudæos sibi præposuisse quod externa vocatione ut Iudæi ornatus non esset: tametsi enim prius esset & veritati faveret, tamen videtur non fuisse circumcisione & externis ritibus (propter Cæsaris metum) ad Iudaismum aggregatus: alioqui si fuisset proselyta, non alio loco atq; Iudæus habitus fuisset. Vide etiam exemplum Cornelii *Act.*10. & 11. Huc accedit quod ante ascensum Christi, homines magis trepidanter ad Deum accedebant: tanquam servili spiritu præditi, præ nobis qui sub Euangelio vivimus: qui clamamus Abba Pater. Quo accedit, stricta Christi officii notitia. Sed hic locus in sequenti annectatur, ubi de fidei ejus in Christum laude agitur, tanquam per speciem adversis, &c.

hæc quod infucata comprobavit;

Hac vero submissione erga homines, hujus in Deum sinceram & infucatam esse submissionem comprobavit. Qui enim vere coram Deo dejectus est & ad humilitatem eruditus, eum etiam coram omnibus humilem & submissum esse necesse est. Qui enim serio sensu peccatorum suorum afficitur, & justissima quæ illis debetur pœna, qua non modo à Dei & cœli, sed hominum & terræ usu excluditur, eum non submisse de se sentire fieri nequit. Sicut enim is qui ulceribus & pannis scatet atque obsitus est, nullam superbiendi materiam habet, sed contra; sic qui peccata sua tanquam ulcera & centones sibi ob oculos proponit. Vnde *Matth.*18. qui ingreditur cœlum similis est puello recens à lacte depulso. Hinc pii passim *Mansueti*, appellantur: utpote quorum collis peccati onus suspensum & circumpositum, non sinit illos sese attollere. Vide *Luc.*15. in prodigo, qui tactus peccatorum conscientia, indignum se judicat qui locum inter filios teneat. Ex adverso etiam, quotquot in Deum superbe insurgunt, & ejus cultum & verbum pedibus proterunt, hos, in fratres & homines superbos & tumidos esse necessum est, tametsi insignem quandam gestibus & verbis humilitatem simulent. Nam qui Deum, &c.

etiam ex liberalitate in populum Dei,

In priore legatione, ut est apud *Luc.* notandū: quod dicunt illum Synagogam extruxisse. Cum enim Antiochus Synagogas passim incendisset, verisimile est Synagogas rariores fuisse: præsertim in tanta Hebræorum tenuitate, ad quā pro populi frequentia conveniebant. Hoc autem opus proferunt, ut ab adjuncta ejus in populum Dei & cultum liberalitate, Christum facilius exorarent. Hoc autem factum, ut ab illis prædicatur, sic à Christo agnoscitur: eoque se cum illis iturum, promptissime pollicetur. Hic igitur tertius fidei fructus est; scilicet munificentia & largitio in Dei cultu tuendo. Fides enim loculos aperit & arcas omnes reserat, nec quicquam Christo & ejus religioni occlusum tenet. Qui enim se vitam æternam consequuturum esse certo secum constituit, & simul æternam Dei iram declinasse perinde persuasus sit, ei nihil tam charum & pretiosum est, quod non libenter ad illius gloriam amplificandam conferat; cujus pietate cum tantam fœlicitatem consequutus sit, tum infœlicitatem declinavit. Postquam interventu Mosis populi nefanda idololatria populo remissa est, & dominus ab Israëlitis materiam omnis generis postulasset, quæ ad tabernaculum instruendum idonea foret, tam prompte & prolixe dona sua ad eam rem contulerunt, ut cornicine *(a blovver in a horne)* seu Æneatore *(a trumpetter)* opus esset, qui ne amplius afferrent, publico præconio promulgarent. Vide Zachæum: qui simul atque a peccatis suis se liberatum esse sensit, &c. Cum rex aliquis regnum nanciscitur, tubos *(the pipes)* & canales vino profluere, plateas auro & argento sterni efficit. Nobis igitur cum regnum cœleste adipiscimur, minore ne largitione utendum erit? Nos vero in hoc fructuum genere tanto uberiores esse decet, cum fides nostra explicatior & copiosior est, aut esse certe debet fide Centurionis, & quam eorum fuit aut per Dei dispensationem esse omnino potuit. Nobis igitur, si ægre tuemur & reficimus, quæ alii, & quidem (maxima parte) idololatræ exædificarunt, quid dicetur? Deinde nisi Scholas & Academias tueamur & foveamus, aut etiam nova erigamus, nihil nobis proderit templorum multitudo. Nam nisi sint pii & docti viri qui ministerium obeant, &c. Sunt enim Scholæ, tanquam plantaria unde desumantur, quæ in Ecclesiis tanquam in amœnissimis hortis conserantur. Quod nobis eo magis colendum est, quo *Pontificii* sua seminaria habent. Cum igitur hoc modo cuniculos ad Ecclesiæ interitum agant, nos Ecclesiæ prodere oportet, nisi contra etiam ipsi cuniculos agentes illis obsistamus.

quæ in nobis ex fidei copia efficacior esse debet.

Mirifice autem nos incitare debet, quod illius

illius rei fructus uberrimus constet. Hujus enim Centurionis munificentiæ beneficium ad servum suum etiam pertigit; nedum ad filios & posteros: maxime vero, ipsum beneficium complectetur.

Quomodo dicatur Centurionem promeritum ut Christus ad eum accederet?

Quod autem dignum eum prædicant (Iudæorum seniores) & hoc beneficium Centurionis, hanc gratiam promereri, tametsi videatur illud à nonnullis tanquam superbum & in Dei gratiam blasphemum traduci, tamen nullam hujus tantæ exagitationis gravem causam subesse video. Considerandum enim est, legatos istos de Christo tanquam de puro homine Iudæo cogitasse. Qua opinione subjecta, nihil absurdi est si dicatur Christum Centurioni hoc nomine obnoxium fuisse, quod gentis suæ causam in iis quæ ad Deum pertinebant promoverat. Præterea, in tam gravi causa, & religionis Christianæ veluti arce, verisimile non est Christum eam rem silentio præteriturum: præsertim adversus eos qui sanabiles erant & erga illum non male affecti, cujusmodi sunt legati hi qui Christum sanitatis causa accedunt. Sed illud hoc loco observandum est, eum qui in religionis instaurationem aut conservationem munificus extiterit, sibi & suis multos devincire, & bonos viros & cultus Dei & literarum studiosos, semper hoc erga eos & eorum posteros officium libenter recogrituros, si qua eorum opera uti possint aut velint. Deum habent obstrictum, sed nullo suo merito, sed tantum gratia & spontanea promissione. Homines vero etiam merito eorum sibi devinctos & quodammodo obæratos tenent. Quod autem Christus conscius futuri se tamen in viam ad Centurionis domum dat, id eo factum est, ut Centurionis fides secunda ad Christum legatione testatior esset. Nam nisi Centurio Christum adventare audivisset, secundam hanc legationem non expedivisset, qua fidei ejus præstans excellentia enituit. Ex quo etiam illud observandum, non esse nobis verendum quin si quid in nobis boni sit, Deus opportunitatem aliquam suppeditabit qua illud innotescat, tametsi nos nosmet absurde & importune non ostentemus.

qui credit servum sanari posse sine ejus accessu;

Superest ultimus & fidei quidem ipsi simillimus fructus. Vbi persuasissimæ fidei suæ in Christum aperta & enucleata professio. Ea autem fit per secundam legationem, qua profitetur se constantissime credere, posse Christum dicto servum suum curare: non igitur opus esse ut domum veniat, aut hunc laborem subeat.

Vers. 9. *[illegible]*

Hanc autem fidem non temere & leviter acceptam & arreptam docet, sed optimis & firmissimis rationibus fundatam: argumento scilicet minoris: vel duplici potius minorum argumento. Nam ego, inquit, mortalis, dicto meo in milites & servos, eosdem mihi obsequentes habeo: nedum tu qui Dei Filius es, eoque Deus verus huic morbo tanquam militi & servo tuo imperes. Deinde, ego sub alterius potestate positus, hoc facio: quanto tu magis qui nullius imperio subes, sed omnium regum & imperatorum princeps existis. Quo loco præterquam quod Christum Dei Filium agnoscit, ab ejus præsentia corporali non pendet: sicut tum Iudæos, nunc autem *Pontificios* & *Martinistas* videmus, qui existimant, se gratiæ Christi communicare nequire, nisi Christum intus in ventre tanquam in ergastulo inclusum teneant. Sed hic quæritur, quomodo cum legatione hac secunda convenit prior: quæ Christum Centurionis nomine rogat, ut domum suam veniens servum sanaret. Quid enim? An fides ejus tantillo tempore tantum creverat? minime vero hoc existimandum est: sed quia dicitur Centurio per hos Iesum rogasse ut veniret, &c. videtur dicendum Centurionem Christi potentiam altius considerasse, quam prima legatione fecerat, eoque ipso hanc secundam expedivisse. Quo admonemur progressus in fide & pietate diligenti, eaque simul commentatione faciendi *Psal.*1.

Sequitur pars altera: qua docetur quomodo Christus hanc Centurionis fidem ornavit.

Ornavit vero { 1. admiratione.
2. præconio & laude.
3. sanitatis postulatæ concessione.

Vers. 10. Ex Christi admiratione fidei Centurionis magnitudo,

Admiratione tactus est Christus: Iudæorum autem perfidiam hic illic etiam admiratur. Quæ autem Christus admiratione digna duxit, ea non levis momenti sunt. Hoc ipso igitur singularem ejus fidem vel gestu, vel verbis declaravit, dum se illam admirari & suspicere declaravit, præ fide in Israële: populo scilicet cui omnia fidei alimenta & fulcra suppetebant; scilicet promissa, cultus, sacramentorum, &c. cum Centurioni nihil horum suberat, prout Israëli communicabantur. Perinde ac si quis ex silvestri vinea, in quo nullos sumptus aut labores posuerat, pleniorem fructum ferret & maiorem

rem, quam ex ea quæ culta & elaborata erat: seu tanquam aliquis præstantiores in agro quam in horto flores colligeret: messem uberiorem ibi demeteret, ubi aut parcam aut nullam fere sementem fecit, quam ubi nullum agricolæ opus prætermisit: denique honorificentius ab alienigenis quam ab indigenis: à servis, quam a propriis liberis acciperetur.

& ipsius vera humanitas:

Quo loco indicatur humanitatis Christi certissimum adjunctum. Hoc enim indicatur Christum aliquid ignorasse ante, cujus jam notitiam hauserat. Tametsi enim apud Esa. *Deus* admirabundus inducitur, tamen illud figurate dicitur, ad indicandum summam & extremam Iudæorum defectionem. Hic vero proprie dicitur Christum miratum esse.

hæc fides comparat. Israëlis exaggeratur:

Præconium autem quo illum ornavit singulare est: quo ejus fidem non tantum exæquat, sed præfert etiam Israëlis fidei: non pessimis in Israële, sed optimis quibusque. Hoc ut multis aliis exemplis illustrari potest, sic præsenti legatione priore confirmatur: in qua, cum qui legatione fungerentur non erant ex infimis aut ex Christo infensioribus, tamen videmus eos nullam nisi ex Christi præsentia sanitatem sperasse, & adeo quidem tardos ad credendum fuisse, ut cum à Centurione commonefierent, ne Christo itineris labore molestiam exhiberent, illud tamen per incredulitatem facere recusarent. Ex quo illud notandum est, eos qui se dimittunt evehendos esse. Hoc enim loco videmus eum qui se infra Iudæos omnes dejecerat, supra omnes evectum esse. Ne igitur nos pigeat nimium nos deprimere. Ad eam enim mensuram quo nos sincere demittimus, iterum attollemur. Ejus rei exemplum est in Christo, *Phil.*2.

quomodo ea dicatur superasse?

Sed hoc loco *quæritur* quomodo Centurionis fides, aliorum omnium qui in Israël erant fidem superavit.

Respondeo, primum, quod hi tantum Prophetam, aut certe purum hominem Christum judicarunt: à quo nihil fere sibi pollicebantur, nisi quod ab homine Propheta exspectatum erat. Centurio vero sibi ea quæ ab uno Deo proficiscebantur exspectavit. Sed hic Nathanaëlis exemplum nobis obstat *Ioh.*1. qui illum cum Dei Filium, tum regem Iudæorum recognovit: qua nulla videtur clarior confessio edi posse. Sed regeri potest, Centurionem hunc fama miraculorum Christi fuisse ad istam fidem excitatum, priusquam coram Christum intuens, divinitatis ejus aptissimum testimoniũ accepisset. Huc accedit, quod iidem ipsi qui illum Dei Filium esse credebant, non tam alte eam fidem animis infixam habebant. Nam cum de eorum fide periculum Christus sumebat, statim vacillabant, ut discipuli qui in mari jactabantur, ut cum in deserto nullus illis cibus suppeteret. Centurio vero urgente etiam tempestate, fide firmus & immotus perstitit, & quod animo credebat, reipsa cum ad rem ventum est expressit. Huc pertinet alia dubitatio quæ superius adnotata est.

Vers. 11. *Hinc gentium vocatio à Christo editur;*

Hac occasione digreditur Christus, & tanquam ab adjuncto signo de Gentium vocatione & Iudæorum rejectione prædicit. In iis etenim tanquam in primitiis debita messe pronunciat, & tanquam ex certis utriusque generis panibus, de tota Gentium vel Iudæorum conspersione pronunciat.

Quamvis nihil hic necesse est ἐκβολὴν (egressionem vel digressionem) constituere. Potest enim superioris præconii confirmatio esse a majore, quasi dicas: illud forte vos attonitos habet, quod fidem hujus alienigenæ, totius Israëlis fidei præferam; sed illud vobis novum & peregrinum videri non debet, quum non ita multo post Gentibus in regnum cœlorum admissis, Iudæi pellentur foras.

etiamsi ex progenie Abrahæ non sint,

Dicuntur autem Gentes non Abrahamo, &c. requietari; ut intelligatur Abrahamo, &c. filios & hæredes non defuturos, tametsi Iudæi exclusi fuerint. Iudæi enim falso sibi persuadebant, Deum promissis suis non alias constituturum de multiplicando Abrahamo semini, nisi ipsi in fœdere semper hærerent: eaque persuasione sibi callum in peccando obducebant. Non secus quod hodie *Romanenses*, qui Ecclesiam nisi in suo Pontifice consistere posse negant, ac si ejus fide deficiente, Ecclesia stirpitus convelleretur. Sed Deus ex lapidibus, &c.

Vers. 12. *Qui extra Christum in tenebris.*

Quod autem Iudæos in tenebras præcipitandos esse confirmet, quorum ex fœdere & externa vocatione regnum cœlorum erat, per *exteriores tenebras*, illas intelligit quæ extra Ecclesiam & regnum Christi sunt. Nam ubi Christus non regnat verbo & spiritu, ibi densissimæ tenebræ vel tum sunt cum sol meridie lucidissime fulget. Hinc etiam regnum cœlorum *Colos.* 1. appellatur regnum lucis; & electi vocantur filii lucis.

LVC. *cap. 5. à vers. 17. ad 27.*

17 *Et factum est quodam die, quum ipse doceret, sederentque Pharisæi ac Legis
Doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Iudææ & Hierosolymis: & virtus
Domini adesset* ei *ad sanandum illos:*
18 *Tunc ecce* advenerunt *quidam ferentes in lecto hominem qui erat paralyti-
cus: & studebant eum inferre, & ponere in ipsius conspectu.*
19 *Et quum non invenissent qua ipsum inferrent, propter turbam, ascenderunt in
solarium, & persosso testaceo pavimento, demiserunt eum cum lectulo in medium,
ante Iesum.*
20 *Qui fide eorum visa, dixit, Heus tu, remissa sunt tibi peccata tua.*
21 *Tunc cœperunt ratiocinari Scribæ & Pharisæi, dicentes, Quis est iste qui lo-
quitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?*
22 *Iesus autem agnitis eorum cogitationibus, respondens dixit eis, Quid ratioci-
namini in cordibus vestris?*
23 *Vtrum est facilius dicere, Remissa sunt tibi peccata, aut dicere, Surge &
ambula?*
24 *Vt autem sciatis Filium hominis auctoritatem habere in terra remittendi pec-
cata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, & sublato* in humeros *lectulo tuo, abi do-
mum tuam.*
25 Is *autem illico surgens in eorum conspectu, sublato* in humeros eo *in quo ja-
cuerat, abiit domum suam glorificans Deum.*
26 *Et stupor cœpit omnes, & glorificabant Deum: & repleti sunt metu, dicentes,
Certe vidimus inopinata hodie.*

MATTH. *cap. 9. à vers. 1. ad 9.*

INgressus igitur navigium, trajecit, & venit in suam urbem.
2 *Et ecce obtulerunt ei paralyticum in lecto projectum: quumque vidisset Iesus
fidem eorum, dixit paralytico, Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*
3 *Et ecce quidam è Scribis dicebant apud se, iste blasphemat.*
4 *Et quum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Quid cogitatis mala in cor-
dibus vestris?*
5 *Vtrum enim est facilius, dicere, Remissa sunt tibi peccata, an dicere, Surge &
ambula?*
6 *Vt autem sciatis potestatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata
(tunc dixit paralytico,) Surge, attolle tuum lectum, & abi domum tuam.*
7 *Tunc* ille *surrexit abiitque domum suam.*
8 *Turba vero quum* hoc *vidisset, mirata est, & glorificavit Deum, qui dedisset
talem potestatem hominibus.*

MARC. *cap. 2. à vers. 1, ad 13*

E*T rursus intravit Capernaumum interjectis* aliquot *diebus, & auditum est eum
domi esse.*
2 *Statimque coacti sunt multi,* adeo *ut jam non caperent* eos, *ne ea quidem* loca
quæ erant *ad ostium: & loquebatur eis sermonem* Euangelii.

3 *Tunc venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.*

4 *Et quum non possent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tabulatū* loci *in quo erat, eoque perfosso,* funibus *demiserunt grabbatum in quo paralyticus jacebat.*

5 *Quum autem vidisset Iesus fidem eorum, dixit paralytico, Fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

6 *Erant autem illic quidam ex Scribis sedentes, & ratiocinantes in cordibus suis.*

7 *Quid iste ita loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?*

8 *Et quum statim cognovisset Iesus spiritu suo, eos ita ratiocinari apud se, dixit eis, Quid ista ratiocinamini in cordibus vestris?*

9 *Vtrum est facilius, dicere paralytico, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge, & attolle grabbatum tuum, & ambula?*

10 *Vt autem sciatis filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra (ait paralytico)*

11 *Tibi dico, surge, & attolle grabbatum tuum, & abi domum tuam.*

12 *Tunc* ille *statim surrexit: sublatoque in humeros grabbato, egressus est coram omnibus: adeo ut obstupescerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes, Nunquam tale quicquam vidimus.*

ANALYSIS.

PRoponit Christum docentem, cujus concio describitur subjecto loco, qui idem est cum eo, in quo sanavit leprosum, nempe Capernaum: 2. adjuncto tempore, quod est indefinitum & incertum, 3. adjunctis concionis auditoribus, qui fuerunt Pharisæi & legis Doctores; qui etiam describuntur à subjectis locis, unde ad Christum conveniebant, viz. ex vicis Galilææ & Iudææ, atque adeo Hierosolymis: denique Christum describit ab adjuncta potentia illos sanandi, qui morbis diversi generis laborabant.

Vers. 18. Proponit doctrinæ obsignationem miraculi editione; cujus miraculi subjectum erat paralyticus, cujus morbi gravitas insinuatur, adjuncto deportationis ad Christum; cujus efficientis causæ apud *Marc.* assignantur quatuor viri; porro describitur à subjecto loco, lecto scilicet, in quo decumbebat. Hi bajuli describuntur ab adjuncta solicita cura, illum in domum ubi Iesus erat inferendi; quæ etiam suo fine arguitur, nempe ut illum coram Christo sisteret; & amplificatur ab effecto, quærendi quomodo hoc facient

Vers. 19. Deinde alio effecto scandendi domus tectum, illud suis laboribus nudandi, denique illum dimittendi coram Christo. Quorum efficiens causa assignatur, turba contenta omnia complens, & impediens ne per portum illum inferrent.

Vers. 20. Hujus tantæ contentionis & soliciti laboris, cum in deportato, tum in his bajulis, effectus indicatur paralytici sanatio: quæ describitur suis causis, primum efficiente Christi benigna consideratione fidei ipsorum, cum bajulorum tum paralytici: deinde sequitur causæ materialis morbi remotio, nempe peccatorum; cujus remotionis forma adnectitur, nempe gratuita remissio.

Vers. 21. Cujus per Christum remissionis effectum erat in Scribis & Pharisæis criminatio; cujus criminationis forma erat, cum in Deum blasphemum esse, adjunctum vero criminationis intestinum, quod arguitur à proprio Dei adjuncto, nempe peccatorum condonatione.

Vers. 22. Istius autem criminationis in Christo effectum est Christi notitia, cujus efficiens causa est, quod sit καρδιογνώστης: cujus effectus est, Christi ad illorum arcanas cogitationes responsio, cujus responsi forma est, vanas & cassas illorum de se occultas disceptationes & falsa judicia.

Vers. 23. Quod probat a comparatione parium: nam posse verbo sanare paralyticum, ejusdem potentiæ & virtutis est, atque peccata condonare.

Vers. 24. Assumptio est, se verbo sanare paralyticum, quamobrem peccata posse remittere: ubi etiam notat subjectum remissionis peccatorum, nempe hic in terra.

Vers. 25. Cujus dicti Christi de paralytico sanando effectum est ejus sanatio, quæ comprobatur effecto domum sponte repetendi, & lectum in quo decumbebat, portandi.

Vers. 26. Cujus cum miraculi, tum effectorum in sanato paralytico effecta erant, 1. stupor, 2. timore perculsio, 3. Dei glorificatio, 4. aperta professio magnitudinis miraculi; cujus forma subjicitur: hodie res miras & opinionem nostram superantes vidimus; cujus causa apud *Marcum* assignatur, quod nunquam talia viderint; quæ verba adjuncta quantitate amplificantur, nempe quod omnibus hæc acciderunt. Quod tamen videtur apud *Matthæum* ad turbam restringi, exclusis Scribis & Pharisæis.

METAPHRASIS.

F*Actum est, intermissis aliquot diebus, post supra nominati leprosi purgationem, ut* 17.
Christus urbem Capernai, ubi habitabat, & in ea ipsa urbe (ut verisimile fit) domum Petri *repetens, se ad docendum composuerit. Cujus rei occasionem dedit frequens conventus, non tantum plebis, quæ vestibulum & januam domus*

domus complebant, sed & Pharisæorum &
legisperitorum, qui undique ex Galilææ & Iu-
dææ partibus, atque adeo Hierosolymis, convo-
lantes in ipsis ædibus, Verbi audiendi causa
18. *(ut præ se ferebant) considere. Finita autem*
concione Christus doctrinam propositam obsi-
gnaturus, ecce opportune virum paralyticum,
quatuor hominum humeris in lecto deporta-
tum, quorum singuli singulis lectuli angulis
prehensis illum decumbentem advehebant:
qui sidem summa contentione agebant, ut pa-
ralysi laborantem in domum illatum, coram
19. *Christo sisterent. Quod cum studiose agerent,*
nec tamen propter turbæ frequentiam, omnes
aditus in domum præcludentem, efficere po-
tuerunt, domus tecto conscenso & tegulis (quo-
ad commodum videbatur) nudato, paralyti-
cum funiculis in mediam domum dimittentes
20. *coram Iesu statuunt. Is cum deportantium,*
cum deportati fidem expendens, decumbenti
dixit; fili (quem ego cum curationis tum re-
demptionis jure filium assero) bono animo esto,
quandoquidem peccata hujus morbi, fons &
causa, tibi gratuito remittuntur, quo facilius
intelligas corporis sanitatem quam quæris pro-
pe adesse. Tum Scribæ & Pharisæi cœperunt
clam cum animis suis disceptare, cujus disce-
21. *ptationis hæc summa erat. Quis hic est, qui in*
Deum blasphemias evomit, atque regurgitat?
quis enim potest peccata remittere præter u-
22. *num verum Deum: quas animi ratiocinatio-*
nes, quantumvis arcanas, Christus Spiritus &
Deitatis suæ beneficio pernoscens, regerens ad
illos dicit; cur istas tam perversas in animis
23. *vestris cogitationes versatis? Ex duobus his u-*
trum (cedo) minus laboriosum est dicere, re-
mittuntur tibi peccata, vel dicere, surge &
ambula? an non enim sunt pares virtutis &
24. *potentiæ? Quamobrem ut palam sit, me verum*
hominem authoritate peccata remittendi in-
structum esse, quamdiu homines vitam in ter-
ris agentes ejusdem remissionis capaces sunt:
audite quid dicturus sum. Tibi, paralytico, e-
dico, ut lectulo surgens, eundemque in hume-
ros attollens, domum ilico unde deportatus es
25. *revertaris. Qui è vestigio exsurgens, illis spe-*
ctantibus, lectulo in quo decumbebat sublato,
domum suam abiit, Dei de sanitate accepta
26. *gloriam prædicans. Quo cum Christi dicto, tum*
sanitati tam firma profectione, omnes ita ad-
miratione rapiebantur, ut vix apud se essent,
gloriam præterea Deo tribuerunt, & timore
perculsi in has voces irruperunt. Equidem ho-
die vidimus res insperatas & incredibiles, ut
qui tam inopinata jam primum videmus.

PRAXIS.

Hæc historia an illa Iairi postponenda?

HÆc Historia ut ex *Luca* & *Marco*, Iairi historia sequi videri potest; tamen ex *Matth.9,18.* aperte & liquido constat, Iairi historiam cum hanc tum Matthæi vocationem & disputationem de jejunio subsecutam: ideo vero *Marcus* & *Lucas* Iairi historiam transfretationi connectunt, non quod immediate hoc factum sit, sed quod Iairus eum circa mare offendit: neque vero verba *Lucæ* aut *Marci* hujusmodi continuationem aut seriem arguunt.

Christus in Galilæam primum, post Capernaum rediens, in ædibus privatis urbis Capernai simul docens, & paralyticum sanans, in diversos, hos quidem calumniatores, illos vero candidos auditores incurrit.

Cujus *partes* sunt, quomodo	Christum populus redeuntem, & Populū Christus ad se accedentem	excepit.

Turbæ Christum exspectantis ad discendum diligentia,

Luc.8,40. dicitur, turbam Christum transfretantem ad ripam exspectasse, & appulsum excepisse. In quo eximia, & illustris populi ad discendum diligentia notatur, quæ a Solomone in *Prov.8,33.* clientum similitudine indicatur, qui Advocati aut Iudicis Ianuam observant, & Iudicis aut Patroni è porta egressum præstolantur. Quod idem a Scholasticis fit, qui præceptoris adventum prævenientes, illum discendi causa expectant. Quod si nostri homines secum reputarent, Christum esse qui in Ecclesiis docet, credo equidem illos majorem hujus rei rationem habituros, quam jam habent; quod etiam facerent magis, si quanti momenti sit, quod in hoc loco petere profitentur, & quam admirabilis doctrina, quæ in hac schola proponitur, reputarent.

idque magna frequentia.

Aliquot diebus intermissis (ut *Marc.*1,1.) quibus quid fecerit Christus ex historiis non liquet: tandem Capernaum venit, ubi cum auditum erat Christum in ædibus esse, omnes certatim ad illum accurrunt, tanta frequentia, ut non tantum ædes confertæ, & constipatæ essent, sed vestibulum & janua, & præ foribus loca omnia occuparentur. Quæ populi huc illuc discursio, & ubi Christum offenderent continua sollicitudo, Dei erga nos munificentiam declarat; quibus divinum animarum pabulum statis & temporibus & locis abunde à Christo suppeditatur. Sicut enim in familiis amplis & ho-

noratis stata sunt tempora prandii & cœnæ; in tenuibus vero tum cibus sumitur, cum ejus potestas sit: sic &c. Et ut Israëlitæ summi beneficii loco habebant cum cultus Dei, olim vagus & incertus, Ierosolymæ fixus & firmatus fuit: sic &c.

Sequitur miraculum sanati paralytici, in quo spectantur, { primum quod Christus peccata paralytico demisit, & quæ consequuta sunt: & deinde sanatio, & illam consequuta.

Vers. 17. *Christus ex populi studio audiendi plurimos sanavit;*

Apud Lucam cum dixisset multos convolasse, cum audiendi tum sanitatem accipiendi causa, simul & docuisse Christum, & Domini virtutem ad eos sanandum suffecisse adjungitur. Qua loquendi formula indicatur, sanitatem ægrotis & ægris magna copia collatam fuisse. Cum enim Christus tam promptum populi, & voluntarium audiendi studium intellexisset, voluit veluti thesauros bonitatis suæ expromere. Quamvis enim unius tantum paralytici sanati mentio fiat; tamen plerosque alios sanatos fuisse certum est: paralytici vero ideo expressam mentionem fecit, cum quod luculentum in deportantibus fidei & charitatis exemplum exstaret, tum vero quod, ex miraculo Pharisæis ansam damnandi Christi arripientibus, simul & eorum diabolicum virus, & Christi divina virtus pleniusinnotesceret. Illa vero sanationis gratia tametsi excidit; remāsit tamen illa multo præstantior, & cujus illa duntaxat umbra exstitit. Quoties enim studio Dei colendi convenimus, toties Christi virtus ad animi morbos persanandos præsto est. Simul etiam huc accedit, ut effusius Christus hæc sanationis dona protulerit, quo auditores alacrius & paratius accurrebant: sic etiam &c.

ut etiamnum faceret si tale studium.

Vt nulla alia causa sit, cur cum tam exili fructu, & adversus peccata, quibus laboramus, remediis ab Ecclesia discedimus, nisi quod tam gravate, & suspenso quasi animo accedimus. Sicut enim cum quis amicos, & sui studiosos apud se convivas habet, nullo sumptui parcit, & nova simul & veterea depromit: sic &c.

Vers. 18, 19. *In quibus portantium paralyticum fides?*

In quatuor viris, qui paralyticum deportabant, illustre fidei exemplum proponitur, sicut ex Euangelista diserte exprimitur. Fides autem in eo cernitur, quod spe consequendæ sanitatis hunc laborem subierunt, quod nusquam unde ad Christum penetrarent reperientes, domum eum non reducant; sed fiducia voti potiundi sustentati, supremum ædium ascendant, & ibi nudatis tegulis, eum coram Christo cum lecto demittunt. Ea igitur fidei laus est, si objecta obstacula & impedimenta superet: ut contra illa fides infirma est, quæ minimo offensiculo concutitur. Ex eodem loco fidei laus in Cananæa muliere commendatur; quod gravissimis tentationibus non cessit *Matth.*15,21,22. *ad* 28. *Marc.*7,25. *ad* 30. Sicut contra fidei tenuitas & imbecillitas in Rachele perspicitur, quæ, quod pro suo voto liberos ilico nacta non sit, ad illegitimam prolis acquirendi rationem confugit, *Gen.*30,3. Hujus fidei firmitatis aut infirmitatis experientiam in nobis ipsis capere licebit: ut cum minima lucelli spes aut voluptatis usura, nos ab officio Ecclesiam accedendi divertit: aut cum exigui lucri causa, ad sermonis vanitatem & mendacium impellimur. Sicut autem imbecillitas in infantium corpusculis proditur, quod minima asperitate, aut soli cui insistunt, inæqualitate aut prominentia dejiciuntur: sic etiam in animi, ex fide, robore fit.

Vers. 20. *Quomodo Christus horum fidē viderit?*

Christum horum *fidem vidisse* dicitur, cum tamen fides intus in animo occultetur & delitescat: tametsi vero Christo intimos animorum recessus cognoscere promptum erat, sicut post intelligemus: tamen de eo genere visionis non loquitur Euangelista, sed de illa visione fidei, quæ ex effectis fidei, charitate scilicet, constituitur: de qua *Iacob.*2,18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Sic fides, quæ perceptibilis sensu non est, in omnes vel crassissimos sensus influit. Sic videtur & hoc loco, sic auditur, ut in piis sermonibus, sic gustatur in pauperum cibatione, tangitur in pauperum tegumentis, & calfactione; sic etiam odoratur & percipitur, cum Maria gratissimo & fragrantissimo unguento totam domum ubi Christus erat, complevit. *Ioh.*12,3. cum Nicodemus & Iosephus Christi mortuum corpus aromatis pretiosis condiebant. *Iohan.*19,38,39. Futilis igitur, & vana est illa fidei professio, quæ nullis se operibus in hominum notitiam infert.

quæ suis nævis non caret;

Hæc autem fides quam Spiritus Sanctus dilaudat, suis nævis non caret; nam alioquin homini paralytico domi relicto sanitatem quæsivissent; maxime vero cum intelligerent, nullum, sine hospitis damno ad Christum aditum patuisse; à Christo, significato morbo, foris consistentes sanitatem petiissent.

tiissent. Quo docemur non obstare nostros defectus, quo minus, quæ ad verbi normam instituta conformamus, Deo accepta sint. Homines si alicujus (utpote vestiarii) opera utuntur, nisi omnia accurate ad præscriptam formulam conficiantur, statim succensent, & manupretio illum privant; sed secus a Deo erga nos fit.

etiam eorũ charitas insignis:

Deinde ex hoc loco illud etiam constat; charitatem, ut Paulus ad Thessalonicenses, 1 *Thes.* 1, 3. loquitur, laboriosam esse: horum enim charitas illos, ut nullum laborem recusarent, efficit. vide 2 *Tim.* 1, 17. Contra vero charitatis magnam inopiam coarguit, cum molestiis & nonnulla difficultate a rebus cum officio nostro conjunctis, repellimur, ut nisi quod charitas exigit, veluti digitum admovendo, vel manum (ut est in proverbio) vertendo, conficiamus, statim à suscepto negotio desistimus; ut qui à carceribus lustrandis, & a pauperibus & ægrotis invisendis pædore & fœtore absterrentur.

an hinc consequitur aliquem aliena fide servari?

Illud vero scrupum *difficultatis* injicit, quod dicitur Christum deportantium fidem intuentem, paralyticum sanitate donasse. Inde enim quæstio excitatur, an aliquis aliena fide servatur.

Cui quidem sine distinctione *responderi* non potest, nam aliena fide, hujus vitæ commoda & solatia conferuntur: ut Loti generi, Loti causa, ex incendio eximendi erant: Paulo etiam omnium, qui in navi erant, condonata vita est; inter quos plerosque impios fuisse constat. Deinde fide in preces erumpente, sæpe fit, ut impii ad pietatem attrahantur; ut Stephani precibus Paulus: Christi vero in cruce pendentis, plerique eum crucifigentium ad Euangelii agnitionem adducti sunt, ut *Act.* 2, 37. perspicitur.

non ita ut volunt Pontificii;

Sed tamen, quod *Papistæ* hinc cupiunt efficere, non consequitur; ut quis aliena fide, id est, Ecclesiæ, seu potius Ecclesiæ præsulum fide, sine sua & propria servetur: modo enim credat implicite, quæ Ecclesia mater credit & docet, quamvis ipse nihil horum teneat aut percipiat, quæ illa credit aut docet; tamen salvum illum fore Ecclesiæ fide dictitant. Sed hoc ex isto loco non efficitur: præterquam enim, quod hoc loco fidei istorum hominum momentanea sanitas, non æterna conceditur, apparet ipsum paralyticum fide non fuisse destitutum; cum & Christus illum filium vocet, & ei peccata sua (quod sine fide fieri nequit) condonat: & verba Euangelistæ, Christus videns fidem eorum, paralyticum non excludunt.

cum quisque sua fide salvus fiat.

In salute igitur æterna manet illud Prophetæ, unumquemque sua fide salvum fore, nec magis meam fidem alium servare posse, quam (nisi forte, quod dici potest, eo ipso momento cum fide peccatorum remissionem Christi dono accepit, alius pro alio nasci potest) quam cibus, quo ego vescor alium pascere, aut vestes, quibus ego tegor, alium operire. Quemadmodum enim homines amicorum suorum causa, his etiam, quos non aut norunt aut vehementer probant, in quibusdam gratificantur; sed tamen ad interiorem aliquam necessitudinem aut amicitiam eosdem (vel flagitante amico) non admittunt, nisi illos notos prius & perceptos habent; sic &c.

Quomodo Christus petitioni eorum satisfecit qui peccata etiam remisit?

Quod autem sanitatem petentibus, Christus remissionem peccatorum largitur; id tametsi alienum videri possit, tamen propius intuenti, cum re conjunctum esse liquebit. Christus enim humani generis Medicus (ut paulo post sequitur) adveniens, peritorum Medicorum artificium, ipsas morbi causas primum submoventium imitatus est, & morbi ipsius radices & fundamentum prius tollit, quam ad corporis curationem se accingat. Quod nobis documento est, in morbis primum litem ex peccatis cum Deo componere, priusquam Medicos adeamus. Quæ enim aliacumque causa morbi existit, peccatum certe ejus causam, & semen esse extra omnem controversiam est. Ideo stultum est, nos (ut fit) sæpe in incertis morborum causis investigandis torquere, cum causam longe certissimã præterimus. Quod si sanitatem, præterita peccatorum remissione, consequimur, his similes sumus, quibus morbus aut vulnus in specie curatur, quod post alio loco periculosius erumpit. Alia hujus loqutionis causa fuit, ut Scribis & Pharisæis occasionem pessime de ipso cogitandi accipientibus, Christus suam divinitatem magis conspicuam redderet.

Dignum est animadversione, quod condonatis peccatis, non ilico sublatus sit gravis hic morbus, & ad nos consolandum aptum est, ne putemus nos Deo exosos esse, quod Dei gravis aliqua & inusitata plaga nos premat.

Vers. 2[illegible] [illegible] & [illegible] ca-

Sequitur igitur ex Scribis fuisse qui cum animis suis blasphemiam Christo impingebant, quod remissionem peccatorum, soli Deo

lumnia propria,

Deo propriam sibi arrogaret: quod si factum est, videntur eo accessisse, ut calumniari potius, quam ex doctrina Christi proficere, possent. Pharisæos enim & Scribas non tantum ex Galilæa, sed etiam Iudæa & Hierosolyma illuc confluxisse, & cum cæteris locum cepisse declaratur. Ecce autem hoc modo magnam remoram (ut videtur) Evangelii profectui injectam, doctissimos quosque in populo, Christi doctrinam & ministerium improbasse, ne ex primoribus fidem suspensam habeamus. Simul etiam liquet scientiam, nisi cum Dei timore conjunctam, homines magis veritati infestos & infensos reddere, ut passim videre est. Quod autem blasphemiæ damnant si quis præter unum Deum sibi remittendi peccata potestatem assumeret, in eo a veritate nihil aberrarunt; estq; hoc ipsum Christi responso confirmatū, *Esa.*43, 25. *Ego, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, propter me.* Aut vero ex Baptistæ præconio, qui eum agnum esse testatus est, qui tollit peccata mundi. *Ioh.*1,29. Sed in eo graviter hallucinati sunt, quod neque illum pro Messia, neque Messiam pro Deo, aut prædictionibus Prophetarum, aut ex variis Christi miraculis intelligerent.

Vers. 22, 23. *quæ à Christo retunduntur:*

Christus vero, qui sedem suam in cordibus habebat, ista rescissens, illos argumento comparationis refellit, & quidem, ut mihi videtur, parium: Ejus est peccata remittere, cujus est solo verbo & mandato decumbentem sanitati restituere: paris enim potestatis sunt: posterius à me fieri mox cernetis; prius igitur mei juris esse (tametsi illud non tam in promptu cernere sit) facile dignoscatis. Ubi observandum est, animi à peccatis sanitatem ex corporis curatione coargui: idem tacite etiam facit, dum se cordium cognitorem declarat. Quod autem *Marcus cap.* 2. *v.* 8. dicit hæc Christum suo spiritu cognovisse, discrimen statuit inter Christum & Prophetas, nominatim Elizæum, qui Gehesi servi cogitationem novit; sed non suo spiritu, sed Christi spiritu hoc revelante. 2 *Reg.* 5,26.

simulque varia divinitatis suæ documenta edidit,

Hic autem locus ὅδηγος quoddam argumentorum, quibus Christi divinitas asseritur, nobis suggerit. Nam quod cordium cognitor sit, Deus esse arguitur 1 *Reg.*8,39. Deinde quod verbo Paralyticum decumbentem sanitati pristinæ restituit: denique quod peccata remittit.

In quorum postremo illud *quæri* potest, quomodo hæc potestas Dei propria sit, quandoquidem eam Christus cum ministris Ecclesiæ communicat.

Sed *respondeo* Dei authoritatem absolutam esse, Ministrorum vero potestatem à Dei authoritate derivatam, legibus quibusdam & conditionibus illigatam teneri. Si homines credant & pœnitentiam agant, eamque profitentur, Deum peccatis absolvere, Ministros absolutionem modo pronuntiare & promulgare: quod Scribæ proculdubio non ignorabant. Sed cum audirent homini ignoto, aut potius ante non viso, minime a Christo de fide & resipiscentia examinato aut excusso: denique nullam neque fidem nec pœnitentiam profitenti remissionem peccatorum donari: majoris cujusdam hoc potestatis fuisse recte colligebant, quam quæ in mortalem ullum Ministrum competeret.

quam invadit Pontifex.

Hanc autem possessionem divinam invasit *Romanus Pontifex*, qui hominibus nunquam nec visis, nec auditis, aut in fide pertentatis, peccata partim condonat, partim retinet, prout ejus aut libido aut quæstus eum agit.

Vers. 24. *An Christus ut homo peccata remisit?*

Quod autem dicit *filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra,* idque dum in terris versaretur, videtur aliquo modo Scribarū oblatrationi opponi, qui Deum in cœlis tantum peccata remittere existimarunt. Cum autem homo Christus in terris hanc potestatē habere dicitur, an vero hanc potestatē habeat quatenus homo est, ut quibusdam placet, an potius quatenus Deus sit, illud demum expendendum est, omninoque statuendum, eum non tantum ut Deum, sed ut Mediatorem, id est, Deum simul & hominem condonare peccata, non autem quoad nude homo est.

Notandum, cum morbi depulsione, vires ambulandi conferri: sicut peccati cum mortificatione, conjuncta est nova vita.

Vers. 25. *paralyticus evestigio plane restituit;*

Alter fructus hujus miraculi in paralytico, qui sanitati restitutus, Christi mandatum, de grabbato tollendo & asportando, sedulo & prompte exsequitur, ut eximium hoc modo interioris sanitatis, sicut & exterioris testimonium ediderit. Sicut igitur ante in dæmoniaci exemplo, eum statim post sanationem, Christi gloriæ promulgandæ inserviisse legimus, *Marc.*5,20. & ut Petri socrum Christo protinus ministrasse. *Marc. cap.*1,31. & *Matth.*8,15. sic & hic se Christo in obsequium tradidit: quod certe hi facient, quotquot peccatorum remissionem se accepisse

pisse sibi ex Verbo Dei persuadent.

Vers. 26. inde admiratio orta, Ultimus fructus est reliquæ Ecclesiæ, quæ primum rem admirabatur; erat enim prodigii simile, cum qui ante ne pedem quidem ordine efferre potuit, nunc subito domum redire posset, & eum qui ante seipsum sustinere non potuit, nunc non se solum, sed lectum etiam deportare potuisse.

Dicunt præterea *nunquam ante sic factum esse*, nullum ex Prophetis tanta sanandi potentia instructum fuisse; ita ut hoc modo illum omnibus aliis Prophetis præferant.

& Dei glorificatio, Quod vero *Deum glorificabant*, scienter fecerunt, utpote ad quem omnis præclarorum factorum gloria redire debet, quocumque ad eam rem instrumento, aut cujuscumque opera utatur. Idem dicitur factum ab Ecclesia *Gal.*2. qui non Paulum, sed Deum in Paulo glorificabant.

non tamen Christi divinitas agnita. In eo autem peccatum est ab illis, quod in Christo præter humanam naturam nihil agnoverunt. Cum enim Deum laudarent, qui talem potestatem hominibus concessissent, satis indicant illos longe abjectius, quam par erat, de Christo sensisse: quod tametsi Christus animo perceperat, tamen non dubitat tantum thesaurum in eos conferre, tametsi fructus, non tam ut decebat, copiosus erat.

Simul etiam amplificandæ Dei munificentiæ rationem ostendunt, dum donorum quæ à Deo conferuntur, præstantiam, cum hominis abjecta conditione componunt: sicuti Regis munificentia amplissime expenditur, cum personarum vilitas & abjectio reputatur, & simul ad fastigium, ad quod advecti sunt, animus & cogitatio adjicitur.

LUC. *cap.* 5. *à vers.* 27. *ad* 33.

27 Posthæc vero exiit, & conspexit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, & dixit ei: Sequere me.

28 Ille *derelictis omnibus surrexit, & sequutus est eum.*

29 Et fecit ei Levi epulum magnum domi suæ: eratque turba multa publicanorum, & qui cum ipsis accumbebant.

30 Obmurmurabant autem eis Scribæ ac Pharisæi, dicentes ad discipulos ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?

31 Et respondens IESUS dixit eis, non opus est iis, qui sani sunt, medico, sed iis qui male se habent.

32 Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

MATTH. *cap.* 9. *à vers.* 9. *ad* 14.

9 Et quum digrederetur IESUS illinc, vidit quendam sedentem ad telonium qui Matthæus dicebatur, & dixit ei, Sequere me. Atque is *surgens sequutus est eum.*

10 Et ecce factum est quum IESUS accumberet domi illius, *ecce, ut multi publicani & peccatores qui venerant, simul accubuerint cum IESU & discipulis ejus.*

11 Quum autem id *vidissent Pharisæi, dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus edit doctor ille vester?*

12 IESUS autem quum hoc *audisset, dixit eis, Iis qui valent non est opus medico, sed iis qui male se habent.*

13 Ite vero & discite quid sit: Miserationem volo, & non sacrificium. non enim veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

MARC. *cap.* 2. *à vers.* 14. *ad* 18.

14 Et quum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi filium *sedentem ad telonium, dixitque ei, Sequere me. Et* is *surgens sequutus est eum:*

15 Et factum est ut quum Iesus accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discubuerunt cum Iesu & discipulis ejus: erant enim multi, & sequuti fuerant eum.

16 *Quumque Scribæ ac Pharisæi vidissent eum edentem cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid* est *quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit?*

17 *Et quum* hoc *audisset Iesus, dicit eis. Iis qui valent non opus est Medico, sed iis qui male* se *habent: non veni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.*

ANALYSIS.

VOcationem *Matthæi* narrat, quam describit, 1. ab adjuncto tempore, post sanatum paralyticum, 2. à subjecto loco, nempe extra domum, ubi paralysi decumbentem sanavit, item ad littus maris & portum: vocatum vero describit ad adjunctis nominibus duobus *Levi* & *Matthæo*, & à relato, quod esset filius *Alphæi*, item ab adjuncta occupatione, quod esset publicanus: deinde ab effecto, quod vocationem exercuit ad mensam publicanorum sedens, canonem constitutum exacturus: post ab efficiente causa, vocationis Christi potente sermone; qui sua forma describitur, *Sequere me.*

*Vers.*28. Hujus vocationis effectum notatur, obsequium Christo vocanti præstitum; cujus item effectum describitur, omnium derelictio, quæ ejus obsequium remorabantur.

*Vers.*29. Aliud effectum vocationis, gratitudo; quæ arguitur effecto Christum ad mensam invitando, quæ sua forma exponitur, nempe convivium vel epulum illi instruendo; quod amplificatur adjuncta ejus magnitudine, & subjecto loco, propriis in ædibus, deinde alio adjuncto convivarum; qui sua forma describuntur, Publicani nempe & peccatores; qui etiam comitatus vel convivæ amplificatur adjuncto numero.

*Vers.*30. Hujus comitatus Christi adjunctum effectum est, murmur Pharisæorum & Scribarum; quæ obmurmuratio amplificatur à relatis, quod hi Scribæ erant illi quibus cura illorum publicanorum & peccatorum commissa fuit. Alterum effectum erat, querimonia de Christo & discipulis, cujus forma subjicitur; quare manducatis & bibitis cum publicanis & peccatoribus: deinde subjectum hujus querimoniæ erant discipuli, ad quos hæc querimonia delata est.

*Vers.*31. Cujus obmurmurationis & querimoniæ effectus est, Christi pro se & suis responsio. Cujus forma proponitur; *Non opus habent*, &c. Quæ arguitur ab adjuncta necessitate aut convenientia communicationis cum istis peccatoribus. Quod arguitur à comparatione parium. Nam si ægroti corporibus opus habent præsentia & consuetudine Medicorum, qui ex peccati morbo animis laborant, opus habent spirituali animarum Medico.

*Vers.*32. Quod ipsum confirmat à fine adventus sui in mundum, ut scilicet peccatores ad pœnitentiam vocaret; quod etiam amplificatur ab adversa remotione, non venisse scilicet ut justos vocaret qui nulli sunt.

METAPHRASIS.

27. *POst sanatum paralyticum domo egressus,*
& secus littus maris prodeambulans,
magnam turbam illum certatim adeuntem
doctrina instituit. In reditu vero ad urbem,
in ipso transitu defixis oculis intuitus Publica-
num, cui nomen erat Matthæus, *cognomen*
Levi, Alphæi *filius, qui munus Publicani ob-*
iens, loco ad canonem exigendum oportuno,
unde huc illuc commeantes prospiceret, consi-
debat. Hunc Iesus alloquutus, ut se indivi-
duum illi comitem adjungeret, imperavit. Qui 28.
relictis omnibus quæ ipsius obsequium remora-
ri poterant, ilico surgens Christum sequutus
est, Christi spiritu præpotenti vim verbo tri-
buente. Quod Christi in se incomparabile bene- 29.
ficium ut grato animo prosequeretur Mat-
thæus, *convivium & quidem splendidum*
Christo propriis in ædibus instruxit. Convivas
autem adhibuit præter Christum & ejus dis-
cipulos, magnam cum sui ordinis, tum etiam
sceleribus opertorum colluviem, quibuscum
magna vitæ necessitudo ob eam causam inter-
cessit, quod odio ex ipsa publicanorum professio-
ne à Iudæorum conventibus exclusi, se ad
istiusmodi vitæ turpitudine infames aggrega-
runt. Quos ut hoc consilio invitaverat, ut
Christi salutaribus monitis ad meliorem fru-
gem redirent; ita sua exspectatione frustratus
non est, quandoquidem plerique ex illis à fa-
cinorosæ vitæ orbita conversi, Christo se in dis-
ciplinam tradiderunt. Quo facto Scribæ & 30.
Pharisæi, & quidem hi, quibus istorum publi-
canorum & peccatorum cura commissa fuit,
offensi: Christo præterito (quod sibi ab ejus
sapienti responso metuebant) apud discipulos
non sine obmurmuratione querelas suas depo-
nunt. Quare (inquiunt) vos, cumprimis vero
Magister vester, qui tantam & tam accura-
tam vitæ sanctimoniam præ se fert, cum Pu-
blicanis & sceleratis cibum sumitis? Quibus 31.
Christus (audita ex discipulis querimonia) ad
hunc modum respondit; in communi omnium
sensu & ante pedes positum est, Medico nun-
quam interdictum esse ne ægrotos accederet.
Cum igitur ipse spiritualium morborum Me-
dicus in mundum veni, iniquum & absurdum
est me ex consuetudine cum hujusmodi ægrotis
à vobis traduci, quorum consuetudine non sum
deterior, quod vos operum & meritorum ve-
strorum fastu turgentes valentissimi vobis vi-
demini. Quod si planioribus & omni tropo nu- 32.
datis verbis hoc placet accipere, sic habete:
me

me hoc conſilio in mundum veniſſe, non ut eos ſervem qui in ſe & propria juſtitia ſalutem quærunt (in quo genere vos eſſe perſpicio) ſed ut illos ſalvos faciam, qui ſuorum peccatorum onere preſſi ad vitæ ſanctimonium contendunt: in quibus ſunt hi quos vos tam ſuperbe contemnitis. Quæ mea defenſio cum juſta ſit, diſcipulorum me ex officio obſervantium cum publicanis & peccatoribus communicatio injuſta

Matth. 9,13. *eſſe nequit. Quamobrem abſcedite, & priuſquam crimen in alios intenditis, quid vobis incumbit addiſcite; parum ſcilicet profuturum ſacrificium, & aliarum ceremoniarum accuratam obſervationem (qua freti alios arroganter faſtiditis) niſi miſericordiam in proximos, quam Deus ceremoniarum obſervationi longe anteponit, exerceatis.*

PRAXIS.

CHriſtus Matthæum à telonio ad Verbi miniſterium vocat: ipſe viciſſim cum Chriſto paret, tum eum convivio excipit; quod duarum cum Phariſæis diſputationum cauſas præbet.

Cujus *partes* ſunt, { Matthæi vocatio, & convivium Chriſto & Diſcipulis inſtructum.

In *Matthæi vocatione* conſiderantur { Chriſti mandatum, & Matthæi obſequium.

Verſ. 27. *Chriſti ſingulari miſericordia Matthæi vocatio inſtituta;* In *Chriſti mandato* conſideratur primum Chriſti miſericordia, qui hunc hominem nihil tale cogitantem, ad ſummum Apoſtolicæ dignitatis faſtigium vocavit, nulla ſuperioris vitæ commendatione ornatum: quin potius, ut conjici ex ejus comitatu poteſt, aliqua vitioſæ vitæ labe fædatum, aut certe commaculatum. Cum enim peccatores eum multi ſequantur, & tanquam anteactæ vitæ ſocii, convivæ ab eo adhibeantur, ſuſpicionem movet illum aliqua infamis vitæ nota non caruiſſe. Quantum autem ad honorem, hinc intelligi poteſt, quod inter eximia Dei beneficia parentibus ducitur, quod ad Eccleſiæ miniſterium, eorum adhibentur filii; vide *Amos* .7, 14, 15. quanto magis ipſis filiis hoc honori eſt? quod ſi in infimo miniſterii gradu conſiſtere honoris ſit, quam eſt in ſummo miniſterii apice? hoc vero exemplo docemur, quam ſit Dei gratuita vocatio minime à nobis, aut ab operibus noſtris ſuſpenſa: quod certe in Pauli vocatione liquidius apparet.

quæ cum Deinde Chriſti providentia ſeu ſapientia expendenda venit, quæ longe ab hominum ſapientia diverſa eſt. *noſtro agendi modo longe diverſa:* Primum enim videmus eandem ſapientiam in hoc eligendo, quæ in quatuor piſcatoribus, ut mundi contemptiſſimos Chriſtus adſciſcat, quibus totum terrarum orbem ſibi ſubjuget: qua de re vide quæ ante obſervata ſunt in Philippi (ni fallor) vocatione. Sed huc aliquid amplius accedit. Primum quod peccatorem, & opertum ſceleribus vocat: deinde, quod præteritis Phariſæis & Scribis, qui gratia apud populum valebant & authoritate, non tantum ex ima plebe, & contemtis hominibus delegit; ſed etiam ex his, qui omnibus hominum ordinibus maxime inviſi & exoſi eſſent, cum tamen ad fructuoſam Verbi prædicationem operæ pretium ſit, ut illius præco odio eorum non laboret. Quis enim Princeps legatione concupitum adipiſci volens, hujuſmodi legatos expedit, qui apud illam gentem, à qua aliquid impetrare cupit, maxime inviſi ſunt, ac non potius eorum delectum facit, quorum gratia ſuam apud gentem illam cauſam gratioſam faciat? Scimus enim Publicanorum profeſſionem, qui tributa Cæſari imperata colligebant, maxime apud Iudæos in odio fuiſſe, cum quod avari eſſent, tum quod religione ſe prohiberi putarunt, cenſum Cæſari pendere. Sed hoc ideo fecit, ut nulla in illis obſtacula ſuperans, magis inclareſceret, & ejus admirabilis virtus illuſtrior eſſet. Qui enim Iſraëlitis apud Ægyptios infenſiſſimos hoſtes gratiam conciliavit, in ſatis magna gratia Apoſtolos apud eos ponere norat, quoad illud operæ pretium fuit. Hujus rei egregium & illuſtre eſt in Moſe *Exod.* 4. exemplum, qui cum Paſtor ovium eſſet, eoque Pharaoni & Aegyptiis maxime exoſus, cum tamen pedum paſtoralis vocationis inſigne geſtare voluit, ne illa Moſis conditio diſſimularetur apud Aegyptios & Pharaonem.

Vbi autem eum vocaverit, *Marcus* notat, ſcilicet cum ad mare egreſſus ſit, ubi à prænavigantibus aut appetentibus vectigalia exiguntur.

Cavendum tamen Eccleſiæ eſt, ne in Miniſtrorum delectu, hæc ſibi ad imitationem proponat: ut quæ gratiam & dona conferre nequeat, quibus hujuſmodi obſtacula ſuperentur.

In prompto Matthæi obſequio luculentum obedientiæ exemplum proponitur; quod unica tantum voce, tam fructuoſam & quæſtuoſam vitæ rationem linquens, ſe Chriſto con- Verſ. 28. *in cujus obſequio prompto obedientiæ exemplum,*

sto consecravit. Quod melius considerabitur ex reluctatione Mosis & Ieremiæ, qui tam invite & reluctanter accesserunt. *Exod. cap.* 3,11,13. *&* 4,1,10,13. *Ier.* 1,6. Quod & nobis ad quæ nos Deus vocat imitandum est, ut potius istiusmodi, quæ nobis cordi sunt, pellamus, quam Christi mandatis non obsequamur. Nec vero levitati hoc dari potuit in Matthæo, quandoquidem fama Christi & ejus admirabilis potentia inclaruisset. Sed in hac obedientia Matthæi, Christi bonitas iterum spectanda venit; qui illum non tantum foris appellabat, sed intus efficaciter affatur, & parendi voluntatem illi indidit: nisi enim ille aures perforasset, tanquam surdo loquutus fuisset; nisi ille voluntatis, veluti pedes, solvisset, tanquam claudus & telonio affixus sedisset; nisi Christus, tanquam magnes ferrum, eum attraxisset: eoque Apostolus de obsequio Deo præstito, ei gratias agit. Et quidem magis hic Dei munificentia apparet, quam in vocatione, quæ sæpius in improbos confertur.

Deinde cum reliqui Euangelistæ *Lucas* & *Marcus*, illum Levin appellent, nomen vulgarius subticentes, ille, ut Dei erga se munificentiam prædicaret, nomen illud inseriit, quod est notius, ut peccatorum suorum gravitate cognita Dei misericordia innotescat.

Vers. 29. *& convivio instituto gratus animus,*

Convivium sequitur, quo Matthæus Christum accepit; cujus quidem causa efficiens erat gratus animus Matthæi, qui hanc incredibilem Dei munificentiam agnovit. Quo docemur, non tantum Christo vocanti parere, sed etiam alacri illud gratoque animo facere. Hoc enim ipso gratum est Deo obsequium, si est liberale & promptum. Nihil enim est, quod Dei nobis vocatio faciendum imponit, quod idem non nostro bono fit. Quod si Matthæus & alii Apostoli ab honestis muneribus & operis, ad ministerium Verbi vocati, lætis animis obsequuti sunt, quanto nos magis hoc facere decet, quos Deus ab illicitis peccati occupationibus, Euangelii voce ad vitam æternam vocat?

non Christo solum sed & aliis testatus.

Finis vero convivii, ut suum in Christum amorem & gratum animum, non tantum Christo, sed aliis omnibus testatum redderet: hujusmodi aliquid ante in Petro vidimus; item Elizæo 1 *Reg.* 19,2. Non igitur satis est animo grato Christi beneficia accipere, nisi hoc etiam testimoniis innotescat. Hoc autem convivium ab omnibus præstatur bonis operibus, quæ Christo magis sapiunt, & gratiora sunt, quam maximæ delitiæ hujusmodi delitiis addicto. Vide *Cant.* A Ministris vero præstatur, dum populum Dei liberaliter & copiose pascunt, vetera simulque nova illis expromunt. A divitibus, dum lucrosæ mercaturæ & fructuosæ, decimas quasdam pauperibus largiuntur: hic excitentur ad liberalitatem in pauperes, eoque in memoriam reducantur, quomodo olim occultas decimas sacrificulis penderint.

Vers. 30. *Scrib. & Pharis. quæstiones de Christi cum publ. & peccat. conversatione unde ortæ?*

Scribæ & Pharisæi discipulis, & Christo litem hoc loco intendentes, satis declarant, quam parum ex Christi superiori sermone proficiebant, & quod ea flamma invidiæ incensa potius, quam restincta videatur. Quæstiones vero hæ tametsi de convivio motæ sunt: tamen tum motas esse apparet, cum finito convivio, convivæ ædibus egressi essent. Observandum vero, quod præterito Christo, discipulos adoriuntur; ut diabolus Evam, tanquam magis expugnabilem, ubi cum spes depressior est, ibi diabolus insilire tentat.

quam veri speciem habeant?

In priore vero quæstione videntur justam quærendi causam nacti, quod à viri pii officio alienum videatur, cum flagitiosis consuetudinem habere. Nam & à contagio periculum est, ne immundum contingentes ipsi immunditiem contrahant, & peccatores, ex piorum consuetudine sibi ipsis placentes, in peccatis obdurantur. Quod si adversus priorem rationem excipiatur, Christum non potuisse labem ullam vitii ab illis contrahere, eadem tamen difficultas in discipulis manet, ad quos infectio pervadere potuit.

Vers. 31.

Huic tametsi multifariam responderi potest, ut quod à Christo invitati non sint, sed à Matthæo; quod Christum porro ipsimet sponte sequebantur, ut in Euangelii doctrina informarentur; tamen illis omissis eam tantum expendemus, quæ à Servatore adhibita responsio est.

quæ à Christo retunduntur, quod eos à peccatis liberet,

Primum autem argumentum est ab adjuncta peccatorum emendatione. Ille peccatoribus adesse potest, qui eos malo hoc liberare & eximere novit. Ego is sum, qui peccatores peccatis eximo. Propositionem similitudine confirmat; ægroto ad curationem adesse fas est; igitur animi morbo correptum accedere fas est. Assumptionem probat, quod sit Medicus, sicut superius initio capitis, in paralytici sanatione abunde probarat. In quorum priore notandum est; quo loco peccata habenda sunt, non alio scilicet, quam

quam morbi animi, ut singula peccata totidem animi morbi lethales sint; qui, nisi tempestive sanentur, mortem, & eam quidem cum corporis, tum animæ æternam allaturi sint. Nam ut corporis mortem morbi præcedunt, & eam accersunt, sic & peccata mortem æternam: eoque suam insaniam aperte produnt, qui levissima aut nulla de causa peccant. Deinde etiam peccatorum, aut morborum duratione fieri, ut malum ingravescat, & difficilius curetur. Quo magis mirum est homines, qui in morborum corporis depulsione, morbos prævertunt, hic tamen, adversus animi morbos jam contractos, non sint solliciti. Cujus quidem securitatis nulla alia causa assignari potest, nisi quod, ut in gravissimis morbis homines, omnem morbi sensum amittunt; sic etiam homines consuetudine quadam peccandi callum sibi induxerunt, & quidem hujusmodi, ut tametsi sæpius pungantur & premantur adhortationibus & admonitionibus, ut lepra tamen infecti, sensus expertes maneant.

quorum ipse Medicus est; Alterum est, Christum esse morborum Medicum, quod singularem consolationem habet, sicut prior consideratio desperationis materiam, præsertim cum peccatum omnino declinari nequit: eum enim Medicum habemus, qui nostros omnes morbos notissimos habet. Tametsi enim ea a nobis indicari velit: tamen non idcirco hoc fit, quod eum fugiant. Deinde nullus morbus est, quem ille non optime curare pernovit. Huc accedit, quod ubique præsens, semper ægrotis in promptu est. Denique quod non tantum medendi peritus sit, sed etiam ad curandum mira animi alacritate, & promptitudine accedit. Quod vel eo declaratur, quod gratis medicinam suam confert. *Esa.* 55, 1. *ad* 8. Vnde etiam suam in medicando operam quotidie offert in Ecclesia, per doctrinam Euangelii, quæ idcirco salutaris dicitur, quia salutem in nobis operatur.

Quin etiam eo nos medendi desiderio tenetur, ut morbos nostros in seipsum transtulerit, & pro nobis decumbere voluerit, & adversus animi morbos antidotus, aut amuletum sit. Iam vero quis mortalium est, communis modo sensus particeps, qui ad talem Medicum ægrotus non accurreret?

ideoque illis adesse licet: Ex quibus liquet, quam inique Christum calparint, quod inter peccatores esset. Num enim Medico vitio dari debet quod inter ægrotos sit, aut Chirurgo quod vulneratos adeat? quod etiam cum argumento distributionis amplificat: Medicum aut sanis, aut ægrotis deservire; absurdum autem esse ut sanis det operam, quamobrem ut ægrotis serviat opus esse. Vnde illud emanat, quibus de causis cum flagitiosis consuescere conceditur, ut illos scilicet ad frugem & resipiscentiam adducamus. Eoque hominibus considerandum esse, quod in hoc genere sanationis donum a Deo acceperunt, ne temere se pro Medicis ingerentes, morbum ab alio non pellant, sed ipsi contrahant: quod quidem in his ægrotis curandis potissimum expendendum erit, qui doctrinæ non morum corruptela laborant.

Alterum argumentū est apud *Matthæum*; quo illos magnæ improbitatis convincit, quod ipsi hoc erga miseros istos peccatores officium non præstarent: maxime cum ex *Luca* constat hos publicanos & peccatores, ad illorum peculiare ministerium pertinuisse, eo quod eorum scribas *Lucas* illos appellat. Quod gravius, quam ante accusat; scilicet, quod cum ipsi officio deessent, tanquam canis in præsepi, illud etiam agerent, ut aliunde non suppleretur. Vt autem probaret hoc ad illos spectare, utitur argumento adjuncto, quod confirmat argumento testimonii *Oseæ* 6, 6. Pii enim est hominis, maxime vero Doctoris in Ecclesia, commiseratione duci eorum, qui in miseria versantur. Quapropter Pharisæos & Scribas impios esse arguit, qui nulla in hos peccatores commiseratione ducti sunt. Cum autem illis promptum esset excipere, se pietatis idcirco studiosos esse, quod sacrificia Deo offerrent, & alias ceremonias in lege præceptas studiose & accutate observarent: illos refellit argumento minoris: sacrificia enim, & sacros ritus minoris momenti esse, quam misericordiam miseris præstare. *Hos.* 6, 6. *Matth.* 5, 7. Eos igitur qui majora prætermittentes, minima obirent, impietatis convinci affirmat. Hæc enim oportuit fieri, & illa non omittere. Vnde *Esai.* 1, 11, 15. sacrificia & alii ritus Deo abominabiles sunt, quæ sine charitate in proximum præstita sunt. Quo eodem rationis momento seipsum defendit, qui miseratione ductus, opem illis ferre paratus erat. Ex quo illud discimus; nullius cujusquam, quamvis atrocissima peccata, in nobis illud in peccatorem odium ingenerare debere, ut ejus misereri obliviscamur: ita ut aut ipsimet succurramus, aut ei ab aliis succurri lætemur. Vide 2 *Cor.* 2, 6. *ad* 11. ubi

verum illi ipsi officio deerant;

cum hoc ipsum illis incumberet,

qui externos ritus magis sectarentur;

docetur Corinthios tam peccasse nimium accenso in peccatorem odio, quam prius fecerant nimia indulgentia.

quatenus misericordia sacrificiis præferatur?

Quod vero misericordiam secundæ tabulæ præceptum, sacrificio, quod ad primam tabulam aggregatur, antefert: illud non ideo fit, ac si simpliciter secundæ tabulæ mandata, prioris tabulæ mandatis præponenda sint: sed quod medullam, & veluti nucem secundæ tabulæ, ceremoniis primæ tabulæ tanquam cortici anteponerent. Primum enim cum primis, externa cum externis, minima cum minimis comparata, illa sunt majora, quæ sunt primæ tabulæ. Quod vero discere eos jubet, illos acriter pungit: dum homines suæ scientiæ opinione turgidos & inflatos, veluti doctorum loco movens, ad discentium gregem deturbat. Homini enim superbo & inflato nihil ingratius esse possit, quam infra infimos deprimi.

Vers. 32. *Hæ quæstiones etiam refelluntur quod ut tales peccatores vocaret ipse venerit;*

Postremum argumentum est à fine ductum: se idcirco venisse, ut peccatores vocaret, non justos: sic 1 *Tim.* 1, 15. Quod dictum incredibilem consolationem affert miseris peccatoribus, ad illam cogitationem repellendam, quæ nostras mentes sæpe subit, Christum quidem Servatorem esse, sed eorum, qui aut justi sunt, aut non enormi aliquo peccato inficiuntur: tanquam Medici cura excluderentur aut Chirurgi, qui graviter aut laborant morbo, aut vulnere sauciantur: & tanquam Medicus ad febres tantum leviores curandas designatus esset, non ad pestes, Elephantiasin, seu lepram, comitiales morbos, &c. & tanquam Chirurgus ad scabiem aut reduvia sananda, &c. aut tanquam pastor ovem leviter errantem, & in segetes nonnihil declinantem revocare debeat, non autem etiam in deserto vepribus & dumetis implicitam requirere. Cum autem audimus Christum propterea in mundum venisse, ut atroces & graves peccatores vocaret & sanaret, ne dubitemus quin id cujus causa venerit, & tam longum & laboriosum iter susceperit, confecturus sit.

idque ad pœnitentiam:

Quod autem vocat eos ad pœnitentiam, docet se, tametsi in peccatores benignus sit, peccatis tamen ipsis non indulgere; quandoquidem peccatores ideo vocat, & ideo sanat, non ut in peccati fœcibus desideant, sed ut ad frugem veniant. vide quæ hoc loco notata sunt.

quinam justi his peccatoribus oppositi?

Quæritur autem hoc loco, qui illi tandem justi sint, quos Christus peccatoribus opponit.

Videtur intelligere eos qui fide justificati ad justitiam contendunt, & ei, quoad datur, operam dant, sicut sæpissime in Scripturis Sanctis accipitur. Eorum vero an dicemus Christum curam nullam agere, aut illis Medico opus non esse, aut non venisse ut illos vocaret? minime vero illud. Nam cum Pastoribus Ecclesiæ non tantum peccatorum ad frugem revocandorum, sed & justorum in justitia simul, & conservandorum & promovendorum curam imperavit, *Ezech.* 3, 17, 21. Necessum est ut & ipse, qui pastor summus est, eorundem curam gerat; quos enim ipse aliis curandos & pascendos tradidit, eosdem & ipse pascit, & curat. Ita tamen ut hoc loco videatur perstringere ironia quadam superbos Scribas & Pharisæos, qui opinione falsa propriæ justitiæ turgentes, justitiæ Christi capaces non sint.

Quomodo hæ quæst. discipulos attingant?

Tametsi vero hæc non in Christi Discipulos competant, qui ejusdem criminis cum Christo à Pharisæis insimulantur; tamen cum Christi justa præsentia convincitur Discipulorum, quorum erat Christum observare, &, quæ à Christo gesta sunt, testari, justam præsentiam fuisse efficitur. Eaque docetur nos vocationi nostræ obsequentes extra periculi jactum esse, ut ut cæteroquin periculosum videatur.

LUC. *cap.* 5. *à vers.* 33. *ad finem Capit.*

33 *Ipsi vero dixerunt ei, Quare discipuli Iohannis jejunant crebro, & deprecationes faciunt, similiter &* discipuli *Pharisæorum: tui vero edunt & bibunt?*

34 *Ipse autem dixit eis, Num potestis facere ut filii thalami, quo* tempore *cum ipsis est sponsus, jejunent?*

35 *Venient autem dies quum tolletur ab eis sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.*

36 *Dicebat autem eis etiam parabolam, Nemo panniculum novi vestimenti indit in vestimentum vetus: alioqui & illud novum findit* vetus, *& veteri non convenit panniculus* sumtus *ex novo.*

37 Et nemo injicit vinum novum in utres veteres: alioqui disrumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.
38 Sed vinum novum in utres recentes injiciendum est: & utraque conservantur.
39 Et nemo qui biberit vetus, statim vult novum, dicit enim, Vetus utilius est.

MATTH. cap. 9. à vers. 14. ad 18.

14 Tunc adeunt eum discipuli Iohannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi multum jejunamus, discipuli vero tui non jejunant?
15 Et dixit eis IESVS, Num possunt filii thalami lugere quamdiu cum eis est sponsus? Aderunt autem dies quum tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.
16 Nullus autem indit panniculum novum in vestimentum vetus: illud enim ipsius supplementum tollit aliquid ex illo vestimento, & fit pejor fissura.
17 Neque injiciunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres, & tum vinum effunditur, tum utres pereunt: sed injiciunt vinum novum in utres recentes, & utraque conservantur.

MARC. cap. 2. à vers. 18. ad 23.

18 Discipuli autem Iohannis ac Pharisæorum jejunabant: veniunt igitur & dicunt ei, Quare discipuli Iohannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?
19 Tunc ait eis IESVS, Num possunt filii thalami, quo tempore cum ipsis est sponsus, jejunare? quamdiu habent secum sponsum, non possunt jejunare.
20 Venient autem dies quum sublatus erit ab eis sponsus, & tunc jejunabunt illis diebus.
21 Sed nemo panniculum impexum insuit vestimento veteri: alioquin, illud ipsius supplementum novum tollit aliquid ex vetere vestimento, & fit pejor fissura.
22 Et nemo injicit vinum novum in utres veteres: alioqui vinum effunditur, & utres pereunt: sed vinum novum in utres recentes injiciendum est.

ANALYSIS.

PHarisæorum & *Ioannis* discipuli Christum reprehendunt, quod ejus discipuli non jejunarent; quam illorum criminationem confirmat a comparatione imparium, quod *Ioannis* & Pharisæorum discipuli jejunarent: quam rationem amplificat ab adversis, quod hi sæpe jejunarent, illi nunquam.

Vers. 34. Cujus criminationis effectum est, Christi responsum, quod est non convenire ut sui discipuli jejunent. Quod probat ab adjuncto tempore, quia jejunium illis inoportunum est: quod arguitur ab adjuncta Christi cum illis præsentia, quod à relatis coarguitur, sponsi Christi & discipulorum, qui sponsi amici illi in thalamo adsunt.

Vers. 35. Prius illud argumentum adjuncto tempore illustratur, suo diverso, quod quamvis jam non jejunent, tamen post jejunabunt; ubi causa jejunii indicatur, Christi ab illis avulsio & separatio.

Vers. 36. Alterum argumentum est ab adjuncto discipulorum, qui ad jejunium seu ad perferendum afflictiones, quæ jejunium attrahunt, parum idonei fuerint. Quod paribus illustrat, panni recentis seu impexi, quem jejunio assimulat, & assuti veteri & attrito vestimento, cui discipulos comparat: unde liquet adjuncta inconvenientia & effectum, nempe damnum quod discipulis humano jejunio infertur.

Vers. 37, 38. Aliud argumentum ab effecto talis jejunii, nempe discipulorum suorum à veritate defectio & interitus; quod probat comparatione parium, musti in utres veteres infusi: ubi discipuli cum utribus veteribus, jejunium musto componit; quod adversis illustratur, musti in novas utres infusione.

Vers. 39. Alterum argumentum ab adjuncta subita & repentina mutatione, à summa tranquillitate in gravem afflictionis tempestatem; quam confirmat cõparatione parium: quemadmodum enim vino veteri assuetus protinus mustum illi contrarium aversatur; sic quieti diu assueti turbulentæ tempestatis impatientes futuri sunt.

METAPHRASIS.

IESVM *discipulorum suorum patrocinium suscipientem Pharisæi adoriuntur, sed advocatis & in societatem adjunctis* Ioannis *Baptistæ discipulis: quos cum ad suum odium aliquens-* 33.

liquousque tegendum, & ad majorem invidiæ
flammam Christo conflandam, in prima velu-
ti adversus Christum acie constituunt. Ab
illo igitur non discendi causa sed accusatorie
quærunt, cur, cum tum Baptistæ, tum Phari-
sæorum discipuli in jejunio & precibus frequen-
tes essent, ejus discipuli se in hoc jejunii stadio
nunquam exercerent. Quibus Christus: dici-
34. *te, amabo, an conveniat amicis sponsi, quos*
sibi in thalamo socios coaptavit, quantisper
hilaria aguntur, jejunium indicere? Indi-
35. *gnum vero est, vobis tam angusti spatii læti-*
tiam illis invidere, quandoquidem (completis
aliquot veluti festivitatis diebus, quibus nu-
ptiale convivium de more celebratur) tempus
postea veniet, cum me immatura & violenta
morte ablato, jejunio & luctui se dedent. Quam
36. *rem aliquot similitudinibus, ad majorem rei*
claritatem, in hunc modum illustravit. Nemo
novi panni particulam veteri vestimento as-
suit, ut quod duo secum fert incommoda; prius,
quod veteri vestimento sua infirmitate à novo
panno dissidenti aliquid amplius (unde ruptu-
ra major existit) detexitur: alterum, quod
novi panni immissio aspectum deformem ha-
37. *bitura est. Insuper nemo mustum æstuans in*
utres veteres infundit, secus enim fiet ut ru-
ptis & effractis utribus simul cum vino effuso
38. *pereant. Econtra vino novo utribus novis in-*
cluso, utrumque cum vinum tum utres con-
servantur; sic jejunium veluti novum vinum
discipulis meis adhuc non satis confirmatis ex
gravi aliqua afflictione incumbens, illos adhuc
imbecillos obtereret: sicut contra Spiritu San-
cto cœlitus ad Pentecosten post meum ascen-
sum confirmatos, plurimum juvabit & ad
39. *majorem pietatem provehet. Denique subita*
hæc & repentina, quam urgetis, vitæ severitas
non magis illos sapiet quam illi mustum arri-
debat, cui ad diuturnum tempus veteris vini
potationi assueto, simul & semel obtruditur:
ut tutius illis sit sensim à superioris vitæ pla-
cida & tranquilla conditione desuescendo,
turbulentis tempestatibus (quæ luctum ac je-
junium attrahunt) paulatim assuefieri.

PRAXIS.

Vers. 33. *Discipuli Ioan. una cum Pharis. de jejuniis quærunt;*

IN secunda controversia de convivio mota, ubi considerantur { Pharisæorum quæstio, & Christi responsio.

In quæstione dispiciendum primum, qui quærunt; deinde de quæstione ipsa. In primo notanda infœlix consociatio Pharisæorum, & discipulorum Iohannis adversus Christum, & discipulos ejus, idque fraude & versutia Pharisæorum, & inscitia seu inconsiderantia discipulorum Iohannis; in quibus apparet columbina simplicitas absque serpentina prudentia, in ut Pharisæis visitur, serpentina prudentia exclusa columbina simplicitate. Quæ quidem magis illucet, non tantum ex hac inæquali conjunctione, sed quod (*Matth.* 9, 14.) eousque processit stultitia discipulorum Iohannis, ut ipsi in hac lite priores extiterint. Vide *Marc. cap.* 3, *vers.* 21, & 31. Res plane commiseranda, & teterrimæ offensionis, cum pii fratres sua inscitia ab ipsis Ecclesiæ hostibus stare perducuntur. Hujus rei causam si quæris, non alia succurrit, quam quod Pharisæis causa jejunii cum discipulis Iohannis conveniebat, parum expendentibus Iohannis discipulis, in quot & quantis religionis summis capitibus, ab illis Pharisæi disjuncti & dissociati erant.

Idem hodie fit à *Lutheranis*, qui propter nonnullam conspirationem cum Pontificiis in causa Sacramenti, se cum illis adversus Euangelicos conjungunt, cum quibus multa communia habent veritatis præcipua dogmata. Sic etiam plerique ex Euangelicis apud nos, quod in certas Pontificiorum ceremoniales propensiores sunt, se cum Pontificiis adversus nos conjungunt. *ita nunc Lutherani se cum Pontif. conjungunt:*

Deinde non recte semper de præceptore ex discipulis judicium fertur: nam Christo & Iohanni conveniebat summe, cum tamen inter discipulos lites moventur; sic etiam Lutheri discipuli in his litem intendunt, in quibus *Lutherum* bene consentientem habuimus.

In ipsa quæstione observandum est, nihil hic tanquam incertum quæri, sed constanter affirmari, male fieri quod discipuli Iesus non jejunent. Ex quo illud intelligitur, jejunium hoc Pharisaicum, in eo occupatos ad humilitatem non erudire: sed eos inflare potius, & efficere ut superbia & elatione animi turgerent, dum alios condemnant. Notandum etiam qui sunt, qui discipulos Christi accusant, tanquam jejunii hostes; Pharisæi qui domos viduarum devorabant, & convivia expetebant; cum Christi discipuli parcissime & durissime victitabant, pane hordeaceo, & pisciculis sæpius pasti. *hæc quæstio non fuit sed affirmatio.*

Non dissimilis est *Pontificiorum* adversus nos querela, qui cum intrepide se farciant, & ventres potius, quam homines sint; tamen vociferantur nos jejunii hostes, ventri in-

tri indulgere : vide accusationem Pharisæorum adversus Christum, quod vini potor esset.

In hac quæstione illud porro est observandum, *Nobis jejunii necessitatem imponi*, ut probris Pontificiorum in Euangelium conjectis occurratur.

Observanda præterea est, causa hujus reprehensionis, scilicet, quod discipuli Christi se ad discipulos Pharisæorum & Iohannis non conformant, cum ratio reprehensionis ex instituto Dei depromenda erat.

Quidnam ad legitimum jejunium requiratur?

In verbo νηστεύειν, sicut in accusatione discipulorum Christi, quod edunt & bibunt, notandum, jejunium legitimum requirere plenam ab omni cibo & potu abstinentiam, & per synechdochen, omnes externos ritus in jejunio imperatos, vilis vestitus, solutionis ab omni opere diurno, inhibitionis à thoro: in quibus omnibus utcumque ad præstandum facilibus, (utpote externis) *Pontificii* deficiunt; multo magis, in præcipua ejus parte, quæ in interno cultu collocatur: adeo ut Pontificium jejunium sit multo deterius quam Pharisaicum, quod tamen à Christo improbatur.

Iam veniamus ad internum Dei cultum in jejunio, ac primum quidem in hac quæstione preces, & invocatio nominis se offerunt. Vbi illud jure quæritur, quomodo Discipulos Christi insimulant, quod preces & postulationes non fundant apud Deum: nec enim credibile est illos Deum non esse precatos. Et si illud voluissent Pharisæi, Christus (dubio procul) in eo illis restitisset, & eos Deum quotidie precari asseruisset. Quamobrem liquet, voce postulationum, extraordinarias preces intelligi, ut *Act.* 12,5. extensas preces, & *Esa.* 58,4. elatio vocis in altum, & *Ionæ* 3,8. inclamarunt Deum magna vehementia, & contentione. Hic denique coarguuntur *Pontificii*, qui die jejunii sui non plus premuntur, quam aliis diebus. Quamobrem ad intendendum preces necessum est, ut primum nostram miseriam, deinde Dei misericordiam penitus reputemus & commentemur.

Responsum Christi *duo* argumenta complectitur,
{ *Unum* ab adjuncto temporis, &
Alterum à subjecto discipulorum

Vers. 34, 35. *Propter Christi præsentiam*

Prioris argumenti hæc summa est; Christi præsentia impediri, ne graviori aliqua calamitate, quæ jejunium inducat aut exigat, urgeantur. Quandiu enim à Christi

non dicebant ejus discipuli jejunare,

latere non discedebant, suum illis à quibuscumque impellebantur, patrocinium præbuit. Cum autem ad Euangelii præconium ab illo aliquantulum divulsi essent, eos tamen sua providentia ita texit, ut nec quicquam illis (eorum ipsorum confessione) defuerit, nec cujusquam injuriæ obnoxii aut expositi essent, usque eo ut cum inermes, tum etiam sine aut viatico, aut pecunia emissi essent, illis, de quo merito quererentur, nihil obtigerit. Hinc etiam est, ut cum ipse à Iudæis caperetur, non prius sui capiendi facultatem fecerit, quam discipulis suis immunitatem obtinuisset.

sicut amici sponsi in ejus præsentia;

Hoc argumentum similitudinis à rebus nuptialibus ductum illustrat. Alienum enim est sponsi amicos, seu thalami filios ad luctum & lachrymas vocare, eosque quibus lautum epulum consuetum & solenne est, jejunio addicere. Nam dedecori quodammodo sponso videatur, amicos & socios suos, ipso inspectante, violari pati: socii secum parum humanitus agi existiment, si operam honori sponsi dantes, indigne tractarentur. Christus vero sponsus est, contractis cum Ecclesia sponsalibus, discipuli vero sponsi amici seu filii, ut Iohannes superius docuit, illis proinde luctus aut jejunium intempestiva sunt. Tametsi enim Christus, ab illis in cœlum elatus, non minus, quod ad divinitatem, præsens futurus foret, quam cum in terris hic versaretur; tamen ita corporalis præsentia magis vivaciter ab illis percepta, gravius illos perculsura erat, cum in cœlum ascendens, corpus suum eo subvexisset.

etiam Christus extra passionem ab afflictionibus liber;

Hic etiam considerandum est, Christum ipsum, tanquam sponsum in thalamo, a gravioribus afflictionibus tantisper immunem fuisse, quoad ad passionis tempus perveniret. Tametsi enim laboriosam, & operosam, & multis difficultatibus impeditam ageret vitam; tamen composita cum perpessionibus, quas paulo ante passionem, & in ipsa passione pertulit, videri potuit in rosarum & violarum areolas vestigia sua ponere. Cum igitur ipse commodius & hilarius ageret, discipulos premi præter rationem videbatur. Hoc loco perspiciamus, quam perverse institutum sit inter *Pontificios* jejunium, qui promiscue omni tempore jejunant; rebus lætis & tristibus, tempestate & serenitate: de quo vide alio loco, quæ a me observanda sunt.

Eximium exemplum est in *Neh.* 8,9,10,11. *hinc nihil*

ubi

pro Quadrages. ubi lachrymæ etiam piæ vetitæ sunt die tabernaculi. Ita quam stulte ex hoc loco suam annuam *Quadragesimam* munitam putant, cum quod hoc loco prædicitur, ab Apostolis præstitum sit, & quidem tum præcipue, cum Spiritum Sanctum copiosissime accepissent, id est, post Pentecosten. Quod si rite ex hoc loco jejunare velimus, tum est jejunium, vel maxime celebrandum, cum Christus iræ & indignationis suæ indiciis, se procul stare testatur. vide *Exod.* 33,1. *ad* 6.

sed dies gaudii pauci. Deinde illud etiam observandum, Alcionios piorum in hac vita dies, cum dierum paucitate conferri, quibus in nuptiis convivia agitantur; de qua re vide historiam Labanis & Iacobi, &c. *Gen.* 29. Hinc etiam perstringit Christus Pharisæorum malitiam, qui tantulo tempore otium, & vacationem ab ista severitate invidebant; cum non ita multo post illa tempora subsequutura essent, quibus illis esset jejunandum.

Vers. 36, &c. *Ex infirmitate discipulis Christi non erat jejunandum;* Alterum argumentum à subjectis: discipulos nondum eos esse, qui jejunium ferant; esse infirmiores, quam ut tanto oneri sustinendo pares sint. Cujus ratio est, quod non nisi Christi ascensu Spiritus Sanctus conferendus: proinde imperite & inopportune hoc exercitium illis esse imponendum. Quod variis similitudinibus amplificat: primum quidem novi panni veteri vestimento assuti: deinde musti veteribus utribus inclusi: ubi discipuli veteribus vestimentis, & utribus; jejunii vero ratio novo panno & musto comparantur: non alia ratione, nisi ut & non convenire ista, & damnum, atque adeo exitium inferri, ex tam importuna disparatarum rerum conjunctione doceatur: sicut enim novus pannus assutus veteri vestimento, non modo aspectum deformem habet, sed etiam propter firmitatem quæ in eo est, veteri panno aliquid detrahit, unde præcisus novo panno, ut veteri succurrat, hoc ipso perit, quod commode non conveniat: deinde sic discipulis Christi præsente sponso, & jejunare indecorum, & illis non nisi noxium & damnosum foret; tantum abest ut hoc exercitio ad pietatem proveheretur. Quin etiam ut musto in utres veteres incluso, cum mustum effunditur, tum utres propter vini ebullientem æstum rumpuntur; ita jejunium istis impositum cum illegitimum, & propterea nullum foret, tum ipsos jejunantes penitus perderet & pessundaret. Denique, ut qui veteri vino affici longo tempore assuevit, non ilico novum, tametsi melius, probat: sic discipuli mei hactenus quieti, tanquam liberaliori victus rationi assueti, hanc in victu severitatem non protinus probabunt. At ut ex balneis & hypocaustis exiens, si statim frigida loca adiret, sibi mortis aut valetudinis periculum crearet; sic & subita solitæ rationis mutatio nocet.

Sed hoc loco *quæritur*, quomodo jejunium & à cibo abstinentia tam hominibus noxia esse possit, cum plerosque infideles frequentem ἀσιτίαν pati, sine ullo animi damno, videre licet. *quomodo jejunium illis noxium futurum?*

Respondeo, aliam esse rationem politicæ abstinentiæ, seu sponte susceptæ, seu necessitate quadam, & inopia cibi coactæ, & religiosæ: nam hæc, nisi prius ducatur, & ex Sacris Scripturis informetur, securitatem potius quandam in peccando parit, quam adversus peccatum medicinam: homines enim superstitiosos, & cum in Deum, tum homines superbos, & elatos reddit, eis falsa sanctitatis opinione imponente. Quo facilius intelligitur, quam non de leviculis ceremoniis, cum *Pontificiis* (ut illi odiose clamitant) acriter pugnamus, cum eorum jejunia perfringimus, & tanquam impia rejicimus. Non enim de carnis aut panis fructu agitur, sed de libertate, in qua nos Christus constituit, de hypocriseos & non ferendæ superbiæ profligatione agitur; quæ omnia Pontificium jejunium in apertum discrimen vocant.

Verum enimvero Christus hoc loco ulterius, quam ad cibi abstinentiam respexit; scilicet ad afflictiones & mœrores, quibus jejunium adjunctum est; unde etiam apud *Matthæum* quærit, an filii thalami, præsente sponso, lugere possint, pro eo quod alii dicunt jejunare; tanquam jejunium non esset, nisi in graviori aliqua, aut corporis aut animi calamitate, quæ luctū accersit, suscipiendum. Sicut enim epula & convivia gaudii testimonia sunt, sic jejunium mœroris & luctus indicium esse debet. Sensus igitur est, ideo jejunium discipulis non convenire, quia illis afflictio aliqua gravior, & calamitas idonea nō est; eos autem idcirco ad graviores afflictiones ferendas idoneos non esse, quod nondum Spiritu Sancto perfusi & proluti essent. *quod ipsum in luctu agendum;*

In quo observandum, non prius Deum nobis afflictiones immittere, quam vires & robur ad ferendum contulit. vide 1 *Cor.* 10, 13. Sicut enim Dux & Imperator in bello exercitatus, tyrones, & eos, quos veluti in umbraculis adhuc format, & ad militiam fingit, *quem Deus singulari gratia exercitatis immittit.*

fingit, graviori periculo non objicit, sed veteranos ad hujusmodi militiæ partem adhibet. Sic Christus infirmitati nostræ parcit. Videmus etiam colonos suos juvencos non prius ad jugum adigere, quam triennes aut quadriennes sunt. Quanto igitur magis Christus suis indulgebit & parcet, donec collectis viribus, oneribus sustinendis pares, & idonei sint. Et sicut in Amigdalo omnibus cœli injuriis exposita, & totius hyemis procellam & tempestatem propter præmaturam efflorescendi & gemmas emittendi naturam sustinenti, videmus durissimum putamen & duplex tegmen à Deo concessum, ut hoc modo omnes tempestatis impetus frangat: sic atque adeo multo magis &c.

LVC. *cap. 6. à vers. 1. ad 6.*

FActum est vero ut sabbatho altero primo pertransiret per sata. Vellebant autem discipuli spicas, edebantque, confricantes manibus.

2 *Quidam autem Pharisæorum dixerunt eis, Cur facitis quod non licet facere Sabbathis?*

3 *Tunc respondens IESVS dixit eis, Ne hoc quidem legistis quod fecit David quum esuriret ipse & qui cum eo erant?*

4 *Quomodo introierit domum Dei, & panes propositi tios sumpserit, ederitque ac dederit etiam iis qui secum* erant: *quibus* panibus *non licet vesci nisi solis Sacerdotibus?*

5 *Et dicebat eis, Filius hominis dominus est etiam Sabbathi.*

MATTH. *cap. 12. à vers. 1. ad 9.*

ILlo tempore ibat IESVS Sabbatho per sata: discipuli vero ipsius esuriebant, cœperuntque vellere spicas, & edere.

2 *Pharisæi vero quum* hoc *vidissent, dixerunt ei, Ecce, discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatho.*

3 *Ipse autem dixit eis, Non legistis quid fecerit David, quum esuriret ipse, & qui erant cum eo?*

4 *Quomodo introierit domum Dei, & panes propositi tios ederit, quibus vesci non erat ipsi licitum, neque iis qui cum eo erant, sed Sacerdotibus solis?*

5 *Aut non legistis in Lege, Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum profanare, & inculpabiles esse?*

6 *Dico autem vobis,* quendam *templo majorem hic esse.*

7 *Quod si nossetis quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium, non condemnassetis inculpabiles.*

8 *Nam Dominus est etiam Sabbathi Filius hominis.*

MARC. *cap. 2. vers. 27.*

27 *Dixit etiam eis, Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum.*

ANALYSIS.

PRoponitur discipulorum Christi spicarum vellicatio & confirmatio; ubi primum notatur adjunctum tempus, nempe ex duobus sabbathis, quæ tribus solennibus festis ex lege præscripta sunt posterius: deinde describitur subjecto loci, nempe inter sata, 3. alio adjuncto temporis, nempe dum iter faciebat.

Vers. 2. Hujus vellicationis effectum est Pharisæorum accusatio; quæ arguitur ab adjuncta impietate; quæ arguitur ab adjuncto tempore, Sabbathi.

Vers. 3, 4, 5. Cujus criminationis effectum est defensio Christi: quæ quadruplex est, 1. à pari, scilicet à *Davidis* & comitantium esu panum propositionis, cum esurierint, qui ex instituto divino absque necessitatis dispensatione solis Sacerdotibus

licitus erat: cui adjungitur apodosis, scilicet, ita etiam discipulis meis spicas vellere, confricare, & comedere licet, cum ipse dominus sum Sabbathi.

MATTH.12,5,6. Secunda à majori, scilicet à Sacerdotum in Sabbatho sacrificiorum mactatione, ob templi dignitatem licita, quæ alioqui esset Sabbathi prophanatio: cui annectitur apodosis, scilicet, ita ministris ob illorum inediam, cultum quem alioqui præstare non possunt, quæ injuste reprehenduntur, agere licet; quæ utraque a testimonio divino confirmantur.

*Vers.*7. Tertia ab expresso testimonio divino, una cum in Pharisæos aspersa increpatione ignorantiæ, & censuræ temeræ.

MARC.2,27. Quarta à fine Sabbathi generali, scilicet propter hominem, qui amplificatur à non contrario.

METAPHRASIS.

1. *FActum est Sabbatho maxime solenni, in quo cum ordinario cujusque hebdomadis Sabbatho aliud concidebat, puta novilunium, aut ex tribus solemnitatibus unum: ut Christo per sata iter faciente, ejus discipuli fame pressi spicas vellicantes & decerpentes, easdem manibus, ut excussa grana comederent,*
2. *confricarent. Quam calumniandi occasionem ex Pharisæis quidam avide arripientes, illos ad hunc modum adorti sunt. Quamobrem cum spicas vellicando, tum illas confricando, quod Sabbatho facere non licet, facitis? Quorum ora Iesus, discipulorũ causam propugnans,*
3. *hoc modo obstruit: Aut perquam ignavos vos & oscitantes esse oportet, si nunquam quid* David *& ejus satellites famelici fecerint, legistis, aut si legistis, hebetes & bardos, qui non intelligitis, aut certe malevolos & pervicaces, si reclamante conscientia meis his discipulis obstre-*
4. *pitis. Palam enim est illum negotia Saulis (ut ipse dicebat) procurantem, medianum templum, quod Sacerdotibus modo ingredi lege concessum est, intrasse, & panes qui 12 tribus jugiter, & in Dei oculis, & assidua cura esse adumbrabant, comedisse, quos omnibus præterquam Sacerdotibus, interdictos esse constat. Nec comedit ipse tantum (cui quod Propheta esset aliquid singulare indulgeri posse videatur) sed suis satellitibus eosdem comedendos distribuebat: ut minus mirum videri debeat, si mei discipuli in negotio meo, & Patris mei cœlestis occupati, ex eo ad sedandum famem vescantur, quod omnibus etiam à Republica Dei alienis comedere concessum est.*

5. *Adjecit porro, se filium hominis (quoad spiritum & divinitatem) Dominum Sabbathi, in Sabbathum jus habere: eoque suis etiam qui*

MATT. 12,5. *sibi in Ministerio suo deserviunt, servire oportere. Maxime vero perquam ignavos vos & oscitantes esse oportet, si in libris* Mosis *non legistis Sacerdotes Sabbatho, atque adeo in ipso templo, ubi sanctissima & accuratissima Sabbathi observatio præcipitur, opere in sacrificiis parandis faciundo, à Sabbathi exquisita cessatione deflectentes, reos tamen violati Sabbathi ob eam causam non fuisse, quia cultui in templo instituto, inservierunt. Confirmo au-* 6.
tem vobis me qui hic sum, & cui hi inserviunt quos vos incusatis, templo infinitis parasangis & sanctiorem & augustiorem esse; ne alienum videatur illos adversus Sabbathi exquisitam cessationem aliquid admisisse, ut mihi inserviant. Quod si (quod intelligere obvium est, nisi vos malitia obcæcasset) cognovissetis quid ponderis habet illa Prophetæ sententia; misericordiam in proximum omni- 7.
bus ceremoniis præfero: hos meos, qua parte incusatis innoxios discipulos non condemnasse-
tis. Quid? quod Sabbathum non mihi tantum MARC.
tanquam ejus Domino & legislatori, sed in u- 2,27.
niversum omnibus piis, quorum gratia sancitum est, inservire usque eo debet, quoad ejus violatione, præstantioribus & naturæ legi conjunctioribus mandatis, obsequium præstatur. In quo genere est, sanitatem alioqui inedia labefactandum necessario pastu tueri & conservare.

PRAXIS.

CHristi discipuli ob decerptas & confricatas sabbatho spicas à Pharisæis accusati, à Christo defenduntur.

Cujus partes sunt,
- Pharisæorum adversus Christi discipulos accusatio, &
- Christi pro suis discipulis apologia seu ἀπολογία.

Quod spicas in alieno agro legebant, ex lege *Deut.*23,24,25. concessum est prætereuntibus, quoad fami urgenti & prementi quis in præsentiarum consulere vellet. Neque vero ob id accusantur, quod iter facerent sabbatho; nam apparet *Act.* 1,12. iter quoddam sabbathi duorum circiter millium permissum esse ecclesiasticis legibus. Quamobrẽ accusatio ex ea parte instituta est, non quod spicas in alieno agro carpebant; sed quod illud Sabbatho fecerint, quod idcirco δευτερόπρωτον vocare mihi videtur, quod in ordinarium singulo septimo die Sabbathum, festum aliud concideret, unde veluti duplex Sabbathum exstitit. Quies vero Sabbathi ordinarii religiosissima lege constituta est, *Exod.*16,23,*ad* 26.& 35,2,3. qua fas cuiquam non erat ea parare, quibus vescerentur, cum cætero-

Vers.1,2. *Accusatio Pharis. ob Sabbathi violationem.*

cæteroquin aliis quantumvis celeberrimis festis ita quies ab operibus imperata lege est, ut parare cibum quo vescerentur, non interdiceretur. Quod proculdubio ceremoniale, cujus rationem alibi vide in 4 *mandato*. Hinc Pharisæi proculdubio criminandi ansam arripuerunt. Ex quo liquet quam perverse fiat, cum festa ab hominibus instituta, non modo æquantur Sabbatho, sed illi etiam præferuntur; cum nulla festa, ne à Deo quidem instituta, tam religiose ut Sabbathum colebantur.

Christi defensio in necessitate fundata, Videmus lege non esse permissum lectulum humeris ferre, non sarmenta paucula colligere. Hoc loco vero apparet, ne spicas quidem vellere, aut confricare fas fuisse. Nam ita Christus suos defendit, ut Sabbathum hoc modo violatum non inficietur; nisi gravior aliqua causa suffuisset, nempe fames, qua urgebantur, sicut diserte à *Matthæo* exprimitur. Ex quibus illud efficitur, Deum, quo populum in suo cultu penitus occupatum teneret, nihil illo die fieri voluisse, nisi quod esset summe necessarium, ita ut si pridie Sabbathi se in posterum diem vestire & ornare, si jumenta curare & adaquare, si quod valetudinem tueretur, comedere potuissent, nihil eorum Sabbatho fecissent. Quomodo vero hoc ab illis observatur, qui pleraque, quæ diebus profestis fieri debebant, in hunc diem rejiciunt: plus scribunt literarum & rationum, plus dormiunt, plus edunt & bibunt, plus ludunt qua aliis diebus? Tametsi vero nexus hic legalis aliquantum remittatur; tamen quies ab initio mundi, & quidẽ ante casum instituta, nullo modo tollitur. Tametsi enim nobis, quod eo die comedamus, coquere & parare concessum sit; tamen ut tam laute epulemur, quo servi & ancillæ omnes domi occupentur, non conceditur, ut mensæ & vino ita assideamus, ut ipsi ad alterutram concionem non veniant, non datur. Sciant vero nisi mature resipiscant, se olim hac de re in judicium adductos iri, ubi cum Christum patronum & Advocatum non sunt habituri, sicut olim discipuli, gravissimas mortis æternæ pœnas ipsos dare necessum est; & æterna quiete excident, qui hanc quietem parvi ducunt, & nec ipsi observant, nec alios ut servent, patiuntur.

Vers. 3, &c. *idque comparatione* Defensionis primum argumentũ à comparatione majoris: comparatur enim David in Saulis (ut ipse dicebat) negotio, cum Christo, qui in Patris negotio versabatur: Davidis comitatus cum Christi discipulis, *cum facto Davidis:* horum fames, cum illorum esurie, denique horum manducatio, quæ his circumstantiis vetita erat, cum in domum Dei ingressu, & ex panibus propositionis esu, quod illis lege permissum non erat, nisi solis Sacerdotibus. Cum igitur exploratum sit, & perceptum hoc à Davide, & à suis legitime factum esse, & Dei oraculo comprobatum 1 *Samuel*. 21, *vers*. 6. Sequitur etiam meos discipulos damnari non posse, qui fame pressi spicas vel avulserunt, & illas confricarunt.

quidnam panes facierum designarint? Quod panes facierum duodecim tribus semper in oculis Dei esse repræsentabant, cum singularem consolationem, & simul admonitionem habet; consolationem, quod suorum assiduam curam agat, & quod alibi in lege dicitur, Deum suum oculum defixum habere in suos ab initio anni ad finem usque: admonitionem vero, ut nos in omnibus cogitatis, dictis & factis coram Deo sistamus, nihil ut suscipiamus, cujus illum testem & inspectorem esse nollemus; quod eos convincit, qui pleraque tecta faciunt, quorum vel homines arbitros esse nollent.

quos David ex necessitate comedit; *Marcus* vero hypothesin ad thesin revocat, cum dicit Davidem, & ministros ejus hoc fecisse necessitate ursos: unde illud non obscure indicat, externam Sabbathi quietem violari posse, si necessitas urgeat: excludens hac defensione eos omnes, qui animi sui causa, & vel ut suis, vel aliorum cupiditatibus pareant, Sabbathum violant. Sed hic tamen cavendum est, ne necessitatis vocem ultra modum extendamus, & capaciore significatione, quam veritas patitur. Nihil enim usitatius est, quam necessitatem obtendere & opponere, quando quis positos hujus diei cancellos transiliit. Vide *Luc*.14,18. Alii enim dicunt necesse habere se ut violent, quod alteri iter suscipere promiserunt: cum & quod promissa faciant, & quod facta præstent, perverse faciant. Alius quod alioqui lucello excidat, cum lucri occasionem arripere non ideo conceditur, quia rerum partarum conservandi causa quietem Sabbathi violare concedatur. Quemadmodum enim Deus septimo die nullum novum opus sibi acquisivit, sed tantum creata & veluti parta conservavit; sic nobis parta tueri, alia & nova parare non itidem conceditur. Hæc autem & hujusmodi necessitas, non nascitur ex rebus ipsis, sed ex incitatis & inflammatis hominum cupiditatibus, quæ homines arcte constringunt, eosque captivos abducunt.

Hoc autem loco periculum vel vitæ, vel valetudinis imminebat.

quænam sit talis vera necessitas? Deinde etiam considerandum est, quomodo quis ad necessitatem hujusmodi deveniat. Nam si discipuli aut venando Sabbatho, aut hujusmodi aliquo exercitio hanc famam contraxissent, certe illos innoxios Christus non pronunciasset, utcumque famem eos frangere hoc modo permisisset: contraxerunt enim hanc famem Christum sequendo, & David fuga sibi & vitæ suæ consulendo. Quod propter eos notandum est, quibus fieri potest, ut tale aliquando negotium Sabbatho faciendum occurrat, cujus causa Sabbathum sit violandum; cum tamen illud ejus vitio fiat, qui Sabbathum violavit, quod scilicet negotium suo & proprio tempore non fecerit, sed in tantas angustias seipsum conjicit, ut non nisi Sabbathi violatione illinc se explicare norit.

cur discipuli in eam adacti? Notandum discipulos Christi in ipsius cultu & observantia, quandoque gravissime premi, sed non opprimi tamen. Nec vero hoc Christi negligentiæ, aut incuriæ tribuendum est: noverat enim Christus, & præstiterat hoc subsidium illis laborantibus promptum & paratum iri: sic Paulus 2 *Cor.* 11, 27. Deinde etiam quod laborantibus tam abjectum, & tenue remedium succurrit, ut si nobis aliquid hujusmodi occurrat, æque & patienter feramus.

Quomodo hoc ab Abjath. factum? Notandum etiam, quod ad Scripturas eos relegat. Quæstio hoc loco excitatur; quomodo hoc ab Abiathare factum sit, cum historia Achimeleci patris tantum mentionem faciat, de qua vide quæ annotata sunt alibi; quanquam *Iansenii* sententia mihi hoc loco non displicet. vide *pag.* 252. *in origin.*

& comitatus cum Davide mentio? Altera difficultas est, quod historia nullius comitatus mentionem facit, potius contra negat aliquem cum Davide fuisse. Nam si excipiatur eum ex historia petiisse, ut panes servis præberentur, quos certo loco reliquerat, responderi potest illud à Davide confictum esse: nam solus à Ionathane discessisse, & solus ad Achyhum venisse videtur. Responderi igitur posset, oraculum & Sacerdotem ex oraculo panes proposititii non tantum Davidi, sed & ejus servis sanctorum panum usum permisisse, quod satis est ad tuendam hanc causam, tametsi Davidis servi ex illis non vescerentur. Sed obstat quod diserte dicitur apud *Lucam*, eos, qui cum Davide erant, esuriisse, & Davidem illis panes distribuisse. Quamobrem prior sententia mihi placet, Davidem scilicet nihil in eo mentitum, quod dixerat se sui conveniendi servis locum designasse.

Secundum argumentum est à comparatione majoris; si enim Sacerdotes, ut templo deserviant, & ritus & cultus templi obeant, sacrificia mactent, pellibus exuant, ligna instruant, ignem accendant, intestina lavent, quæ omnia sunt operosa & laboriosa: nedum discipuli hoc jure faciant Christo deservientes. Nam discipulis Christi liberius erat Sabbathum solvere, quam Sacerdotibus, qui cæteris omnibus religiosius Sabbathum colere debebant, & Christo, qui templo major erat, & ipsius templi veritas, magis vacandum erat quam templo: vel discipuli Deo potius in Christo operari debebant, quam Sacerdotes Deo in templo operam navare. *MATTH. 12. Vers. 5, 6. Discipuli hic sine culpa, cum Sacerd. templo deservire licuerit,*

Quod si templi sanctitas & cultus in templo perficiendus Sacerdotes innoxios constituat, quanto magis Christi sanctitas, & cultus ei deferendus discipulos absolvat. Quo docemur Dei gloriam, si illi Sabbatho operam demus, nos culpa eximere. Inde est ut claudus *Ioh.* 5. grabbatum ferendo culpa caruerit; sic hi, qui iter faciunt ut concionem habeant: sic olim Machabæi, pro gloria Dei sabbatho depugnantes, & pro Ecclesiæ incolumitate. *cujus sanctitati Christi major:*

Hoc patrocinio quomodo uti possunt, qui concionibus & Cœna Sacra se subducunt, non video: contra vero gloriæ Dei detrahunt qui ab illa, ob mundanas occupationes, abstinent. Et tamen non desunt, qui se hoc studio Dei gloriæ facere jactitent, ne scilicet conscientiam lædant suam, dum irritati ad Cœnam Dominicam accedunt. *hinc à Cœna se non subducendum.*

Alio argumento utitur minoris; in quo *sacrificii* nomine synecdochicως complectitur omnes ceremonias, eoque ipso Sabbathum, quod in externo ritu & cultu versatur. *Misericordia* vero, ut alienæ calamitatis commiseratione & συμπάθειαν in universum significat; ita hoc loco ad discipulorum, ex præsenti fame, συμπάθειαν refertur. Quãobrem Pharisæos Christus reos peragit, quod majorem rationem ceremoniæ sabbathi, tanquam sacrificii, quam præstandæ discipulis suis misericordiæ haberent. Cum enim sacrificii causa, sicut superius dictum est, sabbathum impune violatur, multo magis rei præstantioris causa poterit, misericordiæ causa. *Vers. 7. Etiam discip. innoxii quod misericordiam exercuerint;*

Hanc vero rationem adversus Pharisæos *ideoque in-*

adhuc

insontes hi non damnandi;

adhuc exaggerat, altero minoris argumento: quod non tantum misericordia adversus eos commoti non sunt, sed etiam insontes damnarint, & calamitatem calamitati addiderint. Hinc discimus quam grata res Deo sit misericordia & commiseratio alienæ miseriæ, cum illam sacrificio præferat. Vide *Matth.*5,7. 1 *Cor.*13,1,2,3. nihil sine charitate prodest, quæ est misericordiæ parens: imo obest etiam plurimum, ut *Esa.*1. 15. Quamobrem si tam assidui simus in concione, ut olim Anna illa celeberrima, quæ nunquam fere à templo recessit, si aures nostræ ad portam Ecclesiæ fixæ essent, si genua nostra sua flexione callum, instar poplitum Camelorum contraherent, si oculi nostri, eos versus cœlum attollendo, deficerent; si tamen misericordiæ & commiserationis inanes essemus, insignes plane hypocritæ essemus, & gravius nobis ipsis judicium consisceremus: non quod Dei cultus non prosit, aut non etiam proximi dilectioni præponatur, sed quod hoc modo declaratur, specie pietatis nos potius quam vera pietate delectari.

cum de fratribus ex charitate judicandum.

Deinde charitatis & misericordiæ indicium est, si quis de fratribus sobrie & benevole judicat, sicut charitatis summam in Pharisæis inopiam arguit, quod discipulos Christi temere condemnarent. Illis male est qui suspicionis causam præbent. Qui igitur, ubi nulla suspicionis causa subest, suspiciones adversus fratres animo admittunt, cum charitas suspiciosa non sit: qui ubi suspicionis causa subest, certum apud se de fratre judicium formant & fingunt, maxime vero qui temerarium de fratre judicium palam ferunt: hi se perexiguam charitatem habere declarant. Quod autem de Servatore Christo dicitur, eum non ex oculi visione, aut auris auditione, judicium laturum, id ad omnes pios transferendum est, eos præsertim, quibus judicandi partes commissæ sunt. Quemadmodum enim canibus venaticis vitio datur, si quis ex levi & frigido odore allatret, & latratu perstrepat; contra vero in laude ponitur, si non nisi pleno & vehementi odore sonum edat; sic & in hominibus, nisi re perspecta, judicare.

Quamobrem omnibus, juvenibus præsertim, danda opera est, ut suos affectus cingulo modestiæ, & temperantiæ, & justitiæ accingant; & ut se suis cancellis contineant, Deus cum primis comprecandus. Monentur autem judices, ut judiciis preces præmittant: quæ si publice impetrari nequeant, profuerit tamen plurimum, ut quisque hoc privatim in cubiculo faciat, antequam in curiam prodeat. Nec dubitandum, quin Deus, cujus judicium exercetur, æquitatem quærentibus affulgebit.

Marc 2, v.27.
In hoc facto etiam nulla culpa quod Sabbath. hominis causa institutum;

Alterum argumentum est ab adjuncto Sabbathi fine, quod apud *Marcum* argumento finis concluditur: quod Sabbathum hominis causa, non autem homo Sabbathi causa factus sit. Quod enim alterius causa factum est, illi rei deservire debet: cum igitur Sabbathum hominis causa constitutum est, apparet ad ejus incolumitatem referendum esse. Quod si igitur valetudini & incolumitati obsit Sabbathi quies à corporeis occupationibus, promptum est illam à nobis observari non oportere. Hinc est ut armis vim illatam propellere Sabbatho liceat: cujus ignoratio superstitiosis Iudæis olim nocuit plurimum. Atque hac sententia confirmatur prius exemplum, quo docebatur, hominum necessitate postulante, Sabbathi quietem interrumpi. Ex quo intelligitur nos mandatorum Dei dominos non esse. Vide *Iac.*4,11. Nec hinc sequitur, nobis, ut vitæ nostræ consulamus, licere mandata Dei æterna violare. Hinc conceditur, leges humanas multo magis ad civium commodum referendas esse, quandoquidem leges divinæ hominum incommoda respiciunt, & ad illa respiciant ii qui legibus & legum syllabis mordicus affixi sunt, nec hominum & civium utilitatem considerant potius, si ab æquitate & justitia discedunt, & cum Pharisæis iniquam sæpe de fratribus sententiam ferunt, & summum jus persequendo, summam injuriam faciunt. Quod si Dei leges politicæ non in universum constitui possent, quin aliquando exceptionem admittant, ut in Sabbatho, & in panibus propositionis visum est: quanto minus homines leges rogare possunt, quæ omni tempore, loco, & personis eundem æquitatis tenorem obtinebunt.

quare etiā leges humanæ ad civiū commodum referendæ:

Vers. 28. & ex Christi in Sabbath. principatu.

Postremum argumentum est ab adjuncto filii hominis in Sabbatum principatu, qui quidem in Christo initium sumens, ad omnes pios derivari posse videtur: utpote quorum causa, Sabbathum institutum; maxime cum *Marcus* ex superiore sententia hanc inferat: ejus enim quis dominus quodammodo est, quod ipsius usui inservit & ad illum refertur.

Quod autem *Matthæus* hanc sententiam superioris & antecedentis rationem constituat,

tuat, id ita intelligi debet, ut referatur ad illam clausulam, qua Christus suos injuste condemnatos fuisse confirmat. Tametsi etiam secundi argumenti confirmatio est, si Christi tantum persona consideretur. Ideo enim sequitur in Christi ministerio violari potuisse Sabbathum, quod ipse Sabbathi Dominus sit.

MARC. *cap.* 3. *à vers.* 1. *ad* 13.

ET introivit rursus in Synagogam: eratque illic quidam arefactam manum habens:
2 *Et observabant an Sabbatho sanaturus esset eum: ut ipsum accusarent.*
3 *Tunc ait homini habenti manum arefactam, Surge in medium.*
4 *Eis autem dixit, Licet Sabbatho benefacere, an malefacere* cuipiam? *hominem servare, aut trucidare? ipsi vero silebant.*
5 *Et quum circumspexisset eos cum ira, simul dolens quod occaluisset cor eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et* is *extendit: restitutaque est manus ejus sana ut altera.*
6 *Tunc egreßi Pharisæi, statim cum Herodianis consilium inierunt adversus eum, ut eum perderent.*
7 *Sed IESVS cum discipulis suis seceßit ad mare: & magna multitudo sequuta est eum à Galilæa, & à Iudæa.*
8 *Et Hierosolymis, & ab Idumæa, &* regione quæ est *trans Iordanem: & qui circa Tyrum ac Sidonem* habitabant, *magna multitudine, quum audissent quanta faceret, venerunt ad eum.*
9 *Ipse autem dixit discipulis suis ut navigiolum sibi semper adesset propter turbam, ne ipsum opprimerent.*
10 *Multos enim sanaverat, adeo ut inciderent in eum ut ipsum tangerent quotquot tenebantur flagellis.*
11 *Et Spiritus impuri quum eum conspexerant, accidebant ei* ad pedes, *& clamabant dicentes, Tu es Filius ille Dei.*
12 *Ipse vero multum interminabatur eis, ne ipsum manifestum facerent.*

MATTH. *cap.* 12. *à vers.* 9. *ad* 17.

9 *Et digressus illinc, venit in Synagogam eorum.*
10 *Et ecce, quidam* illic *erat manum habens aridam: & interrogarunt eum, dicentes, Licetne Sabbathis* quempiam *sanare? ut accusarent eum.*
11 *Ipse vero dixit eis, Quis erit ex vobis qui habeat ovem unam, &, si ea inciderit Sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat?*
12 *Quantum autem homo præstat ovi? Itaque licet Sabbathis benefacere.*
13 *Tunc dixit homini illi, Protende manum tuam. Et* is *extendit: estque restituta sana ut altera.*
14 *Pharisæi vero egreßi ceperunt consilium adversus eum, ut eum perderent.*
15 *IESVS autem quum* hoc *nosset, seceßit illinc, sequutaque est eum turba multa, sanavitque eos omnes.*
16 *Et interminatus est eis ne se manifestum facerent.*

LVC. *cap.* 6. *à vers.* 6. *ad* 12.

6 *Factum est vero etiam alio Sabbatho ut ipse ingrederetur in Synagogam, ac do-*

ac doceret. Erat autem ibi quidam cujus manus dextera erat arida.

7 *Observabant autem eum Scribæ ac Pharisæi an Sabbatho sanaturus esset* illum, *ut invenirent accusationem* adversus *eum.*

8 *At ipse norat cogitationes eorum : & dixit homini illi qui habebat manum aridam, Surge, & adsta in medio. Ille vero surgens, adstitit.*

9 *Dixit igitur eis IESVS, interrogabo vos quiddam, Licet Sabbathis benefacere, an malefacere* cuipiam? *hominem servare, an perdere?*

10 *Et quum eos omnes circumspexisset, ait homini, Extende manum tuam. Ille autem ita fecit : & restituta est manus ejus sana sicut altera.*

11 *Ipsi autem repleti sunt amentia : & colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent IESV.*

ANALYSIS.

MARC. 3, 1. Sanatio hominis proponitur in Sabbatho cujus manus exaruerat; cujus malum amplificatur apud *Lucam* à relato, dexteræ scilicet manus; quæ sanatio describitur à subjecto loci, viz. Synagoga, adjuncto tempore, Sabbathi.

Vers. 2. Item alio adjuncto, insidiosa observatione Pharisæorum & Scribarum; quæ suo fine declaratur, ut illum accusarent.

LVC. 6, 8. Hæc insidiosa observatio accusandi Christi causa describitur adjuncto Christi effecto, nempe cognitione qua illorum cogitationes & consilia percepta habuit.

MARC. 3, 3. Item alio effecto, Christi jussu ad hominem cui manus exaruerat, ut erectus pedibus in medio & coram consisteret.

Vers. 4. Item tertio effecto, nempe argumentatione, qua licere probat Sabbatho sanare, syllogismo disjuncto, quem sic instituit. Aut hominem curare sabbatho licet aut damnum illi inferre : sed damnum inferre fas non est; ergo licet sanare. Propositio exprimitur, assumptio & conclusio desunt; cujus argumentationis effectum est, pudendum Pharisæorum & Scribarum silentium, qui cum nihil quod responderent haberent, tamen veritati non cedunt.

Vers. 5. Hujus silentii effectum primum, circumspectio (ut videtur) si quis esset qui vellet respondere, 2. Ira Christi in eos, 3. Dolor, cujus cum iræ tum doloris causa assignatur Pharisæorum cordis durities, 4. Effectum mandatum ut homo sanaretur; quæ sanitas arguitur suo effecto, extensione manus, & amplificatur suo pari, nempe quod æque sana extitit atque sinistra.

LVC. 6, 11. Hujus sanationis effectum in Pharisæis & Scribis, &c. erat primum amentia, quæ suo adjuncto plenitudinis amplificatur : item aliud effectum, consiliorum agitatio quid Christo facturi essent.

MARC. 3, 6. Hujus consilii effectum erat, quod *Herodianos* sibi adjungendos censuerunt; quorum omnium consultantium effectum erat, sententia de ratione Christum interimendi.

Vers. 7, 8. Cujus consultationis & sententiæ effectum erat, Christi secessus ad mare; item effectum sanationis respectu populi erat, quod Christum sequebantur; qui Christi comitatus adjuncto multitudinis notatur, & quidem magnæ; quæ porro suo subjecto loco describitur 7, & 8. *vers.* Galilææ, Iudææ, Hierosolymæ, Idumææ transfluvialis, Tyro, Sydone.

Vers. 9. Hujus concursationis effectum est, mandatum Christi ad discipulos, ut sibi de navigio prospicerent; quod suo fine declaratur, ne à tam conferta populi turba comprimeretur.

Vers. 10. Alterum effectum, plurimorum sanatio; cujus sanationis effectum erat, irruptio multorum in Christum; quæ describitur suo subjecto, eis scilicet, qui plaga aliqua percussi à Deo sunt; & declaratur suo fine, ut eum tangerent.

Vers. 11. Alterum effectum sanationis, vel virtutis potius Christi in sanando erat, quod dæmones, qui hominum corpora occupabant, se ad pedes Christi advolvunt; item quod clamarunt, cujus clamoris forma subjicitur : Quod tu es Filius ille Dei.

Vers. 12. Cujus clamoris effectum est, interminatio & interdictum Christi, ut silerent; quæ interminatio amplificatur adjuncto vehementiæ, & declaratur suo fine, ne Christum manifestarent.

METAPHRASIS.

Iterum prædicandi Euangelii causa Synagogam ingressus est, quo se receperat vir MARC. 3, 1.
quidam, cui dextra manus exaruerat, hoc
consilio, ut sanitatem à Christo impetraret.
Observabant autem eum Scribæ & Pharisæi 2.
insidiose, an Sabbatho illum sanaturus erat, ut
Iesum violati Sabbathi accusarent. Iesus vero LVC. 6,
cordium, secundum divinam naturam, scruta- 8.
tor, homini arida manu detento edixit, ut assur-
gens erectis pedibus coram toto cœtu consiste-
ret; cum ut commiserationem moveret Scri-
bis & Pharisæis morbo confectum intuentibus,
tum vero ut sanationis miraculum mox eden-
dum ab omnibus ad Dei gloriam conspicere-
tur. His ita constitutis, sic adversus illos ar- MARC.
gumentationem instituit; Dicite, amabo, li- 3, 4.
cetne Sabbatho beneficio aliquem afficere aut
maleficio? propius accedam : licetne hominem
in vita servare aut interficere? Qui enim, cum
potestas ei sit, laborantem non servat, eundem
interficit? Scribæ autem & Pharisæi quod op-

ponerent non habentes, nec tamen veritati
cedere, & Deo gloriam dare volentes, siluerunt.
5. *Iesus autem oculos in illos circumferens, vultu*
irato sic eos intuitus est, ut interim ob cordis
eorum duritiem & obfirmationem condoleret.
LVC.6, *Viro autem cui manus exaruerat, dicit, ex-*
11. *tende manum tuam; quo verbo sanatus, ilico*
manum extendit, ut quæ erat non minus quam
MARC. *altera sanitati restituta. Pharisæi autem &*
3,6. *Scribæ hac re visa insano furore correpti sunt,*
& primum quidem secum ipsi sermones agi-
tabant quid Iesu facerent. Tum egressi Pha-
risæi consilia sua cum Herodianis, *id est, au-*
licis qui Herodi *assentabantur, communica-*
runt: initis autem consiliis in hanc omnes
7. *sententiam descenderunt, ut Iesum (quæ erat*
eorum amentia) quem vitæ authorem experti
8. *fuissent, interficerent. Iesus eorum furorem*
declinaturus, una cum discipulis ad mare se
recepit, quem magna turba sequuta est de
9. *partibus* Galilææ *& Iudææ. Item ab Hieroso-*
lymis, & ab Idumæa, & quæ trajectu Iordanis
habitant: denique quæ Tyrum & Sydonem
incolunt magna multitudo, qui omnes fama
eorum quæ Christus gesserat permoti ad illum
venerunt. Quæ turbæ infinitate conspecta,
discipulis edixit, ut sibi de navigio quod illum
10. *præstolaretur, prospicerent: hoc consilio, ne tur-*
bæ arctius compressus collideretur. Multos ete-
nim sanaverat, adeo ut in illum irruerent (ut
eum contrectarent) quotquot flagellis adeo
11. *immissis detenti sunt. Quin etiam tantum*
virtutis & potentiæ suæ specimen edidit, ut
immundi spiritus eo conspecto ad ejus pedes
provoluti, accederent, clamantes & magna
voce dicentes, quod tu es ille toties à lege &
12. *Prophetis decantatus, Filius Dei. At ille hoc*
illorum testimonium repudians, opido illis inter-
minatus est, ne se manifestum facerent. Matth.12, 16. *quod ipsum aliis quantumvis piis interdixit.*

PRAXIS.

CHristus sanata Sabbatho manu arida, in fugam actus, alia pleraque miracula sic edit, ut promissus comprobetur.

Cujus *partes* sunt, { Aridæ manus Sabbatho sanatio, & / Furori concedens alia miracula edit, quibus Messias ex Propheta comprobatur.

In *priore parte* considerantur argumenta { quodammodo, & absolute.

Argumentum *quodammodo* { Subjectum, & Adjunctum, } Doctrinæ, cui miraculum tanquam adjunctum annectitur. Vnde tot sunt sigilla doctrinæ Euangelii, tot testes, tot infallibiles notæ, quot sunt aut exstiterunt miracula.

Adjunctum { Spectatorum, & Christi.

In *spectatoribus* considerantur { Pharisæorum impietas, & Sanati obsequium.

Pharisæorum impietas in duobus potissimũ vertitur, in { Insidiosa Christi observatione, & Pertinacia obfirmata, qui aperte convicti veritati non cedunt.

Observationem insidiosam dico, quod animo Christi accusandi accedebant, ut illum scilicet laquearent, qui eos laqueis diaboli expedire venerat; vita illum privarent, qui vitæ optionem illis attulerat; ut ei fossam suffoderent, quod alium fossa hærentem extraheret. Non desunt autem hac ætate qui ideo ad concionem accedunt: nec vero multum interest quorsum accedant, nisi hoc animo illud faciant, ut in veritate instituti vitam suam ad agnitam veritatem exigant. Hi quidem perniciosissimi sunt, qui Doctori insidias struunt; sed & alii, qui à legitimo fine deflectunt. *Esa.*2, 2. *Tim.*3. Sicut enim qui scholam ventitat, quacunq; de causa hoc facit, si doctrinam excipiat, operam & oleum perdit: sic &c. Medicum enim aut Chirurgum nemo, nisi sanitatis causa, adit: perindeque est ut si famelicus quis mensæ assideret, non ut comedat, sed ut patremfamilias aut cæteros convivas aspiciat.

Vers. 1. &c. *Christi à Pharis. insidiosa observatio:*

In responsione Christus primum à genere ad speciem concludit, licere sanare Sabbatho; sicut apud *Marcum* & *Lucam* constat. Deinde à minore concludit licere, sicut *Matthæus* aperte docet. Quod autem ad prius argumentum attinet: tametsi videatur omni controversia carere, nec cuiquam dubium videri possit, quin Sabbatho benefaciendum sit; tamen etiam explicatione eget, & cum cautione & exceptione accipiendum est.

in Christi responsione quomodo Sabbatho benefaciendum?

Nam ut quisque artem, quam profitetur, exerceat, & opera sua conficiat; opus bonum est & sanctum, utpote à Deo studiose & sollicite præceptum. Hac igitur ratione videtur Christus omnia Sabbathi repagula perfringere, & Sabbathum diebus profestis exæquare, quibus nihil nisi bonum aggredi, aut instituere oportebat.

Sed intelligendum est, opus bonum non

unius

unius esse acceptionis; quandoque enim sumi pro opere bono, quod simpliciter tale est, & quod omnibus piis promiscue & sine exceptione competit, temporis, personæ, vel loci: quandoque vero pro bono opere, quod pro temporum, & personarum, & locorum discrimine, bonum est; non enim bonum opus est, ut aut omnes homines, aut omni tempore aut loco sutoriam exerceant, quamvis ars ipsa bona sit in se non mala. Sed Deum colere, proximum juvare &c. omni tempore. Prior acceptio huic loco convenit. Hinc est, ut ægrotum & vulneratum sanare, ægrotos & captivos invisere, concessum sit Sabbatho. Sicut enim Deus Sabbatho perfectum à se opus tuetur; ita etiam nobis ad universitatis, maxime hominis, conservationem Ministris uti vult. Non enim hac in re Deo ministerium nostrum præbere, est Dei providentiam, quoad in nobis est, convellere.

& qui proximo non benefacit illi malefacere,

Hoc argumentum amplificat alio distributionis. Aut enim benefacere, aut malefacere, vitam servare, aut eam perdere concessum est. Nihil enim est tertium, aut medium. Posterius falsum, atque adeo absurdum est; prius igitur verum. In quo illud perspicitur, eum, qui non, cum potest, proximo benefacit, illi malefacere, & vitæ periclitanti non opitulantem, eundem interficere. Quod quidem ex Analogia mandati de non patrando homicidium desumitur. Nam prohibendo, ne quis alteri in vita damnum afferat, simul hoc ipso mandatur, ut ejus tuendæ curam agat. Ex quo illud liquet plures esse in mundo homicidas, quam qui hoc nomine vocantur; qui scilicet fratrem opprimit, expilat, usura mordet, qui esurienti panem non porrigit, qui in fratrem inclementia utitur. Sicut enim Advocatus, qui causam clientis non defendit eum prodit: sic quicumque non servat, cum possit, perdere censetur.

etiam majorem rationem brutorum haberi quã charitatis in fratres.

Alterum ex *Matth.* comparationis argumentum: hominem ovi, morbum, quo laborat, fossæ aut scobi, comparat; si igitur ovem Sabbatho extrahere, multo magis hominem, qui multo præstantior est, licet: prius autem, propria confessione Pharisæorum, verum est; & posterius igitur. vide *Luc.cap.*15. Ex quo ut crassam Pharisæorum inscitiam, ita charitatis nostræ inopiam colligere promptum est; qui majorem rationem sæpe brutarum pecudum, etiam canum habemus, quam hominum, imo vero fratrum: pecudibus enim, aut canibus laborantibus succurrimus, cum homines, quos pecunia aut opera juvare possumus, auxilio nostro destituimus. Cujus quæ alia ratio assignari potest, quam quod pecudes nostras ducentes, homines, & quidem fratres, ad nos non pertinere existimemus? qui tamen nobis conjunctissimi sunt. Nam sive infinitam illam cognationem consideremus, quæ est, quod omnes ab uno parente originẽ traximus, sive interiorem hanc, quæ in Christo est, caro nostra sunt. Ad hoc examen tanquam ad βάσανον revocata charitas nostra, facile apparebit an germana aut fucata, hac statera appensa, quam levis aut gravis sit facile liquebit.

Pertinacia Pharis. quod veritatem noluerint agnoscere;

Alterum pertinaciæ adjunctum ex Christi responso declaratur: cui tametsi cum verissimo tum apertissimo, cum nequaquam obsistere, aut illud refellere potuerant, Pharisæi veritatem tamen agnoscere, & Deo gloriam dare noluerunt. Dicitur enim Pharisæos siluisse, tanquam qui nihil quod oggerant aut opponant habentes; cum tamen reipsa non acquiescerent, sed omnem Christum opprimendi occasionem quærerent; quod quidem deploratæ cujusdam, & perditæ insaniæ est. *Stultum enim tametsi contuderis mortario, adhibito pistillo, non tamen recedit ab eo stultitia. Proverb.* 27, 22. E vase quidem fusorio argentum, catino vero aurum purgatur, & cæteris cætera. Similes sunt aspidi, qui nullis vel peritissimis incantationibus aures aperire velit; tales sunt, qui priusquam concionem accedant, cum animis suis penitus cõstituunt, se suis cupiditatibus obsequuturos, quicquid contra dicatur. Quam ad rem juvat meminisse, quod *Lucas* notat, Christum eorum corda cognovisse.

Vers. 5. *quæ ex Christi irato vultu exaggeratur,*

Hanc pertinaciam exaggerat, primum ab adjuncto, irato Christi vultu: nec enim non aliorum scelus esse potuit, ob quod Christus excanduit. De Mose dicebatur eum mansuetissimum in terris hominem fuisse, & qui non, nisi gravissima causa, commotior unquam fuit, *Num.*12, 3. sed Christus, cujus Moses typus tantum erat, eum multis partibus superavit; ut non sine causa Spiritus similitudine columbæ in eum descendisse dicatur. Nec tantum sacrificii, sed & mansuetudinis ratione agnus dici potuit seu ovis, quæ coram tondente se os non aperuit. Vnde male sæpe acceptus ab alienis, parum honorifice à suis tractatus, nunquam

tamen, quod memini, irato aut torvo vultu aliquem aspexit; ut prodigiosam nequitiam esse oportuerit, qua ita efferbuit. His igitur, qui obfirmato in suis vitiis animo sunt, metum incutere debet, quo Dei Filium in se iratum habent, cujus vultum iratum, si jam intueri illis oculis concederetur, parum abesset ut illos exanimes non redderet, & in summam difficultatem conjiceret. Vide *Apoc.6,16.* ubi impii desperabundi quærunt, quo se ab irata agni facie reciperent. Osculemur igitur Filium, ne in nos excandescat. *Psal.2,12.*

isque ob cordis eorum duritiem auctus. Auget etiam pertinaciam altero doloris Christi adjuncto, ob cordis eorum duritiem. Nec enim tantum iratus est, sed cum ira simul dolorem conjunxit. Molestum enim habebat Christum, & tenerrimum ejus cor pepulit, quod illos videret tam perverse animatos esse, ut nullum pœnitudinis, eoque salutis, sibi sonum relinquerent. Sicut enim singulari lætitia afficitur, ex electorum salute *Luc.15.* & resipiscentia: ita ex impiorum interitu acerrimum dolorem accipit, & pungitur; eoque lachrymas Ierosolymæ causa profudit; & Iudæ perditio, inter acerbissimos ejus in passione cruciatus, numeratur apud *Iohannem.* Quanquam autem non amplius detur Filium Dei contristare; tamen SpiritumSanctum mœrore afficere dicuntur *Eph.4,30.* quotquot ipsius instructionibus & dictatis obsistunt, sive in seipsis, sive in aliis: parumne vero existimant homines tristitia & mœrore afficere, nisi & Deum ipsum mœrore perfundant? *Esa.7,13.*

Sanati obsequium in manus extensione, In sanato notandum est, promptum & paratum obsequium Christi mandatis: priore quidem, ut è media concione assurgens erectus staret, quo & conspectus misericordiam commoveret, & quo ejus esset ab omnibus conspectior curatio: posteriore vero, dum manum extendendo sanitatem se a Christo accepisse testaretur. Hoc obsequium tanto illustrius erat, quo non sine Procerum offensione hoc factum sit. Intelligebat enim satis, se Principum offensionem incursurum, si Sabbatho sanationem ulla suæ voluntatis testificatione adipisceretur. Cum vero ille Principum gratiam neglexit, ut unius duntaxat manus momentaneam salutem consequeretur, quanto magis nos hoc ipsum faciamus, ut totius cum corporis, tum animæ æternam salutem recuperemus? Sumus enim natura mortua & arida quædam sarmenta, igni apta & accommodata. Quod si ille unius manus sanitatem adipisci non potuit, ni collectam apud homines gratiam effundere & præterire vellet: mirum certe nobis videri non debet, si corporis & animæ nunquam perituram salutem, non nisi hominum malevolentia & offensione obtinemus.

quo ipso momento jam erat restituta. Christi ipsius adjunctum est, ipsius admirabilis potentia, qui voluntate & verbo hominem sanavit. Simul enim atque hominem manum suam extendere jusserat, statim contracti nervi ad pristinum vigorem redierunt; alioquin enim aridam manum, & contractis nervis rigidam, & motus expertem non potuerat porrigere. Vnde quæ sequuntur, tanquam causam annexam esse existimo: tanquam diceret, manum porrexit; nam erat illi, ut altera manus, in pristinam sanitatem restituta. Nec minorem Verbi efficaciam, in nobis spiritualiter restituendis, sentiemus, modo ejus verbo credamus, nosque ex fide ei in obsequium tradamus. Nec vero tantum pristinæ saluti & dignitati (ut in his sanationibus factum est) sed multo præstantiori restituemur. *Rom.5. ult.* Hoc enim modo, non modo salus nostra certa & immobilis manet, sed etiam Filii Dei cohæredes efficimur; & in eo Angelis etiam ipsis beatis præponimur: quod membra Christi, qui Deus est, sumus, caro ex carne ejus, os ex ossibus ejus.

Vers. 6. Pharis. impietas consilium contra Christũ captantes, Sequitur alter locus hujus miraculi, ex absolute argumento effectis, scilicet insigni insania, quæ illos, ad consilia contra Christum ineunda, cum Herodianis adegit. In quo execranda eorum impietas se prodit, qui ex melle sanæ Christi doctrinæ, & admirabilis ejus potentiæ, insaniæ virus collegerunt; & inde, unde stultitiam suam corrigere debuissent, à stultitia in insaniam prolapsi sunt. Sed ita plane fit, ut qui ex Verbi præconio, & veritatis lumine non proficiunt, in deterius præcipitentur. Vivus enim est Dei sermo, & penetrante gladio percutiens, & pertingens usque ad animæ commissuram.

in quo Verbi operationes diversæ: Quamobrem quos non illuminat, eos cæcat; quibus aures non aperit, eos surdiores reddit; quos ad sapientiam non erudit, eos ad amentiam detrudit; quos non emollit, obdurat; quos non flectit, frangit. *Esa. cap.6,9,10.* Nec enim in hoc cibo fit, quod in aliis usu venire potest; ut homines eo pasti nec pinguescant, nec macrescant, sed eandem corporis habitudinem tueantur; neque ut

queut in itineribus, ubi nec progredi, nec regredi, sed uno loco quiescere datur: sed potius ut lumen aut fulgor, qui si oculos non illustret, eos perstringit.

hæc amentia major quod cum aliis conjurent, Ex hoc amentiæ effectu pullulat & subnascitur aliud, consilium cum Herodianis adversus Christum. In eo autem, præter summam impietatem, singularis amentia conspicitur: quod adversus Christum consilia captent, quo eum morti traderent, quem cum multis miraculis didicissent infinitæ & potentiæ & sapientiæ esse, extremæ dementiæ fuit adversus vitam ejus conjurare: qui furor à Propheta arguitur *Ps.*2,1. Quamvis enim Christum tandem ad mortem detruserunt; tamen hoc non secus fecissent, nisi Dominus ipse sui potestatem illis permisisset.

præsertim cum Herodian. Christo infensis. Deinde quod cum Herodianis, seu Herodis studiosis & sectatoribus, seu servis capita sua conferunt, iterum eos amentiæ reos peragit; & ut qui cum periculosissimo eorum ipsorum hoste consilia inirent, quod nemo mentis compos fecerit. Nam Messiam, quem illi tantopere expetebant, Herodes hoc ipso dubio procul potissimum adversabatur, quo de Iudæi, & cumprimis Pharisæi, maxime eum expetebant, scilicet quod regum terrenorum more hic regnaturum sibi apud se confinxerunt, ut in altero Herode Iudææ Rege perspectum est. Herodes autem hic videtur fuisse non Rex Iudææ, qui mortuus est, sed Tetrarcha Galilææ: cum cujus aulicis ideo videntur consilia iniisse contra Christum capitalia, quia Christus ad ejus ditionem spectabat. Sic videmus mundi sapientes dementari, dum se Christo opponunt, & veritati Euangelii; perdit enim sapientiam sapientum, &c.

Huc accedit singularis amentiæ aliud specimen; ut qui sibi licere putant Sabbatho consilia perdendi Christum inire, cum Christo hominem servare non licere existimarent.

Sequitur pars altera, cujus *partes* { Fuga Christi, & Fugæ adjunctum.

Vers. 7, &c. *Ex fuga Christi ejus exinanitio;* In fuga proponitur nobis Christi exinanitionis pars aliqua, quæ *Phil.*2,5. declaratur. Nec enim ideo fuga sibi consuluit, quod spiritus ei deesset, aut magnanimitas, qua plenum fuisse post suo tempore docuit; nec vero ut se ad illud tempus reservaret, necesse habuit furori eorum concedere. Poterat enim uno verbo eis vitam eripere, poterat frænum timoris illis injicere, ne se contra illum commoverent, quo ora leonum obligat & capistro constringit. Sed maluit potius infirmitatis humanæ, quam induerat, vestigia imprimere, ut se nobis (peccato excepto) similem comprobaret, & nobis, consimili casu, idem faciendi exemplum relinqueret. Sicut igitur paulo ante, in iræ & doloris affectibus, humanitatis suæ; sic hoc loco cum humanitatis, tum humanæ imbecillitatis veritatem comprobavit.

Ex *Marco* autem plenius docetur, quod fit hujus fugæ adjunctum, qui infinitam multitudinem ex variis oris & regionibus, quas expresse notat, illum insequutam narrat. *ea ob turbam insequentem facta,* Quanquam Pharisæi id agebant, ut omnes a sequendo Christo absterrerent; tamen Dominus hoc illorum consilium irritum facit: nec irritum tantum hunc eorum nefarium conatum, sed in summe contrarium finem retorquet. Sic in Pharaonis persequutione factum legimus *Exod.* 2. sic in *Act.* nam dissipatio Hierosolymitana numerosam Ecclesiæ prolem peperit; ut plane stultum sit hominibus de opprimenda veritate, & exstinguendo Euangelii lumine cogitare: singuli enim quos imponunt ictus, totidem sunt virium additamenta: singuli flatus, quibus illud extinguere conantur, lumen accendunt magis: singulæ pestes, totidem sunt medicinæ; idemque illi usu venit, quod juglandi, quod camphiroe, quod thuri, quæ cæsa calcata & incensa proferunt magis.

Quam autem mercedem isti retulerunt, copiose docet *Marcus:* nam sanabantur, quibuscunque morbis aut calamitate detinebantur: qui tanto numero erant, ut in illum, contingendi & contrectandi eum causa, irruerent; hi cumprimis, qui dæmonibus correpti sunt, adeo ut coactus sit navem conscendere, ut suæ incolumitati consuleret. Vers. 10. *quæ à quocunque morbo sanabatur:*

Qua in re apparet Christum divitias gratiæ suæ illis exposuisse, & veluti thesauros aperuisse, ut plenis manibus redirent: quod certe his præsertim facere solet, qui eum à mundo contemptum & fugatum quærunt. *inde Christi gratia copiosa,* Sicut enim, cum quis amicos ad mensam excipit, omnia depromit, & illis exponit; sic persecutionis tempore, cum hypocritæ maxima parte excernuntur & ventilantur.

Potentia etiam immensa apparuit, quod dæmones etiam arcana ejus vi, tanquam hamo, usque eo adducebantur, ut ad pedes accederent, Vers. 11. *& potentia immensa*

quod dæmones ad pedes accederent. cederent, quo energumeni sanarentur; ante hac vidimus illos attractos esse ejus voluntate, tanquam catena plusquam chalybea, ut se coram sisterent, nunc etiam ut eum attingerent, & suis manibus quodammodo pro eo sanitatem prehenderent, quem cane pejus & angue odio habuerant, nempe eo, quem possidebant. Quod si attactu Christi virtutem ipsos sanandi attraxerunt, quanto hoc magis fiet in spirituali sanitate, ut à Christo vitam exsugamus; quandoquidem in idem cum illo corpus coalescimus, & illi tanquam taleæ insiti & infixi, cum illo penitus adunamur: omninoque certe opus est, ut salutem æternam ab illo consequamur, ut illi hoc pacto adunemur. Christum enim in gutture, in manu, aut ventre tenere non profuerit, nec aliquam ejus partem in nostram carnem, stomachi calore confectam & concoctam, conversam habere; sed totum Christum fide in cordibus possidere, & eum inhabitantem habere.

MATTH. *cap.* 12. *à vers.* 17. *ad* 22.

17 *Vt impleretur quod dictum erat per Esaiam Prophetam, dicentem,*

18 *Ecce servus ille meus, quem elegi: dilectus ille meus, in quo acquiescit anima mea: ponam Spiritum meum super eum, & judicium Gentibus annunciabit.*

19 *Non litigabit, neque clamitabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus.*

20 *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet: usque dum protulerit ad victoriam judicium:*

21 *Et in ejus nomine Gentes sperabunt.*

ANALYSIS.

Finem notat cur cum furorem Pharisæorum & *Herodianorum* declinavit, & simul cur a se sanatis silentium imperavit, nempe ut Prophetæ vaticinium impleretur.

*Vers.*18. Describitur Christus is esse, cui cum hæc declinatio & cessio, tum silentii præceptio aptissime conveniunt; primum ab adjuncta Dei servitute, deinde ab adjuncta electione, item delectione Dei: post à causa efficiente, collatione Sancti Spiritus in illum: deinde ab effecto, judicium Gentibus annuntiandi.

*Vers.*19. Item non contendendi, quod effectum refertur ad illud quod concessit eorum furori: præterea alio effecto non clamandi, neque vocem suam edendi in plateis; quod effectum respicit interminationem, ne illum manifestum facerent.

*Vers.*20. Denique alio effecto infirmis parcendi, in quibus aliqua vel minima spes est resipiscentiæ; quod duobus paribus illustratur, non frangendi quassatum calamum, non extinguendi linum fumigans; quæ effecta adjuncto tempore definiuntur, donec victoriam obtineat rectitudo & judicium, seu ordo vel ordinata gubernatio.

*Vers.*21. Denique describitur ab adjuncta in eum Gentium fide; vel finis esse possit omnium superiorum effectuum, ut Gentes in illo sperent.

METAPHRASIS.

17. *Quod hostium furori fuga arrepta concessit, & quod plerisque ne illustria ejus facinora evulgarent, præcepit: id hoc consilio fecit ut omnibus eum esse Messiam innotesceret, de quo Propheta, nominatim* Esaias, *in*
18. *hæc fere verba vaticinatus est. Ecce (quoad humanam naturam) servum meum, quem ego ut illum sustentem, assumsi, unice dilectum meum in quo penitus acquiesco: in hunc Spiritus mei dona confertim, & sine mensura conferam. Cujus quidem Spiritus fructus & effectus erunt, ut quod est rectum & bonum*
Gentibus annunciet. Viribus omnes vincendi 19.
qui se opponunt ministerio suo instructus, non contendet tamen, sed potius cedendo ictus declinabit, neque popularem auram, aut hominum acclamationes captabit, quas (tametsi
jure optimo debitas) aversabitur. Quod ideo 20.
facit, ne declaratæ subito majestatis suæ fulgore, homines imbecillos tanquam aut arundinem quassatam frangat, aut linum fumigans restinguat: quos porro consolidos & magis illuminantes reddere in votis habet. Quod usque eo faciet, quoad de piorum salute aut impiorum justa condemnatione judicium liqui-
do ferri possit. Quam in regni sui procuratione 21.
mansuetudinem ideo exercebit, ut ea attracta omnes nationes, ad illum fide & spe accurrant.

PRAXIS.

Eorum quæ Christo accidisse supra dicta sunt jam finem explicat; ut scilicet se Messiam esse declaret, & eum, de quo Prophetæ, nominatim *Esaias, cap.*42. *vers.*14. vaticinatus est.

Hæc vero sententia Prophetæ, non tantum ad proximam sententiam, sed ad totius hujus

hujus historiæ complexum & seriem, de restituta manu arida, referenda est:

In qua sententia notantur Christi { Vocatio, & Dona, quibus ornatur.

Plurimum autem interest, ut sciamus Christum ad hoc vocatum esse, ut nos servet. Inde enim constat eum hoc unice, & diligentissime procuraturum, eumque, qui aliis, ut in vocatione ambulent, autor est, multo magis hoc facturum.

Vers. 8. *Christus servus quod homo factus,* Primum vero *servum suum* Deus Christum vocat, quod carne humana sumpta se hoc pacto exinanivit; quoad enim humanitatem induit, creatura Dei est, eoque ipso servus. Hinc Apostolus *Phil.*2,7. docet ab eo formam servi assumptam, tametsi ipsorum Angelorum sit Dominus. His verbis notat Christi vocationem, quod eum servum suum Deus appellat, & ob eam causam à se missum & legatum. Ex quo discimus quam libenter, & æquo vel alacri animo cultum Deo præstare debemus, & nostra omnia officia illi deferre, cum Dei Filius hac in re nobis exemplo suo præivit; & cum ipsum in hoc opere socium habeamus, non tantum Angelos: perinde ac si Rex à subditis suis quid exigens, idem prius à suis Aulicis, atque adeo ab unico filio obeundum mandaret, ut mandati sui æquitatem comprobaret. Unde etiam liquido constat, eos juris filiorum Dei participes non futuros, qui servorum conditionem repudiant. Nam Christus, ut Dei Filius, ita & servus exstitit: qui igitur illi in servi subjectione communicare noluerint, hos filiationis (ut ita dicam) jure exclusos iri certum est.

isque à Deo vocatus; Quod additur Deum Christum *elegisse*, eodem spectat, ut vocationem ejus declaret: nam quod à Deo electus sit, facile intelligitur, eum non esse voluntarium Messiam, qui se huic honori ingessit, sed electionem Patris exspectasse. *Ei enim dictum est, tu es filius meus, ego hodie genui te, Psal.* 2,7. & *tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi. Heb.*5,10.

à cujus amore ab aliis discretus, Tertium epitheton *unice dilecti, & in quo Deus penitus acquiescit:* discrimen statuit inter Christum, & alios omnes; & illi certum & expressum characterem imprimit, quo à cæteris omnibus internoscatur: plures enim & servi, & electi ab initio mundi exstiterunt, & deinceps futuri sunt; sed qui sit Deo unice dilectus, & qui sit Dei delitiæ, nemo hominum aut Angelorum. Nam homines omnes sua natura & in seipsis, Deo abominabiles sunt; & Angeli in Christo & dilecti, & electi sunt. Solus Christus ex omnibus Dei servis, in se Deo charus.

ejus David figura, Quod autem de Davide dicitur, eum fuisse hominem ex Dei sententia: de eo, quoad Christi figura erat potius, quam de sua ipsius persona, enunciatur. Esse enim ex sententia, & voto Dei, & Dei animam eo oblectari, & Deum in eo penitus acquiescere, idem sonant. Plurimum vero nostrum interest, scire Patrem Christum chare complecti, & unice diligere; ut cum animos nostros subeat, nos in nobis ipsis, Deo exosos esse, nos ipsos à desperatione hac cogitatione contineamus: Christum, cujus nos membra sumus, & quicum unum sumus, Deo in summis amoribus esse. *hoc ipsum nobis maximo solatio.* Solatur enim illum, qui sibi regem infensum habet, quod fratrem, aut amicum habeat in aula regis, qui plurimum gratia apud regem valeat: quanto nos magis consolari debet, qui Christum, & fratrem, & amicum, & nobis penitus adjunctum habemus, qui hoc munus à Patre accepit, ut nos ei reconciliet? Cum igitur in unigenitum amor in nos defluat, qui ejus membra sumus; non est quod dubitemus, ne peccata nostra nos à Deo abalienent. Major enim est & arctior in Christo Dei erga nos charitas, quam ut possit ullis nostris peccatis in odium commutari.

Etiam ex Spir. uberrima collatione Christi ab aliis discrimen; Sequitur altera sententiæ pars de donis, quibus à Deo ad munus obeundum instructus est. Et priori quidem in loco γενικῶς, & universe rem indicat: deinde speciatim exsequitur. In priore vero Spiritus immissione & effusione, notari videtur conferta & constipata donorum Dei mensura, quæ in Christum collata est, *Ioh.*3,34. Non enim dicit se ex Spiritu suo effusurum in Christum, ut Lucas *Act.* 2, 4. cum de donis in membra collatis loquitur; sed ipsum spiritum, absque modo aut mensura. Alia hæc nota est, qua à cæteris Dei servis interstinguitur, præterquam quod quicquid rivulorum gratiæ Dei est, ab hoc fonte derivetur.

speciatim ab ejus scientia divina, Iam certas donorum species ab effectis enumerat; & primum quidem scientiam ejus, quod *judicium Gentibus annunciabit.* In quo intelligendum est Prophetam *Esa.*41,21, *ad* 24. diis Gentium omnem prædicendi, aut vera dicendi facultatem ademisse, idque ut omnem hanc facultatem ad Christum unum revocaret; qui solus norit judicium, seu quod

quod rectum & juſtum eſt proponere. Quod quidem Chriſtus cum in reliquo miniſterio, tum hoc ipſo tempore Euangelium prædicando, & propoſitam difficultatem diſſolvendo, præſtitit; & hodie etiam per fideles Miniſtros præſtat. Vnde illud liquet, in univerſo mundo, extra Chriſti & Euangelii cognitionem, nihil eſſe præter confuſionem, & rerum perturbationem.

Verſ. 19. & incredibili manſuetudine ac ſubmiſſione,

Quæ ſequuntur effecta, ex incredibili & memorabili ejus mãſuetudine & ſubmiſſione naſcuntur. In quibus primum, eum non litigaturum Propheta prædixit. Quod luculenter declaravit, cum Phariſæorum furori conceſſit. Quanquam enim ab illis laceſſitus, viribus, quibus illos omnes nutu perderet, inſtructus eſſet; tamen maluit fugam capeſſere, quam cum illis pugnam inire. Eoque ipſo ſe cumprimis à contentionibus remotum declaravit, quod viribus infinite ſuperior, pugnam detrectavit. Tam enim potuit illos Chriſtus opprimere, quam eſt facile viro fumigans ellychnium extinguere, aut quaſſatum calamum frangere. Sapientia enim quadam humana à pugna arcentur; & lite, qui viribus inferiores ſunt: & divina etiam ſapientia Salomonis idem nos docet, non eſſe cum fortiori in lite congrediendum. Sed in eo ſpiritus manſuetudo, & animus à litibus abhorrens demonſtratur evidentiſſime, ſi viribus valentior & cauſa ſuperior infirmiori locum faciat: ſicut contra inſigniter contentioſi nota eſt, ſi viribus & cauſa inferior, tamen ad pugnas & contentiones convolat. Hoc nos ſpiritu ad aliquem certe modum & menſuram imbui neceſſe eſt, ſi Chriſti vera membra ſumus. Qui igitur rixas amant, à Chriſti exemplo recedunt.

etiam inanis gloriæ contemptu;

Οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ &c. Hæc ambo ad unam eandemque virtutem retulerim, eum ſcilicet non eſſe inanis gloriæ cupidum, neque populi clamores aut applauſus ambire; imo fugere potius, ſicut, ſilentio miraculorum imperato, hoc loco conſtat. Apparet autem ex hoc loco, illud apud Prophetam non eſſe vertendum (*non attollit ſe*) ſed *non attollit vocem ſuam*; ut vox, quæ in ſequenti clauſula apponitur Zeugmaticos, pro frequenti Hebræorum more, aſciſcenda ſit, atque ita Propheta cum Euangeliſta ſumme conſentiat.

quod Verbi Miniſtris imitandũ.

Hæc item virtus piis omnibus, cumprimis Verbi Miniſtris, imitanda eſt. Qui igitur virtutes ſuas & res geſtas, tuba promulgari cupiunt, maxime vero, qui laudem, quam non ſunt commeriti, aucupantur, hos Chriſti ſpiritum non habere indicio eſt. Gloria enim, tanquam adeps, tota & integra Deo offerenda eſt, & ſpolia ducis ſunt, non militis; cujus ſolius vires & virtutes, ad victoriam reportandam conferuntur.

Verſ. 20. Hac Chriſti deprædicata mãſuetudine etiam minima fide præditi non pereunt;

Hujus manſuetudinis præſtantia ab effectis, & fine ornatur: effectum eſt, non perdere eum, in quo minima eſt, non ſolum pietatis præſentis, ſed futuræ ſignificatio; quæ ſimilitudine lini fumigantis, & quaſſati calami illuſtratur. Ellychnium enim, quod lucem non præfert, nec flammam, ſed tantum fumum emittit, homines nullo modo ferunt; deinde calamum, vel integrum ſua imbecillitate & infirmitate contemnunt, nedum quaſſatum. Chriſtus non item; ſed in quibus non tantum ulla virtus, ſed ſignificatio aliqua virtutis apparet, eis parcit, & eorum peccata præterit, nec illis ſe opponit. Hinc eſt, ut cum Phariſæis prælium non commiſerit, ne illos tanti ſceleris reos faceret: ut illis coruſcante miraculorum ſuorum fulgore, ſimul & ſemel oculos præſtringere noluerit; ut ſi eſſet aliqua in illis ſpes reſipiſcentiæ, eam foveret, & illam hac tanta manſuetudine eliceret: veluti ſi Rex non illa lumina accenderet, quæ ejus munificentiam decerent, ſed quæ caligantibus convivarum ſuorum oculis maxime convenirent: aut aromatum & ſuffimentorum ſuorum vehementioribus odoribus abſtineat, ne cerebri imbecillitatem, quæ in circumſiſtentibus eſt, lædat: aut denique epulas apponeret, non ſua magnificentia digniſſimas, ſed laborantium convivarum ſtomachis aptiſſimas. Et ac ſi Medicus ea medicamenta præberet, non quibus ſuam peritiam magis oſtenderet, ſed quæ ægroto accommodatiſſima: & ut præceptor non ea doceat quibus nullæ ejus literæ deprehenderentur, ſed quibus potiſſime puer provehatur. Hinc etiam factum, ut tametſi ſciret quoſdam majori ſtudio corporis, quam animi ſalutis duci; ut eos tamen non propterea repulerit, aut abegerit. Idem nobis faciendum, ut caveamus, ne illos obteramus aut abjiciamus, in quibus aliqua ſalutis ſpecies eſt.

idq; ut pietas magis vigeat,

Finis hujus manſuetudinis eſt duplex, prior ut judicium, ſeu pietas probitaſque, tandem aliquando, profligatis omnibus veritatis hoſtibus, erroribus & vitiis, victoriam obtineant: quæ ipſa pietas & probitas profligarentur,

garentur, si Christus nobiscum pro merito ageret, nec nobis perquam infirmis parceret. sic *Rom.* 2, 4. *Patientia Dei nos ad resipiscentiam ducit.* Ex quo illud etiam consequitur, ut si clementia ejus ad animi in vitiis obfirmationem abutamur, tum demum Christum non amplius hac mansuetudine erga nos usurum, aut si nobis ipsis in nostris imbecillitatibus adulemur & placeamus: quod etiam nobis imitandum est. Deinde reprobis tam diu parcet, quoad eos justo Dei judicio periisse ab omnibus agnoscatur.

Vers. 21. *& Gentes in eum sperent.* Finis alter mansuetudinis est, ut Gentes, quarum nonnulla pars hic affuisse videtur ex *Marco*, confirmatæ, in eum sperent. Nam hac mansuetudine Christi homines invitantur. Scimus enim multos abjectæ suæ conditionis cogitatione absterreri, ne reges præsertim splendore fulgentes adeant; Benhadadum enim impulit, ut se ad pedes Regis Israëlis abjiceret, quod rumore hausisset reges Israëlis clementes fuisse. 1 *Reg.* 20, 31. Hoc etiam docetur ex *Zachar.* 9, 9. *Ne metuas filia Sion, quia venit Rex tuus humilis, insidens pullo asinæ, jugo assuetæ.* Hoc igitur nobis stimulum addat, ut in Christo speremus, tametsi perexigua sunt, quæ in nobis ipsis sentimus. Tantum igitur abest, ut Christi abjecta conditio & submissa, nos à Christo amplectendo remoretur (quod Iudæis usu venisse scimus) ut hoc nos allicere debeat. Sicut autem *Zachar.* 9, 9. sic & hoc loco, Propheta offensionem tollere voluit, quam inde arrepturi essent Iudæi, quod Christus tam humili conditione futurus foret.

LVC. *cap.* 6. *à vers.* 12, *ad* 17.

12 *Factum est autem illis diebus, abiit in montem ad orandum, & pernoctavit* illic *in precatione Dei.*

13 *Et quum dies ortus esset, advocavit discipulos suos, & quum ex ipsis elegisset duodecim, quos & Apostolos nominavit:*

14 (Nempe *Simonem, quem etiam nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Iacobum & Iohannem, Philippum & Bartholomæum.*

15 *Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi* filium, *& Simonem qui vocatur Zelotes,*

16 *Iudam Iacobi* fratrem *& Iudam Iscarioten, qui etiam fuit proditor.*)

MARC. *cap.* 3. *à vers.* 13, *ad* 20.

13 *Tunc ascendit in montem, & advocavit ad se quos ipse voluit: & venerunt ad eum.*

14 *Et constituit duodecim ut secum essent, & ut mitteret eos ad prædicandum* Euangelium:

15 *Et ut haberent potestatem sanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.*

16 *Primum Simonem: (cui imposuit nomen Petrum)*

17 *Et Iacobum* filium *Zebedæi, & Iohannem fratrem Iacobi (& imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui)*

18 *Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi* filium, *& Thaddæum, & Simonem Cananiten,*

19 *Et Iudam Iscarioten, qui & prodidit eum, veneruntque domum.*

MATTH. *cap.* 10. *à vers.* 1, *ad* 5.

TVnc advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos, & sanarent omnem morbum & omnem languorem.

2 *Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Iacobus filius Zebedæi, & Iohannes frater ejus:*

3 *Philippus & Bartholomæus: Thomas, & Matthæus ille publicanus: Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognominatus* Thaddæus:

4 *Simon* Cananites, *& Iudas Iscariotes, qui etiam prodidit eum.*

ANALYSIS.

Lvc. 6,12. AGitur de electione Apostolorum, cujus adjunctum primum describitur, temporis; deinde precum quæ præmittuntur; quæ preces describuntur ab efficiente Christo, qui eos elegit; à subjecto loco, monte quo se recepit, adjuncto tempore, tota nocte quæ præcessit diem electionis: deinde subjecto Deo in quem preces directæ sunt.

Marc. 3,13. Describitur ab adjuncta vocatione & obsequio eorum qui designati sunt: item numero duodecim, item adjuncto tẽpore, nempe die apud *Lucam*, & efficiente causa vocationis, nempe gratuita Dei voluntate seu beneplacito.

Vers. 14. Et à finali causa priore, ut essent cum Christo: deinde, ut postquam pulchre instructi essent, Euangelium prædicarent.

Vers. 15. Et ut accepta potestate à Christo sanarent multos, & ejicerent dæmonia.

Lvc. 6, 13. Describuntur vocati ab adjuncto nomine, primum communi omnibus, nempe Apostolis.

Vers. 14,15,16. Post proprio uniuscujusque; denique ab adjuncto cognomine, quod *Simoni* qui *Petrus*, *Iacobo* & *Iohanni*, qui apud *Marcum* filii tonitrus, *Iudæ Iacobi* filio, qui *Zelotes*: denique *Iudæ*, qui describitur cum à subjecto loco unde erat, tum ab adjuncta traditione, unde post accepit cognomen *proditoris*.

METAPHRASIS.

Lvc. 6, 12. *POst tantam & innumerabilem hominum turbam ad Christum undique confluentem, ut illis de idoneo ministerio prospiceret, se*
13. *precandi Deum consilio, in montem, ubi liberius & absque cujusquam interpellatione Deum invocaret, recepit: ubi totam noctem preces apud Deum fundens, illius in præsenti*
Marc. 3,13. *negotio auxilium implorabat. Cum autem esset clara dies, ex plerisque qui suum nomen inter discipulos profitebantur, quosdam numero duodecim, quos illi ex gratuita & liberrima voluntate eligere visum, ad se vocatos, Apostolorum amplissimo titulo ornavit. Hos au-*
14. *tem à reliquis exposuit, primum quidem, ut ab ejus latere non discedentes, ad tam augustum ministerium instructiores prodirent; deinde ut illos ad Euangelii prædicationem emitteret; de-*
15. *nique ut facultate & virtute à Christo imbuti, cum ægrotos omnis generis sanarent, tum*
16. *Dæmonia ejicerent. Sicut autem omnes com-*
Lvc. 6, 14. *muni Apostolorum appellatione honestavit, sic propria singulorum nomina sunt hæc*; Simon
Marc. 3,17. *cui* Petri *cognomen indidit.* Iacobus *filius* Zebedæi, *& frater ejus* Iohannes, *quos ob ad-*
Lvc. 6, 15. *mirabilem in prædicando vim & grandiloquentiam filios tonitrus appellabat. Item* Andreas, *&* Philippus, *&* Bartholomæus, *&* Marc. 3,18.
Matthæus, *&* Thomas, *&* Iacobus *filius* Alphæi, *&* Thaddæus, *&* Simon *alius, qui pro singulari ardore quo in Deum & regionem ardebat, Syriace* Canites, *Græce vero*
Zelotes *dictus est. Denique* Iudas, *qui* Cherioth *oriundus, post ex Christi traditione* proditoris *cognomen accepit.* 19.

PRAXIS.

CHristus conscenso monte duodecim discipulos ad Apostolatus munus seponens, eundem montem descendens, plerosque è turba variis plagis affectos sanans, prolixam de discipulis orationem habet.

Cujus *partes* sunt, { Electio Apostolorum in monte, & Sanatio laborantium.

Cujus *partes* sunt gesta ejus in { Monte cum discipulis seorsim, & Planitie cum discipulis & turba conjunctim.

In electione considerantur { Adjunctum { Præcum, & Vocationis. & Subjectum, in planitie discipulos erudiens.

Veluti in re gravissima difficillimaque preces electioni præmittit. Si enim non, nisi præmissis precibus, Abraham filio Paranymphum constituit; nedum Christo paranymphi sine precum subsidio designandi sunt. *Gen.* 24. Et si, non nisi precibus & jejunio adhibitis, argentea & aurea vasa committenda his erant, quibus eorum custodia tradita est, *Esræ* 8,21. *ad* 30. vasorum, quæ auro & argento redimi non potuerunt, nisi Filii Dei sanguine, contrectatio, non erit sine consimili sollicitudine committenda. Et si Salomon templi Hierosolymæ exstructionem non est prius aggressus, quam singularem à Deo sapientiam impetrasset, 1 *Reg.* 3,9. templi certe spiritualis ædificatio non erit, sine hoc subsidio, suscipienda. Cum igitur sciret donum esse Patris extrudere operarios in messem, ad eum se recepit, admonitus præsertim tanta turba hominum, quæ convenerat, quæ magnæ messis futuræ præludium fuit. Quam multæ & graves causæ sunt, vide *annotat. Act.* 1.

Vers. 12. *Precum electioni Christi Apost. præmissarum necessitas.*

Preca-

Precatio Christi arguitur à { subjecto loci, & Adjuncto temporis.

Illæ cur in edito monte instituta? Locus precandi erat editus mons; quo idcirco illum se recepisse liquet, ut solitudinem, declinato hominum cœtu, captaret: nam cum ad ipsum confluere turbas conspexisset, protinus se subduxit, ut & liberius conceptus animi in Patris sinum effunderet, simulque ne inter precandum interrumperetur, caveret. Non ut Idololatræ, qui ideo montes ad cultum & preces servabant, & ædificiorum tecta, ut diis suis propius se adjungerent. Hæc immunitas in arcanum cum Deo colloquium veniendi, ut est singularis, cum idem nobis jam in Christo licet, quod olim non nisi Mosi & Sacerdoti concessum est, ut confidentius Deum de omnibus dubiis nostris adeamus; ita sine summa ingrati animi labe contemni non potest. Quod quidem ut omnibus piis faciendum est, ita his inprimis qui Rempublicam aut Ecclesiam attingunt; certi fore ut non minus Dei in suis negotiis propitiam directionem nanciscantur, quam cum olim Deus eum consulentibus expresse respondit. Certum quidem est hominem non esse natura ita comparatum, ut veluti Pellicanus in deserto, aut noctua in horreo solitarius vitam transigat: sed qui ita congregabiles sunt, ut nullum tempus precandi Deum seponant, satis declarant se Deum amici loco non habere. Ecquis enim amicum habet, cum quo subinde sermones conferre non expetat? certum etiam ejus, qua delectatur, societatem minime piam esse, quæ eum excludit, qui omnis laudatæ societatis caput est.

Idque per totam noctem? Tempus indicatur fuisse totam noctem: sicut enim secretum ad precandum locum quærens, levi aut subita optione, aut animi ad Deum elevatione sibi Christus non satisfecit; ita neque ordinaria oratione, & quæ stata erat, suum in hac parte desiderium explere potuit, nisi totam noctem in hoc negotio collocaret. Ante vidimus quomodo Christus, ut salutem nostram promoveret, cibi & potus oblitus est; nunc etiam videmus, quomodo studio promovendæ veritatis, somnum neglexit. Et quidem alibi legimus, eum multa adhuc nocte surrexisse, ut Deum in opere promulgandi Euangelii propitium haberet. Sed in hoc negotio ministros creandi, magis adhuc experrecta & elucubrata cura utitur. Quod etiam nos docet in gravioribus causis, etiam ex cibi & somni temporibus aliquid decidendum esse, quod rebus divinis impendamus, nedum cum nocte aliquam etiam diei partem stertere. Videmus quantum operis & lucubrationis peccatores, quantum malefici in eo ponunt, ut concupita assequantur.

Alterum adjunctum sequitur vocationis; qua docemur neminem debere se in ministerium ingerere, sed vocationem præstolari: sic *Actor.* 1, 4. se non stiterunt, sed donec sisterentur exspectarunt. Et ex Epistola ad Hebræos, ex adverso ejus, quod Christus fecisse legitur, hoc arguitur. Nam si Christo laudi datum sit, quod seipsum non glorificavit, eos certe omnes jure vituperari necesse est, quibus propria commendatio ad ministerium aditum aperit. Qui enim se inferunt, priusquam Ecclesiæ, & eorum, quorum interest, voce appellantur, seipsos venditant, & Salomonis consilium violant, qui alieno potius nos ore & labiis ornari, quam proprio jubet. Petendo enim ministerium quid aliud faciunt, quam quod se ad maximum in terris, & amplissimum munus idoneos esse profitentur. Quod certe ut inverecundum, ita ex parum diligenti oneris ministerii perpensione proficiscitur: vide *Matth.* 8, 19. Scribam se offerentem rejectum esse, alios, qui detrectabant, ministerio à Christo arcessitos. Quamvis enim neutrum in laude est, se sponte offerre, aut impositum munus detrectare; tamen hos illis Christus anteponit. Hæc autem ministerii prensatio, cum ingenuis hominibus, vel in Politico Magistratu putida & subturpicula sit, & sæpius legibus interdicta, multo magis in Ecclesiæ ministerio illaudatam esse est necesse. Victoribus etiam in Olympiacis certaminibus fas non erat sibi ipsis coronam tribuere, sed ab alio impositam exspectare. Nec vero eos quicquam juvat, quod ex 1 *Timoth.* 3, 1. profertur: aliud enim est concupiscere Episcopatum, aliud petere Episcopatum. Est enim in licitis, studio quodam & desiderio teneri populum docendi, eaque dona parandi, & his se virtutibus ornandi quibus illud munus cum fructu Ecclesiæ ad Dei gloriam obitur: & nimium certe rari existunt, qui hoc faciunt; sed ambire, reprobatur.

Vers. 13 *Hos. disp. Christus non nisi à se vocatos elegit;*

Hujus vocationis notantur argumenta, { Absolut. Causa apud Marcum & quodammodo { adj. tēporis cum clara dies esset & subject. } effic. Christi scil. beneplacitum, & finis, ut essent cum eo interdiu comites, & ministerium obirent prædicando, & miracula edendo.

quo non aspirarunt; In priore observandum, neminem ex Apostolis ad hunc honorem proprio merito aspirasse; sed tantum propensa Christi erga eos voluntate. Quid enim poterant miseri homines, & piscatorculi meriti ad hanc rem afferre, cur doctissimis in mundo præteritis, & nonnullis etiam in piorum numero habendis, eos ad summum hunc honorem allegaret. Vnde *Ioh.* 15, 16. docet se eos, non eos se elegisse, quod aperte cernitur in Iuda. Quod etiam his cogitandum est, quibus vel magnus honos, vel multæ divitiæ obtigerunt. Quod si dignitatem hanc, aut bona hæc momentanea, & peritura nostro merito non consequimur, nedum vitam æternam.

& id ad Euangelii prædicationem; Deinde vocatos, non ut dominarentur, deliciarentur, &c. sed ut, quemadmodum est apud *Marcum*, prædicarent: & quoniam cæteroquin contemptibiles & abjecti erant, instruxit eos admirabili virtute edendi miracula, ut reges cum suis legatis magnificentiam, & splendoris regii partem aliquam communicant.

Vers. 14. *hoc factum clara luce,* In altero notandum est, Christum noluisse sacra hæc in tenebris tractari, tanquam Eleusina. Verum quidem est hoc factum in deserto, hominum iniquitate potius, quam in templo, qui Christum in fugam compulerunt. Sed tamen & in sacro discipulorum conventu, & clara luce hoc fieri voluit, ne tam celebrem actionem & institutum in contemptionem adduceret. Si enim civilia judicia noctu, & clandestinis in locis, exerceri indecorum sit, sed in portis, & locis maxime celebribus; quanto magis hæc, quæ salutem hominum maxime attingunt, in publico loco, & frequenti concione fieri convenit.

Sequitur locus subjectus in { Electione, & Vocatione. }

& ex discipulis hi electi; Sunt autem subject. discipuli, id est, hi qui ad Christi fidem aggregati erant. Vbi de novitio dicendi locus est, ex 1 *Tim.* 3. & *Act.* 1. ex discipulis enim selecti & sepositi sunt: ut Pauli exemplum extraordinarium fuerit. Vide in electione Principum, qui in subsidium Mosi adjuncti sunt, ut hi scilicet sint, quorum fides explorata & perspecta sit. *Deut.* 1. Huc refertur quod elegit eos, ut essent individui ejus comites.

Subjecto adjunguntur { Numerus, & Nomina certis quibusdam imposita. }

In numero primum consideratur, quod duodecim designati; ut hoc numero, tanquam elato vexillo aut tuba, Deus totius Israëlis instaurationem, & omnium tribuum hinc inde dissipatarum in Christum, tanquam Davidem alterum, à quo defecerant, collectionem indicaret, unde excidente Iuda traditore, alium surrogari necesse fuit. *quare duodecim numero?* Quod liquido constat ex eo, quod dicitur, eos sessuros super duodecim thronos; ut judicent duodecim tribus Israëlis. Qui quidem Israël, cum totius Ecclesiæ typus sit, apparet eos designatos, ut quicquid est uspiam in mundo fidelium, suo ministerio congregarent, ut constat ex *Apocal.* Nobis autem non tantum eorum sonus innotuit, sed plerique alii, diversis temporibus, excitati præstantes viri sunt, quorum opera nos Deus ex dissipatione Babylonica evocavit, & ad Filii sui participationem traducere voluit, ut merito inexcusabiles sint, si in erroribus permaneant.

In quibus duodecim quod Iudas locum obtinuit, nulla ignoratione Christi factum est, sed ut Scriptura impleretur, & ut scandalo apostasiæ consuleretur. Quod etiam *Lucas* eos per binos recenset, hoc ideo fit, ut doceat qui pares essent, cum à Christo ad prædicandum Euangelium emittebantur. Erant enim per binos legati *Marc.* 6, 7.

Nomina sunt { communia omnium, & certorum propria. }

Omnibus Apostolis nomina indidit, quod nuntium indicat, non quemvis: nec enim est tabellarius, sed eum qui ore nuntium seu mandata exponit, ut legatus, & orator. Vide alibi de hac re.

Nomina nova certis quibusdam induuntur, quibus quid reliquis etiam conveniat intelligitur; novi enim quodammodo homines veluti finguntur legitima vocatione, ut in Davide & Saule. Nec enim Petrus tantum ratione doctrinæ petra fuit, cui superstrue- *cur quibusdam particularia nomina tributa?*

perstruebatur Ecclesia, sed & reliqui duodecim, ut est in *Apoc.* 21, 14. ubi duodecim fundamenta Ecclesiæ, Apostoli prædicantur duodecim. Nec vero Iohannes & Iacobus filii Tonitrui sunt, quorum vox ad extrema terræ exaudita est, sed & cæteri Apostoli, quorum sonus in universum terrarum orbem exit. Nec demum unus Iudas Zelotes fuit, sed & cæteri Apostoli (si Iudam proditorem excipias) zelo flagrabant. Quanquam duo hæc cognomina videntur singulari quadam abundantia quatuor illis Apostolis convenisse, unde etiam Christus se illis familiarius communicasse, quam cæteris, legitur. Christus etiam quosdam sibi sanguine conjunctos eligens, eos tamen non primo loco posuit.

Ab omnibus autem ministris requiritur, ut in vera doctrina immobiles sint; eam sonore & confidenter prædicent; zelo Dei ardeant. Hoc Pontificii Romani κακόζηλοι imitantur.

L V C. *cap. 6. à vers.* 17. *usque ad finem.*

17 *Et descendisset cum eis, substitit in loco campestri, turbaque discipulorum ejus,*
& multitudo magna plebis ex tota Iudæa & Hierusalem, & à maritima regione
Tyri & Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & sanarentur ab infirmitatibus suis:
18 *Et qui vexabantur à spiritibus impuris: & sanabantur.*
19 *Et tota turba studebat eum tangere: quia vis ab eo prodibat, & sanabat omnes.*
20 *Ipse vero sublatis oculis suis in discipulos, dicebat, Beati* estis *pauperes: quia*
vestrum est regnum Dei.
21 *Beati qui nunc esuritis. quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.*
22 *Beati eritis quum vos oderint homines, & separaverint vos, & conviciis affecerint* vos, *& nomen vestrum ut improbum abjecerint, propter filium hominis.*
23 *Gaudete illo die, & salite. Ecce enim merces vestra multa* est *in cœlis: nam*
itidem faciebant Prophetis patres eorum.
24 *Sed væ vobis divitibus: nam perceptum habetis solatium vestrum.*
25 *Væ vobis qui impleti estis: nam esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: nam lugebitis & flebitis.*
26 *Væ vobis quum bene vobis dixerint omnes homines: nam itidem faciebant*
Pseudo-prophetis patres eorum.
27 *Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui vos*
oderunt.
28 *Benedicite iis qui execrantur vos, & orate pro infestantibus vos.*
29 *Et qui tibi caciderit maxillam, præbe & alteram: & ab eo qui tollit tibi pallium, etiam tunicam ne prohibeto.*
30 *Cuivis autem petenti abs te da: & ab eo qui tollit* res *tuas, ne repetito.*
31 *Et prout vultis ut faciant vobis homines: vos etiam facite eis similiter.*
32 *Quod si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores diligunt eos à quibus diliguntur.*
33 *Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores idem faciunt.*
34 *Et si mutuum dederitis iis à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria.*
35 *Immo diligite inimicos vestros, &* iis *benefacite & mutuum date, nihil inde*
sperantes: & erit merces vestra multa, ac filii eritis illius Altissimi, nam ipse benignus
est erga ingratos & malos.
36 *Estote ergo misericordes, prout & Pater vester misericors est.*

37 *Ne judicate, & non judicabimini: ne condemnate, & non condemnabimini: absolvite, & absolvemini:*

38 *Date, & dabitur vobis. mensuram* inquam *bonam, pressam, agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem enim mensura qua metimini, contrametietur vobis.*

39 *Dicebat autem eis parabolam, Num potest cæcus cæco viæ dux esse? nonne ambo in foveam cadent?*

40 *Non est discipulus supra magistrum suum: sed quisquis* erit *perfectus* discipulus, *erit ut magister.*

41 *Quid autem aspicis festucam quæ* est *in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo non consideras?*

42 *Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam quæ in oculo tuo est: quum ipse trabem quæ est in oculo tuo non respicias? Hypocrita, ejice primum trabem illam ex oculo tuo: & tum dispicies ut ejicias festucam quæ est in oculo fratris tui.*

43 *Non est arbor bona quæ ferat fructum malum, neque arbor mala quæ ferat fructum bonum.*

44 *Vnaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant uvam.*

45 *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. ex exundantia enim cordis loquitur os ejus.*

46 *Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?*

47 *Quisquis venit ad me, & audit sermones meos, & eos præstat, præmonstrabo vobis cui similis sit.*

48 *Similis est cuipiam ædificanti domum, qui fodit & excavavit, statuitque fundamenta super petram. Vbi autem venit inundatio, illisum est flumen domui illi, sed nequivit eam quatere: fundata enim erat super petram.*

49 *Qui autem* meos sermones *audivit, nec præstitit, similis est cuipiam qui ædificavit domum suam super solum absque fundamento: cui illisum est flumen: itaque statim cecidit, fuitque ruina domus illius magna.*

Hujus Analysin & Metaphrasin pete ex *Matth.* 5, 6, 7. cum quibus fere eadem sunt. Quæ autem ab illis alia atque diversa sunt, pete partim à Metaphrasi sequenti, partim ex observationibus illis capitibus aspersis.

METAPHRASIS.

17. *TUm Christus ex monte cum Apostolis quos elegerat descendens, in campestri loco substitit: quo præter discipulorum suorum turbam, ingens populi multitudo ab omnibus Iudæa, atque adeo ab Hierosolymis, & mari-*
18. *tima parte Tyriorum & Sydonum confluunt: cum ut Dei verbum audirent, tum ut quocunque modo laborarent, sanarentur, tum præcipue ut dæmonibus quibus divexabantur*
ejectis è diaboli possessione vendicarentur: qui
pro voto sanitatem adepti sunt. Nam ut Chri- 19.
stum contractarent summo studio contendentes, divina virtute ab illo manante omnes persanati sunt. Tum oculis sublatis & in discipu-
los suos conjectis, dixit: Beati pauperes, &c. Sic 20.
enim olim eorum Majores Prophetas Dei per-
sequuti sunt. Contra, ô vos maledictos, qui di- 24.
vites in divitiis vestris acquiescitis, & in deliciis quas opes vestræ subministrant, luxurian-
tes, vosmet oblectatis. Væ vobis quibus nunc 25.
omnia ad voluntatem affluentia, nihil ad summam omnium saturitatem deest: veniet enim tempus cum his omnibus privati tanquam famelici, quæ bona sunt (sed frustra) expetetis. Væ etiam vobis, quorum ora in præsentiarum risu, ex rerum abundantia & hujus mundi deliciis, complentur, utpote quibus luctus

26. *ctus & fletus ad tumulum duplicabitur. O*
vos maledictos, cum uno & consentiente ore o-
mnes vos laudibus in cœlum extulerint: ut
quibus idem prorsus obvenit, quod olim Pseu-
do-prophetis, quos majores eorum summis en-
30. *comiis prædicarunt, &c. Et tua quæ sunt ab*
34. *auferente ne reposcas. Si mutuum illis dederi-*
tis, hac spe, ut qui mutuum acceperunt, vobis
hoc beneficium rependant, quæ hæc gratia est
quæ inter vos & à fide alienos distinguat?
quandoquidem peccatis dediti ac devoti sui
similibus mutuum dant: ut par beneficium
35. *cum opus est auferant. Vos igitur quo vos à*
Deo selectos comprobetis, egentibus mutuum
date, ut ut vel ipsum caput rursus accipiendi
spem omnem abjiciatis: utcunque enim ab il-
lis vestris exhaustis debitoribus nihil lucri aut
usuræ consequamini, vobis tamen apud Deum
36. *copiosa merces reposita asservatur. Estote ergo*
misericordes, sicut Pater vester qui in cœlo est,
ut si minus ejus misericordiæ infinitatem (quod
sperandum non est) assequamini, illius tamen
misericordiam vobis imitandam proponatis.
37. *Remitte aliis offensas quibus vos irritarunt:*
sic fiet ut Deus aliorum in vos animos flectet,
ut in quibus illi à vobis offensi sunt, voluntaria
38. *oblivione obducta vobis condonaturi sunt. Da-*
te, & vobis item dabitur; imo vero cumula-
39. *tius multo accipietis, quam dedistis. Porro illis*
hanc parabolam proposuit, qua male compara-
tum vituperatorem cum cæco duce, errantem
vero & ex errore reprehensum cum cæco qui
ducitur componit. Num potest cæcus cæcum
commode ducere? nonne uterque in foveam ca-
40. *dit? Qui enim reprehenditur, & veluti disci-*
puli vicem obtinet, satis præclare secum agi pu-
tat, si deteriore conditione non sit, quam suus
vituperator, qui magistri partes admonendo &
reprehendendo usurpat: nam se omnibus nu-
meris absolutum & perfectum statuit, si in eo
in quo reprehenditur suum vituperatorem
45. *exæquaverit. Bonus homo intus & in animo*
(ut arbor in radice) thesaurum bonarum co-
gitationum reconditum habens, inde pro re
nata, & ut usus fert, sanos sermones expro-
mit, sicut è contra malus: estque tanta vis
verborum (quæ vulgus hominum nihili æsti-
mat) ut inde certissimum aut justificationis, si
boni sunt, aut condemnationis, si pravi, testi-
monium præbeant.

PRAXIS.

Sequitur *altera pars*, quid Christus in campestri loco fecerit, { Plagis affectos sanat, & Discipulos instituit, & informat.

Quod omnes sine discrimine sanavit, apparet quam prolixe Christus cum illis agit, qui eum ab hominibus, & à mundo rejectum quærunt. Nam ex voto, quod cupiunt, accipiunt. Sicut enim sanitatis, & doctrinæ causa ad illum convenerunt; sic etiam utrumque illis, & quidem liberalissime, præstat; & cum huic tum futuræ vitæ prospicit. Quod certe facturum semper Christum non est quod dubitemus: montes enim & deserta, nobis feracia & fructuosa erunt, & suavissimos fructus ferent, modo Christum præeuntem sequamur. *Vers. 17, &c. Christi in sanandis morbis liberalitas.*

Hanc concionem aliam fuisse ab illa, quam Christus *Matth.* 5, 6. *&* 7. *cap.* habuit, ex subjecto loco & tempore, ut alia taceam, liquido constat. Prior enim concio habita est in monte, hæc vero postquam è monte descendit in campestri loco: illa, antequam Matthæus ad sequendum Christum vocatus sit, hæc vero, postquam ad Apostoli munus sepositus est. *Vers. 20, &c. Hujus concionis ab alia Matth. 5. diversitas;*

Hic in genere docentur Ministri, ne illos pigeat eandem doctrinam eisdem pæne verbis subinde repetere; cum Christus, in quo omnis sapientiæ, & eloquentiæ thesauri reconditi sunt, hoc facere non sit gravatus. *Phil.* 5, 1. Auditores porro admonentur, ne tam delicati & nauseabundi sint, ut unam & eandem doctrinam sæpius inculcatam ægre ferant: quandoquidem hoc illis, cum ad memoriæ firmitatem, tum ad fidei certitudinem, salutare est *Phil.* 3. Verum enim illud verbum est, *δὶς ϗ τρὶς ϗ ἀπείρακις τὸ καλόν.* *ex qua sæpe eadem reponenda.*

Deinde juvare aliquoties auditores propius, aut blandis promissionibus demulcere, aut minis urgere, aut denique præceptis imbuere: sicut hoc loco in secunda eos persona compellat, quos superiore versu vigesimo fere tertia compellavit.

Quod oculos suos in discipulos defixos habet, eos præsertim, qui ad Apostolicum munus jam destinati sunt; apparet Christum præcipuam quandam rationem illorum habuisse. Quo admonentur Ministri, ut institutioni eorum, qui ad Ecclesiam suam nondum aggregantur, prospiciant, ut suæ fidei commissos unice respiciant, nec aliorum rationem in concionando habeant, nisi quoad illi, ex his quæ Ecclesiæ commoda & opportuna sunt, fructum percipiant. Deinde majore quadam, & pleniore mensura informandos, qui Ecclesiæ gubernacula capessunt, quam quosvis alios. *Christi hic sermo præcipue ad Apost.*

Hoc

Vers. 23. *ex eo ad majores non provoc.*

Hoc versu refelluntur, qui se probe adversus Dei iram & judicia, munitos & armatos putant, cum possint patrum,& majorum suorum exempla, quæ imitantur, opponere.

Vers. 24, 25. *quinam maxime infœlices?*

Vid Annotata ad *Matt.*5,6.*Pag.*210.præterquam quod etiam illorum infœlicitatem notat,quibus omnia in hac vita ad voluntatem affluunt, & nullis unquam Dei castigationibus affecti, à Dei familia extorres dignoscuntur. Vide *Psal.* 73,3, *ad* 12. & *Iobi. cap.* 21, 7, *ad* 13. In quo Christi sententia mundi opinioni maxime adversa est.

Vers. 26. *qui coarguunt pluris æstimandi,*

Hinc liquet, quanti beneficii loco habendum, cum quis nos peccati,quod admittimus, coarguat; esse instar opobalsami *Psal.*141,5. & unionum *Matth.*7. Præterea, quam male tutum est hominum laudi acquiescere, vel bonorum, ut qui corda nostra penetrare nequeunt, unde operum bonitas pendet, nedum in improborum laude. Is ergo modo laude dignus est, quem Deus laudat. Interim tamen à pii viri officio non abhorret, ea sectari, quæ sunt εὔφημα. *Phil. cap.* 4,8.

Vers. 30. Vide quæ notata sunt ad *Matth.*5,42. supra *Pag.* 231.

Vers. 34, 35. Vide ibidem ad *vers.* 44.*pag.*234.

Vers. 36. *misericordia exercenda,*

Quod dicitur apud *Matth.* Estote perfecti, hic dicitur estote misericordes. Est autem misericordia virtus, qua quis ex sensu alienæ miseriæ ad illum juvandum excitatur. Hanc misericordiam Deus infinite præstat, tametsi ut commoveatur ille sensu malorum nostrorum fieri nequit. Quamobrem in Christo vero (ut Deo) sic homine, hæc virtus nobis ad vivum exprimitur.

Vers. 37. *quare potissimum aliis condonandum?*

Si nullum aliud beneficium ex remissione offensarum, quibus nos alii offendunt, perciperemus, præterquam quod nobis firmissimo pignori & testimonio sit, nostra omnia multitudine & magnitudine infinita peccata à Deo gratuito condonari, fructum inde amplissimum demetiemus. Iam vero, cum hoc beneficium alio cumuletur, fore ut alii, quos nos illatis damnis irritavimus, in nos faciles & benevoli futuri sint: debet nos ad condonandum aliis paratiores reddere. Sicut contra retinenti & persequenti injurias, contraria mala obveniunt.

Vers. 38. Idem prorsus de hoc versu intelligendum, quod de priori dictum est.

Vers. 39, 40. Vide annotationes ad *Matt.*7,5.*pag.*262.

Vers. 45. *opportuna oratio quanti facienda?*

Hinc est, ut viri boni lingua arbori vitæ, deinde etiam aquarum rivis vel flumini apud Salomonem assimuletur: ut qui novit cuique, prout res & personæ conditio flagitat, respondere. Sicut hoc loco thesaurum habere dicitur; unde, pro boni & frugi patrisfamilias consuetudine, singula suo tempore & loco depromit: sicut contra improbus, pleno ore putidos sermones eructat.

LVC. *cap.* 7. *à vers.* 1, *ad* 11.

QVum autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaumum.

2 Centurionis vero cujusdam servus male affectus moribundus erat, qui erat ipsi pretiosus.

3 Is *vero quum audivisset de* IESV, *misit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum ut veniret & servaret servum suum.*

4 Isti autem quum venissent ad IESVM, *precati sunt eum studiose, dicentes, certe dignus est cui hoc præbeas.*

5 Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ædificavit nobis.

6 IESVS *ergo ibat cum eis. Et quum jam non longe abesset ab illa domo, misit ad eum Centurio ille amicos, dicens ei, Domine, ne vexator: nec enim sum dignus ut tectum meum subeas.*

7 Ideo ne me ipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed loquere, & sanabitur puer meus.

8 Etenim ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alteri, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, ac facit.

9 Auditis autem his, IESVS *admiratus est eum: & conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur, Dico vobis, ne in Isräele quidem tantam fidem inveni.*

10 Et

10 *Et domum reversi qui missi fuerant, sanum invenerunt servum qui infirmus fuerat.*

ANALYSIS.

PRoponitur cujusdam graviter laborantis ad sanitatem restitutio: quæ hoc versu ab adjuncto tempore & subjecto loco describitur.

Vers. 2. A subjecto circa quod describitur, nempe servo Centurionis; cujus adjunctum adnectitur, nempe quod erat hero suo percharus; describitur etiam ab adjuncta morbi gravitate, quæ amplificatur suo effecto, nempe quod à morte prope abesset; quæ etiam causa impulsiva fuit cur ad Christum mitteret.

Vers. 3. Causa impulsiva alia, est fama quam de Christi præclaris gestis acceperat. Alia causa efficiens sanitatis collatæ, petitio per seniores Iudæorum, ut servum pereuntem servaret.

Vers. 4. Quæ per Presbyteros petitio amplificatur adjuncto studio & ardore: qui ardor arguitur, 1. ab adjuncto Centurionis benemerito.

Vers. 5. Quod probat ab adjuncto amore erga populum Dei, seu Ecclesiam; qui amor suo effecto probatur, quod illis Synagogam extruxit.

Vers. 6. Cujus petitionis effectum erat, quod Christus se itineri dedit, ut illum sanaret. Cujus in itinere progressus causa corrumpens est, nova legatio ne ad se veniret. Cujus rationes annectuntur, 1. ab adjuncta vexatione Christi itinere conficiendo, 2. ab adjuncta indignitate sua ut tectum Iesus subeat.

Vers. 7. Quam indignitatem confirmat ab adjuncta legatione priore, 3. quod solo nutu sanitatem servo reddere potuerit.

Versus 8, 9, & 10. *Analysin pete ex* Matthæi 8, *cap.* 9, 10, & 13.

METAPHRASIS.

1. *FInita concione, Capernaum, ubi tanquam*
hospes divertere consueverat, ingressus est.
2. *Vt autem doctrinam edito miraculo obsigna-*
ret, non incommode cecidit, ut Centurionis cu-
jusdam servus tam graviter laboraret, ut ejus
mors (si ex sensu & ratione statuendum esset)
certa futura esset. Erat autem servus sua in
3. *herum fide & obsequio percharus. Centurio*
autem audita de Iesu præclarissimis miraculis
fama, ad eum quosdam ex primoribus Iudæo-
rum legavit, per quos Iesum oraret, ut ad se
veniens, servum sanitati restitueret. Legati 4.
Iesum accedentes, eum solicite in hunc fere
modum alloquuntur: utut vir hic ex prophanis
Gentibus sit, & professione Miles, quam gens
nostra (quod Romanæ in nos tyrannidis & do-
minatus administra sit) odio prosequitur, di-
gnus tamen est, in quem hujus sanationis be-
neficium conferas. Nam ad nostræ religionis 5.
societatem aggregatus, nos Iudæos (quos Gen-
tes mortali odio infestos habent) charos habet;
quam suam in nos charitatem extructo domi-
cilio, in quo sacri conventus agantur, compro-
bavit. Iesus eorum petitioni annuens, se itineri 6.
cum illis dedit. Sed cum adhuc longo interval-
lo à Centurionis ædibus abesset Christus, Cen-
turio audita de Christi adventu fama, & si-
mul potentiam altius & accuratius, quam
prius fecerat, expendens atque excutiens, se-
cundam legationem ex amicis conflatam ex-
pedivit, quæ Iesu ipsius verbis in hunc modum
diceret: Domine siste, quæso, gradum. Primum
enim grave est te hunc laborem suscipere;
præterea indignus sum cujus vel tectum, ut-
cunque ornatum & magnificum, subeas. Vn- 7.
de etiam extitit, ut alios in locum meum sub-
stituens, meipsum indignum duxi qui ad te
venirem: denique, quid opus est te hoc itine-
re fatigare, cum si unico verbo sanitatem
imperes, meus ilico servus sanitati restituetur.
(octavi & noni versus Metaphrasin pete su-
pra ex *Matth.* 8, 9, 10.) *Legati igitur domum* 10.
illam Centurionis reversi, laborantem prius
servum sanitate donatum offenderunt.

Hujus etiam historiæ Praxin vide, unde defectus in Analysi & Metaphrasi supplendi sunt, *Matthæi Cap.* 8. à *vers.* 5. ad 14. idque *pag.* 278.

MATTH. *cap.* 8. *à vers.* 14. *ad* 18.

14 *Et quum venisset IESVS domum Petri, vidit socrum ejus in lecto projectam, & febricitantem.*

15 *Tetigitque manum ejus, & dimisit eam febris: & surrexit, ac ministravit eis.*

16 *Quum autem serum* dici *esset, obtulerunt ei dæmoniacos multos, & ejecit spiritus verbo, omnesque male habentes sanavit.*

17 *Vt impleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam, dicentem, Ipse invaletudines nostras accepit, & morbos portavit.*

Hujus Historiæ de Petri socru febri secundo liberata Metaphrasin pete superius ex *Luc.* 4, 38. tantum hoc loco addenda videtur Metaphrasis *vers.* 17.

Sic impletum est quod à Propheta Esaia *prædictum est, qui ut Christi abjectam in speciem conditionem à contemptu vindicaret, hoc infinitæ potentiæ encomio eum ornavit: eum scilicet peccata & pœnas peccatorum nostrorum in se translata, in sua persona expiantem, morbos & flagella omne genus tanquam peccatorum stipendium è medio sustulisse.*

Praxis hujus historiæ petenda in prima curatione socrus Petri, quæ extat *Lucæ* 4. à *vers.* 38, ad finem. *pag.* 204.

LUC. *cap.* 7. *à vers.* 11. *ad* 18.

11 *Et factum est* die *sequenti ut proficisceretur in civitatem quæ vocatur Nain: proficiscebantur autem cum eo discipuli ejus multi, turbaque multa.*

12 *Ut autem appropinquavit portæ civitatis, tum ecce, defunctus efferebatur,* qui *unigenitus* fuerat *matri suæ, & ipsi* quidem *viduæ: turbaque civitatis multa erat cum ea.*

13 *Dominus vero ipsam intuitus, intima misericordia commotus est super ea, & dixit, Ne fleto.*

14 *Quumque accessisset tetigit loculum: (qui vero portabant, substiterunt) & dixit, Adolescens, tibi dico, Surge:*

15 *Tunc resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: &* ille *dedit eum matri suæ.*

16 *Cepit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Certe Propheta magnus suscitatus est inter nos, &, Certe Deus respexit populum suum.*

17 *Pervenitque iste de eo sermo in totam Iudæam, & in totam regionem circumjacentem.*

ANALYSIS.

Mortui resuscitatio describitur primum ab adjuncto tempore, nempe die sequenti post plerosque Capernai sanatos; deinde adjunctis spectatoribus, discipulis & turba, 3. à subjecto loco, nempe prope portam urbis Nain.

Vers. 12. Post describitur objectum hujus resuscitationis ab adjuncta elatione seu exportatione, quæ mortuis consueta & solennis est, deinde à relato filio; quod amplificatur duobus adjunctis, uno filii, quod esset unicus, altero matris, quod esset vidua, 3. adjunctum est comitatus, qui mortuum honoris causa prosequebatur.

Vers. 13. Proponitur adjunctam Christi sanationem præcedens, inspectio viduæ mortuum lugentis; cujus effectum est commiseratio, & commiserationis consolatio; cujus forma subjicitur, *Noli flere.*

Vers. 14. Post effectum Christi narratur accessus ad feretrum: deinde instrumentalis causa excitationis, feretri tactus; cujus contrectationis effectus erat, quod bajuli gradum sistebant: deinde forma resuscitationis, potens Dei verbum, quo mortuum jubet revivisцere.

Vers. 15. Effectum hujus verbi est mortui vivificatio, quæ arguitur ab effecto, primum sedendi, post loquendi. Excitationis finis declaratur, ut matri restitueretur.

Vers. 16. Excitationis effectum in spectatoribus est timor, deinde Dei laus: cujus forma describitur; quod Propheta magnus excitatus sit, & quod Deus populum suum visitarat.

Vers. 17. Aliud effectum, nempe hujus rei famam emanasse; quæ suo subjecto amplificatur, tota Iudæa & vicinis regionibus.

METAPHRASIS.

Hæc cum Iesus fecisset, profectus est ad 11.
urbem quandam, cui nomen est Nain;
eum comitatus est discipulorum quidem nu-
merus mediocris, turba vero ingens multitu-
do. Ad portam autem urbis cum appropinquas- 12.
set, ecce opportune, non sine Christi singulari
providentia, feretro ad sepulchrum ex urbe
mortuus elatus & exportatus est, conveniente
vicinorum comitatu stipatus. Erat autem vi-
ta defunctus unicus suæ matris, & illius qui-
dem viduæ filius, tanquam inclinantis ætatis
baculus. Hanc cum Dominus illacrymantem 13.
vidisset, solo intuitu ejus commiseratione du-
ctus, illam consolatur: jubet ut lacrymas te-
neret, tanquam luctus & mœroris causam è
medio sublaturus. Quamobrem viduæ petitio- 14.
nem prævertens, loculum in quo mortuus con-
clusus fuerat manu tetigit. Quo facto vespi-
lliones, Christum suspicantes aliquid (quo mor-
tuus ad vitam revocaretur) moliturum, sub-
stiterunt. Tum Christus clara voce ut ab o- 15.
mnibus exaudiretur, Adolescens, dico tibi ut
resurgas. *Ilico residens qui prius mortuus e-*
rat,

rat, sermone facto vitam sibi plene restitutam
esse comprobavit, quem Christus, veluti filii
manu in viduæ manum indita, matri reddidit,
ut se ob eam causam vita donatum intelligeret,
quo destitutæ & solitariæ matri toto
16. *vitæ suæ curriculo succurreret. Qua tantæ &*
tam incomparabilis potentiæ Christi declaratione,
omnes qui spectarunt timore correpti,
Dei gloriam prædicarunt, in has voces erumpentes:
insignis Dei Propheta (sic enim abjectius
quam par erat de Christo sentiebant &
loquebantur) inter nos excitatus est: unde
plane comperimus Deum populi sui malis oppressi,
singularem rationem habuisse, eumque
17. *gratiose visitasse. Hujus miraculi gloria tam*
illustris fuit, ut se angustis spectatorum finibus
non contineret, cujus fama per totam Iudæam
& circumjacentes regiones percrebuit.

PRAXIS.

Christus viduæ unicum filium mortuum & ad sepulturam deportatum, à mortuis resuscitans, spectatores cum ad timorem, tum etiam ad divinæ munificentiæ prædicationem excitat.

Cujus *partes* sunt { Christi insigne miraculum in mortui excitatione. / Miraculi fructus.

Vers. 12. Ex more Iudæorum fuisset sepultus extra urbem hic juvenis,

Locus hic primum designatur ubi editum est miraculum. Quo loco notatur consuetum fuisse in populo Dei cæmiteria sua extra urbem habere, ne fætor cadaverum in urbem exhalatus, aërem corrumperet, & homines inficeret pestilentibus morbis. Hinc etiam prius dictum est dæmoniacum, *Marc. cap.* 5. foris & solitarie agentem, inter sepulchreta sæpius versatum. Quod quidem ut eorum sanitati conduxit, sic nostræ etiam saluti prodesset plurimum, qui *Pontificio* errore ita penitus imbuti sumus, ut nescio quam sanctimoniam in eo statuamus, si in loco prope templum aut vero in ipso tẽplo sepeliamur; ut Papistæ olim magnam partem fœlicitatis suæ in eo collocarunt, si prope summum & supremum altare humarentur. Hic autem fætor superstitionis & erroris multo est altero perniciosior, scilicet sanctimoniam attribuere templis & circumfusis locis propter templum. Quod quidem cum nec tum factum est, cum templum tanquam Christi sacramentum & typus sanctum erat, nedum jam debet fieri. Primum sanctorum & laudabile studium fuit inter sui similes reponi: honestum etiam & decorum est, ut loco idoneo, & à sordibus repurgato, & porcorum defossione libero, sepulturæ mandentur, &c.

cum comitatu vicinorum,

Hic etiam observetur comitatus quo funus cohonestatum est; qui fuit numerosus vicinorum. Et hic mos est sepulturæ populi Dei. Qui quamvis nunc iis temporibus fiat (nulla præterea adhibita liturgia) absurdi homines occlamant sepulturam canis esse. Sed certe digni essent qui suspendio suffocarentur, qui hunc honorem cani haberent.

Vers. 13. Christi tenellus animus ex hac commiseratione,

In Christi autem insigni miraculo consideratur, primum ejus misericordia, quam in viduam declaravit, primum intus in animo commiseratione, deinde opere.

Tenellus admodum fuit Christi animus, & facillime alieni mali sensum arripiebat; ut vel solo oculi intuitu animus ejus graviter percuteretur: quum noster animus tam durus sit, ut ne multis ictibus pulsatus & aurium & oculorum, tamen non mollescamus: tanquam ferrea pectora gereremus; cum tamen inde initium omnis beneficentiæ & liberalitatis capi debeat. Nam nisi, &c.

Foris autem { verbis.
opere: scilicet { restitutione filii.

quam e à fletu jubet matrem desistere,

Verbis monet ut à fletu desistat. Lachrymæ enim piorum, Christo curæ sunt, easque veluti in utre ponit: tantum abfuit ab illa feritate quæ vulgo jactatur proverbio, scilicet, non magis commiserandas esse fœminæ lachrymas, quam anserem nudis pedibus incedentem videre. Hoc autem piorum omnium est, ut se in tristioribus casibus mutuo consolentur. 1 *Thess.* 4, 18. & *cap.* 5, 24. Vide exemplum *Iob.* 4. Maxime vero hoc Ministrorum proprium: quod tamen inductione aliorum officiorum supervacaneorum pæne tollitur.

Vers. 14, 15. & filium ejus restituit;

Tandem restituit filium, solitudinis maternæ unicum præsidium & veluti scipionem; vel hoc enim unum præcipua quadam ratione Christum commovit, ut illi opituletur. Christus enim ex legis præscripto, viduarum magnam rationem habet. Nudato enim viro, tegitur à Deo: duce vitæ privata, certiorem & peritiorem ducem vitæ suæ consequitur. Hujus defensionis & patrocinii Deus omnes suos vicarios constituit, cujus exemplum clarissimum in Christo exstat. Viduæ tamen providere debent, ut sequantur illius viduæ vestigia, &c. 1 *Timoth.* 5, 5. Vide exemplum Annæ, *Luc.* 1. Nam ut in illas multiplicantur & dilatantur promissa Dei; sic crescere earum fidem oportet, quæ precibus se prodat intentioribus.

bus. Vide 1 *Cor.*7. Simul docetur non satis esse verbis juvare, nisi re & facto si penes nos sit juvemus. Vide *Iacob.* 2. *vestibus indutor*, *&c.* Nec prætermittendum quod sponte & non rogatus hoc fecerit, ut *Ioh.*5. lachrymæ enim satis loquebantur.

in quo potentiam suam varie declaravit.

. Deinde potentiam suam declarat: quæ, an duplici miraculo fiat, an potius uno tantum, non magnopere retulerit. Satis enim nobis hoc tempore sit, Christum solo feretri *(of the beare or coffin)* tactu potuisse modo voluerit bajulos *(the porters or cariers of it)* retinere. Sed cum dicitur substitisse illos & non retentos aut consistere factos, verisimilius est unicum tantum de excitando mortuo miraculum describi. Cum in excitando mortuo mira Dei virtus apparet, tum in eo magis quod eum suscitavit qui jam longo temporis spatio mortuus erat; nec enim solent sine justo spatio intermisso, mortuum sepelire. Ante Christus filiam Archisynagogi excitaverat, sed quæ recens animam efflaverat. Hoc autem loco, juvenem jam dudum defunctum.

Deinde quod solo verbo hoc factum sit & voce, vide *Ioh.*5,28. vocat enim quæ non sunt tanquam quæ sunt: surdum audire facit &c. Vide Elizæum 2 *Reg.* 4. ubi sæpius precatus est, huc illuc in cubiculo deambubulavit, corpori pueri incubuit, &c. Denique, quod protinus seipsum extulit defunctus & loqui cæpit. Puer autem Elizæi, primum cæpit aliquantulum incalescere: post tantum sternutare, &c.

Hujus autem miraculi specialis usus *duplex* existit, præter eum qui omniũ communis est.
- prior, ut obsignet corporũ excitationem.
- alter, ut confirmet spiritualem à morte peccati excitationẽ.

Hoc Christi miraculo corporum excitatio confirmata;

Quod ad priorem attinet, fidem nostram mirifice confirmat, quod rei quæ magnitudine & difficultate omnia hominum cogitata superat, exemplum unum atque alterum & tertium subsit. Tametsi enim in unico Dei verbo acquiescere nos par sit, tamen cum experientia accessit, non amplius dubitandi causa reliqua facta est. Eadem enim mors est quæ totam hominum universitatem invadet, quæ hos homines captivos tenebat. Quæ cum Christi verbo subjugata sit, non est verendum ne in cæteris Christi verbo obsistere queat.

quæ an ex cineribus difficilior?

Quod si *excipiat* quis, majorem difficultatem fore in resuscitandis cineribus, &c. quam in cadavere adhuc incorrupto.

Respondeo, minime hoc futurum, quandoquidem qua facilitate puellam recens mortuam resuscitavit, eadem adolescentem hunc aliquandiu in morte manentem: eadem denique facilitate, qua post quatriduum Lazarum, &c. Accedit eodem, quod eadem facilitate mortuum excitet, qua levissimum morbum aut languorem sanavit. Quod si Christus adhuc mortalis hoc præstitit, quanto id magis faciet cum devicta & expugnata morte, immortalis futurus sit.

etiam spiritualis resurrectio obsignata:

Deinde spiritualis resurrectio hoc modo obsignatur. *Ioh.*11,25. Quanquam in eo discrimen est, quod ii ita excitati sunt ea lege, ut deinceps denuo morerentur; sed alii nequaquam *Ioh.*11,26. Hic observandum, nos peccato penitus mortuos; nec plus spiritualis vitæ natura in nobis inclusum tenere, quam in hoc corpore vitalis. Sicut etiam Christi voce hoc fit, virtute Spiritus Sancti; sic etiam illa resurrectio ad novam vitam: sic *Ephes.*2. *mortuos in peccatis, &c.*

hinc nihil pro Pontificiorum purgatorio.

Hoc autem ex loco, *Pontificii* pro suo *purgatorio* pugnant. Ajunt enim hunc adolescentem aut in Inferis, Cœlis, aut Purgatorio fuisse, quoad animam. In Inferis autem negant, quod inde nullus sit recessus, nec ulla redemptio: in Cœlis autem ideo non esse, quia tum injuria ei fieret à Deo, eum scilicet è loco tranquillitatis plenissimo in locum ubi magna molestiarum moles sit, detrahere & deducere; proinde reliquum fieri ut sit in Purgatorio. Sed quæ tandem illa Theologia est? scilicet, Deum eum è cœlis detrahentem injuriam illi facere: si quidem cœlum ei deberetur merito suo, verum dicerent; sed cum sit gratuitum, nulla hic injuria fit, si ad Dei gloriam & hominum ædificationem gaudium intermittatur. Quid de Mose respondebunt, qui ad colloquium Dei admissus & ipsius aspectum? an ad Israëlitas legatus injuria affectus est? Quid de Paulo respondebunt, qui in tertium cœlum raptus est, ut ea videret quæ dicere non fas sit: numquid injuria illi facta est, quod in terram & in summas angustias à Deo detrusus sit? an non potius Dei clementia erga eum prædicanda, quod ad tempus hac fœlicitate uti licuit qua tanquam gustu quodam alacrius quod superest obsequii obiret? Atque si porro responderem Deum hanc intermissionem duplicatis post gaudiis cumulare, non equidem quid oggerant aut obganniant video.

Sequitur

Sequitur *pars* altera de miraculi fructu: qui item duplex est,	Timor quo correpti sūt. Gloria quam Deo tribuebant quod tantum illis Prophetā dedisset.

Verſ. 16. *Timor ex hoc miraculo ortus,* Timor autem natus est ex sensu majestatis divinæ, quæ in infinita Christi potentia relucebat: vide exemplum *Luc.*5,9. Tametsi enim homines in hoc negotio stupidi sint, tamen tanta Christi gloria illos circumfulsit, ut vel coacti ad hunc timorem essent. Hic autem timor hominibus utilis est, ut eos ad reverentiam comparet, & ad humilitatem erudiat, quo magis sint ad credendum idonei. Atque hæc ipsa miracula & potentia Christi, nos hodie ad reverentiam in Verbi auditione comparare debent. Nec enim tantum præsentibus tum Christi concionibus obsignandis & se emendandis destinata sunt, sed omnibus concionibus quas ad mundi finem per suos Ministros apud Ecclesiam habebit.

& ipsius Dei benignitas agnita. Alter fructus est, quod Deum hujus in eos liberalitatis & admirabilis potentiæ authorem, agnoscunt & deprædicant; nec in ipsis Ministris defixos animos tenent. Vide *Gal.* 1,23. & *Matth.* 9,8. Hoc etiam nobis imitandum. Quanquam hic fructus Christi agricolationi longe inferior erat, dum eum Ministrum tantum statuunt, qui idem & vitæ fons erat. Sed hunc tamen fructum Christus non videtur omnino sprevisse, tametsi illum talem Israëlitici populi instauratorem agnoscebant, tantum qui purus homo esset, quantumvis magnus Propheta. Pharisæi enim ne hoc quidem confiteri voluerunt.

LVC. *cap. 7. à verſ. 18. ad 24.*

18 Et annunciarunt Iohanni discipuli ipsius de his omnibus: qui advocatos duos quosdam è discipulis suis,

19 Misit ad IESVM, dicens, Tune is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?

20 Quum igitur venissent ad eum viri illi, dixerunt, Iohannes Baptista misit nos ad te, dicens, Tune is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?

21 Eadem autem hora multos sanavit à morbis & flagellis & spiritibus improbis: & cæcis multis visum gratificatus est.

22 Et respondens IESVS dixit eis, Profecti annunciate Iohanni quæ vidistis & audistis: cæcos visum recipere, claudos ambulare, leprosos purificari, surdos audire, mortuos suscitari, pauperibus euangelizari.

23 Beatus est autem quicunque non fuerit offensus in me.

MATTH. *cap. 11. à verſ. 2. ad 7.*

2 Iohannes autem quum audisset in vinculis opera Christi, missis duobus ex discipulis suis,

3 Dixit ei, Tune is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?

4 Et respondens IESVS dixit ei, Ite & renunciate Iohanni quæ auditis & videtis:

5 Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui suscitantur, & pauperibus euangelizatur.

6 Et beatus est qui non fuerit offensus in me.

ANALYSIS.

Aliud effectum excitati è mortuis adolescentis; quod effectum causa efficiens extitit legationis ad Christum; quæ legatio describitur suo efficiente, *Ioanne Baptista*, qui misit; deinde subjectis discipulis *Ioannis* qui mittuntur, qui adjuncto suo numero duorum notantur.

Verſ. 19. Item altero subjecto ad quod legatio facta est, Iesu: deinde fine, ut Christi responso confirmarentur, eum & non alium esse Christum, Lege & Prophetis decantatum; ubi ipsa legationis forma proponitur.

Verſ. 20. Adjunctum obsequium legatorum, cum eundo ad Christum, tum legationem prout præscriptum est, obeundo.

Verſ. 21. Illorum ad Christum adventus adjuncto tempore notatur, nempe cum multos laborantes sanaret; quæ sanitati restitutio sua causa efficiente declaratur, gratuita Dei gratia, quo effecto, tanquam reali responso docet, se esse unicum mundi Messiam.

Verſ. 22. Effecta quibus Christus se Messiam comprobat, distributione proponit eorum quæ viderunt,

derunt, & quæ audierunt; quæ suis partium enumeratione declarat.

Vers. 23. Prolepsis est, cujus occupatio petitur ab adversis, si judicium carnis spectes. Nam cum hac declaratione Iesum esse Christum pugnare videbatur, quod Christus in speciem cum sua paupertate, tum contemptu principum, pauperum vero & idiotarum amplexatione inglorius & ignominiosus visus est. Subjectum est ab adjuncta beatitate eorum, qui hac tam humili conditione à fide in illum non sunt absterriti.

METAPHRASIS.

18. H*Æc cum (seu fama, seu quod ipsi spectarint) intellexissent, quidam ex his qui*
Iohanni Baptistæ *plus æquo addictiores erant, rem omnem ut gesta est ad* Iohannem *referunt. Is ut resistantibus discipulis omnem de Iesu Mediatoris officio scrupulum eximeret, ex his duos (quorum testimonio ex lege veritas rei cujusque firma consistit) delectos ad se vocat.*
19. *Eosdem ad Iesum misit mandatis instructos: legationis autem hæc forma fuit. Tune is es quem Messiam Lex & Prophetæ venturum prædixerunt, an adhuc alium quempiam præ-*
20. *stolabimur? Hi mandato congruenter Iesum accedentes, dixerunt,* Iohannes *cognomento* Baptista *nos ad te misit, ut suis verbis abs te percunctaremur: Tune is es quem Messiam Lex & Prophetæ venturum prædixerunt, an*
21. *alium adhuc quempiam præstolabimur? Eodem ipso quo advenerunt tempore, non sine Iesus omnium præscia providentia, multos morbis & immundis spiritibus, tanquam flagellis à Deo ob peccata immissis, sanavit: cæcis præterea, majore numero quam alii certo flagello laborantibus, oculos aperuit. Quæ omnia ex gratuita ejus, & indebita gratia in miseros*
22. *contulit beneficia. His tam præclare gestis legatorum oculis expositis, cum Iesus re & facto propositæ quæstioni tacitus respondisset, hæc tamen addidit: profecti,* Iohanni *quæ vidistis miracula, & quam auribus percepistis doctrinam, renunciate. Et quidem ex miraculis nominatim percensete, eos qui oculis capti erant, videre, ambulare qui erant claudi, purgari qui lepræ contagio infecti erant, audire qui surdi, quin etiam excitari à mortuis qui vita defuncti erant: commemorate etiam quæ audistis; lætum scilicet salutis æternæ nuntium afflictis & Dei flagellis domitis, cum à me proponi, tum ab illis non invite accipi. Hæc cum præceptori renuntiaveritis, ille (pro sua in Prophetis peritia) utrorumque cum eorum quæ vidistis, tum quæ audivistis complementum ex* Esaia, *qui hæc de Messia multis retro actis seculis vaticinatus est, vos docebit.*
23. *Nec me fugit hanc cum meam, tum eorum qui se mihi in disciplinam tradiderunt, abjectam (in speciem) conditionem, & omnibus fere hominum ordinibus, his quam maxime qui rerum in Ecclesia & Republica potiuntur, exosam remoram, ne in me credatis (nisi caveritis) injecturam. Quamobrem, O illum beatum qui subductis à sensibus & carnalis rationis magisterio cogitationibus, eisdemque ad Verbi divini tribunal revocatis, ex hac abjectione mea ansam offensionis & impactionis non arripit.*

PRAXIS.

CHristus responso ad legatos Iohannis se Messiam esse confirmans, suos adversus sententiæ immediate præcedentis de ipso obstacula communit.

Cujus *partes* sunt, { Christi de se & officio suo confirmatio; Impedimenti occupatio. }

In Iohannis ad Christum legatione considerandum est, quid potissimum intuitus sit Iohannes: an ut se confirmaret in fide Messiæ fluctuantem, & ex vinculorum calamitate labantem? an potius ut discipulos suos, nimium sibi addictos, ad Christum traduceret? quorum posterius ita verum est, ut nullum nobis dubitandi locum relinquat. Nam ex *Ioh.* 1. & *cap* 3. & *cap.* 4. apparet, quam erant Iohannis Discipuli in suum præceptorem plus æquo propensi, quamque in Christum iniqui. Vers. 18. *Quare hæc legatio ad Christum à Ioanne instituta?*

Iohannem vero fide jam nutare cœpisse, qui tam clare & tanta cum asseveratione prius testatus est eum esse Christum; maxime cum cœlitus edoctus fuisset: denique quum Christus propter singularem constantiam eum commendavit, nulla ne minima quidem veri similitudine profunditur. Eodem accedit quod fama miraculorum Christi, hujus legationis occasionem arripuit: ut ex *Luca* constat. Quod si Iohannes testimonium tam præstans & cumulatum tum Christo reddiderit, cum nullo miraculo innotuerat, quin miraculis confirmatus in fide constantior fuerit dubitari nequit.

Hic igitur in Iohannem summa fides in ministerio refulget: qui hoc honore affectus ut amicus sponsi esset, qui sponsam Ecclesiam Christi nomine ambiret, qui ad se amorem attrahere recusavit, & sponte dilatum atque adeo obtrusum sibi, refecit & repulit. Sæpe enim visuntur qui ab aliis submissi, ut eorum nomine alicujus virginis gratiam & amorem aucupentur, deserta amici causa suam *in qua ejus fides in ministerio refulget,*

ſuam agunt: præſertim ſi virginis animum in ſe propendere intelligant. Hoc autem requiritur in Miniſtro, ut fidelis ſit; quod non tantum in eo verſatur ſi Meſſiæ officium ſibi non vendicat aut oblatum accipit, ſed ut ſingula quæ gloriæ Dei & Chriſti tenebras offundant, ſtudioſe declinet: nec ſibi plus honoris aut exiſtimationis haberi patiatur, quam veritatis & Euangelii profectus ferat. In quo illi graviter peccant, qui ſuum in docendo miniſterium ad hominum applauſus & acclamationes exigunt: eamque dicendi docendique rationem uſurpant, quæ illis potius ad nominis ſui laudem, quam auditoribus ad myſteriorum intelligentiam compendioſa ſunt. Hoc etiam in iis requiritur qui Reipublicæ præſunt, ut caveant uti iis contenti ſint quæ Cæſaris ſunt; nec velint in ea quæ Dei ſunt invadere: eamque exiſtimationem tueri ſolum, quæ non obſit veritati.

præſertim cũ in vinculis eſſet detentus;

Hanc fidem Baptiſtæ auget temporis circumſtantia: ſcilicet, quod hujus rei tum curam ſummam egit, cum in carcerem conjectus morti propinquus eſſet. Quo tempore cum homines fere de liberatione ſolliciti ſunt, & qua ratione ſe carcere & vinculis expediant, Iohannes tamen ſui oblitus & totus ad Dei gloriam intentus, ejus gloriam maximo cum ſuo periculo procurat, & nec vitæ cupiditate, nec mortis incumbentis metu, ab eo deterreri potuit. Quod igitur Apoſtolus 2 *Timoth. cap.* 2. dicit, *verbum Dei vinculis non teneri, tametſi ipſe captivus tenetur*, id à Iohanne hoc loco præſtitum eſt, & à nobis quoties uſus poſtulat præſtandum. Qui enim pridem gloriæ Dei quærendæ aſſuevit, eum ſine magno negotio ipſius animus in illius rei ſtudio retinebit. Hoc etiam nos docet quomodo affecti ſimus, quoties morti ex morbo propinqui fuerimus, & (tanquam carcere concluſi) lecto affixi ſumus: ſcilicet, ut non tam ea meditemur quæ hujus vitæ ſunt, quam quæ futuræ.

eo major perverſitas diſcipulorum ejus quod ipſi non crederent.

In diſcipulis mira perverſitas apparet; qui tantopere à veritate alieni erant, tam perſpicue, ut etiam qui ipſum Iohannem (contra quam profitebatur & docebat) Meſſiam amplecti vellent: idque non uno verbo, ſed toto miniſterii ſui curſu. Et quanquam ſimul eum & peritum voluntatis divinæ & fidelem crederent, tamen vera de Chriſto dicenti, ægerrime fidunt. Vbi etiam obſervandum eſt parum convenire magiſtro & diſcipulis qui tamen totos magiſtro obſequentes ſe tradere præ ſe ferunt: quo minus mirari debemus hodie etiam Lutheri diſcipulos extare, qui cum *Lutherum* ſingulis momentis crepent, tamen longe ab illo in multis differunt.

Verſ. 19, 20. Quod hominum in Meſſia quies hæc legatio inſtituta;

Legationis autem verba (quibus quæritur an ipſe Meſſias ſit, an alium exſpectaturi eſſent) diligenter notanda ſunt. Iis etenim verbis indicatur nullam omnino hominibus quietem manere, niſi Chriſtum Meſſiam inveniant *Matth.* 11, 22. Ipſe enim exſpectatio noſtra eſt, ad quem oculos & animum attollimus. Ipſe eſt unicus portus ubi nobis à judicii divini ſenſu, & peccatorum conſcientia, tanquam à turbulentiſſimis tempeſtatibus interquieſcere conceditur. Is umbra & perfugium eſt, ubi nobis ab æſtu conſcientiæ noſtræ refrigerium patet. Is Aſylum ſeu ſanctuarium eſt, ubi à conſcientiæ noſtræ terroribus & à diabolo nos perſequentibus tuto degere licet. Denique is fundamentum eſt, cui impoſiti firmi conſiſtimus adverſus omnes ventos, tempeſtates, pluvias, aquarum eruptiones, &c. Hoc declarant tremulæ eorum conſcientiæ, qui operibus ſuis confidunt; in ſanctis ſpem ponunt, plenarias indulgentias magna pecunia redimunt. Quamobrem demus operam, ut in eo radicati & fundati ſimus: eoque, promiſſiones & ſacramenta quibus ad ſummam in Chriſto ſecuritatem provehimur, religioſe perſequamur.

Verſ. 21, 22. ad quam cur Chriſtus ſe Meſſiam ex operibus profiteatur?

In Chriſti reſponſo notandum eſt, eum diſertis verbis minime reſpondere ſe eſſe Meſſiam, ſed oblique eos admonere ut ex rebus geſtis quis ſit colligant, atque an ſit Meſſias dijudicarent. Hoc genus reſponſi elegit magis, quod apertum de ſe teſtimonium apud eos quis ſit dum neſcirent, ſuſpectum foret. Ne igitur propriæ laudis cupidior videretur, declinata affirmatione nuncios admonet, ut ſe referant ad ea quæ ab illo geſta fuerunt, atque adeo erant eo ipſo momento quo legati advenerunt, ut *Lucas* obſervat. Hac probatione utitur Chriſtus *Ioh.* 15, *&c.* Hoc etiam argumento uſus eſt Apoſtolus 2 *Cor.* 12, 11, 12. & 1 *Cor.* 9, 2, 3. & *Iacob.* 2. *oſtende mihi fidem tuam per opera, &c.* Atque hæc ratio noſtræ vocationis ex operibus comprobandæ, omnium aptiſſima eſt ad adverſarios revincendum, ut noſtræ profeſſionis fidem apud omnes indubitatam faciamus. Sæpe enim fit ut doctrinam quam profitemur reſpuentes, tamen ſi vitæ integritatem in nobis animadvertant, doctrinæ ipſæ quam alioquin odio & deteſtationi habent

bent animum adjungant. 1 *Pet.* 3, 12. vide 1 *Ioh.* 2, 29. vide etiam *Proverb.* 31, 28, & 31. Contra, verendum ne non excipiatur adversus alios, qui profitentur verbis hujusmodi; tu de te ipso testaris, testimonium igitur tuum verum non est. Et verendum, ne non nubeculæ leviter ventis jactatæ comparentur, quæ pluviam cujus indicium facit non reddat. Quod si, omissis hominibus ipsis, hodie ab eorum operibus qui sunt percunctaremur, verendum ne non longe diversum testimonium opera redderent, quam quod illi præferunt. Quis enim est qui non se Dei & Euangelii amantem profitetur? cujus si sciscitentur opera, frequens absentia à Verbi auditione, & Sacramentorum perceptione levissimis etiam de causis, idque Dominico die, &c. manifesta sunt, &c. Quis est qui se proximum amare non præ se fert? & tamen levissima offensa eum ita in fratrem incendit, ut Christum potius deserat, eique dorsum avertat, quam ad eum locum se aggregare velit, ubi is sit qui offensam dedit. Quis est qui se non veracem & integrum profiteatur? quot sunt tamen qui in lucro illud ponunt si fratrem circumvenire possunt? Imo quotusquisque est, qui se altero magis versipellem esse non æquis auribus accipiat?

Duo autem operum genera sunt, quibus se Messiam comprobat { unum miraculorum, alterum quod pauperes Euangelium accipiunt.

quæ potissimum miraculorum patratio,

Miracula probant Christi officium, cum propter frequentiam & multitudinem, tum propter magnitudinem & insolentiam; ut quod cæcum à nativitate oculis restituit: tum vero maxime propter absolutum in illis edendis imperium & authoritatem. Iis enim tribus modis à Prophetis discernitur. Hæc vero tam multiplex tam frequens & tam incredibilis morborum curatio, eum Medicum à Deo datum esse arguit, qui nobis medicinam ex omnibus peccatis quantumvis numerosis & atrocibus faceret. Alludit autem apertissime ad locum *Esa.* 35. ubi Propheta venturi Servatoris signa proponit, vel *τεκμήρια* potius,

& pauperum Euangelium:

Alterum scilicet, quod pauperes Euangelizantur ex *Esa.* 61. ubi dicitur, eum missum est ut לענוים Euangelizarent: quos Euangelista *Pauperum* nomine expressit. Sed intelligendum est *Pauperum* nomine intelligi non tam facultatibus inopes, quam *inopes spiritu:* ut *Matth.* 5, 3. Atque illud epitheton, aptissime vocem Hebraicam explicat. Ex quo intelligitur, qui sunt idonei auditores Euangelii? Ii scilicet, qui suæ turpitudinis conscii sunt, & onere peccatorum premuntur. Et quoniam inopes facultatibus ii fere inopes spiritu sunt, divitesque sæpe inflat eorum prosperitas, etiam ad illos non male referri potest. Vide 1 *Cor.* 1, 26.

quomodo hoc indicium Christi?

Sed hic *quæritur*, quomodo hoc indicium est Christi, cum sæpius pauperes spiritu instituti sint in Euangelio per alios.

Respondeo, claritatem doctrinæ tantam fuisse in Christi prædicatione, ut facile internosceretur à prædicatione aliorum; ut Iohannis Baptistæ & Apostolorum, &c.

Hic etiam notandum, hoc non ideo juberi à Christo ut Iohanni renunciaretur ac si ille inde disceret, sed ut ille hoc responso accepto, occasionem arriperet illa duo de Christo Prophetæ Esaiæ loca explicare. Interim tamē non omisit Iohannes se in salute Christi confirmandi occasionem.

Vers. 23. In Christi humilitate non offendendi;

Sequitur pars altera de impedimenti occupatione, quod illos remorari poterat. Primum, quod ejus conditio tam esset hominum judicio humilis afflicta & abjecta, quæ nullam illius splendoris partem referebat quam Iudæi expectabant. Deinde, quod parentum, Apostolorum & Discipulorum conditio qui illi adhærescebant, videbatur abjectissima esse: ut eorum qui eum contemnebant, præstantissima & augustissima conditio esse videbatur.

ut nec hodie in Euangelii prædicatione.

Hic etiam hodie impingitur, primum in ipsa Euangelii prædicatione: quæ quoniam neque à Pontificibus & amplissimis præsidibus proponitur, neque eo apparatu qui hominum oculos capiat aut sensus titillet, à superbis hominibus contemnitur. Deinde in professoribus, quia cum sæpe pauperes sint & abjecti qui Euangelio sincere & ex animo favent, & illud studiose affectantur, ideo fit aut ut se homines ad Euangelium non aggregent, aut certe quasi suburbio religionis procul à sinceritate & debito ardore subsistant. Præterea, cum fit sæpe ut qui in Ecclesia agant aut graviter offendant, aut certe peccare existimentur, efficitur ut plerique hinc ansam deficiendi arripiant & retrocedendi. Atque non dissimilis erat discipulorum Iohannis offensio, ut qui Christum ideo non sunt tantopere admirati, quod nulla severiore vivendi ratione usus sit, nec suum præceptorem in austero vitæ suæ genere sequebatur.

LVC. *cap. 7. à vers. 24. ad 29.*

24 *Et quum abiissent nuncii Iohannis, cœpit de Iohanne dicere ad turbam, Quid existis in desertum spectaturi? arundinem à vento agitatam?*

25 *Sed quid existis visuri? hominem mollibus vestibus amictum? ecce, qui vestitu magnifico utuntur & in luxu versantur, sunt in palatiis regiis.*

26 *Sed quid existis visuri? Prophetam? certe dico vobis, etiam amplius quam Prophetam.*

27 *Hic est de quo scriptum est, Ecce, mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui apparabit viam tuam coram te.*

28 *Nam dico vobis, inter genitos ex mulieribus, nullus est major Propheta Iohanne Baptista: sed qui minimus est in regno Dei, major est eo.*

MATTH. *cap. 11. à vers. 11. ad 16.*

11 *Amen dico vobis, non est suscitatus inter genitos e mulieribus quisquam major Iohanne Baptista: sed qui est minimus in regno cœlorum, major eo est.*

12 *Porro a diebus Iohannis Baptistæ usque nunc regno cœlorum vis affertur, & violenti rapiunt illud.*

13 *Nam omnes Prophetæ & ipsa Lex usque ad Iohannem prophetarunt.*

14 *Et, si vultis* hoc *recipere: ipse est Elias ille qui venturus erat.*

15 *Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

ANALYSIS.

IESVS multis *Iohannem Baptistam* celebrat: ubi notatur, 1. adjunctum temporis, nempe cum discipuli *Ioannis* discessissent: deinde subjectum apud quos eum tantopere celebravit, nempe turbam: post ad laudem accedit, quam astruit primum à testimonio ipsius turbæ præsentis, qui illum certatim videndum longum iter, idque in loca non adeo culta, & incolis frequentia, susceperunt: sic igitur ratiocinatur; vestro judicio magnum esse oportet, quem videre vos tanto studio & labore, idque in locum non ita cultum convolastis, sed *Ioannem* videndi magno studio & labore in deserta loca convolastis.

Vers. 25. Quamobrem magnum vestro judicio esse oportet: ubi laudat ab adjuncta constantia & severitate vitæ, quæ duo suis adversis levitate & deliciis illustrat. Propositio deest, assumptio habetur hoc versu, propositionem confirmat à distributione. Aut levitate & vanitate mentis impulsi tantum & tam incommodum iter suscepistis, aut ut magni aliquid spectaretis: sed prius confiteri vos pudebit, alterum igitur fateri necesse est, ut magnum aliquem spectare seu Prophetam existis; propositio habetur in fine hujus *versus* & 25, 26.

Vers. 26. Aliud argumentum quo *Ioannem* celebrat à divino Christi testimonio, quod amplificatur à comparatione minoris, scilicet Prophetæ, quo *Ioannes* excellentior est

Vers. 27. Suam præstantiam præ Propheta docet ab adjuncto, quod proxime Messiam Dominum præcessit: quod illustratur similitudine anteambulonis, qui regem proxime antecedit ut illi sequenti viam paret sternatque, & confirmatur testimonio Scripturæ.

Vers. 28. Hoc porro confirmatur à causa efficiente seu instrumentali, Prophetæ, quia nullus unquam Propheta à muliere natus tantus fuit quantus *Ioannes*. Hinc occasionem arripit ornandi Euangelii ministerium, comparatione *Ioannis* ministerii Euangelici tanquam minoris.

MATTH. 11, 12. Ministerium *Ioannis* ab effectu commendat, scilicet quod Deus spiritu suo per illud Ministerium hominum animos fervent Zelo Dei accenderat.

Vers. 13. Probat præstantiam *Ioannis* ministerii præ Prophetarum ministerio, quod illi modo de Christo Prophetarunt, id est, venturum prædixerunt, *Ioannes* vero Christum præsentem indicavit.

Vers. 14. Hic videtur rationem reddere singularis fervoris & zeli, quem in populo accendit ab adjuncto fervente spiritu *Eliæ*, quo à Deo ornatus est, cujus adminiculo zelum in suis auditoribus accendit.

METAPHRASIS.

Christus exspectato discipulorum Ioannis 24.
abitu, ne aut Ioanni *assentari, aut discipulos ejus magnificentius de præceptore quam par erat sentientes in errore confirmare videretur,* Ioannis *laudem ob causam ingressus est, ne ex proposita quæstione* Ioannes *ipse de Iesus officio dubitare videatur: sic igitur sermonem ad turbam instituit;* dicite qui Ioannis *Ministerium nunc demum in dubium revocatis, quorsum certatim in loca incolis infrequentia magnis itineribus illius visendi causa convolastis? num ut virum instar arundinis quovis*
vento impulsum & agitatum spectaretis? Si 25.

hoc non sit (quod confiteri vos pudebit) dicite
quid sit quod illum tanto studio spectandi exi-
istis? An ut virum molliter & delicate vesti-
tum spectaretis? atque in aulis Principum
sunt, qui vestium magnificentia & luxu dif-
26. *fluunt. Sed dicite, amabo, quid sit quod illum*
tanto studio spectandi exiistis? num Prophe-
tam? (nam qui ex vobis incorruptissime judi-
catis, de illo majus aut magnificentius ali-
quid ne per somnium quidem cogitastis.) Di-
cam quod res est, Ioannem *Propheta augu-*
stiorem & superiorem fuisse. Hic enim est de
27. *quo scriptum est in Prophetis. Rem vobis ani-*
madversione dignissimam prænuncio: me Deum
Patrem missurum legatum, qui non ut Pro-
pheta te Messiam venturum prædicent, sed
veluti Anteambulo *te proxime & immediate*
præcedens, viam tibi resipiscentiæ prædicatione
28. *præstruet. Quod ejus munus respiciens, omni-*
no confirmo vobis, nullum unquam ab homi-
nibus editum Prophetam esse, qui Ioanni *co-*
gnomento Baptistæ *muneris sui ratione postpo-*
nendus non sit. Quo ipso rationis momento ef-
ficitur, ut in Christi regno, suo in cœlum as-
censu non minus altius provecto, quam clarius
patefacto, quam sub Ioannis *ministerio; vel*
minimus Euangelii Ecclesiastes (si munus ejus
non personæ præstantiam respicias) Ioanni
præferendus est.

MATT. 11, 12. *Ministerii vero Baptistæ præstantia vel in-*
de æstimari potest, quod à capto illius Ministe-
rio plerique tanto ardore ad vitam æternam
contendunt, ac si illi vim quodammodo regno
Christi illaturi essent: sicut (ut quod res est
dicam) hi soli qui zelo Dei flagrantes magno
studio ad vitam contendunt, regni cœlorum
13. *sunt participes. Quod autem dixi nullum ex*
Prophetis Ioanni *ministerii sui ratione exæ-*
quari, palam est: quandoquidem illis Chri-
stum venturum modo prædicentibus, hic illum
jam venisse & præsentem esse digito indicavit.
14. *Quod autem de populi Dei incenso ad regnum*
Dei studio Ioannis *ministerio excitato dixi,*
minus mirum est: quandoquidem (ut studium
vestrum ad veritatem ab illo propositam am-
plectendum exacuam) omnino confirmo illum
esse, qui (quod zelo divinæ gloriæ tantopere
flagravit quo olim Elias Thisbites *exarsit)*
tanquam alter Elias *venturus prædicebatur:*
qui quicquid de illo Elia *prædictum est, omni-*
bus illius doctrinam amplectentibus salutari-
15. *ter præstabit. Quamobrem cui Deus animi*
aures perforabit, is hæc animo apud se diligen-
ter recondat.

PRAXIS.

CHristus populi levitatem in Iohanne æstimando insectans, ejusdemque ministerium ad proprii muneris stabilitionem exornans, orationis suæ fructum longe diversum consequitur.

Cujus *partes* sunt { Sermo de Iohanne. / Sermonis fructus.

In priori insunt *duo* { Populi in Iohanne æstimando inconstantia. / Ministerii Iohannis exornatio.

Argumentum est à distributione, qua illos reprehendit, hujusmodi. Aut oportet vos valde stultos & fatuos fuisse, Iohannem tantopere affectando, si nihil in eo admiratione dignum erat; aut leves & futiles, si dignum quem complecteremini statim fastidistis. Prius autem plane absurdum est, posterius igitur verum est.

Vers. 24, 25. *Christus de Ioanne turbæ opinionem coarguit;*

Priorem partem ironia & sarcasmo acerbo à repugnantibus amplificat. Absurdum esset iter in desertum suscipere arundinis causa. Quod si respondetis vos eo concessisse ut Iohannem videretis, quæro quid sit quod vos moverit ut illius visendi studio teneremini? an illud ut splendidum ejus vestitum spectaretis scilicet, qui erat vilissimis vestibus indutus, & in deserto agebat non in aula. Quod si dicatis vos Prophetæ visendi causa ivisse, verum est eum Prophetam esse, atque adeo Propheta majorem: quo magis reprehendendi estis, quod ejus tam excellens & præstans ministerium contemnitis.

inde populi levitas notanda,

Hoc loco notanda est populi levitas, qui hodie aliquem admirantes cras illum aspernantur, & doctrinam quam nunc avide arripiunt, mox nauseabundi fastidiunt: scilicet quod sint (ut Athenienses olim) avidi novitatis, nec Euangelium quod verbum Dei sit, sed quod novum & inauditum sit audire cupiunt. Sic etiam in Ministris & præconibus usu venit: ut qui hodie placet, cras displicebit: qui cras disertus est, perendie infans appellabitur & rudis. Sic sunt ut ægroti qui alia atque alia subinde exoptant: aut pueris similes quibus crepundia quæ hodie placent cras foras ejicientur. Verbum enim & præcones iidem sunt: sed illi mutantur. vide in *Epistola ad Galatas.*

quæ etiam in verbi auditione:

Qui autem sic accedunt ad Verbi auditionem, ii nihilo magis faciunt quam si in desertum proficiscantur ut arundinem jactatam viderent: aut ut si qui aliquot apud nos mille passus emetirentur ut urticam viderent:

rent: aut ut si quis concionem adiret, ut quo colore sit vestis intueretur: & certe cum quidam ad concionem accedunt hoc animo ut elegantem aliquam formulam loquendi seligant, aliquem figuræ florem, aut historiæ stellam, perinde faciunt ac si vestium intuendarum causa venirent prætermisso corpore, id est, sana doctrina, quæ omnibus optatissima esse debet. Obiter autem notandum sericis vestitos, non solere inter Ministros Verbi, sed inter aulicos reperiri: quod tamen corruptelis *Pontificiis* aliter nunc fit.

Vers. 26.

Hic à Christo supra Prophetas evectus;

Quod vero Christus Iohannem supra Prophetas extollit, in eo videmus nihil Iohanni deperire, ex eo quod falsum honorem ei delatum respuebat: verum enim consequitur cumulatissime illi Christi ipsius testimonio redditum. Sic *Ioh.* 5. sic fugientes, laus persequitur: persequentes, fugit. Et Christum honore afficientes itidem honore afficientur. Illa autem falsa laus, momento evanescet; hæc autem ad omnem posteritatem manebit. Ne igitur nos pigeat si nos ipsos prout res postulat deprimamus: erit enim tempus, cum Dei potens manus nos iterum extollet.

cur non nisi post abitum legato illi hoc præconium dederit?

Quod vero non prius præconium Iohannis orsus sit Christus, quam legati abscessissent, id duplici de causa fecit: cum ut omnem assentandi speciem & suspicionem devitaret, tum vero ne Iohannis discipulos opinione excellentiæ præceptoris plus satis imbutos, amplius incenderet. Vide *Prov.* 25, 11. ***velut mala aurea cum figuris argenteis verbum dictum commode.*** Sic sermo noster condiendus sale, si pro temporum, personarum, locorum circumstantiis adhibetur.

Vers. 27.

Post confirmat illum Propheta majorem extitisse, ab adjuncto officio Christum proxime antecedendi. Vide quid hoc de loco prius notatum est, in Cantico Zachariæ. Is enim nuncius longe gratissimus est, qui exoptatum bonum instare, atque adeo præ foribus esse nunciat.

cujus munus à Prophetis prædictum;

Deinde hoc argumentum confirmat à testimonio. In quo illud etiam singulare habuit Iohannes, quod multis ante seculis ejus munus prædictionibus Prophetarum Esaiæ & Malachiæ denunciatum est, tanquam illud Deus nobilitaret, cum conjunctam venturi Messiæ mentionem consequutum sit.

Vers. 28.

qui omnes ratione vocationis illi inferiores;

Amplificat Iohannis ministerium, à minori: scilicet, quod omnes quotquot hactenus exstiterunt vocationis ratione illi inferiores fuerunt, tametsi minimus præco Euangelii jam explicati & penitus patefacti, ut est 1 *Timoth.* 3, 16, *&c.* Quo magis videndum ne tædium nos capiat tam incomparabilis thesauri. Mosen enim spernens, duorum testimonio morte afficitur. Baptistæ vero ministerium aspernatus gravius plectetur: sed omnium gravissimas pœnas luet, qui Euangelii tam claram & meridianam lucem flocci faciet. Si stellæ luce collustratus, debitas erroris sui pœnas dedit, utique luet errores & diverticula quæ exoriente sole admissa sunt: omnium autem maxime qui meridiano sole semitam præceptam deseruerit. Et si velis & involucris tectum Euangelium aspernantes perierunt, nedum evolutum & expeditum. Si quibus odor & fragor salutis tenuiter percipiebatur & frigidius, justa condemnatio obtigit, quod illum odorem omnibus voluptatibus mundi postposuerint; nedum qui vita excludantur dignissimi sunt, qui tam fragranti & insigniter redolente salutis odore non permoventur, ut abjectis mundi illecebris, recta eo contendamus. Denique si gemmam procul ostentatam & adhuc rudem & impolitam prætereuntes, misere perierunt, quanto magis infœlices sunt, quibus eandem cum politam tum pala inclusam prope intueri licebit. Ex quibus etiam, quam beata nostra conditio sit colligitur, qui sub Euangelio vivimus. Vide locum *Esaiæ*, *stellæ lux ut lunæ*; *& lunæ ut Solis, &c.*

quod Christi mysterium enucleate evolverit,

Notandum etiam, non tanti fuisse Iohannis ministerium, quod illi licuit digiti indicio Christum in terris præsentem monstrare, quanti est totum Christi mysterium posse enucleate & evolute exponere. Cum tamen plerique in eo summam Ministerii sui præstantiam & laudem collocant, quod Christum manibus suis quasi captivum in terris teneant, eumque aliis gustandum & manducandum præbere se posse dicant.

MATTH. 11, 12.

zelo supra alios excelluerit,

Aliud argumentum, quo Iohannis ministerium exornat, est ab adjuncto zelo qui in piis ab ejus prædicatione effloruit. *Vim pati regnum cœlorum*, est magna contentione vel dimicatione potius à civibus regni cœlorum captari: cumque homines sancta quadam violentia perrumpunt omnia obstacula quæ ad illos impediendos erecta & objecta sunt, usque eo, ut sanguine etiam suo & crudelissima morte regnum cœlorum sectari parati sint. Vide *Esa.* 40, 30, 31. Affulgente enim majore scientiæ luce, simul iisdem gradibus & incrementis quibus Dei notitia crescit,

ſcit, zelus & ardor pietatis augetur. Vide *Tit.* 2,14. & 2 *Pet.*1, 5. Hinc Apoſtolus nos jam in precando majorem ardorem & fiduciam adhibere notat, dum clamamus, &c. Vide *Zach.* 12, 8. ubi de regno Chriſti, &c. Sicut enim propius metam intuentes & βραβεῖον, non poſſumus non incitari; & ut canes cum odor invaleſcit majore conatu ad feram contendunt; ſic, &c. Et ut velocius currimus plena luce, quam cum tenebræ nondum diſſipatæ penitus ſunt; ſic, &c. Et ut majore pulchritudinis & dignitatis amore incendimur cum rem ipſam intuemur, quam cum ejus effigiem; cum vultum inſpicimus, quam cum terga; ſic Chriſto jam exhibito, qui tantum ſui cognoſcendi incrementum attulit, nos ferventius in omni bono opere incendi par eſt. Qui igitur in Euangelii notitia recte proficiunt, hos, ut cognitione, ita zelo augeri convenit. Parum enim profuerit geminam aciem oculorum diſcernere, ſi nec pedes nec manus adſint quibus eum proſequaris aut prehendas. Aut quid juvaret ſi totum corpus oculus eſſet, nec eſſent alia membra quæ ad oculi obtuitum dirigerentur? Aut quid conferent ſapientiſſima conſilia, ſi quis nulla animi virtute præditus ſit qua conſilia executioni mandentur?

Iam planius explicat ab effectis cur Iohannem cæteris prætulerit: ſcilicet, quod illi omnes de rebus futuris prædicebant, hic vero rem præſentem indicavit: illi umbris & integumentis involutum Chriſtum, hic nudum & velis omnibus expeditum nobis explicat; denique, eum eſſe (cum propter virtutem ſpiritus & incredibilem zelum, tum propter muneris rationem, qua collapſa inſtaurabat) Eliam tantopere ab eis expectatum: eoque, Chriſtum eſſe verum Meſſiam. Verſ. 13, 14. *& Chriſtum præſentem indicaverit;*

Et quoniam res hæc graviſſima erat, & ſalutem eorum continebat, illos ad ſummam attentionem permovet. Ratiocinatur autem à fine. Ideo enim habent aures, ut audiant, maxime vero Dei verbum. Verſ. 15. *quæ res graviſſima.*

LVC. *cap. 7. à verſ. 29. ad 36.*

29 Et eo *audito, totus populus & publicani juſtificarunt Deum, baptizati baptiſmo Iohannis.*

30 *Phariſæi vero & Legis interpretes conſilium Dei aſpernati ſunt adverſus ſemetipſos non baptizati ab eo.*

31 *Dixit præterea Dominus, Cui ergo aſsimilabo homines gentis iſtius? & cui rei ſimiles ſunt?*

32 *Similes ſunt puerulis ſedentibus in foro, & qui acclamant alii aliis, & dicunt, Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non fleviſtis.*

33 *Venit enim Iohannes Baptiſta, neque edens panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet.*

34 *Venit filius hominis edens & bibens, & dicitis, Ecce homo edax & vini potor, amicus publicanorum ac peccatorum.*

35 *Sed juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis omnibus.*

ANALYSIS.

I*Oannis* Miniſterii effectus longe diſſimilis pro ratione ſubjecti diverſa: effectum doctrinæ per ſe erat, quod populus audita doctrina *Ioannis*, Deum in promiſſis ſuis præſtandis juſtum agnoverunt. Quod adjuncto ſigno confirmatur, dum ſe *Ioannis* Baptiſmo obſignari expetebant. Quod omne comparatione minoris confirmatur, nempe Publicanos ejus cum doctrinam tum Baptiſmum accepiſſe.

*Verſ.*30. Effectum vero in Phariſæis & Legiſperitis erat, quod conſilium Dei de Filio ſuo in ſalutem oblato irritum fecerunt: ubi eſt prolepſis, cujus occupatio eſt ab adjuncto, indignum videri ut tales homunciones Dei præpotentis conſilium irritum facerent: ſubjectio vero eſt à diverſis; quanquam conſilium Dei irritum facerent, tamen hoc totum non niſi in propriam illorum perniciem (nullo Dei damno aut jactura) concedere. Hujus contumaciæ adjunctum erat, quod Baptizari à *Iohanne* recuſabant.

Verſ. 31, &c. Hujus contumaciæ effectum eſt Chriſti acris eorum exagitatio, qua illorum deploratam & perditam conditionem aliis ad cautionem proponit, hoc ſyllogiſmo. Deploratæ & perditæ ſpei homines eſſe oportet eos, qui neque Miniſtrorum Euangelii in vitæ ratione ſeveritate & auſteritate, neque ſuavitate & manſuetudine, ad frugem & reſipiſcentiam adduci poſſunt: ſed tales ſunt Iuriſperiti & Phariſæi; ergo: deeſt propoſitio: aſſumptio continetur, *verſ.* 33, 34. ubi demonſtrat, nec ſeveritate vitæ *Ioannis*, nec humanitate & ſuavitate vitæ Chriſti, adduci potuiſſe ut reſipiſcerent: quod illuſtratur ſimilitudine puerorum moroſo-

morosorum cum aliis pueris in foro colludentium, & sociorum suorum studiis, seu ad luctum seu ad hilaritatem invitantium, obnitentibus, *versu* 32.

Vers. 35. Videtur prolepsis esse, cujus occupatio est ab apparente causa efficiente tantæ in summis populi proceribus contumaciæ, utpote quæ à pietate omnimodam defectionem videtur effectura: quæ subjectio est à diversis; quanquam Pharisæi & Iurisperiti Christum & *Ioannem* rejecerunt, tamen veritas ab omnibus his qui ad vitam ordinati sunt, agnita & credita.

METAPHRASIS.

29. *Populus autem atque adeo Publicani, qui*
rapaces fere fuerunt omnes, audita Ioan-
nis *doctrina Deum justum missione Filii sui ad*
30. *populi salutem agnoverunt. Quam rem ut te-*
statam omnibus relinquerent, Baptismo quem
Ioannes *administrabat, se obsignari expete-*
bant. Sed Pharisæi & Legisperiti Ioannis *te-*
stimonium, quod Deus sapientissimo suo consi-
lio ad mundi salutem instituerat, contemnen-
tes suo maximo malo (nullo Dei dispendio)
hoc testimonium irritum fecerunt: cujus con-
temptus indicium apertum existit, quod ba-
ptismo quem Ioannes *administrabat, consi-*
31. *gnari recusarunt. Quamobrem Dominus hæc*
dicere perrexit: tanta est hujus hominum ge-
neris obstinatio, & tam prodigiosa, ut quæ in
tota rerum universitate similitudine eorum
pertinaciam ad vivum exprimam, non inve-
32. *niam. Eam tamen placet sic aliquousque ad-*
umbrare: Non ignoratis pueros in foro consi-
dentes inter ludendum quandoque de suis con-
gerronibus collusoribus queri ad hunc modum;
Tibia cecinimus vobis, nec tamen saltastis: ad
lamenta vos provocavimus, nec tamen luxi-
33. *stis. Quæ puerorum in socios querimonia si ju-*
sta sit, quanto justius ego hoc hominum genus
accusem: venit enim Ioannes *Euangelium*
prædicans, qui inusitata victus & cultus ratio-
ne (tanquam ad lamenta invitans) eos ad re-
sipiscentiam provocavit, & dicitis eum dæmo-
34. *nio actum esse. Venio & ego Euangelium præ-*
dicans, & summa comitate & consueto victus
& vestitus more, eos tanquam tibia canens)
ad illud amplectendum alliciens, & calu-
mniamini me esse heluonem, strenuum vini po-
tatorem, denique publicanorum & scelerato-
35. *rum amicum. Tametsi vero hac Principum po-*
puli perversitate omnes à veritatis amplexa-
tione absterritos iri videri possit: tamen ex his
qui ad veritatis & sapientiæ agnitionē à Deo
ante jacta mundi fundamenta destinati sunt,
ne unus quidem est qui propositam Euangelii
doctrinam pro vera & salutari non habebit.

PRAXIS.

Sequitur fructus prædicationis Iohannis; qui est
- Conversio publicanorum, &c.
- Obfirmatio Pharisæorum.

In quo notandum, quam sit utile quæstiones de summa religionis proponere; cum non tantum ii qui interrogabant, sed plerique alii singularē virtutem inde percipiant. Populus universus, atque adeo Publicani, qui Iohannis Baptismate tincti & obsignati fuerant, hac Christi concione permoti, & inconstantiæ pœnitudine ducti resipuerunt. Quam resipiscentiam Lucas *Iustificandi Dei* titulo explicat. Cum Dei enim nomine uterque, cum Iohannes tum Christus locutus sit, qui illis fidem adhibet, & in ministerio justos reputat, iidem Deum à quo legantur justum agnoscunt. Vide *Ioh.* 3,33. Notandum igitur quanti sit resipiscere; quo Dei hinc promissiones, istinc comminationes, pro veris & justis habentur. Quoties enim homines scelerati vera & viva fide verbi Dei imbuuntur, toties illos cum blandis & suavibus promissionibus ad benefaciendum allici, & minis à maleficiis absterreri necessum est. Interim notandum eos se injustos, & adversus veritatem mendaces agnovisse, sine quo Deum nunquam justificassent. Vt enim Deus verus agnoscatur, omnis homo mendax habendus erit: utque Deum justificemus, nosmetipsos condemnare oportet. Quod quam difficile nobis sit, experientia docet. Significatio *Iustificationis* hic observetur; quæ est non *justum* hominem reddere, sed *pro justo habere & reputare*.

Vers. 29. *Ex resipiscentia turbæ Deus justificatus;*

ea resipisc. quanta?

Pharisæorum vero & legisperitorum pertinacia notatur, contraria loquendi formula, scilicet, quod *Consilium Dei irritum facerent:* & quum alii illud stabiliverunt, ii irritum fecerunt: nec Iohannem Eliam & præcursorem; nec Christum Messiam credentes, Deum per latus ministerii eorum, mendacem constituerunt. 1 *Ioh.* 5, 10. Prædictiones enim de Iohannis & Christi ministerio, atque in ea re Dei consilium, sua pertinacia & infidelitate non alio loco pro suis viribus constituerunt, ac si nunquam quicquam de ea re decretum & consultum fuisset. Vnde sicut priores Deum justificarunt, sic ii Deum injustitiæ tacite insimularunt. Hoc autem quam atrox sit, Deum mendacii insimulare, verbis exprimi nequit. Nam si grave sit hominem mortalem & vanum mendacii insimulare,

Vers. 30. *quomodo contra à Pharis. Dei consilium irritum factum?*

mulare, quo animo Deus hæc feret? cujus quidem consilii Dei refigendi causa est, quod se suaque tueri constituerant; & Deum ipsum potius perfidiæ arguere quam suam perfidiam & impietatem in repudiando Euangelio confiterentur. Quamobrem caveamus, ne pertinaciter sententiam semel arreptam retineamus.

idque adversus semetipsos:

Quod autem dicitur, *Eos irritum consilium Dei adversus se fecisse*, eo docet consilium quidem Dei in se irritum reddi non posse. Ejus enim cogitationes firmæ sunt, nec ullo hominum conatu labefactari possunt. Tantum usque eo irrita esse, ut ipsis non prosint sed obsint potius. Eoque docet, Christo atque Deo nihil hac eorum pertinacia decedere, sed tantum sibiipsis. Si enim *Iustus sis, tibi ipsi justus es: si impie te geras, tu ipse pœnam feres: Prov. 6*. Vt enim bona nostra ad Deum non pertingunt. *Psal. 16.* sic nec mala. Et ut Deo nemo prodesse potest, sic nec obesse. Vt enim qui sagittas in solem vibrat, soli non nocens sibiipsi nocere possit, &c. Aut dolor ei est qui manum ad stilicem impingeret, &c. Quod quidem hoc loco singularem consolationem affert. Poterant enim videri Pharisæi & legisperiti propter singularem doctrinam & authoritatem qua pollebant, plurimum obfuturi Dei gloriæ in oppugnando Euangelio: sed occurrit *Lucas*, in seipsos tantum fuisse injuriosos.

cur illi alieni à peccat. confessione?

Nec inverisimile est Pharisæos ideo alieniores fuisse à peccatis confitendis & deprecandis, quod viderent multitudinem & Publicanos infestum genus hominum, & Iudæis summe exosum, ad resipiscentiam addictos esse. Sic hodie in delectu religionis ratio habetur non tam veritatis, quam eorum qui eam profitentur, si magnates sint, si amici aut inimici, &c.

Vers. 31, 32.

Christus ob contemptam à Pharisæis doctrinam eorundem pervicaciam amplificans, hac occasione circumjacentibus civitatibus suam itidem indurationem exprobrat:

Cujus *partes* sunt,
- Pharisæorum obstinationis amplificatio,
- Circumfusis civitatibus suæ indurationis exprobratio.

Pharis. pervicacia in hac comparatione;

In hac similitudine, Christus & Iohannes pueris provocantibus ad choreas & luctum comparantur. Iohannes quidem ad luctum, Christus vero ad choreas. Pharisæi autem pueris illis, qui in utramque partem provocati, non responderunt. Qua parabola, hinc Dei singularem facilitatē & pietatem; istinc, Pharisæorum mõstrosam & inusitatam pervicaciam nobis ante oculos exhibet. Et quidem in Deo incomparabilis bonitas est, quod una via & ratione apud homines in propriam ipsorum salutem non proficiens, aliam ingreditur; non prius acquiescens, quam omnia tentarit quibus ad frugem adducantur.

Dei vero singularis munificentia,

Præpotentem Deum, tam ampla bona offerre, eaque vel indicio & levissima significatione insinuare, singularis munificentiæ est: illi autem instare, eumque urgere & omnes vias persequi quibus ad salutem itur, incredibilis cujusdam in homines pietatis est. Quod quidem Dominus præstat, cum in unius & ejusdem Ministri variatis docendi officiis, tum in diversorum inter se quidem discrepantibus & dissentientibus donis. Per eundem enim Ministrum nunc jubet; nunc monet: nunc obsecrat; nunc minatur: nunc frontem contrahit; nunc exporrigit: nunc Iudæum agit; nunc Ethnicum: & omnia omnibus fit, ut quosdam lucrifaciat. *1 Cor. 9*. Perinde ac si aucupum artem imitaretur, qui avium pipitum mentiuntur, quo reti Euangelico irretiti, diaboli laqueis expediantur; aut nutricis artificium, quæ vocem suam ad infantuli oblectationem subinde variat. Per diversos vero, dum iis, spiritum severitatis, aliis mansuetudinis; iis reconditiorem doctrinam; illis, composite & ornate loquendi facultatem, iis gravitatem, illis sermonis affabilitatem & comitatem.

& incredibilis sapientia,

Non secus ac si cibos quis salubres fastidienti & nauseanti stomacho, condimenti aut acris aut dulcis varietate, aut vasorum & patinarum delectu ad ægroti appetitionem accommodato commendaret. Aut ut Medici, qui quæ sub pharmaci & medicamenti nomine respuunt, per ordinarii cibi & potionis speciem fruenda suppeditarent. Quod quidem tanta cura & sollicitudine Deus erga suos procurat, ut aliquando in Scriptura sapientissimus omnium rerum perfector, tanquam consilii in dirigendis & corrigendis suis inops, inducatur, ut hoc ipso loco *vers. 31.* & apud *Oseam.* Vide *Esaiæ 5. Quid faciendum fuit vineæ meæ, quod non fecerim?*

in quam tamen homines pertinaces sunt,

Hominum vero pertinacia & protervia, mirum se in modum prodit, quæ nec blando sermone delinitur, nec asperiore commovetur; qui hujus ministri laudabilem severitatem insectantes (*invaying and speaking against*) alterius prædicandi facilitatem & comitatem

mitatem traducant (*doe dishonour*) illum μισάνθρωπον; hunc ad gratiam omnia dicere affirmant: hujus reconditam ſcientiam obſcuritatis damnant; illius illuminatam & enucleatam orationem, dicacitatis inſimulant: iſtius parcimoniam ſordium nomine aut diabolicæ cujuſdam incantationis condemnant; alterius liberaliorem vivendi rationem, luxus & intemperantiæ notant: ſenes delirii, juvenes temeritatis accuſant; qui nec lugubribus, nec lætioribus, ut quod ſui officii eſt, faciant, commoventur: denique qui ita utramque aurem adverſus veritatem obfirmarunt & obturarunt, ut nullis ne exquiſitiſſimis quidem incantationibus locum relinquant. Quippe furibundus ſpiritus quo Saul tranſverſus raptus eſt, Davidis harmonia & concentu cohibitus eſt; ſed inſanus iſte & rabidus furor, quo homines adverſus veritatem ducuntur, nulla quantumvis artificioſa Verbi Dei modulatione ſedari & ſopiri poteſt. Huc ſpectat *Prov.* 29. Quicquid enim feceris, ſive rideas, ſive iraſcaris, &c.

ideoque in proprium interitum ruunt. Sicut autem ad modos & harmoniam vocantis Dei nos non conformare, triſtiſſimam Dei in nos ſententiam accerſit; ſic, &c. Vide *Eſa.*22,12,13. *&c.* Monendi hic ſumus, ne nos qui multiplicis hujus in docendo largitionis participes fuimus, & apud quos dominus bis terve ſuam vocem commutavit, tantam prolixitatem, & quibus cœleſte Man ita paravit, ut pro cujuſque palato aſſum, elixum, piſtumque maxime placare potuit, ne &c. Tametſi enim verbum Dei cauponari non licet, nec ab ejus ſimplicitate vel latum unguem deflectere, donorum tamen varietatẽ quibus Præcones excellunt, idemmetipſum verbum tanquam novum & aliud hominum aures perſonat.

Verſ. 33, 34. *Chriſtus intemperantiæ peſſime inſimulatur,* Obſervandum, Chriſtum omnis generis temperantiæ & moderationis in cibo & potione ſpeculum, tanquam helluonẽ tamen & bibonem accuſari; quum ipſe eſurierit, ſæpe ſitierit, ſæpe in deſerto ab omnibus deliciis remote egerit; ſitim aqua, famen hordeaceis panibus & piſciculis fregerit; & quidem ab iis qui laute in ſingulos dies epulabantur, & luxuria diffluebant, ut minus mirum ſit, ſi *Pontificii* nos crapulæ & ingluviei inſimulant, qui ipſi omnium edaciſſimi ſunt, & ventris ſervituti mancipati: ſi nos tanquam jejuniorum hoſtes & oppugnatores traducunt, qui ipſi quid ſit verum jejunium neſciunt. Quanquam olim nobis tanquam jejunii oſoribus infeſti, nunc vera jejunandi ratione in Eccleſia quaſi poſtliminio reſtituta, ſpiritum nos jejunii inceſſiſſe per irriſionem occlamant, cum Phariſæis patriſſantes, qui in illis veterem, in nobis novum eſſe non verentur affirmare.

Sicut autem Chriſtum inſimularunt Phariſæi tanquam peccati approbatorem, quod in peccatores reſipiſcentes tam fuit propenſus: ſic nos *Pontificii*, quod gratuitam à peccatis ſolutionem prædicamus.

Deinde, nec illud prætereundum quam abſurde faciunt qui proram & puppim in religionis profeſſione, in victus & veſtitus vilitate & auſteritate collocant: cum hoc nomine Iohannem Chriſto præpoſuerint. *ideoque de externis actionibus non judicandum:* In Iohanne quidem hæc ſeveritas laudatur, quod à Deo imperata ſit; cum enim non expediret ut miraculis ſibi authoritatem conciliaret, viſum Deo fuit alio modo agere. Item ut Eliam repræſentaret ſpiritu & converſatione.

Ne vero hæc Phariſæorum pervicacia diſcipulorum animos frangeret, dum exiſtimarent de Chriſti doctrina actum eſſe, quod qui totius Eccleſiæ columnæ videbantur, illam oppugnabant, occurrit Chriſtus argumento à ſubjectis, ſcilicet filios ſapientiæ, eam juſtificaturos; eoque non defuturos veritati ſuos amicos, qui illam exoſculabuntur. Verſ. 35. *cum veritas ab ejus profeſſoribus non deſtituatur.* *Filiorum* autem nomine Hebræa loquendi formula intelligit *devotos & deſtinatos* ut ſapientiam amplectantur, ut *filii thalami: filii Prophetarum: filii pacis: filii iræ.* Hic igitur ad Dei arcanum conſilium à Chriſto recurritur, ut offenſionem illam depellat, quæ à Phariſæorum obſtinatione pullulabat. Vide *Act.*13,18,47. Et 2 *Tim.*2,10. Quoties ergo inundatio aliqua iniquitatis accedit, quæ ſegetes obruens omnem meſſis ſpem videatur auferre, toties nos hac conſolatione ſuſtentemus, à filiis *ſapientiæ* ipſa *juſtificatam* iri. Hæcque eſt reſponſio Pontificiis, qui in noſtram religionem inquirentes, rogant ubinam gentium tandem fuerint qui abhinc ſexaginta aut centum annis, noſtram religionem profeſſi ſunt. Vt enim poſt vindemiã eſt racematio; poſt meſſem ſpicilegium; poſt decuſſam olivam, raræ quædam olivæ ſub ramis & foliis deliteſcentes; ſic, &c.

MATTH.

MATTH. *cap.* 11. *à vers.* 20, *ad* 25.

20 Tunc cœpit cum probris increpare civitates in quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ipsius, quod non resipuissent, dicens,

21 Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes *resipuissent:*

22 Quinetiam dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilior erit conditio in die judicii quam vestra.

23 Et tu Capernaum, quæ es usque ad cœlum sublata, usque ad inferos deprimeris: nam si Sodomis editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud te, mansissent usque ad hodiernum diem.

24 Quinetiam dico vobis, terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio in die judicii, quam tua.

LVC. *cap.* 10. *à vers.* 12, *ad* 16.

12 Dico autem vobis, Sodomorum conditionem die illo tolerabiliorem fore quam urbis illius.

13 Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent.

14 Ideo Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio quam vestra.

15 Et tu Capernaum quæ usque ad cœlum elata es, usque ad inferos deprimeris.

ANALYSIS.

CHRISTI formidabilem comminationem proponit: quam describit, 1. ab adjuncto tempore, nempe cum nec severitate vitæ, nec mansuetiore vivendi ratione profuerant homines: deinde à subjecto loco, nempe ubi plurima miracula edidisset: denique ab efficiente causa, impœnitentia.

*Vers.*21. A genere ad species civitatum descendit, in quibus primum sunt Chorasim & Bethsaidæ urbes; quas describit ab adjuncta denunciatione maledictionis divinæ: causam vero efficientem assignat impœnitentiam; quam amplificat à comparatione minoris, nempe impœnitentia Tyri & Sydonis; quam comparationem ab effectis confirmat, quia pœnitentiam egissent in sacco & cinere, si ea miracula apud illos edita fuissent, quæ Chorasim & Bethsaidæ edita sunt.

*Vers.*22. Confirmat illud argumento à comparatione, altero comparatione minoris, quod pœna leviori punientur; quæ adjuncto tempore restringitur, nempe in die judicii.

*Vers.*23. Deinceps ad aliam speciem progreditur, nempe Capernaum: cujus sceleris atrocitatem amplificat ab adjuncta celsitudine, in quam eximiis Dei beneficiis, veluti in cœlum relatum est; cujus adjunctam pœnam amplificat, ab adversa depressione in inferos. Ejus scelus seu impœnitentiam amplificat comparatione minoris, nempe impœnitentia Sodomorum. Causam efficientem notat peccati Capernaitarum peccato inferioris, quia resipuissent in sacco & cinere, si eadem miracula Sodoma edita fuissent, quæ Capernai edita sunt: quod probat ab effectis resipiscentiæ Sodomorum, nempe quia adhuc mansissent & superfuissent.

*Vers.*24. Illam comparatione confirmat, ut supra 22 *vers.*

METAPHRASIS.

POstquam sua pertinacia obfirmati, cum 20.
severioris Ioannis Baptistæ, *tum mansue-*
tioris Servatoris Christi vivendi & docendi
ratione ad vitæ emendationem non profecis-
sent: cœpit Iesus adversus illas urbes fulmina-
re, in quibus Euangelii prædicationem pluri-
bus virtutis divinæ miraculis obsignasset;
quia utcumque speciem pietatis præ se fere-
bant, tamen vera peccatorum pœnitudine du-
cti non fuerant. In his te Chorasinum & te
Bethsaida nominatim appello, quibus utrisque 21.
gravissimam à Deo Patre maledictionem de-
nuncio: quia si in Tyro & Sydone (sceleratis
alioqui civitatibus) divinæ virtutis mirifica
opera edita fuissent, quæ in te edita sunt: o-
lim multis retroactis seculis suam resipiscen-
tiam cinere & cilicio testati fuissent. Tametsi 22.
vero vos has civitates ut impias & prophanas
superbe

superbe contemnitis, sitque vestra in præsentiarum melior conditio quam illarum: tamen hoc audacter affirmarim, cum Tyro & Sydone mitius actum iri in celebri illo die, quo de omnibus ad unum usque salutis aut condemnationis æternæ sententia dicetur, quam vobiscum.
23. ***Cumprimis vero tu Capernaum nobilitate Emporii, maxime vero Euangelii prædicatione, miraculis quamplurimis, & mea in te habitatione in cœlum veluti elata, ad infimum usque barathrum pro ratione & mensura elationis tuæ detruderis: quia si vel in Sodomis (nequissima & conspurcatissima civitate) divinæ virtutis miracula facta fuissent, quæ in te sunt edita, quæ nunc vastata & pervastata sunt, in hunc usque diem superfuissent. 24. Vt vers. 22.***
20.

P R A X I S.

Cur Christus has civitates maledixerit?

SEquitur altera pars, de circumfusarum civitatum exprobratione. Dilapsus enim Christus in hunc sermonem, alios etiam scelere contempti Euangelii cum Pharisæis consociatos adoritur; forte, quod urbes hæ Pharisæorum authoritate adducti, Christi doctrinam minus æstimarint: deinde, ut ex harum civitatum irrogata pœna, facilius quod Pharisæos judicium Dei formidabile maneret intelligeretur. Hinc constat, quando in istas horribiles maledictiones assurgendum, nempe cum nec lenitate nec severitate profecerint; cumque doctrinas & hortationes sæpe iterarint.

Insunt autem in hac oratione *duo*, { criminatio. pœnæ denunciatio.

Vers. 20. *in quo earum crimen consistit?*

Crimen in eo constituitur, quod doctrina Euangelii plerisque miraculis apud eos obsignata, resipiscentiæ fructum non tulerit. Peperit quidem admirationem; peperit nonnullum divinæ majestatis in eorum animis pavorem, ora etiam ad qualemcunque divinæ potentiæ & liberalitatis laudationem aperuit; nec dubium est quin Christi ad tempus amplexationem effecit. Sed hæc omnia si à vera resipiscentia ex fide non ficta profluente remota sunt, nihil aliud quam spinæ & cardui sunt; nec Patris Cœlestis agricolationi satisfaciunt; reprobus nummus est, non legitimus atque commeans, quem pro salario Christo pastori reddamus Hæc eadem doctrina est quæ nobis proponitur: non tantum signis & ostentis ut tunc temporis, sed donorum etiam distributione confirmata Nisi igitur fructum resipiscentiæ feramus, nihil nobis profuerit doctrinæ approbatio, præconum admiratio, Papatus contemptus; nihil cætera. Quoties igitur ad Verbi prædicationem accedimus, meminerimus nobis hunc scopum esse propositum, ut superioris vitæ pœnitudine ducamur: eoque immutanda corda, & mucronem Verbi Dei, veluti in lapideum cor nostrum intromittendum: patiendum ut Verbi Dei vomer, nostræ depravatæ mentis urticas & tribulos averruncet (*scrape or cut of, vveed or take avvay:*) Et illius sententiæ jacturam nos fecisse existimemus, ex qua nihil ad nos in resipiscentiam erudiendos didicerimus.

Vers. 21. *quod comparatione aliarum gravatur;*

Hanc accusationem amplificat à majore, scilicet, quod plura miracula apud illos edita sunt, quam aliis in urbibus: & major Christi largitio erga illos extaret, quam erga alias illarum ditionum urbes. Huc accedit quod Christus Capernai habitabat; unde ejus urbs dicta est, *Luc. cap. 4. vers.* 23. ibique multa miracula ediderat: & è Bethsaida tres minimum Apostolos delegit, qui totius mundi lumina futuri forent. Quo igitur liberalior satio fiet, eo uberior messis exspectatur, & ab eo multum repetitur, cui plurimum tributum est. Quod si nullus fructus ad Deum redeat, magna peccati congeries, & veluti mons conflatur. Hoc ad nos accommodandum, ubi Christi virtus in Euangelio clarius illuxit, quam apud plerosque.

Vers. 22. *etiam earum quæ ab illis impiæ censentur:*

Eandem accusationem alio argumento minoris exaggerat: scilicet, quod Tyrus, Sydon, Sodom, urbes quas vos impias & abominabiles dicitis, si eadem Dei liberalitate perfusæ fuissent, illis resipiscentia superiores exitissent, tametsi à Republica Dei alienæ & ad prophanas gentes aggregatæ, & conspurcatissimæ ac contaminatissimæ essent. ***Iustificavit enim Israël sororem suam Sodom. Ezech.*** *16, 46. &c.* Verendumque ne dici possit Turcas & Cannibales pœnitentiam acturos fuisse, si eadem illis quotidie quæ nos documenta personarent. Sed nos hæc diserte affirmare nequimus. Vide illum locum Ezechielis de justificatione Sodomæ, ubi manifestum divinitatis Christi argumentum declaratur: qui quid olim vel in penitissimis hominum præcordiis eventurum fuisset, tam accurate novit. Vide ***Actor.*** 27, 3. ***Marc.*** 3. & ***Actor.*** *21, 24, 5, 6.*

cur Deus ad eas civitates quas sciebat resipiscere acturas

Sed hic subit animum *quærere*, cur Deus præcones ad illas urbes non submiserit, quas probe scivit pœnitudine ductas iri, & eas tamen hoc beneficio affecit, ut has civitates, quas nulla pœnitentia tactas fore præsensit?

praecones non miserit?

sensit? Vide *Ezech.* 3, 5, 6. Perinde ac si agricola sementem & quidem copiosam ibi faceret, ubi nullam messem fore animo percepit; contra ibi nullum semen projiceret, ubi certa messis spes affulget.

Hic, si quis Dei justitiam tueri ex eo conetur quod per fœdus non tum licuit, illis urbibus, nec per tempus revelationis hanc veritatis notitiam communicare, aliquid quidem dixerit; sed quod non satisfaciat tamen; quæri enim rursus potest cur cum hujusmodi hominibus fœdus contraxit, omissis iis quos bonos futuros noverat: deinde scimus præter fœderis rationem veritatem Ninivitis prædicatam, &c. Sed hinc ad inpervestigabilem judiciorum Dei altitudinem confugiendum est, qui liberrime & justissime facit, & non sine summa injuria ad juris & æquitatis humanæ angustias revocatur. Iudicia enim Dei ad nostram trutinam exigere non minus absurdi habet, quam si quis sapientissimi Salomonis judicia ad septennis pueri sensum & intelligentiam examinaret. In hoc igitur tam profundo mari si quis conetur pede rationis suæ profunditatem explorare, submergetur: tantum fidei manibus natandum est, ut mersionem declinemus. Hic autem locus vindicandæ gratuitæ gratiæ eximius est, & operum meritis convellendis aptissimus. Maxime vero illam *Pontificiorum* latebram penitus detegit, qua affirmant Deum de singulis, pro ratione provisi & præsciti meriti, ante initium mundi constituisse. Nam, &c.

Vers. 24. *Gravitas pœnæ harum civitatum;*

Atque hoc modo in has urbes accusatione proposita, deinceps pœnam tantæ impietatis denunciat. Quam docet graviorem fore quam earum olim civitatum exstitit, quæ ad consimilem quam illæ expertæ sunt gratiam resipuissent. Chorasini & Bethsaidæ, quam Tyri & Sydonis; Capernai quam Sodomæ: *servus enim qui novit voluntatem heri, nec facit, vapulabit, &c. Luc.* 13. Vt notitia Euangelii praxi remota majorem condemnationem arcessat, & quasi ligna comportet quibus formidabilius conflagremus.

Hic expende exitium earum civitatum præcipue Sodomorum, quorum ignis ad Gehennam usque, teste *Iuda*, arsit. Ex quo quam horum formidabile sit judicium futurum, promptum erit aliquousque cognoscere.

hinc neglectus Euangelii majus peccatum,

Hinc liquet neglectum Euangelii propter ullius rei terrestris studium, gravius peccatū esse, quam erant illa omnia atrocissima & fœdissima scelera quæ à Sodomitis admissa sunt, sive adversus primam seu secundam tabulam. Vide discrimen in lege in iis qui admoniti se populo Dei subjecerunt, & illos qui non nisi vi superati cesserunt, & ad hunc locum accommoda.

quod non semper in hac vita puniatur,

Notandum vero hoc non semper in hac vita contingere, ut male sit Euangelii contemptoribus, sed in illa die scilicet judicii, cum de omnibus judicium feretur. Severius enim actum est in hac vita cum Sodomitis, Tyris & Sydoniis, quam cum harum urbium civibus. Sicut enim antequam judex veniat, sæpe melius agitur cum iis captivis qui sceleratiores sunt, quam cum iis qui minus deliquerunt: sic, &c. Non igitur spiritus sumendi sunt, aut timor abjiciendus, quod Deus è cœlo non fulminet ilico atque impius quis factus, &c.

ne ad omnē nequitiam proꝛumpant.

Gradus condemnationis hic statuuntur, ut homines impii hoc fræno & hamo retineantur, ne se ad omnem nequitiam projiciant, simul atque hæc opinio eorum animos intravit se damnatos fore. Tametsi enim peccato sibi nullo modo temperabunt Dei amore ducti; at metu hoc retenti, minus tamen proculdubio audaces erant: ut malefici nonnulli qui metu mortis à latrociniis minime absterriti, tamen à quibusdam criminibus abstinebunt, ne cogantur exquisitissimum aliquod supplicium, à quo abhorrent, subire.

Quomodo Capernaum magis in cœlos elata ad inferos deprimenda?

De Capernao vero additur eam *ad cœlos elatam ad inferos usque deprimendam:* non quod non essent & reliquæ civitates & in cœlum elatæ & ad inferos depressæ. Sed quod hoc illi singulari ratione competebat, propter effusæ & inusitatæ Christi erga illam urbem pietatis declarationem. Quo enim uberius benedictione Euangelii proluebatur, eo altius elata est: ut veluti cœlum digito contingeret. Quo accessit, quod locus ille celeberrimum fuit ex omnibus Galilææ oppidis emporium. Qua Dei largitione cum turpiter abusa sit, effectum est ut altius cœlum subvolando & petendo, graviori in inferos casu quassata sit. Hic locus est opportunissimus divinæ erga nos, qui hic vivimus & disciplina fruimur, munificentiæ amplificandæ: simul etiam admonitioni, ut illa grate utamur, &c. Ex elatione & depressione Capernai colligitur reges suis subditis, Ministros suis gregibus, doctos indoctis gravius perimendos, nisi resipiscunt.

MATTH. *cap. 11. à vers. 25. usque ad finem Cap.*

*25 In illo tempore respondens IESVS dixit; Gloriam tibi tribuo Pater, Domine
cœli & terræ, quod hæc occultaveris a sapientibus & intelligentibus: & ea retexeris
infantibus.*
26 Etiam Pater, quia ita placuit tibi.
*27 Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: & nemo novit Filium nisi Pater, ne-
que Patrem quisquam novit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.*
28 Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati. & ego faciam ut requiescatis.
*29 Attollite jugum meum in vos, & discite a me quod mitis sim & humilis corde:
& invenietis requiem animabus vestris.*
30 Iugum enim meum facile est, & onus meum leve est.

ANALYSIS.

TAcita occupatione ab adjuncto contempti ab illis civitatibus ministerii Christi, in promptu erat excipere, Christum suo Patri parum obstrictum esse, quod ministerium ipsius meliori successu non sit prosequutus; cujus subjectio est adversa, ministerium suum magni à Deo fieri, quod probat ab adjuncta gratiarum actione Patri; quæ gratiarum actio describitur ab adjuncto tempore, nempe eodem quo horribilem maledictionem in urbes illas, & in Pharisæos vibrasset: deinde à materiali causa gratiarum actionis, nempe quod Deus mysteria celasset sapientes mundi, & illa retexuisset idiotis & infantibus; quæ causæ amplificantur ab adjuncto mero Dei imperio in omnes, qui sunt in cœlo & in terra, quo quosvis pro arbitratu suo flectere & reflectere potest.

*Vers.*26. Summam rejectionis illorum & horum electionis causam assignat, Dei beneplacitum.

*Vers.*27. Alia prolepsis, cujus tacita occupatio est adjuncta Christi ἀδυναμία. Atque interim liquet penes te non esse homines ad pœnitentiam adducere, alioqui effecisses ut ad veritatem conversi fuissent. Subjectio est ab adversis, imo Pater omnia mihi in manum tradidit; quod à comparatione parium comprobat, quia ut nemo ad Filium venit nisi per Patrem, sic nemo ad Patrem venit nisi per Filium.

*Vers.*28. Hinc invitat ut fide ad se veniant, quos à subjecto describit laborantium & onustorum, & confirmat ab adjuncto præmio quietis.

Vers. 29. Post ad vitæ sanctitatem hortatur, quam comparatione parium, nempe jugi, illustrat. Post hujus sanctitatis partes quasdam proponit, mansuetudinem; quam comparatione similitudinis confirmat, quia ipse est mansuetus; item humilitatem: utriusque autem virtutis adjunctum præmium proponit, quietem & pacem animarum.

Vers. 30. Prolepsis est, cujus tacita occupatio ab adjuncta jugi Christi duritie, & oneris Christi gravitate & pondere: subjectio est ab adverso, jugum meum est facile, & onus meum est leve.

METAPHRASIS.

25. *EOdem ipso tempore quo horribiles maledi-
ctiones, in civitates tuas & Pharisæos su-
perbos vibrasset: ut se adversus prodigiosam
hanc ingratitudinem consolaretur, & infirmos
à fidei in se defectione vindicaret, ad Deum
se convertit, dicens: Ago tibi gratias, Pater,
quod cum cœli, & terræ, & omnium qui illa
incolunt dominus sis, usque ita absolute impe-
ras, ut pro arbitratu tuo omnium hominum
animos flectere & reflectere, mollire aut obdu-
rare possis; hæc tamen regni cœlorum mysteria
(maxima parte) eos celaris, qui hoc seculo sa-
pientiæ & intelligentiæ nomine celebrantur,
& illis eadem retexeris, qui ignobiles & obscu-
ri idiotæ sunt. Certe quidem, Pater, hujus tuæ* 26.
*tam admirabilis, & carnis judicio tam alienæ
gubernationis ratio non alia reddi potest,
quam quod ita tibi visum sit; cujus unius vo-
luntas nunquam non optima est, tametsi hu-
manæ rationis discursatione capi non possit.
Sicut autem, Pater, penes te sunt omnia, eoque* 27.
*ipso quos lubet homines ad te vocare, aut in
reprobum sensum tradere: sic penes me est
(quamvis concessa & derivata, quoad homo
sum, potestate) quemcumque volo mihi adjun-
gere, aut suo perdito sensui & judicio permit-
tere. Nam ut nemo Filium agnoscit nisi Pa-
ter, sic nemo Patrem agnoscit nisi Filius, & is
cui Filio visum est Patrem retegere. Hac igi-* 28.
*tur omnia pro voluntate faciendi, potestate &
authoritate instructus; ehodum, per fidem ad
me venite omnes, qui sub gravi peccatorum
vestrorum onere laborando tantum succumbi-
tis, & ego, peccatis vestris omnibus vobis gra-
tuito condonatis, quietem & pacem conscientiæ
largiar. A quibus omnibus pace mea donatis* 29.
*hoc vicissim postulo, ut mihi (tanquam jugo
cervicibus imposito, in his quæ ex lege præcipio,
subjiciamini. In præceptis vero hæc potissimum
vobis commendo, ut cum natura feroces & su-
perbi sitis, à me (vobis in exemplum proposito)
discatis erga homines mansuetudinem, in*

Deum vero animi submissionem præstare: illis enim veræ fidei fructibus pacatæ coram Deo
30. *conscientiæ testimonium conciliabitis. Huic obsequio se opponit carnis judicium, jugum & subjectionem quam postulo duram quandam esse servitutem; sed falsum: nam hinc gratuita delictorum condonatione, istinc spiritus mei communicatione, quoad obeunda præcepta mea instruemini, jugum meum vere suave, & onus meum vere leve esse dixerim.*

PRAXIS.

CHristus adversus impiorum pervicaciam in cælestis Patris sapienti decreto se & suos consolans, sibi omnia idcirco communia cum Patre esse profitetur, ut suos omnes cum ad se venire, tum se imitari invitaret.

Cujus *partes* sunt, quod Christus se convertit { Primum ad præmium: gratiarum actione. / Deinde ad populum: adhortatione.

Vers. 25. *Christi sermo ob ejus contemptum ad Patrem conversus;* In priore parte, Christus satur injuriarum & contemptus quo illum Pharisæi & oppida circumfusa irritassent, suam ab illis cogitationem abducens, ad Patrem convertit: & mente ab eorum in contemnendo Euangelio perversitate sevocata, ad Dei sapientissimi simul & justissimi consilium eam refert: ut dolorem quem inde contraxerat hic deponat, & animi vulnus ab illorum improbitate inflictum sanaret. Id etiam nobis imitandum est, ut quoties nos urit multorum in Euangelio superbum fastidium, statim subducta ab illis cogitatione, eam ad justissimum Dei judicium & sapientissimam providentiam referamus; tantumque abfit ut istam Dei procurationem damnemus, aut defectionis occasionem arripiamus, aut accusemus, ut Deo hoc nomine grati simus. Cum enim Christus, cujus hoc maxime interest, tantopere non cõmoveatur, quin præsenti conditione gaudeat & Deo gratias agat, nedum nos hoc tempore commoveat. Sicut autem principes suos amicos habent, quibuscũ quoties gravioribus negotiis animi anguntur, familiariter & jucunde agant, ut priorem animi tristitiam deponant; sic etiam pii Deum habent quocum familiariter, &c.

In hac autem oratione ad Patrem, insunt { Propositio ipsa gratiarum actionis. / Propositionis causa.

ob quam causam *gratias Deo egerit?* Propositio est, se gratiam Patris recognoscere, quod mysterium salutis per Iohannem & se promulgatum à sapientibus abscondetit, quod tamen infantibus & rudioribus patefecerit. Per *sapientes* autem intelligit eos qui in mundo sapientiæ & prudentiæ nomine celebres habebantur; quales erant Pharisæi, & superbæ illæ urbes, quæ sapientia quadam humana ductæ, aut Euangelio se objecerunt, aut frigidiuscule illud profitebantur, ne se mundo nimis aut exosos aut ridiculos redderent. In utraque vero *διχαιρεσίας* parte, videtur quid paradoxum esse, quod probe expensum secus apparebit. Et primum quidem hoc, scilicet abjectos in mundo & exosos ad Christum aggregare, & Christo veluti in sortem & hæreditatem attribuere, videtur à Patris in Filium charitate alienius: perinde ac si in belli ducem rex carceres & *πανδοχεῖα* effunderet: aut si rex aliquis unico filio satellitium scriberet, quod ex infimo servorum ordine compositum esset; quorum vestes laceræ, &c. aut si consultioribus præteritis incautiores filio addiceret; maxime vero si splendidiores & majoris consilii famulos, hosti filii sui observandos traderet.

Vers. 26. *quare potius ob celatum sapientibus Euangelium?* Deinde quod gratias agit de celato ab iis Euangelio, qui in mundo sapientiæ titulo insignirentur, suspicionem *μισανθρωπίας* habet; & *φιλανθρωπίας*, quæ in Christo singularis est, opinionem jugulat: ut qui beneficii loco, eorum rejectionem ponere videatur: sicut & prudentiam quis in Christo requirere posse videatur, quod & sibi in collectitio & rejectitio exercitu tantopere placeat, & copias paratiores & instructiores sibi excidisse negligat & gratuletur.

Causam igitur consideremus. Ea vero est, summa Patris voluntas; quæ cum sic disposuerit, iniquum Christus duxit in illa non acquiescere. In illa enim nihil iniqui aut insipientis esse potest: maxime vero cum illa liberrima sit, nec ulla tempestate ad hoc consilium ineundum adacta. Quod declarat illis verbis, quibus illum *Dominum cœli & terræ* appellat. Quo significat Patrem ad hunc delectum nullis angustiis aut difficultatibus adductum esse, cum quosvis suo arbitratu ad hanc Euangelii professionem designare potuit: nec minus in illos quam in hos imperium habebat. Proverbio vulgari teritur: *Rem quamque sive bonam sive malam, ejus nutu regendam qui loculos gestat.* Quod certe in Deo multo est magis observandum, cum homines œconomi sint tantum: Deus vero paterfamilias, cujus sumptu

ptu omnia fiunt. Si quam igitur offensionem arripimus ex impiorum in aspernando Euangelio indignissima perversitate, eam ponamus in rectissimæ Dei voluntatis commendatione: si horum injustitia nos offendat, recreare nos debet hoc fieri apud Deum quod justum sit; si horum in conculcandis margaritis stultitia, nos ad impatientiam irritet, eandem placet & sedet sapientiæ Dei cogitatio, quæ id sapienter faciendum decernit quod illi stultissime faciunt: si quorundam levitas nos pungat, quod illud fastidiose & subito respuant quod primum avide arripuerunt, medebitur ilico constans & immutabile decretum Dei, quod ita fieri ab æterno constituit. Tanto nos plenius consolemur & erigamus, quo est Dei justitia, sapientia, constantia &c. hominum flagitiosissima injustia, &c. major & infinitior.

præter Patris voluntatem quænam alia ratio? Quanquam vero Dei voluntatem ad calculos revocare iniquum sit, cum ne mortalis quidem hoc à suis domesticis fieri æque ferat; tamen non desunt rationes, quibus Dei & Christi sapientia & φιλανθρωπία in hac voluntate & gratiarum actione defenditur.

Ideo enim Deus rejiculos hos delegit, ut Christi virtus in suorum omne genus imbecillitate se ostenderet: ducisque peritia & robur, in militum inscientia & imperitia inclaresceret magis; idque ob eum finem ut gloriationem excludat Deus: quam ut impense homines sectantur, ex historia Gedeonis liquet. Perinde ut si rex aliquis mendicissimos sibi deligeret, ut ejus divitiæ in eorum mendicitate magis conspicuæ forent. Christi autem φιλανθρωπία est illa eximia & incredibilis erga hominum universum genus, sed tamen voluntate Patris tanquam cancellis circumscribitur. Vt enim pro suo erga homines amore omnes cupiat salvos, tamen cum intelligat secus Patri videri, contrahit affectum suum: eumque ad Patris voluntatem adigit; & quod optimo & justissimo Dei judicio fit, ei congratulatur. Vnde etiam sæpe in *Psalmis* vindictam in impios imprecatur, & illatam gaudet. Quod si Christus de nostra salute gratus est, nedum nos debemus.

Vers. 27. *etiam præter propriam Filii?* Alteram causam subordinatam hujus dispensationis divinæ indicat: suam item & propriam voluntatem, sine qua nihil horum fit. Ei enim potestatem à Patre datam esse, ut quos velit adhibeat, quos nolit repudiet. Quoad enim Dei Filius est & Patri consubstantialis, potestatem eandem cum Patre essentialem & ingenitam habet: sed quoad Mediatoris personam suscepit, potestatem concessam habet.

Cum igitur & regi summo & duci à rege constituto, cum patrifamilias & filio familias hæc imperitorum hominum & rudiorum turba placeat, stulte à nobis improbabitur, quod illis utrisque arridet. Sicut autem adversus offensionem certum præsidium habemus, sic etiam ad nos ipsos confirmandum & invocatione radicandum peropportunum est, quod sciamus nos Patri simul & Christo gratos & charos esse, utcumque nos mundus tanquam quisquilias & rejectamenta aspernetur. *quod fidei firmandæ,*

Hinc liquidissime constat nullam hominibus ad vitam viam patere, nisi per Christum; contra eos qui dicunt quemque sua religione servatum iri. Deus enim alioqui lucem habitat aviam & inaccessam. Simul docet, qua ratione nobis Dei arcana voluntas & prædestinatio innotescit, fide scilicet in Christo, sine qua arcani consilii profunditas nos mergat necesse est. *& libertinismo convellendo.*

Sequitur altera pars, qua se ad populum adhortatione convertit.

Cujus item *partes* sunt, adhortatio ut { ad Christum veniat. / Eum sequantur & innitentur. }

In priori consideranda est propositio, scilicet, omnes defessos & onustos ad Christum venire oportere. Vbi primo videndum, ex *Ioh.* 6, 35, 36, 37. *Qui venit ad me non esuriet & qui credit in me non sitiet unquam, &c.* quid sit *venire ad Christum:* Item ex *Ioh.* 7, 37, 38, 39. *Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me flumina aquæ, &c.* Item *Rom.* 5, 2. Item *Ephes.* 2. *qui ante procul, nunc fide prope estis.* Fides enim non tantum manus est qua Christum tenemus, sed veluti pedes quibus illi appropinquamus, usque eo ut in unum cum illo coalescamus. Hæc igitur amica Christi ad se invitatio est qua sui nobis copiam facit, & incomparabilem vitæ thesaurum apud se depositum, nobis prompte communicat, & ut vicissim ei communicemus rogat. Ea omnibus exponere munificentiæ maximæ est; sed rogare porro ut veniant, omnem admirationem superat. Quod quidem non tantum in Christi tum persona Deus præstitit, sed & hodie in Ministris. 2 *Cor.* 5, 20. Vers. 28. *Quid sit, venire ad Christum?*

Deinde considerandum est, qui sunt qui invitantur. Sunt autem illi *lassi* & *onusti*. Genus autem lassitudinis & oneris facile colligitur *quales lassi & onusti ad eum accedendi?*

gitur ex ejus persona, qui adhortationem facit; qui cum æterna bona procuret & mala depellat, nihil hic de corporis lassitudine aut onere somniandum est. Est igitur spiritus quædam lassitudo & onus ex peccatorum nostrorum sensu. vide *Psalm.*38,5. *Iniquitates meæ transcendunt caput meum ut onus grave, &c.* Item judicium & ultio divina, ut 10. *Psal. Manus tua gravida est, &c.* De hac lassitudine, vide *Esa.*40. *ad finem*, & *Ier.*13,24. Omnes quidem homines peccato onustos esse constat, ut qui ne unum quidem ferre possunt; sed non omnes tamen hoc loco vocantur. Quia igitur peccata sua sibi ad eum modum imminere & se urgere sentiunt, ut iilis ferendis non sint, qui sub onere eorum subsistere nequeunt, qui suos humeros contrahunt, quorum animæ incurvantur & deprimuntur ejus pondere; qui sub onere gemunt, & (ut olim Israëlitæ sub Ægyptiis) clamant, & veluti anheli sunt; denique qui ea portando lassi sunt, & defecti viribus succumbere parati sunt, & exonerari cupiunt, ii demum sunt quos Dominus ad se invitat.

Hinc etiam est, ut se Medicum eorum esse profiteatur qui ægrotos se sentiunt, & veluti in ipsis mortis & sepulchri faucibus se esse statuunt. *Matth.* 9. Item in eundem sensum invitantur. *Matth.*5. & *Ioh.*7,37,38. *Si quis sitit veniat ad me, &c.* Item, *quisquis sitit veniat, &c. Esa.* 55, 9. ut Cananæa quæ vel micis à mensa decidentibus refici cupivit: qui ut cervus saucius, &c. qui suam nuditatem, mendicitatem, cæcitatem, &c. sentiunt, & se judicii divini æstu aut frigore urgeri sentiunt: vel quos suæ nuditatis pudet, & turpitudinis: qui mendicitatis suæ sensu & conscientia, aurum; qui cæcitatis agnitione, collyrium perquirunt. *Apoc.* 3, *v.* 17, 18.

quales hic non invitentur? Qui vero se ipsos justos reputant, & opinione propriæ justitiæ tument, aut qui peccatores se confitentes nullo peccati onere tanguntur, sed mundi deliciis inebriantur, se peccati chordis stringi non sentiunt, sed collo extento & capite erecto incedunt, tanquam onagri aut indomiti juvenci leves & veloces huc illuc discurrunt, qui peccantes non gemunt sed rident. *Proverb.* non clamant, sed cachinnantur; qui peccato exonerari non admodum cupiunt aut solliciti sunt, qui satures sunt & veluti ebrii suæ pietatis opinione: qui se divites putant, bene tectos a Dei judicio: perspicaces sibi videntur; iis Christus non est profuturus: imo vero illis sordet Dei gratia. Vide *Luc.* 16, 14,15. Item *Rom.*10. Pharisæi avare cum audientes, eum sannis excipiebant. Item *Ioh.*9, *v.*14. *Si cæci essetis, &c. nunc vero quia dicitis videmus, &c.* & *Apoc.* 3, 17, 18. Hinc Christus repudiatis illis superbis Pharisæis & urbibus, eos compellat qui, &c. Qui igitur peccatum peccato tanquam onus oneri assuunt, &c.

Quod Christo omnia commissa à Patre ad eum accedendum, Hujus propositionis argumenta sunt, primum ab adjuncta Christi facultate, cui omnia commissa a Patre sunt, quod nos merito possit ut ad illum accedamus, allicere. Hanc enim sententiam in medio positam, ad utramque scilicet cum illam quæ præcessit, tum hanc quæ sequitur orationem retulerim. Vide *Ioh.*3,35,36. Item *Ioh.*17,2. Quicquid igitur ejusce generis est quo nos opus habemus, ad illum accedentes consequemur: deest justitia? ipse justus est & justificans impium. Deest sanctitas? ipse sanctus est & sanctificans eos qui prophani sunt. Deest sapientia & vera Dei cognitio? ipse in sinu Patris, & arcana nobis omnia exponit: *ipse factus est, &c.* 1 *Cor.*1,30.

& quod noster sequester, Hinc etiam patet, eum unicum sequestrem & advocatum esse apud Patrem; cum cæteris omnibus per mensuram Deus spiritum suum communicavit, etiam ipsis Angelis, Filio (quod unice dilectus sit) omnia communicat: hic enim est fons saliens ad vitam; unde quantum sufficit hauriamus. *Ioh.* 4. Hic est panis de cœlo descendens *Ioh.* 6. hic est vestis qua induimur in baptismo. *Act.*4,12. & 10,41,42. *&c.* Quamobrem locum hic habet Prophetæ querela. *Esa.*55, 2. Item *Ierem.*2,3.

Vers. 29. *per quem relaxationem consequimur,* Alterum argumentum est ab effectis, scilicet quod relaxationem consequentur: vide *Rom.* 5. Item vide ante in *Matth.* 11. à *vers.*2, *ad* 7. Pacem cum fera agri, cum lapidibus, cum solis æstu, lunæ frigore, cum sagittis, &c. Et ut olim sub pacifico Salomonis regno omnes, nullo eos terrente, sub ficu & vite comedebant; sic sub regno Christi, qui in penetralibus suis ante metuebant, & à folii casu, ab urso in plateis ad Christum aggregati per fidem, altissima pace utentur; ita ut ne si per umbram mortis perrexerint, & per medias silvas, &c. etiamsi 1000. millibus circumsisteremur, etiamsi portis inferorum inclusi teneremur; tamen, &c. Nam nemo nos ex ejus manu eripere potest. Pater major, &c. ego &c.

qui noster Servator;

Hinc iterum liquet esse unicum Messiam & Servatorem, quia nusquam nisi in illius fidem, requiescimus; nemo chordas divini judicii solvat, quibus onus peccati nobis alligatur; nemo nos ex lethali lecto attollat; nemo oculos aperiat; nemo mendicitati nostræ medeatur, &c. folia ficulnea sunt, &c. ut mare turbulentum impii sunt: illis non est pax, ait *Esaias*.

Nota, contra illos qui deliciis hujus mundi existimant terrores & cruciatus, quibus ex peccati morsu & aculeo punguntur, propellere. Deinde accessu ad Christum, id est, fide sola nos servari, & gratiam obtinere. *Ioh.* 3, 36. & 5, 40. & 7, 38.

ideoque mansuetudine imbuendi,

Sequitur altera adhortatio; scilicet, ut mansuetudine & humilitate animi ornemur & imbuamur. Christus nobis onus detrahit, eoque nos solvit; sed non vult ut tanquam canes ἀδέσποτοι, aut juvenci indomiti, aut tanquam onagri, nostro arbitratu huc illuc oberremus & vagemur. Quamobrem detracto onere, jugum collo circumponit; & ferreo peccati & Sathanæ, nec non judicii divivini jugo excusso, aliud levius nobis induit. *Matth. 9. Voco peccatores ad resipiscentiam.* Vide 1 *Thes* 4,3,7,8. & *Tit.*2,11,12. Non ut ebriosi & helluones, qui cibos & potum vomunt, ut novum sumant; nec ut *Pontificii*, qui ideo peccata sui in aures sacrificuli exonerabant, ut post ad peccandum promptiores essent. Hoc jugum excutiunt impii. *Psal.*2. & *Ier.* 2. Quid autem sibi hoc jugo vult, explicat, cum mansuetudinem & humilitatem discendam esse commonefacit.

Hanc autem virtutem, tanquam ex matribus virtutibus unam fidei in Christo subjungit; quia ex illa, item aliæ virtutes suppullulant. Vide *Matth.*5,5. & *Ephes.* 4, 1. Nec sine causa *jugo* assimulatur, quod ut jugum caput suum dimittere juvencum cogit, ita & humilitas. *Abac.* 2, 10.

quæ recte fidei subjungitur;

Rectissime autem adhortationi ad fidem subjungitur (*Abac.*2,4.) & onerum dispositioni; quia qui sensu oneris sui vere tactus est, nunquam præ pudore caput superbe attollet, sed submisse se geret. Nam si regis filius sua improbitate eo redigeretur, ut tanquam publicus bajulus onera ferret; annon justam se in modestiam continendo materiam haberet? Nos in Adamo summi regis filii facti sumus, &c. Aut si sua improbitate ad mendicitatem summam, famem, sitim, nuditatem (ut in filio prodigo) adigeretur; an unquam ferretur, si deinceps superbiret? onus vero peccati gravius & turpius est fœdissimis oneribus, hæc mendicitas, &c. Vide quo modo Paulus *Tit.*3,3. hoc accommodat in mansuetudine erga fratres.

quoniam Christus mansuetus est:

Primum autem argumentum est ab adjuncto Christi exemplo, qui humilis & mansuetus est; qui nullos superbos aspectus habuit: cujus cor non erat distentum; qui similis erat puero à lacte recens depulso; qui discipulorum pedes lavit; cujus quidem humilitatis summus apex fuit, quod *æqualis Deo, servi formam &c. Phil.*2. Quod si caput, si herus, si præceptor talis fuit, &c.

Discendi autem vocabulo docetur, nos natura feros, superbos, protervos & morosos esse. Vide *Esa.*1,17. *utcumque igitur humilitatem magnam præ se ferunt, &c.* hic tamen patet, eos esse corpore tenus, verbis scilicet & gestibus humiles.

& sic quietem invenient;

Alterum argumentum est ab effectis; scilicet, quod sic invenient quietem animabus. Quanquam ex operum bonorum ubertate testatissimum & liquidissimum testimonium divini erga nos amoris colligitur. 2 *Pet.*1. & *Ierem.*6,16. Et hac mansuetudinis virtute fit, ut ab hominum injuriis tutiores simus, *Psal.*34. & 1 *Pet.*4. utut homines existimant vindicandis injuriis optime se in pace tueri, &c.

Vers. 30. quod Christi onus leve.

Postremum argumentum est ab adjuncta suavitate & levitate hujus oneris & jugi, cum quod jugum pro nobis tulit, tum quod etiam vires conferat quibus facilius sub hoc onere subsistamus: maxime vero si quis à juventute huic oneri assueverit. *Thren.* 3.

LVC. *cap. 7. à vers. 36. usque ad finem Capit.*

36 Rogavit autem eum quidam ex Pharisæis ut secum ederet: itaque ingressus domum Pharisæi, discubuit.

37 Et ecce, mulier, quæ fuerat in urbe peccatrix, quum cognovisset eum accumbere in domo Pharisæi, allato alabastro unguenti:

38 Et stans apud pedes ejus retro, flens cœpit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & illo unguento ungebat.

39 Quum

39 *Quum autem id vidisset Pharisæus qui vocaverat eum, dixit apud se, Hic si
esset Propheta, nosset utique quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum : quod* vi-
delicet *sit peccatrix.*

40 *Tunc respondens IESVS dixit ei, Simon, habeo quiddam quod tibi dicam.
At ille ait, Magister, dic.*

41 *Duo debitores,* inquit IESVS, *erant cuidam creditori, unus debebat dena-
rios quingentos, alter vero quinquaginta :*

42 *Quum autem illi non essent solvendo, gratificatus est* debitum *utrisque. Ho-
rum igitur dic uter eum plus diliget ?*

43 *Respondens vero Simon dixit,* Iste, *præsumo, cui plus gratificatus est. At
ille dixit ei, Recte judicasti.*

44 *Et conversus ad mulierem dixit Simoni, Cernis hanc mulierem? ingressus sum
domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes
meos, & capillis capitis sui extersit.*

45 *Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo ingressa est, non intermisit deos-
culari pedes meos.*

46 *Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos.*

47 *Cujus rei gratia, dico tibi, remissa esse multa illa ipsius peccata : nam dilexit
multum : cui autem paululum remittitur, paululum diligit.*

48 *Dixit autem ei, Remissa sunt tibi peccata.*

49 *Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere apud se. Quis est hic qui etiam
peccata remittit ?*

50 *Dixit autem ad mulierem illam, Fides tua te servavit : vade cum pace.*

ANALYSIS.

GRatuita peccatorum remissio nobis proponitur in muliere peccatis operta & onusta; quæ describitur primum ab occasione, quæ fuit invitatio Christi ad domum Pharisæi : cujus invitationis effectum est, quod Christus invitatus ad ædes conviva accessit : porro describitur adjuncto accubitu ad mensam.

Vers. 37. Hujus Christi ad mensam accubitus adjunctum est, fœminæ ad Christum accessio, quæ describitur à subjecto loco, nempe urbe ubi convivium agebatur ; denique adjuncta infamiæ nota ex vitæ turpitudine : porro ejus adventus causa indicatur, quod Christum intellexit hospitio in domo Pharisæi exceptum esse. Effecta etiam fœminæ commemorantur, 1. quod unguentum secum attulit alabastro inclusum ; cujus finis post *vers.* 38. proponitur, ut pedes ejus ungeret.

*Vers.*38. 2. Quod retrorsum ad pedes Christi stetit, 3. quod ibi flevit ; qui fletus suo adjuncto magnitudinis declaratur, quæ magnitudo arguitur effecto lotionis pedum abundanti & copiosa lacryma, 4. quod detersit pedes capillitio suo, 5. quod pedes ejus deosculabatur.

*Vers.*39. Christi, qui hæc sibi fieri passus est, injusta condemnatio proponitur, 1. à subjecto Pharisæo, scilicet qui illum invitaverat; deinde ab adjuncta visione & consideratione eorum, quæ, fœmina deferente obsequia, Christus admiserat, 3. subjecto magis peculiari, nempe quod intus apud se & animo suo condemnationis sententiam tulit, 4. forma condemnationis proponitur, illum hoc facto declarasse, se non esse Prophetam nedum Messiam; quod syllogismo concluditur: is Propheta non est, qui fœminæ tam prope illi admotæ, turpem & infamem vitam non cognoscit : sed Iesus fœminæ prope admotæ, turpem & infamem vitam non cognoscit. Propositionem tanquam concessam sumit, quæ tamen falsa est, quandoquidem Prophetæ non omnia sciebant, sed illa tantum quæ Deo illis ostendere placuit. vide 2 *Reg.* 4, 27. Assumptio probatur hoc modo ; si sciret quam hæc turpi vita esset, nunquam se ab illa vel tangi, nedum lavari, detergi, inungi, & osculis pedibus impactis honorari pateretur ; sed patitur ; ergo nescit : propositio habetur hoc *vers.* assumptio *vers.* 38. comprobatur.

Vers. 40. Hujus occultæ condemnationis effectum Christi defensio : quæ describitur adjuncta Christi petitione, ut illi liceat bona hospitis venia illum liberius alloqui, & adjuncta Pharisæi concessione.

*Vers.*41,42. Videtur Christus hac parabola refellere Pharisæi de hac fœmina judicium, & eadem opera se à calumnia Pharisæi vendicare: probat igitur illam non esse, ut ille putabat, gravem & enormem peccatricem, quia illi peccata remissa erant : quod probat ab effecto remissionis peccatorum, nempe ardenti ejus amore, quem multis suis in Christum officiis declaravit; & amplificat ea comparatione minoris, nempe amore Pharisæi in se.

Quæ

Quæ omnia tecte proponit ἐρωτηματικῶς, ut *Simonem* Pharisæum inopinantem adduceret, tum ad fœminæ & sui innocentiam, tum ad suiipsius injustam condemnationem recognoscendam.

*Vers.*43. Quod utrumque imprudens Pharisæus faciens, testimonium Christi confirmat.

*Vers.*44,45,46. Hujus adjunctum est Christi responsum ad *Simonem* Pharisæum; quod describitur adjuncta Christi vultus ad fœminam conversione, ut quæ illi à tergo erat, ut est *vers.* 38. item alio adjuncto attentionis, ad quam Pharisæum excitat, quærendo an fœminam illam consideraret; post describit ardorem amoris fœminæ ex suis effectis, amplificatum comparatione minoris, scilicet effecto amoris Pharisæi hoc *vers.* & *duobus sequentibus.*

*Vers.*47. Vtriusque scilicet ardentis amoris fœminæ, & *Simonis* lentæ & frigidæ dilectionis causam notat; quæ hypothesis ad thesin revocatur, plurimum diligere, cui plurimum remissum est, & parce diligere, cui parum est condonatum.

*Vers.*48. Christus suo testimonio remissionem peccatorum, fœminæ adhuc firmius & certius confirmat.

*Vers.*49. Effectum illius testimonii est convivarum admiratio, cujus forma proponitur, quis Christus sit; quod arguitur ab effecto, quia peccatorum remissionem sibi vendicavit.

*Vers.*50. Altero Christi testimonio confirmatur fœmina in remissione peccatorum, ex effecto remissionis peccatorum, nempe salute æterna; quod confirmatur sua instrumentali causa fide, non charitate, quam tantopere commendavit Christus; quam salutem seu justificationem effecto pacis, qua illam donavit, arguit.

METAPHRASIS.

36. *Rogabat autem Christum ex Pharisæis*
quidam ut cibum apud se sumeret (suam
facilitatem in convictu, quam prius prædica-
vit, comprobans) domum Pharisæi ingressus,
37. *cum reliquis convivis accumbit. Eodem vero*
oppido ubi hoc convivium instructum est, erat
fœmina (ad eam, quæso, animum propter insi-
gnem ejus quæ commemoratur virtutem, ad-
vertite) quæ vitæ turpitudine & scortatione
infamis fuerat: ea cum rescivisset Christum in
domo Pharisæi accubuisse, comportato secum
pretioso unguento, quod alabastri vasculo as-
38. *servasset, domum Pharisæi ingressa à tergo*
Christi (vultum ejus suæ indignitatis reputa-
tione intueri reverita) & quidem ad pedes
ejus abjecta consistit, ubi tantam lacrymarum
copiam effundit, ut illis Christi pedes tanquam
aquæ polubro rigaverit, rigatos vero capillitio
suo delicatissimo tanquam linteo extersit: de-
nique unguento quod comportarat, pedes per-
unxit. Interim vero dum hæc officia præstitit,
Christi pedes crebris osculis deosculata est.
39. *Quæ cum Pharisæus, qui Christum invitave-*
rat, vidisset, cœpit cum animo suo constituere.
Si (quod constanter à multis creditur & dici-
tur) hic Propheta esset, omnino hanc fœmi-
nam, quæ illi hæc officia & obsequia præbet
ut illam à se procul fugaret) quæ & quam
infamis sit, pernovisset. Christus autem cor- 40
dium cognitor Pharisæo respondit. Simon (*id*
enim hospiti nomen erat) quod bona cum venia
tua sit, habeo quod tibi dicam aliquid. Cui ille, 41.
libere quod placet dicere (præceptor) licet. Fac
duos fuisse debitores cuidam creditori, quorum
hic quingentis, ille quinquaginta denariis ob-
æratus est. Cum neuter solvendo esset, utri-
que debitum condonavit. Quæro igitur, ex 42
duobus quis creditorem impensius amaturus
est? Cui Simon, *is (ut ego quidem arbitror)* 43.
cui plus condonatum est; cui itidem Christus:
recte hac quidem de re judicas. Quamobrem 44.
faciem ad fœminam (quæ à tergo ejus consiste-
bat) convertens, Simoni *dixit: Vides tu hanc*
fœminam quam tam magnifice contemnis:
adverte quot parasangis illa te dilectione, quæ
indubitata pietatis nota censenda est, supe-
rat. Tuam ego non sponte, sed invitatus do-
mum ingressus sum: te tamen mihi aquam
pulverulentis & delassatis pedibus lavandis
& recreandis per mediastrum denegante, illa
lacrymis, pœnitudine peccatorum compuncta,
pedes meos propriis manibus rigavit: te lin-
teum detergendis pedibus mihi recusante, illa
comptissimo & mollissimo capillitio suo pe-
des lacrymis irriguos desiccavit. Tu mihi oris 45.
osculum amicitiæ & honoris indicium, & qui-
dem hospitibus paulo honestioribus de amore
præbitum, non porrexisti: ipsa vero non desti-
tit, ex quo tempore ædes tuas subiit, pedes
meos deosculari. Oleum, quod in conviviis ad- 46.
hiberi solitum est, ne capiti quidem & veluti
perungendo subministrasti, illa pretioso & fra-
grante unguento imos etiam pedes perfudit.
Quamobrem confirmo tibi: multis illi peccatis 47.
penitus condonatis, non est, ut tu temere judi-
cas, infame scortum, sed lectissima fœmina:
cujus remissionis peccatorum ecce tibi certissi-
mum tecmærion, quod me tot obsequiis & offi-
ciis à se impense amari testatum relinquit.
Tu autem qui tibi de te in paucis Deum offen-
sum, in animum induxisti tuum (ut dem tibi
peccata esse condonata) non potes plurimum
amore fervere, quod non nisi ex sensu multo-
rum peccatorum gratis condonatorum pullu-
lat. Tum Christus deflexo ad fœminam ser- 48.
mone, illam ad majorem remissionis peccato-
rum certitudinem sic alloquitur: Demittun-
tur tibi peccata. *Convivæ autem hac voce* 49.
audita cœperunt inter se disceptando mirari,
quis tandem hic foret, qui præter miracula,

quæ infinita fecit, jus etiam peccata dimittendi
50. *di sibi vendicaret. Christus vero, ne quis illam charitate quam tantopere ornarat & prædicarat, salutem consequutam opinaretur, illam hoc modo alloqui perrexit: fides tua, qua gratuitam gratiam meam tanquam porrecta manu prehendisti, illa demum est quæ te salvam fecit; quamobrem domum pacata per fidem conscientia redi.*

PRAXIS.

CHristus ob amicam suam peccatricis (sed quæ pœnitentiam egerat) tractationem suspectior, tanquam esset ad occulta pernoscendum parum habilis, malis quæ nasci possent, suo sermone medetur.

Cujus *partes* sunt,
- Suspitio impotentiæ Christi in occultis pernoscendis, ex amica fœminæ in peccando prius nobilis tractatione.
- Malorum quæ inde nasci possent ex Christi sermone medicina.

Commode subjicitur hæc historia, ut veritas illius sententiæ comprobetur, qua dictum est, *publicanos & peccatores Christum recepisse, Pharisæos autem respuisse, &c.* apud *Matthæum.*

Vers. 36. *Fœminæ ab adjuncta charitate descriptio,* Primum notatur subjectum quod à Christo tam amice & humaniter acceptum est; fœmina scilicet, quæ corruptis & depravatis moribus fuerat, quæ multa præclara officia erga Christum exhibuit, quod pedes lavit & tersit, quod eos deosculata sit, quod pretioso unguento eos incepit ungere. Quorum omnium fontem Christus designat, quod se plurimum dilexerat. Hic igitur charitatis fructus considerandi veniunt. Et primum quidem cordis compunctio & dolor ex admissis peccatis. Quisquis enim amore Dei tenetur, eum necesse est ex eo angi & cruciari, quod eum quem dilexit, offenderit & irritaverit. Nam etiam pii ob offensum ab aliis Deum lugent & anguntur. *Psal.* 119. *Rom.* 5, 32. Nedum contristantur si qua in re illimetipsi Deum offendant. Quem igitur nullus dolor urit ex admisso peccato, nec animi mœror afficit, eum nulla Dei charitate tinctum esse certum est. Quoniam vero nemo libens in mœrorem incidit, eum quem diligit, ne offendat & irritet valde cavebit. Quod in perverso Davidis erga Adoniam amore cernitur; quem nunquam nec dicto nec facto offendere voluit, quod illum charum haberet.

Vers. 38. Quanto autem & quam ingenti dolore affecta est, lachrymarum copia declarat: quæ ex oculis tanquam ex rivo aut puteo hauriebantur & diffluebant. Nec enim satis est obiter ingemiscere, aut lachrymam unam aut alteram dimittere, sed enitendum eo est, ut dolor animos nostros occupet; & ibi ad aliquod tempus habitet, & inhæreat aut insideat. Comparatur igitur dolori parientis, & quidem primogenitum parientis. Vide *Sam.* 12. & *Psal.* 6. item *Zach.* 12. *& animi ingenti dolore,*

etiam erga Deum humilitate, Alius fructus erga Deum est humilitas, quæ se ad abjectissima officia dimittit. Quod declaratur hoc ipso quod ad pedes Christi advoluta, eos lavat & tergit: quod est abjectissimum & vilissimum obsequium, ut *Ioh.* 23. & 1 *Tim.* 5, 10. Quo accedit quod pedes deosculata sit; quo osculo totum Christum quantus erat ab illa unice dilectum declarat, & se indignissimam quæ os ejus sacrum attingeret. Quod si quod vilius fuisset, ad illud se proculdubio abjecisset. Sensus enim peccatorum nos ad humilitatem summam erudit.

Hoc videmus in matribus, quarum erga infantulos charitas eas ad vilissima circa ipsos officia adigit. Charitas enim instar suffimenti cujusdam est, & aromatis seu myrothecidii, quo sensus animi completi nullum ex illis sordibus fastidium sentiant. Sic etiam quicunque Dei serio amore ducitur, nihil eorum recusabit quæ mundi judicio turpissima & vilissima sunt; vide quæ dicuntur *Psalm.* 84. *Luc.* 15. *Iohan.* 1, *v.* 27. ut percutientem non percutere, adire eum reconciliationis ergo, qui tibi inferior est, publica peccata coram Ecclesia confiteri, insanum & stultum ex zelo Dei haberi, &c. exemplum Davidis saltantis coram Arca.

ac suæ indignitatis professione, Quod autem pone eum stetit, eo indignam se profiteri voluit quæ hoc officium Christo præstaret, sicut certe erat *Ioh.* 1, 27. Quo docemur nos ad ullum Deo vel contemptissimum officium præstandum indignos esse; & ita existimare debere & oportere; & nos à Deo præter meritum honoratos esse, si quid sit in quo opera nostra uti velit. Digni enim sumus qui omnem vitæ nostræ ætatem diabolo, ad ejus onera portanda & occupationes obeundas, mancipemur. Quod si qui sunt qui Christi osculum recusant, cum illud vel ore sacro (prædicatione nempe Euangelii) offeratur, vide *Ps.* 2. & *Cant.* 1, 2. & 2, 6. eum ne dicemus hoc spiritu duci quo hæc muliercula?

& præstita Tertia virtus est liberalitas; qua, nullis sumpti-

liberalitate. sumptibus nullique rei parcit, ut id agat quod Christo gratum esse norit; eoque preciosum unguentum alabastro asservatum effudit. Quod genus deliciarum, plurimi facere solitæ sunt fœminæ, & avara aut parca manu distribuere; sed pluris faciunt capillicium, ad quod purgandum & ornandum nihil pæne illis satisfacit. Quum igitur capillicium ad sudorem & cœnum pedibus Christi contractum abstergendum adhibet, rem sibi preciosissimam & ornamentum capitis sui maximum, ad abjectissimum circa Christum ministerium conferendum censuit.

Aliquid simile habet quod notatur *Exod.* 28,8. Sed propius accedit, quod Deus de Nazaræis; qui ut se Deo addicerent & mundo se nuncium misisse profiterentur, comam (contra quam decus & dignitas viri postulat) Dei causa nutriebant. Dilectio ergo Dei homines adigit, ut non tantum omnia expromant, quæ ad pedes Christi advolvant, sed pedibus ejus (si videbitur) conculcanda subjiciant. Principibus ædes ingredientibus, tapetia pedibus conculcanda substernunt, quanto magis regi regum corpora etiam & animas nostras subjiciemus, & supponemus proterendas & proculcandas? *Rom.*12. Totum corpus est Deo dicandum.

hinc charissima Christi ministerio asserenda: Summa vero hujus doctrinæ est, nihil nobis tam charum aut tam preciosum esse, quod non libenter ad abjectissimum Christi ministerium collocemus. Quod si à nobis recte reputaretur, multa quæ depravata sunt, corrigeret. Sunt enim qui ingenia sua pluris æstimant, quam ut debeant in iis studiis & exercitiis occupari quæ ad vitam religiosius instituendam spectant, referri. Alii juventutem suam, decus, dignitatem, & ornatum corporis pluris faciunt, quam ut, &c. Quid, quod vilissimas & abjectissimas cupiditates suas & voluptates ad summa Christi officia prædicanda recusant mactare? Verisimile vero est hanc fœminam ideò capillicium & cincinnos ad hoc ministerium adhibuisse, ut sibi testimonium certius sui erga Christum amoris colligeret, dum ea quibus ad flagitium & turpitudinem abusa esset, ad Christi ministerium transferret; ut nō minus saltem jam Christo deferre eluceret, quam olim suis cupiditatibus. Quod etiam admonere potest eos qui suis olim viribus, pulchritudine, divitiis, &c. ad lasciviam aut intemperantiam abusi sint, deinceps eo contempto magis operam strenuam navent, ut ad sanctos usus eadem illa dona convertant.

Rom. 6. Quanquam vero Christus jam in cœlis est, non minus tamen hæc officia & liberalitas illi grata sunt, cum in afflicta ipsius membra, maxime ministros carceribus inclusos, item in pauperes erogentur: nec minus bene & suaviter olet; ideoque ad *Phil.* εὐώδια dicitur liberalitas, &c.

Hinc observemus, Christum plenissimum mansuetudinis & humilitatis, hæc tamen officia admisisse, & grata habuisse, ut pedes suos osculandos præbuerit, & capillis tergendos. Quod certe nunquam fecisset, nisi Deus extitisset. Hæc enim officia mortali in quo mica modestiæ est, non conveniunt. Quo est detestabilior *Papæ* intolerabilis superbia, qui spurcissimos pedes suos osculandos regibus ipsis præbet. Vide Petrum *Act. cap.* 10. *quomodo à Christo hæc admissa?*

Iis ab hospite Pharisæo perceptis, statim subit animum ejus suspitio, Christum non eum esse qui prius perhibebatur, & quem ipse secum (ut videtur) existimarat; non esse scilicet Christum occultarum rerum notitia præditum, ut olim Elizæus, qui servi sua occulta furta pernoverat. Ratiocinatur autem à distributione; scilicet aut amicus est flagitiosorum hominum, aut eos flagitiosos esse ignorat; sed prioris non magna verisimilitudo existit; posterius igitur verum. Hic venit cogitare in quo genere peccavit Pharisæus? an malevolentia in Christum suffusus hoc fecerit, odium suum invitatione ad convivium dissimulans, an potius inscitia & temeritate? Et quidem certe rem proprius intuenti non videtur proditorie convivam Christum adhibuisse, sed nonnulla animi in Christum propensione. Nam non insimulat eum tanquam amicum aut socium flagitiosorum, sed mavult Christi hoc infirmitati tribuere. Huc accedit, quod Christus per debitorem cui minus condonatum est, & minus amantem, ipsum Pharisæum designavit: ut ex comparatione fœminæ cum illo colligitur. Qua autem in re peccavit, post ex Christi responso liquidius constabit. Vers. 39. *Hæc Pharisæi de Christo opinio unde orta?*

Sequitur igitur *Pars altera* de Medicina malorum, quæ hinc nasci possent.

Quæ *Medicina* sit, sermone Christi ad { Pharisæum. / Fœminam.

Parabolico responso ad Pharisæum utitur, ut Nathan, ut Pharisæum refractarium illaquearet. Responsum autem Christi ad Pharisæum huc spectat, ut probet fœminam non esse, ut à Pharisæo existimatum est, flagitiosam: eoque non obesse Prophetico Vers. 40, &c. *Christus fœminam non flagitiosam asserit,*

spiritui,

spiritui, quod illam ad hoc humanitatis officium admiserit. Ratiocinatur autem hoc modo, à repugnantibus scilicet, quod ejus peccata remissa essent, non igitur esse flagitiosam. Nam beatus est justus cui sunt remissa peccata. *Psal.* 32. *Rom.*

de qua praeceps judicium Pharisaei peccatum; Eoque Euangelista caute dixit, accessisse foeminam quae erat peccatrix, non autem peccatricem accessisse. Hinc igitur intelligitur, in eo consistere peccatum Pharisaei, quod temere & praecipitanter peccatricem eam judicavit, quae ante fuerat: non cogitans (quod res erat) illam resipuisse; debebat potius ex ejus ad Christum adventu qui resipiscentiam praedicavit, existimare illam a consuetudine peccandi aversam esse: eoque magis quod animadverteret Christum, qui flagitiosae vitae hostis est, eam tam humaniter accepisse; maxime vero, quum ejus lachrymas decurrere videbat. Ita faciles esse debemus & prompti ad bene de fratribus existimandum, ut si flagitiosae aut dissolutae vitae homines cum piis familiarius consuescere videamus, ilico de illis aliquid boni concipiamus. Tametsi enim improbi aliquando piorum consuetudinem ambiant, ut hoc pacto improbitatem facilius pallient, & pietatis specie aliis facilius imponant, tamen quoad illud liquet in optimam partem res accipienda est.

nec tamen cum peccatoribus familiaritas colenda. Deinde, illud animadvertendum est, non fas esse nobis cum peccatoribus, quorum est vita infamis, familiarius versari. Nam hoc a Pharisaeo, Christo tanquam ignominiosum & indignum, bene judicatum est; siquidem illud scienter fecisset, quod etiam a Servatore non refellitur; sed contra, Christus ut se tueatur, docet illam pietatis amantem esse: tanquam alias se culpa non vacaturum confiteretur, si tantum officium à scelerata profectum admisisset. Cum sceleratis quidem commercia habere aliquo usque licet, quoad necessitas postulat; sed internam cum illis notitiam habere, id demum fas non est. Vide exemplum Iohoshaphati, qui reprehensus est, &c. Suspitionem proditionis affert, cum aliquem videmus cum hoste familiarius colloquentem; deinde magna vis est amicitiae ad animum ad mala impellendum.

Vers. 44, &c. *Foeminae officium à Christo exornatum.* Ex hoc loco item colligitur Christi divinitas: & simul refellitur opinio Pharisaei de Christo. Notandum, quam splendide officium mulieris ornaverit. In propriis aedibus tu mihi hoc officium non detulisti; illa alienis: tu non porrexisti aquam communem; illa lachrymas: tu aquam non dedisti per ministrum & mediastinum; illa ipsa hoc fecit: tu linteum non praebuisti; illa capillitium: tu osculum ori non dedisti; illa pedes multoties deosculata est: tu oleum non suppeditasti; illa unguentum: tu ne caput quidem; illa vero vel pedes unxit: nihil ut sit à Christo neglectum, quod ad praedicationem tanti officii pertineret. Qui enim cyathum frigidae aquae, &c.

LUC. *cap.* 8. *à vers.* 1. *ad* 4.

ET factum est deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim & vicatim, praedicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim illi erant *cum eo:*

2 *Et quaedam mulieres quas sanaverat a spiritibus improbis & morbis:* nempe *Maria, quae vocabatur Magdalene, ex qua septem daemonia exierant,*

3 *Et Iohanna uxor Chuzae procuratoris Herodis, & Susanna, & aliae multae quae ministrabant ei ex iis quae sibi suppetebant.*

ANALYSIS.

CHRISTI effectum proponitur, circuitio per oppida & villas; quod describitur adjuncto tempore, nempe postquam cum superiore foemina sermonem absolvisset; item suo fine, ut praedicaret; quae praedicatio suo subjecto Euangelii & regni Dei declaratur; deinde adjuncto comitatu duodecim Discipulorum.

Vers. 2. Comitatus porro amplior mulierum describitur, primum in genere, quae sua causa efficiente videntur explicari, nempe quod fuerant à Christo sanatae: deinde in specie quaedam recensentur, *Magdalene*, quae adjuncta liberatione & ejectione septem Daemoniorum describitur.

Vers. 3. Post *Ioanna*, quae suo relato, nempe uxore proponitur, cujus maritus describitur adjunctis duobus, nomine & officio; deinde *Susanna*, quarum comitatus suo fine exponitur, ut Christo necessaria subministrarent: species porro ministerii exprimitur, nempe ut ex suis facultatibus Christo, quod ex usu foret, suppeditarent.

METAPHRASIS.

FActum est deinceps ut Christus per oppida & pagos Galilaeae iter faceret, praedicans & laetum salutis aeternae nuncium promulgans, viam scilicet qua aditus ad regnum caelorum patet. 1.

patet. Itineris vero comites habuit duodecim Discipulos. Deinde certas quasdiam fœminas, quas ad eum sequendum accepta beneficia, hinc à Dæmonibus liberatio, hinc morborum curatio impulerunt. In his erat Maria, *quæ &* Magdalena *à viro quodam (ut videtur) cognominata est: quæ Christi mandato septem Dæmonia exierant Item* Ioanna *uxor* Chuzæ *curatoris* Herodis, *qui animo à Christo non omnino alieno, uxori Christum sequi discupienti ut hoc faceret concessit: item* Susanna, *& pleræque aliæ, quæ Christo & Discipulis in Euangelii ministerio sumptus necessarios suppeditarunt.*

MARC. *cap. 3. à vers. 20, ad 31.*

20 *Convenit autem rursum turba, adeo ut ne capere quidem cibum possent.*

21 *Et quum* hæc *audissent ipsius propinqui, venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim eum apud se non esse.*

22 *Scribæ vero qui Hierosolymis descenderant, dicebant, Certe habet Beelzebulem, & certe per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.*

23 *Quum autem eos advocasset, dixit eis per parabolas, Quomodo potest Satanas Satanam ejicere?*

24 *Neque si regnum adversus sese dissideat, potest stare regnum illud.*

25 *Neque si domus contra semetipsam dissideat, potest stare domus illa:*

26 Sic *quoque si Satanas insurrexit & dissidet adversus semetipsum, stare non potest, sed finem habet.*

27 *Non potest quisquam potentis* alicujus *vasa, ingressus domum ejus, diripere, nisi primo validum illum vinxerit: & tunc domum ejus diripiet.*

28 *Amen dico vobis, quævis peccata remittentur filiis hominum, & blasphemiæ quibuscumque blasphemarint:*

29 *Sed quicumque blasphemarit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed tenetur æterno judicio.*

30 *Dicebant enim, Spiritum impurum habet.*

MATTH. *cap. 12. à vers. 22. ad 38.*

22 *Tunc oblatus est ei dæmoniacus cæcus & mutus: & sanavit eum, adeo ut qui cæcus ac mutus* fuerat, *& loqueretur, & videret.*

23 *Et obstupuit tota turba, dicebatque, Nonne iste est filius ille Davidis?*

24 *Pharisæi vero quum hæc audissent, dicebant, iste non ejicit dæmonia nisi per Beelzebulem principem dæmoniorum.*

25 *IESVS autem, quum sciret cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum dissidens adversus sese vastatur: & omnis urbs aut domus dissidens adversus seipsam, non stabit.*

26 *Sed si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum dissidet: quomodo ergo stabit regnum ejus?*

27 *Et, si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem* ea *ejiciunt? propterea ipsi erunt vestri judices.*

28 *Sin autem per Spiritum Dei ego ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.*

29 *Nam quomodo potest aliquis ingredi domum potentis* alicujus, *& vasa ejus diripere, nisi primo vinxerit potentem illum, & tunc domum illius diripiet?*

30 *Qui non est mecum, adversum me est: & qui non cogit mecum, spargit.*

31 *Propterea dico vobis, quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus: blasphemia vero in Spiritum non remittetur hominibus.*

32 *Et quisquis loquutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei: quisquis autem fuerit loquutus adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.*

33 *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem putrem, & fructum ejus putrem, nam è fructu arbor cognoscitur.*

34 *Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, quum sitis mali? nam ex redundantia cordis os loquitur.*

35 *Bonus homo è bono thesauro cordis profert bona: & malus homo ex malo thesauro profert mala.*

36 *Sed dico vobis, quodcunque verbum otiosum loquuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die judicii.*

37 *Ex sermonibus enim tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.*

LVC. *cap.* 11. *à vers.* 14, *ad* 24.

14 *Ejecit etiam dæmonium quod erat mutum: factum est autem, egresso dæmonio, loquutus est ille mutus, & mirata est turba.*

15 *Quidam vero ex eis dixerunt, Per Beelzebulem principem dæmoniorum ejicit dæmonia.*

16 *Et alii* cum *tentantes, signum è cœlo petebant ab eo.*

17 *Ipse vero quum nosset cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum dissidens adversus sese, vastatur: & domus adversus sese* dissidens *cadit.*

18 *Quod si etiam Satanas adversus seipsum dissidet, quomodo stabit regnum ejus? Nam dicitis, per Beelzebulem ejicere me dæmonia.*

19 *Quod si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt? propterea ipsi erunt vestri judices.*

20 *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe antevertens pervenit ad vos regnum Dei.*

21 *Quum validus quispiam armatus custodit aulam suam, in pace sunt quæ ipsi suppetunt:*

22 *Postquam vero quispiam eo validior superveniens vicerit eum, totam armaturam ejus tollit qua confidebat, & spolia ejus distribuit.*

23 *Qui non est mecum, adversum me est: & qui non congregat mecum, spargit.*

ANALYSIS.

Finem videtur notare cur in domum redierint, nempe ut cibum sumerent: cujus corrumpens causa exponitur, nempe quod turba aut verbi aut sanitatis consequendæ causa advolans, illum ne comederet, impediebat.

*Vers.*21. Hujus in comedendo impedimenti eventus declaratur, quod Christus insaniæ insimulatur; quæ criminatio à subjecto propinquorum Christi amplificatur; quod effectum alterius effecti causa efficiens assignatur, nempe quod Christum tanquam insanum prehendere conabantur.

*Vers.*22. Criminationis propinquorum adjunctum notatur, nempe quod propinquorum de Christo, audaci & temerario judicio; Pharisæi & Scribæ in Christum blasphemi extiterint: forma autem blasphemiæ proponitur, Christum Beelsebube occupatum, ejus potentia inferiores Dæmones exturbasse.

*Vers.*23. Adjunctum blasphemiæ est eorum qui blasphemiis Christum petebant ad se advocatio, deinde aliud adjunctum sui ipsius adversus illorum blasphemias defensio; ubi primum argumentum est à disparato, hoc modo; si Satanas Satanam ejiceret, tum ejus regnum non staret, sed ilico rueret; stat autem; Conclusio est hoc *vers.* & *vers.*36. Assumptionem tanquam concessam accipit: consequentiam propositionis probat duplici comparato, *vers.* 24, 25.

*Vers.*26. Aliud argumentum affert à disparato, se per fortiorem Satana Dæmonia ejicere, non igitur per Satanam: quod probat ab effecto, quia Satanæ sua spolia aufert, id est, homines, quos Satan tanquam spolia abducit.

Vers. 27. Hoc illustrat comparatione parium, sicut nemo hosti prædam eripiat, nisi eo fortior eum primum vinciat; sic &c.

Vers. 28, 29. Peccati hujus atrocitatem declarat ab adjuncta pœna, non scilicet remissum iri: quod amplifi-

amplificat à minori; quod aliis omnibus peccatis remissio conceditur: quod etiam adhuc exornatur argamento majoris, nempe quod etiam omnis alia blasphemia remittetur; rationem assignat à forma hujus peccati, quia est in Spiritum Sanctum.

*Vers.*30. A Thesi ad hypothesin descendit, docet enim hos in Spiritum Sanctum peccasse, quia dicebant Christum spiritum immundum habere.

METAPHRASIS.

20. *Lustrata regione Galilææ Capernaum rediens, domum, cibum sumendi causa, ingressus est. Qua re audita ilico turba iterum convenit: & ejus in sanando operam implorans, cum illi tum discipulis ne cibum sumerent, impedimento fuit.*
21. *Quod cum apud illos qui sanguine aut affinitate eum attingebant percrebuisset: domo egressi accesserunt, ut illum domum suam abducendum comprehenderent. Quam ad rem perficiendum (sive serio sive simulate) Christum de potestate mentis exiisse palam dictitabant.*
22. *At Scribæ qui ab urbe Hierosolymorum descenderant, hoc consanguineorum Christi convitio (ut videtur) animati, convitium blasphemia cumularunt: dicebant etenim; quod Beelsebubem habet principem Dæmoniorum, cujus virtute dæmonia*
23. *ejicit. Christus vero re intellecta, illos longius à se remotos, ut propius accederent, admonuit, audituri quid ad hanc blasphemiam responderet; propius vero admotos sic eos, propositis aliquot similitudinibus, alloquitur. Dicite, amabo, qui fieri potest ut satanas satanam ejiciat?*
24. *Nam si regnum adversus se divisum & distractum pugna secum committatur, omnino non potest consistere regnum illud.*
25. *Atque si vel privata familia secum dissidens in partes dissiliat: ubi certe consistet locum*
26. *non inveniet. Quamobrem si satanas in seipsum insurgens in partes scinderetur, omnino (quod contra fieri heu nimium experimur) regnum ejus stare non potest, sed brevi pessum-*
27. *iret. Quod si ego (ut vos blaspheme oblatratis) in principis dæmoniorum authoritate dæmonia ejicio, cedo qua authoritate freti nonnulli ex filiis vestris, qui Exorcistæ dicuntur, dæmonia ejiciunt. Scio equidem vos illa miracula prin-*
28. *cipi dæmoniorum non tributuros. Quamobrem vos iniquos in me judices esse, vel qua ab illis miracula eduntur, sententiam ferent. Quod si (quod res loquitur) ego Spiritus Sancti virtute dæmonia ejicio: omnino ad vos regnum illud Dei pervenit, cujus in expectatione vos omnes esse dictitatis, & cujus tam contumeliose rejecti & pedibus protriti, vos certissimas*
29. *& gravissimas pœnas daturi estis. Notum est præterea, neminem tametsi domum robusti invaserit, posse illum exarmare, & ejus spolia & manubias asportare, nisi illo robustior primum illum invitum constrinxerit, ut domum ejus diripiat: quod vos deceat me satanæ suam prædam eripientem, illum potentiæ meæ veluti vinculis prius constrictum tenuisse, ut se commovere non possit. Qui non est à meis parti-* MATT. 12,30.
bus, meque ab istis calumniis pro virili non asserit, is adversum me est, & qui non colligit mecum, is dissipat. Quid igitur vobis fiet qui me tam virulentis blasphemiis proscinditis? Quum igitur in me tam licenter & prodigiose MARC.
perbacchati estis, certissime vobis confirmo o- 3,28.
mne peccatum atque adeo blasphemiam in Deum hominibus condonari his qui resipuerint, qui autem in Spiritum Sanctum blasphe- 29.
mus fuerit (quo in genere vestra hæc blasphemia reperitur) nullam in omne seculum peccati sui veniam consequens, æternæ condemnationis tenetur. Quandoquidem miracula, quæ MATT.
edo, præclaros fructus esse negare non possetis, 12,33.
quomodo Spiritum, à quo tanquam ab arbore hi fructus proveniunt, damnare audetis? Atque si authorem horum miraculorum tanquam malum damnatis, etiam miracula ipsa ut damnetis necesse est. Ex fructu etenim & effectu certissimo judicio dignoscitur, qualis sit author & effector. Blasphemia vestra quam in me jactatis refutata, vos recriminor, quos quis est qui bonos audeat pronunciare cum opera vestra bona non sunt? Quinetiam ipsi de vobis ipsis (nisi reclamante propria conscientia) hoc non potestis pronunciare, cum opera vestra mala sint, quandoquidem ex fructibus arbor æstimanda est. Sed quis à vobis his meliora 34.
expectet? Nam eum ab impiis Pharisæis hæresiarchis, tanquam impii discipuli prognati sitis; quomodo potestis perversi quæ recta sunt 35.
proloqui, quando ex animi redundantia os loquitur? vide Luc. 6, 45. *Dico autem vobis,* 36.
quod de omni verbo otioso quod quis effuderit, rationem quisque in die judicii positurus est: quanto magis de horrendis istis blasphemiis rei peracti, pœnas daturi estis. Nam vel ex verbis 37.
tuis (si bona sint) justus esse declaraberis, vel ex illis (sin secus sunt) sententiam condemnationis accipies. Quam in eos tristissimam sen- MARC.
tentiam Christus idcirco tulit, quia refragante 3,30.
& obnitente propria eorum conscientia, Christum dicebant spiritu immundo occupatum esse.

PRAXIS.

Christus dæmone ejecto, qui cuidam simul & videndi & loquendi facultatem eripue-

eripuerat, varie admodum acceptus, sermones quosdam iniquos simul & refellit, & justissimo Dei judicio pœnas denunciat.

Cujus partes sunt, { Dæmoniaci cæci & muti curatio. Calumniarum cum pœnæ in authores denunciatione refutatio.

MATTH. 12,22. *Hominis miserabilis conditio;* In priore notatur miseranda hominis conditio, quæ diaboli imperio ita obnoxia est. Quamobrem, quis eum non timeat qui hujusmodi lictoribus & commentariensibus armatur ad vindictam peccatorum? ne igitur abutamur oculis, lingua, &c. ne &c. Idem enim Iudex vivit, & iidem mastigophori. Imo vero hoc ipso gravius hominem punit, si lingua & oculis abutenti eorum usum permittit, quam si illa vitæ solatia eriperet. Nam ad illegitimum usum detorta, nobis gravius judicium, &c. Linguæ enim pravitate, ira Dei quotidie lambitur: oculis in animo novæ subinde faces accenduntur, quæ ad inferos usque urant.

Christi in liberando potentia: Deinde Christi potentia consideratur, qua dæmoniacus dæmonis occupatione liberatus, sermoni simul & visui restituitur. Mirari enim venit, diabolum linguam radicitus avulsam non asportasse: & oculos, quibus nihil tenerius est aut facilius opprimitur, non extinxisse aut confixisse: maxime cum dæmonem valde excanduisse hoc exeundi mandato scire promptum sit. Atque hoc nos magnopere consoletur, quod sine Dei summi nutu nihil in nos moliri possit, ne in summa nocendi cupiditate. Lictores & commentarienses terrestres, aliquid sæpe præter judicis voluntatem agunt: sive id fiat vincula aggravando, sive eorundem asperitatem molliendo, prout in captivum affecti sunt; eoque captivi illorum gratiam si qua possint, diligenter colligunt: sed in Dei lictoribus & carnificibus aliisque vindictæ ministris, secus fit.

Vers. 23. *qui inde Messias à turba agnitus,* Sequitur pars altera: in qua primo se offert turbæ de toto hoc negotio judicium; quod quidem rectum erat, tametsi aliqua dubitatione illigatum & impeditum. Ita enim resplenduit Christi gloria in hoc miraculo, ut minimi judicii & ingenii hominibus facile innotescere potuerit, hunc esse Messiam promissum ex semine Davidis. Cum igitur turba nulla malevolentia in Christum suffusa esset, nec præjudicio ad dijudicandum veritatem impedita, quod res erat aliquousque assequuta est. Veritas enim clara & lucida est: vel ipsa potius lux in hominum oculos (nisi consulto oculos claudant) incurrens. *Psal.19, Sapientiam præstans parvulis. Proverb. 1. ad dandam scientiam, &c.* & *Proverb.8. verba oris mei sunt plana intelligere volenti, & recta cognitionem invenire cupienti.* Quod autem turba Christum agnovit; videtur occasionem aliis præbuisse erroris scilicet, ne idem cum plebe & vulgo hominum sentirent. Quod nobis diligenter cavendum, ne ullius hominis quantumvis contempta conditio, nos à veritate quam ipse sequitur avertat.

Secundum judicium est cognatorum Christi, sicut à *Marco* observatur, qui Christum (ut quidam volunt, ego vero intelligo αὐτὸν subaudi ὄχλον *multitudinem*) tanquam è potestate mentis egressum, comprehendere & domum abducere voluerunt. Marcus enim eandem hujus tam perversi judicii causam assignat (ut quidam volunt) Pharisæorum quæ mox describitur blasphemiæ. Quod si ita sit, perinde est ac si dicerent; Christum res tam difficiles edere non potuisse, nisi furore quodam raptus esset. Furore enim perciti & arreptitii, sæpe ea faciunt quæ fidem hominum superant; saliendo, portando, perrumpendo: sed quid hic simile est? dæmonium enim ejicere, cæcum & mutum sanare, viribus corporis non geruntur. Cum autem furiosi minus mentis & rationis habeant, ingenii & scientiæ beneficio à furioso hæc fieri nequaquam fit verisimile. Quid, quod furiosi toti fere in eo sunt ut hominibus obsint, & videntibus oculos eruant, &c. potius quam sanitatem conferant. MARC.3, 21. *à cognatis (ut quidã) impos mentis habitus;*

Quo autem animo hæc dixerint (si verum sit quod quidam ajunt) an quod ita senserint, an potius ut se apud Iudæos purgarent & periculo eximerent, si Christus tanquam rebus novis studens in judicium & discrimen adduceretur, in medio relinquo. Improbe autem dictum fuisse (si de Christo dicebatur) extra controversiam est. Neque vero verisimile est eos Christi eripiendi causa hoc dixisse: nam nec in illum credidisse, eumque in periculum præcipitare voluisse apparet. *Ioh. 7.* Notandum vero est (ut quidam volunt, sed non ex hoc loco ut ego sentio) pios diligenter & studiose se in vocatione exercentes, non raro furiosorum numero & albo haberi. *Actor.* vero 26, 24. & 2 *Cor.* 5, 13. & 2 *Sam.* 6,20. & 2 *Reg.* 9, 11. & *Ierem.* 29,26. & 1 *Pet.*4,4. hoc proprie notari potest. Omnis enim ratio agendi illis insolens & insueta, insaniæ ab illis damnatur: nec mirum, cum humana ratio quæ illis hoc judicium *quo animo ita senserint?*

cium suggerit, Deo inimica sit. Ne igitur nos commoveat si insani & dementes reputemur, cum Christus (ut quidam volunt) Patris sapientia, vel potius Apostoli & Prophetæ, ac sancti Dei viri hoc probrum tam indigne subiverunt: maxime cum ipsi insani sunt à quibus æstimamur. *Psal.* 5. Nec vero nos urat nimium si ab iis à quibus minime omnium oportebat hoc patiamur; videlicet iis, qui nobis vel sanguine vel religionis professione conjuncti sunt.

Vers. 22. *à Pharisæis vero dæmoniacus æstimatur:* Transeamus jam ad sententiam Pharisæorum, qui miraculum hoc tam celebre ad principem dæmonũ, tanquam ad authorem, referunt. Quo, quid horribilius dici aut excogitari potest, vel ab ipsis quidem dæmonibus, sua ad blasphemiis incessendum Christum capita conferentibus? Christum dæmone,& quidem principe dæmonum, occupatum & adjutum illud miraculum edidisse? Ea etenim erat miraculi ratio, ut non sine injuria perfectissimæ & omni pietate cumulatissimæ creaturæ, ne Angelo, nedum homini tribui debebat: impio vero homini minus debebat; dæmoñi vero, & quidem principi dæmoniorum illud adscribere,extremæ impietatis erat; & templum in quo divinitas σωματικῶς habitat, caveam diaboli fingere horrendum est dictu. Hoc enim non est cœlum terræ, sed inferis miscere, & quidem summos cœlos cum imis inferis. Hoc erat, non tantum lucem tenebris, sed meridiem cum media nocte, absynthium cum melle; aurum Ophirium & fluviatum, cum ignobilissimis lapidibus confundere. Mirum etiam videtur cœlum hoc dicto non sudare; terram non hiare; mare non commoveri. Nam ad leviora scelera,& ignis de cœlo demissus, & terra os suum aperuit. Sed vero ipsi sponte non solum oculos claudunt, sed contentissimis flatibus lumen, ne alii videant, opprimunt. Quum vero res ea sit quæ ab omni veritatis vel specie aut verisimilitudine abhorreat, non tamen dubitant illud magna voce confirmare,dum aperte dicunt, non nisi Principis dæmoniorum auspiciis hæc geri. Vide 1. *Tim.*1. & *Ioh.* 8,48. Eoque asseverantius confirmant quod dicunt, ut populum hærentem & hæsitantem à studio & amore Christi averterent.

Matth. 12,24. *cognatorum calumnia à Christo omissa.* Christus prudenter has calumnias refellit, idque singulari compendio. Nam (si verum esset quod quidam volunt) cognatos suos ipsum furoris insimulasse, tamen silentio præteriens eorum maledicentiam, illam posteriorem blasphemiam refutatione prosternit Nam cum digito Dei factum probat, confectum est non ex furore manasse,multo minus, &c. Quæ prudentia & compendium nobis notandum est. Verisimile autem est (si verum esset quod prius de ejus cognatis affirmant quidam) ex hac prætensa propinquorũ & iniquissima calumnia crevisse hanc fiduciam Pharisæis, ut ei etiam auderent hanc blasphemiam impingere. Nam si cognatos intellexissent tam indigne in Christum elatos esse, sibi majus aliquid & gravius in illum debachari posse putarent; atque ita cognati non tantum atrociter peccassent, sed inexpiabilis impietatis occasionem præbuissent.

Nec enim mirum hodie est, si Euangelica administratio apud *Pontificios* contumeliis & probris oneretur, cum ne ii quidem ipsi qui Euangelium profitentur, à dicteriis & conviciis abstineant. Cavendum igitur ne aliis ansam maledicendi propria maledicentia præbeamus: & memores simus comminationis, qua expedire dicitur molam asinariam, &c.

Ex hoc loco, & ex legionarii dæmonis historia constat, malignos spiritus ordine & via seu methodo humanum genus oppugnare: habent enim suos duces & principes, quorum subsidio facilius humano generi imponant. Quo magis cavendum est, ne nos confuse & tumultuarie adversus eum pugnemus, nullo ordine, nulla disciplina militari Ecclesiastica;sed ejus potius fraudes singulari artificio nobis in Scriptura descriptas antevertamus. *Dæmones ordine homines oppugnant.*

Vers. 25, 26. *Christus quomodo per dæmonum potestatem eos non ejiciat;* Hanc blasphemiam, *in Deum*, primum, deinde in *populi salutem* vibratam, Christus validissimis nominibus revincit; & primo quidem argumento disparatorum: scilicet, non ejicere Christum dæmonia præsidio & potestate principis dæmoniorum, quia Sathanas Sathanam expugnans mutuis ictibus concideret. Sequeretur enim quosdam dæmones ab humano genere stare, & in iis principes dæmoniorum;alios vero dæmones se principi opponere. Absurdum vero est perpetuos humani generis hostes, & qui hoc nomine *inimici* & *accusatores* dicuntur, nobis amicos fieri; scilicet,lupos & leones cum ovibus in gratiam rediisse, milvium cum pullis, serpentem calcaneo non insidiari: quanquam venerit illud tempus, cum hæc animalia inter se coalescent & convictura sunt; quod tamen in dæmonibus nunquam

 fiet.

fiet. Hoc igitur cum absurdum sit in ullo dæmonum, tum vero in principe dæmonum, qui majore quodam odio flagrat, accidere alienius est. Quam vero conspirant adversus Dei populum, apparet in ipsis impiis qui spiritu diabolico impelluntur. Nam tametsi ipsi inter se dissideant; tamen adversus Christum & veritatem, conjunctis viribus pugnabunt: ut in Sadducæis & Pharisæis, Herode & Pilato liquet. Probabilius autem esset, si dixissent aliquem ex inferioribus dæmonibus hac fuisse invidia permotum, ut principatum Sathanæ eriperet.

inde illi nunquam consulendi: Hinc certissime colligitur, nihil boni à dæmone impetrari posse. Quod si ii secum expenderent, qui diabolum consulunt de divitiis adipiscendis, de amissis recuperandis, de futuris prænoscendis, &c. non utique eum per suos æditus adirent. Et si quid largitur, mirum est eos non cogitare δῶρα ἄδωρα esse. Quod si arbitrantur ita se nasutos esse, ut diabolum se circumvenire posse putent, & commodum aliquod ab illo emungere & extorquere, ut nihil interim incommodi patiantur, falluntur turpissime. Nam si primos parentes in integritate decepit, nedum nos tenebris ignorationis obrutos.

hoc Christi argumentum ab exceptionibus vindicatum. Sed hoc loco subit *dubitare* de hujus axiomatis perpetua veritate: quum Madianitæ & alii Dei hostes inter se commissi perierunt; unde Dei populus ereptus est. Madianitas autem à diabolo inter se commissos esse, inde liquet, quod mutuis homicidiis interempti sunt; est autem diabolus homicida.

Sed *respondeo* primum, diaboli regnum hoc modo dilatatum esse, quatenus mutuis cædibus reciderunt; vivi enim ad inferos descenderunt. Deinde illud admirabili Dei & extraordinaria administratione factum est, quam nemo nec hominum nec dæmonum efficiat: hoc autem loco agitur de dæmonum & Christi hominis instituto.

Deinde etiam *excipiat* quis, hostes aliquando pugnam simulare, & unum alteri commodi sui causa cedere: sicut videmus lanistam tyroni aliquando cedere, ut animum & spiritus sumat; & alteram in bello aciem fugam simulare, ut alteram à faucibus & urbe abducat: & Christus ipse docet miracula à Pseudo-prophetis edenda, quæ vel piis ipsis si fieri possit, imponant.

Sed *respondeo*, miracula Christi tam & frequentia & plena potentiæ fuisse, & in omni genere gloriæ, ut nullus hic dubitationi locus relinquatur. Quanquam enim Deus suos tentat, semper tamen manifestæ quædam notæ sunt quibus verum à falso, sincerum à fucato internosci possit; nec ultra vires eos tentari patitur.

Præterquam vero quod absurdum sit dæmones secum ipsos committi, illud etiam sequeretur, Diaboli regnum hoc pacto convulsum & labefactatum iri: quod quidem dæmones moliri absurdum est; maxime eum qui principatum inter eos obtinet. Potius enim existimandum esset, inferiores dæmones aliquid in illo regno moturos, quam ipsum principem, cujus maxime interest regnum erectum stare. Tametsi enim veritati consentaneum sit diaboli regnum abolendum esse, tamen illud aut protinus fieri, aut diaboli ipsius conatu, alienissimum videtur, & Dei gloriæ tenebras offundens; siquidem dæmonum potius inter se dissidiis, quam Dei in nos charitate diaboli & inferorum imperium concideret. Non secus quam si quis parta victoria, victoriæ laudem vincenti detraheret, ut eum hostis potius imperitia aut imbecillitate triumphasse, quam propria virtute obstreperet.

Hoc illustrat Christus argumento generis; deinde parium. *Generis*, quod omne regnum divisum in se desolabitur; ob eamque causam dæmonum regnum: *parium*, quod ut in civitate & domo fit, &c. Sensus autem est, omnem societatem sive magnam sive parvam, sive publicam sive privatam, dissipari, quæ contentionibus in se æstuat: nullam & Rempublicam esse quæ contentionis & dissidii impetum sustineat. Nulla igitur aries aut tormentum tam est urbi exitiale quam est discordia: civitati nulli cuniculi nullæque ἑλεπόλεις aut machinæ, ad ejus expugnationem potentiores sunt; multæ enim urbes & regna extiterunt, quæ diuturna bella & obsidiones sustinuerunt, salva & incolumia remanserunt, sed quæ tamen ab invicem contraria ceciderunt. Exemplum hujus rei proponitur in regno Israëlis, quod distractione & divulsione ad interitum pervenit. Sicut morbi intestini periculosiores sunt, &c. *Etiam quod divisa corruant per dæmonis potestatem hæc non patrata;*

Hæc etiam in Ecclesiæ societate maxime locum habent: si enim *mutuo vos mordetis. Gal 5. videte ne ab invicem consumamini.* Contentionibus igitur quis alterius brachium comedere dicitur. *Esa.* 2. Mundi odia & inimicitiæ non possunt Ecclesiæ nocere; sed cum ipsa Ecclesia secum ipsa confligat & confli- *inde societas in Ecclesia servanda,*

constrictetur, tum animæ casus exspectandus. Idem enim illis accidit quod Abneri & Ioabi athletis; aut gladiatoribus usu venit, ut mutuis ictibus concidant omnes. Nam in Ecclesiæ dissidiis qui superior est in lite, tamen fide & officio victus saucius abiit; tametsi etiam causa superior sit: quod tamen in civilibus dissentionibus non fit.

cũ semper illi bellum externum. Huc accedit, quod perenne nobis est cum mundo bellum externum: ad quod si intestinum etiam accedat, quomodo consistat? maxime cum è supremis etiam cœlis discordiæ nomine oppugnamur à Deo ipso. Contra vero, funis triplicatus non facile rumpitur: urbs suis ædificiis apte & concinne compacta ac cohærens, facile defenditur. Corpus suis commissuris & artubus scite constructum, suam sanitatem tuetur: domus cujus lapides bitumine & intrito arcte inter se connectuntur & colligantur, adversam tempestatis vim sustinet. Si igitur cordi est Dei regnum, demus operam ut sacrum charitatis vinculum inviolatum servemus, neque committamus ut ob res parvi momenti invicem dissiliamus: sed in rebus ἀδιαφόροις invicem nos ipsos conformemus, juniores senioribus, pauci pluribus: quod si sententiis ab invicem differamus, illud tamen sine acerbitate faciamus. In rebus vero magni momenti præcipue ad gloriam Dei spectantibus, à vero ne tantum unguem recedendum; nec unus omnibus, nec puellus aut pusio seni vel minimum concedat.

Vers. 27. *Ejectiones dæmoniorum exorcistarum ad spiritum relatæ, etiam Christi ad eum referendæ.* Aliud argumentum ab effectis ad causas. Ejusdem enim effecti eandem esse causam oportebit: sed causam ejectionis dæmoniorum per filios seu discipulos vestros exorcistas: (*Actor.* 19.) ad Spiritum Sanctum refertis: proinde meam hanc ad eandem causam referre debebatis. (Nam Apostoli nondum ad sanandum missi erant: & Christus ipse confirmavit domesticos ab hac calumnia non fore liberos, si paterfamilias eam passus est) quod cum non facitis, facile est intelligere, vos odio in me flagrantes hoc dicere, quibus in me piaculum est, quod in illis laude & prædicatione dignum existimatur: in me nævus, quod in illis venus, &c. censetur. Erat autem summæ impietatis id in alio summe damnare, quod in aliis prædicabant. Non laudare vitium erat: vituperare vero, idque petulantissime insectari, scelus erat. Iannes & Iambres digitum Dei agnoverunt in miraculis, in quibus tanta virtus non resplenduit, quanta in hoc Christi miraculo; tametsi hostes & Dei & Mosis jurati essent. Quamobrem filii vestri, ut ego taceam, adversum vos sententiam dicent, qui sibi probe conscii sunt, nihil adversus dæmones nisi Dei virtute effici posse: & vestro de se judicio idem confirmatur. Exorcistas enim in populo fuisse patet: hosque ex filiis & discipulis Pharisæorum extitisse verisimile est. Nam cum illa virtus id temporis in homines collata sit, in eos potissimum hanc gratiam collocatam fuisse verisimile est, qui in divinarum literarum notitia à teneris annis educati fuerunt. Pharisæi vero, ut olim Samuel inter Prophetas, illis præponebantur. Vt igitur me purum hominem judicetis, tamen me eodem loco quo filii vestri haberi à vobis æquum erat.

Hinc discimus, quantopere nobis ab odio fratrum cavendum est; quandoquidem eo fit, ut quandoque odio hominis in ipsam Dei veritatem feramur præcipites: ut illud ipsum odio habeamus, quod ab alio adamari judicamus; & illud quod ab illo manat statim improbemus, quod ipse nobis non probatur. Nam Pharisæi isti tametsi non prius secum statuerant, se Deo & veritati opponere & oblatrare; tamen tempestate odii in Christi personam abrepti, in ipsam Dei potentiam impegerunt. Idem Iudæis accidit, quibus veritas Euangelii eo minus sapiebat, quanto magis placebat Gentibus. Nec dubium est quin nostra memoria factum sit, ut plerique veritatis odio ducti sint, quod iis non placerent qui veritatem profitebantur: tanquam malint cum aliis errare, quam cum illis vera discere. Hi vero tametsi putarint se cum hominibus simultatem exercere, tamen in veritatem irruentes ad Deum ipsum tanquam ad scopulum allisi sunt. Odium igitur fratris alterutrum horum facit: scilicet, ut aut quæ alba sunt in fratre fascinatis ocellis nigra appareant, quod est summæ cæcitatis; aut si virtus ita fulgeat, ut obscurari nequeat, nolentique in oculos incurrat, ut quod album est, nigrum renitente & revincente nos conscientia pronunciemus; quod est perditæ & deploratæ malitiæ. Contra vero, jubet nos Christus inimicis in nos debacchantibus benedicere; id est, quicquid in illis laude dignum est, ingenue agnoscere; ut David in monodia seu mania Saulis. *quare ab odio fratrum cavendum.*

Non est huic dissimile quod à *Pontificiis* plerisque in nos committitur; tametsi enim negare nec ausint nec possint pleraque à nobis fieri in religionis instauratione, quæ olim *quod à Pōtificiis cōmittitur.*

à Dei populo, Christo præsertim & Apostolis fiebant, tamen in nobis hæresin esse dicunt quod in Patribus erat religiosum; in nobis blasphemum, quod in illis laude & commendatione non caruit. Nec quicquam afferre possint, nisi quod secus Ecclesia judicarit. Quasi vero Ecclesia potestatem habeat lucem in tenebras transferendi; & efficere, ut quod olim Spiritus Sancti instinctu factum est, nunc diaboli impulsu fiat.

Vers. 28. Ex Christi miraculis regnum Dei ad illos pervenit,

Hanc impietatem exaggerat ab adjuncta Dei in illos ex hoc ipso munificentia, quod illi tantopere commendarant; scil. quod regnum Dei hoc modo ad illos pervenerat. Dæmonum enim exactio & ejectio, ut diabolici regni cladem indicabat, ita regni Dei apud illos instaurandi & instituendi τεκμήριον erat. Tam contumeliose enim illud conviitiis proscindere quod illis tam salutare fuit, & illud instituendi regni diabolici causa factum dicere, quod instaurandi regni Dei causa factum fuit, insignis & inauditæ impietatis fuit. Tacite vero subindicat, ita ad eos pervenisse, ut deinceps auferendum & alio avertendum sit, quod ab illis tam indigne rejectum & repudiatum est. Vide *Luc.* 10,11.

quare oblata gratia non repudianda;

Quod nos admonere debet, ne oblatam gratiam repudiemus: fieri enim potest, ut quæ hodie affertur, cras auferatur, *hodie si vocem ejus, &c.* brachia misericordiæ divinæ quæ hodie expansa & explicata sunt, cras contrahantur & complicentur; & qui hodie fores pulsat, ut intromittatur, tantæ inhumanitatis indignitate offensus, quod non sit admissus, alio commigret.

Vers. 29. illa etiam nō per vim dæmonum quod major requiratur,

Aliud argumentum, scilicet se fortioris præsidio immundos spiritus ejicere, quam est diabolus; non igitur diaboli viribus fretum hoc facere. Potius proxime antecedentis confirmatio est, Dei scilicet regnum hæc miraculi editione pervenisse, &c. & est argumentum ab effectis. Fortiorem autem esse probat, quod illius domicilium ingressus, eum exarmet, vinciat, præda spoliet & exuat. Nec enim prædam & manubias sibi unquam eripi pateretur, nisi vinctus & constrictus, ut se commovere non possit. Diabolus fortis est, armatus robore & fraudibus, qui domicilium occupat humani corporis, prædam & manubias possidet visus & facultatis loquendi. Hujus in possessionem Christus ingreditur, & fortior, illum ita constringit & cohibet, ut ne digitum quidem citra ejus nutum attollat; nocendi vires illi adimit, spolia & prædam abigit, & hominibus distribuit, & justis possessoribus restituit. Quod si quis excipiat principem dæmoniorum fortiorem illo altero fuisse, & ob eam causam potuisse ejicere illum mutum dæmonem: responsum superiore oratione ostensum est; scilicet, absurdum esse dæmones inter se in oppugnandis hominibus digladiari.

inde nostra miseria qui sub diaboli servitute,

Dictum est, corporis quocunque genere incommodis, animi miseriam nobis adumbrari; unde etiam homines peccati ratione à diabolo occupari & captivos teneri consequitur: eamque tam duram esse servitutem, ut nisi adventu Christi excuti nequeat; fortior enim est is qui nos servitute premit, quam ut nosmet ab illius jugo vindicare possimus. Imo vero nullæ in nobis vires sunt, quæ ejus possessionem vel minima ex parte turbare aut interrumpere possint: non magis nos adversus diabolum commoveamus, quam adversus milvum pullus, quem unguibus compressum tenet. Quin etiam minus ad liberationẽ nostram afferimus, quam pullus; qui se expedire quidem enititur, cum nostrum animum ne semel omnino subeat de nostra liberatione cogitare, aut eam voto expetere, quoad Christus diabolo fortior, per fidem aciem mentis & voluntatis nostræ occupans, diabolum exarmet, foras pellit, præda sua (intellige animas nostras) orbat, & captivum abducit eum qui nos captivos abduxit. Hoc loco jugulatur liberi arbitrii vanitas. Sicut enim nemo à dæmone occupatus, propriis viribus exturbare immundum spiritum potest; ita &c. maxime cum in anima omnes facultates, & non unam tantum aliquam sibi mancipatas habeat.

Notandum hoc loco, Diabolum fortem & robustum dici, ac viribus præpotentem; eoque alio in loco cum Leviathane *Esa.*27. alio loco cum rugiente Leone, 1 *Pet.*5. comparari. Nos igitur cum infirmi simus, aut vires precario accipiamus, aut pereamus necesse est. Sic *Ephes. 6.*

penes quem singularis peritia.

Lucas cum porro dicit armatum esse expleta armatura; ad robur enim accedit singularis peritia, & natura & experientia acquisita: unde *Esa.* 27. appellatur *serpens tortuosus*. Nos igitur cum natura nudi & inermes simus, induamus, &c. ut *Ephes.*6. Quo in negotio consolari nos debet quod Christus fortior sit, cujus in manu Pater omnia posuit, qui unus est cum Patre omnibus fortiori. Leo est ex tribu Iuda. Tametsi igitur si

tur si nos spectemus certamen non minus inæquale est, quam si ovis cum lupo & leone, aut vir cum locusta in certamen committeretur; tamen in Pastoris & Domini nostri fortitudine & sapientia exultabimus.

Vers. 30. *Quod Christus non cum dæmone etiam hæc non ex ejus potestate;* Aliud argumentum à comparatione minoris; quod tamen ut in re satis manifesta, breviter admodum & concise exponitur; scilicet, si qui mecum non sunt, nec mecum colligunt, contra me sunt & dissipant; quanto magis contrarii existimandi sunt & hostes qui non modo suam operam mihi non navant, sed in studia penitus contraria feruntur? Cum igitur dæmones actionibus mihi maxime contrarii sunt, illud scilicet perdendo quod servatum volo, me cum illis conspirasse absurdum est. Si qui manum extruendo ædificio non apponunt, pro demolitoribus censendi sunt; quanto magis qui manibus quod est ædificatum diruunt? Et si hostis censendus sit qui manum cum hoste non conserit; nedum est qui pugnam contra init.

quare non otiose exitus rerum exspectandi, Hinc discimus quo loco habendi sunt qui tanquam ociosi spectatores, utrimque quis controversiarum in religione exitus sit futurus expectant & præstolantur, ut illi se demum parti adjungant quæ illis ad pacem & fœlicitatem tuendam aptissima videtur. Suos enim Deus vult actores, non spectatores esse. Vide exemplum Sacerdotum 2 *Chron.*30,3. scilicet expectabant quo modo indicta à rege reformatio procederet, in tanta scilicet resistentium multitudine. Sic plerique præstolantur, ut si veritatem amicis munitam, commodis & pace stipatam senserint, tum demum illam amplectantur.

nedum à proximi officio cessandum. Nec mirum est si in Dei cultu hoc verum sit, cum in nostris erga proximum officiis, cessatio ab officio, officii contrarii patratio dicatur: ut, qui proximum non amet, eundem odio prosequi dicitur; qui nudo vestem qua induatur non præbet, eum veste spoliare dicitur. Quod idem in cibi potionisque ratione perinde habet, *Iob.*22. qui inimicum non adjuvat, pœnas ab eo expetit, & vindictam persequitur. Duo enim tantum duces sunt, duæ acies, ergo aut Deo militare oportet, aut diabolo. Omnes accepto nummo à Domino conducti sunt, id est, aliquod Spiritus Sancti donum acceperunt, justum est ergo ut omnes manum operi admoveant.

Vers. 31, 32. Peracti sceleris & peccati atrocitatem, ex pœnæ acerbitate declarat. Vbi primum considerandum est, quod sit peccatum in Spiritum Sanctum. Quod ex *Heb.*6,4, *ad* 9. & *cap.* 10,26, *ad* 32. & 2 *Pet.* 2,20,21,22. & *Psal.* 169. *&c.* ubi subjectum illius primum eum esse constat, qui illustratus fuit notitia veritatis; particeps factus doni cœlestis, id est, qui cum Spiritus Sancti particeps fuit, bonumque Dei verbum gustavit, & virtutis seu potentiæ sæculi futuri particeps; scilicet, quod priorem ignorationem veritatis evomuerit, & nonnullam turpitudinem, cui prius addictus fuerat: postea tamen, &c. Sic enim Petrus *effugisse* eum dicit *mundi sordes*, quo nomine non tantum hæc vomitu ejecisse; sed & ab iis *lotus* dicitur. Huc accedit delectatio quædam, quam in Euangelii, seu Verbi potius cognitione capiebat, conjuncta cum fastidio superioris insipientiæ & delirationis. Alias vereor ut hoc non quadret in Pharisæos, neque propterea in universum verum esset. *Datur peccatum in Spiritum Sanctum;*

Ex quibus illud manat, hoc peccatum in Turcismo, Papismo, Iudaismo non inveniri; sed tantum inter Euangelii professores, aut saltem Euangelii seu Verbi Dei approbatores: ut Pharisæi, &c. Eoque comparantur ii qui in hoc genere peccant terræ aratæ, iteratæ, irrigatæ &c. *Heb. 6, cap.* 10.

De pœna hujusmodi peccatoribus irroganda loquens, dicitur Deus suum populum ulturus seu judicaturus. Sicut enim proditio non cadit nisi in subditum, ita nec hoc peccati genus nisi in Euangelicum aut Verbi participem. Vnde etiam dicuntur ab Apostolo ἐπεναντίοι, non autem ἐναντίοι, id est, qui ex diametro repugnent; sed veluti ἐκ τοῦ πλαγίου, & oblique. Fieri quidem potest ut hoc peccato peccent qui nunquam publice & aperte Euangelium professi sunt, aut Verbi veritatem; sed eos tamen noticia Euangelii seu Verbi illustrari, & à professione per metum aut ambitionem, abstinere, &c. quod iis Pharisæis usu venisse certum est. Quo nobis magis cavendum est, ut caute & circumspecte conversemur, 2 *Tim.* 2,17,18. & ab omnibus vel minimis peccatis abstinere; quod gradatim & sensim ad hoc culmen peccati ascenditur. Nec enim subito & uno passu ad hoc scelus pervenitur: nec Iudas primo ad Christum accessu hoc facinoris admisisset. Sic videmus puellam, primo verecundia suffusam, & pudore ne sui corporis potestatem faciat prohibitam; postquam semel se expugnari passa est, viri fornicatoris congressum non reformidare; postquam *quod non nisi in Euangel. profitentibus:*

cum illo aliquamdiu consueverit, facilius secundo concedit; post, tanquam lupa & prostibulum omnibus se promiscue exponit. Idem in furto accidit: qui enim vel assiculæ conferendæ copiam facit, post &c.

an hoc etiam in officio erga proximum? Hic *quære*, an duntaxat hoc peccatum in cultus Dei rationem cadit, an etiam in officium erga proximum?

Cui videtur *responderi* posse, Etiam, &c. Nam qui unam partem veritatis malitiose oppugnat, universum corpus doctrinæ & veritatis oppugnabit, si res tulerit aut occasio oblata fuerit, *Iacob.*2.

Deinde considerandum est proximum hujus peccati adjunctum. Ad eam rem considerandum est hoc Pharisæorum exemplum; quos videntes, scientes, hanc tamen blasphemiam despumasse apertum est. Non enim latuit eos, hoc à Spiritu Sancto & divina potentia profectum; cum Iannes & Iambres illud quod à Mose factum est, digito Dei fieri sciverunt & agnoverunt, &c. Et Apostolus ex verbo ἑκουσίως satis docet, hoc eorum peccatum per imprudentiam aut ignorationem committi non posse.

an omnes hoc peccatum committant qui volentes peccant? Quid ergo, inquit aliquis, dicemus ne eos omnes admisisse peccatum in Spiritum Sanctum qui volentes & prudentes peccarunt? minime inquam. Nam quis mortalium est qui, &c. Et Davidem non ignorasse se præceptum Dei violasse in sua cum Batsheba consuetudine, intelligere promptum est, quod *Psal.*51. docetur, quum dicit, *sapientiam dedisti in intimis, &c.* Idem de Adamo confirmari videtur 1 *Timoth.* 2. Pii enim luctantes cum peccato aliquando cedunt & vincuntur. Et Paul. *Gal.*6. collapsum per infirmitatem instaurari jubet. Ii sunt igitur qui hoc modo peccant, qui non tantum sponte & scienter, sed edita & excelsa manu, nulla graviori tentatione explorati & excocti malitiose peccant. Quamvis igitur blasphemiam horribilem evomebant, non tamen ob illa verba rei hujus peccati sunt; sed quod intus invidiam, & malitiæ odiique in Christum virus inclusum tenebant. Vnde etiam dicitur, Christum novisse eorum cogitationes; & non ex nudo sermone, sed ex veneno intus incluso judicasse.

Pharisæos in se blaphemos impietatis coarguens, quod illis supplicium manet denunciat.

Cujus *partes* sunt,	Improbitatis eorũ coargutio. Comminationis denunciatio.

Refutatis Pharisæorum adversus se calumniis & blasphemiis, eos recriminatus, impios esse probat. Eoque hanc blasphemiam nulla sua culpa, sed eorum ipsorum perversitate efflatam & eructatam esse. Argumentum autem est ab effectis, tale: Pro ratione actionum homines censendi sunt sive boni sive mali; vestræ autem actiones sunt malæ; vos igitur malos esse necessum est. Tametsi igitur vos ipsos pietatis & sanctitatis nomine venditatis, & tametsi populus vos tanquam orbis terrarum lumina admirentur & suspiciant; tamen hinc constat vos impios esse, quod impia & blasphema in me proferatis. Nam ex operibus qualis quisque sit dignoscitur, *Matth.*7. hypocritas sanctitatem simulantes retegi & prodi docetur. Quod quidem non eo tantum servit, ne alii nobis fuco & specie sanctitatis nobis imponant; sed ne ipsi nos ipsos fallamus diligenter expendendum est. Vnde Paul. *Gal.*5,25. *Si spiritu vivimus, spiritu incedamus.* Et *Ephes.* 4, 20, 21. planissimis vero verbis 1 *Iohan.*3, 7. *Vers. 33. Pharisæi ipsi mali censendi ex ipsorum operibus;*

cum justi qui justitiam exercent: Ex quo satis liquet plerosque esse, qui sibi justos esse persuadent quod in justorum cœtu & Ecclesia sint, quod Verbi & Sacramentorum participes sint, quod quæ religiosa sunt verbis extollant. Sed statuendum est, neminem esse justum, nisi justitiam exerceat, & in ea se occupet; nisi manus ad opus, & ad mandatum extendat; nisi pedes in terram dirigat. Qui enim manus complicatas sub axilla tenet, aut illas in sinu inclusas; qui domi suæ residet, nec pedem effert quo se in viam mandatorum dat, is non est pro justo habendus.

ut arbor dignoscitur ex fructibus, Hoc illustratur similitudine arboris. Sicut enim arbor bona non est censenda, quæ bonos fructus non profert, tametsi patula, folia, pulchras gemmas, elegantes flores proferat; sic, &c. Quod si etiam pravos fructus & insipidos ferat, vitiosam esse arborem constabit eo magis. Huc spectat quod Apostolus arguit spiritus vitam ex ambulatione secundum spiritum. Tametsi enim vivi hominis habet speciem & figuram, tametsi sic ab aliis existimetur; tamen nisi vitam motu declaret, nihil præter putidum cadaver existimabitur. Denique, ut nemo idcirco servus cujuspiam judicandus est, quod ipse se servum profiteatur, aut quod tunica aut insigni ejus ornatus incedat, nisi imperium illius capessat; sic &c. Quod si in domo versantes, ejus insigne gestantes, illius mensa pasti,

pasti, illi non tantum non serviamus; sed ejus potius hosti operam demus, magnæ impietatis nos reos constituemus. Quod quidem facimus omnes, qui fructus Euangelio dignos non proferimus.

sic opera justum indicant.

Notandum vero, opera justa justos homines non facere, sed indicare solum & prodere. Fructus enim non reddunt arborem bonam aut malam, sed produnt tantum ejus bonitatem aut pravitatem. Sic motus & ambulatio causa vitæ non est, sed ejus signum & judicium certissimum; eoque arbor prius bona sit oportet, quam fructus sint boni; & vita prius præditum esse oportet, quam rite actiones exsequatur.

Vers. 34, 35. *Inde hi etiam mali quod maledicant,*

Sicut ab effectis ad causas probavit illos impios; sic nunc à causis ad effecta non modo illos maledicos esse, sed nec aliter quidem nisi maledice eloqui posse convincit. Vos enim cum sitis mali, qui fieri potest ut bona loquamini? 2 *Reg.*9,11. *Vt est vir, sic est ejus sermo.* Nemo enim colligit ex spinis uvas, aut ex tribulis ficus, verba autem bona & salutaria sunt uvæ & ficus; non possunt igitur ab impiis profluere. Vide *Rom.* 3,13, 14. Nam cum ne cogitatio quidem bona impiorum animos subit, nedum sententia sana. Eoque non inscite eos Christus viperis confert, quarum linguæ venenatæ sunt. Ex quo discendum est, ut nobis ab impiorum consortio caveamus, nisi eorum sermone, tanquam veneno icti, perire velimus.

idque ex animo malo;

Probat porro, non posse eos bona eloqui, à causa propinquiore, animo scilicet; quales enim sunt animi sensus & cogitationes, tales sunt cujusque sermones. *Ier.*14. si Æthiops, &c. Lingua enim animi index est & interpres. Et prius in animo concipitur, quam lingua proferri potest.

in quo malum dominatur:

Vbi notandum est quod dicit, *ex cordis abundantia os locutum.* Nam piorum animis inest quidem iniquitas, sed tamen non abundat, neque dominatur. Vnde etiam quæ bona sunt pii proferunt; sed impii, quia cor eorum affluit iniquitate, & iniquitas ibi principatum tenet, ideo impie loquuntur. Hinc est ut etiam cor *Thesaurus malorum*, dicatur in malis; ut *Thesaurus boni*, in bonis. Sicut igitur alveus plenus & exundans se in aliud exonerat; sic &c. Hoc apparet exemplo Eliahu *Iob.* 32. qui se dolio vino pleno comparat; quod nisi pateat aliquis exitus & spiraculum, statim rumpitur. Hinc est quod David docet, se ad tempus bonis verbis abstinentem, ita intus inflammatum fuisse, ut ignem non potuerit comprimere, quin labris erumperet. Vnde etiam Apostoli *Act.*5. confirmant se non posse non testari agnitam ab illis veritatem. Ex quibus illud elucet, quo animo erga veritatem & Deum sunt, qui ejus causam desertam patiuntur: eorum scilicet animos rectos, & in Deum sinceros non esse. Sicut etiam eorum vanitas apparet, qui cum spurcis sermonibus se dedunt, negant tamen se eorum de quibus loquuntur studio & amore teneri, nec velle aliquid in eo genere nequam patrare.

quomodo tamen mali bona dixerint?

Sed hoc loco *quærat* aliquis, quomodo hoc consistat, cum reperiantur plerique impii, qui multa præclara & sapienter dicta pepererunt; cujusmodi sunt Philosophi. Pharisæos præterea veritatis divinæ præcones quandoque extitisse, & ea proposuisse quibus credendis fides piorum obstricta est, Christus testis locupletissimus existit. Atqui nisi veris & sanctis nos fidem præbere fas non est: proinde ubi mali bona loquantur consequi necessum est.

Respondeo, hæc quidem sancta, illa vero sapientia & commode dicta fuisse: hæc amplectenda; illa non aspernanda, quoad à Deo authore & inventore profecta sunt. Bona sunt insuper quoad Deo istiusmodi hominum opera ad illa seu excogitanda, seu proferenda uti visum est. Deinceps bona sunt quantum ad bonum finem juvandi humani generis, aut ædificandæ Ecclesiæ referuntur. Quia vero ratione, vel lucri, vel inanis gloriæ captandæ causa, ab iis tamen in medium prolata, sunt mala. Sunt quidem, non ἁπλῶς & in se mala; sed illis ipsis modo, qui rebus tam præstantibus ad quæstum & ambitionem abutuntur. Illis enim plurimum oberunt, & graviorem condemnationem in eorum capita accersent. Sicut enim Deus impiorum opera utitur ad justissimam suam vindictam asserendam, ut illi interim ne minima quidem parte ejus justitiæ communicent; ita eorundem ministerio ad hominibus benefaciendum utitur, ut nullam ipsi in beneficentiæ societatem accipiantur. Qui in alterius perniciem ruens, vomicam illi aperit, qui sanitati restituitur, nihilo melius in eum propterea animatus est ac si eum interemisset; sic, &c. Si quid igitur ab hoc hominum genere manaverit, quod hominum usibus oportunum sit, id illis non debetur, sed Deo primum, deinde rebus ipsis quæ ab eorum veneno infici & corrumpi nequeunt. Sed melius fuerit hoc proverbii loco positum

tum intelligere; cujus veritatem tuetur satis si ἐπὶ τὸ πολὺ fiat.

Vers. 26. *De singulis dictis ratio reddenda,* Sequitur pars altera, de comminationis denunciatione. Cum enim dixisset, nullum benedictum ab eo effari posse; eoque magnam esse eorum quæ perverse & perperam enunciantur infinitatem; adjungit omnia illa ad unum Dei tribunal vocanda esse; neque vero de istis tam horrendis blasphemiis modo rationem ponendam esse. Quorum quum singula supplicium infinitum & intolerabile mereantur, conjuncta omnia quantam & quam incomparabilem attractura sunt condemnationem, illis cogitandum relinquere. Hinc Paul. *Coloss.* 3,13. *Quicquid sive verbo, sive facto, &c.* & *Ephes.* 4,29. jubet ut nullus insipidus sermo à nobis proficiscatur; sed hujusmodi qui ad ædificationem referatur, & auditoribus gratiam conferat. Item *Col.* 4,6. docet ponendam esse rationem eorum. Homines autem nullam hujusmodi rationem habent; sed arbitrantur verbis libertime utendum esse, modo neque in Deum blasphema sint, nec legibus interdicta. Sed præstiterit nobis hanc licentiam non indulgere, sed potius ad rationes nosmet vocare, aut ab aliis nos revocari pati; nisi forte malumus coram Deo judice rationes ponere, ubi unum pro millibus non respondeamus.

quamvis non in terris tamen in die judicii, *In die judicii.*] Quanquam enim homines hic in terris, ne semel quidem de iis appellentur; tamen est tribunal apud quod hæc causa dicenda est. Neminem igitur in peccato animet, quod de iis sermonibus apud homines vocari in judicium nequeant, nisi Dei tribunal minoris æstiment quam hominis. Ex quo etiam illud emanat, non esse otiosa verba parvi momenti, cum in tam augusto & amplissimo foro & judicio disceptabuntur; tanquam in foro Parliamenti, ubi omnium hominum & angelorum ordines Deum summum judicem circumsistent. Si quis vase Deliaco, Corinthio vel Attalico, ad honoratissimos usus adhibito (puta ad potionis ministerium) ad abjectissimum lotii reddendi usum abuteretur, an æque hoc Dominum laturum putamus? Cum igitur lingua nobile corporis membrum, Deo prædicando & proximo ædificando destinatum, ad tam viles & abjectas res traducitur; non potest non Deo per quam ingratum esse. Vasa è Templo à Balthasare ad convivandi usum traducta, horrendam Dei iram in ejus caput accelerabat, &c.

Probat in rationem ventura etiam dicta nostra ociosa, ab adjuncto Dei judicio, quod ex dictorum ratione feretur. Docet igitur, tam & certa & valida esse probitatis & improbitatis judicia, si verba aut recta aut prava sint, ut ex eorum vel probitate vel improbitate, judex cœlestis suam sententiam formaturus sit. Iudices enim in judicio dicendo, non quævis signa & judicia ad sententiam dicendam observant: sed illa tantum quæ certa & firma sunt notant, ex quibus judicium suum fingant. vide *Iob.* 15. *Condemnabit te os tuum, non ego.* & *Proverb.* 12. *Quisque fructu labiorum suorum bonis satiabitur.* & *Proverb.* 13. *Qui custodit os, custodit animam.* & *Iacob.* 3. *Qui non peccat lingua vir perfectus est.* Ex quibus illud constat, verba non esse ventum aut flatum qui ilico evanescit; sed turbinem potius & tempestatem, qua ad condemnationem tanquam ad scopulum allidantur, siquidem prava sint: ut contra venti velut secundi sunt, qui nos ad optatum portum pervehunt, siquidem bona existant. *& ex iis sententia formabitur:*

Vers. 37. *quomodo ex illis justificabimur aut condemnabimur?* Quod vero ex iis aut justificari aut condemnari dicimur, hoc fit non tanquam ex causis, sed tantum ut ex adjunctis testibus. *Iustificari* enim hoc loco, sicut *Luc.* 7. non sumitur pro eo quod est *justum fieri*; sed *justum* declarari. Quod ex ipsa temporis circumstantia evincitur. Quum enim de illa *justificatione* loquatur quæ in extremo die patefiet, quo nulla justitia acquiretur, sed ante in terris acquisita declarabitur, nisi *causam rem cujus est causa subsequi* velimus, de posteriore acceptione necessario hæc verba accipienda sunt. Sententia igitur dicetur ex verbis, quoad illa hominem justum esse testabuntur, & de fide quæ in corde abscondita erat, indicia præbebunt.

Sed si quis *quærat* quomodo Christus margaritas has porcis conculcandas projecerit, sanctum canibus prostituerit? *Quare hæc à Christo dicta?*

Respondeo, hæc non ad Pharisæos alio animo dici, quam ut illos pungat; præcipuam vero operam multitudini circumsistenti navatam esse, ne multitudo hac Pharisæorum tam fœda calumnia à veritatis amore averterentur.

MATTH.

MATTH. *cap.* 12. *à verſ.* 38, *ad* 46.

38 Tunc reſponderunt quidam è Scribis ac Phariſæis, dicentes, Præceptor, velimus ex te ſignum videre.

39 Ipſe vero reſpondens, dixit eis, Gens mala & adulterina ſignum requirit, ſed ſignum non dabitur ei niſi ſignum illud Ionæ Prophetæ.

40 Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.

41 Ninivitæ reſurgent in judicio cum gente iſta, & condemnabunt eam: quod ipſi reſipuerint ad præconium Ionæ: & ecce, plus quam Ionas eſt *in hoc loco.*

42 Regina Auſtri ſurget in judicio cum gente iſta, & condemnabit eam: quod venerit à terminis terræ ut audiret ſapientiam Solomonis: & ecce, plus quam Solomon eſt *in hoc loco.*

43 Cæterum quum impurus ſpiritus exierit à quopiam, ambulat per arida loca, quærens requiem, & non invenit.

44 Tunc dicit, Revertar domum meam, unde exivi. Et quum venit, invenit eam *vacantem, verſam & ornatam.*

45 Tunc abit & accipit ſecum ſeptem alios ſpiritus pejores quam ipſe ſit: *& ingreſſi habitant illic, fitque ultima conditio hominis illius deterior priore. ita etiam erit genti iſti malæ.*

LVC. *cap.* 11. *à verſ.* 33. *ad* 37.

33 Nullus vero ſi lucernam accenderit in occulto loco *ponit* eam: *neque ſubter modium: ſed in candelabrum, ut qui ingrediuntur, ſplendorem cernant.*

34 Lucerna corporis eſt oculus: quum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quum vero malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.

35 Conſidera ergo num lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.

36 Itaque ſi corpus tuum totum lucidum fuerit, *non habens aliquam partem tenebroſam, erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore te illuſtrat.*

ANALYSIS.

DEſcribit ingenium Scribarum & Phariſæorum in contendendo adverſus veritatem indefatigabile, ab effecto eum pertentandi, an poſſet è cœlo ſignum inuſitatum edere: quod amplificatur ab adjuncto tempore, tum cum illorum blaſphemiam ſolidiſſ. rationibus ita conviciſſet, ut adverſus illius defenſionis veritatē ne mutire quidem potuiſſent.

Verſ. 39. Hujus quæſtionis effectum erat, Chriſti reſponſum: ubi petitionis vanitatem & impietatem arguit, ab adjuncta pravitate & perfidia ſectæ Phariſæorum & Scribarum; quæ perfidia illuſtratur pari adulteræ fœminæ, quæ ſui viri conſuetudine non ſatiatur, ut neque iſti miraculis tam copioſe à Chriſto datis; deinde deſcribitur illa petitio ab adjuncta negatione petitionis, quæ negatio amplificatur ab adverſis, quia petentes ſignum è cœlis, ex imæ terræ penetralibus ſignum accepturi erant.

Verſ. 40. Speciem ipſam ſigni deſcribit Chriſtus, poſt triduum à morte reſurrectionem; quæ pari Ionæ ex cœti ventre erepti illuſtratur.

Verſ. 41. Iudicium eis formidabile denunciat; quod deſcribit ab efficiente, nempe judicibus Ninivitis, qui tacitam condemnationis ſententiam adverſus illos ferent: quod arguitur ab effecto, quia reſipuerunt; quæ reſipiſcentia amplificatur à comparatione minoris, nempe quod illi ad unius Ionæ prædicationem reſipuerint, cum hi ne ad Chriſti quidem ipſius prædicationem reſipiſcerent.

Verſ. 42. Hoc judicium formidabile deſcribitur alio efficiente, nempe Iudice, Regina Sabæ, quæ tacitam ſententiam condemnationis adverſus illos feret. Quod arguitur ab effecto, quia tam longum iter ſuſcepit ut ſapientia proficeret; quod amplificatur comparatione minoris, quia ut *Salomonis* ſapientiam audiret tam laborioſe maximis itineribus & ſumptibus illum audiendi cauſa adivit: cum iſti præſentem Chriſtum *Salomone* excellentiorem contemnerent.

Verſ. 43. Poſtquam formidabile eorum judicium in univerſali judicio deſcripſiſſet: quodnam in hoc ſeculo futurum ſit, tanquam ad illud ultimum prævium, demonſtrat: nempe inſignis impietas

pietas & improbitas, in quam justo Dei judicio præcipitantur. Quamobrem hoc versu propter noticiam veritatis qua præditi sunt, comparantur cum his, quibus dæmonium unum ejectum est: quod ejectum dæmonium suis effectis describitur, 1. hoc versu, quod omnia alia illi displicent præ antiquæ possessionis recuperatione; quod pari illustrat, nempe homine ambulante per sicca & deserta loca.

Vers. 44. Deinde alio effecto describit, nempe reversione ad prius domicilium. Quod describitur adjuncta purgatione & vacuitate sordium, quibus olim abundabat; quæ purgatio pari illustratur domus quæ scopis everritur.

Vers. 45. Hujus purgationis quam comperit effectum aliud proponit, nempe quod septem alios immundos spiritus assumit in subsidium. Quorum omnium dæmonis effecti aliud effectum proponitur, nempe finis illius viri principio deterior.

METAPHRASIS.

38. *HOc ipso tẽpore quo Iesus blasphemiæ horrendæ Pharisæos solidissimis argumentis*
ita revicisset, ut quod contra mutirent non
haberent; ut hominum pertinaciam agnoscas,
Iesum ex Scribis & Pharisæis aliqui sic fere
alloquuti sunt. Magister, ut te eum esse re &
factis probes, quem verbis præ te fers, age, si-
gnum è cœlis ede, ut ex Prophetis nonnullos,
cumprimis Mosem *edidisse compertum est.*
39. *Quibus Iesus respondens, dixit; progenies per-*
versa, & in Deum perfidiosa, & ad defectio-
nem proclivis, non magis contenta locupleti
veritatis testimonio, quam adultera justa &
debita viri consuetudine, nullum signa flagi-
tando modum sibi statuit, sed ejus tamen cu-
riositati non satisfiet. Nec enim ei signum è
summis cœlis, sed ipsius terræ centro dabitur,
signum videlicet, seu miraculum, cujus Ionas
40. *Propheta typus & imago olim extitit. Nam*
ut Ionas *in balenæ ventre tres dies noctesque*
conclusus, tandem mirifice ex ejus faucibus li-
beratus est: sic me vere hominem morte à vo-
bis opprimendum, in sepulchro partem ali-
quam primi diei, secundi vero integrum &
diem & noctem, tertii autem integram noctem
quiescentem, resuscitari oportet: quod unum
ut nulla alia miracula essent) ad vestram
pertinaciam revincendam, & meum Media-
toris & Messiæ officium comprobandum (si
divinam tantum virtutem spectare velitis) a-
41. *bunde suppeteret. Cives autem Ninivæ tam-*
etsi à fœdere & Republica Dei alieni, è mor-
tuis excitati, in die universalis judicii adver-
sus hoc hominum genus tacitam quandam
condemnationis sententiam dicet. Illi enim ad
unius Ionæ *servi mei triduanam prædicatio-*
nem resipuerunt: cum isti ne ad meam quidem
(qui Ionæ *multis modis præferendus sum)*
quantumvis assiduam prædicationem resipi-
scunt. Regina quæ, ratione situs Hierosolymo-
rum, ex australi mundi plaga longum magnæ
difficultatis & sumptus iter suscepit, è mor-
tuis die universalis judicii excitata, adversus
hoc hominum genus tacitam quandam conde-
mnationis sententiam dicet: ut quæ ex ultimis
terræ finibus venit, ut Salomonis *civilem &*
caducam sapientiam audiret: cum isti me
(qui multis gradibus ipsi Salomoni *præferen-*
dus sum) præsentem, & doctrinam salutarem
illis veluti in os obtrudentem audire dedignen-
tur, saltem ut ex auditione proficiant & sa-
pientiores evadant. Quo ab his omnes magis 43.
abhorreant, sicut superius formidabilem con-
demnationem in die judicii, sic diabolicam ex-
cæcationem & animi obfirmationem placet
perstringere. Sic enim se habet eorum conditio,
atque cum immundus spiritus veritatis non-
nulla cognitione ab homine ejectus est. Quem-
admodum enim homines per deserta & siticu-
losa palantes nunquam in illis acquiescunt; sic
immundo spiritui omnia (præ illius possessione
à quo ejectus est) deserta & horrida reputan-
tur. Tum secum & cum animo cogitat atque 44.
constituit; equidem vetus meum unde egressus
sum hospitium repetam. Quo cum venit, quia
locum vacuum offendit, ubi subintrare & ve-
terem possessionem recuperare se posse spes est,
sed ita tamen ut à pristinis sordibus, repurga-
tam & quasi scopis eversam, veritatis notitia
& sanctitatis tenui aliquo gustu exornatum
reperiat. Tum diffidens ne soli ipsi vires suffi- 45.
ciant veterem possessionem recuperandi, com-
plices alios immundos spiritus, & quidem se
nequiores, in subsidium adjungens, illam
repossidens: ibi sedem suam firmam figit. Sic
fit ut illius hominis exitus priore conditione
deterior sit. Atque isto prorsus modo huic tam
perverso hominum generi obventurum est.

PRAXIS.

CHristus Iudæorum gentem perfidiæ coarguens, sanabiles admonet, ne accensam veritatis lucem opprimant atque extinguant.

Cujus *partes* sunt,
- Iudaicæ Gentis de perfidia coargutio.
- Admonitio ad sanabiles, de non extinguenda veritatis notitia.

In primo notandum, hanc orationem generaliorem esse, & ad plures se diffundere, quam illa superior. Prior etenim accusatio propria fuit certorum, hæc vero totius gentis Iu-

Vers. 38. *Hæc Christi accusatio ad omnes Iudæos;*

tis Iudaicæ quæ sæculo illo vivebat. Nam tametsi quæstio hæc à *Pharisæis* quibusdam mota sit, & signum ab illis expetitum; tamen cum *Lucas* observet, populum se in hac quæstione (ut videtur) permotum aggregasse, & animum & aures admovisse, tanquam essent visendi signi percupidi, non immerito Christus adversus totum illud sæculum suam orationem stringit. Eadem etiam accusatione Paulus 1 *Cor.* 1,22. illos vellicat. Cum autem Christus & Apostoli, tot signa & miracula ediderint, mirum videri possit, quid sit quod Pharisæos & Iudæos movit signa postulare? videbantur enim, quod dicitur, ligna præ arboribus cernere nequivisse. Itaque horum locorum intelligentia petenda est ex *Ioh.6.* ubi signum è cœlo petunt, si se Christus Mosi non inferiorem probare vellet. Idem expresse notatur, *Matth.* 16, 1.

quod prava natio signum petiverē, Hujus causam notat Christus, quod prava & adultera natio esset. Et quidem certe pravitas & perversitas insignis fuit non acquiescere tot tantisque miraculis: quæ tametsi terra marique gesta sint, tamen ex summis cœlis, non autem ex media aëris regione dimissa sunt. In quibus etiam major divinitatis splendor refulsit, quam in Man cœlitus compluto. Majus enim quiddam fuit morbos propellere, quam famem & cibi appetentiam; corporis restitutionem facere, quam cibum præbere, mortuos excitare, quam vivos conservare; homines dæmonibus exinanire, quam ventrem cibis farcire.

etiam quod adultera; *Adulteram* etiam vocat. Cum vero conjugii spiritualis modus fide alligatus & astrictus sit, *adulteram* generationem appellans, & à genere ad speciem descendens, illos ob fidei defectum perstringit. Si enim fide imbuti fuissent, tot tantisque miraculis acquievissent. Sive igitur Abrahamum spectemus, cujus in fide vestigiis non insistebant, sive Deum cui vera fide non adhærebant, nō sine causa *adulteram generationem* vocat.

tales & Pontificii miracula hodie flagitantes; Hoc nos rite *Pontificiis* regerere possumus, miracula à nobis ad religionis nostræ obsignationem requirentibus. Quin etiam idem illis eo nomine objiciamus, quod signis & sacramentis à Christo institutis non contenti, infinitam ceremoniarum cohortem in Ecclesiam importarunt, in vestibus, in luminibus, oleo, &c. Quo etiam nonnihil *Lutherani* vellicari poterunt; & alii quotquot Euangelii simplicitatem & sinceritatem fastidientes, ceremoniarum supplementum assumunt. Sed morbus est huic cognatus, qui nostrorum animos occupat, & veluti traduce a majoribus nostris ad nos transmissus. Eum Paulus 1 *Cor.* 1, 22. designat; scilicet Græcos seu Gentes, ad quas nos genus referimus, sapientiam flagitare. Euangelii enim simplicitas & sinceritas stultum aliquid & deforme videtur, nisi humanæ sapientiæ fuco adulteretur: insipidum, nisi condimento prophanæ historiæ, &c. condiatur: asperum & durum, nisi humanæ eloquentiæ flosculis & emblematis complanetur. Nec certe minor hæc improbitas est, aut à fide defectio, quam est illa Iudæorum. Vtrum enim probrosum magis est, *stultitiæ* an *infirmitatis* aliquem insimulare?

quemodo prisci patres ea petiverē; Hoc loco respondendum pro priscis patribus Gedeone, &c. qui signa & miracula confirmandæ fidei suæ causa efflagitarunt; ut qui modum quendam sibi statuerunt, & uno atque altero, aut etiam tertio, tanquam tribus testibus ad rem confirmandam idoneis contenti sunt.

Quare Christus Iudæis signum negaverit; Respondet porro non datum iri quod petunt. Quod mirum videatur, & à Christi facilitate alienum. Nec verisimile est hos præ se tulisse se velle, modo voti sui fierent compotes, Christo credere, sicut *Ioh.6.* polliciti sunt. Sed Christus infirmitati hominum subvenire semper paratus, eorum curiositati satisfacere noluit; nec ejus generis miracula edere, quæ plus ostentationis quam erga humanum genus utilitatis haberent. Man enim de cœlo devocare quorsum attinebat, cum fruges terræ perciperent? Simul enim atque terram Canaan ingressi sunt, unde frumenti copia illis fieret, illico destitit Man. Idē etiam Paulus docet, 1 *Cor.*1,23,24. se neutrius affectibus concessisse aut annuisse. Idemque nobis hodie cum Paulo & Christo respondendum; scilicet nos nolle id genus docendi sequi, quod plus ostentationis quam ædificationis in se habet; & Euangelicæ doctrinæ injuriam magnam fieri, si nativa & germana pulchritudine, præstans atque perfecta, humanæ sapientiæ pigmentis infucetur, & ut calvæ fœminæ adoptivam & ascititiam comam assumant, &c. si præstantissimi (ut olim Man) saporis condimentis tamen humanæ sapientiæ adhibitis commendetur. Ecquis enim addat mellis dulcedini, ut illud dulcius & salubrius reddat? quod si facit, corrumpit potius quam dulcedinem auctiorem faciat. Quod vero non satis amans videri poterat Christus, qui hos paratos ut in se crederent, ob unius signi

Zz 2 decla-

declarationem repudiat, non dissimile responderi poterit ejus quod *Luc. cap.* 16. diviti responsum est: scilicet, *Mosen & Prophetas, &c.* Et certe delicatis istis hominibus idem etiam regeri potest, eos oratione fucata & inflata non profuturos, si sincera & nativa non proficiant. Nam, &c.

quibus Ionæ signum dedit; Illud tamen excipit, fore ut tale signum habeant, quale olim in Iona editum est. Primum quidem ut Ionæ prototupon & exemplar Christus esse cognoscatur, unde & *Ionæ signum* dicitur, in quo Christi resurrectio adumbratur. Deinde, ut suum erga eos ministerium obsignet, ut Ionæ ministerium erga Ninivitas obsignatum est. *Luc. cap.* 11. Idem responsum dat signum petentibus. *Iohan.* 2, *v.*18, 19. & *Matth.* 16, *v.*4. iis ipsis verbis.

Vers. 40. *quare Christus hoc signum dederit?* Duplex usus ergo Ionæ absorptionis, &c. cum quod vocationem ejus erga Ninivitas obsignavit, tum quod Christi resurrectionem adumbravit. Hoc autem signum ideo inculcat, quod & mortis suæ prædictionem contineret, & simul mortis offensionem tolleret & scandala. Sed Christus eos in cœlum pro signis subvolantes, ad terræ imum detrahit. Illud autem tantum & tam incredibile signum erat, ne tametsi nullum miraculum à Christo editum sit quod ejus divinitatem non coarguat, hoc tamen ad divinitatis suæ fidem aptissimum adhibeatur. *Rom.* 1,4. *Ioan.*2,19. Illius tamen typi & umbræ fulgor tametsi multis miraculis refertus sit, ut quod nec absorbendo, nec regurgitando Ionæ nocuit cetus, quod calore suo eum non absumpsit, quod fluctibus aquarum quos piscis subinde hauriebat, non sit demersus, quod aëre prohibitus non sit suffocatus: tamen Christi resurrectio multo mirabilior erat, tandem enim ad aridam eum evomuit. Terra vero Christum suis claustris in æternum conclusum tenuisset, nisi ruptis valvis & repagulis irrupisset. Si igitur illud miraculum Prophetæ vocationem confirmabat, in quo Ionas passus est solum, nihil vero agebat; quanto magis, &c. Quanquam hoc etiam interest, quod signum Ionæ prædicationem præcessit; hoc autem Christi prædicationem ejus subsecutum est. Nos vero Deus signis, cum in cœlo tum in terra hodie etiam ad fidem & resipiscentiam excitat & erigit. Hic portentosi grandinis fiat mentio. Hoc loco etiam responde difficultati trium dierum & noctium, ex tropo Synecdoches.

Vers. 41. *Iudæorum improbitas præ Ninivitis,* Probat hanc pravitatem, & in spirituali conjugio perfidiam, duobus argumentis: à comparatione minoris, scilicet *Ninivitæ*; primum gens à fœdere aliena, deinde propter totius orbis imperium superba & ferox, minus tamen Ionæ peregrini præconio, nullis editis aut in medium propositis miraculis, resipuerunt tamen. Quantæ igitur pravitatis est, Dei domesticos & fœderatos Prophetarum vocibus assuetos, multis calamitatibus & captivitate depressos, Christo Prophetarum domino & contribuli & populari suo, tot tantisque miraculis propositis fidem derogare, & resipiscere nolle? Quasi diceret, nihil necesse est hic Abrahamum, Isaacum, &c. è mortuis excitare, ut de vobis tanquam subdititiis filiis sententiam ferant: utrorumque enim erga veritatem & sapientiam amor & studium, vestrum in veritate persequenda & amplectenda fastidium condemnabit.

ut & plerorumque nostrorum. Nos vero, an non etiam nostros judices habebimus eosdem Ninivitas? Cum multos annos Euangelii præconium à Dei ministris audientes, ad Deum nondum conversi sumus. Dictum est, nos patres nostros in iis quæ vituperii sunt imitari: ut quod præter modum sermonis deliciis inhiamus, &c. cur non etiam Ninivitas patres nostros in iis quæ laudis sunt & commendationis imitaremur? nam & ex iis nos genus nostrum duximus.

Quid, quod *Scoti* aliquot annis in Euangelii professione nos subsequentes, primo fere die quo veritatem agnoverunt in sinceritatis ratione multis parasangis nos vicerunt? Atque ne longe abeamus, an non inter nos sunt, qui in religionis professione vix anniculi sunt, qui eos post se longo intervallo relinquunt qui triginta annos veritatem professi sunt? Majoresque quam illi fidei & resipiscentiæ fructus proferunt.

Vers. 42. *Etiam in regina Austri majus studium sapientiæ;* Alterum exemplum tametsi quædam cum priore communia habeat, habet tamen quædam propria & specialia, quæ magni ad hoc argumentum ornandum momenti sunt. Nam cum Ninivitas adierit Ionas, Regina Austri ad Salomonem sapientiam quæsitum profecta est: & longissimum quidem iter ejus studio susceptum, magnis laboribus & sumptibus confecit: quam rem auget quod princeps esset, qui ægerrime à regni finibus longe abducuntur, ne interim dum illi peregre sunt, domi aliquid turbetur. Eodem accedit, quod fœmina esset, quæ ipso sexu à tam longinqua regione invisenda absterreri potuit.

Ad

Ad extremum, quod Salomonem illius peritura sapientiæ causa adivit, quæ in rerum naturalium arcanis eruendis versatur, cum ii sapientiam cœlestem illis in os nullo eorum sumptu & labore oblatam respuant.

quale & nostrum veræ sapientiæ esse debet: Nisi eandem contra nos sententiam audire velimus, eodem erga veram sapientiam studio & amore esse debemus, quo illa in sapientiam Salomonis: scilicet ut nullum laborem aut sumptum recusemus, quo illam aut adipiscamur aut ademptam cum quotidiano incremento retineamus. Sapientia illi fuit auro pretiosior, eoque ut illam compararet auri infinitam vim distraxit: odoratior fuit fragrantissimis aromatis; ob eamque causam ejus comparandæ gratia, aromata suavissima rarissima & lectissima cum illa commutavit: preciosis lapidibus etiam charior fuit, & animi oculis splendidior; eoque etiam ut illam redimeret, suos preciosos lapides secum advectos Salomoni donavit. Vide *Proverb.* 4, 7. & 7, 2, 3, 4. & *Matth.* 13. *simile est margarita, &c.* Hic se nostri excutiant qui nullis sumptibus parcunt, laboribus aut periculis, qui ad Indos currunt ut divitias comparent, si eodem studio veritatem persequantur. Quod si ad se delatam & quodammodo obtrusam respuant, aut negligant ut Iudæi, eadem nobis timenda sunt, quæ Iudæis denuntiantur; tantoque acerbiora, quo atrocius est peccatum quam Iudæorum, eum jam è cœlis loquentem aspernari, quam cum in terris infirmitatibus tectus erat.

quatenus Christi minister major Salomone? Sed, inquit aliquis, non est hic major Salomone: imo vero quod ad sapientiam quæ docetur, & vocationis amplitudinem, major est. Salomon etenim tanta mysteria Reginæ aperire nequivit, quanta præco Euangelicus: tantumque interest inter hanc & illam sapientiæ notitiam, quantum distat pueri intelligentia ab adulti viri scientia. Nec vero minor fructus quam illius exstaret, modo eodem accederemus. Sicut enim Regina, voto in explicatu difficultatum & ænigmatum potita, secum plura quam attulit reportavit; sic &c. Christus enim & ditior rex est, ad & largiendum facilior. Quantum autem ex perituris & caducis divitiis & vitæ commodis deesset, tantum donorum spiritus redundaret. Quæ commoda nobis dubia non sunt, sed certissimo Dei promisso nituntur. Atque sic videmus nobis à Domino in exemplum propositos esse viros, fœminas, reges, subditos, &c.

Sequitur admonitio ad eos qui spem aliquam resipiscentiæ faciebant; eosque monet ut accensam in se veritatis notitiam foveant; caveantque ne vel ipsi eam suffocent, aut sibi ab aliis eripi patiantur; eoque eam veritatis notitiæ rationem esse declarat, quæ est lucernæ in domo tenebricosa: quæ item est oculi in corpore. Sicut igitur nemo domesticorum lucernam aut extinguit, aut sub modio occultat, sed illam nutrit & fovet; & sicut nemo oculum sibi eruit aut lædit, sed sollicite potius servat; sic etiam modis omnibus tuenda nobis est & retinenda notitia veritatis. Vide naturæ solertiam in tuendo oculi pupillam. *Lvc.* 11, 33, &c. *Veritas accensa non suffocanda.*

Hinc constat quæ sit conditio eorum qui in ignoratione veritatis versantur; ut scilicet domicilium sine lumine, & corpus sine oculo.

Diabolus ejectionem suam ægre ferens, & nihil non ut possessionem amissam recuperet moliens, hominis cujus possessionem repetit, conditionem deteriorem reddit. *Matt.* 12,

Cujus *partes* sunt:
- Molitiones & machinationes diaboli ejecti & exturbati.
- Conditio hominis aut gentis admissam semel veritatem repellentis.

Cum vero & à muliere & à cognatis bis Christi sermo interruptus sit, videtur admiratio mulieris huic historiæ præponenda.

Quod dicit *immundum spiritum ejectum per arida loca discurrere*, eo notare videtur, nullum locum tam vastum & avium esse, quo non quærat ubi locum habeat. Terram enim eum circumire & peragrare liquet, *Iob.* 1. & 1 *Pet.* 5. Quandiu vero peragrando & perlustrando terram, domicilium in hominibus non inveniat, omnia loca vel cultissima & populosissima, squalidas & aridas solitudines existimat; nec illis majorem voluptatem capit, quam homines solent in vastis & pervastis locis. Cum vero quærendo domicilium nullum invenit, ilico ad vetus domicilium redit; quod cum vacuum animadvertit, nec dum ab aliis spiritibus occupatum, & animadvertit purgatum & mundatum esse, prout ante exitum & egressum suum fuerat, ignoratione scilicet & superstitione pulsa; tum sibi & viribus suis diffidens, in auxilium sibi alios multos adjungit, eosque se deteriores, quo & amissum domicilium recuperet, & occupatum firmioribus præsidiis teneat & tueatur, ne denuo in exilium mittatur. Quod autem ad applicationem *Vers.* 43, &c. *Diaboli molitiones in perdendis hominibus,*

cationem hujus sermonis attinet, Christus eam, sed concise admodum adjungit; nam sic cum hac generatione fore declarat. Iudæis enim legislatione suis inquinamentis purgatis & aliquousque lotis, post vero ampliori Euangelii cognitione collustratis, *Dæmon ignorationis & impietatis* veluti egressus est & exturbatus; post illa Dei liberalitate abutentes, *ignorantia & impietas* septies priore major invasit. Quo fit, ut eorum nunc multo deterior conditio sit, quam cum vel in Ægypto versarentur, vel tempore Christi extiterunt.

ideo diligenter vigilandum; Notandum primum, nos adversus immundi spiritus diligentiam in excubiis esse debere; ut portas nostras & fenestras, atque adeo omnes rimas bene occlusas & obturatas habeamus, mœnia bene instaurata; deinde, ne nos dormientes offendat. Ob eam causam sobrii simus, ne deliciis & voluptatibus inebriati, & somno oppressi conficiamur.

cum nunquam desistat, Deinde notandum, non quiescere diabolum nisi nos occupans perdat; alii hostes, diuturnitate obsidionis, & loci munitione ab inceptis desistunt, & satietate belli infecto negotio discedunt: sed diabolus nunquam nisi expugnatis & occupatis hominibus, tanquam arce, quiescet. Quamobrem & nos illo nisi expulso non acquiescemus. Cum enim tanquam prædo aut pirata ingrediatur, vel tanquam incendiarius; & cum non aliam ob causam nobiscum habitet, quam ut nos cum illo in inferis perpetuo habitemus; demus operam, &c.

Porro observandum, eum nusquam magis oblectari, quam ibi unde expulsus sit; eoque eum copias firmare & præsidia, ut &c. Quamobrem pugnam contra instauremus, arx occupetur & anticipetur Spiritu Sancto; consoleturque Deum esse qui dat gratiam, & tanto uberiorem & fortiorem esse qui in nobis est, quam qui in mundo. *& magis oblectetur cum eo unde expulsus est revertitur;*

Denique miserrimam illorum esse conditionem, qui postquam purgati sunt, denuo sordibus se polluunt. Sus ad volutabrum, canis ad vomitum. Vt in morbum recidivi, ut qui semel oculis præditi sunt, post exoculati acerbius ferunt. Divites qui ad mendicitatem redeunt, iniquius ferunt; & nudi, qui olim suis pellibus tepefacti sunt. *ideoq; miserrima eorum conditio.*

MARC. *cap.* 3. *à vers.* 31. *usque ad finem Capit.*

31 *Veniunt igitur fratres & mater ejus: & foris stantes, miserunt ad eum, & eum vocarunt.*

32 *Sedebat autem circa eum turba:* illi *vero dixerunt ei, Ecce, mater tua & fratres tui foris quærunt te.*

33 *Tunc respondit eis, dicens, Quæ est mater mea, aut fratres mei?*

34 *Et quum circumspexisset in circuitu eos qui circumsedebant, ait, Ecce, mater mea, & fratres mei.*

35 *Quicumque enim fecerit quod Deus vult, is est frater meus, & soror mea, & mater.*

MATTH. *cap.* 12. *à vers.* 46. *ad finem Capit.*

46 *Quum autem adhuc loqueretur turbæ, ecce, mater & fratres ejus adstiterunt foris, quærentes ejus colloquium.*

47 *Dixit autem ei quidam, Ecce, mater tua & fratres tui foris adstant, quærentes tuum colloquium.*

48 *Ipse vero respondens dixit illi qui* hoc *ei dixerat, quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?*

49 *Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei:*

50 *Quisquis enim fecerit quod vult Pater ille meus qui est in cœlis, is est meus frater, & soror, & mater.*

LVC. *cap.* 11. *vers.* 27, *&* 28.

27 *Factum est autem quum hæc diceret, attollens vocem quædam mulier è turba, dixit ei, Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.*

28 *Ipse*

28 Ipse autem dixit, Imo vero beati qui audiunt sermonem Dei, & eum observant.

A N A L Y S I S.

DEscribitur consanguineorum Christi pertinacia in suscepto Christum comprehendendi instituto: primum, ab adjuncto comitatu matris Christi, quam ut videtur adsciverant, ut ejus authoritate freti illum ex ædibus educerent, 2. à subjecto loco, porta scilicet domus ubi constiterunt, ut simul atque foras prodiret, ilico manum injicerent; deinde ab effecto mittendi ad eum, qui illum ad se vocarent.

*Vers.*32. Hujus missionis causa assignatur, quia Christus turba sic circumsistebatur, ut illis ad Christum accessus intercluderetur; deinde ab adjuncto obsequio eorum quos ad illum vocandum designarant.

*Vers.*33,34. Hujus nuncii effectum est Christi responsum; cujus summa est, se nolle venire: quod confirmat à comparatione majoris, se majorem rationem habere spiritualis cognationis, quam carnalis.

*Vers.*35. Describit spiritualem cognationem, ab adjuncto obsequio sermonibus Dei præstito; quod syllogismo sic concluditur. Quicunque faciunt voluntatem Patris mei, hi sunt mater &c. sed hi discipuli mei faciunt voluntatem Patris; ergo, &c. Assumptio confirmatur ipsa attentione, quam Christo docenti præstiterunt.

METAPHRASIS.

31. *SEd ut ad intermissum de Christi cognatis sermonem revertar (quorum supra meminimus) cum se nec gratia nec authoritate apud illum valere intelligerent, assumpta matre, eam sibi in subsidium adjungentes, accedunt, & foras stantes miserunt, qui illum ad*
32. *se vocarent. Christum autem undique turba circumsistebat. Missi igitur ad Christum, ei dixerunt; nuntius quem perferimus quum non sit levis momenti, sed attentione tua dignus, ad eum (utcumque occupatus) attende: nam & mater tua & cognati, foras incommodo loco sub dio stantes, te quærunt. Quibus*
33. *Christus respondit, dicens: quid mihi de matre & cognatis obstrepitis? Non equidem inficior quin mea mater illa & hi cognati mei sunt: sed quibus usque eo auscultare, ut Patris mei negotium aut infectum, aut non plene absolutum relinquam, mihi plane religio est.*
34. *Tum oculos suos in eos circumferens qui illum circumsiderunt discipulos, dixit: & vos vicissim attendite quid dicturus sum, tanquam quod est vestra animadversione dignissimum. Hi quos videtis, charitate intima qua illos complector, mihi instar matris & cognatorum*
35. *sunt. Quisquis enim (tametsi sanguine aut affinitate remotissimus) fecerit illud quod Deus faciendum præcepit (ut hi qui audiendo verbum meum pietati incumbunt) is mihi non minus charus est, quam si cognatus, cognata, mater mea, denique omnibus pariter vinculis sanguinis aut affinitatis mihi devinctus foret.*

P R A X I S.

CHristus carnali cognationi suæ fœlicitatem abjudicans, eos modo beatos esse confirmat, qui auditum Dei sermonem factis exprimunt.

Cujus *partes* sunt Christi responsio,
- Hæc quidem ad certæ cujusdam fœminæ ἐπιφώνημα.
- Illa vero ad eum qui se à matre & fratribus colloqui causa quæsitum significabat.

Mulieris exclamatio tametsi videtur ad Virginis laudem referri, tamen Christum cumprimis respicit. Perinde enim est ac si diceret; Christum tam omnibus numeris perfecte beatum esse, ut vel ejus genetrix beata censeatur.

Lvc. 11, 27.
Hæc mulieris exclamatio Christum respicit,

In mulieris exclamatione quam Christi gravissimus & elegantissimus sermo eliciebat, eximium Christi & veritatis agnoscendæ & confitendæ exemplum ob oculos statuitur. Tametsi enim cum Christi in speciem abjecta conditio, tum Pharisæorum omnium opinione doctissimorum de ipso præjudicium palam testatum, fœminam transversam abripere potuit; tamen rem ipsam (amore sensuum & carnis judicio) intueas, ingenue agnoscit. Et tametsi hoc ejus dictum multorum sannis & irrisioni obnoxium esse posset, qui illam ludibrio exciperent, quod eum prædicabat quem Pharisæi, viri doctissimi & sapientissimi, blasphemiis impetebant; & quanquam res esset plena periculi Christum principibus exosum profiteri, quod vere tamen sensit libere & audacter, spretis ludibriis & periculis, professa est.

in qua veritatis confessio conspicua;

Hinc discendum; cavendum esse, ne aut externa hominum pompa aut præjudicio, nobis oculos erui patiamur; neve personas, in rebus præsertim ad salutem spectantibus, accipiamus. Perinde enim est ac si statuerem in civilibus judiciis ditiorem potentioremve, justiorem causam habere, pauperem vero & abjectum causa inferiorem esse. Verum quidem est eos homines qui præsunt & Sacras Literas tractant, non esse temere respuendos.

inde nullo præjudicio excæcandi,

ſpuendos. Et quo quiſque diutius illas trivit, eo doctior & peritior nonnulla veriſimilitudine habendus: ſed illud in univerſum non eſt ſtatuendum; ſpiritus enim ubi vult ſpirat; nec ſenectuti, aut iis qui autoritate præſtant alligatus eſt. Eſt enim ſæpe juveni, ut capilli, ſic ſapientiæ reverenda quædam canities. Ioſephi judicium quum adhuc juvenis eſſet, omnium Seniorum & Conſiliariorum judicio antehabitum eſt. Et Eliahu aliis tribus ætate provectioribus. Hoc autem loco non modo rudis perito, privatus publico, unus pluribus; ſed fœmina etiam viro opponitur.

veritas confitenda, Deinde etiam illud notandum, ut ejus exemplo veritatem ſpretis hominum ludibriis & periculo confiteamur: quod certe faciemus, ſi vera fide imbuamur. *Credidi propter quod locutus ſum. Et corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.* Quem vero Chriſti hic & Euangelii puduerit, ejus Chriſtum, &c. Quis enim ſervi loco habeat eum, qui herum pudore prohibitus non agnoſcit? Aut quis eum ferat qui ſe ſervum agnoſcens, herilem tamen cauſam prodit?

& refragantium obſtinatio damnanda. Hoc modo Phariſæorum amplificatur obſtinatio. Phariſæis enim Chriſtum blaſphemiis impetentibus, fœmina illum prædicat: & quidem ex nudo ſermone; quum illi nec ex ſermone, nec ex miraculis profeciſſent. Deinde, conſanguineorum Chriſti amentiam aperte damnat, quæ illum ob ſapientiam admirabilem prædicat, ſi ipſi, ut quidam volunt (quod non probo) Chriſtum inſaniæ inſimulaſſent.

Verſ. 28. Vere beati qui Dei ſermonem factis exprimunt; Reſponſo Chriſti mulieris ſententia corrigitur. Non enim ob eam cauſam fœlix eſſe docetur Virgo quod Chriſtum pepererit & lactaverit, ſed quod auditum ſermonem Dei factis exprimat. In quo notandum, Chriſtum ne ſibi quidem conjunctiſſimis vitæ portam aperire, niſi bonorum operum ſtadio prius decurſo. Matrem ut filius chariſſimus & amabat, & reverebatur, eoque in iis quæ ad hanc vitam ſpectant illi proſpiciebat, & præcipua quadam obſervantia coluit: ſed in vita æterna hoc illi nequicquam profuit. Hujuſmodi quid reſpondet filiis Zebedæi cognatis ſuis *Matth.* 20. Tantum igitur abeſt ut partu regina cœli facta ſit, ut ne pedem in cœlo ideo poſuerit. Hoc comprobatur Iudæorum exemplo, qui erant Chriſti conſanguinei. Quod ſi mater Chriſti ſibi accepta non eſt, niſi &c. nedum alii qui illum tanta neceſſitudine non attingunt. Si enim cui hoc privilegium indulgeatur, ut præterita Verbi auditione & obſervatione cœlum petant, matri certe Chriſti hoc jure concedatur, & ejus conſanguineis: ſed cum iis negetur, &c. Homines quidem ſuos conſanguineos, tametſi nullis regiis virtutibus ornatos, in regni ſocietatem accipiunt; ſed Deus non, &c. niſi verbum fide conceptum opere illud pariant.

Hinc liquet quam deliri ſint qui magnam fœlicitatis ſuæ partem in eo collocant, ſi locum ubi Chriſtus natus ſit, ubi ſepultus, & unde conſcendit, pedibus ſuis triverint; quum beata virgo ne hoc quidem ipſo beata fuit, quod Chriſtum pepererit & ſuis uberibus lactaverit. *non igitur peregrinandum religionis ergo,*

Deinde *Pontificiorum* & aliorum quorundam amentia hoc loco deprehenditur, quod ſalutem in carnali Chriſti intra ſe comprehenſione ſtatuunt: ſiquidem Chriſtum per guttur tranſmiſſum, ſtomacho concluſum teneant. Beata enim Virgo illum vere & carnaliter cum in utero integrum pœne annum geſſiſſet, inde tamen beata non eſt judicata: & tamen ſe putant ex unius aut duorum dierum in eis permanſione, poſſe fœlicitatem acquirere. *nec ulla ſalus in Chriſti carnali comprehenſione:*

Verum enimvero, videtur hæc muliercula rite & dextre fœlicitatem collocaſſe, cum Angeli & Mariæ ipſius teſtimonio hoc dictum nitatur. *Luc.* 1, 28, 48. *an non recte beatam Virginem prædicaverit muliercula?*

Sed notandum eſt illam fœlicitatem non eſſe æternam & permanentem; tantum enim indicant hæc loca illam apud omnem poſteritatem celebrem fore, ut olim Iaël hoc nomine benedicta inter mulieres cenſetur, quod populi Dei hoſtem manu ſua trucidaſſet. Deinde etiam notandum eſt, præceſſiſſe quædam quæ à partu ſejungenda non ſunt, ut quod gratiam à Deo conſecuta eſſet, ut ex illa Dei erga illam voluntate hoc profectum ſit, quod quidem illam perfecte & cumulate beatam reddidit; eoque Elizabetha beatitudinem poſuit in eo, quod credidit Deo loquenti.

Poſtremo cavendum eſt ut probe iſta diſtinguamus, beatos ſcilicet eſſe qui audiunt & vita exprimunt; & idcirco beatos eſſe quod audiant, &c. ut bona arbor eſt quæ fructus bonos facit; ſed bonitas tamen arboris à fructus bonitate non efficitur. Sic tametſi ſol ſit qui ſplendet, & ignis is qui ardet, non tamen aut ſolis ſplendor, aut ignis ardor cauſa eſt. Notandum, non beatos prædicare *non beati ſolum qui audiunt ſed qui cuſtodiunt.*

dicare qui audiunt modo, nisi custodiant. Nec qui *audierunt & custodierunt*, sed qui *audiunt & custodiunt:* ut perseverantiam indicaret. Quanquam alius etiam finis hujus correctionis est, nempe quod fœmina beatitudinem à Christo allatam, tam angustis sui generis (nempe sexus fœminei) spatiis circumcludat, quam Christus ad omnes diffundi docet, qui ejus sermonem auditum custodiunt. Christus igitur nihil illis profuerit, qui verbi auditum & observationem negligant.

Marc. 3, 31, 32. *Cognatorum Christi perversitas quod ejus sermonem velint interrumpere.*

In *Marco* historiam intermissam & interpositam *vers.* 22. resumere videtur, *versu* 31.

Sequitur pars altera: ubi primum notandum est, matrem & consanguineos Christi consanguineorum (ut videtur) impulsu, sermonem ejus interrupisse; tanquam Christo Servatori modum & rationem excedenti, modum imponerent, eique moderarentur; metuentes porro ne Christus hac loquendi libertate, cum se, tum illos in periculum conjiceret. Et cum suam erga Christum autoritatem parum valituram scirent, utpote quos sciret in se non credere, matris opera ad eam rem utebantur, proposito illi periculo quod filio nisi eum revocaret imminebat. In quo docemur quid sit multorum ingenium qui hoc tempore vivunt. Nam plerique hortabuntur ne illa in religione teneantur aut suscipiantur, quæ cum periculo conjuncta sunt: non tam ut illis consulant quibus consilium dant, quam quod verentur ne ipsi eodem momento in periculum adducantur. Vide *Matth.* 16, 22. & 24, 25. Hic etiam merito reprehenditur virgo, quod se à consanguineis abduci patiatur, ut Christo modum imponat, & ejus sermonem interrumpens Christum non satis prudenter se gerere existimare adducta sit.

Vers. 33, &c. *qui suos cultores ut matrem &c. diligit,*

Christus responso suo tacitus illos mordens, singularem bonorum operum stimulum admovit: veluti enim matris & fratrum authoritatem & petitionem in hoc negotio non agnoscens, aut etiam contemptim præteriens, affirmat eos qui audiendi sui causa assidebant, sibi pro matre, fratre & sorore esse. Cujus quidem formulæ loquendi quis sensus sit, vide *Proverb.* 7, 4. Ad amorem enim sapientiæ adhortans, & ad interiorem cum illo consuetudinem, jubet ut eam sororem & cognatam appellet. Sensus igitur est, Christum suos cultores & discipulos ita chare complexurum, ac matres filias; & ita nobiscum familiariter communicaturum, ac si ejus sorores & fratres essemus. Sicut pius filius patri laboranti succurrit, eique instar scipionis est; sic Christus nobis destitutis affuturus est. Et ut filius parentis nomen ab oblivione vendicat; sic Christum eorum nomen ad omnem æternitatem transmissurum. *Psal.* 112. Et ut frater fratri familiariter consuescit; sic Christum seipsum nobiscum esse communicaturum. Insignis consolationis loco est, quod pii omnes *Dei domestici* sint. *Gal.* 6. hoc enim indicatur nos Deo curæ esse: sed cum intelligamus nos *matris, fratrum, sororum* loco haberi, illud nos mirifice consoletur. Huc accedit quod *Ioh.* 5. *Amicos* eos vocat, non *servos*, qui servandis Christi præceptis operam navant. Et libro *Cantic.* non *sororem* Ecclesiam vocat, sed *sponsam*; qua charitate nulla major est.

Summa igitur est, quicquid charitatis vel filius erga parentem, vel adversus filium parens, amicus erga amicum, frater in fratrem, soror in fratrem, sponsus in sponsam animo suo concipiat, id omne Christum erga nos ostendere paratum esse, & Christum illud collectim charitatis in se habere, quod istæ cognationes seorsim & separatim habent; & cum demum omnia nobis officia præstiturum, quæ vel à filio erga parentem, vel à parente erga filium, &c. Cum igitur homines tam studiose cognationem, posteritatem, affinitatem, amicitias sectentur; quanta est amentia Christum præterire, in quo omnia abundantissime possideant? Nemo ergo sub Christo suam sterilitatem lugeat, aut liberorum orbitatem. Vide *Esai.* Vere enim hîc dicatur quod Elcana Annæ dixit: scilicet, An non Christus instar decem liberorum est? *eoq; omnem charitatem complectitur,*

Nec igitur molestum nos habeat si studio obsequii erga Christum à parentum, amicorum, aut fratrum benevolentia & charitate excidamus; cum Christum habeamus, qui omnia cum latissime & cum usura ista nobis resarciet. Quid autem proderit horum affinitatem & cognationem retinere, si Christus à nobis alienus sit, & nos cognatione non attingat? *quæ nob. omnium potior esse debet,*

Quum autem hæc oratio Christi indignantis sit adversus interpellantes, discamus Christi exemplo affectibus naturæ in Euangelii negotio imperare; nec matrem aut fratres agnoscere, ut Euangelii negotium interrumpatur aut impediatur. Non quod neget eam matrem fuisse; ut *Marcion* & *Mani-* *ideoque affectibus in Euang. negotio imperandum.*

Manichæi calumniantur, nec quod matris puderet, aut ejus obsequii; sed quod cœlestis Patris mandata, affectibus maternis prætulit.

IOH. *cap.* 5. *à vers.* 1, *ad* 10.

POst hæc erat festum Iudæorum, & ascendit IESVS Hierosolymam.

2 Est autem Hierosolymis ad portam *pecuariam piscina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quinque porticus habens.*

3 In his jacebat multitudo magna infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.

4 Angelus enim descendebat præstituto tempore in piscinam, & turbabat aquam: itaque qui primus ingressus erat post aquæ turbationem, sanus fiebat à quocumque detineretur morbo.

5 Erat autem quidam illic tricesimum octavum annum agens in infirmitate.

6 Hunc quum vidisset IESVS jacentem, & cognovisset eum jam multum temporis egisse in morbo, *dicit ei, Cupis sanus fieri?*

7 Respondit ei infirmus ille, Domine non habeo qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit.

8 Dicit ei IESVS, Surge, attolle grabatum tuum & ambula.

9 Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat, erat autem Sabbathum die illo.

ANALYSIS.

NArratur sanatio claudi, 1. ab adjuncto tempore, generali festo Iudæorum, speciali 9. *vers.* Sabbatho.

Vers. 2. 2. A subjecto loco communiore, Hierosolymis. 3. Loco magis proprio & peculiari, Nosocomio; quod describitur à subjecto loco piscinæ, prope quam extructum erat Nosocomion; deinde ab adjuncto nomine Syriaco Beth-esda, quasi dicat, domo benignitatis; post à forma porticus, quæ adjuncto numero notatur.

Vers. 3. Denique, ab adjunctis infirmis qui illic hospitio excepti sunt, qui enumeratione partium declarantur; deinde suo effecto describuntur, scilicet quod aquæ agitationem præstolabantur.

Vers. 4. Cujus agitationis causa efficiens assignatur, Angelus Domini; item adjunctum temporis specialis notatur, alio adjuncto incertitudinis: (nam tempus magis commune certum post assignatur, Sabbathi dies *vers.* 9.) denique, finis præstolationis infirmorum indicatur, quia qui primus in piscinam exiliit, post eandem commotam sanatus est. Quod beneficium amplificatur adjuncta generalitate morborum, quos aqua agitata sine exceptione sanabat.

Vers. 5. Subjectum sanationis describitur, vir quidam; cujus sanatio amplificatur adjuncto tempore, 38. annorum quibus laboraverat.

Vers. 6. Causæ προκαταρκτικαὶ Christum moventes ad sanationem, 1. visus hominis calamitosi, 2. scientia quod diu laborasset.

Vers. 7. 3. Destitutio amicorum & opis qua in piscinam deportaretur, 4. singularis voluntas & studium sanationis quo tenebatur claudus, responso ad Christi interrogationem testatum.

Vers. 8. Causa efficiens sanationis est Christi mandatum, ut surgat è grabato: sanationis autem factæ adjunctum indicium est, quod jubet ut grabatum in humeros sustollat.

Vers. 9. Effectum hujus mandati sanitas claudi, sanitatis vero ambulatio & grabati in humeros sublatio: causa autem una cur Christus grabatum jussit portari, quod esset Sabbathum, ut hoc pacto Iudæis calumniandi ansa arrepta Christus suam divinitatem astrueret.

METAPHRASIS.

POst certo quodam Iudæorum, ut videtur, 1.
scænopegiæ festo, Iesus Galilæa Hierosoly-
ma ascendit. Est autem Hierosolymis ad por- 2.
tam pecuariam piscina quadam, lavandis
eisdem ovibus accommodata: cui piscinæ su-
perstructum est Nosocomium, Syriaca lingua
(quæ propter summam cum Hebræa cognatio-
nem Hebræa sæpe appellatur) Bethesda *di-*
ctum: quasi dicas, domum benignitatis. *Hoc*
ædificium quinq; porticibus ad piscinam pro-
jectis instructum est. In porticibus illis ingens 3.
infirmorum multitudo decumbebat; cæcorum,
claudorum, & aridorum, qui piscinæ agitatio-
nem solicite expectabant. Nam Angelus cui 4.
aquarum cura à Deo demandata est, (cum
Domino opportunum visum est) in piscinam
cælitus descendens aquam turbabat: quisquis
igitur ex infirmis primus post aquam contur-
batam piscinam ingressus est, sanitate dona-
tus est quocunque & quantumcunque gravi
morbo

5. *morbo laboraret. Inter eos vero qui decumbe-*
bant, unus inventus est qui 38. totos annos
6. *infirmitate laborasset. Quem cum Christus*
decumbentem vidisset, & simul virtute di-
vina perspectum habuisset, eum perdiuturno
tempore laborasse; non ignarus quo studio con-
sequendæ sanitatis ducebatur, eum tamen an
sanus fieri vellet ob eam causam interroga-
bat, cum ut ad oblatum beneficium ample-
xandum eum expergefaceret, tum ut aliis ad
spectandum miraculum mox edendum stimu-
7. *lum admoveret. Ad quem infirmus respon-*
dit; sanari equidem, Domine percupio, sed de-
sunt adminicula quibus sanitatē consequar:
nam cum sim captus pedibus, ita ut pedem
(conturbata aqua) movere nequeam, tum
neminem nec amicum nec necessarium habeo,
qui me in piscinam conturbatam injiciat;
unde est ut me aquam rependo ingredi co-
nantem, alius semper præveniat atq; antever-
8. *tat. Tum ad eum Iesus; è grabato in quo de-*
cumbis (restitutis per me viribus) exsurge:
quod beneficium ut te accepisse testatū omni-
bus relinquas, grabato in humeros sublato,
Nosocomio (infirmis modo devoto & nuncu-
pato) exiens, quo commodum videbitur pro-
9. *ficiscere. Vir ilico sanitati restitutus, graba-*
tum sustollens, erectus ambulare cœpit: quod
quidem (Christi jussu) facere non dubitavit,
tametsi ad festi sanctitatem & solennitatem
accessit Sabbathi religio, quam Iudæi tam su-
perstitiose colebant, ut ejus quacunq; de cau-
sa violationem severe vindicarent.

PRAXIS.

Christus ex claudi sanatione, de violato Sabbatho capitaliter à Iudæis appetitus, longam facti sui Apologiam texit.

Cujus partes sunt,
- Claudi sanatio, &
- Facti capitaliter à Iudæis damnati defensio.

In Claudi sanatione considerantur Argumentum consentaneorum quodam modo

- Hæc antecedūt
  - subjectū
    - loci
      - Ierosolymæ,
      - πρωβατικόν,
    - personæ sanatæ claudus 38 annos.
  - adjectum temporis
    - Festū Paschatis,
    - Sabbathum.
- Illa subsequuntur, ut adjuncta miraculi evulgatio.

Vers. 1. Cur Christus potius claudum sanaverit festo Sabbathi?

Ex sequentibus porro constat, Sabbathum fuisse; ut hoc duplici religione homines tenerentur, ne quid operis molirentur quotidiani, sed illis tantum vacarent, quæ ad Dei cultum referentur. Quum autem Christus prospiceret, Iudæorum se bilem & offensionem lacessiturum, si eo die quenquam sanaret, mirum videatur, cur hanc curationem ad alium diem non reservarit, aut vero anticiparit. Sed cum hoc tempore maxima hominum frequentia convenerat, quæ gloriæ Dei propagandæ opportuna erat, existimarit pluris esse, Dei gloriam, quam quæ aut Iudæorum offensione aut suo periculo redimi debebat. Deinde cum festa hæc consilio eo instituta essent, ut piorum in cultu divino zelus accenderetur, tantoque esset intensius & ferventius eorum in colendo Deo studium, quo erat festum solemnius & augustius: Christus etiam se in piorum numero reputans, & piorum Principem, noluit eorum quid omittere, quo Dei gloriam seu cultum, non in templo tantum, sed etiam in aliis procuraret. Aliter enim Sabbathum à privatis atque publicis personis celebratur: sicut & aliter à magistratu, aliterque à ministro. Atque inter ipsos privatos, aliter à patrefamilias, aliter à filiofamilias. Denique hoc modo Christus occasionem nactus sui patefaciendi, suam simul & divinitatem, & mediationem firmissimam clarissimis argumentis confirmat. In quo illud observandum est, Christum Sabbathi & festi celebrandi causa, non solum longum iter suscepisse; sed & mortis periculo se objecisse. Quod his pudorem afferat, qui ut debitum ex Sabbathi lege Deo cultum præstent, vix tecto suo ad nonam diei horam se proripiant.

Vers. 2. &c. ubi hoc miraculum patratum?

In subjecto primum consideratur locus, qui communis & proprius invenitur. Locus communior est urbs Hierosolyma, aptissima pro sua celebritate, ad hoc miraculum nobilitandum: magis proprius erat locus, forum pecuarium, ubi septum aliquod extitit, in quo oves sacrificiis quotidianis necessariæ asservabantur. Nam cum singulis diebus hujusmodi sacrificia in templo ex Dei præstituto mactarentur, verisimile est locum fuisse illis alendis & asservandis aptum; unde quod in promptu esset quotidie, ut usus erat, desumeretur. Hic autem locus piscinæ ideo vicinus erat, ut ibi pecudes sacrificiis consumendæ lavarentur, unde piscinam hanc templo non valde remotam fuisse, conjici possit. In hac piscina memorabile quiddam actum esse commemorat

Euangelista, quo hæc piscina ornata & condecorata est. Turbata enim per Angelum piscina, primum à turbatione ingredientem & ineuntem sanavit, quocunque morbo laboravit.

quomodo Angelus in aquam descenderit?

Hunc Angelum, fuisse Angelum illum, qui aquis præficitur, de quo in *Apoc.* verisimile est. An vero, mota tempestate subita, hoc fecerit, an absque tempestate non statuitur. Tempestates enim ab electis Angelis moveri non minus posse, quam à reprobis *Iob.* 1. extra controversiam est. Illud certe nos consolari debet, Angelos electorum ministros esse designatos, ut non tantum in futuræ, sed & præsentis vitæ commodis nobis subserviant: & aquis præsidere, & præponi electos Angelos, ut si quid à malignis spiritibus aliquando in aquis attentetur, illud non nisi, ut Dei, ita etiam Angelorum electorum consensu fieri. Quam curam nisi Deus aquarum ageret, maligni spiritus nobis omnem aquarum commodum usum auferrent, illas inficiendo & corrumpendo.

quod turbida aqua sanaverit miraculum auctum:

Quod autem aqua turbida & fœculenta homines sanabat, id miraculum summe commendat; cum sanitas, quæ ab aquis petitur, à limpidissimis aquis peti solita sit. Quam rem etiam illustrat, quod omnes omnis generis morbos, hæc turbida & fœculenta aqua sanarit. Tametsi enim morbi inter se contrarii essent, ut qui ex humorum redundantia aut defectu discrepabant, aut ex contrariis causis, frigoris aut caloris oriebantur, tamen hac aqua turbida sanati sunt; cum in re medica, pro morborum varietate, pharmacorum etiam varietas adhibeatur: hoc autem Pharmaco, tanquam παγχρήστῳ, omnes ægritudines curatæ sunt. Quo docetur, Deum sæpe rationem opera sua perficiendi nostræ longe contrariam inire: ne illum ad nostrum modulum adigamus, aut de eis nostro sensu statuamus. Naaman igitur crasse hallucinatus est, qui ex aquarum limpiditate & nitore, sanandi in illis virtutem æstimavit. Hinc videre licet Baptismi aquam, substantia nihil ab alia discrepantem, propter Dei ordinationem plurimum differre, quantum scilicet cœlum à terra distat. Tametsi autem mediis quibusdam & instrumentis ad res gerendas utatur; ita tamen illa plerunque contempta & exilia sunt, ut nisi cæci sumus, Dei θεραπευτικὴν χεῖρα cernere facile sit.

cur certo tempore hoc fecerit?

Quod autem certo quodam tempore Angelus descendisse dicitur, quare factum est non plane liquet. Quod quidem ideo à Deo factum videtur, ut Iudæos adversus Romanorum sannas & convitia in sacrificiorum religione retineret. Cum enim Deo exhibitus cultus à Romanis, cæterisque Gentibus non tantum proculcatus, sed etiam irrisioni habitus fuerit: operæ pretium Deo visum est, nutantem & labantem Iudæorum fidem, hoc tam augusto & nobili miraculo confirmare. Hanc igitur virtutem aquæ tribuit in qua sacrificia lavabantur: maxime cum subsidio Prophetarum, prædicente *Malach.* destituti essent. Ex quo illud conficitur, quanti Deus Sabbathi legitimam cessationem, & religiosum cultum facit, qui ad eam asserendam hoc tam divinum beneficium contulit.

quod ægri sollicite observabant.

Observandum porro, quomodo homines ægroti aquæ motum & agitationem, diligenter & sollicite observant: quod his pudori sit, qui animi morbis confecti, tempus non observant, quo Deus saluberrimas spiritualis verbi aquas movet, & veluti prædicatione multo saluberrimas reddit.

Nosocomium exstructum hodie domicilia pauperibus exstruenda docet;

Huic vero piscinæ superstructum erat πτωχοτροφεῖον, seu νοσοκομεῖον potius, in quo quinque porticus erant capiendis ægrotis paratæ. Sicut ad balnea fere ædes exstructæ sunt. Sicut autem Scriptura nobis pauperum curam commendat; ita hoc loco certæ cujusdam in pauperes subventionis exemplum reliquit. Recte autem domicilia misericordiæ & pietatis appellantur, sive eos respicias, quorum liberalitate exædificantur, sive pauperes, qui illis accipiuntur. Quot igitur νοσοκομεῖα, in singulis aut urbibus, aut provinciis reperiuntur, tot sunt civium, qui illa loca incolunt, de misericordia testimonia. Ubi contra rara sunt aut nulla, contrarium indicant. Ampla ædificia & splendida hac ætate excitantur, sed pauca pauperum usibus consecrantur. Imo vero tanti in privatis ædibus exstruendis sumptus fiunt; ut quod ad pauperum usum erogetur, nihil pene supersit.

in quo nos Pontificii condemnabunt.

Hic *Pontificii*, qui partim metu inferorum, partim spe meriti, hujusmodi monumenta pietatis posteris reliquerunt, nos condemnabunt, qui Christi amore & gratuitæ mercedis exspectatione non adducimur, ut pauperibus consulamus: non dico ut istiusmodi exstruamus pietatis monumenta, sed ut excitata sarta tecta servemus. Sed fit ut, quemadmodum Christus in sua persona, ἄσπη-

γος & οἰσυατίμος fuerit; sic adhuc in ingrato mundo futurus sit in pauperum persona. Nihil ne eos movet honos qui certe eximius est, Christo Dei Filio domicilium exstruere? Observetur quanto studio flagravit David Deo domum ædificandi. Quantus honos Salomoni habitus est, cui hoc, patri negatum, elargitum & concessum est. Tametsi vero par honos non sit Christo domum hujus generis ædificare, atque illius in quo cultus Dei exhibitus est: tanti tamen honoris est, ut de hoc ædificio vere dicatur, quod Salomon de templo dixit, neminem parem & idoneum esse in hoc genere Christo domum ædificare, nisi Christi & Dei dignatione. Qui autem nec novas ædes excitare, nec veteres reficere potest; is tamen aliquid conferat, quod pauperibus in suis tuguriolis submittatur.

Vers. 5, &c. *Claudus à maxima miseria liberatus;*

In subjecto quod sanatur, notandæ sunt duæ hæ circumstantiæ; quod cum 38. annos hoc morbo laborasset, omnibus amicis & necessariis nudus esset, qui illum juvarent; nemo ut esset, qui tantillum officii illi præstare vellet, ut agitatæ & conturbatæ aquæ eum admoverent. Quorum cum alterutrum hominibus desperationem in malis afferre solet, tum ambo conjuncta multo id faciunt magis. Non tamen debere nos hæc præcipites agere, hoc exemplo liquet, quod sane nos sustentare debet, cum non modo hunc sanatum legimus, sed ob eas potissimum causas, præteritis aliis, sanatum, quod & diutius laborasset, & nullis amicitiis munitus esset. Quamobrem pii in ærumnis deprecandis, his rationibus suam in impetrando fidem muniverunt; quod & diutius cum malis conflictati sunt (sed tu Domine usque quo?) & à suis omnibus deserti sunt. Nam si homines misericordes multum movet, quod diutius in ærumnis fuerint homines, & amicis nudi, & legibus cavent ut miserrimi & ærumnosissimi, quique in nosocomia colligantur & captentur; quanto magis illud à Deo præstabitur, in quo misericordia maris plenitudinem imitatur;

Quod vero in claudum incidit, quem sanatum juberet grabatum tollere & asportare, ad quæstionem de Sabbatho movendam opportune accidit. Quamobrem illud consideremus adjunctum, quod miraculum subsequutum est, videlicet, miraculi evulgationem; quæ duobus potissimum perfecta est: mandato grabatum tollendi; unde cœptum est de miraculi authore quæri: & admonitione, ne ad peccati volutabrum rediret; unde agnitus est Christus miraculi author extitisse.

Grabati asportationem in Sabbatho præcepit, ut hac ratione Iudæorum veneno elicito, Christus suæ gloriæ asserendæ occasionem quæreret. Nec enim fas erat onera palam, & in vicis præsertim, die Sabbathi ferre: Christus igitur hoc modo divinam suam authoritatem asserere voluit. Nec tamen legem violavit, quietis cæremoniam majoris momenti causa perfringendo: non magis quam pecudum mactatione Sacerdotes rei erant.

cujus grabati asportatione Christi authoritas stabilita:

Cui quod ille paruit, ejus exemplo non pudere nos aut tædere debet, nostras infirmitates & peccata, si opus sit, palam profiteri. Iste enim plena luce grabati asportatus, solennis quædam professio, & veluti præconium erat, ipsum cum olim laborasse, tum in præsentiarum liberatum esse.

Quanquam *quæri* posset, an claudus recte fecerit, qui Sabbathum violavit, cum Christum Deum esse nesciret, aut Messiam: Dei autem autoritas in Sabbathi observatione non potuit refringi, nisi à Deo.

an ea à claudo Sabbathum non violatum?

Respondeo, recte fecit: nam tametsi non crederet Iesum Deum esse; tamen probe scivit eum: à Deo Prophetam missum, nihil mandaturum, nisi quod Dei voluntati consonum foret. Qua autem ratione Abrahamo fas fuisset Isacum filium interficere, & Israëlitis Ægyptios spoliare, absque sexti & octavi mandati violatione: eodem modo huic licuit grabatum die Sabbathi asportare, absque quarti mandati violatione. *Ierem.* 17, 21, 22. non obstante.

Hinc discimus, quæ cautio adhibenda est in judicandis fratribus: quis enim non putasset hunc paralyticum reum fuisse Sabbathi violati?

IOH. *cap.* 5. *à vers.* 10, *ad* 19.

10 *Iudæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat, Sabbathum est, non licet tibi attollere grabatum.*

11 *Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, & ambula.*

12 *Interrogaverunt eum ergo, Quis ille est qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, & ambula?*

13 *Is autem qui sanatus fuerat, nesciebat quis esset: IESVS enim evaserat è turba quæ erat in illo loco.*

14 *Postea invenit eum IESVS in templo: & dixit ei, Ecce, sanus factus es: ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi fiat.*

15 *Abiit homo ille, & nunciavit Iudæis IESVM esse à quo sanatus fuerat.*

16 *Ac propterea persequebantur Iudæi IESVM, & studebant eum interimere, quod ista fecisset Sabbatho.*

17 *IESVS autem respondit eis, Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor.*

18 *Propterea ergo magis studebant eum Iudæi interimere, quia non solum solvisset Sabbathum, sed & Deum dixisset patrem suum, parem se faciens Deo.*

ANALYSIS.

ADjunctum obsequii sanati claudi in sustollendo & bajulando grabatum est, Iudæorum criminatio, qua eum violati Sabbathi arguunt.

Vers. 11. Effectum accusationis est, defensio sui ipsius argumento testimonii, seu authoritatis Christi; quod confirmatur ab effecto, quia illum sanitati restituens, jus mandandi jure in eum obtinuit.

Vers. 12. Hujus defensionis adjunctum est altera quæstio, quis erat qui hoc illi injunxit?

Vers. 13. Cujus quæstionis effectum erat, responsum (ut videtur) se nescire; cujus causa efficiens assignatur, quod Christus se clam subduxerat, quam primum miraculum edidisset.

Vers. 14. Declaratur effectum Christi, quod sanitati restitutum offendit; quod subjecto loco templi notatur; cujus inventionis finis notatur; ut illum admoneret, ne deinceps peccandi consuetudinem repeteret; quod alio fine confirmat, ne graviore aliqua plaga afficeretur.

Vers. 15. Aliud effectum hujus Christi cum illo congressus narratur, quod sanitati restitutus, Iudæis, quis esset qui illi sanitatem reddiderat, indicabat.

Vers. 16. Indicii adjunctum est Christi persequutio; ubi etiam forma persequutionis notatur, ad mortem postulatio; cujus causa assignatur, quod cum Sabbatho sanasset, tum vero grabatum portari jussisset.

Vers. 17. Hujus persecutionis effectum est, Christi defensio argumento parium, tam sibi licere Sabbatho operari, quam Patri.

Vers. 18. Hujus responsi adjunctum, postulatio Christi ad mortem; quæ amplificatur comparatione minoris, quia magis jam hoc faciebant, quam prius: arguitur porro à causa, quod se Deo æquavit, Filium Dei se esse affirmans; quod etiam comparatione minoris amplificatur, minus enim erat Sabbathum violare, quam se pro Dei Filio (ut Iudæi impie sentiebant) venditare.

METAPHRASIS.

10. *VIrum sanitati restitutũ cum Iudæi grabatum portantem vidissent, ei dicunt: Sabbathum est, non ergo fas est te grabatum in humeros tollere, nedum (ut facis) palam per plateas portare. Qui respondit: equidem* 11.
non ignoro nefas esse, si ex cõmuni & ordinario Dei mandato de hac re pronunciandum esset; sed speciali mandato fretus, hoc facere in me suscepi; & quidem illius qui justa autoritate instructus, hoc mandasse videri potest; ut qui me tot annos (quot non ignoratis) pedibus captum, uno momento, & quidem unico
verbulo, sanitati restituit. Quin tu ergo ut te 12.
hoc crimine liberes, nobis quis sit qui grabati
portationem tibi imperavit, indicato. Sed sa- 13.
natus omnino quis esset ignoravit: quod tamẽ nulla ejus incuria factum esse constat; quandoquidem Iesus protinus è turba se subducens
(conscius periculi imminentis) evaserat. Post 14.
tamen tempore magis opportuno, sanatum Iesus in Templo offendens, ut Deo de accepto beneficio gratum se præstaret, eum tamen in hac fere verba admonere non neglexit. Adverte quid dicam: intermisso aliquo à sanatione tua spatio, usu & experientia jam comperisti te plane curatum esse: quamobrem cum tibi probe conscius sis, hunc morbum ob gravius aliquod peccatum à Deo immissum esse, cave sis ne tibi ad pristinam peccandi licentiam recurrenti, acerbior aut animi aut corporis aut utriusque simul plaga à Deo justo judice inferatur. Sanatus ilico abiens, Iudæis indicavit 15.
Iesum illum fuisse qui illũ sanitate donasset: sperans fore suo exemplo, corporis & animæ
sanitatem ab illo quærerent. At Iudæi ob eam 16.
ipsam causam, quod cum infirmum Sabbatho sanasset, tum grabatum in humeros sustolli & portari jussisset, Iesum persequuti sunt; idque tanta animi malitia, ut illum ad mortem po-
stularent. Quibus Iesus; quid me ad mortem 17.
quæritis? perinde vobis licebit in Deum, qui idem Pater meus germanus est, insurgere; quandoquidem mea est cum Patre conjuncta operatio: aut igitur Deum Patrem condemnate, aut

18. *te, aut me absolvite. Quo audito, Iudæi illum impensius quam ante interficere quærebant: non tantum quod Sabbathum violasset, sed quod in Deum blasphemus fuisset, dum Deum, suum & proprium Patrem appellasset, eademque opera se Deo omnino exæquasset.*

PRAXIS.

Vers. 10, &c. *Quæstio Iudæorum quatenus bene mota?*

QUæstio quæ hinc mota est, unde & qua fiducia hoc faceret, non male mota est, si qui eam moverunt probe affecti fuissent, & in tam commoda claudi responsione acquievissent. Optandum enim plane est hac tempestate, ut hi, quorum interest, cujusmodi sunt magistratus & patresfamilias, domi & foras eos examinarent & excuterent, qui Sabbathum violant. Hic notentur qui hospites excipiunt. Vide historiam *Neh.* 13, 15. *ad* 22.

Vers. 13. *qui eum sanaverat claudus sine sua culpa ignoravit;*

Nec vero culpandus est claudus iste, tanquam accepti beneficii immemor, quod autorem sanitatis non agnovit; cum Euangelista hoc ipso eum liberet, quod Christus se actutum ex illo loco subduxisset, quia nollet tum innotescere, donec forte aliquot festi dies exacti essent, ut major esset populi frequentia, quæ eum divinitatem asserentem audiret. Deinde præsentem Iudæorum furorem declinare voluit, quoad intermisso aliquo spatio defervesceret. Verbum ἐξένευσε si ab ἐκνεύω ducatur, *declino*, significabit Christum declinasse non è turba, propter turbam quæ vicina erat; ut genitivus sit absolute positus, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ: si enim declinasset è turba, nihilo opus fuisset Iudæis à claudo (quis jussit &c.) sciscitari. Quod si ab ἐξενεύω ducatur, significat peregrinum se gessit, ut fecit cum duos discipulos Emaum euntes, consequutus est.

Vers. 14. *quare à Christo admonitus?*

In admonitione patet primo morbum, peccato aliquo vel aliquibus contractum, quod pedibus forte ad malum abusus esset. Deinde his, qui eadem peccata repetunt, quibus morbum, quo liberati sunt, conflarunt, gravius aliquid expectandum sæpe in hac, (certe in futura) vita. Vide 2. *Pet.* 20. *ad* 22. recidivi morbi, & vulnera curata rursus erūpentia. *Vide quæ ad illum locum observavi.*

quod in templo ejus gratitudo?

Quod autem Christus illum in templo offendit, docet hominis gratitudinem: vide etiam *Act.* 3. 8. 9. & eximium Ezechiæ exemplum, *Es.* 38. 9. *ad* 20. Aliis autem grave & molestum est morbis detineri, quod tabernas, & cauponulas, aut lupanaria, ut olim, frequentare non possint; unde primitias sanitatis & convalescentiæ non in templo, ut hic & alii pii, sed in ludo talario, lupanaribus, taberna afferunt.

hinc de his quæ aversamur admonendi.

Quod pie affectum, Christus tamen admonitione opus habere duxit, docet nos quam non inique ferre debemus, si de his etiam admoneamur, ut illa fugiamus, à quibus animum aliquantulū alienum gerimus. Nisi enim sepem & murum præaltum inter nos, & vitia, quibus assuevimus, erigamus, facilis est in illa relapsus, & cupiditates nostræ perquam fallaces & agiles sunt, & cum ipsis damis aut cervis levitate & pernicitate comparandæ; atque ut intra septa contineamur, opus esse docet Christus, ut acceptæ à Deo salutis recordemur.

Vers. 15. *Quo animo Christum hic patefecerit?*

Hic Christo jam agnito, idque, ut videtur, ab eo quis esset percunctando, Christum animo non malo, Iudæis de autore sanationis interrogatus patefecit. Quanquam vero grave periculum Christo hoc modo creatum est; tamen cum nulla Christi interdictione ne hoc faceret impeditus sit, hoc ei laudi non duci nequit; & quidem magis, quam si magna Christo, & regno commoda & adminicula accederent, cum quis ne hoc faceret prohibitus sit.

Vers. 16. *Iudæi qua specie ejus mortem quæsiverint?*

Iudæi corporei cultus violati, quam spiritualis acriores vindices, Christum morte afficere conati sunt, quod quum eum sanasset, tum grabatum asportare Sabbatho mandasset; idque κακοζηλίᾳ, & perversa quadam illius facti (ut videtur) imitatione, quo sarmenta Sabbatho legentem, capitali supplicio multatum fuisse in lege animadverterant. Cum vero atrocissimum scelus designaturi essent, tamen non sine præclari alicujus specie illud admissuri erant. Speciem enim pietatis habet, cura quadam & sollicitudine Sabbathi à Deo mandati teneri, & singularem ardorem resipit, usque eo de violato Dei mandato excandescere, ut non nisi violatoris sanguine expiaretur, acquiescerét. Nam si ne in agris paucula quædam sarmenta colligere fas erat, nedum per mediam plateam grabatum humeris ferre: & si in privato & inopi hoc ferri nequivit, nedum in illo, qui se Prophetam Dei profitebatur, & aliis exemplo vitæ prælucere debebat. Sed cum res longe secus se habet, non modo non violatum, sed religiosissime sanctificatum fuisse Sabbathum, & sententiam in sarmenta legentē justissime latam, in Christum injustissime ferendam fore: quanta nobis cautio habenda sit, ne temere nos, aut nostro,

nostro, aut aliorum sensu abripi patiamur.

Vers. 17. *illius defensio à comparatione cum Patre,*

Christus argumento à paribus se defendit, idem enim sibi licere, quod Patri suo; Patrem Sabbatho operari, & homines ægrotos sanitati restituere, & jus habere, ut grabatum asportari juberet, proinde ipsorum accusationem nullo fundamento niti.

Vel potius argumentum ducitur ab efficiente causa; quarum actionum eædem causæ sunt, earundem idem vel laudis vel vituperii adjunctum est; sed istiusmodi operum Sabbatho editorum, tam Pater quam ego autores sumus; proinde idem adjunctum est laudis & vituperii: unde consequitur meum opus vituperando, vos Patris opus vituperare. Hac de re sæpius alibi accusatus, ita respondet, ut se communi piorum censu non eximat, & fas esse benefacere potius, quam malefacere, etsi Sabbatho contingat.

quæ in cooperatione cum eo:

Sed hoc loco relicta illius generis defensione, altius conscendit, & ex communi hominum ordine se eximens, divinam authoritatem vendicat. Cujus causa est, quod cum tam celebri populi corona septus esset, sui patefaciendi tempus maxime opportunum esse duxit. Cæteras defensiones reliqui Euangelistæ, qui Christi humana in natura describenda diutius insistunt, perscribunt; hanc quia Christi divinitatem, in qua explicanda Johannes immoratur, attingit, ipse scripto complexus est. Ex hoc loco Dei æternam & continuam providentiam notare licet, qui nunquam ab agendo tempus aliquod intermittit, ne illum otiosum rerum humanarum spectatorem cum plerisque somniemus; cujus manus semper operi faciundo admota est, nec unquam tædio aut defatigatione, ut homines, interquiescit: cum enim creaturis, ut spiritibus & cœlesti machinæ, ut continua agitatione moveantur, tribuit, tum ipsum his viribus præditum esse necessum est. *In eo vivimus, movemur, & sumus, Actor.* 17, 28. *Ephes.* 1, 22. *omnia operatur.* Nec vero cum hoc pugnat, quod Deus septimo die quievisse dicitur. Non enim in universum quietem indicat, sed tantum ab operibus creationis; ideo Moses non cum simpliciter quievisse dicit, sed ab omnibus operibus quæ patrarat: sicut neque Sabbathum nostrum otio & cessatione ab omnibus actionibus definitur, sed earum tantum, quas profestis diebus exercuimus.

Vers. 18. *hac defensione magis inflammantur;*

Hoc dicto, quod illorum furorem placare debuit, magis in Christum inflammantur. Homines enim inconsiderato zelo acti, tanquam in præcipitio collocati, magno impetu ad exitium ruunt; nec minore atque adeo majore pietatis specie, hoc se facturos sibi persuadent, dum in Deum blasphemiam severe ulciscantur. Quamobrem diligenter nobis Deus comprecandus est, ut rectam verbi sui intelligentiam concedat; sine qua ex malis multo deteriores reddimur. Nec enim tantum ad salutaria audiendum surdi sumus, sed etiam vere dicta, tanquam sinistra aure (atque si dextra auris amputata esset) audimus; nec tantum ex divini Verbi flore mel non exsugimus, sed venenum etiam exprimimus.

vere tamen Christum Dei Filium hinc collegêre.

Quod autem Christum ἴδιον se Dei Filium facere dictitant, illud recte inde colligunt, quod non Patrem *nostrum* Deum, sed *meum* vocaret. Quod indicare volunt discrimen inter Filium Dei unigenitum & germanum, atque eum qui adoptione filius sit. Notemus igitur Christum Judæos, tanquam in verborum suorum intelligentia hallucinatos, minime reprehendentem, se naturalem Dei Filium clarè professum esse.

Deinde quod isto modo colligunt, Christum se Deo æqualem facere, recte fecerunt; nec ideo à Christo refelluntur, aut vituperantur ab Euangelista, qui in re tanta nos errare non fuisset passus. Nam tametsi in hominibus hoc non semper fit, ut filii pari jure & honore cum patre sint, in Deo tamen, qui non nisi ab æterno generat, & in unitate substantiæ suæ, illud fieri necesse est; alioqui enim non esset simplicissima Dei substantia, sed hæc excellentior, hæc minus excellens. Unde etiam sequeretur aut aliquid æternum esse, quod Deus non esset, aut esse in divinitate Deum majorem & minorem, quod & cæteroquin absurdum est, & πολυθεΐαν induceret.

JOH. *cap.* 5. *à vers.* 19, *ad* 25.

19 *Respondit ergo IESVS, & dixit eis, Amen, amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari,* id est, *nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

20 *Pater enim amat Filium, & omnia ostendit ei quæ ipse facit: & opera istis majora*

majora ostendet ei, ut vos miremini.

21 Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.

22 Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio:

23 Vt omnes honorent Filium prout honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem ut qui miserit eum.

24 Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam.

ANALYSIS.

CHRISTVS suam divinitatem adversus Iudæorum blasphemias tuetur. Quamobrem Patris actiones confirmat secum communes esse, ab adjuncta ἀδυνασίᾳ quicquam faciendi, quod Pater non facit; quod porro corroborat à testimonio vehementissimæ asseverationis, vel potius juramenti. Cujus argumentum syllogismo sic necti potest: Qui nihil facit nisi quod Patrem facere probe norit, is cum Patre actiones communes habet: sed Iesus nihil facit nisi quod Patrem facere probe norit; ergo, &c. propositio est manifesta: assumptio exprimitur. Probe nosse se docet quæ Pater facit, hoc modo: Qui omnia quæ Pater facit pari ratione facit, eum necesse est conscium esse omnium quæ Pater facit: sed Iesus similiter omnia cum Patre facit; ergo conscius est omnium quæ facit. Propositio est manifesta, assumptio exprimitur.

*Vers.*20. Prolepsis est, cujus occupatio est ab adjuncta usurpatione, quam Iudæi Christo eadem cum Patre faciendi affingere poterant; cujus subjectio est à disparato, hoc manare à Patris in se charitate; cujus effectum, quod omnia cum Iesu communicat, eique omnia quæ facit demonstrat. Deinde generalem hanc thesin accommodat ad hypothesin præsentis miraculi; quod conjunctim cum Patre à se fieri probat comparatione majoris, quia majora hoc miracula editurus est; quod suo fine declaratur, ut Iudæi tametsi increduli tamen stupore percellantur.

*Vers.*21. Probat se majora hoc facturum, quia mortuos excitare majus quiddam est, quod ipse non secus facit, quam Pater.

*Vers.*22. Deinde ex distributione videtur probare se omnia facere quæ Pater facit, ut qui cum beneficia eadem conferta, & eadem judicia exsequatur.

*Vers.*23. Quod fine suo declaratur, ut omnes ex æquo Filium & Patrem honore prosequantur. Postea prolepsis proponitur, cujus occupatio est à diversis, quod quamvis te aspernamur, tamen Deum Patrem veneramur: subjectio est ab adjuncta inseparabili natura Patris & Filii, ut qui unum non habet, alterum habere nequit.

*Vers.*24. Docet Christum honorandum æque ac Patrem; quia sermo ejus est, per quem Patri credimus, & quia ad vitam consequendam tam Christum audire & ei obsequi debemus, quam Patri credere. Cujus fidei in Patrem, & per Christum, duo effecta ponit, unum quod vitam in præsentiarum habet, alterum quod deinceps in judicium non venit in seculo futuro; cujus utriusque confirmatio est ab effecto fidei, quod per illam à morte in vitam transiit.

METAPHRASIS.

Quibus Iesus respondens, dixit. Quod de operis mei cum Patre conjunctione dixi, 19.
illud non temere per incogitantiam excidit. Certissime enim & asseverantissime confirmarim, Filium eundem in essentia & potentia cum Patre, nihil posse seorsim ab illo facere, sed omnia penitus cognita habentem quæ Pater operatur, eadem ipsa pari virtute ac potentia efficere quæ Pater, non autem precaria aut emendicata. Quod enim Patri unicum Fi- 20.
lium intime amanti usu venire solet, ut nihil faciat quod cum Filio, quem hæredem instituit, non communicat: id in me quadrat verissime, cui Pater ex infinita charitate qua me complectitur, quicquid facit commonstrat atque communicat: & quanquam perangusta sunt quæ mecum communicavit, tamen majora & augustiora his communicabit: ut (si alium inde fructum non percipiatis) saltem eorum ea magnitudine, stupore perculsi pereatis, quod me
cujus opera admirari vel inviti cogimini, con- 21.
temptui habetis. Nam sicut Pater mortuis excitatis vitam confert; sic & Filius, pro suo
arbitratu, quam liberrime quos vult vita 22.
donat. Sed neque Pater in quenquam solus vindictam exercet, sed illam omnem cum Filio, non tantum æterna generatione communicat, sed eam quoad homo (quo me nomine pro
vili & contempto habetis) mihi Filio permisit. 23.
Quod hoc consilio facit, ut me ejus unigenitum Filium (cui uni tam ampla potestas concedi potest) omnes eodem prorsus honore, quo Patrem, prosequantur. Vobis quidem persuasum est, nihil damni obvenire posse, tametsi me aspernamini, quandiu Patrem religiose colitis: sed in eo turpiter erratis, quod qui me Filium
religiose non colit, ne Patrem quidem vere & 24.
syncere venerari potest. Quæritis forte, quid sit in quo cum Patrem tum me Filium honore afficiatis: citra omnem controversiam, hoc vere præstabit, qui Euangelium (cujus ego non

 minister

minister modo sed porro author sum) attente audiens, per me in Patrem crediderit. Hunc enim nos cum Spiritu Sancto honorantem Deus ilico in possessionem vitæ aliquo usque mittit, cujus pleniorem fructum post hanc vitam percipie, quod severissimum Dei judicium & alioqui justissimum effugiet: ut qui eodem momento quo credit, à morte æterna in vitam nunquam finiendam translatus est.

PRAXIS.

Hujus reliquæ orationis *duæ partes* sunt, { Vna, qua se Dei Filium confirmat, & Altera, qua, quod Iudæis excipi adversus eũ potuit, occupatione prævenit.

Vers. 19. *Christus ejusdem essentiæ cum Patre;* Cum in eo tantum Iudæi resisterent, quod Dei se naturalem Filium profiteretur, illud Christus demonstrat, argumento adjunctæ essentialis cum Patre unitatis; perinde ac si diceret, si ego separatam aliquam à Patre essentiam haberem, Patris opera non operarer; sed Patris opera ego facio; proinde separatam aliquam & disjunctam essentiam non habeo. Quod si eadem cum Patre essentia sum, sequitur me esse Patris unigenitum & naturalem Filium, eoque Patri æqualem. Ex quo liquet hæc verba (*filius non potest quicquam ex se facere*) non modo defectum potentiæ non significare, sed summam perfectionem; sive intelligamus, Christum nihil contrarium Patri facere posse; sive naturæ (ut ita dicam) identitatem. Nam creaturæ aliæ rationales aliquid ex se Deo contrarium facere possunt, quod non sunt ejusdem naturæ cum Deo. Vide tamen an præstiterit hæc ad Mediatoris personam referre, carne indutam: eadem enim loquendi phrasis habetur, ubi de Christo, quatenus homo est, loquitur tamen.

idque quod cum Patre æternus, Hanc vero cum Patre essentiæ unitatem ex eo probat, quod ejus operum continuus spectator fuerit, & quod nihil unquam à Patre factum sit, cui ille non interfuit. Confer locum *Prov.* 8, 23. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Cum igitur tum illis rebus interfuit, sequitur eum ante illas res omnes fuisse, & propterea æternum, eoque Patri coëssentialem. Sicut enim Christi divinitatem *Ioh.* 1, 18. ex hoc adjuncto notat, quod Deum ipse viderit, nemo autem hominum aut Angelorum; sic Christus se hoc loco ex eo Deum confirmat, quod Patris opera vidit, & plene percepta habuerit, usque eo ut eadem ipse operari possit, & operetur. Tametsi enim Angeli & pii homines, opera Dei videant & sciant; tamen neque accurate hoc faciunt, nec illa ulla ex parte præstare possunt. Ex quo illud liquet, Christum ad Patris opera, tanquam ad archetypum, non respicere ut simile faciat (ut hæretici garriunt) sic enim novum aliquem mundum à Patris mundo diversum condidisset, aut conditurus esset. Dein, quo Patris exemplo mari inambulavit? an Patrem hoc aliquando fecisse vidit? Notandum est eum dicere, *Patrem facientem*, non autem *fecisse*; & dicere *quod videt*, non *quale vidit*. Quo satis declarat se rem unam eandemque cum Patre jugiter facere. Deinde quod dicit, *nihil eum facere, nisi quod Patrem viderit*, notat Patrem ordine primum in actione esse, tametsi non tempore sit primus.

Quod autem ὁμοίως dicit, illud adjectum est, ne intelligatur Christum tanquam inferiorem aut partialem causam, aut tanquam instrumentum in operatione cum Patre concurrere: sed quod eadem libertate, scientia, imperio, potẽtia facit. *Similiter* autem facere dicitur, non quod ex se faciat, ut Pater, aut quod ipse per Patrem operatur, ut Pater per eum; sed similitudo consistit in qualitatibus agentis ad ipsum opus. Quanquam enim Pater & Filius non similiter se habent ad invicem, similiter tamen se habent ad communia opera. *cum quo pariter operatur;*

Vers. 20. *cujus opera ipsi communicat,* Aliud argumentum ab adjuncto Dei erga Christum amore affert, quo se Dei unigenitum Filium comprobat. Quem enim ita intime Deus diligit, ut quæcunque ipse facit hæc illi communicet, is est Dei unigenitus Filius; sed Deus me ita diligit, ut omnia sua mecum communicet; igitur unigenitus Dei Filius jure appellandus sum: similitudo ducta à terrenis Patribus, omnia suis filiis communicantibus. *Ostendere* enim non est tantum illa in medio spectanda proponere, sed cũ illo earum rerum gerendarum facultatem communicare; sicut ex posteriore versus parte liquido constat. Neque enim Iudæis admirationem moverent hæc opera, nisi à Christo ipso ederentur. Vbi notandum, verbum præsentis temporis notare æternam miracula edendi in Christo potentiam, sicut verbum futuri temporis refertur ad potentiæ illius declarationem.

ita ut ipse majora faciat. Probat argumento distributionis se omnia, quæ Pater facit, facere. Is omnia facit quæ Pater, cui datum est cum hæc quæ ego facio,

facio, tum his majora facere; sed mecum communicavit Pater ut & hæc,& his majora faciam; omnia igitur, quæ Pater facit, ego facio. Tametsi enim potentiæ est ejusdem,id est divinæ, cum claudum nutu & voluntate sanitati restituere, tum vitam mortuis conferre; tamen judicio humano majus quiddam est mortuum vita donare, quam ægrotum sanitati reddere; eoque factum est, ut qui Christum ægrotos sanare posse credebant,non tamen eum mortuos excitare posse statim crederent: quemadmodum ex Aulici *Ioh. cap.*4, *vers.*41, *ad* 53. & Iairi exemplo *Matth. cap.* 9, *vers.* 18. & *Marc. cap.* 5, *vers.* 22. *&c.* liquido constat. Vel à proprio adjuncto ratio duci potest. Cujus enim est illa facultas, quæ maxime propria Dei esse videtur, is est Deo æqualis & consubstantialis; sed facultas excitandi mortuos, quæ Deo maxime propria videtur, mea est itidem ut Patris; proinde me Deo consubstantialem esse constat.

A generaliore operandi facultate ad specialem descendit, nempe ad facultatem vitam conferendi; quam unius Dei propriam esse docetur. 1 *Samuel. cap.* 2, *vers.* 6. *Dominus vivificat, & morti tradit.* & *Deut. cap.* 32, *vers.* 39. *Ego occido, & vivifico.* & *Psalm.* 68,20. *Domini sunt mortis exitus.* Quemadmodum enim summum & absolutum in terris imperium indicat, si cui vitæ & necis potestas est; sic etiam in eo summum Dei imperium notatur, quod in omnes vitæ & necis imperium habet, etiam in Imperatores & Reges, quibus hæc potestas datur. Notandum etiam quod dicitur, Filium *ad eum modum* imperium vitæ & mortis habere: vitam scilicet in Christo tanquam in fonte esse, sicut in Patre: liberrime à Christo conferri, ut à Patre; quod diserte notatur, cum dicitur, *Filium quem vult vivificare.* Non peti ab eo vitam, tanquam à canali, sed tanquam à scaturigine; non tanquam ab œconomo, sed tanquam à patrefamilias; non denique precariam esse in Christo vitam, sed substantialiter. Quod igitur *Matth. cap.* 20, *vers.*23. dicit, *suum non esse dare, ut hic à dextris, ille à sinistris sedeat*, illud non de divina natura Christi dicitur, de qua hoc loco sermonem habet, sed de assumpta humanitate, quam divina natura sustinuit.

Vers. 21. *Christus ut Pater vitam confert,*

Vers. 22. *& omnium judicium*

Aliud argumentum à distributione. Qui enim & beneficia confert, & supplicium sumit, is omnia, quæ Pater facit, operatur: sed Christus utrumque facit, ut ex 22, & 23. constat: proinde docet, quod omnium hominum judicium sibi commissum habet. *sibi commissum,* Cum autem *judicandi* nomen in Scriptura varie sumatur, nunc pro totius hujus universi procuratione, seu universali providentia & administratione omnium rerum; alias vero pro impiorum perditione, 3. pro autoritate sontes damnandi & ulciscendi: hanc acceptionem huic loco conducere convenientissime liquet. Totius autem mundi Iudicem esse, nemini competit nisi Deo. *Gen.* 18, 25. *Rom.* 3, 6. Cum enim judicium de omnibus, quæ unquam aut gesta sunt,aut in posterum gerentur, dicendum, & cuique præmium aut pœna pro meritis reddenda, quod immensam quandam scientiam & memoriam requirit, quæ in nullum nec hominem nec Angelum cadit, Christum Deum esse necesse est. Maxime cum in judicium cordis cogitationes veniant, quæ ab uno Deo percipiuntur. *Act.* 1, 24. 1 *Reg.* 8,39. Christum, qui de his etiam sententiam feret, vere Deum esse efficitur. Quanquam Patrem se judicis officio abdicasse, aut judiciariam potestatem Filio ita resignasse, ut ipse itidem judicium de omnibus non ferat, nequaquam existimandum est. Pater enim in Filio omnes judicabit; & tametsi visibili & oculis corporis conspicuo modo, ut Filius, non sit judicium laturus; tamen non idcirco Iudicis personam posuit. Nec enim ut ipse otio vacaret (ut plerique faciunt) judicandi partes Filio dedit; nec quod ipse illud exequi non posset ætatis vitio, aut aliqua infirmitate impeditus, ut de Vssia legimus 2 *Chron.*26,21.

Vers. 23. *ut pariter cum Patre honore afficeretur;*

Quod autem addit, *ideo hoc factum esse*, id est, ideo Christum vitam conferre, & judicatoriam potestatem exercere, *ut omnes perinde Filium ac Patrem honore afficerent:* à regum terrestrium consuetudine sumptum est, qui filiis quos charos habent, regni jus communicant, ut illos honoratiores reddant: vide 2 *Chro.*21,3. ubi Iehoramum filium Iehoshaphatus pater, in regni societatem sibi adsciscit. Sicut enim Reges, cum regnum est litigiosum, se vivis, filios in regni societatem accipiunt: sic Deus Pater prospiciens futuros hæreticos, qui Filii cum ipso æqualitatem pernegarent, Christo, quoad homo est, gloriam communicavit; ut omnes Filium Dei, non secus ac Patrem, honore afficerent.

Quod autem dicit, eodem honore prosequendum *unde illi æqualis est:*

quendum Filium, quo prosequuntur homines Patrem, satis arguit Christum Patri æqualem esse. Nam cui idem & par honor attribuitur, is par & æqualis est. A subjecto autem ratiocinatur, parem Filio cum Patre honorem tribuendum esse, ut qui in Patris solio & throno collocatur. Nam qui idem solium & thronum habent, hi pares sunt honore. Ideoque David plenam Regis authoritatem in Salomone collaturus, eum solio suo imponi jubet: & Iosephum Pharao secundum in regno designare & instituere volens, sibi ipsi solium tantum proprium retinet, cæteroquin omnia cum Iosepho communicans, id est, tantum regium jus & authoritatem sibi reservat, *Gen.*41,40. Vbi apparet solium regium, sicut & currum regis, esse proprium adjunctum regni & summi principatus: sicuti etiam apud populum Dei, mulo Regis insedere. Cum igitur Christo solium Patris ut Filio concessum sit, apparet Christum non esse secundarium aliquem in regno cœlesti ducem, sed ipsum summum cum Patre regnum obtinere; solium autem Dei seu thronum Filio collocari constat, non tantum hoc ex loco, sed etiam ex *Esa.*9,6,7. initio, & plerisque locis *Apocalypseos.*

proinde qui eum non honorat is nec Patrem honorat, Vt vero unum eundemque Patri & Filio honorem deberi ostendat, addit, *non honorare Patrem, qui Filium non honorat*; argumento adversorum utens. Eorum idem honos est, quorum eadem est ignominia; sed Pater in Filio se inhonoratum ducit, nec quidquam honoris à Filio separatum habere vult; itaque eodem honore & reverentia prosequendus. Tametsi vero in Legato violato, aut ignominiose accepto, Rex, qui eum misit, appetitur; tamen inter mortales non ita conjunctus est, & connexus regis cum Legato honos, ut nunquam hic ab illo disjungi possit. Nam præsente Rege hic honos Legato non defertur, & non nisi hac lege & conditione ei tribuitur, quandiu in legatione est, quandiu mandata, quibus instruitur, non transilit, nec παραπρεσβείας argui possit: præterquam quod major honos Regi, si quidem coram esset, quam Legato habetur. Christo vero honor Patri debitus, sine omni exceptione defertur.

quia ab eo missus. Neque vero dicitur, eum inhonorare Patrem, qui inhonorat Filium; sed qui honorem Filio non habet, non honorat Patrem, qui misit eum. Vt Filium honorare sit necesse, cum quod Filius, tum quod à Patre legatus. *Deus autem suum honorem alteri non dat*, ut est apud Prophetam, *Esa.*42,8. Cum igitur Deus Pater honorem sibi debitum Filio communicat, Filium Deum esse, & ideo Patri æqualem esse, conficitur.

Ex duobus propriis Dei adjunctis, quibus se Patri æqualem esse docet, prius primo loco exsequitur, de potestate vitæ conferendæ. *Vers.* 24.

Docet autem modum conferendæ salutis,

Ab adjunctis { Audiendi verbum suum, & Credendi Patri, qui ipsum misit.

Quod autem vocat *doctrinam suam*, quæ vitam affert, eo sibi divinam autoritatem assumit, cujus hoc verbum est, quod vitam confert; tametsi enim Paulus *Euangelium* alicubi quod prædicavit *suum* vocat; tamen illud non nisi respectu ministerii dixit. Christum autem hoc loco divinitatem asserere conantem palam est, ipsum ideo *sermonem suum* doctrinā Euangelicam appellare, quod illius sit autor & parens, tametsi per alios prædicetur. Vbi illud notandum est, primum sine sermonis Christi auditione nullam esse vitam; ut sine semente nulla messis, sine consitione nullus fructus sperandi; nec fides, sine qua nulla salus, non nisi verbo audito ingeretur: inventa aut consulta patrum audiendo aut consuetudines, non servari quenquam; sed tantum Christi sermonem: nec enim hominis sermo vitalem aliquam facultatem habet. *Christi doctrina vitam affert;*

Deinde requiritur, ut *quis credat*. Quod autem fidem in Patrem, qui ipsum misit, dirigat, id eo fecit, quod ad Iudæorum infirmitatem orationem accommodat, prudentia quadam usus, ut ostentationis speciem effugeret, apud eos, qui de Christo parum adhuc sane aut honorifice sentiebant. Deinde non se tantum Dei Filium, & Patri æqualem proponere voluit, sed & Mediatorem & Messiam, eoque solo Deo aliquousque inferiorem: tametsi omnibus creaturis aliis, ipsis etiam Angelis superiorem. Alioqui enim fides etiam figitur in ipsum Filium, ut *Ioh.*1,12. *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis hanc dignitatem, ut filii Dei essent.* & *Ioh.*3,16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quin etiam Christus ipse æquiores & instructiores auditores nactus, sibi ipsi fidei honorem vendicat *Ioh.*14,1. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Nec vero hac *cur dicat Patri credendum qui ipsum misit?*

hac locutione magis fidem in se detrectat, his verbis, quam Patri, quo minus doctrinæ autor sit, ob eam causam adimit, quod doctrinam sermonem suum vocat. Imo vero tametsi hoc occultius & verecundius, tamen fidem, quæ est erga ipsum, his verbis complexus est. Cum enim non nisi suo sermone fidem Patri haberi docet, satis indicat Patri fidem haberi non posse, nisi prius ipsi credatur. Notemus non satis esse, si Dei sermonem audiamus, nisi fidem audito sermoni adjungamus; ut semen condi non profuerit, nisi radicem agat; nec juverit quemquam alium promissa facientem audidire, nisi manu extensa & expansa, qua promissum accipiat.

in quibus vita æterna inchoatur,

Docet vero eum, qui credit, *jam vitam habere*; vitam scilicet æternam in illo ilico inchoari, quæ extremo die perficietur. Tametsi enim per mediam mortem, atque adeo per mille mortes nobis in hac vita transeundum sit; tamen non obscura vitæ æternæ signa in nobis experiri, & sentire licet: pacem enim, & reconciliationem, & gaudium Spiritus Sancti in nobis sentientes, non contemnendas vitæ æternæ primitias, & pignus seu arrhabonem accipimus.

nec ei sunt judicio obnoxii.

Quod confirmat adhuc magis adjunctum æternæ vitæ, quod est *in judicium seu condemnationem non venire*, quod hoc ipso quod credimus, *è morte in vitam transivimus.* Hinc constat, nos esse mortuos in peccato *Ephes. cap. 2, vers. 1.* & non semi mortuos, ut *Pontificii*, nisi allegoria, adversus apertum & expressum Dei verbum. Notandum vero ex *Roman. cap. 6, vers. 9, ad 11.* quod quemadmodum Christus resuscitatus è mortuis, nunquam moritur; sic vitæ in Christo restituti, nunquam spirituali vita intermoriuntur.

IOH. *cap. 5. à vers. 25, ad 31.*

25 *Amen, amen dico vobis, adventat tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.*

26 *Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso.*

27 *Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus Filius hominis est.*

28 *Ne hoc miramini: nam veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus:*

29 *Et prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerint, in resurrectionem condemnationis.*

30 *Non possum ego à me ipso facere quicquam: prout audio judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam: sed voluntatem ejus qui misit me,* id est, *Patris.*

ANALYSIS.

Dicit Christus se vitam hanc in homines conferre. Quæ vita a Christo collata describitur primum ab adjuncto tempore: quod suis partibus declaratur, mox futuro, & præsenti tempore: quo hæc loquutus est; deinde suo subjecto, nempe mortuorum; post ab efficiente instrumentali, fide scilicet, concepta ex verbi Christi auditione. Quæ omnia confirmantur testimonio divino Christi, nempe asseverantissima affirmatione.

Vers. 26. Hæc vitæ collatio per Christum illustratur, paribus scilicet, quod donat vitam ut Pater, quod adjuncta donatione & communicatione Patris hanc vitam confert; ubi quæritur, an hæc donatio est per æternam generationem, qua ratione Patri æqualis est, an quoad est Mediator & inferior Patri; sed ex sequenti versu videtur indicare, donationem hanc esse quoad est homo.

Vers. 27. Ab adverso probat penes illum esse ex dono Patris vitam dare, quia penes illum est morti adjudicare.

Vers. 28. Pergit confirmare à majori, quia mortuos in sepulchro, & in pulverem redactos, sola voce sua excitabit.

Vers. 29. Hanc excitationem à mortuis confirmat, à distributione subjecta piorum & impiorum; quod alia distributione finis declarat, quod pii ad vitam, ad mortem impii excitabuntur.

Vers. 30. Vt 19 *vers.* sic hoc docet se nihil separatum in judicandis hominibus habere à Patre; sed ut ibi illud confirmavit ab adjuncta visione omnium quæ Pater facit, sic hoc loco ab adjuncta auditione omnium quæ Pater facit. Deinde suum judicium nobis commendat ab adjuncta veritate; quam veritatem confirmat ab effecto, quod non quærat suam voluntatem; quod etiam arguit à disparato, quia quærit voluntatem Patris.

METAPHRASIS.

25. *ME mortuis in peccatis vitam nunquam*
finiendam restituere, certissimam fidem
inde facio, quod tempus veniet, imo vero jam
advenit, cum præsente hac vita defuncti vo-
cem Filii Dei audituri sint, qua audita ilico
reviviscent; & ut alii tantisper in terris vi-
tam & spiritum ducent, quoad naturæ debi-
26. *tum denuo persolvent. Sicut enim Pater vitæ*
fontem & principium habet; sic per æternam
generationem Filio dedit, ut vitam in se ha-
beret. Dicam amplius, Patrem non tantum
per æternam generationem, sed etiam quoad
humanam naturam dispensatione quadam
mihi omnem judiciariam puniendi, & morte
27. *multandi rationem permisisse. Ne vero hanc*
vitæ & necis potestatem mihi à Patre datam
tanquam incredibilem admiremini, veniet
tempus, tametsi longius remotam quam illud
de quo supra memini, cum omnes ad unum
mortui qui suis (cujuscunque generis) in sepul-
28. *chris conduntur, simul ac vocem Filii Dei mi-*
nisterio Archangeli personantem audierint,
ilico prodibunt, hi quidem qui bonis operibus
in hac vita faciendis se exercuerint, ad resur-
rectionem, beata vita conjunctam: illi vero
qui improbitati operam dederunt, ad resurre-
29. *ctionem quam æterna miseria excipiet. Quam-*
vis vero hæc mihi etiam ut homini commissa
esse dixi, nolite tamen putare me (perinde ut
alii homines) errore in judicio labi aut decipi:
nihil enim possum seorsim & separatim à Pa-
30. *tre facere. Quamobrem non nisi de compertis*
mihi & penitus exploratis sententiam fero.
Sicut autem sana est & incorrupta facultas
animi, quæ verum à falso discernit; sic nulla
animi perturbatione abreptus, meam volun-
tatem ad Patris placitum conformo: unde ju-
dicium meum justum esse necessum est.

PRAXIS.

Vers. 25. *Christi voce vita humana restituitur,*

PRopius hunc versum intuenti eorum mihi sententia placet, qui hunc versum ad vitam corpoream referunt, quæ certis quibusdam, videlicet, viduæ filio, & Lazaro mortuis, voce Christi restituta est. Cum enim de animæ, ex peccato, morte priori versu egerit, hoc versu nova asseveratione, novum orationis principium ducere videtur. Sicut ex præcedentibus exemplis clare liquere potest, ubi nova ista tam gravi asseveratione, semper diversum aliquid à superiore asseveratione confirmat. Deinde hoc loco nullam fidem requirit, ut vitam consequatur ex audita voce, quæ tamen in spiritualis vitæ restitutione cumprimis exigitur. Postremo φωνῆς vocabulum non λόγου hoc loco usurpatur. Sicut in corporum extremo die resuscitatione, quod quidem haud scio an uspiam de doctrina (nisi *Ioh.* 10. & quidem metaphorice, & similitudine à pastorum voce ducta) dicatur. Nec vero doctrinæ luculētæ de nostra in universum corruptione, ex mortis metaphora aliquid decedit, cum illa planissime superiori sententia confirmatur; nec contextus & complexus orationis ratio cum hoc sensu pugnat, quin potius hunc sensum communit. Vitæ enim præsentis donatio, testimonium & pignus est alterius vitæ spiritualis per Christum collatæ. Augustius enim est cum ad Christi gloriam, tum vero ad præsens institutum, ut illis verbis, quæ vitam Christo insitam & innatam indicant, cum utraque cum corporea, tum spiritualis, quam spiritualis duntaxat vita intelligatur: quod tamen non potest fieri, nisi hic *versus* 25. de præsenti vita intelligatur.

& resurrectio peragitur;

Quod etiam de generali corporum excitatione adjungitur, videtur aptissime ad utriusque resurrectionis cum spiritualis tum corporeæ specialis confirmationem subjungi. Nam spiritualem confirmat, quia qui corpora mortua excitat, idem & spiritus vivificat; sicut *Matth.* 9, 5. paris juris aut potestatis esse docet, peccata remittere, & paralyticum verbo sanare: & specialem corporum resurrectionem firmissime comprobat. Qui enim omnium defunctorum corpora, & quidem ad pulverem redacta, olim vitæ reddet, eum paucorum quos vult mortua corpora facile restituere posse, in promptu est. Tametsi *versus* 28. aitiologia esse possit versus proxime præcedentis. Hinc nos in maximis & gravissimis periculis fiduciam habemus, eum, qui ex mortuis excitat, nos facile ab omnibus malis posse liberare: vide 2 *Cor.* 1, 7, 9, 10.

Vers. 26. *idque inde quod autor vitæ,*

Cum se vitam utriusque generis conferre docuisset, quomodo illam conferat subjungit, nempe ut autor & fons vitæ, non secus quam ipse Pater, *Ioh.* 1, 4. *in ipso vita erat.* Cum autem vitæ fons unicus sit; vide *Psalm.* 36, 10. *Deum esse fontem vitæ:* hinc patet, Christum esse ejusdem cum Patre essentiæ & substantiæ. Sicut enim ante vitæ se autorem & parentem indicavit, quod, cui ipse velit, illam confert: sic hoc loco dum vitam in se ipso inclusam, non preca-

riam,

riam, mutuam, aut adscititiam esse affirmat. Ideo vero Filio dedit, ut fons vitæ, qui in Patre inaccessus & conclusus obseratusque est, in Filio, qui carnem nostram assumpsit, pervius & expositus esset.

Vers. 27. & ex judicandi potestate natura gemina;

Exposito vitæ proprio adjuncto, accedit ad alterum de judicio; quod tametsi non secus Christo naturale sit, quam vita; tamen ut cum æterna generatione simul eam quæ in tempore est declaret, se illud quatenus homo est accepisse confirmat. Vtriusque enim naturæ probationem edere voluit, quo germanus à lege & Prophetis depictus & delineatus Messias dignoscatur. Nec tamen à proposito suæ divinitatis asserendæ hoc modo aberrat Christus: quandoquidem hæc potestas judicandi, in purum & simplicem hominem, aut vero etiam Angelum conferri non potest; sed in eum duntaxat, qui Deus est. Vt Christi humanitas hujus facultatis judicandi non secus capax sit, nisi quod in divinitate subsistat. Quemadmodum Proconsul esse nemo potuit, nisi idem ex patritio & senatorio ordine erat; & ut Major nemo nisi senatorii ordinis; sic nulli hæc potestas communicari potuit, nisi Dei Filio. Deindè, sicut prius dictum est, judicis officium sensibili modo, & oculis objecto, non potest nisi à Filio, quatenus homo est, exerceri; quandoquidem oculis corporeis, neque Pater, neque Spiritus Sanctus, qui spiritus sunt, videantur. Hic vide si cum *Cyrillo* totus hic locus, quo divinitatem suam Christus asserit, de Mediatoris persona intelligi debeat; an cum *Augustino* partim ad æternam generationem, patim ad Mediatoris personam referendus. Cum enim par honor Christo hic habetur, qui Patri, & cum in se vitam inclusam & insitam habere videtur; non videntur ista nisi in Filii personam, quoad ex Patris substantia genitus, competere. Sicut autem superiore sententia de fonte vitæ, in Christo consolationem percipimus; sic hoc judicium nos ad cautionem erudiat, ut qui peccatum in ullum non patitur, maxime in Ecclesiam, ubi præsidet, & cui gratiosa & salutari præsentia adest, passurus non sit. Vide *Exod.* 33, 1, 2, 3.

Vers. 28, 29. quæ inde dignoscitur quod summa commissa.

Videtur ratio esse à comparatione majoris, qua proxime antecedentem sententiam confirmat, quia dicit, *ne miremini istud*, non *ista*. Probat autem se idcirco Iudicem esse, & absolvendi & damnandi potestatem habere; quod summum & augustissimum, quod exstitit aut exstabit unquam, sibi commissum esset; nec igitur mirum videri, si quæ judicia minus augusta sunt, ei permittantur. Quanquam præstabilius erit ad omnia illa, quæ præcesserunt, referre, cum omnia hoc argumento confirmantur.

Vltimum vero judicium seu resurrectionem generalem arguit argumento consentaneo, { Absolute, & Quodammodo.

Absolute { Efficiens, & Finis.

Resurrectio peragetur voce Christi,

Efficiens resurrectionis, una omnium, cum piorum tum impiorum, proponitur *vox filii hominis*; quæ cum tantam vim habitura sit, ut mortuos ab initio mundi ad finem seculi infinitis spatiis, & locorum intervallis, mari, terra, oriente, occidente, aquilone, & austro, uno momento vitæ restituere possit: eum non purum hominem aut creaturam esse in procinctu est. Potentissimo in terris Monarchæ aliquot dies, aut etiam hebdomadæ cogendo ex 20000 exercitui non sufficiunt: quantæ igitur potentiæ, tantam hominum infinitatem ictu oculi coram se sistere? Si omnium hominum hinc illinc disjectorum vel vivorum aures personare posset Christi vox, esset quidem incomparabilis & infinitæ potentiæ certissimum argumentum: mortuorum vero aures personare multo magis. Etsi unum mortuum excitare voce sua Iudæis admirationem movit, quanto amplius quotquot ab orbe condito exstiterunt!

Etsi unum Adamum ex pulvere fingere Divinum erat, eundem cum infinita posteritate in pulverem redactum instaurare, an non divinum reputabitur? Hoc igitur modo pars aliqua judiciariæ potestatis comprobatur, quod potentia, & virtute instructus sit omnes tanquam impacta dica, aut missis appatitoribus coram tribunali suo sistere.

quæ eadem cum voce Archangelis

Nec vero cum hac voce Christi pugnat Apostoli sententia 1 *Thes.* 4, 16. & 1 *Cor.* 15. *vers.* 52. quæ hoc voce Archangeli, & quidem tuba sonante, confectum iri docet: quandoquidem vox Archangeli, qui Christi veluti apparitor, vox Christi est; sicut & verbum Præconum ministerio hominibus allatum, non desinit Christi verbum esse. Archangeli vox, aut tubæ quantumcunque sonoræ, vim non habet vitam mortuis conferendi; non magis quam Pastorum vox vitam hominibus instillare possit, nisi Chri-

stus efficacia Spiritus sui vitam conferat.

cujus recordatio utilis, Hæc commentatio, omnes sistendos ad tribunal Christi responsuros de his quæ in corpore gesserint, si sæpius in animo pertractaretur, singularem sollicitudinem & cautionem in agendo ingeneraret. Cogitatio enim hæc, ponendam esse rationem coram eo, præsertim qui omnia penitus nota & comprehensa habet, œconomicum magis sollicitum reddit, ne quid sive per negligentiam, sive per fraudem fiat. *Matth.* 25. *vers.*19. *Apoc.* 20,12. libri enim rationum, ab ipso, qui a rationibus est, confecti sunt.

Deinde si *quæratur*, quomodo peccatis mortui voce Euangelii ad vitam spiritualem excitentur?

Respondetur, eadem Christi virtute qua mortua corpora vitæ restituuntur.

cum præmium actionum sū reportaturi simus, Finis resurrectionis, ut quisque præmium eorum, quæ in corpore gessit, auferat. 2 *Cor.*5,10. Qui finis generalis, pro duplici piorum & impiorum ratione, in duos speciales fines diducitur. Alii enim ad resurrectionem vitæ, qui bene egerunt, reliqui in resurrectionem mortis excitabuntur. Corpus enim, quod boni aut mali minister & præbitor fuit, præmii in societatem asciscitur. Sicut enim principali reo, & primario damnato, qui tanquam ascititii adjungebantur, capite item plectuntur: sic &c. Hæc præstat ad *vers.*30. referri, ubi justitia Christi in judicando affertur.

idque ab incorrupto judice. Hoc etiam nos sollicitos faciat, quod coram incorrupto judice, qui nec gratia, nec munerum corruptela flecti potest, sistemur: ubi nullius pragmatici, aut advocati defensio nos possit à pœna eximere, sicut apud terrestres judices; eoque *Apoc.* 1, 13. *Cingulo aureo ad mammillas præcinctum* legimus, & *Esa.*11,5. *Iustitia baltheus lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus:* & in *Psal.*98,9. *Iudicio & æquitate indutum:* & *Heb.*1,8,9. *Sceptrum rectitudinis sceptrum regni tui, dilexisti justitiam, odio habuisti iniquitatem.* Nam si inventi sunt homines pii, qui Iudicis partes obierunt, qui in muneribus corrupti non sunt, ut 1 *Sam.* 12,3,4. cum tamen hi horum opus habebant; quanto minus in Christo, qui nullius horum eget, illud non cadit. Sicut autem judicis justitia maleficis formidinem incutiat, sic piis & justis singularem consolationem pariat, qui probe norunt se, utcumque apud homines de recte factis damnantur, apud Christi tribunal absolutos & justificatos fore.

Quod autem de illis, secundum opera, judicium feretur æternæ vitæ aut condemnationis, non ideo hoc fit, quia potissimum ab operibus præmium suspensum teneatur: ante enim vitæ adeptionem ad fidem Christus retulit *vers.*24. & condemnationis causam potissimum ad infidelitatem retulit. *cap.*3,18. Sed quia judicii sui æquitatem hominibus, & Angelis Christus comprobare vult, qui fidei in corde latentis cognitores non sunt, ideo sententiam potius de operibus, quæ innotescunt, ferre decrevit: unde fit, ut *Matth.*25,34. *ad* 46. non tantum secundum opera, sed & secundum opera illa, quæ sensibus obvia sunt, sententia ferenda describatur; tanquam judex aliorum à reo patratorum scelerum conscius, illis præteritis quæ sibi tantum cognita sunt, de his sententiam diceret, quæ circumsistentibus innotescunt. Neque tamen propterea sequitur, fidei aut cogitationum, nullam in judicio rationem habitum iri. *Quare ex operibus judicium feretur?*

Deinde cum omnes de operibus bonis, aut admissis aut omissis, in judicium vocabuntur: cum his autem quibus Euangelium prædicatum non est, de fide aut infidelitate agi non posse videatur, hanc, secundum opera, judicandi normam, tanquam magis generalem nobis Scriptura proponit. Nec vero sequitur bona opera vitam promereri, quia bene operantibus præmium promittitur; quia gratuitum est præmium, non operum merito minima ex parte debitum. Neque sequitur bona opera vitam promereri, quia mala mortem justissimam accersunt; cum opera mala pure mala sint, bona vero malo admista: eoque, nisi per gratiam, æternam mortem arcessentia; ut rectius imitatores, & studiosi bonorum operum, quam factores dicamur. *Tit.*2,14. *non tamen illa vitam promerentur:*

Notatur vero temporis adjunctum illud, quod jam tum, cum hoc dicebatur, adveniebat: sed nequaquam, ut in duabus superioribus sententiis, jam tum advenisse dicitur. Ex quo longius remotum tum temporis apparet. Quamobrem de postremo adventu suo Christus *Matth.*25,14. sermonem habens, se regi confert in longinquam regionem profecto; ut hoc modo temporis intervallum notet, & intercapedinem inter primum ipsius, & secundum adventum. Sed multa secula intercesserunt, quibus hoc tempus, veluti magnis itineribus confectis, adventavit, & tanquam in foribus est. Hoc nos tanto magis sollicitos reddat, quanto *hoc ipsum adhuc adveniet,*

nobis

nobis propior abest ille dies Domini. Sicut enim constituto ad judicium exercendum die, cum tempus appropinquat, quo comitia illa judicum celebriora habentur, omnes defensionem, & causæ suæ dictionem coram judice meditantur, omniaque causæ suæ præsidia & adminicula ut in promptu sint provident: sic & nos in Christi adventum.

cujus adventus prorogari nequit; Eoque magis quo hic dies semel à Deo fixus *Act.* 17, 31. mutari aut prorogari nequit; quod in judiciis terrenis, vel judicum morbo, vel peste, vel aliis de causis sæpius fit. Hujus autem diei exspectatio, discrimen inter pios & impios manifeste statuit: non equidem quod ad fidem attinet, cum & pii & impii maxima ex parte hunc diem venturum credunt, sed quod piis eum cupide expetentibus, impii ejus exspectationem exhorrescunt; non secus quam malefici justi judicis adventum extimescunt. *Actor.* 1. 2 *Tim.* 4.

Vers. 30. *& illud judicium justum esse,* Iudicium suum quodcunque, seu illud quod in præsentiarum fit, seu quod in extremo judicio fiet, justũ esse probat. Cum enim sibi homini judicium commissum esse dixit, excipi potuit, homines omnes mendaces, & fallere, & falli posse. Quamobrem dicit se non modo nullum judicium injustum ferre, sed nec posse quidem: ut prius docuit, se nihil facere posse, nisi quod Patrem videat facientem; hoc autem ostendit ab adjunctis duobus veri judicii: cognitione scilicet causæ, & erecto ad judicandum studio & voluntate. Vbi enim hæc duo sunt, ibi judicium rectum sit necesse est. Quamobrem *Esa.* 11, 2. spiritus scientiæ & timoris Dei, super eo requiescere & plenissime conferri docetur.

cum omniscius qui hoc feret, Causæ autem cujusque notitia abunde instructum esse, docet his verbis, cum dicit, *se prout audit, judicium ferre*; ubi per auditum metonymice causæ pro effecto, scientiam intelligit: sic ut prius *vers.* 16. ubi dicit *se nihil facere posse, nisi quod Patrem viderit facientem.* Hoc autem loco simili prorsus loquendi modo, dicit se nihil judicii ferre posse, nisi quod, a Patre videlicet, audiverit vel didicerit. Alludit autem ad forensia hominum judicia, in quibus qui incorrupti judices, secundum allegata & probata judicium ferunt. Hoc interest, quod sicut illi ab hominibus, sic Christus a Patre informatur in judicio ferendo. Nec vero cum hoc pugnat quod dicitur, *Esa.* 11, 3. cum nec ex oculorum intuitu, nec aurium auditu judicium laturum: intelligit enim Christum non ex apparenti rerum specie, aut incerto rumore sententiam laturum, sed re penitus & accurate cognita. Studium autem & voluntatem arrectam semper stare, minimeque depravatam, ex eo docet, quod ad Patris voluntatem, quæ justitiæ regula est, conformetur, argumento adjunctæ conformitatis ad Patris voluntatem. Hoc sæpe nobis meditandum venit, ne quando adversus Dei in nos castigationes, quæ totidem sunt Christi judicia, obmurmuremus aut oblatremus.

Sicut autem hoc loco Monothelitæ refelluntur, cum Christi humana voluntas, actibus eadem cum divina potentia, tamen diversa docetur: sic subdifficilis hinc *quæstio* nasci videtur, quod hæc verba humanam Christi voluntatem à Patris divina voluntate deflectere præ se ferunt, aut certe ad deflexionem propendere, si Christi humana voluntas, ut recta sit, ad Patris divinam voluntatem revocanda fit. *an hum. Christi voluntas à Patris deflectat;*

Huic quæstioni sic est *respondendum*, scil. voluntatem Christi humanam aliquid probe velle posse, quod divina voluntas non probat, modo semper cum hac exceptione fiat, ut Dei voluntatem suæ præponat; ut, velle crucem deflectere & declinare, non erat peccatum: deinde, cupere & velle populum Iudaicum & Hierosolymitanum salvari, &c. Quod si Christus voluntatem suam rectam & incorruptam noluit normam esse actionum suarum, quanto magis nobis cavendum est, ne ad tam flexuosam amussim, ac est depravata hominum voluntas, actiones nostras revocemus.

Hoc autem loco discamus, quanti interest nostram voluntatem ad Dei voluntatem conformare; cum Christi voluntas, quæ à peccato libera est, ad Patris voluntatem, tanquam ad regulam & amussim exigatur: simul etiam falli nos non posse, aut perperam facere, quamdiu Dei voluntatem præeuntem sequamur.

IOH. *cap.* 5. *à vers.* 31. *ad* 39.

31 *Si ego testor de meipso, testimonium meum non est firmum.*

32 *Alius est qui testatur de me, & scio firmum esse testimonium quod testatur de me.*

33 Vos misistis ad Iohannem, & is testimonium dedit veritati.

34 Ego autem ab homine testimonium non capto: sed hæc dico ut vos servemini.

35 Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad momentum exsultare ejus luce.

36 At ego testimonium habeo majus testimonio *Iohannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea consummem, ipsa* inquam *opera quæ ego facio, testantur de me quod Pater miserit me.*

37 Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

38 Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

ANALYSIS.

Objectio proponitur in persona Iudæorum Christi testimonium reprobantium quod argumento subjecti confirmat, quod Christus ipse sit, qui de se testimonium dicit.

*Vers.*32. Responsio est à comparatione majoris, non ego tantum testimonium dico, sed alius testimonium de me dicit; cujus testimonii autoritatem arguit, ab adjuncta scientia sua quod sit verum.

*Vers.*33. Hoc ipsum *Ioannis* de se testimonium, corroborat porro ab adjuncta Iudæorum de *Ioanne* existimatione, qui illum usque eo venerati sunt, ut illum dignum censerent ad quem honorem Messiæ sponte deferrent.

*Vers.*34. Prolepsis est, cujus occupatio tacita est ab adjuncta inanis gloriæ captatione, quam Christo impingere parati erant. Quasi dicerent Iudæi, videmus te plurimum de tua gloria laborare, quod *Ioannis* testimonium tantopere urges. Subjectio est ab adjuncta sufficientia gloriæ Christi in semetipso, quod confirmat à fine, cujus causa *Ioannis* testimonium proposuit, ut scilicet fide in se Iudæi servarentur.

*Vers.*35. *Ioannis* testimonium exornat ab adjuncta pietate & scientia ejus, quam illustrat pari lucernæ; quam declarat duobus effectis ardendi & lucendi, quorum priore zelum, altero doctrinæ perspicuitatem indicare videtur: denique adjuncta approbatione Iudæorum, qui ministerium ejus admirabantur, & ferebant ad sydera; ubi etiam illorum inconstantiam perstringit adjuncto temporis, quod (ut videtur) postquam *Herodem* illi infensum sensissent, ilico fastidium doctrinæ ejus illos cepit.

*Vers.*36. Probat porro suam cum divinitatem, tum vocationem ad Messiæ munus à comparatione majoris, operibus scilicet quæ fecit, quæ augustiora sunt testimonio *Ioannis*.

*Vers.*37. Idem confirmat altero argumento comparationis, majora quam sunt opera quæ fecit, nempe Patris testimonio, quod cœlitus edidit voce; quod testimonium exornat primum ab adjuncta insolentia, quia nunquam ejus vocem audierunt ante illud tempus; deinde ab adjuncta ejus infinita majestate, quam nemo intueri potest nisi in me, qui ejus sum expressa imago.

*Vers.*38. Videtur esse prolepsis, cujus occupatio est à diversis, ac si dicerent Iudæi, tametsi vocem talem nunquam ante audivimus, tamen ejus verbum & sermonem assidue nostras aures personantem habemus. Subjectio est à diversis, tametsi ejus sermonem exterius auditis, tamen intus in vobis habitantem non habetis: quod ab efficiente probat, quia in se à Patre misso non crederent.

METAPHRASIS.

Sed adversus hæc omnia, quæ dico, excipietis 31.
me meimet testem & præconem esse, eoque
ipso testimonium & præconium meum verum
& legitimum non esse. Vt dem vobis quod 32.
objicitis, quod tamen falsum est, quia non
sum cum aliis hominibus in ordinem cogen-
dus: tamen non idcirco testimonio destituor.
Est enim alius qui de me, natura & officio
meo, testimonium dixit, cujus testimonium ve-
rum & firmum esse mihi probe constat. Quid, 33.
quod ne vos quidem ipsi ejus testimonio fidem
derogare potestis, utpote qui ad illum sponte
legatos misistis, ut ab illo quis sit Messias re-
scisceretis, & fide dignum judicastis, qui de
re tanta sententiam diceret. Ipse vero con-
gruenter fidei & pietati suæ, de me testimo-
nium perhibuit. Quod non idcirco in medium 34.
affero, ut (quod vos putatis) mihi aliquid hoc
ejus testimonio accedat; sed ideo propono, ut in
me credentes in æternum servemini. Perfidia 35.
vero vestra tanto erit tetrior, quoad nihil in
Ioannne *extitit quod merito reprehendatis: ut*
qui lucerna seu stella fuit zelo ardens cum do-
ctrinæ perspicuitate, tum vitæ claritate lucens,
quem vos ipsi usque eo extulistis, ut illum pro
ipso Messia agnoscere voluistis, tantisper quoad
apud Herodem *& aulicos in pretio fuit. Cu-* 36.
jus autoritatem & fidem non ob eam causam
magni facio, quasi illius fide labefactata, non
subesset unde me & autoritatem meam tue-
rer. Est enim mihi longe augustius testimo-
nium Ioanne. *Nam opera quæ dedit mihi Pa-*
ter ut illa perficerem, de me testantur, me

37. *Messiam unicum esse à Patre missum. Hæc*
autem Ioannis *& operum meorum testimonia,*
tametsi omni exceptione majora sint; tamen
ad electorum fidem firmandam & incredulo-
rum perfidiam & contumaciam plenius re-
vincendam, Pater in solemni illa mea per ba-
ptismum inauguratione, cœlitus clarissimus
verbis meam cum naturam tum officium as-
seruit. Quod Patris testimonium tanto arctius
& gravius vos reos perfidiæ arguit, quo ad inso-
lens tam est, & nullo ante seculo auditum, & à
tanta majestate profectum, quæ nullo nec ocu-
lorum sensu conspici, nec mentis acie compre-
hendi potest: cujus tamen in me (quem vos
38. *spernitis) expressam effigiem cernitis. Quod si*
forte regeritis vos, ut vocem ejus cœlitus non
prius audiveritis; tamen ejus verbum (cujus
non minor est authoritas) quotidie auribus &
oculis usurpare: non equidem repugno quin
verbum aures assidue personat; sed nullo ve-
stro fructu, quandoquidem fide minime permi-
xtum vobis insitum & insculptum non est,
nec potest esse, cum in me quem Pater misit
non creditis.

PRAXIS.

Vers. 31. Quomodo Christus proprium testimonium repudiet?

NVnc ad alteram orationis suæ partem accedit, qua anticipat quæ à Iudæis objici possent, & ab illis alio loco objiciuntur. Quæ sententia cum videatur non cohærere, cum ea quæ est *Ioh.* 8, 18. & cum Christi actionibus maxime *Ioh.* 4, 26. id naturarum in Christo distinctione dissolvitur. Quanquam videtur sanius esse, ut hæc dicta sint secundum Iudæorum sensum, & de Christo judicium: quod Christus illis per concessionem largiens, docet tamen abunde sibi suppetere, quo se Messiam esse asserat.

& illud nobis repudiandum?

Hinc autem discimus, sicut etiam ex Proverbiis Salomonis; *Os tuum te non laudet, sed alterius. Proverb.* 27, 2. quod nosmetipsos jactare non debemus, sed ut dona, quæ in nos Deus contulit, fructuosiora fratribus, & gloriosa magis Deo sint, expectare nos debere, donec aliorum potius testimonio, quam nostra prædicatione innotescant: ut enim vera sint quæ loquimur, tamen à nobis prædicata magnam gratiam amittunt. Non igitur tantum, ut jactantiam vitemus, sed etiam ut dona, quæ nobis Deus contulit, uberiorem fructum ferant, à nostra ipsorum laude temperandum, nisi cum Dei gloria nostri contemptu obscuratur. Quo casu, exemplo Pauli, ipsi dona Dei in nos collata profiteamur.

Vers. 32, 33. testimonio Ioannis probat se Messiam,

Argumento testimonii Iohannis probat se Messiam esse: in quo videmus quam provide à Deo consultum est hominum saluti, qui cum præsentiret obstaculum fidei fore proprium Christi testimonium, nisi idem aliis confirmaretur, Iohannem anteambulonem constituit. Hujus testimonium amplificat ab adjuncta Iudæorum ad Iohannem legatione, quod sponte ad Iohannem mittentes, non ab eo invitati, nec Iohanne ad eos accedēte, ipsius Iohannis de Christo testimonium acceperant. Perinde enim est ac si quis in judicio urgeret, testem ab adversario delectum & comprobatum, pro se contra adversarium dicere. Iudæi enim hac legatione, Iohannē veluti veritatis testem designaverant.

quod ab ejus hostibus aptum judicatum;

Nostram igitur fidem confirmare debet; quod Christo testimonium dicens, ab ipsis Christi juratissimis hostibus, testis idoneus judicatus est; usque eo, ut vel pro ipso Messia eum agnituri fuissent, siquidem Iohannes hunc honorem sibi arrogare voluisset. Veritas autem, cui testimonium dedit Iohannes, hæc erat, se non esse, & Christum esse Messiam, verum & Deum & hominem, qui ante ipsum erat, tametsi post in lumen prodiret. Magnum autem pondus & momentum Iohannis testimonio accessit, quod idem Christi testimonio corroboratum sit. Neque enim, ut homines, simulata quadam humilitate, Christus redditum sibi à Iohanne testimonium elevavit, sed redditum sibi testimonium agnoscit plenissime.

Vers. 34. quatenus illud Christus admittat?

Occurrit alteri objectioni, qua Iudæi Christo fidem derogare conantur, ab adjuncta arripiendi Iohannis testimonium aviditate: perinde ac si dicerent; & tu quidem avide captas, & cupide sectaris aliorum de te testimonium: quod inanis gloriæ indicium est, quod in eum, quem tu profiteris, non cadit. Respondet Christus argumento disparatorum, se eorum salutis causa facere, quicquid in hac re faceret, non igitur sua causa. Se enim non accipere nec admittere hominum testimonium quoad se, ut qui nihil inde lucri accipit, & cui nihil idcirco accedit; quid enim servi testimonium heri dignitati conferre potest: sed ideo testimonium Iohannis urgere, ut hoc modo, fide in eum defixa, serventur. Vide *Ioh.* 1, 7. Hic igitur reputandum est, quo Dei in Scripturis laus & prædicatio refertur; non equidem ut illi gratificemur, sed ut nobis bene sit. Hinc toties apud Mosem, *ut tibi bene sit. Proverb. Si benefeceris tibi feceris, si male,*

malum ipse feres. Nam ut bonum tuum ad Deum non pertinet, ita nec malum. *Iob.*22, 3. & 35,7. *An ut Deus homini, sic homo Deo prodesse potest?* Hoc in Cœna Domini consideretur. Si quid dicitur, quod ad nostram utilitatem spectet, arrectis auribus illud arripimus; aut si quid quod ad honorem,&c. si quod ad vitam &c. Quanto igitur magis his auscultandum, in quibus de his omnibus pariter conjunctis agitur,& his quidem nunquam perituris?

Vers. 35. *cujus evidentiæ tamen non credunt:* Testimonium Iohannis adhuc amplificat duobus adjunctis, altero Iohannis, altero Iudæorum. Iohannis quidem,quod cum doctrinæ, tum pietatis fulgore eximio & singulari illuxerat, ut nihil in eo esset, quod fidem testimonii ejus elevare potuit, aut quod non potius authoritatem conciliaret; eumque tanquam luciferum splenduisse, ut Christum tanquam solem ilico subsequuturum colligere non fuerit difficile: Iudæorum vero quod in Iohannis ministerio & testimonio aliquandiu oblectati sunt, tantisper dum Christo tam plenum & cumulatum testimonium reddidit. Inde est quod *Matth.* 11,7,8,9. Christus σαρκαστικῶς Iudæos, cur se in desertum reciperent, sciscitetur.

hinc homines à veritate alieni. Hinc apparet hominum à veritate aversus & alienus animus; qui tametsi nihil habent, quod in ministris reprehendant, imo vero habent quod admirentur, & sitienter expetant; tamen veritati, quam testificantur, in his præsertim, in quibus salutis caput continetur, non credunt. Cujus quidem non alia causa quærenda est, quam quod eorum cupiditatibus non satisfit. Cavendum igitur,ne quos aliquando recte probavimus, & libenter audivimus, eosdem post nullius justæ causæ interpositu & interjectu, improbemus & ægre audiamus; tum scilicet, cum pro voto nostro non dicunt, aut cum cupiditatibus nostris obsistunt. Hoc enim detestabilior erat Iudæorum impietas, quod Iohannem libenter alioqui amplexantes, hoc ipso repudiarunt, quod, contra quam ipsi vellent, Christo testimonium tulit. Ideo etiam Pharaonis impietas magis execranda exstitit, quod propriis Prophetis Ianni & Iambri in eo fidem non habebat, in quo digitum Dei agnoscere coactus fuit.

Vers. 36. *Christus ex operibus Messias comprobatus,* Aliud argumentum ab effectis & operibus Messiæ, idque testimonio Iohannis fortius, utpote quod non hominum ministerio præbetur, nec extrinsecus petitur, sed ex re ipsa; ea enim fecit Christus, quæ propria Messiæ erant, cum multitudine & varietate, tum etiam modo agendi. Tametsi enim Prophetæ Elias & Elizæus miracula quædam ediderant; tamen rara erant, nec tanta varietate, & non nisi precibus hæc impetrarunt, cum Christus sua vi & virtute, & imperando hæc fecerit. *Ioh.*10,25,*ad* 37. & 15, 24. & *Matth.* 11, 4,5. Hoc argumento efficacissime fidem nostram in Christo confirmemus. Hinc etiam discimus clarissimum & evidentissimum pietatis nostræ, & donorum nostrorum testimonium ab operibus nostris duci. Nostrummet prædicatio importuna est, ab aliis laudari etiam non profuerit, nisi operibus aliorum de nobis testimonia factis comprobemus. Nec enim aliorum de nobis testimonium certiorem nobis electionem reddit, nisi propriis factis nos ipsi, quæ ab illis dicuntur, comprobemus. *Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, &c. Iac.* 2, 18.

Aliud argumentum à testimonio Dei Patris, qui Christo baptizato vocem de cœlis propriam edidit,qua Christum suum Filium esse declaravit. *Ioh.* 1, 5, 7. 2 *Pet.* 1, 17, 18. Pater igitur, ut omnem nobis de hac re scrupulum eximeret, & ut hujus rei fidem quam firmissimam, & ab omni fluctuatione liberam redderet, ipse testis è cœlo prodire voluit. Si igitur hominis testimonium accipimus, Dei testimonium majus est, *Ioh.*1, 5,8. Cœlum igitur & terram Deus ad testificandum de Filio testes exstare voluit, in cœlo Angelos & Patrem ipsum, in terra homines, cumprimis vero Iohannem. Homines enim si mendaces sint, quemadmodum certe, si naturam eorum spectes, sunt, officii ratione ab hac vanitate exempti: attamen in Dei naturam hoc non cadit. — Vers. 37. *etiam ex testimonio Patris;*

Hoc testimonium ornat adjuncto temporis exacti, quod nunquam Dei vocem ante illud tempus audierant. In lege enim ferenda non ipse per se, sed per Angelos, loquutus est. Docet igitur munificentius & benignius cum illis actum, quam cum omnibus, qui unquam ante vixerant, patribus. Addit etiam nunquam ejus formam prius visam; Deus enim in se ipso invisibilis, in Filio suo, tanquam in expressa ipsius imagine & charactere, conspicitur. *Heb. c.* 1, *v.*3. 1 *Tim.*3, *v.*16. *Deus manifestatus in carne.* Tametsi videri potest potius ad visibilem columbæ formam hæc referre, in qua per suum spiritum apparuit. Vide *Exod.* 6, 2. Tantum igitur hac circumstantia Iudæorum perfidiæ — *quem nemo nisi in Filio vidit,*

perfidia exaggeratur, & impietas enormis & immanis declaratur; quod illa liberalitate perfusi, qua nunquam ante patres, non tamen in Christo acquiescebant. Discamus ista Dei largitione, quæ in nos tam confertim collata est, legitime uti, ne tam insolentis largitionis inusitatam Dei severitatem experiamur. Nam & nobis eadem beneficia, quæ Iudæis illis, & majora etiam data sunt.

Vers. 38. *& illius verbum ipsi repudiavit,* A speciali Dei Patris & extraordinario testimonio, transit ad perpetuum & ordinarium ejus testimonium, in verbo testificatum; quod ab illis repudiari, ab adjuncta fidei in se vocatione, arguit. Tametsi vos Verbi & legis ejus vos studiosos præ vobis fertis, tamen ejus sermonem in vobis manentem non habetis. Neque enim ego certius testimonium peto, quam ab ipsius sermone seu Scripturis. Verbi autem repudiationem notat ex eo, quod *in eis non maneat*; quasi dicat, audiri, & legi, & per eorum ora volitare Dei verbum: sed tamen in illis non hærere, sed perinde ab illis accipi, ac si quis cribro aquam infunderet, aut perforato sacculo thesaurum conclusum tenere vellet. Eorum enim corda instar viæ regiæ & publicæ esse, sive pavimento stratæ; aut tanquam terra perniciosa, quæ injectum semen excutit & repellit. Cum contra sermo manens in nobis dicitur, qui nobiscum, veluti surculus seu talea, coalescit; eoque insitus sermo dicitur, quo modo radicatus dicitur, inscriptus, & insculptus, quod tum sit, cum fide miscetur. *Heb.* 4, 2.

Sensus igitur hujus loci est, Iudæos idcirco non credere sermoni Dei, quia Christo non credunt. Sicut enim Patrem non habet, qui Filium respuit, ita neque Patris sermonem agnoscit, qui Filium ejus non amplectitur fide. Quo fit ut *Iudæi* & *Turcæ*, tametsi Vetus Testamentum se recipere profitentur; tamen quia Filium Dei non admittunt, aut certe eo loco, quo par est, eum non habent, Dei veri contemptores coarguantur. Hinc etiam efficitur, *Pontificios* tam abjecte de Verbo Dei sentientes, ut illud hominum placitis concedat aut convellatur, figatur aut refigatur, Christum ipsum parvi ducere. *cum qui Christo non credit nec Patri credit.*

I O H. *cap.* 5. *à vers.* 39, *usque ad finem Capit.*

39 Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testantur de me.

40 Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

41 Gloriam ab hominibus non capto.

42 Sed vos novi charitatem Dei non habere in vobis.

43 Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis.

44 Quomodo vos potestis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam illam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæratis?

45 Ne putate me accusaturum vos apud Patrem: est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.

46 Si enim crederetis Mosi, crederetis mihi: nam ille de me scripsit.

47 Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credatis?

A N A L Y S I S.

Aliud argumentum à testimonio Scripturarum; quod testimonium amplificat ab adjuncta salute æterna, quam Scripturæ legitimus usus affert: idque confirmat porro à testimonio proprio Iudæorum, qui hunc honorem Scripturis habent, ut salutem in illis collocent.

*Vers.*40. Hinc concludit effectum rejectionis & repudiationis, suimet esse vita excidere.

*Vers.*41. Prolepsis, cujus occupatio est ab adjuncta inani gloria, quam Christo impingere parati erant, ex eo quod de se tam magnifica prædicabat; subjectio est, se non captare inanem gloriam: quod confirmat à subjecto, quod gloriam apud homines non aucupetur.

*Vers.*42. Illud confirmat à fine dictionis & disputationis suæ, alia prorsus ab ea quam illi somniant, nempe ut innotescat illos Dei Patris vera charitate non imbui.

*Vers.*43. Hoc confirmat ab adjuncta repudiatione sui quem Pater misit; amplificat vero ab adversa amplexatione eorum, qui nulla legitima vocatione instructi sunt.

*Vers.*44. Probat à disparato illos non credere posse, quia ab hominibus gloriam quærunt; quod

 suo

suo adverso illustrat, quia gloriam, quæ vera est & à Deo profecta, non quærunt.

Vers 45. Prolepsis, cujus occupatio est ab adjuncta accusandi & criminandi Iudæos facilitate, quam Christo affingunt: subjectio est à comparatione majoris, non tam ipsum esse qui accusaturus sit, quam *Mosis* doctrina. Cujus accusationem exaggerat ab adjuncta existimatione quam Iudæi ei deferebant: hoc modo docens eos proprio illorum gladio jugulandos.

Vers.46. Hoc confirmat ab efficiente instrumentali, quia qui credit *Mosis* doctrinæ, credit Christo; quod confirmat à testimonio Scripturæ, quam *Moses* divinitus inspiratus in scripto consignavit.

Vers.47. Amplificat eorum perfidiam, qui dicto ejus non crederent, à comparatione majoris, quia scriptis *Mosis* non credebant.

METAPHRASIS.

39. *Quod Scripturas vos perscrutamini, huc spectantes ut inde vitam æternam hauriatis, id merito facitis, quandoquidem hæ sunt quæ de mea cum natura, tum officio te-*
40. *stimonium reddunt. Ea tamen vestra perversitas est, ut ad me, ad quem tanquam vitæ fontem Scriptura digitum intendit, nolitis*
41. *(credendo) venire. Quæ non idcirco (ut vos cogitatis) dicta sunt, ac si inanem hominum*
42. *gloriam persequerer: sed potius eo spectat oratio, ut vos charitatis divinæ expertes, non minus apud alios & propria in conscientia convictos teneam, quam ipse eam penitus perspectam habeo: quandoquidem me quem Pa-*
43. *ter misit, charitate non complectemini. Quanquam vero per se grave est, me Patris legatum non admittere; arctiore tamen reatu constringimini, quod me repudiato alios se ingerentes, nec ulla legitima vocatione munitos,*
44. *complectemini. Neque novum videri debet, si infidi & increduli manetis; cum doctores populi auram captatis, discipuli, ne ignominiæ & contemptui à doctoribus exponamini, metuitis, neglecta prorsus gloria vera & solida, cu-*
45. *jus Deus solus fons & author est. Atque ut ego tacerem, neque vos apud Patrem cœlestem accusarem; non deerunt tamen qui vos in judicium vocabunt.* Moses *ipse (utut mortuus) suis illis qui Ecclesiæ posteritati scriptis prodidit, in quibus vos spem omnem ponitis, vos*
46. *apud Deum perfidiæ reos peraget. Nam si (quod præ vobis fertis)* Mosis *doctrinæ fidem adjunxissetis; mihi itidem fidem habuissetis: quandoquidem ipse, cum de persona & naturis meis, tum de meo Mediatoris officio, scripto*
47. *testatus est. Quod si illius scriptis fidem derogetis, quæ apud homines nudis dictis firmiorem fidem faciunt: mirum non est, si mea dicta nondum literarum monumentis insculpta, parvi facitis.*

PRAXIS.

Probat quod dixerat ab adjuncto Verbi Dei de Christo testimonio, quem cum rejiciant, inanem esse jactantiam, quicquid de Dei Verbo gloriantur. Christo enim Lex & Prophetæ testimonium reddunt: vide *Act.* 3, 22, *ad* 24. Vt literas & syllabas Verbi divini tantum teneat, potius quam ipsam Scripturam, qui eam amoto Christo amplectitur. Vtque putamen seu testa sine nucleo, aut Apocopæorum Baithi sine pretiosis unguentis & pharmacis; sic est Dei verbum si à Christo disjunctum & secretum sit. Doctrina enim mandatorum, nisi nos ad Christum ducat, aut etiam impellat atque incitet, nobis exitiosa est: promissorum autem doctrina cassa & irrita est, nisi Christo fulciatur. Vers. 39. *Verbum Dei absque Christo inane,*

Notandum hoc loco Verbum Dei, Scripturis seu scripto verbo definiri; quod enim prius Dei verbum seu sermonem, nunc *Scripturas* appellat; adversus *Pontificios*, qui Verbum Dei ad non scriptas traditiones, & Pontificum etiam decreta transferunt. Cum enim Dei Verbo singula regi oportere fassi sunt, videantque Sacris Scripturis ea comprobari nequire quæ proponunt; Dei verbum divexant, & tanquam tinctorum uncinis distendunt & diducunt, & perinde ac si avari emptores cum obsignata mensura suæ avaritiæ satisfacere nequeant, eam ampliarent, & ei additamentum aliquod assuerent. Sed Verbum Dei Scripturis cingi & terminari apparet, *Rom.* 1, 2. deinde 2 *Tim th.* 3, *v.*17. *Cum enim hominem Dei perficiat, &c.* Denique ex hoc loco, cum vitam æternam conferat, eamque in se inclusam habeat Scriptura, quid est quod ad eam accedere aut adjungi potest? Hanc enim Iudæorum, de vita æterna Scripturis comprehensa, opinionem Christus ipse comprobat. *quod Scripturis continetur,*

Deinde, quod Iudæos Scripturas scrutari jussit, non tantum Pharisæos & Sacerdotes documento est, illas plebi expositas esse, non ut *Papistis* placet obseratas & obsignatas. Vide alio loco, quæ jam notata sunt, *Prov.*2,4. Ad hæc, *scrutandi* verbo diligentiam insignem adhibere docet; quæ in *Proverb.* comparatur auri & argenti in fodinis perscrutationi. Vnde apparet non teneri nos præjudicio Ecclesiæ, aut doctorum virorum oportere. Nullus enim esset usus sensus Scripturæ eruendi, si Ecclesiæ judicio perpetuo standum esset. Quam servilem Ec- *quæ diligenter à quibusvis scrutandæ:*

clesiæ

clesiæ judicio servitutem ut arctius astringant, *Pontificii* dicunt Scripturam ipsam testimonium esse, non autem testem, eoque non nisi per Ecclesiam testem proferri posse; quod hoc loco refellitur, ubi Scripturam ipsam testimonium veritatis dicere confirmatur. Hoc etiam adversus illos facit, qui Vetus Testamentum rejiciunt, perinde enim Christum ipsum atque Scripturas illas rejiciant.

Vers. 40. *hinc pertinacia Iudæorum quod Christum renuunt;*

Hinc eorum pertinaciam colligit, *quod ad illum venire nolint, ut vitam ab eo accipiant:* quasi dicat, Scriptura de me testimonium dicit, in me vitam omnem conclusam teneri, vosque veluti manu ad me ducit, & ad me tanquam vitæ fontem digitum intendit, vos tamen vos ipsos subducitis & subtrahitis. Quod autem prius dixerat Iudæos Christo non credere, nunc dicit ad eum venire nolle: unde fide ad Christum accedimus & appropinquamus, ut ab illo vitam exsugamus; sicut contra infidelitate nosmet subducimus *Heb.*10, 39. Eorum vero perfidiam aggravat, ab adjuncta vitam consequendi facilitate. Tantum enim ab illis exigitur, ut credant, aut ut ad Christum accedant; maxime cum ipse cœlo egressus huc descenderit, se illis sistat, & veluti in os offerat, & ad se facilem & expeditum aditum patefaciat: ut cum in cœlum nulla ad eum perveniendi & pertingendi spes esset, ipse huc ad nos venerit.

Vers. 41, 42. *nec tamen inde gloriæ inanis cupidus,*

Anticipat quod Iudæi argumento efficientis adversus ipsum concludere parati erant, scilicet, ipsum inanis gloriæ cupidum esse, quod omnes ad ipsum venire, ipsum quærere, & ejus gratiam aucupari, denique ipsi credere expetebat. Quibus respondet Christus, se gloriam ab hominibus non captare, nec suo honori velificari: sed hæc potius dicere, quod gloriæ Dei studeant, cujus illi hoc ipso inimici deprehenduntur, quod divinæ charitatis expertes essent; & quidem ob eam causam expertes, quod ipsi sibi à Patre misso, & certissimis notis obsignato non crederent. Nam si meum Patrem deligeretis, me utique deligeretis. *Ioh.*8, 42. Docet igitur aliam esse causam hujus suæ accusationis efficientem, quam inanem cujus ab illis insimulabatur gloriam: nempe, quod Dei dilectionis inanes essent. Vt enim dies non eget claritate lucernæ; sic, &c. ut similem sensum haberet cum *versu* 34.

à qua hominibus

Hinc discimus quam nulli mortalium gloria conveniat, cum ne Christo quidem, quoad humanitatem, competat: si enim Christus, cui nulla ne minima peccati labes adhæsit, & qui omnibus virtutibus abunde instructus fuit, gloriam recte factorum veluti præmium captare non debet, sed nec sponte ab aliis delatam agnoscere & admittere; quanto id minus in homines peccato infectos, & peccati vestigia in singulis actionibus imprimentes conveniat? si Christus, qui totus, quantus quantus, pulcher & formosus fuit, de hac sua pulchritudine (utpote accepta) gloriari nequivit, sed ejus rei gloriam ad Deum datorem retulit: nobisne, quibus multæ deformitates adhærent, & qui pellis Æthiopiæ characteres semper gestamus, & in splendidissimis nostris, tanquam pavonis pennis, ejusdem fœdos & turpes tibias circumgestamus, gloriam sectari fas esse putabimus? Idem etiam in Angelorum natura spectatur, *Esa.* 6, 2. *Apoc.* 5, 11, 12. ac gloria ab illis Deo datur. *abstinendum,*

Sicut parta victoria, alia est præda Imperatoris in bello, alia militis, & lectissimis quibusque rebus ad Imperatoris manubias sepositis, reliqua militibus distribuuntur; sic rei præclare gestæ gloria, tanquam Dei manubiæ, illi soli debetur, nobis salus &c. relinquitur. Est enim gloria, tanquam adeps & pinguedo sacrificii, quæ à nemine comedi debet, sed uni Dei offerri & adoleri; tametsi ut umbra eos sequitur, qui illam fugiunt, ab his vero fugit, qui illam sequuntur. Quod autem se inde scire doceat, charitatem Dei illos minime in se habere, quod ad seipsum non veniant, nec ipsi fidant, eo declarat fidem in Christum, charitatis in nobis divinæ fontem & parentem esse. Vt certissimum sit, omnes qui in Christum non credunt, *Turcas, Iudæos*, & *Pontificios*, nulla Dei charitate vel levissima tingi aut imbui, quin potius odio in Deum flagrare; neque enim quis Patrem amat, nisi in Filio. *cum soli Deo ea competat.*

Vers. 43. *Nulla in illis Dei charitas quod Christum ab eo missum repudient;*

Argumento minoris confirmat eos charitate Dei præditos non esse, quod non solum Christum à Patre missum repudiant, sed alium se ingerentem, & sine vocatione insefrentem, admissuri sint. Vide *Act.* 5, 36, 37. Cujus quidem rei causa est, non solum humani ingenii perversitas, quæ ut à veritate aversa, sic ad falsitatem sequendam proclivis & propensa est: sed & justum Dei judicium, quo veritati fidem derogantes in sensum reprobum conjiciuntur, ut mendaciis avide credant, vel pinguissimis atque crassissimis, 2 *Thess.* 2, 10, 11.

Caveamus

quare legitimi Ministri non repudiandi.

Caveamus ne legitimos Ministros repudiemus, ne &c. quod videmus in Achabo, qui cum Michæam sæpius adversa prædicantem audire nollet, per Pseudo-prophetas in interitum præceps actus est, 1 *Reg.* 22, 8, 34, 35. in exemplo Pharaonis, qui cum nollet Mosi credere, efficacissime à suis Magis delusus. *Exod.* 7, 11. Eos qui in summa rerum ignoratione versantur, & à Pseudo-prophetis decipiuntur, sæpe Deus missis legitimis Ministris, laqueis explicat, ut Samaritanos à Simone deceptos: Philippi *Act.* 8, 5, *ad* 11. Paulum proconsulem ab Elima seductum Pauli ministerio *Act.* 13, 8. Sed qui cupiditatibus suis obsequentes veros Dei servos nauseant & fastidiunt, eos Deus vicissim abjicit. Cum enim lumen respuant, digni sunt qui in tenebras mittantur: & qui salutarem medicinam, quod subamara sit, à Medico fideli porrectam respuunt, digni sunt, qui in empiricos incidant, qui cum dulciculæ potionis scutella venenum illis propinent. Quemadmodum vero illis extimescendum est, qui fastidio tametsi occulto & latenti, eisque solis noto legitimi ministerii corripiuntur: sic his lætitiæ & gratiarum actionis argumentum suppetit, quibus Deus hunc animum indidit, ut se redargui non gravate patiantur, aut vero etiam expetant.

Vers. 44. *ipsi ex inanis gloriæ cupiditate Christum rejecere,*

Nunc causam assignat, cur ipsum rejiciant; inanem gloriam, quam captant: sic enim *accipiendi* verbum ante sumptum est *vers.* 34. eosque ejusdem criminis, cujus illum falso criminantur, verissime accusat. Argumentum autem ducit à disparibus: fides enim in Christo, & inanis gloriæ sectatio non possunt consistere: Dei enim gratiosus intuitus in humiles tantum defixus est, superbis resistit, & *Mat.* 11, 29. eos quos ad se invitat, monet ab illo discant, quod mitis esset, & humilis animo. Deinde qui Christum sequi jubentur, simul mandata accipiunt, ut crucem Christi tollant, cujus pars una erat ignominia, cujus inanis gloriæ cupidi impatientissimi sunt. Hinc est quod Iudæi, & cum primis Scribæ & Pharisæi, ideo Christo credere renuebant, quod alienum à sua dignitate judicarent, Christo pauperi, ex obscuris & tenuibus parentibus orto, nullo magnatum aut principum comitatu stipato, denique nullo mundi splendore exornato se submittere. Deinde cum intelligerent Christo, illorum ambitionem, principatum, pompam, titulos fumosos displicere, & ab illo damnari. Denique, cum viderent se non modo nullam honoris accessionem, ex fide in Christum accepturos, sed contra illi adhærentes suis honoribus abjudicandos, *Ioh.* 9, 22, & 12, 42. fidem Christo detrectabant: plebs etiam metuens, ne Christo credens, à suis principibus & doctoribus contemptui haberentur, fidem Christo derogarunt.

ideo illis qui eo conjunguntur illa abjicienda,

Hinc igitur liquet, non posse nos Christo conjungi, nisi famæ & existimationis apud homines jacturam facere, quoties res ita postulat, parati simus. Exemplum in Abraham habemus; si enim honori aut existimationi suæ apud homines consuluisset, nunquam mandato Dei patriam dulcem & feracem reliquisset, incerta alterius possessionis spe; nunquam sibi in animum induxisset, ex Sara filium suscipere; nunquam se ad Isacum immolandum comparasset: Apostoli item, nunquam suis relictis, Christum sequuti fuissent. Sic hodie quibusdam stultitia videtur & curiositas, omnia dicta & facta accurate ad regulam divinæ voluntatis revocare; non omnino nisi gravissimis rebus jurare, non amplius quam par est bibere, moderato lucro merces distrahere, ac non potius quanto possis vendere. Respondeo ad objectionem ex *Ioh.* 12, 42, 43. credebant, sed non confitebantur Christum, quia gloriam hominum magis, &c.

cum veræ gloriæ fiat jactura,

Sicut autem fidei hoc pacto, sic & veræ gloriæ, quæ à Deo solo manat, jacturam faciunt, qui inanis gloriæ cupidi sunt. Non enim vetitum est omnino gloriam quærere, sed inanem & quæ ab hominibus proficiscitur; quæ ut umbra transit, quæ ut avis avolat, quæ vanitate levior est, imo quæ notam infamiæ post se relinquit, & qua compendiosissime ad ignominiam itur. Nam gloriam quæ à Deo manat quærendam esse nobis, docetur, *Rom.* 2, 7, 10. & *Ioh.* 12, 43. & Deus se honorantes, honore afficere pollicetur. Quæ vero insania est, gloria quæ à Deo est prætеrita spretaque, hominum gloriam aucupari? perinde ac si mendicus aliquis ab alio mendico stipem petere malit, quam à divite; perinde ac si servi potius, quam Regis vocem & testimonium quæreret; & hoc plane est coronam auream pro deaurata, sceptrum ligneum pro argenteo commutare.

Vers. 45, 46. *Lex etiam Christi repudiatores accusabit;*

Neque vero putetis me vos sine causa accusare, & nullo præsidio legis niti: lex enim ipsa, cui vos confiditis, & Moses vos accusabit; nec accusabit tantum, sed judicium etiam de vobis feret: ut alio loco Christus docet. Hinc constat sæpe eos quos homines colunt

colunt & magnifaciunt, adversus illos testimonium dicturos, eosque acerbe accusaturos: sic virgo Maria, Petrus, Angelique olim *Pontificios,* qui his honorem deferunt, accusabunt.

Vers. 47. quæ quo- · Non quod Christi sermo inferior antiquitate Mosis scriptis erat, sed quod certiora sint scripta dictis ad fidei certitudinem. Cum vero scriptum hoc loco, tanquam fide dignius, proponitur, discimus quantam injuriam nobis *Pontificii* faciunt, qui Verbi Dei bonam magnamque partem in τοῖς ἀγράφοις collocant. Vide *ult. Iohan.* & *2 Petr. c. 1, vers. 1.* modo scripta fide digniora?

MARC. *cap. 4. à vers. 1, ad 13.*

ET rursus cœpit docere apud mare: & coacta est ad eum turba multa, adeo ut ipse navigium ingressus sederet in mari. tota autem turba apud mare in terra erat.

2 Et docebat eos per parabolas multa, dicebatque eis in doctrina sua:

3 Audite, Ecce, quidam *sator exiit satum:*

4 Et factum est inter serendum, aliud quidem cecidit secundum viam: veneruntque volucres cœli & devoraverunt illud.

5 Aliud vero cecidit in petrosa, ubi non habebat terram multam: & statim exortum est, propterea quod non habebat profundam terram:

6 Sole autem exorto, ardore tactum est, & propterea quod non habebat radicem, exaruit.

7 Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, ac suffocarunt illud, & fructum non edidit.

8 Et aliud cecidit in terram bonam, edididitque fructum assurgentem ac crescentem: & tulit aliud tricena, & aliud sexagena, & aliud centena.

9 Tunc dixit eis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

10 Quum autem esset solus, interrogarunt eum qui circum eum erant cum duodecim, de parabola.

11 Et dixit eis, vobis datum est nosse mysterium regni Dei; iis autem qui foris sunt, per parabolas omnia ista *fiunt:*

12 Vt videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando se convertant, & remittantur eis peccata.

MATTH. *cap. 13. à vers. 1, ad 15.*

ILlo vero die egressus IESVS domo, sedit apud mare.

2 Et coacta est ad eum turba multa, adeo ut navigium ingressus sederet: tota autem turba in littore adstabat.

3 Et loquutus est eis multa per parabolas, dicens, Ecce, quidam *sator exiit ad serendum.*

4 Et quum is seminaret, alia quidem ceciderunt secundum viam: & venerunt volucres, & devoraverunt ea.

5 Alia vero ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & statim exorta sunt, propterea quod non habebant profundam terram:

6 Sole autem exorto, ardore tacta sunt, & propterea quod non habebant radicem, exaruerunt.

7 Alia vero ceciderunt in spinas; & ascenderunt spinæ, & suffocarunt ea.

8 Alia vero ceciderunt in terram bonam, & ediderunt fructum, aliud quidem centena, aliud vero sexagena, aliud vero tricena.

9 Qui habet aures ad audiendum, audiat.

10 Tunc accedentes discipuli, dixerunt ei, Quare per parabolas loqueris eis?

11 Ipse vero respondens, dixit eis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.

12 Quisquis enim habet, dabitur ei, & amplius habebit: quisquis autem non habet, etiam quod habet tolletur ab eo.

13 Propterea per parabolas loquor eis; quia videntes non vident, & audientes non audiunt nec intelligunt.

14 Itaque completur in ipsis prophetia Esaiæ, quæ dicit, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis.

LUC. *cap.* 8. *à vers.* 4, *ad* 11.

4 Quum autem multa turba conveniret, & qui in singulis urbibus erant proficisterentur ad eum, dixit per parabolam,

5 Quidam sator exiit ut sereret semen suum: & inter serendum aliud cecidit secundum viam, & conculcatum est, & volucres cœli exederunt illud:

6 Et aliud cecidit in petram, & enatum exaruit, quia non habebat humorem:

7 Et aliud cecidit inter spinas: & simul enatæ spinæ suffocarunt illud:

8 Et aliud cecidit in terram bonam: & quum enatum esset, edidit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, Qui habet aures ad audiendum audiat.

9 Interrogabant autem eum discipuli ejus, dicentes quæ esset ista parabola.

10 Ipse vero dixit eis, *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: reliquis autem per parabolas* loquor, *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.*

ANALYSIS.

DOctrinam quam Christus proposuit Ecclesiæ exponit, primum à subjecto loco communiore ad mare, deinde ab adjuncta turba, quæ illam edocta est; qui describuntur subjecto loco littore, ubi audiendi verbi causa stabant; deinde Christi doctrina proposita à subjecto loco magis proprio, navi, & ab adjuncta Christi passione.

*Vers.*2,3. Post describitur sua forma, nempe parabolica: describitur adjuncta præparatione ad doctrinam percipiendam; quæ suis causis explicatur, primum instrumentali, deinde efficiente magis principali, nempe mentis intelligentia, quæ metaphora visionis externæ illustratur. In parabola præco Euangelii pari illustratur Agricolæ satoris, ipsa prædicatio sementis sparsionis.

*Vers.*4. Corda hominum quibus Euangelium proponitur, terræ; varia autem effecta prædicationis illustrantur, primum pari tritæ viæ semen excipientis.

*Vers.*5. Deinde terræ petricosæ: cujus descriptio adhibetur, quæ plurimum terræ non habet: deinde effecto ilico germinandi, quod arguitur suo efficiente, quia terræ profunditas quæ semen diutius in se contineret, nulla suppetebat.

*Vers.*6. Deinde alio effecto arefactionis, quæ suis causis efficientibus arguitur, solis ardore, deinde quod penitus radices non egisset.

*Vers.*7. Tertium genus illustratur pari spinosæ terræ, cujus effectum describitur, quod fructum non fecit; quod sua causa arguitur, nempe quod spinæ succrescentes semen suffocarunt.

*Vers.*8. Denique terræ feracis; quæ suis effectis arguitur, germinantis, deinde augescentis, denique fructum ferentis; qui fructus distributione ex adjunctis explicatur.

*Vers.*9. Ad doctrinæ diligentem animadversionem excitat à subjecto, nempe eorum quibus hoc datum est.

*Vers.*10. Effectum concionis est percunctatio de sensu parabolæ, quæ adjuncto tempore declaratur, cum à multitudine divertens solus esset, & subjecto γενικῶς discipulis Christi, εἰδικῶς duodecim illis, qui ad munus Apostolicum post *Math.* 10. designandi erant.

*Vers.*11. Effectum percunctationis est Christi responsum, quo petitioni eorum respondet, cujus rei rationem reddit, primum à subjecto, quia hi sunt ad quos Euangelii cognitio spectat, ut qui ex Ecclesia sunt, ut ex adverso constat; quod confirmatur ab adversis, quia his qui sunt extra Ecclesiam non nisi per parabolas & ænigmata hæc scire convenit.

*Vers.*12. Quod postremum à finibus confirmatur mediis: medii fines sunt primum ne intelligant, deinde ne resipiscant, denique ne remittantur illis peccata.

METAPHRASIS.

CVm nec privatæ ædes, nec Synagogæ multitudinem caperent, quæ ad Christum Euangelii causa confluebat, iterum cœpit ad 1.
mare

mare doctrinam suam proponere. Quo magna
turba conveniente, cum ad concussionem de-
clinandam, tum ut omnes auditores coram &
& ante oculos suos ad commodiorem audien-
di rationem haberet, navem ingressus est. In
qua cum, ut doctoris authoritatem testaretur,
consedisset, multitudo in litore ad attentionem
2. *testandum erecti pedibus consistebat. Docebat*
autem illos parabolarum involucris doctrinam
3. *adumbrans. Sic ergo inter docendum loquu-*
tus est. Auribus & animis adeste, Exiit domo
4. *in agrum seminator, ut semen disseminaret,*
atque (ut fit) inter seminandum pars una se-
minis in viam pedibus hominum & belluarum
tritam cecidit, quod nudum minimeq; tectum
cœli volatilia conspicientia ilico advolantia
5. *devorant. Pars altera in terram cecidit lapi-*
deam & petricosam, ubi terra copia idonea
non suppetebat: quamobrem præmature è ter-
ra exiliens emergensq; germinavit, quod terræ
6. *profunditas commoda non subesset. Quamob-*
rem solis exorientis ardore culmus seu calamus
tostus, quod satis altas radices non egerat,
7. *penitus exaruit. Tertia in terram spinarum*
feracem cadens, spinis succrescentibus & sti-
pulam sua altitudine superantibus suffocata,
8. *fructum nullum edidit. Denique seminis (&*
quidem ejusdem cum priore) pars in terram
incidens commodam & opportunam, his qui il-
lam colunt, fructum fecit, qui primum e ter-
ra emergens, post auctus est & adolevit, tan-
tisper quoad granum hoc triginta, illud sexa-
ginta, tertium denique centum grana redde-
ret, prout benedictione à Deo parciore aut am-
pliore perfusum erat. Colophonem vero con-
9. *cioni addens, his fere verbis orationem clausit:*
Quisquis est cui Deus animi aures perforavit,
hæc, quæ dixi, meditatione veluti præmansa,
10. *intimis animi cogitationibus digerat. Cum*
vero à turba se subducens solus esset, qui sua
nomina Christo dedissent, maxime duodecim
ad Apostolatum post obeundum delecti, Chri-
stum de mente & sensu Parabolæ percontati
11. *sunt. Quibus Christus: Non incommode hoc à*
me petitis; vobis enim qui non tantum in Ec-
clesia, sed ex Ecclesiæ domesticis estis, gratis
arcana regni Dei percipere concessum est: illis
vero qui tametsi in Ecclesia hominum judicio
sunt, Dei tamen sententia ab illa exulant; o-
mnia (etiam illa quæ planissima sunt) ænig-
12. *matica existunt. Vt sæpe multumque viden-*
tes nihil plane pervideant, & sæpe multumque
audientes nihil vere intelligant; ne forte re-
sipiscentes peccatorum remissionis participes
sint.

PRAXIS.

Propositis iis quæ omnium quæ hic narrantur parabolarum communia sunt, ipsas parabolas in medium affert.

Cujus *partes* sunt,
- Quæ communia sunt harum parabolarum.
  - Circũstantiæ.
  - Causæ.
- Parabolæ ipsæ.

In circumstantiis, prior est in multitudine undique collecta; quæ tam conferta fuit, ut Christum propter constipationem ad navem ingrediendum adegerit. In quo exemplum statuitur laudatæ in audiendo verbo aviditatis; quod relictis retibus & familiis foris & in agrum prodeant; nec in commodo audiendi sub dio Verbi absterrentur, aut pedibus consistendi. Qui zelus nostra tempestate etiam visus nos pudefaciat, qui ne oblatum quidem & in os delatum tam prompte accipimus: quique in agris esse volumus, cum Christus sit in urbe; mari, cum Christus ipse in arida versetur; sub dio, cum Christus sub tecto sit. Quod quid aliud est quam tergum Christo obvertere. Vide contra *Esa.* 2. MARC. 4, v. 1, 2. *Populi in Christo audiendo aviditas,*

In Christo notatur circumstantia prima, quod in littore primum, ut est apud *Marcum*, post vero in mari docebat. Quod nos doceat ne in loco superstitiosius hæreamus, tanquam Dei cultus non rite peractus sit, nisi templo ad eam rem destinato concio & preces habeantur: tanquam loci splendor & dignitas aliquid ad cultus commendationem adjungeret. Cujus quidem erroris in *Papismo* subingressi, reliquiæ adhuc in nostris Ecclesiis manent. Cum autem Christus verbum Dei & preces non nisi cum summa religione & reverentia proposuerit, certum est locum nihil discriminis conferre. Quoties per pacem Ecclesiæ hoc conceditur, enitendum est ut loco aliquo honesto & ad Dei cultum sepósito sacra fiant: si autem tempus illud non feret, aut populus pro multitudine angustis templi spaciis non capiantur, sciamus, &c. *qui neglecto cultus loco edocti,*

Deinde quod *sedisse* dicitur, notat docendi autoritatem; quæ alibi etiam subindicatur. *Matth.* 23. & *Luc.* 4. Quam rationem nos etiam imitamur, dum operto capite Verbum Dei proponimus: tametsi res non tanti sit, ut pro ea acrius dimicandum esse sentiamus, nisi si cum pace & approbatione eorum qui præsunt hoc consequamur. Vtamur, si libet; sin secus, ad manus hoc nomine deveniendum non erit. *idque docendi autoritate adhibita;*

Vers. 9. quomodo hi tamen ad attentionem excitati?

Postrema circumstantia est, ad attentionem excitatio; quod quidem & initio concionis facit, teste *Marco*, & post propositam primam duntaxat parabolam. Quod quidem tametsi superfluum videri posset, apud eos qui sponte urbes & domicilia sua audiendi causa deseruissent, ut Christum audirent, & qui jam omni verisimilitudine ora ad eum intenta habebant; tamen hanc nostram natura nobis insitam surditatem reputantes, & rerum quæ proponuntur pondus & difficultatem, nostram etiam in intelligendo tarditatem & levitatem ingenii, quæ muscæ intervolantis momento abripitur, & ab attentione abducitur, mirum videri non debet si nobis subinde aurem vellicet: hoc etsi gratuitum Spiritus donum sit, tamen non impedit quo minus nos ad illius perceptionem excitet. Tametsi enim sæpe corporibus in unum locum convenimus, animis tamen vel maxime disjungimur; cum hujus animus in patinis; alius sit in poculis; tertii in sphæristerio, &c. Verendum porro ne id nonnulli experiantur, quod Propheta de Iudæis loquitur *Esa*. 28, 9, 10, 11.

speciatim ut aures adhibeant qui eo creati;

Argumentum autem quo utitur, est ab auris fine; scilicet, aurem audiendi Verbi Dei causa esse creatam, & ob eam causam ad illam rem accommodandam: nisi forte quis sit, qui plus juris in aurem habeat quam Deus, ut ad alios usus quam ille præstituit detorqueat. Non igitur ut aut nobis ipsis, aut ut aliorum cupiditatibus obsequamur, aures accommodandæ sunt, nisi ipsi nostrasmet aures finxerimus, aut alius quispiam præter Deum. Quis autem ferat fabriciam suam, in qua artem atque industriam suam expressit atque contulit, se invito ad contrarios quam constituit usus rapi? ut quod laudis suæ celebrandæ causa formavit, ad sui vituperium trahatur; quodque ad proprios usus finxit, id non tantum ad aliorum, sed ad hostium libidinem transferatur. Quod si excipiat quis aures aliis etiam rebus utilibus & necessariis audiendis inservire, equidem non diffiteor; sed verbi auditio, id est, ipsius creatoris, privilegio quodam & immunitate inter cætera donatur, & majus in aures jus habet quam reliquorum omnium seu hominum voces, seu aliarum rerum soni vendicent; eoque Christus aurem suam à Deo perforatam docens, suo nos exemplo docet, nostras aures Deo devotas esse oportere ad obsequendum voluntati ipsius. Quis enim ferat servi sui vocem suæ & propriæ anteferri? Quo magis culpandi sunt qui suas aures omnibus audiendis rebus & legendis prostituentes, easdem adversus Deum occlusas & obsignatas gerunt, & homuncioni eas ad tres vel quatuor horarum usuram permittentes, ad unam horam aurium usum Deo denegant.

ideo ignorantia confitenda:

Hinc etiam efficitur ingenuum esse, quæ nescimus nos ignorare fateri, & simul subsidium à Ministris petere; contra illos, qui malunt in ignorantia versari, quam eam fateri: item illos, qui ignorantiam suam fatentes, tamen pudore subrustico impediuntur ne remedium petant.

Distinctio eorum qui sunt in Ecclesia, tamen non sunt ex Ecclesia, ex hoc loco confirmatur; omnes enim Iudæi in Ecclesia censebantur.

cur Christus ita sæpe loquatur?

Notandum vero Christum sæpius hanc sententiam in parabolis proponendis usurpasse, propter docendi genus, quod singularem attentionem requirit: idque fecit Prophetæ exemplo *Psal*. 78. qui suos auditores vehementer consimili modo excitat; quum parabolam se propositurum profiteatur.

Parabolam propositam ad illum locum rejiciam, ubi ejus interpretatio Christo autore adjungitur. Nunc ad rationes accedamus parabolicæ concionis.

Vers. 11. Ratio ob quam Christus per parabolas loquatur;

In quibus prima est ab efficiente causa; scilicet, Spiritus dono: quo mysteriorum Dei notitia iis denegata, aliis communicatur. Quum enim certis quibusdam scientiam negavit, voluit etiam eam rationem inire, & id genus orationis adhibere, quo quod illis denegavit eos celatum velit. Atque hoc modo aliquousque impletum fuit quod in Mosis velo adumbrabatur. Nam sicut Moses faciem suam velo obvolvit & obtexit, ne Israëlitæ faciei splendorem viderent; ita Christus parabolis tanquam velo se à Iudæorum cognitione subduxit. Atque ut in notis quibusdam ad occultandos sensus excogitatis idem characteres ab iis percipiuntur, ab illis à quibus minime oportet ne degustantur quidem; sic &c. Aut si quis multos simul alloquens eo sermone uteretur qui iis cognitus, illis ignotus est. Et *Deut*. 29. *Non dedit vobis aures ad audiendum, nec cor ad intelligendum, &c.* Cum igitur dono hoc fiat si quis Scripturæ & mysterii regni participes sit, ejus intelligentiam nullo humano acumine percipi posse in promptu est. Acies enim oculorum nostrorum eo non potest penetrare. Si igitur veram notitiam Dei in

sacris

sacris concionibus & lectionibus haurire velimus, precibus illud à Deo petamus, dabit enim petentibus a se Spiritum; alioqui nobis omnia vel apertissime dicta, parabolæ & ænigmata erunt; & liber ipse tanquam clausus & septem sigillis obsignatus videbitur, quoad Deus Filii causa per Spiritum illa resignet. Etiam, attentio amoris & animi requiritur, quoties ad mysteriorum præconium accedimus: quæ duo a Christo conjuncta non debent disjungi.

Vers. 12. *quatenus sit veritas obscuretur?* Hoc quod sequitur, potius sequentibus annecti videtur. Sed *quæritur* cur parabolica oratione obscuretur veritas, cum ad occultandam Dei voluntatem, præter insitam nobis cæcitatem, nullis verborum nocte & tenebris opus sit? Illas enim esse in hominis mente tenebras, illud ei adnatum ignorationis velum, ut orationis tenebras arcessere necesse non sit. Quis enim velum appendat oculis cæci?

Respondeo, ab impiis ipsis mysteria regni addiscuntur, tametsi salutari Dei cognitione non imbuantur. Christum igitur ideo parabolis usum ut Iudæis, non tantum efficacem, sed omnem qualemcunque intelligentiam auferat.

MATTH. 13, vs. 12. *Quomodo habenti dabitur?* Hoc argumentum confirmat à testimoniis proverbii, ut videtur, omnium pœne ore triti; quod etiam proverbium apud nos celebratur; scilicet, *Ditandum & cumulandum amplius divitem.* Sic igitur Deus facit more humano, scilicet ut iis qui aliquid habent plus adjungat. Non quidem (ut homines faciunt) corrupte, ut ab illis accipiant quibus dent, &c. Sed quia Deus cœptum opus perficit, & quos diligit, ad extremum usque diligit. *Opus manuum suarum non despicit, ἀμεταμέλητα, &c. Rom.* Vide exemplum *Genes.* 18,17,18. Item in *Psalmis* passim. Nihil igitur metuamus ne nobis Deus exprobret suam in nos largitionem. Quemadmodum in hæreditate ornanda, exædificanda, & colenda homines maximos sumptus faciunt; sic &c. Et sicut in voluptuariis hortis quibus delectantur, finem aut modum expensarum nullum faciunt; sic &c.

Hinc etiam colligitur quam vanum sit, & divinæ gratiæ adversum, quod *Pontificii* de secunda gratia à nobis promerita nugantur, quum Christus dicat secundam etiam gratiam nobis *Dono donari.* Quod si *dono*, non igitur *meritis*. Vide *Philip.* 1, 6.

etiam nihil habẽs illud amittat? Quæ autem difficultas inde nascitur, scilicet quod illi qui nihil habent hoc ipsum quod habent amittant, à *Luca* dissolvitur, qui eis ademptum fore docet quod habere videbantur, specie tenus. Plerique enim sunt qui notitiam quandam veritatis præ se ferunt, eoque de Deo & Euangelio multa confuse & incondite garriunt, cum tamen nulla solida Euangelii cognitione, & quæ fundamentis nitatur perfusi sint. Eam notitiam tametsi ad tempus ostentent, & multis aliquid de sua scientia opinantibus imponant, tamen evanescit, & ipsi sæpe ad veterem & pristinum errorem relabuntur. Ex quo eorum amentia omnibus nota est. Non secus etiam reperiuntur qui pietatis speciem obtendunt, quibus detracta tandem larva & ovili pelle, eorum improbitas ab omnibus liquido perspicitur. Sicut enim fucis corrupta & delinita facies, non ita multo post turpis & rugosa evadit; & sicut æs auro obductum & deauratum, mox paucorum dierum aut mensium intervallo proditur; sic &c. Hypocritæ igitur hoc habent, ut quum Dei intuitum nihili faciant, & hominum tantum auram & acclamationes captent, tempore succedente ipsis etiam hominibus, quos maxime celatos cupiant, retegantur. Ergo sincere, &c. Quanquam ex *Matthæi* 25,29. apparet *nihili* verbo indicare *parum*; ut tanquam comparative *nihil* esset, si cum vera Dei notitia & timore componatur.

Alia ratio est ab adjuncta Iudæorum obstinatione animi, qua ad manifestam veritatem connivebant, & aures obturabant, qui sibi oculos configebant, & lumen quod in illis accensum erat extinguebant. Cum enim multa viderent, perinde signum à Christo quærebant ac si nihil penitus vidissent: cumque multa à sacro ejus ore accepissent, non magis tamen intelligentia sana proficiebant, quam si nihil ab eo haussissent. Quamobrem dignos esse apud quos verbum Dei ita proponatur, ut interim illis infructuosum sit: imo vero ad graviorem eorum condemnationem, utpote quibus odor mortis est ad mortem. Eoque apud *Marcum & Lucam* ideo dicitur parabolis egisse, *ut videntes non viderent, audientes non audirent,* cum *Matthæus* dicat ideo à Christo cum eis agi parabolis, *quia videntes non viderunt, &c.* Vers. 13. *Iudæorum pertinacia qui videntes non viderunt;*

Atque hoc quia durius videri potuit hominum judicio, confirmat testimonio Prophetæ *Esai.* 6,9. Quo Propheta explicata superioribus capitibus populi impietate & improbitate, se ob eam causam à Deo vocatum esse declarat, ut suo ministerio populum Vers. 14. *quod à Christo testimonio Prophet. comprobatum:*

illum eo usque obduraret, quoad penitus exterminaretur. Non igitur hoc novum & inauditum esse, ut non modo eorum cæcitati non medeatur quis, sed porro etiam magis excæcet: ut non tantum sordibus suis jacere sinantur, sed ut porro cæno obtegantur. Vt si quis aliquem lucernam in domo extinguentem quod lucem odio habeat, non tantum lucernam denuo non accendat, sed etiam in obscurissimum carcerem conjiciat: vel tanquam si judex justo judicio homini sponte & scienter sibi oculum unum eruenti, juberet alterum etiam configi: aut si quis illi oculum effoderet, quod eo connivet in iis quæ conspicienda erant. Cavendum igitur, ne lumen quod nobis collatum est, extinguamus: ne si noctis filii esse malimus quam diei, in tenebras æternas præcipitemur.

hinc Dei notitia non repellenda, Videndum, ne Dei notitiam, quod ad divitias & honorem quem sequimur aliena videatur, repellamus, aut vero etiam, quod aliis cum cupiditatibus nostris pugnet: sed potius amplectamur, & nostram lippitudinem deploremus, & Dei opem adversus illam corruptelam imploremus. Sicut enim malefici, fures, &c. lucem cane pejus & angue odio habentes, post in carceres conjiciuntur, ubi meridies altera nox est; sic &c. Si igitur doctorem Heracliteum & σκοτεινὸν mittat Deus, homines suam potius improbitatem accusent, quam Ministri ἀδυναμίαν: quandoque etiam illuminatissimis doctoribus & liquidissimis (populo iratus) hanc perspicuitatem orationis aufert, ut auditorum ingratitudinem ulciscatur.

quomodo corda nostra exploranda? Deinde notemus quomodo corda nostra excutiamus & exploremus. Si enim oculi nihil vident, aut si oculis nictemus & conniveamus, si auribus ægre & lete seu fastidiose audiamus, judicium est crassi & duri seu obesi animi, & ad intelligentiam inepti. Contra si oculis & auribus prompte utamur ad Dei gloriam, animum bene compositum esse argumento est. Tanquam gubernator in navi omnibus imperat & moderatur, sic etiam animus sensibus corporis. Si igitur aures & oculi ad Dei opus non adhibeantur ab animo, animum ipsum male affectum esse liquet.

etiam qui excæcetur qui cæcus natura? Sed *quæritur*, quomodo excæcetur magis qui jam cæcus est natura; aut ut aures ei aggraventur qui surdus est? aut cor ejus impinguetur?

Respondeo, naturæ etiam lumen quo homines a plerisque vitiis abhorrent; & aliquousque bonum à malo, honestum à turpi discernunt; deinde etiam quæ illis notitia affulsit ex verbi Dei luce, qua judicium illud naturæ aliquantum juvatur, auferetur: postremo, homines hoc Dei judicio minus sanabiles & recuperabiles fiunt. Tametsi enim duo cæci sunt, tamen nihil impedit quo minus unus altero à visione recuperanda longius aut proprius absit, quo aut tempus cæcitatis diuturnius est, & pharmaca multa adhibita sunt, ea etiam quæ cum non prosunt, obsunt plurimum. Pharmaca enim ad malum medendum adhibita cum morbo colluctantia, si propter morbi pervicaciam eum non doment & subigant, deteriorem reddunt. Quod expresse de muliere sanguinis profluvio laborante legimus. Sic etiam fit ut pharmacum verbi Dei ad cæcitatem nostram curandam adhibitum, nisi oculos restituat, deteriores facit. Et ut tonitru & fulguris confusus sonus, & indistinctum lumen visum aliquando & auditum propter excellentiam objecti perimunt, sic verbi Dei tonitru & coruscatio impios, &c.

Hic *quæritur*, an hoc sit nobis imitandum ænigmatice loqui. *denique an hodie ænigmatice loquendum?*

Respondeo, Christum adductum ad hoc Prophetæ prædictione, & quod sciret eos canes & sues esse, hoc fecisse, nobis neutrum plerumque constat. Docet tamen hoc ab iis fieri qui suam scientiam venditant. Christus superioribus verbis discipulorum conditionem reprobis inter Iudæos illius seculi præstantiorem esse declarans, eandem comparatione minoris amplificat, scilicet, quod piis etiam Regibus & Prophetis prioris sæculi, hac in parte superiores essent, quod ista vident & audiunt, &c. Pauperes privati & idiotæ Euangelii notitia, maximis regibus & sanctissimis Prophetis præponuntur. Vide locum *Zachar. Quivis ex vulgo similes Davidi: ii vero ex familia Davidis Angelis ipsis, &c.* Quid igitur de nobis dicendum, qui præstantiora iis videmus. Nec enim Christus tum passus erat, resurrexerat, ascenderat, nec dona Spiritus collata erant, nec denique tum Gentes in Christum crediderant. Non enim in corporeo Christi aspectu fœlicitas collocatur, tum enim Iudas fœlix fuissent; sed beati qui credunt cum oculis non inspexerunt. Hic oportunum erit Dei gratiam erga nos gentes amplificare, præ iis gentibus qui sub lege vixerunt. Vt Paulus facit *Ephes.* 2. Deinde nostram conditionem præ patribus, qui aliquot centenos annos præcesserunt priusquam

quam *Anti-Christus Romanus* revelatus est.
Hæ parabolæ usurpari videntur à Christo, ut sententiam illam illustraret quam proxime præcedente concione proposuerat, scilicet, *Beatos esse qui verbum Dei audiunt & custodiunt. Matth* 12.

MATTH. *cap.* 13. *à vers.* 15, *ad* 19.

15 *Crassum factum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis suis conniverunt: ne quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & se convertant, & sanem eos.*
16 *Vestri vero beati sunt oculi, quod videant: & aures vestræ, quod audiant.*
17 *Amen enim dico vobis, multi Prophetæ & justi desiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.*
18 *Vos igitur audite parabolam ejus qui seminat.*

MARC. *cap.* 4, *vers.* 13.

13 *Præterea dixit eis, Nescitis parabolam istam? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?*

ANALYSIS.

MATTH. 13, 15. Cor seu effectus, seu voluntas Iudæorum ab adjuncta impœnitentia notatur; quod pari illustratur pinguedinis, qua nullus sensus existit: cujus effectus est, quod gravate audiunt: quæ gravis auditio suo item efficiente arguitur, nempe mentis cæcitate voluntaria; quæ paribus illustratur, eorum qui de industria oculos claudunt.

Vers. 16. Commendat suorum beatitatem à subjecto, nempe his quæ oculis viderunt & auribus audierunt.

Vers. 17. Quod amplificat à comparatione dissimilitudinis, nempe antecessoribus suis piis, qui illis dissimiles sunt, quia non viderunt quod illi; quod porro exaggerat ab adjuncto illorum desiderio videndi & audiendi quæ illi audierunt: item à subjecto, nempe quod Prophetæ erant, qui hæc expetentes, non sunt tamen assequuti.

MARC. 4, 13. Perstringit discipulorum & duodecim in intelligendis mysteriis inertiam & tarditatem, ab adjuncta facilitate hujus parabolæ; quam amplificat à comparatione majoris, si unam hanc satis obviam non intelligant, nedum omnes, & illas, in quibus plus obscuritatis invenitur.

METAPHRASIS.

Animo & voluntate seu affectibus ita ab omni peccati sensu alieni sunt, ut est pinguedo in corpore animantis, quæ omnis sensus est expers: unde est ut auribus gravate audiant: pulsa autem audiendi promptitudine & alacritate, perinde veritatis notitiam repudiant: ac si quis ne externis oculis prospiceret, eos clauderet. O igitur vos beatos quibus datum est, ut & oculis videatis & auribus cupide percipiatis! Beatos autem vos dico, non tantum præ reprobis hujus seculi cæcis & surdis. Sancte enim vobis confirmo, non paucos ex Prophetis & justis Antecessoribus vestris, discupivisse videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis, nec tamẽ votis suis potitos esse. 15. 16. 17.
Nihilominus suorum tarditatem leviter his fere verbis pervellebat. Hanc unam parabolam, cujus sensus abstrusus & perreconditus non est, non percipitis? quomodo ergo omnes alias, & (in eis) quæ majorem difficultatem continent, intelligetis? vos igitur evolutum hujus parabolæ sensum audite. MARC. 4, ℣s. 13. MATTH. 13, ℣s. 18.

MARC. *cap.* 4. *à vers.* 14, *ad* 21.

14 *Sator ille, sermonem serit.*
15 *Isti autem sunt qui juxta viam* semen excipiunt, *in quibus* videlicet *seminatur sermo: sed postquam audierunt, statim venit Satanas, & tollit sermonem qui seminatus fuerat in cordibus eorum.*
16 *Et isti sunt similiter qui in petrosa semen excipiunt: qui* videlicet *quum audirent sermonem, statim cum gaudio excipiunt eum:*
17 *Et non habent radicem in sese, sed temporarii sunt: deinde orta afflictione aut persequutione propter sermonem, statim offenduntur.*

18 Hi

18 *Hi sunt autem qui in spinas semen excipiunt, hi sunt,* inquam, *qui sermonem audiunt:*

19 *Sed solicitudines seculi hujus, & fallacia divitiarum, & cupiditates quæ in cæteris rebus* versantur, *introeuntes suffocant sermonem, isq; redditur fructus expers.*

20 *Hi sunt vero qui in terram bonam semen exceperunt, qui* videlicet *audiunt sermonem, & excipiunt: & fructum ferunt aliud tricena, aliud sexagena, aliud centena* grana.

MATTH. *cap.* 13. *à vers.* 19. *ad* 24.

19 *Quoties quispiam audit sermonem de regno illo, & non attendit, venit ille Malus, & rapit quod satum est in corde ipsius, is est qui secundum viam semen excepit.*

20 *Qui vero in petrosa semen excepit, is est qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio excipit:*

21 *Non habet autem radicem in sese, sed temporarius est: ortaque compressione vel persequutione propter sermonem, statim offenditur.*

22 *Qui vero in spinas semen excepit, is est qui sermonem audit: sed solicitudo seculi hujus, & fallacia divitiarum suffocat sermonem, qui fit fructus expers.*

23 *Qui vero in terram bonam excepit semen, is est qui sermonem audit & intelligentiam intendit, qui videlicet fructum fert: editque alius quidem centena, alius sexagena, alius vero tricena.*

LVC. *cap.* 8. *à vers.* 11, *ad* 16.

11 *Est autem hæc parabola: Semen illud est sermo Dei:*

12 *Qui autem secundum viam* semen excipiunt, *ii sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit sermonem è corde eorum, ne, postquam crediderint, serventur.*

13 *Qui vero in petram,* ii sunt *qui quum audierunt, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radices non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt.*

14 *Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt: sed profecti, à solicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructus proferunt.*

15 *Quod autem in bonam terram* cecidit, *ii sunt qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent, & fructum adferunt per tolerantiam.*

ANALYSIS.

Comparatione parium sementis sermonis Dei virtutem illustrat, præconem vero Satoris.

Vers. 15. Quadruplicem effectum unius & ejusdem seminis constituit, primum genus suo subjecto describitur, nempe eorum qui sermonem audiunt, sed illum non retinent. Cujus causa assignatur, quod Satanas sermonem ex animis eorum subducit; quod amplificatur adjuncto temporis, nempe è vestigio post auditum sermonem; quod illustratur paribus, seminis in tritam viam cadentis.

Vers. 16, 17. Secundum genus suo item subjecto describitur, audientium & amplectentium sermonem; quod amplificatur duplici adjuncto, expeditæ & alacris amplexationis: & declaratur argumento diverso, quia tametsi audiant & amplectantur, tamen illum alte præcordiis infixum non habent; quod pari illustratur seminis, quod firmas radices non egit. Quod suo effecto arguitur, quia ad tempus exiguum durat: quod sua causa declaratur, nempe hinc afflictione aut persecutione propter sermonem, istinc pusillanimitate eorum qui illis obnoxii & expositi deficiunt; quæ defectio adjuncto temporis exaggeratur, & pari illustratur eorum, qui ad obstaculum in via objectum impingentes corruunt. Quæ omnia illustrantur comparatione terræ petricosæ semen satum excipientis.

Vers. 18, 19. Tertium genus suo item subjecto describitur, sermonem Dei audientium; cujus auditionis effectum indicatur, quod fructum non ferunt:

Causæ autem efficientes assignantur *duæ*, { Solicitudines mundanæ. Cupiditates vitiosæ: cujus species una exprimitur, divitiarum insidiosus & fallax amor. }

Hæ causæ comparatione parium illustrantur, spinarum scilicet segetes suffocantium, sicut hoc hominum genus pari terræ spinosæ.

Vers. 20.

Vers. 20. Quartum genus describitur subjecto audientium sermonem, & effecto amplectendi sermonem & fructum ferendi; qui fructus arguitur adjuncto numero, qui distributione partium aliquot explicatur. Quod genus auditorum, cum terra fœcunda & feraci comparatur.

METAPHRASIS.

14. *Sicut Euangelii præco satoris, sic sermo Eu-*
15. *angelii seminis rationem habet. Qui viæ*
tritæ semen excipienti assimulantur, hi sunt,
qui postquam sermonem prædicatum audiverint, eundem ilico, supervolante Satana tan-
quam volucri, & sermonem illis nihil aut co-
gitantibus aut curantibus asportante, amit-
16. *tunt. Qui vero terræ petricosæ semen excipien-*
ti assimulantur, hi sunt pariter, qui simul ac
verbum prædicatum audierint, protinus illud
alacriter arripiunt, non secus quam semen
quam celerrime ad fundum terræ petricosæ
17. *dimittitur. Quod verbum tamen animo non*
penitus infixum hæret, utpote quod corde non-
dum domito & emollito haud aliter retundi-
tur, quam semen à petra ne altius terræ insi-
deat impeditur. Hinc existit ut ad tempus in
Euangelii professione permaneant. Nam exci-
tata propter sermonem afflictione, præsertim
graviore, ilico tanquam ad objectum in via
obstaculum impingentes corruunt, atque defi-
18. *ciunt. Qui autem terræ spinosæ semen exci-*
pienti assimulantur, hi sunt, qui verbum
auditum altius quam priores in animos di-
19. *mitti sinunt, sed mundanarum rerum mul-*
tiplices sollicitudines, & fallax atque illece-
brosus divitiarum amor, & cæterarum re-
rum immoderata cupiditas, animum subre-
pentes & sermonem haud secus quam spinæ
& tribuli segetes suffocantes, eundem infœcun-
20. *dum & infructuosum reddunt. Qui denique*
terræ fœcundæ semen excipienti assimulantur,
hi sunt, qui auditum verbum retinent, &
studiose in intimis animi præcordiis reconden-
tes fructum tempestivum, subactis carnis cu-
piditatibus, & superatis per patientiam per-
sequutionibus, proferunt; non tamen eadem
mensura. Sicut enim in terreni seminis ratio-
ne usu venire solet, ut unum granum centum,
alterum sexaginta, tertium triginta grana
edat, prout benedictionem à Deo cælitus acce-
perat; sic pii prout Dei spiritu fœcundantur,
fructum aut pleniorem, aut parciorem fa-
ciunt. Præterquam quod qui primum triginta,
post aliquot annos intermissos sexaginta, tem-
poris denique progressu ampliorem fructum fe-
rentes, nunquam desistunt quoad centuplum
reddiderint.

PRAXIS.

Ex profitentibus Euangelium aliis, tanquam solo parum idoneo, nullum fructum semine Euangelii dignum proferentibus, alii tanquam cultus ager fructus, sed discrepanti fœcunditate bonos edunt.

Cujus *partes* sunt de { Verbi semine auditorum animis tanquam solo projecto. / Vario ejus eventu. }

Quod semini *Verbum Dei* cordibus mortalium tanquam solo commissum comparatur, documento est, quantæ necessitatis sit prædicatio verbi. Vt enim terra nisi seminetur fructum non fert, ita nec nos, nisi conseramur verbo. Quod si feracissima terra non nisi consita fructum fert, quanto minus nos terra sterilis & sale sata. Huc pertinet quod semini genitali comparetur, 1 *Pet.* 1. ut enim non nisi ex seminis jectione fœtus concipitur; sic &c. Stultum est sperare messem, ubi nulla præcessit satio; sic, &c. *Vers.* 14. *Ex verbi comparatione cum semine ejus necessitas;*

Ministerii præstantia & necessitas ex eo etiam constat, quod Deus & Ministri *satores* dicuntur. *Iohan.* 4. dicuntur messores, sine quorum opera nulla seges, nulla messis. Quare Ministros consolari debet, si messis sementi non respondeat; quandoquidem hoc no Christo quidem ipsi contigit. Vide *Esa.* 49, 4, & 5.

Quod si quis *excipiat*, se jam verbo præconsitum & genitum, seu conceptum, seu in lucem editum, amplius non egere verbo.

Promptum est *respondere*, non tantum semen esse verbum, sed cibum, quo conservamur & crescimus. *Amos.* 8, 5. Eoque *lac* dicitur. 1 *Pet.* 2. & *solidus cibus*. *Heb.* 5. ne quis dicat, novitiis & in Christo infantibus aut puerulis convenire. Imo vero *Ephes.* 4. constat hoc *verbo* adolescere nos debere, quoad ad justam Christi staturam perveniatur; & quoad Christus in nobis plene formatus expressus est. Nam in Christiani hominis rationem senectus non cadit.

Ex hac loquendi formula constat, nonnullam esse rerum cœlestium cum terrestrium cognationem; ergo creaturarum notitia & speculatione uti oportet, ad pleniorem rerum cœlestium cognitionem. Sic Christus ex aquæ & messis intuitu, ansam arripuit de spirituali aqua & messe dicendi. *Ioh.* 4. Quare Ministris danda opera, ut similitudines petant a rebus maxime notis iis apud quos dicunt. Sic Spiritus Sanctus cum ad Ægyptios de piscibus, ad Arabes de gre- *ideo à rebus creatis similitudines petendæ.*

 gibus,

gibus, ad Tyrios & Sydonios de mercibus & navigatione, & Christus ad piscatores ex piscatoria arte similitudinem duxit.

Sequitur *pars altera* de varia disseminati verbi eventu, qui tametsi perquam multiplex sit,

ad *duo* tamen genera revocatur: { Hic quidem eventus inutilis & infructuosus. | Ille vero utilis & ferax. }

Vers. 15. *Quinam pro vere beatis habendi?* In priore parte in genere docere voluit Christus, cum magna undique populi concursatio esset, ne quis sibi in eo imponat, ac si statim beatus foret, si se cum Ecclesia ad audiendum verbum aggreget. Nam cum ii solum hac parabola comprehenduntur qui in Ecclesia sunt, neque hic *Turcæ*, *Iudæi*, *Pontificii* locum habent, suntque porro ex iis plerique regno cœlorum exturbandi, cautione & circumspectione diligentiore opus est, ne in externa Euangelii professione acquiescentes, vitæ sanctimoniam, sine qua nemo unquam Deum videbit, (*Heb.* 12.) negligamus. *Non enim omnis qui dicit Domine, &c. Matth.* 7. Nam ut olim Israëlitæ defuncti sacrificiis & externo cultu sibi adulabantur; sic, &c. Et *non omnes beati, sed qui audiunt & custodiunt, &c. Matth. c.* 13. Sicut enim jacta seminis grana terræ & sulcis commissa, terram non fœtificant & fœcundant; sic apud multos verbum disseminatum non provenit, nec fructum edit. Vide 2 *Tim.* 2, 19, 20. Nec tamen hoc seminis aut seminantis vitio fit, quæ eadem sunt in omnibus, sed in auditoribus ipsis. Sed hoc melius in specie videbitur.

non ii qui nullo verbi studio tenentur; Primum genus eorum qui inutiliter audiunt, ii sunt qui ad tritam viam semen accepisse dicuntur: unde duplici periculo obnoxium est semen, scilicet conculcationi, & voracitati. Sunt autem ii qui audiunt quidem, sed non intelligunt: ut hoc modo non (*intellectum*) tanquam terra, ne *intelligentia* quidem tectum aut occatum verbum, facile arreptum asportetur. Ii autem fere sunt, qui nullo studio aut affectu ad Verbi auditionem accedunt; quique parvo momento ab auditione abducuntur; quibus hæ voces fere excidunt, se non plusculum facere si concionem accedant (*they care not much if for company they goe to a sermon.*) Atque hoc in cœtu, de quo *Matthæus*, verisimile est plerosque consortii causa cum aliis suis amicis Christi audiendi causa accessisse.

quinam omnino tales sint? Ex hoc autem tam languido & flaccido audiendi animo fit, ut cum attentio minor sit, parum illa intelligant quæ pro concione dicuntur; ut verba forsan assequentes, sententiam tamen non intelligant; & ut sententiam intelligant & periodum, seriem tamen & complexum orationis non percipiant. Iidem sunt qui leviculis de causis auditionem interrumpunt, aut interpellari sinunt; ut si quis Ecclesiam ingrediatur, spectandi eam causa animum adjicit. Denique ii sunt, qui acceptum sermonem quo melius intelligant, non commentantur nec ruminant, nec ab aliis quærunt quæ ipsi ignorant. Proinde videndum est, ut animis adsimus, & studio experrecto: ut sitientes aures & famelicos animos afferamus, ut ita accipiamus verbum Dei ut cordum (*that which springeth late in the year*) & tenera herba rorem & pluviam; atque ut terra præ siccitate hians, imbrem imbibit. Vide *Deut.*33. Eoque animum nostrum aliis occupationibus evacuemus, ut huic vacet.

In *Papatu* ubi nulla mysteriorem intelligentia, nulla est resipiscentia, nulla peccatorum remissio.

Notandum porro Sathanam hoc tempore nobis insidiari, non secus atque aves quæ tempore sementis diligenter observant, si quod granum non bene tectum, & terræ gremio opertum sit: & ut fures si quid foris eorum prædæ expositum sit, statim illud asportant. Sic Diabolus, &c. Quod homines si probe expenderent, proculdubio cautiores existerent. Quotus enim quisque secum reputat diaboli opus esse, si quando inter tractandum Dei Verbum volatilis aliqua & aliena cogitatio animos nostros subeat? si quando oculis in aliquem defixis, animus eodem momento avocetur? si somno opprimatur, &c. Si enim cum tanto hoste rem sibi fore crederet, excubias ageret, maxime cum de gravissimo salutis nostræ negotio agitur, sicut à *Luca* notatur: nam idcirco semen verbi abripi à diabolo affirmat, ne credentes salvi fierent. *iis Sathan insidiatur:*

Secundum genus inutiliter audientium, eorum est qui auditum verbum cum gaudio accipiunt, sicut terra petrosa seu quod parum glebæ habet, semen prompte admittit, protinus etiam veluti herbam emittens spem aliquam fructus afferendi facit. Quod enim profunde in terram demissum semen non est, id tanto citius è terra emergit atque erumpit; sed post oborta propter Euangelium persecutione exarescit: non secus atque herba à sole torretur, cum profundior radix *Vers. 16, 17. non etiam ii qui verbum cum gaudio acceperunt;*

radix non sit subjecta. Hoc igitur in genere quædam sunt, in quibus primi illi superantur; intelligentia scilicet, & quædam audiendi alacritas. Vide *Ezech.* 33, 31, 32. Quæ tametsi in malos homines cadunt, non tamen sunt vituperanda: *perceptum enim habere* quod dicitur, & *alacriter audire* quæ proponuntur, in laude sunt, & vehementer persequenda. *Hilarem datorem, &c.* 2 *Cor.* 8. *lætatus sum cum dicerent mihi, &c. Psal.* 122. & *Psal.* 42, 3. Et *Ioh.* 6, 27. Sed non proinde sequitur ubicunque illa sunt, statim bonum virum & justum esse. Vide exemplum Herodis, *Marc.* 6, 23. qui libens Iohannem audiebat, & multa eorum fecit, quæ a Iohanne proposita sunt. In hoc genere plerosque fuisse dubium non est, qui audiendi verbi causa avide advolabant, auditum probabant, nec sine animi lætitia audito verbo domum repetebant. Et certe plerosque videas qui affulgente Euangelio stadium primo cum laude ingressi sunt, & primas hastas animose jactarunt.

quidnam in iis adhuc requiratur?

Quid igitur, inquit aliquis, hic ad legitimam auditionem deest, cum audiatur, intelligatur, & cum gaudio accipiatur? Scilicet, quod hæc lætitia non aliunde nisi ex carne profecta est. Lætitia enim inde nata est, quod Verbum Dei pleraque habet quæ hominem animalem oblectent: notitia enim & scientia veri cultus cum idolomania comparatus, hominem non nimis brutum & pervicacem facile afficiat; se igitur illis tenebrarum involucris exemptum esse, merito lætatur. Deinde accedit, quod duro jugo servitutis assueti; non mirum est si illam doctrinam cupide arripiant, quæ eos hac asperitate sublevet. Iudæis enim tot ceremoniis legis fatigatis, non mirum est si plerique reperti sunt, qui Christo ob eam causam se addixerint, quod illius olim excutiendi spem ostentabat. Idem plerisque in *Papatu* usu venit, qui fastidio peregrinationum & indulgentiarum, &c. quibus loculi eorum exhauriebantur, & ipsi infinitos labores susceperant, ad Euangelium proinde animum adjiciebant. Sed interim non oblectati sunt veritate Euangelii *ipsius Euangelii causa*, non *ut gratias Deo agerent*, aut *suos mores ad Euangelii normam emendarent*. Denique, non satis amplo & pleno gaudio lætantur, ut in *thesauro effosso*, aut *gemma inventa*, pro qua *omnia commutare parati* sunt. Tametsi enim doctrinam Euangelii veteribus suis erroribus præponunt, tamen facultatum aut vitæ jacturæ eam postponunt.

illi tantum si c[illegible]mum sit credunt:

Quod *ad tempus credere* dicuntur, eo indicatur *tempus cum omnia ad animum affluunt*: persecutionis enim æstu, & sole exoriente disparescit. Scenæ igitur serviunt. Nam pro temporis oportunitate vel credunt, vel non credunt. Quanquam illud cavendum est, ne veram fidem caducam & temporariam existimemus; sæpe enim dictum est veram fidem nunquam deficere. Hæc igitur fides opinione tantum est, *sua* scilicet, & *aliorum* non *Iudicio & reipsa*. Portæ enim inferorum adversus veram fidem nihil possunt; & *qui credit, non pudefiet, &c. Rom.* 10. *Hæc est victoria*, qua mundum vincimus, *fides nostra*. 1 *Ioh.* 5. Hæc igitur larva potius est fidei quam fides; fide enim imponimur fundamento, id est, Christo, supra quem ædificatus nulla tempestate aut vento concuti potest. Hac fide non tranquillo mari, sed turbulentissimis fluctibus à subversione liberi sumus. Denique hac fide, similes sumus arbori ad rivos aquarum consitæ, quæ æstum & siccitates ridet atque contemnit.

Vers. 18, 19. *nec etiam ii qui diutius verba servant,*

Tertium genus sequitur, eorum scilicet, quorum in animis Verbum Dei injectum est, ut semen in terram ubi glebarum & terræ satis est, quod etiam radices agit & succrescit, sed tamen à spinis succrescentibus & altitudine sua superantibus suffocatur. Et ii sunt ex triplici hoc genere qui proxime videntur ad bonos accedere, & messem polliceri. Præterquam enim quod audiunt, intelligunt, prompteq; sermonem accipiunt, diutius conceptum sermonis semen alunt, & incrementi quadam specie adolescere curant.

quos tamen mundi cura prohibet,

Spinæ autem quibus sperata messis eripitur, triplicis generis esse dicuntur, *mundi cura, divitiæ fallaces, & voluptates carnis*, quarum singulæ separatim vim habent sermonem Dei opprimendi; suaque umbra, solis æstum qui semen ad maturitatem adduceret, abarcere; & pluviam qua irrigandum est prohibere. Qui etenim curis se conficit & sollicitudinibus, ei non vacat ad illa munia quibus semen adolescat, &c. Nec fieri potest ut ante omnia regnum Dei quærat, & justitiam ejus; operam enim & diligentiam quæ in fovenda pietate ponenda est, ad se rapiunt curæ; nec tam corpus exsangue reddunt & pallidum, quam animum ipsum suo succo & nutrimento privant (*unprofitable branches, young shootes of sciences springing out of the sides or rootes of the stockes, or vvater shootes*) nisi resecentur, arboris incremen-

tum impediunt. Eoque ne in Martha quidem ea cura probata est, tametsi ad Christum liberalissime excipiendum adhibita fuerit. Proinde *curas nostras in Deum conjiciamus, ipse enim, &c.* 1 *Petr.* Deinde consideremus vitæ hujus brevitatem, futuræ æternitatem.

& divitiæ fallaces, Ἀπάτη τοῦ πλούτου, id est, *divitiæ fallaces,* ut iniquus mammon. Homines enim illis præfidentes superbiunt, nec tantum in homines, sed etiam in Deum etiam ferociunt & insurgunt. 1 *Tim.* 6. Item *Proverb.* 13, 15. Hinc fit ut divitias tanquam Deum colant; unde *avaritia idololatria* dicitur, falsam pietatis de se opinionem injicit, amorem sui excitat in iis qui illas possident, satietatem & luxum procreant, alios opprimendi animum addunt. Tam autem est potens & efficax divitiarum impostura, ut divitem regnum cœlorum ingredi τῶν ἀδυνάτων hominibus sit. Iisque laqueis infinitam animarum multitudinem irretitas à Sathana, experientia docet. Hoc tanquam pondere aut lapide molari collo circumposito, infiniti homines in mari perditionis demerguntur. 1 *Timoth.* 8. Ita *Abac.* 2, 7. densissimo luto comparantur divitiæ ab Assyrio partæ, quo tenacissime pedes hærent & defixi sunt, ut minus se possint extrahere in eo immersi. Quãobrem notandum est ante omnia ne cupiditate ditescendi inflammemur. 1 *Timoth.* 6. Deinde ut contenti simus victu & vestitu: ut ne fucatis divitiis cor apponamus. *Psal.* 4. 1 *Tim.* 6. Præterea, ut κοινωνικοὶ simus. Denique, ut Deum cum gratiis precemur, *Prov.* 30, 7, 8, 9. ἡδέων τοῦ βίου.

ac omnis voluptates, Voluptates etiam ex spinis sunt, sed generalius hoc est; nam quum plus tribuimus voluptatibus quam officio, fit ut altiorem in nobis locum obtinentes voluptates quam officii nostri ratio, semen suffocent. Quum enim voluptatum studio officium quod nos verbum docet deserimus, tum spinæ superiorem locum obtinent. Sed hoc non est καθόλου περὶ τῶν, quandoquidem hoc ad omnes has spinas est referendum. In piis quidem spinæ disseminato & insito verbo succrescunt, sed in illam altitudinem non assurgunt, ut segetibus superiores sint, & illas obumbrent, iisque veluti dominentur: sed falce verbi & Spiritus truncantur, tametsi non extirpentur & radicitus evellantur.

quæ à nobis eradicandæ: Generale itidem est de extirpandis sentibus & vepribus, quod scribitur *Ier.* 4, 3, 4. Spinæ enim in nobis antiquiores, ut quæ nobiscum nascuntur. Quamobrem primum demus operam ut illas eradicemus, nisi stulti agricolæ esse velimus. Quamvis vero vim nobis ipsi faciamus; ut quum quis oculum sibi ipsi erueret, aut manum pedemve præcisum abjiceret, *Matth.* 5, 29. & *Ier.* 4. comparatur cum circumcisione; item mortificatione, alibi sæpe. Mandata enim Dei, deliciæ piorum sunt; melle & favo dulciores; cibus & potus. *Ioh.* 4. *Psal.* 119. ludus etiam & jocus, *Psal.* 119. Item monilia, torques, annuli, &c. denique, &c. Cum igitur voluptates mundi in cibis & potu, in ludis & jocis, in apparatus splendore præponuntur sermoni Dei, tum fit ut voluptates, utcumque molles & jucundæ videantur, semen verbi suffocent.

Sequitur alterum membrum seminati sermonis, qui utilis extat & ferax; in quo notandum est, verbi prædicationem semper aliquam auream Deo messem afferre. Nec enim Deus summus agricola tam parum frugi est, ut sementem in illo agro faceret, in quo nullus fructus ad usum suum accommodatus proveniret. Ideo prædicatio Euangelii gladius est, quo electi à reprobis sensim disparantur: & ventilatio qua triticum à palea seponitur. Quod si omnes essent pii, nulla aut disjectio aut ventilatio. Eoque docemur Ecclesiam ibi esse, ubicunque verbum Dei prædicatur: adversus nostrorum temporum *Donatistas,* qui nullam nisi debite constituta & stabilita Ecclesiæ disciplina, Ecclesiam esse blaterant. Hoc igitur aliquousque cum Ministrum tum auditores consoletur. Nec vero in illas angustias compingendus est Euangelii prædicati fructus, ac si una quarta ex iis qui audiunt, crederent & fructum ferrent tantum, & reliquæ tres quadrantes infructuosæ manerent. Tria enim genera auditorum inutilium esse dicuntur, non tres partes. Non magis quam duæ tertiæ servorum servandi sunt, quod ex tribus servis quibus singulis talentum datum est *Matth.* 25. ad negotiandum, duo tantum talentum multiplicarunt; unus duntaxat inutilis hero mansit. Ii autem distinguuntur à reliquis tribus, quod fructum ferant, & semen conceptum eo usque retinent, quoad ad justam id maturitatem perduxerint. Alii semen concipiunt, illud retinent, herbam emittunt, quæ & spicæ formam habeat; sed illas forte de quibus est *Gen.* 14, 6. sed ante messem disparet. Eoque in *Psal.* 129. & alibi comparantur herbis quæ in ædium fastigio crescunt,

Vers. 20. verum illi apud quos verbum ferax;

crescunt, quæ nunquam fœnisecam expectant, & de qua prætereuntes nunquam messoribus fœnisecis frustum aliquod asportant. Pii vero multis æstibus & frigoribus perpessis, tandem in horreum convehuntur. Vnde ἐν ὑπομονῇ dicuntur fructum ferre apud *Lucam*. Sic in arboribus; virescunt, gemmas, flores, folia emittunt, omnia denique præter fructum. Si igitur nos agrum Domini preciosum probari velimus, fructum feramus.

unde illa in ferendo fructu dissimilitudo?

In fructu tamen ferendo valde dissimiles sunt. *Alii enim centum, &c.* Is enim est proventus uberrimus, ut constat ex *Gen.* 26,12. sic in parabolis eorum qui talenta acceperunt: hic plus; ille minus incrementi attulit. In quo illud notandum est, bonam terram appellari quæ aliquem fructum edit. Sic in altera parabola, is qui duo talenta attulit acceptus est, eique dicitur ut requiem Domini sui ingrediatur. Et *Ioh.* 15. modo fructum aliquem faciat, Pater eum putabit, &c. ut proferat, &c. Sed nullum edens fructum penitus abjicitur, ut in parabola *Matt.* 25. *Esa.* 5. & *Matth.* 20. & *Luc.* 13. & *Ephes.* *Adolescimus quoad, &c.* & *Psalm.* 92. in senectute plus fructus ferunt. Non enim ut terra in hoc sumus, quæ quo sæpius fructum tulit, eo minus feret; neque ut exoletæ fœminæ quæ quinquaginta annis parere desinunt, sed potius ut palma, quæ senectute plus, &c. *Psalm.* 92. Debet tamen studium nostrum accendere ut divites simus bonis operibus, quod plenam & uberem messem Deo non minus atque adeo magis gratam esse sciamus, quam agricolæ optatum est si centuplum accipiat. Hoc enim modo se glorificari confirmat, si multum fructum feramus, *Ioh.* 15. Adde, quod nostrum centuplum millibus millenis compensat. Vide *Matth.* 25. & *Marc.* centuplum in hac vita; & post, vitam æternam. Imitemur igitur feracitatem illam quæ celebratur, *Gen.* 41,5. & illam in *Apoc.* ubi arbores in singulos menses fructus ferunt.

quatenus homines pii sint, priusquam verbo conserantur?

Sed *objici* potest hoc loco, homines *bonos* & *pios* esse priusquam verbo conserantur. Comparat enim pios feraci terræ, & dicit semen ab illis accipi *bono* & *sincero* animo.

Sed intelligendum est, eodem ipso momento *bonum* reddi, quo semen verbi utiliter accipitur. Nam quæ terra, utut bona, fructum ferat priusquam semen acceperit? Non est autem bona, nisi fructum ferens & fructibus bona dignoscatur. Eoque ante vocem Filii Dei mortui dicimur *Ioh.* 5. Sicut enim Christus mortuos excitavit, & sua virtute effecit ut mortui audirent vocem suam; sic est in Euangelii prædicatione, ubi vocat ea quæ non sunt tanquam essent. Præterea, parabolæ extra propositum scopum trahendæ & torquendæ non sunt. Alioqui enim responderi potest, terram prius aratro Euangelii proscindendam & colendam, arandam & iterandam, quam semen terræ committatur. Priusquam enim accedit verbi prædicatio, deserta & petræ sumus; sicut à Prophetis describimur.

MATTH. *cap.* 13. *à vers.* 24, *ad* 31.

24 *Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cœlorum homini serenti bonum semen in agro suo.*

25 *Quum autem dormirent homines, venit ejus inimicus: & sevit zizania inter triticum: & abiit.*

26 *Quum vero germinasset herba, & fructum edidisset, tunc apparuerunt etiam zizania.*

27 *Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen sevisti in tuo agro? unde ergo habet zizania?*

28 *Ille vero dixit eis, Inimicus quispiam hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis igitur abeamus & colligamus ea?*

29 *At ille dixit, Non: ne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum.*

30 *Sinite utraque simul crescere usque ad messem: & tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos, ad exurendum ea: triticum vero cogite in horreum meum.*

ANALYSIS.

PRimum formam seu speciem doctrinæ designat, nempe parabolicam; deinde Ecclesia visibilis ab adjuncta cœlesti gubernatione describitur, item à subjecto agro in quo est sita: cujus agri adjunctum unum est semen bonum, quod suo relato arguitur, Agricolæ sementem facientis.

*Vers.*25. Alterum adjunctum agri sunt *zizania* sata; quæ describuntur ab efficiente, nempe Agricolæ hoste & maligno, & subjecto loco, nempe per medium frumenti, & adjuncto tempore quo hostis seminat, interim dum homines dormiunt; deinde adjuncta clancularia semente, quia abit simul ac *zizania* seminavit.

*Vers.*26 Docet ex adjuncto tempore discretionem *zizaniorum* à bono frumento, nempe cum prope ad maturitatem pervenerit, utpote quod prius ita frumentum specie externa imitatur, ut discerni nequeat.

*Vers.*27. Efficientem indicat hujus discretionis, nempe servos patrisfamilias seu Agricolæ; quod judicium seu discretio suo effecto arguitur, nempe interrogatione servorum à patrefamilias unde sint *zizania.* Cujus dubitationis ratio à disparato petitur, quia paterfamilias bonum semen seminaverat.

*Vers.*28. Cujus quæstionis effectum est, patrisfamilias responsum, cujus forma exprimitur, nempe malignum hoc fecisse; responsi vero effectum alia quæstio servorum, cujus forma est, vis ne ut *zizania* decerpta colligamus?

*Vers.*29. Illius quæstionis effectum est patrisfamilias responsum; cujus forma est, non esse colligenda; cujus ratio est ab effecto, ne *zizania* decerpendo frumentum simul extirpent.

*Vers.*30. Quod responsum suo adverso confirmatur, nempe permittendum ut simul crescant: quod adjuncto tempore definitur, usque ad messem: responsum corroboratur porro à disparato, esse messorum illa colligere, cujus collectionis causa assignatur, mandatum patrisfamilias; quorum messorum effecta proponuntur, collectio & colligatio *zizaniorum* in manipulos; quæ suo adjuncto temporis describuntur, antequam scilicet in manipulos colligant frumentum; deinde suo fine declarantur, ut incendantur; deinde alterum effectum, nempe collectio frumenti, quæ suo item fine definitur, ut in patrisfamilias granarium comportetur.

METAPHRASIS.

24. *ALiam parabolam proposuit, dicens, perinde est in Ecclesia visibili ubi Deus spiritnale & cœleste regnum exercet, atque cum*
25. *quis bonum semen seminat in agro suo. Noctu vero interim cum homines oscitabundi dormiunt, prorspiens se malignus & inimicus homo, hinc inde inter frumentum* zizania *perspergens, ilico clam (ne dignoscatur) se subdu-*
26. *cit. Sed cum in herbam & culmum assurgens, proprium & suum (si ita loqui licet) fructum edit, tum demum (quod prius decer-*
27. *ni non potuit)* zizania *esse internoscuntur. Ea re à servis familias percepta, ipsi patremfamilias sic fere alloquuntur: Here, quum palam sit te agrum tuum pretioso frumenti semine consevisse, unde quæso est quod hæc noxia* zizaniorum *herba enata sit & germinavit?*
Quibus ille: Non aliunde est, quam ab homi- 28.
ne inimico & infenso mihi, qui hoc damni intulit. Cui itidem servi: vis igitur abeamus ut decerptis à frumento zizaniis, *ea in unum fasciculum seu metam colligamus, ut in agro præter purum frumentum nihil reliqui fiat.*
Nullo modo: ut enim cætera taceam, ne ziza- 29.
nia *radicitus evellendo una frumentum stirpi-*
tus eradicetur, periculum est. Sine potius u- 30.
traque cum frumentum tum zizania *ad messem (ut ad justam maturitatem perveniant) una crescere. Cum autem opportunum messis tempus advenerit, edicam messoribus; Ite, & primum quidem* zizania *falcibus demessa atque collecta in manipulos vinculis constringendos hoc consilio conjicite, ut incendio conflagrent: frumentum vero idcirco cogite, ut in horreum meum meis usibus asservandum convehatur.*

PRAXIS.

ALiquot parabolis infirmorum ex Ecclesia conditione offensionibus occurrens, cur parabolicum docendi genus usurparit, aliam à superiori rationem adnectit.

Cujus *partes* sunt:
- Medicina infirmorum ex Ecclesia offensionibus: parabolice exposita,
- Causa, parabolas continuo sermone usurpandi.

Quid sit offensio hoc loco.

Offensio est, cum quis ex re quapiam quam in Ecclesia desiderat, ab ea aut sollicitatur aut deficit.

Offensio, cui hoc loco medetur, *duplex* est,
- *Prior* ex improbis qui piis admiscentur.
- *Altera* ex abjectis initiis Euangelii, & ex paucitate profitētium Euangeliū nascente aut renascente Ecclesia.

Vers. 24. *Homines impuri Ecclesiæ non accensendi.*

Quod ad priorem attinet, indignum videtur homines impuræ vitæ Ecclesiæ accenseri, quæ sancta & vitæ integritate incorrupta esse debet. Neque gloriæ divinæ consentaneum esse, ut qui nomen ejus præ se ferunt, eos nomen ipsius prophanantes & violantes in Ecclesiæ censu diutius patiantur. Nam si paterfamilias honestatis paulo studiosior, flagitiosum servum diutius in familia non alit, ne ex illo ignominiam contrahat,

trahat, Deum infinitæ sanctitatis & integritatis amantiorem hoc laturum, verisimile non sit; maxime cum hominem, servorum suorū turpitudo & ἀπαξία sæpe fugiat; Deum autem non item: homini perditus & sceleratus servus prosit; Deo autem non item. Deus facile hominem impium familia summoveat; homo vero non perinde: ut in Davide experimur, qui Ioabum non est ausus abdicatione irritare. Quis paterfamilias in domo sua adulterinos & subdititios filios ferat, ut cum germanis cubent, eademque cum illis mensa & aliis filiorum juribus utantur? Maxime vero si istiusmodi homines ilico ex Ecclesia non ejiciantur, sed in illa perstare sinuatur, indignius videtur. Quamobrem hoc indignissime & iniquissime ferut. Quandoque etiam hanc Ecclesiam non esse cum animo suo statuentes, alio transeuntes, Ecclesiam deserunt. Hinc est, ut quo quis majorem laudem ex pietatis opinione reportavit, ab ea pietate si discedat & deficiat, graviorem infirmis offensionem præbet. 2 *Tim.* 2,18,19. & 1 *Ioh.* 2,19, *&c.* Speluncam enim latronum, & haram porcorum hos potius existimabunt, quam Ecclesiam sanctorum & gregem Christianorum.

Vers. 25, &c. *quibus tamen permiscentur ut frumento zizania;* Contra vero Christus docet, sic esse comparatam Ecclesiam hanc in qua regnum cœlorum inchoatur, ut sit in agro, in quo segetibus admiscentur zizania, &c. Nec expectandum esse hujusmodi in hoc sæculo Ecclesiæ conditionem, in qua impiis repurgetur: non magis quam expectandus sit ager, qui ita cultus & subactus sit ut præter fruges nihil noxiæ herbæ proferat. Imo perinde esse ut si bono semine in agro disseminato, invidus aliquis & infestus agricola dedita opera vitiosa semina clam aspergeret: hoc consilio ut zizaniorum evulsione & extirpatione, segetibus itidem eodem momento periculum evulsione aut conculcatione crearetur. Quamobrem non esse indignandum, si improbi bonis admixti & confusi à Deo & ab Ecclesia ferantur; primum quidē quod hoc Ecclesia non potest, cum sit Angelorum officium illud facere, qui potentiores sunt improbis, Ecclesia vero ipsa, infirmior. Vt olim David non potuit tametsi voluisset aulam suam improbis hominibus exonerare: tum etiam quod in Ecclesiæ bono fiat. Primum quidem ut probentur electi, & reliqui impingentes cadant & pereant, &c. 1 *Cor.* 11,19. Deinde, quod eorum patientiam hoc modo exercet Deus: deinde quod piorum virtus in lucta cum istis splendescit magis & confirmatur. Sicut enim fomes & reliquiæ peccati prosunt nobis, dum spiritus vis hoc modo in lucta cernitur; sic &c. Vide familias Abrahami, Isaaci, Christi discipulos inter quos Iudas, &c. Tum quod ex malis plerique progressu temporis sese corrigunt, & in triticum mutantur, aut cum illis litigando, multi in eorum partes abducuntur unde schisma nascitur.

Hinc discimus, quantopere nobis a corrupta vivendi ratione cavendum, ne occasionem aliis præbeamus deserendæ Ecclesiæ: & quam gravis causa subsit tam horribilis denunciationis, qualis extat *Matth.* 18. scilicet præstabilius esse, ut mola asinaria collo suspensa in profundum pelagus demergamur, quam scandalum aut offensaculum fratribus infirmis præbeamus. Quamobrem illud teneamus, quod 1 *Cor.* 10, 32. Potius vero ita fulgeamus sanctitatis luce, ut qui à Deo adhuc alieni sunt, ad ipsius obedientiam adducantur, *Matth.* 5. & 1 *Pet.* 3. Quod certe non fiet, si vitæ turpitudine fœditatem nostram prodamus. Sicut enim nemo se illi Domino in servitutem addicet, cujus servum pannis oblitum conspexerit; sic in quibus veteris hominis laceræ, fœdæ, sordidæque vestes apparent, &c. Ii enim certe, cum jam Christo deditos, tum alios qui cæteroquin ipsius se obsequio consecrarent, ab Ecclesia arcent. *[illegible]*

Sed hoc loco hæreticorum patroni, ad clientum suorum impunitatem asserendam abutuntur. Quibus vel ex hoc ipso loco resistitur. Et primum quidem, quoniam hoc loco de tota improborū universitate extirpanda agitur. Nihil igitur impedit quo minus quidam ex improborum turba delibati, supplicio tradantur. Nec hoc cum Ecclesiæ ratione pugnat: omnes vero simul & semel tolli, non nisi maximo Ecclesiæ damno fiat. Quod nisi ita sit, quo fundamento verbi Dei fures, homicidæ, proditores, & consimiles morte mulctentur? Nam si salva hujus parabolæ doctrina ii in crucem agi aut capite truncari possint, nedum hæretici, multo magis mortis pœna plectantur. Si enim peritura bona & hanc vitam eripientes, &c. Si principis Majestatem violans &c. nedum, &c. *proindeque quidam improbi supplicio tradendi,*

Deinde, modo ita evellantur ut triticum non una eradicetur, bona cum parabolæ venia eximi posse liquet; sed id fit & fieri potest quoties hæreticum semel atque iterum admo- *modo illud cum bonorum incolumitate fiat.*

admonitum & convictum, eundem pertinacem manere contigerit. Nam is pro deplorato Spiritus Sancti sententia est habendus, ut non sit de illo amplius laborandum, nec verbi medicina ulterius illi porrigenda: etsi quod remedium supersit, illud potius in civili quam in spirituali gladio collocandum sit. Cum igitur pertinacibus & obfirmatis hæreticis remedium non nisi mortis in supplicio collocetur, morti illum tradi frugibus certe nequaquam nocivum fuerit. Imo vero cum piis multum profuerit & Ecclesiæ, ut tales è medio tollantur, ut alii audito supplicio timere discant, in promptu est nihil hic adversum capitale hæreticorum supplicium.

Hactenus de parabolæ scopo, quo nos fert atque deducit. Quæ reliqua sunt ad eum locum rejicientur, ubi complicatum hunc & reconditum sensum, Christus ipse clara interpretatione explicabit.

MARC. *cap.* 4. *à vers.* 21. *ad* 26.

21 *Dixit etiam eis, Num lucerna venit ut subter modium ponatur, aut subter lectum? nonne ut candelabro imponatur?*

22 *Non est enim quicquam occultum quod non sit manifestum futurum, neque* quod *abscondatur, sed* oportet *ut in apertum veniat.*

23 *Si quis habet aures ad audiendum audiat.*

24 *Præterea dixit eis, Videte quid audiatis: qua mensura metimini, vobis metietur, & adjicietur vobis qui auditis.*

25 *Qui enim habet dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.*

ANALYSIS.

AD fructum ferendum adhortatur à fine revelationis Euangelii, quod paribus illustrat *Lucis* accensæ, ut noctis tenebras discutiens omnibus domum ingredientibus lucem præbeat, qua sua negotia expediant, sic Euangelii Lux accensa in cordibus nostris est, ut non ipsi tantum inoffense, sed alii nostro exemplo conversentur. Quod porro amplificatur negatione contrarii.

Vers. 22. Hanc adhortationem confirmat à genere, quod omnia fere quæ conduntur non alio fine conduntur, quam ut aliquando in lucem proferantur, nedum tam pretiosus lucis divinæ thesaurus.

Vers. 23. Ad diligentem verbi auditionem hortatur, primum à subjecto aurium, in quo est auditus.

Vers. 24. Deinde à subjecto circa quod auditus versatur, nempe doctrina, ut puram haurirent; post ad attentissimam & intentissimam auditionem exstimulat ab adjuncto præmio, Dei donum accipiendi plenius aut parcius, pro ratione attentionis.

Vers. 25. Hanc rationem confirmat testimonio, trito scilicet proverbio, eum qui habet, plus habiturum; quod suo adverso illustratur, eum qui non habet aliquid solidi, idipsum quod habet amissurum. Quod item altero testimonio, proverbio in populo trito confirmari videtur.

METAPHRASIS.

21. *SIcut Dei sermo semine adumbratus, vos ad fructum eo dignum ferendum invitat; sic lucis similitudo quæ expressam cognitionis Euangelicæ in mente ingeneratæ imaginem refert, eodem vos vocat. Nam inter homines ecquis tam brutus est, ut accensam lucernam sub modio, aut sub mensa occultet, ac non potius candelabro impositam commodo & edito loco statuat, unde omnibus ad suas res expediendum clare luceat? Quod si ita est, Deum, qui solus sapiens est, putatis notitia verbi sui animis hominum affulgere velle, nisi ut hac divina intus luce illustrati, eadem aliis vitæ sanctitate præluceant? Nihil enim fere est* 22.
quod homines condere solent, quod post in solem & lucem non afferant. Imo nihil fere occurrit, quod non eo consilio occultant, ut post suo tempore in apricum educant. Atque ut nullum 23.
est nec verbum nec sententia à me proposita, quæ vestra attentione & animadversione digna non sit; sic mox insequenti documento præcipuam quandam & summe intentam auscultationem præbete: memores, aures idcirco à Deo factas & formatas esse, ut eas ad omnes ejus sermones, & eos maxime qui ejus gloriæ & vestræ saluti potissimum intersunt, arrigatis. Tum dixit eis, primum cum omni ætate 24.
non defuturi sunt, qui aut certo se ducendi consilio, aut per inscitiam & imprudentiam, perversa & à veritate Dei aliena propposituri sunt; circumspiciendum vobis est, quænam sunt, quæ in medium afferuntur, dogmata. Deinde videndum, ut quæ salubria sunt avide arripiatis. Qua enim attentionis mensura ad verbi divini auditionem accedetis, eadem mensura gratiæ divinæ & doni Spiritus Sancti Deus animos vestros perfundet; ita ut attentis &

tis & experrectis auditoribus, aliquod doni
25. *cœlestis incrementum assidue adjicitur. Quod enim hominibus tam usitatum est, ut in proverbium abierit; Divitibus & his qui multa possident, munera confertim undique afferri: in hoc spirituali divitiarum genere verum comprobatur, ut hi quos Deus prompta & alacri verbi auditione, aliisque Spiritus sui donis ditavit, hoc ipso ad majorem largitionem à Deo percipiendum magis idonei inveniantur. Contra vero fit, ut sicut hominibus consuetum est, tenuibus quod parum aut nihil habent, per injuriam detrahere; sic Deo his quibus nihil solidi & synceri est, justissimo suo judicio, quod habent aut in speciem habere videntur adimere, & larvam quam pietatis prætendunt detrahere.*

PRAXIS.

AD sollicitudinem sanctæ conversationis ex eo cohortans quod occultissima quæque retegentur, ad diligentem & comptam verbi auditionem, qua sanctimonia vitæ & omnia dona spiritus comparantur, exsuscitat.

Cujus *partes* sunt, adhortatio ad { fructum ferendum. / verbum diligenter & cum judicio audiendum.

Vers. 21, &c. *Euangelii luce nullæ turpitudines occultæ manent;* Quia magnũ pietatis obstaculum est, quod homines suas sordes & turpitudinem tectas & opertas iri sibi persuadent, ob eamq; causam in eo toti sunt ut hominum oculos effugiant (ut fures, adulteri, &c. sperantes hoc fore occultum) Servator docet eos falli, siquidem hoc sibi persuadent: non enim frustra Deus tam admirabilem Euangelii lucernam accendit, sed illius lucis beneficio tenebras excutiendas, & omnia etiam abditissima antra, & occultissimas crenas & latibula hac luce collustranda esse: & sicuti de Solis calore dicitur illum nusquam excludi, sic de hujus solis splendore itidem dicatur, eum nusquam excludi. Vide *Esa. c.32, v.5.* Itaque Euangelii tempus *diei* comparatur. 2 *Tim. sed amentia eorum omnibus innotescit: ut Iannes & Iambres, &c.* Priusquam enim Euangelii lux apparet, ut *Esa.* 32. sæpe frugi habebantur bonæ, qui sunt avari; audaces, fortes; prodigus, munificus. Ideoque igni comparatur Euangelium, quo aurum à scoriis aliisque metallis secernitur. In hoc sæculo inchoatur, & perficietur die judicii, cum omnia nuda & resupina erunt. Hinc fit ut ab exortu Euangelii, plura peccata conspiciantur: quod plerique parum reputantes, in Euangelium vitæ luxum conferunt; cum aliud sit *peccata retegere*, aliud *patrare*. Lucerna enim collustrata, domus dignoscitur num sit immunda aut sordibus referta. Nisi igitur lumen Euangelii nobis utile ad *monstrandam viam* sit, in qua Deo grati & Ecclesiæ ædificationi simus, certe nobis in eum finem serviet *ut pravitatem & perversitatem hominibus etiam prodat.* Si non *ad operiendam* nostram nuditatem, *ad patefaciendam* eam erit. Ad tempus latere potest pravitas, perversitas, & nuditas nostra; sed tandem, &c. Referri enim hæc ad prædicationem Apostolorum manifestum est: ac si diceret Christus, hæc vobis exposui non ut illa occultetis, sed ut promulgetis præconio verbi. Illud videtur impedire, quod hæc interpretatio non duodecim tantum, sed aliis Euangelii studiosis facta sit.

Deinde monet de verbo audiendo; in quo prior cautio est, *ut videant quid audiant.* Sicut enim agricola magnum delectum habet seminis, ut lectissimum agro committat; sic nos perquam in hoc attentos esse debemus. Vide 2 *Petr. cap.* 2, *vers.* 1. & 1 *Corinth. cap.* 11. *Oportet hæreses esse, &c.* Quicunque hanc doctrinam non affert, eum in domum non recipiatis *Iohan. cap.* 3. nec salvere jubeatis. Nam quidam sunt veluti pueri qui huc illuc pro voluntate impellentis ducuntur, & instar glumæ sunt, qui quovis vento doctrinæ abripiantur. Sunt alii, qui cum auribus prurientibus sint & semper novitate doctrinæ capti, justo Dei judicio doctores nanciscuntur, qui eorum sensibus adlubescunt, non quibus ad pietatem & vitæ emendationem erudiantur: cumque primum vanis & frivolis, post falsis capientur. Cum enim solum semen verbi fructum bonum ferat, illud, & quidem omni captione nudum, adhibendum est: hujus rei remedium præbet Petrus 2 *Petr.* 11. *sub finem.* Eoque docetur Ecclesiæ esse, Scripturas probe cognitas habere ut discernant, &c. *Lucas* enim habet, videte *quo modo audiatis*, id est, qua attentione, quo animo, qua delectatione: quandoquidem alioqui nec fructum feretis, nec sterilitas vestra diu latebit. Oportet aures circumcidamus, Vide *Deut.* 32. qua aviditate audiendum est.

(Margin: Vers. 24, 25. *quare cum delectu illud accipiendum,*)

Qua mensura metiti fueritis, remetietur vobis audientibus.] Quo majorem diligentiam in audiendo verbo adhibetis, eo cumulatius gratiam Dei, id est, dona per gratiam acci- (Margin: *& in audiendo verbo diligentia adhibenda.*)

 pietis.

pietis. Quo plus seminis acceperitis, eo pleniorem messem referetis. Secus quam in colligendo Man, ubi quantumcunque quis collegerat, homerum retulit tantum: & qui minus homero collegerat, illam tamen mensuram auferebat. Sicut contra, cui gravis & incircumcisa auris est, ei etiam deest acumen intelligentiæ. Qui igitur sitientissimas aures affert, & aliis rebus maxime exoneratas, ille attentionem suam ad longissimum tempus extendat. Precandum itaque ut cum Deus nobis aures ad audiendum perforet, ut foramina illa quam late terebret.

MARC. *cap. 4. à vers. 26. ad 35.*

26 *Item dicebat; Ita est regnum Dei ut si quispiam jaciat semen in terram,*

27 *Et dormiat, & exsurgat nocte ac die: & semen germinet, & assurgat quomodo ipse nescit.*

28 *Sponte enim terra fructum fert, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica:*

29 *Quum autem prodiderit* sese *fructus, statim mittit messores, quoniam adest messis.*

30 *Dicebat etiam,* Cui rei *assimilaverimus regnum Dei? aut qua collatione contulerimus illud?*

31 *Velut grano sinapis: quod quum seritur in terra, minimum est omnium seminum quæ in terra sunt:*

32 *Sed quum satum fuerit, assurgit, & fit maximum omnium olerum: editque ramos magnos, ita ut possint sub umbra volucres cœli nidulari.*

33 *Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem* Euangelii *prout poterant audire.*

34 *Absque parabola vero non loquebatur eis: privatim autem discipulis suis explicabat omnia.*

MATTH. *cap. 13. à vers. 31, ad 33.*

31 *Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum quispiam sevit in agro suo:*

32 *Quod minimum quidem est omnium seminum: quum autem excreverit, maximum est olerum: & arborescit: adeo ut veniant volucres cœli & nidulentur in ramis ipsius.*

ANALYSIS.

Regnum Dei paribus illustratur, primum seminantis; qui describitur suis effectis, semen terræ committentis.

Vers. 27. Deinde dormientis noctu & surgentis interdiu: semen deinceps declaratur suis effectis, nempe germinandi & augescendi. Quæ effecta declarantur adjuncta Agricolæ incuria, & curæ abjectione, interim dum germinat & crescit.

Vers. 28. Cujus securitatis causa efficiens adjungitur, quod terra sata sua sponte fructum ferat; cujus fructus tres partes constituit, quas adjuncto temporis ab invicem distinguit.

Vers. 29. Aliud effectum Agricolæ ostendit, nempe frugum perceptionem, quam describit ab efficiente instrumento, falce, & adjuncto tempore cum maturiverint fruges.

Vers. 30. Convincit nos tenuis & angustæ intelligentiæ in mysteriis regni Dei percipiendis, ab adjuncta difficultate aliquid inveniendi, quo nostram infantiam & rudem capacitatem instruat. Quam etiam difficultatem rhetorica communicatione exornat.

Vers. 31. Πρόθεσις est, initia Ecclesiæ quantumvis exigua & obscura, tamen progressu temporis longe lateque diffundi; quod probat comparatione parium, grani scilicet sinapis; quod describitur à comparatione majorum, quia omnium seminum est minimum.

Vers. 32. Hoc semen describitur adjuncta satione, post effecto emergendi è terra, excrescendi in magni-

magnitudinem; quæ magnitudo amplificatur comparatione minoris, quod scilicet omnium fruticum sit maximum; quod etiam alio effecto amplificatur, quod ramos & flagella magna emittat; quæ ramorum magnitudo suo adjuncto arguitur, avium nidos sub umbra ramorum construentium.

*Vers.*33. Docet aliis parabolis populum docuisse; quas describit à comparatione similium, nempe harum ipsarum quas Euangelista descripsit; deinde adjuncto facilitatis, quam arguit à subjecto, quod ea facilitate essent, ut plebs & idiotæ eas intelligentia complecti possent.

*Vers.*34. Genus docendi designat parabolicum, quod negatione contrarii describit, nihil nisi parabolicum proposuisse. Quarum paribus adjunctis interpretationem describit, à subjecto discipulorum quibus illas exposuit, & adjuncta separatione & sepositione ab aliis, qui in discipulorum censu non erant.

METAPHRASIS.

26. *PErrexit doctrinam parabolis adumbrare, dixitque: Verbi prædicatio, qua Christus regnum suum in terris exercet, & qua ad cœlos iter sternitur, perinde instituitur, ut cum*
27. *quis, semine in terram jacto, securus & à sollicitudine vacuus, nocte dormit, & interdiu experrectus somno, negotia sua procurat, semine interim germinante, & incrementum tantillum capiente, ut uniuscujusque (etiam*
28. *Agricolæ) sensum fugiat. Terra enim postquam probe culta & justo semine perspersa fuerit, sua sponte absque cujusquam ope, fructum edit: primum herbam, deinde nonnullo spatio interposito spicam, sed illam nudam, tandem cum maturuerit frumentum adultum*
29. *spicæ folliculis conclusum. Simulac vero fructus maturus se prodit, falcem ilico immittit Agricola; quia hoc maturitatis judicio messem adesse novit, & ne fructus intercidat, aut*
30. *casu aliquo pereat, studiose cavet. Sicut autem superiore parabola, quomodo in singulis seorsim fidelibus Deus prædicationis ministerio virtutem spiritus sui exerit, Christus ob oculos ponit: sic in sequenti parabola, quam rationem in Ecclesiæ suæ proferenda & propaganda tenet Deus, delineat, & veluti pictura proposita demonstrat. Quamobrem sic inquit; Tam sunt homines rudes & bruti in percipiendis Dei mysteriis, ut mihi volenti Ecclesiæ amplum ex parvis initiis incrementum docere, vix occurrit quo hanc doctrinam apprime necessariam eorum mentibus (subjecta ante o-*
31. *culos aliqua imagine) instillare possim. Placet tamen Ecclesiæ progressum, ex parvis initiis (mediante verbi prædicatione) ad summum, & decus seu venustatem, & amplitudinem seu propagationem, cum grano sinapis compo-*
nere. Quod cum terræ mandatur, omnium 32.
fere seminum minimum existit: attamen terræ commissum assurgit, & sua altitudine omnes alios frutices, majore semine pullulantes superat; eaque magnitudine ramos hinc inde emittit, ut aves cœli sub eorum umbra nidos
suos construant. Aliis item parabolis, his ipsis 33.
quæ superius descriptæ sunt, propter facilitatem, & materiam in communi sensu positam persimilibus, sermonem Dei proposuit, se ad eorum quos docuit captum & intelligentiam
accommodans. Parabolicam docendi ratio- 34.
nem ita constanter tenuit, ut nisi parabola tectum & involutum nihil omnino plebem docuerit: quod tamen his qui suum nomen sibi dederant, maxime his quos ad Apostolatum designarat, cum soli, & à reliqua turba sepositi erant, adhibita interpretatione evolvebat.

PRAXIS.

EVangelium seminatum, hominibus inscientibus & nihil cogitantibus, sensim & per gradus ad messem seu adultam Christi ætatem crescit.

Cujus *partes* sunt,
- accretio, nobis inscientibus.
- per gradus quosdam ad maturitatem provectio.

In *priore* videtur eadem doctrina tradi, quæ *Ioh.*3,7,8. Vide illum locum.

Summa hujus parabolæ est, naturam & vim prædicationis verbi in singulis fidelibus ostendere. Scopus, tum ministros, tum fideles in spe profectus ex Euangelii prædicatione sustentare, tametsi illud minus apparet.

Docetur
- Fructum quem ferunt pii, tametsi ab illis aliquando non perceptum, & suis defectibus impeditũ, Deo in hac vita acceptũ esse, *v.*26,27,28.
- Eundem in futura vita remuneratum iri, *v.*29.

De fructu & usu rerum terrenarum ad cœlestium intelligentiam vid. supra in *Marc. c.* 4. *v.* 14. Res terrestres ad cœlestem doctrinam illustrandam adhibentur, ex iis quædam delegit ad promissiones obsignandas, alia possunt ad doctrinam illustrandam adhiberi, quam quæ Christus adhibuit, sed ad promissiones in cordibus nostris obsignandas ipse summa sapientia ea delegit quæ aptissima sunt, &c. Vers. 26. *Rerum terrenarum ad cœlestes usus.*

Quod præco assimulatur satori, corda auditorum terræ, &c. vide alibi in parabola semin. *Marc. c.*4. *v.*14.

Surget cum lucet, noctu dormit.] Videtur curæ & timoris vacuitatem indicare, de qua Vers. 27. *Ministris*

Psalm.

ministerii successu se non cruciandum, Psalm.3,6. Ioh. 10, 9. Actor. 1,21. Quo docentur Ministri, perfuncto diligenter & caute officio in prædicando, &c. ne de successu inquieti sint. Si enim cura & anxietate cubitum ad staturam addere non possimus, nedum, &c. tam enim peccamus in ea quæ Dei sunt invadendo, quam nostri officii sunt omittendo: vide ad *Corinth. cura omnium Ecclesiarum mihi incumbit*, & cum hoc loco concilia. Quod idem ad aliorum hominum opificia & negotiationes transferri potest.

Vers. 28. *nec animum abjiciendum;* Germinat & auget se, ita ut agricola illud non persentiscat. Hinc observatur etiam non ideo dejici oportere aut despondere animum, si aut fructus non statim apparet, aut cum appareat non ita perfectus aut copiosus appareat. Quandoquidem sumpto spatio adolescit, donec adultum fructum proferat. Sicut igitur agricola post sumptus factos & labores exantlatos messem patienter expectat: & ut mercator merces aquis & periculo maris committens, navis reditum æquo animo præstolatur, tametsi interdum totum triennium in itinere sit; sic nos tantisper expectare æquum est, quoad Deus messis & quæstuosæ negotiationis nostræ speratum gaudium ostendat. Eoque magis quod Deus ipse agricola est, cui ut seritur sic & demeti oportebit: nos duntaxat servi sumus, qui si operam nostrã fideliter præstiterimus, quod nos torqueat nihil est.

Hoc etiam ad fideles accommodandum, qui dubii & anxii sunt, quod Dei virtutem & operationem in se non sentiunt.

cum opera fidelium imperfecta Deo grata, Tres gradus constituit, Primum, accretionis herbæ. Secundo, spicæ inanis. Tertio, frumento plenæ. Quo docemur opera nostra imperfecta & multis nævis aspersa, tamen Deo grata esse, modo ad perfectionem contendamus, & quæ à tergo sunt obliviscamur, ad ea feramur quæ à fronte sunt: ut enim agricola herba & segetibus immaturis lætatur, quæ tamen nihil utilitatis in se habent; sic Deus nostris operibus immaturis lætatur, quæ nondum aut illi gloriæ aut Ecclesiæ emolumento esse possunt. Cum pueri in scholis, juvenes in Academia operam dant litteris, &c. hoc adeo acceptum & parentibus gratum est, etsi nihil adhuc præter sumptus, &c. sic, &c.

Vers. 29. *quos tandem in gloriam adducet.* Remuneratio in parabola præstat, sed impersonaliter loquitur ex phrasi Hebræorum, Deum messorem intelligit. Vt igitur agricola frugi simul ac seges matura est falcem immittit, & in horreum congerit; sic Deus in cœlum tanquam in granarium suum. vide *Iob.* 5,26.

Vers. 30. Hujus etiam parabolæ summa est, ex parvis initiis Ecclesiam longe lateque diffundi. Christum plebem promiscue docentem, hanc de Synapi parabolam, cum aliis omnibus his qui Christo nomen dederant, explicasse.

Scopus est, Ecclesiam cum adversus paucitatem suam, tum adversus Scripturarum (propter suam in intelligendo tarditatem) difficultatem consolari.

Partes consolationis Ecclesiæ adversus { sua tenuia & exilia principia, *vers.* 30,31,32. | tarditatem in Scripturis intelligendis, *vers.* 33,34. }

In priore *duo* sunt, { Quæstio, | Responsio. }

Hominum ad mysteria indocilitas; In *quæstione* proponitur nostra ad præcipua mysteria indocilitas, dum Christus, qui est sapientia Patris inducitur, addubitans & secum disquirens, an sit aliquid in rerum natura quod possit sua luce tenebras nostras illustrare: ut magnus Ecclesiæ consiliarius, pœne quasi inops consilii hic nobis proponatur, quo modo nostræ ignorantiæ & tarditati medeatur.

quare à Ministris ea juvanda. Deinde docentur hic Ministri magnam operam & diligentiam ponere, inveniendis his quæ populi in intelligendo infantiam & indocilitatem juvare possint. Vnde *Hos.* 11, *v.* 11. populo exprobrante, quod sub Ministerio Prophetarum, similitudine utentium non profecissent. *Matth.* 13,51,52.

Vers. 31. *Paucitas eorum qui veritatem tuentur;* Sequitur altera depulsio offensionis, ex paucitate profitentium Euangelium. Cum enim pauci admodum sunt qui veritatem tuentur, & præterea omnes aditus multiplicandi numeri interclusi videantur, eo quod qui illam profitentur infirmi & ignobiles sint; sed qui extinctam volunt infiniti, valentes etiam viribus nobilesque. Inde quidam vim pertimescentes se ab Euangelio aut subducunt, aut se (prout veritas postulat) non adjungunt: alii vero putant veritatem Dei non esse, quæ tam incomitata & deserta est, &c. Quotusquisque enim putaret tantam principem & veluti regis filiam tam instipatam esse, neque gynicæo magis frequentem? aut quis existimaret eum Dei unigenitum esse Filium, qui tam solitarius incedat? sicut enim Abimilechus Davidi iratum Saulem suspicabatur, quod paucis admodum servis stipatus advenerat; ita &c. Sic olim Iudæi abjecta initia templi instaurandi contem-

contemnere parati erant, apud *Aggæum* Prophetam. Sicut hodie fanatici quidam, qui hæc apud nos religionis principia aspernantur.

non igitur Ecclesia ex multitudine censenda,

In quo illud primum adversus *Pontificios* notandum, Ecclesiam non esse ex multitudine censendam & æstimandam, nisi velint Christi Ecclesiam ab ipso collectam damnare. Sed excipiunt Christi temporibus quidem angustam & contractam, post Apostolorum temporibus ita dilatandam & amplificandam, ut nunquam ad pristinam paucitatem & angustiam coarctari & compingi potuerit. Verum, hoc ab illis dicitur, non autem docetur. Interim quomodo sibi ipsis non consentiunt, qui de Ecclesia visibili eoque numerosa illud accipiunt, scilicet, *Civitas supra montem posita,* illud enim de Apostolis affirmari palam est. Sed videntur ex hoc ipso loco refelli posse, nam Christus Ecclesiæ statum non una ætate, sed qualis sæpius esse possit describit, & Apostolus insignem à veritate defectionem futuram prædixit. Vide alias quæ ad hunc locum spectant. Deinde adhibe consolationem adversus tentationem ex paucitate, scilicet quod unus Deus nobis sufficit: id illustra exemplo Abrahæ.

Vers. 32. *qui tamen multi & numerosi futuri.*

Deinde nos adversus hanc tentationem confirmat, scilicet, fore ut utcumque sunt pauci, multi & numerosi tamen futuri sint: tametsi in speciem nulla spes appareat. Sicut enim synapis granum, &c. Est enim incredibile, nisi eventus nos contrarium doceret, ex tam minutulo semine tantum baculum ramis diffusum exoriri posse: & vix credibile est, parum fermenti unico tantum loco injectum & insertum, ad omnes conspersi partes & particulas permanaturum; sic &c. Quod si hæc ab hominibus consita & irrigata ita crescunt & pervagantur, &c. Ignis scintilla quantam vim lignorum incendet? Euangelii vero doctrina igni assimulatur. *Act.* 2. Item eodem loco vento valido pervadenti omnia loca; nec à quoquam impediri posset. Contemplemur in Abrahamo, qui cum solus esset & vetulus, uxoremque & sterilem & effœtam haberet, ut nulla spes prolis affulgeret, promissione tamen Dei tanquam synapis grano in infinitam multitudinem evasit: ut ejus filii cum stellis, arena maris, pulvere componantur: ut ejus familia in regnum excreverit, ubi infinitæ familiæ nidificabantur. Aliquid hujusmodi legitur *Daniel.* 2. de lapide exciso ex monte, qui excrevit in ingentem magnitudinem. Sicut enim Christus primo humilis & abjectus specie, post in summam claritatem evectus est; sic, &c. Hujus autem parabolæ veritas primum Apostolorum temporibus cognita est, cum referente Propheta verbum Hierosolymis egressum totius orbis aures personavit: & ibi tanquam in angusto loco conclusum, totam conspersionem fermentavit. Hoc & nostris temporibus cognitum est. Quod enim primum in familiis reconditum erat, post in urbes, deinde in regna provenit.

Quomodo synapis granum minimum?

Quod vero semen papaveris, & rutæ aliarumque herbarum minus est, cum verbis Christi non pugnat; quia minimum dicitur, ratione habita arbusculæ quæ inde assurgit. Tametsi vero synapis nostri semen in tantam altitudinem & magnitudinem non evadat, tamen in Iudæa hoc factum esse, dubium non est. Quod idem in arundine fit, quæ ibi arborescit, cum apud nos perinde non faciat.

MATTH. *cap.* 13. *à vers.* 33, *ad* 44.

33 *Aliam parabolam loquutus est eis,* dicens, *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ sata tria, usquequo fermentaretur tota.*

34 *Hæc omnia loquutus est IESUS per parabolas ad turbam: & absque parabola nihil loquutus est eis.*

35 *Ut compleretur quod dictum fuit per Prophetam, dicentem; Aperiam per parabolas os meum: eructabo occultata à jacto mundi fundamento.*

36 *Tunc dimissa turba venit domum IESUS, & adierunt eum discipuli ejus, dicentes; Edissere nobis parabolam zizaniorum agri illius.*

37 *Ipse vero respondens, dixit eis, Qui seminat bonum semen est filius hominis:*

38 *Ager autem, est mundus: bonum vero semen, sunt filii regni: zizania vero, sunt filii illius Mali.*

39 Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus: messis vero, consummatio seculi est: messores autem, Angeli sunt.

40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni exuruntur: ita erit in consummatione seculi hujus.

41 Mittet Filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam transgressioni legis:

42 Projicientque eos in fornacem ignis: illic erit fletus, stridorque dentium.

43 Tunc justi effulgebunt ut sol, in regno patris sui. Qui habet aures ad audiendum audiat.

ANALYSIS.

Ecclesiæ ex parvis initiis magnum incrementum illustrat comparatione similitudinis, nempe fermenti; cujus effectum designatur, quod plurimum farinæ fermentat; quod amplificatur suo diverso, quamvis quantitate exiguum sit: describitur à subjecto loco, nempe condendum esse in medio conspersionis.

Vers. 34,35. Finem ostendit cur parabolis doctrinam adumbrarit; ut impleretur quod Psalmista cecinit, qui cum formam docendi designat parabolicam, & subjectum doctrinæ, nempe abstrusa & abscondita à jactis mundi fundamentis.

Vers. 36. Quædam Christi effecta notantur, nempe quod dimisit & ablegavit turbam. Deinde quod in domum se recepit, quæ adjuncto tempore declarantur, nempe postquam plerasque parabolas apud turbam proposuisset. Cujus dimissionis & in domum receptus adjunctum erat, eorum discipulorum ad eum accessio: deinde adjuncta petitio, ut illis parabolam zizaniorum edissereret.

Vers. 37. Seminatoris pari Christus illustratur, mundus agro.

Vers. 38. Filii regni bono semine, filii diaboli zizaniis.

Vers. 39. Diabolus maligno & infesto homine, mundi finis messe, Angeli messoribus.

Vers. 40,41. Ratio comparationis redditur à paribus, quia ut messe *zizania* colliguntur à messoribus, ut incendio consumantur; sic in mundi fine Angeli à Christo emissi omnes improbos colligent, improbi autem ab effecto iniquitatem operandi, & pariter offensaculorum, ad quæ homines impingunt, describuntur.

Vers. 42. Collectionis autem finis indicatur, ut in caminum ignis ardentis conjiciantur; cujus conjectionis effectum est, fletus & stridor dentium.

Vers. 43. Hujus autem plenæ & consummatæ impiorum à piis separationis effectum est, quod justi fulgebunt; qui fulgor suo subjecto loco definitur, in regno glorioso Patris, & illustratur pari radiorum solis.

METAPHRASIS.

33. *Aliam parabolam loquutus est turbæ, di-*
cens: verbi prædicatio, sacramentorum
administratio, & disciplinæ Ecclesiasticæ debi-
ta procuratio, quibus ad regnum cœlorum a-
ditus paratur, fermenti rationem habet. Nam
ut fermentum quantumvis exiguum ingenti
massæ conspersionis inditum, ut omnes massæ
partes permeans, & se diffundens, massam
prius insipidam angusto temporis spatio sapi-
dam reddit: sic hæc prudenter accommodata,
brevi spatio Ecclesiæ angustos fines dilatant.
Hæc autem per parabolas idcirco proposuit, ut 34,35.
in Christo impleretur denuo, quod olim de se
Psalmista cecinit, dicens: Aperiam in parabo-
lis os meum, & eructabo recondita ab ipsis
pene rerum originibus & jactis mundi fun-
damentis: *sicut enim Prophetæ veteres histo-*
rias alte repetit, ut suæ ætatis populum in pie-
tate institueret; sic Christus quæ ab homini-
bus in communi vita geruntur, ad spiritualis
vitæ institutionem, ad suæ ætatis homines tra-
duxit. Post turbæ missione facta, & illo se in 36.
domum recipiente, discipuli eum accesserunt,
dicentes: Edissere & evolve (quæso) nobis pa-
rabolam de zizaniis in agro hinc inde persper-
sis. Quibus Iesus respondens, dixit: Qui serit 37.
bonum semen, egomet ipse sum, qui ob eam
causam etiam humana natura assumta filius
hominis vere appellor, Agro vero mundus u- 38.
bi seritur adumbratur: bonum autem semen
sunt hi, qui regno cœlorum possidendo desti-
nantur, Deo bonum semen dicti, quia verbi
divini prædicatione, tanquam semine immor-
tali filii Dei renascuntur: zizania vero ad-
umbrant filios Diaboli, utpote qui Diaboli
imaginem expressam natura gerentes, ad ejus
se imitationem porro factis componunt. Per 39.
malignum & infestum hominem, qui zizania
disseminavit Diabolum, Dei & piorum jura-
tum hostem; per tempus messis mundi consum-
mationem; denique per messores angelos intel-
ligi volo. Quemadmodum igitur in messe 40.
colliguntur zizania, ut igne pereant, sic in
hujus mundi consummatione fiet. Suos enim 41.
electos Angelos mittet filius hominis, qui idem
est Angelorum Dominus: ut collectis è regno
suo (quod est Ecclesia) omnibus impiis, qui
impactionis occasionem assiduitate peccandi

piis

42. *piis præbent. Eosdem in caminum, igne Dei*
ira tanquam flatu accenso, ardentem conji-
ciant: ubi erit, sine omni cessatione, post con-
summationem mundi, fletus & stridor den-
tium, ex infinito cruciatu animi & corporis
43. *expressus. Contra vero justi, cum à propria &*
ingenita corruptione, tum vero ab ascititia &
adventitia improborum inquinatione penitus
separati fuerint, non tum, ut olim, sicut Luna
quæ sua luce mutabilis est; sed ut ipse Sol, infi-
nito fulgore splendebunt in regno Patris sui.

PRAXIS.

Vers. 34, 35. *Prophetarum exemplo Christus per parabolas locutus est;*

HUjus parabolicæ doctrinæ aliam rationem assignat, à testimonio Prophetæ ductam, *Psal.* 78. Nam ut Propheta Asaphus Israëlem de rebus ante illud tempus parum notis informaret, ad attentionem parandam parabolis se hoc facturum profitetur (tametsi enim probe sciebant eo *Psalmo* comprehensa gesta esse, tamen usum eorum & documenta quæ ad omnem Ecclesiæ posteritatem accommodanda erant, maxime vero quæ Christum & Ecclesiam ejus adumbrabant, tenuiter degustabant: præ ut pii qui Davidis tempore vixerunt, quo tanquam novum lucis & cognitionis Dei incrementum affulgebat. Nam cum erant ante illud tempus ænigma erant, ita ut illud בקדם non videatur posse ad mundi initium referri, sed ad exitum ex Ægypto) sic Christus cum res multo admirabiliores, & prioribus seculis omnibus ignotas (*Ephes.* 3,5.) complexurus esset, idem docendi genus delegisse ab Euangelista confirmatur. Quo docetur, Christum summum Prophetam & Prophetarum Dominum, seipsum non tantum Propheticæ doctrinæ, sed docendi etiam formulæ Prophetis usurpatæ obstrinxisse: ut tametsi occultandi mysterii necessitas ei incumberet, essetque ad eam rem parabolæ umbra aptissima, eam tamen ad involucrum & integumentum sensus sui adhibere noluisse, nisi Prophetarum vestigiis insistenti, illi hoc facere fas fuisset. Eodemque fundamento nititur, quod tanta frequentia parabolas usurparit: quod Euangelista ex verbo אביעה seu ἐρεύξομαι eleganter observavit.

quorum exemplo & nunc docendum:

Quamobrem non tantū doctrina Prophetarum & Apostolorum est retinenda, sed genus docendi ab illis usurpatum à nobis quoad possumus colendum erit. Non quod hujusmodi oratio sectanda à nobis sit, quæ minus ab auditoribus percipiatur, id enim in exemplum trahendum non esse supra ostendimus: sed ut ad quamcunque rem docendam nos applicuerimus, eam ad auditorum & argumenti quod subjicitur usum, exemplo Prophetarum accommodemus. Quod enim Apostolis in se defendendis promissum est, ut non tantum quid, sed quomodo etiam loquantur Spiritu Sancto edocendi essent, id latius patet: & non tantum in judicio apologiam, sed in suggestu doctrinam complectitur. Quod si loquendi formulæ à Spiritu Sancto edoctæ sunt, quis non videt eas ad ædificandam Ecclesiam aptiores esse, quam quæ ex peregrinis & prophanis scriptoribus petuntur, & humano ingenio excogitantur? Aut existimabimus Spiritum Sanctum, à quo doctrinæ fructus in solidum pendet, pleniore benedictione hominum inventam quam à se dictatam docendi formulam persequuturum. Nisi igitur peritior aliquis artifex inveniatur, qui doctrinæ veritatis aptius vehiculum effingit atque fabricetur, quo ad intelligentiam electorum perferatur, quam quod formavit Spiritus Sanctus, hoc sine controversia utendum erit tanquam aptissimo. Adeo quoties pro concione dicendum erit, quid doceamus petendum est; quod idem in modo docendi præstandum esse, superior à me productus locus convincit. Sicut igitur ad ipsam quam precibus petimus doctrinam adipiscendam & intelligendam, ad sacra Scripturarum oracula confugimus; sic ut quomodo spiritus dictat doceamus, non aliunde quam ad Spiritus Sancti in Scripturis consuetudinem recurrendum erit. In Templo & Tabernaculo, res sacræ non nisi sacris etiam vasis proponebantur. Ita enim scutellis ad sacrum usum destinatis, panes propositionis continebantur: ad ignem sacrum excitandum, sacri forcipes, &c. adhibebantur: sic ad doctrinam sacram, &c.

illæ ex rebus intelligibilibus petendæ.

Notandum, apud *Marcum* dici, parabolas ita & tam familiaribus rebus propositas esse & obviis, ut potuerint eas intelligere; ut justa fuerit improborum ex ignoratione condemnatio, & Ministri etiam intelligant, quibus potissimum rebus similitudines sint petendæ; nec illos cœlum subvolare debere, quo plebes eos sua intelligentia prosequi nesciant; sed, &c. Quæ si hac ratione summe observanda erant, quanto magis Euangelica doctrina, quæ majore temporis spatio delituit, & cujus vel unicum nativitatis Christi mysterium plus mysterii & admirationis habet, quam omnia illa miracula, quæ vel in Ægypto vel in deserto edita sunt. Et

hujus quidem doctrinæ non modo nihil simile ab initio mundi extitit, sed nec deinceps ad mundi usque finem extabit. Huc pertinet sententia illa, *audivisse Apostolos quæ neque Prophetæ neque Reges, &c.* Non sine causa igitur εὐαγγέλιον vocatur doctrina Novi Testamenti, cum nihil unquam aut ante actis temporibus aut futuris innotescet, quod cum hoc arcano aut cum iis novis contendat: quæ tametsi quibusdam exoleta, pervetusta & satis decantata videantur, tamen in ea inquirenti, quotidie aliquid illi novi occurret. Cujus scientia majori quadam voluptate eum perfundat, quam præstantissima quæ uspiam alibi narrantur εὐαγγέλια. Omnes, cum publicus tabellarius appulerit, occurrunt & advolant; ut quæ nova ex patria afferantur quam primum resciscant, &c.

Discipulis hoc petentibus, Christus parabolam zizaniorum evolvit atque explicat.

Cujus partes sunt, { Discipulorum à Christo petitio. Christi eorum petitioni responsio.

Vers. 36. *Discipulorum pietas in petitione expositionis parabolæ;* In priore, piorum ingenium qui minus intellecta requirunt, perspicitur. Hoc probe discipulorum professioni competit: quo in censu omnes pii existimandi sunt. Tametsi enim Christianorum appellatione assumpta, discipulorum nomen exolevit, res ipsa tamen remansit. Vt igitur discipulus hæsitans, rogitat, &c. Quis de testamento paterno addubitans, aut de monumentis quæ hæreditatem suam continent, non libenter nodi expeditionem quærit. Qui igitur de hac re solliciti non sunt, hoc ipso declarant ad se hæreditatem non pertinere. Quinimo fit ut non percunctantes, non modo non intelligunt quod dicitur, sed contrarium prorsum secum domum referunt: ut pro semine bono, zizania: pro pane, venenum reportent.

Vers. 37. *in qua seminator ipse filius hominis,* *Seminatorem* dicit, se *filium hominis:* eoque Ecclesiæ Doctor & Propheta nominatur. Cujuscunque igitur ad sementem faciendam ministerio & manu utitur in disseminando Euangelio, ipse est Seminator. Quod in nobis studium singulare accendat, prædicatum Euangelium audiendi. Qui enim vos audit, me audit. Deflectendi igitur oculi à misero homuncione qui manum præstat, & ad Christi majestatem referendi: non tanquam ex suggesto verbum sonaret, sed tanquam de cœlo excipiendum: & tanquam summo cœlo & throno Majestatis. Quis non libenter Salomonem audiret, aut alium quemvis ejus gravissimos sermones & sapientiæ dicta referentem? Et tamen major est Salomone: ipsa scilicet Patris sapientia. Quem igitur puderet à Christo quod nescit discere? si angelum de cœlo misisset, ut legatione erga nos fungeretur, audientiam præbuisse oportuit: nunc vero cum Filium unigenitum misit &c. Idem etiam utile est ad timorem & metum incutiendum. *Heb.* 2. tam amplam legationem & quidem pacis optionem afferentem.

Mundus est ager: non ut olim, Iudæa; sed universus orbis. Quæ enim olim desertæ erant regiones, locus ferarum bestiarum, draconum, &c. nunc est ager Domini, vinea Domini, hortus Domini, &c. Prius, bonum semen, cum sermone; nunc piis comparatur *semen bonum:* quia, sermonis semine generantur: quia, ut ex semine spica progressu temporis assurgit; sic ex parvis initiis tandem ad perfectionem perducitur. Quo indicatur, nos prima quæque pietatis initia, à semente Verbi Dei haurire: nihil nobis insitum natura esse, præter vitiosa. Quod autem *verbo* ad vivam & certam regni spem gignamus, id nostram ad audiendum diligentiam acuat: & ad accipiendum semen studium inflammet. Sunt enim non tantum ex regia stirpe, sed Reges quotquot hoc semine regenerantur, & Monarchæ cœli & terræ. Vers. 38. *mundus totus ager, bonum semen pii,*

Zizania, diaboli filios esse, causa redditur, quod ab illo gignantur & proseminentur, *Ioh.* 8. *vos filii diaboli estis, &c.* & 1 *Ioh.* 3, 8, 9, 10. *Genes.* 3. *semen serpentis.* Quod horrorem incutiat, si quis illud pro dignitate reputet. Quibuscunque enim parentibus se oriundos jactant, tamen nisi pietate vera imbuantur, filii sunt diaboli. Vide 1 *Ioh.* 3, 9. eoque, hæredes & cohæredes diaboli, *Matth.* 25. Ex quo verbi prædicationem, inquitatis causam non esse declarat. *zizania filii diaboli,*

Finis mundi est messis.] Quod certissime notat, finem hujus mundi fore. Vt enim sementem messis sequitur; sic Euangelii prædicationem finis mundi. Erit dies justitiæ, quo quisque prout gesserit se, accipiet. Alioqui, pejor esset piorum conditio 2 *Thes.* 1. & 1 *Cor.* 15. paterfamilias nimis dissolutus esset, qui suos servos nunquam ad ponendum rationem revocaret. Vers. 39. *finis mundi messis,*

Messores Angeli.] Ministri etiam messores dicuntur: sed qui homines in Ecclesiæ militantis horreum colligant: cum Angeli, in Eccle- *messores Angeli, ut & Ministri.*

Ecclesiam triumphantem convehant. Illi falce verbi hoc faciunt: Angeli, falce roboris & virium. Illi, exhortationibus & persuasionibus. Hi vero, vi. Illi non sine contradictione & reluctatione. His resisti non poterit. Vtut enim improbi hic cum messoribus colluctentur, & non sine aliquo, ut sibi videtur, fructu; ibi tamen nihil profuerit illis contra niti; nec magis poterunt obsistere, quam falci præacutæ zizania.

Vers. 40, &c. *ut agricola messis tẽpore, sic faciet Christus die illo.* Vt igitur agricola messores suo tempore, id est, cum maturuerit frumentum immittit, qui, &c. sic Christus expleto piorum numero, Angelos mittet, qui offendicula & improbos tanquam zizania, à piis tanquam frumento seponent, & veluti per manipulos (non ut ante carptim) collectos & constrictos in ignem ardentem projicient. Hic quidem (inter homines) unus potentia: alius, mercede; alius, blandis pollicitationibus; denique alius quod non innotescat, se judiciis & pœnis eximit: sed ibi nihil horum impediet, quo minus ad supplicium rapientur. Nec vero pugnat quod *Matth.* 25. habetur, ubi Christus dicitur segregaturus hœdos ab agnis. Nam Christus hoc faciet ministerio angelorum: unde suum hoc factum jure vocare possit. Interim vero Ecclesiæ & Reipublicæ castigationes & supplicia non debent cessare.

Vers. 43. Τότε.] Nam hic vita nostra abscondita est in Christo, &c. *Coloss.* 3.

MATTH. *cap.* 13. *à vers.* 44, *ad* 53.

44 *Rursus simile est regnum cœlorum thesauro occultato in agro, quem nactus quispiam occuluit, & præ gaudio quod accipit ex eo, subducit* sese, *& omnia quæ habet vendit, emitque agrum illum.*

45 *Rursus simile est regnum cœlorum cuipiam negotiatori, quærenti pulchras margaritas.*

46 *Qui nactus quandam magni pretii margaritam, abiit & venundedit omnia quæ habebat, & emit eam.*

47 *Rursum simile est regnum cœlorum sagenæ jactæ in mare, & quæ res cujusvis generis coëgit.*

48 *Quam impletam* piscatores *subduxerunt in littus: & sedentes quæ bona erant in vasa collegerunt, quæ vero putria extra abjecerunt.*

49 *Ita erit in consummatione seculi: prodibunt Angeli, & segregabunt malos è medio justorum:*

50 *Projicientque eos in caminum ignis: illic erit fletus & stridor dentium.*

51 *Dicit eis IESVS, intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam Domine.*

52 *Ipse vero dixit eis, Propterea omnis Scriba edoctus in regno cœlorum, similis est cuipiam patrifamilias qui profert è thesauro suo nova & vetera.*

ANALYSIS.

CHRISTVS cum verbo, sacramentis, &c. ab adjuncto pretio describitur, quod illustratur comparatione parium, thesauri in agro; deinde ab adjuncta ejus à captu humani ingenii occultatione: quæ comparatione parium exornatur, nempe thesauri in visceribus & penetralibus terræ defossi. Post ab adjuncta ejus inventione, cujus effecta exponuntur, cautio scilicet ne illi præripiatur, qui alio pari illustratur, nempe cœlatione rei inventæ, ne si evulgetur, locus ubi thesaurus defossus est, ab aliquo antevertatur & anticipetur. Deinde altero effecto gaudii, post venditione omnium quæ possidet; quod suo fine declaratur, ut agrum in quo thesaurus est, emat.

Vers. 45. Pius & Christianus pari describitur, mercatoris gemmarii; Christus, cum Euangelii prædicatione conclusus, pretiosæ margaritæ comparatur. Præterea pius describitur suo effecto quærendi Margaritam.

Vers. 46. Hæc investigatio margaritæ arguitur suo effecto inventionis margaritæ quam quærit; item alio effecto omnia vendendi; quod suo fine arguitur, ut margaritam emat.

Vers. 47. Verbi ministerium describitur comparatione parium, sagenæ jactatione, ubi mundus in quem sagena dimittitur maris similitudine illustratur; cujus jactationis effectus describitur, nempe quod res diversi generis. Rete non pisces tantum circumcludit.

Vers. 48. Post alio effecto, nempe in littus tanquam in aërem ubi extremum judicium fiet, extrahitur; deinde quod studiose tanquam sedentes, & animum ad eam rem apponentes, bonos à malis tanquam pisces à lapidibus secernunt; his in cætu

tanquam commoda vasa ascitis, illis ad inferos ejectis; quod adjuncto tempore describitur, cum sagena impletur.

*Vers.*46. Hæc autem secretio præcipue describitur ab adjuncto tempore, nempe in consummatione mundi, cum veluti impleta sagena numerus electorum absolvetur; deinde suo efficiente, nempe electis angelis, qui improbos à sinistris, justos ad dextram Christi sistent.

*Vers.*50. Angelorum aliud effectum proponitur, improbos in ignem gehennæ conjicere; cujus effectum est, fletus & stridor &c.

*Vers.*51. Claudit Christus has parabolas adjuncta quæstione, an discipuli hæc omnia intelligerent; quæ suo effecto declaratur, discipulorum responsione; cujus forma est, se illas probe intelligere.

*Vers.*52. Describit Ministri Euangelii adjunctam institutionem, in his omnibus, quæ ad ministerium plene obeundum requiruntur. Hunc illustrat comparatione patrisfamilias, qui familiæ alendæ & hospitibus omnis conditionis excipiendis, omnes suas caveas, cellas, penarias, granaria, & alia conditoria probe victualibus omnis generis munita habet.

METAPHRASIS.

44. *QVum piorum tam gloriosa & fulgens in regno cœlorum conditio (ut diximus) futura est, quæ eo ducunt chara & pretiosa ut sint oportet. Quamobrem quæ nobis aditum in regnum gloriæ parant, recte thesauro assimilentur, & quidem (propter nostram naturæ nobis illum assequendi insitam ἀδυναμίαν) in agro profunde demerso & abstruso. Quem cum quis Dei gratia fultus invenerit, omni ne quis illum sibi præripiat cautione utitur. Idemque ex inventi thesauri gaudio, ilico se accingit, ut venditis quæ possidet (ad unum) omnibus, agrum in quo thesaurus reconditus est emat.*

45. *Rursus fidelis qui ad regni cœlorum acquisitionem recte institutus & comparatus est, mercatorem gemmarium vere exprimit, qui margaritas studiose quærens, in unam quandam longe pretiosissimam incidit.*
46. *Quo comperto, ilico reversus domum, quæ possidet omnia ut illam redimeret, divendidit.*

47. *Denique verbi ministerium, quo ad regnum cœlorum aditus munitur, sagenæ non incommode comparatur, quæ in fluctuantem mundum, tanquam in turbulentum & procellosum mare, jacta, piscium omne genus convertit.*
48. *Quæ cum impleta tractu gravis esse cœperat, illam protinus in littus piscatores subducunt, post considentes, tanquam in rem attente incumbentes, bonos & alimento humano idoneos pisces ab aliis selectos, in vivaria aliaque illis asservandis accommodata vasa conjiciunt; putres vero & usibus humanis ineptos abjiciunt. Sic completo electorum nu-* 49.
mero (tanquam sagena piscibus gravi) in mundi consummatione futurum est. Angeli æterni à Deo emissi egredientur, & improbos à piis tanquam bonos pisces à putribus secernent. 50.
Improbos vero in diri cruciatus locum conjicient: ubi erit, ex tormentorum infinitorum sensu, fletus & stridor dentium.

Hæc cum perorasset Iesus omnem hanc æ- 51.
nigmaticam docendi rationem, hac ad discipulos quæstione clausit. Nunquid hæc omnia percepistis? Cui illi: omnino Domine illa percepta habemus omnia. Quibus Christus: Quam- 52.
obrem omnis verbi divini præco, abunde ad verbi prædicationem (qua ad regnum cœlorum itur) instructus, patremfamilias providum imitari debet. Sicut enim hic omnes cellas, penarias, caveas, & alia conditoria ciborum & potionis omnis genere munit; unde (prout usus est) vetera & nova pro domesticorum varia conditione, ætate, robore, valetudineque expromit: sic ille animi omnes facultates tanquam cellas, magna doctrinæ cœlestis copia & varietate completas & infarctas habere debet, unde prout cujusque aut ætas aut ingenium & captus aut animi robur & invaletudo postulat, spiritualem pastum oportune suppeditaret.

Summa *est, prædicati verbi Dei vim & naturam vivis coloribus depingere.*

Partes *sunt prædicati verbi vis in* { *Singulis seorsim.* / *Ecclesia conjunctim.* }

PRAXIS.

PArabolis discipulos seorsim informans, quæ eorum sint in docendo partes instruit.

Cujus *partes* sunt, { Doctrina, parabolis proposita & adumbrata. / Ministrorum in docendo officium. }

In *parabolis* { *Duæ priores*, quanti Euangelium sit faciendum docent. / *Tertia*, malos cum bonis in Ecclesia per verbi ministerium aggregatos, tantisper quoad mundi finis sit duraturos ostendit. }

In iis duabus parabolis, videtur esse commoda digressio, sumpta occasione à beatissima electorum in cœlis fœlicitate, ubi instar solis fulgebunt. Hinc enim veritatis Euangelicæ pretium probe æstimatur. Et cum thesauro & pretiosissima margarita componitur, quia ad tantum fastigium honoris & beatitatis

Euangelii pretium maxime in gloria revelanda;

beatitatis provehit. Habet quidem ejus agnitio in hac vita fructus præclaros, scilicet, placidam conscientiæ pacem, quæ jugis convivii instar est. Habet ipsa Euangelii cognitio jucunditatem, quæ animum non omnino stupidum, voluptate & suavitate perfundat, sicut ante docuimus. Quibus nominibus tametsi plurimi faciendum sit, tamen justum ejus pretium non nisi ex gloria quæ revelanda est, quam nec vidit oculus, &c. petitur. Sicut enim thesauri possessio tametsi nos aliquantum recreet, tamen nisi ad nostri, liberorum & ædificiorum ornatum distrahatur, parum utilitatis aut fructus affert; sic, &c. Vt igitur nobis ipsis stimulos addamus ad Euangelium avide percipiendum, & prout ejus dignitas postulat, subinde nobis cogitatione in cœlum subvehendum est, &c.

Vers. 44, &c. *quæ quatenus cum thesauro & margarita comparetur?* Cum *Thesauro* & *Margarita* comparatur (ut *Matth.* 7. unde 2 *Cor.* 6, 10. Ministri ditare dicuntur, tametsi ipsi pauperes sunt) non ut hæc Euangelio exæquentur *Iob.* 28, 15, 16, 17. *&c.* & *Prov.* 3, 14, 15. paleæ enim & stercus sunt, si cum Euangelio conferantur: sed quod in rebus humanis nihil pretiosius sit *Thesauro* & *Margaritis*, ideo, &c. Si quis projiceret Thesaurum pretiosum & lapides pretiosos, quis non omnibus nervis contendat ut quam optimam partem secum reportaret? Oculos, manus, pedes totos collocaret: se etiam luto volutaret, & constipationem aliorum pateretur, ut quam optimam partem domum referret.

an ille etiã à divitibus investigandus? Quod si quis *excipiat*, pauperes quidem hoc facturos; sed divites sese huic hominum tumultui ablaturos.

Resp. Omnes ipsos etiam reges pauperes esse, atque adeo mendicos, proinde opus habere hoc thesauro, & ne gry quidem hujus thesauri natura possidere: nec magis vestibus nudos in hanc lucem editos esse, quam hujus thesauri & harum margaritarum inopes. Nec vero illud pugnat, quod quidam cœlesti hoc thesauro cognitionis Euangelicæ jamdudum donantur: quisquis enim isto thesauro locupletatur, in eo harum cœlestium rerum cupiditas crescit: eoque ante dictum est, eum qui habet, porro habiturum & cumulate illi addendum esse. Hinc est ut *Psal.* 83, 4. *thesaurus domini & ejus peculium* dicamur, quod Deus nos non minoris facit, quam Rex sua gaza: cum contra impii, quos Deus hoc thesauro non ditavit, pluma leviores æstimantur.

Quod dicit κεκρυμμένον, id refertur ad similitudinem fodinarũ auri & argenti, quæ in locis subterraneis demersæ sunt, ut non facile occurrant. Vnde & magna peritia opus est, qua sedem fodinarum pervestigent, & inventis fodinis magni sumptus faciendi & labores adeundi, quo concupitum thesaurum consequantur. Hic igitur ad diligentem inquisitionem cognitionis excitantur, ut nullis laboribus aut sumptibus parcant, ut in ultimas terras excurrant. Exemplum in Regina Sabæ: sed tamen homines scientia eo pervestigant & penetrant, ut quod quærunt inveniant *Iob.* 28, 1, 2. Hic autem thesaurus reconditior est, quam ut ulla hominis industria & ingenio erui possit: nullus tam aut corvi aut aquilæ acie præditus est, ut istum thesaurum pervidere queat. *eo quidem diligentius quo magis reconditus.*

Sed inanis, *inquis*, erit quærendi conatus & labor, si nullus homo ad hunc thesaurum nullo pacto eruendum pertingat: *quomodo illud, cum homo non pertingat?*

Pervenitur quidem humanis viribus ad hunc thesaurum nullo pacto, sed gratia Dei, & dono ex gratia. In terra enim infra reconditus & abstrusus non est, sed in ipsis cœlis repositus. Ligones igitur & instrumenta seu machinæ, quibus hic thesaurus paratur, sunt manus & oculi, non in terram, sed in cœlum defixi; ardentes preces *Matt.* 6. præterea verbi auditio. *Prov.* 2, 6. *Act.* 10, 14. Item 16, 14. Denique Sacramentorum usus, quo difficilia intellectu, & quæ intelligentiæ acumen fugiunt, veluti contrectantur & palpantur.

Ἔκρυψε.] Atque qui aliquid reperiunt, vicinos advocant, ut re communicata eos socios gaudii habeant. Vide *Luc.* 15. Deinde piorum ingenium est, beneficium agnitæ veritatis cum suis & aliis partiri. *Ioh.* 1. & *Ioh.* 4. *quatenus eo invento celet?*

Sed *resp.* ideo dictum esse inventorem celasse, ne scilicet alius illi surriperet, & illum in agri acquisitione antevertat. Quod etiam in cœlesti thesauro aliquousque imitandum est: ut cautionem & prudentiam adhibeamus, & oculos animi circumferamus, ne (quod in *Apoc.* dicitur) alius coronam adimat; serpentes enim prudentia esse oportet.

Alterum est, cum ex invento thesauro tanto gaudio perfusum esse, ut omnia sua vendiderit, &c. Superius vidimus gaudio quosdam perfusos ex audito verbo, qui tamen fructum non retulerunt: id autem eo fiebat, quod gaudium leve, momentaneum, minimeque solidum esset nec plenum. Sed ii qui prout decet hoc faciunt, &c. Gaudium *quodnam inde gaudium solidum?*

Ggg 2 vero

vero an sit solidum & plenum inde conspicietur, si plus mæroris ex amissione omnium bonorum, quam gaudii ex inventa Euangelii veritate accipiamus: si veritatis causa, omnia relinquere parati simus; ut amicos, honores, divitias, patriam, atq; adeo vitam ipsam. Magnam enim quæstũ faciemus, si vel iis omnibus Euangelium redimamus: lucrosum iter fecerimus, &c. Hujus exemplum habetur in Abrahamo, in Mose *Heb.* 11. & eximie in Paulo. *Phil.* 3, 5, *ad* 8. Quid igitur nobis fiet, cum sine jactura magna illud acquiramus, & cum & vitam & bona cum Euangelio & professione ejus retineamus. Nec vero universa Euangelii notitia tanti constat, sed quævis ejus particula & apex: ut potius quam aliquid perdamus, &c. Nec vero tantum jacturam facere debemus, sed cum gaudio.

Vers. 47, &c. *Scopus parabolæ de sagena.* Tertia parabola redit unde digressus est: & etiam aliam parabolam in eundem sensum cum priore de zizaniis proponit, nisi quod omnium offensioni superiore parabola occurrens, hoc loco præcipue ministrorum offensioni occurrere videtur, qui exantlatis maximis laboribus, indignissime ferant impios simul cum piis, eorum ministerio in septa Ecclesiæ compulsos esse. Adde etiam quod prior parabola complectebatur nomine zizaniorum, omnes improbos, intra & extra Ecclesiam.

Vers. 51. *Usus harum parabolarum.* Propositis parabolis, docet specialem earum usum esse erga illos, qui à Christo ad verbi ministerium destinati, ad illud obeundum & exequendum informabantur: scilicet, ut fideli memoria illas recondentes, populo prout usus esset cõmunicarent. Quamobrem quod ab illis num parabolas perceptas haberent percunctatus est, non id fecit quod ignoraret, sed ut eorum responso majorem oportunitatem captaret ministrorum Ecclesiæ officium perstringere.

Vers. 52. *Ministri cum fingi patrefamilias collatio.* Docet vero Ministrum instructum, cum patrefamilias comparandum, qui promptuaria sua, cellas, caveas, aliaque repositoria omni alimentorum genere probe munivit, unde abunde ad convivarum & hospitum, seu potius domesticorum usum illa depromat, quæ cujusque conditio maxime postulat. Allusit autem proculdubio ad *Cantic.* 7. ubi Ecclesia sponso vetera & nova recondita habere dicitur. Sicut enim providus & amplus paterfamilias simul vetera & nova habet, ut aut ipsa varietate hospitem delectet, aut si alterutrum minus placeat, placeat tamen reliquum; sic multiplici doctrina imbutum esse oportet ministrum Euangelii, ut auditores varietate quadam delectet, & pro audientium multiplici ingenio, temporum, &c. orationem suam accommodet: ita tamen ut à sinceritate doctrinæ, ne latum quidem unguem recedat. Sic fecit Christus: noverat enim non tantum simplici oratione, sed figurata & adumbrata agere: noverat unam eandemque doctrinam pluribus parabolis illustrare: noverat pro varietate auditorum parabolas accommodare: prout enim cujusque conditio est, ita parabolis & similitudinibus suam vitæ conditionem attingentibus gaudet: ut mercatores, iis quæ cum sua negotiatione maximam conjunctionem habent: & ut mulieres illa delectant, quæ sexum suum attingunt; ut quod de fermento allatũm est: & piscatores, parabolæ à piscatione ductæ delectant.

MATTH. *cap.* 8. *à vers.* 18, *ad* 23.

18 Quum vidisset autem IESUS turbam multam circum sese, jussit, ut abiretur in ulteriorem ripam.

19 Et quum accessisset quidã Scriba, dixit ei, Magister sequar te quocunq; abieris.

20 Tunc dicit ei IESUS, Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21 Alius autem ex discipulis ejus dixit ei, Domine, permitte mihi primum abire, & sepelire patrem meum.

22 IESUS autem dixit ei, Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

LUC. *cap.* 9. *à vers.* 57, *usque ad finem Capit.*

57 Factum est autem ut proficiscentibus ipsis, quidam in via dixerit ei, Sequar te quocumque ieris, Domine.

58 Dixit autem ei IESUS, Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59 Dixit vero ad alium quemdam, *Sequere me. At ille dixit; Domine, permitte mihi ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum.*

60 Dixit autem ei IESVS, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: Tu vero profectus annuncia regnum Dei.

61 Dixit autem etiam alius, Sequar te Domine: sed permitte mihi prius ut valedicam iis qui sunt domi meæ.

62 Ait autem ei IESVS, Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit ad ea quæ retro sunt, *appositus est ad regnum Dei.*

ANALYSIS.

Πρόθεσις est, quendam se Christi ministerio sponte offerre; qui describitur ab adjuncta professione Scribæ, deinde ab effecto suam operam Christo sponte offerendi; quod amplificatur à subjecto loco quocunque, item adjuncta servitute; quam designat à relato, Christum præcedentem sequendi.

Vers. 20. Cujus voluntariæ oblationis adjunctum est, Christi illum in ministrum & præbitorem admittendi recusatio; quæ sua causa corrumpente arguitur, Christum scilicet paupertate & contemptu in mundo, ad opes & honores quos Scriba aucupari visus est, incommoda: quæ paupertas ab adjuncta destitutione domunculæ arguitur; quæ porro amplificatur à comparatione majoris, vulpium, quibus sunt suæ foveæ, & avicularum quæ suos habent nidos.

*Vers.*21. Alius jussus sequi Christum proponitur. Qui primum describitur à relato, nempe quod fuit discipulus Christi; deinde adjuncta excusatione, qua se eximit à sequendo Christum; cujus causa explicatur, nempe ut ei liceat exspectata patris morte, illum sepulturæ mandare.

*Vers.*22. Cujus excusationis effectum est, Christi responsum; quod arguitur ab adjuncta inconvenientia, quæ concluditur ab adverso, quia vivos spiritu mortuos sepelire indecorum est. Quod etiam confirmat ab adjuncta convenientia, ut mortuos sepeliant, & confirmatur à disparato, nempe quia sequi Christum ilico oportet, & non expectare donec mortuo patre illum sepelias.

METAPHRASIS.

18. *Eodem ipso die quo parabolas ante descriptas proposuerat, & ejusdem diei vespere Christus turbam magnam, qua se defatigatum ad novum laborem revocaturus erat, conspiciens, dixit discipulis, comparate cimbam,*
19. *ut in adversum littus trajiciamus. Interim vero dum discipuli trajectum parant, eum accedit Scriba quidam Ecclesiæ ministerio adscriptus, in his nominatim, quæ ad Ecclesiæ usum & ædificationem describenda erant.* 1 Chron. 24, 6. *Qui dixit ei, præceptor, mihi adeo quæ dicis & facis omnia probantur, ut tui studio paratus sim tibi quocunque abieris, & in quodcunque discrimen adduxeris, me mi-*
20. *nistrum & præbitorem adjungere. Cui Iesus: Nolim te in mea fortuna & vitæ conditione errare: quæ certe tam tenuis est, ut vulpium quibus sunt sua lustra, & avium quibus suppetunt sui nidi, potior (si externa hæc spectes) conditio sit: utpote cui ne tuguriolum ubi caput reclinem alicubi proprium extat. Quamobrem de latifundiis mei ministerio perquirendis cogitans, spe tua penitus frustraberis. Erat au-* 21.
tem alius, & quidem ex his qui suum nomen Christo dederant, qui ab eo ad Euangelii ministerium vocatus, respondit: Domine te vocantem non pure sequi recuso, unum modo abs te peto, mihi ut per te domi hærere liceat, tantisper quoad patri moribundo, & confecto ætate (usque eo ut alterum pedem in sepulchro posuisse videri possit) extremum pietatis officium funus procurando, præstitero. Ad quem Iesus; 22.
missa omni excusatione me sequere; nam abunde passim suppetunt homines vitæ Dei expertes, qui patri tuo mortuo ad parentandum quam maxime idonei sunt. Quamobrem illis hanc provinciam, ad quam præcipue facti sunt, obeundam relinque.

PRAXIS.

Ad verbi ministerium adhibiti, nec futurorum commodorum spe duci, & præsentium, quæ ministerium impediant, oblivisci debent.

Cujus *partes* sunt, ministris { non inhiandum vitæ commodis. & abjiciendum quibus fruuntur, quoad ministerium remorantur. }

Christus, conspectis turbis, jussit discipulos ipsi addictos parare illi navem, qua trajiceret & transfretaret: interim vero dum ad navem pergunt, hæc quæ sequuntur acciderunt; ut quidam suam in ministerio operam obtulerit, alius à Christo adscitus & advocatus sit. Vers. 18. *Tempus quo sequentia facta.*

Prior pars in certo quodam Scriba proponitur; qui cum admirabilem, cum in loquendo, tum in agendo virtutem in Christo deprehendisset comperissetq; Christũ magni ab omni- Vers. 19. *Quid Scribam ad Christum sequen-*

dum impu-lerit? ab omnibus fieri,& de regno mundano somniasset, ut visum est; totum se ejus obsequio seu servitio, dedere & devovere voluit, neq; tantum discipulis, sed minister porro Euangelii creari expetivit. Oportuit autem magnam vim esse, qua Scriba propriæ scientiæ opinione turgidus, & ex ordine Christo infensiore, usque eo attractus sit, ut à suis deficere,& Christo adhærere velit. In quo quid spectarit Scriba iste, ex Christi ad eum responso liquet.

Vers. 20. *quæ Christo cognita:* Christi responsum huc spectat, se probe intelligere, quid ille quærat & sectetur; nosse quid in homine sit, nec egere hominis testimonio: scilicet ut ditescat, & honorem ex ministerio consequatur; sed falsa spe ali jactarique. Cum enim ipse, ubi caput reclinet non habet, absurdum esse, ut aut hujusmodi emolumenta ab illo exspectent, aut servi honoribus & divitiis inhient, cum eorum Dominus his etiam destituatur, quæ ad vitam hanc tuendam necessaria sunt, ita ut aliunde ista accipere & mutuari eogatur.

hinc caute ad ejus ministerium accedendum, In quo notandum est, ministros ad ministerium accessuros, ante oculos ponere oportere, Christum cordium inspectorem esse, & diligenter considerare, quo quis consilio ad ministerium accedat, & propterea illis cogitandum, ut accuratiori judicio satisfaciant, quam Episcoporum aliorumve doctissimorum & judicio acerrimorum hominum; quod ni faciant, aliunde quam per portam ovile ingrediuntur: his vero duntaxat θυρωρὸς aperit, qui se Christo, non hominibus solum probant. Vide *Act.* 1,24. *Num.* 27,16. Vt enim principes suos Ianitores habent, qui diligenter observent, si qui præter constitutum conventus ingrediantur: sic &c. Tametsi vero Christus hic præsens in terris non sit, qui avaros & ambitiosos voce sua discernat à synceris; tamen suam voluntatem in verbo testatam fecit, secundum quam de illis pronuntiabit. Idem etiam in civilium magistratuum delectu observandum est. Quod idem, & in singulorum separatis vocationibus tenendum est, ut illas referant ad Dei gloriam & proximorum commoda, non ad propriam seu gloriam seu utilitatem.

nulla lucri spe proposita; Hoc loco notandum, plures ad ministerium accurrere, dum sibi vane & stulte honores aut divitias pollicentur, nec cogitant de cruce ferenda; sed ministerium arbitrantur hortum esse deliciarum, aut umbratilem pugnam, à pulvere, sudore & vulneribus remotam.

Notanda hoc loco indiga, & exhausta Christi pro nobis conditio; qui cum omnium dominus esset, se omnibus exuere, & propter nos pauper fieri voluit, ut ne tugurium habuerit, in quo vel caput conderet: ut vulpium & volucrum præ eo melior ex hac parte conditio esset, qui & foveas & nidos habent, & quibus motæ alios quærant. Hoc nos æque ferre paupertatem docet, si qua calamitate in eam incidamus; quod intelligimus Christum Dominum hanc conditionem subivisse: satis enim sit servo, si perinde cum illo, atque cum hero agatur. *Mat.* 10,25. Perquam enim absurdum, seu militē seu servum esse oportet, qui heri aut ducis fortunam æquo animo non ferat. Vide Vriæ exemplum, qui ad militiam vocatus, noluit delitiis indulgere, quod imperator belli Ioab sub dio ageret. 2 *Sam.* 11,11. Quanquam tolerātia heri aut ducis vires servo aut militi non confert, quibus illi difficultates sustineant, Christi vero patientia in paupertate, nos sub onere paupertatis nutantes & laborantes recreat, dum cogitamus illum æquissime hoc onus tulisse, ut nos iniquius quandoque, quam par est, eam ferentes sublevet, simul ut suo merito vires resistendi nobis acquirat. Qui autem divites sunt, meminerint ita possidere, tanquam non possidentes, 1 *Cor.* 7,30,31. *cum Christi conditio pauperrima.*

Pars altera sequitur, ad ministerium vocatos suis jam partis & perfruitis commodis cedere oportere, modo Christum sequi velint. Hic docetur ministerium tam arcte complectendum esse, & ejus persequendi studio, ab his etiam, si opus sit, divortium faciendum, quibuscum conjunctissimum necessitudinis & consanguinitatis vinculum habemus, ipsis nempe parentibus Sic *Matth.* 4. legimus filios Zebedæi, patrem uti Christum sequerentur reliquisse. Principibus quidem hoc non est permissum, ut hoc naturæ vinculum violent: tametsi enim 1 *Sam.* 8,10, *ad* 18. hoc regis jus dicitur; tamen vim potius & tyrannidem esse, ex loci circumstantia evincitur, cum parentum ab amplexibus avelluntur. Deus tamen hoc juris in hominum filios obtinet, ut inconsultis aut invitis parentibus hoc faciat, ut illos assumat ad ministerium suum, quos sibi adhibuerit. Quod si gravissimis pœnis plectitur, qui debita parentibus obsequia temere denegat; gravius certe multari eos necesse est, qui officia illa non obeunt, quæ ministerii sunt. Quod si ministerii causa, illa etiam officia nobis deserenda & abjicienda sunt, quæ à Vers. 21. *Christi vocationis causa omnia relinquenda,*

Deo

Deo nobis imponuntur; quæ illa non sunt admittenda onera, quæ nobis nullo præcepto incumbunt. Quamobrem nihil est, quod obtendunt Episcopi, qui se non asciscere sibi civilia munera, sed demandata admittere, veluti clypeum his opponunt, qui eos hoc nomine ἀλλοτριοεπισκοπῆς insimulant.

Vers. 22. *quomodo mortuis mortuus sepeliendi?* Quod vero Christus diem usque ad mortem patris prorogari sibi cupienti respondit, *mortuos mortuis sepeliendos esse permittendos*, duplicem mortuorum acceptionem continet; hanc vita momentanea, alteram perenni vita defunctorum. Sensus igitur est, non defuturos qui hoc munere defungantur, quandoquidem qui Deo mortui sunt, hoc erga suos officium non negligent. Scimus enim tam Ismaëlem quam Isacum, Abrahami funus procurasse. *Gen.* 25,9. & tam Esavum quam Iacobum, Isaco defuncto justa persolvisse *Gen.* 35,29. Ex hoc autem testimonio Christi, & exemplis Isaci & Ismaëlis, Esavi & Iacobi colligitur, exequias & funus, ita procurari debere, ut tam infideles, quam fideles illi interesse possint: ob eamq; causam preces & conciones non esse in funere adhibendas. Idem etiam constat ex funere Iacobi, cui tam Ægyptii Idololatræ, quam Iosephus cum reliqua Ecclesia interfuerunt. Idem potest Episcopis responderi, plus satis virorum esse, qui jus dicendi in homines periti sunt, quibus illa munia committi possunt. Nam nec res tanti ponderis est, quantum ministerium, & plures sunt, qui illis se literis imbuendos tradunt, quibus judicis officium exerceant, quam qui ministerium Verbi, & judicium Ecclesiasticum exercere norunt. Hoc vero esset præclarum Christiani hominis officium, si perspecto filiorum ingenio, ad illam potissime vivendi rationem destinaret, in qua maxime Reipublicæ aut Ecclesiæ defectus suppleant.

hinc quo loco habendi qui à Deo alieni? Quod si duplicem mortuorum sensum accipiamus, ut & 1 *Tim.* 5,6. obiter notemus, quo loco sunt qui à Deo, & vero Dei cultu alieni sunt. In summa enim, cum membrorum corporis agilitate, tum ingenii dexteritate mortua quædam coram Deo cadavera sunt, inferorum sepulturæ non ita multo post mandanda, quorum fœtor cum Deum tum homines offendit, & ingratus est, tametsi fragrantissimis odoribus perfundantur. Sicut enim rancidum & prostratum scortum nullis, nec vestibus nec aromatis, se à contracto fœtore vindicare norint: sic &c.

Illud vero jure miretur quis, cur Scribam sponte suam operam offerentem repudiet, eum vero, qui à Christo vocatus cunctatus est in ministerium admisit. Ex quo illud constat, non esse maxime illos ad ministerium idoneos, qui ultro ad ministerium accurrant; sicut etiam ex tertio exemplo constat, quod sub homine proponitur, qui sponte, ut videtur, se obtulit, tametsi illud cum aliqua exceptione factum est: sicut contra non sunt semper pro inidoneis habendi, qui vocati aliquantulum restitant. Hi enim rei difficultate perterriti, illud declinare student, illi vero nullo sensu ponderis ministerii tacti, temere ad ministerium convolant. Hic elegans illi Gedeonis filii apologus locum habet. *Cur Scriba nec alter à Christo admissi?*

Tertius suam etiam operam offert in ministerio, hac lege, ut amicis & domesticis valedicat. Quod quidem tametsi & honestum & humanum est, & olim Elizæo concessum 1 *Reg.* 19,20. non tamen à Christo, ut videtur, admissum est. Lvc. 9, vs. 61. *Christi ministerium ob amicos non differendum;*

Hoc eleganti similitudine declarat: quemadmodum enim, qui aratro manum admovens, si vel semel aut minimum respectet, curvam & inflexam lyram ducit; sic qui ministerio se addicens, vel minimum respectaverit, aut aliorsum cogitationem averterit, à ministerii accurata norma recedit. Locum igitur hic non habet Proverbium illud quod circumfertur, pollicis latitudine à norma non deflecti. Nam grani aut etiam pili unius latitudine norma deseritur: ut hoc exemplo videatur Christus majorem quandam, & accuratiorem diligentiam in Euangelii ministerio exigere, quam olim sub lege; nec immerito, cum ministerium honoratius sit hoc, quam illud. Quanquam verbo ἀποτάξασθαι non tantum se amicis valedicere, sed & mandata eis de domesticis negotiis dare significatur. Hoc ad omnes accommodari potest, ex *Philip.* 3,13. oblivisci oportere quæ à tergo sunt, & nos ad ea, quæ ante nos sunt, extendere. Observa neutrum eorum, qui se ingesserunt, admissum esse; sed illum duntaxat, quem Christus ipse vocarat. Vers. 62. *cum qui minimum deflectit ad illud ineptus.*

MARC. *cap.* 4. *à vers.* 35, *usque ad finem Capit.*

35 Dixit autem eis die illo, quum serum dici *esset, Transeamus in ulteriorem* ripam.

36 *Dimissa igitur turba acceperunt eum ut erat in navigio: sed & alia navigiola erant cum eo.*

37 *Tunc oritur turbo venti magnus: & fluctus irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.*

38 *Erat autem ipse in puppi, cervicali indormiens: tunc expergefaciunt eum, dicuntque ei, Magister, non est tibi curæ quod perimus?*

39 *Experrectus igitur objurgavit ventum, dixitque mari; Sile, obmutesce. Tum quievit ventus, factaque est tranquillitas magna.*

40 *Dixit autem eis; Quid ita timidi estis? quomodo fidem non habetis?*

41 *Et timuerunt timore magno, dicebantque alius ad alium, Quisnam iste est, quod etiam ventus & mare auscultent ei?*

ANALYSIS.

CAusam trajectionis maris notat, Christi ad discipulos mandatum; deinde adjuncto tempore generalius, diem scilicet quo concionem parabolicam habuit, specialius vesperam ejusdem diei.

Vers. 36. Effectum mandati Christi, nempe quod turbam reliquerunt, quod Christum in navigio impulsis remis diduxerunt: hæc trajectio describitur ab adjuncto comitatu aliorum navigiorum.

Vers. 37. Adjunctum proponit alterum hujus trajectionis, periculum in quo discipuli erant. Cujus periculi causæ describuntur, primum tempestas excitata; cujus effectum unum erat fluctuum timor, alterum quod fluctus navigium influebant, tertium navigii ex aquis repletio.

Vers. 35. Quartum effectum est, quod Christum expergefaciunt; cujus causa exponitur, quod Christus dormiebat; qui somnus suo subjecto universaliore declaratur, in puppi, magis proprio subjecto, cervicali: forma expergefactionis subjicitur; *Magister non est tibi curæ de nobis?*

Vers. 39. Effectum hujus invocationis primum est, quod Christus turbinem increpavit, 2. quod mari silentium indixit; quæ cum effecta invocationis extiterunt, tum causæ erant cum venti placati tum maris tranquilli.

Vers. 40. Post metum eorum trepidantem perstringit; cujus causam designat fidei exilitatem.

Vers. 41. Hujus duplicis miraculi effectum est, 1. timor magnus, sed non ut prior vitiosus, sed ex reverentia magnifici operis Christi natus, deinde admiratio, cujus forma adjicitur, *Quis igitur hic est cui cum ventus tum mare obtemperant?*

METAPHRASIS.

36. *ILli relicta turba post comparatam ad navigandum cymbam, Iesum adhuc in navi, è qua tanquam ex suggesto concionem habuit, hærentem, in illam quam conduxerant assumtum traduxerunt, aut certe ex una parte navis ad puppim, tanquam commodiorem locum traduxerunt, cui & alia navigia se comites præbuerunt. Postquam vero ex littore sol-*
37. *vissent, subita & non expectata tempestas cooritur: unde mare ventis impulsum intumescens, suis in navem fluctibus adeo exundavit, uti naves, illam præsertim in qua Christus vectus est, momento fere uno aquis impleverint.* Vide Luc. 8, 23. & Matth. 8, 27. *Iesus au-* 38.
tem, ex assiduo eoque intento concionandi labore fessus (ut fit) somnum iniit, capite ad cervical incumbente: qui illum tam arcte complexus est ut nec tempestatis fragor, nec fluctuum collisiones, nec commeantium & remeantium strepitus illum somno expergefecerint. Quamobrem illum discipuli excitant, his fere verbis illum compellantes; Præceptor, nulla ne salutis nostræ cura duceris, quod in summo discrimine versantes non eripis, sed somno indulges? Serva (quæsumus) si tamen jamjam à mari absorbendi; salus nostra deplorata non
sit. Iesus somno experrectus, primum ventum 39.
tanquam sensus & rationis participē increpavit, ut qui maris fremebundos fluctus excitasset: deinde mari tanquam intelligentia prædito edixit, ut tanquam fiscella in os objecta conticesceret; quo unico mandato & aër serenus & mare tranquillum valde, non sensim ut fieri
assolet, sed è vestigio extitit. Sed priusquam 40.
hæc miracula edidit, illos perstringendo ad majorem fructum percipiendum comparat. Quid causæ est quod tam immodice formidatis? Quomodo tam multis miraculorum documentis edocti & confirmati adeo fide vacillatis? ut à me perinde dormiente atque vigilante
salutem non speretis. Illi vero tantæ majesta- 41.
tis sensu tacti, ad tam gloriosum Dei opus magnopere contremiscebant, & admirabundi invicem alloquebantur: cum hæc ita sint ut oculis nostris intuemur & auribus percipimus, quis & quam immensus habendus est, cui mutæ & sensus expertes creaturæ, tanquam ad Imperatoris sui nutum, obsequium præstant.

PRAXIS.

COntinet trajectionem in alteram Lacus ripam:

Cujus

Vers. 35. Christus navem ingressus quomodo à discipulis assumptus?

Cujus partes sunt, { Apparatus ad transfretationem, & Tempestas in trajectione.

Nunc autem ad navem adveniens, quam prius parari jusserat, eam cum Discipulis ingreditur: ubi cum (ut videtur) Discipulos, & Euangelii professores, qui illum ad navem usque prosequebantur, docuisset, tandem appetente vespera, discipulis mandavit ut transfretarent. Quo facto dicitur *Christum à Discipulis assumptum ut in navi erat*, quod ego existimarim intelligi de transferendo Christo in commodiorem navis locum, in puppim ad quietem aptiorem: verisimile enim est in alia navis parte eum ante docuisse.

Vers. 36. in turbæ dimissione circa vesperam ejus diligentia,

Assumpto vero Christo, navem ex littore solvendo turbas dimiserunt. In quo iterum consideratur notabilis in Christo diligentia & assiduitas, qui ita tempora distribuit, ut nocturnum tempus ad docendum & miracula edendum, non ita itineribus idoneum, precibus & meditationibus destinaret, ut interdiu doctrinæ totus pœne vacaret. Quo exemplo admonentur omnes qui præsunt, hi inprimis qui Ecclesiam procurant, ut in suis muneribus assidui sint, ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ: eaque potissime rebus privatis gerendis eligant tempora, quæ eos minime impediant. Quod eos jure redarguat, qui vana exercitia comminiscuntur, quibus diem consumant.

& illius promptitudo quod cum eo navigarint.

Marcus notat plerasque alias ibi naviculas fuisse, quas cum Christo solvisse, & ob eam causam pari periculo obnoxias fuisse ex *Matthæo* colligitur, qui non Christi Discipulos, sed homines de sedata tam subito tempestate attonitos narrat. Quo spectare videtur, quod συμπληροῦντο apud *Luc.* 8,23. invenitur, quod ego ad naviculas retulerim. Quæ res eximiam quandam in auditoribus promptitudinem demonstrat: quo populi ardore terra marique labore sumpto, domi & peregre sermonem regni captantis, eorum hominum socordia proditur, qui vix pedem è cubiculo efferunt ut eundem ipsum, cui illi tantopere inhiabant, regni sermonem percipiant: tametsi vero Deus verbi subtractionem comminatur, tamen &c.

Sequitur ut de tempestate dicamus, { *primum* quidem excitata, & *deinde* à Christo sedata.

Vers. 37. Ad Christi doctrinæ confirmationem hæc tempestas excitata,

In excitata tempestate primum considerandum, quæ hujus causæ existunt; quas duas cumprimis fuisse colligere non est difficile: unam, ut doctrinam, quam in navi proposuerat, obsignaret, & gloriam patefaceret; alteram, ut eorum in doctrina profectum exploraret. Quoties igitur graviora aliqua calamitate urgemur, succurrat nobis ad pacandam mentem, & fovendam patientiam, Deum hoc modo sibi laudem cum justitiæ, tum potentiæ, tum vero demum misericordiæ parare, ut de eo quam antea augustius sentiamus. Quem fructum si ex nostris calamitatibus, seu paupertate, seu vero etiam ignominia feramus, singularem adversus incursantes nos angores consolationem nos consequi statuendum erit. Mirifice enim hominem in perferendis malis, puta carcere, exilio, morte denique ipsa sustentat bonorum recordatio, quæ ad suos, ex perpessis malis, redundabunt. Cum itaque certissime sciamus Deum ex nostris difficultatibus gloriam suam, ad quam nati sumus, & cui nos vivere profitemur, expressurum, non mediocre solatium teneamus, quo doloris mucronem & stimulum retundamus.

& discipulorum profectus explorationem;

In exploratione notandum utilem eam esse, sicut multas lectiones edoctis ex usu est, ut quid in illis profecerint specimen edant. Sic Christus periculum facit de suorum profectu; non ut ipsi, sed ut aliis & sibi ipsis innotescant; ut alii inde vel imitationis, vel cautionis exemplum capiant. Sibimetipsis etiam, cum ut de acceptis viribus gratias agant, tum ut id quod desideratur suppleant, & ut aut ex sensu progressus spem alant, aut ex neglecta doctrina metum, qui illos sollicitiores reddat, accipiant, simul ac de se submissius sentiant. Succurrat igitur nobis, Dei consilium esse, istiusmodi afflictos non perdere, sed pertentare. Quod recte in hoc exemplo luculenter cernitur; cum enim hi Christi mandato obsequentes, ex littore solvissent, & reliqui studio audiendi Christi, se mari commisissent, suspicio merito suboriri potuit, Deum iratum hanc tempestatē immisisse, ut olim in Iona à Deo perfuga factum legimus. Quod nos consolari potest, si quando quæ nostri officii sunt, sedulo & pie obeuntibus gravior casus obveniat: maxime vero cum unigenitum Filium Deus huic etiam tempestati obnoxium esse voluit. Imitemur igitur Iacobum, qui Angelum Christum in lucta noluit dimittere, antequam benedictionem ab illo obtinuisset, *Gen.* 32,24.

ex qua illi ut mare

Causis subjungamus effecta: quorum primum est mare turbidum & fremens, fluctus

turbidum commoti, tumidi & turgidi, qui in altum elati, descensu naviculas ita aquis oppleverunt, ut ne mergerentur periculum esset. Eadem una tempestate fluctus etiam timoris, & dubitationis in animis navigantium excitantur, & veluti mare quoddam, non minus quam alterum illud inquietum. Hic autem singularis fructus afflictionis, & periculi alicujus gravioris est, quod animum nostrum multis involucris, & integumentis convolutum, & à nobismet ipsis absconditum expedit exuitque. Qui enim ante nobis fidentes, robusti plenique fiduciæ viri sumus, post facto virium experimento, longe alii dignoscimur, *Rom.* 5,3,4. probationem affert. Haud secus quam in tyrone, qui quamdiu ad forum sedet, & in umbra versatur confidit; in pulverem vero & in hostis conspectum traductus, animo, qui prius stabat, cadit: vide exemplum duodecim discipulorum, qui ante pugnam alacres, in pugna ignavi deprehensi sunt, *Matth* 26,35.

Vers. 38. *ideoque Christi opē implorant,* Aliud longe præstantissimum effectum tempestatis, quod Christi opem invitarunt, *Psal.* 80, 15. *Hos.* 2,21,22. Veluti enim flagella sunt, quæ nos ad invocationem nominis divini accelerant: veluti viverræ quædam sunt, aut venatici canes, qui nos &c. In quo exemplum nobis proponitur, quid nobis mari periclitantibus faciendum est. Vide historiam nautarum in Iona suum quemque Deum invocantium, ut pudendum sit, neque horum, neque illorum exemplis commoveri. Oratio vero notatione digna est: *Serva,* (inquiunt) *perimus:* videtur enim pugnantia complecti. Se enim perire profitentes, à Christo servari expetunt. Verum ista inter se probe consentiunt. Cum enim se perire profitentur, periculum prospiciunt, quod judicio humano, & omni verisimilitudine lethale erat. Quod vero preces concipiunt, id ex fide manavit, qua rebus etiam deploratissimis melius aliquid sperandum est: atque ita prorsus Abrahæ exemplo, contra spem speremus. *Rom.* 4, 18. Tametsi igitur ratio & sensus nihil nisi interitum minentur, mentem tamen, fide, tanquam anchora, *Heb.* 6, 19. supra hæc inferiora attollamus, quo in precandi Deum officio contineamur.

quorum curam ipsum non habere contendunt. Sed *Marcus* habet illos de cura & sollicitudine Christi dubios, & suspensos fuisse. Dicunt enim, *an te non attingit, aut tua nihil interest quod nos perimus?* quamvis igitur dubitanter eum accedunt, non tamen hoc modo à precandi studio deterrentur, ut si quando fluctuare animo nostro nobis accidat, non tamen idcirco precandi fiduciam abjiciamus, aut studium *Ps.* 48, 42. Quod autem dicitur *Iac.* 1,6,7. *dubitabundos nihil accepturos*, illud non est ad ista tam turbulenta tempora referendum, sed ad quotidianum, & in summa tranquillitate animi sensum & statum: sicut enim eum insanum non dicimus, qui formidabili aliquo casu exanimatus illud facit, quod hominis est è potestate mentis suæ exeuntis: nec eum iracundum, qui atrocibus injuriis lacessitus, nonnihil à solita patientia deflectit; ita etiam qui formidabili aliquo judicio à Deo percussus, dubitatione corripitur, non propterea inter fideles censendus. Videmus autem illos, in hac tam imbecilla fide, exauditos fuisse. Cujus imbecillitas magis adhuc apparet, quod illum excitarunt, non ut ventis imperaret, sed ut precibus tranquillitatem à Deo impetraret; ut olim Ionam nautæ. *Ion.* 1, 6.

Quod autem exsurrexisse, aut experrectum esse Christum memoratur, intelligendum eum somno sopitum fuisse, priusquam tempestas coorta esset; quod & diserte notatur. Cujus quidem causa propinquior erat, quod labore concionandi fessus erat hoc tempore somni: sed Deus Christi somnum in hoc potissimum tempus contulerat, quo tempestas coorta liberius ingravesceret. Si enim Christus non dormivisset, statim initio tempestatis à suis appellatus, antequam periculum grave crearetur, tempestati occursum fuisset. Quod si prior tempestas excitata fuisset, à Christi humanitate alienum fuisset, illis laborantibus, se ad somnum composuisse. Quod igitur, & dormiret Christus, & antequam irrueret tempestas, somnus eum complexus sit, perquam opportunum erat ad illas, quas paulo ante causas posuimus. Nam hoc modo factum est, ut discipuli partim reverentia adducti, partim vero ut Christo labore & vigiliis exhausto, parcerent, illum expergefacere tantisper distulerint, quoad ultima & extrema subire pericula coacti sunt. Ad hanc Dei providentiam admirabilem pertinet, quod nec strepitu, nec tumultu nautarum, nec maris fremitu, aut fluctuum inter se conflictu expergefactus sit Christus; ut, in dissimillima causa, simillimus fuerit Ionæ & Christi sopor, potius quam somnus. Quod nobis documento esse debet, ne animum despondeamus, si ea nobis Deus adminicula subtrahat, quibus malo nos urgenti initio occurratur; non enim hoc ideo facit, ut nos

Vers. 39. *Quare tam altū Christus dormiverit?*

ut nos perdat. Nobis igitur nunc Christi gloria melius consultum est, ut omni tempore illum invocemus, ut qui nunc nullo somni &c. subsidio egeat. Quod si tum somnum dulcissimum, & sibi perquam necessarium, excutiens, nobis opitulatus est, multo magis nunc faciet.

Vers. 40. *Discipulos ob animi commotionem prius increpavit;* Christus illos de hac tam gravi animorum commotione increpat: quæ increpatio tametsi ex *Marco* & *Luca* videtur tum facta, cum verbo Christi omnia sedata fuissent; tamen ex *Matthæi* verbis videtur adhibita, priusquam silentium mari & ventis impositum est. In quo illud colligitur, Christum quo majorem fructum ferret, reprehensionem illam adhibuisse, cum adhuc in discrimine versarentur. Sic *Iob*. 33, 14, *ad* 24. Elihu docet incomparabile Dei beneficium esse, si dum homines gravissime & periculosissime decumbant, ad eos interpres aliquis voluntatis divinæ accedit, qui eos æquitatem doceat &c. Sicut enim parentes & præceptores, dum castigationem adhibent, causam impositæ castigationis subinde repetunt, ut altius animis eorum insideat admissæ culpæ odium: sic &c. Nec igitur alienum existimandum erit si homines, morbis & aliis Dei virgis cæsi, de peccatis admissis admoneantur & reprehendantur. Huc facit quod prius metum hunc nonnihil pelli oportuit, quo paratiores & magis idonei essent, miraculum mox edendum contueri, & cum fructu percipere.

idque propter immodicum timorem, Criminatur in eis duo, unum, quod tam timidi essent; alterum, quod fidem non haberent. Timorem non penitus damnat, sed modum excedentem. Si enim usque eo tantum timuissent, quoad metus eorum illos ad Dei vocationem, & strenuum sollicitumque cum tempestate conflictum, nihil erat quod vituperium promeritum fuisset. Sapientis enim est periculum metuere, & ab eo fugere, illudque declinare. Sed ita temere, ut de Dei erga te providentia dubites; ut tibi intelligentiam, & agendi dexteritatem, qua cæteroquin præditus es, excuti sinas; ut vix apud te sis; ut plus ex momentaneæ mortis obeundæ timore metuas, quam vitæ æternæ consequendæ spe erigaris, in vituperio est.

& fidei tenuitatem, Altera pars reprehensionis est, de fide, quod in illa tantopere vacillabant: tametsi enim ex *Lucæ* & *Marci* verbis videtur colligi posse, eos fide destitutos fuisse; tamen & prius acta vita, & præsens precatio ad Christum, eos non penitus orbatos fide fuisse docent. Ideoque apud *Matth.* ὀλιγόπιστοι appellantur. Hic vero fontem formidinis aperit. Quanto enim plus fidei, tantum fiduciæ accrescit, ut ad singulos crepitus expavescere, fidei inanitatem coarguit: videmus igitur fidem nobis non tantum ad vitam æternam consequendam, sed & ad hanc vitam placide tolerandam esse pernecessariam, sine qua ad folii etiam casum extimescimus, nemine persequente fugimus, & perpetuam formidinis vanæ carnificinam patimur. Contra, fides firma & valida animum tranquillans instar jugis convivii est, instar πανοπλίας probatissimæ; eaque tanquam publica fide tuti, quocunque terrarum incedamus. Sine illa, ne domi quidem, aut in conclavi interiori salvi sumus & incolumes. Quo magis à nobis, his tam difficilibus temporibus, persequenda; ubi Deus, quocunque oculos convertimus, nihil nisi bella & gladium, tubas & tormenta ostentat, hisque tanquam condimento quodam, ad acquirendam augendamque fidem nos exstimulat.

Christus precibus eorum, metu eos liberat: sequitur jam ut de sedata tempestate loquamur. In quo, quod non nisi summo in discrimine versantibus, & jam à mari deglutiendis, Christus opitulatur, & aliis suorum Davidis, Ionæ, Israëlitisque ad mare rubrum *Exod. c.* 14, *v.* 10, 11. Hierosolymæ Ezechielis tēpore liberationibus consentienter facit, & eam ob causam isto pacto agit, ut amplioris potentiæ & misericordiæ sensu & experientia, sui amorem simul, & in se fiduciam altius animis nostris imprimat. Ea enim, quæ ab amicis, cum summe periclitabamur, beneficia accepimus, & tenacius inhærent, & libentius prædicantur, nostramque mutuam erga eos voluntatem arctius devinciunt. Sicut enim Medici & Chirurgi ars, magis ex lethali morbo aut vulnere nobilitatur, quam si levis quædam sanitatis jactura facta sit: sic &c. Et sicut tali aut morbo, aut vulnere persanato, animus confirmatur, & fidentior redditur, ita ut deinceps aut ob leviorem, aut consimilem plagam, spem vitæ non abjiciamus: sic &c. Vers. 39. *Discipulos à summo discrimine Christus liberavit;*

Ventum simul & mare increpat Christus; statim summa placiditas & tranquillitas maris subsequitur. In quo Christi virtus admirabilis est, mutas & inanimatas creaturas Christi mandata capessere, perinde ac si intelligentia & voluntate præditæ fuissent; deinde quod verbum non citius ex ore Christi emissum est, quam hæc tranquillitas mari in- *idque ad potentiæ suæ declarationem,*

ri inducta, cum naturæ & rationis legibus sensim demitigandæ fuerint; perinde atque si uno momento, ferocissimum leonem agni placidissimum ingenium accipere coëgisset: artibus enim humanis cicurari & mansuefieri possunt immanissimæ bestiæ; sed illarum ingenium subito mutare, illud demum unius Dei opus est. Hanc subitam mutationem significat ingeminatio verbi, quo silentium imperat: Iosepho interprete in *Genes.* 41,32.

ac in signũ divinitatis. Ad hujus potentiæ exaggerationem accedit, quod ex magna tempestate, magna tranquillitas maris sequuta sit. Sicut igitur prius humanitatis Christi in somno evidentissimum argumentum, sic hoc loco validissimum divinitatis Christi τεκμήριον præbetur. Hoc nos in rebus confusis & perturbatis, ubi aut nunquam, aut non nisi longo intervallo spes emergendi affulget, merito erigere poterit. Deum qui ex tenebris, ex turbulentissima tempestate tranquillitatem summam uno momento extraxit, modo precibus nostris vellicetur, & clamoribus expergefiat, nobis certissime opitulaturum.

Quod vero simul timebant, & admirabantur &c. notandum est timorem inde natum, quod admirabilem Christi potentiam clare cernerent, & suam simul in credendo imbecillitatem à Christo reprehensam. Suspicio eorum animos facile subintrare potuit, illam omnem potentiam in eos ob incredulitatem armatam; vel potius timorem hoc loco pro licito timore acceperim, ut *Psalm. 2, v. 11.* & *Esaiæ. 66, v. 2.* *Vers. 41. Quomodo simul timuerint,*

Quod vero admirabantur, tanquam rem insolitam, documento est eos, non ut decuit, in superioribus miraculis profecisse, nec enim minorem ante potentiam declaraverat: tametsi igitur in Christum crediderunt, eumque nonnulli Dei Filium esse percepissent, tamen videmus quod impedimentis eorum fides implicita tenebatur. *& admirati fuerint?*

MARC. *cap.* 5. *à vers.* 1, *ad* 11.

ET *venerunt in ulteriorem* ripam *maris, in regionem Gadarenorum.*
2 *Egresso autem ipsi è navigio, statim occurrit è monumentis quidam in quo erat spiritus impurus:*
3 *Qui domicilium habebat in monumentis, & ne catenis quidem quisquam poterat eum vincire:*
4 *Propterea quod sæpe pedicis & catenis vinctus fuerat, sed discerptæ fuerant ab eo catenæ, & pedicæ contritæ: neque quisquam potuerat eum domare.*
5 *Et per omne* tempus *erat die ac nocte in montibus & in monumentis clamans, & concidens seipsum lapidibus.*
6 *Quum vidisset autem IESVM procul, cucurrit & adoravit eum:*
7 *Et clamans voce magna dixit; Quid mihi tecum IESV Fili Dei altissimi? adjuro te* per *Deum ne me torqueas.*
8 *(Dicebat enim ei* IESVS; *exi spiritus impure ex isto homine)*
9 *Tunc interrogavit eum, Quod tibi nomen* est? *Et respondit, dicens; Legio mihi nomen* est: *quia multi sumus.*
10 *Et multum precabatur eum ne ipsos mitteret extra illam regionem.*

LVC. *cap.* 8. *à vers.* 26, *ad* 32.

26 *Et navigarunt in regionem Gadarenorum, quæ est in opposita ripa Galilææ.*
27 *Ipsi autem egresso in terram, occurrit ex urbe vir quidam qui habebat dæmonia à temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in* ulla *domo manebat, sed in monumentis.*
28 Is *ergo quum vidisset IESVM, & exclamasset, accidit ei* ad pedes, *& voce magna dixit, Quid mihi tecum IESV Fili Dei altissimi? rogo te ne me torqueas.*
29 *Mandabat enim illi spiritu impuro, ut exiret ab eo homine: nam à multo tempore*

pore corripuerat eum: itaque vinctus ille *catenis & pedicis, custodiebatur: sed diruptis vinculis agitabatur à dæmone in deserta.*

30 Interrogavit autem eum IESUS, dicens, Quod tibi nomen est? Ipse vero dixit, Legio. Nam dæmonia multa ingressa erant in eum.

31 Et rogabant eum ne imperaret sibi ut abirent in abyssum.

MATTH. *cap.* 8. *vers.* 28, 29.

28 Et quum venisset ipse ad ulteriorem ripam, in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, e monumentis prodeuntes: sævi valde, adeo ut non valeret quisquam præterire per viam illam.

29 Et ecce clamarunt, dicentes, Quid nobis tecum, IESU Fili Dei? venisti huc vexatum nos ante constitutum tempus.

ANALYSIS.

Πρόθεσις est Christi admirabilem virtutem in dæmoniis ejiciendis exponere. Describitur primum à subjecto loco transfluviali; deinde subjecto loco magis proprio, agro videlicet Gadarenorum.

*Vers.*2. Describitur ab adjuncto tempore, ilico postquam navi egressus est. Post describitur Dæmoniacus suo subjecto, spiritu impuro, à quo totus possidebatur, & in quo homo erat, potius quam in illo dæmon; quod apud *Lucam* amplificatur, adjuncto tempore diuturno, quo illum possederat: deinde à subjecto loco habitationis speciali, sepulchretis & montibus; generali, desertis locis apud *Lucam*; quod suo diverso amplificatur apud *Lucam*, non in domo; & apud *Lucam* describitur alio adjuncto, nuditatis: post suo effecto, quod Christo obviam venit.

Vers. 3. Suo adjuncto ferocitatis describitur; quod suo effecto apud *Matth.* arguitur, quod nemo illuc sine vitæ discrimine transire potuit.

*Vers.*4. Deinde hoc loco ab effecto, quod pedicas & vincula quibus ligabatur perfregit aut dissolvit; quod suo fine apud *Lucam* declaratur, ut in deserta exumperet; denique ab adjuncto indomito ejus ingenio.

*Vers.*5. Deinde alio adjuncto assidui clamoris in montibus & sepulchretis; cujus causa alibi innuitur, quod se lapidibus cædebat.

*Vers.*6. Ab effecto accurrendi ad Christum, item altero effecto adorationis, seu potius geniculationis coram Christo; quod suo adjuncto temporis declaratur, simul ac eum procul distantem conspexit.

*Vers.*7. Alio effecto exclamationis, cujus forma proponitur petitoria, ne illum cruentaret.

*Vers.*8. Cujus petitionis causa exponitur, quod Christus mandarat dæmoni ut exiret, quod mandatũ sua item forma proponitur. Post Christi quæstio proponitur de adjuncto dæmonis nomine.

*Vers.*9. Quæ suo relato, responso scilicet dæmonis declaratur, & causa item responsi attexitur.

*Vers.*10. Denique proponitur dæmonis adjuncta petitio, cujus forma subjicitur, ne illum ex illa regione expelleret. Apud *Lucam* altera etiam proponitur, ne illum in abyssum deprimeret; cujus ratio apud *Matth.* proponitur, ab adjuncto tempore, quod nondum advenerat.

METAPHRASIS.

Postquam in adversum littus præternavi- 1.
gantes, in agrum Gadarenorum perve-
nissent. Vix dum pedem Christus navi extule- 2.
rat, cum illi occurrunt duo dæmoniaci, unus
cum primis propter & multitudinem dæmo-
num quorum in possessionem venerat, & tem-
poris diuturnitatem, qua suam in illum ty-
rannidem exercuerant, immanis & enormis fe-
rocitatis. Is civium suorum consuetudinem &
in ædibus permansionem aversans, loca deser-
ta nominatim sepulchreta & montes assidue
frequentavit. Quæ ita avide persecutus est, 3.
ut catenis constrictus & pedicis compeditus,
illas discerpsit, has perfregit, ut illi soluto ad
deserta & solitudines revolare liceret: interim 4.
in omnes viatores qui illi occurrerent insi-
liens, nulla aut vi, aut arte humana domabi-
lis erat. Aërem vero suis clamoribus, noctu & 5.
interdiu, teterrimis & inconditissimis comple-
vit: dæmonum sæva tyrannide adactus, ut se
lapidibus conscinderet. Is conspecto Christo, 6.
singulari ejus & arcana spiritus operatione
ita attractus est, ut ad eum à quo vel maxi-
me abhorrebat, quam ocyssime accurreret,
eumque pronus adoraret. Contentissime au- 7.
tem exclamans, dixit: quid mihi tecum est, ut
mihi nulla injuria lacessitus infestus sis, ma-
xime cum te Filium Dei altissimi agnoscam.
Adjuro te per Deum, quem tu quoad homo es
colis & revereris, à quo ad hujus hominis pos-
sessionem immissus sum, ne me in barathrum
& locum cruciatus ante tempus extremi ju-
dicii, tanquam in carcerem, compingas. Cu- 8.
jus petitionis causa extitit, quod Christus ei
edixerat; Egredere ex illo quem possides homi-
ne o nequam spiritus, qui non nisi rebus pror-
sus immundis oblectaris. Porro non nesciens, 9.
sed ad majorem miraculi commendationem
ab illo percunctatus est; quod est tibi nomen?

Cui ille, nullo veritatis studio sed potentissima
Christi in illum indeclinabili subjectione, quod
res est respondens, dixit: Legionis propterea
mihi nomen inditum est, quod quamplurimis,
tanquam præsidiariis militibus, ad hujus ho-
minis firmissimam tutissimamq; possessionem
10. *præficior. Cum autem Christi inevitabili sub-*
jectione, animadvertissent sibi ex illo homine
necessario emigrandum esse, ad preces conver-
si, Christum impense rogarunt, ne se ex agro
Gadareno, ubi propter notitiam hominum il-
lius regionis magna lucri spes affulgebat, ex-
turbaret.

PRAXIS.

CHristus summum & absolutum in dæmones jus & imperium, & in homines misericordiam declarans, varios, sed tantis operibus parum dignos, fructus reportabat.

Cujus partes sunt,
- Christi in dæmones summa authoritas, in homines misericordia: &
- Fructus declarationem hanc consequutus.

In *priore parte* proponitur cum divina Christi potentia,
- Misericors hominis dæmoniaci liberatio: &
- Iusta gregis porcorum per dæmones subingressos in interitum præcipitatio.

Vers.1,2. Miserabilis conditio hujus dæmoniaci; Vt clarius elucescat misericordia Christi in hominis hujus liberatione, ejus primum commiseranda conditio expendenda est, quæ breviter hoc uno comprehenditur, quod à dæmonum legione occupatus esset. Tametsi enim à spiritu immundo possessus dicatur; tamen dicitur etiam dæmones illum occupasse. Quamobrem dicitur dæmonem, & dæmones a Christo, ut in illa regione permanerent, & transitum in porcos petiisse. Quod igitur à dæmone occupatus dicitur, ideo fit, quod unus reliquis præficeretur, & tanquam legionis dux esset, qui pro cæteris simul & petebat, & respondebat. Atque ut hic pedem paulisper figamus, quanta miseria & quam multis lachrymarum fontibus nunquam satis deflenda, hominem ad Dei imaginem conditum, & ut esset Dei templum, & domicilium Sancti Spiritus, in speluncam immundorum spirituum fieri, tanquam caveam avium invisarum & exosarum olim, ut *Esræ.* 6,11. apparet, magnæ ignominiæ notam alicui inustam esse, cum ejus domus in sterquilinium conversa est; nec fœdiorem turpitudinis maculam templo Baalis Iehu inurere potuit, quam cum à templi usu ad secessus diverticulum transtulit. Multo tamen hæc major commutatio est. Quamobrem hæc gratia peccato habenda est, cujus turpitudine tam fœdum & impurum hospitem nobis Dei justissimum judicium adjudicavit. Tametsi enim hoc raro, his præsertim diebus, apud nos videtur; tamen in uno hoc homine, quid sit totius humani generis promeritum, agnoscendum est: nec secus de nobis fieret, nisi Dominus nostri misertus, nobis pepercisset. *in quo quid peccato cōmeritum cernitur:*

Sed hæc calamitas plenius perspicitur ex effectis, quæ ista dæmonum occupatio protulit, peperitque. In quibus illud primum est, quod nudum vestibus, eum non tantum cæli injuriis, sed hominum ludibrio exponant, & turpem omnibus & pudendum reddunt. Ex quo videmus diaboli opus esse, partes illas, quas natura tectas & abditas esse voluit, retegere; & quid tandem de Adamitis sentiendum sit. Contra vero Deo placere, ut homines honeste & caste operiantur. Vide legem de femoralibus & subligaculis Sacerdotum *Lev.*16, 4. *Speciatim quod sit denudatus,*

Nec vero satis habuit pudendum omnibus reddere, sed voluit etiam terroribus eum percellere, eoque eum in deserta loca, ut *Lucas* notat, nominatim vero ad sepulchreta & montes, eum sæpe & interdiu & noctu per vim agebat. Vt enim consolatione eum privarent, eum in solicitudines agebant. Cum enim natura homines ad mutuam inter se societatem apti sint, tum vero Dei instituto hoc ipsum confirmatum est, ut mutuis officiis se invicem juvent. Quamobrem hoc loco discimus, ad quem authorem acceptum referendum *Eremitarum* & *Anachoristarum*, qui tantopere in Papatu dilaudantur, inventum: nempe ad diabolum ipsum referendum est. Deus enim vult, ut mutua hominum societate, cum ipsi alios juvent, tum ab aliis juventur. Est igitur diaboli opus homines in solitudines adigere, ubi ætatem sine fructu exigant, & lumen accensum sub modio abscondant. Nam si donorum Dei inanes sunt, consuescere debent cum aliis, ut eorum virtute imbuantur. Sin ipsi donis Spiritus polleant, cum aliis ita hæc communicanda sunt, ut illi aliorum etiam donis & commodis communicent. *Vers. 3. & in deserta loca ad homines terrendum actus,* *quod contra Eremitas:*

Creditum olim est sepulchreta, maxime fidelium, loca sacra esse: unde invaluit hæc superstitio, ut se olim ad sanctorum monumenta fideles aggregarint, ibique preces ad Deum fuderint; qui error ad nostra tempora pervenit, ut insignem quandam sanctitatem in cœme- *id eo factum quod sepulchreta sancta loca æstimata,*

in cœmeterii circuitu posuerint: sicut infœlicem esse ducebat, qui extra cœmeterii spatium condebantur. Tametsi vero hæc sepulchreta erant populi Dei, tamen immundus spiritus illa sui commodi causa captat, nec magis ab illis, quam ab aliis desertis locis, in quibus sylvestres feræ degebant, abhorret: quod certe non faceret, si verum esset, quod illi tam stulte comminiscuntur.

Vers. 4. *ejus etiam miseria quod seipsum lapidibus impegerit:*

Ad hæc, ut seipsum lapidibus concidat, adigit, sive illius manum per vim ad hanc rem contorquens, sive terroribus & mentis furore usque eo eum ducens, ut sua hoc sponte faceret, sui ut se carnificem faciat. Ex quo continuos clamores & ejulatus edebat, formidabilem in modum. In quo illud observandum est, *Iesuitas*, & alios quosdam Pontificiæ sectæ αὐτομαστίγας, immundi spiritus ministros & carnifices esse. Non enim contenti afflictionibus à Deo inflictis, proprias sibi consciscunt: quasi Christianæ patientiæ justum periculum capi non posset ex his flagellis, quæ Deus ipse nobis impingit; & quasi non satis illis esset, tentationes, quoad fieri timide potest, (quod Christus docuit) non deprecari, nisi etiam tentationem sponte incurrant. Vide Prophetæ exemplum, qui Dei mandato feriendus & vulnerandus, noluit sibi ipsi vulnus infligere. 1 *Reg.* 20, 35, 36. Fœtet igitur coram Deo & piis, quod illis tam gloriosum videtur. Nec vero, hac in re, superiores sunt Baalitis, 1 *Reg.* 18, 28. item veteribus schismaticis; vel potius (ut tandem accidit) hæreticis Circumcellionibus, qui se etiam religionis specie occidebant: nec illis veteribus Idololatris, qui suos liberos Idolis mactabant, absimiles sunt.

ex quibus omnibus vile Satanæ mancipium,

Ex quibus illud liquet, hujus hominis corpus, tanquam vile Satanæ mancipium, huc illuc actum & jactatum fuisse, pro immundi spiritus libidine. Quod si hominibus mancipari capitis diminutio est, næ dæmonibus in servitutem tradi turpitudinis & ignominiæ plenum erit. Nec vero hic diaboli in hunc hominum tyrannis consistit: nam & mentem ejus ab his immundis spiritibus perturbatam, & de sede rationis & moderationis dejectam & deturbatam fuisse, illa verba satis indicant, quibus eum à dæmonibus emancipatum, sana mente conspectum fuisse commemoratur.

& ejus malitia adversus homines,

Ex quibus omnibus insignis malitia Satanæ adversus humanum genus perspicitur, qui miserum hunc hominem, quacunque posset ratione, cruentavit: ut Pharaonis in Israëlitas tyrannis ludus & jocus fuerit, si cum hac committatur. Quod si in hac vita, ubi minimam crudelitatis suæ partem exercere conceditur, & quidem adversus Dei electos (cujusmodi hunc fuisse exitus declarat) tantas dolorum & tormentorum faces admoveat: quid reprobis tum faciet, cum toti in ejus potestatem cruentandi & torquendi concludentur? qui tum clamores, qui ejulatus, quis dentium stridor? &c. Et tamen hic ille est, quocum homines consilia capiunt, cujus suggestus & susurra admittunt, quem deosculantur, & cujus in complexus ruunt; tametsi verbis eum valde detestentur, & omnibus diris impetant.

quâ etiam illum ad desperationem adegit,

Hujus autem Satanæ crudelitatis caput & fastigium est, quod misellum hominem istis cruciatibus & angoribus ad desperationem sollicitavit, ut illum in omne ævum perderet. In quo illud perspicitur, tanto odio Satanam in humanum genus flagrare, ut neque hac, neque futura vita, minimam à cruciatibus vacationem concederet, si rerum summa penes illum esset. Quod igitur impiis & sceleratis in hoc mundo res secundæ affluunt, id non ad Satanæ, sed ad Dei insignem benignitatem, eos hoc modo ad resipiscentiam veluti manu deducentem, referendum est. Satanas enim si voto potiretur, à primo conceptu, etiam è matrum uteris, veluti obtorto collo ad extrema supplicia raperet.

& dudum in hac miseria tenuit.

Denique ad hanc miseriam, & calamitatis cumulum accedit, quod longo tempore hos Satanæ impetus & impressiones vir hic sustinuisset. Quo malum deploratius erat, cum aliquot annorum intervallo suam in hoc homine possessionem constabilivisset. Malum enim, quod per longa tempora invaluit, pro deplorato fere haberi solet. Ex quibus omnibus, quousque Dei electi miseriarum adduci possunt, liquido declaratur; ne animum despondeamus, si nova & inusitata aliqua calamitas nos corripiat. Cogitet etiam qui afflictissimus inter nos est, quot parasangis hujus miseria illorum ærumnas superat, & quam valde mallet præsentem, qua urgetur, afflictionem perpeti, quam hunc tam formidabilem casum subire: sic enim fiet, ut non modo patientiæ, sed & gratiarum actionis argumentum nanciscatur, quod Deus cum illo tam benigne egerit, cum cæteroquin non minus in eum, quam in hunc exardescere potuerit. Hic difficultates de duobus dæmoniacis, ex *Matth.* egredientibus: item

item, quod ex civitate unus ex illis dicatur Gadarenorum, cum tamen ex sepulchretis exierit: deinde quod *Matth.* Gargesenorum, *Marcus* & *Lucas* Gadarenorum regionem dicant: denique, quod ab hominibus domari non posset, dissolvendæ.

Hinc Dei misericordia cum potentia deprehendenda.

Hac hominis miseria probe expensa, non erit difficile admirabilem Dei cum potentia misericordiam, & pietatem deprehendere. Primum enim: quantum hoc fuit, hominem istum ita à tot dæmonibus raptatum in vita conservare? quod adhuc melius intelligitur, ex duorum mille porcorum in aquam præcipitatione. Quomodo non idem in hunc hominem præstitissent, nisi Deus illis, ut olim in Iobi tentatione, hamum injecisset, quo, ne vitam ejus attingerent, retineret?

Deinde vero, cum vel dedecus ipsum satis potens fuisset, ad hominem in desperationem & Dei execrabilem blasphemiam adigendum, interminatæ misericordiæ non esse nequit, adversus tot ignita inferni spicula hominem ab æterna damnatione asserere. Et quidem si rem recte reputemus, non contemnenda Dei gratia est, quod in calamitatibus nostris non simul & hic & alibi pereamus, & consumpti simus. Quod si ab internecione nos conservare, in beneficiis numerandum est, multo magis ex malis eripere. Hanc igitur Dei pietatem ex verbis Euangelii consideremus. Et primum quidem primo in loco consideranda venit Dei providentia perquam huic homini propitia, quod in Christi appulsum incidat atque incurrat, simulque quod in Christi conspectum dæmones illum posuerunt. Deinde quod illum invitis dæmonibus ad se attraxit Christus, qui alioqui hominum consortia declinabant studiose, idque contentissimo cursu. Quanquam enim pedicas alias omnes ferreas & chalybeas rupisset; tamen Christi voluntate, tanquam catena, quæ nulla inferorum potentia rumpi & diffringi potuit, retinetur: de qua Christi potentia superius ex *primo capitulo Marci* dictum est.

quæ eo major quod nulla vi ad Christum adduci potuerit,

Adhuc incredibilis Christi benignitas in illo enituit, quod sponte sua, neque a dæmoniaco, nec à quopiam ejus necessario rogatus, eum his malis eximit. Quo magis intelligamus nos exauditos fore, modo Deum precibus sollicitemus. Et quidem ea ratio fuit hujus dæmoniaci, ut nisi Christus ejus misertus, aut ad eum venisset, aut certe vim suam ad ejus sanationem emisisset, persanari non potuisset. Nam nulla vi hominum, ut alii dæmoniaci, ad Christum pertrahi, & illi sisti potuit. Expresse enim & præcise dicitur, eum domari ab ulla humana vi aut arte non potuisse, nullius hominis incantatione expugnari. Ex quo singularis consolatio nobis suppetit, Christum deploratissima & pertinacissima mala sanare, & quæ nulla humana arte aut cura curari queant. Est enim Dei consuetudo, illos qui maxime dejecti & humiles sunt, consolari: vide *Ioh.* 5,5, *ad* 9. ubi Christus hominem claudum, qui nec piscinam ingredi, nec amicum aut quempiam necessarium habebat, qui illum ad piscinam, cum ab angelo commovebatur, admoveret, ita ut hominum judicio ejus salus deplorata esset, alteris præteritis respexit, eique manum porrexit. Quod etiam ad spiritualem per dæmones possessionem transferri poterit, non esse penitus desperandum, tametsi quis multis sceleribus infectus sit, tanquam dæmonibus occupatus.

& quod dæmones egressi non nocuerint.

Denique in eo incredibilis Christi benignitas declaratur, quod homine egressi illi non nocuerint, nec illum discerpserint: cum enim *Marc.* 1,26. unus tantum dæmon egressurus, hominem discerpserit, & in terram straverit; & quum alibi etiam doceatur dæmonem alterum solitarium & sine comitibus, hominem è quo egressus erat, pro mortuo reliquisse *Marc.* 9,26. quid tot dæmones fecissent, nisi Christi bonitate simul & potentia cohibiti fuissent? eadem enim voluntas nocendi in his, quæ in illis fuit: quod si in unius dæmonis ejectione divina Christi potentia patefacta sit, quam illa clare lucet in totius legionis expulsione. Hoc loco admonemur, caute nobis ambulandum esse; quandoquidem nobis non cum carne, & sanguine lucta est, sed cum &c. neque cum uno, sed cum multis *Ephes.* 6,12. & propterea de armis nobis prospiciamus, sicut adversus hostem, qui vitæ præsenti insidiatur. Quod militari veluti disciplina, & armatis copiis, inferorum copiæ nos adoriuntur: nos admonet ne confuse, & sine Ecclesiastica tanquam disciplina contra illos pugnantes, in fugam acti pereamus.

Vers. 6,7, &c.

Cur dæmon Christum roget ne ipsum torqueat?

Quod Christum rogat, ne illum torqueat, tametsi videri poterit ad hanc ejectionem referri, ut illam deprecaretur, quia hujus petitionis causa subjungitur, quod illum exire jussisset; tamen, si probe rem expendamus, aliam petitionem à diabolis institui intelligemus: nam dæmones facile intelligebant, Christum emissum semel verbum revocare noluisse.

noluisse. Itaque cum intelligunt necessario sibi migrandum esse, quædam ab illo contendunt; unum, ne ex ea regione illos exigeret; alterum, ne in Barathrum illos præcipites ageret; tertium, ut in porcorum gregem illis migrare fas esset. De secundo prius diximus. Quod autem ad primum attinet, eam ob causam illud petiisse videntur, quod magna spes plenioris messis inter illius regionis homines appareret: & quod diutius cum illis consuescentes, & jam eorum mores perspectos habentes, invitius ab illis abstrahuntur; quod hæc hominum illius regionis notitia dæmonibus ad perdendum compendiosior esset, quam si ad ignotos migrare coacti fuissent. Ex quo illud emanat, dæmones ita suas provincias inter se distribuere, ut non, nisi Dei imperio, suas sibi sedes deligant, sive regionibus & provinciis, sive familiis insidiantur.

MARC. *cap.* 5. *à vers.* 11. *ad* 21.

11 Erat autem illic apud montes grex porcorum magnus pascens.

12 Et precati sunt eum omnes illi *dæmones, dicentes; Mitte nos ad porcos, ut in eos introeamus.*

13 Et permisit eis statim IESVS. Egreßi vero spiritus illi impuri introierunt in porcos: & ruit ille grex è præcipitio in mare, (erant autem quasi bis mille) & suffocati sunt in mari.

14 Qui vero pascebant porcos, fugerunt, & renunciarunt in urbem & in agros. Et illi *egreßi sunt ut viderent quid illud esset quod factum fuerat.*

15 Veniunt igitur ad IESVM, & conspiciunt eum qui fuerat dæmoniacus sedentem ac vestitum & sanæ mentis, eum, inquam, *qui habuerat legionem: & timuerunt.*

16 Et qui id *viderant, narraverunt eis quomodo actum esset cum dæmoniaco, & de porcis.*

17 Tunc illi *cœperunt eum rogare ut abiret ex finibus ipsorum.*

18 Ipso vero ingresso in navigium, rogabat eum ille qui fuerat dæmoniacus ut esset cum ipso.

19 IESVS autem non permisit ei, sed ei dixit, Abi domum tuam ad tuos, & eis renuncia quanta tibi Dominus præstiterit, & quod misertus sit tui.

20 Abiit igitur ille, *& cœpit prædicare in Decapoli quanta ipsi fecisset IESVS: & omnes mirabantur.*

LVC. *cap.* 8, *à vers.* 32, *ad* 40.

32 Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum dæmonia *ut sibi permitteret in illos ingredi. Et permisit eis.*

33 Egressa autem dæmonia ex eo homine, ingressa sunt in porcos: & grex ille ruit è præcipitio in lacum: & suffocatus est.

34 Quum autem pastores vidissent quod factum fuerat, fugerunt: & profecti annunciarunt in urbem & in agros.

35 Exierunt igitur ut viderent quod factum erat: veneruntque ad IESVM, & invenerunt hominem illum à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanæ mentis, ad pedes IESV: & metuerunt.

36 Annunciaverunt autem ipsis etiam ii qui viderant, quomodo liberatus fuisset qui fuerat dæmoniacus.

37 Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadarenorum ut discederet ab ipsis, quia magno metu tenebantur: ipse autem ingressus navigium reversus est.

38 *Deprecatus est autem eum vir ille à quo dæmonia exierant, ut esset cum eo: sed dimisit eum IESVS, dicens;*

39 *Revertere domum tuam, & narra quanta tibi præstiterit Deus. Abiit igitur prædicans per totam urbem quanta sibi præstitisset IESVS.*

MATTH. *cap.* 8. *à verf.* 30, *usque ad finem Capit.*

30 *Erat autem longè ab eis grex porcorum multorum pascens.*

31 *Dæmones vero precabantur eum, dicentes; Si ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.*

32 *Et ait eis, Abite. Illi vero egressi abierunt in illum gregem porcorum: & ecce, ruit totus ille grex porcorum è præcipitio in mare, & mortui sunt in aquis.*

33 *Pastores autem fugerunt: & quum abiissent in urbem, renunciarunt omnia, & quæ dæmoniacis facta fuerant.*

34 *Et ecce, tota urbs illa exivit in occursum IESV: & quum vidissent eum, rogarunt ut digrederetur à finibus suis.*

ANALYSIS.

DEscribit *Marcus* Christi judicium in Gadarenos, primum ex subjecto hujus judicii, grege porcorum, qui adjuncta magnitudine declaratur; deinde subjecto loco, monte ubi erant, effecta pactione.

*Verf.*12. Ab efficiente causa, petitione dæmonum; cujus forma proponitur, *Mitte nos, &c.*

*Verf.*13. Cujus effectus narratur, Christi permissio, ut porcos subirent; quæ permissio adjuncta facilitate amplificatur; quæ etiam permissio apud *Matthæum* distinguitur ab otiosa permissione suo effectu, nempe jussu Christi ut porcos subirent: cujus permissionis tum jussionis effecta narrantur, primum quod dæmones porcos subierunt, 2. Quod præcipites acti sunt in mare, 3. Quod ibi perierunt, qui porcorum interitus adjuncto numero amplificatur, nempe circiter 2000.

*Verf.*14. 4. Effectum quod subulci fugerunt, 5. Declararunt rem omnem ut gesta; quæ narratio amplificatur à distributione subjecti, in urbe, in agris; cujus item narrationis effectum proponitur, quod egressi sunt homines illius regionis; quæ egressio suo fine declaratur, ut viderent quod factum est.

*Verf.*15. Qui finis suo effecto declaratur, nempe quod videbant dæmonibus liberatum; cujus liberationis effecta exponuntur, scilicet primum quod sedebat quietus, 2. Quod vestitus incedebat, 3. Quod modeste & decore se gessit; quæ omnia amplificantur adjuncto priore, tot dæmonum possessione.

*Verf.*16. Cujus visionis effectum erat, timor quo perculsi sunt: cujus timoris alia causa attexitur, quod res omnis ut gesta est, cum in dæmoniaci liberati, tum porcorum ex jussu Christi ingressum eis narrat: quæ narratio confirmatur ab adjuncto narrantium, nempe quod rem omnem ipsi vidissent.

*Verf.*17. Timoris vero effectus narratur, supplicatio civium illius regionis, ut Christus ab illis emigraret.

*Verf.*18. Cujus petitionis effectum est, Christi ab illis discessus; discessus vero adjunctum erat, dæmoniaci petitio, ut illi liceret se comitem adjungere.

*Verf.*19. Cujus petitionis effectum erat, quod Christus illi hoc abnuebat; quod suo disparato arguitur, jussu ut domum concederet; quod suo fine declaratur, ut prædicaret quæ pro se fecisset; cujus causa adnectitur, nempe Dei misericordia.

Verf. 20. Cujus jussionis effectum erat, obsequium Dæmoniaci, qui hoc beneficium prædicavit; quod subjecto loco amplificatur, nempe in Decapoli. Cujus prædicationis effectum subjungitur, nempe admiratio auditorum.

METAPHRASIS.

ERat in illa regione grex porcorum ingens, 11.
ad montem quendam pascens, procul illum quidem dissitum, sed ita tamen ut à Christo & discipulis conspici possit. Quamobrem omnes 12.
dæmones unanimiter Christo supplicarunt, dicentes; immitte nos in hos porcos: agnoscimus enim nos nisi authoritate tua munitos, ne unum quidem ex illis ingredi posse. Iesus vero ili- 13.
co illis ut porcos subirent permisit, non otiosa (ut quidam somniant) permissione: sed quæ ipsius Christi mandato nitebatur. Quamobrem immundi spiritus hominem egressi, eodem fere momento porcos subeuntes, eosdem præcipites in Lacum Genesereth egerunt: ubi tametsi duo mille plus minus essent, tamen ad unum omnes suffocati, perierunt. Qua re conspecta subulci, 14.
sibi ab eodem mortis periculo metuentes in fugam conversi, rem totam cum in urbe Gadarena, tum in illius urbis agro annunciarunt: unde cives videndi causa erumpunt. Ad Iesum 15.
igitur accedentes, vident eum qui à dæmonum legione obsessus erat, non ut prius huc illuc discurrentem, sed quiete & placide sedentem; non ut prius turpiter & pudendum in modum nudum,

nudum, sed honeste vestitum; non ut prius furentem & lapidibus cædentem, sed sobrium &
16. *mentis compotem. Hac re commoti metu correpti sunt, maxime cum qui hujus rei oculati testes fuerant illius, cum quid dæmonibus obsesso, tum porcis acciderat commemorassent.*
17. *Tum Christum cœperunt, ut ab eorum finibus se subduceret, orare; vano & stulto prorsus metu, ne in reliquos greges aut armenta ea-*
18. *dem lues grassaretur. Iesum vero discessum parantem & navem jam conscensurum, rogavit qui à dæmonibus obsessus erat, ut se illi comitem adjungere liceret, veritus ne à Christo locorum intervallo disjunctum, Dæmones*
19. *dēnuo invaderent. Iesus hoc illi abnuens, ad illum dixit; abi domum tuam ad contribules tuos, maxime domesticos, & illis non quidem Euangelium (ad quod munus inidoneus es) sed beneficium hoc, quod Deus sola & mera misericordia motus in te contulit, annuncia.*
20. *Qui abiens ilico cœpit beneficium hoc, quod in illum Iesus contulisset, per totam illam regionem, decem urbibus ornatam & insignitam, prædicare; hoc ipso Iesum Deum & Dominum (cujus vi & virtute hoc factum est) non obscure agnoscens; qua re omnes admiratione correpti, vix aut ne vix quidem alium fructum perceperunt.*

PRAXIS.

Vers. 11, 12. *Dæmonum potentia nulla nisi à Deo concessa,*

DEinde, quod petunt porro, ut Christi venia porcorum gregem invadant, documento est, dæmones, tametsi uni alicui provinciæ, urbi, aut familiæ addictos, non posse quosvis aut quidvis corripere aut pessundare, sed illa solum, quorum illis Deus potestatem fecerit. Quod piis singulari solatio est; qui ubicumque terrarum ex ratione vocationis futuri sint; ut si Romæ essent quæ est cavea immundorum spirituum, atque adeo in Papæ palatio & aula, quæ est istiusmodi impuris spiritibus adhuc pro sua parte stipatior & frequentior; tamen illis nihil propterea timendum sit, quia non magis illis nocere possunt, quod tam prope sint, quam cum in Ecclesia, & conventu sacro, & ubi largissima Angelorum præsentiæ promissione muniuntur. Nec enim perinde fit in istis, ut cum hostis alterius in regnum & fines ingressus est, ut illi omnia tum exposita sunt, ut pro suo arbitratu, bonos pariter & malos devastet. In quo securitati piorum eximie prospectum est, quod non tantum nobis Deus Angelorum custodiam & propugnationem largitus sit, sed quod hostes etiam nostros ita vinctos & compeditos teneat, ut se ne minimum quidem contra nos, sine ejus voluntate & mandato commoveant. Quod si ne dæmones quidem ipsi potentissimi hostes nostri, aliis omnibus sceleris authores; sine Dei imperio nocere nequeunt: nedum homines possint, quia ejus instinctu ducuntur; & si nostrorum nihil, nedum nos ipsos violare sine Dei imperio poterint.

Quod autem petunt gregem porcorum invadere, id non tam porcorum odio faciunt, quam hominum illius regionis. Tametsi enim, quoad creatura muta, & reliqua mundi machina, aut Deo gloriosa, aut hominibus commoda est, eam dæmones tanquam sibi adversam, eversam esse cupiunt: tamen longius quam ad porcos respiciebant. Nam cum illis hominibus consuescentes facile perspexerant, illius regionis cives avaros, & ad rem attentos esse, eoque sciebant nihil illos à Christo alieniores reddere potuisse, quam si ex ejus ingressu simul & jussu, aliquid illis deperiret. In quo quam minime falsi sunt, hujus historiæ exitus declarat; cum hac jactura porcorum facta, ilico Christum supplicabundi rogant, ut abscedere vellet. *quæ ad hominum perniciem directa;*

Ex quo dæmones videmus attente ex factis, verbis, vultuque cujusque ingenium, & ad res propensionem observare, & singulis pro ingenii ratione, tentationis materiam parare, & quoad possunt suggerere, sive hominibus placendo, sive eos irritando, hoc faciant: ut inanis gloriæ cupidis, & Thrasonibus parasitos, proclivi ad libidinem lenonem parant. In rebus autem adversis illas tentationes objicit, quibus quis maxime moveatur: ut ambitioso honoris jacturam, avaro divitiarum amissionem, timido periculum. Quæ tametsi diaboli ministerio sæpe nobis accidunt; tamen cum scimus illa non nisi Dei voluntate fieri, & subscriptione, non immerito à Christo docemur quotidie precari, ne Deus nos in tentationem inducat, id est, ne pro ratione propensionis nostræ, ad vitia occasiones nobis suppeditare permittat, quibus illa propensio attrahatur, aut irritetur, & ne nos illarum perpessione pertentet, quæ nobis ad patiendum difficiles sunt, & à quibus natura nostra maxime abhorret; ita tamen ut si illi de nobis periculum facere libuerit, nosmet illi cum hac petitione submittamus, ut nos à malo liberet, & ne in tentatione succumbamus, efficiat. *qui sedulo actiones nostras observant,*

Quamobrem singulis considerandum est, *qui cautius*

nobis incedendum: ad quæ potissimum vitia procliviores sunt, quo studiosius illorum vitiorum irritamenta deflectant: ut libidinosis circumspiciendum, ne aut impudicarum fœminarum, aut impurorum virorum consuetudine utantur. Ebrietati proclivi ut illis declinet, qui conbibones fuerunt, aut poculentis addicti sunt, ut salsa nimis, & potandi appetitum irritantia fugiant. Avaritiæ ne in maritos, uxores, aut alios amicos illius rei adjutores incidant.

eorum petitioni Christus annuit; Cum autem omnibus in promptu sit, dæmones nihil æquum & bonum petere posse, Christus autem ipse non ignoraret, quis esset diabolorum sensus, nempe ut illius agri cives, & incolas ab Euangelii amore averterent; maxime vero cum probe notum haberet, incolas illos hoc modo ab Euangelii auditione absterritos iri: mirum videri poterit, cur Christus huic dæmonum petitioni annuerit.

cur potius porcos invadere concesserit? Quod ad porcorum interitum attinet, Christus hoc ideo fecit, ut declararet omnium se dominum esse; tametsi ubi caput reclinaret, non haberet: & propterea tanquam in suum gregem, incolis illis commodato, ad tempus datum, potestatem dæmonibus facit. Deinde liquidius patuit hoc modo, à plerisque dæmonibus hominem occupatum esse: cujus rei Christum sollicitum fuisse apparet, ex eo quod dæmones rogavit, quod illis nomen inditum esset, idque ut quam admirabilis fuerit dæmoniaci ab αὐτοφονίᾳ conservatio, clarius liqueret.

quomodo civibus hinc nulla obstinationis causa data? Quod autem ad civium illorum obstinationem attinet; sciendum est, Christum eorum voluntates non impulisse, sed illos avide & prompte hanc rem patrasse. Deinde, hac tentatione nullum illis peccatum ingestum aut insertum fuisse, sed duntaxat peccatum, quod prius inclusum & occultum erat, patefecisse. Denique illos justo Dei judicio promeritos fuisse, ut hæc calamitas infligeretur, qua ab Euangelio abalienarentur, & oblatum repudiarent. Vnde & illud liquet, illud ipsum quod inique à dæmonibus & invide petitum est, justissime & meritissime à Christo concessum esse. Homines quidem inique petentibus, legitime annuere nequeunt; sed Deus hac lege non tenetur. Si enim Reges suis privilegiis, immunitatibus, &, ut loquuntur, prærogativis utuntur, quibus Regi fas erit, quod subdito non est, quanto magis hoc Deo, Regi Regum, præ suis hoc jus tribuendum est. Nam ex tenebris lucem, aut ex malo bonum homines nequeunt eruere, Deus potest. Tametsi enim homines, si picem tangant, ab illa inficiuntur; tamen &c. Et ut periti Medici ex venenis pharmaca saluberrima parant: sic Deus, &c. Et sicut fieri possit, ut pluribus unam eandemque rem perficientibus, hic integre se gerat, cum alter, atque item tertius secus faciat: sic &c. Nam in fonte & reo homicidii, morti tradendo accusator, judex, & carnifex; accusator ut facultatibus eum avertens, illas ad se transferat; judex odio homicidii, & tanquam legis minister, sontem morti adjudicat; carnifex suam vindictæ explendæ cupiditatem sequens, laqueo illum suffocat: sic Deus una eademque actione cum impiis, atque adeo cum ipsis dæmonibus cooperatur; & tamen &c. Doce illud exemplo traditionis Christi Servatoris, in quo simul & Christus seipsum, & Pater suum Filium, & Iudas suum Dominum tradidisse dicuntur: sed causis cum efficientibus, tum finalibus longissime discrepantibus.

Notandum est (*emittere*) quod in dæmonum petitione positum est, idem esse cum *permittere*, quod in Christi ascensione indicanda Euangelista posuit. Quod si quis *excipiat* dæmones hoc, quod Christo fas non fuit concedere, petiisse, & propterea Euangelistam in Christi ascensione consulto, & de industria, vocem immutasse, & pro (*misit*) adscripsisse (*permisit.*) *Vers. 13. & illis hoc Christus permiserit?*

Responsio ex his petatur, quæ superius ad diversa loca adnotantur: sicut maxime vero ex *Hebr. cap.6, vers.3.* ubi permissio dicitur ex rebus laudatissimis. Quanquam etiam ex hac ipsa historia hoc commentum refellitur. Nam apud *Matth.* expresse dicitur; Christum illis jussisse, ut in porcos abirent. *cap.8, vers.32.*

Quod vero *præcipites acti porci* dicantur; inde est quod in monte correpti in aquas, quæ monti suberant, ferebantur. Hoc modo liquet dæmones non esse, ut quidam somniant, nihil nisi animi ægritudines aut perturbationes, sed ex se subsistere. Esset enim absurdum cogitationes hominum malas, porcos in mare impellere. *qui veræ substantiæ.*

Sequitur ut de fructu & de effectu horum miraculorum dicamus, qui pro varietate eorum, qui de hoc facto rescierunt, varius & multiplex exstitit. Et primum quidem in subulcis, quos ita perterrefecit, ut sibi fuga consuluerint, & ad urbem receperint. Cum autem plerique alii spectatores adessent, hos tamen solum subulcos tanta formidine per- *Vers. 14. Subulcorum ex his præ metu fuga;*

citos,

citos, ut ad fugam conversi sint, ex historia colligitur. Cujus quidem hæc causa reddi possit, quod suis, quorum curam agebant, porcis tam horribiliter interemptis, se proxime peti existimarint. Et forte nonnihil timebant, ne idem illis obtingeret, quod olim Iobi servis pecus curantibus accidisse, legerant aut audierant. *Iob.* 1, 15, 16, 17. Verum enimvero voluntatis divinæ inscitia, ut falso hoc metu percellerentur, effecit. Mediocris enim aliqua voluntatis divinæ notitia, hoc illos tam panico timore liberasset. Si enim scivissent, non nisi Christi imperio, se à dæmonibus invadi posse, aut illo jubente, ut ab his corriperentur, fugam inutilem futuram, tametsi aquilæ alis uti illis concessum esset, nunquam fuga salutem quæsivissent. Videmus igitur scientiæ & fidei, aut inopia aut tenuitate fieri, ut homines seipsos sæpius sine causa cruentent, & se impendentis periculi falso metu torqueant. Ignorantia enim veritatis, instar aculei cujusdam est, qui suos dominos interquiescere nec interdiu nec noctu sinit: ut pecudis potius, quam hominis vox illa fuerit *ἥδιστον βίον οὐδὲν γνῶναι*. Hæc autem notitia, tametsi singulare sit adversus metus & terrores præsidium; tamen tum demum placidissime in animo quietis parens est, cum fide permiscetur.

Vers. 15, 16, *etiam Gadarenorum timor,* Alter fructus in Gadarenis civibus nobis spectandus proponitur, qui cum partim ex subulcorum sermone hausissent, partim ex aliis qui huic miraculo interfuerant, denique ex dæmoniaco, quem & sui compotem, & sobrium intuebantur, rem, ut gesta fuerat, comprehensam & exploratam haberent, timore expavefacti sunt. Christi enim cum admirabilis potentia hoc pacto illis innotescere cœpit, tum simul eorum animos pavor subintravit, ne illa potentia in ipsos armata esset. Quanto enim interiore divinæ potentiæ sensu hi afficiuntur, qui fide erga Deum destituuntur, tanto eos graviori pavoris fulmine feriri necessum est. Quod si potentia divina extra nos exerta & exercita, hominem in tantas angustias adigit, eumque gravi molestia afficit, quomodo illam perferat quis, cum intra corpus & animum ipsius, tam lethales potentiæ divinæ ictus admitteret?

qualis iste fuerit? Hic timor cujus generis fuit ex 17 *versu* colligitur; pessimus scilicet, & qui à Christo hos cives abalienavit, quos impellere debebat, ut Christo adhærescerent. Illum enim accedunt supplices, ut se vellet ex eorum finibus subducere. Est enim timor quidam, qui nos ad colendum Deum magis sollicitos reddit.

Causa autem, cur illum secedere cupiunt, non alia videtur, nisi quod, ne & armenta, & alios greges perderet, subverebantur. Quod quidem quam ingrate impium fuit, paululum considerandum est. Primum enim, quantæ in Christo humanitatis erat sponte ad eos proficisci? Deinde tanto cum periculo & molestia, quantum illis transfretantibus obtigisse cognovimus. Tertio; hic vero caput impietatis & ingratitudinis perspicitur, quod secum incomparabilem Dei cognitionis, & reconciliationis thesaurum ferens, repudiatus & rejectus sit. Nec vero solum attulerat, sed etiam attulisse se insigni testimonio & specimine declaraverat, dum dæmonibus occupatum, eisdem liberatum intueri possent. Tametsi vero damni aliquid in porcis accepissent, tamen nisi omnis humanitatis simul & pietatis inanes fuissent, hoc damnum illis abunde in liberato dæmoniaco compensatum duxissent. Si enim porcis suis homines dæmoniacis salutem parare potuissent, eam hac jactura redemissent, nisi *μισάνθρωποι* essent. Nec vero hoc beneficium in dæmoniacis constitit, utpote quod ad omnes regionis incolas permanavit, qui hoc modo communi lue & peste exonerati sunt: nã apud *Matthæum* constat, hos dæmoniacos ita formidabiles & noxos humano generi fuisse, ut nemo illuc transire auderet, ubi illi versabantur. Tanquam igitur eis duobus indomitis, & inexpugnabilibus, & quidem non nocturnis, sed diurnis, idque adeo meridianis prædonibus, Christi solo appulsu liberati sunt. Si igitur utilitatem spectarent, nisi publicum emolumentum privatis commodis postponerent, non modo nihil causæ suberat, cur Christum à se divertere postularent, sed cur ad se propius attraherent. Sicut autem eximiam Dei erga se declaratam pietatem & misericordiam repudiare, insignis cujusdam impietatis fuit: sic levissima hac causa fieri, criminis atrocitatem auget. Si enim probe expendamus, intelligemus, incertum eumque inanem ulterioris jacturæ metum, eos ut hoc facerent impulisse. De porcis enim submersis nulla eos spes tenebat fore, ut, Christo commigrante, reviviscerent. Christus vero de consimili in mutas pecudes strage, nihil comminatus erat. Tantum igitur futuræ jacturæ suspicio, & illa nullis innexa rationum radicibus, eos ad hanc impietatem adegit.

Vers. 17. *quanta eorum ingratitudo qui Christum ut abiret rogarunt?*

hinc quales se Euangelio opponant?

Videmus igitur esse quamplurimos, qui non alia de causa se Euangelio opponunt, nisi quod verentur, ne crescente Euangelio, eorum decrescat & diminuatur quæstus; quia Euangelium eorum fraudes quibus quæstum faciunt, & retegat, & damnet, usuras mordaces & alias flexuosas quærendæ pecuniæ vias, horribiliter puniendas denunciet: Vide exemplum Demetrii, *Actor.19,24.&c.* Item illius, qui magnum quæstum ex pythone perceperat. *Actor. 16, 19. &c.* Cum hic tamen quæstus non aufertur, sed tantum auferendum incerta conjectura existimabatur. Hinc perspicitur, quam detestanda hæc petitio fuerit, qua Christi à se discessum expetunt, ob levissimam jacturam, vel jacturæ potius levem suspicionem, tantam gemmam & mundi thesaurum repudiantem. Quis tam excors est cui propter inventam ex solis immodico æstu molestiam, ne sol unquam in ipsius plaga oriatur, optare in mentem veniat? aut quod pluvia delapsa, vestes aliquantulum madefecerit, pluviæ ad se & agrum suum aditum intercludi vellet? hanc enim homines, quia cum singulari commodo conjuncta est, molestiam æquissime ferunt.

Tametsi vero Christus hic non amplius sit in terris, qui in hunc modum abire à nobis rogetur: tamen est (proh dolor) multitudo hominum nimium magna, quæ Deo ut à se discedat, non obscure dicunt: de quibus scribitur *Iob.* 21, 14, 15. Quid autem sit dicere Deo ut recedat, explicat, cum divinæ voluntatis notitia non delectantur, cum nullam mercedem cultus divini, nullum fructum existere arbitrantur.

Etiam eorum fatuitatem hoc ipso produnt;

Sicut autem petitionis impietatem & irreligionem, sic & stultitiam & fatuitatem expendere operæpretium fuerit. Quid enim proficiant Christum ablegando, tanquam absens non posset æque illis nocere, ac si præsens fuisset? Immo vero hoc consilio, quo bonorum securitati consulere constituerant, tanquam machinam malorum & calamitatum iliada attraxerunt: sic etiam sæpe fit, ut homines cum Euangelio luctando, non tantum futuræ, sed & præsentis vitæ commoda sæpe amittant. Quanquam vero Christo ut discedat, supplicent; tamen hoc forte faciunt sensu potentiæ Christi cohibiti; alioqui si integrum hoc illis fore existimassent, vim Christo illaturi.

quorū petitioni Christus annuit:

Christus ab illis rogatus eorum petitioni annuit, & discessum in alteram ripam parat. Christus enim non est tam importunus hospes, ut invito etiam hospite alicubi hærere velit; præsertim cum nullius rei opus habeat, & commoda in hospitium suum multa adferat, accipiat vero aut auferat nihil. Quare cavendum, ne hujusmodi cogitatio aut optio animos nostros subeat, ne Christus cordis ipsius vocem exaudiens, à nobis migret.

qui tamen Petrus hoc ipsum petierit?

Sed hic *quæratur*, cur à Petro rogante, ut Christus discederet, non modo non recessit, sed insigni eum promissione munivit, qua propius quasi accessit: istis vero Gaderenis hoc petentibus annuit?

Respondeo, Petitio verbis eadem, fine & instituto longe diversa erat.

Vers. 18. *Dæmoniacus quam recte Christum sequi voluerit?*

Atque hactenus quidem fructus putres exstiterunt, & Christo ingrati, maxime vero ipsis arboribus exitiosi. Sequitur fructus longe melior, quem Christus a dæmoniaco percipit. Is enim Christo abeunti se comitem adjungi petit, ut cum cæteri Christum ad eos venientem repudiarint, hic Christum, relictis suis, sequi discupiat. In quo quanquam sit, quod laude dignum est; tamen subest, si probe rem expenderimus, magna imbecillitas in hac petitione, ut ne hic quidem fructus satis maturus sit, ut tanto labori, & tam liberali potentiæ, & misericordiæ divinæ sationi respondeat.

Nam cum non idcirco Christū sequi expetivit, ut Euangelii præco esset (fuisset enim hoc summæ arrogantiæ se præsertim tam subito, tanto honori ingerere:) videtur prorsus ob eam causam Christo adhæsisse, ne ab illo avulsus, denuo dæmones remearent, & veterem suam possessionem repeterent. Hinc etiam est, quod prius dictum est, cives illum prope, vel juxta Christum sedentem offendisse. Vide hujusmodi quid *Act.*3,11. in claudo, qui Petro & Ioanni ad eum modum affixus mansit, ut ab illis non discederet. Sic utrinque peccatur; à Gadarenis, quod ex Christi præsentia corporali, ab hoc, quod ex ejusdem absentia, damnum & jacturam sentiret. Hi Christo absente nihil sibi ab illo mali proficisci posse, hic nihil boni illo absente ad se pervenire posse constituit. Ita videmus veterem errorem esse, homines corporali præsentiæ nimium affixos teneri.

Vers. 19. *qui ut præco Dei benignitatis ibi relictus;*

Incredibilis autem erat Christi humanitas, & incomparabilis, qui tam inhumaniter repulsus & rejectus, illis tamen præconem relinquit, cujus voce & conspectu ad Christum recognoscendum adduci possunt, ut quod per se efficere non se commode posse

videret,

videret, per alios effectum daret. Neque tamen existimemus his verbis, hunc Euangelii præconem constitutum esse, aut ad publicum in Ecclesiam munus vocatum: aliud enim est Euangelium prædicare & ministerio Ecclesiæ defungi, aliud vero speciale quoddam in se declaratum beneficium promulgare; & aliud est Ecclesiæ verbum proponere, aliud suis amicis & notis omnibus præceptum putemus, ut Dei erga nos misericordiam, prout usus fuerit, exponamus. Sic David docet se acceptam liberationem evulgaturum, ut alii Deo confidere, & ad eum confugere discant.

Vers. 20. cum Christus gloriam non quæreret.

Quod autem Iesus monuit dæmoniacum, ut quid Dominus pro ipso fecerat, evulgaret, non quid ipse fecisset: indicat Christum quam longissime ab inani gloria alienissimum fuisse. Quod autem Iesum hoc fecisse dæmoniacus prædicabat, argumentū est demonstrativum Christum pro Deo & Domino habuisse: simul innuit beneficio affectū suum beneficium prædicare oportere, utcumque ille laudem benefactorum non quærat.

MARC. *cap. 5. à vers. 22, ad 35.*

22 *Et ecce, venit unus ex præfectis Synagogæ, nomine Iairus: & quum vidisset*
eum, accidit ad pedes ejus.
23 *Et multum precabatur eum, dicens, Filiola mea in extremum adducta est:*
rogo *ut venias, & imponas ei manus, ut servetur: & vivat.*
24 *Abiit igitur* IESVS *cum eo: & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.*
25 *(Tunc mulier quædam quæ erat in fluxione sanguinis* ab *annis duodecim:*
26 *Fueratque multa perpessa à multis Medicis, & impenderat omnia sua, & nihil adjuta fuerat, sed potius in deterius venerat;*
27 *Quum audisset de IESV, venit in turba à tergo, & tetigit vestimentum ejus.*
28 *Dicebat enim, Si vel vestimenta ejus tetigero, servabor.*
29 *Et statim exaruit fons sanguinis ejus; & sensit corpore se sanatam esse ex eo flagello.*
30 *Statim autem IESVS quum apud se cognovisset vim illam quæ ex se ipso prodierat, conversus in turba, dixit; Quis tetigit vestimenta mea?*
31 *Et dixerunt ei discipuli ipsius; Vides turbam te comprimentem, & dicis, Quis me tetigit?*
32 Ipse *vero circumspiciebat ut videret eam quæ hoc fecerat.*
33 *Mulier autem timens & tremens, quum sciret quod in se factum fuerat; venit, & accidit ei* ad pedes, *dixitque ei omnem veritatem.*
34 *Ille autem dixit ei; Filia, fides tua te servavit: abi cum pace, & esto sana ex flagello tuo.)*

A N A L Y S I S.

PRoponitur Iairi ad Christum petitio supplex, quæ amplificatur adjuncta nota singularis attentionis; describitur autem ab adjuncto officio Archisynagogi, & adjuncto nomine Iairi, ab effecta projectione.

Vers. 23. Et advolutione ad pedes Iesu, item supplicatione; quæ amplificatur ab adjuncta ejus vehementia & ardore, cujus tam supplicis petitionis causa assignatur, filiæ suæ extremus morbus: forma autem petitionis est, ut ad se veniat; quæ suo fine corroboratur, ut filia morbo liberata vitam proroget.

Vers. 24. Petitionis effectum est, Christi ad ejus ædes profectio; quæ profectio declaratur suo adjuncto, nempe multo comitatu: cujus turbæ effectum est Christi compressio.

Vers. 25, 26. Quid in itinere ad ædes Archisynagogi acciderit narrat Euangelista, insigne miraculum proponens. Cujus miraculi subjectum erat mulier, quæ describitur adjuncto profluvio sanguinis: qui morbus amplificatur, 1. adjuncta duratione temporis, duodecim annorum, 2. ab adjunctis perpessionibus quas passa est; quarum efficientes causæ assignantur, multi Medici, 3. ab adjuncto sumptu, qui amplificatur adjuncta magnitudine, dum quicquid ei erat dependisset, 4. ab infœlici effecto, quod non profecerat quicquam ad sanitatem, 5. alio effecto, quod etiam deterior facta sit.

Vers. 27. Hujus sanationis causa προκαταρκτικὴ erat, rumor quem de Christi præclaris facinoribus hauserat;

hauserat; cujus effectum erat, quod Christus accessit; qui accessus suo adjuncto notatur, clandestinus; qui arguitur à subjecto loco, nempe quod pone Christum accessit: item aliud effectum ejus notatur, contactus vestimentorum Christi.

*Vers.*28. Cujus contactus causa indicatur, fides quam animo conceperat; cujus fidei subjectum notatur, fore ut morbo ex contactu vestium liberaretur.

*Vers.*29. Fidei effectum est, sanatio morbi; quæ arguitur vera & syncera fuisse ex adjuncto sensu ipsius fœminæ, quæ sensit se sanatam esse; cujus etiam morbi materialis causa innuitur, peccatum, ex relato flagello.

*Vers.*30. Sanationis vero principalis causa efficiens est, divina spiritus virtus à Christo procedens & promanans, quod Christi ipsius adjuncta conscientia confirmatur; hanc suam salutarem virtutem ut aliis notam faceret, tanquam causa utitur quæstione; cujus forma proponitur: *Quis mea vestimenta tetigit?*

*Vers.*31. Quæstionis effectum est, responsum discipulorum, quo Christum de hac quæstione perstringunt; quam reprehensionem ab adversis confirmant, alienum esse de unius contactu percunctari, cum à tanta multitudine comprimatur.

*Vers.*32. Effectum Christi narratur, circumspicientis quis illum tetigisset.

*Vers.*33. Cujus cum quæstionis tum circumspectionis effectum est, timor & tremor; quem timorem & tremorem propria conscientia clandestinæ salutis quam acceperat, tanquam altera causa adjuvat; quorum effectum erat ad Christum accessio, adoratio, rei totius ut gesta est narratio.

*Vers.*34. Quorum omnium effectum, Christi ad illam consolatoria oratio; cujus partes sunt, primum illam fide modo sanatam fuisse, 2. hanc sanitatem non illi (ut metuebat) auferendam, utpote verbo & promissione Christi confirmatam; quarum effectum est, placidus & tranquillus fœminæ animus.

METAPHRASIS.

22. *VT nullum nec dictum nec factum Christi est nostra animadversione indignum; ita quod jam propono singularem attentionem requirit; venit enim ad Christum quidam qui in Ecclesiæ præfectura subsidiariam operam verbi Ministris, Levitis scilicet & Sacerdotibus, præbebat, nomine Iairus: qui ut primum Christum conspexit, aliquo intervallo adhuc*
23. *remotus pronus procidebat, eumque impense rogat, dicens: filiola mea unica jam animam agit, quamobrem hunc, quæso, laborem suscipe, ut ad ædes meas profectus ei utramque manum imponas, ut salva sit, aut si (quod suspicor) mortua fuerit, reviviscat; si quidem tua sanandi virtus usque eo se diffundat, ut etiam*
24. *mortuos resuscitare possis. Iesum vero cum illo euntem, magna turba, tanquam futuri miraculi spectatrix & testis, tanta & frequentia & contentione se mutuo pervertendi sequuta est, ut illum euntem comprimerent. In ipso* 25.
vero itinere mulier quædam, duodecim totos annos profluvio sanguinis laborans, multa &
gravia à quamplurimis Medicis perpessa, in 26.
quos quicquid facultatum suppetebat insumens, non modo levationem nullam sensit, sed
morbi pertinacia in pejus ruebat. Hæc audita 27.
de Iesus potentia & benignitate fama, turbæ se immiscens cum quod latere cupiebat, tum quod indignam se judicaret, quæ coram Christo se sisteret, pone illum subrepens vestimentum
ejus exterius tetigit. Cogitarat enim apud se 28.
& cum animo suo, si vestimentum, vel vestimenti modo fimbriam tetigero, ilico morbo meo
liberata fuero. Neque illam spes fefellit sua: 29.
non enim citius vestem tetigerat, quin ilico exhausto & desiccato sanguinis profluvio tam efficaciter persanata est, ut vero & vivo sensu curati morbi, quem illi Deus peccati nomine
imposuerat, affecta fuerit. Iesus etiam eodem 30.
momento quo sanata est, conscius virtutis & spiritus ex se ita emanantis, ut nihilominus in se resideret: ad turbam se convertens, cum ut Deo sua gloria constaret, tum ut Iairo fidei accessio fieret, denique ut collata in mulierem saluti confirmatio esset (non ut rem sibi prius ignotam cognosceret) quærit, quis vestimen-
tum ejus tetigisset? Ad quem discipuli ejus: 31.
An non vides turbam te undique comprimentem? mirum ut sit tibi hoc tam imprudenter excidisse, quo quæris, quis sit qui me tetigerit.
Iesus tamen consilii sui in quærendo certam & 32.
perspectam rationem habens, non destitit oculos in omnes partes circumferre, ut in illam quam salutem consequutam novisset, oculum
defigeret. Mulier vero probe sibi consequutæ 33.
salutis conscia, cum se latere non posse cerneret, timore & tremore perculsa ne furtim acceptam salutem amitteret, ad Iesum accedens, se ad ejus pedes advolvit, & rem omnem ut gesta est omnium in auribus simul ac oculis ex-
posuit. Cui Iesus: O fœmina, quam in me cre- 34.
dentem ut filiam chare complector, omni metu pulso secura, domum tuam abi: atque ut acceptam per fidem salutem ad vitæ exitum prorogatam iri certior fias, eandem verbo & promissione mea confirmatam accipe.

PRAXIS.

CHristus rogatus à Iairo, ut ad suas ædes profectus, ægrotam filiam sanaret: in itinere haimorrhæam sanans, defunctam interea vita filiam è mortuis excitat.

Cujus

Cujus partes sunt, { Fides { Viri & Fœminæ. & Fructus, quem inde perceperunt.

Iairi *fides* spectanda nobis proponitur in ejus ad Christum { Accessu, & Petitione.

Vers. 22, &c. *Fides Iairi in quibus consisterit?* Accessus cum summa veneratione, arguit eum divinum aliquid in Christo existimasse. Quod enim & ad Christi pedes se provolvit, & illud aliquo ab illo intervallo remotus, simul atque eum aspexit, declarat eum aliquid plus quam humanum in Christo cogitasse. Quod etiam salutem filiæ pene nubilis unicæ, & ad extrema redactæ petit, fidei fructus erat non contemnendus. Quod vero apud *Matthæum* & *Lucam* mortua fuisse ab illo dicitur, id brevitatis causa factum est; qua, quo tandem res recidit antequam Christus eo pertingeret, declaratur, & quæ ultima Iairi potius petitio, desiderio & studio potius quam verbis facta, extiterit. *ea cum imbecillitate conjuncta;* In eo vero magnam imbecillitatem prodit, quod non nisi præsentem, & manus filiæ imponentem sanitatem conferre posse Christum ratus sit. Tametsi hæc petitio fidem de Christi divinitate ipsius penitus convellere videatur, ut quæ potentiam Christi certis cancellis circumscribit: tamen in discipulis, qui Christum Dei Filium agnoscebant, non magnopere dissimilem pugnantiam animadvertere licuit; cum sedari tempestatem, nisi Christo ex somno excitato, non posse crediderunt. Tametsi igitur plerique eum Deum, & Dei Filium crederent; tamen Christi humana natura omnibus infirmitatibus nostris vestita, illorum in oculos semper incurrente, veluti velum illis objectum est, quo ab ejus omnipotentiæ penitiori intuitu arcebantur. Quo est nostra conditio beatior, ad fidei confirmationem; quod Christus exutis infirmitatibus glorificatur.

qualis ille fuerit? Idem Iairus Archisynagogus dicitur, quod idem erat cum officio, quod hodie in Reformatis Ecclesiis obeunt Presbyteri, seu Seniores Ecclesiæ, sicut ex his, quæ à illis cum alibi in Euangelio, tum etiam *Act.* 14, 23. & 15, 4, 6, 22, 23. gesta esse commemorantur, nempe ut omnia in Ecclesia decore gerantur, & ex vetustissimis scriptoribus, liquet. Vnde etiam hoc munus seu *συνέδριον*, à lege ad Euangelium translatum: ut hunc ordinem Ecclesiæ commendatum reddit; ita Iairo qui debebat aliis suo exemplo in fide prælucere, insigniorem fluctuantis fidei labem imprimit. Quo magis Christi benignitas inclarescit, qui ejus petitioni ex tam imbecilla fide mananti, tam prompte annuit. Videtur autem expresse hæc nota adjecta esse, ut hac circumstantia magis fides fœminæ illustraretur.

Vers. 25, 26. *Sanatio aimorrheæ ad fidei confirmationem Iairi præmissa;* Sequitur altera historia de aimorrhea idcirco interjecta, ut ex utriusque fidei comparatione, dissimilitudo melius liqueret: tum vero gesta in itinere, ut hac persanata, Iairi imbecilla fides fulciretur. Christus enim Iairi in fide infirmitatem penitus perspiciens, & porro quod ei eventurum esset in filiæ, antequam domum rediret, morte, tanquam ex divinitatis specula prospiciens: præsidium, quo sustentaretur ejus fides, opportune & mature comparavit. Nam cum ægrotam filiam, non nisi Christi præsentia recuperari posse existimaret, mortuam vix aut ne vix quidem ab illo restitui potuisse in animum suum induxisset, nisi hoc miraculo interveniente, tanquam statumine, corroboratus fuisset. Proinde admirabili Dei providentia effectum est, quod hæc mulier, interea dum ad Iairi ædes proficiscitur, intervenerit; quæ quidem occulta Dei providentia adhuc magis apparet, quod transacta mulieris sanatione ilico advenit, qui Iairo nuncium defunctæ filiæ afferret. In quo perspicitur Deum, pro mensura tentationum, de viribus prospicere his, qui ad eum pertinent, nec quenquam graviori tentationis discrimini objicere, quam ut illud ferendo esse possit. 1 *Cor.* 10, 13. In quo singularis consolationis est, quod quæ & quanta sit procella, & quo momento oriunda præscíscit, ut ei convenienter omnia veluti navis armamenta, rudentes & anchoras comparet. Novit quam longæ & acuminatæ, & quanta contentione emissæ sagittæ sunt. Novit glandem seu pilam plumbeam, qua aut magnitudine, aut commixtione sit, ut armaturam adversus illa explorate tutam comparet. Nos vero experrectos & sollicitos esse convenit, ut oblata hujusmodi præsidia arripiamus: ne si illa oscitanter prætereamus, merito nostra culpa, sub insequentibus post tentationibus succumbamus. Neque enim sine summo consilio istiusmodi præsidiorum nobis à Deo facultas datur. Simul etiam notandum est, nos debere proficere in fide ex liberationibus seu temporalibus, seu spiritualibus, quas aliis, divina benignitate, contigisse scimus. Vide *Psalm.* 34, 6, 7.

ad fidei declarationem ejus quanta calamitas?

Fides vero istius fœminæ quo facilius illucescat, & conspicua sit, morbus exponitur. Primum inveteratus, & duodecim annorum diuturnitate in fœminæ misello corpore defixus, & veluti radicatus: deinde ita pertinax, ut nulla Medicorum ope, non modo aliquid remiserit, sed etiam auctior factus sit. Quod quidem non probrose, aut in Medicinæ artem, aut vero in eos Medicos, in quorum hæc manus incidit, ab Euangelista adjectum est: sed ut cum fœminæ fides, tum Christi in illa sananda virtus conspectior evaderet. Quod certe non faceret, si Medicorum aut inscitia, aut incuria sanitatem non fuisset consequuta. Ex quo discamus, non temere Medicos accusare, si mali Medicinam pro voto non consequamur, cum ejus generis quidam morbi sint, qui nullo humano artificio curari possunt. Vide *Deut.* 28, 23, 26, 35, 59, 60. Non autem cum *Anabaptistis*, ex hoc loco & *Reg.* damnare Medicorum artem. Ad hanc ejus miseriam accessit, quod omnes facultates suas quærendo remedio exhauserat: ut simul & corpore confecta, & fortunis exuta fuerit. Ad hanc calamitatem, tanquam cumulus accessit, pudor, quo propter morbi turpitudinem, palam coram toto populo, ne morbum suum Christo proderet, accedere prohibebatur.

quæ eam ad Christum venire compulit;

Hic observemus, Deum istam fœminam undique ita ab aliis omnibus remediis exclusisse, ut ad Christum quærendum animum adjiceret. Primum quod morbus insanabilis esset. Nam si apud Medicos remedii consequendi spes affulsisset, ad Christum non venturam fuisse verisimile est. Deinde quod ad extremam, & summam inopiam redacta esset; nam modo pecunia suppetiisset, probabile est illam ad Christum quærendum animum non adversuram: ideo Dominus illi omnem in hominis & humanis rebus spem præscindens, eamque quasi sæpe circumducta, conclusam tenet, ne aliorsum quam in unum Christum respiciat. Quod etiam effecerat, ut in Christi simul, & voluntate & potentia & miraculis, quæ ediderat attentius consideranda, versata fuerit, unde fidem, quæ post adscribitur, contraxit. Eoque docemur, ne animum despondeamus, si mala nostra humanitus deplorata sunt; potius hoc veluti indicio, & monitore, ad Christi opem quærendam sollicitiores simus: certi fore, ut illud consequamur, siquidem illud nobis ex usu sit.

Vers. 27. Nunc fidem ejus expendamus, quæ bene prompta & provecta videtur: nec enim vel de potentia, aut de voluntate Christi addubitavit. Statuerat enim cum animo suo, idque ex sola fama Christi, se solo attactu vestimenti restitutam fore. Quod autem à tergo Christi veniebat, & attactu potius, quam petitione aperta (ut alii) salutem quærebat, id, ut clam salutem auferret, extra controversiam fecit, pudore quodam turpitudinis morbi ducta: sed an clam Christi comitatum solum, an vero clam Christum ipsum simul illud demum quæri potest.

hæc fides in Christi potentia conspicua:

an clam Christum sanari voluerit?

Ex *Luca* vero (qui dicit, *cum intelligeret se non latuisse*) videtur clam Christum hanc sanitatem corripere voluisse. Id si sit, consequetur ejus fidem non tam magnam, & crasso errore impeditam fuisse. Verum enimvero cum Euangelium videatur fidem mulieris cum Iairi fide compositam, eam huic anteponere velle, fueritque Dei consilium, hujus fœminæ exemplo Iairum ad firmiorem fidem provehere, in hanc potius sententiam irem, ut clam reliquos, non etiam Christum, hanc sanitatem auferre constituerit.

Quod autem ex attactu vestimenti sanitatem sperabat, fecit forte recordatione non dissimilium; ut cum Elizæus baculum suum mitteret, ut mortuo puerulo impositus, puer revivisceret, 2 *Reg.* 4, 29, 31. & 2 *Reg.* 13, 21. Quod enim imposito baculo non revixit, ideo fiebat, quod mater, non nisi præsentia Elizæi eum restitui posse credebat, & ipsum Elizæum, ut ad puerum iret, rogavisset. Vers. 28. *cur attactu vestimenti?*

Hinc discrimen apparet hujus, & illius in Iairo fidei; Iairus non nisi impositis manibus sanari filiam posse putavit; hæc vestimentorum attactu; hæc Christi omniscientiam & omnipotentiam videtur agnovisse, quarum neutram videtur perceptam habuisse Iairus. Quo accedit, quod hæc fœmina, ille vir; hæc obscura & latens, ille in Ecclesia præpositus fuit; hic morbus inveteratus, ille recens; hic in proprio; ille in alieno, ubi sensus non est tam acer. Cujus discriminis tametsi Deus auctor fuerit; tamen ratio & medium, qua fœmina huc provecta & elata videtur, fuit tam dura multorum annorum, cum paupertate, corporis calamitas & ægritudo. Quod nos condocefaciat, ut non tantum ad eos, qui eminenti loco collocati sunt, animum advertamus, sed & ad illos, qui longe infra nos abjecti sunt, in quibus sæpe videbimus eximia virtutum lumina relucere; maxime vero si afflictionibus durioribus & asperioribus, tanquam igne quodam

hinc discrimen illius & fidei in Iairo:

quodam, virtutum aromata accensa, odorem gratum emittant. Sicut enim Deus hunc Archisynagogum ad fœminam istam, tanquam ad magistram, à qua discat, tacite remittit: sic & ad infirmiores, eos qui potentes creduntur.

an iste contactus vitium in fide arguat? Sed hic proculdubio aliquid vitii est, quod ex solo contactu, absque Christi verbo & mandato hoc fore speravit, cum de illa re Christi voluntas non esset illi perspecta, nec esse potuit; quod hæc externa beneficia non pure promittuntur sed ex hypothesi. Quanquam dici forte (& quidem vere) potest, hanc fidem bene, & ex Dei Verbo fundatam fuisse: quia cum Christus morborum sanatione peccatorum se Medicum esse professus esset, videtur satis abunde fuisse ad sanitatem consequendam, credere sanitatem conferendam esse: ut liquidius constaret, sola fide remissionis peccatorum, nos à peccatis salvos & justificatos iri.

Vers. 29. *cujus commoditate sanata est.* Fidei commoditate sanitatem accepit ita efficaciter, ut statim desiccari sanguinis fontem in se ipsa senserit, seque à flagello suo liberari. Vbi, sicut ex sequenti Christi ad mulierem sermone, notandum est, morbos flagelli nomine notari, quod admissi peccati manifestum argumentũ est; maxime si Deum judicem & vindicem spectemus. Nam si homines aut inscitia, aut pecuniæ vel gratiæ corruptela, innocentes aliquando flagris & virgis cædant; id tamen in Deum nequit cadere. Deinde, cum ideo virgis malefici cædantur, ut & aliis exemplum cautionis statuatur, & ipsi se emendent, & capitale supplicium declinent: sic &c. Si magistratus flagra metuimus, cur non potius delictum? si pœnam metuimus, metuamus authorem. Nec vero hoc modo tam iram suam testatur Deus, quam paterni erga nos amoris specimen præbet, *Hebr.* 12, 6. Lege enim provisum est, ut si causa capitalis non sit, flagris reus cæderetur. Quandiu igitur virgis & flagris nos exercet Deus, indicio nobis esse debet, Deum de nobis morti æternæ adjudicandis non cogitare.

Vers. 30. *Investigandi hæc miraculi ratio an Christo digna?* Christus nolens hanc virtutem celari, & in tenebris jacere, aut tantum lumen à se accensum sub modio tegi, rationem illam investigandi init. Quæ tametsi, prima specie, parum aut Christo digna, aut ad gloriam Christi propagandam accommodata videri possit, quod ad Christi gloriam compendiosius videretur, ut Christus ipse sua scientia hanc rem proderet, quam exspectaret donec fœminæ indicio innotesceret: tamen propius intuenti rem secus habere liquebit. Nam & omniscientiam suam alio argumento prodidit, & hoc modo rem in lucem & apricum educens, omnem fraudis suspicionem sustulit, qua non omnino caruisset, nisi mulier sanata prior rem, ut gesta est, narrasset. Non igitur quærit tanquam rei ignarus, sed rei confessionem aliunde, quam à se, emanare voluit; ut Iudex sceleris a reo admissi conscius, eum propterea interrogat, ut, propria rei confessione, reatus magis omnibus certior & confirmatior esset. Eum enim cæteroquin omnium conscium esse, inde patet, quod in tanta multitudine, quæ eum premebat & tangebat, mulieris contactum à cæterorum omnium contactu discrevit; tametsi à tergo illud faceret. Si enim Christum veste vellicasset & attraxisset, facile discrimen humanitus deprehensu fuisset: sed cum illum tangat solum, ut plerique alii, divinæ scientiæ erat inter contactus discrimen conferre. Quo docemur dandam operam esse, ut quod in nobis boni est, ad gloriam Dei spectans, & proximorum salutem, id aliorum potius, quam nostro præconio innotescat: nisi adversariorum importunitate (ut Paulus 2 *Corinth.* 11, *&c.*) ad Dei gloriam asserendam, aut Ecclesiæ ædificationem (ut Iosephus *Genes.* 45, 13.) eo adacti fuerimus.

Quod autem dicitur vis quædam, & virtus è Christo egressa, satis indicat, vestis aliqua virtute, aut sanctitate illam non fuisse sanatam. Cum enim ne hominum quidem sanctissimorum pietas, aut virtus morbos sanat, nedum vestium talis sanctitas esse potest (quæ ne sanctitatis quidem capaces sunt) quæ languenti sanitatem conferat. Vide *Actor.* 3, 12. *quod virtute Christi sanatum,*

Cumque Christus fide servatam docet, quæ non vestem Christi, sed ipsum Christum apprehendit, satis declarat vestem nihil ad hanc salutem contulisse; quanquam mulier an hoc errore imbuta fuerit, nolim aliquid certi statuere. Reliquiarum igitur cultus & veneratio sacrilega est, & in Deum impia; ut quæ honorem creatori debitum ad creaturas, & quidem mutas & inanimes transferat. Vnde etiam detestabilior est, quam crassissima inter gentes Idololatrarum Idololatria; qui tametsi reptilia adorarent, eorum tamen ab istis nefanda Idololatria superatur, qui res inanimes adorent. Nec solidi aliquid habet, quod dicunt se illa venerari propter *nulla quapiam vestimenti vi.*

Christum. Nam cum ipsi Apostoli Spiritus Sancti nobilissima organa,& in quibus Christus per spiritum habitabat, hunc honorem sibi delatum repudiarunt: quanto minus hoc eorum vestibus concedi debet. Ecquis Chirurgico scalpello, aut Cantharo, quo Pharmacum tenebatur, gratias agit, aut honorem defert? Vetus quidem hic error est; vel potius erroris hujus primordia ab Ecclesiis, quæ Apostolorum temporibus successerunt, duci possunt: sed vetustate nullam authoritatem sed fœtorem contraxit. Quod autem virtus egressa è Christo dicitur, non ita accipiendum, ac si quid Christo decideret. Nam ut radii solis, lumen, & calor ex sole ad creaturas emanantes, nihilo minus in sole hærent: sic & virtutum operatio in Christo.

Vers. 31. *Discipulorum infidelitas in responsione quis Christum tetigerit;*

Discipuli Christi, ubi Petro nominatim hæc infidelitatis & temeritatis nota innuitur apud *Lucam:* non sine singulari Dei consilio fiduciam in eo retinendi,eum ob hanc quæstionem arguentes, suam primum in fide Christi imbecillitatem produnt; ut qui existimant Christum Dei Filium, falli & decipi posse. Deinde temeritatem, qui suo pede de Christo statuunt, & ejus infinitam scientiam ad ipsorum modulum exigunt. Quia enim hæc quæstio in illis inepta & insulsa fuisset, eam in Christo inscitiæ damnant.Quod quidem eo confidentius faciunt, quod, ut est apud *Lucam*, circumsistentes omnes negarant se Christum (studio videlicet) tetigisse. Cavendum igitur, ne divinas res ad nostram infirmitatem exigamus. Et meminerimus tantum interesse inter Dei cogitationes & nostras, quantum exaltantur cœli à terra. *Esa.* 55,9. Et tametsi omnes homines in hujusmodi consentientes & astipulantes haberemus; tamen illud nos non debet ad hujusmodi audaciam animare.

Vers. 32. *ad quam ipse respicit;*

Christus hanc illorum temeritatem non verbis, sed reipsa refellit; neglecta igitur discipulorum reprehensione, perstat in incepto & instituto investigationis,& oculo eam designat, quæ hanc Christi virtutem experta esset.

Vers. 33. *quæ fœmina tremebunda progreditur,*

Tandem cum qui circumsisterent negarent, & Christus illam versus, ut verisimile est, aciem oculorum defigeret, denique cum se amplius latere non posse intellexisset, in medium progressa, & ad pedes Christi tremula advoluta, rem omnem, ut gesta est, agnoscit. Ex quo videmus primum quam nostri honoris amantes sumus, eumque Dei honori, & fratrum saluti præferimus; qui infinitis gradibus postponendus esset,ut non nisi coacti & inviti Deo gloriam tribuamus. Vide exemplum hujus rei. *Ios* 7,16,21. Deinde discimus, Christum investigationem & indagationem instituentem,non frustrari aut decipi posse. Cum igitur se occulta, & recondita hominum peccata in lucem educere prædixit, & quod illi occulte in suis cubiculis faciunt, palam in judicium extrahere; nemo se hac fiducia ad malefaciendum animet, fore ut delitescat.

Vers. 34. *quam Christus metum deponere jubet.*

Christus consolatur eam, & eam confidere (ut est apud *Lucam*) jubet. Quod metueret, partim ne propter clandestinum attactum irasceretur Christus, partim ne hac re offensus sanitatem collatam repeteret. Itaque jam fide sanatam, jubet secure & posito metu discedere. Ex quo illud colligitur, non tantum ad Dei gloriam, & circumstantium, cum primis, Iairi fidem profuisse, ut res ista innotesceret; sed etiam singulare fidei adminiculum hoc modo fœminæ accessisse, qua & de futura post vita & de præsenti sanitate confirmabatur. Nisi enim verbo & promissione Christi confirmata fuisset, indies atque in momenta de sanitate sua mox auferenda fluctuasset. Vnde discimus, his, qui ad Dei gloriam, & proximorum commodum sua peccata & ignominiam, seu turpitudinem retegunt, singulare commodum obvenire. Deinde etiam quietam & pacificam donorum Dei fruitionem, ex promissorum Dei notitia proficisci. Sicut enim cum quis regis beneficio, absque voluntatis ipsius conscientia, utitur, subinde ne illi hoc auferatur, aut etiam rex in eum excandescat metuit: sic, &c.

MARC. *cap.* 5. *à vers.* 35, *usque ad finem Capit.*

35 *Adhuc eo loquente veniunt* quidam *à præfecto Synagogæ, dicentes; Filia tua mortua est: quid amplius vexas magistrum?*

36 *IESVS autem, statim ut audiit hunc sermonem qui dicebatur, dicit præfecto Synagogæ; Ne metue, solummodo crede.*

37 *Neque permisit ut se quisquam una sequeretur, nisi Petrus & Iacobus & Iohannes frater Iacobi.*

38 *Venit*

38 *Venit igitur domum præfecti Synagogæ, & tumultum conspicit, flentes & ejulantes multum.*

39 *Et ingressus dicit eis; Quid tumultuamini & fletis? puella non est mortua, sed dormit:*

40 *Et deridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui secum erant, & ingreditur eo ubi erat puella jacens.*

41 *Prehensaque manu puellæ, dicit ei; Talitha cumi: quod est, si interpreteris, puella (tibi dico) surge.*

42 *Et statim surrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim, & obstupuerunt stupore magno.*

43 *Ipse vero multum imperavit eis ne quis id resciret: dixitque ut daretur puellæ quo vesceretur.*

ANALYSIS.

NArratur nuntius de morte filiæ Archisynagogi, qui describitur ab adjuncto tempore, dum Christus adhuc fœminæ de restituta salute loqueretur: deinde describitur à relatis, nempe nuntiis, qui hunc nuntium retulerunt; qui describitur suo subjecto, domo scilicet Archisynagogi; deinde forma nuntii, scilicet, *filia tua obiit.* Cujus nuntii adjunctum erat, Archisynagogi taxatio quod vexare perrexit Iesum, quod adjuncta inutilitate confirmatur.

*Vers.*36. Item adjuncta auditione Christi, cujus effectum erat, quod Christus adversum hanc tentationem Archisynagogum confirmavit; cujus forma est, *ne time:* quod suo disparato fidei arguitur.

*Vers.*37. Describit filiæ excitationem, primum ab adjunctis testibus, tribus Discipulis: qui sua causa declarantur, nempe quod Christus hos se sequi modo voluit.

*Vers.*38. Deinde ab adjuncta certitudine mortis, quæ describitur ab adjuncto strepitu quem in ædibus domestici & amici excitabant, qui strepitus suis partibus declaratur, fletu & ejulatu.

*Vers.*39. Hujus fletus & ejulatus effectum est, reprehensio Christi; quæ arguitur ab adjuncta momentanea filiæ in morte duratione: quæ paribus concluditur, quod illius mors somno ex quo excitanda mox erat æquatur.

*Vers.*40. Hujus dicti Christi effectum est, irrisio qua illum derident domestici & amici. Derisionis effectum est, ejectio & exturbatio irrisorum ex ædibus; post effectum Christi narratur, ingressus in cubiculum ubi mortua jacebat, & adjuncti comites, nempe parentes & tres Christi Discipuli.

*Vers.*41. Describitur excitatio à mortuis, ab instrumentali causa, prehensione manus mortuæ filiæ per Christum; item ab efficiente causa, verbo seu mandato Christi, cujus forma proponitur, *surge puella.*

*Vers.*42. Cujus effectum narratur, quod filia revixit; cujus restitutæ vitæ effectus declaratur, ambulatio; cujus ambulationis causa narratur, quod duodecim annorum esset: deinde veritas excitationis arguitur, ab adjuncta admiratione & stupore magno.

*Vers.*43. Deinde alio adjuncto, nempe prohibitione & interminatione ne hoc evulgarent; veritas porro non vitæ tantum sed & valetudinis restitutæ arguitur, effecto manducationis ex adjuncto Christi mandato.

METAPHRASIS.

QVo magis diceres, Hæmorrhoeæ sanatio- 35.
nem bona & magna sui parte, Archisy-
nagogi in fide confirmationem respexisse: vix
dum Iesus suum ad eam sermonem absolvit,
cum nuntius ab ædibus Archisynagogi venit,
qui diceret; filia tua mortua est, noli ergo Ma-
gistrum porro ex itinere ad ædes tuas fatigare.
Quo audito Iesus, conscius nutantis in Iairo fi- 36.
dei, è vestigio ei succurrit, dicens; Ne conster-
nator hoc nuntio, tantum me posse & velle fi-
liam tuam vitæ restituere fidem habens, quod
cupis obtinebis. Iesus autem ex suo comitatu 37.
nullum passus est se comites adjungere præter
Petrum, Iacobum, & Ioannem Iacobi fra-
trem; ut qui testes futuri essent rei per Chri-
stum gerendæ locupletes. Tum venit domum 38.
Archisynagogi, ubi ingens strepitus & tumul-
tus excitatus, hinc Auladorum ad luctum
provocantium, istinc domesticorum & amico-
rum, partim amare lachrymantium, partim
indecore ejulantium. Ingressus autem ad illos 39.
qui strepitum edebant: quid tumultuamini &
fletis, tanquam de filia ad vitam restituenda
desperantes: quomodocunque vobis τὸ ἀδυνά-
των esse videatur eam ad vitam revocare, mi-
hi tamen tanquam non mortuam perinde fa-
cile est vitæ restituere, ac dormitantem clamo-
re expergefacere. Illi exploratam & certam 40.
puellæ mortem habentes, hoc Christi dictum
tanquam stultum & temerarium salse irrise-
runt. Quamobrem exclusis omnibus illis ludi-
ficatoribus, assumpto utroque parente cum tri-
bus illis de quibus supra mentionem feci, inte-
rius cubiculum ubi puella sita fuit ingreditur.
Cujus puellæ manum Iesus prehendens, illi 41.

mortua tanquam vita prædita clara voce Syra lingua dicit, Talitha cumi, *id est, si interpreteris, surge virguncula.*
42. *Quæ vox simulac emissa est, ilico vita restituta est: cujus firmissima testimonia edidit, quod surrexit, quod ambulavit, egit enim duodecimum annum ætatis suæ, ut illam vitæ restitutam sponte & resurgere & ambulare potuisse non ignores. Quo facto ea admiratione spectatores correpti*
43. *sunt, ut vix præ stupore apud se essent. Iesus tamen vehementer illis præcepit, ne hoc factum apud quemquam evulgarent: mandans porro ut puellæ cibum apponerent, eadem opera ut vitæ simul & valetudinis restitutæ indicium extaret.*

PRAXIS.

Vers. 35, 36. *Iairi fides ex filiæ morte tentata,* HOc miraculo Iairo in fide confirmato, nova tentatio oritur. Nuncius ei certus de filiæ morte affertur, simul etiam aliud fidei obstaculum à servis objicitur, tanquam in accersendo Christo operam lusisset: perinde enim est, ac si dicerent, nullum ad eum hoc Christi adventu solatium obventurum. Christo ex labore & suscepto itinere aliquid decedere, ei accedere omnino nihil.

quæ à Christo ilico suffulta, Christus autem, qui Iairi imbecillitatem bene perceptam habebat, ne hoc nuncio & sermone, tanquam fulmine in terram sterneretur, nutantem & ruentem fulcit, & veluti subjecto statumine sustentat. Quod etiam è vestigio factum esse diserte notatur, postquam hunc nuncium Archisynagogus accepisset, ne subito fidei deliquium pateretur.

à quo fides sola imperata. Quod autem solam fidem ad tantum beneficium consequendum requirit, documento est nos sola fide vitæ æternæ compotes esse; maxime si expenderimus momentaneas has liberationes, & corporis instaurationem, animi per Christum instaurandi sigillum & claustrum esse. Deinde cum & hujus, & futuræ vitæ commoda & salus à Dei promissionibus pendent, nec nisi fide promissa accipiuntur, proinde æternam & momentaneam vitam fide nos consequi conficitur. Et si operibus momentaneum hujus vitæ beneficium non consequimur, nedum æternam nanciscimur.

Vers. 37. *Cur hoc miraculum magis quã præcedens celari Christus voluerit?* Hoc autem mirum videri potest, cur cum prius miraculum in omnium notitiam pertrahere voluit, idque cum ipsius fœminæ pudore, hoc miraculum, quod sine cujusquam ignominia aut (ut videtur) damno evulgari potuit, celatum esse voluit. Vnde etiam non tantum multitudinem quæ sequebatur, & aliquot ex propriis ejus Discipulis, sed & illam turbam, quæ in ædibus fuit, quinque tantum admissis testibus & spectatoribus, summovit. Quo etiam spectare forte videtur, quod dormire virgunculam dicens, hac ambiguitate vocis, turbam in Iairi ædibus suspensam, & dubiam de tanto miraculo reddere voluit. Respondeo, hoc miraculum ideo celatum voluisse, ne ejus splendore præpropere nimis Christus percrebresceret. Eoque cum jam mortem imminere sciret, simul & viduæ filium, & Lazarum palam spectante populo ad vitam revocavit. Deinde noluisse quidem hoc celatum esse omnino, sed ad tempus opportunum ampliorem ejus notitiam reservari; unde tam diligenter ab Euangelistis monumentis consignatum est. Huc accedit, quod paucis tantum adhibitis, miraculum conspectius erat, quam si tota turba in cubiculum admissa fuisset. Quod autem apud *Lucam* dicitur, tum Christum turbam dimisisse, cum ad ædes Archisynagogi venerat, id non pugnat cum hoc quod *Marcus* narrat.

Archisynagogo domum ingressuro periculosissima longe tentatio objicitur; præterquam enim quod ploratus omnium, & luctus ex morte filiæ, & lugubris musicorum concentus, & modo eum graviter ferire possent, & spem recuperandæ filiæ frangere: tamen illud adhuc longe gravius, quod Christi de vita filiæ pollicitationem cum irrisione rejicerent. Sic Sara promissum cum irrisione rejicit: præterquam igitur quod nostrum ipsorum mens, & ratio ad infidelitatem & desperationem nos sollicitat, videmus mundum, nec impios tantum (ut in Ismaële, Isaci hæreditatem scommatis excipiente, factum est, *Genes.*18,12. & 21,9.) aut hostes; sed pios etiam, & domesticos (ut hoc loco, & in *Iobi* historia, *Iob.*16,2. & 19,13, *ad* 19.) nos ad desperationem in Dei promissis, quoad possunt, adigere. Quo magis danda opera est, ut fidem promissis sartam tectam habeamus. Quanquam hæc turbæ irrisio certius filiolæ mortem comprobat, & sua infidelitate fidem piorum, hoc pacto Christi potentia interveniente juverint; quod idem in luctu & flebilibus modis notari debet. Vide *Lucianum* in dialogo de luctu: qui hunc ritum apud gentes usitatum fuisse narrat, ut non nisi à gentibus hunc morem tractũ fuisse verisimile sit: ubi de modo in luctu adhibendo opportune inseruntur; vide etiam *Ioseph.* 3. lib. de bell. Iuda. cap. 30.

Vers. 38. &c. *Altera periculosa Iairi tentatio;*

Notan-

idque circa promissi complementum.

Notandum porro istam fidei tam periculosam oppugnationem, tum objectam fuisse, cum pœne in promissi possessionem venisset Iairus. Quod nos docet, ne unquam de Dei promissis securi simus, antequam illis perfruamur: simul etiam admonet, ne animum demittamus, tametsi tum, cum rem aliquam optatam spe devoravimus, remora aliqua interveniat, quæ ipsam spem nostram devoratura videatur. Quod sæpe in piorum imminente morte cernere licet, ut priusquam in cœli portam veniant, medio mari inter fluctus jactentur.

Vers. 41. *Quo comitatu & modo hoc miraculum factum?*

Christus assumptis tribus Discipulis, cum utroque parente, reliquis exclusis, cubiculum ingreditur, & prehensa manu puellæ illam compellat; res autem quæ non sunt, tanquam essent appellat, & veluti dormientem expergefacit, &c.

Vers. 42. *ex filiolæ resuscitatione resur-*

Hoc loco fidem resurrectionis confirmatam habemus; eadem enim filii Dei voce, qua hæc ad vitam revocata est, nos revocabimur, *Ioh.* 5,28,29. quod etiam ex voce *somni* observatur. Quod vero spiritum ejus rediisse *Lucas* notat, documento est, spiritus ad sua & propria corpora remeaturos, contra μετεμψύχωσιν Pyth. Sicut etiam eisdem olim corporibus vestiemur, cum coram Dei tribunali sistemur. Simul etiam docetur, Deum nos in peccatis mortuos penitus, ad vitam per Christum regenerare & progignere. Sicut enim morbi peccata nostra, & separatos animi morbos exhibent: sic mors à Deo, qui animi vita est, avulsionem integram repræsentat.

rectio confirmata;

Vers. 43. *quæ cibi præbitione illustrata.*

Quod cibum præberi jubet, id facit ad miraculum tanto magis illustrandum, quod uno momento usque eo & vitæ & valetudini restituta sit, ut non secus, quam cum olim sana erat, & cibo vesci potuerit, & pedibus erecta incedere, prout illius ætatis puellæ solent. Sicut autem hæc vita actionibus vitæ comprobatur, sic si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. *Gal.* 6,8.

MATTH. *cap.* 9. *à vers.* 27, *ad* 35.

27 Quumque digrederetur illinc IESUS, sequuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes; Miserere nostri fili David.
28 Quum autem venisset domum, adierunt eum cæci illi, & dicit eis IESUS; Creditis me hoc posse facere? Dicunt ei; Etiam Domine.
29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens; Secundum fidem vestram fiat vobis.
30 Et aperti sunt oculi eorum: & graviter interminatus est eis IESUS, dicens; Videte nemo sciat.
31 At illi egressi sparserunt ejus famam in tota illa regione.
32 Ipsis autem egredientibus, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmoniacum.
33 Et ejecto dæmonio loquutus est mutus: & mirata est turba, dicens; Nunquam apparuit tale quidpiam in Israële.
34 Pharisæi vero dicebant; Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

ANALYSIS.

Exponit duorum cæcorum sanationem ab adjuncto tempore, scilicet cum discessisset à domo Archisynagogi, deinde à subjecto, nempe cæcis; qui suo adjuncto numero describuntur, nempe quod essent duo: deinde describitur ab effecto sequendi Christum, & clamandi illum; cujus clamoris forma proponitur, *miserere mei Fili David:* in qua forma causa sanitatis restitutæ comprehenditur, misericordia Christi; qui Christus describitur suo relato, Filio Davidis.

Vers. 28. Post sanatio describitur à subjecto loco, domo: effecto cæcorum qui ad Christum accesserunt: post instrumento sanitatis, fide cæcorum Christum potuisse illos sanare.

Vers. 29. Altera causa instrumentali, oculorum per Christum contactu, & efficiente, verbo Christi.

Vers. 30. Effectum horum est, apertio oculorum, adjuncta interminatio, ne miraculum evulgarent; cujus forma proponitur, *videte ne quis cognoscat.*

Vers. 31. Quæ interminatio suo diverso declaratur, nempe evulgatione miraculi; quæ etiam amplificatur subjecto loco ubi divulgabant.

Vers. 32. Narratur sanatio dæmoniaci adjuncto tempore, nempe simul atque duo cæci egressi sunt ædibus: dein proprium subjectum dæmonis notatur, scilicet sermonis instrumenta: post causa dæmoniaci sanati, quod à suis ad Christum adductus sit.

Vers. 33. Cujus effectum erat, ejectio dæmonis; ejectionis effectum, sermo ejus qui mutus erat: adjunctum vero primum admiratio; quæ suo subjecto declaratur, turbæ scilicet: aliud item adjunctum prædicatio operis Christi in muto; quæ prædicatio amplificatur comparatione minoris, quod nunquam hoc sic factum [illegible]; quæ comparatio amplificatur

catur à subjecto Israële: ubi est etiam tacita comparatio majoris, in Israele, nedum aliis locis aut gente.

Vers. 34. Aliud adjunctum blasphemia, quæ describitur suo subjecto Pharisæorum: & forma quæ causa & effecto consistit, causam satanam seu principem dæmonum assignantes, effectum ejectionem dæmonis.

METAPHRASIS.

27. *Porro cum Iesus egressus ædibus Archisynagogi viæ se daret quæ Capernaum recta ducit, illum sequuti sunt duo cæci, qui aliquo locorum intervallo (propter populi multitudinem) dissiti clamarunt, dicentes: Misertus nostri ô Messia, ex Davidis stirpe oriunde, nos*
28. *visu restitue. Iesus autem surdum ob eam causam agenti quod miraculum ad tempus tacitum esse voluit, sanationem detrectans quoad in domum venerat ubi hospitio accipi consueverat, cæcis qui illum prosequentes se coram illo privatis in ædibus stiterunt, dixit; Creditis me posse propria virtute hoc visus beneficium in vos conferre: cui illi; omnino, Domine, penes te hoc esse corde credimus & ore confitemur. Tum Iesus digitos oculis admovens, inquit;*
29. *scio equidem vos credere, proinde obveniat vobis secundum fidem vestram. Quo dicto ilico*
30. *aperti sunt illis oculi; Iesus vero, adhibitis etiam comminationibus, illis impense præcepit, dicens; iterum atque iterum videte ne quis*
31. *hæc rescifcat. Cæci vero Christi interminationem modestiæ & animi submissioni deputantes, simul ac pedem ex ædibus extulissent, Iesum per totum illum regionis tractum prædi-*
32. *carunt. Cæcis autem domo egressis, ecce alios qui hominem ad Iesum adduxerunt, cui nequam spiritus (concessa à Deo potestate eum*
33. *subeundi) sermonis facultatem ademerat. Exturbato vero & ejecto per Christum dæmone, mutus sermonis beneficio restitutus est. Quare turba admiratione commota, dixit libere; nunquam ex omni memoria hominum tale quid visum est, ut quis solo verbo & jussu suo dæmonem ejiceret: ne in Israële quidem, ubi tamen plerique quorundam ministerio dæmonibus liberati sunt, nedum in prophanis genti-*
34. *bus. Pharisæi vero invidia in Christum commoti, hoc populi præconium ægre ferentes, dixerunt: stulte hoc Christi aut virtuti aut sanctitati adsignari, quod ad Beelsebubum dæmoniorum principem (cujus vi hæc & similia facta sunt) referendum est.*

PRAXIS.

Christus cæcos visui, mutum ex dæmonis possessione sermonis facultati restituens, ab his non satis pro dignitate, ab illis vero indignissime accipitur.

Cujus *partes* sunt, miraculum, { oculos cæcorum aperiendi, & mutum ex dæmonis possessione orationis facultate restituendi.

In miraculo apertionis oculorum, primo fides cæcorũ consideratur: quæ plurimis effectibus testata redditur. Quorum primus est, quod Christum sequentes illum invocarunt. Fides enim invocationem parit. Nec enim unquam illum adimus, à quo nihil impetrare, eorum, quæ usui nobis sunt, speramus. Sicut enim nemo absque fide Dei nomen invocat; ita fide imbuti non invocare Deum non possunt. Hinc est, ut *Psal.* 116,10. Propheta suam fidem hoc argumento comprobet, quod loquutus fuerat, & Deum invocarat: & Paulus filiorum adoptionem inde arguit, quod Abba, Deum Patrem invocemus *Rom.* 8,15. & *Iacobus* 5,15. invocationem nominis divini fidei orationem appellans, fidei partum, nominis Dei invocationem declarat satis. Qui igitur in hoc pii hominis officio muti sunt, eos fidei penitus expertes esse confitendum erit: maxime in tanta rerum, quibus opus habemus, inopia, & Dei, ut eum adeamus atque invocemus, imperio. Necessitas enim homines adigit, ut vel ab inimicis ipsis & hostibus sibi illa petant, quæ opus habent; ut in Benadado usu venit erga Achabum; in Iudæis erga Ægyptios, à quibus stipem coacti sunt petere, tametsi nullis promissis muniti & animati essent. Vide *Lam.* 5,6. Quid igitur causæ est, quod in tanta rerum spiritualium, quibus omnes urgemur, necessitate, ad Deum non confugimus; nisi quod odium gravius & magis inflammatum, animis nostris erga Deum adhæret, quam cujusquam mortalis in sibi infensissimum hostem? Atque ita plane in omnibus fit tantisper, donec per fidem Deo reconciliemur. *Rom.* 5,1,10. Maxime vero hæ in Deum inimicitiæ apparent, cum aulæ aut fori divini, foribus reseratis & reclusis, & Deo à libellis supplicibus sedente, (quod fit quoties Ecclesia convenerit) nulla tamen ad Deum petitio instituitur. Neque enim domi preces ad Deum attollere existimandi sunt, qui in Ecclesia, ubi spectatissimum Dei, Angelorum, & piorum theatrum erigitur, Deum non invocant. Nec vero fidem solum testatur, sed etiam alit & corroborat. Nisi igitur fidei incrementum & accessionem negligamus,

Vers. 27. *Ex Christi invocatione cæcorum fides,*

mus, quod sine fidei vacuitate non possumus, cum à fide in fidem transeatur, invocatio à nobis contendenda & tenenda est.

& fiducia quod filius Davidis qui Messias;

Oratio autem cæcorum notanda est; qua Davidis filium, ut eorum misereatur, implorant. Quæ certe singularem, ut illis olim, sic nobis nunc fiduciam addit: tametsi enim Filii Dei nomine & appellatione sæpissime invocetur, tamen hic etiam filii Davidis titulus animo & memoria complectendus est. Sicut contra filium Davidis invocantes, mente & cogitatione, filii Dei insigne non debet excludi. Hoc enim, ejus ad juvandum facultatem; illo, voluntatem fide concipimus. Davidis enim filii titulum ei attribuentes, non tantum eum Messiam in Prophetis promissum agnoscunt, sed etiam se ipsos in fiducia eum invocandi confirmant. Alacres enim homines sui similes adeunt, eosque confirmant medicinam malorum prope ipsos esse, id est, in ipsorum carne, in qua morbus hæret; & citius sibi ab illis opem pollicentur, qui ipsi malis, quibus obnoxii & expositi sunt, premuntur. Nam Christus cum carne nostra, nostras etiam infirmitates induit.

quo magis nostri commiseretur.

Tametsi enim nec oculis, nec auribus, nec pedibus captus erat, tamen visus, auditus, pedumque quo utebatur beneficio satis intelligebat, quantum malum in cæcitate, surditate, & claudorum calamitate est. Nos quidem stupore hoc non facimus, sed ille qui mente experrecta & evigilata erat, hæc probe tenebat, & adhuc, quoad homo est, retinet. Vnde misericors est, & ad opitulandum promptior. *Hebr.*2,17,18. Sicut igitur Israëlitas diutius cum Davide inimicitias exercentes, tandem ut illum adirent, & se illi reconciliarent, hæc cogitatio permovit, quod caro ex carne ejus, & os ex ossibus ejus essent, 2 *Sam.*19,12. sic cum Christus sit caro ex carne nostra &c. *Ephes.*5,30. Quin etiam arctior nobis cum Christo necessitudo, quam Israëlitis, aut etiam Iudæis cum Davide. Christus enim non tantum nos, ut illos olim David, fratris benevola & peramanti appellatione ad se invitat, sed amicum se nostrum & sponsum profitetur. Vnde non tantum filium Davidis, sed γνήσιον, & minime degenerem filium esse constat: id est, qui populum suum fovet & pascit fidelissime, & singulari sollicitudine; qui anima sua in manum (ut de Davide dicitur *Psalm.*119,119.) accepta, illam pro suis morti objecit. Cum vero nemo vel Angelorum, vel beatorum qui hinc migrarunt spirituum, nobiscum tot & tantas necessitudines habeat, quot & quantas Christus, eorum inscitia facile colligitur, qui præterito Christo, ad Angelorum aut Sanctorum invocationem se recipiunt; nullus enim ex illis gravioribus & acerbioribus malis unquam pressus est, nullus eorum corpore septus est, nullus nobiscum amicitiam unquam professus, nullus nobis connubii vinculo conjunctus est.

Vers. 28. Etiam hi ex fide Christum secuti sunt;

Eorum fides secundo loco apparet, quod Christum ad ædes usque, ad quas se receperat, prosequuti sunt: ut illos in suscepto precandi instituto permansisse appareat; tametsi non primo clamantes exauditi sunt. Fides enim non est levis quædã & volatilis opinio, quæ una inficiatione aut repulsa repellitur & exstinguitur, sed à fide in fidem progredimur; nec unquam, ut de Petri fide dictum est, *Matth.* 16, 18. deficit, & portæ inferorum adversus illam non prævalebunt. Quos igitur Dei ad tempus silentium à precando absterret, eos fide non esse imbutos patet: quorum levitas & ignavia ex civilis fori ratione facile deprehenditur. Tametsi enim aliquot annis in foro jus concupitum, & de quo judicio experiuntur, minime consequantur, tamen non ideo causas suas deserunt. Tametsi igitur Christus, à nobis illum insequentibus fugere videatur, tamen mox adest.

quod nos magis ob visum spiritualem:

Quod si visum externum tam avide persequimur, nedum cœlestem & spiritualem multo debemus magis; præsertim cum creatorem intueri multo præstantius sit, quam cernere creaturam: sitque atrocius in foveam inferorum cadere, quam in cænosam scrobem. Quod tanto à nobis ferventius faciendum, quod Christus cæcorum illuminatione se mundi lucem & solem esse assignat, nosque hac sanatione cæcitatis, ad cœleste lumen quærendum invitat.

cur interrogat, an credant se à Christo posse sanari?

Quod autem Christus ab illis sciscitatur, an ipsum hoc beneficium præstare posse illis credant, id non eo facit, quod ignoret; sed ut quid in sanitate illis conferenda respiciat, intelligant, & ut cæteri, qui eum circumsistebant, exemplum haberent fidei, ad quam se conformarent. Quamvis igitur ad Christi gloriam compendiosius videri potuit, si se eos credere probe scire professus esset; tamen suam gloriam, quia non vult à nostris commodis & salute separatam esse, quærere hoc, tanquam nescius, voluit potius, quam ut quidquam nobis & nostræ saluti deperiret.

quorum fi-

Quod autem respondent se id crede-

 re, id-

des eximia quod hoc credant; re, idque vere, ut ex ſanitate protinus ea lege collata, ſi in Chriſtum crederent, liquido conſtat: diſcimus, quam pollens hæc cæcorum fides exſtitit, qui hac confeſſione videntur potentiam plane divinam in Chriſto agnoviſſe. Quod enim fatentur Chriſtum hoc poſſe facere, non autem illi hanc facultatem conceſſam eſſe, prout à Chriſto interrogati ſunt, ſatis ſubinnuere videntur Chriſto inſitam quandam, & innatam potentiam eſſe, qua hoc efficere queat. Cum plerique fere alii non niſi precario hoc fieri poſſe, & admotis & impoſitis manibus, crederent. Vnde etiam Chriſto legem nullam in ſanando ut alii imponunt, manuum contactu, aut alio quopiam externo & corporali medio applicato, ſed ipſi liberum agendi modum permittunt. Quæ eorũ in Chriſtum fides tanto magis ſplendeſcit, quo ſingulari confirmandæ fidei præſidio orbati fuerant, ſcilicet videndi facultate, qua conſpectis Chriſti miraculis præſtanti adminiculo adjuti fuiſſent. Verum quod hoc ſubſidio privati ſunt, veriſimile eſt, eos majorem in audiendo diligentiam abhibuiſſe. Nos igitur, qui & auribus, & oculis, & guſtu, & tactu, Chriſtum nobis probe cognitum & familiarem reddere poſſimus, pudere omnino debet, quod fide tam exigua & tenui ſimus.

Verſ. 29. *ex qua voti ſimus compotes.* Quod autem ſecundum fidem illis fieri jubet, docet, nos, quicquid credimus, accipere, ut fides noſtra ne minima quidem ex parte nos confuſos reddat. *Rom.* 10, 9, 10. Hinc etiam eſt, quod dicitur, nos, quicquid ex fide petierimus, obtenturos: modo igitur manum, ſeu ſinum, ſeu gremium fidei aperiamus, modo latum fidei vas afferamus, nihil nobis deerit. Quod igitur parcius, & tam reſtrictius Dei beneficiis utimur, præſertim quæ ad vitam æternam ſpectant, in cauſa eſt, quod nos in nobis ipſis contracti & veluti obſerati ſimus. Vide eximias de hac re hiſtorias. 2 *Reg.* 4, 1, *ad* 7. item 2 *Reg.* 13, 14. *ad* 19. & *Exod.* 8, 10. quibus doctrina hæc non confirmatur ſolum, ſed etiam illuſtratur.

Verſ. 30. *Cur hoc vetitum divulgari?* Cur illis, ne hoc miraculum evulgarent, injunxit, cauſa ex ſuperiore capite petenda. Quo etiam ſpectare videtur, quod eos noluit in itinere, coram toto populo, ſed duntaxat in ædibus ſanare. Huc referri poſſe videtur, quod non niſi oculorum contactu ſanitatem illis reddidit; quibus alioquin videtur, verbo ſanitatem reſtituere voluiſſe. Nam id fuiſſet ad ipſius gloriam accommodatius, & cæcorum fides uſque eo ſe diffundere, & dilatare videbatur.

Cui, quod non ſunt, rem evulgantes, obſequuti, inde fluxiſſe videtur, quod Chriſtum, ſubmiſſione animi quadam & modeſtia, hoc illis prohibuiſſe exiſtimarunt. Quamobrem operæpretium ſe facturos putabant, & multos ad Chriſtum ſe aggregaturos, ſi rem hanc quamplurimis communicarent. Sed ſuæ ſapientiæ, & rationis propriæ conſiliis aurem dantes, à Dei mandatis deflexerunt. Tametſi minis adhibitis hoc illis mandatum fuiſſe, ex voce, qua utitur Euangeliſta, conſtat; ut ſæpius recoli opus ſit illas admonitiones, quibus hoc tantum facere præcipimur, quod Deus mandat, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinandum eſt; nec quod nobis in oculis noſtris bonum videtur facere, obedientiam ſacrificio præſtare, inobedientiam vero eſſe ut idololatriam, aut divinationem. Huc accedit exemplum Saulis: cujus tametſi ſpecioſum inſtitutum eſſe videretur, tamen cum præcepto pugnans, impium plane judicatum. 1 *Sam.* 15, 22, 23. Neque cum his mitius factum fuiſſet, quam cum Saule, niſi Chriſtus, fide eorum in illum defixa, hoc peccatum remiſiſſet. Hæc res tanto periculoſior eſt, quod cum graviter peccant, ſe tamen ſumme Deo placere exiſtiment. *Ioh.* 16, 2. Verſ. 31. *cui quare non ſint obſecuti?*

Sequitur illud miraculum, de ſermonis facultate muto reſtituta. Vbi in dæmoniaco obſervatur primum, dæmonum poteſtatem eſſe circumſcriptam, & cancellis quibuſdam à Deo ſeptam: nec enim niſi fræno divinæ potentiæ retineretur, oculorum aut aliorum membrorum uſum integrum & intactum reliquiſſet. Deinde peccati deformitatem, maxime in linguæ petulantia, qua fit ut juſto Dei judicio nobiliſſimum corporis membrum Diabolo, veluti in ſervitutem, tradatur: quod nos admoneat ut ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem linguam conſervemus, ne ſi Diabolo illam elocamus, ei in ipſam poteſtas detur. Verſ. 32. *Quid notandum in hoc dæmoniaco?*

In eis qui illum Chriſto obtulerunt, vere pium officium charitatis Chriſtianæ proponitur; qui muto pro ore ſunt, ſicut *Marc.* 2, 3. Paralyticus ad Chriſtum bajulorum quatuor pedibus acceſſit: vide *Iob.* 29, 15. *ex pietate Chriſto oblatus;*

In Chriſto obſervatur quam exorabilis ſit, & quam vere dicitur Deum nos exaudire, dum adhuc in precando ſumus: quin etiam nos tum exauditurus dicitur, cum nondum os ad precandum aperuerimus. Quod nos ad precan- Verſ. 33. *quod valde exorabilis ab eo ſanatus:*

precandum animare debet; maximè cum adversus Dei hostem causam precibus agimus; quod toties fit quoties adversus peccata, quibus impediri nos sentimus, opem imploramus.

hujus miraculi in populo fructus, Quis hujus miraculi exitus fuit, post subnectit. In populo mediocris; ut qui in genere fatebantur tantam virtutem in Christo apparuisse, quantam nunquam ex omnium hominum memoria, non modo inter prophanas gentes, sed ne populo Dei Israëli ostensa fuit. Ex quo videantur Prophetis omnibus Christum anteferre, & promissum Messiam esse non obscure insinuare. Non dissimile est, quod à populo *Ioh.* 7,31. dicitur, *Christus cum venerit an plura hoc faciet?* tanquam diceret, Christus est. Hic igitur fructus tametsi non tam plene maturus, Christo tamen non ingratus fuit.

Pharisæi vero furore quodam ex eo perciti, quod populum viderent tam honorifice de Christo sentire, in execrabilem blasphemiam præcipites ruunt, & alios quoad possunt, præcipites agere conantur. Populo vero suggerunt, Christum à Principe dæmoniorum occupatum, aliis dæmonibus tanquam suis subditis discessum & abitum imperare. Quod quid aliud est, quam lucem tenebras, dulce amarum, divinum diabolicum, Deum deniq; ipsum diabolum vocare? Quod cujusmodi sit, post aptiori loco videbimus: sed hic tamen summa perversitas notanda. Nam si diaboli potestate dæmones ejiceret, qua tandem virtute cæcis oculos aperuit? mortuos resuscitavit? An enim Diabolus cæcorum oculos aperiat? Hic notemus, quibus gradibus pedetentim ad profundum hoc barathrum devenerunt. Vid. *Matt.* 9,1, *ad* 15. *Vers. 34. in Pharisæis blasphemia.*

MATTH. *cap.* 9. *vers.* 35.

35 Et obibat IESVS urbes omnes ac vicos, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans quemvis morbum & quemvis languorem in populo.

LVC. *cap.* 8. *à vers.* 1, *ad* 4.

ET factum est deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim & vicatim, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim illi erant *cum eo:*
2 Et quædam mulieres quas sanaverat à spiritibus improbis & morbis: nempe
Maria, quæ vocabatur Magdalene, ex qua septem dæmonia exierant.
3 Et Iohanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ
ministrabant ei ex iis quæ sibi suppetebant.

MATTH. *cap.* 9. *à vers.* 36, *ad finem Capit.*

36 Quum vidisset autem turbam, commiseratione intima commotus est super eis,
quod essent dißipati & disjecti quasi oves non habentes pastorem.
37 Tunc dicit discipulis suis; Ipsa quidem meßis multa, operarii autem pauci.
38 Rogate igitur Dominum meßis, ut emittat operarios in messem suam.

ANALYSIS.

CHRISTI in vocatione obeunda singularem diligentiam & assiduitatem narrat, 1. ab effecto, lustratione & peragratione regionis; quæ distributione partium notatur, urbium scilicet & vicorum seu villarum; deinde à fine prædicandi Euangelii; quod adjuncto regni notatur, quia aditum pandit ad regnum, & adjuncta sanatione confirmatur; quæ suis partibus declaratur, morborum scilicet & languorum: quæ partes adjuncta universalitate amplificantur, & subjecto populo Iudaico definiuntur.

Vers. 36. Alterum effectum Christi in hoc itinere narratur, commiseratio; cujus efficiens narratur, intuitus & interior consideratio miseriarum populi; quæ miseriæ suis partibus describuntur, nempe quod invicem dissoluti & divulsi, & quod ex ovili veluti ejecti & depulsi erant: quæ cum dissolutio tum depulsio sua causa explicatur, quod pastore destituerentur.

Vers. 37. Hanc rem alio pari illustrat, nempe messis, cui convehendæ messores non suppetunt.

Vers. 38. Cujus adjuncta remedia sunt, preces fidelium, quæ subjecto proprio describuntur, nempe domino messis ad quem preces dirigendæ sunt, & forma, ut operarios extrudat; quæ sua relata causa arguitur, quia sit ejus messis.

METAPHRASIS.

IEsus porro, Pharisæorum spreta indignissima calumnia, ab opere suscepto non destitit; sed omnes cum urbes tum vicos regionis Galilææ per-

laeæ perlustrans, eorum in Synagogis docuit, prædicans Euangelium quo ad regnum cœlorũ aditus patet: eandemque doctrinam omnis generis morborum & languorum, qui in populo grassabantur, sanatione obsignavit.
36. *Postquam vero ad populi, in his quæ ad Deum spectant, conditionem animum attente advertisset, commiseratione ex intimis animi visceribus profecta de illis tactus est: idque non alia de causa, quam quod ab invicem divulsi & à Deo depulsi, oves exprimebant pastore destitutas.*
37. *Tum discipulis suis dicit: multi sunt in hoc tractu qui sua promptitudine ad amplexandum Euangelium segetes imitantur, quæ jam maturæ messoris falcem præstolantur.*
38. *Quamobrem & vos commiseratione ducti, precibus apud dominum aureæ hujus messis contendite, ut ministros Euangelii (alioqui sua sponte invitos) exturbet, non secus quam si in suam messem paterfamilias messores mitteret.*

PRAXIS.

CHristus perspecta ex regionis lustratione præconum verbi penuria, rationem qua malo mederetur inivit, quod & executioni mandatum est.

Cujus *partes* sunt, { inopiæ præconum Euangelii ex regionis circumitione deprehensio. / remedium huic malo adhibitum atque admotum. }

MATTH. 9, ℣ſ. 35. *Christus pagos doctrina perlustravit;* Christus non oppida tantum sed pagos doctrina & miraculis perlustrans, suo exemplo docuit nullum quantumvis humilem & abjectum à nobis aspernandum, qui curæ nostræ commendatus: neque ita instituendam esse muneris nostri administrationem, quo maxime nostro aut lucro aut honori serviatur, sed quo eorum qui curæ nostræ sunt commissi saluti quam optime prospiciatur. Quamobrem relicta urbium celebritate, ad pagos & castella transiit. Ea enim demum perversa regendi ratio est, si quis partem unam curans alteram negligat. *Act.* 20, 20, 21. Quod etiam ad Magistratum transferri debet, ut & summorum & infirmorum curam agat. Vide *Esa.* 22, 23, 24.

quam miraculis obsignavit; Doctrinæ adjunxit miracula, quibus doctrinam obsignavit: eoque à doctrina nunquam avelli debent quam Christus prædicavit, ut alienæ doctrinæ confirmandæ apponantur: non magis quam sigillum regium commentitio diplomati adhibeatur. Sigillum vero aptissimum delegit. Nam à corporis morbis ad animi ægritudines facillima transitio est: & cum sanitate corporis, animæ salus & curatio aperte quadrat.

Quod dicit *omnem morbum sanasse & languorem*, eo intelligit omnis generis morbum, &c. non singulos morbos singulorum: contra eos qui ex 1 *Timoth.* 2. conantur Dei electionem labefactare.

Deinde hoc loco singularis consolatio petitur, omnis generis peccata remitti, maxima & atrocissima, & minima etiam non nisi in Christo remitti; de qua memini alicubi dictum esse in *Matth.* 4.

Et *Luc. c.* 8, *v.* 1, 2, 3. comitatum Christi in hac regionum lustratione indicat, non tantum duodecim discipulos, sed & fœminas quasdam à Christo sanatas, nominatim vero Magdalena, &c. quæ illi in hoc itinere sumptus suppeditabant, ut suam in promovendo Euangelio gratitudinem testarentur: quod nobis exemplo sit ut beneficia accepta à Deo, in Ecclesiam ad quam opera nostra perveniant refundamus *Psalm.* 16. Christus enim Ecclesiam vicariam suo loco constituit, ut quæ in illum quis erogare cupiat in eam conferat: non minorem a Deo mercedem accepturus, quam si in eum ipsum contulisset. Nihil igitur opus erit nos in cœlum conscendere, aut Christum ad nos descendere, ut erga eum liberalitate utamur, &c. Quod quam benigne Christus accepit, apparet, quod Euangelistæ in mentem injecit ut statuam illis mulierculis erigeret, & veluti sepulchrum multo splendidius strueret, quam quod ex marmore exædificatur, &c. LUC. 8, ℣ſ. 1, 2. Analysis huc aptanda quæ supra ad *Luc.* 8, 1, 2, 3. *ejus in itinere comitatus,*

Deinde notandum Christum usque eo pauperem factum esse, ut à nobis mendicis mutuo accipiat. Quid nobis fiet si ex redundantia eum sublevare recusemus, &c. Quod Curatoris domus Herodianæ uxor circumivit, id marito consentiente fiebat, vide 1 *Corinth.* 7. *Luc.* 7. in mortui filii restitutione. Verſ. 3. *à quo in paupertie sublevatus.*

Miseranda populi, ubi prophetia defecerit, conditio duabus similitudinibus illustratur, hac dissipati gregis & pastore destituti: illa messis maturæ cui desunt messores, qui eam priusquam excutiatur aut depascatur demetant. MATTH. 9. ℣ſ. 36. *Miseria populi prophetia destituti,*

Sequitur pars altera, de remedio huic tam gravi malo adhibito.

Prius remedium à precibus eorum, qui ministerio legitimo orbati sunt petitur. Veri enim pastores & legitimi, eximia Dei dona sunt cœlitus ad nos dimissa. *Ephes.* 4. Mirum videatur quod tantopere hac re Christus commotus sit, cum ipse singula oppida, Verſ. 37. *quæ precibus ad Deum restauranda;*

urbes

urbes castellaque obiverit, in eis docuerit, cujus unica concio præstantior erat multis aliorum concionibus: maxime vero cum ut alios omnes ægrotos sanavit, sic solo nutu eos in æternum servare potuit: adversus eos qui istis circumcellionibus acquiescunt, qui huc illuc vagantes docent: cum tametsi essent Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ (qui nunc nulli sunt) tamen miserabilis eorum conditio futura fuisset. Neque vero quisquam tam impudens est ut dicat, Christum hortari hic ut pro lectoribus duntaxat orarent, tanquam illi essent ex divinis illis donis, &c. *Ephes.* 4. quæ Christus diebus inaugurationis suæ effudit. Sicut igitur coloni patremfamilias sollicitant & admonent ut messores emittat; sic nos, &c. Nemo nedum paulo fidelior servus messem heri perire æquis oculis intueatur; sic &c. Hic igitur primum adesse oportet studium & cupiditas legitimi pastoris habendi. Nam preces nisi ex ardore & sensu inopiæ edantur, fictæ & simulatæ iram in nos accersunt. Sed sunt qui studio quodam ducuntur legitimum ministerium consequendi, & qui plurimum in illo satagunt ut idoneum aliquem nanciscantur: sed idem illis usu venit quod *Iacob c.* 4. indicat. *Concupiscitis & non habetis, &c. quod non petatis.* Hoc confirmat *Epist. ad Philemonem vers.* 22. Sed hic Episcopum adibit: alius patronum sollicitabit: tertius, sanctiorem senatum; alius magno sumptu suo hujusmodi ministrum redimere paratus est: sed majora ministri sancti dona sunt, quam quæ ab illis dari possunt aut mercede redimi. Deus enim est qui illum literis & scientia ad ministerium instruit: qui illi voluntatem inclinat ad ministrium obeundum: qui denique animum illi rectum indit, messis diligenter & sollicite colligendæ; quæ nemo hominum præstare potest.

quomodo defectus hic à Deo deprecandus cui cognitus?

Quod si quis *excipiat*, Deum non opus habere ut ei quis hujusce negotii mentionem injiciat qui inopiam & defectus quam optime norit, nec esse ut mortalem, qui de suis rebus sit admonendus.

Respondeo, hoc ideo fieri ut petitionis impetratione suam erga illos charitatem efficacius sentiant, & ut fidem illorum exerceat. Quid fiet rogantibus tametsi non exprimitur, tamen satis ex aliis locis intelligitur. *Matth.6. petite, & accipietis.* Ad cujus fiduciam, dicitur nos Dominum messis precari: qui idcirco cura hujus, tanquam proprii negotii ducitur. Quis enim paterfamilias appellatus de sua messe, illam interire patietur quæ illi constitit chare, nec nisi magnis impendiis ad illam maturitatem pervenit? Hanc igitur messem plus quam auream, pretioso Christi sanguine redemptam, an putabimus Deum messorum inopia perditurum? cum idem sit cœli & terræ Dominus, qui in omnes imperium habet, & qui messores uno momento formare & fingere novit? An aurea hæc vellera, &c. Hujus rei exemplum habemus in Cornelio *Act.* 10. qui assiduis precibus impetravit ut Petrus ad eum legaretur, qui illi mysterium salutis, quod eum torsit & sollicitum habuit, expediret: sic discipuli & sensu parabolarum dubii, petitione à Christo earundem explicationem impetrant, *Matth.*13. Hinc apparet, justissime perire qui ex pastoris desiderio & orbitate pereunt, cum illis tam promptum & expeditum sit, pastorem à Deo & Christo consequi, qui ideo victor in cœlum ascendit superatis omnibus, ut inde nobis hæc dona mitteret. *Ephes.* 4. & certe Deus potius ex bubulcis vel etiam lapidibus pastores excitaret, quam eorum inopia periremus, modo quod jubet de se orando observaremus. Vnde etiam liquet quam perverse fecerint qui messorum loco muta idola extruserunt, quibus nulla verbi divini falx est, quibus nullum judicium est falcem verbi immittendi.

quo consecuto grati simus.

Deinde hinc discimus, Deo nos gratos probare oportere, quotquot hoc tam divino beneficio fruimur: & simul precari, ut illud Deus inter nos perpetuum esse velit; eaque consilia dissipare, quæ adversus illud capta sunt: ut si minus precibus nostris ut institueretur (quod fieri oportebit) impetravimus, at certe ut hoc precandi & gratias agendi officium retineamus, quoad messores Angeli, ministerii messoribus succedentes, nos in cœli granaria collegerint. Apparet ex *Psal.* & libro *Ruth* in more fuisse ut prætereuntes preces Deo conciperent, ut Deus messorum laboribus benediceret. Quanto hoc magis præstandum erit in cœlesti messe, ut illam Deo quandiu aliquid ad colligendum superest, precibus diligenter commendemus? ne orta tempestate, messis diuturnius intermissa pereat & corrumpatur. *cap.* 10. *vers.* 1.

Vers. 38. *Hi ministri à Deo idonei emittuntur.*

Aliud remedium est, emissio eorum messorum qui ad illud opus obeundum informati & instructi sunt. Deum enim de hac re precibus appellare, nec operam ponere ut quam instructissimi adhibeantur, est eum potius

tius ludificare quam precari. Hic igitur docemur disquirere & in omnes partes circumspicere, qui idonei sunt: Principem, Episcopos, & Ecclesiam sollicitare &c. sic Christus suo exemplo nos docet; qui paratos & instructos in opus illud extrudit. Et certe si aptati & jam informati à Domino ad opus adhiberentur, dubium non est quin Dominus ipse alios indies ad ministerium conformaret & erudiret. Quis etenim dona quædam eximia in alium collata, ab eodem vero neglecta & post tergum rejecta, aut in obscurum aliquem angulum detrusa animadvertens, illum porro pluribus hujusmodi donis cumulare pergeret? sic &c. Aut quis est qui lignum aut lapidem artificiose & ingeniose exsculptum ad ædificii structuram conferens, plura ad eandem accurationem polienda curaret, cum illis jacentibus & contemptis, alia, quæ rudia sunt & impolita multisque nodis implicata, ad opus adhiberi perspiciat?

MARC. *cap. 6. à vers. 1, ad 7.*

ET egressus est illinc, venitque in patriam suam: & sequuti sunt eum discipuli ejus.

2 *Quumque advenisset Sabbathum, cœpit in Synagoga docere: multique audientes percellebantur, dicentes; Unde huic ista? & quæ est hæc sapientia quæ data est ei, quod etiam virtutes tales per manus ejus edantur?*

3 *Nonne iste est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi & Iose & Iudæ & Simonis? nonne & sorores ejus hic sunt apud nos? & offendebantur in ipso.*

4 *Dicebat autem eis IESUS; Non est Propheta inhonoratus nisi in patria sua, & inter cognatos, & domi suæ.*

5 *Neque potuit illic virtutem ullam edere, nisi* quod *quum paucis ægrotis imposuisset manus, sanavit* eos.

6 *Mirabaturque propter incredulitatem eorum, & circuibat vicos in orbem, docens.*

MATTH. *cap. 13. à vers. 54, usque ad finem Capit.*

54 *Et quum venisset in patriam suam, docuit eos in Synagoga eorum:* adeo *ut percellerentur, ac dicerent; Unde huic sapientia ista & virtutes?*

55 *Nonne iste est ille fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Iacobus & Ioses & Simon & Iudas?*

56 *Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? unde igitur isti hæc omnia?*

57 *Et offendebantur in eo. IESUS autem dixit eis; Non est Propheta inhonoratus nisi in patria sua & domo sua.*

58 *Neque edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem eorum.*

ANALYSIS.

NArrat Christi in illa Galilææ lustratione indignam exceptionem, primum à subjecto loco, nempe Nasaretho patria sua, & *vers.* 2. à subjecto magis proprio, nempe Synagoga illius oppidi, & *vers.* 1. describit adjunctum comitatum, nempe discipulos Christi.

Vers. 2. Notat adjunctum tempus, quando hæc fiebant; deinde causas per accidens hujus indignæ exceptionis, Christi admirabilem doctrinam & miracula quæ edidit. Cujus rei effectum notatur primum stupor, deinde stuporis causæ indicantur; quarum una assignatur à subjecto loco, quod nusquam vixisset ubi hæc tam admirabilis doctrina addisci, aut miracula edendi gratia cōparari posset.

Vers. 3. Alia ratio ducitur ab adjuncto artificio fabrili, quod in nutritii patris ædibus exercuerat, 3. est à relatis, matris & cognatorum ejus; quarum effectum attexitur, nempe quod ad ista impingebant & offensaculum arripuerint.

Vers. 4. Cujus offensionis & causarum ejus effectum erat, Christi responsum à testimonio seu proverbio; in quo describitur adjūctum Prophetæ, ignominia & contemtus; quod adjunctū præcipue definitur à subjecta patria, cognatis & domesticis.

Vers. 5. Aliud effectum describitur, restrictio divinæ potentiæ Christi in edendis miraculis, ad paucorum eorumque infirmorum modo sanationem.

Vers. 6. Cujus restrictionis præcipua causa est, eorum infidelitas; quæ sua adjuncta magnitudine, effectum peperit, in Christo admirationem: cujus item aliud effectum subindicatur, nempe desertio Nazarethi; quæ suo fine amplificatur, ut alios vicos in circuitu obiret.

META-

METAPHRASIS.

1. *Inter lustrandum Galilææ regionem, Nazarethum venit, suam (ubi enutritus & educatus erat) patriam, quem sequuti sunt hi qui se ei in disciplinam tradiderunt, tametsi propter inveteratum Nazaraitarum in Iesum odium, se à periculo non procul abesse ignorare non potuerunt.*
2. *Cum vero Sabbathum ageretur, cœpit Iesus palam & confidenter in Synagoga Nazaræitarum docere, quo audito quamplurimi attoniti dixerunt, unde huic semper in umbra & obscuro loco agenti hæc tam rara & eximia suppetunt, & quæ tandem hæc sapientia, quæ illi donata est; præsertim cum ad hujus sapientiæ obsignationem, virtute insignia miracula edendi instructus sit.*
3. *Sed quamcumque speciem præ se ferunt, non sunt tanti æstimanda, quandoquidem sua professione faber sit, & fabrilia in patris sui fabri officina tractavit, sitque Mariæ filius, & cognatione Iacobum Iosem Iudam & Simonem attingat. Quinetiam adhuc ejus cognatæ apud nos humili & abjecta conditione commorantur; quibus omnibus ne illum pro Propheta, nedum pro Messia haberent adducti sunt.*
4. *Hos Iesus sic alloquutus est: video hoc usu apud vos venire, quod veteri proverbio dicitur: Prophetam nusquam minoris fieri quam in patria sua, apud cognatos & domesticos suos, à quibus vel maxime eum honore affici oporteret.*
5. *Qua eorum perversitate, is cui omnia facilia factu sunt, ita quodammodo vocationis suæ præscripto infirmus redditus est, ut nullum insignioris notæ miraculum edere potuerit: nec enim nisi paucos, eosque ipsos leviter laborantes, idque non nisi manuum impositione adhibita, illo in oppido sanavit.*
6. *Eratque suorum civium tam prodigiosa & inusitata infidelitas, ut ipsi Christo, qui non nisi insolita admirari solet, admirationem moverit; non tamen destitit à suscepto itinere Iesus, quoad omnes vicos & pagos circumiens, illos salutari Euangelii doctrina imbuisset.*

Praxin hujus historiæ vide ad *Luc.* 4, *vers.* 23. *&c.* & *Iohan.* 4. *vers.* 44. *&c.*

MATTH. *cap.* 10, *à vers.* 1, *ad* 9.

Tunc advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos, & sanarent omnem morbum & omnem languorem.

2 Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Iacobus filius Zebedæi, & Iohannes frater ejus:

3 Philippus & Bartholomæus: Thomas & Matthæus ille publicanus: Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognominatus Thaddæus:

4 Simon Cananites, & Iudas Iscariotes, qui etiam prodidit eum.

5 Hos duodecim misit IESVS, & addidit eis mandata, dicens; In viam Gentium *ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini:*

6 Sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Iisraëlis.

7 Iter facientes vero proclamate, dicentes; Appropinquavit regnum cœlorum.

8 Aegrotos sanate, leprosos purgate, mortuos suscitate, dæmonia ejicite: dono accepistis, dono date.

ANALYSIS.

De legatione Apostolorum; quæ describitur, 1. à causa efficiente, Christo qui eos vocat; ab adjuncto numero, duodecim; ab adjuncta functione Apostolorum, ab adjuncta potentia qua instructi à Christo sunt; quæ suo fine declaratur, ut dæmones ejicerent & morbos sanarent.

Vers. 2, 3, 4. Describuntur ab adjunctis nominibus: ubi Petrus describitur adjuncto tempore; nempe quod primus vocatus est; deinde describuntur ab adjuncta conjugatione seu comitatu duorum.

Vers. 5. Describit eos à causa efficiente, nempe Christi missione: deinde ab adjunctis mandatis, quibus Christus eos instruxit: primum erat à subjecto, quod docere & sanare non debebant Gentes & Samaritanos.

Vers. 6. Deinde quod docere & sanare oportebat, nempe electos inter Israëlitas; qui comparatione parium, perditarum ovium illustrantur.

Vers. 7. 2. Mandatum notat subjecto prædicationis Euangelium; cujus prædicationis forma proponitur, eadem cum Ioanne Baptista, & ea quam Christus in prædicando adhibuit.

Vers. 8. 3. Mandatum est adjuncto, doctrinæ confirmatio miraculorum editione, quæ partium enumeratione declaratur, 4. est ab adjuncta gratuita cum prædicatione, tum miraculorum editione; quæ suo relato confirmatur, quia gratis acceperunt.

META-

METAPHRASIS.

1. IEsus suos de ministris probe ad docendum
instructis sollicitos esse dudum adhortatus,
confecto in Galilææ regione lustranda itinere,
duodecim illos discipulos ad se vocavit, quos
pridem ad Apostolicum munus erudiendos at-
que formandos seposuerat: hos omnes authori-
tate munivit, & potentia adversus immundos
spiritus, ut illos ejicerent; simul ut sanarent
cum morborum, tum languorum omne genus.
2. *Duodecim vero Apostolorum nomina hæc sunt,*
quæ sequuntur: Simon, *qui à stabilitate qua*
Iesus illum firmavit Petrus, *tum dictus est*
cum suum nomen primum inter Christi disci-
pulos professus est; idem etiam primus inter
Apostolos nominatur, quia primus, ut abjectis
omnibus Christum indivulse & continenter
sequeretur, vocatus est. Huic ad majorem cum
legationis fidem, tum ex conjugatione & conso-
ciatione consolationem (sicut & cæteris) itine-
ris comes datus est Andreas *frater ejus.* Iaco-
bus *filius* Zebedæi, & Ioannes *frater ejus.*
3. Philippus & Bartholomæus, Thomas &
Matthæus, *qui & publicanus olim fuerat,* Ia-
cobus *filius* Alphæi, & Lebbæus *seu* Iudas,
filius item Alphæi, *qui &* Thaddæus *cogno-*
4. *minatus est.* Simon Cananites, *ex eo dictus*
quod singulari in Deum zelo ardebat, & Iu-
das Iscariotes, *qui idem Christi proditor eva-*
5. *sit. Hos duodecim Iesus emisit, cum prius il-*
los mandatis instruxisset. In quibus primum
erat, ne aut ad prophanas gentes, aut apud a-
dulterinos Dei cultores Samaritanos legatio-
6. *nem suam obirent. Sed (quod ipse duodecim*
numerus vos nõ obscure admonet) legationem
potius obite apud duodecim tribus Israëlita-
rum: & in his apud eos maxime qui ad vitam
7. *destinati in errore periculose versantur. Pro-*
fecti vero prædicate, dicentes: meo adventu
paratior & expeditior aditus in regnum cœlo-
rum patet, quam unquam ante; quod quo li-
quidius constet, infirmos nullis medicamentis
8. *adhibitis, sed precaria quam à me accepistis*
virtute sanate, lepra infectos purgate, etiam
vita defunctos exsuscitate, dæmonia denique
ipsa ejicite; quæ omnia cum gratis nullo pretio
soluto acceperitis, vos illa vicissim gratuito in
alios conferre convenit: ut hoc pacto gratui-
tam hominum salutem, & citra cujusquam
meritum allatam, testatum omnibus relin-
quatis.

PRAXIS.

IN missione cõsideratur, quomodo eos ad obeundum munus { donis ad functionem accommodatis, præceptis & mandatis de ratione administrationis, } instruxit.

Vers. 1, &c. Christus Apostolos emissurus quibus donis instruxerit?

Cum duo ad ministerii hujus executionem desiderarentur; prius ut docendi facultate imbuerentur; alterum vero ut doctrinam miraculis obsignarent, quoniam docendi facultatem prius assiduis Christi documentis & concionibus acquisivissent, facultatem illis confert miracula edendi: quod unum, illis ad plenam ministerii functionem deerat. Vt enim principes cum legatis suis quædam regiæ majestatis insignia communicant, ut gratiam illis concilient & à contemptu vindicent; & ut Abrahamus servo suo, quem ad uxorem filio acquirendam misit, illum itineris apparatum concessit, quo facilius parentum & virginis oculos ad eum suspiciendum converteret; sic &c. Tantum igitur abest ut ἐνθυσιασταὶ (vel furore numinis afflati) hinc causam arripiant omnia in ministerio fortuito & turbulenter miscendi, ut hoc ipso loco quam instructi esse debent qui ministerium attingunt evinci possit. Nec enim nisi diuturna in Christi schola commoratione, ad illud munus obeundum emittuntur. Vnde prius vidimus Apostolos primum ad hanc provinciam sepositos fuisse.

cur per binos emiserit?

Quod per binos emittit, id fecit ad majorem doctrinæ Euangelicæ fidem: cum ut pii haberent, unde fidem suam facilius sustentarent, tum impii convicti duorum testimonio quod suæ contumaciæ obtenderent non haberent. Idem factum est in conjugatione Mosis & Aaronis: nec non in conjugatione duorum exploratorum Iosuæ & Calebi, post etiam in Pauli & Barnabæ consociatione: idemque causæ est, cur Paulus nunc hunc nunc illum sibi in illis Epistolis veluti consortem adjungit, in quibus ei cum illis res intercessit, quibus doctrina illis Epistolis comprehensa suspectior erat, quorum duorum testimonio, &c. Atque ita se Deus quodammodo in ordinem cogi patitur, ut nobis suam erga nos charitatem quam testatissimam reddat. Varietas ergo doctorum huc referatur, non ut inanem oblectationem quæramus, sed ut fidei certitudinem adaugeamus, cum à plerisque donorum diversitate plurimum discrepantibus eadem & consentiens

sentiens doctrina proponitur. Quod si duorum testimonium bene potens & efficax fuit, quam nos præclare fundatos & radicatos esse oportebit, qui tot ministrorum præconio & testificatione confirmamur? Nec vero impedit quod pariter eodemque tempore & loco se non sistant, (quod tamen optandum esset) cum illud etiam non parvum documentum habeat, quod temporibus & locis terra marique disjuncti & qui nunquam inter se convenerunt, ita tamen in doctrina consentiant, atque si conjunctissime viventes consilia invicem inivissent, ne quam in doctrina discrepantiam introducerent. Sicut enim in Principum legationibus, iis qui majoris momenti sunt legati mittuntur sic, &c.

etiam ad mutuum solatium, Alia causa fuit, ut mutuo se in malis consolarentur. Quo spectat illud ***Ecclesiastici,*** de duobus consociatis, quorum societas ad multa utilis est. Illud diserte notatur in Mosis & Aaronis conjugatione. Quod ministros merito consoletur, Christum scilicet de eorum consolatione sollicitum esse. Quamobrem si in solitudinem redigantur, Christus ipsemet propius accedet, & familiarius illis se adjunget.

Altera *pars*, in præcipiendi ratione versans in *duobus* consumitur: quorum
- Illud, eos quæ sit eorum functio informat.
- Hoc, eos adversus incidentes casus & incommoda cõsolatur & corroborat.

In documentis ad functionem pertinentibus spectatur,
- Subjectio. — populus docendus.
- Adjũctio, modus sc. obeundi ministerii, — Doctrina proponenda.

Vers. 5. ad quosnam hi missi & ad quos non? Subjectum populi ad quem legantur, sunt Israëlitæ. Quod etiam amplificatur distributione partium, quia cum totus orbis in Israëlitas & Gentes distributus esset, exclusi à legatione Gentium, necessario Israëlitarum institutione eorum ministerium definiebatur.

Quod si *quæratur*, cur Samaritanorum mentionem fecit, cum illi sub Gentibus comprehenderentur?

Respondeo, quod cum terram promissionis incolerent, tum vero mixti & confusi generis & ceremoniarum, aliqua ex parte essent cum Israëlitis. Nam & Sacerdos ex populo Israëlitico illuc submissus erat, & cum Israëlitico gentium cultu Iudæorum cultus confusus est. Vide Historiam 2 *Reg.* 17.

Quod si *quæratur*, cur Apostolis intermi-natus fuerit servarent ne irent in viam Gentium aut Samaritanorum, qui sua sponte satis ab ea re alieni erant, ut ex *Ioh.* 4. liquet.

Respondeo, quod ex superiore cum Nazaretæis disputatione arripere promptum erat, Christum in Gentes propensiorem esse; ut ne suo exemplo in illustrandis aliquot Samaritanis animarentur.

Denique *quærenti* cur nunc discipulis interdicit, quod non multo post illis ut facerent præcepturus erat.

Respondeo, maceriem intergerinam nondum dirutam fuisse, quod Christus nondum passus erat, nec dum plenitudo temporis advenerat.

Quod autem *perditas oves* vocat, alludit ad priorem similitudinem: *perditas* vocans, quas ante *disjectas* & *dissipatas* dixit. Nulla enim salus est, nisi quis voce Euangelii intra Ecclesiæ septa & caulas compingatur: ut olim extra arcam, nulla liberatio, nulla salus, nisi qui (tanquam pulli gallinæ glocientis sub alis) verbi præconio sub Christi tutelam coguntur. Vbi enim deficit prophetia, perit populus. O igitur (inquit aliquis) Beatos Israëlitas ad quos ista legatio missa est! O decoros pedes Euangelizantium pacem, annuntiantium bona! *Esa.* 52. Certe quidem beatos, siquidem legatos pro dignitate accipiebant, & fœciales à Deo missos amplectebantur: alioqui, &c. Hoc ad nos accommodandum est. *Vers. 6. Quomodo Israëlitæ oves perditæ?*

Sequitur igitur duram conditionem eorum extitisse, ad quos hujus legationis iter interclusum est & interminatum, ne eo penetraret. An non male cum illis actum existimemus, si quibus pluvia interdicta esset? quorum cœlum chalybeum, terra ferrea foret? aut si Deus soli præciperet ut illis non exorietur? aut ventis ne spirarent? Atqui cum istis actum est multo pejus: quibus cœlestis pluvia, & lætus animorum sol aversa sunt. In quo illud discimus, Deum liberrime iis Euangelii lucem decernere; illis vero denegare. Nam Iudæi hoc beneficium non magis commeriti erant, quam Gentes: atque adeo iis deteriores ex repudiato Christo existebant. Sicut igitur electio & prædestinatio nullis hominum operibus alligantur; sic nec vocatio: vid. *Eph.* 1, & 2. ubi causa revelatæ veritatis voluntate & præscripto Dei definitur. *Eph.* 1, 9. Nec vero quisquã hic Deum ad calculos revocet? nisi forte audire velit, an non possum meo uti pro meo arbitratu, aut lutũ figulo dicet, &c. aut genitum genitori, &c. *dura conditio eorum ad quos non missi.*

Post, legatio subjicitur ipsa, quæ in duobus vertitur, { prædicatione. miraculorum editione.

Vers. 7. *Hujus legationis summa in adventu regni Dei;* Legationis summa notatur, ut supra in Christo & Iohanne: non secus quam Prophetiæ *Ionæ* summa, paucis verbis comprehenditur. Et *Luc.* 4. concio Christi unam in sententiam refarcitur, atque compingitur. Sensus autem est, regnum illud Dei gloriosum quod tantopere a Prophetis venturum celebratur, jam Christi adventu advenisse. Hinc est ut Christus beatos oculos esse & aures, &c. Ex eodem fonte est quod Baptistæ ministerium, omnibus Prophetarum ministeriis præferatur: & quod legis ministerium non sit gloriosum præ Euangelii ministerio. Vnde fideles non amplius *Servi*, sed *Filii*, appellantur *Gal.* 4. 7.

in quo potissimum ejus splendor? Quod si *quæratur* in quo potissimum hujus regni splendor versetur, cum regnum Dei ab initio mundi extitit.

Primum quidem, in Christi adventu, qui est rex gloriæ: unde fugatis umbris, lux veritatis clarior affulsit. Atque sic dicitur apud *Esaiam*, solem duplicato fulgore affulsurum sub Christo. Deinde, quod regnum ad gentes propagabitur. Ex quo etiam Prophetæ dicunt, *Deserta loca paradisos & arva fore.* Ex quibus utrisque liberalior spiritus effusio futura est: quod etiam adumbratur scaturiginum in vertice montium similitudine, & *effusionis* voce.

idque ut resipiscentiam agant. Hujus autem beatitatis commendatio refertur huc (quod & alibi indicatur) ut resipiscamus. Ideo *Marcus* & hoc illos prædicasse testatur *cap.* 6, 12. Si enim ad doctrinam legis accipiendam ea præparatione opus fuit, quæ *Exod.* 19. exponitur, quanta cum reverentia & timore Euangelii doctrina à nobis excipi debet? Si quod in monte Synai præsentiæ suæ signa ad tempus declaravit, tanta cautione versandum fuerit; quanto magis nunc, cum vere & σωματικῶς nobiscum & in carne nostra habitet? Quid, quod etiam in animis nostris per spiritum æternum habitare vult? Cum enim aliis regibus, urbes, plateæ, & palatia ornentur quibus habitent, quibus excipiantur; huic non urbes, plateæ, &c. non corporum nitor & splendor, sed animorum in quibus habitet mundities curanda est. Vide *Psal.* 24, 7. &c Verendum autem est ne sint qui vestes non lavarunt, sed quibus Æthiopicæ pelles adhuc manent, & maculæ pardaleæ, tametsi pluvia verbi prædicationis compluti sunt. Siquidem in corporis tantum nitore res consisterent, Christus absque omni dubio magnifice exciperetur. Verendum ne adhuc adversus Christum regem gloriæ clausas portas habeant, nec aliquot annos pulsanti adhuc portam aperuerint. Cum enim superbia se prodat luxu, ultione, &c.

Vers. 8. *Quare editio miraculorum illis imperata?* Editio miraculorum quorsum & quem in finem imperatur vide supra. Quo accedit, quod illis tanquam predibus (*the Gods of a suerty*) & pignoribus, quam ipsius regnum illis fructuosum futurum sit, testatum reliquit, dum in eorum corporibus lineamenta quædam duxit, quibus futuram cum animo tum corpore salutem per ipsum allatam adumbraret, & pacem olim perficiendam protinus inivisse se & inchoasse confirmaret. Sicut enim Abrahæ servus clenodiis quibusdam distributis, antequam ad sponsalia ventum erat, herilis opulentiæ speciem edidit, & simul quam prolixe cum sponsa agendum esset, siquidem connubio cum herili filio jungeretur, indicavit; sic, &c. Et certe cum aliis regibus munera à subditis adornantur, hic contra subditis munera mittit. Et cum illi regnum ineunt ut à subditis honorentur, Christus ipse subditos honore afficit, atque adeo in societatem regni sui adjungit.

quæ ad Euangelii avidiorem amplexationem gratis præstanda, Δωρεὰν ἐλάβετε δωρεὰν δότε.] Regium hoc est & munificum: magna scilicet gratis ferre beneficia: & hominum animi nulla re magis quam liberalitate principum colligantur. Quo igitur Euangelium avidius amplexarentur, voluit ut tanta & tam incomparabilia beneficia sine pretio darent: quo etiam facilius omnes intelligerent, gratuitam in Christo salutem conferri omnibus credentibus. Erant enim hujusmodi dona ex quibus infinitum lucrum fecissent, si illa quæstui habere voluissent. Atque non dubium est, quin hac de causa Elizæus munera Naamanis repudiavit, & Petrus *Act.* 8. vel cum detestatione pretium à Simone oblatum repudiavit; & alius à Ieroboamo: ut quæ pretio nullo exæquari possunt munera, quæ ab illis vel accepta vel petita fuere. Nam si pretio hæc dona commutassent, pretiosi lapides cum hoc dono appendantur. Hinc Gehezæus graviter punitus est, quod munera accepisset. Hinc etiam pauperes, quibus nulla pecunia suppeditabat, regno excluderentur. Noluit enim Deus in templo mercatum exerceri, & mercaturam in Ecclesiam induci. Non vult ministros caupones esse (*huxters, vitailers.*) unde verus pastor discernitur

cernitur à mercenario *Iohan. cap.* 10. Hoc ab iis violatur quibus beneficia Ecclesiastica vænum exponuntur. A *Papa* præcipue, qui omnia jura divina & humana quæstui habet: & à quo peccatorum remissio pecunia venditur; aut potius qui ventum & res nihili magno divendit: hoc melius quadrat *vers.* 11.

Istud aliquousque à piis omnibus observandum est: ut exemplo Abrahæ munera ab infidelibus non temere accipiant, aut ab illis victum & vitæ necessaria petant: quibus potius laborandum est, ut habeant quo ut se sustentent, & infidelibus aliquid potius largiantur, quam ab illis accipiant: memores illius Servatoris sententiæ quæ ex *Actis* citatur, *beatius esse dare quam accipere.*

cum gratis accepta, Rationem addit *quod* scilicet *gratis accepissent.* Si enim suo sumptu, periculo, aut labore hæc comparassent, æquius fuisset illa accepto pretio distrahere, ut quæ merces pretio & periculis comparantur, pluris venduntur: sed quia divina virgula hæc suppeditata sunt, iniquum esset ex illis lucrum facere. Oeconomus omnia quæ familiæ cibandæ apta sunt à patrefamilias accipiens, si illa conservis non nisi à singulis dato symbolo apponeret, jure condemnetur.

quæ pecunia non potest æstimari, Quod si quis *excipiat,* ministris igitur hujus ætatis licere verbi prædicationem pretio & pecunia æstimare, ut qui suo & sumptu & labore illam facultatem compararunt.

Resp. nullum nec sumptum, nec laborem insumi à nobis posse, qui vel minima ex parte cum tanto thesauro comparatur; eoque ne sic quidem desinere gratuitum esse donum facultatem prædicandi, quamvis non tam luculenter hoc sicut in Apostolis appareat. Ob eamque causam iniquum foret, prædicationem hac aut ulla ætate æstimare pecunia.

eoque tanto promptius elargienda. Hæc etiam ratio latius patet. Nam docet tanto nos promptiores in dando esse, quanto minus in iis quæ possidemus laboraverimus. Sic proventum septimi anni nascentem, Deus pauperibus & peregrinis expositum & obvium esse voluit. Atque quibus est ager quem pecunia sua non redimerunt, quibus sunt horti quos non conseruerunt, ædificia quæ non construxerunt, tanto alacriores esse debent in erogandis ad usum pauperum pecuniis. Ii etiam qui benedictione prolixiore Dei, sine majore aliqua difficultate aut periculo ditescunt, hoc ipso admonentur ut suam in dando manum liberalius aperiant. Hac ratione utitur Deus cum hortatur, & tres urbes, ad cultum Dei & Levitarum alimentum, separari jubet.

MATTH. *cap.* 10. *à vers.* 9. *ad* 16.

9 Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris:

10 Neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque soleas, neque baculum: nam dignus est operarius alimento suo.

11 In quamcunque vero urbem aut vicum introieritis, exquirite quis in ea sit dignus: & illic manete usquedum exeatis.

12 Introeuntes autem domum, salutate eam.

13 Et si quidem fuerit domus digna, venito pax vestra super eam: sin autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertitor.

14 Et quicumque non exceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domo aut ex urbe illa, excutite pulverem pedum vestrorum.

15 Amen dico vobis, tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii quam urbis illius.

ANALYSIS.

Docet pecuniam non esse in hoc itinere accipiendam, 1. ab inductione partium, nempe auri, argenti, æris; deinde à subjecto, nempe crumena, in qua nihil horum est reponendum.

Vers. 10. Hortatur ut quàm expediti se ad iter parent ab adjunctis pluribus: & primum quidem non esse viaticum accipiendum docet à subjecta pera, ubi solent viaticum ponere: non baculum, quo se contra vim muniant; quod apud *Marcum* suo diverso declaratur, nempe bacillum accipiendi, cui in via incumbant & innitantur, ad majorem itineris commoditatem: non duas tunicas, non calceos; quod apud *Marcum* suo diverso declaratur, nempe ut accipiant sandalia; quorum omnium assignat rationem adjuncta mercede, quæ illis suo ipsorum merito suppeditabitur; quæ merces arguitur suo relato, quia messores seu operarii sunt.

Vers. 11. Hospitium ubi divertant indicat, quod describi-

describitur ab adjuncta dignitate seu pietate hospitis; cujus pietatis cognitio petenda est ab adjuncta disquisitione Apostolorum, & adjuncto testimonio civium: describitur porro ab adjuncta permansione in hospitio, quæ adjuncto tempore definitur; nempe quam diu in urbe aut vico hærent quo appellunt.

Vers. 12. Effectum Apostolorum notat, nempe ut salutent domesticos.

Vers. 13. Hujus salutationis effectum indicat, pacem Domini superventuram; quam pacem definit ab adjuncta dignitate domus, quod etiam confirmat adverso effecto, adjunctæ domus.

Vers. 14. Adjunctam mercedem eorum qui Apostolos non accipiunt: primum ne quidquam ab illis accipiant, usque eo, ut pulverem contractum in domo aut platea contra illos excutiant.

Vers. 15. Deinde à comparatione minoris illustratur, nempe pœna Sodomitarum & Gomorrhæorum; quæ pœna adjuncto tempore definitur, in die judicii, quia ante illud tempus in hoc sæculo major erat pœna Sodomitarum.

METAPHRASIS.

9. *Tametsi vero hoc interdicto aliquid accipiendi, videri vobis possit cura incumbere pecuniam copiose comparandi, qua itineris sumptus sustineatis; tamen quo mea vobis prospiciendo cura testatior sit, nolo illius generis nummos, aurum, argentum aut æs loculis circumgestetis.*
10. *Eodem spectat quod nec manticam circumferetis, non duas tunicas, non calceamenta, sed sandalia quæ pedibus subligetis: idque porro hoc consilio, ut in itinere expeditiores sitis, & impedimentis, quæ legationis vestræ celeritatem retardare possunt, explicati. Non repugno quin scipionem, cui ad majorem itineris commoditatem innitamini, manibus accipiatis: sed baculum vobis defendendis ob eam causam nolite ferre, quo mea vobis tutandis & protegendis virtus clarius elucescat. Si forte quæritis unde vobis de alimentis prospicietur: ipse Dominus messis qui vos in messem extrudo) hominum animos flectam, ut quæ vobis necessaria sunt suppeditent. Quod si communis experientia servorum, in dominorum non penitus barbarorum opere faciundo occupatorum, vos docet: id à me domino vestro benignissimo non expectare indignissimum foret.*
11. *In quamcunque vero seu urbem seu vicum ingrediemini, nolite ad meritoria diversoria (ut nunc assolet) divertere; sed neque cuivis tectum subite: sed exquirite diligenter quis sit pietatis nomine dignus & idoneus, in quem Euangelii beneficium gratuito conferam.*
12. *Inde vero (pro angusto temporis spatio quo ibi permansuri estis) nulla nec levitate animi vel deliciarum cupiditate, nolite in alias ædes commigrare. Domum ingressuri, ejus omnibus domesticis bene precamini: precationis forma sit; prosperitatis omne genus sit his qui hanc domum inhabitant.*
13. *Quod si eorum pietas fama & testimonio, quod vobis exquirentibus reddiderunt, respondeat: tum equidem quod verbis vos apprecati estis, re & facto ego exequar: si secus illis ne minima quidem ex parte hac benedictione respersis, in vos ipsos reflectetur?*
14. *Quicumque vero vos humaniter non acceperit, aut accipientes vestræ prædicationi obsequium non præstiterint, egressi illa seu domo seu urbe, excussione pulveris pedum vestrorum, ita vos ab omni cum illis communicatione abhorrere declarate, ut ne pulverem quidem ipsum ex illa seu domo seu urbe efferre velitis, quod illis testimonio sit, eos (ni mature resipiscant) à Dei & piorum societate excussos & rejectos esse.*
15. *Sancte enim vobis confirmo, illis hominibus (utcumque in hac vita rebus ad voluntatem affluentibus) futuro seculo tam grave & atrox supplicium reservari, ut eorum sorte Sodomæorum & Gomorrhæorum tolerabilior conditio futura sit.*

PRAXIS.

Sequitur consolatio & cohortatio, adversus incidentes & adventantes casus & incommoda.

In quibus primum sollicitudinem ob victum & vestitum depellit, quæ ministrorum animos distrahit & avocat ab assiduitate laboris qui in ministerio obeundus est. Sed operæ pretium est considerare, quibus modis & rationibus eos victu & vestitu securos reddit. Iubet ne quid in loculis pecuniæ, aut synthesin aliquam vestium secus accipiant. Principes & nobiles longe aliter suos ad legationem instruunt, quibus magnum pecuniæ & vestium, &c. copiam in manus dant. Vide exemplum Abrahæ servum ad Aramæos legantis. Eoque magis hoc alienum videtur, quo prius illis ne quid acciperent interdixit. Noverat ipse porro & expertus fuerat Iudæorum erga se ingratitudinem: quæ non minor in suos futura foret. Quamobrem videbatur providi Magistri & heri partes esse, illos pecunia instruere: ut si forte in ingratos & inhumanos homines incurrerent, aliquid tamen haberent in promptu quo se sustentarent. Vers. 9. *Christus Apostolos vetat ne pecuniam in loculis gestent.*

Nec tantum pecuniam vetat accipere, sed aliquid in pera viatici. Vide Eliæ exemplum, qui ad pauperculam viduam tempore gravissimæ famis pascendus mittitur; cum potius ad opulentum hospitium mittendus videba- Vers. 10. *non etiam aliquid in pera viatici.*

videbatur. Vide Christum in desertum à spiritu ductum. Verum enimvero Christus Deus certo consilio hoc fecit, ut in summa pecuniæ & alimentorum quæ secum ferrent destitutione, summam ejus & singularem in illis curandis & pascendis providentiam agnoscerent: qua freti reliquum ministerii stadium alacrius & minus sollicite decurrerent: ut si aliquid haberent quo se sustentent, quamvis tenue & exile, confiderent tamen eum qui iis subsidiis penitus nudatos alebat illis non defuturum: si nihil haberent, recordarentur tamen superioris destitutionis, qua præsentem & urgentem rerum inopiam levarent: si multum haberent, puderet eos de vitæ cultu se torquere. Hoc ministris omnibus documento proponitur: discant in Deo acquiescere, nec hujus sæculi curis se conficere, tametsi in inhumanos & immemores homines incidant: tametsi nulla spes eorum quæ ad vitam tuendam pertinet, affulgeat; tametsi in deserta loca ministerii causa relegentur. Sic Moses Israëlitarum ex Man pastum & vestitus ἀναφθορίαν ad omnes ætates accommodat. Item ad omnes alios qui à Deo ad aliquod obsequium mittuntur, sperandum est & expectandum: maxime cum pasti sunt à Deo, tum cum illis parum suppetebat.

nec tamen Christi cura destituuntur: Nec vero hic Christi providentiam quis & curã in suos jure requirat, &c. Perinde enim facit ac si princeps magnus legatum mittẽs, nihil illi in viaticum det, quod regiones illæ omnes per quas egressurus sit legatus ad se pertinerent, & à suis villicis occuparentur, cum quibus etiam de legati alimentis depactus esset: unde etiam commodissime legato sine ulla cura prospiciatur, aut etiam ex impedimentorum difficultate, &c. ῥαβδός. Hoc non minus novum & insolens videatur. Cum enim tanquam agni inter lupos Christi ipsius testimonio emittendi essent, atque adeo peccatorum & scelerum retectione eos irritaturi essent, mirum est cur illis gladii aut baculi subsidium eripit, quandoquidem inermes, homines alioqui non nocituros, ut noceant quodammodo irritamus: tritum enim est sermone proverbium, gladii aut baculi gestationem pacem conservare. Agnum vero & quidem inermen lupo objicere, videtur inconsultum. Principum legati, publica fide muniuntur: armis & comitatu satellitioque stipantur & muniuntur. Sed hoc fit ut Dei etiam providentiam melius & plenius degustarent in illis conservandis, & hostium & insilientium conatibus cohibendis frangendisque. Ille enim est, qui ora leonum occludit etiam famelicorum. *Dan.* Idem qui Israëlitas à draconibus & aliis immanibus feris in horribili deserto vindicavit, *Deuter.* 8,15. & *Esa.*43,7. Christus igitur fide publica multo præstantiore suos munit, quam Reges suos legatos. Christus enim sibi & suis non solum homines, sed & feras bestias fœderatas habet. Quod si illis fræna remittat ut in suos insurgant, meminerimus promissi *Esa.* 49,1, 2. Hoc autem ideo facit Christus, quod metus ex periculis, ministerio obeundo adversarius sit. Vide 1 *Thess.*5,12,13. Item 1 *Corinth.* 16,10,11. Ex quibus quanti intersit ut metu vacent intelligitur. *Marci* in speciem pugna conciliatur: quod ibi per baculum, scipionem intelligat, cui quis iter faciendo innititur: hoc. autem loco instrumentum, quo quis vim inferat aut propellat.

Ratio, *quod sit operarius suo alimento (Lucas vero, mercede) dignus*, subjungitur. In quo alludit ad secundam similitudinem petitam à messoribus: quod aptissime huic loco convenit. Cum enim omnibus operariis cibus & merces ex opere debetur, tum messoribus præcipue, quorum opera de alimento in universum annum prospicitur: & quorum labor est perquam operosus & gravis. Vnde vel equis ipsis messis tempore fræno & capistro subductis, ex frugibus aliquid apponunt: & bovi trituranti, os non obligant. Oportet enim barbarum & immanem esse eum qui cibum illi non suggerit, cujus opera in annum integrum mensa paratur. Vnde etiam *Iacob.* 5,4. singulari injustitiæ ducitur mercedem messorum detinere. *idque quod ut operarii mercede digni:*

Sed hoc loco *occurrit*, quomodo hoc consistat cum superiori præcepto, *Gratis ista largiendi?* *quomodo tamen hæc gratis largiantur?*

Resp. Non institui mercaturam si mercedem & præmium aliquod laboris vel pacto accipiant, quandoquidem terrena nullo modo cum cœlestibus appendi possunt. Deinde etiam, quod minister sponte & prompte munus obit, non lucri dulcedine captus, sed illud tantum sectans quoad possit munus suum obire: ut miles pius non ob stipendium sed Reipublicæ causa. Sed quia illud præstare non possit sine stipendio, ideo, &c.

Quæritur etiam quomodo consistat hæc ratio? Non enim proinde sequitur hæc adminicula vitæ suppeditata iri, quod ministri illis digni sunt: quandoquidem ea est hominum ingratitudo, ut de tantis beneficiis, non *etiam qui hanc mercedem consequantur quamvis digni?*

modo immemores sint, sed incomparabile hoc beneficium probris & verberibus compensant. Si quidem pro dignitate homines cum ministris agerent, argumentum firmum esset: sed cum non faciunt, non videtur recte concludi à Christo, ideo æs & pecuniam non esse ferendam, quia sunt operarii digni mercede.

Resp. Hoc non ad auditores seu fruges, sed ad Dominum messis, id est, ipsum Christum referri: quasi diceret, cum ego tanquam Dominus messis vos mittam, ne dubitetis quin vobis de necessariis ad cultum prospiciam. Eoque discimus, ministrum non tam cum hominibus quam cum Deo rem habere, qui justus & fidelis est. Hinc etiam colligitur, otiosis non deberi mercedem.

Vers. 11. *Apud illos Apostolis divertendum qui digni;* Quod dixerat de vitæ cultu, id primo loco exsequitur: docetque modum & rationem quam tenerent, in victus adminiculo acquirendo. Cum vero pecuniæ usum hoc itinere illis interdixit, justum & concessum illis videri posset, ut à quibusvis qui alimenta suppeditare parati forent victum acciperent; tamen hoc illis non permittit, sed angustioribus spatiis eos constringit, illis ut ab iis tantum accipiant qui digni forent præcipiens: eoque accurate pervestigandum qui illi demum essent. Voluit igitur delectum haberi hospitii, delectum vero petendum non ex hospitis, aut lautitiis, aut opibus, sed ex ejus pietate seu dignitate: & non esse adeunda hospitia in quibus lautius excipiantur, sed in quibus gratius & avidius amplexarentur: nec tantum illud, sed in quibus Euangelii causa gratiores & magis exoptati essent. Hanc enim dignitatem Christus sic definire videtur, scilicet si omnes excipientes eorum porro doctrinæ aurem præberent. Hæc etiam dignitas, fide constat, ut *Actor. cap. 16, vers. 15.* Vide *Actor. cap. 21, vers. 4,* & 8. Item *Lucæ cap. 10. filii pacis vel pacis studentes.*

cum Deus vetuerit cum indignis cibum sumere; Hinc est ut Deus Prophetæ ad Ieroboamum legato, præcepit ne ibi cibum sumeret. Noluit enim Deus cum illis cibo & potu suos communicare, qui ipsi omnem cum illo communicationem respuunt: neq; mensæ eorum convivam adhiberi, qui ad ipsius mensam adjungi & aggregari recusant. Qui enim ipsius delicias contemnit, meretur ut illius tenuitas & mendicitas à Deo contemnatur. Sordes enim sunt exquisitissimæ epulæ, si cum Euangelii deliciis conferantur. Non vult enim Deus illis obstringi. Quod ex promissione fieret, qua pollicitus est se benedicturum iis qui suis benedicunt, *Genes. 12.* Deinde etiam noluit donorum suorum divitias & clenodia illis communicari. Apparet enim ex *Luca cap. 10.* præcipue eorum ægrotos sanandos fuisse, qui discipulos excepissent. Vt enim magni principis legati duplo aut quadruplo compensant quod in illos insumptum fuerit; sic &c.

Huc etiam pertinet, quod pacem illis apprecari debebant à Deo: quod illis cum ad hujus tum ad futuræ vitæ rationem, plurimum allaturum erat. Sicut enim olim benedictiones in manu Abrahami Isaaci & Iacobi depositæ sunt, ut illas ad suos transferant; sic etiam in discipulis. Ii enim erant magni Christi Eleemosinarii seu dispensatores, quorum opera Christus sua dona eximia distribuebat. Simul etiam alludit ad Caduceatores (*Heralds sent to intreat of peace*) & feciales, qui pacem à rege qui illos legavit offerunt. Nunciorum præterea apud se divertentium hospitio, testimonium sibi plenius reconciliati ipsis Dei collegerunt. Denique ora illorum obstruuntur hoc pacto, qui ex hospitis moribus de iis etiam qui apud eos divertunt judicium faciunt. *contra dignis pacem apprecabantur:*

Hinc etiam colligitur, quam omnes pii rationem sequantur in eligendis hospitiis: ut scilicet quoad commode fiat pios sibi hospites deligant. Hujus rei exemplum egregium exstat *Iudic. 10, 1, 12.* Si enim nos ipsos spectemus, ubi majorem securitatem consequamur, quam in illa domo quæ manu Dei legitur, & ubi pax Dei est? sin hospitis bonum & commodum, quibus magis benefaciendum quam fidelibus? Quod idem in aliis operibus & opificibus, quorum opera uti cogimur, tenendum est. Hic adhibe quædam de Medici delectu. Nam cum alienos adimus, non sine contumelia Christi fit. Scimus in regis familia & nobilissimi viri ædibus omnes artifices, & operarios, atque alios ad conservationem familiæ necessarios administros, domesticos esse & domo principis ali: idque non tantum ut familiæ prospiciatur, sed etiam ut hoc domino domus honori sit. Cum igitur Christus tanquam munificentissimus princeps omnes hujusmodi domi suæ habeat, cur illos foris quæramus? *inde quæ hospitiorum ratio habenda?*

Quod autem docet *ibi manendum quoad urbe exeant*, eo indicat hospitium non esse mutandum, nec à domo in domum ex hospitii tenuitate aut vilitate commigrandum. *ibi illis manendum donec urbe exeant, & ex appositis*

Quamobrem

vescendum; Quamobrem apud *Lucam* præcipit, ut ex iis quæ mensæ apponuntur, vescerentur. Non vult Christus suos esse molles & delicatos: eoque suis exemplum sæpe præbuerat frugalitatis, eosque ad viliorem mensam assuefecerat, ut ex aliquot passibus constat: quos cum ex delicatissimis cibis instruere potuisset, ex piscibus tamen & hordeaceis panibus mensam illis instruxit. Vide *Philip.* 4, 11,12. Nam si deprehenderetur nos parum æque hospitii tenuitatem ferre, hospitem pudefacimus: quod & illum & alios a veritate amplectenda deterreat. Si lautius accipiamur, hac Dei largitione licet utamur: si victus tenuior sit, tamen meminerimus eo contenti esse.

Quod si quis *dicat*, hoc modo illos alicui nimio oneri futuros, quod ex commigratione levari potuit.

Respondeo, ex multis liquere, illos diutius in oppido aliquo subsistere non debuisse.

hinc deliciæ non consectandæ. Hic locus opportunus videtur ad eorum luxum perstringendum, quibus cum à suis heris liberaliter prospectum fit, tamen illis non consciis atque adeo invitis, delicias consectantur. Homerem sibi admensum habent qui abunde sufficiat, & tamen eo non acquiescunt. Et quidem si recte rem reputant, à Deo sibi præstitutum habent: nam heri præscriptum modo honestum & legitimum Dei præscriptum. Quod qui violat, quam illud impune non auferat, discat ex *Num.* 21, 5, 6. Tametsi enim non sumus in deserto ubi præsteres passim volitant, qui nos pungant; tamen potest dominus stimulum cōscientiæ facile inferre, quem nos non tam facile eximamus. Huc accedit etiam mendicitas, quæ istas delicias comitatur. *Proverb.* 21. Sentio hac ex parte dominum me humiliasse, & effecisse ut præ pudore faciem meam avertam. Credideram, atque adeo gloriatus eram, fructum Euangelii multo pleniorem in omnibus fere futurum, quam quantum jam invitus cernere cogor. Equidem putaram Euangelium ad illud obsequium vos comparasse, ut si vos illa deficerent quibus ex æquo & jure fruamini, tamen illud toleranter Euangelii causa passuri fuissetis: estne autem credibile de hac re reprehensos non acquiescere, sed in illos quibus obtēperare debetis obmurmurare? Deus obsequii vestri in re tam facili periculum capiens, si hic refractarii inveniamini, quid de reliquo sperandum? Hortor hic delinquentes, simul etiam eos qui sui juris sunt, rogandi sunt, ut exemplo suo reliquis in parsimonia & frugalitate præluceant. Si domini iniquum aliquid vobis obtruderent, profiteor me non minore severitate in illos acturum quam in vos.

Per pacem, intelligitur, *fœlicitas omnis generis, hujus & futuræ vitæ, externa & interna, animæ & corporis.* Vers. 12, 13.

Pax, quam apprecari jubentur, de more patriæ fiebat: ut *Iud.* 6,23. & 19,2. *Ioh.*20, 9. & 2 *Ioh.epistola vers.* 10,11. Deinde etiam, legationis quam obibant personæ competebat. Quamobrem non tam ut privati homines illam apprecabantur, sed ut legati Dei eam offerebant, & tanquam depositarii ad usum eorum quibus illa destinabantur. Hinc perspicitur ministrorum partes esse, pro illis preces concipere, à quibus adminicula promovendi Euangelii acceperunt. *Unde pax illis erat apprecanda;*

Pollicetur porro Christus pacem & fœlicitatem illis præstitam iri, & certe exhibitam, prout Apostoli illis apprecantur. Sicut rex iis quæ à legato geruntur se obstringit, modo se finibus suis contineat; sic Christus: *Quorumcunque remiseritis peccata remittentur Ioh.* 20. & *Ierem.* 1. *ad ædificandum & plantandum.* Huc arcessantur quæ paulo ante adnotantur. Tametsi enim precatio privati hominis modo justi efficax sit, tamen multo est efficacior ministri. Vide *Genes.*20, 6. Quod si ad postulata privati hominis Deus familiæ benedicit, ut in Iacobo & Iosepho; quanto magis, &c. Et si Obed Edom ob arcæ præsentiam in tota ejus familia benedictus est, & multis beneficiis affectus; quanto magis qui ministrum Euangelii domo sua accipit, qui pleniorum præsentiæ divinæ repræsentationem exhibet, quam arca potuit: sed de benedictione in privatas familias alius erit dicendi locus. Quod si homines probe expenderent, nunquam desisterent quoad ministrum instructum & legitimum sibi adscivissent. *quæ certo exhibebatur;*

Quæ enim familiæ ministros excipienti pax a Deo promittitur, eadem apud *Lucam* & civitati illum amplectenti promittitur. Tam enim prolixa Dei benedictio Euangelii præcones comitatur, ut proinde illa urbem universam atque unam familiam locupletare & exornare possit. Sicut enim aquarum ductus familiæ inserviens si ad publicos usus traducatur, tam urbi quam olim familiæ commodus est. Et ut suffimentum fragrans tam plurimis quam uni gratum odorem emittit; sic, &c. Hoc videre est in Iosepho: *ita etiam ut integræ civitati contingat:*

primum

primum humili loco constitutus in domo benedictionem tantum accepit, in negotiolis & occupatiunculis illis quibus addictus erat: post vero ad honestiorem locum evectus, eandem in iis quæ procurabat benedictionem accepit & expertus est. Quod cum Eunuchus advertisset tandem toti eum familiæ præfecit: unde omnia in familia succedebant. Quin etiam regno præfectus, & à Pharaone secundus in regno creatus, omnia per universum regnum, &c. O igitur vere à Propheta dictum, decoros esse pedes Euangelizantium pacem! Idem in Republica cernitur, cum pii Magistratus eliguntur.

illa indignis hæc apprecatio irrita, Quod si res secus se habent quam fama accepistis, indignique reperiantur hac pace, quod precati estis, irritum erit quod ad eorum rationes attinet, & pro non dicto accipietur. Non igitur ei profutura est aliorum de hospite vestro honesta existimatio, nisi eum se factis præstet, qui sermone aliorum celebrabatur. Vt etenim hominibus imponat, Deus tamen non irridetur. Pax enim non erit impiis, sed erunt tanquam propulsum mare & agitatum, quod cœnum & lutum ejicit *Esa.* 57,24,25. Et *Gal.* 6. pax super Israëlem Dei. Quanquam igitur hic in Ecclesia inter cæteros sint apud quos Dei pax proponitur, & quibus apprecatur, tamen non magis inde proficiunt aut pace communicant, quam petram pluvia emollit. Studeamus igitur sinceritati: nam si centies audiamus Euangelium, nisi illud prompte exceperimus, &c.

eaque maledictio attrahitur; Non tantum vero revocabit gratiam voto Apostolorum apprecatam, sed loco benedictionis, gravis & acerba horrendaque Dei maledictio attrahitur. Sic est *gravis Dei odor, in iis qui pereunt, &c. Cor. Hebr.* 4. *est gladius bipennis. Esai.* 29,17. & *Esai.* 32,15. Euangelii prædicatione cum desertum in Lebanon, tum arvum in sylvam convertetur. Quorum posterius, idem est cum eo quod à Servatore dicitur, *Ei qui non habet, id quod habet auferetur, Matth.* 13.

Vers. 14. *qui omnium abjectissimi:* Quam vero atrox illis exitium immineat ex adjuncto signo declarat, quo jubentur pulverem pedum adversus illos excutere: declaraturi hac ceremonia, eos ab Ecclesiæ cætu & communione, & à populo Dei excussos & abjectos esse. Sicut *Nehemia* 5. diserte in consimili ceremonia exponitur. Quanquam hac ceremonia videtur significantius hoc fieri. Excuti enim tanquam pulverem vilissimum, idque à pedibus, majorem detestationem declarat: tanquam doceret, ne infra infimos in Ecclesia constitutos esse, tametsi illi se & eos alii inter præcipuos & antesignanos, seu tanquam gregis arietes, reputarint. Hac igitur ceremonia, tanquam sigillo quodam, eorum perditio & ex regno Dei exilium obsignatur, qui ministerium Euangelii respuunt: & qui de salute certiores fieri recusarunt, de exitio suo æterno certi & indubitati reddentur. Exemplum exstat *Act.* 13. Nec omnino huic dissimile est quod Prophetæ Ieroboamum admonenti præceptum est, ut nec biberet nec ederet eo loci, nec eadem qua venit via rediret. Quo docetur omnem illis cum Ecclesia communionem & societatem ereptum iri, ut nihil illis superesse possit, nisi resipiscant, quam horribilis divini judicii exspectatio.

Hoc loco discimus quam execrabiles sunt qui Euangelium repudiant, quam etiam à piis existimandi sunt quicquid vel alii vel ipsi de se sentiunt. Nec tantum cum pulvere sed cum excrementis cumque aliis pessimi odoris rebus componuntur, utut suffimentis & aromatibus redoleant & perfundantur. Quanquam autē hæc ceremonia in Ecclesia jam non usurpetur, res tamen ipsa manet, scilicet ut ii homines qui Euangeliū respuunt, à Deo abjiciantur, eique execrabiles sint. Quemadmodum autem pace à ministris apprecata illa insequuta est, ita excussis ab Ecclesia & regno Christi ministrorum sententia, & tanquam gladio verbi & censurarum Ecclesiæ resectis, omnis infœlicitas accidit. Protectione regni unius exclusus, illam alio regno recuperet; sed regno Dei exturbatus, ubi tandem consistet, cum Dei regnum per totam terram, &c. Tanquam igitur profuga & erro erit, Cayno similis, ubicunque egerit. *hinc Euangelium repudiantes quam execrabiles;*

Quam vero horribile hoc sit, post declaratur, cum pejore loco futurus pronunciatur quam Sodomæ aut Gomorrhæ cives. Erant illi item ab Ecclesia extorres, & æternæ ignis supplicio constricti: sed illis adhuc deterius aliquid in die judicii accidet. Cogita quid evenerit Ammonitis, pacificos Davidis caduceatores contumeliose tractantibus. Quod si tam chare constet mortales legatos sprevisse, quid, &c. Hoc est enim dicere Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Iob.* 21. Vers. 15. *eorum conditio Sodoma pejor.*

MATTH. *cap.* 10. *à verſ.* 16, *ad* 23.

16 *Ecce, ego mitto vos ut oves in medium luporum: eſtote igitur prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ.*

17 *Cavete vero ab hominibus: tradent enim vos in conſeſſus, & in conventibus ſuis flagellabunt vos.*

18 *Sed & ad præſides ac reges ducemini mea cauſa*, ut hoc ſit *eis & Gentibus teſtimonium.*

19 *Sed quum tradent vos, ne eſtote ſoliciti quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis illo momento quod loquamini.*

20 *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri* is eſt *qui loquitur in vobis.*

21 *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & inſurgent liberi in parentes, & morte multandos eos curabunt.*

22 *Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum: verum qui ſuſtinuerit ad finem uſque, is ſervabitur.*

ANALYSIS.

ADjunctum periculum notat in quo futuri ſunt ratione legationis, quod arguitur ab adjuncta tam Apoſtolorum manſuetudine quam adverſariorum crudelitate, quorum illa pari ovium, hæc pari luporum illuſtratur: quod periculum amplificat ab adjuncto numero, deinde à ſubjecto, tot enim & tanto numero futuros lupos prænuntiat, ut illos undique cingant atque circumdent: porro etiam adhuc amplificat ab adjuncta novitate & inexpectatione, quam declarat in voce, *Ecce.* Cujus in adverſariis crudelitatis effectum eſſe debet, in Apoſtolis prudentia, quæ amplificatur paribus ſerpentis, & ſuo diverſo ſynceritatis declaratur; quæ etiam ſynceritas ſuo pari illuſtratur, columbarum.

Verſ. 17, 18. Aliud effectum Apoſtolorum notat ex prudentia, tanquam cauſa profluens, nempe ut ſibi ab hominibus caveant: quod effectum ſua cauſa declaratur, nempe hominum non regenitorum in eos effectis: qui diſtributione ſubjecta Iudæorum & Gentium, item diſtributione effecta proditionis, flagellationis & ductationis coram regibus & principibus declarantur: item cauſis hujus tam crudelis perſequutionis, nempe efficiente reſpectu adverſariorum promulgatione gloriæ divinæ: finalis, reſpectu Dei, ut veritas Euangelii teſtata maneat.

Verſ. 19. Prolepſis, cujus occupatio petitur ab adjuncta anxietate animi, cum idiotæ coram regibus, &c. ſiſtentur, quid loquentur: ſubjectio eſt ab effectis Apoſtolorum, ne de hac re anxii ſint: cujus cauſa aſſignatur, quia Deus illis ſuggeret neceſſaria; quod etiam porro declaratur adjuncto momento temporis, quo ſermonis beneficio opus habent.

Verſ. 20. Confirmat illud à cauſa, nempe Spiritu Sancto qui ſermonem ſuppeditabit: quod porro diſparato declarat, nempe non eſſe Apoſtolos qui loquuntur; vel ratio dici poteſt à diſtributione ſubjecti, vel eſt Spiritus Sanctus qui loquitur, vel vos; ſed vos non loquimini; ergo Spiritus Sanctus in vobis loquitur.

Verſ. 21. Amplificat periculum perſequutionis, quod propoſuerat à relatis maxime neceſſariorum; quod amplificatur ipſa forma & ſpecie perſequutionis ad mortem uſque.

Verſ. 22. Cauſam aſſignatæ hujus perſequutionis, odium Apoſtolorum propter Chriſti nomen; deinde ad patientiam adhortatur ab adjuncta mercede æternæ ſalutis.

METAPHRASIS.

NE vobis inopinantibus periculum ingruat, conſiderate me qui vos chare complector, vos tamen non ita multo poſt miſſurum tam inermes, & ad reſiſtendum impares quam ſunt oves quæ à pluribus Lupis, eiſque illas undique circumſiſtentibus, oppugnantur: quod tamen non ita intelligi velim, ac ſi vos Lupis devorandos traderetis, aut per omnia ovis in vobis ingenium probem; volo enim prudentiam ſerpentum vobis tutandis & declinandis adhibeatis; ſed quæ (ne in vulpinam fraudem tranſeat) cum ſynceritate columbina conjuncta ſit. Quos dixi Lupos, hos homines intelligo, 16. 17.
qui mere animales ſunt, ſpiritus expertes, à quibus quantumcunque externa ſpecie humanis & ingenio facili, cenſeo caveatis. Tradent etenim vos ad Iudæorum ſynedria ducendos, & in publicis eorum conventibus flagellandos.
Neque vero coram Iudæis modo, ſed etiam 18.
provinciarum principibus, atque adeo ipſis regibus vos ſiſtent, non ob maleficia (ſi quæ forte admiſeritis) ſed odio veritatis, quod in me ejus authorem redundat: utut autem hoc vos incommodo aliquo ut afficiant fecerint; tamen quod ego mihi propono hoc eſt, ut fidem veritati Euangelii derogantes, gravioris judicii veſtro apud eos teſtimonio rei peragantur.
Siſtendis autem vobis idiotis coram principi- 19.
bus, cum

bus, cum literis tum potentia instructis, occur-
rat difficilis cogitatio, quid illis respondeatis;
sed animos vestros hæc cura ne torqueat, nam
ut spatium præmeditandi non sit, dabitur vo-
20. *bis eo ipso momento quid proloquamini. Neque*
vero de hac re ex sensu imbecillitatis vestræ
statuendum erit: quandoquidem non tam vos
quam Spiritus Dei in vobis causam omnem
hanc defensitabit, cautionem ab hominibus
exponens, vobis neminem ne ex necessariis ve-
21. *stris excipio. Quin etiam effractis etenim omni-*
bus vel arctissimis sanguinis & cognationis
vinculis, frater germanus suum fratrem ad
mortem usque traditurus est: quod gravius
est, pater prodet suos liberos, & in suos paren-
22. *tes liberi insurgent ut illos morti tradant. Hu-*
jus vero tam atrocis persequutionis causa erit
odium, non propter scelera sed propter nomen
meum, quo impulsi omnes fere vos prosequen-
tur: is vero qui ista æque & patienter susti-
nens, ad extremum usque Spiritum in suscepta
veritatis defensione perstiterit, æterna salute
donabitur.

PRAXIS.

Vers. 16. *Apostolus sese adversus ingruentia mala muniendum;*

IΔ8.]Ne ex superiore oratione quo securitatem à periculis polliceri videbatur, quod nec viatico nec pecunia nec armis instructi legarentur, colligerēt se semper ab omni periculo remotos iri, via facili & veluti tapetis strata incessuros, & ad nuptias potius quam ad operosiorem aliquem laborē profecturos, eos monet ut se tāquam adversus lupos comparent. Quod ad secundam legationem referri oportere videtur. Quod quia incredibile videri posset cum ad Iudæos unicum Dei populum mitterentur, hac demonstrationis particula illos ad hanc rem animū adjicere jubet. Si quidem ad gentes legati fuissent quæ cum Deo fœderatæ non erant, eos in lupos incidere tanquam per deserta transeuntes novum non erat. Sed cum ad Israëlem tanquam ad urbem aut hortum Domini mitterentur, lupis occurrere alienum videatur. Atque hoc ipso magis hac admonitione opus habebant, quod *Populi Dei* titulo, *circumcisionis* nota tanquam pelle ovina vestiti, difficilius deprehendi potuerunt. Lupos vero vocat, quod in illos grassaturi erant, & anima eos & corpore si possent perdituri; nec illis magis parcituri, quam lupus agno solet indulgere.

Adversus autem hanc difficultatem, *duabus* illos virtutibus, tanquam armis ad dextram & sinistram adhibitis, instruit, { Prudentia. Simplicitate.

Hæ virtutes summe in illis requiruntur. Nam nec prudentia major est inter omnia animantia quam quæ est serpentis, nec simplicitas in ullo animante magis conspicua est quam in columba. Et serpentis quidem summa prudentia in eo primum cernitur, quod perspicacissimis oculis sit ad prospiciendum malum adventurum: quod cum se incantatione ad mortem extrahi conari animadvertit, una aure ad terram obturata, alteram cauda occludit. Huc accedit quod se in omnes partes torquens, facilius ictum & vim effugit. Sic igitur serpentis exemplo aliquando declinandum periculum fuga; ut Christus & Apostoli: aliquando silentio eorum qui nobis nocere possunt; ut sæpe Christus: aliquando appellatione & provocatione; ut Paulus cum corruptelam judicis animadverteret: aliquando verborum delinitione, dummodo id vere fiat; ut apud Felicem Paulus, item apud Agrippam. Ex quo illud perspicuum est, quanto in errore versantur, qui Theologiæ & pietatis professionem à sapienti quadam prospicientia & solertia disjungunt, arbitranturque illud esse Christiana professione dignissimum, si quid citra cautionem & circumspectionem aperte fiat; si quod verum est semper & apud omnes nullo habito delectu proferatur; si quis pericula objecta semper adeat, atque adeo sponte occurrat; si credulus sit, & minime suspiciosus; cum diserte dicatur, Christum se quibusdam non credidisse *Ioh. cap.* 2. tametsi illum magni facerent; denique, stupidissimum esse aptissimum ad Theologiam profitendam. Atqui videmus contra fieri & requiri in Christiano, scilicet ut non sit puer sensu, 1 *Cor.* 14, 20. Vide *Hos.* 7, 11, 12. In ministro requiritur ut ingenio sit experrecto, & prudens, *Matth.* 24, 25. Vide *Ephes.* 5, 16, 17. & *Coloss.* 4. *idque serpentina prudentia,*

Adjungitur quoque *simplicitas*, quæ adhiberi debet tanquam agnis conveniens & decora. Sunt enim qui quacunque ratione, fraude, mendaciis & simulatione, si possent periculum deflectere, seque in omnes formas convertendo, & hanc agendi rationem Christianæ prudentiæ pallio tegere conantur, & sub specie serpentinæ prudentiæ, jure & injuria se malis eximere licere putant. Sed Christus prudentiam serpentinam cum columbina simplicitate misceri jubet; eoque simulatio in Davide damnatur, mendacium in Rahab, &c. Ideo Paulus noluit pecunia ex Festi manibus redimi. Serpentina enim pruden- *& columbina simplicitate.*

prudentia nisi columbina simplicitate misceatur, in Diabolicam astutiam transit; & simplicitas columbina nisi serpentina prudentia condiatur in stultitiam commutatur. Hæc sine illa fatua & insipida est: altera vero sine hac, nimium acris & acerba: conjunctæ vero, plurimum prosunt, ut disjunctæ nocent. Nam hinc vulpes, istinc asini essemus, si aut prudentia sine simplicitate, aut simplicitate sine prudentia uteremur. Quamobrem hic etiam locum habet, *quod Deus conjunxit homo ne separet*. Hinc etiam colligitur, quam parum pie & Christiane faciunt, qui cum lupis ululant, &c. & quos columbinæ simplicitatis & candoris pudet, tanquam homine indignum foret.

Vers. 17. A quibus hominibus Apostolis cavendum?

Quæ sequuntur, non spectant ad hanc legationem; non tantum quod *Marcus* & *Lucas* hæc alio tempore & loco dicta commemorant, sed quod nec verberibus hoc tempore cæsi sunt. *Luc.* 22. sed bene habiti; tum vero maxime, quod tempore quo hæc ferenda essent ad gentes legabantur, ut docet *vers.* 18. *Matthæus* autem propter argumenti similitudinem, hæc cum prioris legationis mandatis conjunxit. Iubet autem *Cavere ab hominibus*, sed quibus tandem? nam si ab omnibus cavendum sit, tum è mundo migrandum, aut in desertum cum feris bestiis; nam cum Angelis non possumus in hoc mundo conversari. Intelligit igitur ab iis hominibus qui nullo Dei timore aut pietate imbuti sunt; & qui præter humanas dotes superne Dei gratia, per quam renovantur & recreantur, perfusi non sunt.

Hanc *Hominis* significationem esse ostenditur. *Rom.* 3. *secundum hominem loquor*, id est, secundum animalem hominem. Cum igitur sæpe piorum animos subeat humanitate quadam victos, homines nolle nimium in suos similes sævire, & pietatis expertes ab humanitate tamen alienos non fore, Christus monet ne istiusmodi hominibus quamcunque mansuetudinem præ se ferant, aut cuicunque assueti sunt, clementiæ aut morum facilitati, non tamen illis credendum. Naturæ enim bonitas nisi pietate confirmetur, facile evanescit; præsertim si odium ex Euangelio accedat. Quod non tantum ad crudelitatem, sed & ad simulationem & blanditias, quibus nos à veritate abducere conabuntur, est accommodandum. Sicut enim Eva cum serpente se agere putans, incidit in diabolum; sic &c. Hanc cautionem necessariam esse docet *cap.* 6. *ad Ephes.* quo cum ipsis spiritibus & diabolis nobis rem intercedere docetur, cum hominibus colluctantes.

Hanc cautionem confirmat ab effectis, scilicet, quod illos *συνεδρίοις* traditurí essent, ut flagris cedantur. Deinde vero, cum totum virus suum in eos ipsi evomuerunt, post ad reges & proreges gentium illos rapturos, ut capitis accusent, aut aliquid grave illis inferant. Quod etiam Iudæos fecisse, qui necis & vitæ potestatem non habebant, testatur historia Euangelistarum & Apostolorum. Quamobrem supputaturus sumptus ædificandi domus Dei sic statuere debet, sibi aliquando obeunda esse, quæ hominum aut ingenium excogitare, aut potentia exsequi potest. Dicitur, eum qui ædificare velit duplum ejus in loculis habere quo ædificari posse domus existimatur. Novum igitur hoc nobis esse non debet, nec sua novitate nos offendere. *Ioh.* 16. *hæc prædixi ne scandalizemini, &c.*

Vers. 18. quomodo ab illis excipiendi?

Dominus autem consolatur Discipulos adversus vim & contumelias has, à fine ad quem ipse hæc destinat; scilicet, ut ei testimonium ferant coram Regibus, &c. Perinde enim est ac si diceret; illi sibi hunc finem proponunt, ut doctrinam veritatis obruant: sed ego hoc constituo ut propagetur, & testimonio ornetur magis, & ad eorum aures perveniat, ad quos nunquam alioqui penetraret; illi, vos ut contumelia afficiant; sed ego ut nomen meum celebretis, ut & à me honore afficiamini; illi ut propriis verbis sententiam condemnationis in vos ferant; sed ego, ut ex recusatione veritatis (si illam repudiaverint) sententiam condemnationis sibi arcessant. Vide *Iohan.* 21,18,19. *Philip.* 1,12,13,14. & *cap.* 4,22.

idque ut ei testimonium ferant;

Vt igitur consolationem in persecutionibus percipiamus, deflectendi sunt animorum oculi à consiliis & institutis hostis, ad consilium ejus qui omnes eorum conatus aliorsum quam illi cogitant, vel illis etiam invitis detorquet; illis sæpius ne quod conantur efficiant, obsistit. Quod si rem effectam dare illis permittit, eventu tamen ab illis designato excidunt: imo contrarium experiuntur; atque trajectionem lethalem Ecclesiæ secum constituentes, vomicam illi aperiunt, quæ alioqui illis nocitura fuisset. Sic interimere cogitantes, sanant; diruere cum animo suo constituentes, ædificant; stirpitus eradicare molientes Dei hortum & paradisum, conserunt. *Rom.* 8. *Omnia in bonum cooperantur, &c.*

quare ad Deum in afflictionibus respiciendum.

Vers. 19. Ex hac cautionis præceptione *duæ* pullularent & enascerentur difficultates,
- *Una* de acerbitate persecutionis ferendæ.
- *Altera*, de facultate propugnãdæ veritatis corã regibus.

Sollicitudo eorum ob imperitiam coram regibus se defendendi,

Posteriori primo in loco occurrit, quæ illos sollicitos merito habere possit. Nam cum rudes idiotæ essent inter vulgus hominum enutriti, plurimum illos consternare posset, quod coram regibus sistendi essent; quorum primum splendor & majestas illis oculos perstringeret, & omnem sermonis facultatem illis excuteret: deinde, cum consilio & sapientia cum ex se, tum senatus adminiculo valituros considerarent, & simul ad suam imperitiam & educationem oculos reflecterent, quantumvis summa in loquendo fiducia præditi forent, nihil se tamen dignum auribus, nec rerum nec ordinis præstantia elocuturos sperare poterant; maxime cum de quibus interrogentur nescirent. Nam si Moses in politioribus libris & aula à cunis educatus, sermonem sibi deesse verebatur quo legationem Dei apud Pharaonem obiret; quanto magis Apostolo, &c. Homines enim non tantum timore, sed etiam pudore coram principibus adducti ora conclusa habent, vel tum cum satis humaniter & benigne tractantur; nedum cum principes ad instar leonum rugiunt. Christus igitur eis hunc scrupum exempturus, jubet ne de hac re solliciti sint, argumento ab efficiente, scilicet quod sermo patrocinio causæ accommodatus ab illis non proficisceretur; quasi dicat: hinc est quod vos hæc cura torquet, quod humanis & propriis viribus veritatem defendendam putetis; quibus cum vos nudatos esse intelligatis, idcirco veremini ne veritas indefensa jaceat. Sed erratis si hoc putetis, nõ est enim facultatis humanæ opus, tametsi homines literis & doctrina excultissimi & instructissimi forent. Cadimus igitur animis & despondemus, cum in nos ipsos aciem oculorum defigimus. Nam vel hoc in paupertatis genere proverbium Salomonis locum habet, *Proverb.*15,15. Paupertatem scilicet inopis ejus esse contritionem, quod tam reprehendit Salomon quam illud cum dives suis divitiis tanquam arci præfidit.

quod à Deo proficisceretur,

Hoc probat ab adversis; scilicet, quod à Deo proficiscatur: sic *Exod.*4,11,12. qui vel Balaami asinæ os aperuit, &c. Consolemur igitur paupertatem nostram divitiis Dei: balbutiem nostram, illius eloquentia & facundia. Hujus promissi præstiti signum exstat *Act.*2. fides & veritas docetur. *Act.* 2,3, 4,7. &c. Hanc promissionem nobis dictam sentiamus: ut quoties nobis Dei causa dicenda imponitur, verba, sententias, ordinem à Deo expectemus: ut tametsi nos infantes simus, tamen Dei verba ori nostro inserta habentes non dubitemus quin legationem idonee satis obituri simus. Quis hominum est qui si advocatum adhiberet ad causam honoris pariter & hæreditatis suæ dicendam, non illum omnibus dicendi ornamentis (modo posset) expoliret, quibus susceptam causam probet atque obtineat in judicio. Cum igitur in veritatis defensione Dei gloria & Ecclesiæ salus periclitatur, &c.

Vers. 23. *& cum opus est suppeditabitur,*

Sed inquit aliquis, Dei quidem dona esse fateor: sed prehensus ut ad tribunal abripiar, nihil hujusmodi mihi adesse facultatis sentio. Respondet argumento ab adjunctis, scilicet eo ipso momento quo ejus usus erit, suppeditatum iri quid & quomodo loquantur: ut non adeo despondeant animum si facultatem non sentiant tum cum corripiuntur manibus lictorum, & si quod spatium meditandi responsi non detur. Quin etiam Moses profitetur se ab illo ipso tempore quo Deus illum ad ministerium vocaverat, sensisse majorem quam prius sermonis difficultatem. *Exod.* 4.

hinc tamen studia præmittenda.

Nec tamen hinc colligitur, quod quidam fanatici spiritus eliciunt & detorquent, scilicet studia & præmeditationem non esse præmittendam, sed ab aratro recta ad suggestum, & ex officina ad dicendum pro concione exilire posse; tantum enim hoc promissum iis adhibetur, qui subito correpti ad tribunal rapiuntur. Illis autẽ ἐνθουσιάσταις vere dici possit, quod Malachias Sacerdotibus objecit: mensam Domini illis vilem & contemptam esse, & ministerium perquam aspernandum. Cum Christus Scribam ad regnum cœlorum edoctum affirmet, patrifamilias esse similem qui vetera & nova ex suo penu depromit. *Matth.*13. Et Eliahu ministrum notet hujusmodi esse, qui unus vix inter mille inveniatur. Præterea non prohibentur hoc loco aliquid præmeditari aut præcogitare, sed anxie & diffidenter hoc facere (ut quidam volunt, ego tamen ad id difficulter adducor) ideoque vocabulum usurpat quo usus est *Matth.*6.

Vers. 21. *Persecutio illis etiam à domesticis imminet;*

Iam aggreditur alterius difficultatis remedium. Quod priusquam facit, rem plenius & magis speciatim declarat. Cum enim ante dixerat tradendos esse, nunc declarat hoc

hoc periculum ab ipsis domesticis nobis imminere: qui non tantum flagris cædendos, sed & necandos nos in principum manus conclusos tradent, qui nobis periclitantibus subsidio esse debebant. Vt sciamus, quam fuerit illa cautio necessaria, qua cavendum ab hominibus Servator admonuit. Tanto enim odio homines in veritatem flagrare, ut ejus opprimendæ causa omnia sanguinis & necessitudinis vincula, quantumvis multiplicata, rumpere & perfringere velint. Mira vis est consanguinitatis; sed στοργὰς omnes odio religionis exuunt: aut Deus potius illos in sensum hunc tradit, ut illorum impietatem ulciscatur, *Rom.*2. Quis non putarit sibi tutum fore apud parentes, &c. profugium. Sed Christus monet ne parentibus à religione alienis nimium credamus. Sic videmus majorem immanitatem hominis esse, quam sylvestrium ferarum & quidem truculentissimarum. Quo magis cura à nobis suscipi debet, ut parentes pro liberis & pro parentibus liberi oremus, ne inde unde fulcrum & scipionem nobis polliciti sumus, erumpat nobis è sinu serpens qui nos lethaliter mordeat. Quo nihil homini acerbius esse potest: non tantum quod morti traditur, sed quod ab iis quorum erat, &c.

an tamen parenti filius mortis periculo non concludendus? Sed *quærat* hic aliquis, an non possit aut etiam debeat parens filium morti tradendum concludere, & contra; ut interim nihil in laudatas στοργὰς committatur, quæ nobis commendantur.

Poterit quidem, & si res postulat debet, *Deut.*13. & *Zachar.*13. Nec tamen in naturæ legem & affectus peccarit. Nam non exuit στοργὴν ut impii, sed cum ea colluctans victoriam reportat, præponderante Dei amore naturæ affectui. Nec enim dubium est quin Abraham cum filium Deo oblaturus erat, &c. Atque hoc modo piorum in Deum obsequium amplificatur, dum suos affectus ad Dei voluntatem exigunt, eosque intra suos cancellos cohibent.

Vers. 22. *hæc eventura Christi causa,* Consolatur illos à fine persequutionis: scilicet, quod ob Christi nomen perlaturi essent mala. Causa enim persequutionis plurimum momenti affert ad levandam afflictionem, & animum addit in periculis adeundis. Vide 2 *Sam.*10,12. Quanti igitur est pro Deo ipso pugnare? Qui regis terrestris athleta designatur, magnum sibi honorem fieri putat quod jus in regnum ipsius singulari certamine tutari possit. Deinde honori ducitur, si cui regni corona asservanda traditur. Quo magis beati dicendi sunt, qui jus regni Christi sibi propugnandum susceperunt: confidendumque Deum nobis arma & vires ad sustinendum prælium daturum.

Aliud argumentum quo illos sustentat, est ab adjuncto præmio vitæ æternæ, modo in pugna perstiterint, & omnes impetus & impressiones sustinuerint: certissimum præmium proponit propugnatoribus, vitam & salutem. *quare vitam æternam consequentur,* Reges suis athletis pro se depugnantibus, vitam spondere nequeunt: tantum ex pugna superstitibus præmium constituunt. Christus vero sive occumbamus in hac pugna, sive incolumes & intacti è pugna redeamus, nobis certissime salutis spem facit: ut qui mortuis vitam restituit *Esa.*26,19. Quod si dubius victoriæ acriter & constanter pugnat, &c. quanto magis, &c.

si legitime certaverint, Sed proponitur præmium legitime certantibus & victoriam reportantibus: quæ in eo consistit, si ictus & plagas impositas sustinuerint. Novum genus victoriæ: alii vincunt hostem cædendo, nos vero ab hostibus cæsi vincimus: alii gladium gladio objiciendo, nos jugula carnifici, genas percutienti, terga flagris obvertendo. Ii interfecti & occumbentes victores evadunt. Illi cum cæsis hostibus in vivis ipsi manent. Hinc dicitur nos malis perferendis& calamitatum perpessu animam possidere. Hic liquet quam procul à salute absunt, quibus fœtet Christianæ patientiæ & ἀμυνησίας virtus.

& ad finem usque perstiterint. Sed requiritur ut ad finem usque perstent, nec malis frangantur. Cursum oportet conficiant, certamen decertent penitus. Si quis plerisque periculis susceptis & acceptis plagis, post nondum confecto itinere considerat, & malorum acerbitate desinat, ei totius aditi laboris jactura facienda est, & omnis messis abjicienda. *Gal.*6, 9. & 3, 4. Id videas in Alexandro *Act.*19,33. Hic autem comparatur viro structuram domus molienti, quam præ inopia nequit absolvere; & prælium cum hoste committenti, cum nec suas copias lustraverit, nec hostis manum quam ducit speculatum miserit.

M A T T H. *cap.* 10, *à vers.* 23, *ad* 29.

23 Quum autem persequentur vos in ea urbe, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, nequaquam obieritis urbes Israelis quin venerit Filius hominis.

24 *Non est discipulus supra doctorem, neque servus supra dominum suum.*
25 *Sufficiat discipulo ut sit sicut doctor ipsius:* & *ut servus* sit *sicut dominus ipsius.*
Si ipsum patrem familias Beelzebubem vocarunt, quanto magis domesticos ejus?
26 *Itaque ne eos timete: nihil enim est opertum quod non sit retegendum, & nihil occultum quod non sit cognoscendum.*
27 *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in solariis.*
28 *Et ne timete* vobis *ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.*

ANALYSIS.

Consolatur illos adversus ingruentem persequutionem, ab adjuncta potestate quam illis facit fugiendi ab una civitate in aliam. Deinde ab adjuncta Christi communicatione eisdem malis quæ illi perpetientur; quod argumentum amplificat ab adjuncto temporis, augusto spatio quod illis in prædicatione succenturiabitur, antequam omnes urbes Israëlis obiverint. Quod porro confirmat testimonio vehementis asseverationis.

Vers. 24, 25. Confirmat illud argumentum à comparatione majoris, æque ferendam esse persequutionem quam perferent, cum ipse hanc sortem & conditionem subiturus sit; quam rationem à relatis confirmat, discipuli & Doctoris, Domini & servi, patrisfamilias & domesticorum: quam eandem consolationem adhibet, adversus convitia & probra in eos jactata.

Vers. 26. Adhortatur ut per timorem nihil eorum supprimant, quæ in mandatis habent: ab adjuncta manifestatione perfidiæ eorum.

Vers. 27. Illud porro confirmat à fine, ideo scilicet privatim esse edoctos à se, ut quæ didicerint publice & palam divulgent.

Vers. 28. Causam indicat perfidiosæ legationis, metum corporis interficiendi; cujus consolationem proponit ab adjuncta ἀδυναμίᾳ animam interficiendi. Cui timori opponit tanquam adversarium timorem Dei, ad quem hortatur ab adjuncta Dei potestate, corpus simul & animam perdendi in gehenna.

METAPHRASIS.

23. *Aliquid solatii vobis afferat, quod in una aliqua urbe ursi persequutione, ad aliam (me authore) transeatis. In quibus obeundis tanto magis spiritus sumatis quod non prius omnes obiveritis, quam ego gratiosa Spiritus*
24. *mei præsentia vos perfundam & recreem. Est autem in communi omnium sensu & intelligentia positum, usque eo ut in proverbium abierit: discipulum quamdiu discipulus est suo doctore superiorem non esse, aut servum suo do-*
25. *mino. Abunde discipulo factum satis, si pari sit cum suo doctore conditione, item servo cum suo domino. Quamobrem si me veluti patremfamilias Beelzebubem vocare non dubitarunt, quanto id magis vobis domesticis meis hoc facturi sunt. Nolite ergo metu convitiorum,* 26.
quibus vos conscelerabunt, quidquam reticere. Tametsi etenim eorum calumniis innocentia vestra ad tempus tecta delitescat: oportune tamen & suo tempore, saltem in die judicii, ut meridies lucebit. Quamobrem quod vos 27.
privatim & veluti in tenebris doceo, illud publice & veluti in luce cum summa libertate buccinatote. Et quod vobis seorsim veluti in aurem insusurravi, id è suggestu tanquam ex ædificiorum complantatis tectis prædicate. Sic- 28.
ut convitiorum, sic neque mortis metu veritatem parcius aut timidius promulgate: quandoquidem corpus (alioqui caducum & suo tempore extinguendum) modo interficere penes eos est, nulla illis in animam concessa facultate. Ab illo vero formidate, qui potestate instructus est corpus simul & animam in Gehenna perdendi.

PRAXIS.

Consolatur porro illos ab adjuncta fuga, qua sibi consulere fas fuerit, cum urgentur persecutione. Cujus ratio est, quod ad omnes urbes Israëlitarum legarentur. Quamobrem una prohibiti urbe, poterant legationem in alia obire. Vnde generalis norma elicitur, omnes eos cedere posse, qui suum alibi munus officiumque exequi queant. Non igitur nefas est Christiano persecutionem declinare. Neque vero ignaviæ ducendum quandoquidem militiam non deserimus, nec à castris deficimus, sed locum potius commutamus, & meliorem pugnandi oportunitatem quærimus. Quemadmodum autem in arte gladiatoria peritiæ est subinde prout res & usus postulat locum mutare; sic, &c.

Vers. 23. *Fuga Apostolis integrum periculum declinare;*

Nec obstat quod *Iohan.* 10. *mercenarius* appelletur, *qui lupo adventante fugit:* primum enim alia ratio est Pastoris, alia Apostoli: deinde mercenarii est ita gregem deserere,

quomodo alibi talis mercenarius dicatur?

rere, ut illum nudum & desertum relinquat? Post ita se subducere, ut post in umbra conquiescat, liber & remotus à periculis. Demum considerandum de causa persequutionis: si enim veritatis odio non sit, sed pastoris, tum fuga sibi consulat pastor.

eos Christus prius præcedit,

Quod addit, *non prius scilicet peragratas & obitas fore omnes civitates quam ipse adveniat*, eos consolatur ab adjuncto suo adventu, & præsentia spiritus, quam illi sibi semper salutarem & plenam consolationis experti fuissent. Quod vero prius adventurum se dicit, quam &c. præripit eis scrupulum quo angi potuissent: subverentes ne nullæ illis civitates superforent refugii, si moram duceret. Quanta igitur & quam solida est in secundi adventus meditatione consolatio? cum gloriosa sua præsentia, militiæ finem imponet: vulnera omnia persanabit & obligabit. Sive vero nos eum accedamus, sive ille ad nos veniat, perinde est. Sic ipsi nosmet excitare & studia nostra accendere debemus. Sic *Matth.* 25, 14. *&c.*

Vers. 24, 25. *qui & eandem fortunam expertus;*

Arguit à comparatione minoris: nam si Christum herum & præceptorem indigne acceperint, discipulos & servos itidem accipere velle, non nimis molestum esse debet. Vide 1 *Sam.* 24, 6, 7. & 26, 7. *Ioh.* 13, 13, 14. Promptum erat suspicari, Christum odio aut non nimia amoris abundantia illos hujusmodi periculis & probris objicere. Quam suspicionem commodissime aptissimeque diluit, dum docet nullam illis conditionem obtrudere, quam ipse non prius admisit. Hoc autem tanto magis monitu necessarium fuit, quo illos offendere potuit, quod maxima pars hominum placida quiete uteretur, & quisque sub vite & ficu securus desideret: quod pios *Psalm.* 73, & 37. mirifice torsit. Huc accedit, quod non tantum improbi sed ex piis aliqui, multo tranquillius quam Apostoli & ministri, vitam hanc ægram ducerent; ut igitur huic tentationi occurreret, seipsum proponit.

quare nobiscum in miseriis clementer agi putemus:

Nisi igitur existimarent Deum, Christum Dominum charum non habere, non debebant sibi hoc in animum induci ullo pacto pati: hujus exemplum egregium est *Ioh.* 21, 18, *ad* 22. Cum enim Petrus ægre ferens se à Christo ad martyrium destinatum esse præterito Iohanne, respondet Christus satis illi esse debere, quod se sequuturus erat, qui illi viam ad perpessionem ignominiosam commonstraret. Non igitur Deus nos istiusmodi periculis objicit, ut olim David Vriam, quo periret; sed potius ut plerique duces sibi charissimos milites, quos maximo honore afficere constituunt. 1 *Pet.* 5, 9. Ad æquam persequutionum perpessionem adhortans, ab aliorum fratrum compatientium perpessione, patientiam suadet. Quod quidem si efficax sit, nedum hoc potens est argumentum, quod Dominus & præceptor hac afflictionum societate non excluditur. Oportet enim delicatum esse qui conservorum conditionem recusat: sed illius mollities est intolerabilis & sine fronte, si quis heri & magistri conditionem subire dedignatus fuerit. Vrias vel tum cum maxime poterat noluit domi suæ cum uxore cubare, quod Ioabus in agro & subdio cubaret & pernoctaret. Cum igitur majus præstantiæ intervallum intercedat nobis cum Christo, quam Vriæ cum Ioabo, idque indefinite, cumque Deus nos ad perferendam calamitatem vocet; quantæ improbitatis erit hanc conditionem recusare? Si quando igitur nos difficultatum hujus vitæ distædeat, discamus hac sententia tanquam saccharo afflictionum acerbitatem & tœdium lenire. Abunde nobis sufficere debet, si eandem cum Christo conditionem subiremus. Si igitur mensa sit tenuis, si cubile parum molle, si carcer ingratus, &c. Hinc etiam in eos stringetur oratio, quibus pudor est injurias ferre. Quanquam nos ne millesimam quidem partem illius ignominiæ & crudelitatis subimus, quam Christus obiit: delicatius enim nos tractat quam ipse tractatus fuit. Nos enim pitissamus modo, quod ille exhausit & exsuxit: nos calicem iræ bibimus, cujus ille fæces exhausit.

Εἰ τ̀ οἰκοδεσπότην.] Eodem argumenti genere rem aliam probat: certitudinem scilicet indubitatam hujus tam indignæ tractationis. Quod quidem cum ad cautionem, tum ad consolationem subjicit & subjungit. *etiam eorum doctrina sicut Christi indigne excipienda;* Ad cautionem, ut cum certam scirent, se ipsos adversus hoc Satanæ telum probe munirent, nec ad rei eventum obstupescerent. Ad consolationem, ne nimium ad tam portentosas blasphemias consternarentur, tanquam essent omnium hominum infœlicissimi & nequissimi. Cum enim tam eximiis donis ornandi essent, & tam gratum nuntium ad gentes relaturi essent, poterat illis in mentem venire an Veritas esset quod prædicarent, aut dona essent reverentia digna, quæ tam superbe conculcarentur? Atque, inquit Christus, me hujusmodi convitiis proscindere non desistebant, qui præstantioribus

ſtantioribus virtutum ornamentis à Deo celatus & politus ſum: & me innocentiſſimum, tanquam nequiſſimum perfugam omni ſcelere & convitiis lacerarunt. Non eſt igitur ut ſomniemus, nos ulla aut innocentia, aut literis, vel donis, ab improborum virulenta lingua liberos fore.

Atque hæc ad conſolationem pertinere apparet ex concluſione quæ *verſ. 26.* ſubjungitur, ſcilicet non eſſe idcirco formidandos, ob convitia ſcilicet, quod vidiſtis quanto odio in me flagrarint, & ex odio in me convitia geſſerint, &c. Et quidem non ideo dicit ac ſi vellet nos omni metu liberos & ſolutos eſſe; ſed ſicut ex ſequentibus conſtat, ne per metum perfide ſe in miniſterio gerant: neve aut quid eorum taceant quæ dicenda ſunt, aut non ea fiducia & perſpicuitate utantur, quam rerum momentum poſtulat.

nihilominus tamen fideliter officio fungendum,

Hoc confirmat ab adjuncta perfidiæ imposterum pervulgatione: tametſi enim multa in ſpeciem obtendant cur verbum cauponentur ac adulterent, prudentiæ ſcilicet, & cautionis ſpeciem, temporum iniquitatem, eorum apud quos dicunt infirmitatem, quæ quarundam rerum ad tempus reticentia indulgentiaque perſanari poſſit, tamen tandem agnoſceretur eos per timorem hoc feciſſe, & ut ſuæ pelli conſulerent, aut otio aut deliciis, &c. Quamobrem nihil nobis faciendum eſt ſub ſilentii ſpe: prorſus enim fruſtrabimur. Quæ enim in conclavibus loquimur, in plateis evulgabuntur: quæ in aurem inſuſurrata ſunt, ſuper edita loca promulgabuntur. Quin etiam quæ in animorum abditiſſimis penetralibus adverſus veritatem ineuntur, ſuo tempore prodentur. Salomon dicit, conſilia adverſus regem conſulta, ab ipſis cœli alitibus revelantia, id eſt, miraculo quodam & admirabiliter. Si quid igitur adverſus regem regum initur, illud vel ipſi lapides loquentur. Id plerumque in hac vita fit, ſed maxime in die judicii, cum cujuſque peccata in fronte inſcribentur: non ſecus quam pejerati, qui chartas fronti appictas & appenſas gerunt, in quibus admiſſum flagitium majuſculis literis exaratur; idque in celeberrimo hominum & angelorum conventu fiet, ſuper eminentiſſimum ſummi cœli theatrum.

Verſ. 26. *cum labor eorum non ſit inanis futurus,*

Aliam conſolationem adhibet ab effectis prædicationis, cujus nomine perſequutionem perferent, ſcilicet, quod eorum labor inanis non ſit futurus: quodque perſequutionibus ſuis non obtinebunt hoſtes Euangelii quod conantur, de opprimendo Euangelio & ejus notitia extinguenda. Id enim eos etiam ſollicitos habere poterat, in tanto perſequutorum numero & potentia, Euangelium extinctum iri. Chriſtus igitur proverbio vulgari & jactato veritatem confirmat propagandam eſſe. Et certe cum tanta ſit vis veritatis in rebus ad hanc vitam ſpectantibus, ut tandem prævaleat quamquam ad tempus comprimatur, nedum illud in Euangelii veritate veriſſimum erit. Habet enim comitem potens Dei brachium, quod omnia obſtacula perrumpit. Nec magis apprimi poteſt quam Chriſtus ipſe. Poteſt ad tempus cum Chriſto ſepeliri, ſed erumpet tandem ex ſepulchro. Atque hoc fructu, Paulus non ſe tantum ſed & alios conſolatur, quod etiamſi ipſe vinctus foret, Euangelium tamen vinctum non eſſet. Vide etiam ad *Philippenſes capite* 1, itemque 4.

Verſ. 27. *eoque intrepide perficiendum.*

Quamobrem ab effectis prædicationis, confirmat liberam & intrepidam prædicationem. Eoque quæ in Chriſti ſchola privatim didicerint, palam & magna voce ut ab omnibus exaudiatur proponant. Vide *Ierem.* 26,2. Huc pertinet quod *Eſa.* 40. dicitur extollendam vocem ut tubam. Item *Tit.* 1, 13. Non ſatis igitur eſt in aurem inſuſurrare aut inſtar avium pipire, rem ſubinnuere & ſubindicare, maxime cum illi palam & aperta fronte peccata admittant. Cum igitur miniſtris hoc incumbat, æquius ferre debent homines ſe reprehendi: non libet in reprehenſionibus verſari, ſed cum gloria Dei hoc flagitat, &c. Idque faciendum eſt, ſive audiant ſive non audiant *Ezech.* 2.

Verſ. 28. *Nec illis mortis periculum metuendum,*

Pergit in depulſione timoris, ſed alius generis, nempe mortis, cum prior timor fuerit infamiæ, quo timore libera prædicatio impediatur. Arguit autem ab adjuncta perſequutorum impotentia: ſcilicet, quod corpus tantum occidant non animam. Non eſſe autem timendos qui corpus hoc caducum & alioqui intermoriturum trucident. Tigillum eſt, (*a little covering*) & tugurium (*a cottage or ſhed:*) humilis caſa, & domus lutea, tentorium. Non igitur eius jactura multum metuenda eſt, præſertim cum demolitis his ædiculis, ſplendidæ ædes earum loco ſint ædificandæ. Vide *Ier.* 1,8. & *Ezech.* 2,6. & 2 *Cor.* 5,1. *&c.*

quibus Deus eſt timendus,

Hoc adhuc confirmat ab adverſis: ſcilicet quod Deus ſit timendus. *Ipſe ſit pavor & timor veſter Eſai.* 8. & 1 *Petr.* 3. Quoties igitur

igitur metus hominum nobis obrepit, proponamus nobis Dei majestatem: quoties hominum carceres, versentur ante oculos Dei inferi &c. quoties hominum gladium horremus, contra illius formidabilem gladium ab *Esaia* descriptum *cap.* 27, *v.*3. Vide 1 *Reg.* 22,13,14,15.

qui animam potest occidere. Quod proposuit, confirmat ab adjuncta Dei potentia & jure in corpus & animam: quæ potest in æternum perdere, non tantum ad tempus ut homines. Quod ob eam rem dixit, quod homines plerique sunt qui non ferrent ægre animi & corporis qui sine sensu foret interitum, & mundi voluptatum perfruitionem, & calamitatum fugam, libenter redimerent pretio iræ divinæ, si quidem illa hujus vitæ spatiis definiretur. Huc accedit quod plerique ut corporis & præsentis vitæ curam non agant, ita etiam nec animæ & futuræ: ut fere sunt Sicarii & gladiatores, qui se satis fortes esse non putant, nisi Deum & divina omnia contemnant.

MATTH. *cap.* 10. *à vers.* 29, *ad* 34.

29 Nonne duo passerculi assario væneunt, & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro?

30 Vestri vero etiam capilli capitis omnes numerati sunt.

31 Ne igitur timete: vos multis passerculis præstatis.

32 Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis.

33 Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis.

ANALYSIS.

Aliam consolationem proponit, ab adjuncta persequutorum ἀδυναμία in piorum persecutione, quod nihil in nos moliri possunt absque Dei providentia. Quod amplificatur à comparatione minoris, nam si ne passerculus unus, adeo vilis ut duo uno quadrante vendantur, in rete aucupis non cadat, nisi Deo ita decernente, nedum pius in casses persequutorum.

Vers. 30. Aliud argumentum à comparatione minoris, ne pili quidem dispendium facturos sine Dei providentia, nedum vitæ; quod probat ab adjuncta numeratione pilorum, quos omnes Deus in numerato habet: hoc effecto declarans, quam pilorum rationem & æstimationem habet.

Vers. 31. Ab adjuncto pretio & æstimatione piorum, eos consolatur tacite à minore: nam si Deus rationem habet pilorum, nedum vestri; quod deinde amplificatur à minore, nempe passerculis: hinc concludit non esse timendum piis, à suis persequutoribus. Non debent timere à persequutoribus qui Deo chari, & in summo pretio sunt: sed vos pii in summo pretio apud Deum estis; ergo non debetis.

Vers. 32. Effectum abjecti timoris proponit, liberam Christi professionem; ad quam exstimulat ab adjuncto præmio, nempe quod Christus illum agnoscet coram Patre.

Vers. 33. Illud illustrat ab adjuncta pœna eorum qui Christum abnegabunt.

METAPHRASIS.

29. *Ametsi vos impii persequantur & morte afficiant: nolite tamen in animum vestrum inducere penes illos esse hoc facere. Nam si ex duobus passerculis tam abjectis & contemptis ut uno quadrante væneant, ne unus quidem in aucupis casses decidit, nisi volente & decernente Patre vestro qui est in cœlis: nedum vos venatorum vestrorum seu vi seu insidiis pereatis, nisi sapientissimo Dei consilio, omnia vestro bono moderante, hoc ipsum comprobatum fuerit. Quid dico vos & vestram* 30.
vitam Deo curæ esse? imo vero capitis vestri capillos ad unum omnes ea cura complectitur, ut illos in numerato habeat, usque eo ut ne ex illis unus (tametsi sine doloris sensu hoc fiat) ad terram decidat, sine Patris vestri cœlestis speciali cura & providentia. Nolite igitur me- 31.
tu consternari, nam si vel capillorum capitis vestri curam Deus agat, certe vitam vestram & vos ipsos infinitis passerculis Deo cariores esse oportebit. Quisquis igitur (pulso hominum 32.
metu & pudore) me & veritatem meam coram impiis hominibus istis, hic in terra libere & pleno ore agnoverit: hunc ego meum fidelem servum coram glorioso Patre & Spiritu Sancto in cœlis agnoscam. Quisquis vero metu 33.
aut pudore adductus, me aut veritatem meam coram impiis in terra hominibus negaverit, hunc ego coram Patre & Beato Spiritu meo in cœlis tum meum esse pernegabo, cum ille agnosci se velle maxime expetiverit.

PRAXIS.

Adversus mortis pavorem cōsolatur eos, ab adjuncta Dei providentia in rerum minimarum conservatione. Quod idcirco facit, *Vers.* 29. *Apostolis de mortis periculo*

non metuendum cum Deus minima conservet;

cit, ne ex superiore versu existimarent hominum in arbitrio & potestate esse, corpus trucidare, & præsentem nobis vitam eripere; homines enim ita sibi à principibus metuunt, ac si in illis vitæ & necis potestas esset. Sed Christus docet longe secus esse; scilicet summam & supremam vitæ & necis potestatem penes Deum esse, eoque non esse tantopere metuendos homines. Vnde etiam dixit: *Ne timete ab hominibus corpus interficiendi:* & non dixit, *quibus est potestas interficientibus corpus.* Sicut contra affirmat, illos in animam potestatem non habere. Vide *Dan.* 3,15,16,17. & *Ioh.* 18,10,11. Nec enim in Dei gubernatione usu venit quod in hominum. Nam regum charissimi quique in regno proprio nomine quandoque trucidant aliquem rege nescio. Nec nisi quæ ipse gerit per se & propria persona præstare potest. Deus autem ita hominibus habenas regni sui tradidit, ut ipsemet illas manu sua retineat, vel tum cum in hostium suorum manus gubernacula tradit. *Esa.* 10,15. Vnde etiam Nebuchadnezar alibi Dei servus vocatur. Quod autem *Ierem.* 26,14. dicitur, id humanitus dicitur.

etiam passerculi non capiuntur absque Dei providentia,

Hoc probat argumento minorum: quod passerculos, quorum duo quadrante veneunt, ea cura complectitur, ut aucupis arbitratu non teneantur irretiti, nisi Dominus suo veluti suffragio hoc confirmarit, eosque in aucupis manum conclusos dederit. Simili argumento usus est *Matth.* 6. ad arcendum timorem & sollicitudinem nimiam ex cibo & potione.

Vers. 30. *nec capillus de capite decidit;*

Ἐπανόρθωσις est: quasi dicat, iniquum videtur hominem cum passerculis componere, cum indigni sint qui vel cum capillo capitis componantur. Eoque docet, capillos capitis Deum in numerato habere, id est, ne minimum damnum passuros, sine singulari Dei providentia. Proverbialem enim sententiam de eo esse qui ne levissimam in corpore jacturam facit, constat ex 1 *Sam.* 14, 45. & *Actor.* 27. Quod autem dicitur Deum in numerato habere omnes capillos, eo docetur Deum singularem curam agere minimorum quæ ad nos spectant; & non temere aut levi de causa ex capite decasuri sunt. Nam quæ pretio habemus, & quorum specialem curam agimus, ea numeramus: si quid eorum desideretur requirimus ab iis qui illa substraxerint. Quamobrem tribus pueris in fornacem ignis jactis, ne capillus quidem capitis igne abductus aut correptus est. Quod si auferri illis patitur, attamen non parvo capillos vendit. Nota quanti constabant Ammonitis capilli, quos per ignominiam servis Davidis abradebant. Quod si Deus tanti facit capillos, quanti caput facit? & si caput, quanti corpus?

Vers. 31. *quanto major Dei fidelium cura?*

Concludit igitur fidelium singulos multis passerculis præstantiores esse, cu tanti faciat vel capillos capitis eorum; in quo, minus dicit quam res est. Nam non tantum multis, sed omnibus passerculis atque adeo omnibus cœli alitibus, &c. præstantiores sunt, & tota mundi machina: ut qui pretioso Dei sanguine redempti sunt, non auro, argento, &c. 1 *Petr.* 1,18,19. Si enim unus passerculus non cadit sine cura Dei, quanto minus ex piis unus? si ii non cadunt sine providentia Dei quibus Deus pater non est; quanto minus hi quorum Deus est Pater, ut à Christo hoc loco diserte & præcise notatur: sicut *Matth.* 6. *Pater vester pascit, &c.* Si denique ii qui ad interfectionem ob pastum hominum creati sunt non temere cadant; nedum illi qui à Deo ut quandiu in vivis sunt Deum prædicarent constituti sunt. Si tendiculas auceps sæpe inanes ad se retrahit & subducit; quanto magis Nimrodi ii qui Dei electos venantur? Quid, quod cum illos tanquam aviculas retibus inclusos tenent; Deus fractis & conscissis retibus eos libertati restituit. *Psalm.* 124,7.

Vers. 32. *Christum in terra agnoscentes in cœlis agnoscentur,*

Confirmat nos adversus metum & formidinem ab adjuncto præmio, Christi Domini scilicet nos coram Patre & sanctis Angelis agnoscentis. Quod iis obtinget, qui Christum coram hominibus profiteri non verebuntur & confiteri. Magno honori fuit Iohanni Baptistæ, quod Christus illum coram Iudæis confessus est, *Math.* 11. sed longe majus est & erit, cum illum coram Patre & Angelis confitebitur. *Confiteri autem eum coram Patre*, est illum pro subdito, servo, pro fratre, pro amico habere & agnoscere: ut sicut ille Christum Deum suum agnovit, sic Christus illum ex populo suo agnosceret. Sicut enim David regno præpositus eos agnoscebat qui illi in ipsius calamitate adhærebant, nec Saulis tyrannide ab eo avelli poterant, eosque proceres & duces constituit; sic Christus, &c. Est autem hic quæstus & hoc fœnus uberrimum, à Deo scilicet agnosci, pro eo quod ab homine agnitus est: in cœlis pro eo quod in terra Christum confitemur: coram Patre & sanctis Angelis agnosci, pro eo quod coram adulteris & improbis

probis hominibus Christum confessi simus. Nostrum enim testimonium nihil confert Christo, sine Christi autẽ testimonio perimus.

Vers. 34, &c. *sed negantes negabuntur;* Hoc amplificatur ab adversis: scilicet, quod negantes negabuntur. Cum enim pulsabunt & dicent *aperi*, respondebit, *Non novi vos, vos me non agnovistis, &c.* Est enim argumentum magni contemptus, si quis eum non agnoscit. Nam qui magnorum dominorum servi sunt, hi gestiunt pro servis illius magnatis nuncupari. Quod si principes cum ab hoste petuntur, à suis subditis usque eo agnosci volunt, ut pro se mori parati sint; quanto magis, &c. Vide *Rom.* 10. *Confessio fit ad salutem.*

cum veritas ipsa negetur: *Lucas* addit, *sermonem* Christi profitendum esse & *veritatem*: perinde ac si diceret, *Negari Christum cum veritas negatur* aut reticetur, cum ejus confessio edenda sit. Homines enim alioqui dicent, se Christo nuncium non mittere, nisi ipsius aut divinitatem aut humanitatem negent: tanquam nulla esset Christi abnegatio, cum ad *Pontificios* transitur, nisi nobis cum *Iudæis* aut *Turcis* res sit.

Deinde *Marcus* non tantum timorem, sed pudorem eadem pœna mulctandum docet. Plerique enim inveniuntur, qui pœnarum acerbitatem libenter subirent, sed pudorem & irrisionem ferre nequeunt: præterea dicent se paratos esse pro Christo sub signis militaribus depugnare; sed, &c. Minime autem omnium ferendi sunt, qui lucri & honoris causa Christum negant. *cujus etiam pudor mulctandus.*

MATTH. *cap.* 10. *à vers.* 34, *ad finem Capit.*

34 Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram: non veni immissurus pacem, sed gladium.

35 Nam veni facturus ut dissideat filius à patre suo, & filia à matre sua, & nurus à socru sua.

36 Et inimici hominis erunt qui sunt *domestici ipsius.*

37 Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus.

38 Et qui non accipit crucem suam, ac pone me sequitur, non est me dignus.

39 Qui invenerit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam.

40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me.

41 Qui recipit Prophetam nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum nomine justi, mercedem justi accipiet.

42 Et quicunque potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ solum, nomine discipuli, amen dico vobis, non perdiderit mercedem suam.

ANALYSIS.

PRolepsis, cujus tacita occupatio est adjuncta pace adventus Messiæ, prout à Prophetis prædictum est: subjectio est à diversis, non externam sed internam pacem per Prophetas intelligi. Externam pacem non esse docet ex adversis, venit enim gladium mittere.

*Vers.*35,36. Superius axioma confirmat à comparatione majoris: nam si Euangelium dissecat atque distrahit conjunctissimos, multo magis alios qui eisdem naturæ vinculis non conjunguntur; antecedẽs confirmat *v.* 35. ab enumeratione partium.

*Vers.*37. Hinc commendat nobis amorem erga Christum à comparatione minoris, amoris scilicet in patrem aut matrem, filium aut filiam.

*Vers.*38. Ostendit crucem esse adjunctam individuam comitem ejus qui Christum sequi velit; quod ab adversis probat eum indignum esse Christo, qui crucem ejus non tollit ut eum sequatur.

*Vers.*39. Speciem seu formam crucis designat, nempe pro Christo oppetendam esse mortem; ad quam hortatur ab adjuncto præmio vitæ æternæ; illustrat etiam ex adverso, quia qui negando Christum vitam servat, illam perdit.

*Vers.*40. Homines ad subventionem eorum qui Christi causa aliquid patiuntur adhortatur, & primum quidem ad hospitio illos excipiendum, ab adjuncto honore Christum hospitio accipiendi; item ab adjuncto honore Patrem cœlestem excipiendi.

*Vers.*41. Hoc confirmat à distributione eorum qui persequutionem patiuntur, ex subjecto, nempe Prophetis aut fidelibus tantum, quorum receptioni adjuncta præmia analoga proponuntur.

*Vers.*42. Deinde hortatur ad alimentorum suppeditationem, à mercede quam accipient; quod amplificatur à comparatione minoris, remunerandos ob poculum gelidæ aquæ; ubi cum *v.*41. tum 42. forma receptionis & alimentorum suppedita-

tionis indicatur, nempe ut illos cum hospitio accipiant, tum alimenta suppeditent, eo quod vel Prophetæ vel discipuli aut justi sunt.

METAPHRASIS.

34. *IUdæi fere omnes perversa Prophetarum interpretatione decepti, sibi summam per omnia tranquillitatem pollicentur, vos vero nolite existimare me in mundum venisse ut externam pacem in terra stabilirem: qui hominum Euangelium repudiantium improbitate, potius*
35. *dissidium & distractionem intulerim. Veni etenim (si eventum ex hominum malignitate manantem spectes) filium à patre, filiam à matre, & nurum a socru veritatis odio disso-*
36. *ciare. Et ne agam de singulis, pii cujusque vel maxime infesti hi futuri sunt, qui unis ædibus unaque familia cum illo coalescunt &*
37. *consociantur. Nolo equidem vos humanitatem erga consanguineos, nedum naturales affectus exuere: sed in causa Euangelii, si quis præcipue patrem aut matrem mihi in amore prætulerit, qui meus discipulus sit penitus indignus est; perinde etiam est indignus, qui filium aut filiam aliumve ex cognatione mihi in amore*
38. *prætulerit. Dicam amplius; quicumque meo exemplo suam veritatis ergo afflictionem, usque ad ignominiosam mortem, non æque & patienter feret: is qui meus sit discipulus prorsus*
39. *est indignus. Quisquis item veritatis dispendio vitam suam in hoc seculo conservat, is animæ suæ futuro seculo jacturam faciet: contra qui vitam hanc caducam mea causa morti exposuerit, eandem cum maximo fœnore deinceps*
40. *recuperabit. Quod si in exilium, tanquam errones, mea causa pulsi fueritis, vos omni hospitio exclusos fore nolite existimare: vos enim excipientes non secus honore afficiam, quam si me excepissent: imo vero perinde gratum fecerint, ac si cum me tum Patrem, & Beatum*
41. *qui me misit Spiritum hospitio accepissent. Ad honorem & decus quo fores vobis aperientes cumulabo, ampla præterea merces & compensatio accedet; eaque pro ratione periculi cui se ex hospitio objecerint. Nam qui verbi præconem (quod præco est) hospitio exceperit, mercedem accipiet dignam & convenientem ei qui Pro-*
42. *phetam exceperit. Et qui justum quod justus est exceperit, minorem quidem, sed tamen convenientem ejus exceptioni mercedem recipiet. Ea autem munificentia vestros hospites remunerabo, ut quisquis vel unum ex his quos mundus minimi facit, gelida modo aqua potaverit (dummodo quod discipulus meus sit hoc præstiterit) sancte vobis polliceor atque confirmo illi mercedem suam non defuturam.*

PRAXIS.

OCcupat quod ex superiore sermone cum tempore adventus Messiæ pugnare vel maxime videatur. Iudæi enim ex prava Scripturæ intelligentia, commenti erant Christi regnum secum summam & altam pacem conjunctam habiturum; idque videbantur non sine legis testimonio sibi in animum induxisse, cum *Esa.* 9. Princeps pacis dicatur, & *Micha.*4. confirmetur, cum dicat porro gladios in vomeres, &c. commutandos: unumquemque sub ficu & vite secure consessurum: tanquam gregem fore, sub Christi pædo quem nulli deterrerent *Ier.*30. Qua pace cum omnes cives regni perfruerentur, eadem Antistites pacis & religionis excludi, indignissimum videretur. Hæc autem opinio quam Iudæi induerant, multis etiam hac ætate imponit, qui sibi Euangelii professionem ingredientibus, pacem & rerum affluentiam pollicentur. Somniant sibi vestigia & pedes suos in butyro ponere *Iob.* convivia, nuptias, à bello immunitatem, rosas & violas, &c. Vers. 34, &c. *Iudæorum prava opinio de Christi cum pace adventu;*

Hanc opinionem Christus minuit ab adversis: scilicet, venisse se ut gladium inferret in mundum. Quod probat ab effectis Euangelii prædicati, quo conjunctissimos olim inter se dissecat & dirimit: liberos à parentibus, &c. Hujus exemplum est *Ioh.* 7, 41,42,43. Item in *Actis* semel atque iterum ex prædicatione Pauli: ex quo liquet, tantum abesse ut gladii in vomeres, ut vomeres contra in gladios mutati sunt & quotidie mutantur. Quæ enim urbs ante conjunctissime inter se vixit, post prædicatione Euangelii dissecta est: idque non tantum iis familiis in illas insurgentibus, sed una eademque familia inter se digladiante. Hinc etiam ventilabro comparatur, *Matth.*3. & igni metalla excoquenti. Quæ igitur pax promittitur in Christi regno, illa præcipue est quam cum Deo habemus: deinde, quam invicem cum fratribus & civibus Reipublicæ Christianæ & Euangelicæ colimus: quam etiam quoad datur, & quoad fieri potest cum omnibus hominibus tueri cupimus, *Rom.*12. Sed expectare, nobis bene posse cum filiis hujus seculi convenire, perinde est ac si à lupis ovi pax speranda esset, aut pullis à milvo. Induciæ nobis ad tempus veluti ad septiduum conceduntur: ut cum nuptiale convivium agitatur: *Matth.*9. Sed pax nulla, &c. Huc spectat quod vita Christiani hominis, *cum veneris ut dissidia in mundum inferret;*

hominis, militiæ, jactationi in mari, peregrinationi conferatur: cum per multas ærumnas in regnum cœlorum sit transeundum *Act*. 14. cumque omnis qui pie velit vivere in Christo, &c.

quomodo tamen dici Ioan. patrũ animos ad filios dicatur cõvertere?

Sed *quæritur* iterum quomodo hoc conveniat cum *Luc*.1,17. &c. Cum enim Ioannes Euangelium prædicans patrum animos ad filium converteret, alienum videtur Euangelii prædicatione liberos à parentum amore & charitate dirimere.

Sed non pugnant: patrum scilicet pie institutorum animos, filiis degeneris eorundem in melius commutatione conciliare: & filios præclare institutos à patrum depravatorum, & in impietate inveteratorum, & veluti non senescentium imitatione disjungere. Et prius quidem effectum est Euangelii per se, posterius vero non nisi per accidens: eorum scilicet vitio, qui Euangelii odio suos quos charos habere debent odio prosequuntur.

Vers. 37, &c. *Quinam Christo indigni?*

Ne putetur dissectionem & diffissionem hanc in impiorum parentum aut liberorum à nobis defectione consistere, non nostra vicissim ab illis, adjungit indignos esse sui, qui sibi aut parentes aut liberos prætulerint: aut denique (ne infinitus sit) ullam aliam jacturam & afflictionem subire paratus non sit: & non tantum commoda amittere, sed dura etiam admittere recuset & ignominiosa, Christi causa: id enim significat *Christi crucem in se suscipere*. Vnde etiam alio loco dicit, sui indignos esse qui parentes, &c. odio non habuerint Christi causa. Paulus, *Gal*.6,14. Mundum non minus sibi exosum & crucifixum fuisse scribit, quam ipsum mundo. *Phil*.3,4,5,6,7. Hinc est quod Euangelium comparatur thesauro in agro defosso, & margaritæ omnibus & possessionibus & periculis adeundis redimendæ: quia in Euangelio tanquam in agro, Christus thesaurus conclusus tenetur & margarita complicatur. (vel potius in agro, id est, Ecclesia: vide locum.) Hinc intelligitur quo loco sunt qui Christum cum levicula voluptate, cupiditate, affectu expendunt: & apud quos hæc quamvis levia, præponderant tamen: qui scilicet Christum & ipsius summi pastoris mercedem, triginta argenteis æstimant: & hæreditatem per illum acquisitam, cum esculentis & poculentis commutare parati sunt.

quem sequi non prævenire oportet;

Quod autem *sequi* oportere nos dicitur, eo damnantur voluntariæ cruces, quas homines sua sponte consciscunt: sicut olim *Circumcelliones*, & nunc dierum *Pontificii*, maxime vero *Iesuitæ*, & alii *Monachi*, &c.

nec nos tamen eo unquam digni.

Nec tamen hinc sequitur eos merito suo dignos esse Christo, qui ad omnia ejus gratia perferenda se obtulerint. *Hujus enim vitæ perpessiones indignæ sunt, &c. Rom*.8,18. 2 *Cor*.5. *Phil*.3,9. *Apoc*.7,13,14. Quæ enim æqualitas intercedit inter momentanea & æterna? inter levissima & ponderosissima? 2 *Cor*.4,17,18. Regnum enim Dei non emptione perquiritur, sed hæreditate possidetur. Emitur quidem à Christo, sed nobis gratis datur. Nostrum enim argentum ita scoriis admistum & confusum est, ut apud Dei justitiam non transeat.

Vers. 39. *Christi causa vita perditur & recipitur;*

Aliud argumentum ab adjuncto vitæ: quæ vel tum acquiritur, cum propter Christum amittitur. Præmiserat, nihil nobis accidere posse sine Patre cœlesti. Quod si ille persequutionibus usque eo habenas remittat ut vitam nobis eripiant, tamen nihil nobis deperiturum, sed vitam hoc modo lucrifactam iri.

hæc utrum pugnantia?

Quod autem pugnantia loqui videatur, cum rem eandem simul perdere & reperire nemo possit, in promptu est, *vitam perdere* ad carnis judicium referri: *lucri facere* vero vitam, ad veritatẽ ipsam exigitur. Quamobrem nihil impedit quo minus quis vitã simul amittat, & récuperet: vel amittit terrestrem, cœlestem acquirit. Insiti enim in Christo per fidem, sicut mortis ejus sic & vitæ ipsius participes sumus: & non secus in vitæ ipsius societatem, quam in mortis communionem adsciscimur. Cujus rei signum & claustrum habemus in Baptismo. Morte igitur pro Christo pons nobis ad vitam sternitur, ascensus ad cœlum paratur: pyræ (*heapes of vvood made for the burning of dead bodies*) nobis extructæ Christi causa, currus & equi ignei sunt, quibus in cœlestem quietem devehimur. Hac, ad portam & portum cœli pervenitur.

Sin vero vita amissa restituitur, nedum aliæ jacturæ resarcientur. Id quod *Marcus* alibi notat: nempe, parentes, liberos, uxores, domos, nobis vel in hac vita reddi.

quomodo vita iis suppetat qui eam Christi causa non exponunt?

Quod si excipias vitam etiam suppetere plerisque qui vitam Christi causa non exponunt, equidem fateor plerisque hoc obtingere: sed vocatis & accersitis ut aut hoc faciant aut à veritate deficiant, nemo vitam servet nisi prius eam amittere sibi in animum induxerit. Quemadmodum enim miles ad

les ad militiam conductus, si periculorum metu stationem suam deserat morte plectitur; sic nos si quidem ad hanc pugnam adhibiti simus morte æterna plectimur, nisi vel capitis periculo manus cū hoste conferamus Alioqui, sicut qui nomen suum inter milites professus non est, periculo tamen non caret tametsi domi suæ quietus maneat; sic, &c.

Vers. 40. *Apostolos insectatos excipiens Christum ipsum & Patrem excipit:* Apostolos adversus seu verbera, seu mutilationem, seu denique mortem armatos, reliquo hoc capite adversus errores instruere videtur, argumento adjuncto promissionum, quibus eos quocunque devenerint munit. Cum enim eos sollicite haberet, quid eis fiet cum à principibus & regibus ad mortem & carceres quærerentur, tanquam nemo eos auderet hospitio accipere quos regium nomen infestaret, maxime cum parentum portæ illis occlusæ forent, anticipat eximiis eos promissionibus muniri, quæ multorū portas ad hospitium illis præbendum, facile reserabunt. Et primum quidē ab adjuncto honore: quod qui illos veritatis causa insectatos domo excipiet, Christum ipsum atq; adeo Patrē suum quodammodo excipiet. Incredibile honoris fastigium erat ad quod Abrahā & Lotus elati sunt, dum homines se excipere putantes angelos acceperunt. Quanti igitur est honoris Christum angelorum caput, imo Deum Christi caput hospitio excipere? Hic igitur videmus majorem esse authoritatem hospitium persequutis imperantis, quam interdicentis. Domini enim est terra & plenitudo ejus. Quamobrem non tam metuendus est rex qui ipse terram conducto accipit, quam Deus qui est proprietarius. Quanti autem existimemus honoris esse siquidem Christus apud nos divertere velit? cum hoc ipso declaret se amicitiam nobiscum colere. Homines enim libenter apud eos divertunt quos habent in deliciis, & quos plurimi faciunt. Sic Christus se apud Zachæum convivam quodammodo obtrusit. Sic apud familiam Lazari & duarum ejus sororum libenter divertit, quod eos perquam charos habebat. Quanto vero ornamento est cubili aut lecto, si de eo dicatur Regem hic cubasse? An non pluris æstimatur quam si tapetiis aut stragulis pretiosis ornaretur?

quid magis his promittatur quam iis qui pauperes excipiunt? *Sed* nihil hoc loco promitti videtur, quod idem pauperes excipientibus Christus non pollicetur: se enim in eorum persona aut amplexatum aut repudiatum profitetur. Videtur autem hoc loco, immunitate quadam præ cæteris velle eos qui veritatis causa insectantur ornare.

Respondeo, omnino hoc velle, eoque Christum in pauperibus veluti privatum accipi: in insectatis vero causa veritatis, tanquam legatum accipi: unde etiam hic adjecit, eum etiam Patrem accipere, qui Christum legavit, qui Ministrum Euangelii causa dispulsum hospitio exceperit. Honori est si quis Christum in paupertate esurientem refecerit: sed si esurientem in negotio Patris recrearit, majori honori est, &c.

Aliud argumentum ab adjuncta mercede & compensatione: scilicet non tantum honoratos iri qui illos dispulsos & insectatos excipient, sed abunde remuneratos. Cumque crux hæc non tantum pastoribus sed & ovibus obtingat, utrisque consulit: & pro utriusque convictu & hospitio se obstrictum reddit. Atque ut principes viri suis servis pro locorum & ordinum varietate sumptus suppeditant, quibus commeatum redimant; sic Christus suorum hospitibus diversas mercedes præstituit. Hospiti enim Prophetam seu Præconem excipienti, liberaliorem mercedem pollicetur. Excipienti vero privatos qui Euangelii causa perpetiuntur, aliam. Prophetam enim, cum quia Dei legatus, tum quia hospitem majori periculo exponit, quicunque exceperit, is mercedem accipiet dignam eo qui Prophetam accipit. Deus enim non tantum sumptus qui in servos suos fiunt expendit, sed labores, pericula, curas, & sollicitudines ac damna, in unam summam confert atque conjicit: ut hospiti omnia cumulate reponat atque compenset. Sicut autem Deus est remunerator, sic ministrorum opera & ministerio utitur ad æs hoc quo se obstrinxit dissolvendum. Et primum quidem utitur ministrorum precibus, ad bene de illis promerendum. Vide *Genes.* 20,7,17. Item vide 2 *Reg.* 4,9,10,12,13,14, 15,16. ubi Deus per Prophetam hospiti compensationem offert in quocunque genere hospes vellet, tanquam optionem daret qua potissimum specie pecuniæ satisfieri vellet. Item *vers.* 32, *&c.* Item *cap.* 8, *vers.* 1,5. Sicut autem commodis hujus vitæ hospites cumulat, sic etiam vitæ futuræ bonis eos ditat. Vide 2 *Timoth.* 1,16,17,18. ubi nota, non tantum patremfamilias, sed totam familiam comprehendi. Ad hæc, nobilitat eos in hac vita. Quantum enim extulit caput illa Pauli de Priscilla & Aquila commendatio, quod hospitium fuit Ecclesiæ. Ex quibus patet, quam vere dicitur eum Prophetæ mercedem accipere, qui Prophetam hospitio ac-

Vers. 41. *Qui eos excipiunt ut Prophetas iis dignam mercedem accipient.*

tio ac-

tio accipit: ut qui ipsius Prophetæ opera & ministerio in precibus,&c.illud accipit,quod cæteroquin nunquam accepturus esset.

& ut justos pro talibus remunerabuntur;

Deinde docet etiam eum qui *Iustum* acceperit nomine *Iusti*, seu pium & nomen suum inter pios profitentem, *Iusti mercedem accepturum*, id est, mercedem accepturum quam promisit Deus dandam & dissolvendam *Iusti nomine*. Nam & ille etiam preces concipiet pro hospite. *Iusti* autem orationem efficacem esse docet *Iacobus* 5,17. Hoc præterea constat documentis Ægyptiorum: qui quod hospitium aliquando Israëlitis præbuerant, (tametsi *Iusti nomine* hoc non fecerant) magnis beneficiis ex Iosepho affecti sunt, & post Dei mandato humaniter in omne ævum accipiendi. Item ex contrariis judiciis in illos populos qui populo Dei transeunti per desertum ad suam terram, hospitium denegarunt. Sed illud illustrius conspicitur in Rahab meretrice, quæ exploratores nomine *Iustorum* excipiebat & occultabat. Quanquam autem Iusti non sint, tamen si *Iusti nomine* eos accipit quis, mercedem non perdet qui illi hospitium præbet.

Vers. 42. etiam ad extremum usque,

Quod autem de scypho aut cantharo frigidæ aquæ adjungit, id non tantum eo dixit ne quis sua paupertate ab hoc honore & liberalitate excluderetur, sed etiam ut doceret ad extremum quadrantem omnia esse rependenda & remuneranda. Hujus rei exemplum vide eximium 1 *Reg.* 17, 12, 13, 14, 15, 16, 17. Item *Ioh.* 4, 8, 9, 10.

cujus fecm[i] sint.

Quod autem *Amen* adhibet, & hoc tam asseveranter confirmet, id eo fecit ut hominum infidelitati occurreret, qui Deo pollicenti non credunt, tanquam aut fidem datam falleret, aut fide concideret. Itaque cum illo agunt ut cum exhausto & obærato aut prodigo homine: nihil ut illi quicquam credere, aut illorum in rationes concedant, nisi pecunia præ manibus soluta: nolunt illi quicquam credere, aut illorum in rationes admittere, tametsi nihil unquam falsi in illo deprehendere possint.

MATTH. *cap.* 11. *vers.* 1.

E T *factum est, quum finem fecisset* IESUS *præcipiendi duodecim discipulis suis, ut digressus illinc doceret, & prædicaret in urbibus eorum.*

LUC. *cap.* 9. *vers.* 6.

6 *Exeuntes igitur obibant singulos vicos, euangelizantes & sanantes* morbos *ubique.*

MARC. *cap.* 6. *vers.* 12, & 13.

12 *Egressi igitur* illi *proclamabant ut resipiscerent* homines.

13 *Et dæmonia multus ejiciebant; ungebantque oleo multos ægrotos, & sanabant* eos.

ANALYSIS.

MATTH. 11, ℣. 1. Transitus Iesu indicatur, ab illo loco ubi Apostolos præceptis imbuerat; qui declaratur adjuncto tempore, cum absolvisset mandata quæ dederat Apostolis: deinde finem notat, ut doceret populum; quod etiam subjecto loco declaratur, ubi scilicet Apostoli prædicarant.

LUC. 9, 6. Notat obsequium Apostolorum ab effecto, 1. peragrando vicos, 2. Euangelium prædicando, 3. sanando; quæ effecto suo, subjecto loci declaratur, passim per totum Israëlem.

MARC. 6, 12. Subjectum prædicationis indicat resipiscentiam.

Vers. 13. Species sanationis commemorat, ejectionem dæmoniorum & infirmorum curationem; quæ arguitur efficiente instrumentali, nempe oleo quo infirmos ungebant.

METAPHRASIS.

MATTH. 11, 1. P*Ostquam Iesus Apostolos duodecim præceptis ad ministerii sui executionem imbutos ablegasset: ipse se otio minime dedens, illinc ubi mandata dedit transit, ut eisdem in locis ad quæ illos legaverat doceret.* LUC. 9, 6. & MARC. 6, 12, 13. *Apostoli vero egressi obibant omnes vicos & urbes, Euangelium prædicantes, ejusque prædicatione quosvis ad resipiscentiam invitantes: quam doctrinam editis sanationis miraculis obsignabant, cum dæmonia ejiciendo, tum infirmos, adhibita olei unctione, valetudini restituendo.*

PRAXIS.

MARC. 6, 12. *Discipuli Christi mandata executi.* Discipulos mandata executioni mandasse, declarat *Marcus*: ex quo obedientia spectanda proponitur eximia, qui inermes & rerum omnium inopes & orbi, authoritatem Christi tamen non defugiebant, in ejus promisso acquiescentes.

Discipulis

Discipulis etiam sic emissis, ipse instar Episcoporum nostri seculi domi non sedet, aut in hemiciclo suo dormit, aut alia majora & graviora negotia (ut ajunt) tractat, sed ut refert *Matthæus* eadem loca obiit: nec gravius aut majus aliquid suaque opera magis dignum existimavit, quam ut Euangelium promulgaret. *Vid. plura alio in loco infra.*

MATTH. *cap.* 14. *à vers.* 1, *ad* 13.

I*Llo tempore audivit Herodes tetrarcha famam* de *IESV.*
2 *Et dixit pueris suis, Iste est Iohannes ille Baptista: ipse suscitatus est ex mor-*
tuis & propterea virtutes agunt in eo.
3 *Nam Herodes prehensum Iohannem vinxerat & conjecerat in carcerem, pro-*
pter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui.
4 *Dicebat enim ei Iohannes, Non licet tibi eam habere.*
5 *Et quum cuperet eum occidere, timuerat turbam, quod eum haberent ut Pro-*
phetam.
6 *Quum autem agerentur natalitia Herodis, saltaverat filia Herodiadis in me-*
dio: & placuerat Herodi.
7 *Vnde cum jurejurando spoponderat* se *daturum ei quicquid petiisset.*
8 *Illa vero producta à matre sua, Da mihi (inquit) hic in patina caput Iohannis*
Baptistæ.
9 *Et contristatus fuerat rex, sed propter jusjurandum, & eos qui simul accum-*
bebant, jusserat dari.
10 *Et misso* carnifice *decollaverat Iohannem in carcere.*
11 *Et allatum fuerat caput ejus in patina, datumque puellæ: &* ipsa *obtulerat*
illud matri suæ.
12 *Et quum accessissent discipuli ejus, sustulerant corpus illius, illudque sepelie-*
rant: venerantque & renunciaverant IESV.

MARC. *cap.* 6. *à vers.* 14, *ad* 30.

14 *Audivit autem* hæc *rex Herodes, (clarum enim factum erat nomen ejus) di-*
xitque; Iohannes ille qui baptizabat, suscitatus est ex mortuis, & propterea virtutes
agunt in eo.
15 *Alii dicebant; Elias est. Alii vero dicebant; Propheta est, vel unus ex Pro-*
phetis illis.
16 *Quum igitur* hæc *audisset Herodes, ait, Iste est Iohannes quem ego decollavi:*
ipse suscitatus est ex mortuis.
17 *Ipse enim Herodes missis* satellitibus *prehenderat Iohannem, & vinxerat*
eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam
uxorem.
18 *Dicebat enim Iohannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*
19 *Herodias autem imminebat ei, & cupiebat eum trucidare: nec poterat.*
20 *Herodes enim metuebat Iohannem: sciens eum* esse *virum justum ac san-*
ctum, & observabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.
21 *Quum igitur dies opportunus adesset, quo tempore Herodes in natalitiis suis*
cœnam faciebat proceribus suis ac chiliarchis & primariis Galilææ:
22 *Et introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetque Herodi, & simul*
accumbentibus, rex ait puellæ; Pete à me quodcumque volueris, & dabo tibi.

23 Iu-

23 *Iuravitque ei; Quodcunque à me petieris dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.*

24 *At illa egressa dixit matri suæ; Quid petam? Illa vero dixit; Caput Iohannis Baptistæ.*

25 Puella *igitur cum festinatione statim ad regem ingressa*, id *petiit, dicens; Velim ut jam nunc des mihi in patina caput Iohannis Baptistæ.*

26 *Rex autem valde tristis factus, noluit* tamen, *propter jusjurandum & eos qui simul accumbebant, eam aspernari.*

27 *Et statim rex misso spiculatore, imperavit ut afferretur caput ejus.*

28 *Ille vero abiit, ac decollavit eum in carcere: retulitque caput ejus in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ.*

29 *Quumque* hoc *audissent discipuli ejus, venerunt, & sustulerunt cadaver ejus, & posuerunt in monumento.*

LUC. *cap. 9, vers. 7, 8, 9.*

7 *Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitabat, propterea quod dicebatur à quibusdam Iohannem suscitatum esse è mortuis:*

8 *A quibusdam vero, Eliam apparuisse: ab aliis autem, Prophetam quempiam ex antiquis surrexisse.*

9 *Tunc ait Herodes, Iohannem ego decollavi: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et studebat eum videre.*

ANALYSIS.

MATTH. 14, ✠. 1. Effectum prædicationis & miraculorum quæ Iesus & Apostoli edebant, est quod fama Iesu cujus nomine Apostoli illa ediderunt ad aures Herodis pervenit: quod adjuncto tempore declaratur, nempe postquam Apostoli legationem obivissent.

Vers. 2. Hujus auditionis effectum est, Herodis sententia de Ioanne *Baptista* è mortuis excitato; cujus prolatio subjecto declaratur, nempe apud servos suos; cujus confictæ resurrectionis effectum quo illum arguebat Herodes est, quod nunc edebat miracula qui prius nulla edidit. Causa vero apud *Lucam* indicatur, quod erant alii qui hoc sentiebant.

MARC. 6, 15. Hæc Herodis sententia suo disparato exponitur, nempe quod alii existimarunt Eliam fuisse: item alio disparato, quod Iohannes fuit, aut aliquis ex veteribus Prophetis.

Vers. 16. Notat adjunctam decisionem & definitionem Herodis, in sua sententia de Ioanne excitato è mortuis; tametsi primo de illa addubitavit, ut est *Luc.* 9, 7. cujus effectum erat, cupiditas eum videndi.

MATTH. 14, 3. Causa errorum istorum de Ioanne, aut Elia, aut vetere Propheta è mortuis excitatis, erat Ioannis crudelis & injusta interfectio: quæ describitur adjuncta comprehensione Ioannis, & in carcerem conjectione; quæ suis causis declaratur, efficiente Herode.

Vers. 4. Alia efficiens causa; Herodis per Ioannem reprehensio: quæ sua item causa arguitur, quod fratris Philippi uxorem duxisset.

MARC. 6, 19. Alia causa efficiens erat, Herodiadis importunitas quæ Herodem impellebat sollicitationibus: quæ causa sua adjuncta infirmitate declaratur, quod sola non potuit.

Vers. 20. Cujus infirmitatis causa assignatur, timor quo Herodes Ioannem prosequutus est; cujus causa assignatur, Ioannis sanctitas & justicia. Harum causarum effectus proponuntur, 1. observantia erga illum; deinde quod illum docentem audivit: quod suo adjuncto amplificatur, nempe promptitudine & oblectatione, 3. quod pleraque eorum re præstitit quæ eum docuit.

MATTH. 14, 5. Aliam causam efficientem indicat, cur Herodias sua importunitate sola non prævaluit, nempe quod Herodes sibi à populo metuebat; cujus etiam causa exponitur, quod Ioannem pro Propheta habebant.

Vers. 6. Narratur alia causa mortis Ioannis, primum ab adjuncto temporis, nempe natalitiis Herodis; item alia, nempe convivio quod instruebat suis ducibus: deinde alio adjuncto, saltatione filiæ Herodiadis; quæ suo effecto describitur, nempe quod placuit Herodi, &, ut est apud *Marcum*, aliis qui accumbebant hospitibus.

MARC. 6, 22. Cujus effectum declaratur, jussio ut peteret quod vellet.

MATTH 14, 7. Alterum effectum; juramentum quo se obstrinxit præstare quod petierit; quod etiam comparatione majoris amplificatur, ad dimidium regni nedum res leviores.

MARC. 6, 24. Hujus promissi adjunctum est, egressio saltatriculæ; quæ suo effecto declaratur, nempe ut consilia conferret cum matre.

MATTH. 14, 8. Cujus effectum notatur, consilium de Ioannis capite petendo; effectum indicatur, nempe petitio quam ad Herodem instituit; quæ petitio declaratur adjuncto tẽpore, & subjecto petitionis, in qua accipere cupiebat Ioannis caput.

Vers. 9. Hujus petitionis effectum erat, mœror

Herodis; quod suo diverso explicatur, nempe quanquam dolenter tamen petitioni annuit; cujus causa assignatur, quod sibi in juramento constare voluit; altera causa, propter eos qui accumbebant, quibus audientibus juramentum præstitisset.

*Vers.*10. Effectum ejus quod annuebat, nempe missio spiculatoris; quod suo fine arguitur, ut caput Ioannis præscinderet; quæ obtruncatio suo subjecto declaratur, in ipso carcere.

*Vers.*11. Adjunctum truncationis, nempe delatio capitis ad saltatriculam; cujus aliud adjunctum, quod illa à spiculatore acceptum, illud ad matrem deferebat.

*Vers.*12. Hujus obtruncationis adjunctum erat, sepultura Ioannis; quæ suo efficiente declaratur, discipulis Ioannis; item aliud adjunctum, nempe indicatio horum ad Iesum; cujus item causa assignatur, discipuli Ioannis.

METAPHRASIS.

MATTH. 14,1. *POstquam Christus cum duodecim Apostolis prædicatum Euangelium multis & variis miraculis obsignasset, ejus fama ad Herodem Tetrarcham Herodis magni filium, quantumvis harum rerum minime cupidum*
LVC.9,7. *aut de his sollicitum, tandem pervenit. Quo audito, primum quidem de ea re dubius & an-*
MATTH. 14,2. *xius erat, an Ioannes è mortuis excitatus esset; verum cum hanc opinionem plerosque imbibisse intellexerat, in ea sententia penitus confirmatus, illam apud suos aulicos clam professus est, ejusdem (forte) in Ioannem sceleris & crudelitatis socios; maxime vero hunc errorem in illo corroborabat, quod miracula Iesus per se & suos ederet, Deo (ut Herodes falso putavit) Ioannis (qui ante obitum nullum miraculum fecerat) mortuis resurrectionem virtute*
MARC.6, 15. *miracula edendi nobilitante. Tametsi vero non deerant plerique qui Iesum Eliam, nonnulli qui Iesum aliquem ex veteribus & antiquis Prophetis fuisse dictitabant: Herodes tamen conscientia homicidii sui compunctus & perculsus, in sua illa sententia de Ioanne* Baptista *redivivo firmiter perstabat,* Luc. 9, 9. *unde studio illum videndi detentus, nonnullam quantumvis languidam operam posuit, ut illum coram oculis cerneret. Scelus vero quod*
MATTH. 14,3. *admisit Herodes, hujusmodi est; primum gratificaturus incestæ & adulteræ uxori, Ioannem per suos satellites prehendi & in carcere ligari jubet, impulsus ab Herodiade uxore fratris sui, quem ille vivo adhuc marito in uxo-*
4. *rem acceperat. Ioannes etenim palam & aperte in os ei dixerat: tibi illam cum quod in vivis est maritus, tum quod fratris tui uxor est, ex qua liberos suscepit, accipere nefas est. Vn-*
MARC.6, 19. *de erat quod Herodias, ut prius carcerem, sic postea mortem Ioannis apud Herodem importune sollicitaret; sed quod cupiebat assequi non potuit. Impedimento enim fuerunt: primum* 20.
quod Herodes sibi à Ioanne metuebat, quem probe norat virum cum justicia erga homines, tum sanctitate erga Deum inculpatum fuisse. Ex quo timoris fonte, alii non omnino contemnendi fructus promanabant: ut, quod illum nonnulla observantia prosequutus sit: quod illum, & quidem non sine delectatione, concionantem audiret; denique, quod pleraque illi à Ioanne Dei nomine imperata facto præstabat. Herodem deinde inhibebat & remorabatur, MATTH.
ne Herodiadis petitioni annueret: quod ut à 14,5.
Ioanne (sicut dictum est) sic à populo sibi metuebat, ut qui Ioannem non alio quam Prophetæ loco haberent. Sed cum festum natali- 6.
tiorum suorum (de more Principum) agere-
tur, in quo convivium lautum suis magnati- MARC.6,
bus, Chiliarchis & primoribus Galilaa instru- 21.
xisset, filia Herodiadis in omnium convivarum MATTH.
quantumvis hospitum conspectum, sine pudo- 14,7.
re & fronte prosiliens, saltavit. Quæ suis cho- MARC.6,
reis tam artificiose & modulate ductis, ac si 22.
(ut ita dicam) ab aliquo dæmone rectæ & directæ fuissent; usque adeo Herodi & reliquis qui cum illo accumbebant placuit, ut juramen- 23.
to se coram omnibus obstringeret, se saltatriculæ optionem daturum, si vel ad regni sui dimidium, optionem & petitionem suam dilataret. Quo audito ad matrem se recipiens, rem- 24.
que omnem ut gesta est narrans, ab illa percunctata est; quid petam? Cui illa extemplo nullo ad consultandum sumpto spatio: quid aliud quam Ioannis Baptistæ caput petas? Illa MATTH.
vero calidis matris consiliis abunde instituta, 14,8.
è vestigio sine omni mora (metuens ne impru- MARC.6,
dentis & temerarii dicti rex pœnitudine duce- 24.
retur) regressa, petitionem suam apud Regem proposuit, dicens; volo des mihi protinus, idque 25.
in hac paropside quam manibus fero, Ioannis Baptistæ caput. Rex hac petitione perquam 26.
tristis factus: tamen propter juramenti (ut sibi falso persuadebat) religionem, maxime vero ne vanitatis & levitatis desultoriæ à suis quos convivas adhibuit condemnaretur: saltatriculæ petitionem ut injustam & sanguinolentam, irritam reddere noluit. Quamobrem 27.
actutum misso spiculatore, qui Carnificem ageret, caput Ioannis paropside afferri jussit. Carnifex vero, congruenter regis mandato, Ioanni in carcere (ne cædes in vulgus dimanaret) caput præscidit. Allato vero in paropside 28.
capite, illud carnifex in puellæ manus tradidit, puella acceptum ilico matri, tanquam honori- MATTH.
ficum munus, tulit. Quæ res cum percrebuisset, 14,12.
accesserunt

accesserunt qui Ioanni se in disciplinam tradiderant discipuli, & emendicatum ab Herode Ioannis cadaver accipientes, illud decenti & honesta sepultura terræ mandarunt; quo tam necessario officio perfuncti, statim Iesum adeunt, eique rem omnem ut gesta est, exponunt.

PRAXIS.

OB miraculorum Christi famam variis de eo opinionibus excitatis, ex earum una qua Iohannes redivivus habebatur, nefaria Iohannis cædes pertexitur.

Cujus *partes* sunt,	Variæ de Christo opiniones. Nefariæ Ioãnis cædis narratio.
In *priore parte* insunt,	Causa opinionum. Opiniones ipsæ.

MATTH. 14, 1. *Miraculorum Christi fama unde orta?* Causa opinionum ex miraculorum Christi fama, non inde tantum nata est quod Christus ipse miracula ederet, sed quod ejus nomine Apostoli itidem pleraque ederent, quibus totam Iudæam personare necesse fuit. Miraculis enim tanquam tonitru ab una extremitate regionis ad alteram, Euangelii præconium brevissimo tempore pervenit: ut minus mirum sit si tantillo tempore & tam paucorum hominum opera, Euangelium post per totum terrarum orbem propagatum sit. Nam miraculis tanquam alis, Euangelium pernicissime ad omnia loca penetravit. Non igitur tantum ut sigilla doctrinæ essent, sed ut illis tanquam velocissimo equo Euangelium vectum, quam celerrime ad omnes oras & regiones orbis perveheretur, edita sunt. Oportebat enim Euangelii sonum Hierosolymitana urbe egressum, ad extimas quasque regiones & remotissimas prius pervadere, quam urbs illa evertenda foret. Cum autem tam angustis temporum spatiis nulla necessitas sit in omnem jam orbem terrarum Euangelium disseminare, non perinde ut olim miraculorum usus necessarius censendus est.

Vers. 2. *de illo opinionum diversitas;* Opiniones variæ cum sint, nulla tamen ex iis vera est. Aliæ aliis sunt magis absurdæ, sed à vero omnes longe remotæ. Quod certe iis evenit, qui contempta & spreta doctrina, miraculis tantum auscultant. Nam nisi aut doctrina nobis facem præferat & antecedat miracula, aut miraculis ad doctrinam percipiendam commoveamur, miracula nos attonitos potius reddunt, quam ad salutem instituunt. Vt tonitrua & coruscationes sua soni vehementia, aut fulgore oculis cæcitatem, auribus surditatem sæpe inducunt. Tametsi igitur nemo horum fuit qui sibi in sua divinatione non acutus & ingeniosus visus fuerit, tamen quod Scripturæ lumen ad illustrandas tenebras suas non adhibuerunt, crasse & turpiter errarunt; quo errore caruissent, si *Esai.* 35, 5, 6. cognitum habuissent. Quidam enim existimabant, facultatem edendi miracula cum veteribus Prophetis Elia & Elizæo sepultam fuisse, ut nisi illi reviviscerent, interiret & extincta foret illa miracula edendi potestas. Qui autem eum tanquam Prophetam esse dicebant, fortasse *Malachiæ* verbis commoti sunt ut ita sentirent, qui munus Propheticum usque ad Messiæ tempora cessaturum prædixit. Cum autem de ea re Herodes apud suos aliquandiu dubius esset quis sit, tandem in illorum sententiam transit qui Ioannem à mortuis excitatum esse conjectabant, eoque tanquam virum Deo charum, majore virtute instructum accedere, ut munus suum obeat. Caveamus igitur ne quid nostris aut cujusque ratiocinationibus tribuamus, quæ Scripturæ testimonio non muniuntur.

Quod autem servis suis hanc suam opinionem profitebatur (alios id celans) fecit ne omnibus innotesceret, cum revincente propria conscientia, & Iohannis innocentiæ testimonium præbente Iohannem morti tradidisse. Apud servos suos hoc impune se profiteri posse credebat, quod illos ad omnem nequitiam socios & participes habiturum se sibi pollicebatur. Vide *Proverb.* 29, 12. οἷαι δεσποιναῖσι αἱ θεραπαινίδες. Sed videmus illud emanasse, quod Herodes illis se in aurem dixisse putabat. *cur servis Herodes dicat esse Ioannem?*

Notandum etiam quod apud *Lucam* dicitur, eum ductum cupiditate fuisse illum videndi, & tamen ne pedem Regia extulisse ut illum videret; nec (quod alius Herodes fecerat) concilium Sacerdotum & Scribarum cogi curat, cum de Messia & Rege rumor coortus erat. Ea enim res regnum in periculum vocare videbatur, eoque sollicite procurabatur. Sed nunc cum de salute æterna agitur, tametsi sibi in animum induxerat Deum Prophetam è mortuis excitasse, tamen studium illud tam languidum fuit, ut facile sine aliquo fructu evanesceret & in fumum abiret: & agnoscens se innocentem hominem interfecisse, tamen nulla pœnitudine ducitur admissi facinoris. Ex quo quam vere dicatur, *si Mosen & Prophetas non audient, &c. Luc.* 16. *vers. ult.* constat. Et certe tale nonnullorum erga Christum in Euangelio expressum & depictum ad vivum *cujus videndi nullo studio tenetur,*

studium esse videtur tam debile & infirmum, ut semel aut bis visum non magnopere æstiment, sed se levissimis de causis à Dei facie subducunt.

Sequitur pars altera de narratione cædis nefariæ Iohannis: In qua primum considerandæ sunt cædis causæ per { Accidens. Se.

Marc. 5. Iohannes quidem ipse suæ per accidens mortis causa fuit: scilicet, quod Herodem scelere se constringentem & incestis nuptiis sordidantem, palam & libere reprehendit.

Cujus partes sunt, { Iohannis in carcerem, & vincula ob παῤῥησίαν conjectio: & Ejusdem ad mortem continuo expetiti in vivis ad tempus conservatio.

In priori parte observanda sunt, { Iohannis in ministerio fides, & constantia. & Herodis insignis improbitas.

Vers. 17. *Ioannis in ministerio constantia & fides,* Fides & constantia Iohannis elucet, quod nulli hominum ordini pepercit, sed omnes sine discrimine, pro merito coarguit; non tantum imam plebem, sed summos etiam Principes; nec illos tantum, quos æquiore animo erga suos vituperatores fore prævidenit, sed illis etiam, à quibus propter præfractum ingenium, periculi metum facile percipere potuit. Imprimis enim exigitur à ministro, ut nullius personam accipiat: sicut etiam notatur *Matth.* 22, 16. eoque ferrea & chalybea facie illos muniri oportere, nec facies tyrannorum extimescere: illis enim potestas data est, omnia quæcumque se adversus veritatem attollunt, demoliri & sub jugum mittere. 2 *Cor.* 10, 3, *ad* 6.

Vers. 18. *eaque sine omni circuitu;* Ideo dicitur, cum Herodem de omnibus suis maleficiis, potissimum vero de adscita fratris uxore, admonuisse. In qua reprehensione nullo verborum circuitu usus est, nec verborũ latebras sectatus est, sed apertissime (ut olim Elias) hoc illi fas non esse docuit. Nec enim homines susurro, aut murmure, aut levi significatione, tanquam molli & submissa voce, è peccati somno excitari possunt. Quod si reges delinquentes, palam & aperte reprehendendi sunt, nos qui longe inferiori loco sumus, à reprehensione immunitatem exspectare non oportet. In Herode vero singularis pertinacia, & præfracta durities perspicitur, sicut à *Luca* diserte notatur. *ex qua Herodis pertinacia:* Nec enim satis habuit scelera committere, aut admonitus non resipiscere, quæ utraque per se gravissima erant, nisi etiam ad improbitatis cumulum hoc etiam adderet, ut Iohannem in carcerem simul & vincula conjiceret: tanquam furiosus, qui Medicinam non tantum evertit, sed & Medico manum injicere conatur; aut instar ferocis belluæ, quæ curatores suos interimit. Nobis hæc impietas cavenda, ne in eos excandescamus, qui nos reprehendunt: verendum enim est, ne qui inferiori loco sunt, eadem impietate teneantur, tametsi gladio ad se ulciscendum instructi non sint; quo si accincti essent, nihilo Herode meliores futuri essent: tenendum etiam, quod *Iacobus* præcipit, paratos nos esse debere ad audiendum, tardos ad iram: iram enim in eos qui reprehendunt voluntati Dei, non &c.

Quod vero de Herodiade reprehendit fratris uxore, non multum interest, sive frater in vivis erat, sive expirarat, cum neutro modo hoc ei licuit, nisi frater sine liberis obiisset; quod etiam nunc locum non habet, cum illud ad ceremonias pertinuit: quamquam *Iosephus* 18 *Antiq.* 7. *cap.* scribit Philippum jam tum mortuum fuisse. *cujus scelus ante an post obitum fratris æque impium.* Videmus etiam quod sit præmium fidelium ministrorum in hoc mundo, ut scilicet salutem hominum procurantes, damno ab illis afficiantur, quorum commoda & salutem quærunt.

In secunda parte considerandum est, quomodo Deus usque eo habenas Herodi laxans, ut Iohannem in carcerem conjiceret, ita tamen fræno seu hamo eum retinuit, ut ad cædem non statim, ut voluit, prosiliret. Vers. 19, 20. *Quid obstiterit quo minus Ioan. statim necatus sit?* Dicitur autem Herodias putidissimum scortum, tanquam follem, hunc ignem sufflasse diligentissime: sed duo obstabant, quo minus morti protinus traditus esset. Vnum erat quod metuebat Iohannem, & eum observabat. In quo mirum est, tam tetrum & truculentum tyrannum, sibi à Iohanne inermi & nudo homine metuisse. Hujus autem causa ostenditur; quod justus, & sanctus esset. Videmus igitur justitiæ & sanctitatis tantam vim esse, ut potentissimos eosdemque improbissimos in timore retineat. Ex quo videmus, quam frivolum est *Pontificium* commentum, Episcopos ideo authoritate, divitiis, & honoribus instructos esse oportere, ut eorum adversus Principes ministerium hoc modo à contemptu vindicetur; cum videamus Baptistam, in quo nihil externæ pompæ apparebat, in magna apud Herodem existimatione valuisse; sed cum doctrina & pietate decrescerent, tum ad hoc remedium aspirare cœperunt.

Videbimus

hinc quænam reverentia verbi ministris exhibenda?

Videmus autem, quousque verbi & Ministrorum reverentia & amor progreditur; ut delectentur homines Verbi auditione, Ministros observent; & pleraque ex eorum consilio, aut fugiant, aut persequantur. Piorum vero est, sine omni exceptione, se Verbi imperio subjicere, & charissima quæque non licita deserere, eaque prosequi, à quibus natura maxime abhorrent, cum eadem à Deo præcipi intelligunt. Neque enim hæc in Herode damnantur, sed potius ad maturam cautionem, & legitimam explorationem proponuntur: ne nos decipiamus, si aliquam voluptatem in Verbi auditione capiamus, aut quædam, imo multa faciamus quæ jubemur. Hunc timorem & reverentiam Iohannis, tyrannus partim Herodiadis importunitate, partim tædio quodam & molestia, ex Iohannis constanti reprehensione sive in reprehensione constantia, tandem excussit. Sed alio tamen hominum retinetur, postquam timorem Dei omnem repulisset. Sic qui Deum non reverentur, coguntur miseræ plebeculæ timorem pati: interim Deus suis sæpe hoc pacto prospicit, ut in Christo sæpius visum est.

Sequuntur causæ per se: quarum est { *Illa*, Herodias cum sua filia sibi administra. / *Hæc*, Herodes cum suo præbitore seu spiculatore. }

Vers. 21. *Natalitiorum etiam legitimus usus;*

Tempus notatur quo hoc flagitium patratum est: scilicet anniversarium tempus natalitiorum Herodis, in quo convivium agitans, convivas adhibuit proceres suos Tribunos & primores Galilææ. Cujus convivii causa non erat illegitima, si ad Dei laudem non autem ad propriam gloriolam inanem instituisset, & si in eum usum institutum, illud legitime honesta lętitia & sanctis cantionibus celebrasset. Est enim insigne Dei beneficium, ex tā angustis & tam tenebricosis materni uteri claustris in lucē hanc prodire.

ad quos abusus hæc Herodis detorta?

Sed quam ad contrarios usus detortum sit, non est difficile intelligere. Herodiadem autem inde oportunitatem captasse explendæ suæ in Ioannem vindictæ, *Marcus* expresse notat: item suis crudelissimis consiliis quibus filiam imbuerat illud contaminasse, & filiam Herodiadis petulantibus suis saltationibus & gesticulationibus illud sordidasse; & impudentissimis & crudelissimis postulationibus illud inquinasse. Herodem vero juramento nefario contaminasse & sententia mortis injustissima. Convivas etiam impudicarum gesticulationum oblectatione & impio innocentis cædis silentio; denique spiculatorem in crudelissimæ sententiæ executione, convivium prophanasse palam est. Sic fit in impiis, ut quo magis saginentur, eo magis in Deum rebelles sint, & gravius Dei iram provocent. Hic ex usu est meminisse loci *Deut*. 8, 11, *&c.* quam proclives sunt ad lapsum in conviviis pii ipsi, apparet ex *Iob*.1. quod Iobus transactis singulis vicibus liberos expiavit. Nisi igitur circumspiciant pii, &c.

Vers. 22. *Herodiadis ad saltandum prodeuntis impudentia,*

In saltatricula in theatrum prodeunte egregie à matre, tanquam ab histrionum principe edocta, insignis impudentia notatur, quæ in tot virorum, & quidem minime domesticorum, conspectu non erubuit prodire; cum fœminam modestia & verecundia deceat, præcipue virgines, ut de ipsa saltatione nihil dicam; quæ tamen & immodesta fuit, ut vox ipsa declarat, tripudiis (*trippings on the toe*) & gesticulationibus plena; & sua levitate à prophanis gentibus damnata est. Siquidem saltandum fuerat, illud tamen fieri oportebat inter virgines, ut legitur libro *Iudicum* 21, 22. Scimus enim quam proclives homines sunt ut in turpes libidines prolabantur; quam instar fomitis aut stuppæ sumus ad concipiendam hanc flammam. Quorsum igitur condimento opus est cum natura famelici simus? quid opus est salsamento, quum natura ingenti hujus mali siti & ardore corripiamur?

& levitas Herodis in promittenda regni parte dimidia,

Hujus saltationis & tripudii est mirifica quædam voluptas qua Rex affectus est: unde præmii optionem saltatriculæ dedit ad regni sui semissem. In quo insignis levitas & insipientia regis prodita est: ob rem tam leviculam & jocularem dimidium regni sui tradere velle. Videtur autem proverbio tritum hoc fuisse, quo significabatur se maxima quæque illi daturum; ut apparet *Ester*. *c*.4. Apparet igitur hominem alioqui versipellem Dei judicio & vino dementatum esse, ut obolarem (ut ita dicam) voluptatem tanti emere vellet; & non tantum privatas res, sed etiam Reipublicæ tam vili pretio dare. Nemo est (credo) tam demens, qui hanc insipientiam damnandam non judicet. Sed reperiuntur, qui non tantum dimidium, sed totum patrimonium in res paulo majoris momenti profundant, regnum si modo ejus domini essent, ut videtur, profusuri. Imo vero non desunt qui non dimidium, sed totum regnum cœlorum tantillo vendere parati sunt, tanquam profanus ille Esavus, &c.

Vers. 23. *etiam abusu sacri juramenti:*

Ad summam hanc levitatem adjunxit sacrosancti & tremendi nominis Dei sacrilegum abusum; dum juramento se id facturum obstrinxit. Quasi vero ad puellam in re tam frivola, non satis fuerit verbo regis rem confirmasse. Quamobrem suæ dignitatis Regiæ hic iterum oblitus est, cum pro re tam contempta ad juramenti fidem confugit. Atque hic fere fructus est eorum qui splendide convivantur, nisi diligentiorem cautionem adhibeant; scilicet, ut cum illos aliquantulum vinum incenderit, statim lingua solvatur in ociosa, aut etiam blasphema juramenta: cum vinum ad Deum laudandum ab eo conditum sit *Psal.* 104.

Vers. 24. *hæc ilico matrem consulit;*

Illa, accepto hoc responso, matrem consulit; ab illa, ut videtur, ad hæc prius instructa: noluit enim rem patefacere. Quæ cum optimam oportunitatem nacta fuisset, filiæ suæ optime & opulentissime marito elocandæ & amplissime dotandæ, illam & alia præterea omnia contempsit, præ Ioannis capite; quod, sine omni cunctatione petiit. Quæ qualis Iesabel vel Proserpina fuerit, liquet satis ex ejus filia ejus in schola edocta.

Vers. 25. *cujus consilio statim sibi dari caput Ioannis postulat;*

Rediens enim petiit protinus sibi in patina aut paropside, quam in manibus tenebat, dari Iohannis caput: tanquam convivium ipsa & mater læte & hilariter celebrare nequirent, nisi has illis dapes Herodes porrigeret, & Iohannis tanquam bellaria & tragemata *(junckets)* apponeret. O tantam crudelitatem cujusquam mortalis pectori insidere posse, fœminæ præsertim, natura ad miserationem procliviori! Vt enim taceamus Iohannis innocentiam, prodigiosum erat, fœminam virgunculam præsertim, caput sanguine madens intueri, sine horrore quodam; manibus vero gestare, insignioris cujusdam crudelitatis & adamantinæ fuit; quod certe militi, sanguinis effusioni assueto, satis fuisset. Ex quo videmus quo ruant fœminæ, nisi pie & honeste casteque educentur; nihil illis esse magis barbarum & crudele: nihil magis impudens & sine fronte. Nisi enim ista puella ab ineunte ætate ad omnia maleficia ficta & formata fuisset, nunquam tam horrenda suadenti matri paruisset, sed ad levissimam horum mentionem cohorruisset. Notandum etiam illam protinus exsecutionem urgere, ne Rex ad se rediens, suæ temeritatis forte pœniteret.

Vers. 26, 27. *qua petitione rex mæstus* ... *tamen annuit,*

Herodes hac petitione mœstus, tamen propter juramenta & convivas qui illi adfuerant testes juramenti, id est, ne levis & inconstans videretur, Iohannem morti adjudicavit. Nam nec ulla juramenti religione ducebatur, qui se tanto scelere contaminaret, nec se juramento impio non teneri ignorabat; tantum ut suæ constantiæ levissimæ opinioni consceleret jussit interfici Iohannem; atque ita & se, & uxorem, & filiam uxoris, & satellitem reos homicidii reddidit. Atqui si Iohannes reus mortis fuisset, tamen meretriculæ causa, & ut illi oblectationem præberet, ejus caput auferri jubere, non caruisset scelere; nec inter barbaras gentes pœna certa caruit, & censura acerba. Sic impietas veluti in acclivi & arduo loco consistit. Nam si semel principium motus acceperit, non solet fere consistere donec ad profundum deveniat. Sic plerique sunt qui iter malum ingressi, post cum se errare resciscunt, non desciscunt tamen, ne a se deficientes leves & inconstantes viderentur. Hoc igitur capistro Sathan multos suffocat, præfocat & strangulat; cum Scriptura resipiscentiam *revertendi* metaphora exprimat, & pedem *referendi.* Quis autem iter suscipiens intelligat se contrariam rectæ inivisse, non ilico faciem in alteram & contrariam partem obvertat? Aut quis titubando cadens, non ilico resurget, ne titubasse deprehendatur? Quid igitur huic fiet qui inter pocula sententiam mortis dicens, innocentem hominem morti addixit, quod debebat in porta fieri. Tam est autem vehemens ista & potens Sathanæ tentatio, ut cum præsentis tum futuræ vitæ jacturam aut periculum facere non dubitent, potius quam levitatis aut inconstantiæ notam sibi inuri patiantur. Nam & suam conscientiam ad scopulum allidebat, & regni ex populi offensione periculum facere potuerat: quod etiam ille, teste Scriptura, reveritus est. Sic etiam nunc homines in scelere sibi constare volunt, & ut loquuntur, *sui dicti Domini* esse volunt, tametsi & præsentis & futuri damni gravissimi periculo teneantur.

quo cum accumbentes se non opponunt etiam in culpa,

Nota etiam *mœstum* hoc fecisse hominem scelestum, ne quis putet se absolutum, aut sibi parcitum iri, quod invitius iniqua patret; non tamen, &c. Hic nemo accubantium se opponit: quod ab Euangelista notatur, quum vel accubantium causa, id est, ut fidem & autoritatem apud illos tueretur, hoc scelus admisit. Itaque hujus sceleris & ipsi rei tenentur, & ex sanguinolento poculo una cum Herode bibant; bibituri post cum illo in canthar o seu calice iræ divinæ. Sic videmus,

demus, non servos tantum, sed & amicos impii Regis impios esse: & se gravissimorum scelerum reos constituere, dum aut ut illi assentantur, aut quod illum offendere metuant ejus impietati assentiuntur. Vide *Proverbior. capite* 13, *versu* 20. *qui ambulat cum sapientibus*, *&c.* Quamobrem servorum & amicorum delectus habendus est, &c.

qua & lictor non caruit: Spiculator etiam, cui mandatum est ut Iohannem capite truncaret, ab hoc scelere immunis non est: nec principis mandato à judicio liberabitur. Vide historiam servorum Saulis, qui in innoxios Sacerdotes ipsius imperato irruere recusarunt. Vide historiam 2 *Reg.* de Ochosiæ servis, igne cælitus immisso consumtis, quod Eliam ex Regis mandato prehendere voluerant.

Quod vero in carcere factum fuit, insignis fuit justitiæ adulteratio & depravatio; quæ olim in Ieremiam exercenda fuit. *Ierem. capite* 18, 18. Nam notam ignobilitatis justitiæ inurit, & finem suppliciorum pervertit, qui est, ut alii videant & metuant.

Vers. 28. *ex voto puellæ caput Ioan. in patina traditum,* Cæde nefaria patrata caput Iohannis puellæ traditur, quæ illud matri detulit. Quæ an acu linguam Iohannis transfixit, sicut *Iosephus* scribit, necne, ut olim etiam meretriculam in Senatoris Romani caput fecisse legimus, in medio relinquo: sed certe illud verisimile est, non ad alium finem caput in patina allatum fuisse, nisi ut aut illud spectando, aut pulsando mortuo illuderent. In quo mirum videri possit quo modo veritas illius promissi constat, *preciosum esse coram Deo* sanguinem sanctorum *Psal.* 116. Cum Deus tam insignem & charum sibi virum, meretriculæ & puellæ petitioni concedat: & cum tam obscure eum mori patitur; cum denique illi post mortem ab istis nequissimis mulierculis illudi patitur. Sed sciamus Deo veritatem suam in hoc etiam facto constitisse. Care enim Herodi constitit justi viri mors. Dixit Herodes se præmium saltatriculæ daturum usque ad dimidium regni. Ex quo apparet illum dimidio regni, Iohannis vitam viliorem æstimasse. Sed Deus non sic æstimat. Melius enim fuisset, si non dimidium sed totum regnum dedisset, ut Iohannis vitam redimeret. Nam & regno Dei expunctus & ejectus est, & regno etiam terrestri privatus ab Areta Rege, qui contemptæ & repudiatæ filiæ suæ causam adversus Herodem & suos ultus est: eum Lugdunum fugere adigens.

Adjunctum mortis est sepultura, quæ confidenter & intrepide à discipulis suis procuratur. Sic *Act.* 8. Sic *Luc.* 23. Et est officium Deo gratum. Vide etiam historiam Gibeonitarum, qui Saulem & filios noctu abstulerant. Videtur enim alioqui Iohannes honore sepulturæ privandus fuisse. Vers. 29. *& cadaver à discipulis sepultum.*

MATTH. *cap.* 14, *à vers.* 13, *ad* 22.

13 Hæc *igitur quum audisset IESVS, secessit illinc è navigio in desertum locum privatim: & quum* hoc *audisset turba, pedibus sequuta est eum ab urbibus.*

14 *Et egressus IESVS vidit multam turbam: & commiseratione intima commotus est erga eos, sanavitque eorum ægrotos.*

15 *Quum autem serum diei esset, adierunt eum discipuli ejus, dicentes; Desertus est locus, & tempus jam præteriit: dimitte turbam, ut abeuntes in vicos emant sibi escas.*

16 *IESVS autem dixit eis; Non habent necesse abire: date eis vos quo vescantur.*

17 *Ipsi vero dicunt ei; Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces.*

18 *Ipse autem dixit; Adferte mihi eos huc.*

19 *Et jussa turba per herbas discumbere, acceptis quinque illis panibus ac duobus piscibus, suspiciens in cœlum benedixit: & quum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli vero turbæ.*

20 *Et comederunt omnes, & saturati sunt, sustuleruntque quod superfuerat fragmentorum, duodecim cophinos plenos.*

21 *Qui autem ederant, fuere viri quasi quinquies mille, absque mulieribus ac puerulis.*

MARC. *cap. 6, à verſ. 30, ad 45.*

30 *Coacti ſunt autem Apoſtoli ad IESVM, & annunciaverunt ei omnia, & quæ
egerant, & quæ docuerant.*

31 *Et dixit eis; Venite vos ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite paululum.
Erant enim multi venientes & abeuntes: & ne cibum quidem capere ipſis vacabat.*

32 *Abierunt igitur in deſertum locum navigio ſeorſim.*

33 *Vidit autem eos abeuntes turba, & agnoverunt eum multi: & pedibus ex
omnibus civitatibus concurrerunt illuc, præveneruntque eos, & convenerunt ad eum.*

34 *Tunc egreſſus vidit turbam multam IESVS, & commiſeratione intima com-
motus eſt ſuper eis, quoniam erant ut oves non habentes paſtorem: cœpitque eos doce-
re multa.*

35 *Quum autem jam multus dies eſſet, adierunt eum diſcipuli ejus, dicentes; De-
ſertus eſt locus iſte, & jam multum dies eſt:*

36 *Dimitte eos, ut abeuntes in circumjacentes agros ac vicos, emant ſibi panes:
nam quo veſcantur non habent.*

37 *At ille reſpondens dixit eis; Date vos ipſis quo veſcantur. Tunc dicunt ei;*
Num *profecti emerimus ducentis denariis panes, & dederimus eis quo veſcantur?*

38 *Ipſe vero dixit eis; Quot panes habetis? abite & videte. Et* illi *re cognita,
dixerunt; Quinque, & duos piſces.*

39 *Tunc imperavit eis ut facerent diſcumbere omnes per convivia ſuper viridi
gramine.*

40 *Diſcubuerunt igitur ſigillatim per areolas,* partim *centeni &* partim *quin-
quageni.*

41 *Et acceptis quinque illis panibus, ac duobus illis piſcibus, quum ſuſpexiſſet in
cœlum, benedixit; ac fregit panes: deditque diſcipulis ſuis ut illis apponerent: &
duos piſces partitus eſt omnibus.*

42 *Comederuntque omnes, & ſaturati ſunt.*

43 *Et ſuſtulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & ex piſcibus.*

44 *Erant autem qui comederant quaſi quinquies mille viri.*

LVC. *cap. 9. à verſ. 10, ad 18.*

10 *Reverſi autem Apoſtoli narraverunt ei quæcunque fecerant. Et* ipſe *aſſumtis
illis, ſeceßit privatim in locum deſertum urbis quæ vocatur Bethſaida.*

11 *Quod quum cognoviſſet turba, ſequuta eſt eum:* ipſe *autem excepit eos, & lo-
quebatur eis de regno Dei: & eos quibus ſanatione opus erat, ſanabat.*

12 *Dies autem cœperat inclinare: & accedentes duodecim illi dixerunt ei; Di-
mitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos & agros,* illuc *divertant & inve-
niant cibaria: nam hic in loco deſerto ſumus.*

13 Ipſe *vero dixit eis; Date ipſis vos quod edant. Ipſi vero dixerunt; Non ſunt
nobis plus quam quinque panes & duo piſces, niſi nos profecti emamus toti huic popu-
lo eſcas.*

14 *Aderant enim quaſi viri quinquies mille. Ait autem diſcipulis ſuis; facite ut
diſcumbant per ſingulos quoſque diſcubitus quinquageni.*

15 Ipſi *igitur ita fecerunt, & diſcubuerunt omnes:*

16 Ipſe *vero acceptis quinque illis panibus & duobus piſcibus, ſuſpiciens in cœ-
lum, benedixit eis: & fregit deditque diſcipulis ut apponerent turbæ.*

17 *Ede-*

17 *Ederunt igitur omnes illi, & saturati sunt: & sublatum est quod superfuit ipsis fragmentorum, cophini duodecim.*

IOAN. *cap. 6. à vers. 1, ad 16.*

P*Ost hæc abiit IESVS trans mare Galilææ,* quod est *Tiberiadis.*

2 *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa quæ edebat in infirmis.*

3 *Subiit vero in montem IESVS, & ibi sedit cum discipulis suis.*

4 *Prope autem erat Pascha, festum Iudæorum.*

5 *Quum ergo sustulisset oculos IESVS, & conspexisset multam turbam ad se venire, dicit Philippo; Vnde ememus panes ut edant isti?*

6 *(Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.)*

7 *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non suffecerint eis, ut singuli eorum paululum quiddam accipiant.*

8 *Dicit ei unus ex discipulis ejus,* nempe *Andreas frater Simonis Petri,*

9 *Est hic puerulus quidam qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos?*

10 *Dixit autem IESVS; Facite ut homines recumbant. Erat autem gramen multum in eo loco, Discubuerunt ergo viri illi numero quasi quinquies mille.*

11 *Accepit autem panes illos IESVS, & actis gratiis distribuit discipulis, discipuli vero accumbentibus: similiter etiam ex pisciculis illis quantum volebant.*

12 *Vt autem expleti sunt, dixit* IESVS *discipulis suis; Congregate quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.*

13 *Congregarunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant iis qui comederant.*

14 *Illi ergo quum vidissent signum quod IESVS ediderat, dicebant; Hic est vere Propheta ille qui venturus erat in mundum.*

15 *IESVS ergo quum nosset venturos, & se abrepturos ut facerent se regem, secessit rursus in montem solus ipse.*

ANALYSIS.

MARC. 6, 30. REditus Apostolorum describitur ex legatione ab effecto, narratione omnium quæ in itinere gessissent & docuissent.

Vers. 31. Horum effectuum, 1. tum nuntii quem Ioannis discipuli attulerunt, & laboriosi itineris quod Apostoli confecissent, quod Iesus illos, in desertum locum abducit; qui *Luc.* 9, 10. sua specie exprimitur, nempe desertum urbis Bethsaidæ; & *Iohan.* 6, 3. subjectum magis adhuc proprium, monte; tempus autem quo Christus secessit notatur, post nuntium acceptum à discipulis Ioannis, & post reditum duodecim Apostolorum, & adjunctū magis adhuc proprium *Ioh.* 6, 4. cum Pascha appeteret: qui secessus apud *Marcum* suo fine describitur, ut Apostoli interquiescerent à labore; quæ quies suo tempore adjuncto definitur: causa etiam efficiens secessus indicatur, nempe quia propter commeantes non vacabat illis cibum sumere.

Vers. 32. Efficiens instrumentalis secessus est, navigium quo vecti sunt, defessi ut videtur ex itinere; adjuncta etiam profectio indicatur, nempe clancularia & occulta.

Vers. 33. Aliud adjunctum hujus profectionis, nempe quod turbæ innotuit; cujus effectum erat, quod illuc convolarunt; deinde quod Iesum etiam & Apostolos anteverterunt, denique quod illum accesserunt.

IOAN. 6, 2. Causa efficiens tantæ concursationis indicatur, quod viderant pleraque miracula in sanandis infirmis edita.

MARC. 6, 34. Effectum adjunctæ concursationis erat, quod Christus sustulit oculos. Cujus effectum est, egressum ex monte ubi cum Apostolis consederat: cujus elationis oculorum erat commiseratio Iesu; quæ causa materiali describitur, quod populus erat sine justis ducibus; quæ porro paribus illustratur, nēpe ovium destitutarum pastore. Hujus autem commiserationis effectum est, quod illos docet Iesus; quæ doctrina sua causa materiali declaratur, *Luc.* 9, 11. nempe de regno Dei, & amplificatur adjuncto quantitatis, nullum aliud effectum: ibidem apud *Lucam* notatur, quod sanabat eos qui opus habebant.

MARC. 6, 35, 36. Apostolorum effectum proponitur, quo Iesum admonent ut populum dimittat, quod adjuncto temporis describitur, cum vespera

 esset

esset & nox appeteret; quod arguitur porro à subjecto loci, nempe deserto; & fine ut comparent cibum: causa item impulsiva, quia non habebant unde ederent.

Vers. 37. Hujus admonitionis effectum est, mandatum Apostolorum ut illi cibum & alimenta suppeditarent. Cujus effectum est, quæstio Iesus unde panes emerent huic turbæ pascendæ idoneos: quæ quæstio suo subjecto, nempe Philippo declaratur; quæstio *Iohan.* 6, 6. suo fine exponitur, ut tentet. Cujus quæstionis effectum est, alia quæstio à Philippo nomine omnium Apostolorum proposita; quæ sua forma proponitur, an illis panis emendus sit; quæ arguitur suo disparato, nempe quod ducentis denariis non possent redimere panes qui populo satisfacerent, & *Iohan.* 6,7. amplificatur à comparatione majoris, non satis fore ut quisque vel paululum accipiat.

Marc.6,38. Hujus quæstionis adjunctum est, alia quæstio Iesu quot panes in turba haberent. Cujus effectum, quod explorantes cognoverunt.

Ioan.6,8. Cognitionis adjunctum erat, responsum Andreæ nomine reliquorum; qui etiam suo relato describitur; nempe fratre Simonis Petri.

Vers. 9, Forma responsi est, subesse quinque panes hordeaceos & duos pisciculos. Quæ sua adjuncta parvitate arguuntur, à subjecto puerulo qui illos gestabat; cujus parvitatis effectum est, quod tantæ turbæ ad pascendum prorsus inutiles essent, quod arguitur ab adjuncto numero turbæ *Luc.* 9,14. nempe 5000.

Marc. 6, 39, 40. Iubet Christus ut Apostoli turbæ mandarent ut discumberent; quod suo subjecto, nempe super herbam viridem, & adjuncto ordine & adjuncto numero, nempe 50. aut 1000. in singulas mensas seu accubitus. Cujus mandati effectum est, obsequium turbæ, quæ discumbebant modo præscripto; ubi narratur causa impulsiva miraculi, nempe obsequium turbæ ex fide fore ut pascerentur.

Vers. 41. Effectum Christi narratur, panis & piscium, materiæ miraculi, in manus acceptio; quæ suo fine declaratur, ut illis precatione benediceret; quæ precatio suo adjuncto, sublatione oculorum in cœlum describitur: post aliud effectum notatur, nempe quod panes frangebat & pisces dividebat, quæ fractio & divisio suo fine notatur, ut illa omnibus Apostolis in manus daret: quæ item traditio alio fine declaratur, ut illi ea populo in mensa apponerent.

Matth.14,19. Cujus effectum est, quod Apostoli illa turbæ apponebant.

Luc.9,17. Aliud effectum, nempe populus edebat; qui esus suo adjuncto amplificatur, ad satietatem.

Ioan. 6,12. Aliud effectum, Iesu mandatum ut reliquias colligerent; quod suo fine declaratur, ne quid pereat.

Vers. 13. Cujus effectum est, obsequium Apostolorum in colligendis reliquiis; quæ adjuncta quantitate declarantur, quod implerunt duodecim cophinos, & amplificatur ab adjuncto numero edentium.

Matth.14,21. Nempe 5000. virorum adultorum, præter pueros & mulieres.

Ioan.6,14. Effectum miraculi, Iesus agnoscitur Propheta in mundum venturus Messias scilicet.

Vers. 15. Aliud effectum, illum terrenum Regem creandi studium. Cujus adjunctum, erat Christi cognitio: effectum vero, subductio sui & secessus in montem; qui secessus adjuncta solitudine describitur.

METAPHRASIS.

Duodecim Apostoli confecta legatione, se ad Iesum aggregantes: illi, cum quæ miracula ediderant, tum quæ documenta proposuerant, exponunt. Iesus vero audito de morte Iohannis nuntio, Tyranni qui illum videre cupiebat furorem declinaturus, in Tiberiade in desertum locum silentio in cimba vectus est. Desertum autem quo se recepit, erat Bethsaidæ oppido maritimo propinquum: eoque ipso illius oppidi desertum dictum. Ejusdemque deserti montem quendam magis ad solitudinem opportunum ascendit, ubi cum discipulis suis consedit. Apostolis autem de via defessis dixit: venite mecum & vos silentio in desertum, ubi aliquantulum à labore respiretis: usque etenim eo ultra citraque commeabant, certatim morbis & aliis infirmitatibus conjecti, ut illis vix cibum sumere (nedum animum otio & quiete recreare) non vacaret. Suum tamen cum discipulis secessum, Iesus non ita tacitum habuit, quin plerisque ex turba innotuit; qui (quod Iesus lacum ita non trajiceret ut in adversum littus tenderet, sed ab imo lacus portu ad altum in longitudinem navigabat) pedestri itinere illum sequebantur. Et quidem ea contentione & celeritate, ut Iesum cum Apostolis anteverterent, hoc ipso caventes ne ejus accessu prohiberentur. Quæ vero turbam causa ad hoc iter suscipiendum impulit, præcipua fuit, quod miracula quæ in ægris sanandis Iesus ediderat, oculis suis usurpassent. Egressus monte ubi cum Apostolis consederat, commiseratione erga turbam motus est, ut de aliis plerisque eorum calamitatibus ita præcipua quadam ratione, quod tanquam palantes oves Pastore, sic fidelibus ductoribus qui illos de voluntate Dei docerent destituebantur. Quamobrem cœpit eos diu multumque docere. Subjectum autem doctrinæ in quo versata est ejus oratio erat, ut illos de regno Dei institueret, quod illi terrenum & caducum (ut post constabit) somniabant. Postquam autem perorasset, eos etiam quorum intererat verbo sanitati restituit. Cum vero jam advesperasceret, discipuli eum adeuntes, tanquam aut non satis de turba sollicitum, aut non illam juvandi facultate instructum, eum ut populum dimittat admonent. Quam ad rem loci vastitatem & vespera

Marc.6,30. Matth.14,13. Luc.9,10. Ioan.6,3. Marc.6,31. Matth.14,15. Marc.6,33. Ioan.6,2. Marc.6,34. Luc.9,11. Marc.6,35.

36. vesperæ appetitionem opponunt. Ideo vero missionem urgent, ut abeuntes hinc inde per agros & villas, quà commodum erit alimenta sibi coemant: nec enim suppetere illis affirmant, quo vescantur, ut qui neque domo secum alimenta exportarint, & quibus nihil in deserto
MATTH. 14,16. parabile extitit. Quibus Iesus: nihil necesse est illos ut cibum parent abire: vos illis date
MARC.6, 37. quo vescantur. Cui discipuli: vis abeuntes ducentorum denariorum panes emamus, ut il-
IOAN.6,5. lis quod edant subministremus. Iesus vero sustollens oculos, & turbam numerosam valde illum accessisse conspiciens, Philippum sic alloquitur: unde panes his omnibus pascendis ido-
6. neos recuperabimus? Hoc vero dixit ut illius fidei & notitiæ experimentum modo caperet, non tanquam cum illo consilium initurus, qui jam ante apud se constitutum & deliberatum
7. haberet quid facturus esset. Cui Philippus respondit: Ducentorum denariorum seu centum circiter solidorum panes, huic tantæ turbæ non sufficiant: ut singuli vel minimam particulam accipiant, nedum ut quod sedandæ fami ido-
8. neum sit. Alius autem ex discipulis, Andreas nomine, frater Simonis Petri, qui primus se
9. Christo in disciplinam tradidit, dixit Iesu: est hic qui quinque panes hordeaceos & duos pisciculos secum attulit; sed ea parvitate & tenuitate sunt (sicut ex tenera illa gestantis ætate connotat) ut ad tantam turbam pascendam
MARC.6, 39. prorsus inutiles sint. His tamen cum omnium discipulorum conjunctim, tum Philippi & Andreæ seorsim dictis præteritis discipulis Iesus mandavit, ut discumbere facerent turbam super viridem herbam, per certas quasdam men-
IOAN. 6, 10. sas seu convivia. Erat enim vernum tempus anni cum herbæ virescere solent. Quod inde dignoscitur, quia festum Paschatis appetebat.
MARC.6, 40. Nunc discubuerunt igitur per areolas, idque per centenos & quinquagenos, hoc consilio ut numerum convivarum facilius & certius lustrarent discipuli; erant enim pleni spe omnes cum discipuli, tum turba, foreut considere jussi, à Christo qui illis discumbendi author e-
IOAN. 6, 11. rat pascerentur. Iesus acceptis in manus panibus, postquam Patri, de his creaturis ad pastum concessis, gratias egisset, illas discipulis distribuit: hoc consilio, ut eorum manibus panes ad universam turbam transmissi, tantæ & tam immensæ multiplicationis idonei testes essent. Quod idem in piscibus factum est, ex
12. quibus omnes ad satietatem comederunt. Cum vero jam plene satiati essent omnes, discipulis mandavit ne quid in tanta Dei munificentia deperiret, aut miraculi admirabili potentiæ quid detraheretur, ut quæ superessent reliquias collectas asseclarent. Qui tantam vim frag- 13.
mentorum collegerunt, quibus singuli ex duodecim discipulis suos calathos impleruut, plures (ut videtur) reliquias collecturi, si ei rei faciundæ plures designati fuissent. Numerus MATTH. 14,21.
vero convivarum qui comedentes exsatiati sunt, erat 5000. virorum præter fœminas & pueros, qui se viris hujus itineris comites adjunxerunt. Hoc facto ilico duodecim discipulos, 22.
invitius ab illius latere discedentes, ad mare ablegavit, ut navi illi præeuntes ad præscriptum à se locum eum expectarent, dum ille interim turbam dimitteret. Quod certe fecit præscius, & veluti ex specula prospiciens, turbæ de eo in regem creando consilium; quod illis plurimum obfuturum non ignoravit. Qui IOAN. 6,
igitur homines hujus de mirifico pastu miracu- 14.
li spectatores erant, inde præcipue (cum tamen alia pleraque signa edidisset) hanc de Iesu sententiam ferebant. Hic est procul omni dubio Propheta ille, tantopere in lege & Prophetis celebratus, qui ad nos servandum, & ex Romana servitute vindicandum, venturus prædicatur. Iesus vero cum compertum haberet, illos 15.
venturos ut se etiam reluctantem regem crearent: non nescius quantam malorum Iliada illud secum traheret, iterum solus in montem se unde descenderat, recepit.

PRAXIS.

CHristus solitudinem captans, cum illi propter populi concursationem soli esse non liceret, populum ad se concursantem humanissime accipiens, ab eodem Messias agnoscitur.

Cujus partes sunt,
- Populi ad Christum secessum quærentem, sollicita concursatio.
- Convenientium Christi & populi, mutua erga se invicem studia & officia.

In *priore* consideratur Christi secessus, cujus *duplex causa* est:
- *Vna*, ut Herodem declinaret.
- *Altera*, ut respirationis tempus discipulis ex itinere lassis nancisceretur.

Nuncio enim de Iohannis morte accepto MATTH. 14, 13.
dicitur transfretasse. Vbi fugam in persecutione licitam iterum colligimus. Deinde redeuntibus discipulis ab illa quam obiverant legatione, & quid actum fuerat referentibus, jussit eos paulum quiescere. Quod cum illis, ex commeantium ad Christum frequentia oppido & ædibus relictis, facere negatum sit, solitudinis oportunitas ad eam rem

Christi transfretatio ad fugam & discipulorum requiem instituta.

quæsita est. Inde colligitur quam leniter & mansuete Deus suos tractat, quamque sit non tantum de illorum vita, sed & de illorum commodis sollicitus: quamque nec in suo & proprio cultu eorum vires nolit exhauriri. Hinc præceptum est *Exod.* ut ne in tabernaculo quidem construendo fingendoque, Sabbatho operis aliquid facerent. Quamobrem discamus, nos totos & anima & corpore, & præsente & futura vita Deo committere, qui curam nostri agit. Deinde etiam illa humanitate erga eos qui imperio nostro subsunt, ne illis sine omni cessatione & intermissione instemus; nullam illis respirationem permittentes, aut quod divino cultui debetur tempus intercipientes. In quo graviter utrimque à plerisque peccatur; cum tamen hominis pii animus in jumenti sui onere plus æquo graviore commoveatur. *Proverb. The righteous regardeth the life of his beast, &c. Deut. Meminerint se servos fuisse, &c.* Simul etiam servi modica quiete contenti esse debent. Nam *Marci* cap. 6, 31. *paulisper* requiescendum, diserte notatur; post, ad opus redeundum. Nam diuturniore otio corrumpuntur, & veluti rubiginem contrahunt, non tantum heris, sed sibimetipsis perniciosam. Hic etiam plerumque à servis peccatur, qui nimium tempus in remissione animi & ludis ponentes, aut herilia negotia remissius tractant; aut si id nimis possint aut audeant, tamen Dei cultui nonnihil inde detrahunt aut derogant; aut utrumque, cum Deum, tum heros justis & debitis illis officiis privant. Deinde in turba Christum pedibus insequente, & eum ad locum quo contendebat antevertente, ardor & studium non vulgare notandum proponitur. Quod quam parum imitamur, perstringe paucis: vide *Proverb.* sapientiæ studiosos ad portas ejus excubare & ibi præstolari.

hinc servis quiete concessa non abutendum.

In *secunda parte* consideratur, { *Primum*, Christi erga turbam humanitatis officia. *Deinde*, turbæ in Christum.

MARC. 6, 34. *Christi commiseratio quod pastore turba destitueretur:*

Christus primum illos non tantum oculis intuens, sed perditam conditionem animo pertractans, eorum commiseratus est quod pastoribus legitimis destituerentur. De qua re vide quæ prius annotata sunt. Erant servi, seu mancipia potius Romani Imperii: erant vectigalibus pæne exhausti; erant ex iis plerique ægroti, sed nihil erat quod Christum tam mæstum ex eis habebat, quam quod destituerentur pastoribus, &c. vide &c. Unde etiam colligitur quam divinum sit Dei donum pastore legitimo uti.

Progressus igitur est & processit ut exciperet humanissime; idque cum docendo, tum miracula edẽdo. Ita fit ut desertum illis sit Carmelo cultius & feracius. Et certe desertum & nudatissimus locus præsentia Christi in Euangelio ornatus, omnibus paradisis anteponendus est, ubi thronus Sathanæ consistit. Quam liberalitatem si Christus tum declaravit, cum ab exoptata & consectata quiete, hoc pacto interpellatus est; quanto magis nunc ad Patris dexteram faciet, cum sine ullo suo incommodo faciat, vide *Ioh.* 4, 32. Ut hoc exemplo discamus aliquid præcidere deliciis, ut Deus colatur: cum Christus à necessariis abstinuit, ut &c.

quare eam docuit & miracula edidit.

Inter miracula quæ edidit, quædam certos homines attingebant, quorum morbi persanati sunt. Unum est quod sua amplitudine omnes complectitur; scilicet, quod in totius turbæ cibatione & pastu continetur. Quod miraculum sic ut sequitur editum est. Primum discipuli inclinante jam die Christum accedentes illum admonent, ut sibi de commeatu & commodo pastu prospiceret. Quod discipulorum officium tametsi speciem pietatis præ se ferat, & ab iis animo non malo fiat, est tamen omnino temerarium quod sibi assumunt, scilicet, ut vel majore cura populi ducantur quam Christus, aut meliorem rationem illos reficiendi ineant quam ipse, & quod modum eos reficiendi præcise attexant, tanquam Christo præjudicaturi. Christum enim à suis doceri, erat plane quod est in proverbio ἀνωπόλεμον χωρῦσι πηγαί. Sus Minervam. Nam videntur illum obiter perstringere, tanquam nec loci nec temporis rationem haberet, ut est apud *Marcum*; & tanquam nesciret turbam viatico non esse instructam; ac si oculis prædito captus oculis viam præmonstraret: aut si struthiocamelus *(an ostrich)* ciconiam aut pellicanum στόργης admoneret. Huic simile est quod beata virgo *Ioh.* 2. peccavit, dum Christum admoneret nihil vini superesse. In quo genere sæpe ab hominibus delinquitur, qui Deum tunc cunctari & moram ducere putant, cum (ut hic Christus) opportunitatem summam benignitatis suæ declarandæ sectatur. Nos illum nostri oblitum arbitramur, eoque ad consilia carnis confugimus, cum Deus erat præstolandus in salutem. Sic Saul hoste imminente, cum nondum sacris operatus fuisset, ipse tempus illi à Propheta præstitutum prævertit.

MATTH. 14, 15. *Perversa discipulorum de commeatu cura.*

Christus

Ioan. 6, 5. 6. hinc explorandi causa quantum sufficiat Christus Philippum interrogat,

Christus respondens nihil opus esse ut dimittantur, & mandans ut ipsimet cibum præbeant, tentandi tamen discipulos causa, ut est apud *Iohannem*, Philippum percunctatur, unde toti turbæ de alimentis prospicerent. Atque hoc loco solliciti & prudentis institutoris & doctoris cautionem imitatur: qui suos discipulos diutius doctos & informatos, ad examinis incudem revocat: ut cognita ab iis inscitia eorum & ignoratione, cum pudore suffundantur, tum post proficiant magis. Idem fecit *Matt.16*. Hujus sigillatim prætentandi & explorandi profectus exemplum existit *Act.20,20*. Quod oportere fieri declarat Christus *Ioh.10,3.* Hoc declaratur à Propheta, qui cujusque oviculæ rationem haberi oportere confirmat; ut dispulsa ovicula, quæratur; languens confirmetur, &c. Atque ut in exercitu non satis est præcipere ut quisque arma habeat, nisi viritim lustrentur, ut an habeant necne intelligatur; sic, &c. Atque ut in ovibus pascendis non satis est si quis pascua accommodata proponat, nisi porro an oves teneram herbam depascant, aut an morbo aliquo impeditæ abstineant, attenderit; sic, &c. plerique enim sunt qui pastum simulantes, aliud animo versant; alii dormiunt, &c.

Vers. 7. qui suo responso se Christi potentiam non agnoscere ostendit:

Evocat igitur Philippum, qui fuit ex iis qui diutissime Christum docentem & edentem miracula audivisset & vidisset. Qui responso suo nihil se ne per somnium quidem de Christi divina potentia cogitasse declarat; sed Christi potius (ex paupertate) infirmitas illius oculos penitus occupatos tenuit: tanquam diceret, majoris est sumptus istos omnes, non dico satiare, sed vel minimo reficere, quam cui tu par sis. Tanquam oblitus fuisset omnium miraculorum, quæ Christus edidisset, illius præsertim quo aquam in vinum convertit. Debebat igitur dixisse, &c.

Vers. 8, 9. Andreas quantum cibi sit declarat,

Ex hoc responso Christus jubet, ut quantum viatici sit dispiciatur. Venit igitur Andreas, qui primus hanc scholam ingressus videtur *Ioh. 1.* & quinque panes & duos pisciculos subesse respondet, quos puerulus secum attulisse dicitur, ne panes inusitatæ magnitudinis quis æstimet.

quod illum non sufficere dicat etiam tarditatem suam prodidit;

Et hactenus quidem quod erat ei in mandatis fideliter executus est. Sed adjungit, quod ejus tarditatem insigniter prodit. *Sed hoc* (inquit) *quid inter tantam turbam?* In quo nihilo doctiorem se Philippo declarat. Ex horum duorum examitatione & exploratione satis de reliquis discipulis, quæ eorum itidem inopia & inscitia erat innotuit: ut non necesse fuerit cæteros pertentari. In quo obfuit illis plurimum quod animum & cogitationem suam sensibus tanquam captivum alligassent, dum nihil fieri à Christo posse cogitant, quod rationis & consuetudinis sensuumque modulum excedat. Item quod secum non commentabantur, de editis à Christo miraculis. Commentatione enim, tanquam ruminatione quadam, facile assecuti fuissent eum qui mortuos excitat, &c. Maxime eum qui vinum ex aqua finxisset, facile potuisse sine pecunia & cibariis turbam satiare.

nos cum tales sumus an hinc excusandi?

Sed hoc loco videtur nobis eximium inscitiæ nostræ & ignorationis pallium. Nam *excipiet* aliquis, nihil mirum esse si nos post duorum aut trium annorum institutionem ignari simus, cum Christi discipuli in summi doctoris schola edocti tam sint rudes & imperiti.

Sed intelligendum est, temporis diversitatem maximam hoc loco discrepantiam conferre. Nam Christo nondum glorificato, Spiritus Sanctus nondum ubertim collatus est *Ioh.7,39.* & *16,13.* Erant igitur Apostoli ante Christi ascensũ prę nobis infantes & pueruli; ut non mirum sit si tardius quod proponebatur arripuerunt. A Christo summo doctore instituti, tamen tanquam à prædagogo, aut hypodidascalo tantisper discebant, quoad Spiritus Christi, qui est summus in Ecclesia doctor, confertim & prolixe effusus est. Non igitur sine singulari nostra culpa fit, si doctrina nobis tanquam infantibus repetenda sit; si liber clausus sit; si tanquam peregrina lingua minister apud nos sermonem faciat.

Vers. 10. Populus ex fide jussus accumbere paret;

Christus jubet discipulis ut accubare faciant turbam; qui Christi dicto parentes, populum quoque obsequentem habent. Quod certe egregium fidei specimẽ præbet. Quum enim nusquam tantæ turbæ cibus apparet, adeoque vicos (pastus causa) adeundos necessario confirmassent, tamen Christi jussu adducti seipsos retexunt: nec cibum toti turbæ diffidunt suppeditatum iri. Et tametsi hinc populi aut vim aut irrisionem extimescerent, si accubantibus nullæ epulæ apponerentur, tamen fide in Christi verbo difficultates illas superant; persuasi nullum illis damnum ex Christi obsequio unquam obvenire posse. Tametsi igitur non tam ut debebant discipuli industrii & experrecti erant, tamen erant dociles & è via deflexi; uno

verbo tanquam ſigno iterum in viam revocantur. Quod ſi viam initam tenuiſſent, reſponſum dediſſent ſe accumbendi populo autores eſſe nolle, quoad unde reficerentur in oculis aut manibus haberent. Vide 2 *Reg*.4, 42,43.

hinc Deo etiam contra rationem obſequendum:

Hoc igitur cum diſcipulorum tum populi exemplo, ſicut & decem leproſorum, docemur Deo nos in obſequium tradere, tametſi idem tum à ratione, tum à ſenſibus noſtris refellatur & oppugnetur; ideoque rationem & ſenſus tanquam in gyrum divinæ obedientiæ compellere, eademque captiva ab ejus obſequium abducere. Huic manſuetudine ἀμνησικακίᾳ (id eſt, malorum & injuriarum oblivione,) ἀμνηστίᾳ, (id eſt, oblivione, obliteratione) nulla humanitus ab injuriis expeditio & evaſio affulget: alteri, niſi fraudibus & technis nulla honeſte tolerandæ vitæ ratio apparet: tertio, nulla niſi ſe jactanti & efferenti exiſtimationis ſpes oſtenditur: ſed muniti fide in certiſſimis Dei promiſſionibus, contrarium prorſus iſtis inſtitutum amplectamur. Deinde diſcipulorum exemplo docilitatem diſcamus, & errore agnito in viam redire.

LVC.9,14. *is per claſſes diſtributus.*

Lucas porro docet, Chriſtum juſſiſſe ut per claſſes certas & certo numero diſtinctas, turbam diſcluderent & diſtribuerent. Quod itidem factitaſſe populum Euangeliſta teſtatur. Ordinatim igitur res in Eccleſia faciendæ ſunt, ut Dei in illis gloria magis ſplendeſcat. Atque hic ordo Salomonis ſapientiam in regunda familia, mirifice exornavit atque expolivit. Sed hic ordo à Chriſti ore petendus eſt. Nam ſi homines inique ferunt ſibi negari, ut in familiis ſuis ordinem ſibi maxime probatum inſtituant, quantæ injuriæ eſt Chriſto Domino hoc negare? Et ſi homines paulo conſideratiores ordine & diſciplina omnia in familiis regunt, nedum Chriſtus hoc proculdubio fecit.

MATTH. 14, 19. *Chriſti exemplo Deo ob cibum gratias agendum;*

Deinde, *accepto pane &c. gratias egit.* Quod illi ſolemne, ut ante cibum ſumptum preces conciperet, & Patri de percipiendo mox cibo gratias ageret. Et certe ſi noſtram indignitatem reputemus, qui panis cibarii buccella, aut gutta aquæ indigni ſumus, ſi datorem panis & potus in cælis eſſe cogitemus, ſi non tantum vitam non fulcire, ſed eam etiam corrumpere ſine Dei benedictione ſæpe cum animis noſtris recolimus, ſi quot modis nobis panis eripitur & nos pani, ſi labentem & latentem ſæpe in pane aut potu mortem, aut acicula, aut veneno, &c. ſi propterea noſtram in crapulam & ingluviem propenſionem, denique ſi Chriſti Domini exemplum, non deerimus in hoc officio gratiarum actionis; idque non tantum inter eos converſantes qui pii ſunt, ſed inter eos quibus pietas irriſioni aut odio eſt, idque palam & aperto capite, ut Dei timorem palam profiteamur, ut Paul. *Act.* 27,35.

cur hoc fecerit?

Quod autem gratias agit, non autem cibum multitudini ſufficientem petit à Deo, ideo fecit ut intelligerent eum de exitu non magis dubitaſſe, quam ſi omnia ad paſtum jam parata fuiſſent.

cur diſcipuli turbæ cibum appoſuerint?

Quod diſcipuli cibum à Chriſto acceptum turbis eundem apponunt, eo factum eſt, ut & miraculi teſtes eſſent graviores, & magis luculenti, tum ut hoc modo ordinem in Eccleſia adumbraret; Verbi ac Sacramentorum pabulum à Chriſto accipiendum, quæ cum Eccleſia communicentur; nec quicquam in Sacra Domini Menſa apponendum, quod à Chriſto non acceperint, 1 *Corinth.* 11. Sicut enim patresfamilias, quod familiis ſuis communicetur œconomis diſtribuunt; ſic &c.

Verſ. 20, 21. *qui ita benedictus ut eo ſatiati fragmenta ſuperfuerint;*

Iis autem miniſtrantibus, Dei admirabili benedictione ita crevit alimentum, ut 5000. exſatiatis, ſupereſſent 12. calathi pleni fragmentorum. Vide 2. *Reg*. 4,5. item 43,44. Non majore difficultate 4000000000. ſatiaturus, ſi totidem conveniſſent. Ejuſdem enim potentiæ fuit efficere, ut tantæ infinitati ſufficerent, quam 5000. Satietatis autem teſtes ſunt quæ redundarunt fragmenta: quæ idcirco colligi præcipiuntur, ut miraculum nobilitetur magis. Ad has rationes pertinent *pueri & fœminæ*; qui quod parcius quam viri comedunt, non numerantur. Opus enim Chriſti ita eſt magnificum, ut non neceſſe habebat omnia minuta colligere & coacervare, ut ſuam magnificentiam tueatur. Regem aut Imperatorem non inveniamus, qui in ſupputandis ſuis rationibus, puerorum aut fœminarum nullam rationem ducit. Nam ſi id faceret, facile ærarium ſuum exhauriret. Hujus vero miraculi ſpecialis quidam uſus eſt nos ut confirmet, ne putemus nos cultu Dei & officiis quæ Deo in cultu præſtamus, victu neceſſario defectos & deſtitutos iri. Pietas enim habet promiſſiones præſentis vitæ 1 *Tim*. 4. & *Matth*. 6. *Primum quærite, &c.* Quæ hoc & hujuſmodi miraculis obſignantur. Qui enim in deſerto ſine ullo aut labore, pecunia, aut arte tua te verbi paſtum ſectantem paſcit, nedum domi tuæ,

arte,

arte, pecunia, & labore tuo hoc faciet. Vide quæ prius in hoc argumento observata sunt.

quæ cur jussi colligere? Deinde hac collectione fragmentorum, in summa omnium rerum abundantia frugalitas & parsimonia nobis commendatur, etiam minimorum Dei donorum. *Dantur enim ad usum,* 1 *Tim* 6. non ut jumentorum more, quibus si fœnum paulo liberalius apponitur, quod saturibus superest pedibus proterunt. Tametsi autem Christus poterat singulis pastibus miraculo cibum suppeditasse, tamen noluit Dei potentia ad creaturarum luxum abuti. Nec enim de acceptis unquam gratus & memor existet, qui Dei beneficia tam contemptim æstimat, ut illa prodigat. Meminerimus potius pauperibus, quibus desunt quæ apud nos redundant, ista communicare.

IOAN. 6, 14. *Turbæ de Christo judicium ex hoc miraculo;* Mutuum autem turbæ erga Christum officium est, quod eum Messiam venturum agnoscunt. Qui eximius fructus futurus erat, si illius officium, quod est in Prophetis descriptum & delineatum, percepissent. In quo cum turpiter hallucinarentur, non admodum illis profuit ejus rei agnitio. Nec *Pontificiis* hodie qui Christum quidem Messiam agnoscunt, sed cum officium illi Sacerdotale & Regale auferant, &c. Nam cum expiationem peccatorum suis operibus, & quidem à se excogitatis, tribuant, cumque sequestres sanctos nobis affingant, sacerdotio illum spoliant: cumque libero arbitrio non Christi spiritu, bona opera fieri dicant, & novam hierarchiam inferant, regno illum spoliant. Denique inventa & figmenta sua stabilientes, idque repudiata Christi doctrina, Prophetæ officium illi adimunt.

Christus regis mundani titulum declinans, se Ecclesiæ unicum Regem & Servatorem insignibus miraculis demonstrant.

Cujus *partes* sunt, { Mundani regis tituli declinatio. Spiritualis regni sui demonstratio.

In *priore* notatur { Populo stultus eum regem creandi conatus. Christi recusatio.

quod ex prava opinione de Messia: Error fœcundus est, & unus multos parit. Pro eo enim quod Messiam regem terrenum sibi & animo suo confinxerant, caducam & momentaneam ejus liberationem fore putabant, & hujus seculi spaciis definitam. Vnde porro tanquam ipse per modestiam regni honore abstinuisset, eum regno præficere conantur, in Dei ipsius possessionem irruentes, cujus erat solius Christum suo regno stabilire. Quo facto Christum non tantum hominibus inutilem reddere conati sunt, sed eum cum Euangelio in invidiam vocare, ac si reges suis soliis movere veneraт, & respublicas evertere.

hinc ejus ministri Reip. non præficiendi, Sic reperiuntur hodie qui Euangelio plurimum hoc ipso nocent, in quo se plurimum prodesse arbitrantur: cum Euangelii præcones & Episcopos, titulis honorum & præfecturaReipublicæ ornant. *Pontificii* etiam non dissimili Iudæorum errore aliqua ex parte tenentur. Quum enim piorum jactationes & cruces ignominiose traducant, & se à Christo propterea diligi sibi persuadēt, quod mollius & delicatius vivant, sintque ab afflictionibus liberiores & magis soluti quam nos, quid aliud nisi regnum Christi terrenum judicant?

Vers. 15. *& ex Christi recusatione honores delati respuendi;* Christi recusatio notanda est, adversus eos qui delatos ad se honores non respuunt: sed se ideo innoxios judicant, quod illos non ambiant, sed delatos accipiant. Christus is erat qui ex omnibus qui unquam in vivis extiterunt, aptissimus erat ad utrumque munus, Civile & Ecclesiasticum obeundum. Deinde videbatur pietatis esse, populum tyrannide oppressum & ab impiis ductoribus conculcatum suo jugo levare; præcipue vero sua autoritate providere ut Dei cultus integer & incorruptus vigeret. Sed tanti fuit Christo in vocatione consistere, ut nulla vana utilitatis specie ab ea depelli potuit. Hic *Pontifex Romanus* tenetur manifestæ perfidiæ, qui sceptrum regum manibus extorquet quod Christus delatum respuit; qui tamen se Christi vicarium ostentat.

unde eorum appetentia profecta? Hujus autem in magistratus possessionem irruptio non aliunde profecta est, quam quod imperiti gladii spiritualis tractandi, civilem voluerint arripere: & quod gladium verbi in illis obtusum, civilis gladii acie compensare studebant: quasi bipennis verbi divini gladius utramque manum & tertiam (si adesset) sibi non vendicaret. Vbi aliquantulum insiste in explicandis armis, quibus ministerium instruitur adversus contumaces. 2 *Corinth.* 10.

MATTH. *cap.* 14. *à vers.* 22, *ad finem Capit.*

22 Et statim adegit IESVS discipulos suos inscendere in navigium, & præire sibi in ripam alteram, dum dimitteret turbam.

23 Di-

23 *Dimissa igitur turba ascendit in montem privatim ad orandum. Quum au-*
tem serum diei esset, solus erat illic.

24 *Navigium vero jam in medio maris erat, vexatum à fluctibus. Nam ventus*
erat contrarius.

25 *Quarta autem noctis vigilia abiit ad eos IESVS, ambulans super mare.*

26 *Et eo viso super mare ambulante, discipuli turbati sunt, dicentes; Spectrum*
est: & præ metu clamarunt.

27 *Sed statim loquutus est eis IESVS, dicens; Confidite: ego sum, ne timete.*

28 *Respondens autem ei Petrus dixit; Domine, si tu es, jube me ad te venire su-*
per aquas.

29 *Ipse vero dixit; Veni. Et quum descendisset è navigio Petrus, ambulavit su-*
per aquas ut veniret ad IESVM.

30 *Videns autem ventum validum, timuit: & quum cœpisset demergi, clama-*
vit, dicens; Domine serva me.

31 *Statim vero IESVS, extenta manu, apprehendit eum, dicitque ei; Exigua*
fide prædite, quid dubitasti?

32 *Et quum ipsi essent ingressi navigium, pacatus fuit ventus.*

33 *Qui autem erant in navigio, venientes adoraverunt eum, dicentes; Vere Dei*
filius es.

34 *Et quum trajecissent, venerunt in terram Genesaret.*

35 *Et quum agnovissent eum viri loci illius, miserunt in totam circumjacentem*
illam regionem: & obtulerunt ei omnes male affectos.

36 *Et precabantur eum ut solum tangerent fimbriam pallii ipsius, & quotquot*
tetigerunt, liberati sunt.

MARC. *cap. 6. à vers. 45, ad finem Capit.*

45 *Et statim coëgit discipulos suos inscendere navigium, & præire in ulteriorem*
ripam *Bethsaidæ oppositam, dum ipse dimitteret turbam.*

46 *Et quum amandasset eos, abiit in montem ad precandum.*

47 *Quum autem serum* dici *adesset, erat navigium in medio mari, & ipse solus*
in terra.

48 *Viditque eos vexatos in* navigio *provehendo: (erat enim ventus eis contra-*
rius) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare: volebat-
que eos præterire.

49 *Illi vero viso eo ambulante super mare, putarunt spectrum esse: & exclama-*
verunt:

50 *(Omnes enim videbant eum, & turbati sunt) sed statim loquutus est cum eis,*
& dixit; Confidite, ego sum, ne timete.

52 *Tunc ascendit ad eos in navigium, quievitque ventus: &* ipsi *multo magis*
apud sese obstupescebant, & mirabantur.

52 *Non enim intellexerant* quod factum fuerat *illis panibus: quoniam cor eo-*
rum stupidum erat.

53 *Et quum trajecissent venerunt in terram Genezaret, & appulerunt.*

54 *Tunc ipsis egressis è navigio, statim agnito eo,*

55 *Percursa tota illa circumjacente regione,* homines loci illius *cœperunt in*
grabbatis male affectos circumferre ubi audiebant eum esse.

56 Et quocumque introiisset in vicos aut urbes, aut agros, in foris ponebant agrotos: & precabantur eum ut vel fimbriam pallii ipsius tangerent: & quotquot tangebant eum, servabantur.

IOAN. *cap. 6. à vers. 16, ad 22.*

16 Ut autem serum dici *factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.*

17 Et ingressi navigium, ibant trans mare Capernaumum versus: jam autem erant tenebræ, nec venerat ad eos IESUS.

18 Et mare, vento magno flante, insurgebat.

19 Provecti vero quasi stadia viginti quinque aut triginta, conspiciunt IESUM ambulantem super mare, & appropinquantem navi: & timuerunt.

20 Ille vero dixit eis; Ego sum, ne metuite.

21 Cupide ergo receperunt eum in navigium, & statim navigium pervenit ad regionem in quam ibant.

ANALYSIS.

MARC. 6,46. Effectum Christi, 1. quod discipulos amandabat, 2. quod se in montem recepit; quod suo fine declaratur, ut oraret. Cujus alius finis notatur apud *Ioannem*, ut declinaret turbæ vim quam illi illaturi essent, ut illum regem crearent.

Vers. 47. Effectum mandati Christi, ad discipulos qui se mari commiserant; quod adjuncto tempore notatur, nempe cum advesperasceret: deinde alio tempore adjuncto, cum Christus solus se ad orandum Deum convertisset.

Vers. 48. Adjunctum hujus in discipulis obsequii, nempe quod in mari jactati & cruentati sunt; quod subjecto loco declaratur *Matt.* 14, 24. & causis, vento adverso, & *Matt.* 14, 24. fluctibus efferatis & tumidis. Cujus cruentationis effectum est, Christi ad illis subveniendum adventus; quæ sua causa prius describitur, nempe quod vidit & prospexit ex monte illos jactari: deinde accessus ejus sua forma describitur, nempe inambulans mari.

Vers. 49. Hujus inambulationis effectum est, discipulorum visio, visionis timor, timoris exclamatio. Quorum omnium causa *Matth.* 14,26. indicatur, quod spiritum se putabant videre, sive hominis potius speciem & simulachrum, quam verum hominem.

Vers. 50. Deinde proponitur adjuncta consolatio adversus timorem, &c. quæ sua causa efficiente declaratur, Christi sermone; qui sua forma proponitur, *confidite:* cujus effectum est, depulsio timoris: utriusque autem causa assignatur, quia sit Christus, non ut illi falso opinati sunt, phantasma.

MATTH. 14,28. Hujus consolationis & fiduciæ adjunctum est, præfidentia in Petro; quæ suo effecto declaratur, petitionis ut ad Christum mari inambulando accedere liceret.

Vers. 29. Petitionis effectum est, ejusdem per Christum concessio: concessionis effectum, Petri ex navigio in mare descensus: item mari inambulatio.

Vers. 30. Adjunctum ambulationis erat, ventus subito subortus; cujus effectum, timor in Petro; qui amplificatur adjuncto tempore, simul ac ventum vidisset: alterum effectum, quod cœpit mergi; cujus effectum est, precatio; quæ suo adjuncto clamandi amplificatur, & forma, *Serva me.*

Vers. 31. Effectum precationis, quod Iesus illi succurrit; cujus causa efficiens notatur, apprehensio manus Petri; effectum vero timoris est, reprehensio Christi; cujus timoris causa indicatur, fidei imbecillitas.

MARC. 6,51. Narratur effectum aliud Christi, ascensus Christi in navem, & ejus adjunctæ tempestatis sedatio: cujus sedationis effectum est, admiratio & stupor discipulorum.

Vers. 52. Stuporis vero causa, quod non satis profecerant ex miraculo de panibus: utriusque causa efficiens indicatur, cordis obfirmatio.

Vers. 53. Effectum trajectionis maritimæ notatur, appulsus ad littus; quod suo subjecto declaratur, nempe ad terram Genezaret.

Vers. 54. Effectum aliud est, egressio ex navi; cujus adjunctum est, notitia adventus ejus.

Vers. 55. Effectum ejus, multorum ad illum concursus; quod suo fine declaratur, ut sanitatem consequerentur.

Vers. 56. Cujus finis effectum est, petitio ut illum tangerent; quod amplificatur comparatione minoris, ut vel fimbriam vestis contingerent.

METAPHRASIS.

A Mandatis jam discipulis, in montem se recepit, cum ut turbæ se in regem inaugu- MARC. 6, 46.
raturæ insaniam declinaret, tum ut loci solitudine commodius orationi vacaret. Cum vero 47.
advesperasceret, erat navigium quod discipuli inscenderant, & quo è portu Bethsaidæ Capernaum versus iverant, in medium mare impulsum, interim Iesus solus in monte remansit.
Qui qua Deus est, illos remos impellendo ja- 48.
ctatos & vexatos ipse probe cognitum habebat, ventus enim validus, idemque illis adversus, à Deo & Christo per spiritum immissus, lacus fluctus efferos & tumidos reddiderat. Tertia autem post mediam noctem circiter hora, cum jam 25. aut 30. stadia emensi fuissent, venit

ad eos Iesus mari inambulans; sed quod illos errore spectri territos fore admodum noverat, illos recta non adibat, sed tanquam prætereuntis, & alterum latus eorum deflectentis speciem
49. *præ se ferebat. Quem cum discipuli mari inambulantem conspexissent, quod spiritum se videre credebant, & spectrum seu simulachrum hominis potius, quam verum hominem, ad unum omnes consternati exclamarunt, gra-*
50. *vi metu commoti. Iesus miraculo tremefactos videns, sermone habito illos absque omni mora recreavit. Dicebat enim; confidite, ego sum ille magister vester, non spiritus aut spectrum, quod vos falso existimatis: quamobrem timo-*
Matth. 14,28. *rem hunc pellite. Ad quem Petrus, sumpto jam spiritu & fiducia, respondit: Domine, si tu is es, jube ad te tuo exemplo mari*
29. *inambulans veniam. Cui Iesus: age, ut venias jubeo: proinde Petrus navi egressus, aquis tanquam instrato pavimento inambulavit: non aliud spectans, quam ut ad Iesum præ ar-*
30. *dore amoris quam celerrime accederet. Sed cum ventum validum exortum vidit, qui prius pedibus mare calcare non dubitasset, nunc trepidat. Cumque jam submergi cœpisset, exclamat, dicens: Domine me pereuntem ser-*
31. *va. Iesus autem è vestigio manu ejus extensa, illum ad se accepit, eumque sic affatur: quid est quod fide vacillans addubitaveris, in diversas de salute tua sententias distractus?*
32. *Quamprimum vero navigium inscenderunt, duo porro insignia miranda edita sunt: nam & vento sedato mare tranquillum erat, & illi uno quasi momento admirabili Dei potentia*
Marc. 6, 51. *ad portum appulerunt. Discipuli vero supra modum valde attoniti, horum tot & tantorum miraculorum commendatione: ad admirationem obfirmati non ita profecerant, ut*
Matth. 14,33. *hæc ab illo fieri posse crederent. Quorum quidem miraculorum fructus hic longe præstantissimus extitit, ut illum venerabundi ut verum Deum adorarent, & simul clare professi sunt, illum vere & reipsa Filium Dei unigenitum*
Marc. 6, 54. *esse. Vix dum pedem è navigio extulerant, quin eum agnoscentes, non ipsi tantum accesse-*
55. *runt. Totam illam circumjacentem regionem circumcurrentes, cœperunt infirmos gra-*
56. *batis allatos coram illo sistere. Quocumque vero sive in vicos, sive urbes, sive agros perrexit Iesus, eo infirmos in ipso medio foro (ubi forum subjectum erat) infirmos sistentes ab illo petebant modo (audita fama de mulieris profluvio laborantis sanatione) ut illis vel vestis fimbriam contrectare liceret. Nec spe sua falsi sunt; quotquot enim vestis fimbriam tetigerunt, à suis quibus laborabant infirmitatibus persanati sunt.*

PRAXIS.

Sequitur *altera pars* de comprobatione veri & spiritualis regni, quod dupliciter fit.
- Mari, — Horũ tentatione.
- Terra, — Istorũ muneratione.

In *tentatione* consideratur
- Generalis, omnium discipulorum.
- Specialis, Petri.

In generali tentatione notandum, discipulos perinvite à Christo discedentes, ab ipso tamen explorari: qui ad eum finem & tempestatem excitarat, & contrarios & illis adversos ventos disposuerat, certo consilio, ut sicut eos prius in scientiæ & intelligentiæ ratione pertentasset, ita nunc in virium & fortitudinis ratione illos experiretur. Reperiuntur enim qui scientia valentes & intelligentia, tamen ad agendum inepti sunt; qui oculis bene [illegible] præditi sunt, iidem vecordes su[illegible] similes qui manibus & pedibus capti sunt; qui *viri* intelligentia, *pueri* autem sunt rebus gestis: cum in Christianæ pietatis corpore, membra omnia apta quadam inter se convenientia cohærere debeant. Christus illos ad gravissimorum certaminum perpessionem ex Apostolatus ratione destinarat. Priusquam igitur illos in pulverem & in apricum educit, veluti in umbraculis exercet. Sic duces suos milites formant. Sic Scholastici in privatis parietibus exercentur, priusquam ad publicas disputationes admittuntur. Sic nautæ veluti in Sympulo primum probantur, quam cum Oceani immanibus fluctibus committuntur. Quod non tantum ministris, sed piis omnibus, &c. Vers. 22. *Cur Christus discipulos in hoc periculum adduxerit?*

Hæc tentatio durior erat quam prior, de qua ante cum in Gadarenorum agrum trajiceret. Nam ad tempestatem accessit, cum quod ventus adversus fuit, tum quod Christus non adfuit jactatis. Tantum igitur abest ut profligato uno malo, tranquillitas expectanda sit, ut prima quaque victoria ad insequentis belli depugnationem tanquam singulari adminiculo utamur. Item hic docemur à levioribus tentationibus initio sumpto, ad graviora deveniendum esse. *quod præcedente durius:*

Quod autem Christus hoc tempore abesse voluit, id fecit ut interiorem periculi sensum conciperent animo, & eos acrius pungeret. Sic itidem Christus hoc tempore facit, sæpius ut se & præsentiæ suæ per spiritum Vers. 23. *cur tunc ab illis abesse voluerit?*

tum

tum illustre testimonium ad tempus in hunc finem subducat, ut graviore mali sensu perculsi, & infirmitatis conscientia convincamur, & vehementius ad eum clamaremus. Vide *Cant.*3,2. & 5,4. Item Propheta queritur Deum procul stare, *Psalm.*10,1. Sic solent puellos ad momentum deserere, & languentes, ut quæ sit eorum imbecillitas sibi conscii, nihil temere audere doceantur.

Vers. 24. *illud ex temporis circumstantia & duratione gravatur,* Hæc tentatio aggravatur à temporis circumstantia; non tantum quòd noctu accidit, sed etiam quod ad quartam usque noctis vigiliam duravit. Vide *Ioh.*11. in Lazari historia. Nam quod quibusdam solatio esse solet, scilicet *laborem brevem esse si sit gravis*, hic locum non habuit; cum totam noctem Deus cum illis ut olim cum Iacobo luctatus sit. Hic igitur videtur alienum aliquid à pietate palam facere clementissimus Servator. Quis enim infantem in flamma cadentem non illico eruat? Et quod ad suos periclitantes non accurrit, sed procul consistens tanquam manu in sinum illata, se ad auxilium nostrum non accingit. Alienum etiam à promissione; qui tanquam alis venti ad nostram opem advolaturum in se recepit. *Psal.* 18. Notandum igitur celeritatem & festinationem non esse nostro judicio definiendam, sed Dei qui novit non tantum oneris gravitatem, cui ferendo humeros & vires aptavit, sed quamdiu illud feramus. Excoctor auri non patietur aurum in igne diutius defecari, quam auri expolitio patietur. Agricola non semper plaustrum tritico excutiendo superducet. *Esa.* 28,28.

hoc Christus ad eorum solatium procul videbat, Dicitur porro Christus vidisse & prospectasse in mari cum jactarentur. Quod eximiæ consolationis est: ne quis existimet Christum ignoratione mali in quo versabantur discipuli, moram traxisse. Singulari igitur cura eos complectebantur, qui oculum ad eos adjecit, ne quid gravius paterentur. Discipuli quidem Christum non videbant cum periclitarentur: sed Christus eos videbat, sicut parens aut nutrix loco occulto se abdunt, ubi illi infantem intueri possint quid agatur, cum tamen infans eos vicissim non videt. Sic *Exod.* 3. & *Act.* 7. *vidi, vidi,* vel *penitus perspexi,* utut connivisse, vel dormivisse videri potuerim. Hoc igitur nos animare debet, quod Christum ipsum certaminum nostrorum inspectorem habemus. Multum enim decertantes seu currentes recreat, si spectatores habeant plenos dignitate: si theatrum spectabile extruatur. Nos igitur qui spectatores Deum & angelos habemus, quo animo esse debemus? Neque tantum spectatores, sed qui nobis strenue nos gerentibus applaudunt: sed qui manum nobis porrigunt, sudorem abstergunt &c. vide *Heb.* 12,2. ἀρχηγὸν καὶ τελειωτήν.

Est etiam eximiæ consolationis, quod Christus etiam precatus noctu dicitur, interim cum illi jactarentur mari. Veniat igitur nobis in mentum tum cum nos periclitamur, Christum Patrem pro nobis interpellare, nec unquam manus in cœlum tendendo defatigari. Quod si Israëlitas mirifice recreavit Mosis ad Deum tensis manibus supplicatio, &c. Cum enim Christum Pater vere de nomine vocavit, seque facie ad faciem spectandum dedit, nihil est quod filio suo pro nobis intercedenti negabit. Conflictantes cum hoste mirifice reficit, si sibi defessis novas & recentes copias suffectas iri intellexerunt, &c. *etiam tunc precatus est.*

Deinde sub crepusculum diei Christus illos accedit, ut illis opem ferat. Sed attendite rem novam: nam plagam sanaturus, aliam priore graviorem infligit. Ita enim illis accedit mari inambulans, ut majore consternatione animi perculsi & perterriti sint. Perinde ac si subsidiariæ copiæ ad nos opitulandum submissæ, nobis adversæ & contrariæ venire viderentur. Quamobrem animum non despondeamus, tametsi quæ nobis auxilio fore promittitur, quandoque speciem quandam interitus afferant; Medicinaque quæ nobis à morbo restituendis paratur, nos ad tempus magis ægros reddat. Hujusmodi aliquid Israëlitæ in Ægypto experti sunt. Nam quo tempore Deus manum ad eos liberandum admovit, atque ob eam causam legatos misit, durius cum illis actum est: quod Mosen offendit. Vers. 25, 26. *Christus eis opitulaturus denuo perterrefacit;*

Quanquam hoc loco opinione & errore suo deteriore loco erant, non autem re ipsa. Ea enim vis est peccato, ut omnia sibi contraria fingat & comminiscatur: vel ea ipsa quæ illorum bono & consolationi fiunt. Sicut in fratribus Iosephi apertissime constat, qui argento donati sibi insidias collocari putabant: & ad convivium invitati, se ad carnificinam rapiendos esse existimarunt. Sicut enim hominibus securitate obstupefactis, malum quod imminet quodq; interminatur non sentitur; sic semel experrectis, omnia illis contraria videntur: etiam quæ illis alioqui cōsolationi forent. Quod autem præ se ferebat velle præterire, id fecit, vel ut tentationem *quod ex prava opinione non reipsa:*

tationem aliquanto auctiorem faceret, vel illis potius parcens quod gravius consternandos præviderit, siquidem ad illos appropinquasset, quandiu illam de se opinionem retinerent.

Vers. 27. *qui sua compellatione eos recreavit,* Christus igitur perterritos animadvertens, illos alloquitur;& se eum qui fuit profitetur. Cujus voce eos recreatos fuisse constat ex Petri responso. In quo illud liquet, quanta vis sit vocis divinæ & verbi Christi. *Cant.* 5,15. *Psal.* 119. Plus enim labantium discipulorum animos corroborat unicum Christi verbum, quam eximium & præclarum miraculum, idque ad præsentem calamitatem consolandam aptissimum. Nam nihil magis idoneum ad consolationem fuit, quam fluctus efferos maris à Christi pedibus calcari; sicut quodam in loco de Deo figurate dicitur. Cum igitur suavissimo hoc Christi sermone ne nunc quidem destituimur cum Christus in cœlis est, ut qui promiserit se nobiscum futurum usque ad, &c. oportet bono animo simus; sed præstat hanc clausulam ad finem proximæ sectionis apponere.

Vers. 28. *ita ut Petrus petat ad Christum accedere;* Sequitur jam specialis Petri tentatio. Is enim intellecta Christi præsentia ita recreatur, ut non modo præsens tempestatis periculum non formidet, sed aliud longe gravius subire paratus est; melius semper animatus quam armatus. Sed illud tamen prudenter addit, se non nisi Christi mandato instructum hoc aggredi velle. Cavendum enim ne temere & citra vocationem pericula adeamus, aut Deum tentemus. Sicut igitur Petrus nimium sibi confidebat, & plus se virium habuisse persuasus fuerat, quam reipsa habuit; tamen, &c. Christus enim pro cujusque modulo tentationem auget; eoque Petrum hic à reliquis evocat, ut singulare certamen ineat. Vide *Esai.* 28.

Vers. 29. *qui jubet eum mari inambulantem ad se venire,* Christus igitur tametsi probe norat Petrum non tam probe institutum viribus fuisse ac oportebat, aut tantam tentationis vim sustinendam, tamen jubet mari inambulantem ad se venire: ut suam imbecillitatem expertus & submissius de se sentiat, & de augendis fidei viribus studiose cogitaret. Egressus igitur de navi in mare, primo res pulchre cessit. Fides enim quam Christi verbo habebat, mare illi tanquam solidum pavimentum reddiderat. Vide *Heb.* 11,30. Sed si quis temere hoc sibi persuaderet sine promisso, falletur. Nam Petrus munitus erat promisso; quo instructi, nihil est quod dubitemus in mare descendere, ad flammam proficisci; super leones & basiliscos ambulare; imo vero ad inferos ipsos descendere.

Post autem cum à tempestate undæ fluctus intumescebant, ad eum modum timuit, ut etiam exclamarit. Vbi notemus, primo, Petro mare calcanti & inambulanti Christi mandato objectum esse novum periculum: sicut & ante, omnibus discipulis Christi mandato trajicientibus. Ne igitur se Deo rem ingratam fecisse putet quis, quod res cœpta non ex animi sententia procedat. Hoc videmus factum esse ab Israëlitis, qui jussi à Domino cum Benjamitis bellum miscere, post unam atque alteram repulsam Deum rogarunt, an cum fratribus confligerent. Vers. 30. *quem timor invasit,*

Vnde vero timor hic Petrum tam immoderatus incessit, qui prius tam confidens visus est, notatur cum dicitur eum ad venti vehementiam animum advertisse; deinde quod suam infirmitatem reputabat. Quod si ad Christi potentiam alterum oculum deflexisset, & ad propriam experientiam qua aquas mollissimas calcans, eisdem tanquam viæ stratæ inambulasset, nunquam hæsitasset fide. Ejusdem enim potentiæ erat eum ab illis fluctibus eripere, atque hanc illi facultatem calcandi maris concedere. Sic Abraham deflectens oculos à proprii & Saræ corporis intuitu, &c. credidit. Et certe fide stante nunquam concidisset, cum fide ferrum ipsum submersum enatavit. 2 *Reg.* 6,5,6. *idque ob venti vehementiam & suam infirmitatem;*

Inclamat autem Christum: non confuse aut clamose, ut homines & alia animantia ubi læsa sunt, sed ad nomen Dei tanquam asylum confugit. Et hic fructus est afflictionum graviorum in Dei filiis, ut illos ad invocationem nominis divini adigant. *quare Christi opem imploravit,*

Christus perhendens eum manu exemit Petrum timore. Non tantum enim verbo consolatur, sed ad pleniorem consolationem manum suam extendit. Nec dubitemus nunc etiam Christum nos manu, atque adeo dextra sua prehendere. Tametsi enim corporis manu nos non teneat, est tamen nobis semper ad dextram ne commoveamur, & dextera sua omnipotenti ita nos retinet, ut nullæ inferorum copiæ nos ab illius manu eripere possint. Vers. 31, 32: *qui eum prehensa manu timore exemit.*

Fructus vero & tempestatis subito excitatæ & sedatæ, una cum admirabili & inopinato navis appulsu, (quod quantum fuerit miraculum declaratur *Ioh.* 6. qui 25. aut 30. stadia emensa tantum fuisse docet; unde 15. aut secundum plurimos circiter 23. stadia adhuc Vers. 33, &c. *Ex hoc miraculo Christi divinitas agnita.*

adhuc emetienda erant) est Christi adoratio & agnitio, ad eum quo decebat modum: cum enim Dei Filium agnoscunt. Itaque qui ex beneficio admirabilis pastus eum non agnoverant, tamen ex miraculo quo castigati erant, eum agnoverunt: sic fit, &c.

IOH. *cap. 6, à vers. 22, ad 34.*

22 *Postero die turba quæ substiterat cis mare, quum vidisset illic non fuisse aliud navigium nisi unum illud in quod ingressi fuerant discipuli ejus, & IESVM non introisse cum discipulis suis in navigium, sed solos ejus discipulos abiisse:*

23 *(Alia vero navigiola Tiberiade venerunt prope locum illum ubi ederant panem, posteaquam gratias egisset Dominus:)*

24 *Quum igitur* inquam *vidisset turba IESVM illic non esse, neque discipulos ejus, ingressi sunt & ipsi in navigia, & venerunt Capernaumum, quærentes IESVM.*

25 *Et eo invento trans mare, dixerunt ei; Rabbi, quando huc pervenisti?*

26 *Respondit eis IESVS, & dixit, Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia edistis panes illos & saturati estis.*

27 *Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit,* id est, *Deus.*

28 *Dixerunt ergo ad eum; Quid faciemus ut operemur operibus Dei?*

29 *Respondit IESVS & dixit eis; Hoc illud est opus Dei, ut credatis in* eum *quem ille misit.*

30 *Dixerunt ergo ei; Quod ergo tu signum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris:*

31 *Patres nostri ederunt illud manna in deserto illo: sicut scriptum est, Panem è cœlo dedit eis quem ederent.*

32 *Dixit ergo eis IESVS; Amen, amen dico vobis, nequaquam Moses dedit vobis panem illum cœlestem: sed Pater meus dat vobis panem illum cœlestem verum.*

33 *Panis enim ille Dei is est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.*

PRAXIS.

CHristus quærentem se populum in Capernai Synagoga instituens, à suis ipsius discipulis partim deseritur, partim agnoscitur.

Cujus *partes* sunt, { Populi ad Christum convenientis, per Christum institutio in Synagoga Capernaum. | Institutionis fructus. }

In *priore parte* insunt *duo* { 1. de occasione concionis. | 2. de concione. }

Vers. 22. &c. *Turba Christum ad Capernaum secutas;* Et primum quidem hujus concionis auditores eosdem docet esse, qui in deserto miraculo multiplicati cibi interfuerunt: quos ipsos testes Euangelista producit, admirandæ Christi trajectionis; ut quos testes profert, cum unicam tantum navem fuisse qua trajiciebant duodecim, tum Christum eandem navem cum discipulis non esse ingressum. Cum igitur Christus nusquam conspiceretur in deserto, appellerentque aliæ naves solventes ex Tyberiade, illis conscensis Capernaum venerunt: ubi Christum offendentes, ab illo quando appulerant sciscitantur. Hæc populi Christum à cultis locis ad desertum, & à deserto ad culta sequendi diligentia, nunquam satis laudanda foret, nisi Christus infamiæ illam nota aspersisset.

Quærunt autem *Quando venit?* inde eliciturі, *quo modo* venit. Nam ex tempore promptum illis erat intelligere pedes ne venerit, an lacum pedibus trajecerit. Quærebant autem ut plerique faciunt, non tam ut discerent quod ignorabant, quam ut quod sciebant ostentarent. Quæ quæstio cujusmodi sit, ex Christi responso intelligemus. Vers. 25. *qui quando venerit interrogant;*

In Christi autem institutione insunt, { Reprehensio turbæ, miraculum panis ad alienum usum traducentis. | Ejusdem miraculi ad germanum usum revocatio. } Vers. 26.

Reprehensio est, quod Christum studiose sectarentur, non tam miraculi ipsius causa, quam quod ad satietatem comedissent. In *illi quod miraculum panis ad*

alienum usum traducerent reprehensi: quo duorum veluti lapidis jactuum, à recto sequendi Christum fine promoventur. Nam hoc ipsum, scilicet *miraculi causâ Christum quærere*, nec altius quid petere, per se vitiosum est. Quod ipsum alias Christus in Iudæis perstringit initio hujus *capitis*. Sed se & affectus suos ad res tam humiles & contemptas dimittere, ut in miraculis, non divinæ potentiæ experientiam, sed ventris pastum quærerent, indignius quiddam erat; nec aliud quippiam quam Christum animarum nostrarum pastorem, in gregarium aliquem stitarcham transformare.

hinc intimæ cogitationes Christo notæ, Hic observandum est, Christum cordium inspectorem esse, & de cujusque intimis cogitationibus cognoscere; eaque in illis animadvertere, quæ ipsi parum intelligunt. Tametsi enim specie tenus hic nihil visitur nisi singularis in Christum amor, fervens ad eum audiendum ardor, studium indivulsæ cum eo conjunctionis; tamen Christus nihil horum esse docet, quod illos ad se quærendum perpulerat: sed tantum ut ventrem implerent. Quod non levi conjectatione, aut suspicione, sed vehementi & iterata asseveratione ita esse confirmat. Nam ex signis somnolentæ auditionis, frequentioris à concione absentiæ, aut cunctantis & tardi accessus, aut parum attentæ auscultationis, merito quis conjecturam neglecti verbi colligat; sed cum horum aliquando causæ non contemnendæ existant, nisi in hoc genere quis excellat, non facile de illo quid certi statuatur. Hic reputemus quid profuturum sit nobis, si totus cætus nos pios & religiosos ducat, si Christus secus judicet? Si omnium oculos, etiam Angelorum fallat hypocrisis, Christi autem oculos flammantes fugere nequit: si suo fuco aliis omnibus imponat, cum ejus turpitudo coram Christi oculis aperta & retecta sit. Equidem si aut homines aut Angeli judicium de nobis ferrent, prodesset plurimum. Nam cum non nisi ex aurium & oculorum testimonio judicant, non possunt non secundum illos specie tenus pios judicare.

ideoque sincere ad eum accedendum. Quid profuerit reo si sociis & circumstantibus suam innocentiam probaverit, cum eum judex criminis convictum teneat? Quamobrem nos semper ad Christi tribunal sistamus; ei nos probemus: demus porro operam ut nos ipsos pertentemus penitus, quo animo accedimus; ut ne aliis sic & nobis ipsis imponamus. Neque enim existimandum est, quin isti (quod suos affectus non explorarint) de se bene existimarint; neque sibi male conscii fuerint, tanquam pastus causâ eum tantum quæsivissent. Quod vero de nostra exploratione dico, id hujusmodi est, ut nos ipsos ad rationes revocemus quo animo accedimus; & num accederemus nisi aut autoritate aliorum commoti, aut ut honestam existimationem tueamur, &c.

Hujus miraculi abusus in quibus consistat? Deinde notemus sacrilegum miraculi abusum; quo quod ad animorum pastum informandum editum est, ad ventris pastum contorquent. Tametsi enim corpora eorum reficere voluit, non tamen alium ob finem hoc fecit, quam ut se animorum pabulum esse ostenderet. Abuti autem Euangelii professione ad res tam abjectas, est eam, quantum in nobis est, pedibus calcare. Dedit quidem corporis pabulum, sed tanquam spiritualis pastus condimentum, sine quo cibo condimentum ipsum toxicum est. Dedit ut sponsus suæ sponsæ armillas annulosque dat, non ut illis acquiescat, sed ut ad sponsi amorem excitetur. Sed hominibus prophanis solemne est, veritatis professione ad vitæ commoda abuti. Sic miscellanea illa turba Aegyptiorum, quæ castra Israëlitarum secuta est, sic etiam liquet illum fecisse, cui se in Christi comitatum ingerenti Christus dixit, vulpes foveas habent, &c. Quod certe hi faciunt, qui magis ut parentibus, heris, principibus, &c. placeant, Euangelium profitentur, quam quod illius amore ducuntur. Quid, quod quidam **Euangelicorum** nomine ideo se palliant, ut sub hoc titulo facilius aliis quibuscum commercia exercent, imponant.

Vers. 27. illud ad cibum ad vitam æternam permansurum erat referendum, Deinde sequitur pars altera, de miraculi ad rectum usum revocatione: scilicet, ut laboriose quærant cibum non periturum, sed ad vitam æternam permansurum. Hominum igitur ventri deditorum & veluti pecudum terrestres affectus, ad cœlestium rerum studium attollit. Et quo rem expetibiliorem illis reddat, comparat veram Dei notitiam alimentis: ac si diceret; siquidem vobis cibus tantopere placet, comparate vobis cibum animi, qui ad futuram vitam altos & enutritos conservabit. Sic *Amos.* 8. cum pane comparatur verbum, & *Esaiæ* 55. cum lacte, &c. & *Matth.* 13. & *Hebr.* 5. ut sciamus eandem esse rationem hujus generis cibi ad vitam æternam, quæ est hujus cibi ad vitam præsentem conservandam. Tametsi enim non perinde sentitur hæc macies & fames, ut illa quæ ex corporei cibi desiderio existit, tamen non

non minor est in præsentiarum, & ejus post morsus & sensus acrior: ad eum modum, ut instar Aegyptiorum rabie quadam & furiis, ex hujus panis desiderio corripiantur. Tempus enim veniet cum pro unica panis mica, qui totos jam panes pedibus suis proterunt, universum terrarum orbem commutare expetent: nec quod cupiunt assequentur.

non ad cibum qui perit;

Hunc cibum, primum ab adjuncto commendat: scilicet duratione. Quod etiam amplificat, ex caduca & vieta terrestris cibi ratione. Eodem prorsus argumento utitur *Iohan.* 4, 10, 13, 14. Cibus enim hic ingestus, rursus egeritur *(is cast out)* & in secessum exoneratur, unde novo cibi supplemento opus sit, sine quo certissime peribit, tametsi ventrem ad summum usque infartum habeat. Sed qui vel micam unam ex hoc pane, aut guttam unam ex hac aqua degustaverit, is nunquam nec fame nec siti periturus est. Non enim excernitur *(purged forth)* sed nobiscum coalescens nos adolescere facit; donec, &c. Mirum igitur est homines tam stupidos esse, ut in altero cibo parando totam fere hebdomadam consumant, cum illis vix ad tres horas vacare liceat, ad illum perennem cibum comparandum &c.

Sed, inquit aliquis, quorsum hoc? cum unica buccella refectus, aut gutta, nunquam post esuriet aut sitiet, nec periturus. *Vide quæ prius notantur in Iohanne 4, 13, &c.*

isque à Christo proficiscitur,

Cibum etiam istum commendat ab efficiente: scilicet quod à Christo &c. ubi sicut se puteum docet unde perennis aqua petitur *Ioh.* 4. ita se nunc summum hujus spiritualis cibi œconomum esse declarat. Sicut enim olim non nisi Iosephi opera frumentum distractum & distributum est; sic non nisi per Christum ad ullum Dei alimentum patet aditus. Sed quo majore cum fiducia & audacter eum de hoc pastu appellemus, tametsi Dei Filius sit, se tamen filium hominis appellat, ut illum tanquam fratrem appellemus: eoque non tantum hominem, sed pauperem, & asino inequitantem & insidentem inducit. Non est igitur hic cibus in præupto loco *(a steep place; dangerous to get up by and ill to come to &c.)* nec puteus inaccessus & avius est, &c.

& eum gratis daturus est,

Quod *daturum* se dicit, altero adjuncto cibum hunc commendat *Esai.* 55. *Emite sine pecunia.* Quo major est hominum improbitas, qui tanti periturum cibum redimentes, hunc cibum æternum gratis nobis præbitum tam fastidiose respuunt. Hic etiam profuerit meminisse quam infinitos sumptus *Papistæ* fecerunt, ut cibum nihili, vel fumum potius, imo venenum consequerentur.

cujus hoc miraculum sigillum speciale.

Se vero datorem unicum esse probat ab adjuncto sigillo quo Deus Pater eum obsignavit, & eum à reliquis omnibus distinxit. Signaculi & sigilli loco sunt in universum miracula, quæ eum Messiam comprobant; speciali vero & singulari ratione hoc miraculum panum: quod non tantum eum esse Messiam ut reliqua declarant, sed speciali quadam ratione docet panem vitæ ab eo solum petendum. Ita ut speciales fines hujus miraculi duo sint; prior ut promissum obsignet, quærentibus regnum cœlorum hujus vitæ præsidia suppeditanda fore; alter, ut doceat Christum unicum esse qui cibum cælestem præbet: quod toto fere hoc capite exequitur. Atque hoc peculiare pœne Iohanni est, specialem usum miraculorum miraculis ipsis subjungere, ut *Ioh.* 9. & 11. *&c.*

Vers. 28. *Quo animo quærant Iudæi de operibus Deo præstandis?*

Apparet ex hac interrogatione, Iudæos superiorem sermonem de cibo nunquam perituro, recte intellexisse de futura vita persequenda. Quamobrem, tanquam illa operibus redimeretur, quærunt quæ demum ea opera sint quibus agendis Deum promereantur & sibi obstrictum habeant: non etenim quærunt qua via itur ad viam æternam, sed quæ demum opera sunt quibus adquiritur vita æterna. Hanc enim opinionem natura & suopte marte homines imbibunt, tametsi nullius doctrina instructus quis sit. Quanquam Iudæos porro doctorum suorum corruptelis depravatos extitisse verisimile est: scimus enim Scribas unam atque alteram de vita æterna consequenda quæstionem instituentes, illam in operibus collocasse. Hoc autem uno *Pontificiis* tolerabiliores videntur, quod non nisi operibus à Deo præscriptis servari se posse putant.

Vers. 29. *quæ Christus rejicit iisque fidem in se substituit:*

Responsio Christi ita ad illorum quæstionem conformatur, ut sententiam Iudæorum de salute per opera paranda, stirpitus convellat. Perinde enim est ac si diceret: si operibus vosmet servare constituitis, scitote non alio vos opere salvos iri quam fide in me. Multa sunt Dei opera, sed in illis omnibus nullum est quod vos salvos reddat, præter fidem in Filium. Atque hoc modo utrumque complexus est, quod in superiore adhortatione comprehendit: nempe, cum quis sit cibus nunquam periturus, tum quomodo à nobis paratur & percipitur.

Hic

hinc fide justificamur, Hic igitur notemus fide nos justificari: fidem veluti os esse quo salutarem cibum accipimus; & veluti manum, qua eundem prehendimus. Sicut enim ore tantum cibos percipimus, non auribus, non pedibus, naribus, &c. sic non charitate, non &c. cibum vitæ acquirimus. Et quanquam nemo ore cibum accipiat qui alia membra non habeat, & tamen ore tantum cibum percipit; sic &c.

non hac ut opus considerata. Occurrendum *Pontificiis*, qui hinc nos operibus justificari tradunt, quod fide quæ opus est justificamur. Nam primum, est *μετωνυμία* adjunctæ fidei, pro subjecto Christo: ut si manum eamque mancam & ineptam ad operis aliquid faciendum dicamus nos ditasse, quod infiniti pretii margaritam acceperit: aut si lecythum aut cantharum (*a pot or jugg*) à morte nos eripuisse dicamus, quod aquam aut vinum sine quo perituri eramus continebat. Deinde fides est ita Dei opus ut nostrum non sit, utpote in quo Deo non cooperamur, sed mere Deum operantem patimur; cum in aliis bonis operibus Deus ita operetur, ut nostræ animæ facultates ab operatione non excludantur.

Vers. 30, 31. *Judæi ad Christo credendum signum requirunt,* Fide salutem acquiri non videntur resistere; sed Christus ne is sit cui fidendo salutem consequantur, id demum tanquam quod à vero remotius esset in disceptationem adducunt. Nec enim credibile est eos prioris quæstionis veritati cessisse, quum controversiam non nisi ab adjuncto signo vel ostento cœlitus edendo, dirimi volunt. Vtuntur crypsi syllogismo, ubi propositio subticetur, sic: huic tuto non creditur quem miraculis Deus nondum Mosi æquarit; sed Deus Mosi te nondum æquavit, cujus ministerio panem nobis cœlitus præbuit; proinde tibi non tuto creditur.

quomodo illud cum Prophetam illum agnoverint? Hic *quæri* potest, quomodo iterum in controversiam vocant, quod prius agnoverunt, scilicet Christum esse Prophetam illum.

Respondeo, aut alios hos ab illis fuisse, aut vento mobiliores, qui quod reprehensi sunt, & quod cibus perceptus & concoctus jam non amplius gustaretur, sententiam mutant. Ita fit à plerisque quibus Euangelium primo avide arripitur; sed post cum quis eorum voluptatibus, crapulis, intemperantiæ &c.

non male tamē Messiam Mose inferiorem nolunt, Et quidem in eo non male sentiebant, Messiam scilicet in Mose adumbratum non oportere rebus gestis eo obscuriorem esse. Tametsi enim Moses quadraginta totos annos pavit, non 5000. sed 600000. &c. Sed quod assumunt Christum minus nobilitatum esse, quod nullum è nubibus ab illo signum editum est, crasse hallucinantur. Suos tamen doctores exprimunt, ut facile Scribarum & Pharisæorum discipulos agnoscas. Qua de re vide ante in *Matth.* 12, *à vers.* 38, *ad* 43. & *Luc.*11, *à vers.* 33, *ad* 37. Tametsi se proprio gladio jugulant. Nam cum patres in deserto, ipsi vero urbes incolerent & culta loca, longe alia ratio fuit. Nam terram ingressis Man suppeditatio destitit.

Hac autem ratione se egregie produnt crapulæ & ventri deditos; sicut Christus de illis diserte confirmarat. Nam cum multa miracula per Mosem edita sint, ejus tantum delectum faciunt quod ad ventris farturam referebatur. Non dissimilis fuit Israëlitarum perversitas, qui cum multifariam Dei infinitam potentiam experti essent, illum tamen infirmitatis condemnare parati erant, nisi coturnices etiam & aquam suppeditasset. Nec est quorundam apud nos dissimilis ratio, quibus nisi ventri indulgere permittatur, in Euangelium aut Euangelii præconem maledicta congetere parati sunt, utut se cæteroquin fideles Christi ministros præbeant. *sed quod signum comestionis petant se ventri deditos produnt.*

Probat Christus majore Deum erga eos in præsentiarum effusione usum fuisse, quam olim erga majores ipsorum; & præstantiorem panem dedisse; comparatione dissimilium. Dissimilitudo autem statuitur primum in subjecto loco, scilicet quod panis ille qui ministerio Mosis præbitus est, è cœlo sublimi non venit, sed è nubibus; nec aliter *panis cœli* quam *aves cœli* vocantur: quæ tamen supremum cœlum non petunt. Panis autem quem jam præbet, à summis cœlis dimissus est. Si igitur Man vobis hoc nomine præstans videtur, quod è nubibus deplutus, quanti æstimandum judicabitis hunc panem qui impræsentiarum vobis apponitur, qui ex summis cœlis delapsus est. Ecquis est qui non libenter ex fructu terræ Canaanis tam laudato gustaret? Quod si daretur ex fructu arborum in paradiso consitarum comedere, nemo est qui non magno hoc pretio hæc redimeret; & tamen labruscæ sunt & sorbi (*service trees*) quæ sunt in illis delicatissima, præ fructibus quæ in monte cœli altissimi crescunt. Quo etiam declaratur cibum hunc nunquam periturum esse, ut qui sit cœlestis & incorruptus. Vers. 32. *Discrimen benignitatis divinæ in Christo & in Mose*

Deinde dissimilitudo statuitur in efficiente; Deo Vers. 33.

etiam quod Christus toti mundo cibus, cujus Man tantum typus:

te; Deo scilicet, & Mose. Tametsi enim Deus Man dederit, tamen quoniam Mosis ministerio datus est, aliquousque Mosis panis dici potest. Hic autem panis non nisi à Patre immediate datus est, eoque etiam *panis Dei* dictus, cum *Man* & *Mosis panis* & *Angelorum panis* dici queat: quantum igitur interest inter Mosen seu Angelos & Deum, tantum etiam intervalli est inter *Man* & illum *panem* qui Iudæis præbebatur. Homines fructus arborum honestis & honoratis manibus consitarum, aliis quæ ab ignobilioribus satæ sunt, præferunt; tametsi ii ab illis præstanti sapore non differant: quanto igitur magis, &c.

Huc accedit aliud subjectum quod panem istum commendatiorem reddat, scilicet, quod cibo futurus sit toti mundo; omnesque quotquot crediderint exsatiaturus: non tantum Iudæos.

Huc accedit comparatio dissimilium ab effectis, scilicet quod vitam præbet vel mortuis; & in vita agentes à morte vindicat; quorum neutrum alius panis facit: de quo prius. Atque ex iis omnibus conflatur alia dissimilitudo adjunctæ *veritatis*, tanquam Man cum hoc pane compositus esset adumbratus & imaginarius panis; hic vero *verus* & *sincerus*. Et certe quicquid unquam sacri panis extitit in lege, sive panis propositionis, sive *azymus*, sive Man, hujus panis typi & umbræ fuerunt. Qui omnes si ab isto pane separentur, inflant potius quam solidum aliquod alimentum præbent. Figurati enim panis baculus & quasi scipio, in hoc pane & ab hoc pane petitur. Quanquam ex sequentibus ἀληθινὸν hoc loco opponi *imperfecto* magis quam figurato colligitur, ut cum dicit; *Caro mea* vere cibus est.

Sed hic *excipiat* quis, Christum nimis abjecte de Man loqui, quod Sacramentum etiam fuisse, non tantum caducum panem constat 1 *Cor.* 10.

an sic non nimis abjecte de Man loquatur?

Respondeo, Christum respondisse accommodate ad turbæ sensum, qui nihil in illo man præter ventris cibum spectabant: tametsi Christus tanto cibum Man præstantiorem (sui exhibitione) suppeditat; quanto signatum signo præstantius existit. Sacramentum enim non, ut quidam delirant, vitam tribuit; sed de vita prius collata certiores reddit.

IOH. *cap.* 6, *à vers.* 34, *ad* 41.

34 *Dixerunt ergo ei; Domine, da nobis semper panem istum.*

35 *Dixit autem eis IESUS; Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.*

36 *Sed dixi vobis, certe & vidistis me, & non creditis.*

37 *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras:*

38 *Quia descendi è cœlo ut exsequar non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

39 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me,* id est, *Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.*

40 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut quisquis conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & suscitem ipsum ego ultimo illo die.*

ANALYSIS.

Effectum superioris sermonis describitur, petitio panum à Christo; cujus forma est; *Domine da nobis semper istum.*

Vers. 35. Cujus petitionis effectum est, Christi responsum, se esse illum panem; qui proprio subjecto describitur, credentis in eum; qui etiam pari illustratur, venientis ad eum: deinde proponitur effectum, quod vitam largitur æternam; quæ paribus illustratur, nunquam esuriendi aut sitiendi.

Vers. 36. Objicit illis eorum incredulitatem, quam amplificat à diversis, tametsi illum viderint.

Vers. 37. Eorum incredulitatem declarat adverso, subjecto nempe eorum qui ad se veniunt. Cujus causam summam notat, quod sint dati à Patre: & adjunctum proprium, illos nunquam à se rejici.

Vers. 38. Cujus causam finalem assignat, quod descendit è cœlis, ut Patris voluntatem perficiat; quod suo disparato confirmatur, non venisse ut suam propriam voluntatem perficiat.

Vers. 39. Speciem unam paternæ voluntatis explicat, ut nihil ex eo perdat quod Pater ei dedit: ubi prolepsis est tacita; occupatio est ab adjuncta morte, quam etiam electos necesse est pati; subjectio est, à causa vitæ æternæ, quod à Christo è mortuis excitabuntur; quæ suo adjuncto exponitur, ultimo die.

Vers. 40. Alia species voluntatis Paternæ.

METAPHRASIS.

34. *TVm dixerunt ei turba; Domine, pasce nos hoc pane gratis dato è cœlis: legimus enim quod majores nostros, Moses tali cibo quadraginta annos pavit. Dixit autem ei Ie-*
35. *sus; præter me panis ille non est quisquam alius, is sum de quo dixi, panis vitarum, nec causa, ut illum tanquam absentem stulte requiratis; qui venit ad me mea carne veluti pastus, eorum indigentia quæ ad vitam æternam tuendam pertinent, tanquam fame nunquam urgebitur: id est, is qui credit in me, nunquam indigentia, eorum quæ ad vitam æternam spectant, tanquam siti torquebitur.*
36. *Sed sicut memini me vobis dicere, vos miraculorum ergo quibus fide in me incumbatis me non requirere; sic rursus ad majorem rei certitudinem repeto, vos fide in me non acquiescere: tametsi cum doctrinam audivistis & miracula vidistis, quæ me eum esse clarissime evincunt, cui vos fidere & in quo acquiescere cum*
37. *officio summo conjunctum est. Nec deerunt tamen qui mihi fide adhærescent. Quoscumque enim Pater ab æterno electos mihi dederit homines, fide ad me venient, divini autem doni loco eos habens qui fide ad me veniunt, ex Ecclesiæ cœtu (quæ domus est Dei viventis) cui*
38. *se per fidem adunarunt, ejicio neminem. Sumpta etenim humana carne è cœlo ob personalem unionem descendi, non ut voluntatem meam quoad homo sum faciam (quæ tamen erga fideles propensa est) sed ut expleam vo-*
39. *luntatem Patris qui me misit. Est autem voluntas Patris qui me misit, ut quemcumque dono mihi dederit, eos ego omnes ex interitu prorsus vindicem: tametsi enim mortis, omnium hominum communis, interventu corpore ad tempus dormiant; eos tamen ego extremo judicii die, propriæ resurrectionis virtute, vitæ*
40. *consortes faciam. Est porro voluntas ejus qui me misit, cui penitus explendæ, sumpta carne, è cœlo descendi: ut quisquis Filium probe ex verbo cognitum habens in illum crediderit, vita æterna fruatur: ut quem ego extremo judicii die, propriæ resurrectionis virtute, è mortuis excitabo.*

PRAXIS.

Vers. 34. *Iudæorum stupiditas quod panem cœlestem sibi dari petant,*

ILli homines qui ventri addicti & devoti sunt, difficillime cogitationes suas à caducis & corruptis alimentis abducunt: sibi igitur hunc cibum præberi semper petunt. Christus autem perspicuitate sermonis sui eos prius hoc cœno extraxisse videri posset. Nunc vero, tametsi singulæ pœne voces à corporis pastu ad animi pabulum intelligentiam eorum revocarent, tamen propensione quadam ad caduca hæc relabuntur. Difficilius enim est illud quod penitus insitum est & innatum, eximere. Nec vero eorum hoc loco sanior & incorruptior sensus est, quam Samaritanæ fœminæ idololatræ. *Iohan.* 4, 15. Vide *Luc.* 14. Vt non frustra queratur Propheta, satius esse lactentes infantes docere, quam hoc hominum genus.

Vers. 35. *quem se esse Christus profitetur;*

Nunc se cibum esse illum profitetur, quo ad vitam æternam pascuntur; qui nobis pro esculentis & poculentis est qui ad vitam perennem nos pascunt. Idem igitur & cibum dat, & cibus est qui datur; idem pastor, & pascuum; idem convivator, & epulæ; sicut idem est altare, sacrificium & sacerdos. Quod si singula illa argumenta pertractemus, quæ prius attacta sunt, facile intelligemus in nullum præter Christum illa aut eorum aliquod competere. Nemo enim est qui ex supremis cœlis & ex throno majestatis descendit præter ipsum: nemo à patre datus; nemo non modo toti mundo, sed ne minimo in mundo homuncioni exsatiet, præter Christum; nemo vitam in se manentem habet quam convivis præbeat & communicet.

Hujus convivii splendori adumbratur alquousque *Prov.* 9. & *Matth.* 22. & *Luc.* 14. Item *Psal.* 23. ubi mensa instructissima esse docetur, & calix exuberans, nec quicquam nobis defuturum promittitur. Item *Ioh.* 10, 9, 10. Sicut enim in pastibus quos Christus præbeat, expletis omnibus pascentibus analecta (fragmenta) quædam supererant; sic, &c.

quomodo dicat sitim per eum restingui?

Quod autem sitim restingui hoc pane dicit, ideo dicitur, quod *panis* voce in Scriptura sæpe & esculenta & poculenta comprehenduntur: ob eamque causam *panis* potius mentionem fecit quam alimenti, ut prius *cibi*; ut constaret antithesis ad *Man*, panem à Iudæis objectum. Qui igitur glandes suas & siliquas cum similagineo hoc pane; qui cum præstantissimo hoc vino, turbidam & lutulentam aquam admiscet; eum oportet insignem Deo injuriam facere; neque proficit quicquam, cum nullus sit panis vitam præbens præter Christum. Pascunt igitur se aëre & vento tantum, &c.

hoc fit eis qui fide ad Christum accedunt;

Alia pars propositionis est, quo modo hoc percipitur. Quod apte & clare explicat, cum dicit *accessu ad Christum* hoc fieri; quem accessum, *fide* fieri indicat. Quo in sermone abrumpit allegoriam quæ *manducandi* & *bibendi*,

bibendi, deglutiendi, &c. verbis persequenda erat, ut facilius intelligerent nihil hic corporeum aut terrestre esse. Hic igitur necessitas hujus cibi potiundi nos incitare debet, cujus longe major usus est, quam panis ad hanc vitam. Nam non solum pane vivit,&c. quum tamen nisi accessu & fide in Christum nemo salvus sit. Deinde, quod descendit ad nos assumpta carne nostra, cum nos illum accedere neque cœlos scandere poteramus, unde *filium hominis* hunc panem daturum dixerat. Idque facit dum nos quotidie, missis servis suis, invitat, & legatis qui nos, &c. Huc referuntur quæ prius dicta sunt, de præstantia hujus panis. Sicut igitur nullus est alius panis quam Christus; ita nulla est alia via qua communicemus Christo præter fidem. Quod adversus illos notandum est, qui unumquemque in sua religione servatum iri confirmantes, nec illud nisi in Christo fieri posse non inficiantes, excogitarunt commentum hoc,scilicet Christum illos cognoscere, tametsi Christum illi ignorent. Sed apparet Christum neminem servare nisi eos qui in illum credunt: quod etiam sine Christo fieri nequit. Vnde Servator *Ioh.*10. *Ego cognosco meos, & ab iis agnoscor.* Et post; *Qui vidit filium & credit &c.*

Vers. 36. *quod illi renuunt cum tamen ejus signa viderint,*

Iam doctrinam generalem illis applicat, cum illos in illum minime credere confirmet. Quam eorum perfidiam arguit à causa fidei quæ illis non defuit, quandoquidem illum vidissent, id est, talem sensissent miraculis & rebus gestis, qualem illum esse decet in quem fidem suam collocarent. Quod & dixisse se profitetur, scilicet cum confirmabat illos signum vidisse ab illo editum in deserto, quod unum documentum est illum unum esse panem vitæ cœlestis. Quo dicto testatur se cordis cognitorem esse, sicut à *vers.*26. declaraverat. Nos autem si doctrinam hanc applicaremus, non possemus quidem eadem certitudine de singulorum fide pronunciare,tamen ex quorundam singulari verbi & animadvertenda contemptione, illos quantum humanitus dici possit, fidei expertes pronunciemus, & propterea à corpore Ecclesiæ resecare. Alii etiam sua tanta negligentia qui ob res leviculas se à concionibus subducunt,suspicionem submovent se, &c. Nam qui Dei sermonem contemptui habent, aut illum neglectim accedunt, eos fidem,& proinde Christum, contemptui aut neglectui habere apparet.

Vers. 37. Altius conscendit, tametsi enim infidelitatis causa propinqua fuit eorum perversitas & cæcitas cordis,tamen superiorem causam assignat, Patris decretum, & ab illis inhibitam gratiam; quodque Pater illorum corda non permovet nec inclinat ad fidem *Ephes.*2,4. *Phil.*1,29. Item ab adjuncta precatione pro fide; & gratiarum actione ob fidem. Atque hoc modo Christus offensionem submovet, quæ ex se contempto in discipulorum animis oboriri potuit; tanquam diceret; nolite minoris me æstimare quod ab istis parvi ducor, non enim ideo me contemnunt, quod homo nihili sum, sed quod Pater illis hanc gratiam denegat.Hujusmodi est quod dicitur; *sapientia justificatur à filiis suis.* Deinde etiam, ut impiis occurreret, qui ideo verbum contemnere parati sunt, tanquam rem nihili,quod nulla ejus reverentia cor eorum ducitur. Hic respondeo, &c. Hinc item liquet, quod non est nostri arbitrii venire cum vocamur, sed necessario nos ad Christum venire.

idque quod Pater ab illis gratiam inhibeat;

Sed cum essent inter eos quidam servandi, hortatur eos ab adjuncta sua promptitudine eos recipiendi ut ad se veniant; fore promittens ut non sit eos rejecturus quicunque tandem sint, quibuscunque peccatis onusti, aut hujus vitæ miseriis. Quin etiam eos cum primis ut ad se veniant, provocat. *Matth.*11. Sicut etiam eos repudiat qui nullo peccatorum suorum onere premuntur,à quibus sentiendis tantum absunt, ut ne illa quidem fateantur. Videtur esse plenum consolationis, quod Christus in donis habet quod illi à Patre servandi tradimur: eo enim indicatur singularis ejus in nos amor.

& qui à Patre dati non rejicict:

Hic tamen *quærat* aliquis, quomodo dici possumus Christo à Patre donati, cum Christus nos tanto sanguinis sui pretio redemit?

qui dati cum ejus sanguine redempti?

Respondeo, hoc ipsum quod Christus se λύτρον dedit, sicut Christi, sic Patris beneficium exstitit *Iohan.* 3. *sic Deus dilexit &c.* Christus Patri gratias agit *Matth. cap.* 11, *vers.*26.

Quod autem adjungit se non recusaturum eos, quia ob eam causam venit ut obediret Patri, non ideo ac si ipsemet quatenus homo est,non esset propenso ad nos servandum animo, ac si tantum voluntate Patris inductus hoc pæne coactus fecerit; sed ut salutis nostræ firmitatem majorem esse doceret, quam quæ ex voluntate hominis quantumvis perfectissimi,& nostrum amantissimi suspensa sit.

quamvis dati: ipse nobis tamen propensus;

Vers. 28, &c. *sine quo nemo servatur:* Quod autem sequitur, syllogismum quasi complet: quibus docet voluntatem Patris esse ut dati ab eo per Christum servetur, & tamen nemo serventur, nisi qui in Christum credat. *Crediderunt enim quotquot, &c.* item *Rom.*8. *Quos prædestinavit &c.*

cur addiderit de resurrectione? Quod autem de resurrectione addit, id primum ob eam causam attexit, quod sit clausula & complementum salutis. Quo docemur, eum nunquam perire qui in Christum credit. Deinde, ut animos nostros à terrenis rebus ad cœlestem vitam attollat, ne putemus vitam hanc in hac vita consistere. Tertio, ut etiam illis occurrat qui excipiant, fideles cum reliquis mori. Quod venientes admittit, & præterea admissos semel non amittit, certissimum nostræ in Christum salutis indicium est.

IOAN. *cap. 6. à vers. 41, ad 52.*

41 Murmurabant ergo Iudæi de eo quia dixerat; Ego sum panis ille qui è cœlo descendit.

42 Et dicebant; Nonne iste est ille IESVS, filius ille Iosephi, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste; E cœlo descendi?

43 Respondit ergo IESVS, & dixit eis; Ne murmurate inter vos.

44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego suscitem ipsum ultimo illo die.

45 Scriptum est in Prophetis; Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit, venit à me.

46 Non quod Patrem viderit quisquam nisi is qui est à Deo: hic vidit Patrem.

47 Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

48 Ego sum panis ille vitæ.

49 Patres vestri ederunt manna in deserto, & mortui sunt.

50 Hic est panis ille qui è cœlo descendit, ut qui edit ex eo, non moriatur.

51 Ego sum panis ille vivus qui è cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

ANALYSIS.

Effectum per accidens dictorum Christi, obmurmuratio turbæ; quæ suo subjecto declaratur, Christo; & causa efficiente arguitur, quia dixit è cœlo descendi.

Vers. 42. Refellere conantur illud Christi dictum ab adverso, non esse è cœlo quia esset filius Iosephi & Mariæ; illud autem confirmant ab adjuncta sua (ut illud falso putarant) noticia.

Vers. 43. Effectum obmurmurationis turbæ, Christi responsum, in quo monet ut obmurmurare desinant.

Vers. 44. Probat autem à dispari, sua verba non esse causam obmurmurationis, quia eo obmurmurant quod Deus Pater illos ad se non trahat; quod confirmat à genere, quia nemo venit ad se nisi quem Pater trahit. Deinde proprium adjunctum notat eorum quos Deus Pater trahit, nempe à se excitationem.

Vers. 45. Probat neminem venire ad se nisi quos Pater cœlestis spiritu suo trahat & doceat, à testimonio Prophetarum; doctos à Deo describit ab adjuncta auditione Patris, & relato discendi quod ipse voce sua docet. Quorum effectum notat, nempe quod ad Christum veniunt.

Vers. 46. Docet Patrem inaccessum esse, ab adjuncta ἀδυναμίᾳ illum videndi vel cognoscendi, quia inhabitat lucem in qua nemo potest appropinquare: quod confirmat à proprio subjecto cognitionis Patris, nempe seipso.

Vers. 47. Postquam murmur illorum retudisset, redit ad constantem confirmationem prioris doctrinæ, se esse cui credendo homines salutem consequuntur.

Vers. 48. Illustrat comparatione parium, quod sit panis vitæ.

Vers. 49, 50. Amplificat excellentiam suam à minore, Man scilicet; quod confirmat ab effectis, quia cum Man vitam non contulit edentibus, deinde Christus conferat.

Vers. 51. Materiam vitæ indicat carnem suam seu humanitatem, de qua turba loquuta est 42. *vers.* à divinitate scilicet factam vivificam; formam etiam indicat carnis suæ vivificantis, nempe caro ejus à se cruci tradetur.

METAPHRASIS.

Iudæi cum intelligerent Iesum de caduco & corporeo pane sermonem non habere, cœperunt adversus illum murmurare, arrepta hac occasione, quod dixerat; Ego sum panis qui de cœlis descendi. *Sic autem clam inter se* 41.
mussitabant: an non hic Iesus est filius Iosephi? 42.

phi? an non novimus patrem illius & ma-
trem? qui igitur consistere potest, quod de se
43. *prædicat,*de cœlo descendi? *Quibus Iesus: de-*
sistite obmurmurare inter vos, ob hoc quod me
44. *de cœlo descendisse dixi. Arbitramini justam*
vos murmurandi causam nactos, quod de cœlo
me descendisse dixerim, sed causa in vobis ipsis
hæret. Nam cum nemo fidei veluti pedibus
ad me venit, nisi quem Pater qui me misit, ex
nolente collato spiritu suo volentem fecerit: fit
ut & vos ab eo minime attracti animo, tam
male affecti sitis. Quod quam vestra intersit,
hinc considerare vobis licet, quod illos modo ad
vitam æternam excitabo, extremo die effece-
45. *rit quos Pater volentes. Hoc autem vos igno-*
rare pudere certe debet, quod sit in libro Pro-
phetarum, singulis Sabbathis apud vos lecto,
comprehensum. Prophetæ etenim de germanis
Ecclesiæ civibus loquentes, diserte affirmant
illos omnes à Deo edoctos iri. Quamobrem quis-
quis Patris sermonem per ministros verbi pro-
mulgatum foris audiverit, & eundem spiritu
Patris intus docente didicerit, is fidei veluti
pedibus & animi propensione ad me venit.
46. *Quæ non ita à me dicta sunt, quasi Patrem*
cognoscendi esset ulla facultas, si quis illum re-
cta & sine sequestro aut mediatore cognoscere
velit. Nec enim quisquam mortalium Patrem
novit aut novisse possit præter me, qui jam in
terris quoad humanitatem agens, quoad divi-
nitatem apud ipsum in cœlis sum & illi coessen-
tialis: is, is inquam, est qui Patrem noscens,
47. *illum aliis, quibus visum est, patefacit. Nec*
vero hoc vestro murmure, vel latum unguem
ab illa sententia quam proposui dimoveor.
Sancte enim vobis affirmo, habiturum vitam
48. *æternam quisquis in me crediderit. Ego enim*
& non alius, sum panis qui vitam æternam
49. *confert. Nam patres vestri, quorum vos non*
tam genere quam perfidia & malis moribus
filii estis, Man comederunt in deserto, & ta-
50. *men in deserto perierunt. Hic enim, de quo lo-*
quor, panis, ideo de summis cœlis carne assum-
pta descendit, ut quisquis fidei ore ex eo come-
51. *derit, nunquam in æternum moriatur. Atque*
hic panis ego sum, qui è cœlo descendi. Si quis
ore fidei ex hoc pane comederit, vivet in æter-
num. Et panis ille quem ego hominibus ser-
vandis dabo, est illa ipsa caro seu humana na-
tura de qua vos tam contemptim loquimini,
cum me Iosephi filium vobis appellare placuit:
& quod magis adhuc miremini, est humana
mea natura, quam ego morti crucis summe
ignominiosæ pro hominibus traditurus sum, quæ
vitam confert æternam.

PRAXIS.

Vers. 41. Murmuratio Iudæorum quod Christi sermo eis ingratus,

QVamdiu de caduco pane illum loqui existimarunt, sermonem ejus gratum habebant: nunc autem cum de spirituali pane illum loqui intelligunt, offenduntur, ut vere germani filii sint suorum majorum, de quibus *Mich.* 3, 11. Iudæi murmurabant & obstrepebant, quod Christus se è cœlo dimissum prædicaret, & ad eam rem argumento à disparatis utuntur: scilicet, non posse è cœlis descendere, quandoquidem sit filius Iosephi & Mariæ. In quo, quod obmurmurarunt potius quam de re non satis percepta quæsiverunt, se parum idoneos veritatis auditores & discipulos produnt.

ea quam iniqua?

Præterquam vero quod eos arguit, nullo debito studio & reverentia Doctoris teneri, quem certe veracem esse, saltem ex tot signis colligere debebant: iniquum plane est, mussitatione & occulto murmure ea protinus improbare, quæ non intelligis. Quo accedit, quod sæpe malæ conscientiæ indicium sit & infirmitatis, ea tuendi & defendendi quæ clam mussitat. Erat autem tanto iniquior hæc murmuratio & obstrepera reclamatio, quo erat Christus mansuetior & affabilis, nemini liberum quærendi aditum prohibens, quin potius facilitate & humanitate incredibili eos ad se alliciens. Hæc accommodentur, &c.

Vers. 42. eorum argumentum quam vitiosum?

Argumentum vero, quo nititur hæc obmurmuratio, est totum vitiosum. Nam nec patrem habuit Iosephum, qui ejus tantum inspector & curator fuit; nec sequitur propterea è cœlis non fuisse, quod ex Maria Virgine editus in terra natus sit, & ex homine prognatus. Quanquam autem turpissime hallucinentur, tamen tanta constantia & fiducia argumentantur, ac si nullus esset in hac causa dubitationis locus. Sic videas impios ea fiducia sua impietatem tueri, ac si certissimis veritatis fundamentis inniterentur. Ne nos moveat si impios aliquando suis arundineis argumentis confidere videmus, ac si columnis æneis incumberent.

error eorum unde potissimum manaverit?

Deinde, cum hic eorum error ex duabus lacunis manaret, una vulgi de Christi origine opinione: altera, humanæ rationis angustiis: discamus, ab utroque præcipitio & veluti scopulo cavere.

Invaluerat enim apud vulgum populi, Iesum fuisse Iosephi filium: nec rationis cancellis complecti possunt, Christum ex homine natum, è cælis delabi potuisse, aut Dei

Filium esse. Cujus utriusque erroris remedium, ex Scripturarum scientia abunde suppeditatur; ubi & virginis futurum filium, & Dei ab æterno Filium extitisse apertissimis verbis docetur. Tantumque abest ut ista pugnent, scilicet Dei & virginis filium esse, ut Dei Filius non fuisset agnoscendus, nisi virginis filius fuisset: Dei enim Filium oportuit fuisse, qui ex virgine natus erat. Nisi igitur cum Iudæis errare velimus, scrutemur Scripturas. Quanquam ad Scripturæ testimonium, accessit etiam gloria; quæ hujusmodi in Christo refulsit, ut non nisi in unigenitum Dei Filium cadere potuerit. *Ioh.* 1. quæ tot & tam variis miraculis declarata est, ut vel cæcorum pæne oculos incurrere potuerit. Sed Christi caro, infirmitas, paupertas, &c. quæ piis instar interjecti adversus ignem viminei propugnaculi (*askreene*) ad æstum arcendum est, ne igne consumente Deitatis penitus conflagrent, infidelibus tanquam crassus quidam agger est, quo salutaris ex Christo calor penitus averteretur: quodque piis tanquam laterna (*a lanterne*) erat, ne ob lippitudinem nimia lucernæ coruscatione læderentur, impiis tanquam modius fuit, quo lucernæ usus penitus ademptus est: denique, quod piis tanquam interjecta soli nubes erat, quo solem salutariter intuerentur, impiis tanquam atra nox fuit, quæ omnem solis aspectum aufert. Eoque factum est, ut quod est à Deo ad nostram infirmitatem levandam suggestum, id ad se perdendum impii arripuerint. Hoc idem in Euangelii simplicitate & Sacramentorum administratione cernere licet. Ex quibus apparet, quam sine justa causa murmurant. Nos vero tametsi ii non sumus qui impingere nequeamus, tamen fit aliquando ut minore de causa oggeratur (*vve vvil cast in*) quam Iudæi: exemplum afferatur recens. Christus responso suo, quo ut murmurationem suam deponant hortatur, satis indicat sibi esse satis perspecta quæ illi inter se tacite admurmurabant.

Vers. 43, 44. *quod à Patre non tracti inde murmuratio orta;*

Hujus autem dehortationis argumentum affert à disparatis, tanquam diceret: admurmuratis, tanquam oratio qua usus sum, aliquid in se asperitatis aut novitatis non credendæ haberet; sed sermo meus nullam difficultatem habet, quæ vos ad murmurandum impellat: quod murmuratis, ideo tantum fit, quod tanta me accedendi & mihi credendi inhabilitate sitis, ut nisi à Patre tracti, illud non possitis facere. Docet Christus causam difficultatis in suis verbis non in se, sed in ipsis hærere: quod ut semper in Christi sermone fieri necessum fuit; sic plerumque apud nos fit, ut non in dicente, sed in audiente causa erroris sit. Cum quis legatum ad aliquem mittit, penes mittentem non est efficere ut is ad quem mittatur legatum accipiat & amplectatur. Sed in hac legatione longe secus est. Nam nisi mittens me Pater portas & repagula animorum vestrorum aperiat, legationi amplexandæ nullus locus erit.

quomodo tamen nobis ad eum accedendum?

Quorsum igitur, *inquit* aliquis, legatum mittit? quorsum à nobis amplexari per legatum postulat, si nostræ voluntatis non sit eum admittere? videtur enim absurdum esse ut Deus à nobis hoc postulet, quod nos facere non posse probe novit.

Respondeo, scilicet, ideo mittit ut hac legatione sibi viam ad nos veniendi muniat. Tametsi enim Deus nobis hanc facultatem largiatur, tamen non nisi intercedente hac legatione hoc facit. Sicut igitur claudos ambulare & subsilire jussit, mortuos se erigere, cæcos videre, surdos audire, denique ea quæ non sunt tanquam essent vocavit, qui nullam in se facultatem vitæ &c. habentes, &c. verbo tamen Christi acceperunt: hic etiam cæcam & surdam mentem nostram appellans, hac ipsa voce sua oculos & aures mentis aperit ut videant.

cur igitur non solum ad eos Christus missus qui trahuntur?

Sed, *inquit* aliquis, proinde legationem suam ad illos dirigeret, quibus hanc facultatem largiturus est ut eum accipiant. Quid enim attinet eum ad illos mittere, quos scit nec ulla ex se credendi facultate præditos esse, nec ulla ab ipsomet donandos?

Imo vero, ut justitia & severitas ejus liberiorem in illum cursum habeat, & ut tristissimum judicium in eum exerceat, hæc facit. Sicut nos etiam servum mittimus, ut nostro nomine possessionem agri accipiat, quam illi denegatam iri scimus: ut scilicet actio adversus eum eo commodius instituatur, & jure cum illo tanto melius disceptemus: sic Deus ut æternum suum decretum de quorumdam severiore & graviore condemnatione juste exequatur, ad quosdam hanc legationem mittit, quos non constituit ad vitam vocare, ut dupliciter eos reatus constrictos tenens, convenienter decreto suo pœnas inferat. Hinc est ut *Exod.* 3,18, 19. Mosen ad Pharaonem miserit, tametsi præmonuerit, eum non adversurum animum ad Dei mandatum. Idem etiam prædixit Mosi

Mosi in legatione ad Amorrhæum, *Num.* 21,21. Item *Ezechielis cap.* 23,4. idem prædixit & *Esaiæ cap.* 6.

qui claudi sunt & ab eo aversi, Sicut autem prius nostræ facultatis esse negavit ad Christum accedere, quod nemo ad se veniret nisi quem Pater dat; ita illam doctrinam significatioribus verbis hoc loco expressit, cum dicit neminem nisi a Patre tractum ad se venire. Quo indicat, nos non modo claudos esse, ut ne pedem ad Christum efferre possimus; sed penitus aversos toto conatu & molitione nostra, ne ad illum veniamus reluctari, tanquam funibus trahendi simus. Nam claudus ille *Ioh.* 5. tametsi pedem movere ad commotam & agitatam aquam non potuerit, tamen magno desiderio tenebatur eo proficiscendi: sed nos non tantum desiderio hoc destituimur, sed impetu quodam ad contrarium iter ferimur.

qua dempta ad eum accedimus. Quid igitur? an pii tanquam obtorto collo & tanquam per capitis cincinnos ad Christum trahuntur? minime: nam sponte Christum accedimus, quia illa animi aversione nobis dempta, studium singulare Christum quærendi & accedendi nobis inseritur. Vnde etiam dicitur *tractus* venire ad Christum: verbo *veniendi* voluntatem inditam notans.

Vers. 45. *cum nemo doctus nisi à Deo,* Quod proximum, argumento à testimoniis confirmatur: scilicet, *Esa.* 54,13. & *Ier.* 31,34. *Non docebunt, &c.* Item *Ezech.* 36. Ex quo loco patet non satis esse si hominis vox aures pulset corporis, nisi Deus intus & in animo doceat spiritu suo. Secus enim fit in Euangelii schola quam in aliis scholis. Nam postquam doctores artes proposuerint, non possunt præterea aliquid efficere: intelligentiam discipulis & acumen conferre nequeunt. Vnde etiam in proverbio dicitur, nos alteri aliquid narrantes aures præbere nequire. Quod nisi Deus faceret, nobis inanis omnis esset discendi & docendi labor. Nec vero tantum ut surdis loquetur, & cæcis tabulam quandam egregiam spectandam proponet, sed nos magis ad discendum ineptos efficiet. Quapropter Deus præputium nobis aufert, velamen oculorum & cor vetus & lapideum nobis adimens, novum & carneum indit. Et sicut tardiusculis lectionem descriptam tradimus, sic nobis doctrinam suam descriptam in tabulis cordis nostri tradit.

sic nemo credit nisi didicerit, Hinc à relatis concludit, neminem ad se venire, nisi quis à Patre didicerit, eosque etiam audierit: quia audiendo discimus. Lectio igitur quam à Patre docemur, est *ad Christum venire*: quod ipsum est; *credere*.

Vers. 46. *quod fit intermedio Christo.* Ne quis igitur ex hoc sermone suspicaretur nos operam ludere qui à Christo discimus, rectaque ideo Deum Patrem petendum esse ut ab illo doceamur, anticipat Christus illud, argumento adjunctæ imbecillitatis humanæ, cum divina Majestate præsertim compositæ. Cum enim lucem inhabitet Deus inaccessam, nemo illum adire potest, neque illum cognoscere nisi Filius qui ab illo est. Si quis igitur à Patre discere velit, eum oportet Christum adire: si quis eum videre velit, Christum intueri oportet qui est imago Patris. *Ioh.* 14.

Vers. 47, 48. *In Christum credentes vita æterna fruentur quam ipsis tribuet;* Causa admurmurationis ἐκποδὼν λόγου explicata, redit ad prius argumentum unde Iudæi admurmurandi ansam arripuerant. Quod cum graviore & pleniore asseveratione confirmat, tum uberius & explicatius disceptat. Et primum quidem, quod prius *v.* 35. tectius dixerat, neminem scilicet seu fame seu siti laboraturum qui in illum crederet, hoc loco sine omni tropo enunciat, cum dicit eum vita æterna perfruiturum qui in se crederet. Cujus rationem ab efficienti affert, scilicet quod ipse vitæ panis sit, vitam scilicet credentibus tribuens. Notemus igitur hoc loco, magnum momentum accedere ad istius doctrinæ, qua credentes in Christum servantur, firmitatem. Tametsi enim semel & pure enunciatum à Christo, firmum fuisset, tamen quod & sæpius repetiit, & majore contentione & vehementia affirmationis, non est leve veritatis stabiliendæ præsidium. Atque hunc usum iterati sermonis in Scriptura esse docetur, ex somnii Pharaonis interpretatione. Cum igitur unica Christi affirmatio, omnium hominum obloquentium asseverationibus præponderare debet, nedum iterata Christi confirmatio, & quidem tam accurata & tam deliberata, &c.

Vers. 49, 50. *cum illi qui Man commederint mortui sint,* Hoc argumento comparationis minoris confirmat, quod cum *vers.* 32. strictius & per transennam attigisset, nunc illud latius declarat. Comparatio autem instituitur in effectis: scilicet, Man comesti, & Christi fide apprehensi: quod hic, vitam credentibus in se præbet; Man non item. Patres enim quamvis Man in deserto totos 40. annos comederunt, & quidem ad satietatem, tamen mortui sunt & perierunt æterna morte. Non enim in omnibus delectationem cæpit; sed Christo non credentes, quiete, non tantum adumbrata Cananææ terræ, sed vera & æterna cæli

na cæli

na cæli, exclusi sunt. Contra autem quisquis (& non tantum Israëlitæ) ex hoc pane vel semel gustaverit, is nunquam peribit.

ex hoc pane vero nunquam morituri;

Cujus causa assignatur, scilicet quod panis sit & vitam in se habens, & è cœlo descendens: sicut sequitur è regione, Man nec de cælis descendisse, nec in se vitam continere. Denique hoc modo effectum est, Deum majoribus & illustrioribus signis Christum quam Mosen nobilitasse.

etiam quod illi non crediderunt mortui perenni morte:

Hoc loco tanquam ex privantibus confirmatur, in Christum credentes victuros in æternum; scilicet quod qui in illum non crediderunt, mortui sunt perenni morte: tametsi confœderati essent Dei: tametsi infinita Dei potentia ex Aegypto asserti essent in libertatem: tametsi Man ministerio Angelorum præbito pascerentur: tametsi in nube & mari rubro baptizati essent: tametsi eundem spiritualem cibum & potum nobiscum gustarint: & Man non tantum ad ventris pastum, sed etiam ad animorum refectionem institutum haberent: denique, si illis τῶν ἀδυνάτων esset Christum corpore & anima deglutire, tamen nisi fide in Christum nihil proficerent. Hic gestationis in utero virginis mentio fiat. Sicut enim nihil est quod pascit præter Christum, ita nihil est quod vitæ succum & virtutem ex Christo exsugere & exprimere potest præter fidem. Cum igitur patres tantis privilegiis & immunitatibus muniti & instructi mortui tamen sunt, ne assentemur nobis ipsis ac si ideo salvi futuri simus quod in Ecclesia simus, quodque Sacramentis communicamus. Sicut enim David queritur se ab illis proditum esse qui mensæ ejus assidebant, ita etiam fit ut ex iis qui mensæ Domini adsunt, inveniantur quorum animus in Christum probe affectus non est. Vide *Matth. c.* 22. Tametsi vero inscio patre spurii cum germanis filiis miscentur, eidem cum illis mensæ assident; tamen qui sunt in Ecclesia suppositii, Patrem cœlestem non fugiunt. Habet enim proculdubio suos in manu pugillares quibus constat, &c.

idea an in fide explorandum;

Quamobrem exploremus nos ipsos an simus in fide, qua Christum apprehendimus, qui est sacramentalis panis veluti scipio & baculus: idque faciemus si exploremus nos ipsos, an charitas in nobis vigeat, an Christum etiam carum habeamus. Nam hanc ad cœnam nulli invitantur, nisi amici. Quo autem animo in Christum simus, illucescit ex charitate in proximum: quæ si nulla sit, neque Christum nos amare concluditur.

etiam si pereant ex iis qui ad mensam Domini accedunt nedum invitati;

Quod si pereant ex iis qui accedunt Domini mensam, nedum peribunt qui invitati non accedunt. Priores enim spem sui faciunt, & charitatis regula inter servandos ducendi sunt; sed qui se sponte subducunt, declarant se inimicitias cum Christo exercere, eoque mensam ejus detrectare: præsentiam ejus exhorrescere, aut certe ejus mensam tanquam vilem & abjectam aspernantur. Neque putent se condemnationem magis effugere, quod non accedentes panem Domini indigne non edant. Nam tam est in vitio qui non indigne respuit, quam &c. præsertim cum ejus hoc vitio fiat. Nam si peccati conscientia mordeatur, tamen si peccata sua deserere cogitet, & constituat cum animo suo, &c. Si obsit quod lis illi sit cum fratre, si ipse injuriam facit ab injuria desistat: aut accipiens injuriam, modo jus persequens nullo id odio fratris faciat, Christo acceptus veniet. Vide *Matth.* 22. ubi non minus severe actum est in recusantes, quam in indigne accedentes.

insuper quomodo Deo ingrati dicantur qui ex spirituali cibo ederunt cum qui ex hoc cibo non perituri?

Subnascitur tamen *difficultas* ex verbis Pauli, 1 *Cor.* 10. qui affirmat ex patribus nonnullos edisse & bibisse ex spirituali cibo & potu, nempe Christo, & Deo tamen ingratos minimeque acceptos fuisse. Quod pugnare videtur cum hoc loco, quo docetur, neminem qui ex hoc cibo ederit periturum.

Respondeo ergo, patres comedisse & bibisse Christum sacramentaliter, id est, panem & potum qui Christum repræsentabant & offerebant: sed tamen Christi ipsius nunquam fuisse participes. Sicut enim hypocritæ comedunt cibum spiritualem in Sacramento, quia panis Cœnæ ex ea parte spiritualis est quod ad sanctum usum & spiritualem adhibetur, & Christi ipsius Sacramentaliter participes sunt, hoc ipso sacramentum repræsentans Christum accipiunt; sed tamen fide destituti, Christi ipsius participes esse nequeunt. Huc accedit quod *panem* & *aquam* Christum vocat Apostolus: quod Christum hypocritis ipsis Deus per elementa illa obtulit, tametsi illi Christum oblatum respuentes, panis tantum participes facti sunt. Sicut enim Scriptura, de Sacramentis sermonem habens, aliquando eum ad hominum de Sacramentis judicium accommodat, sicut Servator hoc in capite, qui dicit Man de cœlo non fuisse missum, quoad scilicet ventres farciebat, quod

quod Iudæi tantum spectabant; sic etiam aliquando ita de Sacramentis loquitur, prout sunt à Deo instituta. Quia igitur Man & aqua è petra profluens idcirco à Deo instituta sunt, ut per illa Christum cum patribus Deus communicaret, Apostolus non dubitat affirmare, impios Israëlitarum majores Christo communicasse. Tanquam si quis centum libras alteri promittens, easdem in sacculo obsignatas illi offerret, quas ille accipiens in plateam projicit, sacculo aut loculis sibi tantum reservatis; hic tamen qui pecuniam dedit, in tabulas & rationes suas scribet centum libras illi redditas fuisse. Quod & jure faciet, quandoquidem per illum non stetit quo minus hac pecunia perfruitus non sit. Hinc est quod Apostolus impios, reos corporis & sanguinis Christi esse docet; non (ut *Papistæ* occlamant) quod corpus Christi comederunt, sed quod illud repudiarunt. Faciamus epulum proponi duobus, quorum hic appositis cibis ita se ingurgitat ut inde mortem sibi arcessat; alter vero repudiato cibo, mortem sibi ex fame accersit: scio quidem hanc similitudinem non omni ex parte respondere, cum nemo Christum nimium participare potest, aut prolixa ejus participatione sibi nocere: sed tamen cum perinde uterque ex ratione propositi cibi reus sit propriæ necis, facile liquet *Pontificios* crasse hallucinari, qui dicunt impios non posse esse reos corporis & sanguinis Christi, nisi corpus & sanguinem Christi ipsi comederint.

Vers. 51. Christus nobis panis traditione sui ad mortem,

Καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ, &c. Prius ex duobus illis, quæ initio proposuit de salute consequenda, liquidius exponit. Declarat enim quomodo ipse futurus sit mundo panis: sui scilicet traditione ad mortem. Nec enim aliter panis fuisset nobis, nisi in crucem pro nobis adactus fuisset. Sicut enim integrum panem nemo comedat nisi prius aut sectus aut comminutus fuerit, & sicut triticum nisi commolitum nihil prodest, &c. sic Christus nobis ad vitam profuisset nisi cruci affixus fuisset. Nam ipse pro nobis cæsus est: ejus vibice sanati sumus. Huc refertur sanguis paschalis: taurorum & vitulorum. Vnde Apostolus ad *Hebræos* concludit, nullam esse sine sanguinis effusione peccatorum remissionem: nec nisi in testatoris morte, testamentum ratum aut firmum esse. Hinc fit ut Cœnæ sacramento, quo Christus noster ad vitam panis esse obsignatur, panis frangatur. Falluntur igitur qui in sacramento remissionem peccatorum quærunt, quæ sola ex cruce Domini petitur: nedum *Pontificii*, qui expiationem ex sacrificio Missæ hauriunt: cum quod figmentum est, tum quod nulla ibi sanguinis effusio fit. Quo etiam spectat quod panis mundi, ab ipsomet Christo tradendus esset: alioqui non profuturus, nisi cum sacrificium, tum Sacerdos fuisset. Quod indicat, cum dicit *se daturum carnem suam*. Si igitur Sacerdos posset Christum Deo Patri offerre, tamen nihil nobis prodesset, quia homo peccator hoc faceret.

Illius divinitas quid eo contulerit?

Quanquam vero Christi divinitas in opere redemptionis & passionis suæ otiosa non fuit, ut quæ humanitatem sustentabat, quæ submota divinitatis ope, sub onere succubuisset; & quanquam humana Christi natura non est solum panis mundi, sed conjuncta cum divinitate, unde vitæ fons est; tamen quia divinitas passionis expers est, idcirco carnis tantum mentionem hic facit: qua voce, non tantum corpus, sed & animam suam comprehendit, quæ angoribus & doloribus inferorum tantummodo confixa & confecta non est.

IOAN. *cap. 6. à vers. 52, ad 66.*

52 Pugnabant ergo Iudæi alii adversus alios, dicentes; Quomodo potest hic nobis carnem suam *dare quam edamus?*

53 Dixit ergo eis IESVS; Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

54 Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo ipsum ultimo illo die.

55 Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.

56 Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.

57 Sicut misit me vivens ille Pater, & ego vivo per Patrem: ita etiam *qui ederit me, vivet ipse quoque per me.*

58 *Hic est panis ille qui de cœlo descendit: non prout ederunt Patres vestri man-
na, & mortui sunt, qui ederit hunc panem, vivet in æternum.*

59 *Hæc dixit in Synagoga, quum doceret in* urbe *Capernaumo.*

60 *Multi ergo ex discipulis ejus* his *auditis dixerunt; durus est hic sermo: quis
potest eum audire?*

61 *Sciens autem IESVS apud se discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis; Hoc-
cine vos offendit?*

62 *Quid si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eo ubi erat prius?*

63 *Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego lo-
quor vobis, spiritus sunt & vita sunt.*

64 *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt: sciebat enim à principio IESVS
quinam essent qui non credebant, & quis eum proditurus esset.*

65 *Et dicebat; Propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me nisi fuerit ei
datum à Patre meo.*

ANALYSIS.

EVentus seu effectum per accidens, ortus ex verbis Christi præcipue præcedentibus *vers.* 51. altercatio: quæ suo subjecto declaratur, nempe Iudæorum, & adjuncto mutuo vicibus: item subjectum circa quod altercatio erat, quomodo possit dare carnem suam comedendam.

Vers. 53. Hujus altercationis effectum, confirmatio superioris doctrinæ, idque majore cum fiducia & asseveratione: comparatione majoris, non modo vitam habere qui carnem ejus manducaverit, quod prius disputaverat; sed neminem habiturum vitam nisi qui carnem suam manducaverit; deinde altera comparatione majoris, non tantum carnem ejus manducandam quod prius dixit, sed sanguinem ejus bibendum: quod probat ab adjuncta jactura & dispendio vitæ æternæ, nisi sanguinem ejus biberit: quod utrumque confirmatur testimonio, *amen, amen.*

Vers. 54. A contradicentia concludit: non edens carnem meam & non bibens sanguinem non habet vitam: ergo edens & bibens habet vitam; quod proprio adjuncto probat, excitationis per Christum ultimo die.

Vers. 55. Confirmat porro ab adjuncto proprio carnis & sanguinis sui, quod sola sint vere cibus & potus quo pascimur ad vitam æternam.

Vers. 56. Ab effectis comestionis & bibitionis confirmat vitam nos habere æternam: quia illi adunamur, ita ut ille in nobis & nos in illo maneamus.

Vers. 57. Illud pergit confirmare à comparatione parium: quia ut ille vitam in Patre habet quia in eo manet; sic nos in Christo manentes in illo vitam habebimus.

Vers. 58. Causa efficiens cur caro & sanguis conservant vitam, quia per personalem unitatem vere dicitur de cœlo descendisse caro quæ in utero concepta est; quod amplificat comparatione minoris, nempe Man, quod ab adversis effectis Man & carnis Christi; quia Man comedentes perierunt, cum vivant in æternum qui carnem Christi comedunt.

Vers. 59. Describit subjectum loci ubi hic sermo habitus est, generalius Capernaum, specialius Synagogam.

Vers. 60. Hujus sermonis effectum per accidens describitur, improbatio; forma improbationis, durum fuisse: quod comparatione majoris amplificatur, non tantum durum fuisse, sed usque eo durum, ut nemo illum audire sustineat; quæ improbatio suo subjecto declaratur, nempe discipulis Christi; qui suo etiam adjuncto describuntur, nempe quod multi ex illis hunc Christi sermonem damnabant.

Vers. 61. Hujus obmurmurationis adjunctum est, quod Christus illius conscius erat; cujus conscientiæ efficiens est, ipsemet sine cujusquam judicio; effectum vero est, accusatio; quæ amplificatur ex duplici subjecto, quod murmurabat, nempe discipuli, & subjecto circa quod, sermone scilicet qui nihil offensionis in se habuit.

Vers. 62. Refellit crassam illorum manducationem à subjecto loco, in quem caro recipienda erat, nempe in cœlum.

Vers. 63. Aliud argumentum affert, carnem ut probet suam non prodesse comestam illo modo quo illi intelligebant, ab adverso, quia spiritualis manducatio modo prodest: deinde alio adverso, quod verba ejus de spirituali intelligenda sunt manducatione, non de illa quæ crassa & carnalis; quod confirmat effecto, quod illa vitam confert, hæc vero sicut dictum est non profit.

Vers. 64. Probat causam offensionis non esse in sermone suo, sed in illis; quod confirmat ab adjuncta quorundam infidelitate: ubi est prolepsis, cujus occupatio ab adjuncta Christi δύναμις cognoscendi illorum infidelitatem: subjectum est ab adjuncta Christi cognitione; quæ amplificatur comparatione majoris, illum non tantum jam in hac offensione hoc cognoscere, sed ab initio priusquam hoc scandalum acceptum sit; quod etiam probat à paribus, quia cognovit proditionem Iudæ, quæ nondum in actum venerat.

Vers. 65. A specie ad genus ratiocinatur, verum esse quod dixerat, nemo potest venire ad me nisi ei sit datum à Patre; vel potius à testimonio, videlicet experientia.

METAPHRASIS.

52. *IVdæi audito hoc sermone, in diversas sententias scissi & distracti, inter se disceptabant & altercabantur. Altercationis vero subjectum erat, recte ne an secus dixerat se carnem suam comedendam daturum. Hac altercatione*
53. *Iesus commotus, ad eos dixit; sancte vobis & indubitanter affirmo, omnes vitæ æternæ participatione penitus excludi, quotquot fiducia in Deum incumbente, merito passionis meæ, meam quasi carnem mox crucifigendam non comederint, & (quod majus adhuc est nec prius à me dictum) veluti sanguinem meum*
54. *non multo post effundendum biberint. Sicut contra, qui fiducia in Deum incumbente, merito passionis meæ veluti carnem meam comederit & sanguinem meum biberit, is vitam æternam habet: cujus complementum & consummatio extremo judicii die futura est, cum ego virtute gloriosa & sanctissima resurrectionis meæ illos è mortuis excitavero. Par omni-*
55. *bus enim alimentis sive corporeis & caducis, sive spiritualibus & typicis, sicut erant agnus Paschalis, Man, & aqua ex petra educta, hoc quod dico alimentum præcellunt; omnia enim esculenta cum carne mea, poculenta cum sanguine meo composita aut præ his nihil sunt, cum certe sine his non modo non prosunt, sed*
56. *obsunt etiam potius. Qui fide carnem meam veluti comedit, & sanguinem veluti bibit, seu horum particeps est, is mihi adunatur, & deinde in me manet, sicut ego spiritu meo & gra-*
57. *tuita in illum dilectione, in illo maneo. Sicut enim Pater qui me misit, fons vitæ vivificat, cujus essentiali vitæ communicatione ipse vivo & vivificus sum; sic qui me veluti fide comedit, ipse vitæ quæ in me est communicatione*
58. *æternum vivet. Hæc enim caro mea & sanguis meus assumpta in personam meam, qui sum unigenitus Dei Filius: verus ille panis qui è summis cœlis descendit, longe præstantior illo vestro (quod tanti facitis) Man, quod comedentes patres vestri (quorum vos similes estis) æternum tamen perierunt: qui etenim hunc panem fide veluti comedit, in æternum beata vita vivet.*
59. *Hanc de carnis & sanguinis sui salvifico pane salutarem doctrinam, doctoris munere fungens in oppido Capernai, & illius oppidi Sy-*
60. *nagoga sacris designata proposuit. Non pauci vero non ex turba modo, sed ex his ipsis qui nomen suum inter Christi discipulos profitebantur, his auditis, dixerunt: hic sermo ita durus & alienus est ab omni & sensu & rationis discursu, ut eam nempe vel audire amplius sustineat. Iesus vero cum omniscientiæ* 61.
suæ beneficio cognitum haberet discipulos de hac re suos clam obmurmurasse, ad eos dixit: hiccine sermo tam facilis & obvius, & quidem non solum imperitam & indoctam turbam, sed vos qui in schola mea aliquantisper instituti estis, non tantum gratus & acceptus non est, sed porro impactionis occasionem affert. At quid si ipsius ascendendi facilitas 62.
vos ab hoc, de crassa & corporea edendi ratione errore vindicare poterit: saltem cum me filium hominis, quoad humanam naturam, intellexeritis ascendisse, ubi quoad divinam naturam, prius fui hoc vos errore liberaverit. Spiritus & spiritualis manducatio est, quæ vi- 63.
tam confert: caro vero à spiritu seu divinitate sejuncta, maxime eo sensu comesta quo vos crasse intelligitis, nihil juvat; meorum autem verborum sensus, spiritualem per fidem manducationem, quæ sola vitam tribuit, respicit atque intuetur. Causa vero hujus vestræ im- 64.
pactionis non est (quod vos causatis) meorum verborum asperitas, sed ex vobis nonnulli sunt qui non credunt. Quod quidem Iesus non jam tandem nosse cœpit, postquam hac sermonis offensione suam perfidiam & incredulitatem prodidissent. Noverat enim antequam se ad nominis sui professionem adjunxerant, qui fuerunt qui vera & infucata fide illi non adhærescerent. Sicut & Iudæ proditionis antequam in actum erumperet præscius erat, ut ex verbis ejus mox insequuturis palam est. Adjecit por- 65.
ro: si non ante meo & Scripturarum testimonio cognovistis, at nunc demum experientia stultorum magistra discatis, verum esse quod fatus sum; neminem ad me venire posse, nisi in quem veniendi vires & facultatem Pater meus contulerit.

PRAXIS.

HOc dicto gravius quam ante offendebantur: eoque audacius in reprehensionem ejus erumpunt. Nam cum prius commurmurarint inter se, nunc aperte queruntur & litigant: in pejus proficientes. Tametsi vero idem prius dixerat, tamen eo non tantopere commoventur, quod forte intelligebant Christum illam doctrinam propositurum, quæ instar cibi foret qui eos ad vitam conservaret: aut se panem vitæ appellasse, quod genus quoddam panis è cœlis evocaturus erat, quo semper victuri essent. Nunc vero cum carnem suam hunc cibum esse doceat, tanquam in re cum adversus naturam,

Vers. 52. Iudæorum audacior obmurmuratio unde profecta?

 tum

tum etiam impossibili offenduntur. Nam & contra naturam est carne humana vesci, & τῶν ἀδυνάτων totum mundum carne sua pascere. Nam & feritatis est carnibus humanis vesci, & Christi corpusculum toti electorum choro, qui unquam in mundo fuerunt aut futuri sunt, non sufficit, ut quisque minimam particulam accipiat. Quod autem *Pontificii* nos Iudaizare clamitant, quod eorum more quærimus quomodo Christus manducetur sub specie panis, ut prius Nicodemus, &c. *Ioh*.3. a scopo aberrant. Nam sic Abrahamum & Virginem condemnarent qui quærebant; quo modo hoc, &c. *Luc*. 1. Sed Euangelista potius ideo eos reprehendit, quod de eo inter se pugnabant, nec rem cum Christo communicabant.

Vers. 35. *quam Christus confirmatione esionis suæ carnis retundat,*

Christus responsum quod superius dixit, plenius & asseverantius confirmat: ubi non respondet eorum quæstioni, sed confirmat id quod ita absurdum videbatur, & ab adjuncto interitu iis qui non manducant & bibunt, probat necessariam suam manducationem; sicut contra ab adjuncta vita æterna se comedentibus. Cum autem qui comedunt certissime vivant, & qui non comedunt certissime pereant, mirum est inveniri tot qui de hoc cibo solliciti non sunt. Si enim aliquis nobis cibum præberet, aut præbere potius posset, cujus usu ad centesimum annum viveremus, quoque contempto extemplo moreremur; aut si quis Medicus ægrotanti pharmacum porrigeret, quo hausto convalesceret, prætérito illico exspiraret; & hoc verum esse certissime sibi persuaderet, numquis tam mente alienatus est ut id non faceret? ut manum ori non admoveret, aut admotum, &c. quanto magis, &c. Hoc loco sanguinis sui mentionem faciens, apertius mortem futuram pronunciat, violentam illam & præmaturam.

quomodo Christum quis comedat?

Sed quo modo, *inquit* aliquis, Christum quis comedat aut bibat?

Illud sæpius ante hoc capite clarissimis & explicatissimis *veniendi & credendi* verbis declaravit. Quisquis igitur venit ad Dei Filium credendo, is ejus carnem manducat, & sanguinem ejus bibit. Quamobrem turpissime hallucinantur, qui ex hoc loco carnalem Christi in Cœna manducationem subinferunt. Nam hæc manducatio tam in verbi prædicatione, quam in baptismo fit: nec quicquam aliud significat, quam participationem Christi, 1 *Cor*.10,21. Et *conjunctionem* cum illo, seu *unitatem*, ut post docetur.

cur edendi & bibendi verbis usus?

Quorsum igitur, *inquit* aliquis, *edendi, bibendi, vorandique* verbis usus est? maxime cum intellexerat auditores ex hac loquendi formula impegisse *vers*. 52. & gravius impacturos, ut *vers*. 60,66. prospiciebat; & plane tanquam in faciem corruituros prævidit.

Respondeo primum, cum se cibum & panem appellasset, arrepta occasione ex miraculo panum & auditorum nimia caduci cibi cupiditate, ut esset convenientia quædam orationis inter se & *esus* & *potationis*, verbis cœptam metaphoram continuavit. Deinde, ex hac allegoria doctrinam quam tradere parabat, & altius mente insculpsit, & ad nostram intelligentiam accommodans, & denique ad energiam passionis Christi declarandam efficacius locutus sit. Et quidem quod ad doctrinæ impressionem attinet, scimus quod proverbio prohibetur, bis dici quod parabola & similitudine dicitur. Quod ad alterum attinet, scimus res cœlestes à nobis non facile comprehendi, nisi terrestrium comparatione, quæ nobis notissima & familiarissima sunt. Cum autem illa varia sunt, tum nihil est quod melius & plenius tenemus, quam quæ ad alimenta & ventrem spectant.

etiam quod illud vulgo notum;

Non potuit igitur hoc mysterium, de salute nostra per fidem in Christum, commodius ad sensum & intelligentiam nostram tradi & informari, quam edendi & bibendi vocibus. Nemo enim tam rudis est qui nesciat quid sit panis & potus; qui non sentiat se horum usu recreari lassum; fulciri labentem; restitui præ fame exspiraturum; sine iis autem præsentem sibi mortem adesse ante oculos. Scriptura cum iis agens qui piscationi addicti sunt (ut cum Ægyptiis) similitudines ducit à piscandi arte; cum mercatoribus vero (ut cum Tyro) ea decerpit quæ illius facultatis sint; cum pastoribus (ut cum Arabibus) ea delibat quæ ad illam artem spectant; sed cum omnibus in universum hominibus agens, non potuit aptius aliquid deligere, quam esus & potationis similitudinem, tum quod sub sensum cadunt, tum etiam quod sub eum sensum qui omnibus hominibus est maxime communis. Nam si aliquid aut visui, aut auditioni, aut odoratui objectum accepisset, non fuisset illud tam appositum, cum plerique cæci, surdi, &c. reperiantur; omnes autem qui vivunt experientia docentur de edendi & bibendi necessitate. Hinc etiam proculdubio est quod Christus sacramentum

mentum in pane & vino, rebus tritissimis & ad pascendum aptissimis instituit.

quomodo eo spiritualia designata?

Primo igitur necessitas credendi in Christum hoc modo aptissime declaratur: ut enim sine pane & potu vita hæc exstinguitur; sic &c. Secundo, efficacia: nam sentimus nos corroborari, recreari, & exhilarari sumpto cibo; tametsi enim Musica instrumenta nos recreent, tamen sine cibo illud non fit; cum tamen cibus gaudium & lætitiam præstet sine Musica. Tertio, quod cibus ingeritur, & intus in corpore tenetur, aptus est ad mysterium exprimendum; quo docetur nos vitam, &c. per Christum in nos manentem habere, cum aliorum sensuum objecta foris maneant. Denique aptus ad significandum nostram cum Christo unitatem; sicut enim cibus & potus sumptus nobiscum coalescit, cibus quidem cum carne, potus cum sanguine; ita fide cum Christo in unum coalescimus.

hinc illis nulla offensionis causa:

Quod autem ad offensionem istorum attinet, quandoquidem ad Dei electionem non pertinebant, sicut superius Christus testatus est, non major eorum ratio habenda erat quam eorum de quibus Christus *Matth.* 15. Maxime vero non erant cum piorum dispendio curandi; quod certe dispendium non leve fuisset, nisi Christus familiari hac similitudine mysterium hoc explicasset, ut crassioribus consuleret. Doceo similem rationem in baptismo, ubi Christum induere dicimur. Tantum autem abest ut iis verbis carnalis Christi in sacramento Cœnæ præsentia astruatur, ut nulla hoc loco mentio Cœnæ fiat, nec ulla vera & à tropo remota manducatio subindicatur; quod iis rationibus explicari potest.

rationes cur hinc præsentia carnalis in Cœna non statuenda.

Primum quod panis cujus hic mentio fit, est panis totius mundi, non eorum tantum qui extiterunt ab adventu Christi, sed eorum qui ab origine mundi servati sunt. Vnde etiam Paulus 1 *Cor.*10. Christum eos bibisse & edisse confirmat, quum nondum natus fuisset: nam erat agnus occisus ab origine mundi. Sacramentum autem Cœnæ Dominicæ, cum jam sit præteritæ passionis recordatio, non potest esse panis totius mundi, sed eorum tantum qui sub Novo Testamento vivunt. Deinde, quod ex ista data de qua Servator loquitur, vita mundi acquiritur, sed passione Christi vita mundi acquiritur, non autem Sacramento Cœnæ; proinde passionis futuræ non autem Cœnæ futuræ hoc loco mentionem facit. Ad hæc, manducatione hoc loco *fidem* intelligi, non autem manducationem sacramenti, docetur quod solum Christum manducantes, & omnes Christum manducantes servabuntur. Sed neque soli, neque omnes Cœnæ communicantes servabuntur. Non igitur est hæc manducatio Cœnæ. Hinc fit ut tametsi nullus patrum crassam hanc & Capernaiticam manducationem probet, tamen qui hæc ad sacramentum Cœnæ referunt, in hunc errorem eodem momento inciderunt, ut existimarint neminem servari posse nisi qui Cœnæ Domini communicasset; eoque fœdus ille error natus est, ut & infantibus & vagientibus sacramentum Cœnæ præberent, & morte occupatis postquam expirassent, sacramentum hoc infarcirent; cum tamen sacramenti privatio, non nisi illud aspernantibus perniciosa sit.

Vers. 54, 55. Christi carnem comedens qui vere cibus vitæ æterna donatur,

Argumentatur ab adjuncto, quo probat victuros qui eum comedunt; scilicet ab adjuncta cibi veritate. Quo docet in illo uno verum nos pastum consequi, non fucatum aut inflantem, non transeuntem aut evanescentem, sed qui verum cibi officium præstabit, ut nos ad vitam æternam pascat. Quod autem inde *Pontificii* Transubstantionem concludunt, quia se non cibum tantum, sed *vere* cibum dixit, frivolum est; cum *vere* cibum dixit ea ratione qua *cibum* se appellat, id est, vere spiritualem animæ cibum. Quod idcirco adjecit, ut alios omnes animæ cibos & pabulum excluderet; scilicet, opera propria & aliena; Missæ sacrificium & indulgentias; quæ inflant tantum &c. Nec vero magis transsubstantiatur Christus in cibum corporis iis verbis, quam in vitem *Iohan.* 15,1. ubi *vera vitis* appellatur. Quod autem in eo altercantur & insistunt, plus hic dici, quam si dixisset se verum cibum & potum esse, cum affirmet se vere cibum & potum esse, nihil aliud est quam τριχαλεγεῖν (de rebus levibus disceptare) quandoquidem quod hic vere se cibum dixit, ante *vers.* 32. verum se panem esse confirmavit. Pro eodem igitur *verum* & *vere* dixit.

Vers. 56, &c. & cum eo unitur.

Alio argumento ab effectis, docet nos Christum edendo & bibendo in eo vitam consequi; scilicet, quod sic efficiamur cum Christo uni. Vt Adamus vivebat in Eva, quæ ab illo desumpta est, & Eva in Adamo unde desumpta est: ut membrum cum capite, palmites &c. Cibus enim iste non transit ut alius, sed manet; non consumitur, sed perstat; eoque vitam æternam gignit. Hoc loco

etiam evincitur esum & potationem hanc, fidem denotare, quandoquidem fide tantum unum sumus cum Christo *Iohan.* 17,20,21. & alibi. Christus habitat in cordibus nostris per fidem, *Eph.*3,17. Deinde notandum, eum dicere; non *qui manducavit*; sed *qui manducat*, continuationem fidei & communicationis in Christo notans.

Hic videmus viam sterni ad formidabile illud judicium adversus Capernaum, quod in illum Iesus vibravit, *Matth.* 11,23,24.

Vers. 60. *Hic Christi sermo durus censetur;* Proficiunt in pejus; nam ab obmurmuratione & disceptatione inter se ad doctrinæ condemnationem prosiliunt, & ex surdastris penitus surdi fiunt; vel ex parum attentis auditoribus, ad audiendum prorsus alieni redduntur. Sermonem enim suavissimum & plenissimum consolationis, tanquam durum & aures eorum radentem rejiciunt; nec se amplius eum audire sustinere posse dicunt. Sic videmus Sathanam, gradatim homines in præcipitium æternæ damnationis impellere. A personæ odio ob sui reprehensionem, ad doctrinæ improbationem deducere, à neglectu verbi ad contemptum, à contemptu ad odium perpellere. Est igitur impietatis via lubrica; est declivis seu præceps. Et Apostolus *Heb.*3. peccatum insidiosum vocat. Quo magis vigilandum nobis erit adversus omnes Sathanæ μεθοδείας *Ephes.* 6. & laqueos. Nam à quibus primum hoc obtinet ut oscitenter & somnolente verbum audiat, ab illis &c.

quod impiorum propria culpa: Deinde videmus impiis solemne esse id in Dei verbum impie rejicere, quod illismet ipsis hæret. Durities enim in illis erat, non in sermone. Sed fit ut quod homines graviter audiunt, & gravati minus intelligunt quæ dicuntur, quibus alioqui sermo facilis foret & obvius. Non secus atque homines sæpe in cibos causam morbi rejiciunt, cum vitium sit in crapula aut in stomachi debilitate. Meminerimus igitur primum nos ipsos excutere, quam probrum doctrinæ inuramus; quo animo venimus & qua attentione audierimus. Hinc est ut concludant se jure optimo ab illo deficere, ut qui minime ferendam concionem habuerit. Sic homines seipsos fallere solent, cum rationes suas inconsulto Deo ejusque ore conficiunt.

Vers. 61. *quod hæc elementa non intelligerent ab eo reprehensi,* Christus cum hæc clam inter se insusurrarent, declarans sibi omnia eorum murmura comperta esse, illorum inscitiam perstringit, simulque instituit. Perstringit autem variis argumentis. Singulæ enim voces singula argumenta continent. Primum igitur argumentum est à subjecta doctrina. Hoccine, inquit, scilicet, tam facile & quasi religionis veræ primum initium & fundamentum quod in promptu est, & quod est veluti lac piorum, non solidus cibus. Vide *Heb.* 6. Si disseruissem apud vos de prædestinatione, de æterna providentia & præscientia, de admirabili Dei voluntate, qua quæ etiam vetat fieri etiam decernit, &c. non equidem tantopere reprehendendi essetis. Eodem argumento utitur *Ioh.* 4,10,12. *Heb.* 5, 12,13.

Secundum argumentum est à subjectis auditoribus qui offendebantur, nempe quod essent ex discipulis Christi, qui nomen inter sui studiosos professi fuerant. *præsertim cum essent ejus discipuli,* Plus satis fuisset homines à se & à religione sua alienos, quæ dixerat improbare, suos autem & in sua schola educatos hoc facere, impietatem auget. Vide *Iohan.* 3, 10. *Heb.* 5,12. Tanquam si quis objiciat annum audienti præceptorem elementorum, literarum inscitiam; aut ut in Academia aliquot annos versanti, Grammaticæ ignorantiam. Et certe si quis ista ad nos accommodet, verendum &c. Pudet enim me inscitiæ & ignorantiæ quæ in quibusdam deprehenditur.

Tertium argumentum ab adjuncto malo seu damno quod ex hac concione extraxerant; scilicet, quod impingentes ceciderunt. *& quod impingentes ceciderint.* Nimium fuisset titubasse; sed impingere ut cadas, & tanquam pronus in terram sternaris, illud majorem improbitatem arguit. Dubitasse enim de doctrina proposita, alienum fuisset; aliquo etiam ejus fastidio quod non fuerit comprehensa ductum fuisse, item alienum; sed à Christo & à tota ejus doctrina deficere, perinde est ac si quis ad festucam cum vitæ discrimine impingeret.

Vers. 62. *Christus suo ascensu in cœlum rejicit calumniam de pura humanitate,* Duo objecerant; unum quod filius Mariæ & Iosephi non possit esse panis de cælo, *vers.* 41. alterum quod carnem suam comedendam traderet, *v.*52,60. Iam vero utrique occurrit, & primum quidem utrumque nodum uno argumenti momento dissolvit. Nam suo ascensu, sicut ex resurrectione *Roman.*1. & *Iohannis cap.* 2. *vers.* 19. Deitatem astruit. Nam cum non curru vectus & assumptus, ut Enoch & Elias; sed propria virtute se in cælum subvexit, apertum Deitatis argumentum edidit. Eodemque argumento utitur *Ioh.* 1,51. & *cap.* 3,13. Si ergo hæc non creditis, at veniet aliquando tempus cum ista videbitis quæ vos merito perfidiæ convictos teneant, & reos damnationis peragant.

Deinde

& carnali comestione; Deinde eodem momento solvit difficultatem; docetque se nihil minus intelligere quam oralem manducationem, idque ab adversis. Cum igitur in cœlos Christi ascensu, præsertim cum in cœlis decreto Dei ad extremum diem mansurus sit, convellitur carnalis præsentia.

Vers. 63. *quæ quomodo accipienda & quam utilis?* Alia ratio qua probat suam carnem vitam conferre, ab adjuncto vivificante spiritu, id est, Christi divinitate, quæ carnem vivificam reddit, quam in unitatem personæ assumpsit. Vnde satis aperte indicat, dentibus & ore non se manducandum; quandoquidem spiritus ori ingeri, dentibus atteri, gutture deglutiri nequit; sed fide tantum apprehendi. Hoc etiam adhuc confirmat ab inutilitate carnis suæ, tantum abest ut vitam conferat; quod quidem intelligendum est, secundum propositam materiam, & ad auditorum sensum accommodandum: scilicet, carnem Christi siquidem aut fuisset sejuncta à spiritu, ut illi imaginabantur, aut carnaliter manducanda, ut illi eum dixisse somniarunt, tum demum futurum inutilem; sed conjunctam spiritui, & cruci pro nobis suffixam, vitam attulisse, & summe utilem esse sine qua nulla hominibus salus constat. Vnde concludit non debere eos ipsius verba ad carnalem manducationem torquere, cum quod de carne ejus dixit vitam conferente, de spiritu suo & de vita quæ ab illo spiritu manat, intelligi velit: tametsi videtur hæc verba ad Euangelii prædicationem referre, per quam fide Christum manducamus atque acquirimus. Nam Petrus huc respexisse videtur *vers.* 68. Ex quo illud elicitur, nullius cujusque hominis pietatem aut meritum nobis aliquid ad vitam conferre posse; non si talis inveniretur qui omni labe peccati careret, nec unquam peccato vitiatus fuisset. Nam si alicujus caro profuisset, certe Christi caro hoc fecisset; sed ne Christi ipsius caro nobis profuisset, nisi assumpta in unitatem personæ cum Deitate.

Causa admurmurationis submota, quam illi comminiscebantur in Christi verbis, aliam subjecit, & crimen à se depulsum in illos confert. Estque argumentum à disparatis: scilicet, vestra infidelitas causa est hujus admurmurationis, non autem ulla in meis sermonibus asperitas. Fides enim hunc vobis sermonem suavem & amœnum reddidisset, utpote qua carnis meæ participes fuissetis. Hinc colligitur argumentum esse infidelitatis, si quis facile offensionem accipiat ex qua defluat. Fide enim illuminamur, sine qua atra nox mentibus nostris offunditur 1 *Pet.* 2, 7. Vers. 64. *Etiam ex infidelitate eorum obmurmuratio,*

Iohannes diligenter colligens Deitatis Christi argumenta, attexit Christum hoc non conjectura affirmasse, sed scientia; eaque non ex admurmurationibus & disceptationibus, sed priusquam nomina sua in religione Christiana professi essent: ne quis illum ejus rei ignarum putaret, quod tam prolixam concionem apud eos instituisset; maxime quod Iudam in Apostolatus societatem assumpsisset. Ejus rei exemplum præbuerat in Nathanaële, *Ioh.* 1. item in iis quibus se non credebat, *Ioh.* 2. tametsi illi Christo crediderant, id est, nomina ei dederant. Quisque igitur studeat se Christo probare: sed si hominibus, id est, Ecclesiæ se non probet, nedum Christo. Vna quoque notatur Iudam non credidisse, ne quis eum fide excidisse calumnietur; ut fidei perseverantiam, &c. *quæ à Christo prævisa;*

Infidelitatis causam superiorem assignat, de qua prius, nempe quod à Patre sibi dati non sunt, & quod à Patre edocti non sunt. Vtitur autem argumento à testimonio, nempe experientia. Et certe communis experientia virorum qui ingeniosi & literati sunt, qui tamen veritatis capaces non sunt: contra hebetum & crassiorum, qui in Christum credunt, hac de re nos certiores faciat. Vers. 65. *idque quod à Patre sibi non dati.*

IOAN. *cap.* 6. *à vers.* 66, *ad finem Capit.*

66 *Ex eo* tempore *multi discipulorum ejus pedem retulerunt: nec amplius cum eo versabantur.*

67 *Dixit ergo IESVS duodecim illis; Num & vos vultis abire?*

68 *Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes:*

69 *Et nos credidimus, & scimus te esse Christum illum Filium Dei viventis.*

70 *Respondit ei IESVS; Nonne ego vos duodecim elegi? &* tamen *unus ex vobis est diabolus.*

71 Io-

71 *Loquebatur autem de Iuda Simonis* filio *Iscariota: futurum enim erat ut hic proderet eum, quum esset unus ex illis duodecim.*

ANALYSIS.

EFfectum per accidens seu eventus præclaræ Iesus concionis, defectio: quæ amplificatur à subjecto discipulorum, & adjuncto, quod non amplius conversabantur cum Christo.

Vers. 67. Hujus defectionis adjunctum erat, quæstio; quæ subjecto à quo & ad quod declaratur, item forma; an duodecim vellent ab eo deficere.

Vers. 68. Cujus effectum est, responsum Petri omnium nomine se nolle deficere; quod confirmat à proprio Christi adjuncto, quia Christus solus haberet verba vitæ.

Vers. 69. Deinde ab adjuncta fide & cognitione sua; cujus subjectum proponitur, Iesum esse Messiam Filiumque Dei.

Vers. 70. Christus cognoscens maxima ex parte verum fuisse quod Petrus dixit: aliquousque tamen negat quod ab illo dictum est, argumento disparato, non omnes credere duodecim, quia unus non credidit; quam illius unius infidelitatem amplificat à diversis, quod quamvis illum cum reliquis duodecim elegerit, non tamen crediderit: quod porro exaggerat ab adverso, quod diabolus sit.

Vers. 71. Ab adjuncto nomine illum describit Euangelista: item à relato, porro ex adjuncto numero duodecim, & effecto quod patraturus erat, nempe quod Iesum proditurus erat.

METAPHRASIS.

66. *HAc occasione accepta, plerique etiam ex his ipsis qui sua nomina inter Christi discipulos professi fuerunt, Christo sua defectione veluti terga obverterunt, neque se amplius ad sacras ejus conciones audiendum aggregarunt.*
67. *Qua defectione Iesus commotus, sic duodecim Apostolos affatus est; numquid & vos quos ego Apostolatus honore cumulavi, pravo istorum defectorum exemplo impulsi à me itidem*
68. *(ut illi) discessionem facietis. Cui Petrus reliquorum omnium nomine (de quibus ex charitatis lege haud secus quam de seipso judicabat) respondit: Domine, nemo est nec in cœlo nec in terra, ad quem cum abs te discesserimus tuto nos recipiamus; ut qui unus verba quæ*
69. *vitam conferant habes. Et quidem, ut pro collegis meis omnibus rem suscipiam; nos omnes cognito quod tu es Christus ille filius viventis, in te quoque nostram fidem habemus.*
70. *Iesus hoc Petri responsum, duodecim omnium suffragio comprobatum noscens, ad omnes dixit: Negari quidem non potest, quin ego vos ex universa Iudæorum natione ad summum Apostolatus dignitatis fastigium extuli; tamen non est omni ex parte verum quod respondistis, quandoquidem unus est, & idem unicus, qui tantum abest ut in me credat, ut propter insignem ejus nequitiam quam suo tempore in lucem proferet, diaboli potius quam hominis appellationem jure obtineat. Quod quidem in-* 71.
tellexit de Iuda Simonis, non Alphei filio, sed de eo qui & Ischariotes dictus est. Nam is erat qui illum nefarie proditurus erat, cum tamen ex numero duodecim Apostolorum unus esset, pari cum cæteris potestate & authoritate præditus.

Summa *est, adversus Apostasiam Apostolorum confirmatio.*

Cujus partes *sunt, confirmatio adversus Apostasiā*: *Factum à quamplurimis discipulis.* / *Faciendam ab Apostolorum uno.*

PRAXIS.

Tametsi eorum difficultatibus abunde occursum esset, cum re tum verbis: re quidem quod Christus se eorum conscium declarasset, quæ illi inter se clam insusurrabant, verbis vero quod nodos quos illi sibi nectebant dissolvit: tamen consilium de defectione captum prosequentes, dorsum Christo obverterunt, neque amplius cum Christo conversantur. Vers. 66. *Defectio discipulorum,*

Vbi si causam hujus perfidiæ & perfidæ defectionis *quaras*, & ad quod infructuosæ terræ genus *Matth.* 13. comprehensum hos apostatas referendos esse censendum sit. *ejus quæ vera causa?*

Respondeo, causam fuisse hujus mundi cupiditates: quibus cum nec Christus satisfecit, & eas porro acriter perstrinxit, ilico levissimas deficiendi causas vel occasiones potius arripiebant. Tametsi enim obtendant defectionis causam Christi sermonis asperitatem & duritiem, tamen fons defectionis fuit libido cupiditatis suæ explendæ. Sunt igitur terra spinosa; cingendæ igitur & frænandæ sunt cupiditates: discinctæ enim diffluunt, & nostrum in itinere profectum impediunt, & vento spirante, nos retro agendi in causa sunt. Effrænes nos præcipitant in profundum perditionis. Strenue igitur adversus illas depugnemus, quæ nos adversum pugnant, & si succūbimus conficiunt. Quamobrem patienter feramus doctrinam, qua cingulum circumdatur, frænum injicitur, ne idem nobis quod istis eveniat.

Defectionem notat metaphora *retrocedendi.* Qua voce peccati atrocitas notatur. Nam *subsistere* in medio itinere, vituperii est: *eo deterior quod retrocesserint,*

& ad

& ad alteram partem deflectere: sed *regredi*, omnium teterrimum. Vide 2 *Pet.* 2,20, 21,22. Quod si Deus tam severe Lothi uxorem ultus sit quod *respectaverit* tantum, non autem *retrocessit*, &c. Quantum autem hoc facinus sit, apparet ex usu hominum communi, unde etiam hæc loquutio desumpta est. Indigne enim ferimus, si quis aversa à nobis facie tergum nobis obvertat. Quod non tantum metaphorice alibi, sed apud *Ezechielem* plane & vere factum esse queritur Deus *cap.* 8,16. Quod idem an non a nobis patratur, quoties dorsum nostrum obversum est Dei cultui in Ecclesia, facies autem in pocula, vel in ludos, vel in lucrum.

& desuerint,

Eandem defectionem describit ab adjuncta desuetudine cum Christo. Quod jam de iis enunciatur qui concionibus non adsunt.

Vers. 67. *Cur Christus quæsiverit an Apostoli etiā velint abire?*

Cum superiore versu docuisset Christum non esse falsum sua opinione, quod plerosque fide minime imbutos dixerat, quandoquidem eventu ilico hoc comprobatum est, dum plures deficerent; sequentibus hoc capite versiculis docet, Christum Iudæ etiam casum prævidisse. Hac itaque quæstione non id agitur ut Christus ignotum aliquid ab illis expiscaretur, sed tantum ut ex eorum responso occasionem captaret Iudæ perditam nequitiam prædicendi. Interim tamen hac quæstione argumentum complectitur, quo illos à defectione depellit; vel potius argumentum vulgo a pari, ad defectionis crimen excusandum aut confirmandum usurpatum, in contrariam partem ab adjuncta in Deum injuria retorquet. Cum enim hominibus justum prope & illis concessum arbitrentur, ut se multorum exemplo conforment, Christus contra insistit; scilicet, eos tanto minus deficere à se oportere, quanto plerique defecerant. Quanto enim major Christo jam erat illata & irrogata injuria, tanto esse debebant discipuli sollicitiores ne tristitiæ tristitiam adderent. Satis enim fuit, & plus satis, &c. Ne igitur putemus nobis mala licere, quod a pluribus illud fieri videamus, hoc est Sodom argumentum *Gen.* 19. Aulici Achabici, 1 *Reg.* 22,12. Contra, ut docet *Iohannes capite ultimo*, utamur potius aliorum defectione ad nostram confirmationem.

quod in illis foret intolerabilius;

Alterum argumentum est à subjecto, quod scilicet duodecim eo honore essent apud Christum, ut si alii deficerent, in illis tamen tanto honore & donis à se affectis hoc summe intolerandum foret: hinc Achitophelis à Davide, & Absalonis defectio atrocior erat. Quo igitur quisque majoribus beneficiis affectus est, eo est turpior illius à veritate decessus. Quo idcirco aut lautius, aut honoratius, aut diuturnius in Euangelio viximus, tanto nequior est defectio: sæpius ad Mensam Domini adhibiti sumus, &c.

Vers. 68 *quod illi nolint quia verba vitæ penes eum:*

Responsio Petri nomine reliquorum proponitur; scilicet, non esse quoquam a Christo deflectendum Nam *nemo est in cœlis præter te, & in terra nemo tecum, Psalm.* 73. Cujus rationem reddit ab adjuncto verbo vitæ, quod Christus solus habet; ubi longe aliam causam suæ in Christo permansionis reddit, quam quæ plebem impulit ut Christum tam studiose sequerentur. Illi enim spe pastus consequendi ducuntur, hi vero suavitate sermonis Christi. Et hæc est illa aurea catena quæ nos cum Christo concatenatos firmiter devincit, nec nos unquam excidere patitur: alii Christo per ventrem alligati sunt, discipuli per aurem; vel per aurem potius ad cor eorum demissa catena est, & ibi vinculo fidei commissa illos fortiter retinet. Atque hæ sunt veræ chordæ quibus Christo alligamur; reliquæ catenæ tanquam stipula igne flagrante facillime rumpuntur, & tanquam arenarum (*morter made of lime and sand* seu intrituum (*sober not throughly boyled or fined*) male mistum dissolvitur. Notandum igitur, vitam in Christum obsignatam verbo per fidem accepto ad nos derivari.

hinc fides cum notitia conjuncta.

Notandum etiam in fide conjungi certam notitiam, adversus eos qui fidem suam aliorum veluti manicis appingunt, & suam ad procerum Ecclesiæ fidem accommodant; idque eorum qui nundinantur hominum animas. Vix hoc admittent in mercibus emendis, ut venditoris verbo absque ulla exploratione mercium credant; nostrane igitur anima nobis vilior mercibus perituris erit? Vide quæ alibi adnotata sunt. Item exemplum Berrhoënsium.

Vers. 69. *Responsio Petri hujus concionis summarium.*

Petrus hoc versu summam totius concionis, hoc capite comprehensæ complexus est. Confitetur enim Christum Messiam esse; & eundem Filium Dei esse, quod est è cœlo descendisse. Hinc liquet non satis esse constitutum apud se habere nunquam à veritate nos defecturos, nisi hujus cum animo nostro constitutionis justæ rationes constent, quibus judicium nostrum incumbat, ut hoc loco factum est. In quo graviter à nostris hominibus peccatur, qui propensione quadam in veritatem se religioni veræ

addicant, cum tamen nulla rationum substrato & subjecto fundamento sustententur.

Vers. 70, 71. *Christus responso suo Apostolos in veritate confirmat,* Christus tanquam peritus Pastor, confirmat firmos & firmiter consistentes in veritate. Vide 2 *Pet.*1,12. Confirmat autem argumento à comparatione majorum, quasi dicat: nihil vos moveat quod ii deficiunt qui sponte se mihi adjunxerunt, quandoquidem non deest qui à me electus deficiet; nec vos moveat quod ii qui aliquandiu me audiverunt deficiunt & recedunt, quum ex iis recedet qui ab initio mecum fuerit; non offendat vos quod auditores deficiant, quum ex ipsis præconibus unus me prodet: denique non debet offendere, quod tot præclarorum miraculorum testes & spectatores tædio affecti me deserunt, cum qui miracula etiam pro me edidit, desertor & traditor futurus est. Quo docemur, nullius cujusque aut doctrinam aut autoritatem tantam esse, quæ nos ad illius in defectione societatem pertrahat. Si angelus de cœlo &c. Tametsi hesperus aut lucifer è cœlo caderet, &c.

& scandalum ex Iudæ traditione eis præripit: Simul etiam hac prædictione scandalum ex Iudæ traditione præripit: cum ut intelligant se imprudente hoc non esse factum, tum ut eos minus cum accideret percelleret. Præterea hoc modo Apostolos ad sui explorationem, & cautiorem & circumspectiorem conversationem revocat, dum indefinite hoc pronunciet; sicut etiam eos alio loco fecisse constat, cum quisque quæreret *An ego sum?* ob eamque causam articulatim non compellat Iudam, ut omnes hac admonitione proficerent: nosque admoneat, quod plerique ex iis qui Euangelium profitentur, perituri sunt. Tametsi enim non dicitur unum ex duodecim periturum, tamen cum dicitur, *Non omnes qui dicunt Domine, &c.* Et cum tria terrarum genera, infructuosa esse pronuncientur, cum bona & mala in rete Euangelii conclusa teneri dicitur, eundem effectum hæc habere debent, quem hoc dictum Christi in duodecim discipulis; ut scilicet nos exsuscitet ad excubias agendum. Nam si cum exercitus totus Israëlis lustrabatur ut unus tantum ad supplicium raperetur, metus & solicitudo ad omnes pervenit; quanto magis cum tot Euangelium profitentes, &c. Si urbi alicui indicium hoc fieret, fore scilicet, ut certa nocte unus ex civibus à latronibus spoliaretur, & vita privaretur, quis ex illis civibus totam illam noctem non ageret excubias. Sequamur igitur consilium Pauli 2 *Tim.*2,20,21.

Quod autem *Diabolum* illum vocat potius quam diabolicum, eo notare voluit insignem impietatem & nequitiam, sicut & Iudæi Christum *Beelzebub* vocarunt, ut illi insignis impietatis & inusitatæ notam inurerent. Quam formam loquendi nos etiam usurpamus in eos qui egregie truces & efferi sunt. Ministri enim nequam omnium sunt teterrimi. Vna etiam hac loquendi forma Iudam insanabilem & irrevocabilem esse declaravit. Sal enim mundi si infatuatus & insipidus fuerit, quo salietur? *hic quomodo diabolus appelletur?*

Notandum *electionem* hoc loco non referri ad arcanum Dei consilium (nam secundum illum sensum Christus ipse testatur Iudam non fuisse electum: *scio enim*, inquit, *quos elegit, Ioh.*13.) sed pro electione ad præstans Apostolorum ministerium. *& electus dicatur?*

Notandum porro Christum ipsum Iudam jam Diabolum appellare, tametsi nondum Diabolus proditionem Christi in mentem ejus injecerat. Et prius dictum est eum non credidisse. Quod adversus eos notandum est, qui Iudæ exemplo fidei constantiam & immobilitatem labefactare conantur. *qui talis ante proditionem.*

IOAN. *cap.* 7, *vers.* 1.

Versabatur autem IESVS post hæc in Galilæa: nolebat enim in Iudæa versari, quia studebant eum Iudæi interimere.

ANALYSIS.

Notat Christi conversationem & commorationem in Galilæa, quam arguit à disparato, quia noluit versari in Iudæa: cujus causam efficientem indicat, studium Iudæorum & conatus eum interficiendi.

METAPHRASIS.

Iesus finito Paschate quod superius instare dictum est, in Galilæam rediens, ibidem in ministerio suo perrexit. Ob eam enim causam noluit in Iudæa ministerium exercere, quia Iudæi (Hierosolymitani præsertim) illi vitam antequam munere suo plene defunctus fuerat eripere conati sunt.

PRAXIS.

Causam reddit Iohannes cur Christus, qui Paschati (de quo supra *Ioh.*6,4.) in Iudæa adfuit, ibi tamen commoratus non sit, *Causa cur Christus in Galilæam recesserit.*

fit, sed ilico exacto Paschate in Galilæam revolavit. Tametsi enim Galilæi non satis honorifice illum acceperant, tamen voluit potius ibi quam in Iudæa agere, ubi illi tuto esse non licuit; non quod periculum extimescebat, sed ut Dei providentiæ inserviret, ad suam vitam usque eo prorogandam, quoad veniret tempus à Deo præstitutum.

MARC. *cap. 7, à vers. 1, ad 14.*

TVnc coguntur ad eum Pharisæi, & quidam ex Scribis, qui venerant Hierosolymis.

2 *Et quum vidissent quosdam ex discipulis ejus pollutis manibus (id est illotis) edere panem, conquesti sunt.*

3 *Nam Pharisæi & omnes Iudæi, nisi pugno laverint manus, non edunt, tenentes traditionem seniorum.*

4 *Et à foro* venientes, *nisi loti fuerint, non edunt. Et alia multa sunt quæ acceperunt tenenda*, nempe *lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum.*

5 *Deinde interrogarunt eum Pharisæi & Scribæ; Quare discipuli tui non ambulant secundum traditionem Seniorum, sed illotis manibus edunt panem?*

6 *Ille vero respondens dixit eis; Bene certe prophetavit Esaias de vobis hypocritis: ut scriptum est; Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me.*

7 *Frustra vero me colunt, docentes doctrinas*, quæ sunt *mandata hominum.*

8 *Nam omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum & poculorum: aliaque similia hujusmodi multa facitis.*

9 *Præterea dixit eis*; Sane *belle aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.*

10 *Moses enim dixit; Honora patrem tuum & matrem tuam, &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*

11 *Vos autem dicitis; Si dixerit quispiam patri vel matri, Corban (id est donum)* est *quocumque à me juvari posses*, insons erit.

12 *Nec permittis amplius eum quicquam præstare patri suo aut matri suæ:*

13 *Irritum facientes sermonem Dei traditione vestra quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.*

MATTH. *cap. 15. à vers. 1, ad 10.*

TVnc quidam qui *Hierosolymis* advenerant *Scribæ & Pharisæi, adierunt IESVM, dicentes;*

2 *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus suas quum edunt panem.*

3 *At ille respondens dixit eis; Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram?*

4 *Nam Deus mandavit, dicens; Honora patrem tuum & matrem, &, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.*

5 *Vos autem dicitis; Quicumque dixerit patri aut matri; Donum* est *quocumque à me juvari posses*, insons erit: *& nequaquam honoraverit patrem suum aut matrem suam.*

6 *Et irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram.*

7 *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Esaias, dicens;*

8 *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest a me.*

9 *Sed frustra me colunt, docentes doctrinas* quæ sunt *mandata hominum.*

ANALYSIS.

Marc. 7,v.1. ADventus quorumdam ad Christum in Galilæa versantem, qui describuntur a subjecto duplici personarum, nempe Pharisæorum & aliquot Scribarum, & loci; exponere videtur ex effectis finem quare venerunt, venerant nempe ut carperent aliquid in Christo.

*Vers.*2. Subjectum reprehensionis notat, discipulos Christi; causam reprehensionis, quod viderent eos cibum capere immundis manibus: quæ sua causa declarantur, nempe illotis.

*Vers.*3. Quæ causa confirmatur à testimonio humano, nempe Pharisæorum atque adeo Iudæorum consuetudine, sæpe lavandi ante cibi sumptionem. Quod altero testimonio confirmatur, nempe Patrum traditione.

*Vers.*4. Hujus lotionis superstitionem amplificat duplici subjecto, priore loci, qui lotionis occasionem præbuit: deinde subjecto circa quod, nimirum lotionem sacram poculorum sextariorum, æramentorum, lectorum seu mensarum ad quas accumbebant.

*Vers.*5. Effectum visionis, qua videbant discipulos capere cibum illotis manibus; item consuetudinis & traditionis est, accusatio Christi quod discipulos melius non instituerat. Cujus accusationis causam assignant, majorum traditionem, præterita sua lavandi consuetudine, quam Euangelista notaverat, tametsi illa etiam implicite notatur.

Matth.15,3. Quæstionis accusatoriæ per Pharisæos & Scribas propositæ effectum est, altera quæstio accusatoria; quæ sua forma exprimitur, quare violatis præceptum Dei; quæ exaggeratur duplici comparatione minoris, hominum qui sunt inferiores Deo, & mandati cui traditio sine mandato inferior & infirmior est. Cui non repugnat quod 6.v. *Marc.* entalmata vocentur, quia quæ primo & initio ante actis temporibus libera & arbitraria erant, consuetudinis tyrannide & pejoribus subinde succedentibus legis vim obtinuerunt.

Marc.7,6. Causam hujus injustæ per Pharisæos criminationis, ostendit esse hypocrisin; quam confirmat testimonio Prophetæ Esaiæ, ubi etiam hypocrisin ex Propheta definit, honorẽ Deo foris exhibere, intus vero in corde procul à Deo alienos esse.

*Vers.*7. Dein falsi cultus ex eodem Propheta accusat; quam describit ab efficiente causa, nempe quod sit ab hominibus; deinde ab adjuncta mercede, nempe quod frustra hoc faciunt, ubi est meiosis, minus enim dicit quam intelligi vult.

*Vers.*8. Confirmat quod dixit de falso cultu à specie, nempe pertinaci observatione traditionum suarum: quæ suis partibus enumerantur, & amplificat adjuncto, præteritione & desertione mandatorum Dei.

*Vers.*9. Illud argumentum ab adjuncto exaggerat à comparatione majoris, non tantum neglectui habere mandata Dei, sed porro eadem irrita facere, quod etiam aggravat a fine, ut suas traditiones observent.

Vers. 10. Speciem mandatorum proponit quæ irrita faciunt, ut observent suas traditiones, finite *vers.* 10, 11, 12. & infinite in fine 13.

METAPHRASIS.

AD Iesum vero in Galilæa agentem, con- Marc.7,
veniunt plerique Pharisæi cum nonnullis 1.
Scribis. Qui (in utroque genere) ex primariis
utpote Hierosolymitanis esse videbantur. Hi 2.
cum observassent certos quosdam ex discipulis
Iesu illotis manibus (quas illi non secus atque
communes & spiritualiter immundas judica-
bant) cibum capere, de iisdem apud eum quæ-
runt. Nam Pharisæi atque adeo Iudæi omnes 3.
ab illis in errorem inducti, nisi manibus ad cu-
bitum usque in aquam ad lavandum immer-
sis, cibum non capiunt, traditionem Antecesso-
rum suorum mordicus retinentes. Quin imo à 4.
foro venientes, ubi nullam immunditiem lega-
lem contraxerunt, non prius edunt quam sacra
quadam lotione (ut ipsi animo suo confinxe-
runt) se purgarint. Sunt & alia pleraque ad
quam servationem religiose, vel potius super-
stitiose, se ipsos constrinxerant: in quo genere
sunt poculorum sextariorum, æramentorum &
mensarum lotiones (eorum opinione) sacræ.
Quamobrem Pharisæi & Scribæ supra comme- 5.
morati, Iesum in hunc fere modum interro-
gant. Qui fit quod discipuli tui à te (ut videtur)
parum commode aut præceptis aut vitæ exem-
plo edocti & instituti, ad majorum nostrorum
traditionem se non conformantes, cibum illotis
manibus sumant. Quibus Iesus; quamobrem Matth.
vos mandatum non traditionem, Dei non ho- 15,3.
minum violatis, insano fervore traditionum
vestrarum abrepti. Sed in vos aptissime veris- Marc.7,
simeque convenit, quod olim in suæ ætatis ho- 6.
mines cecinit Esaias: sicut scriptum est, popu-
lus hic in externo cultu præstando perquam
sedulus, corde & animi affectu (quæ ego cum-
primis à cultoribus meis exquiro) quam lon-
gissime remoti sunt, sicut quæ locorum inter-
vallo plurimum dissita sunt. Et quod adhuc 7.
atrocius est, hunc ipsum cultum externum
modo & larvatum ab hominibus confictum
tamen mihi adhibent: hoc ipsi non modo ope-
ram & oleum perdentes, sed graves sibi pœnas
accersentes. Præteritis etenim Dei mandatis 8.
pertinaciter hominum traditiones revincetis,
ut sunt sextariorum & poculorum religiosæ lo-
tiones, & alia pleraque, quæ commemorare
propter

propter numerum fastidium auditoribus mo-
9. *veret. Adjunxit præterea: parum est vobis*
Dei mandata studio traditionum neglectui
habere, nisi eadem etiam irrita faciatis, ut
10. *traditiones vestras observetis. E multis u-*
num tantum commemorabo. Edixit etenim
per Mosen Deus, Honora patrem tuum &
matrem tuam. Quem honorem gravissima
mortis pœna sancivit, siquidem quis usque eo
in parentes inofficiosus foret, ut patri aut ma-
11. *tri malediceret. Vos autem docetis, si quis ira*
in parentes percitus, corban (per donum quod
super altare offertur) jurans, seque omnibus
diris devoverit, se parenti egestate laboranti
non subventurum, is ab officio juvandi paren-
12. *tis penitus absolvitur. Sic per speciem voti re-*
ligiose præstandi (quod non violandum sed
morte plectendum & vindicandum erat) non
permittitis eum officii quidquam patri aut
13. *matri exhibere, omnemque hoc modo verbo*
Dei authoritatem abrogatis, ut traditionum
vestrarum (scilicet) authoritas illibata sit,
ejus similia non pauca facitis quæ nunc com-
memorare alienū certe & infructuosum foret.

PRAXIS.

APostolos à Pharisæis & Scribis ob gustatum illotis manibus panem, primum reprehensos, deinde apud Christum accusatos, Christus defendens rem omnem, prætéritis Pharisæis & Scribis, apud reliquos plebem & Discipulos plenius edisserit.

Cujus partes sunt, {
Calumniantium & accusantium Pharisæorum de gustato illotis manibus cibo, refutatio.
Illius doctrinæ, preteritis prefractis, apud dociles uberior explicatio.

MARC. 7, 1, &c. *Pharisæorum calumniandi animus,*

Quod Pharisæi & Scribæ tam longum iter calumniandi causa suscipiunt; docet quantos labores impii exanthlant, ut se perdant, & judicium accersant gravius. Quod reprehendunt Discipulos, eosdemque apud Christum præceptorem accusant, tanquam aliquid fecerint quod eos prophanos argueret, videmus amplissimos patres & gravissimos doctores se in rebus ludicris & puerilibus torquere, tanquam in iis prora & puppis religionis poneretur: atque ex iisdem nugis, aliis negotium facessere. Nam si hic mos illis collibuisset, non tamen debebant alios ad eorum imitationem adigere, sed liberum hoc aliis permittere, ut suo illud arbitratu vel admitterent vel rejicerent: superbum enim quiddam est, alios omnes ad tuum agendi ritum adigere.

Vers. 5. *qui conantur Christo ignominiæ notam inurere,*

Quod à Christo quærunt cur ejus discipuli hoc faciant, eo ipso conantur Christo ignominiæ notam inurere, qui melius suos discipulos non instituerit. Ex quo intelligitur nostros omnes errores & lapsus, ad religionis sanctissimæ quam profitemur fidem elevandam ab adversariis rapi. Vide locum *Rom. 2. Propter vos nomen Dei, &c.* Nec tantum in Deum & cœlum ora impiorum laxantur, sed solvuntur etiam in pios omnes qui ejusdem religionis sunt; tanquam enim ejusdem plumę aves reliquos damnant. Quod eo magis sollicite cavendum, quo plerique ex sectariis vitam inculpatam externa specie agunt. Deinde, quod hypocritæ ad trabem in propriis oculis cæcutientes sunt, tamen ad festucam in nostris oculis oculati sunt & acres.

idque ex traditionum tenacitate;

Causam reprehensionis simul & accusationis ostendit Euangelista, scilicet quod traditionem à majoribus acceptam observantes, discipuli Christi intelligebantur nulla ejus observandi cura duci.

Vers. 6, 7. *illa à Christo irrisione retunditur.*

Irridet Christus eorum projectam impudentiam, quod spretis Dei mandatis, traditionum tenaces essent. Quod dictum putemus omnibus iis qui ut cupiditatibus suis satisfaciant mandatum Dei, Sabbathi scilicet observationem &c. violant. Nam si totius consilii decretum non sit cum fraude divini mandati observandum, nedum privati hominis juvenilis cupiditas.

MATTH. 15, 4, &c. *Oblatione divina præceptum de parentibus Pharisæi violaverant,*

Præceptum de parentibus colendis vaferrime eluserant; Deum quidem (specie) parentum loco substituentes, re vero ipsa seipsos in parentum locum inferentes. Parentibus enim vitæ subsidia à suis postulantibus, regerere filios aut nepotes docebant, se non quidem recusare opem illis ferre quod juraverint & se diris devoverint ira perciti; se hoc non facturos, sed eam rationem in illis juvandis inire velle, qua cum & ad Deum honos, & ad illosmet ipsos (patrem dico & filium) quæstus longe uberrimus redundaret. Oblaturos enim se donum Deo, quod utriusque commodo cederet, & Dei omnis generis benedictiones evocaret; cum pecunia in parentes collata, vel aliud vitæ subsidium cito evanesceret, illisque modo profuturum sit, idque in hac vita solum. Quam mandati corruptelam peperit Sacerdotum intolerabilis avaritia; ad quos cum oblatio rediret, palam est, eos nec parentis, nec filii, nec Dei, sed suam & propriam causam procurasse, avaritia quædam fucata, 1 *Thessal. 2.*

sal. 2. Quod si impii juramenti tam tenaces fuerunt, quam nos religiose legitimum juramentum & votum tueri convenit? Hanc expositionem corrigo ex *Philone Judæo*, de qua vide quæ adnotavi in *Matth.* 15, 5. *in secunda parte Bibliorum Anglicorum.*

quo Deum ipsum ignominia affecerunt,

Hac autem stropha (*subtilty in arguing, or vvily deceipt*) primum Deum ignominia affecerunt: non tantum quod mandatum de colendis parentibus irritum fecerant; sed quod sacrificia furto surrepta Deo exhibebant; cum lex ex honeste partis, atque ex propriis facultatibus, sacrificia & oblationes fieri jubeat. Hoc enim erat templum in speluncam latronum transferre, *Ier.* 7, 9,10,11. Tantum autem abest ut Deus illa sibi consecrari velit quæ ad indigentium refectionem spectant, ut ipsi ante consecrata famelicis pascendis exponat; ut in pane propositionum cernitur. Huc refertur etiam; *misericordiam volo & non sacrificium.* Et sicut Deo placuit ut Anna lactandi filii causa domi maneret, nec Ierosolymitanum templum peteret; sic non minus illi placet, ut filii externum potius Dei cultum omitterent, quam parentes desertos paterentur; tantum abest ut nova & voluntaria vota suscipiant. Atque an officio parentes satisfecisse existimarent filii, si pro ipsis Deum precati Deoque sacrificia mactantes (ut *Iobus*) de alienatis pro liberis non fuissent solliciti? Quin potius ut parentes non tantum alimenta præbebant, sed & vota filiorum nomine Deo faciebant, ita filii parentum causa utrumque præstare debent.

& homines expilarunt:

Præter Dei ignominiam homines etiam cum patrem, tum filium expilant; præterquam quod filiis & nepotibus Dei iram superaddant. Quod certe nihil aliud erat, quam animas hominum tanquam merces venales exponere. Ex quo intelligimus, quam ingens malum sit avaritia, in Ecclesiæ præsertim proceribus; ut quæ falsa dogmata cudit & fingit.

Hinc quam gratum Deo officium parentibus præstitum,

Hic notemus quam gratum Deo sit officium quod parentibus præstatur; quamque nulla de causa iis prætermittendum sit, qui suum Deo obsequium probare volunt. Et certe quoties nos vivere recordamur, toties mentem nostram subeat nos hoc beneficium ab illis accepisse, quodam modo & per illos eodem frui, quo accendamur studio Dei obsequendi. Hinc apparet quam sunt iniqui *Pontificii*, qui non permittunt ut Monachi claustris exeant, tametsi parentes fame perituri essent in plateis. Quod quidem tam impium est, ut ex *Papistis* quosdam hoc ipsum pudeat profiteri. Quis Dominus Sabbathi violationẽ indulget iis quibus bos in foveam incidit? Et *Marc.* 7,12. Christus affirmat eos non pati ut præterea quid officii parentibus præstent; non quod interminarentur liberis ne quid ad oblationem officii superaddant, sed quod docebant hoc satis esse. Sic *Matt.* 23. *Clavem scientiæ sustulistis, nec ipsimet ingredimini &c.* Vbi notandum est, quid sit liberum aliquid permittere quod illi ut faciat necessario incumbit, periude ac si omnino illum depulisset.

quod maxime in vitæ subsidiis.

Præterea observandum, partem imperati honoris erga parentes esse ut illis vitæ subsidia cum opus fuerit filii suppeditent. Vt sicut parentes illis alimenta tum suggerebant, cum illi parando proprios cibos inepti essent; sic vices illi rependant parentibus decrepitis aut exhaustis, 1 *Tim.* 5. Hinc *Ruth. cap.* 4, 15. nepos Naomitis dicitur qui ejus canitiem pasceret. Exemplum propono in Iosepho, non enim brutas aves imitari debemus, quæ a suis matribus educatæ & ad provolandum edoctæ, ilico genitorum obliviscuntur. Imo vero Ciconia nobis hac in re magistra traditur ab Apostolo, quæ suis parentibus vicem subsidii rependit.

Vers. 7, 8. Pharisæorum perversus cultus quod in externis ritibus;

Postquam clavum clavo pepulisset, eorumque in accusando inverecundiam coarguisset, qui trabem in proprio oculo non deprehendentes, ipsam oculi pupillam tanquam festucam discipulis eximere volebant, accedit ad justam Pharisæorum erroris refutationem. Et quoniam magnæ apud populum autoritatis erant, & Christum tanquam ridiculum aliquem doctorem aspernabantur, illos testimonio nobilissimi Prophetæ premit, qui Iudæos præstringit quod ore & labiis pietatem similantes, nullam veræ pietatis micam retinerent; nec ullo pietatis studio ducerentur. Quem locum Christus synecdocha partis pro toto ad præsentem causam traduxit: *ore* enim & *lingua* intelligit totum cultum externum, sive fiat manibus sive pedibus &c. Vnde etiam cultum hunc qui in lotione manuum versatur, non dubitavit ad oris & linguæ cultum aggregare. Hinc est ut totum cultum externum, sæpe Scriptura *linguæ confessione* designet, juxta illud, *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Cujus quidem ratio est, quod præcipuus cultus externus ab ore dependet. Populum autem hunc talem fuisse, apparet ex pa-

ex parabola patris duos filios in vineam mittentis; quorum major natu se ire professus, non tamen profectus est.

quare ex animo Deus colendus,

Hic observemus, cultum illum Deo gratum esse qui Deo ex animo præstatur. Nisi igitur animus adsit, tametsi corpore adsimus, nihil profuerit: Deus enim cum spiritus sit, spiritu coli vult; & lex spiritualis est. Nisi enim animum Deo sistas in cultu, perinde est ac si jumentum sponte mortuum offeras, quod fœtet coram Deo; aut si mancum aliquid offerres. Contra igitur, Deus nobis semper ante oculos esse debet, & coram illo ambulandum. Interim tamen non damnantur quod ore & labiis Deum colunt; sed quod &c. Nam ore colendus est: nec nisi ore appropinquemus, animo hoc faciamus; cum animus corporis totius cultum post se ducit. Sicut enim hypocritæ sibi imponunt specie externi cultus ab animi cultu remoti, ita prophani sunt qui se animo quidem cum Deo esse prædicant, tametsi ore non appropinquent. Animus enim probe affectus reliquum hominum secum ducit. Si quis dux operam suam alteri navaret, & milites qui ab ejus imperio pendent post se relinqueret, aut ad hosti opitulandum traderet, quis jure hunc suspectū non habeat? Si quis amicum se ostentet, qui tamen suum amicum in suo officio & potestate manentem secū ad auxilium adducat, nemo eum fidelem nobis judicaret.

Vers. 9. *non cultu à nobis excogitato ut Pharisæi,*

Μάτην.] Prophetæ testimonium pergit porro accōmodare, & Pharisæos gravius accusare, non tantum quod cultum externum sectarentur, sed quod etiam eundem haberent fictum & à se excogitatum. Nam grave quidem peccatum est præceptis divinis externa quadam specie defungi tantum, *Esa.1.* Sed duplicatur malum, cum idem ab humano cerebro excogitatum sit. Tametsi fere fit, ut hæc se mutuo consequantur: cum enim homines sibi animum induxerint externis tantum ceremoniis & cultu Deo placare, nullum tranquillitatis locum ex cultu quem præstant invenientes, novos cultus producunt quotidie, quo quod illis deest supplere possint. Sed quo longius ista progrediuntur, eo absunt longius à concupita quiete. Quanquam enim graves labores suscipiant ut peregrinationes, carcerem, &c. tametsi plurimum vigiliis & jejunio macerent, virgis cædant; tamen &c.

qui per diminutionem frustra dicitur.

Quod autem dicit *frustra*; μείωσις est, minusque re ipsa dicit. Non enim tantum oleum & operam perdunt, sed iram Dei in se accersunt: addenti enim iis quæ Deus præcipit, plagæ & maledictiones addentur. Ob eamque causam eodem loco minatur Deum tenebras & cæcitatem immissurum. Idque tametsi sibi proponant unum verum Deum, creatorem cœli & terræ, fœdus cum Abrahamo paciscentem, &c. colere.

MATTH. *cap. 15. à vers. 10, ad 21.*

10 *Et advocata turba dixit eis; Audite, & intelligite.*

11 *Non quod ingreditur in os, hoc polluit hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem.*

12 *Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei; Nosti Pharisæos audito isto sermone offensos fuisse?*

13 *Ipse vero respondens dixit. Omnis planta quam non plantavit Pater ille meus cœlestis, eradicabitur.*

14 *Omitte illos: duces sunt cæci cæcorum; quod si cæcus cæcum per viam duxerit, ambo in foveam cadent.*

15 *Respondens autem Petrus dixit ei; Edissere nobis parabolam istam.*

16 *IESVS autem dixit; Adhuc & vos intelligentia caretis?*

17 *Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os, in ventrem cedere, & in latrinam ejici?*

18 *Quæ autem proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa polluunt hominem.*

19 *Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, maledicta.*

20 *Hæc sunt quæ polluunt hominē: illotis autē manibus vesci, non polluit hominem.*

MARC. *cap.* 7. *à verſ.* 14, *ad* 23.

14 *Advocata enim tota turba, dixit eis; Audite me omnes, & attendite.*
15 *Nihil eſt extra hominem quod ingrediens in eum, poſsit eum polluere: ſed quæ egrediuntur ex eo, illa ſunt quæ polluunt hominem.*
16 *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*
17 *Et quum introiiſſet domum* digreſſus *à turba, interrogarunt eum diſcipuli ejus de parabola.*
18 *Tunc dicit eis; Itane & vos intelligentia caretis? non intelligitis quicquid extrinſecus ingreditur in hominem, non poſſe eum polluere?*
19 *Non enim ingreditur in cor ejus, ſed in ventrem: & in latrinam abit, purgans omnes eſcas.*
20 *Dicebat autem, quod ex homine egreditur, illud polluere hominem.*
21 *Intus enim, ex corde hominum malæ cogitationes egrediuntur; adulteria, ſcortationes, cædes,*
22 *Furta, augendæ rei artes, ſcelera, dolus, protervia, oculus malus, obtrectatio, ſuperbia, amentia.*

ANALYSIS.

MATTH. 15, v. 10. CHRISTVS turbam de hoc negotio inſtituit; quæ turbæ inſtitutio declaratur ſuis adjunctis, convocatione ad ſe, 2. adhortatione: cujus adhortationis partes ſunt, auſcultare & intelligere.

Verſ. 11. Subjectum quod docendum proponit eſt, cibum illotis manibus comeſtum non polluere, quod arguitur à ſubjecto loco, qui cibus in os ingreditur; & ſuo adverſo confirmatur, quia quod egreditur ex homine polluit hominem.

MARC. 7, 16. Hanc doctrinam confirmat ab omnibus audiendam, à fine creationis aurium nempe ut audiant; vel poteſt notare proprium ſubjectum proficiendi in hac doctrina, nempe hi duntaxat quibus Deus aures ſpiritu ſuo perforabit.

MATTH. 15, 12. Doctrinæ Chriſti effectum per accidens erat, impactio & offenſio; quod ſuo ſubjecto declaratur, nempe Phariſæorum: quod confirmatur teſtimonio Apoſtolorum, quorum in fide infirmitas declaratur adjuncta addubitatione, an Chriſtus hujus offenſionis conſcius eſſet.

Verſ. 13. Quæſtionis effectum eſt, Ieſu reſponſum illos impingentes perituros; quod pari eradicatæ & ſtirpitus evulſæ arboris illuſtrat: & cauſa efficiente confirmat, quod à Deo electi non ſunt; quam electionem pari plantationis illuſtrat.

Verſ. 14. Idem confirmat ab adjuncta cura de illis abjicienda: poſt ſequitur prolepſis, cujus occupatio eſt ab effecto, fore ut ſi cura de illis non ſuſcipiatur, ut multi ab illis ſeducti pereant: ſubjectio eſt à ſubjecto pereuntium; perituros modo qui illis ſunt cæcitate ſimiles: quod pari illuſtratur cæci ductoris, in foveam cum eo qui ducitur cadentis.

MARC. 7, 17. Aliud effectum hujus de lotione doctrinæ, quæſtio Apoſtolorum de ſenſu verborum Chriſti; quæ declaratur à ſubjecto loco, in privatis ædibus, adjuncto tempore, cum à turba abſceſſiſſet, & efficiens hujus quæſtionis, nempe Apoſtolorum.

MATT. 15, 15. In efficiente principalis indicatur Petrus, qui nomine reliquorum quærebat.

Verſ. 16. Effectum quæſtionis eſt, reſponſum Ieſu, quo perſtringit illorum in intelligendo tarditatem: quam amplificat à ſubjecto, nempe quod ipſi tam bene inſtituti ignorarent; & adjuncto tẽpore, poſt tam diuturnam in ſchola Ieſu converſationem.

Verſ. 17. Illos inſtruit à ſubjectis locis, ad quos cibus & potus tranſmittuntur, illa non polluere hominem.

Verſ. 18. Idem confirmat ab adverſis, quia exeuntia modo ex ore polluunt; quod confirmat à ſubjecto ex quo exeunt, animo videlicet: qui eſt ſedes pollutionis.

MARC. 7, 21, 22. Probat ab enumeratione partium, illa quæ ex animo emanantia ex ore prodeunt hominem polluere.

MATTH. 15, 20. Adverſo concludit, non contaminare hominem, ſi quis illotis manibus cibum capiat.

METAPHRASIS.

IEſus turba (quæ ſanabilis viſa eſt) ad ſe advocata, ad eam (Phariſæis ſpretis) dixit: MATTH. 15, 10.
audite vos, & ut intelligatis probe animum
advertite. Non quod os ingreditur, utcumque 11.
illotis manibus ſumatur, hominem polluit aut
immundum reddit: ſed quod ex ore egreditur,
hominem (utcumque manus purgatiſsimæ
fuerint) pollutum & mundum reddunt. Hanc MARC. 7,
doctrinam à me propoſitam omnibus, ut omnes 16.
accipere debent qui in hunc finem aurium beneficium à Deo acceperunt: ſic ii modo ſalutariter & cum fructu excipient, quibus Deus ſpiritu ſuo animi quaſi aures perforaverit.
Diſcipuli Ieſu eum accedentes ad eum dixerunt: numquid noſti Phariſæos hac tua doctri- MATTH. 15, 12.
na offenſos eſſe, quod de illis placandis & melius

13. *lius instituendis sollicitus non sis. Quibus Iesus: frustra laboratur in illis ad frugem revocandis, qui (tanquam putres & infructuosæ arbores) stirpitus eradicandi sunt. Hujus enim generis sunt isti, quos Pater æterno electionis suæ decreto non plantavit, sed hominum manu & ministerio solum, tanquam pali in solum depacti sunt.*
14. *Quamobrem non est quod de illis curam amplius suscipiatis. Excipiatis forsan ob eam causam curandos esse, ne in errore permanentes alios plerosque in errorem impellant. Sed & de eo vos securos esse jubeo, quandoquidem non nisi eadem pertinaci & obfirmata cæcitate laborantes, cum illis in exitii æterni foveam casuri sunt.*

Marc. 7, 17. *Postquam vero se è medio turbæ subducto ad privatas ædes concessisset, discipuli ejus per Petrum, communi reliquorum consensu designatum, Iesum de hoc negotio interrogabant:*
Matth. 15, 15. *Domine, edissere, quæso, & paulo uberius nobis evolve, complicatum hunc animi tui sensum.*
16. *Ad quos Iesus: vosne qui tot præceptis per me informati estis, idque tam diuturno temporis spatio, adhuc tam rudes & tam parum instructi manetis?*
17. *Nondum percipitis omne id quod in os ingeritur, in ventrem trajici, & inde in secessum dejici, quod est in cibis fæculentissimum impurissimumque; non autem ad animum, qui est peccati sedes, permeare.*
18. *Quæ vero ex ore exeunt, eadem ex depravati animi sentina promanantia, hominem polluunt.*
Marc. 7, 21. *Ex intimis etenim animi penetralibus erumpunt pravæ cogitationes, adulteria, fornicationes, cædes, furtum, avaritiæ varia genera,*
22. *malitia inveterata, dolus, mollities, invidia, maledicentia, superbia, amentia. Hæc omnia mala, & quæ sunt ejus generis alia, quæ recensere infinitum foret, quia ab intimis animi penetralibus promanant, ut hominem polluunt atq; immundum ex peccato reddunt.*
Matth. 15, 20.

Summa *est, præteritis Pharisæis, sanabiles, potissimum vero Apostoli, de hac doctrina porro instituuntur.*

Partes sunt Christi oratio { *apud turbam ultronea,* } prior *de præteritis Pharisæis.*
{ *ad Apostol. elicita quæst.* } { altera *de sensu verborum suorum.*

P R A X I S.

Matth. 15, 10. *Christus Pharisæos refutans,*

POstquã Pharisæos refellisset abunde ut in veritatem nihil mutire possent, populum ad se advocat (videtur enim seorsim a turba priora cum Pharisæis disseruisse) ut illam in veritate informaret: huc refer quæ post annotata sunt in *v.* 14. Christus hic consilium Salomonis observavit, *responde stulto secundum stultitiam suam:* nam primo eos pungit, post illorum errorem refellit; non tamen in veritate instituit.

Docet autem illotis manibus non contaminari hominem, à subjecto cibo qui manibus ingeritur & tractatur. Ac si diceret, si ulla infectio peccati ex illotis manibus enascitur, inde fit quod cibus manibus illotis tractatus & in os insertus nos contaminat; sed cibus non inficit, &c. Illud autem probat ab adjuncto peccati egressu ex homine, cum cibus in hominem ingreditur. Regnum Dei non est cibus & potus. Omnis enim creatura bona, & nihil rejiciendum &c. 1 *Tim.* 4. Nemo igitur hominum illa prophana judicet, quæ Deus sanctificat: nemo hominum polluat quæ Deus munda declaravit. Tametsi igitur caro turpissimos ad Idololatriæ usus adhibita fuisset, in macello tamen prostans redimi ad nostrum usum potuit. Illa autem traductio creaturarum ad Idololatriam omni cæno & cadavere turpior erat. Cum igitur tanto abusu peccatum aut immunditiam cibus non contraxit, nedum &c. Vers. 11. *quomodo dicat cibum ingestum non contaminare?*

Hinc constat quod Pharisaicum sit quod *Pontificii* de ciborum delectu tradunt: qui docent hominem contaminari esu carnis, tanquam in os non ingrederetur, tanquam externum non esset. Quod si excipiant in eo versari reatum quod ordo Ecclesiæ constitutus convellatur, idem Pharisæis regerere licuit. Sed excipient, Christum iis verbis omnium comedendorum copiam non fecisse, sed eorum tantum quæ lege permittebantur: assentior. Cum igitur nunc omnia in Christo munda sint *Rom.* 14. & cum mundis omnia munda *Tit.* 1. quæ superbia illud commune & illicitum affirmare quod Deus mundavit? Si œconomus illa familiæ interdiceret quæ paterfamilias ad usum familiæ contulit, quis hoc ferat? Si paterfamilias quatuor ciborum genera in dimensum diurnum familiæ concederet, & œconomus ex iis duo resecaret, ecquis hanc audaciam æque patiatur? Quod si excipiant, se non damnare ut *Manichæi* & *Encratitæ* cibos tanquam pollutos, frivolum illud est. Ecquis enim Iudæorum putabat suillas carnes ex se magis illicitas fuisse quam vervecum? minime. Tantum enim conscientia vetiti à Deo cibi illius, ab eo abstinebant: alioqui si vel per imprudentiam & ignorationem aliquid hujusmodi comedissent, aut si quid per vim illorum stomacho injectum fuisset, aut extrema fa- *quare Pontific. delectus ciborum Pharisaicus:*

ma fa-

ma fame eo adducti essent, nunquam se inde reos violati Dei mandati judicassent. Cum igitur hæc omnia in Christo libera sunt, &c.

quomodo Principibus integrum certa ciborum genera interdicere?

Sed tamen *excipitur* hoc loco: Principes Reip. causa mandare, ne quis certis temporibus ex certis ciborum generibus edat.

Respondeo: sed alia ratio est cum cibus proposita pœna prohibetur, alia cum proposito peccati reatu vetatur; alia cum ut commodius, alia cum ut sanctius vivatur; alia cum ut ad Dei cultum, alia cum ad hominum societatem tuendam refertur. Priore enim, finis ad quem cibus destinatus à Deo est, servatur: ut scilicet humanis hujus vitæ usibus consulatur: posteriore vero novus finis isque divino instituto contrarius inducitur: ut scilicet Deus cibis colatur. Erat quidem tempus cum aliqua pars cultus Dei in cibis poneretur: sed nunc non item. Item, priore libertas Christiana retinetur, quæ amittitur posteriore. Nec enim magis libertas Christiana Magistratus interdictione tollitur, quam pauperi facultas phasianas (*feasantem*) comedendi potestas ex inopia adimitur: quandoquidem ut illi non permittitur, quod ejus conditio hoc non ferat; ita subditis, quod Reipublicæ commodum hoc non patiatur.

quomodo Reformati jejunium indicant?

Excipitur denique, Ecclesiam Reformatam jejunium indicere.

Sed hoc facit verbo Dei munita, quod illi non faciunt: idque non faciunt delectu ciborum, sed interdictione omnis generis cibi: deinde non nisi instante aut urgente calamitate; postremo ad unum aut paucos dies id fit, pro calamitatum magnitudine. Quod si eodem momento arbitrantur se in universum posse cibis interdicere, falluntur turpiter. Sic enim consequeretur eos consuetudinem conjugum posse in perpetuum vetare. Cum Apostolus cibi esum ex jejunii ratione non prohibat magis, quam mutuam conjugum inter se benevolentiam. Neque si medicinæ causa à quibusdam abstinetur ad tempus; ideo in diurno dimenso hoc faciendum erat.

Vers. 12. Discipulorum de Pharisæis cura,

Discipuli præteritos à Christo Pharisæos advertentes, idque studio & judicio, mirantur: eoque illum de hac re appellant: ac si dicerent; non ignoras Pharisæos ex tuo ad eos responso offensos esse? quid igitur est quod populo ad te advocato, illos excludis? Cum illis cum primis vulneratis obliganda vulnera videantur. Quod non tantum ipsorum Pharisæorum causa faciendum videtur, quam eorum qui ab eorum ductu & authoritate suspensi tenentur. In quo discipuli Christi non obscurum charitatis testimonium præbent, qui suos vituperatores in veritate informari cupiunt, neque illorum erga se iniquitate sibi salutis eorum curam eripi & excuti sinunt. Quod certe est in laude ducendum. Tametsi enim plerique suis etiam hostibus salutem à Deo apprecari vel exoptare videntur, tamen sibimet imponunt cum salutem eorum ne verbo quidem procurant. Nec certe sibi unquam persuadeant se illis vitam æternam apprecari, quibus præsentem hanc invident, & ea quæ hujus vitæ sunt. Quod si illos in cœlis esse cuperent, ut eos molestia hic in terris liberarent, affectum eum à charitate in proximum non profluere palam est, sed tantum a φιλαυτίᾳ.

Vers. 13. quæ a Christo refelluntur quia eradicabuntur,

Quæ duo Apostolis admirationem movere poterant, quod Christus neglectis Pharisæis populum instituebat, ea Christus respondendo diluit. Et primum quidem quod ad ipsos attinet, docet esse insanabiles & deploratæ spei homines; ob eamque causam nihil esse cur ipse eos in viam revocare studeret. Quod similitudine arborum radicitus ex horto extrahendarum illustrat. Sicut enim agricola prudens, non putat neque colit eas arbores quæ non multo post evellendæ sunt; sic, &c. Sic Hippocrates desperatis Medicinam porrigi noluit. Præclara enim Pharmaca, & unguenta, balsamumque frustra profundi consultum non est.

quod à Patre non plantati:

Causam autem eradicationis assignat, Patris non plantationem: in metaphora persistens. Paradisus enim Dei manu conserendus. Proveniunt enim omnia & augentur & crescunt, quæ fortunata Dei manu conseruntur: contra, quæ homines plantarunt, exclusa aut non adscita Dei manu, exarescunt atque eradicantur.

hæc metaphora an ad vocationem an electionem referatur?

Quid autem sibi velit hæc metaphora plantationis, & an ad vocationem an ad electionem Dei referatur:

Respondeo, referri hoc loco ad electionem Dei; vocatio enim potius irrigationem exprimit. Vide *Psal.*1. Perinde ac si dicat, tametsi & sibi & aliis quam plurimis præclaræ in horto Dei arbores videntur, tametsi radices longe lateque diffusæ videantur, tametsi rami densi & late protensi sint, tametsi ut laurus vineat, tamen cum non sit consita à Deo, eradicabitur; nec alio loco erunt, quam palus in terra temere depactus & defixus. Sic electio Dei cum *fundamento* comparatur 2 *Timoth.*2,19. Videtur autem hæc causa

causa aptior esse ad offensionem tollendam, eximendamque animis discipulorum, quam si causam perditionis eorum ad cordis eorum duritiem & pervicaciam retulisset. Vix enim videbatur verisimile, tantam cæcitatem tam amplis in Ecclesia viris, aut perversitatem tam in speciem sanctis inesse potuisse, ut oblatam à Christo veritatem respuerent. Sed neminem Dei consilio & decreto superiorem esse posse in promptu est. *Actor.*13.*Crediderunt quotquot ordinati sunt, &c.* Vt enim Deo decernente ad vitam & destinante, nullius tanta inscitia & fatuitas esse possit, quæ decretum illud impediat, nulla improbitas, &c. ita etiam Deo ad exitium decernente & destinante aliquem, nullæ eum vel literæ vel acumen, &c. ab interitu vindicare poterunt. Eodem argumenti genere usus est *Iohan.* 6. bis item apud *Lucam* 7. *Sapientia justificatur à filiis suis.* Ac si alicui rem aliquam in precio a quibusdam habitam contemnenti,& glorianti se illa carere, ingereretur eum non posse rem illam quam ita aspernatur consequi.

quæ docet electos non perituros. Quod autem Deum *patrem suum* vocat, eo satis indicat, se consilii ejus arcani conscium esse. Hoc autem loco colligitur electos Dei interire non posse: vide *Psalm.* 1. item *Ierem.* 17. Nam paradisus Dei ita consitus erat ut undique nobilissimis fluviis & celeberrimis, & circumduceretur, & interflueretur, quanto id magis efficiet Dominus in hoc cœlesti paradiso. Vide *Genes.*2.

Vers. 14. *Non perituri nisi qui ipsi cæci;* Altera difficultas est, quæ etiam scrupulum movebat, quod Pharisæi ab erroribus minime abducti,alios etiam in idem exitium præcipites agerent; quibus respondet Christus,non alios perituros quam qui cæci sunt, & quidem se adversus veritatem pertinaciter obfirmarunt. De illis igitur non esse curandum, ut qui illis perituris ad frugem retrahi & revocari nequeant.Quicunque enim se obfirmato animo illorum ductui addicunt, nec patiuntur se ab illis abduci, illis necessario pereundum est:non secus quam cum cæcus cæcum ducens ambo in foveam cadunt. Vide quæ de periculo cæci ducis prius notata sunt.Quanquam quid interest inter cæcum & oculatum ducem, si quis ab oculato duce ductari & dirigi non patiatur; sed cæca ipsius mente, & ratione aut affectibus abripi patiatur, aut ab aliquo ejus socio in errorem impelli?

hinc quinam à mi- Quod autem exclusos Pharisæos, tanquam indignos qui ad veritatis notitiam perveniant (ἄφετε inquit) non tantum docuit *nistris in- [illegible]* quid Euangelii ministri faciant, quando illis cum hujusmodi canibus negotii aliquid intercedit;sed qui sint demum quos Dominus instituendos sumit, & qui sunt quos excludit schola sua. Superbos enim & opinione sapientiæ propriæ turgentes aversatur atque resistit, *Iacob.* humilibus vero dat gratiam. Et *Psal.*25. *Humiles docet, &c.* Hinc etiam conditio discentium notatur, *advolutione ad pedes* præceptoris; item *sequendo Christum.* Et quidem nos simplicitate pueros oportet imitari, & tanquam terra subacta semen excipere. Vide *Proverb.* 3, 5,6,7. item 1 *Cor.* 3,18.Tametsi vero Christus non sevocat humiles à superbis,ut tum fecit,tamen ita moderatur prædicationi verbi, ut illis utilitati tantum sit qui humilitate ad audiendum comparati sunt; cæteris enim tanquam in parabolis omnia dicuntur, aut tanquam lingua exotica, aut sono confuso, nec exaudito, vel σκυθιστὶ λαλουμένῃ. Humilibus vero veluti in aurem aliquid narrat.Vid. *Matt.*13.

In Petro sicut in reliquis discipulis, quorum nomine Petrus explanationem hujus Vers. 15. *Discipulorum candor in petitione explicationis parabolæ;* argumenti petiit, magnus candor apparet, quos non pudet fateri se nescire quod nesciunt. Tametsi enim pudendum videri potuit, eos illa ignorare quæ Christus docuit turbas & ex vulgo inertissimos,tamen quod nesciunt sibi edisseri cupiunt. Hunc candorem imitemur, qui dubio procul cum singulari studio & amore veritatis ortus est. Mallent enim hebetes & tardi haberi, quam in præstantissimarum rerum ignoratione jacere. Mallent discrimen ingenii obtusi subire, quam mysterii hujus inscitia diutius laborare; mallent se cæcos profiteri ut ducem viæ consequantur, quam aciem ostentando præcipites in exitium ruere: denique stulti fieri non recusant, ut sapientes fiant.

Christum vero tam acriter illos perstrinxisse mirum videri potest, præsertim tam Vers. 16. *cur tamen eos Christus tam acriter perstrinxerit;* officiose quærentes. Quod illos perterrefacere posse videatur, ne dubii deinceps eum consulendum accederent. Sed Christus non dubitabat eos reprehensione dignos pervellere; nihil veritus ne ob tam levem causam scholam suam desererent, qui ullo veritatis studio tenentur, cum dignos intelligeret qui schola excluderentur tam levi de causa fugam arripientes; an enim virga aut ferula schola exulabit quidam, quid papiliones scholæ non disciplinam ferent? Sed hoc loco apparet discipulos exemplo Christi traditio-

nem Iudaicam abjecisse, quam ullis solidis argumentis persuasi, & ab illo errore depulsi. Quod nostris hominibus sæpe usuvenit. Unde videntur discipuli nihil pro se respondere potuisse, adversus Pharisæorum de eis accusationes.

Vers. 17. *quod argumento ciborum in ventrem ingestorum non contaminantium confirmat:* Servator quod dixit, argumento subjecto priorem doctrinam confirmat. Ideo scilicet non contaminare nos cibos qui in ventrem concidunt, indeque in secessum egeruntur, quia quod nos reos peccati reddat in sedem peccati concidat oportet. Cibus non pervehitur ad sedem peccati, ut qui in ventrem transmittitur. Item quod non manet in homine, peccatum non est; peccatum enim manet tametsi actio transeat, ideo,&c. Quod vero in secessum egeri dicit, eo dixit ut Pharisæorum amentiam omnibus deridendum proponeret, qui sanctitatem ex illis quærebant, quæ in secessum excernuntur; & peccatum in discrimine eorum constituebant, quæ exitu eadem essent: tam enim cibus lotis quam illotis manibus esus, in secessum excernebatur. Hic *Pontificium* idolum seu deaster in secessum ejectus perstringatur.

An non tamen peccatum cibi ingurgitatione contrahatur? Sed hic *quærat* aliquis, an non quis peccatum contrahit multi potus & cibi ingurgitatione?

Respondeo, cibum & potum injectum corpori non per se nocere: ne si bovem edat & dolium vini exhauriat uno pastu: sed nocet immoderata cibi & potionis cupiditas, quæ intus ex corde manat. Nam si naturæ necessitas aut hilaritas Dei laudibus canendis aptior hoc ferret, ut, &c. non equidem nos reos constitueret: sed crapula quæ intus est & ex corde manat, ea demum, &c.

Vers. 18, &c. *propria peccati sedes animus.* Quamobrem Christus docet quæ sit sedes & origo peccati & fœditatis: *Animus* scilicet, qui tanquam cloaca omnes fœtores peccati exhalat: ibi est sentina navis nostræ, quæ totum corpus fœtidum & putidum reddit: hoc sterquilinium est, quo omnes sordes comportantur: hæc cavea est immundarum avium. Quamobrem animum repurgemus, exhauriamus, expediamus: sordibus purgatum & exhaustum Euangelii præconio & fide *Actor.* 15. illum supra omnia observemus, excubias agamus *Proverb. cap.* 4. *vers.* 7. Deinde animi portam observemus, ut si minus (quod fieri nequit) in hac vita vitia ex animo omnia exturbemus, attamen aditum illis intercludamus, ne ore se proripiant ad aliorum perniciem. Hinc dicitur *perfectus* apud *Iacobum*, qui lingua non peccaverit.

MATTH. *cap.* 15. *à vers.* 21, *ad* 29.

21 Et egressus illinc IESUS secessit in partes Tyri & Sidonis.

22 Et ecce, mulier Chananæa a finibus illis egressa clamitavit, dicens ei; Miserere mei Domine, fili David, Filia mea male à dæmonio vexatur.

23 Ille vero non respondit ei quicquam. Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum, dicentes; Dimitte eam: nam clamat post nos.

24 Ipse vero respondens dixit; Non sum missus nisi ad oves perditas domus Iisraëlis.

25 Illa autem venit & adoravit eum, dicens; Domine succurre mihi.

26 Ipse vero respondens dixit; Non est bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis.

27 Ipsa autem dixit; Etiam Domine? etenim catelli vescuntur micis quæ cadunt è mensa dominorum suorum.

28 Tunc respondens IESUS, dixit ei; O mulier, magna est fides tua: fiat tibi ut vis. Et sanata fuit filia ejus ab eo momento.

MARC. *cap.* 7. *à vers.* 24, *ad* 31.

24 Et illinc surgens abiit in confinia Syri ac Sidonis: & ingressus domum, neminem volebat hoc scire: sed non potuit latere.

25 Quum enim de eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum impurum, venit, & accidit ad pedes ejus:

26 (*Erat*

26 *(Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa gente) & rogavit eum ut dæmo-*
nium ejiceret ex filia sua.
27 *IESVS autem dixit ei; Sine prius saturari liberos: non est enim bonum acci-*
pere panem liberorum, & objicere catellis.
28 *Ipsa vero respondit, & dixit ei; Etiam Domine: sed enim catelli edunt sub*
mensa ex micis puerorum.
29 *Tunc dixit ei; Propter istum sermonem abi, exiit dæmonium ex filia tua.*
30 *Quum autem* illa *abiisset domum suam, invenit dæmonium exiisse, & filiam*
projectam super lectum.

ANALYSIS.

MATTH. 15, ✝.21. Effectum superstitiosæ observationis traditionum à Iudæis, commigratio Christi ad loca ipsis gentibus contermina, Tyro videlicet & Sydoni.

MARC. 7, 24. Subjectum loci magis proprium indicatur, domus quædam ad quam se recepit Iesus; quod suo adjuncto declaratur, nempe voluntate solitudinem quærendi, & ad tempus vacationem à consortio: quod suo diverso exornatur, nempe quod non potuit latere.

MATTH. 15, 22. Causa assignatur cur latere non potuit, declaratur nempe adventus mulieris ad eum; quæ adjuncta natione describitur & subjecto loco, nempe finibus Tyri, &c. Post describitur; ab effecta invocatione Christi: quæ etiam adjuncto clamoris amplificatur, vel potius quia longius abesset ut illi clamandum fuerit, ut ex *vers.* 25. liquet: & tum invocatio amplificatur adjuncta animi submissione, se indignam statuente quæ appropinquaret; quæ invocatio sua forma proponitur, *Miserere mei, Domine*, & efficiente causa, nempe quod filiola ejus dæmone agitabatur: quorum omnium sicut & reliquorum quæ in hoc negocio sequuntur effectum est, quod res sit admiratione & animadversione dignissima.

Vers. 23. Adjunctum invocationis hujus est silentium Christi: silentii effectum, Apostolorum pro ea mediatio ad Christum; causa autem efficiens est, fœminæ importunitas: finis vero, ut ab importunis ejus clamoribus liberati quietius agerent.

Vers. 24. Effectum mediationis Discipulorum est, responsum Iesu, non videri æquum ut ejus filiam sanet ab adjuncta vocatione, quia missus sit ad perditas oves Israelis.

Vers. 25. Effectum hujus Christi detrectationis sunt, quod fœmina propius accessit, 2. quod adoravit, 3. quod petitionem iteravit.

Vers. 26. Quorum effectum est, Christi responsum, non videri sanandam ejus filiam; quod confirmat ad adjuncta absurditate; quam confirmat à proprio subjecto, quod hæc miracula in solos Iudæos conferenda non in Gentes: quod relato confirmatur, quia essent filii Dei: quæ etiam ratio amplificatur ab adversa conditione Gentium, nempe quod essent instar canum. *Marcus* vero aliam rationem proponit ab adjuncto tempore, quia Israelitæ omnes prius curandi & sanandi erant, quam aliquid in Gentes esset erogandum.

Vers. 27. Effectum dicti Christi responsum fœminæ, quo probat à diversis hanc petitionem non denegandam, quamvis ipsa sit canis & filia catula; quod confirmat ab adjuncto canium, deciduas micas sub mensa lingentium: quod ideo dixit, quia Israëlitæ filii hanc Dei liberalitatem tanquam micas & nullius pretii negligebant.

Vers. 28. Hujus tam immotæ in fœmina fidei adjunctum præmium proponitur, 1. laus & præconium quod Christus illi tribuit; deinde petitionis concessio, cujus effectum est filiæ curatio; quæ amplificatur adjuncto momento quo Christus hoc dixit.

METAPHRASIS.

IEsus autem fastidio correptus superstitionis MATTH. 15, 21.
Iudæorum, maxime vero Pharisæorum &
Scribarum, ἐθελοθρησκείᾳ *depereuntium: ad*
extimas Galilææ partes, Tyro & Sydoni con-
terminas, commigravit: ubi domum quandam MARC. 7,
ingressus, & colligendi sui, & animum re- 24.
creandi consilio, latere ad tempus quatenus
homo volens, qua Deus qui aliter constituerat,
latere non potuit. Nam (rem miram & sum- MATTH.
ma animadversione dignam dicturus sum) 15, 22.
fœmina Græca seu Gentilis, & quæ ex Gente
Cananæa, qua nihil populo Dei magis exosum
est, patria Syrophœnissa, ex illis finibus e-
gressa, cum jam procul suæ indignitatis con-
scientia à Christo dissita esset, vocem extulit,
dicens; Domine, freta quod ex Davidis stirpe
proseminatus, verus homo carne nobiscum
communicaveris, te oro miserere mei, & meis
filiæque peccatis expiatis, nobis miseris opitula-
re, nam filia tetrum in modum à Dæmone
vexatur. Tantum autem abfuit ut petitioni 23.
ejus Iesus annuerit, ut ne verbum quidem
unicum responderit; quamobrem cum clamare
non destiterit, discipuli qua miseratione, qua
tœdio clamoris cõmoti Iesum orabant, dicentes;
concessa petitione, quæsumus, illam amandato,
ne suis clamoribus nobis molesta esse pergat.
Quibus Iesus; non sum ego à Patre ad sanita- 24.
tem corporis conferendam, qua animæ curatio
adumbratur, missus (quoad individuam per-
sonam meam attinet) nisi ad Israëlitas, qui
tanquam oves ad gregem, ad meam Ecclesiam

 aggre-

25. *aggregandi sunt. Tum illa; utcumque sexus*
infirmitate cum timidior tum verecundior, fi-
dei tamen constantia & fiducia, propius acce-
dens, & submississime ad Christi pedes se ad-
volvens, dicit; Domine, succurre, quæso, mihi.
26. *Cui Iesus; non par est me miraculum sanita-*
tis, quo tanquam pane reficiuntur, & in vita
conservantur filii, tecum & filiola tua (quæ
propter incircumcisionem non incommode cum
Marc.7, 27. Matth. 15,27. *canibus censendæ estis) communicare. Saltem*
expectandum tibi est, quoad filii saturentur.
Agnosco, Domine, verum esse quod dicis, nos
canum censu habendas: quod tamen non im-
pedit, quo minus mihi & filiæ medicam ma-
num porrigas. Ipsi etenim catelli micas à fi-
liorum mensa, nonnulla eorum incuria inter-
28. *dum decidentes, comedunt. Tum Iesus respon-*
dens, dixit; viscera in me ferventia diutius
continere non valens, exclamo, O mulier hic
tam præclaris fructibus, non à me tantum
qui cordium cognitor sum, sed ab omnibus non
penitus occæcatis fides tua eximia comproba-
tur, quamobrem fiat tibi prout ipsa cupis: un-
de filia ejus eodem ipso momento, quo hoc di-
Marc.7, 30. *ctum est, sanata est. Quapropter domum*
abiens, dæmonem ejectum offendit: sed ita ta-
men ut solito quietior, & ab agitatione libera,
nondum tamen satis confirmata, lecto decum-
beret.

PRAXIS.

Christus se subducens ad fines Tyri & Sidonis, à fœmina Cananæa salutem filiæ expetente exoratur.

Cujus *partes* sunt,
- Commigratio in partes Sidonis, &c.
- Exoratio petitionis mulieris Cananææ.

In *commigratione* observatur,
- Causa efficiens.
- Finalis.

Vers. 21. Christi commigratio ex Iudæorum perversitate instituta,

Et quidem priorem quod attinet, apparet inde natam esse, quod eum tæderet perversitatis Iudæorum, maxime Pharisæorum, qui illi nauseam quodammodo suis traditionibus & ceremoniolis commentisque humanis movebant, quæ ejus anima abhorret. Hoc igitur cænum commoveri, & sterquilinium hoc naribus ejus veluti apponi & obtrudi inique fert. Inventa enim hominum, præsertim cum præceptis Dei anteponuntur, non secus ac stercora reputantur. Caveamus igitur ne Christum studio figmentorum &c. perinde enim est ac si stercora sua in Christi faciem jactarent. Deinde etiam tenendum est quod *Esa. 55. &c.* ut quæramus eum dum inveniri possit, ne discedens se ita eripiat, ut vel maxime cupidi illum non inveniamus, cum Deus nobis pænitentiam negaturus sit.

idque ad corporis sui requiem:

Finis commigrationis colligitur ex *Marco*: qui cum dicat Christum latere voluisse & clam alios domum ingredi, non obscure Christum colligendi & reficiendi sui, & indignationem ex Pharisæorum perversitate deponendi causa secessisse colligitur. Quod etiam confirmare videtur locus quo se subduxit, extimus scilicet totius Reipublicæ Israëlis, & Gentibus finitimus, ad quem Christum concessurum minima suberat suspicio. Ex quo quam grave & acerbum, quam fastidii plenum fuit Iudæorum in traditionibus patrum retinendis tam incensum studium apparet: nec enim levi de causa Christus se solet remissioni dare. Vide *Ioh.* 4. Christum vero verum hominem harum traditionum fætore ita offensum fuisse, ut eum ferre nequiret, mirum videri non debet, cum ipsemet Deus apud *Esaiam cap.* 1. queratur, cultum externum sejunctum a spiritu, sibi abominabilem; suffitum, detestabilem; festivitates, oneri fuisse; solemnes cætus, non ferendos. Hæc humanitus de Christo Deo dicta, in eodem homine vere implentur; eoque magis, quo non tantum hic cultus spiritualis non fuit, sed etiam fictitius. Perinde enim est, ac si Iudæus olim canem aut suem Deo sacrificasset. Christus enim non nisi propriis legibus & à se latis imperare vult. Vtcunque enim Respublicæ magis salutares leges sanciunt, cum multorum sententiis tanquam symbolis collatis leges feruntur; quam cum unius nutu & dicto singula constituuntur; tamen Christus hoc sibi suo jure vendicat, ut solus jura condat. Quod autem dicitur *Marc.* 7. Christum voluisse latere cum Dei voluntas non esset ut lateret, docet duplicem in Christo voluntatem; quarum una bene vult, quod altera juste & sapienter nolit. Quod vero dicitur eum non potuisse latere, eo significatur illum iis rationis latere non potuisse, quas tum adhibuit, quod non potuerit.

quo magis fastidienda traditiones.

Sequitur *pars altera* de exorato Christo &c. ubi consideratur,
- *Hinc*, fides in petendo.
- *Istinc*, Christi in concedendo εὐχρηστία.

Vers. 22. Fœminæ fides eximia,

Et quidem in petitione fideli, consideratur primum subjectum, quod notatur fuisse fœmina. In cujus sexus infirmitate, fidei robur commendatur. Cum enim sexus ille imbecil-

imbecillior & verecundior sit, fidei firmitatem & fiduciam utramq; hanc labem (scilicet imbecilitatem & verecundiam fœmineam) præstitisse, laude non caret. Quod sexum admoneat ut sibi de pleniore mensura fidei mature prospiciat, qua infirmitatis suæ rationem a multis difficultatibus, quæ sexum illum comitantur, vindicet.

præsertim quod Gentilis; Sed quod Græca esset, Chananæa, Syrophœnissa, id fidem magis illustravit. In eo enim declaratur non tantum ex iis fuisse quæ a Republica Israëlis exulabant, sed inter illas quæ Deo & Ecclesiæ exosæ maxime essent. Erat enim oriunda ex gente quæ maxime exosa fuit Deo & Ecclesiæ, & quæ radicitus lege Dei evellenda fuit. Non secus quam si quis castam matronam in lupanari, aut uvarum botrum in deserto inveniret. Quam igitur pudendum erit nos in Ecclesia Dei altos & enutritos, aut fide vacare, aut in fide vacillare? quam turpe, officii Christi nescios esse? Hoc pudefaciat merito Iudæos eorumque proceres & doctores, qui Christum spreverunt ab alienigena agnitum. Omninoque hæc historia ideo priori successit, ut doceatur Deum se remotissimis quibusque communicare velle, potius quam tantam a suo populo contumeliam pateretur. Ab animi submissione fides commendatur, quod procul stans clamat indignitatis suæ conscia. Sicut ex elatione vocis liquet; ut post liquidius ex *v.*25. Vide *Luc.*18. exemplum publicani.

quæ advolutione ad Christi pedes declarata, Adjunctum quod ejus fidem commendet, est quod ad Christi pedes se advolvens, coram illo procidit, non tantum submisso corporis gestu Christum venerans, sed ad pedes ejus procidens, declarans se vel quæ ad pedes ejus advolvatur indignam judicare: tanquam abjectius aliquid in Christo amplexatura, siquidem aliquid infra pedes ejus fuisset. Vnde verisimile est non ut Prophetam ut plerique Iudæi, sed ut Dei Filium agnovisse. Quod cum illa non dubitavit facere cum jam infirmitatibus nostris impeditus esset, cum paupertate pressus, cum ab omnibus pæne, etiam suis repudiaretur; nos illud non facere cum infirmitates exuit, gloriam induit, à plerisque nationibus, atque adeo ab universi mundi nationibus agnitus fuerit, quantam condemnationem promeretur? Atqui si nos gloriosa Christi præsentia tantum afficeret; quantum abjecta Christi conditio istam mulierculam, quin corpore simul & animo proni procumberemus, dubitandum non esset. *Pontificii* ex conficta & imaginaria Christi præsentis in sacramento opinione, quam se studiose omnibus corporis gestibus, geniculatione, manuum ad cælum expansione, pectorum percussione, oculorum elevatione componunt? Nos qui veram Dei præsentiam credimus & confitemur, quomodo tam frigidi, vel gelidi, potius sumus?

Iam accedamus ad petitionem: qua quod Christum filium Davidis appellat, rursus fidei suæ præstantiam à subjecto declarat: quod illum verum Messiam esse profitebatur, quem Prophetæ & lex humano generi redimendo mittendum prænunciant. Vnde etiam fiduciam sumsit, tam libere & audacter illum accedendi: ut quæ sciret, non tantum Iudæorum, sed & Gentium Servatorem fore, quod non ex Davide tantum, sed etiam ex Adamo oriundus esset, sicut etiam Lucas ejus originem ad Adamum refert; nec Iudæorum tantum, sed & Gentilium naturam assumpserat. Hinc igitur & nos non minus fiduciæ ad Deum precandum accipiamus, quam si ex ipsa stirpe Abrahæ oriundi essemus. *& agnitione pro Messia,*

Quod petit ut sui misereatur Christus, agnoscit suum peccatum in filiæ ex dæmone agitatione. Vide viduam Sarept. *1 Reg.* 17, 18. Si igitur nos Deus in uxore, liberis, bonis &c. appetat, illa nos plaga ad peccati nostri agnitionem, pænitentiam, & deprecationem peccati deducat: Deus enim injurias patrum in filios ulcisci potest: & æri apud Deum ex peccato contracto, non tantum ipse qui peccat sed quæ habet omnia obnoxia sunt: ut cum quis alteri obligatur statuto Mercatorum, &c. *etiam confessione peccatorum.*

Sequitur Christi *οἰκονομία* in concedendis postulationibus. Vbi primum observandum est, Christum veluti surdum agere, & perinde se gerere ac si non audiret, perinde ac si illam contemtui haberet: tanquam sibi nihil curæ esset, de afflicta filiæ suæ conditione. Hæc igitur acerba & vehemens tentatio, de qua pii sæpius apud Deum queruntur in *Psal.* tanquam Deus aurem obturaret, obverteret tergum, se in locum occultum ubi inveniri nequit reciperet, & *Ier. Lament.*3,5. tabulatum (*a loft scaffold ore stage*) sibi substerneret. Adversus hanc tentationem hoc exemplo munimur: ubi tametsi summa Christi ad opitulandum voluntas extitit, tamen surdum egit. Vers. 23. *Christi ad fœminæ postulata silentium,*

Post sequitur alia gravior tentatio: scilicet, quod Vers. 24.

quod ministerium ejus ad Gentes non pertineat,

cet, quod cum Christo ejus nomine à discipulis ipsis supplicaretur, non tamen aliquid eorum interventu accepit, sed negat ejus ministerium (personale scilicet) ad Gentes pertinere, & Iudæis nuncupatum & devotum esse.

Vers. 25. *quo tamen illa non destitit sed petitionem iteravit;*

Fœmina durius & asperius à Christo Domino accepta, & responso ad discipulos, tanquam ex censu & albo ovium ad Christi curam spectantium expuncta, non modo indignabunda Christo tergum non obvertit, sed etiamnum propius accedit, & se coram eo inclinat: propulsa & veluti manu amota, incepto itineri insistit, oppositos aggeres & obstacula, tanquam caprea fidei pernicitate & agilitate transilit, & saltu superat montem altissimum sibi & Christo intermissum; & aditum ad illum intercludentem fidei veluti alis transvolat. Quod nobis imitandum est; ut quo magis à Christi præsentia vel conscientiæ propriæ accusatione, vel sensu miseriarum & calamitatum, nos aut ministrorum Dei gravioribus denunciationibus ex peccatis urgentium arcemur, eo vehementius elaboremus, ut illum quam proxime accedamus, & fugientem veluti sequamur. Quo magis Deus aurem obturare videtur, eo altius vocem nostram attollere & corroborare; quo firmius ostium adversus nos obfirmat obseratque, eo fortius & contente magis fores pulsare. Tametsi enim hoc apud homines inurbanum & incivile est, ut pergas pulsare cum ad tertiam & quartam pulsationem nemo prodierit ad aperiendum, tamen Deo gratum est. Hæc est sancta audacia & inverecundia cujus nos nequicquam pudeat. Importunitas minime aut Deo gravis, aut nobis intempestiva. Imitemurque amicum illum *Luc.* 11. & viduæ importunitatem *Luc.* 18. & Iacobum *Gen.* 32, 26. Hic inseratur quod de adoratione Christi prius observatum est.

quomodo hoc fecerit Christo amandante?

Sed *quæritur*, quomodo quis Christum accedat, eo nos amandante, & veluti manu sua propellente? Cum enim non nisi promissi adminiculo ad eum accedere concedatur, tum contra promissum & verbum hoc facere alienum prorsus censetur.

Respondeo, fœminam innixam promisso Prophetarum, hanc petitionem instituisse; Christi vero verba tametsi in speciem pugnare videbantur, tamen non pugnabant. Nam tametsi legatio ejus personalis ad Iudæos spectabat, tamen non ita erat alligata Iudæis & affixa, ut Gentibus præsertim accurrentibus & se sponte sistentibus, communicari non potuerit. Deinde Iudæis πρῶτον & primo loco hæc gratia proponebatur, post autem illis hanc gratiam respuentibus ad Gentes transferenda. Sicut igitur gradibus quibusdam se prodebat Iudæorum defectio a Deo, sic etiam non dissimilibus progressibus cœpit Christi gratia paulatim & pedetentim, & certis gradibus ab Iudæis subducta ad Gentes commigrare. Cujus rei typum egregium vide apud *Ezech.* 9. & 10. Quamobrem in Euangelii historia & Ionæ videre est, Christum quoties extraneis à republica Dei gratiam facit, id Iudæorum pervicacia aut infidelitate adactum quodammodo fecisse. Hinc est ut quod vere Christus suo quodam sensu dicere potuit, ob eam causam proferret ut fides fœminæ explorata omnibus innotesceret. Si igitur species aliqua ἀντινομίας nobis in Dei promissionibus apparet, tamen non dubitemus hujus fœminæ exemplo illud mordicus retinere, quod nobis spem divinæ erga nos gratiæ facit; & contra spem in spe credere.

Vers. 26. *quæ ab illo instar canis indigna censetur;*

Gravissimam tentationem objicit, probro eam afficiens, dum illam *canem*, filiam autem *catellam* appellans; eoque ab adversis concludens nihil filiæ ejus juris esse in miracula, quibus pulsis malis, commoda vitæ conditio redditur: utpote quæ ad Iudæos tanquam Dei liberos pertinent. Sicut enim alienum est panem liberis subducere, quem ad catellos abjicias; ita &c. Erat autem canis omnium animalium vilissimum, & ad sacrificia ineptissimum; ut qui rem detestandam faceret, cum eo componeretur qui canem mactaret.

quomodo hoc cum fide cor purificatum habebat?

Hoc loco *quæritur* quomodo Christus illam canem, filiam autē catellam vocat, cum è fide, qua illam imbutam fuisse præclare noverat, corda purificantur; & ob eam ipsam causam, ejus filia non catelli sed filiæ Dei loco habenda fuit: quandoquidem liberi ex alterutro parente fideli nati, pro semine sancto reputantur.

Respondeo, Christum hoc loco externam vocationem respexisse, & ut purum hominem judicasse. Quamobrem cum nec ex genere Abrahæ proseminata esset, nec se externa aliqua professione ad Ecclesiam Dei adjunxisset, non mirum est si Christus secundum humanitatem hæc fœminæ objicit; neque videtur culpa in eo caruisse mulier, quod imbuta vera Dei notitia, illam sua ad Israëlis politeiam aggregatione non est professa;

fessa; forte pudore aut existimatione sua prohibita. Hinc intelligitur quam fuit majorum nostrorum perdita & horrenda conditio, quorum ratio canibus dissimilis non extitit 1 *Sam.* 17. David Philistæum incircumcisum ursæ aut leoni etiam comparat, Vide *Iob.* 30, 1. quorum portio extra urbem Ierosolymitanam est, *Apoc.* 22. unde & impii olim ululaturi dicuntur. Quamobrem deterior est eorum conditio quam canum, qui hac vita suam miseram conditionem terminant. Vnde quam amplum sit Dei erga nos in Christo beneficium cognoscitur, quo ex canibus oves & filii Dei efficimur, qui ad mensam Domini adhibemur, qui olim sub mensa famelici eramus: perituri omnes nisi quod hinc illinc paucæ quædam micæ Iudæis excidebant, quas pauci quidam ex Gentibus colligebant.

Notandum præterea *panis* nomine hoc loco intelligi commoda hujus vitæ, ut in Dominica oratione. Restitutio enim filiæ dæmonio divexatæ panis appellatione accipitur.

Vers. 27. *Fœminæ fiducia à Christo abacta;* Fœmina quam Christus sprevisse videri potuit, quam per se & per alios Christum rogantem repudiavit, quam denique probris tanquam flagris cæsam repulit, non se retroagi patitur; sed fidè firma perstat; & vel ex ipsis Christi verbis, quibus illam abigere velle videbatur, fiduciam arripit. *Iob. etiamsi occiderit me sperabo in eum.* Fatetur igitur se origine & gente sua canem esse, & suam filiam catellam, sed a pari concludit, se non omnino itaque Dei beneficiis communicandis inidoneam esse, quandoquidem canibus micæ quædam mensa decidentes eripiuntur. Quum igitur laudatissime & abundantissime à Deo instructa mensa, plerique filiorum essent qui ciborum capti fastidio quodam pleraque sub mensa abjicerent, non videri alienum si aliquid in se & filiam suam conferret Christus. Atque quemadmodum liberi canibus non invident micas, ita nullam causam esse cur Iudæi hac ejus petitione offenderentur.

quare à fide reprehensione non resiliendum, Hinc perspicitur, fide & charitate flagrantes non esse delicatos auditores, nec minima levissimaque reprehensione resilire; imo vero acerrimas & asperrimas vituperationes æquo animo pati. Sciunt enim divini in se amoris indicium esse quamdiu illos alloquitur, tametsi hoc sermone fiat admodum ingrato. Et Christum ut olim Iosephum duris verbis eos excipere quos charos habet, & adversus quos ejus viscera incalescunt amore. Norunt divinæ iræ certissimum indicium esse, si illis malefacientibus applauditur, ab iis præsertim quorum est depravatos eorum & corruptos mores reprehendere. Norunt Chirurgum misericordem putida & putrida vulnera, &c.

& in afflictionibus assidue precandum: Notandum porro, quæ vis sit afflictionis piorum, quæ scilicet eos in precando assiduos & importunos reddit. Atque ita fidem excitat & expergefacit, ut vel ex ipsis convitiis & ipsis comminationibus spem arripiat; & velnti cibum ex flamma petat; & tanquam ex silice aquam. Sicut enim famelici, vel ex ipsis spinis baccas desument & decerpent, quibus famem sedent; sic fideles pressi sensu afflictionum & judiciorum Dei, ex minima syllaba consolationem captant. Quo gravius judicium eos manet, quibus appositæ suavissimæ & delicatissimæ Dei promissiones, tanquam exquisitissimæ epulæ non tamen sapiunt. Hic micabat tantum scintillula quædam gratiæ divinæ potius quam se declaravit, eaque multo divinæ maledictionis fumo implicita, & tamen fide experrecta, tanquam acie aquilina mulier ad eam animum adjecit. Quid igitur nobis fiet, quibus sol misericordiæ divinæ in amplissimis promissionibus veluti meridie affulget, nisi oblatam gratiam accipiamus?

Vers. 28. *quæ voto potitur & encomiis ornatur.* Reliquo contextu, exitus tentationis fœlix exponitur; ubi & fœminæ fides singulari præconio ornatur, idque in magna hominum corona, & postulatum pro ipsius fœminæ voto conceditur. Perstans itaque & perseverans in oratione, quod vult obtinebit; & sæpius pulsanti, tandem omnes fores & valvæ patentissimæ recludentur; arcæ reserabuntur; manus quæ in pugnum contracta erat, in palmam expandetur & explicabitur. Et quemadmodum Iosephus ægre se potuit à declaranda sua in fratres charitate continere, sic etiam Christus; unde tanquam non diutius suum affectum inhibere potens, erumpit; *ó mulier, &c.* Cumque duobus modis fœminam damno affecisse videri possit; partim quod petitionem repudiavit; partim quod illam probris confixit, contrariis remediis utrique malo medetur; scilicet, laude & petitionis concessione, quæ ilico executioni mandatur. Quæ enim a diabolo agitari & divexari solita est quieta jacet; afflicta tamen ut videtur, nec dum satis ex superiore agitatione & metu confirmata, aut

(quod alias fieri vidimus) quia diabolus extremo cum illa luctu & conflictatione, tyrannidem & furorem suum effudisset plus solito.

MATTH. *cap.* 15. *à vers.* 29, *ad* 32.

29 *Et digressus illinc IESUS venit juxta mare Galilææ : & quum ascendisset in montem, sedit illic.*

30 *Tunc adiit eum turba multa; habens secum claudos, cæcos, mutos, mancos, & alios multos : & abjecerunt eos ad pedes IESU : & sanavit eos :*

31 Adeo *ut turba mirata sit, quum videret mutos loquentes, mancos sanos, claudos ambulantes, cæcos videntes : & glorificarunt* Deum *Iisraëlis.*

MARC. *cap.* 7. *à vers.* 31, *ad finem Capit.*

31 *Tunc regressus è finibus Tyri ac Sidonis venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis.*

32 *Et offerunt ei surdum difficulter loquentem : & precantur eum ut imponat ei manum.*

33 Ipse *vero quum abduxisset eum è turba privatim, misit digitos suos in auriculas ejus : & quum sputisset, tetigit linguam ejus.*

34 *Et quum suspexisset in cœlum, ingemuit, dixitque ei; Ephphatha, quod est, Adaperitor.*

35 *Et statim adapertæ sunt ejus aures : & solutum est vinculum linguæ ipsius, & loquebatur recte.*

36 *Et interdixit eis ne cui dicerent: sed quantumcunque ipse eis interdixisset, multo magis* hoc *prædicabant.*

37 *Et supra modum percellebantur, dicentes; Bene omnia fecit: facit ut & surdi audiant, & muti loquantur.*

ANALYSIS.

MATTH. 15, 29. MARC. 7, ℣. 31. NArrat quasdam curationes quas Iesus adhibuit : quas describit ab adjuncto tempore, cum à finibus Tyri digressus sit : & subjecto loco generaliori, circa mare Galilææ, per medium Decapolis iter faciens; magis proprio, in monte quodam.

MATTH. 15, 30. Narrat sanationis occasionem, quod plerique suos infirmos afferebant; deinde quod eosdem ad pedes ejus projiciebant. Deinde subjectum sanationis declarat, cujus varias species enumerat. Quorum omnium effectum est, quod Iesus illos sanavit.

Vers. 31. Cujus curationis effectum est, primum turbæ totius admiratio, deinde Dei glorificatio; qui Deus proprio subjecto Israëlis describitur: curatio porro amplificatur, oppositis privantium suis propriis habitaculis.

MARC, 7, 32. Describit ex tota multitudine infirmorum unius speciatim & explicate magis curationem : cujus specialis descriptionis causæ videntur; una quod is duplici infirmitate laborabat, nempe quod auditu privatus sermonem impeditiorem habuit: altera causa est speciale adjunctum, modi quo usus est in sanando: causa autem sanationis erat, quod ejus necessarii illum ad Iesum adducebant, & ut manum imponeret, rogabant.

Vers. 33. Adjunctum sanationis proponit, infirmi à turba sepositionem & secretionem; deinde causam instrumentalem surditatis curandæ, digitorum in aures injectionem, & impeditæ linguæ sputi ad linguam admotionem.

Vers. 34. Aliud adjunctum oculorum ad cœlum elationem, suspirium ex sensu calamitatis infirmi: causa vero efficiens sanationis est, mandatum ut aperiantur aures & lingua quæ prius veluti clausa erant.

Vers. 35. Effectum hujus mandati est, quod aures adapertæ sunt, lingua soluta; quæ suo adjuncto tempore amplificatur, nempe è vestigio post emissum Christi verbum.

Vers. 36. Adjunctum curationis erat, interminatio ne cuiquam hoc dicerent: quod sua contradicentia declaratur, & amplificatur comparatione majoris, nempe quod tanto magis evulgabant, quanto magis ne hoc facerent interminatus est.

Vers. 37. Adjunctum hujus evulgationis est, stupor audientium; deinde aliud adjunctum, prædicatio laudis Iesu; quæ sua forma describitur, primum ἠθικῶς, deinde εἰδικῶς, quod postremum amplificatur oppositione privantium.

METAPHRASIS.

Matth. 15,29. & Marc. 7,31. IEsus ne diuturniore sua in partibus Tyri & Sydonis mora Judaos exulceraret, inde digressus per medium regionis, qua ex decem civitatibus in ea sitis Decapolis dicta, iter faciens, prope mare Galilaa accessit, ubi in monte quodam quievit.
Matth. 15,30. Ad quem aggregata est turba admodum numerosa, qua adductos secum claudos, cacos, mutos, mutilos & alios plerosque non dissimili infirmitate laborantes, eosdem ad pedes Iesu quam humillime sistebant, usque eo Christi commiserationi confidentes, ut ne petitionem quidem sanitatis apud Iesum instituerent. Quos omnes Iesus non prius visos quam curatos & sanos fecit.
31. Quo viso turba mirari, comperto quod muti loquebantur, mutili sanitati restituti sunt, claudi ambulabant, & caci visum recipiebant: unde Deum populi ab Israele originem ducentis (praterito Christo, quem cum Patre & Spiritu Sancto in unitate Deitatis adorare debuerant) glorificarunt.

Marc. 7, 32. Hos infirmos inter libet certi cujusdam uberiorem & specialem magis narrationem scriptis committere, cum propter infirmitatis, tum rationis curandi à cateris diversitatem. Adducunt igitur ex notis & necessariis (ut videtur) surdum quendam, & eundem adeo impedita lingua, ut effari, & intelligenter eloqui non possit; qui Iesum (fide imbecilli) rogant, ut imposita illi manu eum sanaret.
33. Quem Iesus acceptum, & à turba ob eam causam abductum, ut hoc miraculum ad tempus celaret, ad hunc qui sequitur modum sanitati restituit: primum in aures non unius (quod petebant) sed utriusque manus digitos aliquot indidit, hoc signo reclusam quodammodo fore qua occlusa erat audiendi facultas; deinde purissimum suum sputum lingua arteriis admovet, ut hoc signo illas veluti rigentes emolliret.
34. Post sublatis in cœlum oculis, unde hac plaga justo Dei judicio immissa venit, altum suspirium duxit. Tandē (in quo uno vis & virtus sanationis consistit) Syro sermone dixit, vel edixit potius; Ephphatha, quod perinde est ac si diceres, adaperitor tu auris simul & lingua.
35. Quo dicto protinus auribus apertis audiendi facultas reddita est, & lingua vinculo soluto, clare & articulate eloquutus est.
36. Mandavit autem cum curato, tum illis qui eum sanandum stiterunt, ne cuiquam hoc miraculum evulgarent. Illi tamen corrupta & depravata rationis sua ductum magis sequentes, quam Christo obsequentes (ut qui putarint Christum modestia adductum hoc modo pracepisse) tanto majore contentione in illo promulgando desudarunt, quanto Iesus ne hoc facerent interminatus est.
Dei tamen potentia simul & gratia effectum 37.
est, ut inde fructus aliquis non contemnendus extaret. Nam & incredibiliter attoniti sunt, ad quos hujus rei fama percrebuit, & egregium Christo testimonium perhibuerunt, dicentes; Hic omnia praclare fecit, nam & surdi ut audirent, & muti ut loquerentur effecit.

PRAXIS.

Miracula edit Christus quibus gratificatus est, { Plerisque / Omnibus } ex turba.

In miraculis in certos quosdam afflictæ conditionis homines notandum; primum, quod ad pedes Christi projecti erant qui laborabant. Quo docemur, submisse & suppliciter repræsentandas esse & sistendas nostras miserias. Quod fit, prosternendo preces nostras corā Christo, cujus præsentia in Ecclesiæ conventu non minus salutaris est, quam olim cum corpore præsentem se exhibuit. Qui cum corporis infirmitates tam prompte sanabat, tametsi nullam apud illum petitionem instituerint, nedum animæ morbos, quibus sanandis præcipua quadam ratione institutus Medicus est, persanabit. Ejus enim Medicina proprie versatur in peccatis tollendis & medicandis. Corpori sanando operam dedit; partim ut hoc allectamento homines ad sui notitiam attraheret; partim ut se animorum Medicum esse obsignaret; ut se denique plenum & absolutum Servatorem & animi & corporis comprobaret. *Matth. 15,29,30. Afflictorum Christo submissa oblatio.*

Christus adductum ad se surdum & semimutum restituens, ex hominum pravo & inconsiderato zelo ipsi per amoris speciem in obsequentem, gloriam suam elicit. *Marc. 7, 32.*

Cujus *partes* sunt, { Surdi & semimuti sanatio. / Varius miraculi fructus.

In *priore* considerantur, { Hinc calamitosi ipsi. / Istinc Christus calamitate eos eximens.

In calamitosis fidem fuisse, quæ eos ad Christum adduxit.

In calamitosis, spectatur primum surdus & semimutus, tanquam maxime afflictus, & ductores suos sua calamitate aspergens: de quo extra controversiam est, eum in magna miseria versatum fuisse, nec quemquam esse qui illum non miserum & infelicē judicarit. Sed qui miseriam vere & perite assignare norunt, *Calamitosorum surdi & muti miserrima conditio,*

runt,

runt, non ita valde multi reperiuntur. Quærenti enim cur iste homo miser habeatur, uno fere omnium consensu respondebitur ideo miserum esse, quod nec alios loquentes ipse audire, nec ipsum loquentem alii intelligere quiebant: quodque omnis illi cum aliis communicatio & commercium peremptum erat: ut inter homines agens, non secus quam si in solitudine, ab omni hominum societate procul remota, cum illo actum sit, omnibus pæne vitæ solatiis orbato. Atqui rem illius expendendo facile intelligatur multo maximam infelicitatem hac re contineri: scilicet, quod nec Deum cum illo loquentem audire, nec Deum ipse alloqui & affari potuerit: quodque omnis Dei salutaris cum eo & ejus vicissim cum Deo communicatio adempta esset. Si enim grave est hominum societate privari & in solitudinem compingi, nedum Dei consortio.

quæ docet sermonis & aurium beneficium: Discamus igitur in quo potissimum sermonis & aurium beneficium consistit; *scire*, unaque intelligere, ne millesimam partem veri usus linguæ & aurium percipere, nisi, &c. Et miserrimos esse denique, qui eo locorum habitant, ubi propter mutum ministerium nec Deum audire, nec illum rite & debite alloqui norint. Deinde (quod prius dicendum fuit) quærenti quid maxime in hoc homine luctuosum sit, respondebunt hoc ipsum quod nec audire nec eloqui possit. Quod tamen secus habet, cum plus sit in hujus mali radice quod commiseratione dignum est, quam in ipso malo, nempe in peccato: quo Dominus quodammodo hominibus aures amputans, & linguam præscindens, ignominiæ notam illis inurit. Sicut paupertas si honesta sit & nullo nostro vitio contracta, longe minus mali habet, quam cum sit turpis, & negligentia, aut effusione, aut libidinibus explendis inducta. Et certe multo præstabilius est linguæ & aurium beneficio caruisse, quam illis ad res illicitas abuti, aut non ad Dei laudem & proximorum ædificationem referre.

in ducentibus charitas notanda, In ducentibus charitas observatur; quæ commiserationem peperit qua hujus malo participarunt. Sic flendum cum flentibus: & charitate, alienæ miseriæ induendæ: nosque ipsi in eorum nos loco substituere debemus. Si enim unum membrum patitur, omnia compatiuntur. Tametsi enim rei alienæ difficilis cura sit, & arduum sit homini bonis omnibus circumfluenti dolorem in animum admittere, tamen charitate qua in animo tanquam in capacissimo hospitio ipsos homines inclusos gerimus, eorum etiam causas in quocunque genere complectimur.

Deinde notandum est, commiserationem hanc efficacem fuisse, non vanam & levi voto & optato melioris conditionis definitam. *cum commiseratione efficaci;* Plerique enim sunt qui sibi se miseratione affici persuadent, cum tamen ne digitum quidem ad sublevandum afflicti miseriam admovent. Cujusmodi ii sunt de quibus *Iacob.* 2,16. qui nudis & famelicis alimenta & vestes apprecantur, cum tamen nihil conferant: quos alibi, lingua & verbis diligere confirmat. Vide 1 *Thes.* 1,3. Huic ergo suas aures præbuerant ut remedium ubi petendum esset addiscerent: os etiam pro eo qui pro se loqui nequivit. Vide *Iob.* 31.

Quod rogant ut manum illi imponat, *fide tamen imbecilli,* produnt fidei imbecillitatem, quæ major apparebit si cum Syrophœnissæ fide componatur.

Christus tametsi eorum fides sit infirma, Vers. 33. &c. prima tamen petitione illis annuit, qui fœminam fide firmiorem ad tertiam petitionem repulit. *cui nihilominus statim annuit,* Vbi incredibilis procuratio & dispensatio divina apparet, unumquemque pro ratione virium suarum tractans; & tanquam peritus agricola singulis seminum speciebus, aptissimum ad illud exterendum & excutiendum instrumentum adhibens; ne existimemus eos minus à Deo diligi, qui durius in hac vita tractantur; & ne queramur, aut divinam sapientiam desideremus, si quando lenius cum iis agit qui gravius aliquid commeriti sunt.

Deinde in sanatione notandum est, Christum se ad eorum tenuitatem accommodare, & pro mensura fidei eorum, potentiam suam declarare. *ad eorum tenuitatem se accommodans habitibus externis,* Modo etenim in nobis ipsis arctati & constricti non teneamur, Dei munificientiam & potentiam abunde & cumulate experiemur. Immissis autem digitis in aures, significare voluit obturatas facultates audiendi, perforatas iri: sputo vero linguæ admoto rigentes *(cold, frozen, hard, or stiffe that vvill not bovv)* & contractas loquendi arterias &c. emolliendas. In quo notemus causam sacramentorum in Ecclesia, scilicet, ad nostram imbecillitatem. Si enim promissionibus sine hæsitatione inniteremur &c. Sed hic cavendum ne quid nostro arbitratui permittamus, ut *Pontificii* sputum ex hoc loco in baptismum intulerunt.

Deinde oculum in cælum, unde hoc flagellum manavit, sustollens, ingemuit; tanquam

quam ipse sub eodem onere fuisset. Tantoque gravius & acerbius ejus malum sensit, quam ipsemet afflictus, quanto melius causam hujus calamitatis expendit.

addito verbo. Denique cum signo verbum conjungit, sine quo hæc omnia ridicula futura essent; contra *Papistarum* mutas ceremonias & sacramenta.

Vers. 36. Sequitur pars altera. In qua quod rem taceri vult, vide supra.

Quod etiam mandatum Christi specie amoris erga Christum & Deum violarunt, vide etiam supra.

Vers. 37. Quod autem exitus violati Christi mandati Dei gloriæ cædit, id illorum temeritati non debetur, sed incredibili Dei potentiæ & misericordiæ, quod mala ad suam gloriam convertit.

Fructus horum miraculorum *duplex* est, { Admiratio. Glorificatio Dei.

Res erat plena admiratione, videre tantam & tam subitam mutationem. Erat enim divinum opus quod nemo non stupidus admiretur. Quæ tametsi hodie non fiunt, tamen si paulisper illis expendendis immoramur, facile in eandem cum illis admirationem attollemur. Quin etiam majora his quotidie videmus, cum mente occæcati Euangelii luce collustrantur, &c. *MATTH. 15, 31. Admiratio ex hoc miraculo orta,*

Sed alius est etiam fructus piorum magis proprius, scilicet, quod inde Dei laudandi argumentum sumebant, alioqui admiratio in fumum evadit, nisi laudum divinarum prædicatione concludatur. Ita enim gesta sunt, ut omni nostra laude superiora sint. Per igitur ingratos nos esse oportet, nisi aliquid in operis divini exornatione laboremus, cum vel homines aliquid laude dignum efficientes, inornatos esse non patimur. *& Dei glorificatio.*

MARC. *cap.* 8, *à vers.* 1, *ad* 10.

Diebus illis, quum multa omnino turba esset, nec haberent quo vescerentur, advocatis IESVS discipulis suis, dixit eis;

2 Intima misericordia commoveor erga turbam: quia jam triduum manent apud me, nec habent quo vescantur.

3 Quod si dimisero eos jejunos domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis procul venerunt.

4 Responderunt autem ei discipuli ejus; Vnde istos quispiam possit hic satiare panibus in deserto?

5 Interrogavit autem eos; Quot panes habetis? Ipsi vero dixerunt; Septem.

6 Tunc denunciavit turbæ ut discumberet humi: & acceptis septem illis panibus, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis ut eos *apponerent: & apposuerunt turbæ.*

7 Habebant autem pisciculos paucos: & quum benedixisset, dixit ut hos etiam apponerent.

8 Comederunt autem, & saturati sunt: & sustulerunt fragmentorum quæ superfuerant, septem sportas.

9 Erant autem qui comederant, quasi quater mille: dimisitque eos.

MATTH. *cap.* 15. *à vers.* 32, *ad* 39.

32 IESVS autem advocatis discipulis suis, dixit; Commoveor misericordia erga turbam: quia jam triduum permanent apud me, & non habent quo vescantur: & dimittere eos jejunos nolo, ne viribus deficiant in via.

33 Tunc dicunt ei discipuli ejus; Vnde nobis in deserto tot panes ut saturemus turbam tantam?

34 Dicit igitur eis IESVS; Quot panes habetis? Illi autem dixerunt; Septem, & paucos pisciculos.

35 Tunc jussit turbam discumbere humi.

36 *Et acceptis septem illis panibus ac piscibus, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, discipuli vero turbæ.*

37 *Comederuntque omnes & saturati sunt: & sustulerunt quod superfuerat fragmentorum, septem sportas plenas.*

38 *Erant autem qui comederant, quater mille viri, absque mulieribus & puerulis.*

ANALYSIS.

DEscribit miraculum de pascendis 4000. Quod describit adjuncto tempore, in diebus illis in quibus sanaverat filiam Cananææ; deinde altero adjuncto temporis, cum valde magna turba esset: causa etiam notatur, quod nihil illis suberat quod comederent: adjunctum miraculi aliud est, quod advocavit ad se duodecim discipulos.

Vers. 2. Quæ advocatio discipulorum suo fine declaratur, ut suam commiserationem erga turbam illis testatam faceret: alius finis erat, ut illorum profectus periculum faceret, ut liquet *vers.*4. causa commiserationis indicatur, quod nihil haberent quod ederent; quæ amplificatur adjuncto tempore quo apud illum permanserant.

Vers. 3. Deinde effectum, quod in reditu deficerent: quod arguitur adjuncta loci distantia, unde ad se venientes redituri erant.

*Vers.*4. Cujus sermonis Christi effectum est, responsum discipulorum; cujus forma adjicitur, quæ consistit in adjuncto ἀδυνάτῳ illos satiandi; quod arguitur à subjecto loco ubi erant, nempe deserto.

*Vers.*5. Hujus responsionis adjunctum est, quæstio, cujus forma subjicitur, quæ consistit in subjectis panibus & adjuncto numero quos habebant; cujus quæstionis effectum est, responsum septem esse panes, & apud *Matth.* pisces, qui adjuncto duplici declarantur parvitate & paucitate.

*Vers.*6,7. Narratur Christi effectum, mandatum turbæ ut discumberent: deinde aliud effectum, panis & piscium materiæ miraculi in manus acceptio: deinde adjunctum pastus turbæ apponendi, nempe gratiarum actio: post aliud effectum Christi narratur, fractio, quæ suo fine declaratur, ut daret illa discipulis, quod quidem omnibus non potuit nisi illa fregisset; hic etiam finis alio fine declaratur, ut discipuli illa turbæ apponerent.

*Vers.*8. Hujus appositi panis & piscis effectum est, quod turba comedebat; qui esus suo adjuncto satietatis declaratur; quod arguitur, quia supererant fragmenta, quod arguitur adjuncta collectione reliquiarum, quæ notantur adjuncta quantitate septem sportarum.

Vers. 9. Miraculum porro amplificatur ab adjuncto numero 4000 virorum qui satiati sunt, & apud *Matth.* alia subjecta comedentium panem & pisces narrat, mulieres & pueros.

METAPHRASIS.

MARC. 8,1. *POst sanatam Cananææ filiam, in reditu è
confinibus Tyri & Sydonis ad Galilæam,
cum jam sanitatis causa ad illum convenisset
ingens turba, cui (viatico jam consumpto) nihil
ad comedendum suppetebat: Iesus suos ad
se duodecim discipulos convocatos, ad hunc fere
modum alloquitur: Miseret me hujus turbæ, 2.
quæ totos tres dies (suo quidem commodo
nempe ut morbo & aliis suis flagellis sanarentur)
apud me permanent, nihil cibi reliqui habent
quem sui sustentandi causa comedant.
Sollicitum vero me habet ne si illos domum je- 3.
junos ablegavero, tametsi de vita non periclitentur,
tamen in itinere langueant: novi etenim
ex his quosdam ex locis procul ab hinc dissitis
venisse. Ad quem discipuli ejus responde- 4.
runt: Non male tu quidem turbæ misertus
de ea pascenda sollicitus es: sed quis potest hoc
tam deserto loco illis de pane quo satientur prospicere?
Tum Iesus ab illis sciscitatus est; quot 5.
hic panes parabiles sunt? Illi re penitus explorata,
respondent septem* Matth. 34. *& pauci
pisciculi. Quamobrem turbæ mandans ut in 6.
solum discumberent (qui ilico jubenti paruit)
acceptis in manus panibus, postquam Patri de
his ad pastum concessis gratias de more egisset,
eosdem diffractos discipulis distribuit, hoc consilio
ut eorum manibus pane ad universam turbam
transmisso, tantæ & tam immensæ multiplicationis
idonei testes essent. Qui congruenter
panes turbæ, apposuerunt. Quod idem per 7.
omnia in pisciculis præstitum est. Postquam 8.
autem ad satietatem comedissent, ne quid in
tantâ Dei munificentia deperiret, aut miraculi
admirabili potentiæ quid detraheretur,
discipuli ex his quæ satiatis supererant fragmentorum
septem sportas collegerunt. Nu- 9.
merus autem convivarum qui comedentes exsatiati
sunt, erat 4000 virorum, præter fœminas
& pueros, qui se viris hujus itineris comites
adjunxerant.*

PRAXIS.

IN altero miraculo quod omnes complexum est, notantur quæ in priore hujus generis attacta non sunt, & quod singulare aliquid & sepositum ab altera habet. In iis est, quod cum in priore miraculo Apostoli de turba tempestive reficienda solliciti fuerint, Christus hoc loco, cessante & populi de se & Apostolorum de ipsis sollicitudine eorum curam susceperit: atque neque à populo, nec ab Apostolis vel verbo appellatus, de illis pascendis cogitationem init. Ybi notandum est, quæ-

Vers. 1,2. *Christi sollicitudo de turbæ inopia nemine admonente.*

eſt, quærentibus regnum cœlorum hujus vitæ ſubſidia, tanquam per ſomnium, nullo noſtro labore, in ipſo deſerto ſuppeditari. Quanto magis laborantibus & negotiantibus, idque in feraci ſolo, & cultis locis, victus ſuppeditabitur? Quod nobis adverſum depravatam noſtram naturam & perfidiam notandum, qui putamus vitæ ſubſidiis, niſi cum divini cultus aliquo ſaltem diſpendio, non poſſe ſatisfieri; & qui ſæpe Deum debito cultu fraudamus, ut vitæ commodis conſulamus. Hi ſunt apud quos ſi quando in deliberationem cadat, an commodorum vitæ præſentis aut adminiculorum futuræ uſura privandi ſunt, ſtatim ſuis commodis ſerviendum eſſe decernunt, ſemperque illud *Luc.* 14, *ἀνάγκη, &c.* in ore habent, cum unum tamen teſte Chriſto *ἀναγκαῖον* ſit. Quos, aut non Chriſtum eundem jam eſſe qui olim fuit; aut non eundem cultum vigere nunc, qui olim cum Chriſtus erat, exiſtimare neceſſe eſt.

quæ hic in terris adhuc occupata:

Scimus tamen eandem in miniſtris audiendis diligentiam requiri quæ in Chriſto imperata eſt. Quod ſi quis excipiat miraculo nos non paſci nunc dierum; certe quidem; quia nulla neceſſitas ejus incumbit, ſed ſcimus benedictionem Dei adhuc vigere, quæ hominem ditat, quæ hujus denarium, alius mina fructuoſiorem reddit; quæ huic tres horas laboranti liberalius proſpicit, quam alteri tres dies. Scimus etiam vigere hodie Dei providentiam, qua valetudo, vires, & ſolertia ad lucrandum conferuntur; qua merces noſtræ ſalvæ & incorruptæ huc illuc transferuntur, & ad portum appellunt; qua emptores ad nos ſubmittuntur, qua amici, parentes, &c. nobis excitantur, &c. Quod ſi putamus hanc Dei providentiam & benedictionem illis potiſſimum ſubſervituras qui Deum parum religioſe colunt, vel infidelitati noſtræ qui nec Dei promiſſis auſcultamus, & de Dei juſtitia tam inique ſentimus, eumque homine miſero & peccatore injuſtiorem fingimus. Verum quidem eſt aliquando omnia impiis ad animum affluere; ſed cum illud eis in æternum exitioſum ſit, tum vero momentaneum eſt, & tanquam nubes aut ros matutinus diffluit & liqueſcit. Multiplex illis veh eſt, qui lentem ſuam hæreditati cœlorum anteponunt.

Hujus doctrinæ teſtem habemus Man; qui pro Sabbatho tam liberaliter collatus eſt, ut perinde illis Sabbatho proſpectum fuerit, ac ſi eo die Man collegiſſent. Obſignatur item hæc doctrina Sabbatho terræ; cujus pro Sabbatho duplo plus populo collatum eſt quam aliis annis. Quo docemur, nobis divino præcepto ceſſantibus, nihil decedere.

Verſ. 3. ea quam accurata circa turbam?

Deinde notandum, quam accurate Chriſtus omnia expedit auditorum ſuorum commodo. Notat tempus, quo ſecum ſubſtiterant: notat intervallum, quo a ſuis disjungebantur, quod è longinquo venerant, eoque ipſo revertendum fuerat: quod viatico deſtituti, periculum quod illis jejunis incumbebat: & ſubductis omnibus, ſummam facit, illos non niſi paſtos dimitti oportere. Tametſi nullo Chriſti commodo ſed proprio, Chriſto adfixi fuiſſent, tamen ita rationes init ac ſi ſibi gratificati eſſent. Apud *Ezech.* dicitur, Deum Nebuchadnezaro ob diuturnam Tyri obſidionem & plenam laboribus, ſe daturum mercedem, ipſam ſcilicet Ægyptum. Quod ſi Tyrannorum tantam rationem habet qui illi nullo obſequendi ſtudio parent, ſed tantum ut ſuam libidinem expleant, quid iis fiet qui operam ſuam ad Dei gloriam promovendam navant? Ille igitur non tantum quot annos ſed quot dies atque horas in cultu ejus conſumpſimus, in pugillaribus ſuis notat: æſtum, frigora, famem, jacturam bonorum in rationes ſuas refert. Nec pugnat quod *Matth.* 20. dicitur; Ei ſcilicet qui ſub veſperam vineam ingreſſus eſt dieique æſtum non pertuliſſet, denarium tamen cum iis qui mane conducti ſunt attributum; non enim eo loco agitur quantam quiſque laborum ſuorum mercedem accepturus eſt, ſed tantum Deum nulli hominum obſtrictum eſſe, ut pro ratione operum cum illo agatur in remunerandi ratione, niſi quoad ipſe ſponte ſua mera & gratuita gratia ſe ipſum obligavit.

Dei provide cultus ſollicite curandus,

Nec vero minus verum exiſtimandum eſt, Deum dies & horas notare & inſcribere in ſua ephemeride, quibus à concione & precibus abſumus: quibus de cauſis: cum tam prope ab Eccleſiæ conventu aberamus, & infra ſeſquihoram ad occupationes redire liceat: quantulo momento: quam parvo lucro: quam levi & momentanea voluptate &c.

qui etiam nobis de minimis proſpicit.

Notandum porro, Chriſtum non tantum curam illorum ſuſcipere ne fame pereant, ſed ne vel languidi & flaccidi eſſent: nec tantum ne nobis caput, ſed ne digitus quidem doleat curam agere: non valetudinis ſolum, ſed & virium rationem habere: ut

providus,

providus, ita & benignus pater, qui ne sole ustulentur liberi curam agit. Plerique tamen sunt, qui se fame perituros in Dei cultu existimant.

Vers. 4, &c. *Cur majore panum copia hos pavit quam eos* Matth. 14.

Quod majore panum copia pauciores hic pascit quam *Matth.* 14. & *Iohan.* 6. id eo fit quod & pauciores tum panes suberant, & major numerus pascendus. Nunc vero tametsi plures panes occurrunt quibus pauciores erant saturandi, tamen benedictionem multiplicationis ad præsentem necessitatem accommodat. Fuisset enim profusum tantam cibi copiam 4000. parasse. quantam 5000. parasset. Quo docemur, perinde Deo esse multo cibo pascere, atque pauco: & eadem facilitate multos pauco alimento, quam paucos multo saturare: ne putemus vitam nostram panibus & cibo affixam. Quod eos admoneat suæ infidelitatis, qui familiæ suæ amplitudine quibus consulendum est, à cultu Dei abducuntur.

Vers. 8, 9. *quos à reliquiis saturatos apparet.*

Reliquiæ, testes sunt veræ saturitatis: quæ non minore mensura hic colligi videntur, quam superius. Tametsi enim numerus receptaculorum ibi major fuit, tamen quia sporta major est cophino, ut quæ angustior mensura erat: ut ex usu etiam nostræ linguæ docetur, qui cophino capacitatem Artocreæ *(a pasty or pie)* designamus, non minus reliquiarum superfuisse verisimile est. Nam Sportam *(a basket maunde or pannyer)* majoris cujusdam capacitatis esse indicatur, *Actorum* 9. ubi Paulus se sporta per fenestram demissum esse affirmat. Hoc autem vasis & conceptaculi genus, nos vernaculo sermone *(A maunde)* vocamus.

MATTH. *cap.* 15. *vers. ultim.*

39 *Tunc dimissa turba inscendit in navigium: venitque in fines Magdala.*

MATTH. *cap.* 16. *à vers.* 1, *ad* 13.

ET *quum accessissent Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum ut signum è cœlo sibi ostenderet.*

2 *Ipse vero respondens dixit eis; Quando serum est diei, dicitis; Serenitas* erit: *rubet enim cœlum.*

3 *Et mane; Hodie* erit *tempestas: rubet enim cœlum triste. Hypocritæ, faciem quidem cœli nostis discernere, signa vero temporum illorum non potestis?*

4 *Gens mala & adulterina signum requirit: sed signum non dabitur ei nisi signum illud Ionæ Prophetæ. Et relictis ipsis abiit.*

5 *Et quum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, obliti fuerant sumere panes.*

6 *IESVS autem dixit eis; Videte & cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.*

7 *Ipsi vero disceptabant inter se dicentes; Panes non sumpsimus.*

8 Id *autem quum nosset IESVS, dixit eis; Quid disceptatis inter vos, exigua fide præditi, quod panes non sumpsistis?*

9 *Non animadvertitis, neque meministis quinque illos panes* hominum *quinquies mille, & quot cophinos acceperitis?*

10 *Neque septem illos panes quater mille* hominum, *& quot sportas acceperitis?*

11 *Quomodo non animadveritis me non dixisse vobis de pane, ut caveretis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum?*

12 *Tunc intellexerunt eum non dixisse ut caverent à fermento panis, sed à fermento doctrinæ Pharisæorum & Sadducæorum.*

MARC. *cap.* 8. *à vers.* 10, *ad* 22.

10 *Et statim ingressus in navigium cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.*

11 Pro-

11 *Prodierunt autem Pharisæi, cœperuntque altercari cum eo, quærentes ab eo signum è cœlo, ipsum tentando.*

12 *Ipse vero quum alte ingemuisset spiritu suo, dixit; Cur gens ista signum requirit? amen dico vobis, si dabitur isti genti signum.*

13 *Et eis relictis, ingressus rursus navigium, abiit in ulteriorem* ripam.

14 *Fuerant autem obliti discipuli sumere panes, & panem non nisi unum habebant secum in navigio.*

15 *Tunc edixit eis, dicens; Videte, cavete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.*

16 *Disceptabant igitur alii adversus alios, dicentes; Panes non habemus.*

17 Id *autem quum nosset IESVS, dixit eis; Quid disceptatis quod panes non habetis? nondum animum advertitis, nec intelligentia præditi estis? adhuc stupidum habetis cor vestrum?*

18 *Quum oculos habeatis non cernitis? & quum aures habeatis, non auditis? neque memores estis?*

19 *Quum quinque illos panes fregi illis quinquies mille, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei; Duodecim.*

20 *Quum autem septem illos* panes *illis quater mille, quot sportas fragmentis plenas sustulistis? Illi vero dixerunt; Septem.*

21 *Tunc dixit eis; Quomodo* hæc *non intelligitis?*

ANALYSIS.

MATTH. 15, v. 39. PRoponit disceptationem Pharisæorum & Sadducæorum cum Christo; quam describit ab adjuncto tempore, cum dimisisset turbam; item à subjecto loco, nempe in confinibus Magdalæ: ubi indicat efficientem instrumentalem sui illuc adventus, vecturam navi.

MATTH. 16, 1. & MARC. 8, 11. Vbi describuntur efficientes causæ disceptationis, Pharisæi & Sadducæi: subjectum autem disceptationis erat, postulatio signi, quod subjecto loco è cœlo discernitur à signis quæ Christus ediderat: finis notatur, ut illum tentarent: alius finis videtur indicari tacitus, ut hoc modo cognoscatur, an jam advenerit tempus adventus Messiæ, ex fine 2 *vers.*

MATTH. 16, 2, 3. Redarguit illos quod tempus adventus Messiæ nescirent; quod probat à comparatione minoris, quod dignoscerent signa rerum non tam scitu aut necessariarum aut certarum: hoc *vers.* unum exemplum ponit, 3. aliud.

Vers. 4. Causa efficiens hujus postulationis, quod esset generatio prava & perfidiosa: quod pari illustratur uxoris adulteræ: deinde hæc postulatio declaratur adjuncta negatione petitionis; quæ negatio declaratur comparatione minoris, signo scilicet Ionæ, & confirmatur testimonio juramenti apud *Marcum.* Effectum vero hujus petitionis est, Christi suspirium apud *Marcum* 8, 12. & aliud effectum, nempe quod eos deseruit.

MARC. 8, 13. Describit Christi ab illis discessum à subjecto loco, scilicet quod trajecit mare navi.

Vers. 14. Cujus trajectionis adjunctum erat, quod discipuli obliti erant accipere panes; quod comparatione minoris declaratur, quod unum solum habebant.

Vers. 15. Effectum Christi inter navigandum, præceptum ad discipulos, ut sibi caverent à fermento Pharisæorum & Herodis.

Vers. 16. Adjunctum hujus præcepti est, error discipulorum qui hoc præceptum de pane intelligebant ab illis non accepto.

Vers. 17. Cujus erroris adjunctum erat, acris Christi reprehensio quam in discipulos stringit, qua reprehendit eorum de pane sollicitudinem: cujus causam assignat efficientem illorum in intelligendo tarditatem, quæ exaggeratur adjuncto, temporis diuturnitate.

Vers. 18. Quæ porro amplificatur aliis causis hujus stuporis, nempe quod ne vel ex his quæ sensibus videndi & audiendi usurpassent, nec recordatione profecissent.

Vers. 19, 20. A testimonio experientiæ præteritæ, quam adjuncta eorum confessione confirmat.

MATTH. 16, 12. Cujus reprehensionis effectum erat, quod discipuli verum sensum verborum Christi percipiebant.

METAPHRASIS.

POst dimissam à se turbam, & conscensam navem, in fines Magdalæ seu partes Dalmanuthæ, una cum discipulis duodecim advectus est. Quo cum appulisset, illum adeunt Pharisæi & Sadducæi, qui & Herodiani. Hi ut ut inter se dissentientes Christum conjunctis viribus adorientes, cum illo etenim an esset Messias discreparunt. Quo de signum è cœlo (puta Man ex nubibus devocationem, solis aut lunæ ad tempus stationem) ab illo petebant: non equidem ut de veritate certiores fierent, MATTH. 15, 39. MATTH. 16, 1. & MARC. 8, 11.

 sed ut

sed ut hanc postulationem aut studio aut impotentia illis abnuente Christo, illi fidem apud
12. *alios derogarent. Iesus hac perversitate commotus, ex intimis animi sui præcordiis alta su-*
Matth. 16,2. *spiria duxit. Post respondens dixit; cum occumbente sole advesperascit, dicitis; erit serenitas: cœlum enim rubens nubium raritatem & tenuitatem indicans, illas in pluviam non*
3. *iri solutas prænuntiat. Rursus mane dicitis, hodie tempestas erit, nam cœlum pullata quadam & tristi rubedine obductum, nubes crassiores in pluviam solvendas minitans hoc ipsum præsagit. O vos hypocritæ, qui studium cognoscendæ veritatis à quo longissime abestis simulatis, probe nostis superficiem cœli (cujus notitia non adeo scitu necessaria est) vel ex unico tantum signo eoque non tam constanter certo discernere: cum signa adventus Messiæ (cognitu maxime necessaria) tametsi & numero plura & veritate certissima non agnosci-*
Marc. 8,13. *tis. Quamobrem tanquam deploratos & perditæ spei eos relinquens, indignabundus ab illis se subduxit,* Marc. 1. *navem regressus in alte-*
14. *rum lacus partem trajecit. Discipuli vero accelerati obliti erant panes accipere pro viatico, ut qui unicum modo secum in navi ferebant.*
15. *Iesus vero studiose illis inter navigandum præcepit, dicens; cognito quid sit de Pharisæorum & Herodis fermento, ab eo sollicite cave-*
16. *te. Illi vero disceptantes de verborum sensu, tandem apud se hoc constituunt, cavendum esse ne ex Pharisæorum pane vescerentur, eoque ipso seipsos condemnarunt quod panes non*
17. *accepissent. Quod Iesus pernoscens, eis dixit; quid disceptatis inter vos quod panes non suppetunt? nondum post tot documenta consideratis, neque mente intelligitis, adeone ani-*
18. *mum stupidum geritis? Quid, ne ex oculorum quidem sensu, qui meæ de vobis pascendis curæ testes sunt, nec ex aurium sensu, quæ suavissimas de vobis alendis promissiones hauserunt, proficitis? Quid, an memoria vestra excide-*
19. *runt quæ recens in hoc genere feci? Cum quinque panibus* 5000. *virorum satiavi, quot calathos fragmentorum quæ supererant collegi-*
20. *stis? dicunt illi duodecim. Cum septem panibus* 4000. *virorum satiavi, quot sportas fragmentorum quæ supererant sustulistis? dicunt illi*
Matth. 16,11. *septem. Subjunxit igitur: quomodo ergo his experimentis edocti, non intelligitis vestram hanc de panibus sollicitudinem vanam & diffidentiæ plenam esse: & me non de fermento panis Pharisæorum & Sadducæorum vos præ-*
12. *monuisse. Tum demum intellexerunt eum non præcepisse, ut sibi à fermento panis caverent: sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum, quæ instar fermenti paulo momento se spargens, mentes errore penitus inficit.*

PRAXIS.

HVmani generis ex peccati labe de rebus terrenis immodica cura, exemplis illustratur.

Cujus *partes* sunt,
- Immodica rerum terrenarum cura.
- Conjuncta cum cœlestium incuria & neglectu.

Quæ *ambæ* spectandæ proponuntur,
- *Cum* in reprobis, ut Pharisæis.
- *Tum* vero in ipsis Christi germanis discipulis.

In Pharisæis arguitur hoc ab adjuncta petitione, qua quærunt signum illius rei quam plenissime testatam & confirmatam habebant: & de qua ne quicquam dubitassent, si vel tantillum animum advertissent. Deinde, quod eum tentaturi hoc faciunt, tanquam signum hujusmodi edere nequiverat, qui non minora hoc vel etiam majora ediderat. In quo patrissant, & veteres Iudæos perversitate imitati sunt. 8,11,19,20,41. &c. Quis enim dubitabit pictorem qui hominem effingere & in tabula describere norit, eundem brutum animans non posse artificio suo repræsentare? Et cum ex unguibus leonem, quid est quod Christum ex tam præclaris gestis non agnoscunt. Nemo est quin dicet, horrendum esse de Christi omnipotentia vel quicquam subdubitare: sed si nos ipsos plerique exploremus, intelligemus profecto hanc pestem imis præcordiis insidere, scilicet ut de Dei omnipotentia sæpius addubitemus, nec quicquam Deo permittamus, nisi quod sub rationis & consilii nostri angustiis cadit. Matth. 16,1. *Pharisæorum perversitas in signi petitione;*

Quamdiu indefinite de Dei potentia & interminate quis dicat, & quamdiu alterius deploratam conditionem & collapsam intuemur, Dei potentiam splendide & magnifice prædicamus, atque ut est, manum ejus latissime dominantem pleno ore pronunciamus. Sed cum hac Dei potentia nosmet recreandi & sustentandi, aut in officio confirmandi sumus, tum eam manu veluti truncamus: ut si quid veritatis causa periculi obeundum, aut offensionis suscipiendum sit, ilico ac si nos illis malis Deus expedire nequiret, aut optatum rebus exitum largiri, diffidimus: & diffidentia, ab officio desistimus. Et cum bellæ & amplæ promissiones *quæ docet Dei potentiæ confidendum:*

nobis

nobis in Christo donantur, quibus benefacientibus bene fore confirmat, tamen ac si illa nobis præstari à Deo nequirent, illa infecta prætermittimus, quorum exequutione tam præstantium promissionum participes efficeremur. Nec vero desiderantur qui palam in has voces erumpant, fieri nequire ut commode in hac vita vivatur, nisi fraudibus & dolis operam dent. Quod non tantum in impiis, sed in præstantibus viris aliquando usuvenit, ut Saræ in semine promisso; Mosi & Aaroni in petræ promissione; Davidi, cum se Saulis manus effugere nequivisse sibi persuasit; Zachariæ, *Luc.* 1. Tanto nobis hæc res diligentius commentanda est. Et non tantum manus, sed singuli veluti digiti, atque adeo articuli potentiæ divinæ lustrandi & examinandi sunt, quid in mundi; quid in Ecclesiæ gubernatione; quid ordinarie, quid præter ordinem effecerit; & ex singulis potentiæ divinæ operibus succus exprimendus, quo animus noster probe irrigatus, ex hac parte fructum ferat, & præcipitium hoc declinet quod isti incurrerunt de Deo tentando.

MARC. 8. 12. *illa Christi gemitu exaggerata;* Hæc illorum cæcitas & amentia exaggeratur, ab adjunctis Christi ex illa gemitu & suspiriis, quæ istorum hominum impietas expressit. Si enim Christi potentiam ex caussis non didicerant, quod erat Filius Dei & Messias promissus, atqui eam debebant effectis & experimentis edocti recognoscere: certe tam multis & tam illustribus, tantaque varietate & frequentia editis. Discamus hoc loco primum, peccati atrocitatem comprehensam habere, quæ humano judicio æstimanda non est. Hominibus enim ludus & jocus est peccare; ut est in *Proverb.* Alii peccati convicti, & in tanta luce ejus turpitudinem pernegare verentes, non tamen usque eo sensu peccati tanguntur, ut putent magni putandum esse; sed leviter admissa peccata, leviori suspirio deleri posse credunt. Christus tamen, cui peccata nostra attribuuntur, & qui pœnam peccati obivit, & cujus dentes ex omphace quam nos comedimus obstupuerunt, aliam peccati acerbitatem & tyrannidem, & alios aculeos sensit, & alium mucronem; usque eo ut grumi sanguinis ab illius corpore certatim decurrerent.

quare & à nobis aliorum peccata deflenda. Deinde discamus Christi capitis exemplo, non nostra tantum, sed aliorum peccata deflere. Quod in piorum officio esse docetur *Ezech.* 9. Quod si nobis assidentes, majore dolore ex nostro peccato urgeantur punganturque, quam qui admisimus ipsi, quanta impœnitentia existimabitur? Si manus acriori sensu ex plaga pedi imposita afficeretur quam pes, indicio plane esset pedem mortuum, ac sensu & vita privatum esse.

MATTH. 16, 2. *Eorum in rebus divinis inscitia quibus res naturales cognitæ;* Immodica porro hæc cura, arguitur à comparatione minoris; scilicet, quod in rebus ad vitam hanc caducam spectantibus id operæ & diligentiæ adhibemus, ut ex signis præeuntibus de rebus adhuc occultis & latentibus pronunciemus. Nam ex stellata nocte, claro mane, rubente vespera, colligimus serenitatem diei, quæ nobis ad labores & itinera obeunda, animum addat. Item tempestatem ex tristiore cœlo arguimus post futuram, aliaque pleraque, quæ non tantum in cœlis, sed & in terris signa colligimus, quibus de temporis commoditate aut difficultate præsagimus *Luc.* 12. ut si lapides aut vasa humorem exsudent, si ranæ crocitent, &c. In rebus autem ad cœlestem vitam spectantibus, tametsi multa sint signa quibus de cœlesti vita informemur, tamen nihil intelligimus, & non tantum res mox non percipimus, sed ne præsentes quidem futuras persentiscimus. Nam adventus Christi non tantum signa erant prænuncia, ut Ioban. Bapt. præcursio, sed & alia pleraque quæ Christi cum adventu conjuncta & coæva erant, ut quod omnis generis infirmi tanto numero à Christo persanati erant, quod in Ægyptum fugit. Huc pertinet quod signa illa tantum ὡς τὸ πολὺ, aliquando fallant, quum hæc nunquam fallant.

quare pro iis homines magis soliciti, Videmus porro, ut homines æstate parant quo hyeme se alant; juventute, quo se in senecta sustentent; ut rebus prosperis se præsidiis muniunt, quibus adversis resistant; ut rerum caritatem certis indiciis prospicientes, tantum congerunt frumenti quantum illis ad perferendam caritatem & indigentiam satis est. Sed quotusquisque est qui se Dei promissionibus adversus imminentem tentationis diem confirmat? Quotusquisque qui sibi dum tempus est de viatico & commeatu consulit, antequam ad sepulchrum descendat, ubi nullus cibus parabilis est? Qui adversus frigus vel gelu divini judicii sibi vestes probe suffultas aptat? Qui umbram adversus æstum iræ divinæ sectatur? In cibis, quantus & quam acris sensus? De iis novimus probe dicere, hoc, salsum; hoc, insipidum; hoc, gratissimi saporis; hoc, crudum; hoc, bene coctum, &c. In cibis autem animi pastui destinatis, quam nullo judicio

dicio sumus? Vide locum *Iob*. Hinc Agur se brutum, & David etiam conqueruntur. Nonne armenta ingruentem tempestatem præsentiunt, eoque se ad perfugium aliquod recipiunt? Vide *Ierem*.9. Imo vero stupidissimis animantibus, &c. *Esai*.1.

qui res sacras nullo negotio intelligi autumant;

Hoc cum ita sit, omnes tamen se in Theologia artifices quodammodo natos esse putant, aut saltem facillime hanc artem una aut altera concione discere, omnes se doctores autumant, nullus se discipulum & docilem præbet, sed quam semel opinionem imbibit, eam mordicus retinet. Quumque in abjectissimis & sordidissimis artibus nemo satis peritus ducitur qui septennium integrum assidue se in illa arte non exercuerit, tamen in hac celeberrima & nobilissima Dei scientia, eademque abstrusissima, se paucorum dierum spacio doctos & acutos evadere posse sperant. Tempus & diligentia requiritur ad illa discenda quibus perdiscendis apti & idonei natura sumus, & tamen illa non necessaria putamus ad illam scientiam acquirendam, à qua naturæ ductu abhorremus & inepti sumus. Quis est qui unum aut alterum Iuris aut Medicinæ præceptum tenens, sibi hoc assumat, ut vel sibi ægrotanti ipsemet Medicus sit, vel ad dicendam causam Advocatus, &c. Quod tamen in Theologica homines audent tentare. Sed dicent se Deum supra omnia diligendum; & proximum ut nos ipsos, probe compertum habere. Et quid est inquiunt quod quis præterea requirit? Perinde ac si quis dicat, Iuris scientiam in eo versari, ut noscat jus cuique tribuere; aut Medicinæ peritiam, si quis valetudinem aut præsentem tueri, aut amissam recuperare norit. Verum quidem sit, sed quantum est in hoc non intelligunt, tantum scilicet, quantum per universum vitæ cursum, etiamsi ad millesimum annum viverent, non possent exhaurire. Quæ omnia si scires, tamen nescires quomodo salus paratur, scires equidem quomodo mortis & damnationis reus sis, sed præterea nihil.

quomodo illæ ministris debeant esse perspectæ?

Sed, *excipiunt*, accuratam harum rerum scientiam doctorum & ministrorum esse.

Sed quorsum cædo ministrorum? an non ut tu eadem docearis; eoque tu eadem discas? Nulla certe alia causa. Si igitur hæc ministro accurate tenenda sunt tua causa, tu illa quoque percipere debes. Nam cognita ministro tibi non prosunt, nisi tibi innotescant: nisi fore ita deliremus, ut fide Ecclesiæ (ut *Papistæ* loquuntur) salvos fore speremus. Paulus *Act*. 20. ut se purum à sanguine Ephesiorum probaret, confirmat se universam Dei voluntatem illos docuisse: ex quo consequitur perire homines, nisi totius voluntatis divinæ gnari & periti sint.

quorum scientia in quibus à plebis distincta?

Qua re igitur differt (inquis) minister à plebe? non equidem in subjecto scientiæ divinæ, eadem enim ministris & plebi lex rogatur: uterque perinde jubetur legem Dei notam habere. Sed hoc interest quod cum populo satis sit sibi legem scire, ministro non id satis est, nisi eam norit aliis perite & scienter distribuere. Atqui inquiunt plerique servati sunt, qui multa ignorarunt: fateor equidem, & plerique ministri existunt qui multa ignorant. Sed iis qui oportunitatem discendi, tempus, & alia compendia non sunt consequuti, hoc accidit: non autem iis qui cum discere potuerunt, ea pedibus calcarunt. Et certe si notitiam Christianorum qui nunc vivunt magna ex parte exploremus, vix se illum populum probabunt, qui Euangelii temporibus nascendi prædicebantur ab *Esaia*, pleni scientia, ut mare aquis &c. Nam Iudæi, qui hodie vivunt (si Christum excipias,) plura de Deo ex lege norunt, quam, &c. Vide Iosephum &c.

Iudæorum veritatis nisi fictum studium.

Notandum porro quod illos *Hypocritas* vocat, ac si dicat, eos in summa eorum quæ ad regnum Dei spectant incuria & ignoratione, curam tamen & studium longe maximum præ se ferre, cognoscendæ & indagandæ veritatis. Vide *Ezech*. 33, 30, *&c*. Hæc hypocrisis nobis adhæret, si nos excutiamus (nam si studio pietatis duceremur, fieri non potuit quin plura sciremus quam scimus) aut quod est hac hypocrisi deterius. Nam quidam sunt qui ne pietatem quidem præ se ferunt, sed illam contemptui habent. Tametsi enim is qui negavit se iturum ad opus imperatum & ivit, tamen præponitur illi qui recepit se facturum nec fecit: sed is qui se negat se aperte facturum, & quod præ se fert non facturum re ipsa exequitur, deterior est. Nec minus culpandi sunt qui Sacramenta nobis ad salutem instituta respuunt, aut negligunt, quam illi qui plura æquo postulant.

Sequitur exemplum aliud immodicæ sollicitudinis, de rebus ad hanc vitam spectantibus in discipulis Christi:

ubi notantur, { Primum, occasiones quibus hæc sollicitudo prodita & in apricum adducta est. / Deinde, ejus redargutio. }

Illius autem prodendæ occasio prior est, *Vers.* 5.

Christi

Christi ob Iudæorum pertinacia in desertum secessio.

Christi in desertum ex fastidio & indignatione Pharisaicæ cæcitatis remeatio, unde panis ad eum locum comportatio necessaria illis videbatur. Prius vidimus Christum ad gentium prophanarum viciniam tædio pertinaciæ Pharisæorum concessisse, & potius ducere inter canes prophanos agere, quam inter illos qui populi sui speciem præ se ferentes, virtutem & vim pietatis pernegant & adversantur. Hic autem discimus Christum potius solitudinem sectari, quam se cum præfractis istis hominibus communicare. Nunquam deerit Domino populus, ut qui ex silvestribus & efferis nationibus sibi populum formare norit: sed potius quam cum istiusmodi contumacibus sibi semper luctandum esset, solus in deserto ab omni hominum communione manebit, ut qui ex se αὐτάρκης est.

Vers. 6. ob eo cur Pharis. &c. doctrina fermentum appellata?

Quamobrem caveamus à pervicaci cum veritate luctatione. Sed cum sensus Christi hic fuerit ut discipulis cautionem injiceret ne se Pharisaica & Sadducaica doctrina infici paterentur, videndum quorsum eorum doctrinam *fermentum* appellet: scilicet, quod insidiosa esset, & facile hominum animos influeret, furtim irreperet, & angusto spatio longius serperet; quod etiam vel modicum fermenti multum in illis præclare à Christo docta corrumperet. *Gal.* 5. maxime cum nulla conspersio tam facile admittat fermentum, quam depravata nostra natura imbibit. Quamobrem tum falsæ doctrinæ lubricitate, tum nostræ naturæ depravatione, tum operariorum diaboli infinita quadam versutia, nobis iterum atque iterum circumspiciendum. Pestes enim recte in *Actis* dicuntur qui falsam doctrinam serunt, tametsi ibidem falso ad Paulum id accommodetur. Item gangræna 2 *Tim.* Hoc igitur cum discipulis Christi opus fuerit, an non nobis, &c.

Quod *Marcus* Herodis etiam fermentum addit, idem videtur cum eo quod *Matthæus* habet de fermento Sadducæorum: ad quam sectam se forte Herodes conjunxerat: tametsi cum Iohannem à mortuis resurrexisse crederet, non videtur illa opinio consistere posse, nisi dicamus Herodem postea se Sadducæis adjunxisse, ut hoc modo stimulum conscientiæ, qui illum urgebat, ex cæde Iohannis penitus retunderet.

cur præcipuorum solum mentio facta?

Quod autem Principum in Ecclesia & Republica mentionem fecit, cum tamen alii plerique erroribus & hypocrisi imbuti essent, id consilio fecisse videtur, ne cujuspiam autoritas aut splendor eos ad malefaciendum impellat. Fœdi enim errores & impuri mores splendidis doctorum & regum titulis & insignibus tecti, non modo in malis non ducuntur, sed quandoque etiam laudi dantur. Sicut enim decora vestis & splendida deformi corpori gratiam & ornatum conciliat, saltem deformitatem minorem facit; sic &c.

Vers. 7. Discipulorum de fermento opinio,

Alia occasio eliciendæ hujus nimiæ sollicitudinis erat formula loquendi in Servatoris concione usurpata, quam dubium non est Christum ob eam rem adhibuisse, ut latens & occultum in eis malum illis melius innotesceret. Mentione enim fermenti facta, putabant illud de pane intelligi, ac si Christus illis interdixisset, ne ex pane Pharisæorum comederent, neque eadem cum illis mensa vescerentur, cum essent tam infesti & obfirmati veritatis hostes.

in quibus ea culpanda?

Qui sensus tametsi non malus erat, cum *Ioh.* 2. *Epistola* istiusmodi hominibus non esse vel minima ex parte communicandum doceat, tamen quum est à sensu & sententia Christi alienus & detortus, aliquid hic in discipulis delicti subesse necesse est. Quod certe non aliunde provenit, quam ex nimia præsentium rerum cura; qua animum ægerrime ab illa cogitatione abduci & avelli patimur; cujusque vocis aures personat echo & veluti repercussio, cibum & potum, &c. sonant. Sic videmus factum esse *Ioh.* 4. & 6. Hoc Iudæis hodie imponit, quod cœlestium explicationem rebus corporalibus illustratam κατὰ τὸ ῥητὸν intelligant.

ita & nunc in Cœna Pontif. errant.

Idem hodie *Pontificiis* & aliis usuvenit, qui *manducandi* & *bibendi* verbis mordicus adhærentes, carnalem & crassam manducationem intelligunt. Cujus fons est, quod terrena nimis sapiant, nec cogitationem mentis à sensibus sevocare queunt. Sicut enim sues nullam vocem hominis intelligunt, nisi eam qua ad siliquas suas advocantur, &c. sic nihil nos percipimus, nisi quæ hujus vitæ commoda & emolumenta continent. Hic, quæ ad lucrum; alius, quæ ad gulam; alius, quæ ad libidinem, &c. Cæteroqui surdi & muti ut nec aures nec os habeamus, ad, &c.

Vers. 8. Errati Christo redarguuntur,

In Christi percontatione primum discipulorum lapsus indicatur, deinde coarguitur. Sicut autem ex discipulorum verbis perversæ intelligentiæ convicti tenentur, sic ex Christi interrogatione eorum in fide mutatio clare demonstratur. Quod enim panem

nem secum (nisi unicum ut *Marc.*) non tulissent, perinde secum disceptabant, & mutuo se accusabant, ac si desiderio panis illis in deserto languendum aut pereundum erat. Atque hanc fidei claudicationem, Christus præterito altero perversæ intelligentiæ delicto, acerbius exagitat. Hic rursus videmus Christo novæ tristitiæ argumentum objectum esse, ut se solandi exhilarandique opportunitatem consectanti, solatium tamen ne inde quidem peti, unde maxime oportebat.

qui ab iis denuo molestia, afficitur, Satis fuit illum Pharisæorum, &c. cæcitate & pervicacia exacerbari; apud suos certe lætitiæ & delectationis materiam eum nancisci oportuisse æquum erat: ab illorum præclaris cognitionis & fidei fructibus exhilarari; eorum vino recreari; unguento ad oblectationem perfundi. Vide *Cantic. cap.* Nunc Deus ubique terrarum irritatur, blasphemiis configitur & fodicatur, infiniti sunt cum ex alienis à Republica Christiana, tum ab ejus domesticis qui Christum quodammodo aut apertis erroribus, aut depravatis moribus pungunt. Quo magis danda nobis opera, ut à nobis, in quos tam munificus extitit, &c.

Coarguit autem hanc fidei tenuitatem, ab adjunctis animi corporisque cæcitate & surditate oblivioneque: quod neque promissis in concionibus aspersis, nec tot rerum gestarum, maxime earum quæ in hoc genere gestæ essent, &c. infinitatibus, &c. acquieverunt. Debebant enim ex tanta infinitate miraculorum scire, illis Christum sequentibus nihil ad necessarium vitæ usum deesse potuisse: saltem ex pastu, præsertim tam recenti, hoc debebant collegisse: maxime cum ex quinque panibus 5000. hominum replevisset, non dubitarent, quin ex uno pane duodecim pascere potuit. Cumque illis quos non ad se advocarat hoc fecit, nedum ipsos sibi addictos, & se sequi jussos nolle ut fame perirent permittere. *Vers. 9. &c. & eorum cæcitas & oblivio capiatur;*

Hic igitur monemur, ut mentem, intelligentiam, sensusque omnes excitemus, cum ad concionem venimus, si quidem velimus fide proficere: eoque fieri, ut fide tam infirmi simus, quod corpore præsentes, mentes nostras domi in rationibus supputandis relinquimus. *quare conciones solite audienda.*

MARC. 8, *à vers. 22, ad 27.*

22 *Venit autem Bethsaidam: & obtulerunt ei cæcum, & precati sunt eum ut ipsum tangeret.*

23 *Tunc prehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & quum inspuisset in oculos ejus, imposuissetque ei manus, interrogavit eum ecquid videret.*

24 *Qui quum suspexisset, dixit; Video homines instar arborum ambulantes.*

25 *Deinde rursum imposuit manus oculis ejus, fecitque ut* denuo *oculos attolleret: & restitutus fuit, viditque procul & dilucide omnes.*

26 *Tunc IESVS misit eum domum suam, dicens; Neque in vicum illum ingreditor, neque* hæc *dicito cuiquam in vico.*

ANALYSIS.

NArrat miraculum de cæco visioni restituto: ubi causa seu occasio narratur, quia cæcum adducunt, tum quod petunt ut manibus impositis illum sanet: quæ subjecto loco declarantur, in oppido Bethsaidæ.

Vers. 23. Effectum petitionis est, sanatio cæci; cujus adjunctum erat, quod manum cæci prehendens illum extra urbem eduxit; cujus eductionis finis colligitur ex *vers.* 26. ne quis ex illa urbe tam impia (ut prius dictum est) illud resciret. Post causas instrumentales notat, sputum in oculos ex ore emissum, deinde manuum impositio; principalis autem voluntas & imperium Christi subticetur; deinde adjunctum curationis inchoatæ narratur, quæstio à Christo proposita an ullam visus partem accepisset.

Vers. 24. Cujus effectum est, responsum cæci se confuse videre: subjectum autem visionis indicatur, nempe homines forma arborum: quod & dissimilitudine porro declaratur, nempe quod ambularent.

Vers. 25. Narratur impositio manuum: ubi post narratur causa principalis, imperium Christi qui jussit ut visum acciperet; cujus effectum indicatur, quod clare & perspicue cernebat; quod comparatione majoris amplificatur, nempe quod procul etiam cerneret.

Vers. 26. Adjunctum sanationis declaratur, præceptum ne &c. quod suo disparato declaratur, non in urbem Bethsaidam: item aliud adjunctum, ne cuiquam ex illa urbe hoc diceret: cujus interminationis finem vide *vers.* 23.

METAPHRASIS.

POst Bethsaidam pertingenti adducunt cæcum, qui olim visus sensu præditus, oculis 22
captus

captus erat: cæci porro duces Iesum rogant, ut
23. *manibus oculis admotis illum contrectaret. Iesus prahensa cæci manu eum ex urbe (indigna quæ ad miraculi spectaculum admitteretur) humanissime eduxit, & in oculos ejus inspuens, & manibus ad oculos amotis vi Spiritus divina visus initium conferens, ut miraculum aliis circumstantibus innotesceret, numquid*
24. *videret percunctatus est. Cæcus sublatis oculis dixit; video homines forma & specie arbores repræsentantes: nisi quod hoc dissimile habent, quod arboribus immotis & radicibus suis subnixis, hi loco moventur & ambulant.*
25. *Tum denuo manibus ad oculos admotis, jussit ut oculos attolleret, quo dicto protinus visui restitutus est, nam & clare & procul omnia*
26. *quæ occurrebant cernebat. Quo facto ut domum suam repeteret mandavit, cum hac cautione, ut neque ad impium illum pagum remearet, neque immorigeris pagi civibus miraculum indicaret.*

PRAXIS.

CHristus rogatus ut manuum impositione adductum ad se cæcum sanaret, eidem à se restituto ut domum suam rediret, mandata dat.

A Cujus partes sunt, de { Fide Christum sanitatis causa accedentium. / Christi in cæco sanando οἰκονομία.

Vers. 22. Ex fide petitio sanitatis cæci ad Christum instituta.

Fides accedentium arguitur ex petitione ad Christum instituta. *Credentes enim loquimur, Psal.* 116. Sicut enim absque fide Deum nemo inclamat, *Roman.* 10. *Hebraor.* 11, 6. sic fide subjecta & subsistente, invocatio necessario consequitur. Vnde apud Iacobum, *fidei oratio* dicitur. Si enim credimus firmiter nos beneficio immortali à Deo auctos esse, gratias illi agimus. Sin nos voti in iis fore compotes persuademus quæ nobis opus sunt, Deum proculdubio de ea re appellabimus. Fide enim appropinquamus Deo. Hinc dicitur, *Age revertamur ad dominum, quia ipse percussit nos, & ille sanabit nos: ipse vulnus intulit, idem vulnus obvolvet. Hose.* 6, 1. Item *Esa* 2. *Age eamus ad montem domini, nam ipse docebit nos vias suas, &c.* Item *Luc.* 15. & *Hos.* 2, 7. Ecquis enim est qui ad extrema quæque adactus, non adeat eum à quo aliquid sperat accipere? tametsi illo olim superior & honoratior fuit. Imo videmus homines ad extrema adactos, etiam ab hostibus à quibus nihil fere sperant sæpem petere: ut ab Ægyptiis, Israelitæ. Quomodo igitur nobis ipsis persuadebimus nos fide imbui, nisi Deum precibus in tanta mendicitate nostra appellemus? quomodo charitatem ullam in animis nostris vigere, ut aliorum labes precibus reficiamus, si de propriis ruinis solliciti non simus? Quanta infinitas est eorum qui cæci sunt & in umbra mortis sedent? quique ad singula momenta parati sunt in inferorum foveam præcipites ruere. Si ergo ulla commiseratione ducimur; eo precibus nostris vel longissime à nobis dissitos sistamus, certi Deum & Christum ejus unigenitum Filium à nobis exoratum tanto facilius fore, quo in hunc mundum venit ut mentis cæcitatem & squammas dispelleret.

quæ cum imbecillitate conjuncta:

Fide perquam imbecillos fuisse, ex petitionis formula apparet: quod Christum ad impositionem manuum tanquam ad palum alligant. Quam tametsi Christus rejicere poterat, tamen hæc tam imbecilla fides postulatum secum aufert. Manus igitur hæc tametsi pure (*snot or filth*) diffluebat, & lepra quadam inficeretur, aut digitis aliquot veluti truncata esset; tamen quia manus erat, & beneficium aliquousque amplectebatur, rem petitam secum reportavit. Et tametsi vasculum fidei perangustum, &c. Neque enim quia fides imperfecta & manca est, ideo beneficium collatum per Christum nullum & imperfectum est, sed sanitatem tam omnibus numeris plenam acceperunt, ac si fide instructissimi fuissent. Ita etiam fit in salute per Christum parta. Nam minimo grano fidei non simulatæ, totum Christi justitiæ beneficium accipimus. Tametsi enim fidei vasculum perangustum est, tamen Christus avide & inflammato studio se nobis communicans, etiam ab angusta fide se capi patitur; non quod fidei infirmitati indulgendum, aut incrementum & accretio fidei persequenda non sit, cum fides vera non sit quæ non crescat indies. Deinde, singularem fructum percipimus ex fidei auctibus: scilicet, quod omnis hæsitatio, quæ gravis est, sic tollatur, & quod pro fidei incremento & in hac vita sanctificatio, & in futura gloria augetur.

Vers. 23. iste à Christo ad sanandum abductus,

Sequitur pars altera, de Christi in cæco restituendo οἰκονομία, ubi primo occurrit incredibilis Christi in hominem istum, atque in eo in totum genus humanum φιλανθρωπία: qui prehensum manu cæcum, eum ipsemet per totum vicum spectantibus omnibus duxit, tanquam se mediastinum huic homuncioni

cioni præberet, cum poterat amicis suis illum demandasse. Sed ut doceret se nostri & infirmitatum nostrarum non pudere, visum erat ei hoc officium illi præstare: tanquam honori sibi duceret & oblectationi, miseris mortalibus suppetias ferre. Hinc est quod leprosos aspectu horridos adivit, & sacra manu contrectavit. Eadem illum esse in nos humanitate constat, eoque alacriter ad illum accedendum: neque ex hominum nausea & fastidio in morbis turpioribus, de Christo & Deo statuendum, ut nos Deo exosos iri putemus, quod hominibus odiosi simus: sed eum esse verum chirurgum, qui fœtore vulnerum non abigitur à nobis, nec graveolentia morbi à nobis medendis repellitur.

qui & nos in mentis cæcitate dirigit.

Deinde hinc etiam discimus, non tantum Christum nobis mentis oculos aperire, sed nos cum cæci sumus dirigere & ducere ad ea adminicula & pharmaca, quibus visus spiritualis restituitur: nosque ita in cæcitate nostra servare, ne in profundum foveæ condemnationis cadamus: quod certe faceremus, nisi Dominus nos ab hoc malo assereret. Nam nos mensuram nostram compleremus iniquitatis ad extremum vitæ finem: nisi nos Deus machina aliqua, nobis non cogitantibus, ad communionem Euangelii adduceret.

Cur autem extra civitatem eduxit potius quam in ea cæcum sanavit, post clarius explicabitur.

Cur sputum cum manuum contactu Christus adhibuerit?

Quod sputum adhibeat cum manuum contactu, quem illi solum postulabant, eorum infirmitati indulgere satis fuisset, si prout ipsi petebant manus tantum imposuisset. Nunc sputum addens videtur illorum fidei remoram porrò adjicere, tanquam non potuisset sola impositione manuum, illum visioni restituere: quod illis in fide retrocedendi non progrediendi causa esse posset. Quo spectat, quod non nisi binis manuum impositionibus, illum plene restituit.

Respondeo primum, Christum hoc modo docere voluisse, hominum non esse sibi rationes præscribere & præfinire, quibus opus suum perficiat; neque enim in tantas angustias compingi se pati velle, ut non nisi eorum præscripto agat: sed media quibus negotium perficiendum est, ad ejus arbitrium esse referenda. Sic enim plerunque homines eo amentiæ deveniunt, ut nisi per eum ipsum modum per quem illi salutem sperabant salus perficiatur, de salute sua actum esse & conclamatum autument. Cujus rei exemplum in Naamane extat 2 *Reg.* 5. cui quod manus à Propheta impositæ non erant, de valetudine recuperanda pæne desperaverat. Quis autem medicus aut chirurgus æque ferat, ut quod aut pharmacum aut emplastrum adhibeatur, illi ab ægroto præscribatur? Peccasse igitur hos, non tantum quod Christo hunc honorem non habebant, ut solo ipsius verbo & voluntate hoc efficere potuerit; sed quod externa adminicula illi ad opus efficiendum necessaria ducerent, & quod in illis adminiculis delectum ei non deferebant. Alterum est quod responderi poterit, scilicet istorum hominum in fide inopiam & imbecillitatem majorem & profundiorem fuisse, quam aut sciebant, aut certe profiteri per pudorem voluerunt: Christum vero qui imas infidelitatis eorum radices cognitas habebat, se eorum imbecillitati accommodasse; & plus illis tribuisse quam illi postulabant. Simile aliquid legitur *Iudic.* 7, 10. ubi postquam Gedeon duobus miraculis sibi satisfactum fuisse putabat, ad plenam promissæ victoriæ fidem Dominus, qui quasdam dubitationes fibras (*smal strings like haires hanging at the of root trees*) nondum evulsas esse probe norat, alterum signum ab eo minime postulatum offert. Sic fit plerisque, ut majus quiddam de nobis polliceamur, & nobismet persuadeamus quam res & veritas ferat.

Vers.25. &c. etiam cur hæc sanatio gradatim collata?

Quod prima appositione manuum ad oculos videret ille quidem, sed non discerneret, ut cui homines tanquam arbores ambulantes repræsentabantur, perinde est ut cum quis noctu non discernit inter arborem & hominem; aut quum surdus usque eo auditionem recuperat, ut sonum quidem confusum audiat, nihil tamen exaudiat. Sic hic videbat quidem homines, sed veram eorum figuram non discernebat. Qua dispensatione Dominus ita spem fecit restituendæ visionis, ut interim patientiam hominis aliquantisper exercere voluerit. Quod tametsi ad momentum futurum foret, tamen nisi fide fultus, spe recuperandæ salutis excidisset. Tametsi igitur Deo perinde facile sit momento nobis succurrere, & malis eximere; tamen ut fidei experimentum per patientiam caperet, pedetentim nobis manum porrigit.

ut etiam in mentis illuminatione contingit:

Hoc etiam modo adumbratur quomodo gradatim ab ignoratione in qua demersi sumus emergimus, ne in ipsis initiis consistamus, & proficiendi studium in veritatis notitia ab-

tia abjiciamus. Quod plerisque solenne est: qui tametsi confuse admodum cernant, tamen clare admodum se cernere videntur, & aquilinis oculis præditi esse, cum tamen squammæ indies ab oculis nostris depellendæ, & collirio oculi inungendi, ut clare cernamus & perspicue. Enim pluſculum videmus quam olim vidimus, aut quam *Pontificii* qui adhuc in tenebris Cimmeriis vivunt. Videmur nobis perspicaces & acuti, cum centuplo amplius nobis tenendum sit quam hactenus percepimus. Tanquam enim lusci inter cæcos, aut tanquam Grammatistæ nobis sapere inter idiotas videmur. Cum Zacharias prædicat, quemque ex fidelibus sub Euangelio tanquam Davidem fore, *Zachar.* 12. Davidis vero familiam tanquam Angelum Dei fore. Cum etiam sub Euangelio omnes sacerdotes nuncupemur.

Vers. 26. *cur hoc miraculum Christus celatum voluerit?* Quod domum ire jubet, nec cuiquam in illa urbe dicere, eo prorsus refertur quo cæci extra urbem eductio; scilicet, non tantum ut lateret Christus, sed ut illum vicum hoc celatum vellet, quem ante ingratitudinis summæ convicisset. *Matth.* 11. Sicut igitur in Capernaum cepisset horribile judicium exercere *Ioh.* 6. sic hoc loco in Bethsaida tristissimum iræ suæ signum & judicium præbet, dum miracula amplius apud illos sua innotescere noluit. Multa ibi signa ediderat, quæ cum parum dignum fructum protulissent, sollicite cavet ne quid preciosissimi hujus unguenti amplius in eos profunderetur. Hoc multo gravius & formidabilius, quam si maris illos ditantis fluxum & refluxum alio divertisset. Hoc plerique sæpius quam sciunt experiuntur. Quum enim ab illis cætibus & concionibus absunt quibus scelera eorum castigarentur, & errores emendarentur, si rem probe reputarent, in eo iram Dei gravissimam sentirent, tametsi necessariis eorum occupationibus detineantur: nedum ut suis leviusculis cupiditatibus obsequantur, se subducunt. Piis quidem justis de causis absentibus nihil damni conflatur; sed de impiis Deus hoc modo sæpe ultionem capit, cum sua providentia ita rebus eorum moderatur, ut tum foris & peregre sit illis proficiscendum, cum illa potissimum dicuntur, quæ illos ad resipiscentiam adducerent.

MATTH. *cap.* 16. *à vers.* 13, *ad* 17.

13 *Quum venisset autem IESVS in partes Cæsareæ* quæ dicitur *Philippi, interrogavit discipulos suos, dicens; Quemnam esse me dicunt homines; Filium hominis?*

14 *Illi vero dixerunt; Alii quidem Iohannem Baptistam, alii vero Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis.*

15 *Dicit eis; Vos autem quem me dicitis esse?*

16 *Respondens vero Simon Petrus, dixit; Tu es Christus, Filius ille Dei viventis.*

MARC. *cap.* 8. *à vers.* 27, *ad* 30.

27 *Egressus est autem IESVS ac discipuli ejus in vicos Cæsareæ* quæ cognominatur *Philippi: & in via interrogavit discipulos suos, dicens eis; Quemnam esse me dicunt homines?*

28 *Illi vero responderunt; Iohannem Baptistam: & alii Eliam: alii vero unum ex Prophetis.*

29 *Tunc ipse dixit eis; Vos autem quem me dicitis esse? Respondens vero Petrus dicit ei; Tu es ille Christus.*

LVC. *cap.* 9, *à vers.* 18, *ad* 21.

18 *Et factum est ut quum ipse seorsim oraret, essent una cum eo discipuli: quos interrogavit, dicens; Quemnam esse me dicit turba?*

19 *Ipsi autem respondentes dixerunt; Iohannem Baptistam: alii autem Eliam: alii vero, Prophetam quempiam ex antiquis resurrexisse.*

20 *Dixit autem eis; Vos vero quem me esse dicitis? Respondens autem Petrus dixit; Christum illum Dei.*

ANALYSIS.

MATTH. 16, v. 13. NArraturus quomodo discipulos duodecim pertentavit, primum describit illud à subjecto loco, nempe in itinere ad vicos Cæsareæ Philippi, & cum esset à finibus Cæsareæ Philippi.

LVC. 9, 18. Notat tempus postquam Iesus solus precatus fuisset, & discipuli ad illum venissent. Tentationis species est per quæstiones propositas, est que de adjuncta de illo opinione, qui subjecta distributione exponitur, prior pars distributionis est, quid alii de Iesu sentiebant.

MATTH. 16, 14. Quæstionis hujus effectum monstratur, responsum discipulorum, quod distributione subjectorum in sua adjuncta constat;

quæ membra distributionis sunt,
- Finita, nempe eorum qui Iesum dicebant esse.
- Indefinita, nempe eorum qui dicebant eum esse aliquê ex antiquis Prophetis, — Ioannem Baptistã, Eliã, Ieremiam.

Vers. 15. Altera pars distributionis quid illi ipsi de Iesu dicerent.

Vers. 16. Cujus effectum est, responsum discipulorum, omnium instrumentum ad respondendum erat Petrus.

Summa responsi continet
- Adjunctum Iesu officium, nempe quod sit Christus.
- Subjectum personæ, quod sit Dei viventis Filius.

Summa est, discipulorum de profectu pertentatio.

Partes sunt,
- *Christi quæstiones.*
- *Discipulorum responsum.*

METAPHRASIS.

MATTH. 16,13. IEsus in illam partem Galilææ veniens cum
duodecim discipulis, quæ fuit in finibus Cæsa-
MARC. 8, 27. reæ, à Philippo Herodis fratre in honorem Cæ-
saris conditæ, adeoque per ipsos Cæsareæ pagos
LVC. 9, 18. *iter faciens. Postquam (de summa salutis &*
fidei Christianæ mox cum discipulis acturus)
Deum seorsim precatus esset, discipulis adsi-
stentibus dixit: quem homines (turba præser-
tim & vulgus hominum) me verum homi-
nem esse dicunt: non equidem quod ignoraret,
sed ut vulgi de se opinione, suorum discipulo-
MATTH. *rum veram fidem illustriorem redderet. Cui*
16, 14. *illi: quidam te Ioannem Baptistam è mortuis*
redivivum: alii Eliam qui venturus creditur
ante Messiæ adventum; nonnulli Ieremiam aut
15. *ex priscis Prophetis aliquem esse dictitant. Ad*
quos Iesus: atqui vos, quos præ cæteris elegi,
institui & omnium miraculorum inspectores
& testes habui, quem tandem me esse dicitis?
16. *Simon Petrus omnium nomine (ad vitandam*
confusionem) respondens, dixit: tu es ille toties
decantatus & adumbratus, oleo Spiritus ad
Sacerdotis & Regis æterni officium obeundum
unctus: sicut vero quoad officium unctum &
Christum esse, sic quoad personam unigenitum
te Dei viventis & omnium vivificantis Filium credimus & confitemur.

PRAXIS.

CHristus discipulos in vera quam de eo conceperant fide confirmans, illis ne se apud alios promulgarent, interdixit.

Cujus partes sunt,
- Confirmatio discipulorum in vera fide.
- Mandatum de se non provulgando.

Ad confirmationem spectant,
- Confessio fidei elicita & extracta examine habito.
- Promissio, qua in fide quam profitebantur corroborantur.

In priore observatur, Christum legi Dei convenienter in itinere de cœlesti doctrina sermones miscuisse. *Deut.* 6, 6,7,8. Dominus enim adjungit legem tanquam viæ comites, quibus fallamus itineris tædium. Prout enim homines profani soliti sunt fabulis prolixis, sed futilibus & infructuosis, ad aliquot horas extractis, laboris in eundo aut equitando levationem quærere; sic nos debemus sacris sermonibus adversus illud fastidium remedium petere, certi fore ut quemadmodum Discipuli ad Emaus profecti, hoc pacto Christum sibi viæ socium & ducem adjunctum consecuti sunt, idque singulari eorum fructu & in veritate notitia; sic, &c. Et ut Philippus *Act.* 8. ad Eunuchum, &c. MATTH. 16,13. *Ex Dei præcepto Christus in itinere docuit,*

Tempus hujus probationis notatur, postquam Christus solus precatus fuisset; quo docemur examinationi preces præmittere. LVC. 9, 18. *precibus præmissis,*

Examem duobus constat; quorum prius est, quid alii de Christo judicarent; quod non ob aliam causam quærit, nisi ut tanto illustrior ad Dei laudem, qui illam dedit, *vers.* 17. Discipulorum fides conspiceretur. Profuerit igitur reputare quid cæteri mortales de Christo nunc in mundo judicant, ut facilius Dei in nos pietatem singularem discamus. MATTH. 16,13. *aliorum de se sententiam inquirens;*

Apparet ex hoc loco quantæ tenebræ Iudæam operuerant, cum ex iis qui de Christo honorifice sentirent, tot & tam variæ sectæ crasse hallucinarentur. Nihil enim hic de iis dicitur qui Christum Samaritanum, helluonem, bibonem, Beelzebulem esse oblatrabant. Deinde, quod essent tot qui Pythagoricam μετεμψύχωσιν, id est, animarum ex alio in aliud corpus transmigrationem somniabant; quodque præterita & spreta veritate, Vers. 14. *quæ quantæ tenebræ in Iudæis ostendit:*

ritate, quæ tot Scripturæ testimoniis nitebatur, illa arripuerant, cujus vix litera, nedum testimonium aliquod, in Scriptura extaret. Vide ante *Matth. cap.* 14. *Marc.* 6. *Luc.* 9. Hæc vero *μετεμψύχωσις* tenetur hodie à Iudæis, ut singuli tertio renascantur.

Vers. 15. *etiam ex discipulis quid ipsi sentirent quæsirit;*

Quod quærit quid ipsi sentirent, docet usum examinationis in Ecclesia longe præstantissimum. Eo enim fit ut nostrum profectum in Euangelio melius agnoscamus, quo quæ desunt suppleantur, & in iis quæ scimus & didicimus confirmemur & certiores fiamus. Hinc etiam sancta quædam æmulatio alios antecedendi excitatur. Sicut enim belli duces *σκιωμαχίᾳ* (umbratili pugna) prius milites suos quam in aciem eos educant exercent, & ut scolastici tyrociniis & umbratili disputatione explorantur, priusquam in publicas scholas prodeant; sic opus est priusquam ad concertationes illas periculosas cum Sathana, &c. producendi sumus, ut periculum nostri fiat quid possimus efficere Et ut David prius exploravit arma quæ illi suppeditabantur quo modo apta erant, quam ad pugnam processit contra Goliathum; sic, &c. Quo magis spero tam utile & fructuosum excercitium a nobis repudiatum non iri, cum oportunitas dabitur, &c. Interim nos ipsos quotidie, quantum proficimus, examinemus; sciamusque singularum concionum nobis apud Deum ponendam rationem.

hinc ejus- modi quæstioni quid hodie responsuri?

Si plerique interrogati de hac causa responderent, non est difficile quid regererent conjectura consequi. Hi enim responderent, se nolle Christum Dei Filium agnoscere, quandoquidem a longe maxima parte Iudæorum talis non sit agnitus. Alii, se fidem suam inhibituros tantisper confirmarent, quoad de hac causa inter dissidentes partes transigatur; interea res suas acturos esse jactitant. Tertii adhuc inveniantur, qui quod verum est in hac judiciorum diversitate cernentes, illud tamen occultandum existimarent, quoad cum majore approbatione & minore periculo illud profiteri concederetur. Discipuli vero, neque conspiratione hominum in errore de Christo, neque distractione & disceptatione judiciorum inter se, se abduci patiuntur a veritate; quo minus & Christum Dei Filium firmiter crederent, & constanter profiterentur.

Vers. 16. *à Petro vera confessio edita.*

Hæc confessio Petri edita nomine discipulorum insignis est. Nam cum alii Iudæi eum Prophetam tantum agnoscebant, duodecim eum Messiam credebant esse; cum magna pars eorum Messiam eum agnoscentes, Deum tamen esse vix per somnium cogitabant; ii Messiam & unigenitum Dei Filium eum esse profitentur. Denique veram ejus humanitatem, quæstione Christi indicatam, libere etiam cum divina natura conjunctam confitentur. At hæc est summa doctrina de Christi persona; scilicet, esse verum hominem & Deum, & ex utraque natura consistentem Messiam.

M A T T H. *cap.* 16. *à vers.* 17, *ad* 21.

17 Tunc Respondens IESVS dixit ei; Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis hæc *non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.*

18 Sed & ego tibi dico; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam. & portæ inferorum non superabunt eam.

19 Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis.

20 Tunc interdixit discipulis suis ut nemini dicerent, se esse IESVM illum Christum.

A N A L Y S I S.

ADjunctum hujus confessionis est, approbatio Christi, qui discipulos omnes in persona Petri confirmat, & in hac fide corroborat ab effecto hujus fidei quod beatum hominem reddit: deinde à causa fidei, nempe Deo Patre: quæ illustratur suo disparato, quod à carne & sanguine non manavit.

Vers. 18. Deinde ab effecto, quod hac fide sit *φερώνυμος*, i. reipsa qui nomine appellatur Petrus: quod paribus illustratur, fundamenti petrosi cui Ecclesia imponitur; præterea hanc firmitatem confirmat ab adjuncta virtute ejus invicta; quæ amplificatur comparatione majoris, nempe quod ne ipsæ inferorum portæ adversus illam possunt prævalere.

Vers. 19. Alia pars consolationis ob hanc fidem in Apostolis, nempe adjuncta ministerii authoritas illis committenda; quæ amplificatur subjecto, quod ad omnes homines sese extendat; & effecto illos aut servatos aut damnatos pronunciandi; quod duplici pari illustratur, clavis qua porta obseratur

feratur aut referatur, & ligationis & solutionis.

*Verf.*20. Aliud adjunctum confessionis fidei, interminatio ne eum esse Christum evulgarent.

METAPHRASIS.

16. IEsus respondens dixit Petro: quo magis in
fide confirmeris, ex qua hanc confessionem
manasse scio, cordium cognitor te ex hac fide
beatum pronuntio, qui es Simon filius Ioannæ:
non tamen quoad filius Ioannæ es. Neq; enim
naturæ aut naturæ viribus, seu propriis seu à
parentibus acceptis, hæc aut fides aut fidei
confessio provenit: tantum Pater qui in cœlis
est, tibi per Spiritum illi & mihi communem
18. *hoc patefecit. Atque ut tu me syncere confes-*
sus es, sic ego vicissim tibi dico, te φερωνυμῶς &
indito nomini congruenter Petrum seu lapidem
spirituali ædificio aptum & idoneum esse, &
tanti apud me esse hanc fidem, cujus confessio-
nem edidisti, ut non te tantum sed universam
Ecclesiam super illam tanquam petram ex-
structurus sum; tam fixam atque immotam,
ut tametsi inferorum cum consilia & fraudes,
tum copiæ & potentiæ adversum illam gras-
sentur & impetum (quod futurum prædico)
faciant, nunquam tamen ad illius vastatio-
19. *nem prævalituræ. Ad istam Ecclesiæ structu-*
ram omnibus suis numeris complendam (non
ita ut principi Apostolorum, sed ut condiscipu-
lo) sic tibi tanquam domus meæ œconomo da-
bo potestatem, sincera verbi Sacramentorum
& disciplinæ administratione, cum fideles in
regnum cœlorum intromittendi, tum incre-
dulos excludendi. Quibuscumque etenim de-
bite & ex verbi mei præscripto hic in terra
peccata retinueris, tam firmum ac ratum erit
atque si Deus è summis cœlis & sacro ore suo
illa retinuisset: sicut è contra, quibuscumque
peccata debite & ex præscripto verbi mei hic
in terra remiseris, periade firmum ac ratum
erit, atque si Deus è summis cœlis, & sacro
20. *ore suo illa remisisset. His dictis, cum suorum*
discipulorum fidem confirmasset: illis omnibus
(utpote qui eandem fidei confessionem in uno
Petro edidissent) diserte interminatus est, ne
cuiquam quod esset Iesus Christus dicerent.

PRAXIS.

Vers. 17. *Petri beatifica confessio à Patre promanavit,*

BEatum Petrum prædicat hac fide & confessione ex fide profluente. *Rom.* 10. *Corde creditur ad justitiam, &c.* Vide *Iohan.* 20, 31. & *Rom.* 4.

Causam assignat ab efficiente; scilicet, quod Pater cœlestis revelavit. Quod etiam ab adversis confirmat, scilicet, quia caro & sanguis non revelat. Vide 1 *Tim.* 3. *vers. ult.* Item *Ioh.*1,*vers.*18. *Non ex sanguinibus, nec, &c.*

Vers. 18. *in qua fidei fundamentum innititur;*

Confirmat eos in hac fide, à subjecto hanc fidem promulgante; quod tanti facere se profitetur, ut illi tanquam fundamento Ecclesiam suam imponere & superstruere non dubitaret. Huic præponatur & præferatur expositio de Christo & fide in Christum, cui Ecclesia ut fundamento innititur. 1 *Cor.*3,11. & 10, 4. Quod si ad Petrum referatur, non tamen inde quicquam *Pontifici* accedit; cum id æque dicatur de reliquis Apostolis. Sic etiam *Apoc.* 21. docet duodecim esse Ecclesiæ fundamenta, videlicet duodecim Apostolos. Qui tamen *fundamentum* non dicuntur quoad homines ipsos consideres: (tum enim illis deficientibus aut mortuis extinctisque, Ecclesia pariter interiret, aut labasceret) sed hoc de illis dicitur, quoad *ministerium verbi illis commissum ab illis obitum & fideliter expletum est.*

eoque Simon Petri nomine compellatus:

Quamobrem non hic illum *Simonem* nominat filium *Ionæ*, sed *Petrum* appellat, quod illi nomen neque quoad homo erat, neque quoad fidelis vir esset, & in Christum crederet, sed quoad *minister publicus esset*, inditum est: sicut aperte docet *Luc.* 6. in Apostolorum creatione & designatione. Quod quidem ita esse plenissimis verbis *Ephes.* 2. coarguitur, ubi Ecclesia ædificari dicitur fundamento Apostolorum. Ita ut Ecclesiam *super Petram ædificatam esse*, nihil aliud sit quam superstrui *doctrinæ fidei per Petrum promulgatæ, & in cordibus fidelium per spiritum obsignatæ.*

Christus tamen unicum fundamentum,

Nec huic loco repugnat aut expositioni huic, quod habetur 1 *Cor.* 3. Christum esse unicum fundamentum cui imponitur Ecclesia, sed summe cum eo consentit. Sicut enim idem est servari per Christum, & per fidem prædicatam; sic idem prorsus est ædificari super Christum, & ædificari super fidei doctrinam per Apostolos prædicatam.

& fide in eum ædificamur;

Fide nos ædificari & fieri spiritualis domus aut civitas Dei, constat, *Colos.* 1, 23. & 1 *Pet.*2,4,5. Eramus enim domicilium dæmonum, & cavea veluti immundorum spirituum; fidei vero doctrina exhauritur sentina illa, & stercora ejiciuntur, ut simus effecti domicilium in quo Deus per spiritum suum inhabitet & inambulet, convivium agitabit, & non tantum mensam nostram gratam habebit, utcunque tenuem & abjectam; sed suas dapes nobiscum communicabit. Quamobrem hoc singulare præconium

nium & encomium prædicationis Apostolicæ, & doctrinæ ab illis consignatæ. Et simul declaratur quam pretiosa res fides sit, qua ad tantum fastigium dignitatis evehimur. Multa sunt quæ credentes, non proinde Ecclesiæ ædificio conjungimur, eaque præclara; unum hoc si teneamus, tametsi nos pleraque fugiant, Ecclesiæ tamen accenseri non desistimus. Quamobrem elaborandum est ut hanc fidem acquiramus, & acquisitam omni cura & studio tueamur.

cujus firmitate salutem æternam certo consequimur, Alio argumento hoc confirmat ab adjuncta stabilitate & firmitate salutis, quam doctrina fidei consequimur. Nec enim beatitas esset quæ amitti posset, & à qua excuti possemus: sed ea demum vera fœlicitas est, quæ semel parta nunquam nobis excidere potest. Et præterea Ecclesiam comparat ædificio petræ imposito & superstructo. Vide *Matth.7.* Hinc *Psal.125.* Cum monte Sionis comparantur quotquot fidunt Deo. *Iohan.3. Vt quicunque credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* Item *Ioh 4. Qui bibit ex aqua, &c.* Et *Ioh.6. Qui edit meam carnem &c.* Quum autem multi Ecclesiæ hostes sunt qui partim cuniculos agant, partim blanditiis, partim comminationibus Ecclesiam oppugnant, bellumque juge & perpetuum non tantum sine ulla pace, sed ne induciis quidem ducant, tamen certum est Ecclesiam omnibus machinis & instrumentis obsidionalibus superiorem futuram; cujus causa redditur quodam in Propheta, quod Deus est qui gladios fabricatur, qui curabit ne Ecclesiæ suæ fatales sint, &c. Et quamvis pluviæ & cataractæ aquarum, è cœlo & profunda maria & flumina erumpentia, irruant & incursent in hoc ædificium; tamen quod petræ impositum est, non poterit loco dimoveri. Quin etiam tametsi terrestribus copiis se conjungant inferorum copiæ, & quidem instructissimæ fortissimæque, tamen Ecclesia immota stabit & invicta. Vide *Psal.129.* & *Psal.20.* & *Psal.23.* Item *Rom.8,34,* &c. 1 *Ioh.5,4,5.* & *Ioh.6,43.*

etiam in Deum victores sumus; Quin etiam Ecclesia colluctata cum Deo ipso victoria potita est. Vide historiam luctæ cum Iacobo. Quæ igitur in Deum creatorem suum victrix extitit, nedum in creaturas & diabolos. Nec tantum se tuebitur adversus impetum hostium & incursationem, sed porro hostes perdet & atteret, & incendio cremabit. *Zach.12.* Vbi apparet Ecclesiam petræ ædificatam, quodam modo petream quandam naturam & duritiem obtinere. Portis inferorum opponit Ecclesiam, quæ civitati aut ædificio assimulatur. Et hac formula loquendi significatur regnum Sathanæ, vel ejus respublica, *Gen.22.* Portas hostium possidebunt.

quæ & a Christi potentia proficiscitur, Hæc stabilitas non tantum à natura fundamenti, sed etiam ab architecti Christi singulari peritia in excitandis ædibus petitur. Tametsi enim hominum opera ad ædificium extruendum utitur, ipse tamen est qui architectatur. Tametsi igitur ab hominibus ædificia constructa vetustate corruant & labantur, tamen structura à Deo ipso fabrefacta, &c. Si igitur arca à Noacho exstructa, Noachum cum familia adversus omnes tempestatum & fluctuum æstus & impetus incolumes servavit, nedum quod est compactum, picatum, & clausum a Domino. Et si tabernaculum suis involucris tectum & munitum erat adversus omnes cœli injurias, quid vero Dei tabernaculo fiet? Sicut enim plantæ à Deo consitæ eradicari nequeunt, ita neque domus à Deo ædificata à quoquam mortalium aut creaturarum dirui aut deturbari potest.

quare cum animo afflictiones perferendæ. Hinc colligitur nobis plerasque afflictiones obeundas esse, & tentationibus agitandos, sed victoria & fœlix exitus, nobis minime est. Fieri quidem potest ut oppugnemur, sed non expugnabimur, ut dejiciamur; sed non deseremur, ut pereamus; non opprimemur: fieri potest ut in profundum maris descendamus & demergamur, ut Ionas, sed non tamen suffocabimur; ut navigium hoc aquis impleatur, sed non tamen ut absorbeatur, vel ut absorbeamur sicut Ionas; sed tamen regurgitabunt nos inferi. Quamobrem enitendum ut hoc tantum comparemus & confirmemus quod nobis eripi non potest, cum cætera omnia, scilicet, vires, forma, divitiæ, sapientia, &c. tempestate auferantur. Herba, arescit; flos marcescit; verbum autem Domini animis nostris per fidem insitum, manet in æternum. Omnis caro, & omnis gloria, &c.

Vers. 19. *Fides etiam firmitate ex ministerii authoritate,* Hanc firmitatem arguit, ex ministerii Apostolici firmitate & stabilitate: cujus authoritas tanta est, ut tametsi per homines administretur, tamen eandem efficaciam sortitur, quam si à Deo ipso & Christo executioni mandaretur: & quod tametsi in terris exerceatur, tamen perinde certum est ministerium ac ratum, ac si è cœlis Deus vocem suam ederet. Ministerii vero efficacia, elegantissimis *obserandi* & *reserandi*, *sol-*

vendi & *ligandi* metaphoris depingitur. Quibus docetur regnum cœlorum clausum esse iis quibus ministerio verbi non reseratur: & apertum esse, quibus Euangelii prædicatio illud aperuerit: extorres esse a regno, quos Apostoli exilio multarint: civitate donari, quotquot jus civitatis Euangelii prædicatione concesserit Dominus: catenis tanquam mancipia & captivos teneri peccati, damnationis, & diaboli, quotquot suis quibus præpediti sunt funibus peccatorum, ab Apostolica doctrina non solvuntur: & solutos esse, quibus vincula Euangelii prædicatione rumpuntur. Aliæ duæ iis non dissimiles metaphoræ traduntur *Ierem.* 1. *Plantandi & eradicandi, ædificandi & demoliendi.* Vide 2 *Cor* 2,15.16.

non hoc igitur vile quod per homines;

Si ministerium cuiquam vile & abjectum & contemptum videatur quod per homines, & in terra exerceatur sive ad *misericordiam*, sive ad *judicium*, is sibi proponat, & animum ad Deum è cœlis loquentem referat: in cujus verbis si est pondus, sciant non minorem vim inesse promissis & minis ministerii. Si igitur verum est quod *Apoc.* de Servatore nostro dicitur, scilicet *claudens & nemo aperit, &c.* non minus illud verum futurum sciat in ministrorum denunciationibus. Hujus rei eximius locus est, *Michæ* 5,5,6. Quod si homines reputarent, metuerent sibi plus ab Ecclesiæ censuris quam à gladio & virgis Reipublicæ; cum ministri habent potestatem vitæ & necis æternæ; ut de omnibus vel ad vitam vel ad mortem, sententiam ferant: ut quam potestatem Christus à Patre, eandem à Christo ministri exercendam acceperint. Si è terra exigere & exturbare sit magnum, quanto magis expellere è cœlo? si è collegio vestro civem movere, quanto magis è cætu & collegio sanctorum aliquem excludere posse.

illud hodie tam efficax quam Apostolorum.

Hæc potestas ab Apostolis per omnia efficax fuit: ut quæ ab illis non secus gesta & administrata est, quam à Christo præcepta & mandata est. Per ministros etiam Euangelii, non minus hodie est efficax, quoties ad formulam ab Apostolis traditam revocatur, eorumque vestigiis insistitur. Nisi igitur homines in Deum temere ruere & impressionem facere velint, nisi in Dei mucronem & bipennem gladium præcipites ruere, caveant sibi, &c. Hic *quæratur* quid opus sit homines ligare, &c. qui natura sua ligati sunt. Deinde etiam *Pontifex* hoc loco refellendus.

Vers. 20. Quare Christus hanc confessionem divulgare discipulis vetuerit?

Sequitur pars altera de interdicto. In quo *quæri* posset, quomodo Christus, in cujus unius notitia salus hominum continebatur, se ab hominis notitia occultat? maxime, quomodo discipulis, quos sui patefaciendi administros delegerat, ne illum provulgarent prohibeat? Deinde quomodo illi ministerium in solemni eorum legatione obire non ita multo ante possent; cum illis Christi patefaciendi copia negata sit? præsertim cum Euangelium prædicare, nihil aliud sit, quam Christum prædicare?

Respondeo, potuisse illos Christum Davidis & Mariæ filium prædicare venisse qui mundum servaret, tametsi individuam Christi personam non designarent: qui ideo etiam cum illis non ivit, ne nimis mature quis ille esset innotesceret & intempestive. Quod nos docet, quanto amore nostri Christus flagravit, qui suam gloriam hominum saluti postposuit. Alia ratio erat quod nondum glorificandi Christi tempus advenerat. Vide locum *Marci*, & ne gloriæ suæ clarissima declaratione, mortem suam nemo auderet moliri. Si enim Dei Filium esse cognovissent, nunquam illum crucifixissent. Huc refer Pilatum tanto studio conatum esse eum dimittere, audito tantum eum dixisse se esse Dei Filium.

quæ non igitur solius Petri.

Notandum hoc loco, contra *Pontificios*, qui Petrum suam tantum fidem hoc loco professum esse, & non etiam reliquorum Apostolorum volunt: tanquam ipsi, idem quod Petrus non sensissent: sed hoc volunt, ut confessione Petri propria existente, & non reliquorum Apostolorum promissiones hic factæ, ejus solius essent. Quorsum autem illis omnibus ne rem hanc evulgarent præciperet, si reliqui discipuli hoc non intelligebant.

MATTH. *cap.* 16. *à vers.* 21, *ad* 28.

21 Ex eo tempore cœpit IESVS indicare discipulis suis, oportere se abire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus & primariis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi, & tertio die suscitari.

22 Et prehensum eum Petrus cœpit objurgare, dicens; Propitius tibi esto, Domine: nequaquam erit tibi hoc.

23 At ille sese convertens dixit Petro; Abscede à me Satana, offendiculo es mihi: nam non sapis quæ sunt *Dei, sed quæ* sunt *hominum.*

24 Tunc IESVS dixit discipulis suis; Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me.

25 Quisquis enim voluerit animam suam servare perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam.

26 Quid enim prodest cuipiam si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?

27 Futurum est enim ut Filius hominis veniat cum gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum facta ipsius.

MARC. *cap.* 8. *à vers.* 31, *ad finem Capit.*

31 Et cœpit eos docere quod oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & primariis Sacerdotibus ac Scribis, & trucidari: & tribus post diebus resurgere.

32 Et aperte eum sermonem loquebatur. Tunc prehensum eum Petrus cœpit objurgare.

33 Ipse vero conversus, & intuitus discipulos suos, objurgavit Petrum, dicens; Abscede à me Satana: nam non sapis quæ Dei sunt, *sed quæ* sunt *hominum.*

34 Et quum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis; Quicumque vult pone me venire abdicet semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.

35 Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causa mea & Euangelii, is servabit eam.

36 Quid enim profuerit cuipiam si lucratus fuerit mundum totum & anima sua mulctetur?

37 Aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?

38 Nam quemcumque puduerit mei ac meorum sermonum in gente ista adultera & peccatrice; Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui cum Angelis illis sanctis.

LVC. *cap.* 9. *à vers.* 22, *ad* 27.

22 Dicens; Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & principibus Sacerdotum, & Scribis, & interimi, & tertia die suscitari.

23 Dicebat autem omnibus; Si quis vult me sequi, abdicet seipsum, & attollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

24 Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis vero perdiderit animam suam mea causa, is servabit eam.

25 Quid enim prodest cuipiam si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat, sive suiipsius exitio mulctetur?

26 Quem enim puduerit mei ac meorum sermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit cum gloria sua & Patris, sanctorumque Angelorum.

ANALYSIS.

MATTH. 16, ℣. 21. Effectum Christi notat, viz. quod docebat: quod describitur adjuncto tempore, nempe postquam discipulos in vera fide confirmasset: deinde à subjecto, primum quod, nempe discipuli; deinde circa quod, nempe de Christi profectione ad Hierosolyma; quod suo fine declaratur:

qui finis distributione declaratur adjuncta, { Ignominiosa perpessione, Gloriosa resurrectione; quæ adjuncto tempore, postero die, declaratur.

Perpessio autem ignominiosa suis partibus exponitur

nitur apud *Marc.* & *Luc.* rejectione apud tres Euangelistas, morte; quæ perpessio suis causis efficientibus explicatur, nempe presbyteris, summis Sacerdotibus & Scribis, & subjecto loco Ierosolymis. Quæ omnia apud *Marcum* adjuncta forma loquendi describuntur, nempe quod hæc aperte & omnibus audientibus docuit.

Vers. 22. Cujus doctrinæ effectum erat, Christi præceps & temeraria reprehensio: quæ suo efficiente declaratur, Petro. Deinde adjuncto tempore, cum illum seorsim præhensum subduxisset, tanquam in aurem aliquid dicturus esset. Forma reprehensionis est, hæc illi non adventura; quæ sua causa finali explicantur, nempe ut sibi parcat.

Vers. 23. Cujus reprehensionis effectum est, recriminatio Petri; quæ describitur adjuncto tempore, postquam faciem quæ obversa erat ad Petrum convertisset, & in duodecim Discipulos oculos defixisset: forma recriminationis proponitur; *vade post me Satana*: quæ suis causis efficientibus declaratur, nempe quod esset scandalum Christo; cujus item causa declaratur, quod hæc sapientia esset humana; quæ suo disparato illustratur, quod non sit à Deo.

Vers. 24. Post doctrinam de abnegatione sui proponit; quæ suo subjecto declaratur, nempe non tantum discipulis, sed etiam turbæ, quam ad se accersivit; quæ abnegatio suo adjuncto declaratur, nempe imitatione Christi; quæ imitatio pari illustratur, præeuntem sequendi; deinde arguitur suo effecto, quod est tollere crucem, seu subire afflictiones.

Vers. 25. Quæ afflictionis perpessio confertur ab adjuncta pœna, ejus qui illam subire recusat; & illustratur adjuncto præmio, eorum qui subeunt crucem.

Vers. 26. Quæ animæ jactura ex recusatione crucis, arguitur porro ab adjuncta inutilitate; quæ comparatione majoris amplificatur, si vel totum mundum lucratus fuerit.

Vers. 27. Confirmat priorem sententiam à comparatione minoris, quia cum damno & jactura animæ nullum damnum comparari queat; cujus abnegationis causam apud *Marc.* notat, pudorem: deinde amplificat adjuncta cum pœna abnegantium Christum, tum præmio confitentium eum, ab adjuncta gloria & amplitudine Iudicis Christi; quæ suo efficiente amplificatur, nempe gloria Patris, deinde adjuncto comitatu Angelorum: deinde species una hujus pœnæ est apud *Luc.* quod Christum pudebit eorum, qui pudore ex illo aut verbo suo suffusi sunt.

METAPHRASIS.

21. *Discipulis duodecim in fide jam radicatis,*
cœpit Iesus illos docere; sibi Dei decreto
incumbere Hierosolymam proficiscendi necessi-
tatem, hoc consilio ut multa & gravia à
Presbyteris, summis Sacerdotibus & Scribis
passus, tandem morte afficiatur; ita tamen, ut
tertio post die è mortuis excitetur. (Marc. 8,
vers. 32.) *Quod non obscure, & ut aliquoties*
antea, ænigmatice, sed palam & apertis ver-
22. *bis prænuntiavit. Sed Petrus prehensa manu*
eum seorsim à cæteris abducens, tanquam in
aurem aliquid dicturus, illum reprehendere
his fere verbis cœpit; Domine, parce tibi, eoque
quod de futura perpessione prædicis, nullo mo-
do fieri permitte. Iesus vero, cujus tergum 23.
Petro obversum erat, facie ad Petrum conver-
sa, & oculis in reliquos discipulos, tanquam
illius reprehensionis consiliarii & suffragato-
res, Petrum his fere verbis objurgat; apage
sis ô tu, qui Satanæ instinctu hæc effutiens;
non incommode Satanas appellari possis: pone
me vade, qui hac temeritate & præcipitantia
veluti præire videris: nam hoc tuo dicto, non
te quæ Dei sunt sapere indicas, sed quæ sunt
hominum, superne & cœlitus non regenito-
rum. Tum Iesus turba una cum discipulis, qui 24.
jam illi adsistebant, ad se advocata, omnes suo
omnium ordinum ætatis & sexus homines sic
fere alloquutus est; quisquis se meum discipu-
lum profitendo me sequi volet, non tantum
quæ foris illum sunt, sed etiam se ipsum 1. *est,*
rationem, sapientiam, voluntatem vel affectus
omnes penitus abneget atque renuntiet: quod
quo magis testatum faciat meo exemplo, qui
crucem cui sum affigendus bajulaturus sum,
crucem & ipse tollat suam, 2. *est, durissimam*
& maxime ignominiosam afflictionem, illi
præscripto verbi imponendam, placide subeat.
Quicumque etenim veritatis dispendio vitam 25.
hanc caducam conservare cupit, æternam a-
mittet; quisquis autem vitæ caducæ meâ &
Euangelii propugnandi causa jacturam fece-
rit, eandem in æternum prorogabit; utpote cui
mors ad vitam modo transitus sit. Quod si ne- 26.
mo caducæ hujus vitæ jacturam libens faciat,
ut totum mundum lucretur, quantæ inscitiæ
erit æternam vitam amittere, ut hujus præ-
sentis vitæ aut rei cujusquam aliquis ad tem-
pus usuram consequatur. Dic, amabo, an est
quidquam in rerum universitate, quod cum
animi æterna salute precio contendat; nedum
exæquetur. Quemcumque enim mei, aut meo- 27.
rum sermonum puduerit coram hominibus, in
spirituali conjugio perfidiosis & peccati manci-
piis, ejus itidem & me pudebit. Futurum e-
nim est ut ipse qui jam contemptui habitus sum,
instante ultimo judicio venturus sim gloria,
quam Pater mihi dedit quoad hominem, ful-
gens & omnibus beatis Angelis stipatus: quo
tempore unicuique dabo secundum opera, his
qui in veritate intrepidi perstiterunt vitam æ-
ternam, aliis contra mortem æternam.

PRAXIS.

Christus reprehensus ob ignominiosam mortem, quam sibi obeundam prædixerat,

xerat, simul & vituperatorem suum acerbe exagitat, & eum cum cæteris ad crucis perpessionem comparat. Cujus totius sermonis hic scopus est, ut cum ante illos in fide Filii Dei confirmasset, nunc illa præriperet quæ fidem illam labefactarent.

Cujus *partes* sunt:
- Prædictio Christi de suo exitu.
- Sermones qui ex hac prædictione habiti sunt.

Vers 21. Christus docendo tentationi discipulorum occurrit,

In prædictione notandum est Christum gravissimæ tentationi, quæ fidei Apostolicæ fundamenta tremefacere posse videbatur, occurrere. Nihil enim pugnantius aut magis adversum videri potuit majestati Filii Dei, quam mori: & quidem ad mortem rapi à miseris hominibus. Nec quicquam alienius ab officio Messiæ, cujus erat alios eripere è morte, quam ipsa morte tolli è medio. Quod cum per se alienum & absurdum videbatur, tum Hierosolymis civitate Dei, & loco sancto ubi Christus regno inaugurandus & initiandus fuit, idque non tantum à populo suo, sed a Principibus populi, & iis quibus cultus Dei cura commissa est fieri, omnem fidem superare videri potuit. Hoc speculum tentationis veluti ignitum, & veluti veneno imbutum & infectum, nisi probe retusum & repercussum fuisset, fidem piorum veluti trajecisset & transverberasset.

Hanc igitur tentationem, Christus duobus modis repellit, prædictione scilicet:
- Malorum.
- Læti exitus.

idque quod sibi eventura mala prævideat,

In priori plurimum frangitur hujus tentationis impetus, quod Christus hæc se prævidisse & percepisse declarat: ne illo imprudente hæc eventura cogitarent, tanquam incautus istis plagis irretitus fuisset. Hæc enim opinio si animis insedisset, fidem omniscientiæ Dei Filii labefactasset. Deinde, hoc modo docuit se sponte sua & prompte obivisse illas perpessiones, ut qui à profectione Ierosolymitana horum præscientia se abduci passus non sit. Nam omnipotentiæ Christi fidem labefactaret, si invitus & quasi obtorto collo ad mortem abreptus fuisset. Quod enim dicit *oportere*, id cum voluntaria Christi obedientia non pugnat: quandoquidem illa necessitas nulla alia ratione imposita est, nisi decreto Dei & prædictione legis & Prophetarum, quibus implendis se penitus subjecerat. In quo porro Iudæorum, de Messiæ glorioso & splendido apparatu errorem corrigere statuit, dum ex ipsa legis sententia hæc fieri oportere indicavit; nec posse impleri legem & Prophetas, nisi hanc crucem subiret.

quæ lætum exitum habitura:

Aliud argumentum quo depellit tentationem, est ab adjuncto rei exitu, hostium ipsius consilio perquam adverso. Cum enim Christum opprimere conarentur, omnis tamen eorum labor inanis & cassus erat, ut qui tertio die resurrexit, & majore quam ante potentia instructus, opus promovendi regni sui aggressus est.

quare fides vera ærumnis exposita,

Hodie gravis tentatio objicitur; An hæc quam Dei gratia profitemur fides vera & catholica sit, quod eam amplexantes crementur, laqueo suffocentur, custodia includantur, exilio mulctentur, quodque in illa potissimum urbe fiat quæ olim fidelis, & ob fidem suam toto orbe terrarum celebris esset; denique quod ab iis fit qui rerum potiuntur, iis vel maxime qui sacra tractant, & cæteris dignitate Ecclesiastica præficiuntur: sed mirumne aut nobis novum videri debet si id Ecclesiæ accidat, quod capiti cui confirmanda est, olim accidisse legimus? Et si Christus in corpore suo perferat quod olim in capite, id est, seipso perpessus est. Quod si fideles Filium Dei per medias afflictiones pervidere potuerunt, nos Ecclesiam, coopertam & tectam malis, pro Christi sponsa non agnoscemus? Principis & Principum filii ad paupertatem redacti & mendicitatem, ab aliis plebeis nonne discernuntur? Sed neque Christus nec Ecclesia ita ignominiose se deformari queant, quin recognoscantur natalitiorum nobilitas, & generis amplitudo.

quæ in Scripturis prædicta;

Deinde, an non hæc omnia in Scripturis prædicta sunt, *Act.*20. *Apoc.* perinde ac si res gesta, & non tantum narrata fuisset. Nam cum cujusque fidelium, tum totius Ecclesiæ persecutiones prædictæ sunt, quid est quod nos hic offendat? Imo vero tantum abest, ut hoc nos ab Ecclesiæ fide avertat, ut in illa nos confirmet: dum iis notis Ecclesiam esse dignoscimus; quæ certe Ecclesia non esset, nisi istis crucis notis depicta esset: sicut neque Iesus Christus Dei futurus fuisset, nisi perpessionibus veluti obsignatus fuisset: Sacrificium non fuisset, nisi mactatus in altari justo & legitimo fuisset, &c.

eoque afflictionibus ab ea non recedendum,

Hæc igitur probe nobis ante meditanda sunt, ne nos à fide excuti patiamur, quod in gravissimas afflictiones aliquando proturbemur: nec patiamur nobis natalitiorum nostrorum amplitudinem excuti & eripi, specie malorum quæ nos obruunt. Quod cum in universa Ecclesia, tum in nobis ipsis studiose observandum est. Plerique enim sunt qui

afflictionibus Ecclesiæ non absterrentur à fide, quos tamen cum afflictiones graviores occupant, animadvertere est fide labascere, & suspicari incipere an Deo grati sint. In quo sibi ipsis parum constant: nam si Ecclesiam afflictissimam veram tamen Ecclesiam esse non diffitentur, quid est quod de se idem judicium non ferant?

quibus ea augeri oportet.

Regeneratione etiam & resurrectione veluti Ecclesiæ cruce oppressæ, facilius hanc tentationem frangemus. Cum enim tantum absit ut persequutiones opprimant Ecclesiam, & eam radicitus extirpent, ut contra Ecclesia hoc modo agitata & jactata, crescat & incrementa sumat, cum in cælis dum collecti in aream Ecclesiæ in cœlum transferuntur, tum in terra, dum novi asciscuntur, nihil est cur horum vani & irriti conatus nos moveant. Sanguine enim Martyrum, ager Domini irrigatur: cineribus tanquam fimo stercoratur: exilio & dissipatione, veluti seminantur: carceribus & captivitate, in libertatem vindicatur. Vid. *Exod.* 3. Item *Num.* Maledictio Balaami in benedictionem versa est: & maledicturo benedictio illo etiam invito extorta est & expressa. Pauli vinculis, plures confidentiores facti sunt. *Philip.* 1.

Hæc doctrina à Christo aperte proposita.

Apud *Marcum* dicitur Christum aperte hæc dixisse. Nam *Ioh. cap.* 2. item 3. item *Matth.* 11. Ionæ typo, item *Ioh.* 6. in potione sanguinis & manducatione carnis suæ, de morte simul & resurrectione obscure ac tecte & obiter disseruerat: sed hoc loco aperte & liquide & ex instituto hanc doctrinam exposuit: nec vero semel hoc fecit aut bis, sed sæpius. Vnde non dicitur eum tum docuisse, sed *ab eo tempore:* ut aures huic doctrinæ assuefactæ facilius crucem perferrent. Nam qui strepitum & fragorem tormentorum & tubarum ferre nequit, sed ab illorum sonitu abhorret, quomodo plagam ipsam æque feret, & globulum ab illis excussum? Diligenti enim cogitatione & commentatione, fit etiam ut armis hostium penitus notis, nobismet de πανοπλίας prospiciamus.

Sequitur pars altera de sermonibus qui hinc pullularunt: qui sunt { Petri / Christi.

Vers. 22. Quem perverse Petrus Christum passiones avertere voluerit?

Petri sermo prior expendendus occurrit, qui Christum prehensa manu seducens, illum ab hoc consilio perpessiones obeundi depellere conatur: & monet ut sibi propitius sit, sibique parcat: tanquam illum inscitiæ arguturus sit, nisi sibi ipsi melius consuleret: nec quicquam saperet, nisi sibi saperet. In quo primum, crassa ignorantia proditur, qui Messiam professus, ignoravit mortem ei perferendam esse, sed imperium aliquod terrestre somniavit, sicut turba Iudæorum commenta est. Tametsi igitur Messiam confessus est, tamen ejus partes & officium ignoravit. Deinde insignis surperbia notatur, qua suum sensum Christi sapientiæ prætulit, ut enim ignoraret mysterium hoc, tamen authoritas Christi eum commovisset ut in ejus sententia vel non intellecta acquiesceret. Omnis enim de re aliqua disceptatio, Christi unico verbo cessare debebat. His accessit irreverentia, qua Christum quem Deum esse confessus erat, ausus est etiam reprehendere, idque tam præfracta audacia, qua nullo modo hoc faciendum, &c. Cujus sententiæ fructus (siquidem illi obtemperatum fuisset) non alius erat quam totius humani generis perditio, quam divinæ in Scripturis promissionis violatio. Quamobrem videmus quam abhorrens sit à pietate & salute Ecclesiæ, mortali homini ejusque consiliis & decretis superstruere Ecclesiam. Nec enim per Petrum non stetit quod de Ecclesiæ salute actum non fuisset. Petrus enim ipse simul atque deflectit à norma Scripturæ, turpissime lapsus, & omnes secum sentientes in idem secum exitium pertraxisset; & quam primum naviculam suam clavo verbi divini regere destitit, statim mergi periclitabatur: ut mirum non sit si *Pontificii* pro arbitratu suo decernentes, & condentes Ecclesiæ leges illam perdant misere. Quid enim, an suo (ut illi dictitant) Antecessore meliores sunt?

Post sequitur Christi sermo: ad { Petrum seorsim. / Reliquos discipulos conjunctim.

Christus fortiter, & cum indignatione hoc consilium repudiat: & Petrum asperrima increpatione corripit, eademque appellatione illum excipit, quæ diabolo attribuitur: quod non aliunde quam à diabolo, hic instinctus profectus. Sic Paulus ad *Ephes.* 6. *Non habemus luctam adversum, &c.* Quod utinam homines, &c.

Vers. 23. quod ipse ægerrime tulit,

Rationem addit ab adjuncto obstaculo quod Christo objecit, quo minus Patri obsequendo salutem humanam procuraret. Quo perspicitur incredibilis illius erga nos amor, qui tam inique & tam indigne tulit, se ab illius procuratione abduci, tametsi hoc ipsi alioqui gratum foret. Qui tanto major amor erat, quo Christus graviores & acerbiores perpes-

cum illud muneri suo maxime adversetur,

perpessiones fore animo concepit quam Petrus putarat. Hujus rei præclarum exemplum & illustre est, *Act.*21. in Paulo: qui ab Ecclesiæ,&c. Discamus igitur cavere ab illis Syreniis cantibus, qui nos ab obsequio Dei specie periculi abducunt, tametsi ab amicis & studiosis nostri per amorem dicantur: tametsi à piis, &c. tanquam aureo pomo venenum præbituris. Quod in *Actis* apparet, cum Lucas ipse suum ibi judicium intervenisse Paulo testetur: tametsi à quamplurimis ut ibi à comitibus Pauli, & ab Ecclesia Cæsariensi factum sit: imo vero tametsi non desint magnæ verisimilitudines veritatis, quæ nos ab officio abducant: ut quod prædictum sit à Prophetis, Paulum vinciendum. Nec vero resistendum tantum, sed fortiter & asperioribus verbis ut tentationem profligemus: sicut & hoc loco, & dicto *Act.* loco patet. Nam si languide nos opponamus, tentatio ingeminatur à diaboli (ex ea parte) instrumentis. Cumque Christus hoc Dei obsequium non obtrectavit quod cum infinitis & incomparabilibus perpessionibus conjunctum erat, præ quibus nostræ acerbissimæ perpessiones instar pulicei morsus sunt; multo magis, &c. Tametsi vero Petrus ne minimum quidem prævaluit, tamen non ideo minus illi parcit, quam si impio voto suo potitus fuisset.

& eo superbiam suam Petrus prodiderit, Et quidem in sermone ad Petrum, cumprimis Petri superbia castigatur, qua se Christi obedientia subtrahens, Christo etiam præscribere ausus sit, cujus præscripto illum parere par fuit. Peccatum igitur Christus ab adversis coarguit, quod scil. cum dicto audientem eum esse oportebat, imperare maluerit. Quod peccatum amplificat à paribus, scil. non secus Petrum facere, quam si Christo præire & Christo stipatoris (*one of the guar;*) aut præbitoris (*à purveyour or provider*) aut mediastini (*à drudg to doe all vile service*) locum attribueret. Hic locum aliquousque habet, quod tantopere damnat Salomon, scilicet se vidisse dominos à pedibus suis servis, & servos in equos sublatos. Petri enim fuit Christo à pedibus esse, & eum præeuntem sequi. Id vero si in mortalibus deforme sit, quanto magis in hac contentione Dei cum homuncione, cum infinitis partibus Christus sapientia hominem sapientissimum superet, & Salomone longe sapientior erat, quam Salomon Nabale.

illudque ex carnis sa- Aliud argumentum affert, quo tam acerbam reprehensionem notat ab efficienti, &c. scilicet, quod saperet non ea quæ sunt Dei, *pientia profectum:* sed quæ sunt hominum. Vbi lydius lapis & βάσανος nobis suppeditatur, cum nostra tum aliena consilia quæcumque illa demum sunt excutiendi; an à Deo scilicet sint, aut à spiritu Dei proficiscantur; *Probate spiritus an à Deo sunt*, 1. *Ioh.* 2. Quod si quæratur quomodo illud dijudicabitur? *Esaias* respondet, cum pro eodem posuit spiritum Dei, & os ejus consulere. Item *Rom.*8. cum inimicitias cum Deo assignat pugnam cum voluntate ejus. Hinc est quod doctrina & testimonia legis, consiliarii & quasi sanctior Dei senatus appellentur. *Psal.* 119.

Hoc illustratur, adversis hominum consiliis. Expendendum igitur, an consilium quod nobis datur sit hujusmodi, quod homines mere (ut Apostolus loquitur) animales solent dare. Hoc enim ipso in rebus ad regnum Dei spectantibus suspectum haberi debet, quorum cogitationes tam longe remotæ sunt à cogitationibus & consiliis Dei, quam terra cœlo disjungitur. Et cum ratio & sapientia humana Deo inimica sit, quis non merito suspecta haberet consilia quæ nobis ab inimicis suggeruntur. Hoc loco diligenter notandum, id humanum hoc loco consilium dici, quod paulo superius Diabolicum & Satanicum. *quænam igitur consilia hominum admittenda?*

Vers. 24. Sequitur Christi sermo ad omnes discipulos: eoque apud *Marcum* dicitur omnes intuitum esse & advocasse, etiam turbam, tanquam se indicaret intelligere, hoc Petri consilium ab illis quoque profectum esse: aut certe ab illis approbatum fuisse. Vbi docetur qua conditione pro Christi discipulis habebimur; & quomodo Christum à mortuis ad cælos proficiscentem & præeuntem (ut ante dictum est) sequi nos oportet. Docet autem eadem nos via insistentes, ad gaudium ubi ille est nos perventuros, si illius causa primum nostrimet ipsorum: secundo, facultatum nostrarum: tertio, nominis & existimationis nostræ jacturam facere parati sumus. Quorum tertium non est apud *Matth.* sed apud *Marc.* & *Lucam.* Et quidem quod ad primum, quod non tantum est negare sed pernegare & penitus negare. *Nos ipsos abnegare* non ita intelligendum est, ac si alienam personam simulemus nos eos qui sumus negantes, *sed se abnegare est, se damnare, & damnatum repudiare*, & abjicere depravatam nostram naturam, cum intelligentiam, tum voluntatem: sicut Deus dicitur *Homines negare*, cum eos damnans repudiat. *Quomodo Christus voluerit discipulos hoc consilium approbantes seipsos abnegare?*

Nihil enim proprie nostrum est, nisi quod corruptum & depravatum est. Estque repudiatio eorum consiliorum & ejus sapientiæ quæ superiori versu damnata est. *Nos ipsos, id est, corruptionem tum animi tum corporis nostri.*

quatenus illud possibile? Hæc mirifica conditio videtur ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Mutare enim solum & regionem nativam, tametsi non sine difficultate illud fiat, præstari tamen posset. Deinde, si ut plerisque animalibus (serpentibus præsertim) accedit, exuviæ (*the skin fell or hyde*) ponendæ essent, illud etiam tametsi non sine periculo: præterea si pes nobis offendiculo existens aut manus amputarentur, tamen homo permansurus esset: sed cum totus homo sit abnegandus & abscindendus, quomodo illud fiet? quomodo quis à seipso egredi, aut se deserere posset? Certe, inquam, non potest: non magis quam Æthiops à suo nigrore adusto, aut pardus à suis maculis abscedere. Nam cum totus homo abjiciendus sit, quid est in homine reliquum, quod ad rejectamenta illa abjicienda adhibetur? Oportet igitur Dei salutarem & medicam manum, eandemque præpotentem accedere, quæ una hoc opus efficere queat, ut abjecto vetere homine, novum induamus. Nos enim natura nostri ipsorum leones potius sumus, & nobis placemus.

etiam quomodo crux tollenda? Post sequitur, de tollenda cruce sua, id est, afflictione illa perferenda, quæ abnegatione nostri nobis imponitur: sive sit intra nos, ex amissione lucri, aut voluptatum, aut honoris, quorum usuram nostri abnegatio nobis denegat, seu extra nos ob eandē causam. Is igitur sese abnegasse & carnem suam crucifixisse judicabitur, qui ut se abneget, omnia summa & extrema pati paratus sit. Quo fit, ut crucis nomine, notentur piorum afflictiones: tum quod graves & acerbæ & ignominiosæ sunt, tum vero etiam quod ea Christo crucifixo conformentur.

quos seipsum sequi voluit. Atque hactenus de mortificatione: nunc sequitur de vivificatione: quam verbis his designare videtur, scil. *Sequatur me:* nisi forte adhiberet consolationem, qua superioris orationis acerbitatem mitiget, quod hoc modo Christi vestigiis insistimus, & illi conformemur: unde crux, quæ hoc loco nostra dicitur, Christi etiam crux dicitur. *Gal. 6.* vide *Ioh.* 21.

Vers. 25. *Ex præcepto de morte* Speciem unam abnegationis hoc loco expressit, ad præsens negotium accommodatam, nempe mortis perpessionem Christi causa. In quo non obscure declarat, Petrum non tam Christo quam sibi consuluisse, cum Christum à suscepto itinere avertere voluit. Quod solenne est hominibus; suam ignaviam gloriæ divinæ & proximorum salutis pallio tegere & velare. Tametsi enim φιλήδονοι potius quam φιλόθεοι simus, tamen id agimus ut Dei & proximorum studio & amore duci videamur: nostris cupiditatibus divinorum præceptorum obsequium obtendentes: non secus quam cum infrugi servus & herilis pecuniæ profusus dissipator, opponeret se herilis honoris ergo pecuniam herilem prodigere. Atque hoc modo non tantum inopiam nostram dissimulamus, sed aliam atque aliam attrahimus, & pro eo quod mali medicinam petere debebamus, novam nobismet plagam adsciscimus. Debuerat enim Petrus perculsus suæ ipsius infirmitatis conscientia, Christo rem ut erat aperire, atque ita petere ut Christus suæ infirmitatis rationem haberet, & illud consilium iniret quo illi consuleretur; sicut enim Israëlitæ ad bellum gerendum coacti, antequam prælium committendum erat, suam si quam sensissent ignaviam profiteri debebant. Sic in hac præsertim pugna & dimicatione, ubi de vita æterna periclitamur, ne nostræ ignaviæ dissimulatione & reticentia, & nos & alios perdamus. Mirum autem videatur quod Petrus cum sciret Christum esse Dei Filium, ob eamque causam καρδιογνώστην, ausus sit Christo fucum facere, & per speciem amoris in Christum, suæ propriæ incolumitati velificare. An non esset summa impudentia, si quis spectante Iudice flagitium admittens, ejus tamen inficias iret? Id in Adamo perspicitur, neque nos ab illa hypocrisi absumus, qui etsi profiteamur Deum esse inspectorem cordium, & omnia intueri, & omnia coram illo resupina esse; tamen &c. *Christi causa obeunda Petri consilium quare institutum?*

Notandum porro rem hanc tecte & artificiose à Petro celatam, non tamen fugisse Christi oculos. Nihil igitur profuerint nobis ingeniosæ machinæ quibus conamur, &c. Deus enim in lucem & apricum deducet, &c. Deo enim illudi non potest. *quod Christo perspectum:*

Hujus versiculi interpretationem vide porro *Matth.* 10, 37, 38. *ante.*

Aliud argumentum ab adjuncta inutilitate servandæ vitæ, si quando eam Deus à nobis postulet. Negando enim veritatem si hoc illi detur ut vitam ad tempus proroget (quod tamen non poterit cum illa a Dei providentia regitur) tamen ut ad tempus vitam extrahat, Vers. 26. *mortem detrectantibus vita illis inutilis;*

trahat, quid inde lucri faciet cum suiipsius jacturam faciat? Sicut enim apud *Iobum* est, hominem cutem & vitam omnium jactura redempturum; sic seipsum & æternam vitam mille vitis redimere paratus esse deberet. Neque enim tantum interest inter vitæ commoda & hanc vitam, quantum inter hanc & futuram vitam. Quanto enim æterna caducis, cœlestia terrenis, certa incertis, perfecta imperfectis, vera fucatis differunt; tanto, &c.

hinc quanti vitæ commoda facienda?

Hic expendendum quanti hæc vita, & hujus vitæ commoda æstimantur in Scriptura: vide *Ecclef.* 1. Caro, herba, & commoda, flos: vita tanquam cogitatio, tanquam noctis vigilia, comparata cum bestiarum vita, quæ nostram commodis superat. Nos autem ipsos si vere æstimare velimus, pretium non aliunde peti potest, quam ex redemptione per Christi sanguinem. Si igitur periti sumus in mercibus, æstimemus has merces prout dignæ sunt. Si infinitos cum aliis contractus fecimus, ex quibus omnibus lucrum maximum collegimus, & tandem nostri ipsorum jacturam fecimus, stulti mercatores erimus. Contra, omnes jacturas nostras compensabimus, si ita rem geramus, ut infiniti pretii cum re ludicra, cum crepundiis puerorum, & stultorum flagello commutare, & pro veteribus calceis, adamantem permutare. Sed, inquit aliquis, poterit quis & vitam servare præsentem, & post etiam resipiscentia se retrahens & revocans ab inferorum supplicio & pœnis eripi. Sed quomodo illud nosti? siquidem resipiscentia tuæ facultatis & liberi arbitrii esset, tunc posses, &c. Quantum autem delirium est, in discrimen vocare tantam salutem, pro re tantilla? Ecquis ex vobis est qui lucrandi termini causa 2000. libras periculo objiceret, &c. præterquam quod qui hac fiducia veritatem abnegat, non ita facile consequitur pœnitentiam. Quod si pœnitentia ductus ad Deum redierit, tamen tam erit illi amara & tristis ejus defectio, ut viginti vitis dolorem redimere vellet. Quod si stultum sit vitam redimere dispendio salutis, quam est illud delirum & insanum modici lucelli aut levis voluptatis causa salutis jacturam facere, quod ii faciunt, qui mentiendo & pejerando lucro student. Item ii, &c.

Pro *verf.* 38. in *Marc.* & 26, *Luc.* vide quæ supra dicuntur *Matth,* 10, 26, *ad* 35, &c.

Verf. 27. hæ vitæ conditiones certe eventuræ.

Cum antea vitam obsequentibus & perstantibus in suscepta veritate, mortem autem defectoribus denunciasset, ejus rei certissimum eventum adjungit. Si enim penitus compertum & exploratum haberemus, vitam æternam iis repositam esse qui fidem Deo datam servant; contra vero judicium eos manere qui fidem fefellerint Deo datam, nunquam tam brevis vitæ usura, &c.

MATTH. *cap.* 16. *à verf.* 28, *ad* 9, *cap.* 17.

28 Amen dico vobis; sunt quidam ex his qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint Filium hominis venientem in regnum suum.

SExto vero post die assumit IESVS Petrum ac Iacobum & Iohannem fratrem ejus, & subducit eos privatim in montem sublimem.

2 Transformatusque est coram eis, & fulsit facies ejus ut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba ut lux.

3 Et ecce, conspecti sunt eis Moses & Elias, cum eo colloquentes.

4 Respondens autem Petrus dixit IESV; Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum:

5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos: & ecce vox è nube, dicens; Hic est Filius ille meus, dilectus ille in quo acquiesco: ipsum audite.

6 Et quum hæc *audissent discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt vehementer.*

7 Tunc accedens IESVS tetigit eos, dixitque; Surgite, & ne timete.

8 Sublatis autem oculis suis, neminem viderunt, nisi IESVM solum.

MARC. *cap.* 9, *à verf.* 1, *ad* 9.

PRæterea dixit eis; Amen dico vobis, sunt quidam ex iis qui hic astant, qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint regnum Dei venisse cum potentia.

2 *Sexto vero post die assumit IESVS Petrum & Iacobum & Iohannem, & subducit eos in montem sublimem seorsim solos: & transformatus fuit coram eis.*

3 *Et vestimenta ejus facta sunt coruscantia, candida valde ut nix, qualia non potest fullo in terra dealbare.*

4 *Et visus est eis Elias cum Mose, qui collequebantur cum IESV.*

5 *Tunc respondens Petrus dicit IESV; Rabbi, bonum est nos hic esse: faciamus igitur tabernacula tria, tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.*

6 *Nec enim sciebat quid loqueretur: erant enim exterriti.*

7 *Et exstitit nubes quæ inumbravit eos: venitque vox è nube, dicens; Hic est filius ille meus, dilectus ille, ipsum audite.*

8 *Et repente quum circumspexissent, non amplius viderunt quemquam, nisi solum IESVM secum.*

LVC. *cap. 9, à vers. 27, ad 37.*

27 *Dico autem vobis vere, sunt quidam ex iis qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mortem usquedum viderint regnum Dei.*

28 *Factum est autem, quum post hæc verba quasi dies octo* intercessissent, *ut assumtis Petro & Iohanne & Iacobo, ascenderet in montem ad orandum.*

29 *Facta est autem inter orandum species faciei ipsius alia, & vestitus ejus albus ac refulgens.*

30 *Et ecce, duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moses & Elias:*

31 *Qui visi cum gloria, dicebant ipsius exitum, quo futurum erat ut defungeretur in Hierusalem.*

32 *Petrus vero & qui cum ipso erant, gravati erant somno: quum autem evigilassent viderunt gloriam ejus, & duos illos viros stantes cum eo.*

33 *Et factum est quum illi discederent ab eo, ut diceret Petrus ad IESVM; Magister, bonum est nos hic esse: atque* adeo *faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mosi, & unum Eliæ, nesciens quid diceret.*

34 *Hæc autem ipso dicente, exstitit nubes quæ inumbravit illos: metuerunt autem dum illi ingrederentur in nubem.*

35 *Et vox exstitit è nube, dicens; Hic est Filius ille meus, dilectus ille: ipsum audite.*

36 *Et postquam vox illa exstitisset, inventus est IESVS solus: ipsi autem siluerunt, & nulli annunciarunt per id tempus quicquam eorum quæ viderant.*

ANALYSIS.

MARC. 9, vers. 1. GLoriæ piis in futuro seculo attribuendæ mentione superius facta, ejusdem specimen quoddam, & veluti gustum, certis quibusdam discipulis in hac vita præbendum prædicit: quod confirmatur testimonio juramenti per veritatem; *Amen.* Describitur porro subjecto, nempe certis quibusdam discipulis qui illi adsistebant. Item adjuncto tempore, nempe ante mortem eorundem discipulorum: item ab effecto illorum discipulorum, illos scilicet visuros corporeis oculis regnum Dei adveniens; quod suo adjuncto amplificatur, id est, potenter.

Vers. 2. Hujus prædictionis effectum seu complementum describit, 1. à subjectis hujus gloriæ, 1. Iesu ipso, deinde Petro, Iacobo, Ioanne; cujus causam efficientem assignat, Iesum qui illos in hujus gloriæ consortium adhibuit: postea ab adjuncto tempore, nempe sex diebus post prædictionem exclusive, octo autem ut est apud *Lucam*, diem prædictionis & complementi includentem: deinde à subjecto loco, nempe monte; hujus quidam finis etiam alius subjicitur apud *Lucam* 9, *v.* 28. ut Deum precaretur: aliud etiam adjunctum indicatur, scilicet, quod soli & ab omni alio consortio disjuncti erant: postea narratur forma ipsius gloriæ, nempe transfiguratio Iesu, & suo adjuncto notatur, coram tribus illis discipulis.

LVC. 9, 29. Item alio adjuncto, interim dum precabatur: postea partes transfigurationis describuntur, 1. subjecto, Christo; cujus facies refulgebat apud *Matthæum* 17, 2. quod etiam pari illustratur, sicut sol: deinde in adjunctis vestimentis

quæ

quæ splendebant; qui splendor duplici comparatione illustratur, pari nempe nivis, & minore, nempe quod albicabant magis quam fullo ullus pannum album efficiat, *Marc.* 9, 3.

Vers. 30. Transfigurationis adjunctum est, in apparatione Mosis & Eliæ; qui suo effecto describuntur, nempe colloquentes cum Iesu; deinde describuntur sua adjuncta gloria qua apparebant; forma etiam orationis eorum & colloquii describitur, scilicet, quod Iesu exitum prædicabant; qui subjecto loco describitur, complendum scilicet Hierosolymis.

Vers. 31, & 32. Narratur adjunctum discipulorum, scilicet quod somno oppressi erant; deinde effectum, quod superiorem Christi gloriam videbant, item Mosem & Eliam adstantes; quod etiam suo adjuncto tempore declaratur, nempe cum è somno experrecti fuissent.

Vers. 33. Effectum transfigurationis in Petro, petitio instituta ad Christum; cujus forma est, *Domine, bonum est hic manere:* cujus petitionis effectum aliam petitionem instituit, ut liceret tria tabernacula ibi exstruere; quæ structura suo fine declaratur, unum ut scilicet Christo, aliud Mosi, tertium Eliæ cederet: quarum petitionum causa subjungitur, una quod Moses & Elias cœperant à Christo abjungi, altera efficiens quod nesciret quid diceret.

Marc. 9, 6. Cujus etiam inscitiæ alia causa à *Marco* narratur, quod discipuli erant exterriti.

Vers. 7. Terroris autem causa videtur indicari apud *Marcum* & apud *Lucam*, etiam apertius quod nebula illos inumbrare cœperat: post testimonio Dei Patris cœlitus dimissum narratur; quod suo subjecto loci per quam vox transmissa est declaratur, nempe nebula: forma testimonii est; *hic est Filius meus dilectus, eum audite:* cujus testimonii finis indicatur, ut eum audiant.

Matth. 17, 6. Hujus vocis cœlitus dimissæ effectum est, quod discipuli ad terram cadebant; hujus causa videtur indicari timor; timor suo magnitudinis adjuncto amplificatur.

Vers. 7. Hujus casus discipulorum erectio describitur, 1. efficiente instrumentali, 2. contactu Christi efficiente principali, jussu Christi ut surgerent. Item altera, & illa quidem ut videtur causa adhuc magis principali, ut metum deponant, quo metu conterriti ceciderant.

Marc. 9, 8. Narratur effectum discipulorum in pedes erectorum, nempe quod circumspiciebant; quod suo adjuncto tempore, nempe ilico postquam surrexerant, deinde quod neminem videbant; quod suo disparato declaratur, præter Christum.

METAPHRASIS.

Marc. 9, 1. *Christus ut suos discipulos adversus cum suam crucem, tum illorum ipsorum perpessionem probe muniret, illis dixit: sancte vobis confirmo ex vobis ipsis qui mihi nunc adestis nonnullos esse, qui non prius mortem degustabunt, quam corporis oculis cernant sive experiantur, futurum in cœlis beatitatis specimen, & quasi crassa quædam lineamenta.*
2. *Quamobrem post sex tam lotos dies intermissos* (*vel ut* Luc. *habet* 8. *si diem prædictionis & complementi sex illis adnumeres*) *Iesus adscitis sibi Petro, Iacobo, & Ioanne, illos in aditum montem seorsim & solos traducit, hoc consilio ut Deum precaretur.* Luc. 9, 29. *Interim autem dum Deum comprecatur, alia forma & figura indutus est. Refulgebat enim vultus ejus non secus quam sol meridie splendens,* Matth. 17, 2.
etiam ipsa vestimenta splendebant ut lux, Marc. 9, 3. *eademque alba erant ut nix, atque adeo magis alba quam fullo toto terrarum orbe peritissimus illa efficiat. Ecce autem rem* Luc. 9, 30.
animadversione dignissimam, nam ut omnibus innotesceret Christo suffragari legem & Prophetas, se illi adjungunt Moses & Elias. Hi 31.
divinæ gloriæ radiis collustrati cum Iesu colloquuti, ipsius exitum quem Hierosolymam confecturus erat seu crucem, indicabant. Petrus 32.
vero, & qui cum illo erant reliqui discipuli, somno gravati erant: qui ut somno sunt experrecti, gloriam ejus contemplati sunt, Marc. 9, 4. *Quibus itidem cum Moses simul & Elias visi sunt. Cum vero jam Moses & Elias suum* Luc. 9, 33.
à Christo discessum pararent, & aliquo ab illo intervallo jam disjuncti essent, Iesum Petrus sic affatus est: præceptor probe feceris si hic sedes nostras fixas habeamus: quo de erigemus tria tabernacula; unum tibi tanquam dignissimo; secundum Mosæ, ut qui dignitate proxime ad te accedat: tertium Eliæ. Hujus tam temerariæ petitionis causa extitit, quia quod diceret nesciret, Marc. 9, 6. *inscitiæ autem parenti etus extitit, quo admodum perculsi sunt. Nam hæc illo dicente, nubes,* (Matth. 5. *lucida*) *illos obumbravit; quos jamjam nebulam* 34.
inituros pavor corripuit, & (sicut dictum est) sensum & animi judicium ademit. Ecce autem è nebula, vox cœlitus Dei Patris emissa 35.
est, qua Mosis & Eliæ de Iesu testificatione, suum etiam testimonium subnectit; hic est Filius meus dilectus, ut illum unum audiendum, & illi in omnibus obediendum esse innotescat. Qua voce audita, discipuli vehementer perterriti, faciem suam in terram usque strati sunt. Matth. 17, 6.
Quos Iesus accedens, illis attactis edixit, 7.
surgite & nolite timere. Qui è vestigio clatis oculis, hinc inde circumspicientes (ut Patris testimonium ad unum Iesum restringatur) neminem præter Iesum illis adesse cernebant.

PRAXIS.

Hunc versum referendum esse ad transfigurationem declarat: primum quod omnes Euangelistæ uno consensu illam huic subjungunt; deinde quod aptissima sit & accom- Matth. 16, 28 *Prædictio hæc de non gustanda*

morte quo referenda? accommodatissima ad argumentum quod Christus tractat. Cum enim & in edita confessione de se Apostolos confirmare voluit, & adversus crucis suæ scandalum munire, utrumque apertissime hac transfiguratione efficitur. Nam & Pater Christum suum unigenitum Filium esse aperte pronunciavit, & Moses & Elias ἔξοδον ejus Hierosolymitanum præmonuerunt, Ad hæc, Petrus *2 Pet.*1. ad hunc eundem finem hanc transfigurationem refert, ut probet Christum esse Dei Filium, & porro alludit ad ea ipsa verba quæ *Marcus* usurpat, & *Matth.* Nam παρουσίαν καὶ δύναμιν nihil aliud est quam potenti adventu.

MATTH. 17,1,&c. *Visio hæc quam insignis & quænam in ea notanda?* Visio hæc eo est insignior, quo gustum & radium cœlestis gloriæ nobis hic in terris degustandum præbet, & quæ sit beata illa conditio electorum futura in cœlis, crassis quasi lineamentis explicat.

Notandum autem hanc transfigurationem, quædam oculis, quædam auribus percipienda proponere. Deinde hanc gloriam Christo tum oblatam, cum Deum precaretur. Vide Cornelium *Act.*9. & Petrum *Act.* 10. vide etiam *Act.*6. Idem nobis procul dubio aliquousque obtinget, Deum assidue & ferventer precantibus, nec enim minus beneficium consequi, cum precibus sapientiam cœlestem impetramus, 1 *Iacob.* Qua non ad momentum, sed totum vitæ nostræ cursum facies nostra fulget splendetque, ut est in *Proverb.* Et post hanc vitam extremo die, idem nos prorsus consequuturos docetur, *Matth.*24.

Aliud præterea notandum est, Eliam cum Mose ἐν δόξῃ apparuisse. Qui locus diligenter notandus est, ut sciamus quæ sit piorum ilico post hanc vitam beata conditio. Sunt in sinu Abrahæ, *Luc.*16. sed non tamen idcirco à Christi præsentia remoti, sunt enim etiam cum Christo *Matth.*27. *Hodie mecum eris, &c.* & *Philip.*1,23,24. & *Apocal.*14. *Beati sunt à modo, &c. Sequuntur Agnum quocumque, &c. Apoc.*

Deinde illud etiam in cœlestis vitæ gaudiis ponitur, quod colloquio sanctorum fruemur, maxime Christi ipsius. Quod si tanti fuit Salomonis colloquio frui, &c. Vide 1 *Reg.*10.

Hoc autem loco Moses & Elias quanquam in terris, non tamen à gloria disjunguntur, nedum in cœlis. Vide *Apoc.*7,13,14. &c. Contra non solum ψυχοπαννυχίαν, id est, animæ pervigilium, sed eorum etiam opinionem qui ita à laboribus interquiescere pios ducunt, ut interim Dei præsentia beata careant. Ii præsertim qui sub lege mortui sunt ante Christi passionem, nec non contra ad inferos descensum, id est, locum ipsum, &c.

Hi autem Moses & Elias præcipue delecti sunt, ut constaret Christum probe cum iis, legis scilicet latore & instauratore, convenisse: adversus non solum, &c. Vide *Rom.* 3. lex & Prophetæ testimonium de ipso dant, &c. Item *Ioh.*1. *Invenimus eum quem Moses, &c.*

Deinde considerandum, quid est quod cum Christo colloquebantur. Quod *Lucas* indicavit, qui dicit illos mortem seu exitum Hierosolymitanum perficiendum & implendum prædixisse. Quod dubio procul ideo fecerunt, ut scandalum crucis tollerent: quod quantum fuit, & quam difficulter ex anima hominum extractum, declarant satis, non tantum frequentes Christi apud discipulos prædictiones, & discipulorum ad Emauntem proficiscentium tremefacta & concussa fides, sed Petri *cap.*2, & 3. *Act.* & Pauli *Act.*13. diligens occupatio. Nam inverisimile videbatur, eum qui nos à morte liberaret debuisse mortem obire; illud enim infirmitatis videtur fuisse, quæ in Dei Filium non potuit cadere. Quamobrem oportuit hoc testatissimum extare. Vnde ad cætera Prophetarum testimonia, accedunt Eliæ & Mosis, qui omnem carnis corruptelam exuerant, testimonium omni exceptione majus. Quo docetur, nulla sua infirmitate, nullis hostium ejus viribus, ad mortem adactum esse, sed tantum ut decreto Patris æterno obsecundaret; nullis hominum fraudibus circumveniri potuisse, nisi veritas Dei postulasset; nullum humanum consilium adversus eum captum quidquam invaliturum, nisi consilium Dei hoc modo firmandum & stabiliendum fuerat. LVC. 9,31. *quid Moses & Elias cum Christo collocuti?*

Ex quo liquet, quam ægre nobis persuaderi patimur viam ad salutem afflictione & ignominia impeditam esse: in Christo quidem hoc impletum esse, negare sine summa perfidia & impietate, & inficias ire nequimus, sed in nobisipsis hoc idem præstandum nequaquam in animum inducimus, tametsi sæpe nobis ob oculos ponatur. Quamobrem profitentes nos cœlum versus iter suscepisse, illas tamen vias deflectimus quæ ad cœlum ducunt, quod illæ à voluptate remotæ sunt. Hoc declaravit quorundam improbitas, qui cum se jejunio, &c. dedere debebant, *inde per afflictiones ad vitam eundum.*

bant, sese subduxerunt. Nos etiam somniare cœlum & quietem in terris, & veluti manentem civitatem in hoc corporis tabernaculo quærere, declarat satis quod arma non comparemus ad diem tentationis, quod ad afflictiones, tanquam ad novum quid, obstupescimus. Quamobrem rationes nobiscum ipsi ineamus, sumptus supputemus, &c.

in qua hac terrena evidentior cognitio.

Deinde in hac prædictione observandum est, non tantum Mosem Eliamque oblivionem non cœpisse mysteriorum quæ olim in carne existentes didicerant, sed illa plenius intellexisse, & illa explicatius perferre potuisse. Nec enim in terris versantes tam expresse potuerant passionem Christi & tam accurate prædixisse. Si ergo tenemur desiderio scientiæ, & rerum præclarissimarum scientia, festinemus ad illum montem, unde tanquam ex edito loco longe lateque per spectemus: properemus ut ex ista pædagogia in cœlestem Academiam commigremus, ubi infantulus unius diei peritior est viro doctissimo, hujus vitæ pedicis impedito. Nam si Salomonis consiliarii & sanctior senatus prudentia cæteros antecellebant, quod tam sapienti Regi adjuncti erant; quanto magis ii sapient qui, &c.

Vers. 32. *Discipulorũ somnus durante hac apparitione,*

Interim dum hæc agerentur, discipuli somno oppressi dormierunt, post autem experrecti, hanc Christi gloriam spectabant. Cujus quidem arctioris somni causa tametsi tempus ipsum ad dormiendum oportunum extitit, non tamen idcirco vituperio carere videntur, quod Christum in hoc sancto exercitio deserunt, non secus quam cum tempus passionis instaret.

Quod quidem tanto gravius est, quo tanquam per speculum gloriam ejus intuentes, in illius ipsi gloriam audiendo transformentur, 2 *Cor.*3,18. Minusque hoc ferendum est, quo nostrum hoc facimus non noctu ut discipuli, sed interdiu, neque dormientes & inviti, sed vigilantes sponte facies nostras & aures ab illo avertimus & terga obvertimus; quidem instar eorum de quibus mentio est apud *Ezechielem*, qui tergum Deo & sanctuario ejus obvertebant.

Vers. 33. *quo liberati Petri perversa oratio;*

Postquam duo isti cum Christo colloquuti essent, abscesserunt. Petrus autem cum videret illos discessum parare, ilico prosiliit in hæc quæ subjiciuntur verba. In quibus Petri, atque adeo totius humanæ naturæ depravatio, & in rebus cœlestibus inscitia proditur. Et primum quidem universim, nihil hic præter terram & terrena sapit, quod in terris hic agere voluerat omnes, nec ex loco illo migrare: quod tabernacula erigi figique, &c. quibus tecti manerent, &c.

quænam absurda in ea notanda?

Ubi plura absurda quam verba conspiciuntur. Primum enim hoc modo convulsa fuisset hominum salus, si Christo Servatori semper standum fuisset in illa gloria. Nemo enim hominum manum illi unquam injicere ausus fuisset, quamdiu illis gloriæ suæ radiis resplenduisset; nec Hierosolymis impositum munus Sacerdotis obire potuisset, si in illo monte hæsisset: qua etiam ratione, cum Mosen & Eliam gloria sua spoliasset, qui non nisi virtute passionis Filii Dei hac gloria perfruebantur, sine qua fuerant in tartara præcipitandi, tum seipsum & præsenti & futura omni consolatione privasset. Huc accedit, quod non potius petit ut ipsi una cum beatis spiritibus in cœlum subveherentur, quam ut illi in terram detraherentur. Stultum præterea est, quod beatos spiritus ulla cœli injuria lædi afficique posse credebat: aut homines immortalitate donatos, tegumentis hujusmodi juvari posse judicavit: aut quod beatitatem aliquam somniavit ibi futuram, ubi rerum tam despicabilium opera & adminiculo uti necesse fuit. Nec reprehensione carere videtur, quod hoc modo Mosem, &c. Christo exæquavit.

quare non intempestive ad gaudia properandum,

Hic notandum est, primum quam intempestive ad gaudia & lætitiam properamus, utpote qui nullis adhuc afflictionibus degustatis, melle & favo beatitatis & quietis vesci cupimus: qui ad spolia advolamus, priusquam pugnam inivimus: coronam prehendere, quam cursum conficere avemus: denique messem colligere, quam sementem fecerimus. Eoque hæc est perversitas damnabilior, quod dudum Christus de sua cruce tollenda admonuerat, nosque suo exemplo ferendæ crucis, ad ejus tolerantiam invitarat: qui cum præterita morte potuerit vitam ingredi, in gloriam tamen non prius voluit intrare, quam acerbissimis perpessionibus defunctus fuisset *Act. Per multas afflictiones, &c.* & *via arcta est, quæ ducit, &c. Et quotquot pie volunt vivere, &c.* & in *Psal.* sementem cum lachrymis efferre oportet, ut manipulos referamus cum lætitia.

nec ubi non oportet quærenda,

Deinde, quod gaudium importune sectantes, illud etiam, ubi minime oportet, quæramus, nempe in terris, quod in cælis requirendum erat, in creaturis, quod in creatore quærendum: ubi omnia caduca & momentanea sunt, citoque transeuntia. Cujus quidem

dem

dem quæ alia causa assignari potest, quam quod sapimus & gustamus terram & terrena, nec ulla rerum cœlestium dulcedine perfundimur? ideoque glandibus vescimur, quod quæ sit limpidissima aqua vitæ æternæ non percipimus: ideo in porro & alliis & pisce Ægyptiaco acquiescimus, quod fructus cœlestis Canaan non gustavimus. Nam si vel lingere nobis semel contigisset ex incomparabili illa mensa quæ nobis in Christo instructa est, id est, si eam firma fide apprehendissemus, omnes hujus mundi lautitiæ quantumvis licitæ (nedum vetitæ) nobis nauseæ & fastidio essent, præ, &c.

nec in voluptatibus terrenis acquiescendum: Hinc est quod quidam eo impudentiæ processerunt, ut non dubitent profiteri se hac qua fruuntur voluptate contentos esse, nec cupere meliore fortuna uti. Quod ut illi palam blaspheme pronunciant, ita verendum est ne plures sint qui hoc intus in animo fovemus: pluresque esse qui si se coram conscientiæ propriæ tribunali sisterent, hunc sensum habere dignoscerentur. Quorum sensus tanto detestabilior est, quo gaudium quod percipiunt longe inferius est illo quod Petrus cum reliquis experiebatur, & quo Petrus suam in terris beatitatem expetens, illam tamen à Christi præsentia separari noluit, in quo gaudij nostri summa consistit. Ii vero tametsi intelligunt Christum in cœlis esse, tamen hic suæ beatitatis numeros & partes collocari expetunt. Nunc igitur quum Christus ascendit, quæramus superna. Vide *Coloss.* 3, 1, 2, 3.

hinc magnitudo lætitiæ cœlestis, Hinc autem intelligitur quam incomparabilis illa lætitia sit quæ nos manet in cœlis. Cum enim tantam voluptatem lætitiamque peperit ex aliena gloria, quantam consequemur cum ipsimet gloria perfundendi erimus? Si ex solo intuitu, quid tunc fiet ejus perfruitione? Si nonnihil consternati timore *Marc.* 9, 6. hunc lætitiæ sensum perceperunt, quid faciemus cum intrepidi & metu soluti, Christi majestatem spectabimus & intuebimur? Quam gloriam si vel unico oculo, idque per transennam & angustissimum foramen intueri nobis concessum esset, diceremus omnes cum Simeone, *Nunc dimittis &c.* & cum Paulo *cupio dissolvi & esse cum Christo.* Qui autem vere in Christo credunt, ii omnes pignus, arrhabonem & veluti primitias acceperunt hujus tam incomparabilis gloriæ, quibus sustentantur, ne ullius mali metu aut boni specie à Deo abducantur.

Hoc loco videtur confirmari posse nos in vita futura mutuo nos agnituros. Nam si Deus patefacturus discipulis futuræ vitæ præludium aliquod, illis adhuc peccati & mortalitatis labe implicatis, eorum notitiam communicavit quibuscum nunquam consueverant, nec de facie noverant; nedum hoc faciet, &c. Huc afferri poterit, quod Paulus Thessalonicenses suam *coronam* fore in die Domini pronunciat. *in qua nos mutuo agnituri.*

Aliud objectum oculorum oblatum illis est, scilicet nubes limpida; qua obtecti & obducti ob eam causam erant, tum ut sensus eorum in Christi gloria defixi, ab eo intuendo abducti, attentiores essent ad vocem percipiendam, tum ut vox è cœlis edita hoc modo tanquam per vehiculum facilius & sonantius perveheretur, & pertingeret ad illorum aures. Vers. 34. *Quare nubes lympida eis oblata?*

Quod tremefacti & consternati sunt ad terram hac cælitus dimissa voce, docet præstantiam ministerii per homines quales nos sumus. *Exod.* 20. item *Actor.* 10. Maxime cum nisi admirabili Dei potentia erigerentur, prorsus hac cœlesti voce periissent. Huc accersendum quod Moses ipse Dei voce contremuit. MATTH. 17, 6. *Præstantia ministerii ex tremore ob vocem,*

Quod subito evanuerit hæc singularis beatitas, docemur non diu hic in terris, oblectationibus Deum suis indulgere; sed ut viatores, qui tantum ad noctem aut meridie conquiescunt; & ut milites, quibus hiberna tantum comparantur. MARC. 9, 8. *quæ statim evanuit.*

MARC. *cap.* 9. *à vers.* 9, *ad* 14.

9 *Quum vero descenderent è monte, interdixit eis ut nemini narrarent quæ viderant, nisi postquam Filius hominis à mortuis resurrexisset.*

10 Ipsi *igitur hanc rem continuerunt apud se, mutuo quærentes, quid illud esset, A mortuis resurgere.*

11 *Et interrogarunt eum dicentes; Cur Scribæ dicunt oportere ut Elias prius veniat?*

12 *Ipse vero respondens dixit eis, Elias quidem postquam prius venerit, restituet omnia:*

omnia: sed ut scriptum est de Filio hominis, oportet *ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.*

13 Sed dico vobis, & Eliam venisse, & istos *ei fecisse quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.*

MATTH. *cap. 17. à vers. 9, ad 14.*

9 Quum vero descenderent è monte, interdixit eis ut nemini narrarent quæ viderant, nisi postquam Filius hominis à mortuis resurrexisset.

10 Ipsi *igitur hanc rem continuerunt apud se, mutuo quærentes, quid illud esset, A mortuis resurgere.*

11 Et interrogarũt eum dicentes, Cur Scribæ dicunt oportere ut Elias prius veniat?

12 Ipse vero respondens dixit eis; Elias quidem postquam prius venerit, restituet omnia: sed ut scriptum est de Filio hominis, oportet *ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.*

13 Sed dico vobis, & Eliam venisse, & istos *ei fecisse quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.*

ANALYSIS.

MARC. 9,9. Narrat adjunctum visionis prioris, quomodo Christus suis Apostolis dixit ne cuiquam hanc visionem indicarent; quod declaratur adjuncto tempore, cum descendebant à monte; hoc interdictum alio adjuncto tempore definitur, scilicet quoad Christus e mortuis resuscitatus foret.

Vers. 10. Duplex effectum hujus mandati proponitur, unum est obsequium de re illa reticenda: alterum est disceptatio, quid esset à mortuis resuscitare.

Vers. 11. Adjunctum disceptationis, quæstio de Elia an Elias venturus esset: cujus quæstionis causa assignatur, authoritas Scribarum, qui dicebant Eliam venturum, antequam regnum Messiæ stabiliendum esset.

Vers. 12. Quæstionis effectum est responsum Christi, verum esse Eliam adventu Messiam præventurum; quod suo fine describitur, ut omnia restituat: sed falli illos in forma restitutionis & regni Messiæ; quod probat à disparato, nempe passione filii hominis & (ut ita dicam) adnihilatione, quæ cum illa restitutione regni carnalis, quam Scribæ somniabant, consistere nequit.

Vers. 13. Refellit opinionem Scribarum de adventu Eliæ à disparato, quod jam demum; quod probat ab adjunctis perpessionibus, quarum ipsi causæ efficientes fuerunt, quod etiam testimonio Scripturæ confirmatur.

MATTH. 17,12. Quæ perpessiones Ioannis paribus perpessionibus Filii Dei illustrantur, sicut etiam eadem causa efficiente.

Vers. 13. Cujus orationis Christi effectum est, quod Apostoli intelligebant Christum Eliæ nomine Iohannem Baptistam designasse.

METAPHRASIS.

MARC. 9, 9. *Christo cum tribus discipulis à monte ubi transformatus est descendente, ne gloriosa illa transformatio plerisque Christi summam absertionem mox inspecturis ludibrio esset, illis vero terrori, ne morti in qua salus nostra posita est, illum adjudicarent: tribus illis gloriæ suæ testibus interdixit, ne cuiquam quæ aut in monte viderant aut audiverant tantisper indicarent, quoad ipse filius hominis è mortuis resurgeret. Qui mandato congruenter, rem hanc tacitam apud se servarunt: ita* 10.
tamen ut disceptarent secum ipsi, quid esset à mortuis resurgere. Tametsi vero Christum 11.
Messiam esse abunde edocti constanter credebant, unus tamen scrupus in animis illorum suberat. Quo de Christum interrogabant, dicentes; unum hoc isti tuo Messiæ adventui repugnare videtur, quod Scribæ (idque authoritate Prophetæ Malachiæ muniti) dicant Eliam prius venturum quam Messiæ regnum sit instaurandum; cui interrogationi nostræ occasionem etiam præbet, quod Elias modo in monte visus disparuit. Quibus respondens, dixit; 12.
quod Eliam Messiæ adventui præventurum dicant Scribæ, ut confusa omnia in ordinem cogat, recte sentiunt: sed perinde ex Scripturæ testimonio intelligendum illis erat, (cujus tamen prorsus ignari sunt) Messiam multa pati & nihili fieri oportere. Tametsi vero recte ex 13.
Propheta Eliam venturum sentiant: tamen in vero Prophetæ sensu turpiter hallucinati sunt. Omnino enim vobis confirmo Eliam jam venisse, tametsi (ejus ignari) pro suo libitu illum multis malis affecerint; etiam ad mortem, quæ sciverunt: sicut prius in hoc Euangelio à me præscriptum est, vel potius sicut de Ioanne prius scriptum est cap. 6. *hujus Euangelistæ: vide simile al. quod* Ephes. 3,3. Matth. 12. *ut*

12. *ut minus mirum vobis esse debeat, si eadem ego filius hominis ab illis passurus sum. Tum demum intelligebant discipuli, quod non de Elia Thisbita, sed de Ioanne Baptista hæc dixerat.*

PRAXIS.

APostoli tres à Christo post consternationem in terram erecti, de hujus visionis silentio ad tempus mandata accipientes, de vero Eliæ adventu adversus Pharisæorum commentum edocentur; vel brevius ut sequitur. Narratio rerum ex transfigurationis occasione gestarum.

Partes sunt { Res quæ consecutæ sunt. Sermones qui inde ultro citroque habiti sunt. }

Quod Christus hæc taceri voluit, eo fecit ne tantæ gloriæ evulgatio, omnes ab illo crucifigendo, (in cujus cruce mundi salus suspensa tenebatur) absterrerentur: quod non tantum Christi mortem voluntariam fuisse declarat, sed simul etiam docet quomodo gloriam suam occultari contentus sit, dum nostræ gloriæ consulatur. Marc. 9, 9, 10. *Cur Christus taceri transfigurationem suam voluerit?*

Hoc loco docemur taciturnitatem virtutem esse, qua pios ministros instructos esse oportet; & simul etiam εὐκαιρίαν in illis requiri, ut quo quidque ordine & tempore proponendum sit, sciant. *quare taciturnitas in ministris exigenda.*

Commonstratur hic quare Iohannes Elias dicitur, vide quæ scripsi in annotationibus in *Math.* 17. adversus Iudæorum & Pontificiorum commentum de Elia. Vers. 11, 12, 13.

MARC. *cap. 9. à vers.* 14, *ad* 28.

14 *Et quum venisset ad discipulos* suos, *vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes.*

15 *Et statim tota turba viso eo expavit: & accurrentes salutaverunt eum.*

16 *Tunc interrogavit Scribas; Quid altercamini inter vos?*

17 *Et respondens quidam è turba dixit; Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum.*

18 *Qui ubicumque eum corripuerit, lacerat eum:* ipse *vero spumat, & stridet dentibus suis, & exarescit. Et dixi discipulis tuis, ut eum ejicerent, sed non potuerunt.*

19 *Ipse vero respondens ei dixit; O natio incredula, quousque apud vos ero? quousque tolerabo vos? adducite eum ad me.*

20 *Illum igitur adduxerunt ad eum. Et eo conspecto, statim spiritus discerpsit eum: &* ille *quum cecidisset in terram, volutabat sese spumans.*

21 *Tunc interrogavit IESVS patrem ejus; Quantum temporis est quod hoc accidit ei? Ipse vero ait; Ab infante.*

22 *Et sæpe eum tum in ignem abjecit, tum in aquas, ut perderet eum. Sed si quid potes succurre nobis, intima misericordia commotus erga nos.*

23 *IESVS autem dixit ei; Si potes hoc credere, omnia fieri possunt credenti.*

24 *Pater vero pueri statim clamans cum lacrymis dixit;* Credo, Domine; *succurre incredulitati meæ.*

25 *Quum vidisset autem IESVS turbam simul accurrere, objurgavit spiritum illum impurum, dicens ei;* Tu *spiritus mute & surde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne amplius ingreditor in eum.*

26 *Et quum clamasset* spiritus, *multumque discerpsisset eum, exivit: &* ille *factus est quasi mortuus, adeo ut multi dicerent; Certe mortuus est.*

27 *IESVS vero prehensa manu ejus, erexit eum: &* ille *surrexit.*

LVC. *cap. 9. à vers.* 37, *ad* 43.

37 *Factum est autem sequente die, ut quum ipsi descendissent è monte, occurreret ei turba multa.*

38 Et ecce quidam è turba vociferatus est, dicens; Magister, deprecor te, respice ad filium meum: nam unigenitus est mihi.

39 Et ecce, spiritus apprehendit eum, & ipse repente clamat, & spiritus discerpsit eum spumantem, & vix abscedit ab eo, conterens eum.

40 Et deprecatus sum discipulos tuos ut ipsum ejicerent: sed non potuerunt.

41 Respondens autem IESVS ait; O gens incredula & perversa, quousque tandem ero apud vos, & sufferam vos? Adduc filium tuum huc.

42 Quum autem adhuc accederet, allisit eum dæmonium, & discerpsit: objurgavit autem IESVS spiritum impurum, & sanavit puerum: & reddidit eum patri suo.

MATTH. *cap.* 17. *à vers.* 14, *ad* 19.

14 Et quum venissent ad turbam, adiit eum quidam, procidens ei ad genua.

15 Et dicens; Domine miserere filii mei, quoniam lunaticus est, & male afficitur: nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam.

16 Et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare.

17 Respondens autem IESVS dixit; O natio incredula & perversa, quousque tandem ero vobiscum? quousque tandem tolerabo vos? adducite mihi eum huc.

18 Et increpavit dæmonium IESVS, exiitque illud ab eo: & sanatus est puer ab illo momento.

ANALYSIS.

MARC. 9,14. NArratur reditus Christi ad discipulos reliquos, qui adjuncto tempore apud *Lucam* declaratur, nempe die transfigurationem insequente: aliud adjunctum, tempore comitatus, trium scilicet discipulorum, qui una cum illo in monte fuerunt. Tertium adjunctum, quod vidit turbam magnam discipulos circumsistentem. Item aliud, Scribas cum illis disceptantes: apud *Lucam* etiam aliud effectum, quod illi obviam occurrebat turba.

Vers. 15. Narratur aliud effectum multitudinis, quod illum videntes obstupefacti sunt: an ex eo quod tam oportune & improviso advenerit, an quod quædam reliquiæ ejus gloriæ, quæ in monte fulgebat adhuc videndæ superenerant, considerandum est. Tertium effectum, quod illum complectebantur & salutabant.

Vers. 16. Christi effectum notatur, nempe quod Scribas interrogabat, quid rei esset quod cum discipulis suis disceptabant.

Vers. 17. Cujus interrogationis effectum est, responsio cujusdam ex turba; quæ apud *Matthæum* suo adjuncto describitur, nempe quod Christo genu flexerit. Item quod petitionem instituerit: cujus forma notatur, *Domine, miserere filii mei.* Item alio adjuncto, quod illum magistrum appellavit; deinde effectum notatur, nempe quod attulerit filium suum ad Christum. Deinde describitur filius ejus qui Christum accessit apud *Lucam*, adjuncto unigeniti: item apud *Marcum* ab adjuncto possessionis spiritus muti & surdi, & generaliter apud *Matthæum*, nempe quod gravia ab eo passus sit.

Vers. 18. Deinde speciatim hujus spiritus effecta explicantur, 1. quod laceret eum: deinde quod spumare faciat, 3. quod stridere illum faciat dentibus, 4. quod eum clamare efficit apud *Lucam*. Quorum communium effectorum aliud etiam effectum apud *Marcum* notatur, nempe quod humor omnis in corpore exarescit & exhauritur. Item quod non nisi pene enectum illum relinqueret, *Luc.* 9,39. Quæ omnia suo adjuncto tempore declarantur apud *Marcum*, nempe cum spiritus illum corripit; quod tempore adjuncto apud *Matthæum* specialius notatur, nempe certis lunæ temporibus. Deinde aliud effectum narratur, parentis scilicet, quod quæstus sit discipulos ejus non potuisse illum sanare, quæ causa sit cur ad Christum sanitatis ergo veniret.

Vers. 19. Quorum omnium, cum disceptationis Scribarum de hac re, tum quærelæ parentis, tum etiam ἀδυναμίας discipulorum suorum effectum est, gravis & acris reprehensio per Christum: quæ sua causa declaratur, fidei vel privatione in Scribis, vel imbecillitate in parente & discipulis: quæ amplificatur adjuncto tempore, quod tam diu cum illis fuerit. Item adjuncta Christi longanimitate, quod eos tam diu pertulerit; post aliud effectum Christi, mandantis scilicet ut dæmoniacum ad se afferrent.

Vers. 20. Effectum mandati, obsequium parentis qui eum adduxit, ut videtur ab aliis adjutus; cujus adductionis adjunctum erat, quod dæmonium illum dilaceravit & discerpsit: quæ duplici adjuncto temporis notantur, nempe interim dum ducebatur & ilico atque Iesus illum vidisset. Cujus lacerationis & discerptionis effectum erat, quod ad terram stratus sit, & quod se volutans spumabat.

Vers. 21. Aliud Christi effectum narratur, interrogatio quamdiu à dæmone agitatus est; cujus effectum est responsum patris, scilicet ab infantia.

Vers. 22. Alia etiam effecta notantur spiritus immundi, nempe quod illum in ignem, item in a-

quam impellat; quæ suo adjuncto tempore, nempe sæpe, & fine, nempe ut illum perdat, explicantur; deinde iterum petit ut ei subveniat. Cujus curationis duas causas proponit, unam Christi potentiam de qua tamen dubitabat, alteram commiserationem.

*Vers.*23. Petitionis effectum est, Christi responsum; in quo causa impotentiæ suæ unice in defectu fidei parentis statuitur.

*Vers.*24. Cujus reprehensionis effecta duo sunt in parente, unum est confessio imbecillitatis fidei suæ; alterum est petitio, ut fides augeatur: quæ duo effecta suis adjunctis amplificantur, clamoris & lachrymarum.

*Vers.*25. Narratur sanatio; quæ suis partibus declaratur, prior quod spiritum immundum increpavit, deinde exire jussit & ut deinceps non rediret; quod ideo imperavit, quia certis lunæ temporibus recurrebat.

*Vers.*26. Mandati effectum est ejectio dæmonis, cujus adjunctum declaratur, nempe quod illum discerpsit & illum clamare fecit; cujus effectum est, quod veluti mortuus esset; quod comparatione majoris amplificatur, nempe quod non deessent qui illum plane mortuum dicerent.

*Vers.*27. Cujus discerptionis & conditionis mortis quandam speciem exhibentis effectum erat, quod Christus illum manu prehendit, deinde quod illum erexit; cujus effectum est, quod pedibus firmis consistebat.

METAPHRASIS.

Marc.9, 14. *IEsus tribus illis discipulis comitatus* (Lucæ
37. *postero die transfigurationis suæ) ad*
novem reliquos discipulos reversus, ingentem
turbam vidit illos circumsistentem. Item Scri-
bas cum illis disceptantes, & illorum ἀδυνα-
μίαν (quod quendam ad se adductum sanare
non potuerint) probrose objicientes: cui qui-
dem Christo Luc.37. *è monte descendenti tur-*
15. *ba obviam processit. Quo viso ilico turba uni-*
versa obstupuit, & accurrentes benigne eum
16. *salutarunt. Tum Christus Scribas interroga-*
vit, quid rei esset, cur novem illis discipulis li-
17. *tem intenderent. Scribis vero conscientia imbe-*
cillitatis suæ cum Christo congrediendi, novem
autem discipulis pudore tacentibus: ex turba
quidam flexis primum poplitibus respondens,
dixit; præceptor filium meum ad te fero, im-
mundo spiritu agitatum, qui illum tum mu-
18. *tum (tum surdum* vers.25.) *reddit. Qui simul*
atque illum corripit, (*apud* Matthæum, *quod*
certis lunæ temporibus fieri solet, puta singulis
lunæ quadrantibus) graviter illum affligit;
nec nisi pæne mortuum, illum relinquit. Illum
enim lacerans, ore despumare, dentibus stride-
re, (*apud* Lucam) *denique clamare facit, un-*
de totus corporis succus & humor exarescit,
atque exhauritur; hoc ad discipulos tuos ad-
ducto, ut spiritum ejicerent eos rogavi. Quod
quia præstare non potuerint, ad te tanquam ad
unicum perfugium me recipio, (*apud* Mat-
thæum 15.) *quamobrem misertus mei* (*apud*
Lucam) *respice filium meum, utpote qui sit*
unigenitus. Cui Iesus respondens, dicit; ô na- 19.
tio perfidiosa (parentem primum, deinde no-
vem discipulos, maxime vero Scribas innuens)
quousque tandem prædicans, & miracula
edens, sine fructu apud vos futurus sum? quo-
usque tandem vestram hanc, aut infidelita-
tem aut saltem imbecillitatem vestram in cre-
dendo feram? ad me filium illum tuum ducite.
Pater ab aliis (ut videtur) adjutus, mandato 20.
congruenter illum adduxit. Interim vero dum
ducebatur, simul atque Christus eum vidis-
set, spiritus illum discerpsit, usque eo ut in ter-
ram stratus despumans in pulvere volutaba-
tur. Tum Iesus (quoad humanitatem) ne- 21.
scius patrem in hunc modum interrogavit:
quam diu est ex quo hoc illi accidit? cui pater,
à puerulo. Atque sæpe illum in ignem, in a- 22.
quam sæpe ut illum perdat impellit; sed quid
ego miser interea loci dum filius cruentatur
hæc commemoro: quin potius illius & mei mi-
sertus, subvenito nobis si tamen quid opis af-
ferre possis. Ad quem Iesus; male tu quidem 23.
de mea potentia hæsitas, tuæ potius fidei imbe-
cillitatem accusa: dummodo enim credere pos-
sis, quod petis accipies, nam non hoc solum sed
alia omnia quæ conducunt credenti possibilia
sunt. Tum pater, ilico exclamans, & illachry- 24.
mans dixit; animum meum explorans, Domi-
ne, comperio me credere, sed fidem vacillare
experior: quamobrem meæ, quæso, fidei imbe-
cillitati partim remissione seu condonatione,
partim auctione & confirmatione subvenito.
Iesus vero cum turbam ad se accurrentem vi- 25.
disset, spiritum immundum increpavit, dicen-
do; ô maligne spiritus, qui simul loquendi &
audiendi facultatem huic puero ademisti, Ego
tibi edico, egredere ab illo, neque deinceps (ut
consuevisti) in illum regredere. Quamobrem 26.
immundus spiritus, illi tetros clamores ciens,
quod illum vehementer discerpserat, ex illo
egressus est: unde instar mortui humi projectus
jacebat, usque eo ut multi dicerent illum plane
mortuum fuisse. Iesus autem cum manu illum 27.
prehendisset, illum erexit: qui erectus pedibus
firmus consistebat.

PRAXIS.

Historia de dæmonis ejectione summa.

INterea loci dum Christus à monte revertitur, ad Discipulos adductus est à Patre unigenitus filius, quem Dæmon comitiali morbo per vices cruentaret: idque ut videtur,

tur, certis lunæ temporibus, ad reliquos novem discipulos: qui ejectionem molientes nec tamen quidpiam perficere valentes, occasionem Pharisæis & aliis Christo iniquis dederunt, Christo & Euangelio obloquendi. Quod dum disceptaretur, insperato illis apparuit & affulsit Christus. Cujus tam oportuno adventu, cum illi quodammodo stupescentes expavescerent, tum ii qui in Christum propensiores & majus benevoli extiterunt, alacres Christo occurrunt, ut illi adventum gratularentur. Christus autem tametsi quid rei esset probe teneret, tamen quo tristior ejus adversus illos increpatio ipsorummet confessione intelligeretur, quid rei sit de quo altercantur quærit. Ibi tum obmutescentibus Pharisæis conscientia suæ malitiæ & imbecillitatis Christo resistendi, & discipulis propter pudorem quod nequirent dæmonem ejicere, prodiit pater & rem omnem ut gesta est narrat. Christus vero Iudaicæ gentis perversitatem & ad credendum tarditatem insectans, puerum ad se adduci jubet, quem coram Christo repræsentatum, dæmon corripiens cruentavit. Atque quo miraculum & magnitudo potentiæ divinæ magis omnibus innotescat, quæ morbi conditio sit & quæ ejus morbi sævitia quærit. Quem cum pater & ad vivum depinxisset, & simul brevi compendio complexus fuisset, dum spiritum non nisi plene ejectum à filio abscedere pro confirmato tenuit: tandem longioris moræ tædio fractus pæne, non sine aliquo impatientiæ vestigio, Christum rogat ut medicam manum (si modo posset) adhiberet. Hic Christus fidem ab illo postulans, illum simul & ad suæ fidei imbecillitatis sensum adduxit, & ad confirmationem ardenter & contente efflagitandam pertraxit. Tum Christus spiritui immundo summa authoritate imperans ut loco cederet, nec deinceps domum illam suam repeteret, Dæmon indignabundus & in juvenem furens, imperata facit. Demum discipulis domum ingressis, & quid causæ sit quærentibus cur illis dæmonem ejiciendi potestas non esset, causam Christus assignat fidei ex ea parte defectum: qua præsente, nihil illis impossibile foret, ob eamque causam preces & jejunium adhibenda fuisse docet.

Cujus quidem totius negotii summa huc revocatur, ut proposita hominum insigni pravitate & perversitate, incomparabilis Christi cum patientia & miseratione virtus & potentia refulgeat.

Cujus *partes* sunt: gesta Christi
- Publice sub dio teste turba.
- Privatim sub tecto, audientibus duntaxat duodecim discipulis.

In *priore parte* considerantur, quid illi intercessit, cum
- Turba.
- Dæmoniaci patre.

Primum quidem dicitur, turbam universam attonitam fuisse ad ejus adventum. Cujus causam requirenti, vix alia occurrat quam quod tam oportune advenisset: cum discipuli non tantum dæmonium exturbare nequirent, sed nec se apud Pharisæos & Scribas expedire, qui hoc nomine proculdubio doctrinam Euangelii & Christi officium in invidiam & contemptionem vocare conati sunt: non secus quam si eodem ipso momento quo latronibus viatorem adortis, ilico ex angulo aut lustro aut saltu affulgerent, ii qui oprimendum à latronibus assererent. *Marc. 9, 14, 15.* *Cur turba ex Christi adventu attonita?*

Quod quidem, tametsi omnes probe in pietate instructi ad Dei providentiam benignam & oculatam referant, tamen hoc interest inter eorum & Christi insperatum & inexspectatum adventum, quod illi (discipuli) nihil cogitantes auxilio existunt; Christus autem qui probe norat quibus in difficultatibus versarentur, certo consilio eo ipso momento ob eam causam accessit, ut discipulis subveniens, adversariorum & iniquorum suorum adversus veritatem insultus & insolentiam frangeret. Tametsi enim Christus mente in deliciis & magna atque incomparabili felicitate versaretur; tamen inter summa ejus gaudia illum Ecclesiæ suæ periclitantis oblivio non cepit, sed Iosephi afflicti meminit: ob eamque causam diuturniorem in illo beato & sancto monte permansionem & moram, facere noluit. Ex quo illud elucet, Christum suæ Ecclesiæ laboranti & periclitanti oportune adesse: sicut etiam visum est *Ioh. 6.* cum discipuli magna noctis parte cum mari fluctuarentur. Sic Davidi adfuit cum undique à Saule circumdaretur, &c. *Non te deseram neque derelinquam Ioh. 1. Heb. 13.* & *Abac. 2. si moram ducat exspecta, omnino enim veniet & non differet.* & *Psal. 18. Venit advolans tanquam alis ventorum.* *cui difficultates eorum cognitæ;*

Quod si in eos grati sumus qui nos periculo eripuerunt, cum ipsi certo consilio hoc non fecerunt: quo animo in Deum esse debemus, qui sciens & prudens auxilium nobis submittit.

Discamus porro quoties nobis Ecclesiæ pericu- *quare ad*

Ecclesiæ subsidium accurrendum,

periculum innotuerit, ad ejus subsidium mature accurrere: idque neglectis & abjectis nostris omnibus, vel licitis maximeque concessis oblectationibus. Vide quam dira imprecatur Deborah, *Iudic.* 5. iis qui ad propugnationem non accurrebant: vide item *ult. Iudic.* Id accommodetur ad hæc tempora, quibus tam graviter laborat Ecclesia, ut alii eam gratia, alii opibus, alii consilio, omnes denique precibus juvent.

nec ex propugnantium imbecillitate veritati quicquam detrahendum.

Deinde caveamus ne exemplo Pharisæorum, veritati detrahatur quid, eorum imbecillitate aut ἀδυναμίᾳ qui illam propugnant, & præcipuas defensionis partes in se suscipiunt, vel etiam illis à Deo commendatos habent. Nec enim perpetuo mala causa est, quæ Athletam non satis strenuum nacta est & armatum: nec de præceptoris peritia aut inscitia semper ex discipulis judicium petitur. Tametsi enim hinc magistri se ad omnem diligentiam & solertiam excitare debent, ut os illis obstruant qui adversus veritatem latrare parati sunt, ne sua inertia veritas detrimentum capiat; sed ut plena & cumulata veritatis defensione, veritas ab omnibus non obfirmatis glorificetur, &c. Si enim artifices ægre ferunt suas tametsi sordidas & illiberales artes in contemptum adduci, ut ex Demetrii seditiosa oratione constat; & mercatores suas merces unde quæstum faciunt in pretio esse & permanere quam maxime elaborant; quanto hoc magis à nobis, &c. quod quidem ut à ministro, doctrinæ propugnatione; ita ab omnibus aliis fidelibus, uberrimis Euangelii fructibus perficitur.

Christus adveniens cum lætitia exceptus,

Accurrunt læti qui ejus adventu lætabantur, eumque sibi & veritati gratulabantur. Quod pium affectum (qui τῇ ἀληθείᾳ συγχαίρει) arguit, per quæ nobis in auxilium & subsidium appropinquat. Post etiam in ejus amplexus venturi, si illum hic prout præscripsit exosculemur.

Vers. 16, &c.

cui altercationis causam inquirenti à dæmoniaci patre est responsum.

Post refert *Marcus*, Christum à Scribis percontatum esse, qua de re cum Discipulis disceptarent: quod cum illi propriæ imbecillitatis & Christi singularis sapientiæ conscientia dicere refugiebant, tandem pater dæmoniaci advolutus ad Christi genua, ei rem totam ut gesta est narrans, simul illi exposita filii commiseranda conditione pro ejusdem salute supplicat. Vbi notanda sunt, primum, afflictionis effectus in electis, quæ illos ad quærendum Deum excitat, de quo sæpius ante. Deinde docemur, non esse despondendum animum, tametsi hominum vel præstantissimorum, sanctissimorum & ante cæteros instructissima opera nos juvare non possit, nostraque plaga deplorata existimetur, sive animo sive corpore urgeamur. Tametsi enim nullum in Ecclesia tanquam Gileado balsamum est quo vulnera nostra sanentur, in cœlis tamen abunde crescit; tametsi nulla sit inter homines medica manus, tamen est Dei digitus cujus solius contactu convalescamus. Vide *Ioh.* 5. & 9. Tametsi igitur ministri, &c. non tamen spem salutis aut sanitatis abjiciamus, sed precibus ad Christum accedamus. Neque enim ideo ministros & medicos dedit ut illis toti affixi adhæreamus, sed eorum ut opera quoad datur & utiles sunt, utamur.

De calamitate vero dæmoniaci aptior post dicendi locus erit.

Severa autem reprehensio Christi, etsi à *Marco* in patrem directa fuisse dicitur, tamen cum verba in totam gentem ferantur, quin cum discipulos, tum vero etiam (idque cum primis) Scribas complexu suo comprehendit. Illi enim obfirmato animo fidem Christo derogabant, parens vero & discipuli duodecim per infirmitatem peccabant; dum ii se non potuisse dæmonium hoc ejicere diffidebant, contra quam illos Christus *Matth.* 10. promissis & privilegiis instruxerat. Tametsi enim nec pater nec discipuli fide justificante penitus destituerentur, qua ratione ὀλιγόπιστοι potius dicendi erant; tamen quod ad hoc miraculum attinet, non immerito ἄπιστοι appellantur. Quam quidem fidei vacuitatem Christus exaggerat, quod tanto tempore cum illis versatus, tantorum ejus operum spectatores & promissorum testes & auditores fuissent. Deinde quod eorum perversitate exulceratus, eos tamen tanta patientia tulisset, quæ eos ad meliorem frugem duxisse debebat. Vers. 19.

ejus subjecta reprehensio ad quos potissimum directa?

quæ ad nostram fidei tenuitatem traducenda.

Quæ querela ne in nostram ὀλιγοπιστίαν traduci vere possit vereor; quibuscum cum Christus non biennium aliquod sed viginti annos in Verbo & Sacramentis fuit, multaque nostra non delicta solum sed scelera tulit, non tamen ad illam mensuram fidei pervenimus, quæ pro Dei in nos prolixitate tolerabilis aut ferenda sit. Et tametsi Christo ipsi amplius molestiam perversitate nostra exhibere nequimus, tamen quod ministris & præfectis in nos negotium facessimus, id non alio loco reputat quam si sibimet ipsi hæc molestia injiceretur. Hoc modo igitur nobiscum

biſcum Chriſtum quærentem reputemus; ego præteritis pleriſque nationibus,&c. item ex propria natione ſpretis quamplurimis, vos delegi quibuſcum verſarer, atque adeo ex iis ipſis quibuſcum me communicavi, vos delegi quibuſcum familiarius me patefeci,voſque privilegiis & immunitatibus,&c.

Verſ. 20. *Dæmoniacus Christo præſente ad miraculi illuſtrationem à dæmone agitatus;*

Chriſtus deinceps dæmoniacum ad ſe adduci jubens,vix dum coram Chriſto ſiſtebat, quin ilico ſpiritus eum corripuit, & ei viſcera veluti dilacerans, in terram eum ſtravit, ubi volutabatur deſpumans. In quo gravem tentationem animis turbæ ſuboriri neceſſe fuit, quod Chriſto præſente & intuente, dæmon ſolito efferatior videri potuit; tanquam nullis non modo habenis Chriſti retineretur, ſed etiam Chriſto Domino impotentius inſultaret,ejuſque ſe imperium aſpernari viſus ſit. Nec enim veriſimilitudine caret hunc paroxiſmum (*this coming againe of this ſharp fit*) ſpecialem & extraordinarium fuiſſe,tanquam ſi ſervus ſpectante hero, aut fur intuente judice maleficium patraret. Sed hoc modo Dominus voluit ſuam gloriam illuſtrare, dum & parentis de tragico hoc dæmone narrationem confirmaret, & rem ob oculos poſitam ad permovendos ſpectantium animos potentiorem efficeret. Tanquam porro ac ſi leoni rugienti & prædam faucibus tenenti, paſtor miſeram oviculam eriperet; quod majorem potentiam arguit. Tametſi igitur Chriſtus, hoc tam miſerando lacerati & volutati homuncionis ſpectaculo, non ſolum non delectabatur, ſed etiam mœrore affectus ſit; tamen quo Dei in ipſo potentia clarius cerneretur, voluit ſuperiori & priſtinæ miſeriæ aliquid ad tempus adjungi. Vnde notandum eſt, nobis non grave aut moleſtum debere videri, ſi ut gloriam Deus comparet,nos ignominioſis & probroſis malis exerceat, noſtroque mœrore & cruciatu id operis efficiat, quod quamplurimos deinceps pios exhilaret. Profitemur enim nos Deum pluſquam noſmetipſos amare.

Verſ. 21. *is quomodo inquiſiverit tempus quo cœperit vexari?*

Quærit deinceps Chriſtus quamdiu ad hunc modum fuerit à dæmone vexatus. Quum autem Dæmonis ſpectante Chriſto tam ſæva & inſana rabies ſuſpicionem moveret impotentiæ Chriſti, tum hæc quæſtio & priorem ſuſpicionem auget, tanquam more medicorum opus haberet progreſſus morbi primum ſcire, quam curationem adhibere; tum etiam illius non ſatis de nobis ſanandis promptam voluntatem & ſollicitam curam arguere videtur. Tam enim alienum videtur,ut in tanto dæmoniaci cruciatu & cruentatione quæſtionibus ageret,quam ſi quis ad urbis aut ædium incendium reſtinguendum accerſitus, quæreret quis ignem ſubjecit, ubi incendii initium cœptum eſt, paleane, an lignis, aut pulvere tormentario ignis accenſus ſit, quamdiu arſit, &c.

Sed hujus rei cauſa prius aſſignata eſt. Reſponſum igitur patris expendamus.

Duo autem habet,
- Tempus quo iſta calamitas filium invaſit.
- Afflictionis atrocitatem, & ſævitiam cum acceſſus fit. Quanquam utrumque hoc ad afflictionis atrocitatem revocari poſſit.

Primum igitur quod Dæmone occupatus quis ſit, tanta depreſſio & dejectio eſt,quanta vix dici poteſt: de qua vide ſupra in *Marci caput* 5. quod hominem non occupavit ſolum (quod ipſum grave foret, ſi nullos in corpore aut mente motus excitaſſet) ſed etiam ſæve illum torſit, intus viſcera ejus divexando, foris illum non modo igne & aqua eum urgendo, ſed & ad turpiſſimam veluti canis dentium ſtridore, & veluti apri deſpumatione conditionem abjiciendo.Quo acceſſit, quod ſimul & ſermonis & auditionis beneficium abſtulit,ut nec miſeriam ſuam cum alio communicare, nec auribus conſolationem accipere potuit.Denique etiam ſingulis vicibus ad mortis veluti portam aut fauces eum detrudendo, nec tamen morte illum ſemel & ſimul tollendo;quod illi optatius fuiſſet, quam ſæpius moriendo,mortem tamen ab illo fugere, nec pati ut moriatur. Quum enim hæc diaboli vis fuiſſet futura, ſi vel in igne vel aqua interfeciſſet,nullo modo vir ille cum ſui interfectoribus & *αὐτοκτόνεις*. Ad hunc cumulum acceſſit, quod inde à pueritia ipſa in hunc modum à diaboli tyrannide oppreſſus ſit.Quis enim noſtrum eſt qui ſi ſemel iſta experti fuiſſemus, ſecundum acceſſum omnibus copiis, atque adeo principatu,ſiquidem eo uteretur, non redimeret?

Verſ. 22. *Magnitudo miſeriæ hujus dæmoniaci,*

Quod autem puero illi hoc obvenit, mirificum & inſcrutabile eſt Dei judicium; tam horrendum judicium in tam tenellam ætatem vibrari,tantique judicii ignem virentem ſurculum corripuiſſe; cum parens ipſe & multi nequiores hoc puero præteriti ſunt. Dei igitur judicia inſcrutabilia ſunt, ſimulque liquidior & fulgentior eſt Dei erga nos miſericordia, qui juſtiſſimo ejus judicio poterimus iſtis laqueis Diaboli irretiti teneri, niſi illius erga nos pietas diſcrimen ſtatuiſſet.

idque præſertim juvenili ætate:

tuisset. Ecquis enim nostrum est qui liberiores à peccato sumus quam ille cum puer esset? Quin etiam in unius diei infantulum hic spiritus sævus immitti jure potuit: ut qui potest ad tartara detrudi. Quæ alia ad hunc locum spectant, vide alio loco.

quomodo simul lunaticus & dæmoniacus fuerit? *Quæritur* hoc loco quo modo consistunt quæ a *Matthæo* dicuntur; scilicet, eum simul & lunaticum & dæmoniacum esse: cum ista subjecto disjungantur plurimum; nec agitatio per dæmonium, lunaticus morbus habenda sit.

Respondeo, dæmonem mirum in oppugnandis & divexandis artificem, hunc morbum comitialem, qui certis lunæ temporibus recurrit, immisisse: & ita corporis humores permiscuisse & perturbasse, ut hic morbus ingeneraretur. Nam si cum Iobi corpus non possideret, ulceribus tamen totum corpus implere & obducere potuit, nedum in hujus hominis corpore divertens, tanquam in hospitio, illam humorum intemperiem efficere potuit, unde hic morbus nasceretur, Domino hoc permittente. Quod etiam adhuc liquet magis, quod videmus sæpe diabolum, ut rem faciat & regnum suum proferat, quosdam diris cruciatibus & periculosissimis morbis jactatos sanitati restituere. Quo æquius ferre debemus, si Deus nos propria manu tanquam pater privatim quasi domi suæ castiget, non autem lictori aut commentariensi (*a sergeant à minister to execute judgent, or jailer*) nos cruciandos & torquendos tradat. Aut perinde est, ac si pater tædio quodam & fastidio malefici filii illum servo flagellandum permittat, ne pietas paterna subinde inter verbera recurrens, illum ab acerbiore filii sui castigatione inhiberet.

cujus pater ex impatientia Christum ut eum sanet rogat, Quod autem parens sub finem narrationis Christum rogat, ut illis si quid possit efficere opituletur, id ex impatientia profluxisse videtur, qua seipsum quodammodo corrigit, quod tam longam de filii calamitate narrationem texuisset, cum interim filius à Dæmone misere vexaretur: quasi dicat; quid ago hoc commemorans, dum filius meus hoc modo laceratur, si quid potes &c. In quo videmus patrem rectam patientiæ viam ingressum, per fidei suæ imbecillitatem de via deflexisse, vel potius retroactum esse. Hinc est quod *Esaias capite* 28,16. dicit. *Qui credit ne festinet:* nimia enim festinatio, fidei imbecillitatem arguit. Vide Iobi exemplum.

Vers. 23. *cui suam incredulitatem in causa fuisse Christus regerit;* Hinc respondet Christus omnia possibilia esse modo credat; non per eum stare, sed per parentem quod voto concredito filium suum sanatum & liberatum domum non referat. Cum enim parens causam non sanati filii sui in Christi imbecillitatem rejicere voluit, Christus regerit, non se, sed parentis infidelitatem in causa futuram si filius non restituatur. Nec enim hoc tantum, sed alia majora fieri posse, modo ipse credat constanter quod illi opus fuit: imo omnia δυνατὰ, &c.

Argumentum igitur est à disparatis. Qua in re notemus, solemne esse hominibus causam miseriarum suarum à se in Deum rejicere, cum tamen in ipsis hæreat. Sic *Esa.*58. *Nos jejunavimus, & nosmet afflximus, & tamen non respicis.* Et videtur nobis veritas promissionis divinæ excidisse, videtur brachium Dei contractum esse; videntur viscera misericordiæ constricta & conclusa esse, cum tamen culpa in nobis resideat.

quare vis fidei notanda, Notemus etiam admirabilem vim fidei, cui nihil non modo ἀδύνατον, sed nec difficile est. Requiritur enim tantum ut manum aperiamus, & ilico inseritur quicquid nobis usui est. Incredibilis maxima est, qua tanquam furca noxia omnia repellimus; & tanquam sarpagone (*a pole vvith a hook at the end*) omnia vel ex summis cœlis ad nos attrahimus. Præpotentem enim Dei manum seu digitum apprehendit, quem qui habet nihil non efficit; hac desiccata maria; conciderunt muri Ierichuntis; obturata sunt ora leonis; ignes exstincti sunt; hac bella confecta, & res incredibiles confectæ: hac Samson stratagemata omnem fidem superantia edidit, *Heb.* 11. hac Apostoli montes loco movissent, si eorum vocatio hoc postulasset.

etiam infidelitatis malum: Contra etiam quantum malum sit infidelitas, qua infinitum illud Dei brachium quoad nos exarescit, & decurtatur; unde etiam dicitur quodam in loco, *nulla miracula ibi edere potuisse, præterquam quod paucos languidos sanavit. Marc.* 6,56. Hac scaturigines benignitatis divinæ exhauriuntur: cœlum æneum redditur, & terra ferrea, inferi autem ad ingrediendum aperiuntur, ad egrediendum reserantur.

Vers. 24, &c. *ad quæ fidē tenuem illi inesse ostendit;* Iis Christi verbis commotus se & animum suum excutiens, offendit mentem suam fide quidem intinctam & infectam fuisse, sed interim tamen superfuisse non paucas infidelitatis reliquias, quibus fidem suam opprimi & suffocari periculum erat, nisi Dominus illi adversus corruptelas suas ampliorem manum porrigeret: esse scintillam aliquam fidei, quæ à cineribus infidelitatis frigidius-

gidiusculis extingui parata erat, nisi ipse illam perflando cineres simul dissiparet & discuteret: esse in animo ejus salutarem fidei herbam succrescentem, sed quæ à circumsistentibus undique urticis obruenda foret, nisi Christus cum illius accretionem, tum harum remicationem (*vveding up*) proveheret.

quomodo simul fide & infidelitate præditus?

Quod autem dicit se simul & fide & infidelitate præditum esse, id non ita accipiendum est, ac si contraria in unum idemque subjectum cadere possint. Nec hæc simpliciter uni insunt, sed comparative: fides enim quæ in nobis est, si cum fide contendat quam Euangelium exigit, infidelitas est, & pro infidelitate jure damnabitur. Contra etiam infidelitas quæ in nobis est, si cum eorum infidelitate componatur qui nulla fide instructi sunt, fidei nomen obtineat; maxime vero Christi beneficio, quo nobis pro perfecta & expleta fide reputatur, non sine causa fides censetur. Perfecta autem fides absolutæ infidelitati contraria est, ut sincere album sincere nigro. Tametsi vero scintilla fidei duntaxat videatur, quam forte ab adventu suo concepit, tamen vel minima sentitur ab eo; ut vere illi affirmare liceat se credere. Nisi igitur quis se excutiendo & explorando fidem suam sentiat, fidei expers habendus est; nisi forte quis graviori aliqua cum tentatione conflictetur, &c. ut in *Psal.* 102.

ex qua Christi invocatio secuta,

Hanc fidem probat ab effecto invocationis Christi. Invocatio enim est partus fidei. In petitionis autem genere declarat naturam fidei, scilicet, ad firmiorem fidem contendendi, ejusque incrementa à Deo petendi *Rom.* 1. ut indicio sit eum fidei inanem esse, qui fidem non sectatur. Ejus quidem incunabula & initia nullo nostro voto aut etiam optione in nobis ingenerantur. *Inventus enim sum ab iis qui me non quærebant.* Sed semel hoc lumine illato, tanto ejus amore rapimur, sicut odio contrariæ infidelitatis, ut hanc minui, illam augeri omnibus modis expetamus. Sicut enim plerique infantes primo detrectant matrum lac, nec nisi allectamentis quibusdam ad sequendum adduci possunt, post autem gustata lactis dulcedine, non nisi vi quodammodo à mammis depelli possunt; sic, &c. Hinc dicitur *Matth.* 13. *Habenti dabitur, &c.*

& petitio ut subveniat infidelitati cum lachrymis;

Petit autem ut subveniat ejus infidelitati; ut & infidelitati condonet, & simul illam corrigat. Quam orationem lachrymis ex sensu propriæ diffidentiæ irrigavit, & vehementi clamore protulit. Quas lachrymas cum infidelitatis fœditas & iniquitas illi expressit, tum vero etiam Christi acris, quam prius adhibuerat, reprehensio eandem proculdubio provexit. Ex quo illud etiam liquet, veram fidem pœnitentiam parere & animi mœrorem; non tantum ex admissis ante peccatis, sed ex desiderio eorum quæ nobis ad Dei gloriam ornandam expetenda sunt. Nec enim judicandus est infidelitatis virus & turpitudinem animadvertisse, qui illius tædio & odio non tenetur. Sive enim infidelitatem in se, sive in fructibus ejus consideremus, justissimam causam illam lugendi habemus. Deum enim mendacii accusare, aut suspectum habere, cujusmodi tandem est? Deinde excludi hæreditate cælesti, quantis lachrymarum fluminibus deflendum? Nam si captivi Iudæi, terra Canaan ad 50. annos pulsi, cum lachrymis in Babylonem adducti sunt, quanto magis cælo exturbati?

ad eum modum fides quæ Dei donum etiamnum petenda.

Notandum præterea, fidem esse donum Dei *Ephes.* 2. *Ioh.* 6. *Nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit.* Nec tantum initia & semina fidei, sed ejus incrementa. Contra, &c. Discamus igitur cum lachrymis petere fidem, ut hic: & benedictionem, ut Iacob. *Hoseæ* 12. ne veniat tempus quando cum lachrymis eam requirentes, eam non assequamur: ut de Esavo dicitur. Cum lachrymis vero quærentes & petentes, quodammodo precum suarum sementem irrigant, & ita complicant, ut de centuplo nequaquam illos dubitare necesse sit. Nam si Deus confusum & inconditum Ismaëlis clamorem & ejulatum exaudivit *Genesis* 21. nedum, &c. Ipsæ enim lachrymæ, per se clamant. *Psal.* 6.

LVC. *cap.* 9, *vers.* 43.

43 Percellebantur igitur omnes super magnifica Dei virtute:

MARC. *cap.* 9, *à vers.* 28, *ad* 30.

28 Quum autem esset ingressus domum, discipuli ejus interrogarunt eum privatim; Cur nos non potuimus spiritum *illum ejicere?*

29 Ipse *vero dixit eis; Hoc genus* dæmoniorum *nulla re potest exire nisi precatione & jejunio.*

MATTH. *cap.* 17. *à verſ.* 19, *ad* 22.

19 *Tum adeuntes diſcipuli IESVM privatim dixerunt; Quare nos non potuimus illud ejicere?*

20 *IESVS autem dixit eis; Propter incredulitatem veſtram, amen quippe dico vobis, ſi habeatis fidem quantulum* eſt *granum ſinapis, dicetis huic monti; Tranſgreditor hinc illuc: & demigrabit: & nihil impoſſibile vobis erit.*

21 *Hoc vero genus* dæmoniorum *non egreditur, niſi per precationem & jejunium.*

ANALYSIS.

Lvc. 9, *verſ.* 43. Effectum ſuperioris miraculi, ſtupor omnium; quæ arguitur ſua cauſa, Dei majeſtate in illo miraculo relucente.

Marc. 9, 28. Aliud effectum ſeu eventus miraculi, quæſtio quam movebant diſcipuli; quæ ſuo ſubjecto loco declaratur, nempe cum eſſet in privatis ædibus, & forma, *quare non potuimus ejicere illud Dæmonium?*

Matth. 17, 20. Quæſtionis effectum eſt, Chriſti reſponſum: primum cauſam efficientem aſſignat hujus impotentiæ, quod ſcilicet fide deſtituerentur; quod confirmat teſtimonio vehementis aſſeverationis; item contrario habitu ſuperioris privationis, nempe fide. Quod argumentum 1. illuſtratur comparatione minoris: ſi tantulum fidei haberent quantum eſt granum ſinapis; deinde alia comparatione majoris, fidei ſcilicet virtute vel montes ipſos illorum juſſu transferendos; quod etiam confirmatur à genere, nihil ſcilicet eſſe impoſſibile credenti.

Verſ. 21. Aliam cauſſam aſſignat impotentiæ illorum in ejiciendo Dæmonio, nempe quod ardentes & intenſas preces non adhibuerint; cujus adjunctum declaratur, jejunium. Quamvis rectius fortaſſe hæc cauſa ἀπιςίας aſſignari poteſt.

METAPHRASIS.

Lvc. 9, 43. *Omnes vel ipſi Scribæ malevolentiſſime ſuper majeſtate Dei, quæ mirifice in hac Dæmonii ejectione relucebat, obſtupuerunt.*

Marc. 9, 21. *Poſtquam vero privatas ædes ſubiiſſet, diſcipuli eum ſeorſim interrogarunt: quid obſtaculi eſt, cur nos non potuimus, ut alia pleraque, hoc dæmonium ejicere?*

Matth. 17, 20. *Quibus Ieſus dixit; ſancte vobis confirmo, hanc impotentiam veſtram non aliunde quam ab infidelitate veſtra profectam eſſe. Nam ſi fide hoc miraculum edendi imbuti fuiſſetis, ut illa ſua parvitate cum grano ſinapis contendiſſet; tamen ſi vel huic monti qui ob oculos veſtros verſatur, tametſi cum inanimato tum immobili, edixiſſes; transfer te hinc, & in illum locum qui ex adverſo vobis eſt, conſiſte, ilico tanquam rationis & motus particeps ſe tranſtuliſſet: nedum Dæmonium utroque, & rationis & motus particeps, veſtro in meo nomine juſſu abiiſſet: præſertim cum vobis fide edendorum miraculorum præditis, nihil quantumque humanitus difficile impoſſibile foret. Cum vero Dæmones alii aliis ſunt tetriores, tum hoc genus tam eſt pertinax,* 21. *ut non niſi intentiſſima oratione (cui jejunium tanquam adjutrix & famula annectendum eſt) qua fides firmatur, egredi ſolet.*

PRAXIS.

Fructus autem hujus miraculi notatur, qui certe tam præclaro facto parum dignus erat. Præter enim ſtuporem, quo omnes ex majeſtate in illo facinore relucente correpti ſunt, nullus fructus indicatur qui tamen non erat contemnendus. Nam cum dicit omnes attonitos fuiſſe, declarat non tantum æquiores admiratione captos, ſed & Scribas in admirationem vel nolentes raptos eſſe: ſicut olim Iannes & Iambres coacti ſunt Dei potentiam & digitum vel inviti agnoſcere. Vide *Act.* 2. Quod ad piorum fidem confirmandam aptiſſimum eſt, cum intelligant veritatis claritate & φανερώσει, hoſtes obmuteſcere cogi & admirari. Quo nobis diſcendum eſt, ne nos ob eam rem beatos judicemus, ſi quando quæ bona ſunt laudemus & agnoſcamus.

Lvc. 9, 43. *Hæc ſanatio à Scribis etiam invitis agnita.*

In *altera parte* geſtorum in domo & privatis ædibus, notatur { Quæſtio diſcipulorum. / Chriſti reſponſio.

In quæſtione diſcipuli ſe dociles præbent; qui non dubitant rei illis pudendæ mentionem refricare, quo cognita cauſa malo inpoſterum occurreretur. Hoc nobis ob oculos proponendum, ut cum minus ſuccedant quæ ex vocatione molimur, ne ſtatim deſpondeamus animum, neque, &c. ſed ſtatim Domini os in Scripturis & verbo interrogemus. Sic Ioſhua in obſidione Hay. Sic Iſraëlitæ in prælio adverſus Benjamitas. Hoc

Marc. 9, 28. *Docilitas Diſcipulorum in quæſtione cur hoc miraculum patrare non potuerint;*

etiam

etiam est quod Propheta in populo reprehendit; scilicet, quod cum Deus in plerisque se illis opposuerat, non tamen vel semel cum animo suo cogitabant, quid fecimus? *Ierem.* 28. & alibi.

MATTH. 17,20. *quod ex eorum infidelitate contigisse Christus respondit,* Responsum Christi docet fidei vacuitate hoc factum esse, ut non potuerint dæmonium ejicere. Quod probat à comparatione majorum; scilicet, quod minimo quasi fidei grano maximos montes transferrent loco suo. Cum autem nec sensum nec motum habentia illis mandantibus obsequerentur, nedum dæmones qui utroque præditi sunt. Ex quo illud primum liquet, præter fidem piorum omnium communem, requiri etiam specialem fidem, ut credamus nos illis muneribus aptos & pares fore ad quæ nos Deus vocavit; omniaque nos obstacula superaturos quæ nobis occurrant, quantacumque sunt. Nihil enim nobis Deus vocationis ratione imponit, cui perficiendo ut promissiones sic & vires secundum promissiones non præbiturus sit, modo in illo acquiescamus. Hæc ad singula vocationum genera accommodentur.

Vers. 21. Deinde notandum est, in quo halluccinati sunt Apostoli, scilicet quod non perinde hoc dæmonium ejici posse putabant, quam alia quæ ejecerant: cum tamen scire debebant, Deum perinde hæc atque illa efficere potuisse. Si propriis viribus suaque virtute ejecta fuissent priora Dæmonia, ratio fuisset cur cum robustiore & pertinaciore luctantes vincerentur: sed cum Dei virtute illa ejecta sunt, &c. cum illi perinde est multos, & paucos: fortes, & debiles, &c. Hæc etiam ad nos accommodentur. Nota minimam fidem modo sinceram, maxima quæque mala vincere. *cum hoc dæmonium non ut alia ejici posse putarunt;*

Fidem vero quoties (ad magnitudinem eorum quæ gerenda sunt & virium nostrarum tenuitatem respicientes) labantem & vacillantem sentimus, ad preces confugiamus, quæ ut ferventiores sint, jejunium conjungamus. Iis autem pedamentis (*props or stayes stakes or forks properly vvherby vines are sustained*) sustentabimur proculdubio: & ita ad prælium viribus accingemur, ut vel adversus totam cohortem Dæmonum prævalituri simus, peccataque nostra, quantascunque consuetudine & diuturnitate radices egerint, ejiciemus, &c. *quare fides precibus sustentanda.*

MATTH. *cap.* 17. *à vers.* 22, *ad finem Capit.*

*22 Versantibus autem ipsis in Galilæa, dixit eis IESVS; **Futurum est ut Filius hominis tradatur in manus hominum.***

23 Et trucidabunt eum, sed tertio die suscitabitur. Et contristati sunt vehementer.

24 Quum autem venissent Capernaumum, venerunt ad Petrum qui didrachma accipiunt, dixeruntque; Præceptor vester non solvit didrachma?

25 Dicit; Etiam. Et quum ingressus fuisset domum, prævenit eum IESVS, dicens; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa sive censum? à filiis suis, an ab alienis?

26 Dicit ei Petrus; Ab alienis. Ait ei IESVS; Nempe igitur liberi sunt filii.

27 Sed ne offendiculo simus eis, profectus ad mare, mitte hamum: & eum piscem qui ascenderit primus, tolle: & aperto ore ejus invenies staterem: acceptum illum da eis pro me & pro te.

MARC. *cap.* 9. *à vers.* 30, *ad* 33.

30 Et illinc egreßi, una iter faciebant per Galilæam: nec volebat ut quisquam id *sciret.*

31 Docebat enim discipulos suos & dicebat eis; Filius hominis tradetur in manus hominum, qui trucidabunt eum: sed trucidatus, tertio die resurget.

32 Ipsi vero ignorabant hoc dictum, & timebant eum interrogare.

LVC. *cap.* 9. *à vers.* 43, *in medio ad vers.* 46.

43 omnibus vero mirantibus super omnibus quæ faciebat, dixit discipulis suis;

44 *Reponite vos in aures vestras sermones istos: futurum est enim ut Filius hominis tradatur in manus hominum.*

45 *Ipsi vero ignorabant dictum istud, eratque ipsis occultum, adeo ut illud non sentirent: & metuebant eum interrogare de hoc dicto.*

ANALYSIS.

MATTH. 17, ℣ſ.22. PRæmonet diserte quid illi futurum sit Hierosolymis: ubi apud *Lucam* notatur adjunctum tempus quo hæc præmonuit, nempe cum omnes illum ex præclaris operibus, præcipue ex ejectione Dæmonis, admirarentur: describitur porro duplici subjecto, in quo loco, nempe Galilæa; deinde apud quos sermonem habuit, nempe apud discipulos. Conversatio ejus in Galilæa describitur adjuncto occultationis, quæ suo fine arguitur etiam apud *Marcum*, quo magis vacaret discipulis instituendis. Apud *Lucam* 44. porro declaratur adjuncta præmonitione, diligentis auscultationis & attentæ; post subjecto circa quod sermo erat proponitur, nempe circa suas perpessiones.

*Vers.*23. Quæ suis partibus declarantur, traditione in manus hominum, & morte qua ab illis afficiendus erat. Deinde prædicit resurrectionem; quæ suo adjuncto tempore exponitur, tertio die; cujus prædictionis effectum erat, mœror discipulorum.

LVC. 9, 45. Adjunctum hujus prædictionis indicatur, nempe ignorantia discipulorum; quæ ignorantia illustratur pari: vel intervenientes inter eorum mentes & hunc sermonem; quæ suo fine declaratur, ne hoc perciperent. Alia caussa efficiens ignorationis notatur, quod Christum non interrogarunt de sensu verborum; quæ sua efficiente causa arguitur, nempe timore.

MATTH. 17, 24. Narratur quomodo Christus didrachma pendit. Quæ pensitatio describitur à subjecto loco, nempe Capernao; deinde causa seu occasio, publicanorum percunctatio à Petro, an Christus penderet didrachma.

*Vers.*25, 26. Cujus quæstionis effectum est, Petri responsio, Christum pendere: item aliud effectum, Petri ad Christum accessus, ut illum de hac re interrogaret: cujus adjunctum est, quod Christus illum prævenit, & illum interrogat de censu. In qua quæstione proponitur subjectum cui tributum ceu census penditur, nempe Regibus. Deinde aliud subjectum quod pendit: quod disjunctivo Syllogismo arguitur, hoc versu & sequenti. Aut tributum jure exigitur à filiis aut ab alienis; sed ab alienis; non igitur à filiis.

*Vers.*27. Deinde docetur Iesum, quod filius esset, à censu liberum, censum dedisse; quod suo fine declaratur, ne offensionem illis præberet: post narratur Christi pensitatio, quæ describitur effecto Christi, jussu scilicet Petri, ut hamum in mare jaceret; cujus finis narratur, ut capto pisce & statera ex ore piscis extracta, illum pro se & Christo persolveret.

METAPHRASIS.

MARC. 9, 30. *IEsus cum discipulis ex eo loco egressus ubi Dæmoniacum sanavit, per Galilæam iter faciens, ibi moram adhuc ducens, silentio transire voluit Ierosolymam versus: hoc consilio, ut* 31
informandis discipulis magis vacaret: apud quos sermonem de cruce, hæc fere verba jam tertio (idque augusto temporis intervallo) protulit: me filium hominis oportet in potestatem improborum hominum proditorie tradi, qui iidem me morte afficient, sed interfectus tertio post die mortis victor resurgam. Quem LVC. 9, 43.
sermonem eo ipso tempore habuit, cum jam ex præclaris ejus facinoribus, maxime vero ex furiosi illius spiritus ejectione, omnes (cumprimis vero discipuli) summa admiratione ducerentur. Quod quidem eo fecit, ne ex hujus tantæ gloriæ perfruitione, in errore de Christi carnali & in speciem spondente regno obfirmarentur: tum vero Eliam, ut hujus gloriæ commentatæ adversus crucis ignominiosæ mortis futuræ scandalum & offensionem probe armati essent. Quem de cruce sermonem non sine præ- 44.
monitione proposuit, ut illum attentissimis acceptum auribus, intimis animi sui penetralibus reconderent. Discipuli vero, qui mentes & cogi- 45.
tationes in carnali & mundano Christi regno defixas habebant, hunc de cruce & mox insequutura gloria sermonem non intelligebant: tanquam velum eorum mentibus appensum & interjectum, in illius sermonis mentem non introspiciebant, ut verum ejus sensum perciperent: & quod pejus adhuc erat, rustico quodam pudore & inani metu præpediti, Iesum de hac re non interrrogarunt. Quamvis vero germa- MATTH.
num verborum sensum ignorabant, tamen vel 17, 23.
ad nudam mortis Christi vocem & mentionem cohorrescentes, gravi mœrore affecti sunt.

Capernai autem oppidum attingente Chri- 24.
sto, ubi ut plurimum in Galilæa agens commoratus est, accesserunt ad Petrum (ad cujus ædes Christus divertere solitus est) publicani, qui didrachma in singula capita à Cæsare imperata collegerunt. Hi à Petro percunctantur; dic, sodes, Magister vester ecquid didrachma pendit? Cui Petrus (vel quod eum ante pen- 25.
disse, vel quod pendenda docuisse cognoverat) omnino respondit. Domum vero ingressum ut hæc Christo renunciaret, Iesus (ut servitutis & captivitatis ignominiam depelleret) tanquam omniscius & quid foras ultra citraque dicebatur cognoscens, Petrum prævenit, dicens; Simon, quid tibi videtur, Reges & Principes hujus mundi à quibus tributa aut censum exigunt.

exigunt, à filiis suis an ab aliis qui filiorum
26. *jus non obtinent? Cui Petrus; ab aliis quam qui filiorum jus obtinent. Ad quem Iesus; ego igitur Patris mei unigenitus Filius, cujus unius nomine & authoritate Reges tributa & censum imperant, ab ejus pensitatione liber &*
27. *solutus sum. Tamen ne illis offensionem præbeamus, qui hujus libertatis vendicationem ignorant, tributum pendam; sed ad illum modum, ut facile intelligant me liberum à solvendo esse. Quamobrem tametsi justam recusandi causam habeam, quantum illi ad rebellionem referre solent, profectus ad lacum jace hamum, & primum qui hamo captus erit piscem attolle; cujus quamprimum os aperueris, ilico stateram seu didrachma in ore ejus offendes: illum accipiens, publicanis meo & tuo nomine redde.*

PRAXIS.

Historiæ quæ Christo & Petro in itinere Hieros. accidêre summa.

DÆmoniacum liberatum cum patri restituisset, ilico relictis illis partibus (secundum *Marc.*) transibat per Galilæam Hierosolymam versus: nec longiorem moram in illis partibus fecit. Quum autem docuisset se Hierosolymis interficiendum, & simul plerosque ex Galilæis illum chare complectentibus non defuturos sciret, qui illum aut retardarent aut impedirent, hoc suum Hierosolymam proficiscendi consilium celavit *Matthæus*. Interim vero dum & iter per Galilæam Hierosolymam versus faciens in Galilæa conversabatur, & populus præclara Christi facinora admiraretur, discipulos iterata prædictione perpessionum suarum adversus crucem munit: qui quidem cum propter naturam à cruce abhorrentem, tum propter præceptam gloriosi & splendidi Messiæ opinionem, rem prædictam non intelligebant; sed neque rem sibi ignotam à Christo requirebant propter timorem: qui forte eo altius animis insederat, quo erat Petrus à Christo tam acerbe reprehensus & exagitatus, quod à cruce eam avertere voluit. Post Capernaum veniens & apud Petrum divertens, accedunt Publicani, qui non tantum à Petro censum exigebant, sed quod Christus ejus in ædibus esset, nec ædes proprias haberet ad quas census exigeretur, vel quod illud oppidum fuerat commorationis suæ, ut *Matth.* 4. & 9. ab eo percunctabantur, An Christus etiam censum penderet. Is forte conscius quod ante Christus fecerat, maxime vero quæ esset ejus de tributis pendendis doctrina, omnino hoc Christo placere respondet. Christus autem qui oculo omniscientiæ domus parietes penetravit, Petrum rem sibi propositurum anticipat, & se jure à tributi pensitatione liberum & solutum docens, ad declinandum scandalum illud pendi jussit, & simul admirabilem parandi argenti, quo tributum ab utroque petitum solveretur, rationem demonstrat.

Cujus quidem summa est, Christum ad luendum pro nobis Hierosolymam supplicium se comparantem, discipulos suos ne ad crucem impingant studiose comparasse.

Cujus *partes* sunt, gesta { Indefinite nec ullo certo & proprio loco circumscripta. / Capernao, oppido Galilææ. }

Marc. 9. 30. *Christus celare voluit iter Hieros. ne à quoquam impediretur;*

In priore notandum, primo quod Christus hoc consilio celaret institutum ad Hierosolymam iter, ne qui (*any*) eum ab eo conficiendo impedirent: intelleximus ante, hac etiam de causa prohibuisse ne præclara ejus facinora in vulgus dimanarent. In quo promptissimam ejus & paratissimam ad perferendam mortem voluntatem discimus, qui non tantum se morti non subducit, sed nec ab aliis se abduci & subtrahi patitur; non tantum ipse se morti non opponit, viresque suas quibus hostes sternere & ad pedem suum fundere potuit, sed nec alios ut se opponant sinit: denique, nec tantum ab hac horrenda cruce non modo alieno, sed cupido & incitato ad eam obeundam animo extitit. *Baptismum enim* (inquit) *habeo quo, &c.* Quod eo nos magis notare convenit, quo nec obedientia esset, quæ non est voluntaria, & quo peccatum nostrum tanta cupiditate & oblectatione admittitur, quantum non ignoramus: ut intelligamus non magis nos ad Deum irritandum paratos prosilire, quam Christus ad Deo placendum expeditus & promptus extitit.

quare & à nobis absque impedimento Dei cultus præstandus:

Hoc nobis in nostra obedientia est notandum. Sicut etiam ejus rei præclarum exemplum in Abrahamo proponitur: qui jussus rem sibi adversissimam facere, eam cum nullo communicavit; deinde servos dimisit, &c. Sciamus itaque rem nobis præceptam à Deo ita persequendam, ut quæcunque illi rei exequendæ impedimento esse possint studiose declinemus. Hoc nobis faciendum est in Sabbathi religiosa observatione, ut omnia animo percipiamus quæ quietem mandatam interrumpant. Cum nobis ipsis diem remissionis & oblectationis destinamus, ita negotia & occupationes nostras componemus, ne quo modo consilium nostrum frustretur.

Cum

Cum igitur negotia nostra sic procuramus, ut impedimenta nobis die Sabbathi accersamus, quibus retinemur ne debitum cultum Deo præstemus, proinde facimus ac si ad negotium aliquod expediendum missi, prius pedicas(*any thing vvhervvith the foote is staied & tyed: as à snare, fetter, ginne, give, stocks*) & compedes (*shakles*) nobis induamus, quas post opponamus iis, qui pensum à nobis imperatum exigunt.

etiam ut admiratione virtutis adversus Christi infirmitatem turba confirmantur;

Deinde notandum est, Christum dum populus admiratione virtutis suæ vehementer teneretur, discipulos admonuisse ut cum factorum suorum admirabilem virtutem probe expenderent, & apud animum reponerent, tum populi de ejus virtute existimationem oscitanter non præterirent. Diligenti enim utriusque commentatione effectum iri, ut nec declaratio infirmitatis suæ in perpetiendo, illorum de sua omnipotentia, & divina majestate fidem convelleret aut concuteret; nec populi tam inconstans de se judicium pluris facerent, qui eum vel ad crucem non ita multo post expeterent, quem paulo ante admiratione maxima dignum censuerint. Sensus est: anteactæ potentiæ experientia, adversus insequentis infirmitatis offensionem; prioris gloriæ recordatione, adversus futuram ignominiam; denique factorum & gestorum magnificentia & majestate, adversus perpessionum deformem in specie aspectum confirmarentur. Deinde ut populi de se, merito suo, admirationem, contumeliis quibus illum sine ullo suo merito oneraturus erat, animadverterent; ac justas & omnium judicio concessas laudes, eorum indignissimas acclamationes & applausus ludibriis & explosionibus opponerent. Hoc nobis imitandum est; ut Euangelii Alcionios dies, in quibus omnes ordines certatim ad corona illud redimendum, illi oscula præbendum, omnia bona de eo prædicandum, quibus Deus victoriis sceptro gladio Euangelii ornat, quibus tanquam regina in solio sedet, diligenter meditatos habeamus: ut si quando Euangelium iis ornamentis exuatur, in angulum compingatur, atque adeo in pistrinum, & si gladio & corona nudetur, si denique specie & splendore externo privetur, ut tum prioris conditionis recordatio offensioni ex illius deformi & tetro aspectu medeatur; maxime cum per eosdem inhonoretur, à quibus magni habitum prius erat. Sic Christus *Matt.* 11. populi & Pharisæorum de Iohannis doctrina contemptibile judicium elevat, eo quod illum magni prius fecerant.

quare & in persecutione vera Ecclesia.

Tametsi virginibus honoratis non semper stipetur, ut Pharaonis filia; non tamen Ecclesia aut regis filia aut sponsa esse definit, ne tum quidem cum instar pastoritiæ puellæ huc illuc oberrat, sicut à Salomone describitur. Discamus igitur insuper verno & æstivo tempore Euangelii ita suavissimos ejus flores odorari, ita saluberrimos ejus fructus gustare, ita sub ejus optatissima umbra requiescere, ut hyeme etiam, cum & floribus & foliis nudabitur, suavissimos ejus fructus non deseramus: tametsi nec grato ex floribus odore, nec concupita ex foliis umbra frui possimus. Nostris enim temporibus Euangelium eos cum in occumbendo pro veritate, tum in cædendo & gladio profligando, cum in injurias patiendo, tum etiam illas propulsando triumphos reportavit: ut quæcunque vel calamitas post inciderit, nos tamen prioris conditionis recordatio jure sustineat.

Lvc. 9, 43, 44. Christus proditione tollendus discipulos præmunit;

In prædictione ad illa quæ prius dixerat de morte sua hoc unum adjungitur, scilicet eum *proditione* tollendum esse; quod gravius animum eorum sauciaturum erat, nisi prius prædictione hac illius tentationis acies retusa & mucro defractus fuisset Christum enim à suis beneficiariis & interioribus amicis, quos ipse evexerat & aliis prætulerat, non deseri tantum, sed etiam expugnari, quid aliud visum fuisset quam eum merito Pharisæis & Scribis aliisque suis hostibus exosum fuisse, quem domestici & a se electi & adamati odio prosequebantur? imo Deum ipsum illum videri posse abjecisse, cum eos quos conjunctissimos habuisset sibi infestissimos sentire coactus esset. Sic *Psal* 3. Absalone & Achitophele in Davidem hostiliter armatis dicebant plerique, nullam esse Davidi in Deo salutem. Hanc offensionem diligenter tollit Apostolus *Rom.* 9. in Iudæorum defectione, qui in peculium semper extiterant. Quamobrem discendum est, non esse concutiendam fidem in Euangelio nostram, tametsi à summis ejus Antistibus, & quos Euangelium educavit & in summo honoris fastigio collocavit, oppugnetur & debelletur.

Vers. 45. quod eorum vitio veriti inquirere.

Quod timebant interrogare Christum de eo quod ignorabant, eorum vitio factum est; quum Christus se mansuetum admodum & aditu conventuque facilem præberet. Vt igitur quandoque doctor in eo culpandus est, quod nimia severitate suos à percunctando &c. sic Grex, &c.

Matth. 17, 24, 25, 26.

Quod Petrus respondet pure & clare Christum *Petri re-*

sponso Christum tributum persoluturum ejus prompta obsequia declarata;

stum tributum persoluturum, priusquam illum de hoc negotio consuluisset, tametsi videri posset temerarium, tamen quum vel ex superiore aut doctrina aut experientia vel utraque hoc perceptum habuit, cur non sit satis à temeritate remotum non video. Quo responso vehementer commendatur Christi ad omnia obsequia honesta singularis industria: optandumque ut idem responderi posset percontatoribus, si quando de nostris officiis præstandis interrogetur, utque assidua nostra & constans sibi in omnibus vitæ officiis sanctimonia eam aliis probitatis spem afferat, quam pro nobis suscipiant & polliceantur, vel in iis quæ nondum factis innotescunt. Vide exempla ad *Philemon. vers.* 21. & *Philip.* 1, 6, 7. ut imitemur aquas vivas profluentes, ubi perpetuo aquæ usibus humanis accommodatæ peti possunt, & arbores ad rivos aquarum consitas, quæ fructum edunt tempestive Cavendumque est ne nostra pravitate spem de nobis fallentes, eos pudore afficiamus qui de nobis prolixe sibi & aliis polliciti sunt; ne simus tanquam ficus illa quæ spem fructus viatoribus faciens, fructus expers tantum folia ferebat.

quomodo Petrum præveniendo Christus dicat se a tributo immunem?

Quod Christus prævenit Petro, ideo fecit ut majestatis divinæ declaratione, offensionem captivæ conditionis & fortunæ depelleret. Quo etiam spectat, quod à vectigalibus liberum se confirmat, nec ullo jure ad illud solvendum adigi posse, nisi quod nollet offensionem illis præbere, & hominibus parum instructis libertatis suæ confingendæ ansam præbere. Argumentum autem quo illud ostendit, est à paribus. Cum enim reges suos filios à se proseminatos vectigalium pensitatione eximunt, nedum ipse summi regis regum filius hoc jure utatur. Ex quo illud liquet, nullum mortalem esse qui se huic oneri subtrahat, præter eum qui Dei Filius est. Quamvis itaque Monachus, Apostolus. Vide *Rom.* 13. *Omnis anima.* Quin etiam si homines in sua integritate stetissent, huic tamen ordinationi obnoxii fuissent; quandoquidem Deus Pater omnes mortales Cæsaris ditioni subjiciens Filium suum eximit, & à singulis mortalibus Cæsar vectigalia exigens, Filium suum tamen immunitate donat. Nec enim Christus quatenus aut Davidis filius aut mediator Dei & hominum fuit, ab hoc tributo immunitatem consecutus est; quod etiam constat eum subiisse, cum mater eum in vtero gestans Bethleemi censebatur. Quatenus enim mediator erat, Cæsari tanquam Dei ministro adeoque Pilato proconsuli subditus erat. Quod ni verum fuisset Deus in Christum Pilati persona judicium non exercuisset, & sententiam condemnationis non dixisset. Vnde neque nos firmam consolationem habuissemus. Cum autem Cæsari subjecerat, necesse habuit ejus etiam vectigali subjicere; ut quod sit adjunctum subjectionis.

hinc Papæ superbia se & suos ab eo eximens;

Hinc constat *Papam* supra omne quod appellatur Deus se efferre; qui non tantum vectigal Regibus non solvit, sed ab illis etiam vectigalia potius exigit. Quin etiam supra ipsum Dei Filium se effert, quod non tantum sibi hanc immunitatem vendicat, sed suis omnibus unctis & satellitibus: quum Christum videamus, se tantum & non etiam discipulos suos hac servitute liberasse. Cum enim illi ministrorum operam ex ea parte præbebant, qua erat mediator Dei & hominum, palam est eos illam immunitatem consequi non potuisse, quam ipse mediator non est assecutus. Nec vero juvat eos quod dicitur, *ne offendamus.* Nam præterquam quod Christus de se loquens, plurali numero illud faciat. *Ioh.* 3, 11. offensio longe aliter à Petro quam à Christo profecta fuisset: ab hoc enim accepta, ab illo data & præbita fuisset. Sed Cæsares scilicet suis viribus exuebant, ut illa ad se transferrent: alioquin videmus, principes populum Dei vectigalium pensione liberasse. *Esa.* 6. ut si servus conaretur filio persuadere eum sub patris imperio non esse, quo eum in suam & propriam potestatem reduceret. Sed quum liber esset Christus, tamen cum pauci hujus suæ libertatis fundamenta tenerent, ne vel Iudæis ea ignorantibus occasionem subducendi se à tributo præberet, aut Romanis male de Euangelio loquendi hac libertate uti noluit, sed vectigal solvit. Sic Paul. 1 *Cor.* 8, 9. & 1 *Thes.* 3.

quare concessis caute utendum,

Sic igitur caute & circumspecte nobis est conversandum, ut vel à nobis concessis abstineamus, quo Dei gloriæ & fratrum saluti consulatur. Vt enim viæ comes, non quantum spacii emetiri ipse potest considerat, sed se ad socii in itinere faciendo vires & alacritatem accommodat; & ut in musicis non semper spectatur, quæ vox suavissima est, sed quæ vox cæteris convenientior; sic, &c. Qui igitur semper urgent illud legitimum esse, quod non est sua natura vetitum, tanquam facturi quicquid ex lege non est per se malum, ii parum se Christi spiritu duci probant; neque nisi pluris hominum exi-

stima-

ſtimationem facerent quam Dei ſanctiſſimam legem, nullis ſe legis vinculis illigari paterentur. Nam legis divinæ eſt, ut proximi rationem agamus, vel cum libertatis noſtræ jactura & diſpendio aliquo noſtro. Lex enim charitatis dictat, ut æternæ fratrum ſaluti vel cum aliquo rerum momentanearum diſpendio proſpicerent. Nec alio loco habenda eſt hæc actio, quam obedientia legi Dei præſtita; ex quo intelligitur quam procul illi abſunt à pietate, qui libertatem ſuam perferunt ad res illicitas. Sicut ii faciunt qui licere ſibi jactant ſuis pro arbitrio uti. Vide *Pſal.* 12. *Lingua noſtra penes nos ſunt,* &c.

præſertim apud eos qui ea ignorant.

Apparet etiam ex hoc loco, qui ſunt quorum cauſa à libertate noſtra recedendum & regrediendum ſit: ii ſcilicet, qui noſtram libertatem neſciunt, nec quibus fundamentis eadem nitatur intelligunt.

Verſ. 27. *Cur Chriſtus tributum ſolvi voluit ſtatere è piſcis ore extracto?*

Quod autem jubet tributum ſolvi, ſtatere ex piſcis marini ore quem hamus primo eliceret extracto, id non ideo fit quod pecunia omnino deſtitueretur, ſed ut hoc modo aliud teſtimonium ederet incredibilis ſuæ potentiæ, qua ſcandalum quod ex penſitatione vectigalis naſci poterat, tolleret. Tum etiam quod morti propinquus, omnes legitimas & conceſſas occaſiones ſuam diſcipulis potentiam oſtendendi captaret. Qui enim tributarios ſibi habet piſces maris, qui nullius Cæſaris imperium agnoſcunt, eum certe liberum à vectigalibus eſſe oportet. Piſcis enim tanquam Chriſti ſubditus, tempore ſibi à Chriſto præſcripto imperatum ſibi cenſum pendere paratus, & ad Petri hamum tanquam ad publicam cauſam ſtaterem offert. Hac autem tributi penſitatione Chriſtus nos à Diaboli ſervitute vindicavit, ut non eſſemus ſatanæ vectigales, illi impoſitas nobis à ſe operas præſtando; ſed ut, &c.

hinc ejus ſpontanea paupertas obſervanda,

Hinc autem liquet quam ſponte paupertatem Dominus ſubivit, ut nos ſua paupertate ditaret: cui tam facile erat argentum parare, qui non tantum homines ad locupletandum attrahere potuit, ſed & piſcibus vectigal imponere. Nec enim difficile fuit ei qui ſtaterem in ore piſcis vidit, auri multas fodinas ad ſuum & ſuorum uſum comparare. Quod quidem non temere fecit, ut fraterculi, ſed officio mediationis hoc exigente. Hoc etiam noſtra nimium acquirendi divitias ſtudia frangere & reſtringere debet: ne poſitos nobis pietatis & juſtitiæ cancellos tranſeamus habendi ſtudio; ſed ſciamus Chriſtum, qui nobis honeſtis & conceſſis laboribus victum & veſtitum pollicitus eſt, facile quod promiſit præſtiturum.

& in noſtra paupertate nunquam diffidendum.

Deinde ne ad paupertatem aut ad extremam penuriam redacti animos deſpondeamus: cum Chriſtus in mari ſuam officinam habeat, ubi aurum & argentum procuditur. Huc ſpectat Eliam voraciſſimarum avium opera foveri. Nec minus quod ab Ægyptiis aurum &c. elicuit, quod in Iſraëlitas contulit. Monarchæ magni unam aut alteram officinam habent in qua pecuniam procudunt; Chriſtus vero infinitas, &c. Qui autem hanc potentiam tum declaravit quum nulla neceſſitate urgerentur ſui, nedum nobis non deerit, cum exhauſti iis deficimur quibus ad vitam opus ſit.

MATTH. *cap.* 18. *à verſ.* 1, *ad* 8.

E O ipſo tempore adierunt IESVM diſcipuli, dicentes; Quiſnam maximus eſt in regno cœlorum?

2 Et quum advocaſſet puerulum IESVS, ſtatuit eum in medio eorum.

3 Et dixit; Amen dico vobis, niſi vos converteritis, & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.

4 Quiſquis igitur ſubmiſerit ſeſe ſicut eſt *puerulus iſte, is eſt maximus ille in regno cœlorum.*

5 Et quiſquis exceperit aliquem puerulum talem nomine meo, me excipit.

6 Quiſquis autem offendiculo fuerit uni ex parvis iſtis qui in me credunt, præſtiterit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.

7 Væ mundo ab offendiculis, neceſſe eſt enim ut eveniant offendicula: verum tamen væ homini illi per quem offendiculum evenit.

MARC. *cap.* 9. *à verſ.* 33, *ad* 38.

33 Venit igitur Capernaumum, & quum veniſſet domum interrogavit eos; Quid in via inter vos diſceptabatis?

34 Ipſi

34 *Ipsi vero siluerunt : nam alii adversus alios disseruerant in via*, quis esset fu-
turus ipsorum *maximus.*
35 *Et quum consedisset, vocavit duodecim illos, & dixit eis; Si quis vult primus
esse, erit omnium ultimus, & omnium minister.*
36 *Et acceptum puerulum statuit in medio eorum : eoque in ulnas recepto, dixit
eis;*
37 *Quisquis unum ex talibus puerulis exceperit meo nomine, me excipit, & qui-
cumque me exceperit, non me excipit, sed eum qui misit me.*

LVC. *cap. 9. à vers. 46, ad 49.*

46 *Incidit autem cogitatio inter eos, quis esset eorum maximus.*
47 *IESVS vero visa cogitatione cordis ipsorum, acceptum puerulum statuit
apud se.*
48 *Et dixit eis, Quicumque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit:
& quicumque me exceperit, excipit eum qui me misit: nam qui minimus est inter vos,
is erit magnus.*

ANALYSIS.

MARC. 9, 33. Reprehenditur discipulorum ambitio; quæ arguitur ab effecto, nempe disceptatione quis sit futurus maximus in regno Christi; quæ disceptatio suo adjuncto tempore notatur, cum essent in itinere, postquam (ut videtur) illos de crucis perpessione admonuisset : reprehensio etiam describitur à subjecto loco communiore, Capernao, domo privata: adjunctum reprehensionis erat, Christi quæstio qua de re inter eundum disceptarunt.

Vers. 34. Cujus quæstionis adjunctum est, discipulorum silentium; quod sua causa declaratur, pudore, scilicet, quod de primatu disceptassent.

Vers. 35. Indicatur exactius examen hujus rei; cujus adjunctum erat, quod Christus consedit, se veluti ad serium examen componens : post aliud Christi effectum notatur, quod duodecim ad se vocat.

MATTH. 18, 2. Hujus instituti de exactiore examine effectum est, nempe quod discipuli suam turpitudinem non posse celare percipientes, quæstionem de qua in via disceptabant in medium afferebant.

MARC. 9, 35. Illorum ambitionem retundit à diverso, dum docet primatum in ministerio in eo consistere, ut reliquis quasi postremus sit & illis minister.

LVC. 9, 47. Ad humilitatem hortatur à comparatione paris, puelli seu pusionis; quam exaggerat à specie, puello scilicet certo & singulari (*Matth.* 18, 12.) advocato & ob oculos proposito. Quod sua causa efficiente arguitur, quia scilicet cordis cogitationes cognoscens probe superbiæ illorum conscius esset, quæ hoc modo pudendum in modum retrahenda erat.

MARC. 9, 36. Narratur effectum Christi, nempe quod ulnis suis chare puellum complexus est, ut indicaret quam grata illi esset vel superbiæ vacuitas.

MATTH. 18, 3. Refellit illorum ambitionem ab adversis, scilicet abjectione animi; quam pari illustrat, nempe tali quæ in puello illo erat : ad quam hortatur ab adjuncta pœna, non fore illos in regno cœlorum honoratissimos nisi eam amplectantur; quod etiam exaggerat à comparatione minoris; non ingressuros quidem regnum cœlorum nedum maximos fore. Quæ omnia a testimonio confirmat vehementis asseverationis.

Vers. 4. Hoc suo adverso confirmat, quia qui se abjecerit ut puerulus, is erit maximus.

LVC. 9, 48. Illos porro in hac animi abjectione confirmat, ab adjunctis præmiis, quod qui talem excipit se excipit; quod etiam comparatione majoris, quod non se tantum sed Patrem suum accipit & amplectitur: denique, maximum fore qui animi humilitate minimus est.

MATTH. 18, 6. Præterea eos confirmat ab adjuncta pœna, eorum qui hos spiritu mansuetos rejecerint aut offenderint; quæ pœna comparatione minoris exaggeratur, satius nempe esse, &c.

Vers. 7. Præterea ab adjuncta execratione, eorum qui occasionem impingendi præbebant; quam execrationem amplificat à diverso, tametsi necesse sit scandala esse.

METAPHRASIS.

Capernai adhuc & in privatis ædibus sub- MARC. 9,
sistens, cœpit discipulos interrogare, quid 33.
esset de quo in itinere disceptarunt. Discipuli 34.
*pudore rei tam turpis prohibiti conticuerunt:
apud se etenim ultra citraque disceptarunt,
quis* (Luc. 9, v. 46. *ex illis*) *in regno Christi
(quod illi terrenum animo suo affinxerant)
maximus futurus foret. Sed Christus hujus rei* 35.
*accuratam cognitionem suscepturus, tanquam
se ad ejus examen componens, considet, &
duodecim longius à se remotos, ad se vocat.
Quod cum discipuli animadvertissent, nec* MATTH.
suam se turpitudinem Christum celare posse 18, 1.
cognoscerent, quæstionem quam agitarant ϑη-
λικῶς *in medium attulerunt. Ad quos Iesus: si* MARC. 9,
quis 35.

quis primus & summus in regno cœlorum esse cupit: tum primum animi dimissione, deinde opere & ministerii promptitudine & alacrita-
LUC. 9,47. *te maxime sedulum esse oportet. Quamobrem (conscius intimarum cogitationum animi elatione penitus imbutarum) ut hanc animi dimissionem familiarius & efficacius illorum, tum ad intelligentiam informandam, tum ad affectus commovendos proponeret, illius familiæ ubi divertebat puerulum ad se accersit.*
MARC. 9,36. MATTH. 18,3. *Illum accepit, ulnis complectitur, & in medio eorum omnibus spectandum statuit. Tum illos porro sic affatus est; sancte vobis confirmo, tantum abesse ut in regno cœlorum maximi futuri sitis, ut nullus vel aditus eo pateat, nisi ab ista animi elatione conversi & pœnitudine ducti, studio & affectu illi animi dimissione sitis, qua hic puerulus, qui per ætatem efferri & superbire nescit. Quisquis vero se dimiserit, ut hic quem cernitis puer, is in regno cœlorum ma-*
LUC. 9,48. *ximus futurus est. Quisquis etiam vel unum ex his exceperit, qui puellum hunc animi abjectione imitatur, hoc nomine quod ego illum amplexandum & excipiendum commendo: perinde is mihi gratum fecerit, ac si me ipsum excepisset. Qui autem me excipit, is non me tantum, sed Patrem qui me misit excipit atque amplectitur. Quamobrem qui hoc sensu minimus inter vos existit, is magnus & honoratus*
MATTH. 18,6. *futurus est. Neque vero quemquam deterreat, ac si hac animi dimissione imbutus, omnium injuriæ & conculcationi expositus foret? quicunque etenim unum ex his, qui in me credentes puerulos animi abjectione exprimunt, objecto offensaculo impingere fecerit aut à recto tramite depulerit, satius illi foret gravem molam, qualem asinus in molendino circumagit, collo suspensam habere, & profundo maris*
7. *demergi. Quamobrem ô ter quaterve infelices in mundo homines, offensionum & scandalorum nomine! Negari quidem non potest quin necesse sit ut obveniant scandala, ut piis probatis defectores pereant: sed ista necessitas non impedit quo minus cum scandala præbentes, tum in illa impingentes maledicti sint, quandoquidem hæc necessitas illis in maleficio patrando voluntatem non aufert.*

PRAXIS.

Historiæ de disceptatione discipulorum & Christi reprehensione summa;

Discipulorum duodecim animos illapsa est cogitatio, quis ex eis major & honoratior foret; quæ quidem illas vires in animis illorum collegerat, ut illam ignominiam suam sermone proderent: nec illam leviter attingendo, & veluti sicco pede prætereundo, sed disceptatione pertractando. Christus autem tametsi disputationi non interesset, tamen cum vel cogitationes ipsas perceptas haberet, nedum actiones, nactus oportunitatem *Marc.* 9,33. cum in domo esset, quid esset quod inter se agitarent rogitabat. Illi pudore illius rei dicendæ affecti obmutuerunt. Christus vero considens, & se ad omnem hanc causam cognoscendam & judicandam componens, illos ad se propius advocavit. Qui cum viderent se à Christo premi, & simul recordarentur illum nihil celari posse, rem ut gesta est narrant; & de summis præfecturis in regno cœlorum quæstionem motam esse confirmant. Christus vero simul & argumentis & ὑποτυπώσει subjecto puerulo, quem in illa domo arripiens in medio statuit, Discipulorum & eorum superbiam retundit, & ad sectandam humilitatem hortatur.

Quem sermonem cum ut videtur non tam cupide ut decuit amplecterentur, eum Ioannes importune abrupit, dum se cum suis quendam dæmonium ejicientem in nomine Christi, ne illud deinceps faceret, prohibuit; quod se illis non aggregaret, nec Christum sequeretur. Discipulis autem Christus ita respondet, ut illos temere fuisse coarguat; probare enim se, si quis quid faciat ejus nomine, tametsi non omnino illa dum fiducia præditus sit, ut aperte & palam se profiteri ausus sit Christi discipulum & sectatorem esse. Qui enim usque eo stat à Christi partibus ut ejus causa poculum gelidæ aquæ porrigat, eum non sua mercede privatum iri confirmat. *etiam Ioannis ad Christum querela.*

Cujus summa est, ut nobis cum insitam animorum elationem, qua & nos ipsos efferimus, & proximos contemptui habemus, tum quid à nobis Christus ad huic malo medendum requirit ob oculos ponat.

Cujus *partes* sunt, de disceptatione primatus, cum { Seipsis. / Aliis.

In *priore* notatur { Lis. / Litis diremptio.

In lite causa notatur; scilicet quod cogitatio animos eorum subiit, quis major futurus esset, quum Christus regno suo inaugurandus esset. Somniabant enim regnum terrenum & officiorum & honorum distributionem, ut olim in Davidis & Salomonis regnis factum est, ubi singuli prout donis pollebant, & sua officia regibus probarant, altiore loco positi sunt. Hæc cogitatio (& hujuscemodi) nobis penitus insita est, & adnascitur; ut non mirum sit, si subiisse eorum animos MARC. 9,33. *Unde lis illa, de primatu inter discipulos orta?*

animos dicat Christus: unde etiam Christus *Matth.* 15. non *ingredi* dicit cogitationes pravas, sed *egredi* ex animo tanquam ex propria sede, & nativo ejus solo; nec tamen proinde verum non est, quod dicitur *ingressa* scilicet *cogitatio*: nam hoc refertur ad objectam occasionem & tentationem, quæ occasionem dedit cogitationem hanc prius in animo dormientem & sopitam excitandi. Semen enim harum cogitationum in nobis est, sed quasi in corde, tanquam sub glebis mortuum & putridum, donec oblata occasione vegetetur; vel tanquam fur in nobis latet, quoad prætereunte quapiam occasione veluti viatore proripit se ex antro suo. Semel accensa & arrepta à discipulis, statim adolevit, & vires accepit, ut jam amplius domi & clam contineri nequit; & semine concepto, ita illo conceptu gravidamur, ut tandem vel statim parere sit necesse. Denique semine sub terra germinante, non ita multo post herbam protrudit, &c. Quamobrem precandum, ut quoad fiat, tentationem fortiter repellamus. Quod si cogitationem admiserimus, danda opera est ut ilico suffocetur, demergatur, seu tanquam ad lapidem allidatur. *Gal.* 5. Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perficite.

quæ intolerabilior quod in abjectæ sortis, & inopportuna,

Hæc illorum ambitio tanto minus ferenda est, quo humillimo loco nati essent, ut mirum videri potuit quo modo hoc illos subeat, tanquam si spina Libani ambiret uxorem Cedrum 2 *Chron. cap.* 15. Quod si tempus notemus quo hæc disceptatio orta inter illos est, intelligemus adhuc quam virulenta est hæc pravitas nostra. Apparet enim tum motam esse hanc controversiam cum Christus apud illos de cruce ferenda præcepisset, suamque mortem prædixisset. Idem videmus factitatum fuisse *Luc.* 22. illa ipsa nocte qua ad mortem comprehendendus esset Christus. In quo vitiatæ nostræ naturæ pervicaciam cernimus, quæ eo magis suam fœditatem despumat, quo salutaribus doctrinæ & admonitionis repagulis cohibetur. Vide *Rom.* 7,7,8. Tam est enim deploratus hic morbus, ut sicut illius mulieris sanguinis profluvio laborantis morbus medicinis deterior & exulceratior factus; sic hic, &c. ut calx cui quo magis aquam infundit quis, eo magis accenditur; tanquam torrens rapidus, qui tanto impetuosior est, quo obstacula quæ cursum & fluxum ejus retardant, illi objecta & apposita sunt. Denique malum indomitum; & quod nulla alia re quam à Dei spiritu coërceri & cruciari posset. Nam ut in hostibus fit, ut quod uni parti probatur id alteri displicet, &c. sic, &c.

præsertim de rebus tantum imaginariis.

Cum hac autem pervicacia & pravitatis nostræ obstinatione, notandum est quanta insania aut delirium conjunctum est, ut quæ nos de his rebus inter nos committit quæ nusquam sunt. Nam honores illi quos sibi & animis suis confinxerunt, nulli omnino futuri erant. Sic fit sæpe ut umbram sectantes felicitatis quæ comprehendi nequit, rem ipsam nobis in os oblatam amittamus. Hoc fit ab his qui religioni se adjungunt, tantum ut terrena consectentur, ac si Euangelium ideo propositum sit.

Cur in privata domo hæc lis dirempta?

Hactenus de lite, sequitur litis diremtio: ubi consideratur, locus ad eam rem delectus, quæ privata domus erat, quo hanc causam reservarat Christus, cum ut rem plenius tractaret, tum ut eos pueruli exemplo familiarius erudiret. Quicquid sit illud, certe non est quod *Pontificii* ex hoc loco astruere vellent, scil. clericorum (quos vocant) peccata omni ratione tegenda & operienda esse, ne palam evulgata & traducta authoritatem illis abrogent. Christus enim ideo causæ hujus tractationem inter discipulos inclusam tenet, quod non nisi ad eos hæc offensa pervasisset. Alioqui palam eos spectante populo redarguisset, si coram populo deliquissent: vide 1 *Tim.* 5. & *Gal.* 2. Ad eos enim ad quos fama sceleris aut peccati admissi pervenit, pertinere etiam & pertingere debet ultio & pœna peccati nomine imposita.

Hæc causæ diremtio consideratur in { Cognitione / Decisione } ejus.

Vers. 34. Ex discipulorum præ pudore taciturnitate nostra perversitas;

Quod autem interrogati de lite inter eos mota præ pudore nihil respondent, quam simus à salute consequenda penitus aversi, docet; ut qui malum nostrum celamus, & morbum seu vulnus non prodimus, unde medicinam consequamur. Est igitur pudor qui nobis & saluti nostræ inimicus est, cum scilicet nos pudet nostram turpitudinem ad hominum notitiam pervenire, & non pudet tamen nos illam admisisse, & ea infectos aut imbutos esse: cum vera resipiscentia & peccati sensus postulat, ut vel soli & remoti ab aliorum omniũ conscientia, pudore tamẽ suffundamur; quod certe faceremus, si vere peccati nostri & serio sensu & odio tangeremur. Sicut enim Adamus ex superioris pulchritudinis suæ experientia, cum præsenti quam contraxerat turpitudine comparata, pudore suffusus est, ne cum ipse solus esset, &c. sic, &c.

Quid

cur ad Christi interrogatum erubescant? Quid autem causa est quod ilico in his ad Christi unicam interrogatiunculam erubescunt, qui inter se tam confidenter & perfricta fronte disceptarunt, & quod illius vel solam coram Christo confessionem detrectant, cujus cum se invicem defensionem non reformidabant? scilicet, quod cum hominibus agentes sibi Deum judicem non proponunt, sed hominum, quorum est depravatum judicium & eorum simile. Sicut enim juveniliter exultantes, & ad omnem vitæ licentiam projecti, cum coram senatoribus & plenis dignitate viris consistunt, petulantiam suam cohibent quam licenter profundunt cum sui similes nacti sunt; sic si Dei judicium semper ob oculos proponeremus, magnum adjumentum ad frænandas nostras cupiditates adepti essemus. *Ioh.* 31. & *Gen.* 17. *Ambula coram me, esto integer.*

Vers. 35. *quo instante disceptationem non sunt ausi celare,* Post, Christo se ad causæ cognitionem componente & discipulos ad se advocante, cum intelligerent se urgeri tanquam propius majestati Christi admoti, fatentur quod res est. Christi enim præsentiæ sensu tacti, diutius celare non sunt ausi. Quod si nos cogitaremus, nunquam certe auderemus de veritate rogati, quod res est inficiari; maxime in judiciis seu civilibus, seu ecclesiasticis, tametsi illud jactura & famæ & facultatum fieret. Deus enim inter judices sedet ipse summus judex. In foro autem Ecclesiastico dicitur Christum adesse, ubi duo aut tres congregantur. Quam autem horrendum judicium illos manet, qui coram Ecclesiæ præfectis peccata à se commissa inficias eunt, cernitur ex *Actor.* 5. Quo uno judicio semel executioni mandato, documentum in omnem posteritatem Deus statuit, quam indigne ferat hominum in Ecclesiæ consessu mendacia: ubi & Petrus causam tam impudentis mendacii assignat, quod cum hominibus se commercium habere reputabant.

quæ à Christo plane rejicitur; Sequitur litis decisio: quæ huc refertur ut doceat nullum sibi inter Apostolos principatum probari. Quod si unquam causa fuit de primatu Petri præ reliquis dicendi, hæc certe fuit. Hic enim quæstio ejus rei mota est, quæ semel atque iterum refricata & renovata est. Quum ergo hoc loco non modo nullam pro Petro sententiam dixit, sed primatum etiam convulsit, impudentes & sine fronte sint, &c.

cum pœna ambientis in Ecclesia Sed quo modo principatus nervos elidit videamus. Et primum quidem ab adjuncta pœna ambientis, cum dicit eum qui primas partes in Ecclesia expetit, omnibus postpositum iri, id est, cum Dei judicio tum judicio omnium recte sentientium & incorrupte judicantium, contemptissimum iri. *est plane dejici,* Tametsi enim præfecturas in Ecclesia obtineant, & se suis sociis vel anteponunt vel anteponi patiuntur, tamen reipsa viles & abjecti sunt. Sicut enim membrum in corpore quod se altius attollit, aut latius se diffundit quam locus ejus postulat, & reliqui corporis convenientia, deformem aspectum habet; sic, &c. Hujus rei exemplum habetur in Pharisæis, qui &c. & *Ioh. epist.* 3. ubi ob privatum studium, Diotrephes omni posteritati infamis & turpis redditur.

contra Papæ fastum. Hanc rem confirmat horum temporum experientia, in quibus piorum judicio nihil tam detestandum est quam *Papæ* principatus, & ut quisque honore illum quam proxime accedit, ita omnium contemtui & irrisioni exponitur.

Per *extremum* vero & *ministrum* omnium, intelligit illum nullum fore in regno cœlorum, ut constat ex *Apoc.* & *Act.* *cap.* 3. vide etiam *proverb.* 11, 29.

hæc ex superbia orta, Alia ratio ducta à causa hujus primatus, scilicet superbia; cui animi humilitatem opponens, illam illustrat exemplo, & quidem Deo ante oculos repræsentato; ubi primum observandum est, causam hujus contentionis assignari superbiam: vide *Prov.* 14, 10.

Vers. 36. &c. *cum instar puerorum esse debeant* Mirifice autem contundit superbiam illorum, cum puellum illis præceptorem attribuit à quo discant: vide *Psal.* 131. Proponit autem puerorum humilitatem imitandam, ut qui per ætatem nondum sciunt quid sit dextra aut sinistra incedere. Docemur etiam in pietate proficiendum eorum exemplo, in quibus minima virtutis significatio apparet, nedum illorum qui vere exprimunt qui submisso & subacto spiritu sunt; ut Moses, &c.

à quibus etiam libenter doceri, Eorum etiam superbia hic retunditur, qui nolunt à junioribus doceri. Si enim infantium puerili conversatione proficiendum est; nedum adolescentium sacris & sanctis admonitionibus. Et si puerorum actionibus, quæ instinctu naturæ faciunt, nedum illis quas duce Spiritu Sancto faciunt.

nec ex eorum contempto statu absterreri. Ne vero contemptus puelli status, cui pios assimilat, nos absterreret ab hac animi abjectione, dum sic nos omnibus omnium injuriis expositos fore animo percipimus, subjungit non minus periculum oppressoribus nostris incumbere, quam si in Christum ipsum cujus membra sunt insurgerent, adeoque

adeoque in Deum ipsum: sic *Psal.* 131. consolationem hanc subjicit, *expectationem habeat Israël in Iehova.* vide plura in hunc locum *ad Luc.* 18,1, *&c.*

MARC. *cap.* 9, *à vers.* 38, *ad finem Cap.*

38 *Respondit autem ei Iohannes, dicens; Præceptor, vidimus quendam per nomen tuum ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos: & prohibuimus eum, quia non sequitur nos.*

39 *IESVS autem ait; Ne illum prohibete: nullus enim est qui edat virtutem per nomen meum, & possit cito male loqui de me.*

40 *Nam qui non est contra nos, pro nobis est.*

41 *Quisquis enim potum dederit vobis poculum aquæ in nomine meo,* id est, *quod sitis Christi, amen dico vobis, nequaquam perdiderit mercedem suam.*

42 *Et quisquis offendiculo fuerit uni ex parvis istis qui credunt in me, bonum esset ei potius si circumponeretur saxum molare circa collum ejus, & projiceretur in mare.*

43 *Quod si manus tua facit ut tu offendas, abscinde eam: bonum est tibi ad vitam ingredi mancum* potius, *quam duas manus habentem abire in gehennam,* id est, *in ignem illum inextinctum.*

44 *Vbi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.*

45 *Et si pes tuus facit ut tu offendas, abscinde eum: bonum est tibi ingredi in vitam claudum,* potius *quam duos pedes habentem projici in gehennam,* id est, *in ignem in extinctum.*

46 *Vbi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.*

47 *Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum: bonum est tibi introire in regnum Dei luscum,* potius *quam duos oculos habentem projici in gehennam ignis:*

48 *Vbi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.*

49 *Nam omnis* homo *igne salietur: & omnis oblatio sale salietur.*

50 *Bonus est sal: si vero sal insulsus fuerit, quonam ipsum condietis? habete in vobis ipsis salem, & pacem habete alii cum aliis.*

ANALYSIS.

Adjunctum adhortationis ad animi submissionem est, quod Iohannes intempestive hunc sermonem abrumpit: proponit autem aliud effectum ambitionis Apostolorum, quod prohibuissent quendam in Christi nomine ejicientem dæmonia, ne hoc facere pergeret. Quæ prohibitio sua causa declaratur, quod Christum (sicut illi) non sint sequuti.

*Vers.*39. Hujus dicti effectum est, Christi responsum, non fuisse prohibendum; cujus ratio assignatur ab adjuncta commendatione, qua Christum prosequebatur, qui ejus nomine miracula edit.

*Vers.*40. Aliud argumentum ab adjuncta opera, quam Christo præbet; quod sui adversa negatione illustratur, quia non est adversus Christum.

*Vers.*41. Illud à comparatione minoris probat, cum qui gelidæ aquæ poculum præbet Christi nomine mercedem non perdet, nedum qui dæmonium ejicit.

*Vers.*42. Revertitur ad sermonem abruptum à Ioanne, & confirmat suos adversus carnis suggestionem, de conculcandis his qui se submittunt: & pœna, quam comparatione minoris amplificat.

Vers. 43, &c. Causas offensionum & scandalorum indicat, vitiosos animi affectus, quos cum membris corporis vel maxime necessariis comparat, illaque ipse abscindenda docet à comparatione minoris, minus enim malum est mancum in cœlum migrare, quam partibus & membris omnibus expletum in inferno deprimi; quæ pœna similitudine ignis inextinguibilis, & vermis nunquam morituri exaggeratur.

*Vers.*49. Hanc carnis mortificationem, ad quam adhortatus est, illustrat duabus comparationibus similium. Sicut enim sacrificium, igne cœlitus dimisso consumptum, Deo placebat: sic nos igne quodam Spiritus purgandi sumus, ut ignem gehennæ declinemus. Et ut munus dapale non placebat, nisi sale conditum; sic nos non sumus accepti Deo, nec à vermium corrosione immunes, nisi sale Spiritus Sancti redundantes affectuum humores defecentur.

*Vers.*50. Ad hanc salis conditutam Apostolos hortatur, ab adjuncto Apostolatu quo defuncturi erant; erant enim hi qui alios sale condire debebant: præterea docet effectum hujus conditutæ,

quod

quod salem hunc intra se continendo pacem colent invicem: eo declarans causam hujus de primatu disputationis ortam ex defectu hujus salis.

METAPHRASIS.

38. *INterim dum Christus ad animi submissio-*
nem hortatus sit, Ioannes horum sermonum
satur orationis filum abrupit, dicens; Magister
vidimus quendam tuo nomine & authoritate
dæmonia ejicientem: cui quod se nobis assi-
duum comitem adjungat, ediximus ne hoc fa-
cere pergeret. Quod ideo proponimus, ut quid
animi hac in re habes, cognoscamus, & an
persistenti tuo nomine ne hoc pergat facere in-
39. *terdicemus. Ad quem Iesus; nolite illum aut*
hominem quempiam prohibere: nemo enim est
meo nomine miracula, præsertim potentiæ &
majestatis plena edens, qui de me (cujus vir-
tutem expertus est, & cujus beneficio multo-
rum hominum gratiam collegit) facile loque-
40. *tur male. Huc accedit, quod à nobis stare ju-*
41. *dicandus est, qui se nobis non opponit. Omni-*
no enim sancte vobis affirmo, eum præmio affi-
ciendum esse, qui vel gelidæ aquæ poculum
contulerit, siquidem illud mei studio & amore
42. *fecerit: nedum qui dæmonium ejecerit. Et ut*
eo se referat oratio, unde hoc sermone depulsus
sum: quisquis scandalum & offensionem ob-
jecerit uni ex his qui submisso & subacto spiri-
tu sunt, tolerabilius ei foret, si quis ejus collo
molam asinariam circumponeret, quæ illum
in medium mare projectum demergeret.
43. *Quamobrem usque eo cohibendus ventosus a-*
nimi affectus est, ut tametsi tibi non minus
quam manus dextra charus sit: tamen potius
quam scandalum alteri præbendum impellat,
illum vehementi & continua obluctatione ab-
scindas. Satius enim est te mancum in vitam
ingredi, quam duas manus habentem in Ge-
hennam præcipitari, tanquam in ferventem
ignem, nullo unquam ævo exstinguendum.
44. *Vbi malæ conscientiæ vermis perpetuo arrodens*
non moritur, nec urens cruciatus remittitur.
45,46. *Et si vitiosus animi effectus non minus quam*
pes tuus charus sit, tamen potius quam te ad
scandalum alteri præbendum impellat, &c.
satius enim est te claudum in vitam intrare,
quam utrumque pedem habentem, &c. ut
47,48. *supra. Et si vitiosus animi affectus non minus*
tibi charus sit quam oculus tuus dexter; ta-
men &c. erue illum, satius enim est te luscum
in vitam ingredi, quam duos oculos habentem
49. *&c. ut supra. Quisquis igitur infernalem il-*
lum ignem declinare cupit, is Spiritu Sancto
tanquam igne cœlitus dimisso, suos affectus (in-
star holocausti) consumere debet. Et quisquis
malæ conscientiæ vermem perimere cupit, hic
(ut in dapali munere fieri consuevit) salem,
sed illum spiritualem, adhibeat, quo rancidis
carnis suæ humoribus desiccatis, arrodens ille
vermis perimatur. Quod cum omnibus com- 50.
mittendum est, tum vobis cum primis in hoc
sale non tantum (ut alii) condiendi estis, sed
ipsum illud præclarum sal estis, quo alii omnes
saliendi sunt: si enim vos qui sal terræ estis in-
sulsi deveniatis, qui demum inventi erunt,
qui vos cœlesti sapientiâ tanquam sale im-
buant. Quamobrem hunc salem inter vos
mordicus retinete: sic fiet ut pacem inter vos
colatis, nec de primatu (ut nunc facitis) inepte
& importune digladiemini.

PRAXIS.

CHristus languentes & infirmos nec ipse abjicit, nec ab aliis abjici patitur.

Partes sunt, { Iohannis oratio, quæ quæstionis naturam habere videtur. / Christi responsum.

Vers.38. Qua occasione Ioannes hanc quæstionem proposuerit?

Ex eo quod Christus dixerat, accipi scilicet se quoties aliquis suo nomine accipitur, Iohannes hujus sermonis occasionem arripit. Erat enim satur illius sermonis Christi, quem de eorum dejectione habuit, eoque minimam ansam carpit sermonem illum, tanquam ingratum & injucundum, abrumpendi. Hæc igitur est vitiata & perdita hominis natura; qua illum distædet sermonis de rebus sacris; maxime quæ corruptionem ejus attingunt: vide *Pro.* 15,31. & 32. &c. 15,18. Contra vide *Pro.* 17.

quotupliciter erratum quod dæmonia ejicientem discipuli prohibuerint?

Quod inconsulto Christo ipsum prohibuerunt, contra fidem est quam præstare debent ii qui Dei Oeconomi & clavigeri. Longe secus factum à Mose, qui fidelis fuit in tota domo ejus. Qui si quando incidebat difficultas, statim ad oraculum confugit: vide *Marc.* 9. qui etiam omnes Prophetas fieri exoptat. *cap.* 11.

Notandum quod primum prohibuerunt, deinde quærunt an recte fecerint: perverse; primo enim quæsivisse oportuit, &c. tales sunt qui tametsi consulunt ante factum, tamen apud se constitutum habent, quid acturi sunt. Vide *Ierem.* 42. Si enim pro eorum libidine respondeatur, tum Dei verbo ad carnis concupiscentiam implendam abutuntur; sin minus, tamen in cœptis pertinaciter pergunt.

Deinde morositatis est & superbiæ quod omnes alios ad suam normam exigant, & quidem ita, ut nisi per omnia conformentur

pro

pro nullis sunt. Potius consilium Apostoli sequendum. *Gal.* 6,1,2.*Phil.*3,15;16.Imitandus Christus, qui linum fumigans non extinguit, &c. *Matth.* 12. Huc accedit quod Christum sequi assidue non sit (ut illi) jussus, ideoque temere eo nomine ab illis damnatur.

Vers. 39. *quod à Christo plane improbatur;* In Christi responsione sunt 1. quæstionis decisio, 2. argumenta quibus sua sententia innititur. In decisione sententiam contra discipulos fert; eundem enim animum habuit quem Paulus, qui in eo quod Euangelium prædicatum est, sive pure sive ex prætextu, gavisus est. *Phil.*1. etsi hunc sincere affectum non fuisse ex historia Euangelica non liquet.

Quæstioni quomodo jubet ne prohiberent, cum jam ante prohibuerant? respondendum, verisimile est eum non acquievisse in illorum prohibitione, nisi Christi autoritas accessisset; ideo, &c.

cum is de ipso bene sentiat, Primum argumentum ab adjuncta difficultate male de Christo loquendi, qui enim Christi potestatem in Dæmoniis ejiciendis expertus erat, &c. 2. Hoc modo gratiam apud multos inibat, dæmoniis liberatos, & eorum necessarios, & in honore habebatur. Tertio videbatur Pharisæorum invidiam & malevolentiam non reformidare. Cum ergo ad defectionem à veritate, aut Christi maledictionem, sollicitamur, recordemur primo vim & potentiam verbi quam in nobis experti sumus, secundo beneficiorum quæ ex Euangelio accipimus, honorem, gratiam, &c. Si nihil boni accepissemus, tamen, &c. quam prodigiosum ergo erit si & beneficiis cumulati, &c. vide *Mich.*6,3.*Populo mi quid feci tibi, quod me derelinquis &c. responde mihi: an illud est quod hoc & illud beneficium in te contuli?* hoc præsertim accommoda ad magistratus & ministros.

Vers. 40. *& à partibus Euangelii stet,* Secundum argumentum ab adjuncta illius statione à Christi & Euangelii partibus: quod arguitur à negatione adversi. *Qui non est contra me, &c.* Obsecro quam facilem herum habemus, qui officia manca & mutila & nævis aspersa non rejicit. Sic Nicodemi clandestinum ad illum accessum boni consulit; quem tamen jure fastidire poterat. Ecquis hominum talem servum admittet quem pudet palam profiteri, &c. tamen cavendum ne nobis assentemur aut in istis initiis placeamus. Christus enim quæ initio & quasi ineunte ætate accipit, post non accepturus est. Vide exemplum Nicodemi, qui post illum palam in consessu seniorum defendebat *Ioh.* 7. & tempore difficillimo eum seprehendo professus est. Mortales tamen servos ablegant, qui tanquam scopæ recentes suis negotiis obeundis, primo quoque tempore quo pedem in familia posuerint, se sedulos non præstiterint.

Hinc etiam constat omnes Christo adversos esse, qui ab illo non sunt; nulli in religione inspectores, omnes actores: contra *neutrales* quos vocant; ii omnes sunt Christi inimici. Bene cum hominibus interdum agitur, si homines a quibus impetrare non possunt ut ab illis stent, illis non obsistant; at Deus, &c. Ille vestem ex lana & lino non probat; nec agrum diversis seminibus consitum. *Lev.* 19,19. *qualis nemo qui tantum inspectat:*

Tertium argumentum ab adjuncto præmio, quo remunerabitur qui ejicit dæmonia ex populo Dei; quod comparatione a minori confirmatur, in verbis proxime sequentibus: quibus subjungitur, remuneratum iri qui vel poculum gelidæ aquæ dederit, nedum &c. modo in nomine Christi, & ejus amore. Hoc nos ad subveniendum indigentibus, & benefaciendum omnibus invitet. Hinc discimus nullum eximi ab hac parte cultus divini eleëmos. erog. vide *Luc.*21,1,2,3. vide supra. Vers. 41. *etiam ob hoc factum præmio sic dignus.*

De hac doctrina vide in *Matt.* 5,43. *usque ad* 48. Hoc loco mentio fit pedis, cujus ibi nulla mentio. Deinde ille locus Matth. eo spectat, ut quisque sibi à peccati labe & infectione caveat; hic vero ut homines absterreat, ne aliis peccandi ansam præbeant. In quo tanto magis luctandum, quod scandalum aliis objicientes & ipsi peccant, & aliis ut peccent occasionem præbentes seipsos secundo reos constituunt.

Observanda sunt, { Adhortatio. Argumenta quibus illa nititur. } Vers. 42, &c.

Adhortatio est, cavendum esse ne quis scandalum præbeat pusillis. Equidem prohibemur ne cuipiam scandalum præbeamus: sed major quædam cura adhibenda est, ne Ecclesiam offendamus, *Gal.* 6. *Benefacite omnibus, maxime iis, &c.* 1 *Cor.* 11. *Nemini offendiculum præbentes: neque Iudæis &c.* Nam si grave sit errantem in viam non revocare, quanto atrocius est viæ insistentem ab eadem depellere? Item, *qui tangit vos, tangit pupillam, &c.* ut quæ ratio sit læsæ pupillæ & reliquarum corporis partium, eadem, &c. Quod autem *cavere* dicit, periculum subindicat, tum quod offensiones nobis facile excidunt, & ab aliis non *Scandala infirmis nequaquam præbenda,*

minus prompte accipiuntur. Hic igitur circumspecte, ut Apostolus ait, ambulandum est, & sapienter, non ut insipientes,&c. Huc accedit, quod Christus ipse cavendum admonet. Plurimum enim interest ad cautionem ingenerandam, si consideraverimus quis sit qui nobis aliquid ad cautionem proponit.

cum præstaret maxime terribilem mortem subire, Argumenta sequuntur, quorum primum est ab adjuncta pœna; quæ argumento minoris exaggeratur, præstabilius scilicet esse ut lapide molari ad collum appenso demergatur, &c. Cujus quidem pœnæ generis videtur occasionem arripuisse, ex propinquitate maris, ad quod oppidum Caparnaum ubi tum agebat projectum erat. Mortis autem genus quod & horrendum sit & certissimum, ut qui nunquam possit tanta mole gravatus enatare, tamen longe inferius est pœna scandalis irrogata. Maris enim profundum si cum profundo inferorum comparetur, vix sympoli (*a crevvet*) locum habet: & gravitas molaris lapidis si cum ponderosissima arena aut plumbo malæ & erodentis conscientiæ componatur, vix plumam pondere æquat. Quo accedit, quod illum illic exiguo temporis spatio suffocat; hic vero mortem expetentem mors fugit: millies si fieri posset se in profundo maris mergi cuperet, & ab ipsis montibus opprimi atque obteri, ut huic pœnæ se eximat. Hic igitur consideretur quo animo homines esse solent in præbendis scandalis, quo pretio, levissimis ponderibus.

quo magis sollicite est cavenda, Hujus argumenti occasione, Christus apud Matthæum væ mundo dicit ex scandalis, quod nos magis sollicitos esse oportere docet. Cum enim in universum mundum ejaculetur Christus hanc maledictionem, maledictioque hæc tanquam volumen volans universum mundum oberret atque obambulet, cavendum ne in nos etiam, quos in aliqua mundi parte hærere necesse est, incidat.

præsertim cum ea necessario futura. Hanc cautionem promovet & majorem facit, quum necesse dicat fore ut sint scandala. Tametsi enim videatur hoc omnem cautionem tollere, cum malum ineluctabile sit, tamen re ipsa cautionem excitat. Quia tametsi necessario in mundo grassetur, tamen non nisi in certos quosdam homines, eosque incautos & imprudentes, incidit. Sic Christus ex unius traditoris sui inevitabili malo, omnes discipulos ad cautionem excitavit. Cum dicit filius hominis abit, sed væ illi qui tradet illum. Item, *unus ex vobis &c.* Execratio enim huc illuc volans, non in quamque domum residet; sed, &c. Quod si prædictione indicatum esset, latrones unam aliquam in urbe domum direpturos, an non tota urbs in excubiis esset? Deinde quod Christus exsecrationem stringat, qui illam ubi velit exsequitur, quantum nos movere debet, vide ex comparatione minoris *Iudic.* 17,1,2,3.

Superiorem adhortationem de resecandis & magna vi cohibendis & frænandis affectibus, usque eo ut non dubitemus manum præsectam abjicere, confirmat & illustrat elegantissimis similitudinibus à lege sacrificiorum petitis *Levit.* 2. ubi metaphoris *ignis* & *salis* notat afflictionum perpessionem: & efficientem causam Spiritum Sanctum scilicet, quo affectus illi turbulenti sedentur & subigantur. Sicut igitur sacrificia non nisi igne & sale adhibitis Deo placuerunt, sic non posse homines Deo placere, nisi afflictionibus tanquam igne & sale aspersi & conditi, suos affectus mortificarint & crucifixerint. Atque hanc interpretationem ipse Paulus confirmat *Rom.* 15,16. ubi non obscure *Spiritum Sanctum* opponit, *sali & igne*, in sacrificiis adhiberi solitis. Sicut enim verbi prædicatio per spiritum efficax est, veluti gladius quo cæduntur victimæ; sic etiam est *sal*, sic etiam est *ignis*, quibus victima in cibum Deo gratum paratur. Vide *Gal.* 5,16.& *Rom.* 8,13. Sicut enim ignis consumit vitiosa, & purgat impuriora; sic, &c. Sicut etiam sal carnes à putredine vindicat, noxios & rancidos humores corrigit, sanguinem redundantem desiccat & exsugit; sic, &c. vel sicut sale lumbrici (*earthly, belly, or man vvormes*) enecantur, qui in ventre, stomacho, &c. acerrimas punctiones excitant; sic, &c. Huc accedit quod vitia appellentur, *Caro.*

Vers.49, 50. Salis & ignis comparatio unde adducta?

quæ affectus à nobis consumendos docet: Hæ autem allegoriæ aptissimæ priori pœnæ formidabili opponuntur, ut doceant adhibendum nobis & subjiciendum ignem affectibus quo consumantur, si velimus ignem æternum declinare: hic adurendos esse affectus, nisi corpus simul & animam igne inextinguibili flagrare velimus: sacrum hunc ignem spiritus diligenter esse fovendum, nisi silvestrem divini judicii ignem experiri malimus. Atque ut salem spiritus adhibeamus, cujus acrimonia cohibeantur & desiccentur vitiosi humores, unde vermes nascuntur qui nos arrodant. Quod autem parum cohærens videatur, igne ut quis condiatur, nihil aliud intelligi vult, quam comparandum esse quemque ut ita sit Deo gratus,

tus, ut cibus bene conditus est esurienti aut vesciturо. Vide *Matth.* 3. *Baptizari igne.*

quare discipuli inprimis saliendi. Hoc vero suis discipulis eo commendat magis, quo illorum opera usurus esset ad alios saliendum; quodque ipsi inconditi & insulsi, deploratæ salutis forent & incurabiles: sicut, &c. Quod iis notandum est, qui aliquo loco sunt. Vide supra. Quamobrem monet, ut salem intus apud se habeant: unde foret, ut subactis & veluti maceratis affectibus, pacem inter se culturi essent. *Gal.* 5. *Fructus spiritus pax est.* Contentiones enim non aliunde provenire quam ab illorum cupiditatibus *Iacob.* 4.

MATTH. *cap.* 18. *à vers.* 10, *ad* 15.

10 *Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis: dico enim vobis, Angelos eorum in cœlis per omne* tempus *intueri faciem Patris mei qui in cœlis est.*

11 *Venit enim filius hominis ut servet quod perierat.*

12 *Quid vobis videtur? si fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex iis, nonne relictis ipsis nonaginta novem, profectus in montes, quærit eam quæ aberraverat?*

13 *Quod si acciderit ut inveniat eam, amen dico vobis, gaudet super ea magis quam super illis nonaginta novem quæ non aberrarant.*

14 *Ita non vult Pater vester qui in cœlis est, ut pereat ullus ex parvis istis.*

ANALYSIS.

SCandali infirmorum causam efficientem assignat, contemtum; quem retundit ab adjuncto ministerio Angelorum: quod amplificat à subjecto loco in quo ministrant, in cœlis, & effecto, quod vultum Dei intuentur, veluti avide expectantes ut mandata accipiant vindictæ, in eos qui infirmos contemnunt; quod effectum amplificat ab adjuncto tempore, quod perpetuo hoc faciunt.

Vers. 11. Aliud argumentum ab adverso, Christum venisse ut perditos servaret, & propterea impiũ esse perdere, quoad in nobis est ab illo servatos.

Vers. 12, 13, 14. Aliud argumentum est à voluntate Dei, qui non vult ut infirmi pereant; quod illustratur comparatione minoris, cujus propositio habetur *vers.* 12, 13. redditio vero *vers.* 14. voluntatem Dei probat ex delectatione quam inde capit, quam eodem argumento comparationis probat *vers.* 13.

METAPHRASIS.

10. *QVo facilius fratrum infirmorum offensionem declinetis, magna & diligens cautio vobis adhibenda erit, ne elati superbia illos tanquam abjectos, & nullius pretii aspernemini. Dico enim vobis quod (non unus Angelus qui infinitis perdendis sufficit) Angeli, illorum ministerio destinati, in cœlis assidue Deo Patri eorum cœlesti se promptos sistunt, cupide ipsius nutum & imperium præstolantes, quando illis mandaturus sit ut eos ulciscantur,*
11. *qui illos damno aliquo affecerint. Quod si ministerium Angelorum non satis sit ad vos permovendum; moveat quod ego filius hominis hoc consilio in mundum veni, ut oves & electos perditos servarem: ut absurdum & alienum sit oportet, vos (quoad in vobis est) servatos perdere. Atque ut Patris servandi cura* 12.
expressam imaginem ob oculos cernendam proponam, agedum, quid vobis videtur, si sint uni alicui centum oves, ex quibus vel una modo se subducens evagabitur, an non relictis 99 ad montes ubi palabunda oberrat profectus, errabundam quærit? Quod si illam inve- 13.
nerit, audacter affirmarim eum majori gaudio perfusum iri ex illa una inventa, quam ex nonaginta novem quæ nunquam ab ovili & grege depulsæ sunt. Cujus rei veritas ita clara & perspicua est, ut mihi quærenti quid vobis de hac re videatur, mihi non præbere assensum non potestis. Eadem prorsus cura (atque adeo in- 14.
finite majori) ducitur Pater vester Cœlestis, cujus non est voluntas, ut vel unus ex his quos mundus abjectissimos æstimat in æternum pereat. Quamobrem si nec Angelorum satellitium, nec mea in servando sollicitudo vos à contemptu infirmorum cohibeat, contineat tamen quod Patris mei Cœlestis voluntas non fert, ut unus ex minimis pereat. Aut quæ non singula per se, omnia conjunctim vos moveant, ne ex his minimum & abjectissimum contemtui habeatis.

PRAXIS.

IN genere de pravis affectibus coërcendis cum disseruisset, præcipuum quendam & specialem ad affectum descendit, unde scandala nascuntur: scilicet, contemptum fratrum: quo impellimur, ut illis neglectis & spretis, nobis placere studeamus. Tametsi autem in se contempti sint, tamen spectandum *Historiæ de contemptu fratrum summa.*

esse

esse satellitium Angelorum, qui illis suppetias ferre parati sunt, & eos qui illos lædunt ulcisci. Huc accedit, quod filius hominis ob eam causam in mundum venisse dicitur, ut perditos servaret. Quo magis nobis cavendum, ne servatos perdamus, nisi velimus Christo obsistere & ex diametro repugnare. Quin etiam Patri cœlesti hoc modo nos contrarios esse: qui non minus perditorum salutem curat, quam pastor qui amissam ovem ex centum quærens, & relictis nonaginta novem, illam requirit: & de inventa magis gaudet, quam de nonaginta novem quæ non aberrarunt. Cum igitur eorum salute tantopere gaudeat, graviter illis irascatur oportet, qui illas oves iterum dissipaverint & ab ovili abduxerint. Unde Angeli qui ultionem contra eos deposcunt, qui illos injuria affecerunt quorum curam susceperunt, Patrem ad eorum petitionem facilem habituri sint.

Cujus summa est, cavendum esse piorum contemptum unde scandala nascuntur, nisi velint gravem Dei vindictam experiri, illos à vita depellendo quos Deus singulari & summa voluntate & conatu ad vitam attraxit.

Cujus *partes* sunt, { Adhortatio. / Rationes quibus illa nititur.

Vers. 10. *Quid potissimum fratrum contemptum excitet?*

Contemptus cum sit filia superbiæ, primum danda opera est ut mater perimatur ut pereat filia: eoque Christus prius ad humilitatem cohortatus est. Pleraque autem sunt quæ contemptum fratrum & fidelium in nobis excitant; scilicet, quod plerumque afflicti sint, & in speciem abjecti, quo nomine mundus illos pedibus proterere paratus est; deinde quod zelo Dei & studio pietatis plerumque se ad illa abjiciunt, quæ sordida sunt hominum judiciis. Vide exemplum filiæ Saulis adversus Davidem: quod nullius in nos usus esse possint, 1 *Cor.* 12. Denique quod nudati præsidiis videantur, quibus vim & injuriam repellant. Vide &c.

Adversus hoc malum charitas medicinam præbet, quod cum amamus non contemnimus: maxime quod Petrus, &c. Adversum hunc contemtum vide 1 *Pet.* 2. *Rom.* 12, 10. *Phil.* 2, 3.

quo nunquam deverendum ob Angelorum præsentiam,

Argumentum ducit ab adjuncto comitatu & stipatione Angelorum, vide *Cant.* 7, 8. & *Psal.* 34. Pii igitur habent occultum satellitium, & quod veluti insidiis collocatur, ut ex improviso hostes eorum quos observant opprimant. Vide exemplum Elizæi *Esa.* 6. hoc ipso quod duas alas ad volandum illis attribuit Propheta, duas alteras illis attribuit eodem tempore quibus vultus suos obtegant, ne incomprehensibilem fulgorem Dei, quo obruerentur, aspicerent.

Hi intuentur vultum Dei semper, tametsi hic in terris sunt & nobis adsunt, non secus quam oculos herorum observant mancipia, &c. Vide *Psal.* Reges enim filios si non sine suo satellitio mittant, &c. præstolantes quando dominus eos ad ultionem eorum mittet, qui &c. Sicut enim Angeli petunt à Deo ut proficiscantur Aquilonem ad salutem bonorum; sic etiam studio ducuntur puniendi eos qui lædunt pios: vide exemplum vastandæ Sodomæ, quam festinarunt Angeli, ut Loti injurias adversus illos impios ulciscerentur. Si enim fidelis heri sui servus non possit æquis oculis intueri herilis filii injurias; quanto minus, &c. *qui Deum intuentes malos gestiunt punire;*

Caveamus igitur ne istos provocemus; tametsi enim illos non pertimescamus, attamen eorum stipatu, &c. Quis libenter illum irritaverit, qui amicum in oculo habet qui regi à cubiculo sit. Hic etiam requirendum consilium Christi. Quis adversus regem copias ducens *Luc.* 14, 31. nam quot centena millia Angelus una nocte cædit, vide 2 *Reg.* Quo etiam pertinet quod ferientem se non agnoscet. Quod proculdubio sæpius fit, cum nos illud non animadvertamus: vide *Psal.* Angelum Domini prosequi impium & illum impellere. Hoc pios omnes animare debet, ut omnia honesta & imperata à Deo efficiant, etsi videantur præsidio nudati. *quare isti non provocandi.*

Vers. 11. *Cum malorum finis perdere Christus conservare studet.*

Alterum argumentum est ab adversis studiis & conatibus Christi, & eorum qui scandalum præbent; quod si eos perdere conantur, quos ille servatum venit, hi diruere quod ille ædificare, hi interficere quos ille vitæ restituere: non colligere cum Christo dissipatio, non ædificare demolitio si censeatur, quid æstimabitur de iis qui non otiosi tantum opus intuentur, sed etiam utramque manum admovent, ut, &c. Sique perditum non relinquere cum Christo grave sit, quid erit servatum disperdere? Homines mutuam suam salutem non promovere inhumanum est; sed salutem impedire quam Christus provehit Diabolicum & Antechristianum est: maxime cum Christus omnibus nervis in hoc contendat ut perditum servet, eoque Ecclesia divina relicta naturam nostram assumpsit, paupertatem subivit, crucem denique ipsam 1 *Cor.* 11, 12, 13. & *Rom.* 14, 15, 20, 21. Cum igitur homines sibi commercium

cium esse cum homine putant, impingunt tamen in Deum ipsum: sicut enim homines impingentes in verbum seu sermonem, in Christum impingunt; sic in membra Christi & infideles, &c. Vnde Christus 9 *Act. Quid me persequeris?* Atque sicut prius quod fit in fideles sibi fieri Christus confitetur; sic, &c. Quid igitur opponamus tantis Christi perpessionibus? An honoris nostri causa ea faciemus quæ scandalum præbent? Atqui gloriam sibi debitam contemsit Christus ut fratrem servaret. Num lucrum ut colligamus? Atqui Christus totius mundi dominus, pauperrimam & tenuissimam conditionem delegit, ut eos ab interitu assereret. An ut voluptatibus perfruamur? Atqui Christus gaudio sibi concesso & debito se nudavit, ut, &c.

quod maxime imitandum; Nisi igitur nobis permiserimus ut Christum Dei Filium contemptum habeamus, nisi perpessiones ejus nobis viles & abjectæ sint, cavendum, &c. Sicut enim Iacobus summam fœlicitatem ponit, si quis fratrem errantem reduxerit *Iacob.*5,18,19. sic &c. Vide *Ezech.*33,20,21.

Vers. 14. cum etiam hoc Deus Pater velit, Aliud argumentum ab adjuncto, scilicet voluntate Patris, qui nolit quemquam perire ex iis parvulis; cujus voluntatem à nobis fieri quotidie precamur, quæ eadem bona, accepta & perfecta est. *Rom.*12,2. Angelos sanctos in nos irritare grave est: gravius Christum Angelorum dominum; gravissimum vero cœlestis Patris offensionem subire, qui est Christi caput.

Vers. 12, 13. Esse autem voluntatis Paternæ servare hos parvulos, illustrat à pari. Sicut enim è pastoribus aliquis qui idem centum ovium dominus est, si &c. sic Deus Pater mirifice delectatur conversione peccatoris: non enim tantum voluntas Patris est sed summa voluntas ne quis pereat. Quam voluntatem ejus declaravit, cum missis primum servis tandem etiam Filio suo non pepercit. *idque majori cura quam nos in rebus terrenis servandis sumus;* Tametsi enim nullus mortalium sit qui non erravit *Esa.*5,3. tamen hanc similitudinem ideo Christus usurpat, ut doceat quanto studio & amore Deus teneatur salutis nostræ; non minus scilicet quam &c. Tametsi hoc loco forte dicatur tanto gravius peccari in perdendo redemptum, quam incorruptum adhuc Adamum de sua integritate dejiciendo; quanto majus est Dei opus in collapsis restituendis, quam in integris creandis. Vide quanto desiderio tenebatur David reducendi perditi filii Absalonis. 2 *Sam.*14,1. Vide etiam quam chare Iacobus amissum Iosephum & denuo recuperatum complexus est, eumque omnibus fratribus prætulit. Hic igitur quo modo Dei sanctissimam voluntatem æstimamus considerandum est, an leviculas cupiditates illi præferimus nec ne.

quæ tamen immodica. Hoc modo proditur etiam hominum improbitas, qui de perdita ove tantum curam agunt, cum de fratre depellendo de via parum solliciti sint. Vide Cishum, qui filium cum servo ad quærendos asinos, &c. Vide Shimei exemplum. Atqui lex quo majorem curam excitaret tuendi fratris, vel bovem proximi errantem reduci vult, & domum suam deduci.

MATTH. *cap.* 18. *à vers.* 15, *ad* 21.

15 Si vero peccaverit in te frater tuus, ito, & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.

16 Sin vero te non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos: ut ex ore duorum aut trium testium confirmetur res tota.

17 Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus quispiam.

18 Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo: & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cœlo.

19 Rursum dico vobis, si duo ex vobis consenserint in terra, de omni re quam petierint, fiet eis à Patre meo qui in cœlis est.

20 Vbi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.

ANALYSIS.

SCopus est docere quid faciendum cum scandalum præbetur: ubi distinctionem subinnuens privati scandali, à publico docet scandali privati adjunctum esse privatam reprehensionem ejus qui scandalum præbuit. Ad quam reprehensionem seu redargutionem sollicitius faciendam hortatur ab adjuncto præmio, quod sic fratrem lucrari poterit.

*Vers.*16. Reprehensione non acquiescentis aliud adjun-

adjunctum proponit, nempe aliam reprehensionem; quæ describitur adjuncto numero, unius aut duorum qui in societatem secundæ reprehensionis adhibendi sunt; quod suo fine arguitur, ut sint pertinaciæ ejus (si in peccato perstiterit) testes apud Ecclesiam.

Vers. 17. Redargutionis repudiatio suo adjuncto describitur, nempe ut ad Ecclesiæ judicium deferatur: cui si obsequium non præstiterit, adjuncta pœna proponitur, ut pro ethnico & publicano habeatur.

Vers. 18. Confirmat pœnam ab Ecclesia impositam efficiente, Deum illam ratam habituram; quod à subjecto loco cœli amplificatur: illustratur autem similitudine ligandi, & pari, perinde in cœlis ratum fore atque in terris; quod etiam suo adverso confirmatur. Quæ omnia testimonio vehementi & iteratæ asseverationis confirmantur.

Vers. 19. Illud comparatis minoris confirmatur, judicium quod duo ferent non fore irritum, nedum Ecclesiæ: ubi etiam adjunctum censurarum Ecclesiæ indicat, preces in nomine Christi.

Vers. 20. Causam assignat firmitatis censuræ Ecclesiasticæ, quia Christus se illis conjungit, qui rite in hac censura incedunt.

METAPHRASIS.

15. *Expedita cautione quam Ecclesiæ cives adhibere debent, ne quamcumque de causa offensionem præbeant: si (quod fieri aliquando necesse est) quis offensam præbendo peccaverit cujus tu conscius es (tametsi in te non admittatur) delinquentem non odio habebis, sed ex fraterna charitate illum privatim inter te & illum peccati convictum admonebis. In qua admonitione si acquiescit (cujus magna spes est si debite adhibetur) fratrem tuum lucratus eximium opus perfeceris.*
16. *Quod si acquiescere renunciaverit, ab incepto fratrem lucrandi instituto non desistes, sed assumpto uno aut (ad summum) altero (ne fratris famam & existimationem traducas) illum denuo adorieris; quem numerum admonitorum ideo impero, ut duorum aut trium authoritate commotus cedat, aut si hoc minus præstet aditus muniatur ad Ecclesiæ graviorem censuram, trium aut (minimum)*
17. *duorum testimonio niti par est. Quod si ne illorum quidem admonitioni aurem præbeat, rem totam ad Ecclesiam defer, per eos qui in Ecclesia rerum potiuntur: in Ecclesiam vero si immorigerus sit, cum illo sic te geres, ut non magis in sacris cum illis communices, quam cum ethnico & à Deo prorsus alieno; in vitæ autem consuetudine sic te erga illum habebis, ut Iudæi erga publicanos, genus hominum adeo illis invisum, ut cum illis cibum sumere*
18. *recusent. Hanc Ecclesiæ censuram (utpote verbis comprehensam) peccator forte tanquam terriculum aliquod superbe contemnet: sed sancte vobis affirmo, fore ut quemcumque, quocunque de peccato, ex verbi norma vinculis iræ & furoris divini vos constrictos & ligatos pronunciaveritis hic in terra, eosdem eadem de causa reos in cœlo peragi scitote. Quod* 19.
ut ad terrorem peccaturi in peccato obfirmato dictum à me est, sic ad studium resipiscentiæ accedendum, scitote fore ut quemcumque quocumque de peccato (debite & verbo congruenter) in terra absolveritis, illam absolutionem in cœlis ratam & gratam haberi. Cujus rei ut certior apud vos fides sit, amplius & majus quoddam dico, quod si vel duo modo ex vobis qui ad Ecclesiam aggregamini, de re quapiam in terris (verbo congruenter) consenserint, eandemque Deo per preces commendaverint, idem illis à Patre meo qui in cœlis est perficietur: quanto magis id fiet, cum Ecclesiæ totius judicium & consensus (precibus ad Deum fusis corroboratum) intercesserit. Vbi 20.
enim duo aut tres meo mandato & authoritate freti congregati fuerint, ibidem & ego divina virtute mea, vel data resipiscentia ad gratiam, vel negata ad vindictam & judicium, adsum.

PRAXIS.

Postquam suos Christus ab injuriis, piis præsertim inferendis, deterruisset, ex quibus scandala nascuntur; docet quo modo injuriam patientes se erga eos habeant qui eos lacessunt. Primum igitur docet acceptam injuriam illam inferenti exponendam, quam si agnitam deprecetur non esse ulterius persequendam; illum enim magnum quæstum fecisse qui fratrem lucratur: sin in peccato persitet adeundum & conveniendum secundo, atque unum item, & si fieri commode potest, alterum adhibendum, quorum aut autoritate in admonendo pareat, aut testimonio si obstinatior fit legitime convincatur. Quod si illis non cedat ad Ecclesiam deferendum: cujus autoritate nisi commoveatur, pro Ethnico & Publicano habendum esse; nec dubitandum quin quam sententiam in pervicaces tulerint in terris, eam Deus in cœlis gratam & ratam habuerit. Nec vero totius modo Ecclesiæ ratam fore sententiam, sed duorum etiam & trium illorum quos diximus, non fore irritos & inanes labores aut preces, quæ ad emolliendum aut ad stupore percutiendum peccatoris animum adhibendæ erunt. Quandoquidem Christo inter illos præsente, ejus præsentiæ effectus & potentia ubertim conspicua reddetur,

Historia de admonitione fraterna summa.

peccato-

peccatorem aut revocando ad frugem, aut ejus impietatem ad omnium odium prodendo.

Vers.15. Quomodo nobis gerendum cum à fratre lacessiti?

Sicut prius sub uno scandalo contentionis de honore omnia scandala complexus est, & adversus omnia dicendi occasionem arripuit; ita nunc quid faciendum docens cum alius nosmet ipsos lacessit, eadem opera docet quomodo occurrendum & obsistendum est omnibus scandalis, quæ non in nos tantum, sed nobis solum consciis in alios fiunt, vel maxime in Deum. Docet autem non esse vim vi repellendam, unde peccatum peccato accumularetur; non odio occulto & clandestino in fratres flagrandum, aut fratris contemtum apud nos fovendum; non denique peccatum quod clam alios admissum est evulgandum & effutiendum, quæ omnia huic officio contraria sunt. Vide *Levit.* 19. Sed conveniendum fratrem & coarguendum quidem aperte, sed ita támen ut illud à charitate proficiscatur. Non enim odium alendum & fovendum est, ut dicitur 19, *Levit.* Sæpe enim fit ut plerique per nomen obsequii huic præcepto præstandi, omnem stomachum & acerbitatem animi sui utramque bilem in fratrem evomant, cum interim Dei gloriam, peccati odium, & fratris salutem inflatis buccis jactant. Nec tamen hinc concludendum, peccatores omnis generis privatim primum commonefaciendos, &c. 1 *Tim.*5,6. palam peccantes coram omnibus increpa. Vide 2 *Gal.* Deinde si conjuratio vel adversus Deum, ut *Deuter.*13,5,6,7. vel adversum Rempublicam ineatur, tametsi id mihi uni dicatur, non tamen hac lege privatim cum eo agere teneor, quod res non unum aliquem, sed, &c.

quod unumquemque fratrem delinquentem admonendum docet,

Hoc loco notandum singulorum in Ecclesia civium munus esse, ut delinquentem fratrem corripiant: contra quam existimatum sit à nonnullis, qui omnem hanc curam ad ministros & pres byteros devolvunt: vide contra *Heb.* 3, 12, 13. & *Thess.* 1,5,14. id confirmatur ab adjuncto vituperio eorum qui se à fratribus admoneri non patiuntur. 4 *Hos.* Si asinum aut bovem errantem proximi, nedum fratrem palantem revocare; si proximo à proposito itineris scopo deflectenti, viam commonstrare, quanto magis fratri cœlesti semita ad inferorum devia depulso errorem indicare debemus? Ecquod membrum corporis invenitur quod alterius membri pereuntis rationem non habet?

qui sæpe

In hoc officio admonendi confirmat ab effecto, quod hoc modo contingat fratrem servare, & ab exitio æterno vindicare: quod quanti præmii sit, facile intelligatur ex eo quod gelidam aquam propinans uni ex iis magna mercede compensabitur. *Matth.*10, 42. Ex quo facile intelligitur quam alieni à charitate simus, si fratrem periturum verbulo redimere & asserere valentes, ne tantillum quidem illius saluti tribuamus, pro quo Christus non dubitavit mortem obire crudelissimam.

ita servatur;

cum ea cura circa res terrenas:

Si quem prætereuntes viatorem, inter latrones de vita periclitantem videntes, periculo non eriperemus, cum illud nullo nostro graviore damno fieri possit; nemo est qui non hanc feritatem damnaret. Si quis magnificum regis sui palatium, maximis sumptibus exstructum, accensum igne cernens, ignem injectum non restingueret, cum illud paucula aqua illata fieri possit, eum omnes in regem inofficiosum & perfidum judicarent. Cum igitur contempto fratris admonendi officio, cum salutis fraternæ, tum divini honoris abjectam existimationem prodimus; cum delatum nobis à Deo honorem respuimus; denique cum singulare testimonium propriæ salutis hoc modo obsignandæ amittimus, meminerimus hujus tam præclari & præstantis officii. Contra vero, quam ulciscetur Christus hanc desertionem, qui corporis vincula, famem, nuditatem minime levatam & recreatam ulciscetur.

quamvis non succedat Deo tamen acceptum,

Quod si hunc fructum non consequimur, non tamen operam & oleum perdidimus, nec inanis est labor noster 2 *Cor.* 2, 15, 16. *Esa.* 49, 4, 5. Sicut enim beneficentia quæ in pauperes collata propter Christum tametsi in alienos usus, puta, gulam, ebrietatem, adulterium transfertur, sua tamen apud Deum mercede non caret; sic, &c. Nemo est tam ferus qui servo ob irritos aliorum vitio labores stipendium abducit, ne si nullo ad eum commodo redeunte, nonnullo etiam damno afficeretur: quanto minus nostri immemor futurus sit Deus, qui vel hominum pervicaciam novit ad suam gloriam & decus convertere? Hic igitur certum lucrum est, minime dubium aut suspensum, hæc mercatura quæstuosissima est.

quare ejus cura non statim abjicienda,

Tametsi vero non acquiescat nec admonitioni pareat, non tamen illius curam abjiciamus, neque pro deplorato aut insanabili habeatur. Sed si tam alte in cœno sui peccati defixus & demersus sit, ut nos illi extrahendo & extricando impares simus, aliorum operam

operam adſciſcamus. Quod cum in aſino noſtro ex foſſa educendo præſtare ſolemus, nedum in fratre hoc multo magis præſtandum erit.

ſed etiam cum moleſtia continuanda.

Nihil igitur nos vel moleſtia laboris, vel perverſitas peccatoris, vel mundi ludibria, qui alioquin πολυπραγμῶν, in hoc negotio omne ſtudium & operam ſuperfluam judicat, commoveant, quibus ab officio deterreamur, quo & fratris ſalus procuretur, vel opus noſtrum in illo reſtituendo plenum & expletum ſit. Hic igitur laborioſæ charitatis experimentum capere vult Deus; hic etiam voluptatis & ſtudii in proximi ſalute. Si enim voluptatem in fratrum ſalute capimus, illa nos facile diutius in hoc officio continebit; ut ſi minus eum poſſumus ad Chriſtum manu ducere, in lecto tamen decumbentem advocatis ſociis ad Chriſtum bajulemus. Si minus poſſumus cum ſolis beneficio perditum invenire, accenſa etiam aliunde lucerna eum quæramus.

Verſ. 16. *Cur Chriſtus alium aut tertium ad fratrem immorigerum adhiberi jubeat?*

Cauſa autem cur alium vel tertium adhiberi jubet, eſt ut ſive de facti nequitia & iniquitate diſceptetur, ſive de dolore ob patratum peccatum accipiendo agatur, ſive de damni compenſatione addubitetur, duorum aut trium teſtimonio convictus teneatur, totaque res illa plene teſtata & prolata ſit.

Deinde; ut horum præſentiam reveritus pudore perfundatur. Quamdiu etenim cum uno, & eo quidem ſæpe læſo & offenſo rem habeat, ſubit animum ejus tantum eſſe in ipſius quam in illius verbis momenti & ponderis, quod verbo affirmatur, verbo itidem negari poſſe.

Denique, ut hoc modo ſciat ſe ad tribunal Dei & Chriſti, productis teſtibus citari, qui adverſus illum teſtimonium dicturi ſunt, niſi eorum admonitioni pareat. Sicut enim Principes numeroſiorem legationem mittunt, niſi pauciori quod velint aſſequantur; (ut in Balaaco perſpicitur) ſic Deus repulſam in unius admonitione paſſus, plures ad peccatorem mittit, quorum autoritate fractus cedat.

Compara lectum & ſuſpenſum Sacerdotis de lepra judicium cum hac Chriſti θεραπευτικῇ. Hunc numerum delegit ut cum peccatori parceretur, dum ejus peccata tectiſſima maneant, tum ut veritati plene teſtificandæ abunde ſatisfieret; nec enim temere fratris fama proſtituenda eſt, nec famæ ejus cum aut ſalutis ſuæ aut veritatis teſtificandæ diſpendio conſulendum.

quo uno adhibito non temere plures adhibendi;

Ex tribus autem iſtis unus diſerte notatur qui primus peccatorem admonuit. Quod quidem primo ob id factum fuiſſe certum eſt, ut peccatum quam pauciſſimis innoteſceret. Deinde, ut ſi quod adminiculum ſuperioris colloquii cum poſteriore collatio ſuppeditaret, illud non deperiret. Alter vero vel duo reliqui non ſunt temere adhibendi, ſed ex iis, quoad fieri queat, deligendi; qui judicio & perſuaſionis dono potentiſſimi ſunt. Adde etiam eos deligendos, quorum aliqua eſt apud peccatorem gratia aut autoritas. Invenias enim pleroſque qui mucronem malint in viſcera ſua admittere, quam ſe quibuſdam dedere, qui iidem certis quibuſdam, de quibus melius judicant, prompte ſe ſubmittunt.

Verſ. 17. *quibus [illegible] pudeat peccator demum Eccleſiæ ſiſtendus;*

Quod ſi ſe adverſus horum etiam admonitionem obfirmaverit, non tamen idcirco aſpernanda ejus ſalus eſt, aut ſtudium ejus perſanandi abjiciendum; ſed incepto curſu pergendum, & coram celebriore Eccleſiæ conventu, tanquam comitiis centurialibus, (aut tanquam *Parliament or Starchamber*) citandus & ſiſtendus, ubi auguſtioris Chriſti præſentiæ ſenſu perculſus, peccatum agnoſcat & deprecetur. Sic *Numerorum* 5, 15, 16, 17. Dominus ad cauſæ diſceptationem, vult fœminam adulterii (quod illa negat) ſuſpectam, in ſanctuario ſiſti, ut loci reverentia permota, quod res eſſet confiteretur. Eccleſia autem Dei verum ſanctuarium eſt; cujus ſinguli cives, ad minimum uſque, ſpirituali ſapientia ipſos Salomonis conſiliarios ſuperant: qui tametſi externo ſplendore & comitatu inſignes non ſunt, tamen gemmis notitiæ divinæ & ſanctitatis fulgent magis, quam ſi deauratis veſtibus purpura & coccino induti eſſent. *Apoc.* 12, 1. Cujus gloria tanta eſt, ut vel pulverem pedum ejus à Regibus ipſis lingendum eſſe Propheta prædicet. Cujus quidem cœtus, quantumvis in mundo abjecti, quanta gloria ſit, ex ipſius miniſtris & ſatellitibus, angelis ſcilicet 1 *Cor.* 11. perſpicitur.

quod Chriſti ſtudium in perditos declarat.

Hoc loco patet quanto ſtudio ſalutis perditorum Chriſtus tenetur, qui totam Eccleſiam illorum ſanandorum & quærendorum curam ſuſcipere vult: non ſecus quam ſi toto collegio Chirurgorum & Medicorum coacto, ſinguli ſymbolum ſuum conferrent ad ægroti ſanationem, ne tam acrem medicinam & tam violentum remedium ſine matura deliberatione adhibeatur. Qui etiam tanto diligentius hoc curabunt, quo intelligunt

membrum

membrum suum esse quod corruptum & languidum est.

Huc etiam accedit ejusdem Ecclesiæ judiciorum facilitas & mansuetudo, quæ in resipiscentia delinquentium tanquam in plena compensatione acquiescit, neque porro quid nomine pœnæ infligit. Ob eam causam minus ferendi sunt qui hanc tam salubrem medicinam non ferunt, sed omni conatu & nisu ei se opponunt, aut illa non proficiunt.

Quam Ethnici & Publ. invisi quales Eccles. non audientes habendi?

Ἔστω σοι ὥσπερ.] Ethnici & Publicani Iudæis erant exosi, ii quidem morum corruptela, & vitæ perversitate, saltem ut Iudæi sibi persuadebant, qui tributi executionem illegitimam duxerunt, illi vero peregrino & alieno cultu. Et quidem Publicanos legem amplectentes & circumcisione notatos & obsignatos, à sacris arcere cum non possent, aut certe ob eam causam non auderent, quod Cæsari gratos & acceptos esse intelligerent: à reliqua vitæ familiaritate & consuetudine repellebant, utpote à convictu & mensis. *Matth.* 9. Ethnicos autem à sacrorum communicatione & societate abigebant, quibus ne templum quidem ingredi fas erat. *1 Lament.* 10. & *Act.* 21, 28.

Aptissime igitur hæc Christus conjunxit, ut tum à sacris tum à consuetudinis familiaritate amotionem indicaret. Nec enim suffecisset dixisse, habendum esse pro Ethnico, quia cum illis convivere & eadem cum illis mensa uti fas erat *Levit.* 4. nec satis fuisset eum publicani loco habendum denunciare, quia illis sacrorum copia permissa est. *Luc.* 18. Sed utrumque conjunxit, ut plenam & justam divulsionem notaret.

hinc mali hujus quanta pervicacia?

Hic igitur reputanda est mali hujus pervicacia, quod Dominus tam gravi pœna mulctat, tametsi ex levissima forte offensa natum sit & profluxit, rebellio enim est tanquam idolum aut præstigium. Perinde ac si quis alium ex filiis suis è numero fratrum expungeret, illique mensam aut inter servos aut potius inter mendicos, qui foris fragmenta captant, attribueret. Perinde etiam ac si illi mandaret ne se patri post videndum præbeat. Tanquam lepra infectus ex urbe ejicitur, ut tanquam Nebuchadnezarus ex palatio Ecclesiæ exturbatus, herba cum bestiis agri vesceretur, & rore nocturno perplueretur & irrigaretur, promisso capillitio & ungulis fœde prominentibus. Tametsi hæc conditio magis truculenta est non ex palatio terrestri, sed ex cœlesti exturbari, non ad bestias, sed ad inferorum & immundorum spirituum consortium relegari: unde *Apost.* 1 *Cor.* 5. & 1 *Tim.* 1. *satanæ traditionem* appellat. Cum enim totus mundus in alterutrius aut Dei aut Diaboli ditionem & dominatum cedat; qui ex Ecclesia ubi Christus dominatur ejicitur, is in Diaboli veluti regnum & imperium transit, & ex cive cœlorum inferorum incola redditur.

Hujus vero tā- severæ senten- tiæ finis *partim* { Dei gloriam / Hominum salutem } respicit.

quæ pœna ad Dei gloriam ita infligenda,

Ad Dei gloriam spectat, ut intelligatur domum Dei non esse caveam immundorum volucrum, aut porcorum haram; sed esse civitatem sanctam per quam Cananæus non transeat, esse sedem & domicilium justitiæ sanctum, Dei templum non speluncam latronum, non lupanar aut fornicem, sed locum ubi virginalis castitas colitur: vide *Psal.* 101. curam & sollicitudinem quam David pollicitus est se in familia sua instituenda adhibiturum. Deinde vero etiam in regno, ex quo omnes improbos exscindere constituit, hoc nomine quod Dei amicus sit, principes sibi lectissimos quosque & cultissimos viros delegit, qui ejus honori inserviant: vide *Daniel* 1. sordidos & rejiculos non admittit; quanto magis: quod cum non præstatur, videmus *Pontificios* hoc nomine ab Ecclesia abhorrere, videmus alios qui se ab Ecclesia subducunt. Si enim vere potuissent Pharisæi dixisse, amicus est peccatorum & publicanorum, habuissent quod doctrinam Christi suspectam illis reddere potuerit; contra vero peccata in Euangelio admissa, & ab eodem justis punitionibus expiata, nullam infamiæ notam Ecclesiæ inurunt.

Salus hominum consideratur vel in { Ejiciendo. / Reliqua Ecclesia. }

& ad ejecti majorem pudorem,

Et quidem in ejiciendo ut pudefiat, & pudore perfusus in viam redeat. Quamdiu enim quis commercia cum illo consuescit; quamdiu ad sacramentorum usum admittitur, utut prophanus & fœdus, sua tamen fœditate non commovetur; aut enim se non peccasse putabit, aut peccatum leviculum esse, nec magnopere deflendum, cum alios videat à se minime alienos. Quamdiu enim meretrici licebit matronarum consuetudine perfrui, sua illi scortatio nullum pudorem injicit; sed cum omnes honestiores matronæ ejus consortium deflectunt, tum demum, &c. Quamdiu furi licebit libere inter honestos & probos versari, eodem foro & civitatis jure uti, nullo furti sui pudore ducitur; sed, &c.

ac ne malum in Ecclesia propagetur:

In reliqua Ecclesia spectatur ne lues & infectio longius serpat, & tanquam gangræna totum corpus Ecclesiæ perimat. Unde & hic aliqua ex parte locum habet, præstare ut potius manca & clauda sit Ecclesia, quam ut tota pereat. Et sicut morbo pestis laborantem ex nostro commercio submovent,& extra urbem collocant, & non tantum à sanis, sed ab aliis ægrotis separant: sic qui hac peste infecti sunt. Sicut igitur pestem declinamus, sic, &c. Quamobrem ut olim tangentes immundam seu cadaver, seu, &c. immundi erant;sic qui cum excommunicato communicat, immundus ilico constituitur. *Parum fermenti totam massam, &c.* 1. *Cor*.5.

quomodo ab Ecclesia abscinditur qui tamen ejus membrum?

Sed *quærat* hic aliquis, quomodo satanæ traditur aut ab Ecclesia abscinditur,qui vere germanum Ecclesiæ membrum sit, tametsi morbo gravi & periculoso confectum,quandoquidem hac ipsa excommunicatione ejus tanquam Pharmaco utatur, ad sanandum eum qui pertinaciam suam prodiderit: neque fieri potest ut semel Christo insitus, unquam ab illo excidat. Huc quoque accedit quod 2 *Thess*.13,14,15. Hoc tamen videtur ad suspensionis censuram spectare, non autem excommunicationis.

Respondeo,hanc sathanæ deditionem & ab Ecclesia resectionem, occultam quandam & implicitam conditionem continere, nisi resipiscat. Non igitur penitus à corpore hoc gladio amputatur, sed quoad certas quasdam communicandi rationes, per sacramenta & familiarem consuetudinem. Alioqui enim admonitione cum singulis communicare fas est, perinde ac si quis sectione utens aliquid carunculæ & cutis, cui membrum adhæret, infectum relinqueret, quorum adminiculo post cum membri putredo adimitur cum reliquo corpore denuo coalescat. Aut si vir uxorem scortantem à tecto & mensa separans, & ad tuguriolum aliquod relegans, ubi parce & tenuiter victum ad tempus toleraret, post illam ad frugem redeuntem denuo ad se acciperet: vide *Hest*. vide eundem locum.

Vers. 18. *Ecclesiæ sententia ut Christi ipsa rata futura,*

Argumentum ducit ab efficiente,quo sententiam Ecclesiæ in specie contemptam, & superbis hominibus ridiculam, graviter pertimescendam esse docet.Peccator enim perinde excipiet se non multum morari hominum judicium: Dei unius esse sententiam condemnationis pronuntiare, Deum esse propitium: atque ob eam rationem, quamdiu igitur Deus nihil constituerit, non admodum se laborare quid homines dicant. Christus hanc orationem præripit, & hoc modo retundit, tam esse efficax quod Ecclesia fecerit, quam si ipse idem fecisset; imo ipsum in judicio & pro tribunali in Ecclesia sedere, & sententias ipsas ferre, ne Ecclesiæ sententiam contemnendam ducant, nisi Dei etiam judicium contemtui habere eis adlubescat: Deum enim ratum habere in cœlis quod in terra ab Ecclesia statutum fuerit; portam cœli ei occlusam iri, cui illa Ecclesia ostium & valvas obturaverit; rem sacramenti illis substractam iri, cui Ecclesia sacramentum negaverit; eum & suipsius & angelorum communionem aversurum,ab eo quocum Ecclesia se consociandam non duxerit; eum sathanæ traditurum regendum, subigendum & torquendum, demum quem Ecclesia sathanæ tradiderit.Has igitur chordas & funiculos à Deo ipso contextos, fortiores esse quam ut disrumpantur,nodum ab eo adductum non posse solvi, neque reserari quod ab illo obseratum est. Quamobrem intelligere oportere peccatores & contumaces, sibi rem esse cum Deo non cum hominibus, ne se tanquam per aranearum telam excommunicationis sententiam perrumpere posse putent.Hujus rei veritatem si attendamus, facile fuerit deprehendere,&c.Circumferentes enim oculos perspicimus hac Ecclesiæ censura tam gravi aut peccatorem emendari, aut præcipitem ruere in omne malum, donec in profundum iræ divinæ lapsus formidabile Dei judicium experitur; ut non sit difficile videre eum sathanæ nexibus & laqueis impeditum ita teneri, ut inde se extricare & expedire non possit. Illud apparet in Alexandro, qui ejectus ab Ecclesia, non ita multo post eo impietatis processit, ut contra eum Apostolus æternam damnationem imprecari non dubitaverit. 2 *Tim*. 14,14.

quare ea magis extimescenda,

Si enim Dei judicium ante tanquam tinea paulatim esitabat, & virorem depascebat; certe post fulmen hoc divini per Ecclesiam judicii tanquam leo vorabit. Cum enim neque salutares venti eum perspirent,cum rore aut pluvia cœlesti non perpluatur,cum contra ignem, sulphurem, præsteres cœlitus in eum dimittat, cum Dominus bruchos,locustas, melolanthas, cum eruginem & uredinem immittat, quibus quicquid in eo viride est depascitur; nihil præter summam ruinam exspectandum. Gladius enim hic penetrantior est ancipiti gladio; &, si corpus non attingit,

præsertim cum ea immissa deteriores fiant:

tingit, intimos tamen animi recessus penetrat & pungit, & incredibiles, aut cæcitatis, aut cruciatus, aut utriusque plagas imponit. Eoque hoc à Deo severius executioni mandatur, quo ab hominibus, & à magistratu omnia illa quæ Ecclesia censenda & castiganda ducit, contemnuntur. Meminerimus igitur horrendum esse in manus Dei viventis incidere. Pœnitentibus quidem & peccata sua agnoscentibus verum est quod David confirmat, melius & præstabilius esse in manus Dei quam hominum incidere.

Vers. 19, 20. *etiam paucorum judicium ratum futurum, nedum Ecclesiæ,* Priorem sententiam confirmat argumento minoris: quod ne duorum quidem aut trium in re sancta & ad gloriam Christi spectante consentiens judicium vanum & irritum futurum sit, sed illis prout a Deo postularunt cadet, nedum Ecclesiæ judicium ne non ratum & Deo gratum futurum sit, dubitari oportere. Cujus quidem effectionis causam assignat, suam inter illos præsentiam gratiosam, unde non tam suam quam ipsius esse judicium intelligant, eoque ipso non defuturam potentiam, qua quod judicatum est executioni mandetur. Vide 8 *Eccl.* 3, 4. Si enim principis verbum tam potens est, &c.

quod ad ejus confirmationem adhibetur; Hæc itaque non tantum ad terrorem peccatorum, sed & ad confirmationem Ecclesiæ dicuntur, quæ sua paupertate & peccantium nonnunquam splendore & magnificentia animo concidit: jubet igitur ut non perterrefiant, sed oculos a sua tenuitate subducentes, eos in Christum defigant, cujus splendor & potentia infinite omnem maximorum Cæsarum apparatum superat. Quibus Ecclesia freta non dubitavit cum ipsis regibus & imperatoribus congredi. Hæc admirabilis potentia declarata est in judicio quod Petrus *Actor.* 5. edidit. Quod cum totam Ecclesiam præsenti periculo internecionis exponere posse videbatur, contrarium prorsus effectum, admirabili Dei providentia, sortitum est, ut vel extraneis ab Ecclesia metum injecerit, & ad Ecclesiæ reverentiam & observantiam adegerit; una autem eademque opera stimulum duobus & tribus illis addit, quo ad laborem illum subeundum & sustinendum incitentur.

Notandum autem hoc loco requiri in iis Ecclesiæ judiciis ut res & Christi nomine suscipiatur, non affectu aliquo privato explendo, & precibus illi commendetur, uti velit peccatorum aut misereri, aut in eos contumaces & rebelles ea judiciorum tormenta torquere, quæ Ecclesiæ sanctos conatus & disciplinæ suæ virtutem & efficacitatem comprobare queant. *illud so Christi nomine suscipiendum.*

Ex iis etiam omnibus illud emanat, non esse unius, ne Petri quidem, sententiam & fulmen excommunicationis vibrare; à duobus enim & tribus ad unum redire, regredi non progredi esset, & à supremo foro ad inferius descendere, & ab Ecclesia in qua delictum admissum est, ad alium qui procul remotus est & ad illam Ecclesiam non aggregatur traduci. Vult enim Dominus ut ab eodem ipso corpore sectio vel ejectio fiat, ut quod interiore proprii membri sensu ducitur, quam is qui illius Ecclesiæ in communione non sit. *non ab uno emittendum.*

MATTH. *cap.* 18. *à vers.* 21, *ad finem Capitis.*

21 *Tunc audiens eum Petrus, dixit; Domine quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei?* an *usque septies?*

22 *Dicit ei IESVS; non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

23 *Propterea simile est regnum cœlorum regi, qui voluit conferre rationem cum servis suis.*

24 *Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei quidam debitor decies mille talentorum.*

25 *Quum autem is non posset* hæc *reddere, jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi* debitum.

26 *Procidens ergo servus ille adorabat eum, dicens; Domine, cohibe iram adversum me, & omnia tibi reddam.*

27 *Commotus autem intima commiseratione Dominus servi illius, dimisit eum, & mutuum remisit ei.*

28 *Egressus vero servus ille invenit unum ex conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & prehensum eum suffocabat, dicens; Redde quod debes.*

29 Procidens ergo conservus ejus ad ejus pedes, precabatur eum, dicens; **Cohibe** *iram adversum me, & omnia reddam tibi.*

30 Ille vero noluit: sed abiens conjecit eum in carcerem, quousque redderet debitum.

31 Quum autem vidissent conservi ejus quæ facta fuerant, doluerunt vehementer, & quum venissent, declararunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32 Tunc eo advocato dominus ipsius dixit ei; Serve male, totum debitum illud remisi tibi, quia precatus es me:

33 Nonne oportuit & te misereri conservi tui, ut & ego tui misertus sum?

34 Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, usque quo redderet id omne quod sibi debebatur.

35 Ita & pater ille meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris, lapsus eorum.

ANALYSIS.

Effectum orationis Christi, de admonitione fratris qui te offenderit, est quæstio; quæ suo efficiente describitur, Petro, & subjecta materia, quoties condonabit fratri in se peccanti; item alia quæstio, an septies condonandus sit frater.

Vers. 22. Quæstionis effectum, Christi responsum; quod describitur adjuncto numero 70. amplificatur comparatione minoris, non septies modo, sed septuagies septies.

Vers. 23. Illud confirmatur parabola, quæ summatim comprehenditur *vers.* 23. & vim habet argumenti majoris, cujus propositio habetur copiose *vers.* 24, 25, 26, 27, 28, usque ad 35. redditio vero *vers.* 35. Hic igitur consideratur primum parabola in qua propositio comprehenditur.

Vers. 24, &c. Summa propositionis huc redit, Regem servo 10000. talentis obærato, & penitus exhausto, ut ne teruntio quidem solvendo par fuerit, totum æs ex mera gratia quod supplex illud petiit remisisse; sed post oratum illum perpetuo carceri adjudicasse, quia à conservo centum denariis illi obærato, nec quod solveret habente, debitum severissime exegit.

Vers. 35. Redditio est, Deum Patrem, tanquam Regem à nobis, tanquam servis, exactissime omnium peccatorum vindictam exacturum; nisi fratribus tanquam conservis, debita quibus nobis obnoxii sunt condonaverimus.

METAPHRASIS.

21. *His dictis Petrus ad eum accedens, dixit;*
Domine, agnosco ex sermone tuo incumbere mihi ut peccanti in me fratri & resipiscenti prompte & gratuito condonem: sed illud quæro, quoties illi me eisdem aut aliis injuriis lacessenti condonandum sit: fac illum septies irritare me, an putas vel ad septimam usque vicem illi noxam toties iteratam gratuito remittendam? De ampliore enim in fratrem indulgentia quæstionem movere indignum fo-
22. *ret. Ad quem Iesus: Non dico septies tantum illi veniam deprecanti condona, sed toties quo-*
23. *ties in te peccans pœnitudine ducetur. Quod*
quo & clarius intelligatur, & firmius memoria retineatur, perinde (quod ad hanc rem quam quæris attinet) sit in Ecclesia Dei, ubi regnum cælorum altero seculo consummandum inchoatur, ac si Rex aliquis terrenus cum servis, quibus rei familiaris curam demandavit, rationem iniret. Initio jam facto addu- 24.
ctus est ad eum servus, qui domino suo Regi in 10000. talentis obæratus erat. Hic cum 25.
solvendo non esset, jussit dominus, ut omnia bona ejus proscriberentur, usque eo ut cum uxor tum liberi venales proponerentur, ut (quoad daretur) domini damno satisfieret. Quo edicto 26.
perculsus & perterritus servus, ad Domini pedes advolutus, supplex suam petitionem in hunc modum instituit; Domine mi, posita ira diem solutionis mihi, quæso, ampliato, & totum hoc æs dissolvam. Illius servi dominus 27.
commiseratione in intimis visceribus permotus, servo totum æs quod contraxerat, remittens, illum libere dimisit. Servus autem ille, 28.
simul ac pedem ex Regis aula extulisset, cum adhuc beneficii accepti recens memoria vigeret, in quendam ex conservis incidit, qui illi aureos circiter decem debebat, quem collo prehensum parum abfuit ut præfocaret. Hunc alloquutus, dixit; quod debes è vestigio mihi redde. Conservus vero (ut ille prius ad heri) 29.
ad pedes advolutus, illum eisdem etiam verbis (quibus ille herum) affatus est; ira posita diem solutionis mihi ampliato, & totum hoc æs dissolvam. Quod facere penitus abnuit. Contra 30.
vero discedens in carcerem eum conjicit, ibi permansurum quoad debitum penitus dissolveret. Quæ omnia cum conservi intellexissent, 31.
gravi dolore compuncti, rem omnem ut gesta est ad herum retulerunt. Tunc dominus servo 32.
ad se accersito dixit; serve nequam, omne illud tuum quantumvis immensum debitum

remisi

remisi tibi, postquam supplex ut tibi parcerem
33. *rogasti? Non te decuit commiseratione in con-*
servum duci, ut & ego commiseratione in te
34. *commotus sum? Quamobrem Dominus ejus*
ira percitus, nequam servum Tortorum in po-
testatem tradidit: ab illis indesinenter tor-
quendum & cruciandum, quoad totum æs
35. *quod contraxerat dissolveret. Isto prorsum*
modo, Pater meus cœlestis, Rex Regum &
dominus dominantium, vobis facturus est, nisi
sine exceptione, ex intimis animi præcordiis,
offensas quot illæ cunque & quantæcunque
sint, non tantum conservo, sed quod majus est,
fratri, qui eodem terrestri patre Adamo &
cœlesti Deo oriundus est, remiseritis.

PRAXIS.

Historiæ de condonatione fratrum delictorum summa.

AVdita hac Christi adhortatione, non esse malum malo rependendum, sed fratris salutem & resipiscentiam studiose procurandam; cum Petrus intelligeret hoc officium depravatæ naturæ invisum ita nobis incumbere, ut illo neglecto neque Christiani hominis existimationem, neque futuræ vitæ spem tueri possimus, proximum erat ut quousque & quam minimum operæ & assiduitatis in eo ponendum esset, Christus statueret. Tametsi vero videatur rem totam ad Christi arbitrium & voluntatem referre, tamen cancellum quasi quendam Christo præstituit, quo illum veluti cingat & circumscribat. Non secus quam si cupere se declararet, quam rarissime hanc erga fratrem humanitatem præstare; sed si minus daretur, rarius illi condonare, aut certe non par esse ut hæc condonatio & indulgentia in fratrem septenarium numerum excederet. Hinc Christus cum respondisset septuagies septies, id est, quoties in se offensum foret remittendum peccatum esse, ejus rei in speciem absurdæ, summam æquitatem docet, quandoquidem nobis infinite in Deum peccantibus Deus benigne condonat. Tametsi autem regni cœlestis mysteria non sunt ad rationis humanæ normam & tribunal exigenda; tamen hujus doctrinæ lucem vel ab hominum judicio aliquam peti posse, tantaque æquitate niti, ut qui illi non pareat, meritissime ad extrema quæque perferenda adjudicetur.

Est enim, inquit, *&c.* Cujus summa est, homines non aliter misericordiam à Deo consequi posse de omnibus ab illis admissis peccatis condonandis, nisi ipsi in fratres delinquentes faciles & exorabiles se præstiterint.

Cujus *partes* sunt, { Petri quæstio. Christi responsio.

Vers. 21. Petri petitio informationis laudabilis,

In Petri quæstione est quiddam laude dignum, quod in re carni exosa & ingrata quæstionem movet, & de voluntate Dei certior fieri cupit. Nam impii homines ejus rei quam molestam & gravem illis fore sentiunt, omnem mentionem respuunt & aversantur. *Psal.16.* בל ודרוש. Hinc est quod quidam Euangelii & promissorum Dei assiduam promulgationem, sepulta legis mentione, efflagitant. Hinc in idolatras invehi ministrum æquissime ferunt, in Evangelicorum vero corruptos mores acrem insectationem inviti audiunt. Hinc est ut hic usuras, quibus frater ejus infamis est, reprehendi avide exoptet, qui suam ambitionem ne vellicari quidem patitur. Alter proximi avaritiam traduci libenter, suam profusionem aut luxuriam exagitari invite fert. Denique huc refertur quod ab *Hos.* dicitur de Ephraimo cap. 10, 11. eum *trituare amare*, id est, ea officia & obsequia sequi, quæ conjuncta commoda aut delectationem haberent.

non tamen quod modum præfigat,

Non caret autem reprehensione, quod septenarii numeri appositione quodammodo ipse sibi respondens, Christo præjudicium afferre voluerit, ne illum numerum transiliret, & judicis & præceptoris officium à Christo, ad se aliquousque transferret. Perinde enim est ac si discipulus præceptoris consilium expetens, de delectu habendo in his libris qui illi apti forent, exciperet tamen certos quosdam libros quibus ediscendis se exercere nolit: aut si quis judicis sententiæ se submitteret, modo, &c. Hic igitur ad parvulorum submissionem & humilitatem revocandi sumus, ut nos Deo totos sine exceptione tradamus, ut animum quoad fieri possit, tanquam abrasam tabulam sistamus, ut quicquid illi libitum sit, nobis inscribat, ut discipuli ad ejus pedes docendos & educandos abjiciamus. Denique ut non tantum ad trituram, sed ad arationem, novationem, ad æquationem, denique ad omnia quæcumque nobis præcepta sunt parati simus. Hujus autem obsequii exemplum est *Exod.* 19, 8. *Act.* 10, 33.

in eo quam longe aberret?

Quam autem longe à scopo, qui infinitum pæne numerum in septenarium contraxit, aberravit? Natura quidem depravata & corrupta penitus secus hic pronunciasset, & vim vi pellendam duxisset; sed & hæc nostra reficta & reformata, olet etiam suam originem. Quamobrem videmus quam ab erroris

ris periculo non absit, si vel piis hominibus harum rerum judicium permittatur. Quod si in officiis in proximum præstandis tam vitiose sentiunt & toto cœlo aberrant, quanto magis in cultu divino excogitando errare & decipi illos necesse est. Hic etiam denuo videmus quam abhorrens esset à veritate Christum (*Matth.*16.) hanc potestatem Petro concessisse, ut leges in Ecclesia conderet, cum &c.

In Christi respon- { Doctrina.
so consideratur, { Doctrinæ confirmatio.

Vers. 22. *Cur Christus fratri delinquenti semper condonandum respondet;* Doctrina est, toties condonandum fratri, quoties ille peccaverit. Tametsi enim numerum certum præstituat, quo non tantum ad numerum septenarium alludere, & illi etiam quodam modo illudere voluit; item ad quaternarium: tamen eo incertum & infinitum notare voluit; eoque *Luc.*17,17. docet sexies in die illi condonandum esse. Vide *Matth.*6,14,15. *Marc.*11,25. Tametsi enim universalis particula non apponitur, eam tamen intelligi necesse est, nisi forte nos salvos fore speramus non remissis omnibus peccatis, quæ in Deum admisimus. Quin etiam particula universalis apud Salomonem *Proverb.*10,12. attexitur, charitas seu dilectio omne scelus operit. Vbi hanc doctrinam illustrat similitudine ampli straguli aut vasis. Quamobrem Christiani juge & perenne jubilæum Deo agitare debent, nexus solvendo, & noxas dimittendo

Vers. 23. &c. *ut Deus nobis infinite condonat:* Ad hujus doctrinæ confirmationem, argumento utitur à comparatione majorum: Deum nobis gravissima scelera, eaque numero infinita condonare, nos igitur pauciora quædam delicta hominibus remittere non gravari debere: Deum infinite nobis superiorem & majestate & sanctitate, infinitas illi à nobis illatas injurias præterire; quid ni condonamus & nos igitur leviculas, quæ in nos committi possunt, offensas æqualibus nostris & fratribus, qui & eadem nobiscum infirmitate laborant, & ad eundem regni honorem vocantur. Cum enim ille à nobis homuncionibus tantam majestatem violantibus vindictam non postulat, indignum est nos tam furenter in socios nostros exardescere, ob tantillam & tam angustam violatam existimationem nostram.

Ratio inæqualitate debitorum remissorum ostenditur, Horum prius illustratur similitudine, ubi inæqualitas debiti centum denariorum, & decem mille talentorum (talentum valet 600 coronatos) collatione indicatur & adumbratur. Gravissima enim quæ in fratrem & atrocissima injuria, cum levissima in Deum offensa composita rationem denarii ad talentum habet; & numerus peccatorum quibus Deum lacessimus, cum delictorum numero quibus fratrem lædimus, unius ad centum locum obtinet. Quanquam infinite major est inæqualitas. Sed hoc modo certo numero & summa rem repræsentavit expressius. Nam ut cautissime in Deum ipse ambules, & in te frater contumeliosissime se gerat, tamen hæc proportio manebit semper. Hac igitur ratione non tantum hujus doctrinæ æquitatem docet; sed docet compendiosissimam ad quæstum viam. Quis enim denarium non distraheret ut talentum lucretur? Quis est qui pondus auri pro ære non commutaret? Colonus ut centuplum accipiat tantum non dubitat: nos ut non modo trecentuplum, sed etiam ut pro avenis triticum accipiamus hoc non faciemus? Quoties igitur frater in nos peccaverit, ilico reputemus rem faciendi eximiam oportunitatem nobis offerri: toties messis magnæ colligendæ copiam fieri, scilicet 600000 coronatos pro 10.

Posterior inæqualitas indicatur proportione domini ad servum, & servi ad conservum. Dominus enim servilis conditionis sensum inducere non facile potest. Servus autem qui in servum durior est, cum debet propriæ abjectionis & afflictionis sensu in alterum ejusdem sortis participem clementior esse, se ab omni humanitate alienum esse declarat. Hinc Iudæi qui servi olim fuerant jubentur meminisse prioris conditionis, ejusque recordatione ad mansuetudinem formari. Hinc etiam dicitur in Proverbiis Salomonis, pauperem alium pauperem expilantem instar cujusdam illuvionis esse, &c. *Proverb.*28,3. *& proportione domini ad servum & contra.*

Huc accedit quod servum illius domini crudeliter tractat, à quo tantam munificentiam expertus erat, ut si minus conservi sui causa aliquam erga eum humanitatem exhibere voluerit, domini tamen id causa fecisse debebat. Huc refertur quod in fine dicitur, eum esse fratrem, eodem patre natum. Quo spectat quod non tantum illi supplici condonare noluit, sed ne diem quidem proferre aut prorogare.

Alterum argumentum est ab adjuncta pœna, in eum irroganda qui misericordiam non præstiterit; quæ similitudine servi retracti, & revocati, & in carcerem conjecti, unde nunquam exiturus sit, priusquam ultimum num- Vers. 34, 35. *Quam absurdum non velle condonare*

quibus multa remissa? nummum persolverit, illustratur. Sic Christus *Matth. 6. Iacob.2,13.* Quam vero hoc insulse fit, ut pauculorum denariorum recuperandorum aviditate, infinito ære obærati simus. Quam hæc via expedita est qua quis fide concidit, & foro Christiano concedat. Tametsi enim nulli nexus & obligationes nobis in mentem veniunt, tamen lex Dei nos magis constrictos tenet, quam qui arctissimis & accuratissimis vinculis tenentur. Tametsi nullus nobis apparitor appareat, tamen Deus vel è proprio sinu lictorem educat, qui te coram tribunali sistat, & veluti obtorto collo ad severissimum Dei forum κῷ ἀκριβοδικαῖον κριτήριον te trahat.

Cavendum vero ne singulas circumstantias curiose comparemus, tanquam nobis aliquid suppeteret, quo vel teruntium solvendo simus (ex eo quod dicitur, quod servus iste uxores & liberos habebat, quibus creditori satisfaceret) aut prorogato solutionis tempore nos posse ære nos expedire: potius sic proponitur, ut intelligamus Deum plus largiri quam nos expetere possumus, aut opinari nos consecuturos, aut si Deus remissa semel peccata revocaret. Poterit fortasse locum habere, quod servis reliquis istam inhumanitatem indignantibus, & de ea apud herum querentibus commemoratur; quo piorum de hac indignitate apud Deum querela significetur. *quare à Deo ut condonemus nihil promereri.*

IOAN. *cap. 7. à vers. 2, ad 11.*

2 *Prope autem erat festum Iudæorum Scenopegia.*

3 *Dixerunt igitur ad eum fratres ejus; Digredere hinc, & vade in Iudæam, ut tui quoque discipuli spectent opera tua quæ facis.*

4 *Nemo enim occulte facit aliquid, & quærit ipse celebris esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.*

5 *Nam ne fratres quidem ejus credebant in eum.*

6 *Dicit ergo eis IESVS; Præstitutum illud tempus meum nondum adest: præstitutum autem illud tempus vestrum semper est paratum.*

7 *Non potest mundus vos odisse: me autem odit, quoniam ego testor de eo, opera ejus mala esse.*

8 *Vos ascendite ad hos dies festos: ego nondum adscendo ad festum, quia præstitutum illud meum tempus nondum expletum est.*

9 *Hæc autem quum eis dixisset, mansit in Galilæa.*

10 *Vt ascenderunt autem fratres ejus, tunc & ipse adscendit ad festum, non manifeste, sed velut occulte.*

ANALYSIS.

Describuntur gesta, quæ exponuntur ab adjuncto tempore, cum festum tabernaculorum appropinquaret; quod festum suo subjecto describitur, nempe Iudæorum.

Vers.3. Hujus propinquitatis adjunctum est, adhortatio cognatorum Christi, ut in Iudæam concederet; quæ suo fine arguitur, ut videant opera quæ facit.

Vers.4. Ab adverso probat, quia clam non fieri æquum est tam præclara opera; quod etiam à fine amplificatur, quem Christus sibi proponit ut innotescat.

Vers.5. Hujus adhortationis causa assignatur, cognatorum suorum infidelitas, qua ratione tanquam comparatione majoris docet, non mirum esse si alii fidem Christo derogabant.

Vers.6. Christus renuit illis obsequi ab adjuncto tempore suo, quod non tum advenerat; quod illustratur diverso, quamvis eorum tempus semper satis commodum esset.

Vers.7. Deinde causam hujus diversitatis in tempore assignat, odium mundi in se, non item in illos: causam porro reddit odii in se, quia mala eorum opera coarguit.

Vers.8. Aliud effectum illius adhortationis per Christi fratres, nempe mutua Christi cohortatio ut illi ascenderent: una cum causæ repetitione cur non ascendat.

Vers.9. Effectum rejecti consilii cognatorum est, quod remansit in Galilæa.

Vers.10. Quæ permansio suo adjuncto temporis declaratur, nempe quoad cognati ejus ascendissent Hierosolymam versus: post describitur Christi effectum, nempe ascensus Hierosolymam; qui suo adjuncto declaratur, nempe occulte: quod adjuncto suo converso negatione illustratur, nempe non aperte: ubi præcipua causa recusationis suæ ad cognatos factæ colligitur, nempe quod voluit silentio per Galilæam transire.

METAPHRASIS.

Cum jam appropinquaret ex tribus illis Iudæorum augustissimis festis (in quibus singuli mares, qui per ætatem commode possint, se coram Deo sisterent) festum illud in quo taberna- 2.

bernacula figebant, Christi consobrini acce-
dentes illi dicunt: transi hinc, & Iudæam ad
3. *festum celebrandum te recipe: ut discipuli tui,*
qui se tibi in doctrinam tradiderunt; visis tuis,
quæ edis operibus, amplius in professione sua
4. *confirmentur. Nemo enim est tam iners, qui*
id agens ut clarus evadat, præclara sua faci-
nora clam agat. Quamobrem si opera tua
ejus generis sunt, ut tu illa esse præ te fers, te
ipsum omnibus sine exceptione etiam infensis-
5. *simis hostibus tuis patefac. Quæ consobrinorum*
Christi oratio, ne cuiquam propter procacita-
tem & insolentiam incredibilis videatur,
sciendum est, ne illos quidem ipsos, qui propius
admoti & admissi sunt ad operum suorum in-
spectionem, Christo credidisse, quo minus mi-
6. *rum sit si alii fidem illi derogarint. Ad quos*
Iesus: non est mihi adhuc oportunum in Iu-
dæam transire. Quæritis fortasse quid sit quod
non æque mihi ut vobis oportunum sit: Re-
sponsum in promptu est, vobis promiscue omni
tempore sine delectu transire integrum esse,
mihi non item. Pergitis quærere unde hoc dis-
7. *crimen; respondeo, vos in mundo improbi o-*
disse nequeunt, qui nondum ab illis discreti &
dissociati estis; me vero mortali odio prose-
quuntur: quia non tantum doctrinam Euan-
gelii nude propono & miraculis obsigno, sed
porro ejus scelerata dicta & facta, prout me-
8. *rentur, insector atque exagito. Quod non eo*
dictum est, ac si vos à festo adeundo deterre-
re velim, imo potius vobis hortator & author
sum, ut ad festum ascendatis: sed me quod at-
tinet, nondum ascendo, quod nondum oportu-
9. *num tempus plene advenit. Hæc cum dixisset,*
10. *in Galilæa ad tempus remansit. Cum conso-*
brini ejus Hierosolyma profecti sunt, tunc &
ipse ad festum illud ascendit, sed clam non
autem aperte, propter metum Iudæorum; quæ
eadem causa extitit, cur noluit in consobrino-
rum comitatu Hierosolymam proficisci.

PRAXIS.

Historiæ cur Christus cum amicis Hierosolymam proficisci noluerit summa.

CArnales Salvatoris nostri amici, occasione data per Festum Tabernaculorum, cum illo agunt ut in Iudæam proficiscatur, & huic suæ postulationi (quia res hæc Salvatori nostro parum arridebat) quædam addunt argumenta, quibus veluti totidem stimulis eum instigarent: quorum primum hoc est, ut discipuli (quos in hisce partibus habuit) opera sua perspiciant, unde veritate recepta stabiliantur; quo omisso possit fieri ut inter tot angustias (quas illius causa sustenturi sunt) ab illo decidant; adeo ut licet Pharisæorum inimicorum suorum causa abstineat, tamen discipulorum causa locum inviseret. Secundo, dum in animo sibi fuit & votis mundo seipsum patefacere, & cum voluit omnes eum libere & audacter confiteri, à ratione alienum foret eum in angulo versari: ubi potius conveniret, ut in apertam illius faciem perveniat. Et se in Ierusalem totius regionis quasi theatro, imo totius orbis foro, palam faceret, quoniam illic ab omnibus locis Iudæi & proselitæ confluxerunt *Act.* 2. Et ad hunc finem, ut ab omnibus visus regnum suum dilataret, & plures indies discipulos acquireret. Et quoniam inusitatum videatur Salvatoris nostri Consanguineos illum non majori reverentia coluisse, qui non modo suggerunt, quid illi agendum sit, verum etiam contumeliose redarguunt, tam gloriæ cupiditatem objiciendo (& tamen modum eam adipiscendi detulerunt, qui præ omnibus illi honorem & reverentiam dare debuissent, quippe quod illis præ omnibus innotuit) quam dubios etiam habendo de operibus suis sermones, utrum talia fuerint, qualia fama prædicavit, aut Salvator noster asseveravit, scilicet divina. Euangelista hoc anticipat, cum observat hoc non debere mirum videri, quoniam in Salvatore nostro non crediderunt: qui respondens, dicit; non ipsius & illorum eadem est ratio: quod confirmat addita ratione, quod ipse scilicet statuta habet tempora, quæ nec anticipare nec detrectare voluit; tantique opera sua fuisse momenti, ut ad quæ perficienda plurimum conducat temporum electio: quod consanguineos autem attinet, eos nihil præ manibus habuisse, cui quodvis tempus non conveniat. Illum autem interest, non modo operum suorum mirandorum lucem & splendorem exhibere, verum etiam mundanorum operum tenebras redarguere; itaque illos de itinere versus Ierusalem propositi tenaces esse voluit: quod illum autem attinebat tempus suum non adesse. Itaque ab illorum discessu commoratus aliquandiu in Galilæa, ipse etiam sequitur. Ita vero quod omni modo silentio & clanculo transmigravit, caute aufugiens vias tritissimas & frequentes, populi turmas istiusmodi festis catervatim Ierusalem adire solitas. *Psal.* 84.

Cujus summa hæc est: Salvator consanguineis suis instigatus ut illis cum, aliquibus de causis illis perplacentibus, festum adiret, aliis gravioribus de causis aut tam celeriter, aut illis consors adire abnuit.

Cujus

Cujus partes ſunt,
- Exhortatio conſanguineorum de Chriſti ad feſtum itineratione.
- Salvatoris noſtri votis ſuis reſpondendi abnegatio.

Verſ. 2. Feſti tabernaculorum occaſio;

In exhortatione primo perpendenda eſt occaſio; unum ſcilicet de tribus feſtis illuſtribus lege præceptum, ut ab omni maſculo qui couſque proficiſci & itineris labores tolerare potuit Ieruſalem celebretur. Cujus etiam cauſa hæc fuit, ut recens memoria ſingularis providentiæ & tutelæ divinæ ſervaretur. Quum per ſpatium quadraginta annorum deviantes & migrantes in deſerto, abſque civitate vel domo, arce vel propugnaculo, tam tuto in pauperibus tentoriis ſuis conſervantur, ac ſi civitatibus bene munitis habitaſſent; ut neque vi belluina vel humana, neque frigeſcentibus noctibus aut diebus calentibus, ullum tulerint damnum vel injuriam. Tantaque fuit illis panis copia, ac ſi quotannis ſeminaſſent metiſſentque.

quod beneficiorum reminiſcentiam edocet,

In hoc feſto edocet nos Dominus, quamnam beneficiorum reminiſcentiam conſervari deſiderat. Et non ſolum ab illis qui beneficia ſenſerunt, ſed ab illis etiam ad quorum aures perveniunt; totaque progenie illorum qui horum uſu fruebantur, quippe etiam fructus ad progeniem deſcendit; in hoc ſcilicet, quod ſi patres in deſerto periiſſent, nullus fuiſſet iſta progenies populus. Et ut beneficia hæc ab oblivione vindicaret, non ſatis putavit memoriam quotannis celebrari, niſi etiam addatur ſignum viſibile quo beneficium ad vivum depingi poſſit, ut quodam modo retro ambulent & patrum ſuorum conditionem reſpiciant: ipſique in medio frequentis populi & civitatis perilluſtris degentes, quaſi ſub tentorio in ſolitario quodam mundi deſerto inter tot tamque immanes beſtias, adverſus quas nullum potuit haberi propugnaculum, ne tentorium quidem, videantur. Nos autem infirmitatis noſtræ immemores, ſumus etiam manumiſſionis & liberationis obliti.

quæ & à nobis nunquam obliteranda:

Et ſi illi tranſitorii beneficii memoriam retinuerunt, quid de nobis fiet ſi perpetuum negligamus? Et ſi illi ingratitudinis labem aufugere non potuerunt, Dei erga patres munificentiam obliviſcendo; quænam de nobis habeatur æſtimatio, qui illorum beneficiorum memoriam deleri patimur, quæ nos ipſi recipimus? Si illi ſub obliviſcentiæ reatu permanſerint, qui ad illius renovandam memoriam eouſque non ſunt profecti, quanto magis nos qui è cubiculo vix pedem movemus? Reminiſcamur itaque quamnam beneficiorum ſuorum conſcriptionem conſignationemque requirit Deus, quæ in aliquibus plane edocta, in omnibus aliis legem quandam efficit.

idque ſenſibili repræſentatione.

Obſervandus eſt etiam modus hanc miſericordiam è faucibus oblivionis redimendi, & quam edocet Dominus artem memorativam; ut in cordibus noſtris illius figantur beneficia, ſcil. per ſenſibilem quandam ejuſdem conditionis repræſentationem & delineationem; unde excelſum Sacramentorum uſum percipimus, quibus ad illorum viſum perducimur, quorum reminiſcentiam officium noſtrum poſtulat. Et quum in Proverbio eſt *Out of ſight out of mind,* nos opem oculi corporei ad internum animi viſum conſervandum habeamus, adverſus illos qui Sacramentorum uſum contemnunt, unde ſeipſos parum ſollicitos indicant de prorogatione, &c.

Verſ. 3, 4. Cur Chriſti amici eum adhortarint ut illiſcum ad feſtum iret?

Primum conſanguineorum perſuaſionis argumentum ducitur à fine itinerationis Chriſti illiſcum ad feſtum, nempe ut Diſcipuli & qui in illum crediderunt opera ſua perſpiciant; alterum, quod profitebatur ſe venturum ut mundo innoteſcat, &c. quæ quidem rationes quamvis rationem aliquam præ ſe ferunt, tamen & ſuperbi ſunt qui illum redarguant & corripere audeant, quem facile intelligant eſſe omnium moderatorem; & ignari admodum, qui non norunt eum fuiſſe Apoſtolum circumciſionis, & itaque nulla compulſum neceſſitate ut Ieruſalem commoretur, & qui cum in Ieruſalem Eccleſiam collegiſſet, ad alios è tenebris redimendos officio & vocatione devinctus fuit, quemque divino præeuntium Prophetarum moderamine, Galilææ confuſiones & incurſiones oportuit viſitare. Et præter quod illorum inepta fuit allegatio, veroſimile eſt eos prævaricari, aliudque ab hoc fuit illis alta mente reconditum, quod (illis celantibus) Salvator noſter recte inſpicit, ſcil. ut illius operum rumor famaque illis inter homines fidem & gloriam conciliaret, ſi quo modo eveniat Chriſtum alicujus precii fore apud vulgus: unde plane ambitionis (quæ in hominibus eſt) pruriginem perſpicimus, qui ex illis rebus honorem ſibi quærunt, quas ipſi minime probant.

in eo quam graviter ab illis peccatum?

Hercule vero, in iſtis quæ ad Domini gloriam pertinent ſe participes facere, delictum grave eſt, quaſi pinguedinem & thus illi auferunt: verum enimvero ab illis glo-

riam sibi captare quæ ad Domini dedecus conducunt, non minus est hoc peccatum quam læsa Majestas, & contra coronam dignitatemque Domini nostri, quasi nihil foret homines ipsam Domini faciem conspuisse, & os Domini gloriosum fimo suo & stercore conspurcasse, modo ipsi honorem galitum, genu flexum sibi comparent. Hujus farinæ nonnulli sunt his etiam temporibus, qui ut promoveantur & eleventur in liberorum suorum honore, locis quibusdam tam Ecclesiæ quam Reipublicæ honorificis, ad causas promulgandas, ab illis minime probatas, libentissime subserviunt. Hoc idem fecerunt Salvatoris consanguinei, qui propriæ suæ gloriolæ gratia, Salvatorem inter mundanos honorem adipisci, in re etiam cui ipsi non crediderunt, ardenter voluerunt. Et hæc maxima est illorum incredulitatis pars, quæ sequente versu notatur. Sicut Christus Salvator ait *Iohan.*12. *Quomodo credere possitis cum gloriam, &c.*

Vers. 5. *eorum incredulitas pietatem non hæreditario descendere docet:*

Quod consanguinei Salvatoris adeo sunt increduli & fide vacui, & tam nullos respectu aliorum fecerunt progressus, nos edocet non modo pietatem hæreditario non descendere, verum etiam Christum Salvatorem in rebus ad regnum suum spectantibus hominum personas non respicere, qui (quamvis naturalis affectio persuadeat ut consanguineos primarios & aliis præeuntes efficeret) tamen ita lumbos suos aurea vocationis suæ zona succingit, ut nullam omnino huic affectioni daret veniam aut modum, unde ordo à patre suo statutus mutaretur. Quod plane nos monet, quam futiles sunt *Pontificii*, qui Virginem Mariam adeo extollunt, eo quod Christo consanguinitate propinqua sit: quasi Christus inofficiose ageret, qui cum ipse Rex cœli fuerit, illam etiam Reginam non constituerit; si enim eadem promovendi & extollendi regula uteretur, quid impedit quin hoc cum aliis consanguineis ageretur. Vide quomodo respondet *Matth.* 20. Item quomodo Petrum, Iacobum & Iohannem Iacobo fratri seu cognato suo prætulit, aliisq; cognatis Apostolis, Iudæ, Simoni: hucusque consanguineorum exhortatio, &c.

In Salvatoris nostri abnegatione notandum illius { Responsum. / Praxis seu executio.

Vers. 6. *cur Christus ire noluerit?*

Respondet argumento ducto ab adjuncto temporis, scilicet non adhuc adesse tempus. Et quod illum oportuit non solum res mandatas perficere, verum etiam tempore suo, videlicet statuto: vide 2 *Ioh.*

Vers. 7. *ipsius & eorum diversa ratio;*

Cum autem argumento à pari excipere illis promptum esset, nihil esse cur non æque atque illi festum adiret: illud anticipat, docendo longe aliam ipsius & eorum rationem esse. Se enim odio esse illis, quod eorum opera mala esse testetur; illos non item, ut qui ipsi ex mundo sunt. Si miracula tantum ederet, aut doctrinam tantum proponeret, non etiam hominum corruptos mores pervelleret, satis se illis gratum fore, seque captare gloriam hominum & hominibus se probare ut cognati ejus.

hinc unde Euang. ingratum?

Videmus igitur quid sit quod Euangelium maxima parte ingratum & odiosum reddit: quod scilicet lucem non ferant, quia opera eorum mala sunt. *Ioh.*3,19,20,21. Sicut enim qui nocturno somno opprimitur, ægre fert lucem cubiculo inferri, & ut fures & homicidæ solis ortum odio habent; & ut qui vitiosas merces distrahunt, tenebricosum locum expetunt; sic, &c. Præ se quidem ferunt Euangelii novitatem aut nimiam acerbitatem, sed reipsa corrupta eorum vita, &c.

consolatio ex mundi odio:

Deinde hinc discimus consolationem percipere ex mundi in nos odio, sicut contra suspectos nos ipsos nobis habere convenit si mundus nos complectatur. Tametsi autem mundus secum ipse sæpius confligetur, ut superbi cum superbis *Proverb.* 13. tamen veritatis causa illud non fit; nec totus mundus in suos odio fertur; sed ii tantum qui privatim læduntur, & quorum commoda petuntur.

Vers. 8. &c. *cur illos ut irent hortetur?*

Post illos hortatur ut Ierusalem petant; se suo tempore venturum pollicetur; ne forte propter multiplices corruptelas quæ in templo obtinuerant, adeo ut templum mercatum & emporium fecissent, existimarent Christum cultum Dei improbasse.

LVC. *cap. 9. à vers.* 51, *ad* 57.

51 Factum est autem, interim dum compleretur tempus quo sursum reciperetur, cum ipse faciem suam direxit ad eundum Hierosolymam.

52 Misitque nuncios ante faciem suam: qui profecti ingressi sunt in vicum Samaritanorum, ut pararent ei hospitium.

53 Sed

53 Sed illi *non receperunt eum, quod facies ejus esset proficiscentis Hierosolymam:*
54 Quum autem hoc vidissent ejus discipuli Iacobus & Iohannes, dixerunt; Do-
mine, vis dicamus ut ignis descendat è cœlo, & consumat eos, ut etiam Elias fecit?
55 Sed conversus IESVS objurgavit eos, dicens; Nescitis qualis spiritus vos sitis.
56 Filius enim hominis non venit ut perderet animas hominum, sed ut servaret.
Abierunt igitur in alium vicum.

ANALYSIS.

DEscribit profectionem Christi ad urbem Hierosolymam ab adjuncto tempore, nempe cum jam compleretur tempus quo in cœlum recipiendus esset, deinde Christi certum & invariabile de ea re consilium describit ab adjuncto vultus ad illud iter obfirmatione.

Vers. 52. Aliud adjunctum notat suæ certæ de ea re deliberationis, nempe nunciorum præmissio ad vicum Samaritanum; quæ suo fine declaratur, ut pararent Christo quæ ad hospitio illum accipiendum necessaria forent.

Vers. 53. Cujus legationis adjunctum erat, rejectio Christi ex vico; quod sua causa declaratur, quia præ se tulit se Hierosolymam profecturum.

Vers. 54. Rejectionis effectum est, quæstio; quæ suo subjecto à quo declaratur, Iacobo & Ioanne Apostolis, ad quod, Christo: declaratur item forma, an ignem de cœlo evocarent; quæ imprecationis forma pari confirmatur, nempe ut Elias ignem è cœlo evocavit.

Vers. 55. Hujus imprecationis effectum est, quod Christus illos corripit: deinde causa reprehensionis assignatur, Apostolorum ignorantia; quæ suo subjecto declaratur, nempe circa spiritus indebitam secretionem.

Vers. 56. Deinde confirmat ex adverso fine adventus sui, ut scilicet servet, non ergo ut perdat: denique aliud effectum narratur rejectionis, Christi nempe, quod Christus cedens deflexit & aliorsum se contulit.

METAPHRASIS.

51. *CVm tempus jam instaret quo perpessione mortis viam sibi Iesus ad ascensum in cœlos sterneret, tum spretis cruciatibus illis horrendis universis qui illi tum ob oculos versati sunt, ipse cum animo suo penitus constituit, & vultu præ se tulit, se velle Hierosolymam ire, ubi illum formidabilis hæc perpessio manebat.*
52. *Ad quam rem certos nuntios præmittebat, qui tanquam curatores sibi & suis omnibus de commodo aliquo hospitio in vico aut pago, ab itinere ad Hierosolyma neutiquam*
53. *devio, prospicerent. Samaritani vero illum hospitio accipere propterea renuerunt, quia Hierosolyma divini cultus causa, à quo illi abhorrebant, illum proficisci certis quibusdam*
54. *indiciis percepissent. Quod cum ex discipulis suis Iacobus & Ioannes intellexissent, rei indignitate commoti, dixerunt; Domine, vis ne ut tuo nomine & authoritate ignem cœlitus descendere jubeamus, quo impii isti hujus pagi cœlo consumantur, haud secus quam Elias olim afflatu divini spiritus jussisse legitur. Ie-* 55.
sus vero facie ad eos conversa, tanquam non contentus leviter & molli brachio reprehendisse, illos acriter objurgavit, dicens; nescitis quo spiritu ducti hanc vindictam expetitis: neque enim Eliæ spiritu ducti (ut videri vultis) sed carnis instinctu seducti in istam optionem præcipitati estis. Præterea hac prava Eliæ æmulatio- 56.
ne abrepti, oblivio vos capit vocationis meæ, qui in mundum veni non ut perdam homines, sed ut illos perditos saluti restituam: unde est ut me à pœnis tametsi justis & debitis infligendis cohibuerim. Quamobrem Samaritanorum enormi injuria præterita, ad alium vicum hospitii ergo, idque à via deflectentes, concesserunt.

PRAXIS.

Eorum quæ Christo in itinere Hierosolymitano contigere summa.

CHristus cum divina sua rerum omnium præsentione cum legis divinæ (præcipue Prophetiæ Danielis) indicio tempus imminere intelligens, quo ex hoc mundo ad Patrem per mortem migrandum esset: simulque eadem opera intelligens Ierosolymis illi mortem esse oppetendam, animum suum quem multa ab hoc instituto deterrere potuerant, penitus ad hoc ipsum obeundum obfirmavit. Et quanquam hactenus itinere è Galilæa clam & silentio Hierosolymam versus profectus esset; ad Samaritanam tamen regionem divino Hierosolymæ cultui propagando incensam pertingens, suum ad festum Hierosolymorū celebrandum studium palam profiteri & præ se ferre voluit; eoque discipulos ad oppidulum præmisit, ut unde se reficerent in hospitio pararent. Samaritani vero cultum Hierosolymitanum toto pectore aversantes, cum intelligerent venerandi Dei ergo iter illud susceptum esse, hospitii & transitus (ut videtur) jus illis negarunt. Quod quum nuncii Christo retulissent, ex reliquis discipulis duo, Iacobus & Iohannes rei indignitate commoti, quod Christo Dei Filio illam humanitatem recusarent, quam vel vilissimis quibusque mancipiis præbere solent, quodque cultui Deo

præstando moram injicerent, dignos judicarunt qui extrema internecione delerentur, eoque Christũ rogant an ignem Eliæ exemplo è cælo evocaturi essent. Ad quos Christus conversus, eos perstringit quod Eliæ perversi imitatores essent, & quod idem cum Elia facturi, longe tamen alio spiritu facturi essent quam ipse fecit; præterea se parum attendere ad genus vocationis suæ, qui ut omnium animas servatum venit, ita omnem in mortales omnis generis mansuetudinem apud eos relinquere instituit. Quamobrem relictis illius oppiduli seu pagi incolis, ad aliud magis illi propitium, aut certe minus iniquum profectus est.

Cujus summa est, Christum Ierosolymam passionis causa euntem, nec Samaritanorum, hospitium & transitum denegantium, inhumanitatem ne rogatus quidem ulciscitur, nec ab instituto itinere repellitur.

Cujus *partes* sunt, Christi & Discipulorum Ierosolymas proficiscentium,
- A Samaritanis quibusdam repulsa.
- Diversus in ferenda repulsa sensus.

Vers. 51. *Christus Dei cultum professus apud ejus osores,* In priore parte notatur professio divini cultus, apud ejusdem cultus osores. Quamdiu enim cum Iudæis ei res erat, qui eundem cum illo cultum profitebantur, silentio transit, & suam Hierosolymam profectionem certis de causis dissimulavit. Iam vero per illos transiturus qui religionis & cultus divini hostes erant, non sat habuit animo illud designare, nisi etiam hoc palam præ se ferret.

quo fidem nobis confitendam docet apud ejus hostes; In quo exemplum nobis præbet confessionis fidei nostræ, apud eos qui ejusdem hostes sunt; ut ejus confessionem cum cordis fide *Rom.* 10. frontis signum cum mentis signaculo & inscriptione, corporis genu cum mentis geniculatione conjungamus. Deus enim quum sit maximus & gloriosissimus princeps, in quo nihil est cujus nos pudeat, vult à nobis agnosci, idque apud eos præsertim qui nominis sui inimici & æmuli sunt. Parum enim est Deum in sua & propria aula seu castris profiteri, sed in medio hoste, hoc demum germanum Dei servum arguit. *Qui autem me negaverit, &c. Matth.* 10. vide exemplum Abrahæ, qui passim altaria exstruxit. Item *Daniel.* 6. qui apertis fenestris pro solito more Deum vetitus oravit. Item exemplum Proselytarum, qui cum domi suæ, & suis in regionibus cultum Dei profiteri nequiverunt, quod Hierosolyma illi rei destinata erat, &c.

quatenus quis teneatur cultum Dei apud gentes profiteri? Quod si hic *quæratur,* an unusquisque teneatur idololatricam gentem transiens palam sui Dei cultum profiteri, ut hoc loco Christus, & quasi per plateas ipso vultu religionem quam probat profiteri & præ se ferre?

Resp. Nequaquam: tantum satis est, se ab Idololatria purum servare, & de religione interrogatum illam non negare. Alioqui posse clam privato cubiculo Deum ex præscripto colere. Sed in Christo alia ratio fuit. Nam cum festum Hierosolymitanum jam instaret, quo Samaritanis notum Iudæos cultus causa proficisci; Christus suam profectionem dissimulans, aut aliud quam constituerat præ se ferens, suspitionem illis injecisset aut hypocryseos, aut contempti cultus divini. Nam si vel in illa ipsa, quam diximus, regione Idololatrica, verus Dei cultus vel cum vitæ periculo exercetur, nobis fas non foret ab illius participatione nos subducere.

Mittens autem legatos tanquam metatores, qui ne quid moræ esset pastum pararent, Vers. 52, 53.
quo sumpto ilico ad festum irent, à Samaritanis hoc nomine repellitur, quod illum Hierosolymam versus ad festum proficisci deprehenderent. *Transitus à Samaritanis Christo negatus,* Sic videmus veris Dei cultoribus obstacula objici, quibus Deus eorum fidei & amoris erga se periculum capere vult, dum illa aut luctando superant, aut inertia succumbunt.

Quod enim olim Israëlitis accidit, ut contendentibus ad templum sicca loca peraganda erant & prætereunda, maxime vallis Mori. *Psalm* 88. item nunc fit nostris temporibus, ut quibusdam in locis non nisi vitæ discrimine concio adiri possit. *ita & nunc cum vitæ discrimine concio adeunda:* Quamobrem meminerimus beatos à Deo pronuntiari, qui superatis difficultatibus eo pertingunt. Nobis non desunt etiam nostra impedimenta, sed ita levia, ut ab illis vinci non sine summo pudore possimus.

Quærat hic aliquis, quomodo reliqui Galilæi Samariam transierint?

Respon. Aliam fuisse Christi & eorum rationem. *quomodo reliquis Galilæis hoc non negatum?* Nam cum Christus superiore suo per Samariam transitu, suam admirabilem inter eos virtutem protulisset, verisimile est ideo transitum illi negasse quem aliis indulserunt, quod magnam Christi præsentia gratiam cultui Hierosolymitano conciliatura esset. Præterquam quod ex Samaritanis alii aliis erant æquiores; sicut exitus hujus historiæ declarat.

Hactenus de priore parte. Sequitur altera de diverso in ferenda repulsa sensu. Vers. 54.

Et

Iacobi & Iohannis adversus hos indignatio,

Et primum quidem Iacobi & Iohannis, qui nuncio audito ilico exarserunt, & tanquam filii tonitrui, Christum è cœlo formidabiliter in omnes hujus pagi cives intonare cupiunt. Tametsi enim rem ad Christum referunt, tamen quo animo ipsi sint non obscure declarant. Iter enim ad templum prohibere, & tanquam profluentem aquam haurire, simul & inhumanum & impium erat, eoque jure videri posset hanc vindictam expeti, maxime cum Eliæ exemplo non destituerentur, qui ignem è cœlo devocavit. Quanto igitur magis ob Christum contumeliose exceptum talis vindicta expetenda sit. Vide Gedeonis exemplum in Succuthanos, &c. *Iudic.* 8.

quæ sine Christi sententia non vindicanda laudabilis,

Quorum quam sit perversum judicium, post ex Christi responso intelligemus. Hic observemus quod in illis laude dignum est. Est autem hoc, quod cupidi vindictæ, nihil sine Christi sententia tentandum ducunt. Quod utinam à nobis observaretur, ut nostra consilia, præsertim ad ultionem propendentia, suspecta haberemus; ut priusquam manum aut pedem ad illa exsequenda moveamus, Christum in verbo consulamus: neque illas patiamur foras proripere, quam veniam illis à Deo impetraverimus, ut laciniam nobiscum semper in fimbriis circumgestemus, ut cingulo lumborum affectus astringamus. Neque tam subito proruant & prorumpant cupiditates nostræ, quæ sicut vaccæ in angustiore porta maxima contentione & tam certatim eruunt, ut altera alterius humeris insiliat. Hinc *Psal.* 17. impii *effractores* dicuntur.

etiam quod ejus jussu;

Alterum est (quod à laude non abest) quia scilicet constituunt jussu & voluntate Christi ignem extemplo deducendum, illiusque unius cælestis ignis exemplo statuunt, toties quoties opus erit, & Dei gloriæ intererit, idem judicii in mortales exercendum esse

quare in Ecclesiæ hostes vindicta ex verbo Dei paranda:

Discamus igitur eorum exemplo, Dei in Ecclesiæ hostes vindictam semper usque eo paratam iri, quoad Deus verbo suo pollicitus est. Hacque fide fulti ne fatiscamus orando Deum, ut laboranti Ecclesiæ adversus Ecclesiæ hostes succurrat. Munimur promissionibus præstantissimis Deum maledicturum maledicentibus Ecclesiæ *Gen.* 13. & fore petram ad quam allidantur omnes, qui in Ecclesiam impingunt. *Esa.* 8. Hostes Dei tanquam fumum fore quem ventus facile dissipat. *Psal.* 68. Atque in hoc ipso genere pollicetur eos omnes, qui obstiterint duobus Euangelii testibus, ignem ex ore testium exiturum quo consumantur, *Apoc.* 11, 5. Nam certe sermo ignitus est, aut purgans aut defecans, si quid auri Dominus in illis repositum habet; aut penitus absumens, si nihil aliud sunt quam stipula aut palea, &c.

hi ab eo reprehensi ex disparitate spiritus Eliæ & ipsorum,

Quod conversus reprehendit eos, docet Vers. 55.
non tantum obiter aut leviter corripi temeritatem promereri, sed dignam esse quæ sedulo & industria corripiatur. Primum autem arguit illos ab efficiente; quod spiritus ille qui hanc ultionem dictavit, non esset Dei spiritus, qui Eliæ hanc orationem in os inseruit. Itaque errare eos qui arbitrantur idem illis licere jam in hoc casu, quod olim Prophetæ Eliæ licuit. Elias enim rem habuit cum apostatis & defectoribus à vera Dei religione, & qui illum pervicaciter oppugnarunt: Samaritani autem nunquam dum ad veritatis cognitionem pervenerant, & quidem Israëlitæ pro illis veritatem inter illos à Propheta instaurandam oppresserunt, & lumen denuo per illum accensum extinguere conabantur. Nondum autem tempus advenerat, ut Samaritanis veritatis notitia affulgeret aut proponeretur. Porro, Israëlitæ Eliam ad mortem expetebant: Samaritani vero tantum convictum & transitum negarunt. Longe igitur disparem esse horum & illorum rationem, eodemque momento spiritum Eliæ ab eorum spiritu plurimum differre. Prudenter igitur discernendum est inter lepram, & varas, seu porriginem, seu pustulas.

quæ eadem in Papist.

Hac κακοζηλία à *Papistis* peccatur, qui quicquid à Christo aut à Prophetis factum singulari vocatione est, illud temere usurpant; ut sputum, insufflationem, unctionem, &c. quibus certe dici potest, *Nescitis quo spiritu, &c.*

etiam in iis qui sibi putant licere quod Christo & Apostolis.

Hoc nostris hominibus nonnunquam accidit, qui sibi in ministerio obeundo oberrare licere putant, eo quod hoc Apostolis licuit; sibique conciones farcire Poëtarum testimoniis integrum ducunt, quod Apostolus illud semel atque iterum in exemplis fecit; non reputantes discrimen auditorum & alias circumstantias. Sic ex populo non desunt qui Christi exemplum præ se ferunt, ut suam cum nefariis hominibus consuetudinẽ tueantur. Alii ex Christi ad mulierem responso, adulterium non esse morte plectendum concluderent: item quod David hostibus imprecatus est, sibi hoc licere putant; tanquam omnibus in corpore membris idem officium

 obire

obire commodum esset, aut tanquam omnes homines ejusdem mensuræ pedes aut manus haberent, ut idem illis quod aliis conari fas sit, cum omnes ad sobrietatem sapere debeant, & dispicere quid quidque quemque deceat.

Vers.56. *etiam quod venerat servare:* Alterum argumentum ducitur ab adversis, scilicet suum esse, non perdere sed servare; ob eamque rem in mundum venisse: vide *Iohan*.3,17. & *cap*.12,40. & 4,6,7.

causa fervoris ipsorum; Quod si veram causam tanti fervoris quæramus, hæc forte erit, quod illi met ipsi cum Christo contumeliose rejecti sunt; alioqui enim ibi Christus alias iniquius tractatus est. Sed quia ipsimet ita tractati cum eo erant, ideo, &c.

qui ab iis secedit. Christus etiam secedit, & cedit Samaritanis: cum discipuli igne perrumpere voluissent. Est enim honos, inquit Salomon, à contentione desistere.

LVC. *cap*. 9. *vers*. 6.

6 *Exeuntes igitur obibant singulos vicos, euangelizantes & sanantes* morbos *ubique.*

MARC. *cap*. 6, *vers*. 12, 13.

12 *Egressi igitur* illi *proclamabant ut resipiscerent* homines.

13 *Et dæmonia multa ejiciebant, ungebantque oleo multos ægrotos, & sanabant* eos.

PRAXIS.

Legisne an Euangelii resipiscentia effectum? QVod Lucas appellat prædicationem Euangelii, Marcus prædicationem resipiscentiæ appellat; unde constat, resipiscentiam non esse effectum prædicationis legis, sed Euangelii. Est enim resipiscentia ex dolore animi, ob Deum mandatorum suorum violatione offensum, vitæ malæ actæ emendatio. Hunc dolorem nemo admittit, nisi qui Deum ex gratiæ persuasione, amore complectitur. Fieri potest ut quis fide vacuus angatur ex violata lege; sed hoc fit metu pœnæ, &c.

MARC.6, 13. *Qua authoritate Apostoli ægros oleo unxerint?* *Oleo infirmos unxerunt*. Quæstio, qua authoritate freti? respondeo, Christi mandato; quod etsi non exprimitur, tamen nec verisimile eum qui de bacillo & scandalis præcepta dederit, istud de oleo adhibendo præterisse; nec eos ausos esse hoc ipsius injussu adhibuisse; cum Paulus ad tertium cœlum raptus, nihil tamen Ecclesiæ tradere voluit aut debuit, nisi, &c. nedum isti qui in Apostolatus tyrocinio adhuc versabantur. Sic *Iac*.5. hoc à Christo acceptum Ecclesiæ mandavit. Nihil autem de oleo diserte mandatur, quia oleum passim parari potuit. Contra figmentum *Papistarum*, Apostolos potuisse propria authoritate & arbitratu hoc oleum in curatione adhibere, etiamsi Christus de eo mandatum non dedisset.

quare oleum adhibitum sit? Oleum autem adhibendum non quod eo sanabantur: sed partim ut infirmi haberent quo fidem sublevarent, qui nisi adhibitis mediis nihil magni & inusitati fieri posse æstimabunt. Vt Naaman nisi Prophetæ manuum impositione, &c. 2 *Reg*.5. neque Sunamitis filium excitari posse credidit, nisi Prophetæ præsentia, 2 *Reg*.4,2. partim ut de aliorum fide experimentum caperetur, qui nisi renunciata rationis & sensus prudentia, hanc medendi rationem ludicram & ridiculam statuerent, non minus quam cum Christus ut cæco visum restitueret, lutum adhibuit. *Iohan*. 9.

an bene à Papistis usurpetur? Neque tamen *Papistæ* oleum, &c. Re enim sublata signum retinere rediculum est. Objectio. At vim habet ad peccatorum remissionem. Resp.1. temeritas est oleum ad alium usum quam cui à Christo institutum est applicare, 2. blasphemum illud oleo tribuere, quod Christi sanguini proprium est. Objectio ex *Iacob*.5. resp. illic remissionem peccatorum non oleo, sed precibus fidei, ut efficienti instrumento, planissimis verbis tribuitur. Huc adde, quod oleum ab Apostolis usurpatum purum erat & simplex, hoc ex pluribus conflatum & compositum, & nescio quibus obmurmuratis precatiunculis incantatum. Præterea quod certo die anni consecrari debet, feria quinta Cœnæ dominicæ: quodque non nisi Episcopo; (cum *Iacob*.5. *Presbyteris* mandat) denique quod sensuum singulorum organa ungenda sunt.

quod hinc discendum. Hinc discamus tanto magis laborare, ut Spirit S. virtute & promissione vitæ æternæ adversus ingruentis mortis terrores muniamur, quod his sanitatis externis præsidiis destituti sumus quibus olim Ecclesia, &c. eoque studiosius quod interdum homines illis morbis correpti sunt, qui omnem mentis & intelligentiæ usum auferunt; ut necesse sit eos perire, qui nihil ante reconditum habent.

MARC. *cap. 9. vers. 36.*

36 *Et acceptum puerulum statuit in medio eorum: eoque in ulnas recepto, dixit eis.*

LVC. *cap. 9. vers. 48.*

48 *Et dixit eis; Quicumque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicumque me exceperit, excipit eum qui me misit; nam qui minimus est inter vos, is erit magnus.*

MATTH. *cap. 18. à vers. 3. ad 6.*

3 *Et dixit; Amen dico vobis, nisi vos converteritis, & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.*

4 *Quisquis igitur submiserit sese sicut* est *puerulus iste, is est maximus ille in regno cœlorum.*

5 *Et quisquis exceperit aliquem puerulum talem nomine meo, me excipit.*

PRAXIS.

MARC. 9, 36. *Quid docuerit Christus puerum in medio statuendo?*

QVod non tantum adhortetur ad animi modestiam & humilitatem puerorum exemplo; sed porro puerum in medio statuit; in eo docet sacramentorum singularem esse & præstantem usum; quibus ob oculos, &c. Quod si Apostoli isto subsidio indigebant, nedum, &c.

quid eum amplectendo?

Quod ulnis puerulum complectitur, præter Christi φιλανθρωπίαν, docet quam chare illos complectitur qui modestia & humilitate parvulos imitantur, *Deut.* 33, 3. populus Dei dicuntur inseri in medio pedum Dei (*to stand betweeen his leggs*) metaphora à parentibus, qui filiolos quos charos habent sic tractant. Huc spectat quod Sacerdos maximus Christi typus, omnes Israëlitas in pectorali gestabat, quo indicatur quam chare Christus nos diligit.

LVC. 9, 48. *Christus superbiam discipulorum perstringit:*

Antequam discipulorum superbiam & ambitionem perstringat specialius, dicitur Christum cordium cogitationes vidisse: nec tam ex illorum sermone, &c. quam ex sua omniscientia, &c. ergo nemo in Ecclesia privatim aut publice flagellandus nisi, de ejus peccato admisso prius constiterit. Deinde Christus superbiam & ambitionem vidit, &c.

MATT. 18, 3. *Adhortatio ad resipiscentiam a pari,*

Ad resipiscentiam hortatur, quam pari illustrat: eorum qui iter facientes viam inierunt rectæ penitus adversam, ut regredi necesse est, &c. Peccatum ergo non est levis declinatio, &c. sed aversio. Nec resipiscentia est remissa cum peccato conflictatio, sed vehemens & contenta obluctatio.

ab adjuncta pœna impœnitentiæ;

Ad resipiscentiam hortationem confirmat ab adjuncta pœna impœnitentiæ; quæ est excludi è regno cœlorum; nedum ut primatum obtineant. Vide *Luc.* 23, 3, 5. Porta est angusta, ergo rejicienda peccata ut onera & impedimenta, &c. maxime vero peccatum innatum, quod cum corpulentia & corporis quadam redundantia confertur, quæ exercitatione, jejuniis, laboribus, ad moderationem revocanda est. Vide *Heb.* 12.

etiam ad electos pertinens:

Observandum discipulis Christi, qui omnes præter Iudam electi erant (quod certissimo Christi testimonio confirmatur *Ioh.* 6.) dici, *nisi resipueritis.* Contra eos qui dicunt doctrinam de electionis decreto tollere omnem hortationum usum, & bonorum operum studium. Item eos qui per speciem certitudinis salutis ex electionis decreto, sibi fræna laxant, &c. utcumque vixero, tamen quia electus, non sum periturus, &c.

unicum peccatum sine pœnitentia cœlo excludit;

Notandum unicum modo peccatum nisi resipiscentia expungatur, regno cœlorum excludere. Apostoli multis præclaris virtutibus ornati erant; tamen nisi ex ambitione resipuissent, &c. Vnica musca mortua universum unguentum corrumpit. Paululum fermenti integram massam fermentat. Contra eos qui alicujus culpæ aut criminis convicti, statim regerunt se non esse adulteros, homicidas, &c.

MATT. 18, 4. *quæ in pueris imitanda?*

Docet quæ sint, quæ in pueris imitanda sunt; non enim illorum inconstantia, ignorantia, &c. Contra eos qui quem aliquo vitio infectum vident, bona quæ in eodem sunt non imitabuntur, ac si eorum oculi nihil nisi nigrum videre possent.

Describitur humilitas ab effectis demittendi se, nempe ex sensu pravitatis suæ, & spe & opinione virtutis & dignitatis alterius. Improbi enim & superbi demittuntur & dejiciuntur à Deo, sed spontanea esse debet hæc demissio.

responsio ad tentatio-

Hinc gravis tentatio, fore scilicet ut si nos dejiciamus, ut lutum hominum pedibus con-

nem inde ortam.

conculcemur, contra viam compendiosissimam ad tranquillitatem, si quis se aliis formidabilem reddat. Adversus hanc tentationem Christus suos munit promissionibus iis datis, qui humiles & modestos benigne tractaverint; partim minis iis, qui contra, &c.

MATT. 18, 5. *Qui puerum excipit, Christum excipit;*

Promittit eum qui talem excipit, se excipere, imo apud *Lucam*, Patrem suum & Spiritũ sanctitatis. Averte ergo oculos à paupertate & ignobilitate istorũ depressorum, & ad gloriosam trinitatem attolle, &c. Si cui principem excipere datũ esset, nonne de hoc lætaretur, imo gloriaretur? quanto magis, &c.

amplificatur à minori:

Principes non sine sumptu maximo excipiuntur: Christus, &c. *Heb.* 13. stimulum addit ad hospitalitatem, quod inventi sunt qui Angelos excepere; quanto magis, &c. Pii incerti sunt an angelos excepturi sunt. At de Christo & cœlesti Patre excipiendis certi & indubitati.

Quæstio. Qui sunt quibus hæ promissiones factæ sunt; puerisne, an iis qui modestia & humilitate eos imitantur? Nam cum *Matthæus* & *Marcus* habeant, qui unum ex talibus exceperint; *Lucas* habet, qui istum puerum. Respondeo, utrumque intelligi.

quibus hæc promissio facta?

Ex quo constat quam munifice Christus veram animi submissionem remuneraturus sit, qui ejus umbram & imaginem in puellis vacuam munere non dimittat. Huc accerse quod Achabi humilitatem & depressionem non veram & synceram, sed pœnæ metu extortam, Deus amplissima hujus vitæ benedictione abunde remuneravit.

LUC. *cap.* 9. *à vers.* 57. *ad finem Capitum.*

57 *Factum est autem ut proficiscentibus ipsis, quidam in via dixerit ei; Sequar te quocumque ieris, Domine.*

58 *Dixit autem ei IESVS; Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

59 *Dixit vero ad alium* quemdam; *Sequere me. At ille dixit; Domine, permitte mihi ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum.*

60 *Dixit autem ei IESVS; Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: Tu vero profectus annuncia regnum Dei.*

61 *Dixit autem etiam alius; Sequar te Domine: sed permitte mihi prius ut valedicam iis qui sunt domi meæ.*

62 *Ait autem ei IESVS; Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit ad ea quæ retro* sunt, *appositus est ad regnum Dei.*

ANALYSIS.

De hujus Historiæ Analysi usque ad vers. 61. vide supra, ut quæ tantum loco, tempore & paucissimis verbis ab illa priori differt.

Vers. 61. Describitur alter ab effecto, nempe quod se obtulit Christi ministerio; quod adjuncta conditione exponitur, modo illi liceat prius suis domesticis & amicis valedicere: & videtur comparationem minoris obscure innuere, se non ut præcedens petere ut mortem patris expectet, sed cupere amicis valedicere tantum.

Vers. 62. Cujus hypothetici obsequii effectum est responsum Christi, non admittendam conditionem hanc; quod confirmat à disparatis, ministerio Euangelii & occupationibus hujus vitæ quantumvis leviculis; quod pari illustratur ejus qui aratro manum admovens aliorsum respectat, unde lineam & sulcum tortuosum ducit.

METAPHRASIS.

Vide Metaphrasim usque ad 61 versum supra, utpote quæ præter personæ & temporis discrimen verbis quam minimum ab illa discrepant.

Dixit & alius: Tibi, Domine, in ministerio Euangelii per omnia obsequens ero, sed 61.
hac lege & conditione, non equidem ut patrem prius sepeliam (quod non nisi diuturniore temporis spatio conficietur) sed ut hoc mihi tamen prius indulgeas, ut domum revertens & domesticis valedicens, uni cuiq; quod sui muneris & officii præcipiam. Ad quem Iesus: ministerium 62.
Euangelii tantam in eo defungendo curam & assiduitatem requirit, ut illi administrando perinde ineptus sit qui curas & cogitationes suas ad alia negotia distrahit, atque ad aratrum ineptus est is qui sulcum ducens aliorsum respectat quam ad culturam quam in manibus habet: nec enim secus in Euangelii administratione aberrabit, qui vel paululum curam suam remittet, quam arator qui oculos ab aratione avertens curvam seu inflexam lineam ducit.

Lvc. cap. 10. à vers. 1, ad 17.

Post hæc autem designavit Dominus etiam alios discipulos *septuaginta, misitque eos binos ante faciem suam in omnem urbem & locum quo futurum erat ut ipse veniret.*

2 *Dicebat igitur eis; Messis quidem multa, sed operarii pauci: deprecamini ergo dominum messis ut emittat operarios in messem suam.*

3 *Abite, ecce, ego mitto vos ut agnos in medium luporum.*

4 *Ne portate crumenam, neque peram, neque soleas: & neminem in via salutaveritis.*

5 *In quamcumque domum ingrediemini, primum dicite;* Pax esto *huic domui.*

6 *Quod si fuerit illic quispiam filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin minus, ad vos revertetur.*

7 *Manete autem in ea ipsa domo, edentes & bibentes quæ ab ipsis* apposita fuerint: *dignus enim est operarius mercede sua. Ne egredimini è domo in domum.*

8 *Sed in quamcumque urbem ingressi fueritis, & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis.*

9 *Et sanate infirmos qui in ea fuerint, & dicite eis; Appropinquavit ad vos regnum Dei.*

10 *In quamcumque autem urbem ingressi fueritis, & non exceperint vos, egressi in plateas ejus dicite;*

11 *Etiam pulverem qui adhæsit nobis ex urbe vestra, vobis abstergimus: tamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei.*

12 *Dico autem vobis, Sodomorum conditionem die illo tolerabiliorem fore quam urbis illius.*

13 *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco, & cinere sedentes resipuissent.*

14 *Ideo Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio quam vestra.*

15 *Et tu Capernaum quæ usque ad cœlum elata es, usque ad inferos deprimeris.*

16 *Qui vos audit, me audit: & qui vos aspernatur, me aspernatur: qui vero me aspernatur, aspernatur eum qui misit me.*

ANALYSIS.

Effectum Iesu narratur, designatio septuaginta Euangelistarum, quæ describitur adjuncto tempore, post quosdam rejectos qui suam operam offerebant; item suo disparato, quod alii essent à duodecim illis de quibus dictum est: deinde suo fine, ut illos mitteret ante se: item adjuncto numero, quo disparati sunt: denique subjecto loco quo illos legabat, nempe in omnem locum quo ipse venturus erat.

Vers. 2. Aliud effectum Iesu, nempe quod illos mandatis instruit; primum hortatur Deum precentur ut plures Dei præcones emittat, ab adjuncta copia populi qui servandi sunt: & ab adjuncta paucitate ministrorum verbi, quorum opera servandi erunt: quæ duo illustrantur pari messis & messorum: deinde à subjecto quod precari debent, nempe domino messis: denique ab adjuncta aversione eorum qui apti sunt, quod non nisi extrusi in messem venient.

Vers. 3. Ad cautionem eos excitat ab adjuncto periculo, quod suis causis explicatur, propria cum infirmitate, tum simplicitate, quæ pari agnorum illustratur; & hostium cum fraude, tum robore, quæ pari itidem illustratur luporum; quod amplificatur ab adjuncta etiam multitudine luporum; quæ innuitur eo quod undique illos circumsistent. Quæ etiam cautio amplificatur adjuncta nota attentionis.

Vers. 4. Hortatur ad celeritatem & diligentiam in ministerio obeundo ab adjuncta prohibitione earum rerum quæ iter retardarent, quæ enumerantur.

Vers. 5. Describit quomodo se gerere debeant in hospitio: ab effectu pacem familiæ apprecandi: quod etiam adjuncto tempore declaratur, nempe ut primum & ante omnia hoc faciant.

Vers. 6. Cujus precationis effectum indicatur, nempe quod pax requiescet in illa domo: quod arguitur ab adjuncta conditione, si filius pacis ibi sit: & suo adverso illustratur ad se pacem reversuram, si non sit ibi filius pacis.

Vers. 7. Instituit eos ad modéstiam & modera-

 tionem,

tionem, quæ declaratur suis effectis, manendo in illa domo: quæ negatione sui adversi amplificatur, nempe ut transeant ab una familia in aliam: deinde edendo quod illis in mensa apponitur. Vbi est prolepsis, cujus occupatio est, æs atque argentum non est circumferendum nobis *vers.*4. qua fiducia igitur edamus? subjectio est eum qui sacris operatur dignum esse m.rcede.

*Vers.*8, & 9. Nunc docet quomodo se gerant publice in urbe aut vico, quod distributione arguitur,

effecto quid { faciant, } Prius est ut comedant quæ apposita sunt: deinde ut sanent eorum infirmos.
{ dicant, } Posterius ut dicant regnum Dei ad vos appropinquavit.

Quæ omnia adjuncta conditione facienda sunt, dummodo illos humaniter excipiant.

*Vers.*10, & 11. Priora illa suo adverso illustrantur: ubi subjectum primo proponitur, nempe urbs quæ illos repudiat:

Deinde declarantur effecta Euangelistarum eadem distributione quid { Faciant, *vers.*10. Dicant, *vers.*11.

De *vers.*12, 13, 14, 15. vide supra *Matth. Cap.*11.

Consolatur eos ab adjuncto obsequio quod præstatur illorum præconio, nempe quod obsequium Christo præstatur: quod suo adverso declaratur, repudiari se, cum illi repudiantur: quod etiam comparatione majoris amplificatur non se tantum repudiari, sed Patrem & Spiritum Sanctum qui illum misit.

METAPHRASIS.

1. *Repudiatis his qui suam operam in ministerio Euangelii obtulerunt, & numero eorum qui studio aliquo regni cœlorum eum secuti erant aucto, præter duodecim Apostolos, quos prius ad Euangelii præconium legaverat, misit & alios inferioris ordinis Ministros, quos septuaginta ideo designavit, ut ipso numero septuaginta Seniores qui post reditum ex Babilonia populo Iudaico præerant repræsentantes, spiritualem regni Christi instaurationem adumbrarent. Hos misit binos in omnes urbes & loca quo ille venturus erat: hoc consilio ut illi viam & aditum munirent, quo ipsius præconium mox subsequuturum altius animis fidelium insideret. Quamobrem ad illos dixit:* 2.
perinde se habet res in hoc populo ut cum ad copiosam messem demetendam pauci messores suppetunt. Quod quidem ut vestram industriam in prædicando exacuere debet, sic etiam studium in precando accendere, ut Deum, qui hujus cœlestis messis Dominus est, oretis ut operarios, quantumvis suo marte invitos, potenti & efficaci spiritus sui virtute extrudat.
In obeundo vero Ministerio ea diligentia & 4.
celeritate utendum est, ut vel ipsa humanitatis officia, quæ necessaria non sunt, prætereunda vobis sint: quandoquidem non de hujus vitæ dubio discrimine in hac legatione agitur (in quo tamen omnis festinatio adhiberi solet) sed de certa simul & animæ & corporis æterna morte, quæ non nisi vestro ministerio declinari
potest, ratio habetur. Manentes vero in ho- 7.
spitio quod elegistis, religiose cavendum ne quod solvendo non sitis cibum comedere detrectetis: cum dignus sit, &c. aut deliciarum studio mensam quantumvis viliorem fastidiatis; sed quæ vobis apponuntur æqui bonique consulentes comedite: ne hospitem pudore afficientes, doctrinam vestram, perinde ac vos illius mensam fastidiose rejiciat.

Reliqua usque ad *versum* 17. pete ex *Matth.* 10. quæ aut eadem sunt aut quam minimum discrimen admittunt.

LVC. *cap.*10. *à vers.*17, *ad*21.

17 Reversi sunt autem septuaginta cum gaudio, dicentes; Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis per nomen tuum.

18 Ipse *autem dixit eis; Spectabam Satanam, ut fulgur, è cœlo cadentem.*

19 Ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici: & nihil vos lædet.

20 Sed de eo ne gaudete quod spiritus vobis subjiciantur: gaudete vero potius quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

ANALYSIS.

Describuntur septuaginta discipuli suo effecto, reditu scilicet à legatione, item adjuncto gaudio: item aliud ejus effectum, narratio rei in itinere gestæ, ubi gaudii causa efficiens est quod dæmonia illis obsequium præstabant, cujus obsequii causa notatur, quod Christi nomine illis ut exirent mandatum esset.

*Vers.*18. Christus aliud effectum ministerii eorum narrat eo majus quod illi narrabant, satanam ex cœlo decidentem, qui casus adjuncta celeritate amplificatur, quæ celeritas pari illustratur fulguris.

*Vers.*19. Aliud effectum Christi exponitur, nempe quod potestatem confert septuaginta discipulis &c. quæ potestas suo minore amplificatur dæmoniorum ejectione ante nominata. Quæ potestas suo diverso amplificatur, nempe quod calcantes venenata animalia nullum inde damnum acci-

accipient, & adjuncta nota attentionis exaggeratur hæc potestas.

Vers. 20. Discipulorum septuaginta gaudium modum excedens corrigit comparatione majoris, plus argumenti esse cur gaudeant quod nomina eorum scribantur in cœlis, quam ob illa quæ aut prius exercuerant aut jam porro confert.

METAPHRASIS.

17. *Defuncta legatione quæ septuaginta discipulis à Christo demandata est, ad Iesum tanquam rationem reddituri gaudio perfusi revertuntur, dicentes: Domine, quorumcumque miraculorum edendorum potestatem nobis concessisti eam nos omnem exercuimus, usque eo ut vel ipsa dæmonia tuo nomine & authoritate exire jussa nobis vel invita morem gerere*
18. *coacta sunt. Ad quos Iesus: atque ego majus quiddam & magnificentius spiritus omniscii oculis intuitus sum, quam vos dicitis: vidi etenim Satanam Dæmoniorum principem à plerisque obsequio & veluti cultu ei præstito in cælum quodammodo elatum, vestra Euangelii prædicatione per Spiritus Sancti efficaciam de suo solio cum impetu & celeritate tanquam fulgur deturbatum. Et quidem vobis rite &* 19.
legitime utentibus quæ pridem accepistis, donis, ecce potestatem porro facio, pedibus calcandi & proterendi serpentes & scorpios, vimque omnem quæ humanæ vitæ noxia & inimica est; nihil ut sit in rerum natura tam venenatum aut hominibus tam infensum quod vos damno afficiat. Operam vero vestram cæteroquin 20.
laudans, est tamen de quo vos admonitos velim; ut non tam effuse & exultanter gaudeatis quod vobis spiritus immundi vel inviti obsequũtur. Quod si pleni & solidi gaudii materiam & argumentum expetitis, eo inde perfruemini, quod vos ad vitam æterno Dei decreto destinatos esse haud secus persuasi estis, quam si nomina vestra veluti in libro vitæ descripta intueremini.

MARC. *cap.* 10. *à vers.* 1, *ad* 13.

Et illinc digressus, venit in fines Iudææ per oram Iordanis: & convenit rursum turba ad eum: &, ut consueverat, rursum docebat eos.

2 Tunc accedentes Pharisæi interrogarunt eum, an liceret viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3 Ipse vero respondens, dixit eis; Quid vobis mandavit Moses?

4 Ipsi autem dixerunt; Moses permisit libellum abscessionis scribere, & dimittere uxorem.

5 Tunc respondens IESVS, dixit eis; Pro duritia cordis vestri scripsit vobis mandatum istud.

6 A principio vero creationis masculum & fœminam fecit Deus.

7 Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur uxori suæ.

8 Et qui duo fuerant, *erunt caro una. Itaque non sunt amplius duo, sed una caro.*

9 Quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat.

10 Et domi rursum discipuli ejus eadem de re interrogarunt eum.

11 Ipse *vero dixit eis; Quicumque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur adversus eam.*

12 Et si mulier dimiserit virum suum, & nupserit alteri, mœchatur.

MATTH. *cap.* 19, *à vers.* 1. *ad* 13.

Et factum est, quum finisset IESVS sermones istos, ut solveret è Galilæa, & venit in fines Iudææ, secus Iordanem.

2 Et sequuta est eum turba multa, sanavitque eos illic.

3 Tunc adierunt eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes ei; Licet ne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa?

4 Ille vero respondens, dixit eis; Non legistis opificem ab initio fecisse masculum & fœminam?

5 *Et dixisse; Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & qui duo* fuerant, *erunt una caro?*

6 *Itaque non amplius sunt duo, sed una caro, quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat.*

7 *Dicunt ei; Cur ergo Moses mandavit dare libellum discessionis, & eam dimittere?*

8 *Dicit eis; Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterum à principio non fuit ita.*

9 *Dico autem vobis; quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

10 *Dicunt ei discipuli ejus; Si tale est negotium hominis cum uxore, non expetit uxorem ducere.*

11 *Ipse vero dixit eis; Non omnes sunt capaces hujus sermonis, sed* ii *quibus datum.*

12 *Sunt enim eunuchi qui ex matris utero nati sunt ita: & sunt eunuchi qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum. Qui potest capax esse* hujus rei, *capiat.*

ANALYSIS.

MARC. 1. DEscribit res gestas hac pericope à subjecto loco in confinibus Iudææ: item alio subjecto loco, per quem transiens pervenit. Deinde unum Christi effectum proponit, nempe Euangelii prædicationem, quæ primum suo adjuncto signo describitur, sanatione morborum: deinde sua efficiente causa arguitur, nempe quod turba ad illum iterum venerat, & comparatione paris, ut solitus est.

Vers. 2. Deinde describit aliud Christi effectum, disputationem, cujus causa assignatur efficiens, interrogatio seu quæstio per Pharisæos proposita. Quæstionis forma adjungitur; An fas sit dimittere uxorem: ubi porro illos quæsivisse an aliam liceret inducere apparet ex *vers.* 11. *Matthæus* addit quacunque de causa: & *Marcus* finem hujus quæstionis notat, ut Iesum pertentarent.

Vers. 3. Illius quæstionis effectum est alia quæstio, quam Christus Pharisæis proponit; cujus forma est, quid Moses illis de ea re præcepit, qua forma quæstionem per illos propositam definit, ut ex *vers.* 6, 7, & 8. liquet: forma est enim legitimæ conjunctionis, quod legi divinæ consentiens sit.

Vers. 4. Quæstionis effectum est responsum Pharisæorum, quo argumento testimonii divini confirmant quavis de causa dimittendam uxorem; cui tamen dimissioni adjuncta est conditio, si libellum abscessionis det maritus uxori.

Vers. 5. Hanc permissionem probat Iesus non habere firmitatem & durationem: probat ab efficiente ejus causa, nempe duritia cordis Iudæorum: unde finem etiam indicat hujus permissionis, fugam majoris mali.

Vers. 6. Illud probat à disparatis, quia uni viro unam tantum fœminam creavit Deus quando nullus alius fœminæ maritus, nec viro uxor in mundo suppeteret. Hanc legem confirmat ab adjuncto tempore, nempe ab origine mundi: cum illa altera permissio multis post sæculis successit.

Vers. 7. A comparatione minoris probat non quavis de causa dimittendam uxorem, cum uxoris retinendæ causa pater & mater sint deserendi: ubi etiam arcta viri cum uxore conjunctio pari illustratur earum rerum quæ glutine inter se connectuntur.

Vers. 8. Hic nexus confirmatur ab effecto conjugii, nempe quod ex duobus sunt una caro.

Vers. 9. Nexus etiam indissolubilis confirmatur suo efficiente, nempe Deo, qui illos conjunxit; quod amplificatur ab adverso, efficiente separationis, nempe homuncione misero.

Vers. 10. Describitur alia disputatio quæ subjecto loco notatur, & alio subjecto hujus disputationis discipulis & Christo: cujus causa efficiens notatur quæstio, quam discipuli moverunt, tertium etiam subjectum notatur, nempe eadem res de qua cum Pharisæis disputatum est.

Vers. 11. Ab adjuncto adulterio ex dimissione uxoris & conjugio alterius, probat esse illicitam dimissionem.

Vers. 12. Quod idem dicitur de dimissione mariti per uxorem & connubio alterius. Apud *Matthæum v.* 9. disparatis probat non quavis de causa dimittendam esse à viro uxorem, aut ab uxore virum.

MATTH. 19, 10. Hujus sermonis Christi effectum est in discipulis conclusio, non expedire conjugium; quod adjuncta conditione probatur, si res ita se habet ut Christus dixit.

Vers. 11. Christus refellit hoc dictum à subjecto, quod sint quidam, quibus hoc, quod dicunt discipuli, nullo modo competit, & causa efficiente, quia illis non datur à Deo ut possint à conjugio abstinere.

Vers. 12. Id confirmat à subjecto quibus hoc quod dicunt discipuli competit, nempe Eunuchis, quod declaratur distributione in tria membra, quorum postremum suo adjuncto, nempe persequendum esse hoc genus castrationis, quod adjunctum suo etiam subjecto circumscribitur, nempe qui potest capere.

METAPHRASIS.

1. *INde exsurgens in itinere ad Hierosolymam*
venit in loca Iudææ finitima, cis Iordanum
oppida transiens; cui se denuo magna multi-
tudo comitem adjunxit: quam de more &
consuetudine denuo in doctrina Euangelii in-
stitutam, morbis (prout oportunum illi vi-
2. *sum est) liberavit. Quamobrem Pharisæi æ-*
gre ferentes populi eam institutionem & à
morbis curationem, quatenus hoc pacto, aucta
rerum gestarum illius fama, illorum existima-
tioni aliquid semper decedebat, ad illum acces-
serunt & interrogarunt, liceretne viro qua-
vis de causa, etiam levicula, uxorem dimitte-
re. Quod non animo discendi fecerunt, sed
tantum ut illi sive ex silentio, seu ex responso
3. *insidias struerent. Quibus Iesus respondens,*
dixit; hujus rei definitio ex lege Mosis tota
pendet: cujus quoniam vos interpretes esse pro-
fitemini, age, dicite quid de hoc negotio man-
4. *davit Moses? Ad quem illi; Moses permisit*
dari libellum abscessionis, quo de fœminæ inno-
centia in causa adulterii cautum est, atque
5. *ita illam dimittere. Respondit Iesus: permis-*
sio & conniventia tantum est dimissio uxoris
quavis de causa: mandatum vero quod dimit-
tendæ uxori libellum abscessionis dare lege
coactus sit. Quod omne non ex constanti Dei
æquitate, quæ invariabilis est, fluxit, sed ex
vestri cordis duritie, qui uxores vobiscum co-
habitantes haud usquequaque vobis gratas,
tanta inhumanitate tractaretis, ut vel à mor-
6. *tis periculo non procul abessent. Non ex jure*
hoc permissum vobis, palam est. An enim, qui
prius de permissione Mosis testimonium protu-
listis non etiam & illud in Mose legistis, Deum
initio creationis mundi unum modo virum &
unam tantum fœminam condidisse, cum spi-
ritus ei abunde suppeteret uni viro plures fœ-
minas & fœminæ totidem viros creare?
Quamobrem tantum abest ut quacunque de 7.
causa uxor sit dimittenda, ut vel pater &
mater potius deserendi sint, quam arctissima
illa conjugum veluti adglutinatio vel mini-
mum dissuenda sit. Vnde est quod sua natura 8.
duo hoc Dei fœdere, partim ipsa creationis for-
ma quod fœmina ex viri costa facta sit, par-
tim vero mutua benevolentiæ exhibitione, in
unam carnem coalescant. Quapropter ut in 9.
cæteris, quæ Deus uno nexu conjunxit, sic in
hoc conjugii negotio, quod Deus in secula bene-
dictus conjunxit, miser homuncio disjungere
ne audeto. Postquam è via in hospitium di- 10.
vertebant, discipuli rursus illi hanc quæstionem
refricarunt, ut aliquid certius audirent. Ad 11.
quos Iesus: quicunque uxorem quacunque de
causa (si adulterium excipias) dimiserit, &
aliam duxerit, mœchatur, fidem illi datam
fallens. Pari ratione, si uxor virum dimiserit 12.
& alii nupserit, mœchatur. Insurgunt disci- Matt.10.
puli: si res sic se habet inter virum & uxo-
rem, ut nullius incommodi causa, tametsi &
magnitudine & numero augeantur, se mutuo
dimittere possint, è re omnium hominum vi-
detur conjugio abstinere. Ad quos Iesus: ut il- 11.
lud silentio prætercam, an conducibile sit, hoc
unum respondeo: omnes non esse capaces illius
virtutis, qua possint sine conjugii beneficio
sancte & honeste vitam transigere: nec enim
Deus donum continentiæ omnibus distribuit.
Non nisi enim Eunuchi hujus quod dicitis ca- 12.
paces sunt, sive sint frigidi & naturæ impoten-
tia ad matrimonium inepti; sive hi, quos ho-
mines, ut suis prodigiosis affectibus obsequan-
tur, castrarunt: sive denique hi sunt, qui om-
nem licitam agendi rationem persequuntur, ut
continentiæ donum adepti liberius divino cul-
tui vacent, non autem (quod vos collimatis)
ut vitam hanc placidam & ab omnibus mole-
stiis immunem transigant.

LVC. *cap.* 10. *à vers.* 25, *ad* 38.

25 Tum ecce, quidam Legis interpres surrexit, tentans eum, & dicens; Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?

26 At ille dixit ei; In Lege quid scriptum est? quomodo legis?

27 Ille vero respondens dixit; Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ut teipsum.

28 Tum ipse dixit ei; Recte respondisti: hoc fac, & vives.

29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit IESV; Et quis est meus proximus?

30 Excipiens autem ejus sermonem *IESVS, dixit; Quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui exspoliato eo & plagis impositis abierunt, eo seminece relicto.*

31 *Casu autem sacerdos quidam descendit per eandem viam; qui viso eo, ex adverso præteriit.*

32 *Similiter & Levita, quum venisset eo & illum vidisset, præteriit ex adverso.*

33 *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit eo, & ipso conspecto, misericordia intima commotus est.*

34 *Et accedens, obligavit ejus vulnera, infundens oleum ac vinum: & ipsum impositum suo jumento, duxit in diversorium, & ejus curam egit.*

35 *Postero autem die abiens, prolatos duos denarios dedit hospiti, & dixit ei; Curam ipsius age: & quodcumque præterea insumpseris, ego quum redibo, reddam tibi.*

36 *Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?*

37 *Ille autem dixit; Is qui usus est misericordia erga eum. Ait igitur ei IESVS; Abi, & tu fac similiter.*

ANALYSIS.

NArratur dialogismus cujus efficientes causæ proponuntur legisperitus & Christus: describitur etiam subjecta materia: Quid faciendo ad regnum seu vitam æternam quis veniat: ubi etiam finis legisperiti notatur, ut Christum tentaret. Christi autem finis colloquendi cum eo, ex universa historia colligitur, nempe ut probet hominem non justificari operibus.

Vers. 26. Quæstionis propositæ effectum est Christi responsum per aliam quæstionem, in qua testimonio legis probare vult neminem ex operibus legis justificari posse.

Vers. 27. Cujus quæstionis effectum est legisperiti responsum, cujus responsi subjectum materia est totius legis summa, quæ duobus effectis continetur, dilectione Dei & proximi omnibus suis numeris perfecta.

Vers. 28. Cujus responsi adjunctum est encomium Christi, quo laudat legisperiti responsum, deinde effectum, jussio ut hoc faciat: & ejus impletioni adjunctam mercedem proponit vitam æternam.

Vers. 29. Hujus Christi responsi effectum est alia quæstio à legisperito proposita, quis sit proximus ejus: cujus quæstionis finis est ut se justificaret.

Vers. 30. Cujus quæstionis effectum, responsum Christi: ubi narratio proponitur: narrationis subjectum est de viatore, qui suo effecto declaratur descensu à Ierosolymis Ierichuntem: & adjuncta despoliatione & vulneratione; cujus efficiens causa notantur latrones, & effectum spoliationis & vulnerationis, nempe quod semimortuus relictus sit.

Vers. 31. Deinde describitur ab adjuncto neglectu, qui neglectus suis subjectis, primum sacerdotis prætereuntis, qui ei viso non succurrit.

Vers. 32. Deinde Levitæ, qui perinde eum neglexit ut sacerdos: horum vero illac itineris institutio describitur adjuncto fortuito casu.

Vers. 33. Post adjuncta sollicitudo de vulnerato describitur suo subjecto Samaritano; cujus sollicitudinis efficiens causa est commiseratio: commiserationis vero causa intuitus.

Vers. 34. Deinde effectis diversis, obligandi vulnera, infundendi olei & vini in vulnera, & impositionis vulnerati super jumentum suum, reportationis in hospitium, & curam de eo in hospitio agentis.

Vers. 35. Post duorum denariorum datione hospiti ut illius curam agat: quod adjuncto tempore notatur, cum hospitium reliquit; denique pollicitatione compensationis si quod porro expenderet, quæ compensatio adjuncto tempore definitur, cum illac rediret.

Vers. 36. Proponitur aliud effectum Christi, quæstio à Legisperito, quis ex tribus istis sacerdote, levita & Samaritano spoliati & vulnerati proximus sit.

Vers. 37. Hujus quæstionis effectum est Legisperiti responsum, Samaritanum esse proximum; quod effecto arguitur, qui misericordiam erga illum exercuit; cujus responsi effectum est, Christi mandatum ut Legisperitus idem faceret.

METAPHRASIS.

ECce autem rem (ipso genere, quod hominum salutem præcipue contineat) animadversione dignam. Legisperitus quidam, seu divinæ legis interpres surrexit, qui studio Iesum irretiendi per hypocrisin dixit; Magister me ad pedes tuos discipulum sisto, avide cogniturus quid illud est, cujus operatione vitam æternam consequar. Ad quem Iesus: cum legis interpres sis, age dic quid in lege scribitur, quomodo legis: ut non tam meum, quod parvi facis, quam legis quam in pretio habere videri vis, responsum auferas. Ad quem Legisperitus: longũ esset de singulis particulis legis respondere: quamobrem rem brevi complectar. Legis igitur compendium est: Diliges Deum tuum omnibus animi tui affectibus, idque per universum vitæ tuæ spatium, omnibus cum corporis, tum fortunæ bonis, tota denique mente & intelligentia: proximum vero ut teipsum. Cui Iesus: recte respondisti: & quandoquidem quomodo operibus vitam æternam consequaris quæstionem moves; respondeo, perfecta & omnibus suis partibus & numeris absoluta hujus legis obedientiæ præmium vitæ æternæ accipies. Legisperitus vero propriæ justitiæ, qua imbutus erat, 25. 26. 27. 28. 29.

falsam

falsam opinionem tueri cupiens, ad Iesum dixit; cedo in tanta hominum diversitate, partim ex religione & Dei cultu, partim ex voluntatis & affectuum distractione nata, quis demum is est, quem pro proximo haberi lex jubet? homo etenim stupidus de Dei cultu (tanquam à se plene præstito) nullam dubitationem
30. *movit. Cujus sermonem Iesus excipiens dixit: dicam quod quaeris, sed aliqua verborum circuitione utens, ut rem plenius & planius intelligas. Homo quidam erat Iudæus natione, qui Hierosolyma per desertum quoddam latrociniis obnoxium Ierichuntem descendit. Hic in latronum manus incidens, omnibus suis bonis despoliatus & vulneratus pro semimortuo*
31. *relictus est. Atque, ut fit, sacerdos quidam Hierosolyma descendens, & illac iter faciens, tametsi illum vidit & intuitus est, tamen eum neglectui habens, ex adverso ejus præter-*
32. *iit. Pari ratione Levita, qui (post sacerdotem cæteris charitate & commiseratione aliis prælucere debet) prope locum ubi despoliatus jacebat accedens & illum intuens ex adverso*
33. *ejus transiit. Samaritanus vero à spoliato cum natione alius, tum religione contrarius, illac iter faciens, venit ad eum & illius miseriam intuens, commiseratione erga eum motus est. Quamobrem propius ad eum accedens* 34.
vinum & oleum (quæ de more regionis secum pro viatico portabant) adhibuit. Et vinum quidem in vulnera ad purulentiam expurgandam infudit, oleum vero vulneribus ad doloris acrimoniam mitigandam inducens, vulnera obvolvit & obligavit: post ipse quasi à pedibus subministrans, illum in jumentum attollens in hospitium duxit: ubi etiam illum sollicite curavit. Postero die necessitate quadam ad per- 35.
sequendum susceptum iter coactus, Hospiti duos denarios tradit, eumque rogat, ut illius diligentem curam suscipiat, cum hac pollicitatione, fore ut quicquid præterea sumptus faceret illud in reditu suo persolveret. Nunc quæro abs 36.
te, quem ex tribus his statuis ei qui in latronum potestatem incidit, proximum? Ad quem Le- 37.
gisperitus, eum qui illius misertus est & ei opem tulit; cui vicissim Iesus: abi, & tu, qui proximum angustis amici finibus definis, similiter atque Samaritanus fecit, facito.

LVC. *cap.* 10. *à vers.* 38. *ad finem Capitis.*

38 Factum est vero inter eundum, ut ipse ingrederetur in quendam vicum: mulier autem quædam Martha nomine excepit eum domum suam.

39 Et huic erat soror quæ vocabatur Maria, quæ etiam assidens ad pedes IESV, audiebat ipsius sermonem.

40 Martha vero distrahebatur circa frequens ministerium: superveniens igitur ait; Domine, non est tibi curæ quod soror mea dereliquit me ut sola ministrem? dic ergo ei ut me vicissim adjuvet.

41 Respondens autem dixit ei IESVS; Martha, Martha, solicita es, & satagis de multis:

42 Atqui uno opus est. Maria vero bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

ANALYSIS.

NOtat adjunctum tempus hujus historiæ, nempe in itinere ad Hierosolymam: deinde à subjecto loco describit, communi nempe in vico Bethaniæ; proprio, domo Mariæ: item causam hujus rei quæ præcipue narratur, quod Martha Iesum hospitio exceperat.

Vers. 39. Adjunctum hujus exceptionis erat, quod Christus in illa domo docuit, quod arguitur suo relato audiendi verbum prædicatum, quod suo subjecto indicatur, fœmina quadam, quæ relato describitur, nempe quod esset soror Marthæ, & adjuncto nomine Mariæ; quæ auditio verbi duobus adjunctis notatur, assiduitate in verbo Christi audiendo, & submissione quod ad pedes ejus assidebat.

Vers. 40. Aliud adjunctum hujus exceptionis narratur, Marthæ distractio in parando convivio. Deinde effecta indicantur assiduitatis Mariæ in audiendo: primo querela Marthæ apud Iesum, quod Maria illi in ministerio non adfuit; deinde petitio ut illam jubeat sibi in ministerio suppetias ferre.

Vers. 41. Cujus effectum Christi responsum primum ad querelam.

Vers. 42. Ad quam respondet ab adjuncto excessu curæ, & in operando fatigationis circa multa, quam Martha adhibuit in parando convivio; quod confirmat à disparato, quod unum necessarium sit. Quæ reprehensio duplicata Marthæ appellatione augetur & exasperatur: deinde respondet ad petitionem quam illi denegat; cujus causa assignatur, quod Maria optimam partem elegerat; cujus effectum proponitur, nempe illam ei non esse auferendam.

META-

METAPHRASIS.

38. *IN hoc ipso itinere à Galilæa Hierosolymam,*
accidit ut Iesus ad quendam vicum nomine
Bethaniam profectus sit: ibi fœmina cui no-
men erat Marthæ domi suæ hospitio eum exce-
39. *pit. Marthæ vero erat soror, Maria nomine,*
quæ se ipsam ad audiendum Christum compo-
nens, submississime ad Christi, in editum locum
docendi causa elati, pedes, verbum ejus audi-
40. *tura, assidebat. Martha autem ut lautum*
Christo convivium pararet, plurimum distra-
cta erat. Quamobrem sub tanto onere fatis-
cens Christo adhuc in docendo occupato super-
veniens, non sine aliqua animi indignatione
dixit: Domine, nihilne te movet, aut tibi cu-
ræ est, quod soror (me relicta) totum instruen-
dæ mensæ onus in me unam devolvit? Quam-
obrem manda, quæso, mihi in hoc opere labo-
ranti ut subveniat. Ad quam Iesus respondens, 41.
dixit; ô Martha (iterum dico ut attentius
quod dicturus sum consideres) ô Martha, cu-
ris huc illuc distracta circa multa te fatigas.
Hæc autem quæ tanto molimine & tam inten- 42.
to studio paras, utcumque suo loco & tempore
adhibere fas sit, tamen unum hoc de vero Deo
& ejus quem misit filio cognoscendo (præ quo
cætera omnia sordent) necessarium est, Maria
igitur ex duorum, nempe rerum terrenarum
& cœlestium procuratione, meliorem partem
delegit, cujus ut fructus nulla aut vi aut frau-
de ei eripi potest, sic neque ego, ut tibi (cœlestis
doctrinæ dispendio) subveniat, illi imperabo.

IOAN. *cap. 7. à vers. 11. ad 19.*

11 *Iudæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant; Vbi est ille?*

12 *Et mussitatio multa erat in turba de eo, alii quidem dicebant; Vir bonus est: alii vero dicebant; Non: sed turbam seducit.*

13 *Nullus tamen libere loquebatur de eo, propter metum Iudæorum.*

14 *Festo autem illo jam medio, ascendit IESVS in templum, ac docebat.*

15 *Et mirabantur Iudæi, dicentes; Quomodo iste literas novit, quum* eas *non didicerit?*

16 *Respondit eis IESVS & dixit; Mea doctrina non est mea: sed ejus qui misit me.*

17 *Si quis voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

18 *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est.*

ANALYSIS.

DEscribuntur Iudæi, qui ad festum tabernaculorum convenerant, ab effecto quærendi Iesum: cujus una species subjungitur, nempe quod ubi ille esset interrogarunt.

Vers. 12. Aliud effectum Iudæorum eo convenientium, nempe murmur; quod describitur subjecto de Iesu & adjuncto magnitudinis: quod murmur distributione ex subjectis, quod { Alii illum bonum / Alii impostorem } esse submurmurarunt.

Vers. 13. Deinde murmur hoc negatione adversi, seu descriptione murmuris exponitur, nempe quod nihil palam audebant eloqui, item sua causa efficiente, qui sibi ab invicem timebant.

Vers. 14. Iesu effectum proponitur, ascensus in templum: item aliud effectum, nempe quod ibi docebat: quæ utraque adjuncto tempore declarantur, media parte festi.

Vers. 15. Doctrinæ Christi effectum admiratio Iudæorum, cujus admirationis effectum est, quod illam voce prodebant: admirationis autem causa quod literas sciret, quæ admiratio amplificatur à causa corrumpente, quia literas non didicerat.

Vers. 16. Hujus sermonis effectum est responsum Christi, cujus responsi subjectum est doctrina sua, cujus causa efficiens declaratur Deus, qui illum misit, quod suo disparato arguitur, quod non sit ejus.

Vers. 17. Cujus rei cognoscendæ proprium subjectum proponitur is qui se componit ad obsequium voluntatis divinæ.

Vers. 18. Probat hanc non esse suam sed Patris doctrinam, quia propriam gloriam non quærit, quod in genere confirmat, eum qui quærit gloriam mittentis se, verum & syncerum esse, quæ sinceritas negatione adversi declaratur: verum autem esse qui quærit gloriam mittentis se, confirmat ab adverso, quia qui ex seipso loquitur, quærit gloriam suam.

METAPHRASIS.

IVdæi, qui ad festum Tabernaculorum as- 11.
cenderant, furore in Iesum perciti, quod
claudum Sabbatho sanasset, & ut grabbatum
tolleret mandasset; eum spreta festi religione
ad mortem quærebant. Quem cum non inve-
nirent quod nondum ad templum venisset, di-
xerunt; ubinam est ille? præ indignatione ete-
nim

nim vel de nomine appellari indignum censebant.
12. *Erat autem clancularia de eo in turba, quæ convenerat, mussitatio. Et hi quidem mussitabant illum probum & fidelem Doctorem esse, alii vero inficias euntes impostorem*
13. *esse submurmurabant. Veruntamen nemo in alterutram partem ausus est palam aliquid profiteri: idque propter metum quo à se invi-*
14. *cem, vel à procerum decreto timebant. Cum autem quartus jam festi dies ageretur, Iesus ne docendi partes sibi à Patre mandatas deseruisse præ metu Iudæorum videretur, in templum edito loco situm ascendit, ubi ex certo aliquo Scripturæ loco pro more Ecclesiam docuit.*
15. *Quod Iudæi etiam Iesu infensi, admiratione moti eo ipso sibi offendiculum accersebant, unde fidem suam confirmare debebant. Quomodo enim (inquiunt) hic veram doctrinam doceret, qui literas nunquam didicit, nec ex schola po-*
16. *litus & limatus accedit? Quibus Iesus respondens, dixit: quod existimatis doctrinam à me propositam per me confictam & commentam esse, toto cœlo erratis. Nec enim hæc mea doctrina, quam ego doceo, à me authore (quoad homo sum) profecta est:. sed ab eo, qui me (quod ad naturam humanam attinet) misit,*
17. *Patre est. Quæritis quomodo hoc dignoscatis? respondeo, quisquis syncere cum animo suo constituit Deum cognoscere, & se Deo in obsequium tradere: is (aspirante Deo per spiritum) de doctrina dijudicabit, utrum hæc doctrina à Deo sit, an ego ex me ipso tanquam purus*
18. *homo loquar. Ad pleniorem vero hujus rei notitiam, quomodo syncerum doctorem ab impostore decernatis, cognoscite, eum qui ex proprio cerebro peregrinam doctrinam comminiscitur, gloriam propriam, ingenii sui ostentatione quærere, qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum (quod me fecisse vos ipsos testes appello) hic syncerus doctor est, in quo est nulla fraus aut impostura.*

PRAXIS.

Vers. 11. *Christus à Iudæis prehendere ipsum studentibus quæritur;*

SUperiore Paschate Christus claudum Sabbato sanans *Ioan.* 5. eundem jussit grabbatum in humeros sublatum per plateas gestare. Qua re Iudæi offensi vitæ Christi insidiabantur: sed cum Deus frenum illis injecisset, ut quod cupiebant commode & ex voto consequi nequirent, conceptum adversus Christum odium intus alunt, eorum virus evomitare prima quaque, quæ se offerret opportunitate, cupientes. Itaque cum illum ad festum tabernaculorum affuturum ex lege animo præciperent, tendiculas proculdubio illi collocarunt, quibus illum initio festi incautum, prius opprimerent, quam illius rei notitia ad sui studiosos & honorifice de se sentientes perveniret. Sed cum animadverterent eum prout speraranț ad festum non venisse, eoque se consiliis illis suis excidisse, quod proximum est faciunt; scilicet ut illum apud omnes tanquam prophanum Dei contemptorem, & cultus divini parum amantem traducerent, eoque contumeliose de eo quærunt, ubi tandem ipse sit?

Quod dicuntur quæsisse Iudæi Christum, id prorsus hoc consilio fecisse videntur ut illum prehensum interficerent *vers.* 19. In quo videmus, quam Christi de insidiis timor vanus non fuit, & quam operæ pretium erat eum clam homines Ierosolymam venire, & quoad festi bona pars exacta foret, adventum suum tardare: scilicet ut Iudæorum insidiosa ad illum interficiendum consilia prius innotescerent, & ut ejus partibus studentes accedentes facilius maleficorum sanguinarios conatus sui metu cohiberentur. *quo consilio?*

Quum quærunt ubi sit ille, nomen subticentes, suam in illum malevolentiam & virulentum animum produnt; quem ne nomine suo quidem compellare sustinent: ita in illum odio & contemptu flagrant. Verisimile est illos gravius aliquid & atrox convitium in Christum efflaturos: sed cum non auderent fræno metus injecto, hac loquendi formula suam in eum bilem aliquousque exonerare possent. Aliquid simile reperitur *Genes.* 37. in fratribus Iosephi in eum: quorum odium non tulit ut eum aut *fratrem* aut *Iosephum* appellarent. Et etiam in Saule erga Davidem: quem non *Davidem*, sed filium *Ishai* per contemptum vocat. Hinc David odium suum in Idola indicans, eadem ne semel quidem ab illo nisi contemptim nominari profitetur *Psal.* 16. In quo facile liquet, quantum sit odium hominum impiorum in eos qui veritatē tuentur, ut ejus causa vel nomen ejus ex hominibus ejiciant *Luc.* 6,22. Et odium esse homicidii speciem ut Iohannes loquitur: cum nominis ex odio dispunctione eum quem odio prosequimur extinctum esse velle nos prodimus. Sicut enim in mundum edito nomen indimus, ita cum odio fratris nomen illi demimus, indicio est nos illum mundo excedere exoptare: & quidem hoc ipsum effecturi, si penes nos esset, nec alicujus damni metu præpediti essemus, ut non sine causa Christus in Christiani hominis officiis salutationem eorum adnume- *cur suppresso nomine?*

ret,qui odio nos prosequuntur *Matth.*5,47.

Vers. 12, & 13. *A suis laudatur, ab aliis traducitur.*

Quod cum Christi amantes & studiosi audirent, cæperunt eum adversus illorum calumnias defendere, eumque laudibus quibusdam ornare; sicut contra, qui illum prius suggillarunt, in eum conviciandi occasionem arripiunt, & falsæ doctrinæ crimen intentandi. Sed cum in diversas de Christo sententias multitudo distraheretur, neque qui à Christo, neque qui contra Christum stabant quidquam de eo clare & audacter pronunciare ausi sunt, ne aut illum defendendo aut oppugnando sibi periculum accerserent.

Notandũ est quam dissentienter de Christo Iudæi judicarent. Hi bonum & syncerum Dei Prophetam, alii impostorem eum reputant: ne novum sit si mundus imposturæ notam nobis inurat, cum Servator qui tanta evidentia spiritus & veritatis docebat, hanc contumeliam non effugerit. Quomodo etiam illa quæ sola Ecclesia existimabatur in mundo, veritatem Euangelii repudiat: contra Pontificiorum de visibili & suspicienda Ecclesia ab errore securitatem.

Iudæorum tyrannis.

Notatur etiam summa tyrannis, qua vetitum est de Euangelio Christi vel de Christo in alterutram partem loqui: cujus causæ sunt: prima ut hoc modo populo horrendam blasphemiam esse insinuarent, quæ indigna esset vel semel nominari. Vide præceptum Ezechiæ de blasphemiis Rabshacis silentio audiendis. Mirum igitur videri non debet, si sacrosancta veritas omnium aliarum hæresium maxime detestanda habeatur, &c. Secunda causa est, ne negotium sibi in refellenda veritate facesserent, quo à cupiditatum suarum obsequio abducerentur.

Vers. 14, &c. *Christus publica concione se & doctrinam suam defendit.*

Medio autem festo jam peracto Christus se sacris non tantum adjungit, sed etiam sacram concionem apud Iudæos habuit tanta authoritate & spiritus declaratione, ut omnes in sui admirationem converteret. Quod eos eo magis attonitos tenuit, quod nunquam in disciplinam traditus Christus tanta cum peritia & dexteritate docebat: Christus autem doctrinæ suæ authoritatem confirmat, hoc ipso quod Dei Patris sui doctrina sit: contra quam ex illis quidam insusurrarunt, qui eum impostorem esse clam murmurassent, & contra quam illi concludere velle videbãtur, scilicet ideo suam fuisse doctrinam quod ab alio eam non didicerit. Et doctrinam Patris sui, non autem suam (ut illi voluerint) esse, difficile non esse cognitu, si quis syncero in veritatem animo esset, & serio ad obsequium Deo præstandum se consecraret: rem enim in promptu esse ut falsum à vero secernant. Cum enim doctrina non suam sed Dei gloriam quærat, palam esse eum syncerum esse, & nullam ei iniquitatem adhærere: maxime cum inficiari nequirent eum doctrina abunde & cumulate instructum esse.

Cujus *summa* est, Christum initio festi desideratum, & ideo variorum de se judiciorum occasionem præbentem, suo adventu doctrinam suam ab inimicorum suorum calumniis vindicasse.

Partes sunt, { Iudæorum de Christo absente in utramque partem susurri. / Christus doctrinæ suæ dignitatem & existimationem tuetur. }

IOAN. *cap. 7. à vers. 19, ad 32.*

19 Nonne Moses dedit vobis Legem, & tamen nemo ex vobis præstat Legem? quid me studetis interimere?

20 Respondit turba & dixit: Dæmonium habes: quis te studet interimere?

21 Respondit IESVS & dixit eis; Vnum opus feci, & omnes miramini.

22 Attamen Moses dedit vobis circumcisionem (non quod ex Mose sit, sed quia ex Patribus) & Sabbatho circumciditis hominem.

23 Si circumcisionem accipit homo Sabbatho, ut non solvatur Lex Mosis, mihi indignamini quod totum hominem sanum fecerim Sabbatho?

24 Ne judicate secundum vultum, sed justum illud judicium ferte.

25 Dicebat ergo quidam ex Hierosolymitanis; Nonne hic est quem student interimere?

26 At ecce, libere loquitur, & nihil ei dicunt: numnam vero cognoverunt primores hunc vere esse Christum illum?

27 Sed novimus unde hic sit: quum autem venerit ille Christus, nemo cogniturus est unde sit.

28 Cla-

28 Clamabat ergo IESUS in templo, docens & dicens; Et me noštis, & unde sim noštis : & à meipso non veni, sed est verax qui misit me, quem vos non noštis.

29 Ego vero novi eum, quia ab ipso sum, & ille me misit.

30 Studebant ergo eum prehendere : sed nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora illa ipsius.

31 Multi vero ex turba crediderunt in eum, & dicebant; Christus quum venerit, num signa plura edet iis quæ iste edidit?

ANALYSIS.

IVdæorum hypocrisin coarguit, qui doctrinam ejus tanquam confictam repudiarunt, à comparatione majoris, quod ne Mosis quidem legi (quam divinam agnoscunt) obsequentes sunt. Et ob eam causam suam repudiari ab illis, non quod divina non esset, sed quod pravis illorum affectibus adversa. Legem Mosis ab illis violari concludit à specie, quod illum interficere conarentur.

Vers. 20. Hujus dicti effectum est turbæ in Christum blasphemia, quæ sua forma proponitur, *dæmonium habes*. Cujus causam assignant, quod immerito illos homicidii instructi accusasset.

Vers. 21, 22. Probat perperam illos judicare de sua Sabbatho sanatione, à minore, quod Sabbatho vulnerare eis licet hominem, eum circumcidendo. Hanc rationem amplificat Euangelista ab adjuncta antiquitate circumcisionis, quæ ante Mosem extitit.

Vers. 23. Christus etiam alio argumento minoris confirmat: quod dicit: si enim eis permittitur hominem quadam corporis parte vulnerare; illi licet integrum hominem sanitati restituere.

Vers. 24. Hoc judicium Iudæorum de Christi Sabbatho sanatione coarguit ab efficiente causa, quod secundum aspectum, seu quod prima facie apparet, de facto ejus judicant: quod suo disparato illustratur, nempe justo judicio.

Vers. 25. Effectum orationis Christi est, Hierosolymitanorum quorundam, quod Iudæi manus violentas non afferrent ei, admiratio.

Vers. 26. Quæ admiratio sua causa arguitur, quod tam libere & confidenter loquutus sit Iesus; quod suo diverso declaratur, quamvis ad mortem eum quærunt: deinde causa efficiens notatur hujus cohibitionis, Iudæorum alia opinio (ut illis placet) quod Iesus sit Christus.

Vers. 27. Redargutio illius opinionis futilis, ab adverso, ignorantia loci unde proditurus sit Christus, qui ab illis probe cognoscitur.

Vers. 28. Negat Christus figurata ironias locutione illos scire unde venit: quam inscitiam probat, primum negatione causæ quam Iudæi commenti sunt adventus sui, nempe quod ex se venit: deinde astruendo subjecto unde venit, nempe à Patre, quem ignorantes ignorabant unde venit.

Vers. 29. Docet se probe conscium esse vocationis suæ à Deo Patre, ab adjuncto, unitate essentiæ cum Patre, quoad divinitatem; & effecto, missione sua per Patrem quoad humanitatem.

Vers. 30. Cujus effectum est, quod quærebant Iudæi illum prehendere, quod suo diverso exornatur, tametsi non audebant manus violentas afferre: cujus causa efficiens est, quod nondum tempus ejus advenit.

Vers. 31. Aliud effectum est quod plerique in Christum credebant; qui describuntur primum ab adjuncto, conditione ex media plebe: deinde fidei effecto, quam tacite susurro profitebantur: ubi etiam instrumentalis causa notatur, miracula quæ edidit Christus: quæ amplificatur minoris comparatione, nempe signis quæ alius quispiam operari non possit.

METAPHRASIS.

MEam doctrinam rejicitis per nomen & speciem παρανομίας, cujus me insimulatis, sed reipsa quod pravis vestris affectibus adversa sit. Cujus rei indicium est, quod 19.
legem à Mose (quem verbo tenus plurimi facitis) vobis traditam, nemo vestrûm servat: ut non longe abeam, quid, quæso, admisi, cur
me ad mortem quæritis? Cui turba respon- 20.
dens, dixit: dæmonium habes, cujus est proprium ingenium mentiri. Quis te ad mortem
quærit? Ad quam Iesus: sit ita ut dicitis, me 21.
à vobis ad mortem non quæri; illud certe negare non poteštis, ex unica illa claudi curatione vos omnes admirabundos, quasi nefas com-
misissem, graviter commotos esse. Quamobrem 22.
advertite paulisper animum: Moses dedit vobis circumcisionem, tametsi primus hanc non dedit (ut quæ antiquior Mose & à patribus eum antegressis profecta, plus venerationis jure sibi vendicat) eam tamen vos Sabbatho ad-
ministratis. Quod si homine per circumcisio- 23.
nem vulnerato, Sabbathum non violatur neq; legi de religiosa Sabbathi observatione contravenit, qui fit ut bile adversus me perciti sitis, quod Sabbatho totum hominem nullo (quod tamen in circumcisione fit) aut labore aut in-
strumento adhibito sanaverim? Nolite igitur 24.
temere & cum personarum respectu de me & operibus meis statuere; sed re mature deliberata & examinata justum judicium judicate: quod nunc non facitis, cum Sabbathi violationem propter miraculum quod edidi, mihi impingitis, vos ipsos Sabbatho circumcidentes o-
mni culpa & reatu absolventes. Ex illa autem 25.
turba exilierunt Hierosolymitani quidam cives, qui, cum aliis amore in Christum prælucere debebant, erant præ cæteris Christo maxime in-

me infensi, hi dixerunt; an non hic ille est
26. *quem quærunt interficere? Ecce autem quam*
libere & intrepide loquitur: nec tamen illum
vel verbo (nedum malo afficiunt) appellant.
An ideo ab eo manus abstinent, quod princi
pes certo apud se statuant, hunc esse Messiam
27. *illum à lege & Prophetis decantatum? Atqui*
nos (illis dignitate inferiores) probe novimus,
hujus cum patriam, unde oriundus est, & pa-
rentes seu familiam, ex qua prodiit: Messias
autem cum venerit, nemo unde prodierit co-
28. *gnoscere poterit. Iesus itaque hoc dicto commo-*
tior factus vocem in docendo magis contentam
adhibuit, dicens; scilicet & me nostis & no-
scitis unde sim. Atqui quicquid vos blatera-
tis, ego meipsum in hoc ministerium non inge-
ro. Excipietis, parum interesse an ex me ipso
veniam, an ab alio, qui jus mittendi non habet,
missus sim: sed verus & sincerus est qui me
misit, quem vos nescientes me etiam qui sim
29. *nescitis. Ego vero eum probe novi. Quæritis*
qui illum noscam quem vos ignoratis? Respon-
deo, quia hic in terris (quoad homo sum) ver-
sans, ei tamen coessentialis porro in cœlo sum,
idemque pater meus (quoad homo sum) me
30. *misit. Hac Christi oratione furore perciti,*
maxime quod se patri coessentialem esse affir-
mavit, quærebant illum prehendere ut morti
traderent: nemo tamen manus illi intulit,
fræno divinæ providentiæ cohibitus, quia non-
dum tempus à Deo, non tantum arcano consi-
lio, sed à Prophetis ipsis definitum, advenerat.
31. *Sed plerique ex turba (rumpentibus cæteris) in*
Christum crediderunt & fidem in animis in-
clusam profitebantur, dicentes; quem primores
nostri frustra expectant Messiam, plura &
majora his miraculis quæ Iesus edit nunquam
operabitur, ut hunc & non alium verum il-
lum Messiam esse liquido constare possit.

PRAXIS.

Vers. 19. *Christus Iudæos fictæ pietatis arguit.*

CHristo suam innocentiam & vocationem adversus inimicos suos libere defendente Iudæi accensi eum, sed frustra, prehendere moliuntur.

Cujus *partes* sunt, { Christi pro se libera defensio. / Defensionis eventus.

In *priore parte* consideratur disputatio Christi cum { Iudæis. / Hierosolymitanis.

In Dialogo Christi cum turba, primum Christus Iudæis larvam pietatis adimit, qui legis zelum præ se ferebant, ac si studio legis Christo se opponerent & ei infensi essent. In quo Christus tacitam objectionem anticipat. Nam cum docuerat eos qui voluntatem patris faciunt de sua doctrina cognituros, excipere quis poterat, ejus doctrinam hoc ipso suppostitiam deprehendi, quod ab iis repudiaretur, qui legis & voluntatis divinæ observantissimi essent. Hoc argumentum à subjecto veritatis Christus refellit: negando Iudæos legis Mosaicæ & divinæ amantes esse: eoque nihil mirum esse si ipsius doctrinam non agnoscerent: præ se quidem ferre studium legis; eoque in pauculis ceremoniolis servandis curiosulos vel potius superstitiosos esse, sed veram fidem misericordiam & justitiam procul à se perpulisse: nullam fuisse nativam pietatis pulchritudinem, sed fucos potius & larvas: nucleum pietatis excidisse ab illis, putamen tantum mordicus retentum. Quod ex plerisque locis historiæ Euangelii colligitur.

Homines veræ pietatis expertes ceremonias urgent.

Ex hoc loco liquet homines vera pietate & innocentia expertes tanto ardentius ceremonias amplecti, quo pietatem quam non habent se habere cum aliis, tum sibimetipsis persuadeant. Hac enim specie & hoc fuco, tanquam foliis ficulneis, suum dedecus operire se posse putant 2. *Timoth.* 3, 5. *Gal.* 6, 13. Hinc est, ut in violandis Dei mandatis, nulla cura ducti ceremoniarum cultum præter rationem urgeant. Hinc Christus eos mentam & anetum decimare affirmat, sed graviora legis omittere. Hoc in Papatu quotidie perspicitur, qui cum bona opera perstrepat, & ea in nobis requirat; in illis tamen ipsis præstandis aliis omnibus inferior est: tantum in ceremoniolis quibusdam defungendis totus defixus est.

Quid Euangelicis hac in parte cavendum?

In Euangelicis, non est valde timendum ne nimium legis observationem urgeant, sed contra potius, ne quæ sunt in lege minora negligant. Videas enim qui in parvis utpote in juramentis *per fidem*, officiosis & jocosis mendaciis, in Sabbathi cessatione nullam rationem ducunt: qui etiam suos vituperatores dicteriis excipere parati sunt (dicentes) nos ad paleam impingere, & truncum saltu transilire, nos camelum vorantes culicem percolare. Sed illis tenendum erat *Luc.* 15. *Fidelem in parvo, esse fidelem in multo, ut contra in parvo non fidelem, neque in multo fore.* Parvis enim peccati initiis, gradatim ad altiora atque adeo ad fastigium peccati gravissimi atque atrocissimi, vel contra ipsum spiritum perveniri. Minimum mandatorum violantem tametsi docuerit secus, regno cœlorum exclusum iri, & Culice hominem

præ-

præfocatum: & parum fermenti, totam &c. Nobis omnia Dei mandata tanquam pretiosissimum aurum commendari, nihil esse scoriarum, nulla ibi esse fragmenta aut rejectamenta.

Christus sibi insidias struere Iudæos profitetur, Quod autem in genere dixit, ex specie homicidii quo ejus vitæ insidiabantur probat, tanquam diceret, ne longe abeam, quod dico, tendiculis vitæ meæ collatis comprobatis. Tametsi enim excipere promptum erat, id merito suo fieri, quod Sabbatum violasset, tamen cum indicta causa & tumultuarie hoc facturi essent, se ab homicidii crimine vindicare nequiverunt.

Vers. 20. *quod illi impudenter negant.* Quod autem non tantum falso inficias eunt, sed tanta fiducia & asseveranter id faciunt, in eo quam vere de illis Christus dixit nullo eos legis servandæ studio duci, qui revincente eos eorum conscientia & refragante, non dubitant tam audacter mentiri. Quinetiam ipsa acerbitas & asperitas verborum qua in illum utuntur, sanguinarium eorum erga Christum animum declarat. Satis enim declarant se illum (si verbo potuissent) transfixuros.

Hinc igitur colligimus, eos qui mendaciis se assuefaciunt, legis divinæ violatores esse, eamque pedibus calcare, tametsi in aliis mandatis servandis curam magnam præ se ferunt. Quod si structarum insidiarum ignari erant, erat tamen temere dictum: sicut illud Iacobi ad Labanem qua pro tota familia recipit, &c.

Vers. 21. *Christus factum suum defendit,* Detracta illis sanctitatis larva, factum suum defendit. Quærat autem hic quis quomodo Christus suam in illos accusationem non prosequitur? Respondeo, satis habuisse Christum iis peccatum indicasse, ut intelligerent eorum in se clandestina consilia nota esse. Quod si quæratur, cur de calumnia seu blasphemia qua illum dæmone agitatum esse latrabant, nihil dixerit? Respondeo primum Christum noluisse maledictum maledicto regerere: utpote qui contra docuit. Deinde indignam fuisse blasphemiam quæ refelleretur, ut quæ nulla verisimilitudine niteretur; sed tantum ex inundante vi odii in Christum furore & insania manasset. Itaque verba de ea re commutare noluit, sed tuendæ potius veritati operam dare, quæ falsa quadam pietatis specie premebatur. vide *Prov.* 26,4. & *Ezech.* exemplum & *Ierem.* 28.

Nos igitur in consimili casu Christum imitemur; ne tempus hujusmodi calumniis depellendis quæ sua sponte evanescunt teramus. Surdos igitur ut hic Christus & psaltes alicubi agamus. Sunt enim quorundam canum latratus, qui silentio citius conticescunt, &c. Et quædam maculæ fricando deteriores fiunt, quæ levi excussione eluuntur. Vide *Proverb.*

Notanda etiam est insignis Christi mansuetudo & levitas, qui armatus infinitis gladiis ultionis divinæ, hoc indignissimum convitium patienter tulit. Conferatur cum nobis hominibus. Quod si dicunt Christum peccati labe non fuisse tinctum, & hoc ei non fuisse difficile quod nobis est impossibile; vide Davidis exemplum erga Shemei.

Christus sermonem suum prosequens, ita subjungit. Sanavi hominem, & tanquam facinus aliquod admisissem, admiramini; sed cogitate quæso, &c. Si igitur hominem vulnerare & circūcidere Sabbatho licuit, nedum sanare. Si membrum unum Sabbatho licet sanare (nam membrum virile saucium Sabbatho per circumcisionē, eadem die sanabatur) nedum totum hominem. Et hoc si adhibita manu & labore licuit, nedum verbo. Sed videt servator occurri potuisse, Circumcisionem fuisse Sacramentum; & propterea non recte hæc comparari. Atqui singulare argumentum laudandi Dei suppeditabat. Vers. 23, & 24. *ex eo quod circumcisio fieret Sabbatho.*

Ex quo liquet, unum Dei cultum alterum non tollere, sed probe inter se convenire & cohærere: quod ii faciunt qui privatarum precum fiducia, contemnunt publicas; & publicarum fiducia, privatas; quique verbum audientes, se subducunt à sacramenti usu. *Vnus Dei cultus alteri non obstat.*

Deinde, Sabbatho non esse vacationem & cessationem tantum à corporis laboribus ut quidam somniant, quorum sabbathum parum admodum à bovina cessatione differt, ex iis liquet, fas esse medicinam & chirurgiam sabbatho exercere. Sed tamen quod plerique faciunt, rejicere corporis purgationem in eum diem, ne profesti diei jacturam faciant, peccatum est.

Quod si circumcisio octavo die celebranda intermitti non debebat, nedum cœna Domini quæ sabbatho constituta est. Et si intermissio circumcisionis præstituto die tanto cum periculo conjungebatur, ut hoc nomine anima exterminanda fuit; quod itidem & de Paschate exprimitur: quanto magis, &c. Nam nostra sigilla & tempore firmiora, & usu faciliora, & efficacitate augustiora sunt. *Vsum S. Cœnæ non esse omittendum.*

Si quis baptismum omitteret, omnes eum impium Dei contemptorem clamarent: Eadem autem pœna est à Deo præstituta, qua punian-

puniantur qui toties ſacramento ſæpius repetendo non communicant, quoties ejus participationis copia fit, quæ illis imponitur qui baptiſmum aut circumciſionem ſemel peragenda negligunt.

Verſ. 24. Non judicandum ex perſonarum reſpectu. Hinc infert non eſſe judicandum temere perperam, & ex perſonarum reſpectu; ſcilicet ut Moſem probent in eo quo Chriſtum damnarent. Cauſam aliqua ex parte notans Iudæorum in hoc negotio erroris; ſcilicet quod odio in Chriſtum flagrantes, levi momento impellerentur ad illa damnanda quæ ab eo geruntur. Sic enim comparati ſunt homines, ut manum odio habentes, quicquid illa præbet aſpernentur: vas improbantes, liquorem in eo præbitum reſpuant. Sic Achabus noluit Michæam audire quod eum oderat.

Quamobrem omnibus danda eſt opera ne temere quid de miniſtris ſibi perſuadeant, quod eorum apud ſe exiſtimationem elevet; quia, &c. Tametſi enim aurum & argentum ab iis accipere non recuſant quos odio habent; tam lentus tamen & frigidus eſt cœleſtium donorum in nobis amor, ut facile extinguatur & opprimatur.

Verſ. 25. Chriſti confidentia Hieroſolymitanos in admirationem rapit, Sequitur de Hieroſolymitanis, qui cum ſcirent Chriſto inſidias poſitas, nec tamen eum prehendi conſpiciunt, nec verbo quidem appellari, mirantur, & quid cauſæ ſit inquirunt. Et certe in tanto Chriſti odio, tanque ad Chriſto nocendum ſimul & voluntate & viribus, mirum eſt illos tanquam manus & pedes ligatos haberent, præſertim tam confidenti & libera Chriſti oratione laceſſitos, nihil contra eum moviſſe. Perinde ac ſi multi aucupes prædam ante oculos cernentes, & arcus tenſos habentus, ſagittam nullam ejacularentur. Sed hujus rei cauſæ aſſignantur. *Eſa.* 49, 2. Vide etiam *Ier.* 1, 18, 19.

Vnde docemur libere & confidenter in ſtatione conſiſtendum. Si quis regis cœleſtis cuſtodia ſit ſtipatus, incredibile eſt quam confirmatur adverſus pericula. Vide dictum Abſaloni ad ſervos ſuos quibus Ammonis interficiendi curam commendat. Quanto magis, &c. Quod ſi impii admirantur Dei erga ſuos providentiam qui cæci ſunt, nedum pii debent. vide *Pſal.* 162.

Verſ. 26, &c. ejus cauſam dant, ſed protinus eam rejiciunt. Poſt quæſtionem, cauſam hujus cunctationis, & manus ſuas à Chriſto continendi unam ſubjicientes, eam protinus refellunt. Nec enim inquiunt, principes noſtros cohibeat, quod Ieſum Chriſtum & Meſſiam, &c. Deus enim non facile intelligit hunc, &c. Quod ſi quæratur unde hanc opinionem hauſerunt primum? Reſp. id ex prava Scripturarum intelligẽtia naſci poſſe. *Eſa.* 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Et, *Tu es ſacerdos in æternum*, &c. *Pſal.* 110. Cujus cum ortus & mors, &c. vel peti potuit ex proprio cerebro, ut videmus pleroſque facere qui ſibi de Antichriſto confingunt; & de noviſſimi diei ſignis, quorum ne leviſſimum quidem veſtigium deprehenditur in verbo divino. Tenendum igitur illud *Prov.* 3. Ne innitamur propriæ ſapientiæ.

Tametſi Phariſæorum gloria & exiſtimatio, & Chriſti contempta in ſpeciem conditio, & pœna in Chriſtum credituris inflicta, & multorum de Chriſto diſſentientes ſententiæ, omnem veluti ſpem meſſis auferre videbantur, tamen Dei in Euangelio potentiæ omnia cedere coguntur; quæ arces & propugnacula omnia deturbat, quæ ſe adverſus Dei conſilium extollunt, & veram ejus notitiam: ut inanes ſint hominum conatus quibus Euangelium opprimere ſtudent. Certius enim ventis ne perflent, imperent, aut ſoli, ut non luceat; aut igni, ut non urat; quam ut curſum Euangelii impediant. Conſilium enim Domini eſt ſicut mons æternus & immobilis. Ejus cogitationes fient, &c. *Pſ.* *Verſ. 31. Multi ex plebe in Chriſtum credunt;*

Hinc etiam convincuntur inſipientiæ, qui diſtractionem in diverſas ſententias, ſuæ cum inertiæ & deſidiæ, & veritatis ἀκαταληψίας obtendunt.

Quod autem ex plebe tantum quidam ad fidem Chriſti colliguntur (quod etiam maxima parte in totius Euangelii profeſſione fit, 1 *Cor.* 1. & *Matth.* 11.) fidem eſſe Dei donum cœlitus demiſſum aperte arguitur. Nam humanitus doctrina & literis & ſcientia & experientia valentes, magis eſſent hujus doctrinæ idonei auditores, ut qui ingenio & judicio plus valent, & cordatiores & magis animoſi plerumque exiſtunt, ut quod verum eſſe ſciunt, libere & audacter profiteri audeant. Sunt enim à Deo docti. In hominum enim ſcholis ingenioſiſſimi quique doctiſſimi evadunt; quia profectus non tantum à præceptoris peritia, ſed & ex diſcipuli felici comprehenſione pendet: ſed in Dei ſchola, nihil impedit quo minus ſtupidiſſimi quique aliis acutioribus antecellant: quod totum à docentis nutu pendeat. Sunt enim à Deo docti, *Ioh.* 6. aures & oculos & mentem aliunde quam à ſe ducunt. Nemo igitur glorietur ac ſi, &c. *cur autem tales?*

Quod rationem fidei ſubjiciunt, fidei γνησιότητα *cur ratio fi-*

dei addatur, & quidem ab effectis?

πόσις & soliditatem notat, cum nitatur scipione rationis, & illius quidem legitimæ, sine qua à levi opinione nihil differt: & sine qua levi momento vel persuasionis, vel tentationis depellitur & dejicitur à suo statu, & veluti flatu dispellitur. Eoque exigit à nobis *Petrus* 1. *Epist. cap*, 3, 15. ut parati simus reddere rationem, &c. Item laudantur in Actis qui explorarunt scripturæ testimonia. *Ioh*. 5. *Scrutamini scripturas*, &c.

Genus etiam argumenti ab effectis notandum est quo se confirmant. Tametsi enim tempus ipsum eos condocefacere potuit, & Iohannis testimonium; nec non admirabilis servatoris in prædicando Euangelio gravitas & sapientia; tamen argumentum ab operibus maxime eorum animis insidebat. Quod nos admoneat ut in fructibus pietatis & justitiæ proferendis solliciti magis simus; siquidem studio aliquo promovendæ Ecclesiæ & fidei adversarios lucrandi tenemur. Nam ἐποπτεύσι in opera nostra, 1 *Pet*. 2, 12. & *cap*. 3, 1.

IOAN. *cap*. 7, *à vers*. 32, *ad* 37.

32 Audierunt Pharisæi turbam ista murmurantem de eo, & miserunt Pharisæi ac primarii Sacerdotes ministros ut eum prehenderent.

33 Dixit ergo eis IESVS; Adhuc paulisper ero vobiscum, deinde abibo ad eum qui me misit.

34 Quæretis me nec invenietis: & ubi ego ero, eo vos non poteritis venire.

35 Dixerunt ergo Iudæi inter sese; Quonam est iste profecturus, ut nos non inveniamus eum? num ad eos qui dispersi sunt inter Græcos profecturus est, & Græcos docturus?

36 Quis est hic sermo quem dixit; Quæretis me, & non invenietis me: & ubi ego ero, vos non poteritis venire?

ANALYSIS.

ADjunctum professionis quam turbæ aliquot de Christo ediderunt, nempe quod ad aures Pharisæorum pervenit: cujus effectum est, quod ex Ministris & præbitoribus expediebant, cujus expeditionis seu legationis finis indicatur, ut Christum prehenderent.

Vers. 33. Hujus crudelitatis effectum est sermo Christi ad Pharisæos, in quo primum docet vanitatem conatus illum prehendendi argumento diverso: quanquam satagitis me prehendere, tamen ad aliquod breve spatium apud vos (rumpentibus vobis) ero: deinde notat adjunctum comprehensionis suæ ad mortem, nempe quod sic ibit ad eum qui illum misit.

Vers. 34. Aliud effectum narrat suæ ad mortem comprehensionis, quod tempus veniet cum illum ad auxilium quærent; quod suo adjuncto declaratur, nempe quod frustra quærent: aliud effectum comprehensionis, quod, ubi sit ipse, pervenire nequeunt.

Vers. 35. Effectum sermonis Christi, disquisitio inter se, quo iret: cujus causa notatur quod dixit se ab illis non fore inventum: alterum effectum est alia quæstio, an ad Iudæos dispersos iturus sit, quod suo fine arguitur, ut doceat & instituat etiam Græcos seu gentes.

Vers. 36. Aliud effectum, nempe quæstionis repetitio alia forma.

METAPHRASIS.

32. TAmetsi in Christum credentes fidei suæ professionem clam mussitarent; ita tamen sedulo excubias agebant Pharisæi, ut illos hæc res non fugeret. Quamobrem Pharisæi & principes Sacerdotum ex præcipuis eorum ministris & præbitoribus quosdam expediunt ut Iesum comprehenderent. Cujus conjurationis Iesus 33.
probe conscius, ad illos dixit; ut ut ad mortem me quæratis, tamen aliquantisper (sex circiter menses) vobis etiam rumpentibus, vobiscum ero. Quo tempore exacto, utcumque à vobis ad crucem agendus, (tamen legatione hic in terris absoluta) sponte mea ad eum qui me misit me recipio. Veniet autem tempus, quo me (quem 34.
modo repellitis) calamitatibus pressi, ad auxilium quæretis, neque tamen opem, quam quæretis consequemini hic in terris: vita autem defuncti, quo ego proficiscar, vos non poteritis pervenire. Tum Iudæi secum ipsi disquirebant 35.
Quo tandem hic se proripiet, quod nos illum invenire non possimus? An ad Iudæos qui per gentes dissipantur se conferet, ut illos docens, una eademque opera (quod nefas est) gentes instituat? Quodnam sermonis genus hoc est 36.
quod loquitur. Quæretis me sed non invenietis, & ubi ego sum, vos non potestis venire.

PRAXIS.

PHarisæis in Christum magis furenter propter plurimorum in eum fidem accensis, eoque missis satellitibus ipsum comprehen-

prehendere studentibus, Christus cum se aliquantisper apud eos versaturum, tum subductum ab illis frustra requirendum, non sine Iudæorum admiratione pronuntiat.

Partes sunt de { Pharisæorum adversum Christum & regnum ejus molitionibus. / Molitionum eventu; non tantum, quamdiu Christo libuit, irrito, sed etiam summe noxio machinatoribus.

Vers. 32. *Pharisæi per prædicationem Euangelii magis obdurantur;* Pharisæi radiante sole Euangelii, magis occæcantur, tonitruque ejusdem magis obsurdescunt: & tanquam calx illata & infusa aqua magis accenduntur. Et hæc quidem est nostræ naturæ corruptela nisi illi medicina fiat. Precandum igitur, &c.

Liquet porro Draconem insidiari, ut simul ac Ecclesia partu masculo levata sit, illico eum corripiens voret. Ægre parit, levata vero partu, ilico, &c. Quo magis nobis curæ sit, ut veritatem tantis Ecclesiæ laboribus partam retineamus.

Vers. 33. *conatus vero eorum vanos & sibi notos Christus ostendit;* In eventu notandum primum, quod Christus dicit, se aliquantisper apud eos acturum invitis ipsis, eorumque in vitam & libertatem suam conjurationibus & tendiculis. Quo dicto, non se modo conscium conjurationis esse declarat, sed vitæ suæ potestatem penes se esse. Quod nobis animos addat. Tametsi enim nos habenas iræ in manibus nostris non habemus, ut Christus habuit, tamen Deus nostra causa illas tenet. Vide responsionem trium puerorum in *Daniele*. Verum enim est quod Petrus in *Actis* dicit, scilicet *faciunt quicquid manus & consilium Dei decrevit fieri.* Hoc in Apostolis spectatur, qui in carcerem conjecti, carcere contineri nequiverunt. Item in Petro *Act.* 12. & Paulo *Act.* 16. donec locus & tempus advenisset; idque vel eis prudentiam, ut Herodi, vel animum, ut Pharisæis, adimendo; vel eos molliendo & mitigando, ut interim a leonina natura non recedant, ut in Saule semel atque iterum factum est. Vnde fideles sæpe responderunt persecutoribus, facturos quod Deo collibitum fuerit.

Vers. 34. *cur eos ad se pervenire posse neget?* *Ad eum* quod negat *posse pervenire*, tametsi eum quærant, id eum sensum habet quem illud *Matth.* 33. *v. ult.* Item eum sensum quem hæc verba habent, *Expetetis diem unum filii hominis, nec dabitur:* constat ex *Ioan.* 8. ubi hanc sententiam repetens, illam applicat, cum dicit, *Eos in suis peccatis morituros.* Ex quo discimus præsentem gratiam esse amplectendam. *Hodie dum dicitur, &c. Heb.* 3. *Et, dum possit Dominus inveniri, quærite, &c.* Esa. *Et, dum est tempus acceptum, & dum porta patet: & dum Dei brachia extensa sunt: & dum in via est.* Nam, post venit tempus, cum, &c.

Sic Israël ingressum Canaan oblatum repudiantes, post ingredi non sunt permissi, tametsi illud valde expeterent. Sic Esavus cum lachrymis benedictionem requirens, quam prius spreverat, eam consequi nequivit. Quis mercator paulo attentior, lucrandi semel occasionem nactus, eam dimittit, &c. Quod si quæras, qui igitur illius sententiæ veritas constat? scil. *Quærite & invenietis.* Resp. quod verum est de quærentibus debite & odio peccati, non tantum impendentis iræ. Quæ debita pervestigatio donum Dei est, quod omnibus non datur.

Deinde hoc pacto confirmat fideles adversus *sui* per Pharisæos contemptum; eo quod tempus adveniret in quo, &c. Nemo gemmas contemptui habet quod suum pedibus proteruntur. Sed cum eadem ipsa quæ jam fastidiose aspernantur, post cupide sed frustra desideraturi sunt, &c. sequitur, &c.

IOAN. *cap.* 7, *vers.* 37, *ad* 45.

37 Vltimo autem die illo magno festi stetit IESVS, & clamavit, dicens; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

38 Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent.

39 (Hoc autem dixit de Spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia IESVS nondum erat glorificatus.)

40 Multi ergo è turba quum audissent hunc sermonem, dicebant; Vere hic est Propheta ille.

41 Alii dicebant; Hic est Christus ille. Quidam autem dicebant; Num enim è Galilæa veniet ille Christus?

42 Non-

42 *Nonne Scriptura dicit, ex semine Davidis, & ex vico Beth-lehema ubi erat
David, venturum illum Christum?*
43 *Dissidium ergo ortum est in turba propter eum.*
44 *Quidam autem ex ipsis volebant eum prehendere, sed nemo injecit in eum
manus.*

ANALYSIS.

Consolatur & confirmat in se credentes: quod describitur primum adjuncto temporis, ultimo die festi Tabernaculorum, qui sua adjuncta solemnitate explicatur, item adjuncto corporis situ, statione: deinde adjuncta vocis contentione; denique forma orationis quam adhibuit, ubi primum docet quod sit subjectum communicans gratiæ Christi, nempe qui illam avide & ferventer expetunt, quod pari sitis aquarum illustratur; deinde illius subjecti effectum indicat fidem, quam pari accessus ad Christum illustrat. Cujus fidei effectum explicat, communicationem donorum Dei: quæ suo pari bibitionis illustratur.

Vers. 38. Confirmat hanc doctrinam testimonio Scripturæ; & porro amplificat effectum fidei, ubi animam ventris pari, dona Dei aquis perennibus, adjunctam donorum copiam fluxu ex anima illustrat.

Vers. 39. Superiorem metaphoram copiæ aquarum viventium, descriptione explicat, nempe abundantia donorum Spiritus Sancti: quorum collatio, adjuncto tempore non ita multo post futuro, futura esset. Postea est prolepsis, cujus occupatio ab adjuncto tempore, cur non in præsentiarum confertur; subjectio est item ab adjuncto tempore, quia Iesus nondum glorificatus erat.

Effectum sermonis Christi distributione effectorum declaratur, { Verbis, / Facto, } quæ suo subjecto, turba declaratur.

Vers 40. Verbis quæ alia distributione arguuntur effectorum: alii enim ex his Prophetam esse dixerunt, hoc *versu*.

Vers. 41. Alii Christum, alii non esse Christum, quod confirmatur à subjecto loco unde prodiit, Galilæa.

Vers. 42. Quod confirmant porro testimonio Scripturæ, ex qua argumento disparatorum ratiocinantur, quod cum sit ex Bethlehemo non potest venire ex Galilæa. Ex Bethlehemo esse probant ex efficiente, quia ex David progenitore oriundus est.

Vers. 43. Genus notat & causam hujus varietatis schisma.

Vers. 44. Aliud membrum distributionis, quod in factis versatur, est, quod conati sunt Christum prehendere.

METAPHRASIS.

37. *Octavo die festi Tabernaculorum, qui idem maxime solennis erat, non tantum quod (ut in prima) summa erat ab omni opere cessatio, sed quod majori frequentia & ex omnibus oris regionis Synagoga convenerat: Iesus intrepide stetit & magna vocis contentione, ut ab omnibus exaudiretur, hæc fere verba promulgavit: Si quis ex sensu peccati & pœnæ ei debitæ, studio ardente ducatur Medicinæ à malis quibus premitur, is quicunque olim fuerit, ad me fidei veluti pedibus accedat & Medicinam malorum accipiat. Quisquis etenim* 38.
in me credit, is intimis animi sui penetralibus tam largiter & effuse donis Spiritus Sancti in æternum duraturis perfundetur, ut ab ipso ad alios etiam irrigandos redundare possint: quod plerisque Prophetarum in Scriptura testimoniis testatum (tametsi non totidem verbis) relinquitur. Hoc autem dixit Iesus de Spiritus 39.
Sancti donis quæ in illum credentes accepturi erant. Quæris (forte) quid sit quod illa dona in præsentiarum collata non sunt? Respondeo ob eam causam dona Spiritus nunquam hactenus ab ipsa rerum origine tam ubertim & copiose collata esse, quia Iesus resurrectione è mortuis & in cœlum ascensu nondum glorificatus est. Multi igitur ex turba, his verbis 40.
commoti, dicebant; extra omnem controversiam hic Iesus est ille Propheta magnus, quem Moses in lege venturum prædixit: qui tamen illum Prophetam Christum esse ignorabant. Alii melius ex Scriptura edocti, ajebant; hic 41.
est Christus ille toties in lege & Prophetis decantatus. Alii vero contra pugnarunt: num enim (dicunt) Christus ex Galilæa proditurus est? Nonne Scriptura loquitur Christum ex 42.
Davidis posteris & civitatula Bethlemea oriundum? Vt turbam in diversa studia & sen- 43.
tentias scissam esse liquido constare possit. In 44.
turba porro inventi sunt, qui illum prehendere cupiebant; sed in illum tamen (quod hora ejus nondum venerat) manus non injecerunt.

PRAXIS.

Christo magna voce vitæ fontem credentibus in se esse profitente, turba in varias de eo sententias scinditur. Vers. 37. *Christus fons vitæ sitientibus & ad eum venientibus.*

Partes sunt de { Christi ultimo festi die concione. / Concionis effectu. }

In Christi concione considerantur. { Christi verba. / Euangelistæ interpretatio. }

Dies ultimus idem etiam magnus erat propter summam populi concursationem,

quæ eo die maximo numero aderat: tametsi Iudæi eam etiam magnam appellabant propter cæremonialem colluviem, quam illi sibi ex cerebro suo, præter Dei legem, consinxerant.

Quod autem *Clamasse* dicitur, eo indicat singularem ardorem, qui ex depravati divini instituti contemplatione accensus est, & ut inconditas Iudæorum, voces & absonos clamores quos eo die edebant, sonantiore voce opprimeret. Quo etiam refertur, quod magna multitudo quum esset, necesse fuit, ut vocem corroboraret, ut concionis sensus ad omnes, etiam remotissimos, perveniret. Huc accedit quod præstantia doctrinę quam proponebat, dignissima erat quæ sonora tuba promulgaretur. Hoc igitur tanquam tonitru eorum stuporem discutere & dispellere voluit. Cujus vocis semel editæ sonitus non minus nos afficere debet, quam si nobis præsentibus prolata fuisset. Ideo enim sonanti voce hæc doctrina pronunciata est, ut surdas nostras aures perforaret.

Primum in Christi sententia docetur, quo modo comparandi sumus ad participationem gratiæ divinæ: deinde subjicitur, ubi illa nobis communicatur, & quam cumulate.

In priore *duo* notantur { Sitis / Ad Christum accessus.

Quid sitis, & quomodo sitiendum?

Quærendum quid *siti* indicatur; nempe sensus vacuitatis & inanitatis nostræ in vera Dei notitia, & justitia, atque sanctitate; ut sitis in corpore est sensus deficientis in corpore humiditatis: ut sciamus nos esse veluti terram non complutam, nullis tubis irrigatam; desertum, ubi dracones agunt; ut testam, ut pumicem, ex qua aquæ gutta exprimi nequit; ut sciamus nos nudos esse, mendicos, obæratos, & foro concedentes: præterea *onustos*, *Matth.* 11. Quamobrem qui liberum suum illud arbitrium, qui opera præparationis jactant, &c.

Nec vero radicalis humoris vacuitatem tantum sciamus, sed & concupiscentiam tanquam caminum ardentem, & scintillas assidue emittentem & ejaculantem; & ut terram quæ propter aquæ destitutionem solis æstibus assiduis torretur: non tantum nudos omni bono, sed coopértos peccato; non tantum gratiæ Dei mendicos, sed qui magnum thesaurum peccatorum & iræ divinæ congessimus, non tantum quoad justitiæ privationem, vanitate leviores, sed peccato graves & plumbei.

Non autem ut *sciamus*, tantum requiritur; sed ut sentiamus: ut qui sitiunt & esuriunt ejus rei incommoditatem percipiunt; & ut qui nudi sunt, frigus intensum aut nimium æstum sentiunt, & ex pudendorum aspectu erubescunt; & ut onusti incumbens illis onus sentiunt; sic, &c.

In quo genere non tantum Pontificii, sed plerique Euangelicorum peccamus: omnes enim plane Dei gratia destituimur, & destitui nos scimus qui Euangelium profitemur; sed ut ægroti defecti humiditate sæpe sitim & famem non sentiunt; & ut phrenetici & dæmoniaci, seu infantes pueruli suam nuditatem non sentiunt, nec ea erubescunt; & ut Israëlitæ diutius assueti oneribus & servituti, liberationem non magni æstimabant; sic, &c. Nam cum de aqua, qua sitim restinguant, solliciti non sunt, cum majorem sitim quotidie attrahunt, & majus sibi onus imponunt; sequitur, &c. Cujus causa est, quod profundum mali sui non reputant; nec peccati, nec pœnæ, nec transgressionis, nec maledictionis. Si enim frigus divinæ iræ, aut æstus æstuantis ejus excandescentiæ, &c. Deinde quod divinæ gratiæ suavitatem & dulcedinem non gustarunt, nec incomparabile bonum ad quod vocantur. Nam si semel gustassent primitias aut arrhabonem tantum Spiritus Sancti, si vel minimum quid esitassent ex fructu terræ Canaan, omnes eorum delitiæ, cum in cibo, tum potu, tum in divitiis cumulandis, tum in honore adipiscendo sorderent & nauseæ essent.

quomodo ad eum accedendum?

Alterum est ut ad Christum veniant & bibant; id est, ut credant sibi abunde in Christo prospectum esse, quo sedetur sitis, operiatur nuditas, ditetur mendicitas, levetur onus, ut illum fontem vitæ sibi proponant; indumentum, quo tegantur; thesaurum quo ditentur; cum eum Pater obsignavit, *Hic est filius meus dilectus*, &c. *Nec est aliud nomen sub cœlo*, &c. Hic quod Deus est, fons vitæ existit; quod homo est, adiri à nobis potest, & inveniri. Extra enim illum, Deus est ignis consumens, & lucem habitat inaccessam, & inaccessibilem. Vide prius. Hîc contra eos dicendum, qui ad sanctos & Angelos, ut Pontificii; vel Deum præterito Mediatore Christo, ut Turcæ confugiunt. Huc spectat querela Ieremiæ quod deliquerunt Iehovam vitæ fontem, & exsciderunt.

Sicut autem in solo Christo vitæ aqua conclusa tenetur, ita sola fide tanquam situla aut haustro inde petitur. Nullum est vas

quo

quo hæc aqua capiatur præter fidem; alia omnia vasa rimis referta diffluunt. Et fons hic credentibus expositus, cæteris omnibus obsignatus est, & veluti aridus. Atque ut ore tantum, non auribus, non naribus, non oculis haustus potus sitim extinguit; sic, &c. Non igitur hic charitas, non spes, &c. Sicut contra quisquis credit, quotiscunq; vel quantiscunque seu peccatis, seu afflictionibus, &c.

Vers. 38. *fructus hujus sitis & accessus ad Christum.* Post effectum fidei notat, scilicet rivos & fontes Spiritus Sancti, fontem remissionis peccatorum, &c. fontem justitiæ, fontem sapientiæ, fontem sanctitatis, &c. Denique summam omnium bonorum ad vitam abundantiam; ut non sit necesse aliunde quid petere quo suppleamus, quod ab illo non suppeditatur, ut *Ioh.* 10. *ut vitam abunde in me habeant.* Et, *Dominus pastor* (inquit David) *mihi deerit nihil: calix redundat, & mensa instructa.* Et defecta stagnabunt aquis. Infinita enim est Christi obedientia qua promeritus est nobis gratiam; infinitæ passiones quibus exsolvit pœnam peccatorum, ut quæ sunt obedientia & passiones Dei ipsius. Hinc liquet eos non credere qui aliunde quærunt salutem. Item eos non credere, qui nulla vitæ sanctitate præditi sunt. Respondeant Pontificii qui ex hoc & hujusmodi locis arguunt scripturarum mutilationem.

Vers. 39. *Cur Spiritus aqua dictus?* Post sequitur Euangelistæ expositio. Vbi notandum primum, cur Spiritū aquas vocat, scil. quod aqua refrigerat, restinguit, quod humectet, hoc loco, & alibi quod lavet & mundet, quod fœcundet deserta & inculta loca.

Præterea notandum est discrimen legis & Euangelii, non substantia Spiritus, sed in adjuncta mensura parciore & largiore; guttatim olim, quod nunc profluenter, scintillatim olim, quod nunc per prunas; stellatim olim quod nunc solis in modum. Siclus noster, & cubitus, & spithama, Homer, Epha, sunt sanctuarii, id est, duplum ejus quod olim fuit.

Quærenti cur non ante ascensum Christi ita fuit; Respondeo quod mysterium plene absolutum ante non fuit; ut impleretur scriptura *duxit captivam captivitatem, dedit dona, &c.* ut hoc modo & ascensum suum testaretur, & mærorem ex discessu suo consolaretur. Quamobrem qui Christi præsentiam in terris astruunt, nos privant, &c.

Nota discrimen regni Christi à regnis terrestribus. Reges enim inaugurati munera accipiunt à subditis. Vide exemplum 1 *Sam.* in Saule. Christus contra; ut enim olim suos David ditavit spoliis Philisteorum quum habitaret Tuclagi: sic, &c.

Sequitur effectus concionis, qui quidem in genere, fuit schisma; his, de Christo bene, illis male sentientibus, & quidem ex malitia eum comprehendere volentibus. Ergo (inquit aliquis) præstantius fuisset Christi silentium: minime, inquam. Nam gladius est, potior impia pace; ignis ad seponendum scorias, quam, &c. Nec destitit propterea Euangelium esse verbum & legatio pacis, &c. Vers. 40. *Num Christum silere præstiterit ad vitandum schisma.*

Ex quo liquet, quam indigna calumnia sit, qua Euangelium gravant; quod ab Euangelio tot judicia extiterunt, & opiniones, &c. ac si ignis culpa esset, quod scoriæ sunt; ventilabrum quod paleæ sunt, &c. Item quam iniqua accusatio est, quod Euangelici inter se dissentiant. Nusquam enim tam gravis dissensio inter nos est, quanta inter Iudæos Christo faventes; quorum hi Prophetam, illi Messiam; & ex iis alii nudum hominem; alii etiam Dei filium eum æstimarunt.

IOAN. *cap. 7. à vers. 45. ad finem Capitis.*

45 Venerunt ergo ministri ad primarios sacerdotes & Pharisæos: qui dixerunt eis; Quare non adduxistis eum?

46 Responderunt ministri; Nunquam ita loquutus est homo ut homo iste.

47 Responderunt ergo eis Pharisæi; Num & vos seducti estis?

48 Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49 Sed turba hæc quæ non novit Legem, exsecrabilis est.

50 Dicit eis Nicodemus, is qui venerat ad eum nocte, quum unus esset ex illis;

51 Num Lex nostra condemnat quempiam, nisi prius ex ipso audierit, & cognoverit quid faciat?

52 Responderunt & dixerunt ei; Num & tu Galilæus es? scrutare & scito ex Galilæa Prophetam non fuisse suscitatum.

53 Et profectus est unusquisque domum suam.

ANALYSIS.

DEscribitur reditus ministrorum, quos expediverunt Pharisæi ad prehendendum Christum, suo effecto, quod illum non adduxerunt. Cujus adjunctum proponitur, quæstio cur prehensum non adduxerint.

*Vers.*46. Cujus quæstionis effectum est responsio ministrorum, non adduxisse illum; quod sua causa efficiente confirmatur, nempe sermone admirabili, quod amplificatur comparatione minoris, quod nemo unquam sic loquutus est.

*Vers.*47. Cujus responsi adjunctum est alia quæstio, an errore seducti sint; quod amplificatur suo diverso; quamvis vulgus hominum fallitur, tamen absurdum esse, ut illi tam bene instituti errore abripiantur.

Vers. 48, 49. Aliud argumentum quo probant illos errore abductos esse a subjecto, principibus, qui in Christum non credunt: quod etiam suo adverso illustratur, quia turba & vulgus hominum in illum credit: cujus fidei caussa assignatur, ignorantia legis seu voluntatis divinæ: quæ ignorantia confirmatur adjuncta pœna ignorantiæ, nempe quod maledictionibus à Deo mulctati sunt.

*Vers.*50. Hujus dicti Pharisæorum effectum exponitur, responsum Nicodemi, qui hoc *versu* describitur adjuncto adventu ad Christum noctu: item alio adjuncto conditionis seu ordinis, nempe Pharisæorum.

*Vers.*51. Responsum est, illos malefacere quod Christum damnent: cujus caussa assignatur, quod indicta causa hoc faciunt. Quod testimonio divino confirmatur, quia lex hoc vetat.

*Vers.*52. Cujus defensionis Christi effectum est oratio Pharisæorum; quæ declaratur adjuncto probro Nicodemi: illum esse ex Galilæa seu Galilæum. Deinde adjuncta accusatione Christi, cum non esse Prophetam, quod à subjecto loco confirmant, quia sit ex Galilæa, quod confirmatur testimonio humano seu Annalibus quia Propheta nullus ex Galilæa unquam prodiit.

*Vers.*53. Effectum hujus conciliabuli, quemque ex Pharisæis re infecta abiisse domum suam.

METAPHRASIS.

45. *HIs ita gestis, redierunt Ministri à Pharisæis & Sacerdotibus ad comprehendendum Christum legati. Quos cum primores Sacerdotum & Pharisæi sine Christo secum adducto rediisse conspexissent, ab illis in hanc formam quærunt: quid causæ est quòd illum (quem vel de nomine appellare nos tædet) comprehensum non adduxistis cum ad eam rem*
46. *nostra authoritate muniti fueritis? Ad quos Ministri; ut egregia ejus facinora seu miracula silentio prætereamus: illius sermo tanta gratia & majestate perfusus, tam admirabilis fuit, ut illi sine summo scelere manus inferre non potuerimus: neque enim unquam inventus est, qui cum eo vi & virtute loquendi componi*
47. *possit. Quibus Pharisæi; nunquid & vos qui nostris in scholis politi & limati estis, eodem*
quo vulgus errore abducimini? An ex princi- 48.
pibus & populi primoribus vel unus aliquis in istum credidit, aut ex nobis Pharisæis quisquam se illi adjunxit. Tantum ignobilis ista 49.
plebs, quæ doctrinam Dei ignorat, fidem illi habet: unde etiam est, ut hujus ignorantiæ pœnas det paupertatis & contemptus, quas Deus justissime immittit. Ad quos Nicodemus 50.
(idem ipse quem supra ad Iesum noctu venisse scripsi) ejusdem cum illis loci & ordinis, id est princeps simul & Pharisæus: numquid lex 51.
Dei (cujus nos Doctores esse profitemur) quenquam indicta causa condemnandum esse judicat, & antequam (illo audito) causa ejus penitus & accurate cognita sit: maxime si causa (ut hæc est) capitalis sit? Ad quem Pha- 52.
risæi: num & tu qui Galilæi patrocinium suscipis, Galilæus es, & ex ejus fautoribus? Atqui ut res hæc in judicio non est disceptata, tamen perinde certa est, ac si in judicium adducta, definita fuisset: volve enim & revolve omnes cum sacros & prophanos annales & comperies nullum unquam è Galilæa Prophetam prodiisse; eoque stultum esse, hoc jam fieri existimare, quod tot antegressis seculis nunquam extitit.
Quamobrem partim legatorum responso, par- 53.
tim vero Nicodemi sententia commoti unusquisque re infecta domum abiit.

PRAXIS.

MInistris re infecta, & sine Christo secum adducto redeuntibus, Pharisæi & cum illis, & cum Nicodemo asperius disceptant.

Partes sunt, disceptatio Pharisæorum cum { Ministris & satellitibus. / Nicodemo.

Vers.45, 46. *Christus etiam hostibus suis admiratione & veneratione dignus.*

Quod redeunt sine Christo, fracti majestate sermonis Christi; admirabilem vim potentiæ Christi arguit. Non se vindicat, ut Elias. 2 *Regum* 1. Nec ut Deus Prophetam ad Ieroboamum missum; nec scotomate, ut Elizeum & Lotum; sed verbo tantum, eoque non sternente illos ad terram, ut alibi factum est, nec illos mutante, & ad resipiscentiam revocante ut *Act.*9. Nam particula (ἂν) indicat eos in his fuisse qui Christum comprehendere voluerunt; sed tantum reverentia quadam (*sui*) quam coacti sunt illi ob admirabilem sapientiam & gravitatem deferre. Quod eo magis notatu dignum est, quod hoc hominum genus immitius & crudelius esse solet. Vide 1 *Sam.*19. sub finem. Vide exemplum simile in Labane & Esauo adversus Iacobum; in Ægyptiis erga Israëlitas;

litas; quibus gemmas suas, &c. Perinde est igitur ac eorum manus tenuissimo filo ligatas teneret; ac si agnus lupis rapacibus circumseptus, intactus maneret; aut vir leonibus famelicis objectus, aut in mediam flammam conjectus, &c. Hoc nos mirifice confirmet, quum eandem suis defensionem pollicetur *Matth.*10. *Mitto vos tanquam in medio luporum.*

Vers.47, 48, 49. *Veritas Dei hominum conditionem non sequitur.*

Eorum errorem convincere student à subjecto misero popello qui Christo adhærebat, & à contrario subjecto principum adversam sententiam tenentium, tanquam Dei veritas mitris & insignibus doctorum alligata foret, aut Spiritus Sanctus abhorreret à pauperum & plebeiorum taberna. Hic igitur primum exprobrant Deo, qui pauperem fecit, eo quod convitium in pauperem dicunt, quoad pauper est. Quum autem in mansuetos & humiles reclinet, debebant intelligere pauperes non modo non alienos esse, &c. sed sæpe etiam aptiores, &c. debebant scire gemmas in locis scopulosis esse, &c. item in figulinis vasis thesaurum domini reponi, ut, &c.

Hoc olim Euangelio à Pontificiis objectum est: sed nunc caveamus ne nos qui Euangelium profitemur id usurpemus. Quo in genere sæpe à nobis peccatur. Vt igitur ætati non affigitur, ita nec divitiis aut honori, aut etiam literis; sed diligentior inquisitio adhibenda est, quo magis, &c.

Item ex adjuncta inscitia legis, & afflictione ob eam rem immissa videntur rationem ducere.

Vers.50, 51. *Nicodemus Christum defendit.*

Nicodemus cum timore amittendi honoris & existimationis diutius intra se (ut videtur) conflictatus tandem erumpit; & tametsi non auderet clare & aperte Christum confiteri, tamen aliquid dicit, quo socios suos ad majorem æquitatem revocaret. Vrget autem eos lege ipsa, cujus se studiosos profitebantur, & cujus ignoratione plebem damnabant. Tametsi enim eum sæpius audivisse excipere potuissent, tamen ex lege justum esse, ut quæ pro sui defensione afferre potuisset Servator, cognoscerent, priusquam, &c. Hic igitur est fructus plantationis Christi, *Ioh.*5. qui tametsi valde crudus & incoctus sit, & veluti primi anni, aut secundi fructus præputialis, tamen à Christo non repudiatur. Vide *Matth.*12. *Non frangit quassatam arundinem, &c.*

Vers.52, 53. *à Principibus redarguitur.*

Sed quid agunt hi boni Principes; scilicet eum (Nicodemum) accusant, ac si Christi discipulus aut alumnus esset: tametsi nihil dixisset, quod ab æquo inter litigatores judice dici non potuit, atque adeo pro malefico nondum convicto. Sed quum illum hac de causa Christi discipulum reputant, cur non se & argumentum suum retexunt & revocant, quo astruere volebant Christum impostorem esse, quod nemo ex principibus in illum credidisset?

Quid autem respondent præterea, attendendum. Nicodemi rationem non dissolvunt; sed aliam tanquam gladium gladio opponunt; & quid tandem illud est? *scilicet, Ex Galilæa* nullum *Prophetam exire.* Hic igitur non satis mirari possumus admirabilem Dei sapientiam, qui ibi suum filium educari voluit, unde non modo nihil autoritatis duceret, sed plurimum etiam fidei illi ab hominibus detraheretur. Vide *Iohan.*1. in Nathanielis dicto.

Deinde ut ante *personis*, sic nunc *regionibus* Dei spiritum affixum & alligatum tenere volunt: ut olim Iehosua ægre tulit Eldadum, &c. in castris manentes spiritu perflari: qui tamen liberrime ubi vult spirat, in regionibus desertissimis, Carmelum & Libanon prætereundo.

Quod hoc dicto Nicodemus consilium dissipat, ut eorum conatus hoc tempore irritos reddiderit, docet, quantum unius sententia contra multorum contrarios veritati conatus efficiat: quod nos fidentiores reddat. Sicut & illos refellit qui omne studium & conatum abjiciunt improbis resistendi, præsertim autem in publicis conventibus, quod pauci contra tam multos prævalituri non sunt.

IOAN. *cap.* 8. *à vers.* 1, *ad* 12.

IESVS autem profectus est in montem Olearum.

2 Et diluculo rursus adfuit in templo, & totus populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

3 Adducunt autem ad eum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & quum statuissent eam in medio.

4 Dicunt ei; Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso facto, quum mœcharetur:

5 *In Lege vero Moses præcepit nobis ut tales lapidentur: tu ergo quid dicis?*
6 *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent eum accusare. IESVS autem incurvatus deorsum, digito scribebat in terra.*
7 *Quum autem perseverarent eum interrogare, sese surrigens dixit ad eos; Qui vestrum immunis est à peccato, primus in eam jaciat lapidem.*
8 *Et rursum incurvatus deorsum, scribebat in terra.*
9 *Ipsi vero quum* hæc *audivissent, & à conscientia redarguerentur, singulatim alius post alium exierant, initio facto à senioribus usque ad ultimos: & derelictus est solus IESVS, & mulier in medio stans.*
10 *IESVS autem sese surrigens, & nemine conspecto præter mulierem, dixit ei; Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? nemo te condemnavit?*
11 *Ipsa vero dixit; Nemo, Domine. Dixit autem ei IESVS; Nec ego te condemno: vade, & ne deinceps pecca.*

ANALYSIS.

Effectum Christi notatur, profectio ad montem Olivarum; cujus finis ex aliis locis colligi possit, ut Deum precaretur, atque adeo ex sequenti *versu* videtur quid orabat, nempe ut cum superioris, tum insequentis prædicationis aliquis fructus extaret.

Vers. 2. Aliud effectum Christi narratur reditus ad templum; quod adjuncto tempore declaratur, nempe diluculo. Cujus reditus effectum est populi frequens concursatio: concursationis effectum indicatur Christi ad illos prædicatio; quæ suo adjuncto, sessione declaratur.

Vers. 3. Narratur effectum Scribarum & Pharisæorum, de sistenda adultera coram Christo; quæ describitur ab adjuncto, deprehensione in adulterio; item à subjecto loco in quo sistebatur, nempe in medio.

Vers. 4. Aliud effectum Scribarum & Pharisæorum, narratio criminis quod admisit; quod adjuncta certitudine describitur, & pari illustratur, sicut cum fur in ipso furto prehenditur.

Vers. 5. Cujus adjuncta pœna allegatur, lapidatio ad mortem, quæ confirmatur testimonio divino legis Mosaicæ: deinde aliud effectum proponitur quid Christus de mortis sententia, quam lex fert, sentiat.

Vers. 6. Finis omnium horum effectuum est, ut illum tentarent, laquearent. Cujus quæstionis adjunctum est, quod Christus se incurvans in terra scripsit.

Vers. 7. Hujus scriptionis effectum est importunitas Pharisæorum & Scribarum: cujus importunitatis effectum est Christi responsum, quod adjunctum corporis erectio declarat: forma responsi, ut hoc crimine vacans primum lapidem jaciat: quo responso ab adjuncto reatu eorum in eodem crimine significat illos non tam idoneos esse qui in illam ejus pœnas expetant.

Vers. 8. Aliud Christi effectum, nempe quod iterum in terra scribit.

Vers. 9. Christi responsi effectum pudor: cujus effectum quod clam se subducebant: cujus subductionis effectum est, quod mulier sola relicta est.

Vers. 10. Alterum effectum exitus eorum est, quod Christus se erigit; quod videt fœminam solam relictam: tertium effectum quæstio à fœmina, ubi essent accusatores; deinde altera quæstio, an quisquam condemnasset eam.

Vers. 11. Quæstionis postremæ relatum est responsum fœminæ, neminem illam condemnasse: cujus adjunctum est, Christum illam non condemnasse ad mortem; quod suo diverso explicatur; hortari tamen se ut deinceps idem peccatum non admittat.

METAPHRASIS.

Scribis & Pharisæis domum suam repetentibus, Iesus ad montem Olivarum, non 1.
procul ab urbe dissitum, Deum precandi causa se recepit, ut cum Deo de illius diei prospero in docendi ratione & è periculis liberatione successu gratias ageret, tum ad insequentis diei faustum & fœlix ministerium se compararet.
Postero mane solis exortu denuo ad templum 2.
rediit, ut populum, reditum ad sua parantem, sacro veluti viatico munitum dimitteret. Quo audito, populus magna frequentia ad eum aggregatus est, quem Iesus (pro doctorum more, ad testandam authoritatem) in cathedra considens, docuit. Quoniam vero superioribus con- 3.
siliis non successerat, alia aggrediuntur via. Adducunt igitur ad eum Scribæ, tanquam Doctores, & Pharisæi qui sanctitatis nomine magis nominati erant, fœminam in adulterio deprehensam, quam in medio, ab omnibus conspiciendam stiterunt, si forte vultus tristitia Iesum magis afficeret, ut sententiam absolutionis pronunciaret. Iesum igitur in hunc 4.
fere modum alloquuntur: Præceptor, hæc ipsa fœmina quam coram intueris, in ipso adulterii actu, haud secus quam fur in ipso furto, deprehensa est. Nec te latet quid lex Dei Mosis mi- 5.
nisterio lata, hac de re cavit: impuras hujusmodi morte multandas, & quidem (ut in desponsatæ vitio ex lege constat) lapidibus obruendas. Quamobrem quid animi hac in re habes, tu qui Doctorem agis, cupimus cognoscere.

Tametsi

6. *Tametsi vero discendi causa se Iesum accessis-*
se præ se ferebant: tamen re ipsa hoc consilio
eum interrogabant, ut quamcunque in partem
sententiam diceret, de quo illum traducerent,
haberent: immisericordiæ & inclementiæ, aut
certe inconstantiæ, si illam morti adjudicandam
pronuntiaret: Adulterii vero patrocinii & le-
gis divinæ violationis & omnis honestatis ho-
stis, si illam absolvendam esse affirmaret: de-
nique inscitiæ aut ignaviæ si taceret. Iesus vero
hujus rei judicium tamquam à se alienum
animo aversans, inclinato in terram corpore,
digito in terra scripsit; eo non obscuro declarans,
se quidvis vel abjectissimum opus facere mal-
le, quam civile jus exercendo, falcem in alie-
7. *nam messem inferre. Sed cum importune inter-*
rogantes illum urgere non desisterent, tandem
se à terra erigens ad illos dixit; equidem invi-
tus vestram nequitiam & impuritatem hacte-
nus tectam retego. Sed cum nullum modum
mihi insidiandi statuitis, agite, vos qui odium
adulterii & impuritatis obtenditis, qui ex vo-
bis ab hoc aut hujus generis scelere liber est,
8. *primus in hanc adulteram lapidem jactet. Quo*
dicto, ut minore cum pudore se subducerent, de-
nuo ad terram se dimittens, in terra scripsit.
Quod cum illi audivissent, propriæ conscientiæ 9.
testimonio rei impuritatis, aut ejusdem, aut
consimilis peracti, templo singulatim alius post
alium tamquam in seipsos sententiam condem-
nationis dicentes, egressi sunt, initio facto à
summis, donec ad infimos perventum est: sic Ie-
sus cum plebe & fœmina in medio conventu
consistendo desertus ab accusatoribus solus per-
mansit, qui prout hic casus postulabat, cum fœ-
mina ageret. Iesus itaque se erigens & nullum 10.
ex accusatoribus, sed fœminam conspiciens, ad
illam dixit; ô mulier, ubi tandem sunt illi tui
accusatores, numquid aliquis est qui senten-
tiam condemnationis de te tulit? quod si sit, ego
non sum is qui illam sententiam retexere volo.
Ad quem illa; nemo, Domine. Et ad illam vi- 11.
cissim Iesus; nec ego qui judicis personam non
sustineo, tametsi mortem bene merentem, in
te mortis sententiam fero: tantum quod officii
& ministerii mei est, te admoneo, ut hinc disce-
dens, in posterum caveas, ne ad hujus sceleris
vomitum iterum revertaris.

IOAN. *cap.* 8, *à vers.* 12, *ad* 21.

12 Rursum ergo IESVS eis loquutus est, dicens; Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

13 Pharisæi igitur dixerunt ei; Tu de teipso testaris, testimonium tuum non est firmum.

14 Respondit IESVS & dixit eis; Etiamsi ego testor de meipso, firmum est testimonium meum: quia scio unde venerim, & quo vadam: vos autem nescitis unde venerim, & quo vadam.

15 Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam.

16 Quod si etiam judicarem ego, judicium meum firmum esset: quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.

17 Sed & in Lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium firmum esse.

18 Ego is sum qui testor de me ipso, & testatur de me qui misit me Pater.

19 Dicebant ergo ei; Vbi est tuus ille Pater? Respondit IESVS; Neque me nostis, neque Patrem meum: si me nossetis, Patrem quoque meum nossetis.

20 Hæc verba loquutus est IESVS in gazophylacio, docens in templo: & nemo prehendit eum, quia nondum venerat illa ipsius hora.

ANALYSIS.

CHRISTVS officii Mediatoris & cumprimis Deitatis suæ clarum testimonium edit, quod describitur subjecto, ad quod hic sermo habitus est, nempe illos ipsos, quos prius docuit *vers.* 2. Testimonium, quod proponit, est, eum esse qui veram & salutarem Dei notitiam hominibus confert: quod pari illustratur solis seu lucis mundi; & effecto confirmatur, quia se ad ejus lumen dirigens, non versatur in tenebris; quod sui adversi negatione amplificatur, nempe quod habiturus sit lucem vitæ.

Vers. 13. Hujus dicti effectum est responsum Pharisæorum quorundam, non eorum qui egressi sunt, sed aliorum qui tum forte interfuerunt: responsum est, testimonium ejus non esse verum; quod confirmatur à subjecto testificantis, quia ipse de se idoneus testis non erat.

Vers. 14. Christus hoc responsum refellit argumento diversorum; verum esse testimonium suum, tametsi ipse de se testaretur; quod probat effecto, quia novit unde venit & quo vadat: simul causam assignat cur Pharisæi testimonium ejus rejecerunt

qui

qui scientes Mariæ fuisse filium, ignorarunt ejus divinum ortum, eumque esse Dei filium unigenitum.

*Vers.*15. Aliam causam erroris notat quod ex sensu carnis suæ, non ex Dei Scriptura, de eo perverse judicarent: quod scelus amplificatur ab adjuncto, sua modestia, qua ab aliis judicandis abstineret.

*Vers.*16. Hanc modestiam & mansuetudinem etiam erga impios Pharisæos amplificat ab adjuncto, veritate & incorruptione judicii, si de illis gravius aliquid statueret: cujus causam assignat, quod communem cum Deo Patre causam habet & ei coëssentialis sit.

*Vers.*17,18. Hanc testimonii sui veritatem probat à comparatione minoris: nam si duorum hominum testimonium ex legis præscripto firmum sit, nedum Dei Patris & ipsius.

*Vers.*19. Hujus sermonis effectum est quæstio, ubi sit Pater Iesu, cujus quæstionis effectum est responsum Christi, in quo illos accusat ab adjuncto, ignoratione Patris; cujus causam indicat, quia illum non norunt; quod adversis confirmatur, quia si eum cognovissent Patrem utique cognossent.

*Vers.*20. Describit sermonem à subjecto loco, ubi habitus est, cum generaliore, templo, tum speciali, gazophulacio: cujus effectum est quod comprehensus non sit; quod suo diverso tacite amplificatur, tametsi tam aperte & clare divinitatem suam asseruit, cujus ratio adjungitur ab adjuncto tempore, quod nondum completum erat.

METAPHRASIS.

12. *Quæstione de adultera expedita, eosdem docere perrexit quos prius, antequam Scribæ & Pharisæi adulteram in templo stiterunt: cujus hæc fere verba fuerunt: ego, & non alius, sum sol ille gentium pariter & Iudæorum à Prophetis decantatus. Quicunque fidei obedientia mihi obtemperaverit, à tenebris errorum & scelerata vita liber & immunis lucem vitam secum ferentem in se inclusam conti-*
13. *nenter habebit. Ad quem ex Pharisæis, qui ibi in templo remanserant, ait: Tu de te ipso testimonium dicis, proinde testimonium tuum non est legitimum: cum nemo in propria cau-*
14. *sa idoneus sit testis. Ad quos Iesus: Tametsi solus mihi ipsi testimonium perhiberem, legitimum tamen est testimonium meum: probe enim mihi conscius sum me à patre, qui me misit, venisse, ad quem etiam defuncta legatione scio me reversurum: vos autem ortus mei quoad Divinitatem ignari, mei ad gloriam Patris reditus nescios esse necesse est. Hoc autem modo de* 15.
me statuentes ex corrupta & depravata rationis vestræ norma, non ex verbi Divini præscripto, sententiam de me fertis: cum ipse tamen de vobis sententiam condemnationis ferre me cohibeam. Quod si sententiam in vos di- 16.
cerem, judicium meum de vobis (longe secus quam vestrum de me) legitimum forêt: quia non sum (ut vos falso putatis) solus, sed ego & qui me misit Pater, quo cum mihi omnia communia sunt, utpote cui sum coëssentialis. Et 17.
quidem in lege quæ vobis data est & de qua tantopere gloriamini scriptum est: quod duorum hominum in re quapiam testimonium firmum & legitimum est. Quanto magis firmum 18.
& omni exceptione majus erit testimonium quod cum ego filius & tum Pater voce cælitus emissa testati sumus, utpote uterque Deus in secula laudandus. Ad quem illi: ubi tandem 19.
est quem tu Patrem tuum prædicas? Ad quos vicissim Iesus: Nec me qui sum novistis, quamvis vos me probe nosse profitemini: unde est ut neque Patrem (quem vos Deum vestrum plenis buccis personatis) meum nosse possitis: sicut è regione, si me probe novissetis, Patrem itidem meum notum habuissetis. Hæc in ima parte 20.
templi, ubi arca, in quam elemosynæ Ecclesiæ sumptibus & pauperum subventioni destinatæ conjiciebantur, gesta sunt. Et quamquam liberrime Deitatem & cum Patre æqualitatem, frendentibus Pharisæis, asseruerit: nemo tamen manum ei injecit. Cujus causa erat, non quod defuit illis aut voluntas aut opportunitas; sed quod arcano fræno & hamo providentiæ divinæ cohibiti sunt, quia nondum venerat tempus Dei consilio & Prophetarum oraculis definitum.

IOAN. *cap.* 8, *à vers.* 21, *ad* 26.

21 *Dixit ergo iterum eis IESVS; Ego vado, & quæretis me, & in hoc peccato vestro moriemini, quo ego vado, vos non potestis venire.*

22 *Dicebant ergo Iudæi; Num interimet seipsum, qui dicat; Quo ego vado, vos non potestis venire?*

23 *Tunc dixit eis; Vos inferne estis, ego sum superne: vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo:*

24 *Ideo vobis dixi; vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis me* eum *esse, moriemini in peccatis vestris.*

25 *Dixerunt ergo ei; Tu quis es? Tum dixit eis IESVS;* Id *quod à principio dico vobis.*

ANA-

ANALYSIS.

Studii & conatus cum ad mortem comprehendendi effectum est, comminatio mortis æternæ; quæ describitur primum ab adjuncta repetitione comminationis supra 7,36. quam comminationem declarat ab adjuncto ἀδυνάτῳ eo veniendi quo ipse abiturus est; quod amplificatur suo diverso, quamvis valde cupient ad eum venire; quod etiam sua causa materiali notatur, quod in peccatis suis morientur.

*Vers.*22. Hujus comminationis effectum est responsum Iudæorum, quod duobus membris absolvitur; quæstione, quo vadet; & altera, an se interficiet; quæ sua causa confirmatur, quia dixit eos non posse venire quo ipse vadit.

*Vers.*23. Explicat prius dictum ab adverso suo & eorum subjecto loco, quod sint inferni cum ipse sit supernus; deinde ex contradicentibus, quod sint ex mundo cum ipse non sit.

Vers. 24. Quorum effectum declarat, nempe quod morientur in peccatis: quorum omnium causam indicat, quod in se non credant.

*Vers.*25. Cujus postremi dicti effectum est Iudæorum quæstio, quæ sua forma proponitur; *Tu quis es?* Cujus effectum est, Christi responsum ab adjuncta confirmatione ejus quod prius de se testatus est.

METAPHRASIS.

21. *Quoniam iterum ad morte eum afficiendum comprehendere conati sunt: Iesus etiam priorem in eos comminationem repetit, dicens: Ego cum tempus meæ ex mundo commigrationis advenerit, non tam à vobis ad mortem adactus, quam sponte mea discessurus sum. Atque ut ut me jam repellitis, veniet tempus, cum me (sed frustra) expetetis, ut qui* 22.
peccatis vestris minime condonatis moriemini, 23.
eoque ipse quo ego pergo, vos pervenire non potestis. Ad quem Iudæi: quid hoc novi est? Num 24.
se clam in locum solitarium subducet, quo solus, & ab aliis (qui ejus nefario scelere resisterent) abjunctus se interficiet? quandoquidem dicit; Quo ego pergo vos non potestis pervenire. Ad quos Iesus: Dicam planius quid causæ sit 25.
vestri à me perpetui divortii: Ego enim jam è supernis locis quæ denuo repetiturus sum: vos estis ab infernis, quo etiam sponte ruitis; vos estis ex his, qui nihil nisi mundum & mundana sapiunt, ego non item. Quamobrem dixi vobis, vos vinculis peccatorum astrictos in æternum morituros. Nec enim quin in peccatis moriamini fieri potest, nisi me Messiam agnoscentes firma in me fiducia recumbatis. Quamobrem ad illum Iudæi: tu vero quis tandem es? quem te esse profiteris? Ad quos Iesus: cum nullo veritatis cognoscendæ studio ducamini, nihil opus est rem toties decantatam repetere. Quapropter breviter sic habete, me eum esse, quem initio me esse dixi.

IOAN. *cap.* 8. *à vers.* 26, *ad* 31.

26 Multa habeo quæ de vobis loquar ac judicem: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.

27 Non cognoverunt se de Patre hæc ipsis dicere.

28 Dixit ergo eis IESVS; Quum sustuleritis Filium hominis, tunc agnoscetis me eum esse, & à meipso nihil facere, sed prout docuit me Pater hæc loqui.

29 Nam qui me misit, mecum est, non reliquit me solum Pater, quia ego quæ placent ipsi facio semper.

30 Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.

ANALYSIS.

Propositio est, se nolle aut loqui, aut judicium exsequi adversus hos obfirmatos Iudæos; quod suo diverso illustratur, tametsi multa habeat quorum nomine in illos invehi possit, & adversus illos judicium exercere: deinde hanc cessationem à minis & judiciis confirmat ab adjuncta Dei Patris veritate & justitia, qui hæc inulta esse non patietur. Quod ipsum confirmat ab adjuncta sua fide & innocentia in obeunda legatione.

*Vers.*27. Cujus sermonis Iesu adjunctum est, quod obfirmati Iudæi non intelligebant eum de Deo hoc loqui: quo dicto Euangelista causam subindicat cur pertinaces Iudæi hoc ejus sermone non furerent.

*Vers.*28. Pergit Christus illos pungere ab effecto cognitionis quis sit, utcumque illum jam non norint; quæ de Christo noticia adjuncto tempore declaratur, postquam illum in crucem attollendo in solium veluti majestatis illum extulerint, unde in illos fulmina sua ejaculabitur quibus ad sui noticiam vel inviti ducentur.

Vers. 29. Prolepsis est, cujus occupatio est ab adjuncta desertione Christi interim dum ad illam majestatem evehitur: subjectio à contradicente, se non esse à Patre suo desertum; quod confirmatur subjecto, quia is sit qui quæ Patri grata sunt, facit.

*Vers.*30. Cujus sermonis effectum est fides.

METAPHRASIS.

Multa sunt scelera vestra, quorum nomine cum asperius in vos invehi tum de 26.
vobis pœnas sumere possem, quæ ego quod præsens vocatio hoc non ferat, prætereo. Tamen

vos hæc non impune auferetis, quandoquidem
cum Pater meus sibi semper in sua justitia
constat, tum ipse mihi probe conscius sum, me
omnia quæ in mandatis ab eo accepi hominibus
qui in mundo sunt, proposuisse, nec quidquam
27. *nisi ab illo acceptum loquutum esse. Iudæi ve-*
ro ira & aliis animi perturbationibus excæ-
cati, non intellexerunt Christum de Patre ver-
28. *ba fecisse. Ad quos Iesus dicere perrexit: cum*
me verum hominem ex invidia & malitia (ut
notam perpetuæ infamiæ inuratis) in crucem
egeritis, tum ego virtute mea efficiam ut hoc
omne mihi in gloriam cedat. Quo tempore qui
mei notitiam jam repellitis, vel invitis vobis,
noscere cogemini. Tum (inquam) ea virtus
& potentia judiciis in vos exercendis exere-
tur, quibus vel nolentes cognoscatis me nihil
proprio & privato instinctu fecisse; sed illa mo-
do in medium attulisse, quæ à Patre edoctus
sum. Interim vero dum in illam gloriam & 29.
majestatem attollor, non sum (ut vos putatis)
penitus desertus. Nec enim me Pater solum &
omni auxilio nudum reliquit: quandoquidem
quæ illi grata & accepta sunt, constanter & ad
minimum apicem facio. Dum hæc loqueretur 30.
(cooperante & virtutem exerente Spiritu suo
sanctissimo, qui omnes difficultates perrumpit)
multi in eum crediderunt.

IOAN. *cap.* 8, *à vers.* 31, *ad* 37.

31 *Dicebat ergo IESVS iis Iudæis qui crediderant ipsi; Si vos manseritis in sermo-*
me meo, vere discipuli mei eritis.

32 *Et cognoscetis Veritatem, & Veritas vos in libertatem vindicabit.*

33 *Responderunt ei; Semen Abrahami sumus, neque cuiquam servivimus un-*
quam: quomodo tu dicis, vos in libertatem vindicabimini?

34 *Respondit eis IESVS; Amen amen dico vobis, quisquis operam dat peccato,*
servus est peccati.

35 *Servus autem non manet in domo perpetuo: filius manet perpetuo.*

36 *Itaque si vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis.*

ANALYSIS.

Fidei effectum est Christi adhortatio ut in fide perstent, quæ perseverantia suo subjecto describitur, nempe Christi sermone, & adjuncto, nempe quod vere discipuli futuri sunt.

Vers. 32. Deinde effecto perseverantiæ, nempe cognitione veritatis: quæ cognitio amplificatur, nempe quod sit illos in libertatem vindicatura.

Vers. 33. Hujus sermonis Christi effectum est responsum Iudæorum non credentium, ut ex *vers.* 37. constat, sed perfidiosorum: ubi conantur probare se non esse servos, primum à relato, quod patre libero nati sunt; deinde ab effecto, quod nunquam servierint.

Vers. 34. Iudæorum sermonis effectum est Christi responsum, quod est confirmatio superioris dicti, quæ fit distinctione servitutis, non corporeæ, ut illi putabant, sed animi: quam probat ab effecto servitutis, quia assiduo & continenter peccant.

Vers. 35. Item adjuncta ejectione ex Ecclesia & domo Dei, quod suo adverso illustratur, nempe quod filius nunquam ejicitur.

Vers. 36. Aliud argumentum est ab efficiente libertatis, nempe Filio.

METAPHRASIS.

31. *QVamobrem Iesus Iudæos qui in eum cre-*
diderant in fide confirmaturus, dixit; si
vos promissionibus fidem adhibentes re, & fa-
ctis quæ mando constanter ad finem observa-
veritis, veri & germani mei discipuli eritis.
Cujus hunc fructum longe præstantissimum 32.
percipietis, quod veritatem Euangelii, de quo
(etiam in me credentes) subdubitatis certissi-
me cognoscetis; veritas autem illa vos natura
servos in libertatem asseret. Ad quem non illi 33.
qui crediderunt, sed obfirmati Iudæi; Nos filii
Abrahæ sumus, eoque natura liberi; neque na-
tiva libertate excidentes cuiquam unquam
servivimus. Quid igitur sibi vult hic sermo
tuus, libertate donandos si in sermone meo per-
manseritis, quo non obscure nos mancipia esse
subindicas. Tantum abest ut priorem de vestra 34.
servitute sententiam retractare velim, ut illam
verissimam esse iterum atque iterum confirmem.
Nam de servitute & mancipatione spirituali
loquor, longe & duriore & viliore quam est illa
corporis, à qua tantopere abhorretis. Qui enim
(quod vos facitis) se peccato addicit, is peccati
mancipium est. Servi autem hæc conditio est, 35.
ut ex familia aut venditione aut ejectione aut
modo quodam alio exturbetur, sicut filius cer-
tas & fixas in familia sedes habet. Quamob- 36.
rem si ego Filius & hæres & in domo patris
mei (quæ est Ecclesia) præpositus vos libertate
donavero, tum demum reipsa (non nomine so-
lum & vana aut vestra aut aliorum opinione)
liberi eritis.

IOAN. *cap.*8. *à verſ.* 37, *ad* 46.

37 Scio vos ſemen Abrahami eſſe, ſed ſtudetis me interimere, quia ſermo ille meus non habet locum apud vos.

38 Ego loquor quod vidi apud Patrem meum, & vos facitis quod vidiſtis apud Patrem veſtrum.

39 Reſponderunt & dixerunt ei; Pater noſter Abrahamus eſt. Dicit eis IESVS, Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis.

40 Nunc autem ſtudetis me interimere, hominem qui veritatem vobis loquutus ſum, quam audivi à Deo: hoc Abrahamus non fecit.

41 Vos facitis opera patris veſtri. Itaque dixerunt ei; Nos ex ſcortatione non ſumus geniti: unum patrem habemus, nempe *Deum.*

42 Dixit ergo eis IESVS; Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis me: ego enim à Deo prodii & adſum; nec enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.

43 Quare loquelam iſtam meam non agnoſcitis? nempe *quoniam non poteſtis audire ſermonem meum.*

44 Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis exſequi. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit: non eſt enim veritas in eo. Quotieſcumque loquitur mendacium, de ſuo loquitur, quia mendax eſt, & pater ille mendacii.

45 Vos *autem, quia ego veritatem dico, non creditis mihi.*

ANALYSIS.

ADiverſis confirmat eos eſſe ſervos peccati: tametſi ſitis ſemen Abrahæ, tamen non impedit quin ſitis ſervi peccati; quod ab effectis probat, quia illum interficere ſtudent; cujus cauſam efficientem aſſignat; quia ſermo Ieſu in illis locum non habet: quod diſſimilitudine amplificat tacita & intellecta, ſicut locum habuit in Abrahamo, unde illos non eſſe germanos filios conſtat.

*Verſ.*38. Superioris conatus Ieſum interficiendi aliam cauſam & quidem ſuperiorem aſſignat, nempe quod alium Patrem habent præter Abrahamum; quod probat, quia faciunt quod ab illo didicerunt; quod pari illuſtratur, ſicut ipſe facit quæ à cœleſti Patre didicit.

*Verſ.*39. Effectum ſermonis Chriſti eſt Iudæorum affirmatio, illos eſſe filios Abrahæ; cujus effectum eſt Chriſti reſponſum, illos non eſſe: quod probat ab effecto, quia non faciunt opera Abrahæ.

*Verſ.*40. Quod in genere propoſuit in ſpecie docet, quod illum interficere conabantur; quod ſcelus amplificat ab adjuncta innocentia, vel potius à diſparato, quod ſe in illos beneficum veritatem illis dicendo voluerint interficere: item alio diſparato, quod Abraham hoc non fecit.

*Verſ.*41. Hoc ſcelus amplificat porro ab efficiente cauſa, cujus effectum eſt reſponſum Iudæorum, quo Chriſtum refellere conantur ab adverſo efficiente, ſe non eſſe ſuppoſititium ſemen; quod probant alio efficiente, quia Deum habent Patrem.

*Verſ.*42. Ieſus illos refellit ab adjuncto in ſe amoris defectu, ſeu odio; quod confirmat ab adjuncta coëſſentialitate cum Patre, deinde ab adjuncto officio legationis à Patre; quod contrarii negatione confirmat, quia ſe non ingeſſit in hoc officium.

*Verſ.*43. Odium in ſe probat, quod ejus ſermonem non agnoſcunt; quod comparatione majoris amplificat, illos ejus ſermonem agnoſcere non poſſe.

*Verſ.*44. Cauſam illius proponit, quod diabolum patrem habent; quod effectis probat, quia concupiſcentias Patris volunt factis exprimere: illud in genere dictum per partes explicat, primum quod ſit homicida, deinde quod defecit à beata illa conditione in qua creatus eſt, 3. quod ſit mendax & Pater mendacii.

*Verſ.*45. Comparatione paris illorum impietatem amplificat, nempe illos (ut diabolum) veritatis juratos hoſtes eſſe, qui ideo illi fidem derogant quod veritatem dicat, unde etiam odium in ſe manat, eum ad mortem quærendo.

METAPHRASIS.

PRobe novi vos eſſe ab Abrahamo proſemi- 37.
natos; ſed hoc nihil impedit quo minus etiam
ſitis peccati mancipia. Non eſſe Abrahæ ger-
manos filios inde liquet, quod me ad mortem
exquiritis, quia ſermo meus in vobis (ut olim in
Abrahamo obtinuit) locum non habet. Ego Pa- 38.
tris mei imaginem vere refero, quia (ut ger-
manum filium decet) quæ apud Patrem didici
illa loquor: ſicut & vos expreſſam effigiem pa-
tris veſtri geritis, quia quod ab illo fieri didici-
ſtis factis imitamini. Ad quem Iudæi; quem- 39.
cumque tu patrem noſtrum verbis his deſignas,
nobis certe Abrahamus pro patre eſt. Ad quos
viciſſim Ieſus; ſi Abrahami germani filii eſſe-
tis, quod Abrahamus cum fide in me, tum fi-
dei fructibus fecit, faceretis. Nunc vero me in- 40.

*terficere studetis & satagitis, hominem non
tantum innoxium sed in vos beneficum; ut qui
veritatem salutarem, quam à Patre edoctus
sum, vobis loquutus sim. Hoc certe Abraha-
mus (cujus filios vos esse prædicatis) numquam
fecit, nec si ad hæc usque tempora vixisset, fa-*
41. *cturus esset. Sed hoc faciendo abunde cujus fi-
lii estis testamini, ejus scilicet cujus vos facta
imitamini. Ad quem Iudæi: videmur subolere,
quem tu patrem nostrum in his verborum in-
tegumentis designas. Proinde notum tibi sit,
nos quod ad externum genus attinet, germa-
nos Abrahæ filios esse, utpote ex Isaaco oriun-
dos. Quod autem ad spirituale genus attinet,*
42. *unus verus Deus nobis est pro Patre. Quibus
Iesus: si Deus vester Pater esset me chare com-
plecteremini, qui natura illi coëssentialis sum;
officio vero ab illo missus ad vos venio. Neque
quod vos cogitatis mea me sponte ingero, sed
ille, quem vos vestrum Deum esse perhibetis,*
43. *me misit. Quid igitur in tanta cum doctrina
tum miraculorum luce impedit quo minus lo-
quutionem non agnoscitis? nisi quod odio & in-
vidia excæcati, sermonem meum placide audi-
re & sustinere minime potestis. Quod hactenus* 44.
*tecte sub verborum involucris dixi, quoniam
video vos in malitia perstare, dicam planius:
vos ex patre diabolo estis, ut qui quæ ipse valde
vult, vos itidem facere expetitis: Ipse illico à
mundo condito homicida erat, sicut & vos stu-
dio & voluntate estis: præterea in sanctitate
creatus in illa non perstitit, quod ipsum liquet
quia jam ab omni veritate alienissimus est.
Cum mendacium loquitur illud non aliunde
quam à se ipso accipit, ut qui mendax sit &
primus mendacii inventor: atque ut in ho-* 45.
*micidio imitatione filii ejus estis, sic in men-
dacio vivam ejus imaginem exprimitis; ut
qui mihi ob eam causam fidem non habetis,
quod veritatem vobis annuntiem, alteri cre-
dituri, qui commenta & cordis sui figmenta in
medium afferet.*

IOAN. *cap.* 8, *à vers.* 46, *ad* 54.

46 Quis ex vobis arguit me de peccato? si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

47 Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48 Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei; Nonne bene dicimus te Samaritanum esse, & dæmonium habere?

49 Respondit IESVS; ego dæmonium non habeo, sed honoro Patrem meum, & vos contumelia afficitis me.

50 Ego vero non quæro gloriam meam: est qui quærat & judicet.

51 Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum observaverit, mortem non conspiciet in æternum.

52 Dixerunt ergo ei Iudæi; Nunc agnovimus te dæmonium habere. Abrahamus mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis; Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

53 Num tu major es patre illo nostro Abrahamo, qui mortuus est? etiam Prophetæ mortui sunt: quem tu teipsum facis?

ANALYSIS.

AB adjuncta innocentia sua & alienatione seu vacuitate à peccato, probat illorum summam impietatem; hanc innocentiam astruit ab adjuncta illorum ἀδυναμίᾳ, illum de peccato convincendi; a subjecto etiam eorum perfidiam arguit, quod veritatem dicenti non credant.

*Vers.*47. Ab efficiente causa ad effectum probat illos veritati non obtemperare: item ab effecto ad efficientem causam, illos ex Deo non esse.

*Vers.*48. Effectum superioris sermonis est insignis blasphemia, quæ sua forma exponitur, Christum esse Samaritanum & diaboli possessione teneri: quod etiam adjuncta summa asseverantia amplificatur.

*Vers.*49. Effectum horrendæ blasphemiæ, modesta negatio illati convitii: quod probat ab effecto, quia gloria afficit Patrem: quod porro amplificat, ab adverso illorum, ignominia eum afficiendo: quod suo adjuncto confirmat, nempe quod se cum Patre coëssentialem inhonorant.

*Vers.*50. Cujus blasphemiæ adjunctam pœnam proponit, quod Pater hoc requirit & judicat: quod diverso declaratur.

*Vers.*51. Hanc pœnam illustrat contrario præmio eorum qui sermonem ejus servant, nempe quod non morientur in æternum.

*Vers.*52, & 53. Cujus effectum est prioris blasphemiæ recoctio, confirmata ab adjuncto temporis: cujus causa assignatur, quod sermonem ejus observans non moriatur: quod conantur refellere compa-

comparatione majoris, quia Abrahamus & Prophetæ obierunt suum diem; item à comparato, quod sit minor Abrahamo.

METAPHRASIS.

46. *Multa calumniamini & comminiscimini adversum me, quorũ nomine à me & doctrina mea vos alienos esse præ vobis fertis. Sed quis vestrûm (nullum enim excipio) me toties & tam graviter accusatum, peccati convincat. Atque (quod absit) ut verum sit me reum gravioris peccati teneri, tamen vel veritatem*
47. *dicenti vos credere convenit. Quamcunque autem vos obtenditis, ego veram causam perfidiæ vestræ dicam. Omnes quos Deus suo spiritu regenerans in filios adoptavit, in audito Euangelii verbo acquiescunt. Quamobrem vos in verbo acquiescere pertinaciter recusantes, à Deo minime regenitos esse nec in filios adopta-*
48. *tos (tamquam sorex suo indicio) proditis. Ad quem Iudæi: quum tam acerbe in nos, Dei populum in mundo unicum inveheris; quin judicio & religione Samaritanus sis, nemo, ne tu quidem ipse, negare potest: audacter porro affirmamus, te dæmonio (ut omnium mortalium)*
49. *populi Dei acerbissimo hoste possideri. Ad quos Iesus; Ego Dæmonium non habeo: nam Deum Patrem, quem dæmonium blasphemiis petet, honore afficio. In me vero quia blasphemias vestras evomitis qui Patrem honoro, blasphemiæ vestræ in Deum Patrem redundant, eoque ipso vos satanæ impulsu hæc vos in me convitia jactare consequitur. A vobis inhono-* 50.
ratus non quæro gloriam meam judicia exsequendo: est unus qui quærit & qui in præsentiarum hanc vestram pertinaciam ulciscitur, dum oculos mentis vestræ obtenebrans, volun-
tates etiam justissimo suo judicio obdurat. Nec 51.
me vestra obstinatio impediet, quo minus qui sim apertius adhuc in mediũ adferam. Quamobrem dico & magna voce (ad gravius vestri judicium) dico; Qui auribus perceptum sermonem meum animo eundem asservaverit, mortem, quæ vere mors est, numquam experietur.
Ad quem Iudæi: si non ante, nunc tandem hac 52.
tam vana & superba gloriatione cognoscimus te Dæmonio agitari. Nam vel Abrahamus omnium nostrûm pater, atque adeo sanctissimi quique Prophetæ hac vita defuncti sunt, & tu dicis quisquis auribus perceptum sermonem meum animo asservaverit mortem ne gustabit quidem umquam? An tam ejectæ audaciæ 53.
es, ut te Abrahamo & Prophetis præferas? Quo tandem hic furor tuus evadet, & quem demum te ipse prædicas?

IOAN. *cap.* 8, *vers.* 54, *ad finem Capitis.*

54 *Respondit IESVS; Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: Pater ille meus, is est qui glorificat me: quem vos dicitis Deum vestrum esse.*

55 *Sed non nostis eum: ego vero ipsum novi? & si dixero ipsum mihi non esse notum, ero similis vestri,* id est, *mendax: sed eum novi, & sermonem ejus observo.*

56 *Abrahamus Pater ille vester gestivit videre diem istum meum, & vidit, ac gavisus est.*

57 *Dixerunt igitur ei Iudæi; Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidisti?*

58 *Dixit eis Iesus; Amen amen dico vobis, priusquã Abrahamus existeret, ego sum.*

59 *Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: IESVS autem occultavit se, & exivit è templo, quum transivisset per medios ipsos: & ita præteriit.*

ANALYSIS.

Effectum Iudæorum responsi est sermo Christi, se seipsum non glorificare, ab adjuncta gloriæ inutilitate & vanitate quæ à se profecta est; aliam efficientem causam gloriæ suæ assignat, Patrem suum, qui suo relato describitur, nempe Iudæorum Deo, quod testimonio Iudæorum proprio confirmat.

Vers. 55. Describitur præterea Pater Christi ab adjuncta ignoratione qua illum ignorarunt Iudæi; quæ amplificatur adverso, Christi scientia: ubi est prolepsis, cujus occupatio est à disparato, alienum est ut hoc de se dicat. Cujus subjectio est ab adjuncto incommodo nisi Deum Patrem suum affirmaret, nempe quod illis similis foret mentiendo: item altero adjuncto, quod ejus sermonem servat.

Vers. 56. Probat mediationem suam ab adjuncta Abrahami visione, qua eum prævidit venturum Messiam; quam in fide visionem describit suo effecto, quod lætatus sit.

Vers. 57, 58. Refellunt Iudæi hoc ab adjuncta paucitate annorum quos vixit: confirmat suum dictum Christus ab adjuncto tempore, quia antequam Abrahamus extitit ipse est.

Vers. 59. Cujus in Iudæis effectum erat, quod lapides tollant quibus illum obruunt. Cujus effectum erat, quod templo se subduxit, 2. quod perrupit per mediam turbam, 3. quod se ab illis occultavit.

METAPHRASIS.

54. *AD quos Iesus: si ego tantum quoad humanam naturam hæc de me dicerem, non inficias eo cassum & irritum fore hoc de me præconium. Sed est Pater qui cum voce cœlitus emissa, tum infinitis miraculis me gloriosum reddidit: idem ipse quem vos (verbo tenus) Deum vestrum esse plenis & inflatis buc-*
55. *cis perhibetis. Vt autem eum Deum vestrum esse profitemini, tamen eum vere & salutariter non cognoscitis. Ego vero qui eum Patrem meum esse assero, illum probe notum habeo. Quod ambitiose & per inanem gloriam (sicut vos existimatis) non dico; sed veluti coactus hoc facio, nisi velim (mentiendo) vobis conformis esse. Quamobrem audacter confirmo, me illum probe nosse, & congruenter accuratæ & omnibus numeris absolutæ de illo noticiæ, me*
56. *etiam ad ejus obsequium compono. Abrahamus, quem vos patrem vestrum esse gloriamini, exultasset si illi hunc meum in mundum adventum videre concessum fuisset. Quanquam etiam fidei oculo me Messiam præstituto tempore venturum (tamquam ex specula) prospexit, eaque ipsa animi visione gaudio non perituro exhilaratus est. Quamobrem ad Iesum* 57.
Iudæi dixerunt: ne unum quidem seculum adhuc complevisti; quomodo ergo Abrahamum, qui tot retro seculis mortuus est, videre potueris? Ad quos Iesus; Omnino & constanter vo- 58.
bis affirmo, me ut verum & unicum Deum tum extare cum Abrahamus nondum in rerum natura extitit. Quo dicto tamquam 59.
(eorum falsa opinione) blasphemo exulcerati, lapides quibus illum obruerent sustulerunt. Iesus autem se in occultum (ubi ad aliquod tempus delitesceret) locum subduxit: sed ita ut divinitatis, suæ quam tam claris verbis asseruerat, apertum & spectabile τεκμήριον prius ediderit. Nam templo egressus (illis spectantibus) per medium eorum agmen ita perrupit, ut à nullo lapide appetitus fuerit.

IOAN. *cap.* 9, *à vers.* 1, *ad* 8.

PRætergrediens autem vidit quemdam cæcum à nativitate:

2 Et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicentes; Rabbi, quis peccavit, iste, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

3 Respondit IESVS; *Neque iste peccavit, neque parentes ejus,* ut cæcus nasceretur: *sed* cæcus natus est *ut opera Dei manifesta fierent in eo.*

4 Oportet me vacare operibus ejus qui misit me, donec dies est: veniet nox quum nemo potest operari.

5 Quamdiu fuero in mundo, Lux sum mundi.

6 Hoc quum dixisset, spuit humi, & fecit lutum ex sputo, & illevit lutum oculis cæci illius:

7 Dixitque ei; Vade, ablue oculos *in piscina Siloam, quod est, si interpreteris, Missus. Abiit ergo, & abluit* oculos, *rediitque videns.*

ANALYSIS.

EFfectum transitus Christi est quod vidit cæcum, cujus cæcitatis immedicabile malum ab adjuncto tempore arguitur, quia ab ipsa nativitate cæcus fuit.

Vers. 2. Discipulorum vero visionis effectum est, quæstio de causa congenitæ cæcitatis; quam distributione à subjecto proponit, aut cæci aut parentum ejus.

Vers. 3. Neutram causam esse docet à disparato, nempe gloria Dei in ejus curatione.

Vers. 4. Probat Sabbatho cæcum à se curandum esse ab adjuncto tempore vitæ suæ, quod pari illustratur, nempe diei, ad negotia expediendum accommodo & opportuno. Quod contrario, morte sua, cum non potest operari, amplificatur, quæ mors pari noctis ad res gerendas ineptæ illuminatur.

Vers. 5. Aliam causam assignat cur illum oporteat cæco visum restituere; ut constet hoc veluti sigillo, illum esse lumen mundi.

Vers. 6. Hujus vero illuminationis instrumentalis causa est, unctio oculorum cæci ex cœno; quod suis causis describitur, efficiente Christo, & materia, sputo Christi & pulvere terræ.

Vers. 7. Deinde alia causa instrumentalis est lotio in piscina, quæ adjuncto nomine describitur, & adjuncta interpretatione declaratur: præcipua vero causa curationis est, voluntas Christi illum hoc modo sanandi; cujus effectum exponitur, obsequium cæci; & obsequii, sanitas & illuminatio.

METAPHRASIS.

TRansiens vero vidit non tam corporis ocu- 1.
lis quam animi commiseratione, ab ipsa nativitate cæcum: quo liquidius constat, illum non nisi miraculo visum recipere potuisse. Disci- 2.
puli autem Iesu, ex ipso Domini oculorum obtuitu,

tuitu, aut quod eodem loci, ubi cæcus mendica-
bat, subsistebat, eum de sanando cæco cogita-
re, conjecturam facientes, illum interroga-
bant, dicentes: Magister, quis peccavit, hic,
an parentes & majores ex quibus prognatus
est: nam alterutrum verum esse necessum est,
3. *ut cæcus nasceretur. Respondit Iesus: tametsi*
cum suo, tum parentum & majorum peccato,
jure potuerit ab ipso matris utero cæcitate à
Deo feriri; tamen in hac cæcitatis plaga Deus
neque cæci neque parentum ejus peccatum re-
spexit: ideo autem illum cæcitate percussit, ut
Dei justissimum in cæcitate immittenda judi-
cium, & misericordia gratuita in visus resti-
4. *tutione illucesceret. Atque novum vobis & pe-*
regrinum non sit, quod hoc ipso die quo Sabba-
tum celebratur me ad hujus curationem ac-
cingo: me etenim opera qui me misit Patris
operari convenit, quamdiu vita & libertate
fruor: haud secus quam homines assolent sua
(dum dies est & lumen rebus gerendis oppor-
tunum suppetit) negotia expedire: veniet enim
tempus in quo (ut homines noctu sua negotia
exsequi nequeunt) non potero miracula & alia
ministerii mei opera obire. Atque ut me mun- 5.
di lucem ante præfatus sum: sic me, cum aliis
tum hoc potissimum miraculo hanc doctrinam
confirmare & quasi sigillo obsignare, dum in
mundo sum, oportet. Hæc cum dixisset, tametsi 6.
solo verbo & nutu visum restituere potuisset:
tamen ut utilissimæ disceptationis ansam præ-
beret, in terram exspuens & lutum ex terræ
pulvere conficiens, eodem cæci oculos illevit.
Tum edixit ei: abi & lava oculos in piscina 7.
Siloanis, ad basim urbis Hierosolymorum pro-
jecta, cujus piscinæ etymon (quia mysterio non
caret) placet indicare, nempe missum. Cæcus
vero hoc mandato Iesu (obstrepente & re-
pugnante ratione) acquiescens, abiit & oculos
præscripta aqua abluit. Nec spe sua falsus
est, nam lotis in aqua illa oculis, videns re-
versus est.

IOAN. *cap. 9, à vers. 8, ad 17.*

8 Vicini ergo, & qui prius conspexerant eum cæcum esse, dicebant; Nonne hic est qui sedebat & mendicabat?

9 Alii dicebant; Certe hic est: alii vero; Certe similis est ei. Ille vero dicebat; Certe ego is sum.

10 Dixerunt ergo ei; Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11 Respondit ille, & dixit; Quidam qui dicitur IESVS, lutum fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi; Vade ad piscinam Siloam & ablue oculos. *Vt autem abii, & ablui* oculos, *vidi.*

12 Dixerunt ergo ei; Vbi est ille? Ait; Nescio.

13 Adducunt eum ad Pharisæos, eum inquam *qui olim cæcus fuerat.*

14 Erat autem Sabbathum quum lutum faceret IESVS, & aperiret oculos ejus.

15 Rursus ergo interrogarunt eum etiam Pharisæi, quomodo videndi facultatem esset adeptus. Ille vero dixit eis; Lutum imposuit oculis meis, & ablui oculos, *& video.*

16 Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Homo iste non est à Deo: nam Sabbathum non observat. Alii dicebant; Quomodo potest quispiam peccator talia signa edere? Et dissidium erat inter eos.

ANALYSIS.

Adjunctum sanationis est dubitatio, an is esset qui cæcus erat; quæ dubitatio amplificatur à subjecto eorum qui de hac re addubitarunt, nempe vicini & qui eum prius viderant; deinde alio cæci adjuncto, nempe mendicitate unde est ut stipem petentem quotidie illum & sæpius viderint.

Vers. 9. Hæc disceptatio distributione subjectorum declaratur, nempe quod alii ex vicinis dicebant, quod idem esset, alii dicebant non est; quod disparato confirmant, quod sit similis illi; cujus disceptationis effectum erat, quod hanc disceptationem ad ipsum cæcum quæstione proposita, an esset idem, retulerunt: cujus quæstionis effectum est responsum ejus qui cæcus fuerat, eum esse eundem qui cæcus extitit.

Vers. 10. Cujus responsi adjunctum est altera quæstio, de modo & ratione apertionis oculorum.

Vers. 11. Cujus quæstionis effectum est, responsum illuminati: in quo primum principalem efficientem Iesum, deinde instrumentales causas, lutum, quod sua materia exponitur, Iesu sputo & pulvere, item efficiente Iesu ipso qui lutum fecit; deinde forma, applicatione & illinitione oculorum; denique jussu ut in piscina Siloami oculos lavaret. Quorum omnium effectum est, quod visum recepit.

Vers.

*Verf.*12. Cujus responsi effectum est, alia quæstio ubi Iesus esset: cujus effectum erat illuminati responsum, quæ sua forma declaratur; *non novi.*

Verf. 13. Aliud adjunctum hujus miraculi est, quod cæcum ducunt ad Pharisæos; finis videtur, ut accuratior & exactior esset hujus rei investigatio. Nec dubium quin hæc fecerunt ut gratificarentur Pharisæis.

*Verf.*14. Adjunctum temporis indicatur sanati cæci & luti confecti, sabbathum.

Verf. 15. Adducti ad Pharisæos adjunctum quæstio iterata, quomodo accepit visum: cujus effectum est illuminati responsum, quod brevissime proponit tanquam apud deploratos, qui nullo studio discendi & proficiendi tenebantur.

*Verf.*16. Effectum narrationis illius est calumniatio Iesu, quæ suo subjecto describitur, certis quibusdam Pharisæis: forma calumniæ est, illum non esse à Deo: quod ex effectis probare conantur, quia Sabbathum non servat. Alii etiam Pharisæi hoc refellunt ab effecto, quod nemo prophanus talia signa potest edere: utriusque autem in utramque partem assertionis effectum est, schisma.

METAPHRASIS.

8. *QVamobrem vicini ejus qui visum recepisset, qui eum prius cæcum esse probe norant, in aliqua sententiarum diversitate constituti, dixerunt: hiccine ille est qui ad angulum, ubi maxima est prætereuntium frequen-*
9. *tia, sedens, stipem quotidie petebat? Nam ex vicinis hi quidem dixerunt, quod idem ipse est; alii vero non esse eundem affirmabant, sed illi similem. Ipse vero plane & clare affirmabat;*
10. *is ego sum & non alius. Quamobrem dixerunt illi: dic igitur, amabo, quando eum te esse confirmas; quomodo oculi tibi ad videndum*
11. *aperti sunt? Ad quos respondens, dixit: homo quidam, quem Iesum appellant, confecit lutum, quo postquam oculos meos illevit, porro edixit: Abi ad piscinam istam quæ Siloam dicitur, & oculos cœno obductos lava. Ejus igitur imperio obsequens, profectus sum, nec prius*
lavare absolvi, quam visum recepi. Atque ubi 12.
tandem is est? Ad quos ille; plane ubi sit nescio. 13.
Pharisæis vero gratificaturi eum, qui olim cæcus erat, ad eos abripiunt. Sciebant enim Pha- 14.
risæos calumniæ daturos hoc opus, quod Sabbatho lutum confecisset, imo vero quod oculos ei
aperuisset. Sicut igitur vicini prius, sic Phari- 15.
sæi denuo illum interrogarunt quomodo visum recepisset. Ad quos, tamquam veritatis cognoscendæ minime cupidos, qui visum receperat, quam brevissime respondet, dicens: oculis meis lutum induxit, lavatum abii, & visum rece-
pi. Atque ut prius vicini, sic nunc Pharisæi in 16.
aliqua sententiarum & judiciorum varietate versantur. Nam ex illis nonnulli dixerunt: ut demus Iesum à nativitate cæcum visui restituisse; tamen hunc à Deo non esse, nec illi placere inde clarissime constat, quia Sabbatum religiose non servat. Alii vero dicebant; atqui non videmus, quomodo quis Deo ex peccandi studio exosus tam illustria & insignia miracula edere possit: atque sic inter ipsos Pharisæos dissidium factum est.

Summa *est, schisma quod ex hoc miraculo ortum est.*

Partes *sunt, disceptatio de eo qui cæcus fuerat,*
- *Privata magis coram vicinis.*
- *Publica magis coram Pharisæis.*

IOAN. *cap. 9. à vers. 17. ad 24.*

17 *Rursus dicunt cæco; Tu quid dicis de ipso, quod aperuit oculos tuos? ille autem dixit; Certe Propheta est.*

18 *Non crediderunt ergo Iudæi de eo quod cæcus fuisset, & videndi facultatem esset adeptus, usquequo vocarunt ejus parentes, ejus,* inquam, *qui videndi facultatem fuerat adeptus:*

19 *Et interrogaverunt eos, dicentes; Hiccine est filius ille vester, quem vos dicitis cæcum natum esse? quomodo ergo nunc videt?*

20 *Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt; Scimus hunc esse filium illum nostrum, & cæcum natum esse:*

21 *Quomodo vero nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.*

22 *Hæc dixerunt parentes ejus, quod metuerent Iudæos: jam enim constituerant Iudæi ut si quis eum profiteretur esse Christum, Synagoga moveretur.*

23 *Propterea parentes ejus dixerunt, ætatem habet, ipsum interrogate.*

ANA-

ANALYSIS.

Effectum Pharisæorum notatur, quæstio, quid qui visum accepit de Iesu statueret: cujus quæstionis causa assignatur, quod illi visum restituisset. Quæstionis effectum est responsum mendici, quod sua forma proponitur; Iesum esse Prophetam.

Vers. 18. Iudæorum adjunctum proponitur, quod non crediderunt illum fuisse cæcum: quod alio adjuncto temporis definitur, quoad parentes cæci vocarent.

Vers. 19. Cujus incredulitatis effectum est quod parentes interrogabant, an esset is quem cæcum perhibent; item quomodo visum accepisset.

Vers. 20, 21. Parentum responsum distinctione ex diversis constat; se probe nosse hunc esse filium suum & cæcum natum; nescire tamen quomodo visum receperit: ad quod se respondere non teneri probant ab adjuncta adulta filii ætate: cujus adultæ ætatis aliud adjunctum notant, se posse pro se respondere.

Vers. 22, & 23. Cujus responsi causa efficiens assignatur timor Iudæorum: timoris autem causa declaratur, quod constituerant Iudæi Synagoga ejicere eos, qui Iesum Christum agnoscerent.

METAPHRASIS.

17. *Pharisæi cæcum iterum alloquentes quærunt. Quod est tuum de isto Iesu judicium, quis sensus? quandoquidem oculos tibi aperuit, tuum esse videtur de illo honorificentissime loqui. Quibus ille; ad me quod attinet, ego illum pro Propheta & Doctore cælitus nobis à*

18. *Deo misso habeo. Quod cum Iudæi audivissent, qui prius cæcum à nativitate esse crediderunt, nunc eo adducti sunt ut illum à nativitate cæcum esse persuasum non haberent: quandoquidem Prophetam qui cæci à nativitate lumina restituerit nullum fuisse in confesso erat; eoque parum verisimile fuit hunc fuisse cæcum natum & visum recepisse, quoad advocatis parentibus de toto hoc negotio certiores facti essent. Quos ad se accersitos sic affati sunt. Hic-* 19.

cine filius ille vester est, quem cæcum natum esse dictitare soletis. Quod si hoc confirmare pergitis, vestrum erit nobis quomodo visum receperit exponere, ut qui hanc sanitatem procurastis, aut saltem quomodo hoc beneficium adeptus est à filio accepistis. Responderunt pa- 20.

rentes & dixerunt; hunc esse filium nostrum probe novimus: nec minus certi sumus eum cæcum natum esse. Quomodo vero visum ac- 21.

ceperit, aut quis beneficium hoc contulerit equidem ignoramus: Quamobrem de hac re illum adulta jam ætate interrogate; ipse de sua hac sanitate testis maxime idoneus est. Quod 22.

responsum reddiderunt parentes, non quod Iesum hoc fecisse aut quis esset Iesus ignorarent, sed metu Iudæorum prohibiti hoc responderunt. Inter Iudæos enim convenerat, Synagoga exclusos iri & fidelium communione, si quis Iesum Messiam esse profiteretur. Hinc & non 23.

aliunde erat, quod parentes regerebant, filium suum adultæ ætatis esse, quem ipsum commode in sua & propria causa interrogarent.

Summa *est disquisitio Iudæorum parum syncera de visu in eum collato qui cæcus natus est.*

Partes *sunt disquisitio Iudæorū cum* { Sanato. / *Parentibus ejus.* }

IOAN. *cap.* 9, *à vers.* 24, *ad* 35.

24 *Secundo ergo vocarunt hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt; Tribue gloriam Deo: nos hunc hominem scimus peccatorem esse.*

25 *Respondit igitur ille & dixit; An peccator sit, nescio: unum scio, me quum cæcus fuerim, nunc videre.*

26 *Dixerunt autem ei rursus; Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?*

27 *Respondit eis; Iam vobis dixi, & non audivistis: cur iterum vultis audire? num & vos fieri vultis ipsius discipuli?*

28 *Itaque conviciati sunt ei, & dixerunt; Tu discipulus illius es: nos autem Mosis discipuli sumus.*

29 *Nos scimus Deum esse loquutum Mosi: hic autem unde sit nescimus.*

30 *Respondit ille, & dixit eis: At enim istud mirum est, quod vos nesciatis unde sit, &* tamen *aperuit meos oculos.*

31 *Scimus autem quod Deus peccatores non audiat: sed si quis Dei cultor est, & facit quod ille vult,* ille *hunc audit.*

32 *Ab seculo non est auditum aliquem aperuisse oculos ejus qui cæcus natus fuerit.*

33 *Nisi esset hic à Deo, non posset* tale *quicquam facere.*

34 *Responderunt & dixerunt ei; Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.*

ANALYSIS.

Effectum aliud Iudæorum, quod eum qui cæcus erat iterum ad se vocant; quod suo fine declaratur, ut omnem hujus miraculi gloriam Deo tribuat, nullam Iesu; quod disparato confirmare conantur, quia sit homo nequam: quod item proprio testimonio confirmant.

Vers. 25. Effectum est mendici responsum, quod proponitur adjuncto, professione ignorantiæ an sit peccator: & scientia quod sit ab illo restitutus sibi visus.

Vers. 26. Effectum responsionis est quæstio Iudæorum de effecto Christi erga cæcum, & de adjuncto modo curationis.

Vers. 27. Probat iniquam esse petitionem ab adjuncta incredulitate cum dicebatur: deinde à subjecto confirmat iniquam esse, quia hæc tam frequens de re eadem quæstio eorum est qui cupiunt esse discipuli ejus de quo tam sæpe quærunt.

Vers. 28. Cujus orationis effectum erat convitium in mendicum conjectum: deinde narratur aliud effectum, convitium in Christum, illum esse dignum magistrum tali discipulo qualis erat hic mendicus: denique tertium effectum se non esse Christi discipulos, quod probant à disparato, quia sunt Mosis discipuli.

Vers. 29. Deinde Mosem Iesu præstantiorem docere conantur ab adjuncta certitudine colloquii Dei cum Mose, & incertitudine unde Iesus sit.

Vers. 30. Illius dicti, quod nescierint unde Iesus esset, prodigiosam falsitatem probat ab effecto Iesu, ut qui cæci à nativitate oculos aperuerit.

Vers. 31. Quod confirmat porro ab adjuncta exauditione precum ejus, cum Deum de hac oculorum apertione invocavit. Quod suo adverso illustrat, quia Deus peccatis addictos non exaudit.

Vers. 32. Hanc rem amplificat ab adjuncto tempore, quod nunquam à mundo condito quis cæci à nativitate oculos aperuerit.

Vers. 33. Ab effecto probat à Deo esse, quod effectum amplificat à comparatione minoris: tantum enim abesse ut tantum & tam insuetum miraculum edere possit, ut ne minimum quidem miraculum edere possit, nisi esset à Deo.

Vers. 34. Effectum prioris orationis est accusatio superbiæ in mendico, quod illos docere sibi arrogaverit: quam superbiam arguunt à subjecto, quod totus in peccatis natus sit. Deinde aliud effectum narratur, ejectio ex Synagoga.

METAPHRASIS.

48. *Eum qui cæcus fuerat, ad tempus abire jussum interim dum parentes ejus examinabant, denuo ad se revocatum sic alloquuntur: Non negamus quin in hac oculorum tuorum illuminatione Dei digitus intervenerit. Quamobrem omnem hujus facti gloriam Deo uni tribue: sed cave hunc Iesum propterea aut Prophetam aut pium virum esse in animum inducas. Scimus enim hunc hominem peccatis oppletum esse. Quibus respondens, dixit; num sit*
peccatis oppletus nescio: unum hoc scio, quod 25.
olim cæcus, ejus beneficio nunc video: quod ipsum argumento est eum non esse (ut vos comminiscimini) peccatis oppletum. Ad quem Iu- 26.
dæi; quid fecit tibi, & quomodo aperuit tibi
oculos? Ad quos ille; dixi vobis, nec mihi dicen- 27.
ti fidem adjunxistis: quorsum ergo rem eandem vobis inculcari cupitis, nisi forte id sit, quod vos illi in disciplinam tradere & ejus discipuli fieri
expetatis? Quamobrem Pharisæi convitia in 28.
illum jecerunt tam fœda, ut illa referre pudeat: præterea; tu tam præclaro scilicet doctore dignus es discipulus, tamquam dignum patella operculum. Nos quod attinet, non sumus
ejus discipuli sed Mosis. Et Mosem quidem ad 29.
ipsius Dei familiare colloquium admissum esse probe novimus: Hunc vero ne unde quidem
sit certi aliquid constituere possimus. Ad quos 30.
respondens, dixit; mirum profecto est quod dicitis vos nescire unde sit, cum tamen negari
non possit quin oculos mihi aperuerit. Notum 31.
enim est Deum peccatis oppletos se invocantes non exaudire, sed pios & voluntati ejus obsequentes: unde negari non potest quin hic quem Deus tam prompte exaudivit Deum religiose
colat. A mundo condito auditum non est quem- 32.
quam extitisse qui à nativitate cæco oculos
aperuerit. Et quidem nisi ex Deo missus fuis- 33.
set, tantum abest ut tam rarum ac insolens miraculum edere potuerit, ut nullum ne minimum quidem in hoc genere perficere potuerit.
Ad quem respondentes, dixerunt; tu totus 34.
quantus quantus es in peccatis genitus es, quod declarat satis tua ab ipsis incunabulis cæcitas, & quam cæcitas attraxit mendicitas; & nos legis divinæ interpretes docere in te suscipis? quæ hæc insolentia? Quamobrem furore abrepti propriam legem, quantumvis iniquam, transilientes illi sacris interdixerunt, qui tamen Iesum nondum Christum confessus est, ut qui illum esse Christum ignorarit.

IOAN. *cap. 9. à vers. 35, ad finem Capit.*

35 Audivit IESVS eum ejectum foras: & eum nactus, dixit ei; Tunc credis in Filium Dei?

36 Respondit ille & dixit; Quis est, Domine, ut credam in eum?

37 Dixit autem ei IESVS; Et vidisti eum, & is est qui loquitur tecum.

38 At ille ait; Credo, Domine. Et adoravit eum.

39 Et

39 *Et dixit IESVS; Ad judicium* exercendum *ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.*

40 *Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei; Num & nos cæci sumus?*

41 *Dixit eis IESVS; Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, Videmus: itaque peccatum vestrum manet.*

ANALYSIS.

ADjunctum narratur hujus ejectionis ex Synagoga, quod illius rei rumor ad Christi aures pervenit. Cujus rumoris effectum est quod quærebat ejectum: quod arguitur suo relato, quod illum invenit: aliud effectum narratur, quod illum sit alloquutus; quod sua forma declaratur, quæstione; an crederet in Dei Filium.

Vers. 36. Cujus quæstionis effectum est alia quæstio, quæ sua item forma proponitur; quis ille Dei filius sit: quæ quæstio suo fine declaratur, ut credat in eum.

Vers. 37. Effectum quæstionis est responsum Christi, quo docet eum quis sit Filius ille Dei, nempe à subjecto, eo nempe quem viderat, & quem jam loquentem audit.

Vers. 38. Cujus sermonis Christi cum eo qui cæcus erat effectum est, professio fidei in Christum, & professionis fidei adjunctum, divinus cultus quem Christo exhibuit.

Vers. 39. Adjunctum professionis suæ in Christum fidei est ejusdem confirmatio: ubi prolepsi utitur; cujus occupatio est à disparato, videri posse non verisimile, eum esse Dei Filium, quem Seraphici hi doctores tanquam ridiculum contemnebant: subjectio est partim ab effecto adventus Christi in mundum, ut videant visione animi qui cæci erant: partim eventus, ut videntes cæci fiant.

Vers. 40. Cujus dicti effectum est quæstio quorundam Pharisæorum, qui suo adjuncto describuntur, nempe comitatu: forma etiam quæstionis declaratur, an se quoque cæcos Iesus judicaret.

Vers. 41. Cujus quæstionis effectum est responsum Christi, illorum cæcitatem esse pessimam: quod probat à distributione cæcitatis: alios esse cæcos qui suam cæcitatem non diffitentur; aliam eorum esse cæcitatem, qui cæci se curatos esse præ se ferunt: cujus utriusque adjunctam mercedem adjungit; prioris, quod peccatum eorum remedium invenit; posterioris, quod peccatum eorum retinetur.

METAPHRASIS.

35. *EVm qui visum receperat Ecclesiæ communione à primoribus ejectum esse certo sermone ad Iesum perlatum est. Qui cum sua omniscientia perceptum haberet mendicum hac ab Ecclesia separatione graviter perculsũ fuisse, illum consolationis ergo quæsitum invenit, & inventum sic affatur; in Dei unigenitum Filium credis tu? siquidem fide in eum omnis consolationis fons tibi reclusus patet.*
Cui mendicus respondens dixit: scio equidem, 36.
Domine, esse Dei unigenitum filium, & in mundum jam venisse indicia non pauca sunt, cum primis vero tam frequens miraculorum præsertim tam insignium (quale est hoc quod in me editum est) operatio: peto igitur abs te, quem scio Dei Prophetam esse, ut mihi illum quis sit, quo fidem in illo fixam habeam, indicare digneris. Ad quem Iesus: Idem est quem 37.
tu jam vidisti & ut videres oculos accepisti, & qui tecum impræsentiarum sermonem habet.
Mendicus vero ilico (Christo per Spiritum fi- 38.
dem una cum proposita quæstione conferente) respondet; credo Domine. Quod ut visibili testimonio confirmaret, ad pedes Iesu prostratus, divinum illi honorem exhibuit. Ad quem Ie- 39.
sus, ut illi omnem scrupum eximeret qui ejus in se fidem retardaret: Ego in hunc mundum veni ut judicium non unius & ejusdem generis sed diversimode exerceam. Et quidem si studium & votum meum spectes, ideo in mundum veni, ut mente cæci & sibi in cæcitate illis patefacta displicentes cælesti veritatis cognitione illustrentur. Sin vero hominum pervicaciam consideres maligne veritatem respuentium, ideo in mundum veni, ut qui ignari veritatis se tamen clare videre superbe jactitant, indies cæciores & adversus veritatem obfirmatiores fiant. Quo à certis quibusdam Pharisæis, qui in 40.
Iesu comitatu essent, audito: iidem illi Pharisæi dixerunt; siccine nobiscum agis ut nos etiam populi Ductores & lumina inscitiæ & ignorationis accusare audeas? Ad quos Iesus: si in er- 41.
rorum tenebris versantes illam ingenue agnoscentes veritatis noticia imbui vos pateremini, illius ignorantiæ rei non essetis. Nunc autem mente occæcati & lumen Euangelii in oculos vestros incurrens repellentes & tamen de veritatis cognitione gloriantes, gravissimæ pertinaciæ tenemini.

IOAN. *cap.* 10, *à vers.* 1. *ad* 11.

AMen, amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed adscendit aliunde, ille fur est & latro.

2 *Qui vero ingreditur per ostium, pastor est ovium.*

3 *Huic aperit janitor, & oves vocem ejus audiunt: & suas oves vocat nominatim, & educit eas.*

4 *Quumque suas oves emiserit, antegreditur eas: & oves eum sequuntur, quia norunt vocem ejus.*

5 *Alienum autem nequaquam sequuntur, sed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum.*

6 *Hanc similitudinem dixit eis IESVS; Illi vero non cognoverunt quænam illa essent quæ loquebatur eis.*

7 *IESVS ergo rursum dixit eis; Amen, amen dico vobis, ego sum ostiũ illud ovium.*

8 *Quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones: sed oves non auscultarunt eos.*

9 *Ego sum illud ostium: per me si quis introierit, servabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.*

10 *Fur non venit nisi ut furetur, & mactet ac perdat* oves: *ego veni ut vitam habeant, & abundent.*

ANALYSIS.

Describitur fur & latro in Ecclesiæ ministerio ab effecto, quod non intrat per ostium in ovile, quod confirmatur suo disparato, quia ascendit aliunde; utrumque vero testimonio vehementioris asseverationis confirmatur.

*Vers.*2. Hoc confirmatur suo adverso Pastoris: qui suo adverso effecto describitur, nempe intrandi per ostium.

*Vers.*3. Describitur porro bonus Pastor ab adjuncto, nempe apertione ostii per ostiarium: item altero adjuncto, quod oves ejus vocem audiunt: item alio effecto illum describit, quod oves nominatim appellat: item tertio quod oves educit.

*Vers.*4. Præterea quartum effectum, nempe quod præcedit oves, & adjuncto alio, nempe quod oves illum præeuntem sequuntur; cujus causa adnectitur, nam norunt vocem ejus.

*Vers.*5. Hoc suo adverso declaratur, quod alienum & qui Pastor non est, non sequuntur: quod suo etiam adverso illustratur: cujus etiam causa designatur, quod ejus vocem non norunt.

*Vers.*6. Forma totius superioris orationis proponitur, nempe parabolica: cujus adjunctum declaratur, ignoratio sensus verborum quæ Iesus in Pharisæos stringebat.

*Vers.*7. Cujus ignorationis adjunctum est, quod Christus illam parabolam aliquousque explicat; ubi ὑπόδειξις ostii assignatur Christus, quod testimonio vehementis asseverationis confirmatur.

Vers. 8. Probat se esse ostium, distributione à subjecto, primum rectorum Ecclesiæ hoc *versu*: deinde reliquorum in Ecclesia, *versu* sequente. Hoc *versu* ab adjuncto latrocinio & furto eorum, qui ejus vocationem anticipant.

*Vers.*9. A comparatione parium probat se esse ostium ovium; quia ut ovis ingrediens per ostium salva est; sic per Christum intrantes salvi erunt. Quæ salus suo adjuncto ingrediendi & egrediendi declaratur: item alio adjuncto, nempe inveniendi pastum.

Hoc porro confirmatur à fine adventus Christi in mundum, ut vitam habeant oves ejus: quæ vita amplificatur ab adjuncta copia vitæ in Christo: quod ipsum adverso fine illustratur furum, qui non veniunt nisi ut mactent & perdant.

METAPHRASIS.

Nolite vero existimare (ô Iudæi præsertim Pharisæi) vos ideo à Deo tanquam legi- 1.
timos populi Dei duces esse, quia in Ecclesiam Dei principatum obtinetis. Nam sancte vobis confirmo, omnem Ecclesiæ præfecturam debita ratione tamquam per ostium non suscipientem, sed aliunde septa ovium indebite scandentem, furem esse, qui verbi veritatem suffuratur; & latronem, qui animam simul & corpus in æternum conficit. Sicut è regione, qui debita 2.
ratione tanquam per ostium ingreditur, germanus & legitimus ovium pastor habendus est. Hujus generis pastoribus Spiritus Sanctus, 3.
tamquam ostiarius aditum recludit, ut possint corda fidelium præconio veritatis penetrare: utpote cujus voci oves auscultant. Eamque curam & sollicitudinem ejus accipit, ut singulas oves curæ ejus concreditas de nomine quasi compellare norit; quas etiam ex septis ad pastum & aquationem educit. Postquam vero 4.
ex septis eduxit, ut illis viam qua incedant præmonstret, illas præcedit, cujus vestigiis oves insistentes illum sequuntur, quia vocem ejus cui assuetæ sunt probe norunt. Et quidem ita norunt ut illam ab alieni, qui pastor non est, voce internoscant: eoque ipso alienum, & qui germanus non est, non sequuntur, sed tanquam lupum fugiunt, quia alienorum vocem non agnoscunt aut probant. Et quidem hanc 5.
para-

parabolam seu ænigmaticum sermonem tametsi in se stringi Pharisæi non ignorabant: tamen quis verborum sensus fuerit, non intellexerunt.
7. *Quamobrem Iesus involutum animi sui sensum explicaturus, rursus illos in hunc fere modum affatus est. Me, & me unum ostium illud ovium esse sancte vobis confirmo.*
8. *Quod enim Ecclesiæ duces attinet: Omnes quoto & quantocumque numero extiterunt qui me vocantem præoccuparunt, nec meum in ea re imperium exspectarunt, denique per me tanquam per ostium in ministerium ingressi non sunt, fures sunt verbum vitæ suffurantes, & latrones animam simul & corpus in æternum exitium præcipitantes, quibus genuinæ meæ oves aurem & obsequium non præbuerunt,*
saltem decepti in combibito ab illis errore non perstiterunt. Ad reliqua vero Ecclesiæ membra 9.
quod attinet, ego idem, & non alius, sum ostium illud: per fidem enim in me quisquis in Ecclesiam ingreditur salvus erit, eaque in omni genere obiens quæ officii ejus sunt, pastum quo indies in officio confirmetur abunde suppeditatum inveniet.
Contra vero fur & impostor non 10.
alio consilio Ecclesiæ gubernacula suscipit nisi ut furetur, mactet & pessundet eos, quorum moderationem ipsi sibi arrogavit: sicut ex adverso utcumque magna mundi pars mei rejectione gravius damnantur; tamen mei in mundum adventus præcipuus scopus est, ut vitam æternam fideles non parce & tenuiter, sed cumulate & abunde consequantur.

IOAN. *cap.* 10, *à vers.* 11, *ad* 21.

11 *Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam deponit pro ovibus.*

12 *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, spectans lupum venientem, relinquit oves, & fugit: lupus autem eas rapit & dispergit ovile.*

13 *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non est illi cura ovium.*

14 *Ego sum pastor ille bonus, & agnosco meas, & agnoscor à meis.*

15 *Prout novit me Pater,* ita *& ego novi Patrem, & animam meam depono pro ovibus.*

16 *Alias etiam oves habeo quæ non sunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient: Fietque unus grex, & unus pastor.*

17 *Propterea Pater me diligit, quia ego depono animam meam ut eam rursus assumam.*

18 *Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum: auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam assumendi. Hoc præceptum accepi à Patre meo.*

19 *Dißidium igitur rursum ortum est inter Iudæos propter istos sermones.*

20 *Dicebant autem multi eorum; Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?*

ANALYSIS.

PRothesis nova est, Iesum esse Pastorem eximium & præstantem, quod effecto arguitur, quod vitam suam pro ovibus ponit.

Vers. 12. Hoc illustratur suo disparato, nempe mercenario: qui primum describitur suo adjuncto, cujus non sunt oves: deinde disparato effecto, quod lupum irruentem prospiciens relictis ovibus fugit: cujus fugæ lupi effectum erga oves distributione proponit, quod has rapit & devorat, alias dissipat & disjicit.

Vers. 13. Fugæ causa adjungitur, quod mercenarius sit: qui suo alio effecto arguitur, quod ovium curam non agit.

Vers. 14. Alio argumento probat se esse bonum Pastorem, quia cognoscit suas oves: item adjuncto, quod à suis agnoscitur.

Vers. 15. Item alio effecto hoc probat; quod cognoscat Patrem; quæ cognitio amplificatur comparatione paris, nempe ita penitus se Patrem pernoscere, ut eum Pater: quod etiam diverso exornatur, nempe eum tametsi sit verus Deus, tamen vitam suam pro ovibus ponere.

Vers. 16. Alio argumento probat se esse illum præstantem Pastorem à Prophetis celebratum: ab adjuncto, amplitudine gregis, non tantum ex Iudæis, sed ex gentibus cogendi: deinde ab effecto, quod penes illum sit illos ad sui obsequium & obedientiam colligere: item alio effecto, quod in unum ovile utrumque populum rediget; quod suo relato probat, quia unus erit utriusque populi Pastor.

Vers. 17. Hanc vitæ suæ pro grege profusionem commendat ab adjuncto, Patris ob eam ipsam causam in se amore: item à fine, quod ideo ponit vitam suam ut illam iterum sumat.

Vers. 18. Mortem suam pro grege porro commendat ab efficiente causa, propria sua & propensa

voluntate: quod confirmatur sui adversi, negatione; quia cogi a quoquam non possit; quod confirmatur ab efficiente potentia, qua vitam ponere & resumere potis est: item commendat mortem suam à subjecto, mandato Patris ut hoc faciat.

Vers. 19. Hujus totius Iesu orationis effectum est schisma.

Vers. 20, 21. Quod distributione subjectorum declaratur, quod alii dicebant eum dæmonium habere; cujus horribilis blasphemiæ effectum recte inducitur, non esse audiendum: & quidem hoc membrum distributionis adjuncta multitudine declaratur: multi enim erant, qui hanc teterrimam blasphemiam non respuebant. Alii autem qui adjuncto numero paucitatis innuuntur, illud negabant; & ejus rei rationem assignant, quod cæco oculos aperuit.

METAPHRASIS.

11. *EGo sum pastor ille eximius toties per Prophetas decantatus. De Pastore enim illo tam præstanti prædictum est (quod & de omnibus veris pastoribus intelligendum est) quod vitam suam, cujus anima fons est, exponit pro*
12. *ovibus. Mercenarius vero qui idem non est verus pastor, & qui ovium curam gerit, tanquam de non suis, simulatque lupum vel venientem conspicit, ovium cura abjecta, fugit; unde efficitur ut has quidem lupus diripiat & dilaniet, illas vero quas vel satur devorare non potest, vel secum asportare, dissipat & in dumeta &*
13. *deserta disgregat. Et mercenarius quidem congruenter nomini suo fugam arripit; quia mer-*
14. *cenarius est, nec de ovibus sollicitus. Ego vero sum Pastor ille eximius, toties per Prophetas decantatus, qui oves meas cognosco & agnosco,*
15. *& ab ovibus meis cognoscor & agnoscor. Et quidem ad eum modum cognosco & probo illas, ut Pater me agnoscit, & probat: sicut & illæ me agnoscunt & probant, ut ego agnosco & probo Patrem, id est, cognitione & approbatione constanti & invariabili. Ex qua etiam approbatione manat, quod vitam meam pro ovibus non ita multo post expositurus sim. Atque* 16.
quo magis illucescat me esse celebrem illum Pastorem, velim intelligatis me alias oves habere adhuc in deserto hujus mundi aberrantes, quæ nondum ad hoc ovile Iudææ cancellis conscriptum aggregatæ sunt, & quidem illas me oportet colligere: quæ meam vocem per Apostolos & alios Euangelii ministros promulgandam obsequenter audient; sic fiet ex utraque gente Iudaica & Ethnica unum ovile, quia unus & idem summus utriusque pastor sum. Tantopere autem salute ovium mearum 17.
oblectatur Pater, ut me propterea chare complectatur, cum quia vitam meam pro illis expono, tum quia expositam iterum resumo. Quam 18.
autem sit prompta & parata mea ad moriendum pro meis ovibus voluntas, certissimo indicio esse potest, quod nemo mihi nec vi nec fraude vitam eripere potest, sed sponte mea illam expono: ut qui divina virtute mea penes me habeam facultatem & vitam deponendi & illam iterum resumendi. Atque ut mortem pro meis oppetam, ego mandatum à Patre accepi; ut omnes intelligant, me mortis perpessione Patri obsequium & obedientiam præstare. Quamobrem (sicut prius audivimus, & ut 19.
in verbi prædicatione fere fit) alia distractio & dissidium inter Iudæos ex hoc sermone exortum est. Plerique enim ex illis dicebant; Dæ- 20.
monium habet, unde bacchatur & furit: quamobrem nihil est cur eum vel audiatis, nedum ut illi credatis. Alii (quantumvis nume- 21.
ro pauci) huic horribili blasphemiæ obstiterunt, dicentes: Hæc verba non sunt hominis à Dæmonio agitati: sicut autem modestia sermonis ejus refellitur hæc blasphemia, sic præclaris ejus facinoribus. Num enim Dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

LVC. *cap.* 11, *vers.* 1, 2, 5, 6, 7, 8, 12.

ET factum est, ut quum ipse oraret quodam in loco, postquam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis; Domine, doce nos orare, prout & Iohannes docuit discipulos suos.

2 Dixit autem eis; Quum oratis, dicite; PATER noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita etiam in terra.

5 Dixit etiam eis, Quis vestrûm habebit amicum, & proficiscetur ad eum media nocte, & dicat ei; Amice, da mihi mutuo tres panes:

6 Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam ei.

7 Et ille intus respondens, dicat; Ne mihi molestias præbe: jam ostium clausum est, & pueruli mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi.

8 Dico

8 *Dico vobis, etiamsi non dederit ei experrectus, eo quod amicus ejus sit: at certe propter importunitatem ejus experrectus dabit ei quotquot sunt ei opus.*

12 *Aut si petierit ovum, num dabit ei scorpium?*

A N A L Y S I S.

DIscipuli Iesum rogant ut formulam orationis illos doceret: quod declaratur adjuncto tempore, cum Iesus preces suas absolvisset: rationes etiam exponit quibus adducti hoc petunt, 1. ab efficiente, quod illum precantem vidissent: alteram à testimonio, quia Ioannes suos discipulos precari docuerat.

Vers. 2. Cujus petitionis effectum est quod congruenter petitioni illos docet reliqua usque ad v. 5. vide *Matth.* 6.

Vers. 5. Confirmat eos in assiduitate & fiducia petitiones exaudiendi, à comparatione minoris; si amicus amicum exorat, nedum Deus nos, quos chariores habet quam amicus: si media nocte & intempestive, nedum nos cui nullum tempus inopportunum occurrit: si panem postulatum dabit quo & ipsemet opus habet, nedum Deus qui nulla re quam largitur, opus habet.

Vers. 6. Si dabit ut alium pascat qui illi amicitiæ vinculo non est conjunctus, quanto magis Deus nobis & nostris, quibus se fœdere amicitiæ conjunxit.

Vers. 7. Si panes largitur, quod non potest sine sua & suorum inquietudine, nedum Deus hoc faciet, qui nulla, ne minima quidem molestia, hoc præstare potest: deinde si panem dat, qui prius eum se velle dare negavit, seipsum retexens & verbum suum falsans; nedum Deus, qui largiens verbum & promissum confirmat & se veracem probat.

Vers. 8. Si persistens in petitione apud homines vota obtinet qui illud nullo amore ducti faciunt, quanto magis Deus perseverantibus in oratione vota concedet quem constans & fervens amor, ut largiatur impellit.

De *vers.* 9, 10, & 11. vide supra *Cap.* 7.

Vers. 12. Aliud argumentum à comparatione minoris, si pater terrenus petenti ovum non dat scorpium sed ovum, nedum Deus nobis bona petentibus, bona, nón mala dabit.

De vers. 13. *vide* Matth. 7. *Reliqua usque ad vers.* 27. *vide supra.*

METAPHRASIS.

1. FActum deinceps est cum quodam loco Iesus Deum precaretur, ut discipuli (sollicIti ne Iesum orantem interrumperent) donec precandi finem faceret diligenter observarint. Cum autem absolvisset ilico ex duodecim unus reliquorum nomine dixit; Domine, doce nos Deum orare; quandoquidem Iohannes Baptista suos quos docendos susceptat discipulos, de ratione Deum orandi instituit: alienum vero foret te illi in hoc officio inferiorem esse. Ad quos Iesus: 2.
cum Deum precari vobis incumbit, hanc orationem non pro formula solum precandi, ad quam tamquam ad normam, cum ipsa subjecta materia, tum ordine & modo preces exigatis, sed verba etiam aliquando usurpabitis. De his quæ sequuntur usque ad versum 5. vide supra *Matth.* 6.*

Porro dixit ad illos ut eos cum ad assiduitatem tum etiam ad fiduciam in precando excitaret. Quis ex vobis amicum habet quem si intempestive (exempli causa) media nocte cum illum somnus arcte complexus fuerit, interpellans, dixerit; amice, amabo, da mutuo tres panes. Venit enim ad me amicus, idque cum devium esset, & à via deflecteret, ut me per amicitiam inviseret, cui ne panem quidem unum quem apponam habeo. Ad quem ille domi suæ tecto affixus, respondet; ne, quæso, mihi molestus esse pergas. Portæ obseratæ & occlusæ sunt, & cum ipse tum liberi cubitum ivimus. Quamobrem non sine magno cum meo tum meorum incommodo surgens panes suppeditare possum. Dico vobis hunc importunis & sæpe iteratis amici petitionibus victum è lecto surrecturum, fores reseraturum & panes quot opus habet præbiturum, si non ob eam causam quod amicum charum habet, at importunitatis ergo, ne illum assiduis clamoribus & strepitu offendere pergat; nedum Deus suorum fœderatorum & amicorum preces ferventes & assiduas exaudiet, quin illas sine ullo aut suo aut suorum dispendio aut inquietudine concedet, de vers. 9, 10, & 11. vide supra *Matth.* 7. 5. 6. 7. 8.
Numquis filio ovum petenti pater scorpium qui eum læthaliter mordeat ac non potius ovum quod petiit largietur? Quanto magis cælestis Pater, cujus charitas omnes omnium patrum charitates superat, suis liberis bona petentibus illa donabit. De *vers.* 13. vide supra *Matth.* 7. *Quæ sequuntur usque ad vers.* 27. vide supra. 12.

L V C. *cap.* 11. *à vers.* 27, *ad* 29.

27 *Factum est autem quum hæc diceret, attollens vocem quædam mulier è turba, dixit ei; Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.*

28 *Ipse autem dixit; Imo vere beati qui audiunt sermonem Dei, & eum observant.*

A N A-

ANALYSIS.

NArratur commendatio Christi ex sapientissima ejus cum Pharisæis disceptatione; primum ab efficiente fœmina: deinde ab adjuncto tempore, interim cum Iesus cum illis disceptaret: deinde alio adjuncto, vocis magna contentione: post à subjecto, in medio totius turbæ & multitudinis: denique à comparatione minoris, quod ipsa mater quæ illum peperit & lactavit ex eo beata esset, nedum ipse.

Vers. 28. Effectum hujus commendationis est responsum Christi, quo oblique negat quod fœmina dixit; quod confirmat comparatione majoris quia felicitas potius consistit in audiendo & factis exprimendo Dei verbum.

De his quæ sequuntur usque ad vers. 37. *vide supra.*

METAPHRASIS.

27. *INterim dum blasphemos Pharisæos Iesus potentissime nervosissimeque refelleret, fœmina quadam, quæ disputationi intererat, externa Pharisæorum pompa & apparatu minime abducta, admirabunda in hunc modum suum de Christo sensum palam & contenta voce professa est, ut ab omnibus qui adstabant, etiam ultimis, exaudiretur, dicens: O te Iesum terque quaterque beatum! cujus vel mater quæ te utero gestavit & uberibus lactavit, hoc ipso nomine beata est. Ad quam Iesus: Non eo* 28.
inficias quin in aliquo gradu felicitatis sit, quod me suum Filium gestavit & lactavit. Sed vera & constans felicitas in eo versatur, non quod me sanguine (quamvis arctissime) attingat; sed quod verbum Dei auditu intellectum, memoria sopitum & factis expressum religiose observans, spirituali cognatione mecum conjuncta sit: nec enim alia est ejus hac ex parte conditio, quam reliquorum Fidelium, quibus unica hac est ad veram felicitatem via. De his quæ sequuntur usque ad *vers.* 37. vide supra.

LVC. *cap.* II. *à vers.* 37. *ad* 42.

37 *Quum autem* hæc *loquutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Ingressus igitur recubuit.*

38 *Pharisæus vero quum* hoc *vidisset, admiratus est eum non prius ablutum fuisse ante prandium.*

39 *Dixit autem ei Dominus; Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæque partem purificatis: sed quod intra vos est, plenum est rapina & improbitate.*

40 *Desipientes, nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit?*

41 *Immo, ea quæ penes vos sunt date* in *eleëmosynam: & ecce, omnia erunt vobis munda.*

ANALYSIS.

DEclaratur quomodo Christus in prandio quodam se gesserit: ubi occasio indicatur, quod sit invitatus ad prandium: quæ invitatio suo subjecto arguitur Pharisæo: item adjuncto tempore, nempe cum adhuc inveheretur in Iudæos, maxime Pharisæos. Quæ invitatio suo effecto declaratur, quod Christus domum ejus ingressus sit: item alio effecto, quod ad mensam discubuit.

Vers. 38. Discubitus adjunctum indicatur, quod manibus illotis hoc fecit: cujus effectum erat hospitis admiratio.

Vers. 39, Cujus admirationis effectum est Christi defensio ab adjuncto abusu lotionum, quem probat effecto hujus externæ lotionis, religionis prætextu; effectum autem est quod intus in animo scatent rapinis & malitia; quod pari illustrat ejus qui exterius patinæ vel canthari purgat, parum sollicitus de purgatione intrinseca.

Vers. 40. Hanc incuriam amplificat ab adjuncta inscitia lavandi manus cum animus peccato scateret, quam confirmat ab adjuncta cura illa conservandi quæ Deus creavit.

Vers. 41. Alio argumento refellit hanc lotionem superstitiosam ab effecto, quod illa non purgantur: quod probat suo disparato, nempe Eleëmosyna in indigentes: quæ liberalitas suo subjecto declaratur, nempe facultatibus quæ illis inpræsentiarum suppetunt.

METAPHRASIS.

ILico atque sermonem absolvisset, quem cum 37.
sui defendendi, tum Pharisæos suos calumniatores convincendi causa strinxisset; ex Pharisæis quidam, cæteris ejus ordinis (ut videtur) æquior, illum rogavit, ut apud se pranderet: cui Iesus tota vita conversatione facilis, maxime ut ansam erroris repurgandi arriperet, petitionem suam annuens, domum ingressus est, & mensæ (præterita lavandi ceremonia Iudæis ab aliquot annis consueta) accubuit. Quod 38.
cum Pharisæus vidisset, admirari cæpit quod manus prius non abluisset quam mensæ pastus causa, accumberet. Ad quem Dominus, qui 39.
cordis cogitationes plene perceptas habet, dixit: Nunc demum hac ipsa ætate (quod Antecessoribus vestris ignotum & inauditum fuit) vos Pharisæi de corpore lavando plurimum laboratis, animæ purgatione, quæ præcipue curan-

da erat, neglecta : haud secus quam si quis de
calicis & paropsidis exteriore superficie pur-
ganda sollicitus esset, cum concava eorum su-
perficies potu & cibis rapina & fraude partis,
40. *scateat. O vos dementes. Ne hoc quidem in-*
telligitis vobis curam tam interni quam exter-
ni agendum esse : quandoquidem Deus cum
hujus tum illius opifex existat. Quod si ali- 41.
menta vestra ab immunditie & inquinatio-
ne vindicare cupiatis ; alimentorum quæ sunt
in calice & paropside in pauperes erogatione
hoc citius consequemini , quam superstitiosa
hac manuum lotione à vestro cerebro excogi-
tata.

L V C. *cap.* II. *à vers.* 42. *ad finem Capitis.*

42 Sed væ vobis Pharisæis , qui decimatis mentham & rutam , & quodvis olus , sed præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere , & illa non omittere.

43 Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primum consessum in conventibus, & salutationes in foris.

44 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ : qui estis ut monumenta quæ non apparent, & quæ *nesciunt ii qui super ea ambulant.*

45 Respondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei; Magister, quum hæc dicis, etiam nos afficis injuria.

46 Ipse autem ait; Væ vobis quoque Legis interpretibus , quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu, sed ipsi uno ex digitis vestris non attingitis onera.

47 Væ vobis : quoniam ædificatis monumenta Prophetarum , patres autem vestri interemerunt eos.

48 Nempe testimonio vestro ultro consentitis factis patrum vestrorum : quoniam illi quidem eos interemerunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.

49 Propterea etiam Sapientia Dei dixit; Mittam ad eos Prophetas & Apostolos, & ex ipsis quosdam *interiment, &* quosdam *expellent.*

50 Vt à gente ista requiratur sanguis omnium Prophetarum effusus à jacto mundi fundamento.

51 A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ , qui periit inter altare & ædem : profecto, dico vobis, requiretur ab hac gente.

52 Væ vobis Legis interpretibus , quoniam sustulistis clavem cognitionis : ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

53 Quum autem hæc eis diceret , cœperunt Scribæ & Pharisæi vehementer ipsi *imminere, & eum allicere ad loquendum de multis.*

54 Insidiantes ei, & cupide venantes aliquid ex ipsius ore, ut eum accusarent.

A N A L Y S I S.

PHarisæis maledictiones denuntiat : quas probat ab efficiente, quia judicium & dilectionem transgrediuntur , quod amplificat comparatione minoris , quia mentham & rutham & omne olus decimant quæ non ita magni momenti sunt: deinde ab adverso , quod illa praxi disjungebant quæ conjungenda erant.

*Vers.*43. Alia caussa efficiente maledictionem arguit ; quod primas sedes in conventibus & salutationes in foro diligerent.

*Vers.*44. Tertia causa efficiente , quod hypocrisi & simulatione hominibus imponebant ; quod comparatione parium illustratur , sepulchrorum abditorum quibus incauti inambulant: quæ adjuncta maledictio in aliud subjectum Scribarum præter Pharisæos dirigitur.

Vers. 45. Declaratur effectum harum maledictionum , accusatio cujusdam legisperiti in Christum directa; quæ arguitur effecto , quod harum maledictionum denunciatione ipsos etiam legisperitos involvebat.

*Vers.*46. His etiam maledictionem denuntiat, cujus prima causa efficiens , quod onera gravissima aliis imponunt;quod exaggeratur à disparato,quod illa subire recusant; quod amplificat à comparatione minoris, quod ne minimo digito illa attingant, nedum ut illa subeant humeris.

Vers. 47, 48. Alia causa maledictionis , quod monumenta Prophetarum exornantes , tamen eorum se factis conforment , qui Prophetas interfecerunt.

*Vers.*49. Quod confirmat ab effecto, quia Apostolos olim ad illos mittendos interficient : quam

rem testimonio suo confirmat, id est, divino, ut qui sit sapientia Dei, quæ falli nequit.

*Vers.*50. Hujus autem interfectionis aliud effectum notatur, nempe reatus sanguinis omnium Prophetarum qui occisi sunt ab origine mundi.

*Vers.*51. Quod generaliter dictum specie & exemplo declaratur, nempe ab Abele usque ad Zachariam; cujus cædis indignitas exaggeratur à subjecto loco, ubi interfectus est: quæ denuntiatio, quia incredibilis, alio testimonio vehementis Christi asseverationis confirmatur.

*Vers.*52. Alia causa maledictionis, quod veritatis cognitionem falsis interpretationibus Ecclesiæ subducunt & suffurantur; quod comparatione paris illustratur ejus qui clavem aufert, quo quis in rem desideratam, nempe veram interpretationem aut in optatum locum ingrediatur; quod porro comparatione minoris confirmat: quia nec ipsi tantum non ingrediuntur, sed & alios ingressuros prohibent, dum cognitionem veritatis è medio tollunt.

*Vers.*53. Harum maledictionum effectum narratur, quod acrius eum urgent: deinde quod de multis quæstiones movebant, ut subita & accelerata responsione illum irretirent.

*Vers.*54. Quod suo fine declaratur, ut illi insidias collocarent; quod pari illustratur venatorum, qui feras fraude circumveniunt.

METAPHRASIS.

42. *TAntum autem abest ut vobis Pharisæis*
fide purgatis omnia pura sint, ut maledi-
ctio Dei vobis incumbat, quia ut à vobis su-
perstitiose inventa mordicus observatis, sic in
Dei præceptis quæ minima sunt, curiose facien-
tes, quæ sunt graviora & majoris momenti
præcepta neglectius præteritis: Mentham et-
enim & rutam, denique omne olus decimatis,
cum interim judicium & charitatem in Deum
& proximum à Deo mandatam contemtius
præteritis. Atque ut hæc & minima quæque
facere, sic illa quæ graviora sunt omittere non
43. *convenit. Væ vobis Pharisæis; quod opinione*
vestræ præ cæteris præstantiæ, in conventibus
tam civilibus quam Ecclesiasticis & in foro
44. *salutationes honorificas sectamini. Væ vobis*
Scribis simul cum Pharisæis; quia specie pieta-
tis scelera palliantes, multos imprudentes fæ-
tore vestro non secus inficitis, quam sepulchra
quibus homines (quod herba obducta sunt) in-
45. *cauti inambulant. Ad quem quidam ex legi-*
speritis (quod Scribas eadem criminatione cum
Pharisæis involvebat) dixit: Præceptor hæc ora-
tione non tantum Pharisæos perstringis, sed &
46. *nostri ordinis homines contumelia afficis. Ad*
quem Iesus: Quin & vobis quoque legisperitis
maledictionem denuncio, quod mortalibus one-
ra imponitis, quæ sua gravitate nemo portare
potest, quandoquidem nemo uspiam inventus
sit, qui legem vel legis minimam partem exacte
implere possit. Interim alios hac legis præcisa
observatione onerantes, tantum abest ut hu-
meros vestros legis obsequio submittatis, ut ne
minimo digitulo illud vel tangere conemini Væ 47.
porro vobis quod simulatione pietatis, Prophe-
tarum, quos Majores vestri nefarie necarunt,
monumenta splendide exornatis. Quo facto, te- 48.
stimonio vestro comprobatis & assentimini fa-
ctis majorum vestrorum: præterquam etenim
quod præter mentem Prophetarum sumptus
non necessarios facitis; curiosa & immodica se-
pulchrorum exornatione vos eorum morte oble-
ctari testamini, quorum sepulchra tantopere in
deliciis habetis. Qui sanguinarius vester in de- 49.
functos Prophetas animus, utcumque hac lar-
va minus apparens, efficiam ut in lucem &
omnium conspectum adducatur. Edico enim
vobis, qui sum sapientia illa tantopere per Pro-
phetas (Salomonem præsertim) celebrata, quæ
tanquam ex specula providentiæ meæ futura
tanquam præsentia prospicio, fore ut cum Pro-
phetas & Apostolos eisdem cum defunctis illis
vestigiis doctrinæ insistentes ad vos misero, ex
illis quosdam immatura morte opprimatis, re-
liquos interfecturi, nisi à vobis insectatus fuga
se eriperent. Vt justo (quamvis arcano) Dei ju- 50.
dicio, à vobis & ab his qui vestro hoc seculo vi-
vunt, repetatur omnium Prophetarum atque
adeo justorum sanguis, qui ab ipsis jactis mun-
di fundamentis effusus est. Initio facto ab 51.
Abele justo usque ad Zachariam Prophetam,
quem non puduit majores vestros (addo etiam
vos ipsos si animus & studium consideretur) in
ipso templo atque adeo inter altare & domum
Dei, in quam Sacerdotibus modo ingredi fas
erat, obtruncare. Illum etenim nominatim ex-
primo, non quod aliorum, qui postea veritatis
causa perierunt, sanguinis rei non peragami-
ni, sed quod illa cædes omni scelere & crudeli-
tate insignis & animadvertenda extitit. De- 52.
nique væ vobis legisperitis, quia vanis & fal-
sis verbi divini glossematis & interpretamen-
tis, veram Dei cognitionem tamquam clavem
qua porta cœlorum reseratur, sustulistis. Hæc
autem maledictio eo auctior est, quod morum
impietate & improbitate regnum cœlorum in-
gredi recusantes, aliis futili & falsa doctrina
aditum in cœlos intercluditis.

Hæc dum in Scribas & Pharisæos fulmina- 53.
ret, cæperunt illi acriter eum urgere multis &
variis interrogationibus, de quibus subita, for-
tuita & extemporaria responsa hæc spe postu-
labant, fore ut aliquid ei vel de templo & lege
vel de Cæsare, & de officiis illi debitis, temere
excide-

54. *exciderat. Quod non alio consilio fecerunt, quam ut instar venatorum, illi tendiculas collocarent: ut ex proprio sermone crimen mortis adversus illum intentarent.*

LVC. *cap.* 12, *à vers.* 13, *ad* 21.

13 Dixit autem ei quidam è turba; Magister, dic fratri meo ut partiatur mecum hæreditatem.

14 Ipse vero dixit ei; Heus tu, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit?

15 Dixit igitur eis; Videte, & cavete ab avaritia: nec enim cujusquam vita ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo sita est ut redundet.

16 Dixit autem eis parabolam in hæc verba: Hominis cujusdam divitis exuberarat regio:

17 Itaque ratiocinabatur apud se, dicens; Quid faciam? nec enim habeo ubi congregem fructus meos.

18 Et dixit; Hoc faciam: destruam horrea mea, & majora ædificabo: & illic cogam omnes proventus meos, & bona mea:

19 Et dicam animæ meæ; Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, ede, bibe, oblectare.

20 Dixit autem ei Deus; Desipiens, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ vero parasti cujus erunt?

ANALYSIS.

Analysin in Lucæ 12. *à* vers. 1, *ad* 13. *vide supra.*

DEscribitur quidam qui à Christo petit ut controversiam de dividunda hæreditate dirimeret: quam petitionem urget à subjecto illius quicum disceptaret, quod frater esset.

Vers. 14. Resistit ei Christus ab efficiente causa, quia Deus eum non constituerat ejus rei judicem.

Vers. 15. Quod ministri Dei est, hortatur ad pacem: ubi causam efficientem hujus litis assignat, avaritiam: à qua dehortatur ab effecto plurimum habendi, quod vitam homini non prorogat.

Vers. 16. Quam rem, alioqui *paradoxam*, parabola confirmat. In qua consideratur primum subjectum parabolæ, homo dives, suo adjuncto descriptus, agro fœcundissimo segetum.

Vers. 17. Post effectum deliberationis; cujus causa efficiens assignatur, quod non esset locus idoneus condendis frugibus.

Vers. 18. Deinde altero effecto decernendi quid consulto opus esset.

Vers. 19. Postremo alio effecto secum statuendi & cum animo suo se voluptatis omni generi addicendi: cujus causam materialem assignat omnium rerum abundantiam.

Vers. 20. Quæ cum animo suo constitutio adjuncto, stultitia, notatur: cujus causa assignatur, quod auferetur & repetetur ab illo vita sua, quæ porro amplificatur adjuncto tempore, nocte, viz. illa, qua hoc cum animo suo constituit: & porro exaggeratur adjuncto mortis, ignorantia quid fiet omnibus bonis; quæ omnia confirmantur divino testimonio.

Vers. 21. Hactenus fuit prior pars comparationis, quæ vocatur propositio: hoc autem *versu* opponitur posterior, quæ appellatur redditio: sic fore his, qui divitias corrogant ut se delicate pascant, quod suo disparato illustratur, quia non colligunt Deo, vel ut Deus commodius colatur.

METAPHRASIS.

EX turba vero quidam ei dixit; Magister, 13.
cum Messias ad nos à Deo missus sis, eoque ipso Rex, ut nos justitia & æquitate contineas, manda, quæso, fratri meo me alioqui fraudaturo, ut hæreditatem mecum ex æquo
& jure partiatur. Ad quem ille: quis me (ô 14.
homo) judicem familiæ ercifcundæ præfecit? Nulla etenim ad eam rem vocatione à Deo
instructus non possum ne delatam quidem ab 15.
hominibus provinciam obire. Sermone vero ad utrumque fratrem converso, porro dixit: tametsi petitioni de agro dividundo non annuam, tamen, quod est partium mearum & ministerii mei, faciam. Quamobrem admoneo vos, ut studiose declinetis avaritiam, hujus litis procreatricem. Quam ad rem animis imis vestris insideat, quod vulgo incredibile est, vitæ diuturnitatem in opum copia & affluentia non
consistere. Quam doctrinam ut altius animis 16.
imprimeret, parabola illustravit, dicens; divitis cujusdam ager Dei benedictione frugibus
onustus erat. Quæ res illum sollicitum & ani- 17.
mo valde distractum effecit: secum enim ipse & cum animo suo disceptavit, dicens; quid faciam dubius sum: quia non suppetunt grana-
ria quibus tanta frugum vis capiatur. Tan- 18.
dem dixit; hoc faciam: destruam vetera reconditoria, & nova, eademque ampliora eorum loco exstruam, in quæ omnes fruges, & cujus-
que generis bona comportem. Tum demum 19.
animo meo (sed tacitus) dicam: anima, multa

*in multos annos bona recondita & reposita ha-
bes. Quamobrem otiare, ede, bibe, hilaria age.*
20. *Quam pecuinam vocem (quantumvis tacitus
in animo cogitatam) Deus exaudiens, ad eum
dixit. O demens! Tu tibi multorum annorum
usuram polliceris. Atqui hac ipsa nocte, qua tu
hanc insanam vocem emisisti, abs te anima
tua repetetur: subita vero & violenta morte
sublatus, ut domui tuæ disponere, & testamen-
tum condere non vacet, non tu ipse tantum, sed
liberi bonorum tuorum fruitione privabimini,
ut quæ vel ab alienis extraneisque rapiuntur,
aut litibus fratrum & necessariorum inter se
digladiantium consumuntur. Atque hæc ipsa* 21.
*est conditio eorum qui opes ad suas aut vo-
luptates aut honores tuendos congerunt, nullo
studio ducti ut opum beneficio Deum commo-
dius & alacrius colant.*

LVC. *cap.* 12, *à vers.* 32, *ad* 35.

32 *Ne metue, parve grex iste, nam libuit Patri vestro dare vobis regnum illud.*

33 *Vendite quæ habetis, & date eleëmosynam. Parate vobis crumenas quæ non veterascunt, thesaurum in cœlis, qui nunquam deficiat, quo fur non appropinquat,* & ubi *tinea non corrumpit.*

34 *Vbi enim thesaurus vester est; illic & cor vestrum erit.*

ANALYSIS.

Quæ sequuntur ad vers. 32, *vide supra.*

A Metu defectus victus & cultus hujus vitæ dehortatur fideles, cujus metus causam indicat, quia numero pauci sint: metum autem hunc excutit ab effecto Dei, qui illis prospiciet: quod comparatione majoris confirmat, qui dabit illis regnum, nedum momentanea hæc vitæ subsidia: cujus largitionis causam assignat, Dei beneplacitum & Dei liberrimam voluntatem.

De duobus sequentibus vide alibi.

METAPHRASIS.

32. *Nolite timere ne hujus vitæ præsidiis de-
stituamini; quod parvo numero cum si-
tis, vos diripere & spoliare impiis numero in-
finitis promtum sit: nam Pater vester cœle-
stis ex gratuita gratia decrevit vobis regnum
illud cœleste dare, quod ut quæratis horatus
sum: nedum hæc momentanea. Tantum au-* 33.
*tem abest ut hujus vitæ necessaria deficiant,
ut quæ etiam in alios erogetis, superfutura
sint. Quæ in pauperes liberalitate ita vos &
vestram in me fiduciam exerceri volo, ut si
pecunia qua indigentes juvetis non suppetat,
ex his quæ possidetis, aliquid vendatis, ut eleë-
mosynam conferatis: sic enim crumenas seu
loculos seu arculas comparaveritis, quæ nec ve-
tustate exteri, nec vi aut fraude perfringi pos-
sint, & thesauros cœlestes illis seu loculis seu
arculis recondendos, qui nullo umquam ævo
deficient.*

LVC. *cap.* 12. *à vers.* 35, *ad* 41.

35 *Sint lumbi vestri succincti, &* vestræ *lucernæ ardentes:*

36 Et *similes* estote *vos iis qui expectant quando dominus suus regressurus sit à nuptiis, ut quum venerit, ac pulsaverit, statim aperiant ei.*

37 *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, præcinget se & faciet ut discumbant, & accedens ministrabit eis.*

38 *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit, beati sunt servi illi.*

39 *Hoc autem scitote; si sciret Paterfamilias qua hora fur venturus sit, vigilaret, nec fineret perfodi domum suam.*

40 *Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

ANALYSIS.

HOrtatur ad pietatis & probitatis exercitationem. Cujus causa una efficiens assignatur pravorum affectuum frænatio; quæ comparatione paris illustratur hominum qui lumbos suos succingentes una quoque vestimenta suffarcinant, ne iter faciundo impediantur: item alia causa efficiens, nempe mentis illuminatio; quæ comparatione paris illustratur lucernæ ardentis, quia sæculum hoc nocti comparatur. Vide *vers.* 38.

Vers. 36. Deinde pietatis exercitium illustrat pari servi expectantis herum, quando à nuptiis redierit; quod suo fine declaratur, ut pulsanti hero aperiat.

Vers. 37. Aliud argumentum, quo nititur adhortatio,

hortatio, ab adjuncta beatitate eorum qui continui sunt in pietatis & probitatis exercitio; quam effecto heri & domini confirmat, quod ipse dominus cinctus illis ministrabit.

Vers. 38. Describit hoc pietatis & probitatis exercitium ab adjuncta continuitate, à qua adjunctam beatitatem suspendit.

Vers. 39, & 40. Confirmat hanc continuam vigiliam spiritualem à comparatione minoris: si enim paterfamilias excubias adversus furem ageret, quem sciret ad certam horam venturum: nedum excubiæ agendæ sunt, cum nescimus qua hora veniet Dominus. Quas excubias adhuc confirmat ab adjuncto periculo, ne pereamus: quod pari illustratur patrisfamilias dormitantis, cujus ædes perfodiuntur.

METAPHRASIS.

35. *QVamobrem sicut qui iter faciunt lumbis*
cinctis vestes ad talos promissas suffarci-
nant, ne gressus celeritatem impediant: sic
vos affectus vestros diffluentes & luxuriantes
cingulo synceritatis constringite, ne vestrum
ad regnum cœleste iter impediant. Et quem-
admodum noctu iter facientes accensam fa-
cem manu tenent, qua pericula declinent:
sic vos lucem doctrinæ cœlestis præferte, qua
diaboli, mundi, & carnis insidiosas pernicies
36. *devitetis. Estote porro similes servis, qui suum*
herum præstolantur & exspectant, quando
peractis nuptiis quibus interfuit rediturus est:
ut simulac fores pultaverit ilico illas aperiant.
Cujus diligentis præstolationis hic stimulus e- 37.
sto, quod beati futuri sunt illi servi, quos ego
dominus excubantes offendero. Omnino enim
confirmo vobis, fore ut me quodammodo tam-
quam ministrum & præbitorem (quoad cœle-
stis mea gloria ferat) cingam, ut illis, ex servis
amicis factis, omnia quæ expetunt suppeditem.
Sicut vero ad diligentem, sic ad assiduam vi- 38.
gilantiam vos hortor: nam tum demum ser-
vi mei beati futuri sunt, si quocunque tempore
nocturni & tenebricosi hujus mundi mature
vel sero venero, illos experrectos offendero. Ne- 39.
gare non potestis, quin si sciret paterfamilias
qua hora fur ædes ejus invaderet, totam no-
ctem vigilias ageret, ne si somnum semel iniret,
ad præscitam horam non expergisceretur. Ce-
do quare tam sollicite excubat, scilicet ne
perfossis aut perfractis ædibus despolietur.
Quanto magis vos paratos esse decet, & ex- 40.
perrectos, ne ego filius hominis tamquam fur
vos incautos corpore & anima in æternum per-
dam; præsertim cum (non ut paterfamilias)
qua hora venturus sum nescitis: veniam enim
tempore, cujus definita & præcisa hora nulli nec
homini nec Angelo nota est.

LVC. *cap.* 12, *à vers.* 41, *ad* 49.

41 Dixit autem ei Petrus; Domine, nobis dicis istam parabolam, an etiam omnibus?

42 Dixit autem Dominus; Quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem dominus constituet supra famulitium suum, ut tempore præstituto det demensum?

43 Beatus servus ille, quem, quum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44 Vere dico vobis, supra omnia quæ sibi suppetunt præficiet eum.

45 Quod si dixerit servus ille in corde suo; Tardat dominus meus adventum: cœperitque cædere servos & ancillas, & edere & bibere & inebriari:

46 Veniet dominus servi illius eo die quo ipsum *non exspectat, & ea hora quam non novit: & separabit eum, partemque cum incredulis ei statuet.*

47 Ille autem servus qui novit voluntatem domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis:

48 Qui vero non novit & fecit digna plagis, cædetur plagis *paucis. Porro cuicumque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo, & apud quem depositum fuerit multum, amplius reposcetur ab eo.*

ANALYSIS.

QVæstio proponitur disjuncto axiomate, quæ suo efficiente declaratur Petro: & subjecto cui proponitur, nempe Domino: subjecto circa quod, nempe ad quos proponebat hanc parabolam.

Vers. 42. Cujus quæstionis effectum est, Domini responsum per aliam quæstionem; quæ suo subjecto declaratur, Oeconomo seu dispensatore: qui primum describitur suis adjunctis, fidelitate & prudentia, deinde efficiente, domino familiæ: fine, ut cuique suum demensum oportune distribuat: ubi distributio demensi ad fidelitatem, oportunitas ad prudentiam tanquam effecta ad suas causas referuntur.

Vers. 43. Inde horum effectorum adjunctum proponitur, felicitas dispensatoris.

Vers. 44. Cujus felicitatis descriptio proponitur, nempe

nempe quod dominus ejus cum omnibus facultatibus præficiet: quod etiam testimonio vehementis asseverationis divino confirmatur.

Vers. 45. Fidelis & prudens Oeconomus illustratur suo adverso; qui describitur suis effectis, intus cogitandi apud se herum suum reditum procrastinare, 2. effecto verberandi familiæ servos & ancillas, 3. edendi, bibendi & se inebriandi: nisi forte duo posteriora hæc effecta primi effecti effecta constituantur.

Vers. 46. Describitur ab adjuncto præmio, quod paterfamilias illum ab aliis domesticis separabit: deinde à comparatione paris, quod aget cum illo tanquam cum infidis: quæ pœna amplificatur adjuncta subita & inexpectata irruptione, & proinde inevitabili.

Vers. 47. Malus iste Oeconomus distributione adjuncti explicatur, ejus qui scit voluntatem domini sui & qui illam nescit: prioris adjuncta pœna describitur, quod multas plagas auferet; posterior, paucas. Cujus durioris & gravioris flagellationis causa exponitur *vers.* 48. quod plurimum illi commissum sit; quod suo relato confirmatur.

METAPHRASIS.

41. *Petrus autem ægre ferens gravius aliquid & cum aliis non commune sibi imponi, ad Iesum dixit: Domine, hanccine de excubiis similitudinem nobis speciatim an in universum*
42. *omnibus proponis. Ad quem Dominus: at intelligas hunc de excubiis sermonem te & tuos in Apostolatu collegas præcipua quadam ratione attingere, vicissim abs te quæro; quis fidus pariter & prudens Oeconomus est, quem Dominus familiæ suæ præficiet, ut pro sua fide demensum, pro prudentia opportune cuique quod illi aptum & debitum est distribuat? quis inquam in domo Dei, quæ est Ecclesia, Oeconomus est censendus, nisi quibus mysteriorum*
43. *Dei dispensatio est commissa? Beatus est Oeconomus ille; quem dominus cum venerit sic cum fide simul & prudentia munus suum obeuntem offenderit. Omnino enim confirmo vo-* 44.
bis, quod non tantum familiæ, sed bonis ejus omnibus præfectum in summa & præ cæteris eminenti gloria constituet. Quæ beatitas fidelis 45.
& prudentis Oeconomi ex adversa perfidiosi & stulti Oeconomi infelicitate intelligi potest. Si enim servus familiæ præfectus secum & cum animo suo hoc versaverit. Cunctatur & tardat Dominus meus suum reditum, ut non sit necesse in singulas horas aut etiam dies eum excubiis actis exspectare: atque vana hac fiducia cæperit conservos simul cum ancillis cædere quos pascere debebat; quod tum fieri consuevit cum ipse helluando & immodice bibendo se luxui dediderit. Illius servi Dominus die 46.
quum non exspectat & hora quam non novit veniens eum à frugi servis separabit & cum cum perfidiosis servis debitam illi pœnam attribuet. Vos autem Apostolos hac ad excubias 47.
admonitione præcipue complectens, reliquos non excludo. Servus enim ille qui voluntatem domini sui perceptam habens se ad obsequium non comparat, nec voluntatem factis exprimit, tametsi nulla in Ecclesia præfectura ornatus sit, gravi condemnatione plectetur. Qui autem 48.
voluntatem Domini ignorat (dummodo lucente sole sponte non caligat) eoque ipse admittat quæ plagis digna sunt, leviori quidem ille, sed tamen infinita & intolerabili damnatione ferietur. Vt brevi omnia complectar. Cuicumque plurimum vel in Dei donis, vel in Ecclesiæ & Reipublicæ muneribus à Deo datum, ab eo uberior fructus & ampliora officia exigentur: & apud quem Deus dona prolixiora & munera ampliora deposuit, ab eodem opera & officia æquipollentia repetet.

LVC. *cap.* 12, *vers.* 49, *ad* 53.

49 Ignem veni missurus in terram, & quid volo si jam accensus est?

50 Sed baptismo oportet me baptizari, & quomodo constringor usquequo hoc *perficiatur?*

51 Putatis me advenisse pacem daturum in terra? non dico vobis, imo dissidium.

52 Erunt enim ex hoc tempore *quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos, & duo adversus tres.*

ANALYSIS.

Prothesis est Christum in terra divisionem ex Euangelii prædicatione ortam missurum; quæ comparatione paris ignis illustratur; quæ suo fine arguitur, quia ideo venit in mundum. deinde aliud adjunctum notat, desiderium illud accendendi: quod comparatione minoris amplificat, illum præ aliis omnibus præferre hujus ignis accensionem.

Vers. 50. Mortem oppetendam illi esse docet; quæ Baptismi comparatione paris illustratur, & adjuncto studio illam obeundi; quod suo effecto arguitur, anxietate; quæ suo adjuncto notatur, quoad mortem illam perpessus fuerit.

Vers. 51. Declarat Apostolorum adjunctum errorem, nempe quod existimabant Christum venisse ut pacem in terra mitteret: quem errorem refellit suo adverso, quod immissurus sit divisionem; quod suo, nempe divino testimonio confirmat.

Vers. 52. Hanc divisionem ex subjecto familiarum probat, in quibus duo contra tres disceptabunt. *Quæ sequuntur ad finem Capitis vide supra.*

METAPHRASIS.

49. Atque quo magis ad excubias in Apostolatu accendamini, scitote me magno & incomparabili studio duci promulgandi per vos Euangelii; ut illo tanquam igne accenso ab impiis pii, tamquam ab auro scoria, discernantur
50. atq; dirimantur. Quod quia fieri nequit priusquam ego mortem obiens, profundissimorum dolorum & angorũ fluctibus immergendus inde per resurrectionem emersero; ut hoc (quantumvis maximo meo cruciatu) perficiatur discupio, usque eo ut nisi re confecta animo quieto
51. esse non possim. Scio quidem vos communi hujus seculi errore ex falso Prophetarum interpretamento profecto deceptos hanc opinionem imbibisse, me ob eam causam in terram venisse, ut alta pace & rebus maxime in hoc seculo secundis perfruamini. Sed toto cœlo erratis. Contra enim veni, ut homines Euangelii prædicatione diremtos inter se committerem. Erunt 52.
etenim à resurrectione mea quinque in una eademque angusta familia inter se divisi, quorum hi tres cum duobus, illi duo cum tribus acriter contendent.

De his quæ sequuntur usque ad finem Capitis vide supra.

LVC. *cap.* 13, *à vers.* 1, *ad* 10.

Adfuerunt autem eo ipso tempore quidam annunciantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis.

2 Et respondens IESVS, dixit eis; Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quod talia passi sint?

3 Nequaquam, dico vobis: imo nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.

4 Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloam, & quos interemit, putatis debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitant Hierosolymis?

5 Nequaquam, dico vobis; imo nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.

6 Dixit autem hanc parabolam; Ficum habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in ea, neque invenit.

7 Dixit autem vinitori, Ecce, anni tres sunt ex quo *venio quærens fructum in ficu ista, & non invenio: exscinde eam: quorsum etiam terram inutilem reddit?*

8 Ille vero respondens, dixit ei; Domine, sine eam etiam hoc anno, usque quo fodero circum eam, & misero stercus:

9 Et si quidem tulerit fructum, sines: *sin minus, postea exscindes eam.*

ANALYSIS.

Narratio est de nuntio ad Christum allato: qui describitur primum subjecto quod: deinde adjuncto temporis, dum superiorem concionem habebat: deinde effecto, nempe, quod sanguis eorum miscebatur cum ipsorum sacrificiis; quod effectum suo efficiente declaratur, Pilato.

Vers. 2. Cujus nuntii effectum est Christi responsum, quæstione proposita; ubi primum indicatur effectum eorum qui nuntium afferebant, nempe error quo existimabant interfectos Galilæos fuisse gravissimos peccatores; qui error sua causa indicatur, quia hi præ cæteris Galilæis interfecti sunt.

Vers. 3. Refellitur error à testimonio Christi divino; deinde disparato, causa nempe, ideo interfectos, ut ipsi qui nuntium attulerunt perirent nisi resipiscerent.

Vers. 4, & 5. Refellitur præterea pari Hierosolymitanorum, super quos turris cadens eos interfecit; quos non fuisse gravissimos peccatores suo divino testimonio confirmat, & disparato causa, ut supra *vers.* 3.

Vers. 6. Hanc doctrinam confirmat comparatione paris ficus infrugiferæ, cujus sterilitas amplificatur à subjecto loco ubi plantatur, nempe in vinea.

Vers. 7. Amplificatur porro ab adjuncto tempore, quod tres totos annos fructum non tulit; deinde ab effecto, quod dominum venientem ut fructum auferret fefellit.

Vers. 8. Alio item effecto, quod terram ipsam ubi cresceret inutilem redderet. Quorum omnium effectum est, quod jubet dominus illam exscindi.

Vers. 9. Hæc excisio suo disparato declaratur, vinitoris intercessione, ut ad unum annum eam differret: quod suo fine indicatur, ut fructum ferat; cujus fructus efficientem causam assignat, suffossionem & stercorationem: quæ interpellatio adjuncta conditione definitur, fore ut exscindatur nisi tum fructum tulerit.

METAPHRASIS.

Hoc ipso tempore quo Iesus hunc sermonem habuit, aderant quidam nuntium afferentes de Galilæis, quorum sanguis (illis ob flagitium cum Hierosolymam sacrificatum venirent 1.

rent à Pilato comprehensis & obtuncatus) cum sacrificiis ideo mistus ab illo est, ut sacrificandi ritum contemtui & ludibrio haberet. Quibus Iesus respondens, dixit: Scio equidem quam vos de his Galilæis sententiam feratis. Siccine vero sentire vos æquum est; istos Galilæos quod tam dura passi sunt, suos omnes populares Galilæos scelere superasse? Nequaquam dico vobis: potius statuendum vobis erat, hac in illos sævitia tamquam alieno malo Deum vos ad resipiscentiam invitare: quod si non resipueritis, par aut simile supplicium vos omnes manere certum est. Quid an existimatis Octodecim illos Hierosolymitanos cives, super quos turris ad flumen Siloam exstructa corruens, eos interemit, præ omnibus qui urbem incolebant sceleratos fuisse? Vide vers. 3. *Quam doctrinam scitu & animadversione dignissimam ut exornaret & dilucidiorem redderet, similitudinem elegantem adhibuit, dicens: Ficum quidam colonus in vinea consitam & plantatam habuit. Ad quam cum aliquoties venisset ut fructum sumptu suo & solo dignum perciperet, & nullum prorsus abstulisset. Sua spe frustratus dixit vinitori: Attende, quæso, tres annos successive venio spe ductus ex hac ficu fructum percipiendi, nec præter nuda folia quidquam reperio. Quamobrem stirpitus illam exscinde & in ignem (cui tantum utilis est) projice: quorsum enim tres annos infrugiferam diutius illam crescere sineres, cum ad suam sterilitatem hoc porro damni afferat, quod solum ubi crescit inutile & infæcundum reddat. Vinitor respondens, dixit: Rogo ut hoc duntaxat anno illam crescere sinas, quoad illam ablaqueans stercoravero, aliaque omnia subsidia adhibuero, quibus ferax & fructuosa reddatur. Quod si fructum fecerit, te hujus indulgentiæ non pœnitebit; sin minus, non recuso quin deinceps exscindi jubeas.*

Marginal numbers (left column): 2., 3., 4., 5., 6.; (right column): 7., 8., 9.

LVC. *cap.* 13. *à vers.* 10, *ad* 18.

10 Docebat autem in quadam Synagoga Sabbatho.

11 Et ecce, mulier adfuit, habens spiritum infirmitatis ab *annis decem & octo: eratque incurva, nec prorsus sese poterat surrigere.*

12 Ipsam autem IESVS visam advocavit, & dixit ei; Mulier, soluta es ab infirmitate tua.

13 Et imposuit ei manus: & illico surrecta est, & glorificabat Deum.

14 Respondens autem præfectus Synagogæ, indignans quod Sabbatho sanasset IESVS, dixit turbæ; Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo diebus *venite & curamini, & non die Sabbathi.*

15 Respondit ergo ei Dominus, & dixit; Hypocrita, unusquisque vestrum Sabbatho nonne solvit bovem suum aut asinum a præsepi, & abducit aquatum?

16 Hanc autem filiam Abrahami, quam vinxerat Satanas, ecce decem & octo annos, non oportuit a vinculo isto solvi die Sabbathi?

17 Et quum hæc diceret, pudefiebant omnes qui se opponebant ei: tota vero turba gaudebat super omnibus illis præclaris rebus quæ fiebant ab eo.

ANALYSIS.

Exponitur effectum Christi, primum quod docuit; quod subjecto loco explicatur, una scilicet ex Synagogis, & adjuncto tempore Sabbatho.

Vers. 11. Aliud effectum narratur, quo doctrinam edito miraculo confirmavit; quod miraculum notatur adjuncto merito præcipuæ animadversionis: deinde species miraculi notatur sanatio & curatio infirmitatis, qua corpus incurvabatur: quæ sui adversi negatione amplificatur, quod recurvari non poterat: causa efficiens propinquior notatur, spiritus immundus qui illud occupavit: subjectum etiam infirmitatis designatur, nempe fœmina: item adjunctum, tempus octodecim annorum, quo ita detenta est.

Vers. 12. Amplificatur Christi erga illam beneficium alio adjuncto, quod sponte & non rogatus illam sanavit: cujus efficiens indicatur, nempe commiseratio ex visu; alia efficiens, verbum quo solvi jussit.

Vers. 13. Instrumentum efficientis, quod imposuit illi manus: cujus cum verbi, tum ceremoniæ effectum est, quod surrecta fuit; quod adjuncto tempore amplificatur: curationis vero in fœmina effectum est Dei glorificatio:

Vers. 14. In Archisynagogo indignatio; cujus causa efficiens est, quod curatio facta sit Sabbatho: aliud item effectum est in Archisynagogo, jussio, ut die Sabbathi curationis ergo non accederent: quod arguitur ab adjuncto, licentia & libertate concessa sex totos dies hebdomadis veniendi ut sanentur.

Vers. 15, & 16. Cujus effectum est, responsum Christi, licere Sabbatho sanare; quod probat comparatione

paratione minoris, quod illi solverent asinum Sabbatho: nedum ille fœminam, maxime filiam Abrahæ: illi solvunt præsepi alligatum chorda, nedum ille ligatam à Satana: illi asinum una duntaxat nocte ligatum, nedum ille ligatam octodecim annos: simul etiam causam notat indignationis & jussionis in Archisynagogo, nempe hypocrisin, cum vellet hoc modo religiosus videri, vera pietate vacuus.

Vers. 17. Effectum responsi Christi in hoste confusio; in turba vero gaudium, tum de responso, tum de aliis Christi præclaris facinoribus.

De his quæ sequuntur usque ad vers. 22. *vide supra.*

METAPHRASIS.

10. *CVm vero pro sua consuetudine Sabbatho*
in quadam Synagoga concionem haberet.
11. *Ecce oportune (ut doctrinam quam proposue-*
rat de more obsignaret) mulier in Synagoga
aderat, quam spiritus immundus ad octo &
decem annos usque eo infirmam reddiderat, ut
incurva & veluti in semiorbem convoluta, se
ipsam recurvare & surrigere, ut cœlum intue-
retur, ne vel minima quidem ex parte posset.
12. *Quam Christus videns & ex oculorum in-*
tuitu commiseratione tacita calamitatis du-
ctus, illam nihil ne per somnium quidem de
sua curatione cogitantem ad se vocavit: quam
sic alloquutus est: Mulier rupto veluti vincu-
lo quo te Satanas tot annos ita ligatam deti-
nuit ut cœlum suspicere non possis, jam tandem
13. *solveris. Cujus rei ut illam certiorem faceret,*
ejusque & aliorum fidei infirmitatem subleva-
ret, sacrosanctas suas illi manus imposuit: quo
facto è vestigio surrecta Dei virtutem & mise-
ricordiam prædicans eidem gratias egit. Ex 14.
senioribus vero illius Synagogæ (qui ut omnia
decore & ordine in Ecclesia fiant præficiun-
tur) quidam indigne ferens Iesum hanc cu-
rationem Sabbatho operatum fuisse, nec ta-
men in Iesum suam reprehensionem aperte
stringere ausus ad turbam se convertit, di-
cens: Cum sex toti dies vobis ad hujus vitæ
opera perficienda à Deo concessi sunt, in his
par est vos venire ut à morbis curemini, non
autem in die Sabbathi. Ad quem Dominus 15.
respondens, dixit; Hypocrita, qui curam cultus
divini obtendis vero timore Dei vacuus, qui-
que in turbam crimen violati Sabbathi con-
fers, mihi præcipue notam prophanationis inu-
rere cupiens: Age, dic bona fide an sit inter
vos quisquam qui ipso Sabbatho suum aut bo-
vem aut asinum præsepi alligatum non solvit,
ut illum aquatum ducat. Hanc autem non tan- 16.
tum ex Adami, sed & Abrahami semine pro-
gnatam, quam Satanas (dictu commiserandum) totos octo & decem annos ligavit, nonne
convenit ab hoc tam duro & formidabili vin-
culo solvi die Sabbathi? Hæc cum diceret, o- 17.
mnes adversarii ejus pudore suffusi mœrentes
conticuerunt: turba vero invidiæ in Christum
expers de omnibus Iesu gloriosis cum dictis tum
factis lætata est.

LVC. *cap.* 13. *à vers.* 22. *ad* 31.

22 Peragrabat igitur singulas urbes & vicos, docens, & iter faciens Hierosolymam.

23 Dixit autem ei quidam; Domine, num pauci sunt qui serventur? Ipse vero dixit eis;

24 Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, studebunt intrare, & non poterunt:

25 Ex quo videlicet *surrexerit Paterfamilias, & occluserit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicentes; Domine, Domine, aperi nobis: qui respondens dicet vobis; Nescio vos unde sitis.*

26 Tunc incipietis dicere; Edimus *in tui conspectu & bibimus, & in plateis nostris docuisti.*

27 Et dicet; Dico vobis, nescio unde vos sitis: abscedite à me omnes qui datis operam injustitiæ:

28 Illic erit fletus & stridor dentium, quum videritis Abrahamum & Isaacum & Iacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem ejici foras.

29 Tunc venient homines *ab Oriente, & Occidente, & Borea, & Austro: & discumbent in regno Dei.*

30 Et ecce, sunt ultimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt ultimi.

ANALYSIS.

EFfectum Christi proponitur, quod docebat; quod subjecto loco declaratur, nempe in vicis & oppidis; & adjuncto temporis, cum Hierosolymam ad mortem proficisceretur.

Vers. 23. Effectum (ut videtur) parabolarum propositarum *vers.* 18, 19, 20, 21. quæstio an pauci essent servandi.

Vers. 24. Effectum quæstionis adhortatio, ut contente certarent, quo salutem adipiscantur; quam confirmat ab adjuncto, ingressus difficultate; quam difficultatem exornat comparatione paris portæ angustæ; item ab adjuncto numero multitudinis, qui non valebunt intrare; quod suo diverso amplificatur, quamvis ingredi quærunt: quæ utraque argumenta confirmat à suo divino testimonio.

Vers. 25. Quod dixit quæsituros intrare, qui tamen non valebunt, confirmat ab adjuncto tempore, nempe intempestiva Dei quæsitione: quæ intempestiva quæsitio illustratur pari ejus qui occlusis portis pulsat fores & patremfamilias orat ut ingrediatur; cujus frustratæ invocationis causa est quod à Domino non probantur.

Vers. 26. Deinceps proponuntur argumenta, quibus se non esse rejiciendos confirmant; quibus refellere conantur quod dixit Dominus se illos non agnoscere, ab adjuncta communicatione cum Christo tum in doctrina, tum in sacramentis: aliud argumentum afferunt quod sint multi.

Vers. 27. Cujus replicationis responsum, ut prius; eos illi non probari: quod ab illorum effecto arguitur, quia operantur iniquitatem: quod diverso amplificatur, nempe eum eos non probare, sed jubere abscedere, quamvis multi sunt.

Vers. 28. Pœna, adjunctum Dei non opportune neque contente quæsiti, est lamentatio & stridor dentium; cujus causa una assignatur, quod ipsi exclusi videbunt Patriarchas & Prophetas in illud regnum recipi, de quibus tantopere gloriabantur.

Vers. 29. Alia causa efficiens assignatur, gentium ab omnibus orbis plagis receptio, quas illi contemptim tanquam indignas eorum societate aspernabantur.

Vers. 30. Quod postremum argumentum testimonio humano confirmat, nempe proverbio pervulgato; cujus argumenti vis in comparatione paris versatur, nempe sic actum iri cum gentibus & Iudæis, ut sæpe usu venire solet; ut hi qui aliis postponuntur mutatis vicibus superiores sint, & contra: sic etiam fore, ut Gentes olim inferiores Iudæis, mox priores fiant, & Iudæi, qui olim prælati sunt gentibus, postponantur.

METAPHRASIS.

22. *AD Hierosolymam vero iter faciens, acer-*
bissima tametsi mors jam pro foribus es-
set, non destitit tamen Euangelium regni pas-
23. *sim per oppida & vicos prædicare. In itinere*
vero (occasione ex similitudine grani Synapis
& fermenti, arrepta) dixit ad eum quidam:
Domine, dic, quæso, an numero pauci tantum
sunt qui æternam salutem consequentur? Ie-
sus vero ab uno interrogatus, ad complures
(tamquam in re cognitu necessaria) responsum
duxit. Vt in Olympiacis certaminibus fieri so- 24.
let, acerrime & contentissime vobis decertan-
dum est, ut regni cœlestis domicilium intre-
tis. Arduus enim & difficilis ingressus est, ut
fieri solet cum porta domus perangusta est; eo-
que vehementius vobis certandum erit, quod
multi non cupient solum, sed operam etiam
dabunt ut intrent, qui tamen ingredi non va-
lebunt. Sicut autem cum zelo & fervore reg- 25.
num cœlorum quærendum, sic mature & tem-
pestive. Hic enim omnino usu venit, ut cum
Paterfamilias de nocte suos domesticos & ne-
cessarios intromittens, post portam occluserit,
& pessulum obdiderit. Tum etenim si ad fores
stantes, pulsetis, & clamores blandissimis ver-
bis ingeminaveritis, orantes atque adeo obse-
crantes, dicendo: Aperi nobis & viam ad vi-
tam nobis muni; tamen respondens, dicet; Ego
vos unde estis ad eum modum non novi, ut vo-
bis vitam æternam largiar. Scio equidem quid 26.
regeretis: mirum esse quod vos non noverim
cum mensa mea accepti panem edistis & cali-
cem bibistis sacrum; insuper me vobis audito-
ribus & discipulis in plateis vestris docuisse.
Tum dicet Dominus: Ego in priore sententia 27.
maneo, me vos unde sitis nullo vestro bono nos-
se. Quamobrem procul abscedite omnes qui-
cumque estis (numero enim non commoveor)
qui iniquitatem tanquam artem exercetis.
Domo vero foras ejecti, nihil vos præter fletum 28.
& fremitum dentium manet; maxime cum
ad reliqua tormenta Abrahamum, Isaacum,
& Iacobum, & omnes Prophetas, quibuscum
arctissime olim in carne conjuncti fuistis, in
regno Dei, vos vero eorum consortio ejectos in-
tuebimini. Quodque vos uret, cum videritis 29.
gentes, quas vos summo & odio & despectui
habuistis, ab omnibus cœli plagis venturas, ut
in Dei regno perpetua quiete & fœlicitate (vo-
bis exclusis) perfruantur. Quod si vobis absur- 30.
dum & alienum videatur; considerate quod
vobis in hujus vitæ gubernaculis usu venit.
Sicut enim quotidie experimini hunc qui in
honore vixit deprimi; illum vero qui obscure
vixit in lucem & oculos omnium tolli: sic vos
qui hactenus Gentibus prælati estis, non ita
multo post illis postponemini.

LVC. *cap.* 13, *à vers.* 31, *ad finem Cap.*

31 Eo ipso die accesserunt quidam Pharisæi, dicentes; Exi & abi hinc: nam Herodes vult te interimere.

32 *Tunc ait eis; Profecti dicite vulpi isti; Ecce, ejiciam dæmonia, & sanationes peragam hodie & cras: tertia autem die consummabor.*

33 *Veruntamen oportet me hodie & cras, & perendie iter facere: quia non contingit ut Propheta pereat extra Hierusalem.*

34 *Hierusalem, Hierusalem, quæ interimis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pullitiem suam sub alas, & noluistis?*

35 *Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta; Amen autem dico vobis, non videbitis me, usquedum venerit* tempus *quum dicatis; Benedictus qui venit in nomine Domini.*

ANALYSIS.

NVntiatur Christo Herodem illum velle interficere; cujus nuntii efficiens sunt Pharisæi quidam; finis, ut inde egressus se morte eripiat; adjunctum temporis est illud ipsum tempus, quo superiorem concionem habuit.

Vers. 32. Effectum nuntii est responsum Christi, ubi exponitur aliud effectum Christi, nempe mandatum, ut Herodi, quem notat adjuncta calliditate; quam illustrat vulpis astutia, alium à se nuntium dicant: nuntius autem est illum de sua crudelitate non esse sollicitum: quod declaratur effecto Christi, nempe ejiciendi dæmonia, & virtutes seu miracula operandi; quod etiam adjuncto temporis quo hoc facturus sit; amplificatur item alio adjuncto attentionis.

Vers. 33. Commoratione ad triduum confirmat se adversus timorem ab Herode injectum à disparato, Hierosolymæ se moriturum, non in Galilæa ubi Herodes dominatur; quod etiam confirmat testimonio experientiæ superiorum temporum.

Vers. 34. Cujus cædis tam frequentis & consuetæ effectum est, querela Christi de illa urbe, quod arguitur ab effecto illius urbis quod interficeret Prophetas; quæ cædes aggravatur à fine, quod eorum bono missi sunt; quod sua specie indicatur, nempe illos in unitate sancta congregandi; quod etiam amplificatur adjuncto temporis, quod sæpe hoc fecit Deus; & illustratur pari gallinæ suam pullitiem congregantis sub alis, quæ Dei ad illos servandos animi promptitudo adverso Hierosolymæ protervia opponitur.

Vers. 35. Quod illorum scelus arguitur adjuncto, pœna eversionis illius urbis: item adjuncta privatione præsentiæ Christi gratiosæ, quæ privatio adjuncto temporis declaratur, quoad, &c.

METAPHRASIS.

31. *ILlo ipso Sabbati die accesserunt ad eum quidam ex Pharisæis, qui cum nec disputatione, nec auctoritate Iesu silentium imponere potuissent, ad illum dicunt: His nostris Galilææ finibus suademus ut mature te eripias: Herodes*
32. *etenim te interficere vult. Quibus ille: qui nuntium hunc attulistis, Herodi vafro veteratori vicissim renuntiate, me (ut rumpatur) aliquantisper Dæmonia ejicere & morborum curationes perficere; tum demum illis perfectis, quæ mihi ex cœlesti vocatione incumbunt, Hierosolymam profecturum, ut oppetita crudelissima morte, cursum vocationis meæ conficiam: Ad hoc quod dico animum advertite; tanquam ad rem quam revera præstandam ipsi oculis vestris intuebimini. Interim vero nulla* 33.
ejus aut fraude aut vi efficiet, quo minus angusto quod me manet tempore, quod mihi in his partibus agendum est agam. Huc accedit, quod vanus est terror, quem injicitis: neque enim usquam Prophetis macellum & laniena parata est, quam in urbe Hierosolymitana: adeo est præ cæteris omnibus sanguinis servorum Dei perquam sitiens & avida. O Hieru- 34.
salem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidibus eos qui ad te missi sunt obruis. Quoties non meo modo ministerio, sed & Prophetarum ad te missorum, qui me quoad humanam naturam præcesserunt, volui cives tuos tanquam liberos errorum & vitiorum impulsu veluti dissipatos, haud secus sub salutari protectione mea congregare, quam gallina suam sub alis pullitiem idcirco cogit, ut à vi & impressione milvii & aliarum rapacium avium tuta & tecta sit: quam meam vos ad resipiscentiam invitandi assiduitatem vos pertinaciter & malitiose repudiastis. Quamobrem 35
aurem & animum ad pœnam quam denuntio adjicite, quæ duplex: & prior; urbem vestram, potius quam meam, & in ea templum vel maxime, in quo tanquam in arce inexpugnabili vos spem ponitis, pervastatum iri. Deinde sancte vobis confirmo, numquam salutaris notitiæ & cognitionis mei vos participes fore, quoad Dei ministros quos jam omnibus diris exsecramini benedictos, & eorum inter vos præsentiam gratam valde & acceptam futuram palam profiteamini.

LVC. *cap.* 14, *à vers.* 1. *ad* 12.

ET factum est, ut quum venisset domum cujusdam ex primoribus Pharisæis Sabbatho ad edendum panem, ipsi observarent eum.

2 Et ecce, quidam hydropicus aderat coram eo.

3 Tum respondens IESVS, dixit Legis interpretibus & Pharisæis, in hæc verba; Licetne curare Sabbatho?

4 Ipsi vero tacuerunt. Tum ipse prehensum eum sanavit, & dimisit.

5 Et respondens eis, dixit; Quis vestrum, si ipsius *asinus aut bos in puteum incidat, non statim extrahet eum die Sabbathi?*

6 Et non poterant ei ex adverso ad ista respondere.

7 Dixit autem parabolam iis qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens eis;

8 Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne discumbito primo loco: ne forte honoratior te sit vocatus ab eo:

9 Et is qui te & illum vocavit veniens, dicat tibi; Da huic locum: & tunc incipias cum ignominia ultimum locum tenere.

10 Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum, ut quum venerit qui te vocavit, dicat tibi; Amice, ascende altius, tunc erit tibi gloria in conspectu eorum qui tecum discumbunt.

11 Nam quisquis se extollit, deprimetur: & qui se depresserit, extolletur.

ANALYSIS.

NArratur miraculum sanandi hominis, quod describitur a subjecto loco, domo Pharisæi, adjuncto tempore communiore, Sabbatho; magis proprio, inter prandendum: item alio adjuncto, insidiosa observatione Pharisæorum.

Vers. 2. Subjectum miraculi est hydropicus: causa efficiens, quod illum Christo stiterunt.

Vers. 3. Aliud adjunctum, proposita quæstio, an liceret Sabbatho sanare.

Vers. 4. Effectum quæstionis est silentium: silentii, prehensio hominis: quæ suo fine declaratur, ut sanaret eum; cujus sanationis adjunctum est dimissio Hydropici.

Vers. 5. Aliud adjunctum sanationis quæstio, in qua à comparatione paris probat fas esse Sabbatho sanare; ubi Hydropicus comparatur bovi, aut asino in foveam cadenti; sanatio vero Sabbatho cum extractione è fovea.

Vers. 6. Hujus quæstionis effectum est, quod Pharisæi respondere non potuerunt.

Vers. 7. Ad modestiam adhortatur: ubi subjectum notatur, convivæ, ad quos adhortatio dirigitur; causa efficiens adhortationis, quod convivas animadvertebat primas sedes occupare.

Vers. 8, & 9. Argumentum ab adjuncta pœna, nempe detrusione ad locum inferiorem; quod argumentum amplificatur effecto illius detrusionis, nempe pudore.

Vers. 10. Aliud argumentum est ab adjuncto præmio, nempe jussu patrisfamilias ut in altiorem locum ascendat: quod suo effecto amplificatur, nempe gloria & honore; quod adjuncto, omnium convivarum aspectu, exaggeratur.

Vers. 11. Vtriusque cum pœnæ ambitionis, tum præmii modestiæ confirmatio petitur à testimonio, proverbio viz. pervulgato.

METAPHRASIS.

FActum est ut eo ipso die invitatus, domum cujusdam principis Pharisæorum, ad sumendum cibum, ingressus sit: Pharisæi vero ex composito insidiose illum observabant, num quid aut contra legem Dei, aut contra depravatam ipsorum consuetudinem admitteret. Ob eam rem (adverte, quæso, animum) hominem aqua intercute laborantem, studio quodam (ut videtur) ad judicium coram Christo sistunt; illum violati Sabbathi, si laborantem sanaret; aut impotentiæ, aut inclementiæ, aut formidinis, si minus hoc faceret, accusaturi. Pharisæos autem Iesus alloquutus, dixit; ut sine cujusquam offensaculo inter vos verser, quæro an liceat Sabbatho sanare, à curatione, quam instituo, meipsum cohibiturus, si me hoc facere fas non esse docueritis. Illi vero, tametsi non deessent suæ quædam ratiunculæ, quibus veritati caliginem offunderent: tamen ut facilius Iesum illaquearent, ne vel verbum quidem respondent. Quamobrem Iesus intercute laborantem manu prehendens, eum sanavit & sanatum dimisit. Sermone autem denuo ad Pharisæos converso, dixit; Quis ex vobis est, cujus si aut asinus, aut bos in puteum Sabbatho ceciderit, qui non modo ut non pereat, sed

1.
2.
3.
4.
5.

ut damnum non accipiat, è vestigio illum extrahi non curat? Quod cum lege permissum non ignoretis; quæ hæc animi cæcitas est, homini tam turpi & pudendo morbo laboranti Sabba-
6. tho succurendum esse non videre? Sicut autem prius noluerunt, sic nunc ne verbum quidem
7. mutire potuerunt. Porro convivas similitudine adhibita ad modestiam & animi submissionem adhortatus est; inde arrepta occasione, quod attente consideraret quomodo primas se-
8. des captarent. Cum ad convivium quodpiam puta nuptiale tu (nam ut universe omnes, sic sigillatim singulos compello) invitatus fueris, priores in mensa sedes ne captes; ne forte te ho-
9. noratior ab hospite tuo invitetur. Quo, tametsi tardius, veniente, qui te invitavit hospes, tibi extra controversiam dicet; dimitte te inferius, & huic digniori locum cede. Tum etenim, velis nolis, pudore suffusus cogeris in postremis
10. considere. Contra invitatus si te convivam præbes, extremum potius in mensa locum capesse: ut cum qui invitavit hospes mensam lustrans venerit, sic te benigne & honorifice affetur: Amice, omnino volo ut altius ascendas, quod tibi spectantibus convivis honori futurum est. Hæc autem doctrina longius quam 11.
ad convivia se extendit. Quod enim communi & recepto proverbio in civilis vitæ societatibus celebratur; se efferentem sæpe deprimi, & se abjicientem itidem attolli: idem universum & semper in cœlesti hic in terris societate obtinet; ut qui conscientia peccatorum coram Deo & hominibus se dimittunt, à Deo sæpe hic in terris, in cœlo autem semper attollantur & magni fiant: sicut contra qui falsa & vana sui aut donorum suorum fiducia adversus Deum & homines efferate superbiunt, hi ab eodem domino sæpe in hac vita, semper autem in futura ad ima præcipitantur.

LVC. *cap.* 14, *à vers.* 12, *ad* 15.

12 *Dicebat autem etiam ei a quo fuerat ipse vocatus; Quum feceris prandium aut cœnam, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites: ne quando & ipsi te vicissim vocent, ac retribuatur tibi gratia.*

13 *Sed quum facis epulum, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos:*

14 *Et beatus eris, quia non possunt* gratiam *retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

ANALYSIS.

Docet quibus prandium, cœna, aut epulum potissimum est instruendum: ubi primum indicatur subjectum, cui hæc doctrina proponebatur, nempe hospes: deinde subjectum circa quod hæc doctrina versatur, nempe pauperes: postea hospitis divitis adjunctum officium declaratur, quod est, ut divites non invitet; quod enumeratione partium notatur, amicorum, fratrum, consanguineorum & vicinorum; quod confirmatur ab adjuncto periculo mutuæ invitationis: quæ suo effecto amplificatur retributionis paris.

Vers. 13. Quod suo adverso effecto illustratur, nempe invitandi miseros; qui partim enumeratione partium designantur, mendicorum, mancorum, claudorum, cæcorum.

Vers. 14. Confirmatur ab adjuncto præmio beatitudinis; cujus causa efficiens adnectitur, quod à Deo remunerabitur: quæ remuneratio adjuncto tempore declaratur, in resurrectione justorum: quæ retributio diverso exornatur, tametsi miseri nil habeant quod rependant.

METAPHRASIS.

12. *Sermone à convivis ad hospitem converso (quem fortasse divites, præteritis pauperibus invitasse animadvertebat) ad eum dixit: Cum prandium, aut cœnam aliis quam domesticis tuis instruis, non tam illos convivas adhibe, qui tua mensa non egent; puta amicos, fratres, affines, & divites vicinos; ne illis te convivam redhibentibus & parem gratiam reponentibus, quod amplius exspectes habeas nihil. Sed cum epulum instruis, hospites accerse* 13.
ad mendicitatem redactos, mancos, mutilos, cæcos, & alios ejus generis in mundo ob suam miseriam contemptos. Hoc facto ex gratuita 14.
Dei gratia & ex promissionis divinæ veritate, nullo tamen largitionis tuæ merito beatus eris. Quod si te sollicitum habet, quod illis in quos beneficus es nihil prorsus suppetat, quo hanc aut consimilem gratiam tibi reddant; hanc sollicitudinem pone: id enim non quidem in hac vita (quod tamen nonnunquam fieri solet) sed in extremi judicii die, cum justi è mortuis resuscitati bonorum operum mercedem accipient, amplissima, & supra quam animo concipi possit, remuneratione tibi compensabitur.

LVC. *cap.* 14, *à vers.* 15, *ad* 25.

15 *Hæc autem quum audisset quidam ex iis qui simul discumbebant, dixit ei; Beatus qui edit panem in regno Dei.*

16 *Ipse autem dixit ei; Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:*

17 *Misitque servum suum hora cœnæ, ut diceret vocatis; Venite, quia jam parata sunt omnia.*

18 *Et omnes cœperunt uno* ore se *excusare. Primus dixit ei; Agrum emi, & necesse habeo exire, & eum inspicere: rogo te, habe me excusatum.*

19 *Et alter dixit; Iuga boûm emi quinque, & proficiscor ad probandum ea: rogo te, habe me excusatum.*

20 *Et alius dixit; Vxorem duxi, & propterea non possum venire.*

21 *Quum igitur servus ille advenisset, annunciavit ista Domino suo. Tum iratus Paterfamilias dixit servo suo; Exi cito in plateas, & vicos urbis, & mendicos ac mancos, claudosque & cæcos huc introducito.*

22 *Et ait servus; Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.*

23 *Tunc ait Dominus servo; Abi ad vias, & sepes, & coge ingredi, ut impleatur domus mea.*

24 *Dico enim vobis, neminem virorum illorum qui vocati fuerant, gustaturum cœnam meam.*

ANALYSIS.

Effectum per accidens illius dicti, quo compensationem promisit in resurrectione justorum: ubi subjectum notatur, quidam ex convivis: cujus effectum proponitur beatitatis summæ definitio, nempe si quis in regno cœlorum panem manducet.

Vers. 16. Cujus dicti effectum est Christi parabola quam proposuit: cujus scopus est, hanc beatitatem hominibus hîc in terris proponi, & ab illis neglectui habitam severe vindicari: primum comparatur Deus patrifamilias prædiviti: salutaris autem gratia lautæ & amplæ cœnæ: paterfamilias suo effecto declaratur plures ad cœnam invitandi.

Vers. 17. Ministros salutaris gratiæ cum servis patrisfamilias comparat: qui describuntur ab adjuncto, missione; tum effecto, quorum est, ut dicant convivis ut veniant ad cœnam: quam invitationem confirmant ab adjuncto tempore, quia hora est: deinde alio adjuncto, quod omnia parata sunt.

Vers. 18. Invitationis effectum per accidens est recusatio invitatorum: quæ recusatio amplificatur adjuncta quantitate, nempe quod omnes recusarunt: item alio adjuncto, nempe unanimi consensu. Quæ excusationes suis subjectis declarantur, primum perquirentis agrum; cujus adjunctum exponitur, necessitas illum visendi.

Vers. 19. Deinde agricolæ, qui par boûm emerat: cujus emptionis adjunctum proponitur, nempe experiri oportere eum, an sint trahendo jugo idonei.

Vers. 20. Postremo ejus qui duxit uxorem: cujus effectum proponitur, quod non potest venire.

Vers. 21. Hujus recusationis effectum est, quod servi hero hoc renuntiant: renuntiationis effectum est ira patrisfamilias: iræ vero effectum missio servorum in plateas & vicos: quæ suo fine declaratur, ut invitent mendicos: finis vero invitationis ut ad cœnam illos introducant.

Vers. 22. Hujus mandati effectum est obsequium servorum.

Vers. 23. Aliud effectum iræ, missio servi in agros, sepes. servi vero effectum proponitur, ut cogat eos minis ingredi: cujus finis declaratur, ut domus compleatur convivis.

Vers. 24. Finis vero complendæ domus seu mensæ abjectissimis convivis est, ut non locus aliquis vacet recusantibus cum mentem illorum subibit ad cœnam accedendi.

METAPHRASIS.

Cum ex convivis unus sermonem Christi accepisset de illa retributione, quam Deus 15.
extremo judicio illis reddet; qui mendicis & aliis miseris convivium hîc in terris instruxerint; crassam quandam in cœlis & corpoream pastionem somnians, in has voces, non sine affectus nonnulla vehementia, erupit. O illum terque quaterque beatum, qui mensa cœlesti acceptus, exquisitissimis dapibus, quæ ibi magna copia suppetent, pascetur! Ad quem Chri- 16.
stus: Tu tibi imaginariam in cœlis beatitatem affingis, vera quæ hic in terris fœlicitas proponitur, à te & aliis fere Iudæis omnibus neglecta. Idem enim à Deo hic in militante Ecclesia fit, quod à divite Patrefamilias in sua domo usu venire solet: uterque in suo genere lautum & amplum convivium parat,
convivas magno numero invitat. Ad eam rem 17.
hic servum, ille verbi Ministrum, emittit rogatum, ut, quoniam hora advenit, omniaque sine ullo eorum sumptu aut labore parata sunt,
ad cõvivium accedere non dedignentur. Tum 18.
omnes unanimiter cœperunt se excusare & suæ recusationis pulchras in speciem, sed re vanas, & certe quidem non satis justas causas opponere: primus servo dixit: Agrum coemi, quem necesse est ut visam: ut, si minus placeat, venditori, ex composito recepto pretio, reddam; Quamobrem rogo te, habe me excusatum.

Alius

19. *Alius dixit: Iuga boum quinque emi; de illis*
ut periculum faciam an sint ad arandum ido-
nea, proficiscor; sin minus, ut illa ex composito
recepto pretio venditori restituam; quamobrem
20. *rogo te, habe me excusatum. Tertius denique*
dixit; uxorem recens duxi, cujus nuptialem
thalamum deserere iniquum esset; atque ob
21. *eam rem venire non possum. Hæc cum servus*
rediens mittenti Domino renunciasset, tum Pa-
terfamilias ira incensus, ægre, ut fit, ferens sum-
ptus, quos fecit magnos, perire, servo suo dixit.
In plateas & vicos urbis exito, idque cum sum-
ma celeritate, (ne ei qui paratum convivium
fastidiose respuerunt, mutata sententia, ad
cœnam veniant) & mendicos, & mutilos, &
claudos, & cæcos, aliosque id genus miseros huc
introducito. Ad quem servus; Domine, quod 22.
imperasti factum est, & adhuc aliis etiam
convivis locus superest. Ad quem herus; Intro- 23.
ductis jam his qui in urbe sunt, egredere porro
in vias publicas, atque adeo ad sepes, ubi fex
hominum convenire solet, atque illos, si opus
est, etiam additis comminationibus ingredi
coge, ut undique completa domo nullus locus
fastidiosis illis convivis supersit. Sancte enim 24.
vobis confirmo, neminem ex his, qui primo in-
vitati venire recusarunt, ex cœna mea vel de-
gustaturum modo. Quod si mortalis, ob peri-
turos, quos paravit cibos, hoc facit; quid Deus
immortalis, ob tam exquisitas & semper du-
raturas animi dapes, à miseris homuncionibus
fastidiose repudiatas, facturus est?

LVC. *cap.* 14, *à vers.* 25, *ad finem Capitis.*

25 Ibat autem turba multa cum eo: & conversus dixit eis;

26 Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus.

27 Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.

28 Quis enim ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius considens computat sumtum, an habeat quæ ad ejus perfectionem requiruntur?

29 Vt ne postquam statuerit fundamentum, & nequiverit eam perficere, omnes qui spectarint, incipiant illi illudere.

30 Dicentes; Homo iste cœpit ædificare, & nequivit ædificium *perficere.*

31 Aut quis rex proficiscens ut committat prælium adversus alterum regem, non prius consultat considens, an possit cum decem millibus occurrere illi qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?

32 Alioquin, quum adhuc ille procul est, legatione missa, rogat ea quæ ad pacem spectant.

33 Sic ergo quisquis vestrum non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus.

34 Bonus est sal: si vero sal infatuatus fuerit, quo condietur?

35 Neque ad terram, neque ad sterquilinium appositus est, foras eum abjiciunt. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

ANALYSIS.

CAusa indicatur efficiens cur Christus sermonem insequentem habuit, quod magna multitudo simul cum illo iter fecerunt: adjunctum etiam notatur sermonis, quod facie ad eos conversa, hæc quæ sequuntur, protulit.

Vers. 26. Describit verum Christi discipulum, primum ab adjuncto veniendi ad eum: deinde alio adjuncto, odio parentum, uxoris, natorum, fratrum & sororum; quod odium confirmatur comparatione majoris, nempe seipsum odio habere oportere. Quæ omnia per comparationem majoris dicuntur, ut scilicet hæc omnia odio habeant, potius quam ut se à Christi amore abduci patiantur.

Vers. 28. Deinde effectum veri discipuli declaratur, crucem suam gestare: quod suo fine declaratur, ut sequatur Christum.

Vers. 28, &c. Hæc de odio sui & suorum, & crucis bajulatione, constituta & præmeditata habere oportere omnes qui veri Christi discipuli esse volunt, docet comparatione minoris, cujus propositio habetur *vers.* 28, 29, 30, 31, 32. redditio *vers.* 33. prima pars propositionis 28, 29, 30. est quidem ejus qui ædificium exstruit, qui sumptus supputat, qui ad exædificandum sufficiant; quod confirmatur

tur ab adjuncto, pœna ignominiæ & ludibrii: quod amplificatur ab adjuncta quantitate ludificatorum & forma ludibrii, quæ proponitur *vers.* 30. Item aliud comparatum minus à rege belligeraturo cum decem millibus adversus viginti millia; qui se imparem sentiens à bello desistit & ad pacem confugit.

Vers. 34. Alia comparatione similitudinis probat nullius rei amore Christum deserendum, quia tum fit ut sali insulso, assimilentur.

Vers. 35. Illud amplificat ab adjuncta inutilitate. Hanc doctrinæ singularem utilitatem docet ab adjuncta attentione, quæ illi jure debetur.

METAPHRASIS.

25. *Cum magna hominum multitudo se Iesu*
in itinere comites præberent, neque nescius
esset non defuisse ex iis plerosque, qui in exter-
na discipulorum Christi professione beatitatem
constituerent; ne vana ejus rei spe se lactarent,
tanquam in opera pretio aliquantisper in via
26. *subsistens facie ad eos conversa dixit: Si quis*
sit qui externa nominis mei professione ad me
venit, nec tamen mei & veritatis amore pa-
trem & matrem, uxorem & liberos, fratres &
sorores atque suam ipsius vitam, si res postulat,
quorumque studium cum mei amore & obse-
quio nequit consistere, odio habuerit; is ger-
manus & genuinus meus discipulus, tametsi hoc
27. *maxime cupit, esse nequit. Quia longum est iter*
ad omnia calamitatum genera percensendum,
breviter sic habete: germanum meum esse dis-
cipulum neminem posse, nisi afflictiones omnis
generis etiam acerbissimas simul & ignominiæ
plenissimas ex vocationis ratione imponendas
28. *meo exemplo patienter sustineat. Hæc autem*
ita cum animo constituta & designata habe-
re convenit, ut nisi abjecta omni dubitatione
hæc facere decreveris, tibi in censu discipulo-
rum esse tutum non sit. Quis enim ex vobis re-
perietur qui turrim exstruere volens, non prius
considens, ut rem maturius expendat, sumptus
faciendi rationem init, an ad opus exædifican-
dum satis superque habeat. Ne quando jacto 29.
fundamento, omnes prætereuntes & opus in-
choatum intuentes incipiant Dominum illius
turris ludificari, quod cœptum opus absolvere
non valens operam & oleum perdiderit. Hoc 30.
dicterio illum flagellantes: Hic ille homo in-
cautus & improvidus est, qui ædificare in se
suscepit quod exædificare non valuit. Atque 31.
ut ab ignominia non abest hæc imprudentia;
sic neque periculo vacat. Ecquis enim Rex
prælio cum alio Rege congressurus, non prius ad
maturiorem consilii sui deliberationem consi-
dens disceptat an possit decem millibus obviam
illi in bello ire, qui illum viginti millibus op-
pugnatum venit. Quod si ad congressum se 32.
imparem compererit, tum mature, dum tam
procul dissitus sit, ut suam nuditatem & copia-
rum suarum tenuitatem dignoscere nequeat,
legationem expedit & facialem qui de pace
cum illo precibus etiam adhibitis transigat.
Omnis igitur qui secum hanc rationem non 33.
iniverit, ut omnibus quæ illi suppetant, mea
& veritatis causa nuntium non miserit, meus
germanus discipulus esse nequit. Excipiat for- 34.
te quis: pulchrum & gloriosum esse Christum
profiteri. Agnosco, dummodo nomini res respon-
deat: cæteroquin plenum ignominia & contem-
tu. Præclara res & singularis in hominum vi-
ta usus est sal: sed si amisso sapore colorem modo
& speciem salis retineat, nihil est quo conditus
saporem recuperet. Factus autem insipidus 35.
nullius prorsus usus existit. Nam neque in ter-
ram convertitur, aut cum illa coalescit, neque
stercorationi idoneus est; aptus modo ut in
locum aliquem pervastatum ejiciatur, cujus
fœcunditas deplorata penitus existit. Quam
rem lector & auditor attente consideret. quan-
doquidem non minus de illius hominis resipi-
scentia & salute desperatur, qui Christianæ
professionis nomine tantum servato, rem ipsam
& veritatem operibus pernegavit.

IOAN. *cap.* 10. *à vers.* 22. *ad finem Capitis.*

22 Facta sunt autem Encænia Hierosolymis, & hyems erat.

23 Et ambulabat IESVS in templo in porticu Solomonis.

24 Cinxerunt igitur eum Iudæi, & dixerunt ei; Quousque animam nostram suspendis? si tu es Christus ille dic nobis aperte.

25 Respondit eis IESVS; Dixi vobis, nec creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testantur de me.

26 Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus illis meis, sicut dixi vobis.

27 Oves illæ meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me:

28 Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.

29 Pater

29 Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei.

30 Ego & Pater unum sumus.

31 Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi ut eum lapidarent.

32 Respondit eis IESVS; Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod illorum operum me lapidatis?

33 Responderunt ei Iudæi, dicentes; Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, id est, quia tu, homo quum sis, facis te ipsum Deum.

34 Respondit eis IESVS; Nonne scriptum est in Lege vestra, Ego dixi, Dii estis?

35 Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura:

36 Mene, *quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi Filius Dei sum?*

37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38 Sin vero illa *facio, etiamsi mihi non credatis, operibus* tamen *credite; ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo.*

39 Rursus ergo studebant eum prehendere: sed exivit ex eorum manu.

40 Abiitque rursus ad trajectum Iordanis, in eum locum ubi primum fuerat Iohannes quum baptizaret, mansitque illic.

41 Multi autem veniebant ad eum, & dicebant; Iohannes quidem signum nullum edidit: quæcumque autem de isto dixit, vera erant.

42 Et multi illic crediderunt in eum.

ANALYSIS.

DEscribitur disceptatio Iesu cum præfractis Iudæis, primum ab adjuncto tempore communiore, hyemis; magis proprio, die dedicationis: item à subjecto loco communiore, urbe Hierosolymorum.

Vers. 23. Magis proprio, porticu Solomonis: item alio adjuncto temporis, cum ambularet in porticu Solomonis.

Vers. 24. Proponitur effectum Iudæorum, quod Iesum undique circumsistebant; quod suo fine declaratur, ut criminationi, quam intentaturi essent, cum respondere cogerent. Criminatio est, quod omnia dubie & implicito sermone de se proposuisset; quod adversi negatione declaratur, quod nihil clare & liquido.

Vers. 25. Hujus sermonis effectum est Christi responsum; se, quis sit, illis declarasse: & à disparato probat sui sermonis obscuritatem non esse causam cur suspensi animo sint, quia sit ipsorum infidelitas: quam infidelitatem amplificat comparatione majoris, quia non dictis modo, sed factis se Deum comprobasset.

Vers. 26. Deinde infidelitatis causam efficientem proponit, quod non essent ex ejus ovibus: quod à testimonio suo confirmat.

Vers. 27. Item ab effectis ovium Christi: quæ sunt, primum auscultare voci Christi, 2. agnosci à Christo, 3. sequi eum.

Vers. 28. Item adjuncto vitæ æternæ gratuitæ: quod sui adversi negatione declaratur, quod nunquam peribunt: cujus aliam causam assignat, quod nemo eripiat suas oves è manu sua.

Vers. 29. Non posse eripi è manu sua probat ab adjuncto, potentia seu magnitudine Patris: quæ magnitudo & potentia amplificatur comparatione minoris, nempe omnibus: item adjuncto, voluntate eos tuendi: quod probatur à subjecto, quia sunt donum Patris.

Vers. 30. Item ab adjuncto, potentia & voluntate sua in illis tuendis; quod confirmat ab adjuncto, essentiali unitate cum Patre.

Vers. 31. Effectum sermonis Christi per accidens, quod lapides sustulerunt; quod etiam amplificatur adjuncto temporis, quia secundo hoc faciunt; & suo fine, ut illum lapidibus obruerent.

Vers. 32. Hujus conatus Iesum lapidandi effectum est quæstio, qua lapidandi studium absurdum docet à disparato, quia fit ob bonum opus.

Vers. 33. Iudæi refellere hoc conantur à disparato, itidem ut illi imaginabantur, quod non propter opus bonum, sed propter blasphemiam eum volebant lapidare: blasphemia argumento diversorum proponitur, quia tametsi homo esset, se tamen Deum assereret.

Vers. 35, 36. Refellit hanc blasphemiæ criminationem à comparatione minoris; quæ concluditur Syllogismo connexo; si blasphemi non habentur, qui Dei appellationem hominibus à Deo ad publicum munus vocatis tribuunt, nedum pro blasphemo habendus, quem Pater sanctificavit, &c. propositio est manifesta: assumptionem ex testimonio Scripturæ confirmat.

Vers. 37, 38. Ab effecto probat se blasphemiæ reum non esse, dum Dei titulum sibi vendicat, quia Dei opera facit; deinde ab adverso probat illos ei debere tanquam Deo credere: si enim non facienti opera Dei fides illis tanquam Deo habenda

da non fuit; tum operanti opera Dei fides ei tanquam Deo adhibenda est: cujus operationis finis statuitur, ut sciant quod Pater sit in Christo, & Christus in Patre.

Vers. 39, & 40. Hujus sermonis effectum est, quod illum denuo prehendere voluerunt: prehensionis vero studii effectum est, quod Christus se ab illis subduxit: quæ subductio subjecto loco declaratur, citra Iordanem: & subjecto loci magis proprio, ubi Ioannes baptizabat: & adjuncto permansionis eodem loci.

Vers. 41, & 42. Cujus commigrationis & permansionis effectum, quod Ioannes verus de Christo testis per omnia agnoscitur; quæ à diverso declarantur, nempe verum fuisse Ioannis testimonium, tametsi nullum miraculum edidit: cujus approbationis ministerii Ioannis effectum est multorum in Christum fides.

METAPHRASIS.

22. *Hierosolymis festum Dedicationis altaris
& cultus divini, per Iudam Machabeum
instaurati, agebatur. Illud autem festum quot-
23. annis celebratum in ipsam hyemem, incommo-
dum anni tempus, incidebat. Iesus tamen su-
scepto & confecto itinere, templum ingressus,
in porticu, ad formam illius quem Solomon æ-
dificavit, exstructo, sacra meditans inambula-
24. vit. Iudæi igitur pervicaces opportunitatem
hanc nacti, illum undique circumsistebant, hoc
consilio, ut si minus pro eorum voto responde-
ret, comprehensum illum ad supplicium rape-
rent. Quamobrem ad illum dicebant; Quous-
que tandem dubio & flexiloquo sermone tuo
animos nostros suspensos tenens, nobis magnam
inquietudinem creas? dic igitur aperte qui
25. sis. Ad quos Iesus: Equidem vobis qui sum
dixi: Quod autem fluctuatis id causæ non
est, quod vos obtenditis, sermonis mei obs-
curitas; sed quod non creditis. Nam præ-
terquam quod verbis quis sim cum à me tum
à Ioanne atque adeo à Patre abunde testatum
sit; opera quæ Patris autoritate instructus
26. facio, de me, quis sim, liquido testantur. Nec
me neglecti erga vos officii reum agit, quod vos
non creditis, ut qui ex ovium mearum nume-
ro, sicut præmonui, ad æternam vitam ante
jacta mundi fundamenta prædestinatarum,
27. non estis. Quotquot enim oves meæ sunt, hæ ad
vitam ante secula prædestinatæ non invitæ vo-
ci prædicationis meæ auribus perceptæ obtem-
perant. Has ego etiam tum cognitas habeo,
cum in mundi deserto palantes me non agnos-
cunt: & nihilominus ad mei agnitionem ad-
ductæ, me viæ ducem etiam per summa dis-
28. crimina sequuntur. Quibus & ego in umbra
mortis nonnunquam versantibus vitam æter-
nam spiritualem gratuito confero; de qua
nullo unquam tempore excidere possunt: neque
enim quisquam in cælo terra, inferisve est,
qui illas aut earum aliquam è mea manu &
custodia eripere valet. Pater meus, qui illas 29.
mihi dedit, omnibus quibuscunque cum for-
tior, tum sapientior est; ejus ut è manu &
custodia nemo aut vi rapere, aut astu surripe-
re valeat. Quod autem perinde illas à manu 30.
mea & Patris eripi posse negem, inde est, quod
ego & Pater non voluntate solum, sed natura
& essentia unum sumus. Hoc sermone Christi 31.
commoti, tanquam zelo divinæ gloriæ accensi,
lapides quibus eum obruerent, rursus sustule-
runt; sed Christi virtute & potentia tan-
quam injecto fræno ita retenti, ut sublatos la-
pides in illum emittere non valuerint. Ad 32.
quos Iesus: multa & varia præclara facinora
vobis spectantibus ex Patris mei præscripto edi-
di: quæro in tanta multitudine & varietate,
quodnam illud opus est, quo offensi me lapidi-
bus obruere conamini? nihil enim à me mali
in vos admissum esse probe scio. Ad quem Iu- 33.
dæi: De præclaro opere tuo te lapidibus non
appetimus; sed ob blasphemiam in Deum; &
quod cum homo sis, te tamen pro Deo vendi-
cas. Ad quos Iesus: An non scriptum est in 34.
sacro canone vobis tradito, & de quo vos glo-
riamini, Deum à Propheta ad hunc modum
loquentem induci?* Ego de vobis (*ò mortales*
qui aliis præsidetis) dixi, quod Dii estis. *Si* 35.
*igitur Deos illos dixit, qui natura non sunt,
sed ordinatione tantum divina Dii; fierique
nequeat quin quod Deus per Prophetam Da-
videm loquutus est verum in omnia secula
permaneat. Mene æquum est à vobis blasphe- 36.
miæ accusari, quem Pater, donis citra mensu-
ram collatis, ab omnibus mortalibus secretum
& separatum in mundum missum esse indubi-
tatis signis testatus est, quod me Dei Filium
esse professus sim? Si eadem ipsa opera non fa- 37.
cio quæ Pater facit, equidem ut mihi hoc de
me prædicanti credatis non requiro. Illa vero 38.
cum faciam, tametsi mihi hoc de me prædi-
canti non credatis, tamen operibus meis prom-
ptum vobis sit nosse simul & credere, quod Pa-
ter mihi coëssentialis in me est, & ego vicissim
in illo. Quo sermone irritati, iterum illum ad 39.
morte afficiendum prehendere conati sunt: sed
Iesus se divina sua virtute subducens vim eo-
rum & violentas manus effugit. Et se rursus 40.
recepit cis Iordanem; ubi Ioannes inter alios
multos Christum quoque baptismo consignas-
set; ubi etiam animi sui recreandi & tristi-
tiam deponendi causa, quam ex Iudæis pervi-
cacissimus*

41. *cacissimis contraxerat, se receperat. Nec spe sua falsus est: multi etenim ad eum convolabant, & magno consensu hoc illi quod sequitur testimonium ferebant: Ioannes tametsi nullum signum edidit, fidelis tamen Dei minister comprobatus est, quandoquidem omnia illa, quæcunque sunt, quæ de hoc Iesu prædicavit, verissima esse comperiantur. Unde etiam extitit* 42. *ut multis in illum credentibus separatam commigrationis suæ consolationem acceperit.*

LVC. *cap.* 15. *à vers.* 1, *ad* 11.

Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores ut eum audirent:
2 Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes; Iste peccatores recipit, & edit cum eis.

3 Ipse vero loquutus est ad eos hanc parabolam, dicens;

4 Quis ex vobis, si habeat centum oves, & perdiderit unam ex illis, non derelinquit illas nonaginta novem in deserto, & abit ad eam quæ periit, usquedum eam nactus erit?

5 Et eam nactus imponit in humeros suos gaudens:

6 Veniensque domum convocat amicos & vicinos, dicens eis; Gratulamini mihi; nam inveni ovem meam quæ perierat?

7 Dico vobis ita fore gaudium in cœlo super uno peccatore resipiscente, magis *quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est resipiscentia.*

8 Aut quæ mulier, si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, quæritque accurate, usquequo eam invenerit?

9 Et eam nacta, convocat amicas ac vicinas? dicens; gratulamini mihi: nam inveni drachmam, quam perdideram.

10 Ita dico vobis, gaudium est in conspectu Angelorum Dei super uno peccatore resipiscente.

ANALYSIS.

Narratur conventus publicanorum & peccatorum ad Christum: qui adjuncto, quantitate amplificatur, nempe quod omnes conveniebant. Finis etiam designatur ut audirent eum.

*Vers.*2. Cujus effectum est mussitatio Scribarum & Pharisæorum: cujus effecti causa assignatur, quod Iesus illos admittebat ad verbi auditionem, quod cum illis cibum capiebat.

Vers. 3. Hanc mussitationem refellit Christus, ubi formam orationis parabolicam notat.

*Vers.*4. Speciem unam proponit Pastoris & ovium. Argumentum autem ducit à comparatione minoris: nam si Pastor pecudem amissam quærit, nedum ille hominem: item alio comparato minori, nam si unicam tantum amissam quærit, nedum ille tot se accedentes: item alio; nam si ille fugientem & errantem ovem quærit donec inveniat, nedum Christus accedentes & se quærentes debet admittere: denique si Pastor relictis aliis quærit perditam, nedum Christus qui hos quærendo, illos non negligit.

*Vers.*5. Illorum etiam invidiam, & ex invidia mœrorem ex adverso gaudio Pastoris ovem reportantis.

*Vers.*6. Hoc gaudium amplificat comparatione majoris: non solum ipse gaudet de inventa ove, sed amicos & vicinos ad societatem ejusdem gaudii invitat.

*Vers.*7. Redditio similitudinis seu parabolæ: ubi ovis inventa comparatur cum peccatore resipiscente: & domus cœlo: & gaudium & gratulatio amicorum & vicinorum cum gaudio testium Angelorum: quorum gaudium de peccatore resipiscente amplificat comparatione minoris, quod magis gaudeant de illo quam justis; qui describuntur suo disparato, quod non egent pœnitentia speciali & insigniori.

*Vers.*8. Alia species parabolæ de fœmina quæ ex decem drachmis unam amisit: ubi diligens & solicita inquisitio describitur effecto accendendi lucernam, verrendi domum & studiose perscrutandi.

*De vers.*9, *&* 10. *vide supra.* 6,7.

METAPHRASIS.

1. *Nec minima pars consolationis erat quam Iesus ex ista commigratione percepit, quod omnes illius oræ seu tractus publicani & flagitiosi ad illum Euangelii audiendi causa conveniebant. Sed Pharisæi & Scribæ antiquum* 2. *obtinētes, obscuro murmure clam mussitabant, quod flagitiosos ad verbi prædicationem admittebat; atque adeo, quod majus est cibum*

cum illis sumpsit. Quo minus enim palam Chri-
stum criminati non sunt, effecit propriæ imbe-
cillitatis conscientia Christum de hac re justis
3. *rationibus convincendi. Christus percepto mur-*
mure (qui intimas animi cogitationes perno-
vit) illorum calumniam aliquot similitudini-
bus scite & apposite congestis diluit, dicens:
4. *Iniqui rerum æstimatores estis, qui de rebus*
vestris quamvis caducis solliciti de æterna fra-
trum salute curam nullam agitis. Quis etenim
ex vobis quærendo invenietur, cui cum centum
oves suppetunt quarum una modo à grege di-
gressa periit, non relinquat nonaginta novem
in deserto noxiis bestiis infesto, ut perditam in-
5. *veniat. De inventa vero solide & ex animo*
gaudens, illam (quod diuturnis erroribus fra-
cta & pastus media debilitata sit) humeris
6. *impositam ad gregem reducit. Post domum*
reversus, non contentus tacitus apud se & do-
mesticos suos lætari, suos cum amicos, tum vici-
nos convocat, dicens: Equidem confido ut me
ita mea omnia vobis curæ esse. Quamobrem
mihi in gaudio de inventa ove socios & parti-
cipes ut vos adjungatis advocavi, non ignorans
hoc ipsum vobis cordi fore, quod me plurimũ re-
creavit; atque ut quem ex amissa ove dolorem
accepistis, ex inventa deponatis. Hæc cum pro- 7.
be vobis nota sint, & sensu percepta: non mi-
nus certum est, atque adeo sancte vobis con-
firmo gaudium in cœlo (tanquam in domicilio
Dei) majus agitari de uno peccatore, qui ad
frugem redit, quam de nonaginta novem ju-
stis, qui se à gravioribus sceleribus integros ser-
vantes, insigniori pœnitudine non habent opus:
ut fera & immanis quædam inhumanitas sit,
vos tot hominum saluti invidere & ex eo mœ-
rore cõfici, unde lætandi materia plenissime sup-
peditatur. Aut quæ fœmina (sunt enim natura 8.
ad rem paulo attentiores) decem drachmis in-
structa, si ex his unam modo amiserit, non ipso
meridie lucernam accendens domum everrit &
illam studiose quærit, nec quærere desistit quoad
illam invenerit. Inventa autem drachma sibi 9.
charas & vicinas accersit, dicẽs; &c. ut vers. 6.
Sic dico vobis gaudium in cœlo ab Angelis tan- 10.
quam Deo Charis & vicinis fit, quoties in ter-
ris cum hominibus conversantes, illis de flagi-
tiosi alicujus resipiscẽtia constiterit, &c. ut v. 7.

LVC. 15, *à vers. 11, ad finem cap.*

11 *Ait autem; Quidam habebat duos filios:*

12 *Quorum junior dixit Patri; Pater, da mihi partem substantiæ* ad me *atti-nentem.* Ille *igitur divisit eis facultates.*

13 *Post dies autem non multos, congregatis omnibus, junior ille filius peregre profectus est in regionem longinquã: & illic dissipavit substantiam suam, profuse vivendo.*

14 *Quum autem omnia ipse consumpsisset, orta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit* victu *defici.*

15 *Abiit igitur & adhæsit uni ex civibus regionis illius: qui misit eum in agros suos ut pasceret porcos.*

16 *Et desiderabat implere ventrem suum siliquis quas edebant porci: & nemo ei dabat.*

17 *Quum autem ad se rediisset, dixit; Quot mercenarii Patris mei redundant panibus, ego vero fame pereo?*

18 *Surgens proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei; Pater, peccavi in cœlum & in tuo conspectu:*

19 *Neque amplius sum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.*

20 *Surgens igitur contendit ad Patrem suum. Quum autem adhuc longe abesset, vidit eum Pater ipsius, & intima misericordia motus est: & accurrens incidit in collum ejus, & deosculatus est eum.*

21 *Dixit autem ei filius; Pater, peccavi in cœlum & in tuo conspectu, neque dignus sum amplius vocari filius tuus.*

22 *Dixit vero Pater ad servos suos; proferte stolam illam præcipuam, & induite*

eum, &

eum, & indite annulum in manum ejus, & soleas in pedes,

23 *Et adductum vitulum illum saginatum mactate, & edentes oblectemur.*

24 *Quia filius iste meus mortuus erat, & revixit: perieratque, & inventus est. Cœperunt igitur sese oblectare.*

25 *Erat autem filius ille ipsius senior ruri: qui ut veniens appropinquavit domui, audivit concentum & choros.*

26 *Et vocatum unum ex pueris, percontatus est quid istud esset.*

27 *Is vero dixit ei; Frater tuus venit: & mactavit pater tuus vitulum illum saginatum: quod valentem illum receperit.*

28 *Indignatus est autem* ille, *nec voluit introire. Pater ergo ipsius egressus, advocabat eum.*

29 *Ipse vero respondens dixit patri; Ecce, tot annos servio tibi, nec unquam præceptum tuum sum transgressus, nec unquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis oblectarer:*

30 *Sed quum filius iste tuus, qui abligurivit victum tuum cum meretricibus, venit, mactasti ei vitulum illum saginatum.*

31 *Ipse vero dixit ei; Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.*

32 *Exhilarari vero & gaudere oportebat, quod frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perieratque, & inventus est.*

ANALYSIS.

Tertia parabola est Dei & Patris, qui suo relato filiis describitur; qui filii adjuncto numero duorum describuntur.

Vers. 12. Iunior filius describitur suo effecto, petitione à Patre ut partem bonorum quæ ad se attinet daret: cujus effectum est distributio bonorum inter filios.

Vers. 13. Aliud effectum minoris natu, nempe corrogatio omnium quæ habebat: quæ suo fine docetur, ut peregre proficisceretur: quæ profectio adjuncto tempore indicatur, non ita multo post quam partem suam acceperat: profectio etiam describitur suo subjecto, nempe regione procul à paternis ædibus dissita. Adjunctum hujus peregrinationis à domo paterna est dissipatio bonorum: cujus causa efficiens assignatur vitæ luxus. vide *v.* 30.

Vers. 14. Aliud adjunctum peregrinationis vel potius luxus & libidinosæ vitæ est fames in terra peregrinationis; quæ adjuncto tempore declaratur, cum filius omnia abligurisset: quorum duorum effectum est quod penuria & inedia urgebatur: propter meretricem etenim quis redigitur ad frustum panis. *Proverb.* 26.

Vers. 15. Effectum hujus penuriæ est, quod se mancipavit cuidam illius regionis civi: civis vero effectum quod prodigum in agros misit: quæ missio suo fine declaratur ut pasceret porcos.

Vers. 16. Aliud effectum famis simul & egestatis quod cupivit se satiare siliquis, quas porci comedebant: quod diverso exornatur, nemo tamen ei siliquas suppeditavit.

Vers. 17. Adjunctum hujus penuriæ & miseriæ est resipiscentia & ad se regressus; cujus effectum est commentatio de felicitate, qua utebatur in domo paterna: quod comparatione minoris amplificatur, quod mercenarii abundarent pane, nedum filiifamilias; & illustratur adverso, penuria & fame qua laborabat.

Vers. 18. Prioris commentationis effectum est constitutio cum animo suo, se velle domum paternam repetere & peccatum confiteri: forma confessionis proponitur, in qua amplificatur peccatum à subjecto, in quod peccatur, nempe Deum primum, deinde Patrem.

Vers. 19. Item ab adjuncto, pœna, quod non sit dignus qui amplius vocetur filius, quod suo disparato arguitur, quia petit ut in censu mercenariorum habeatur.

Vers. 20. Effectum constitutionis est profectio ad paternas ædes: adjunctum vero profectionis est quod pater miseratione commotus est: commiserationis causa assignatur, quod Pater vidit eum; quæ visio adjuncto tempore declaratur, cum adhuc longe abesset filius: commiserationis vero effectum est, quod festinavit ad occursum ejus, quod ruit in collum ejus, quod illum deosculatus est.

Vers. 21. Hujus commiserationis paternæ effectum est libera confessio ut supra 18, 19.

Vers. 22. Hujus ingenuæ confessionis adjunctum sunt alia patris beneficia, quod stolam præstantissimam afferri jubet; quæ suo fine declaratur, ut filius induatur; item annulum digito & calceos pedibus.

Vers. 23. Item ut pinguis vitulus mactetur; quod suo fine arguitur, ut omnes cibum sumentes exhilarentur.

Vers. 24. Causa materialis hujus lætitiæ assignatur, quod filius revixerat, quod suo adverso illustratur, nempe qui erat mortuus. Item quod inventus: quod suo adverso amplificatur. Cujus mandati effectum est quod familia hilaria agebat.

Vers. 25. Describitur filius major natu ab effecto redeundi ex agro, appropinquando domum; & ab adjun-

adjuncto audiendi symphoniam & choreas.

*Vers.*26. Quorum effectum quod servum familiæ ad se vocat; quod suo fine declaratur, ut quid hoc vellet cognosceret.

*Vers.*27. Percunctationis effectum est rei, ut gesta est, narratio.

*Vers.*28. Narrationis effectum est ira filii majoris natu: iræ vero effectum, quod noluit domum ingredi. Cujus recusationis adjunctum est, quod pater egreditur: quod suo fine indicat, ut filium oraret ut ingrederetur.

*Vers.*29. Aliud effectum iræ, querimonia apud patrem; in qua patrem inæqualitatis insimulat ab adjuncta ejus in se illiberalitate; quam diverso exornat, tametsi illi multos annos inservisset; item altero diverso, tametsi nunquam ejus præceptum violasset.

*Vers.*30. Quod adverso, munificentia in prodigum & prophanum filium exaggeratur.

Vers. 31. Cujus querimoniæ adjunctum est, quod pater placare conatur filium ab adjuncto, assiduitate & præsentia cum patre: cujus effectum est, ut possit communicare omnibus paternis bonis.

*Vers.*32. Deinde ab adjuncto officio gaudendi de filio natu minore, quod sua causa materiali declaratur, quod revixit & inventus sit: quæ suis adversis illustratur, quia mortuus & perditus fuit.

METAPHRASIS.

11. *Doctrinam hanc summe utilem alia parabola, eaque longe præstantissima eleganlissimaque, exornavit, dicens; Vir quidam duos*
12. *habuit filios. Quorum natu minor patri dixit;*
Da, quæso, mihi partem quæ ad me in hæreditatis partitione jure reditura est, ut illam peregre proficiscens, negotiatione aut arte aliqua honesta auctiorem reddam. Qua petitione pater motus, facultates suas omnes partitus, quod
13. *utrisque erat, utrisque assignat. Natu minor*
non ita multo post omnia convasans peregre in longinquam regionem, unde luxus & prodigiosæ ejus libidines exaudiri non poterant, profectus est: ibique omnem suam substantiam, luxuriose & libidinose vivendo, dissipavit.
14. *Cum vero omnia decoxisset: ingens fames regionem illam invasit, unde, consumptis jam ante bonis suis omnibus, ipse rebus ad victum*
15. *& cultum spectantibus cœpit destitui. Quamobrem cuidam ex civibus illius regionis se in servitutem dedit; qui illum non domi suæ honesta & liberali arte exercuit, sed ad abjectissimi & turpissimi subulci opus extrusit in agrũ.*
16. *Ubi tanta victus media laboravit, ut ventrem ex siliquis quibus porci pasci soliti sunt implere expetens, qui illas suppeditaret non invenerit; illius ut fuerit cõditio pejor quam est porcorum.*
17. *Tandem amentiæ suæ in linquendo paternas ædes & patrimonium dissipando pœnitudine ductus, secum & cum animo suo ad istum modum commentatus est: Quot sunt non domestici solum, sed mercede à patre ad operas conducti, qui rebus ad victum necessariis abundant, cum ego, in quem pater propensior est*
quam in illos, fame perire pericliter. Quamob- 18.
rem relicta hac servitutis conditione (quod jure conceditur; cum necessarius victus non præbetur) redibo ad patrem atque me illi submisse subjiciens, dicam; Pater, peccavi primum quidem & præcipue in Deum qui in cœlis est, de-
inde in te, Pater: Atque ut natura filius tuus 19.
sum, nunc tamen vitæ meæ corruptela & petulantia effectum est, indignus ut sim qui in censu filiorum habear, tantum peto ut inter mercenarios tuos numerer & mercenarii
conditione fruar. Hæc cum primum secum dis- 20.
ceptasset, deinde cum animo suo constituisset, surgens ad patrem suum perrexit. De cujus reditu cum fama percrebuerat, pater (filio longo adhuc intervallo dissito) illum conspiciens, commiseratione ob illius miseriam commotus est; nec se continere potuit, quin oblitus dignitatis & authoritatis suæ, citato gradu in col-
lum ejus irruens, illum deosculatus sit. Ad 21.
quem filius & ut vers.18. Tum pater servis in 22.
mandatis dedit, huic quidem ut pretiosissimam inter cæteras stolam, illi vero ut annulum digito ornando, tertio ut calceos afferat, quibus,
detractis pannis, illum induant. Et quidem 23.
vitulum illum præ cæteris præpinguem ex præsepi eductum mactare, ut convivantes solide
lætemur. Magnum enim argumentum gau- 24.
dii suppetit quod filius meus, qui in peccatis mortuus est, revixerit, & qui seipsum effre-
nata vita perdiderat, inventus sit. Filius ve- 25.
ro natu major interim dum hæc geruntur in agro erat, qui prope ædes accedens & concentum musicum, & strepitum eorum qui cho-
reas ducunt, exaudiens: & ex servis quemdam 26.
ad se advocans, quid hoc sibi vellet, percun-
ctatus est. Cui ille: quod frater tuus domum 27.
rediit, eumque pater sanum & incolumen recepit, ideo vitulum illum (quem non ignoras) præ cæteris præpinguem, mactare jussit. Hinc est ut convivium celebrantes, de more musi-
cum concentum & choreas adhibeant. Quo 28.
audito, ilico incanduit usque eo, ut domum, cujus præ foribus erat, ingredi recusavit: quamobrem exiens pater illum precatur ut se ad hu-
jus gaudii societatem adjungeret. Ad quem 29.
filius: vide, quæso, quam iniquus Pater sis: tot jam annos tibi servi potius quam filii loco deservio, neque unquam mandatum tuum violavi; nec tamen vel hædum mihi dedisti, quem
cum amicis comedens hilaria agerem. Nunc 30.
vero cum rediit hic tuus filius (nec enim meum fratrem

fratrem illum appellare dignor qui tuas facultates cum scortis convivando devoravit, vitulum illum præ cæteris præpinguem mactari
31. *curasti. Ad quem pater : fili, tu mihi semper domi meæ fuisti, unde tibi potestas facta est meis omnibus bonis communicandi. Lætari vero & gaudere nos convenit, quia frater tuus, &c. ut vers. 24.* 32.

LUC. *cap.* 16, *à vers.* 1. *ad* 10.

Dixit autem etiam discipulis suis; Fuit homo quidam dives, qui habebat dispensatorem : & is delatus est apud eum, ut qui dissiparet quæ ipsi suppetebant.

2 Vocavit eum igitur, & dixit ei; Quî istud audio de te? redde rationem dispensationis tuæ : non enim poteris amplius esse dispensator.

3 Dixit autem apud se dispensator; Quid faciam, quum dominus meus auferat à me dispensationem? fodere nequeo, mendicare pudet.

4 Novi quid sim facturus, ut quum amotus fuero à dispensatione, recipiant me aliqui domum suam.

5 Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dixit primo; Quantum debes domino meo?

6 Is autem ait; Centum batos olei. Tum ille dixit ei; Accipe tabulas tuas, & sede cito, & scribe quinquaginta.

7 Deinde alii dixit; Tu vero quantum debes? Is autem ait; Centum coros tritici. Tum ipse dixit ei; Accipe tabulas tuas, & scribe octoginta.

8 Et laudavit Dominus ille dispensatorem injustum, quod prudenter fecisset. Certe filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in suo genere.

9 Sic etiam ego vobis dico; Facite vobis amicos ex mamona injusto: ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna illa tabernacula.

ANALYSIS.

Parabola proponitur de Oeconomo, qui describitur, 1. à relato domini divitis, cujus erat Oeconomus : deinde ab adjuncto, accusatione, quod bona herilia dissipasset; quæ accusatio suo subjecto declaratur, nempe apud herum.

Vers. 2. Cujus accusationis effectum est, quod ab hero vocatus sit: quæ vocatio suo fine arguitur, nempe ut poneret rationem dispensationis. Quæ rationis redditio suo adjuncto arguitur, quia Oeconomia sua sit abdicandus; cujus efficiens assignatur, quod apud se delatus sit.

Vers. 3. Hujus effectum est anxia & sollicita Oeconomi cum seipso & animo disceptatio : alia causa hujus sollicitæ disceptationis est ejus ad laborandum impotentia, aut ad mendicandum pudor.

Vers. 4. Disceptationis effectum, decretum animi sui quid facturus sit; quod primum suo fine declaratur, ut cum Oeconomia submotus fuerit, hospitio excipiatur.

Vers. 5, 6, 7. Decreti apud se cum animo suo effectum est quod heri debitores advocat; rogat quid hero debent: quæstionis effectum recognitio & confessio debiti: confessionis vero & recognitionis adjunctum est, quod singulis debitoribus aliquid de herili nomine remittit; forma autem remissionis, Chirographo, quo obligati sunt, debiti diminutionem & subtractionem scriberent; quod etiam suo adjuncto notatur, nempe ut cito illud faciant.

Vers. 8. Hujus ab Oeconomo facti adjunctum est laus herilis : quæ arguitur ab adjuncto, prudentia Oeconomi sibi tam oportune prospicientis; quæ prudentia genere confirmatur, quia filii hujus mundi sunt sapientiores; quod minore amplificatur, quam filii Dei.

Vers. 9. Redditio totius hujus parabolæ, ut amicos comparemus ex pecunia; quod confirmatur testimonio Christi; item ab adjuncto pecuniæ, quia injusticia hominum sæpe nobis adimitur; & suo fine, ut accipiant nos in æterna tabernacula : quod adjuncto tempore declaratur, quando deficientes ab Oeconomia ex hoc seculo migraturi erimus.

METAPHRASIS.

Averso à Scribis & Pharisæis, quibus os obturavit, sermone, se ad discipulos convertit, ut illos ad beneficentiam excitaret, dicens : vir erat prædives tanto & tam amplo famulitio instructus, ut Oeconomi operam in subsidium adhibere coactus sit. Ejus autem Oeconomus apud herum reus peragitur, ut qui heri sui bona fidei suæ commissa hinc inde dissipasset. Quamobrem herus Oeconomum ad se vocans, illi dixit; Quid istuc mali est, quod de te, cui omnia mea credidi, bonorum meorum dissipationem fide non dubia audio. 1. 2.

Idcirco

*Idcirco eorum quæ adhuc in manibus tuis
ſuperſunt inita ratione, illa mihi reddi &
reſtitui volo; neque enim poſthac tua in
bonorum meorum diſpenſatione opera uti
3. conſtitui. Ab hero dimiſſus ut confectis ra-
tionibus eaſdem illi afferat, Oeconomus de
ſe potius quam de herili negotio ſollicitus, cœ-
pit ſecum ipſe ad hunc modum diſceptare.
Quid nunc faciam, cum herus Oeconomi mu-
nus mihi abdicaturus eſt? fodere aut opus
aliquod operoſum aut laborioſum (cui nun-
quam fui aſſuetus) obire nequeo; quominus
vero ſtipem poſcam (qui tot eiſdemque honeſta
conditione hominibus victum ſuppeditavi) pu-
4. dore impedior. Sed cogitando venit mihi in
mentem quid faciam, ut cum munere diſpen-
ſationis abdicatus fuero, me hoſpitio excipiant
hi quibus heri diſpendio gratificari conſtitui.
5. Quamobrem convocatis omnibus heri ſui de-
bitoribus primo dixit quantum debes hero
6. meo? Cui ille; centum Batos olei: Ad quem
Oeconomus accipe Syngrapham tuam & con-
ſidens è veſtigio (nam feſtinatione opus eſt)
novas tabulas faciendo ſcribe te hero in quin-
7. quaginta tantum obnoxium eſſe. Alteri vero
ex debitoribus dixit; tu vero quantum debes?
Cui ille centum coros tritici. Ad quem Oeco-
nomus: accipe ſyngrapham & novas tabulas
faciendo ilico ſcribe octoginta. Dominus vero 8.
re, ut geſta eſt, intellecta, laudavit injuſtiſſi-
mum hunc ſuum Oeconomum: non equi-
dem quod injuſtus erat, ſed quod prudentia
& proſpicientia ſibi de hujus vitæ commodis
conſuluit. Et certe (ut verum quod eſt fatear)
hi quorum ſpes hujus ſeculi finibus definitur,
majore, ad hujus vitæ ſubſidia comparanda,
prudentia inſtructi ſunt, quam filii qui æter-
næ luci fruendæ deſtinati ſunt, in illis compa-
randis quæ ad æternam ſalutem referuntur.
Quamobrem vobis author ſum, ut in his, quæ 9.
ad æternam ſalutem ſpectant, hujus Oecono-
mi prudentiam imitemini: & amicos vobis
comparate facultatum & pecuniæ in pauperes
erogatione; maxime cum hujus Oeconomi ex-
perimento edocti ſitis, hæc caduca bono multi-
plici injuſtitia & injuria aliorum, vobis facile
eripi, & à juſtis dominis ad alienos transferri:
ut quando vobis ex hac vita migrandum &
Oeconomias veſtræ ratio coram Domino red-
denda ſit, vos precibus eorum in cœlum præ-
miſſis, in tabernacula ſemper duratura vel-
uti excipiant.*

LUC. *cap.* 16. *à verſ.* 10. *ad* 19.

10 Qui fidelis eſt in pauco, etiam in multo fidelis eſt: & qui in pauco injuſtus eſt, etiam in multo injuſtus eſt.

11 Itaque ſi in fallaci mamona fideles non fuiſtis, verum mamonam *quis credet vobis?*

12 Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?

13 Nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet, non poteſtis Deo ſervire & mamonæ:

14 Audiebant autem hæc omnia etiam Phariſæi, qui erant avari. & ſannis eum excipiebant.

15 Tunc dixit eis; Vos ii eſtis qui juſtificatis voſipſos in hominum conſpectu: Deus autem novit corda veſtra: quia quod apud homines ſublime eſt, abominatio eſt in conſpectu Dei.

16 Lex & Prophetæ uſque ad Iohannem: ab eo tempore regnum Dei euangelizatur, & quivis in illud vi perrumpit.

17 Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quàm Legis unum apicem excidere.

18 Quiſquis dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & quiſquis à viro dimiſſam ducit, mœchatur.

ANALYSIS.

HOrtatur ad ſanctum & legitimum uſum minimorum donorum, ab adjuncto legitimo uſu meliorum donorum; quod ſuo adverſo confirmat, quia perfidioſus in his quæ minima ſunt, erit perfidioſus in maximis.

Verſ. 11. Quod prius in genere dixit, hic ſpeciatim docet in divitiis; ad quarum fidelem & legiti-

mum

mum usum cohortatur ab adjuncta pœna, quia alioqui quod solidum & verum bonum est Deus nobis non credet.

Vers. 12. Ab adjuncto, aliena natura divitiarum hortatur ad legitimum eorum usum: quod confirmat ab adjuncta pœna, quia alioqui Deus nobis non credet quæ sunt nostra.

Vers. 13. A servitute divitiarum dehortatur ab adverso, quia sic non potest serviri Deo; quod pari illustratur, quia nemo potest servire duobus dominis; quod confirmat ex contrariis effectis.

Vers. 14. Effectum hujus concionis apud Pharisæos, nempe quod eum vafre & subdole ludificabant: etiam sua causa declaratur, quia erant avari.

Vers. 15. Hujus ludificationis effectum est Christi ad eos responsum, in quo illos accusat quod se justos pronunciarent; cujus causa efficiens non obscure indicatur, quod externa tantum intuentur, quæ hominibus videntur, non autem animos perscrutantur; quod diverso exornatur, Deum scilicet eorum corda perscrutari, tametsi hoc non faciant; quod comparatione majoris confirmatur, coram Deo non tantum non justos esse, sed etiam abominabiles; quod suo diverso exornatur, tametsi sint magni pretii apud homines.

Vers. 16. Eorum improbitatem amplificat à disparato, quod subsidia revelatæ veritatis majora & ampliora haberent quam olim: item à disparato, aliorum ordinum zelo in amplectendo illam doctrinam quam Pharisæi repudiarunt.

Vers. 17. Deinde illorum impietatem amplificat ab effecto, quod legem ipsam de qua maxime gloriantur, non servant: quam prævaricationem, ut exaggeraret, proponit, legis adjuncta stabilitate; quod comparatione minoris amplificatur, quod ne punctulum legis erit, quod non complebitur.

Vers. 18. Transgressionem legis probat in specie quod ob leves causas repudia dari permiserunt, & ejectas à maritis iterum duci permittebant, & rejectas levibus de causis nubere posse docebant.

METAPHRASIS.

10. *Sicut prudentiam, sic & fidem servare decet vel in minimis, quæ nobis & nostræ fidei commissa sunt; ut hac in minimis fidelitate fidem faciatis vos in magnis quæ fidei vestræ concredita sunt, fideles fore: quod suo adverso adhuc illustrius est: quando qui in minimo injustus & perfidiosus est, idem etiam in magnis*
11. *injustum se præbebit. Si ergo in divitiis, tanquam in re minima, dispensandis fideles non estis, exspectandum vobis non est, ut Deus vestræ fidei bona illa, quæ firma & solida sunt,*
12. *committat. Et si in divitiis quæ propter illarum mobilitatem & expeditam ab uno domino ad alium translationem, aliena potius quam propria appellari merentur, vos fideles non præstitistis, expectandum vobis non est, ut Deus vobis dona daturus sit, quæ sua firmitate & duratione vere vestra dici possunt. In commu-* 13.
ni sensu positum est, unum eundemque servum duobus dominis, qui lites inter se exercent, uno eodemque tempore servire non posse: vel enim hunc odio & alterum charum habebit; vel huic adhærebit & alterum contemptui habebit. Quamobrem non potestis divitiarum cupiditati ad se revocanti, servire & Deo, qui studia vestra ad sui debitum & justum obsequium exigit. Hæc cum omnia Pharisæi audi- 14.
vissent, Iesum cœperunt tecte & recondita quadam ratione irridere, ut qui pecuniæ studio ducti stulticiæ dabant, si quis de divitiis tam abjecte sentiret. Ad quos Iesus: vos estis hi, 15.
qui illa tantum respicientes quæ in hominum oculos incurrunt, justos vos censetis: sed Deus penitus in vestros etiam animos (quos pollutos invenit) introspiciens aliter de vobis statuit: unde etiam est, ut quod hominum judicio augustum & magnificum habetur, Dei judicio (quod unica veri mensura est) sit abominandum. Hæc autem pervicacia eo tetrior est, 16.
quod in illa tempora incidistis, in quibus Euangelii prædicatio Ioannis Baptistæ ministerio cœpta, legi & Prophetis successit. Quæ prædicatio in aliis fructum ferens, & ex omni hominum ordine plerosque incendens, ut veluti vi quadam adhibita in Ecclesiam, in qua Deus regnat, perrumpant, in vobis effectum perquam contrarium sortita est. Quod de successione 17.
Euangelii legi & Prophetis non ita intelligi volo, ac si lex aut Prophetæ in Ecclesia exauthorata essent: citius etenim cœlum & terra (quæ æternum sua substantia manebunt) peribunt, quam ut vel unus apex legis & Prophetarum, qui legem interpretati sunt, excidat. Quamobrem quicquid vos contra vel docendo, 18.
vel experiundo occlamatis; tamen quicunque uxorem dimiserit & aliam duxerit, nisi ob admissum adulterium, adulter ipso facto constituitur; & qui dimissam à viro duxerit, adulter itidem ipso facto constituitur.

LVC. *cap.* 16, *à vers.* 19, *ad finem Capitis.*

19 Cæterum quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & sese oblectabat quotidie splendide.

20 Erat vero quidam mendicus nomine Lazarus, qui projectus erat ad vestibulum ejus ulcerosus.

21 Et desiderans saturari micis quæ cadebant è mensa divitis: sed & canes veniebant ac lingebant ejus ulcera.

22 *Factum est autem ut moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahami: mortuus est vero etiam dives, ac sepultus est.*

23 *Et apud inferos sublatis oculis suis, quum esset in tormentis, vidit Abrahamum è longinquo, & Lazarum in sinu ejus.*

24 *Tum ipse clamans, dixit; Pater Abrahame, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digitum suum in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in ista flamma.*

25 *Dixit autem Abrahamus; Fili, memento te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic solamen recipit, tu vero cruciaris.*

26 *Et ad hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non poßint, neque istinc huc transire.*

27 *Dixit autem* ille; *Rogo te igitur Pater, ut eum mittas domum Patris mei.*

28 *Habeo enim quinque fratres, ut* hæc *attestetur eis; ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti.*

29 *Dicit ei Abrahamus; Habent Mosen & Prophetas: audiant eos.*

30 *Ille vero dixit; Non, Pater Abrahame: sed si quis è mortuis abierit ad eos, resipiscent.*

31 *Abrahamus autem dixit ei; Si Mosen & Prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, persuadebuntur.*

ANALYSIS.

PRogreditur in suscepto instituto adhortandi discipulos ad liberalitatem in indigos ab adjuncta pœna illiberalitatis: quam rem parabola illustrat: ubi dives suis adjunctis describitur, cultus corporis exquisiti (qui describitur sua materia, bisso, & adjuncto colore purpureo) & victus delicatissimi: quod amplificatur adjuncto tempore, nempe quotidie.

*Vers.*20. Mendicus describitur adjuncto nomine Lazari; item ab adjuncto, ulceribus, quibus scatebat: quorum ulcerum effectum erat, quod non stetit stipem petens, sed jacuit ad portas divitis.

*Vers.*21. Effectum mendicitatis, quod cupiebat refici; quod comparatione amplificatur minoris, vel à micis à mensa ejus decidentibus; ubi divite hoc non annuente huic desiderio mendici, immisericordia exaggeratur disparato, nempe canum, qui lambebant ejus ulcera.

*Vers.*22. Mendicus describitur adjuncto, morte; cujus efficiens est cibi inedia: cujus mortis adjunctum est, quod deportatus ab angelis in cœli quietem; quæ pari illustratur sinus Abrahæ. Dives item describitur ab adjuncto, morte; quæ diverso videtur exornari, tametsi cibis omnis generis abundat: mortis vero adjunctum est sepultura sumptus plena.

*Vers.*23. Adjunctum aliud mortis divitis est apud inferos cruciatus; cujus etiam aliud adjunctum est oculorum sublatio: cujus effectum est, quod vidit Abraham & Lazarum in quiete Abrahæ: quod subjecto loco declaratur, nempe à se procul dissitum.

*Vers.*24. Effectum illius cruciatus est petitio ad Abrahamum, primum ut illius misereatur; cujus misericordiæ effectum est, ut mittat Lazarum ad se; quæ missio suo fine declaratur, ut intincto in aqua digito linguam ejus flammantem refrigeraret: cujus petitionis efficiens est, quod misere torqueatur.

*Vers.*25. Adjunctum petitionis est recusatio & repudiatio petitionis; cujus causa efficiens notatur, quia in vivis totus in luxu vixit; quod suo adverso illustratur miseriæ Lazari: cujus utriusque effectum est, quod ipse torqueatur, alter reficiatur.

*Vers.*26. Hujus recusationis aliam causam efficientem assignat, loci distantiam: cujus effectum est duplex, quod neque beati ad maledictos, nec maledicti ad beatos transire possint.

*Vers.*27. Illius responsi aliud est adjunctum, ut mittat Lazarum ad fratres suos.

*Vers.*28. Quod suo fine arguitur, ut illis testetur ne in cruciatum hunc veniant.

*Vers.*29. Recusatio & repudiatio illius petitionis effectum; cujus efficiens est, quod habeant Mosem & Prophetas; quod suo fine arguitur, ut illos audiant.

*Vers.*30. Cujus recusationis adjunctum est divitis in petitione perduratio; cujus efficiens est, quod nuntio ejus, qui è mortuis resurgit, pœnitentiam agent.

*Vers.*31. Effectus permansionis in petitione est in pernegatione continuatio; qui arguitur ab adjuncta inutilitate mittendi aliquem è mortuis.

METAPHRASIS.

QVo magis afficiam vos erga pauperes commiseratione, placet doctrinam hanc parabola exornare. Eandem enim pœnam illam ineluctabilem subibunt immites & immisericordes, quæ hac parabola adumbratur. 19.
Erat vir quidam prædives purpureo bisso splendide vestitus, quique in victus ratione exquisitissimis deliciis vescebatur, in utroque autem

cum

cum cultus tum victus luxu non raro, quod
piis conceditur, sed quotidie, sine intermissione
20. immersus est. Erat & mendicus, quem pieta-
tis ergo, de nomine suo, nempe Lazaro, propono,
qui ulceribus scatens, ad Divitis portam (quod
21. pedibus consistere nequiret) jacebat. Qui nihil
magni postulans, tantum micis à mensa cadi-
vis (quæ canum præda sunt) refici & recreari
expetivit: neque tamen quisquam erat qui il-
las ei suppeditavit. Sed nec quisquam erat qui
canes morsuros abarceret, qui tamen ulcera
(erat enim nudus) ejus lingebant; ut major
canum fuerit quam hominum illius familiæ
22. humanitas. Effectum vero est, ut frigore &
fame enectus mendicus suum diem obiens, à
beatis Angelis in Abrahæ requiem deportatus
sit. Dives itidem non ita multo post, hanc vi-
tam cum morte (à qua illum nec cultissimus
vestitus, nec ciborum cupediæ vindicare potue-
runt) commutans magna pompa & funebri
23. apparatu sepultus est. In inferno jam agens,
& tormentis infernalibus cruentatus (subla-
tis in cœlum oculis) Abrahamum procul à se
dissitum vidit, & Lazarum tanquam fessum
suis in terris laboribus in sinu Abrahami pa-
24. tris sui conquiescentem. Illum vero inclamans
atque invocans, dixit: Pater Abrahame, mi-
sertus mei, dic Lazaro, ut tincta summa parte
indicis in aqua, ad me veniat, ut meam lin-
guam incredibili ardore ferventem ad mo-
mentum saltem refrigeret: nam in hoc inflam-
25. mante igne mirifice torqueor. Ad quem Abra-
hamus; fili (sum enim secundum carnem Pa-
ter tuus) meminisse convenit, te, cum in vivis
esses, tuis commodis & voluptatibus ad satie-
tatem usum esse, sicut Lazarus omni malorum
genere oppletus extitit. Quamobrem æquum
est, uti hic jam consolationem accipiat, tu ve-
ro mœrore conficiaris. Huic accedit quod inter 26.
nos & vos ingens hiatus seu vorago à Deo
constitutus est, ut qui ad vos transire velint,
non possint; sicut neque qui apud vos sunt ad
nos possunt pertingere. Tum Dives: Quando- 27.
quidem mea conditio deplorata & perdita est;
rogo te, Pater, ut Lazarum ad paternam fa-
miliam mittas. Habeo enim quinque fratres (ut 28.
ego fui) prædivites, ut illis hinc impiorum &
immisericordium cruciatus, istinc vero piorum
gaudia accurate (prout illa in me cognovit,
vel in seipso expertus est) exponens, illi sibi op-
portune caveant ne in hunc cruciatus locum
veniant. Ad quem Abrahamus: Nihil istuc 29.
opus est: Doctrinam à Mose & Prophetis scri-
ptam habent; cui si animum, ut decet, adver-
tant, illa abunde adversus hæc mala in qui-
bus versaris, pharmaca suppeditabit. Cui di- 30.
ves; non ita se res habet, Pater Abrahame;
possunt illi quidem illius doctrinæ subsidio hanc
condemnationem effugere, dummodo (quod non
sæpe fit) fidem illi debitam adjungant, quam
fidem procul dubio adhibentes pœnitudine du-
centur, dummodo aliquis è mortuis excitatus
hanc doctrinam proposuerit. Ad quem Abra- 31.
hamus: hoc quidem tui cerebri somnium est.
Atque ego tibi confirmo illos à mortuis excita-
to fidem non habituros, qui in doctrina à Mo-
se & Prophetis scripta ad pœnitudinem non
proficiunt.

LVC. *cap.* 17, *à vers.* 1, *ad* 11.

Ait autem discipulis; Contingere non potest ut non eveniant offendicula: sed væ illi per quem eveniunt.

2 Expedit ei si mola asinaria circumponatur collo ejus, & abjectus fuerit in mare, potius *quam ut sit offendiculo uni ex parvis istis.*

3 Cavete vobis. Si peccaverit in te frater tuus, objurga eũ: & si resipuerit, remitte ei.

4 Et, si septies in die peccaverit in te, & septies in *die revertatur ad te, dicens; Resipui: remittes ei.*

5 Tunc dixerunt Apostoli Domino; Adde nobis fidem.

6 Dixit autem Dominus; Si haberetis fidem quantulum est *granum sinapis, diceretis huic sycamino; Eradicator, & plantator in mari: & obediret vobis.*

7 Quis autem vestrum habet servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro, dicat statim, Accede, & recumbe?

8 Imo nonne dicit ei; Para quod cœnem, & præcinctus ministra mihi usquedum edero ac bibero: & postea edito tu & bibito?

9 Num gratiam habet servo illi quia fecit quæ ipsi edicta fuerant? non puto.

10 *Ita & vos quum feceritis omnia quæ edicta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.*

ANALYSIS.

Versus 1, & 2. Analysin vide supra, ad *Matth.* 18, 7.

ADjunctum maximi periculi, quod cuique imminet, qui offensaculum alteri præbeat; ut quisque sibi diligenter caveat: adjunctum vero ejus cui scandalum præbitum est, est reprehensio ejus qui peccavit; item remissio ejus in quo peccavit; quæ remissio suo subjecto declaratur, nempe si qui peccat in te, resipiscet.

Vers. 4. Hæc remissio diverso exornatur, condonandum, tametsi septies in die peccat: ubi subjectum hujus resipiscentiæ definitur, nempe qui profitetur se pœnitudine facti duci.

Vers. 5. Hujus doctrinæ in Apostolis effectum erat precatio; quæ suo subjecto declaratur, Christi Domini, quem precati sunt; item forma; *Adauge nobis fidem.*

Vers. 6. Effectum precationis est responsum Christi à disparato, minimam fidem non auctam hoc præstituram quod jubetur: quod comparatione paris arguitur: nam cum minima fide alius generis sycomorus dicto eradicatur & in mari plantetur, minima fide justificationis hanc remittendi promptitudinem suppeditari consequitur.

Vers. 7, 8. Prolepsis, cujus occupatio est ab adjuncto merito, quod tantam in condonando charitatem consequitur: subjectio est ex adverso, est debitum, non igitur meritum.

Vers. 9, 10. Quod comparatione minoris confirmatur: nam si dominus terrenus qui minus juris in servum habet, quam Deus in nos, servo suo gratias non agit, neque illi obsecratus est, cum omnia quæ possunt ab eo officia præstari, obierit diligentissime; quanto minus Deus nobis obnoxius est, cum quicquid à nobis præstari potest, præstiterimus.

METAPHRASIS.

De *versu* 1, & 2. vide supra Matth. 18, *v.* 7.

3. *QVamobrem circumspecte cavete vobis, ne*
aut scandalum aliis præbeatis, aut datum
accipiatis; ne tum quidem cum injuria ab
aliis afficiamini. Sin vero peccaverit in te frater,
eum prius de peccato convictum reprehende,
4. *& si correptus resipuerit, remitte illi. Tametsi*
vero multoties uno eodem die in te peccaverit,
& toties ad te conversus ingenue & serio pro-
fiteatur pœnitentiam, dicens; pœnitet me, ut 5.
libere illi remittas volo. Ad quem Apostoli;
Quod præcipis factu perdifficile est: quamob-
rem precamur, adauge nobis fidem, cujus be-
neficio hanc difficultatem superemus. Ad quos 6.
Dominus: modicum fidei, dummodo vera &
syncera sit, non minus vos ad hæc idoneos red-
det, quam modica fide miraculosa stupenda
perfeceritis. (Illa enim instructi, si huic arbori
dixeritis, è vestigio eradicator, & in mari, ubi
nulla terra est, qua aut figatur aut nutriatur,
crescito; vobis tanquam intellectu & volun-
tate prædita obsequetur) maxime cum fides
vera ita comparata sit, ut indies incremen-
tum sumat. Neque tamen præstantes hac vos o- 7.
pinione esse decet, quasi operum vestrorum me-
rito & dignitate vitam æternam consequami-
ni. Quis enim ex vobis est mancipium habens
seu agriculturæ seu pascendo gregi addictum,
cui ex agro domum (penso absoluto) redeunti,
protinus dicet; accedens discumbe, ut exant-
latis laboribus te reficias? Atque non potius illi 8.
edicet: volo ut cœnam mihi pares; deinde te ac-
cingens volo ut mihi cœnanti ministres, quoad
edendo & bibendo me refecero: tum demum
ipse cibum & potum ut sumas licet. Mancipio 9.
vero hæc omnia fideliter & sedulo obeunti
nunquid vel gratiam habet? Hoc vos facturos
non equidem existimo: certe quidem non te-
neri probe scio. Sic & vos cum omnia vobis 10.
à Deo (qui multo plus juris in vos obtinet
quam in mancipium dominus) imperata fece-
ritis, ex animo profiteri convenit: Servi inuti-
les sumus, quia quicquid vel maximo conatu
& contentissimo nisu confecimus, id omne
tanquam justum & debitum facientes, quæ
nobis mandantur præscripta nobis à Deo ra-
tione non exhausimus.

Praxin huc spectantem vide supra ad *Matth.* *cap.* 18, *vers.* 7, 15, & 21. & *cap.* 17, *v.* 20.

LVC. *cap.* 17, *à vers.* 11, *ad* 20.

11 *Et factum est, inter eundum Hierosolymam, ut ipse transiret per mediam Samariam & Galileam.*

12 *Quum autem ingrederetur in quemdam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul:*

13 *Et sustulerunt vocem, dicentes; IESV magister, miserere nostri.*

14 *Qui quum eos vidisset, dixit eis; Profecti ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est ut inter eundum purificati sint.*

15 *Vnus autem ex ipsis ut vidit se sanatum esse, revertit, glorificans Deum voce magna.*

16 Et

16 *Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias ei agens: eratque iste Samaritanus.*

17 *Respondens autem IESVS, dixit; Nonne decem illi purificati sunt? novem autem illi ubi* sunt?

18 *Non sunt reperti qui redierunt ut retribuerent gloriam Deo nisi alienigena iste.*

19 *Et dixit ei; Surge, & abi: fides tua te servavit.*

ANALYSIS.

DEscribit hanc historiam ab adjuncto tempore, cum proficisceretur Hierosolymam: cujus itineris efficiens instrumentalis erant Galilæa & Samaria per quas iter fecit.

*Vers.*12. Describitur porro à subjecto loco, in ipso ingressu ad vicum quendam: subjectum historiæ sunt leprosi, qui adjuncto numero duodecim notantur; item adjuncto sexu, quod essent viri; item effecto, quod occurrerunt Domino, 2. quod procul (ex legis præscripto) consistebant.

*Vers.*13. Quod vocem extulerunt; quæ sua forma describitur; *Iesu Magister, miserere nostri.*

*Vers.*14. Effectum est, quod jussi sunt ostendere se Sacerdoti, tanquam lepra sanati: mandati effectum est obsequium in leprosis; obsequii adjunctum, purgatio a lepra.

*Vers.*15. Effectum sensus sanationis in uno ex purgatis erat reditus ad Christum; qui à suo fine describitur, ut Deum laudibus extolleret: quæ laudatio adjuncto vehementis vocis declaratur.

*Vers.*16. Laudatio ista alio suo adjuncto, provolutione ad pedes Iesu, declaratur; ille, qui rediit ut Deo gratias ageret, describitur subjecto, regione seu patria Samaria.

*Vers.*17. Effectum hujus gratitudinis est quod à Christo laudetur; & laus primo ducitur ab adverso, ingratitudine novem aliorum.

*Vers.*18. Deinde à subjecto loco, unde oriundus erat, nempe quod Samaritanus; quod suo disparato illustratur Israëlitarum, qui quam maxime grati esse debebant.

*Vers.*19. Aliud effectum reditus, confirmatio purgationis à lepra; quæ sua causa instrumentali declaratur fide; ac tacite amplificatur adversa conditione ingratorum, qui aut in lepram relabebantur, aut animæ lepra, quæ turpior est, inficiebantur magis.

METAPHRASIS.

11. FActum est cum Iesus postremum jam iter
Hierosolymam conficeret, ut ipse per mediam Samariam & Galilæam iter faceret.
12. *Iesu vero vicum jam ingressuro decem leprosi*
fama cum potentiæ, tum promptitudinis in sanandis ægrotis commoti, obviam facti, procul
13. *(ex legis præscripto) consistebant. Locorum*
autem intervallo dissiti, ut exaudirentur, vocem extulerunt, dicentes: Iesu magister, nostri misertus huic nostro tam fœdo morbo reme-
14. *dium, quod tibi facere promptum est, affer. In*
quos defixis oculis Iesus intuens, & commiseratione in illos commotus, de fide periculum sumpturus, dixit: Ite & vos tanquam purgatos Sacerdotibus tractandos & explorandos sistite. Qui dicto audientes in ipso ad Sacerdotem iti-
nere sanitatem consequuti sunt. Ex decem il- 15.
lis unus cum in corpore sanitatem persensisset, regressus non minus contenta voce, quam prius salutem petebat, Dei laudes ob acceptum
beneficium prædicat. Interea nihil magnifi- 16.
centius de Iesu cogitans, quam quod Dei esset eximius Propheta, facie ad pedes ejus provolutus ei gratias immortales egit. Erat autem hic gente ab Assyriis, patria vero ex agro Samariæ ori-
undus. Tum Iesus: Nonne decem lepra purgati 17.
sunt? ubi igitur novem alii qui purgatione cum hoc exæquati gratiarum actione se exæ-
quare debebant? Sed non sunt inventi qui ex 18.
itinere reversi gratos se Deo & ministro ejus præstent, nisi alienigena hic, qui omnium mi-
nime hoc facturus videbatur. Post à circum- 19.
sistentibus ad Samaritanum sermone converso, dixit; à terra in quam prostratus jaces te erigens, proficiscere magis adhuc de purgatione quam fide acceperis securus: cæteris aut in lepram relapsuris, aut graviore & tetriore animæ morbo ex hac ingrati animi labe affectis.

PRAXIS.

PRoficiscente Christo Hierosolymam per Samariam & Galileam, decem lepra infecti fama miraculorum ejus commoti, salutis ab illo consequendæ spem concipiunt; eique pagum ingressuro ad cujus extremitatem illi commorabantur, obviam procedunt. Quod enim castra erant in deserto, id in terra Canaan erant urbes & pagi. Sed cum ex lege *Levit.*13,45. præcipiatur ut foris & in agris agentes, advenientibus suam immunditiem contenta voce & bonis lateribus proclamarent, ne quis in illos incautus incideret; legi convenienter procul consistentes, Christum inclamant, & ejus opem efflagitant. Christus autem illos intuitus eorum miseretur, & illos nondum lepra purgatos perinde Sacerdotem adire jubet, ac si lepra liberati fuissent: qui lepra affecti, & tamen

Vers. 11, 12, & 13. *Decem leprosi Christo occurrunt, mundari volentes.*

tamen obsequentes, sanitatem in itinere ad sacerdotem consequuntur.

Ex his autem unus, cum se morbo liberatum videret, rediit ad Christum, & divinam erga se munificentiam prædicans, non minus ferventer quam salutem prius poposcerat, ad Christi pedes advolutus, gratias illi agit. Tum Christus, ne qui illum sequebantur existimarent eum plus verbis spopondisse reliquis, quam re præstiterat, coram purgato qui negotii hujus conscius testis erat, de reliquorum mundatione asseveranter pronunciat, ut suo testimonio rem aut confirmaret veram, aut falsam refelleret. Quo facto istius simul & pietatem dilaudat, atque aliorum collatione illustrat, & fidem de æterna salute consequenda confirmat.

Summa est, Samaritanum ex decem leprosis sanitati restitutis, ad Christum testandæ gratitudinis ergo reversum, ab eodem non sine reliquorum novem, atque adeo totius Gentis Iudaicæ sugillatione, laudatum & confirmatum esse.

Cujus *partes* sunt, ea in quibus leprosi { Aequantur. Disparantur.

Lepræ summa calamitas. Calamitas lepræ magna proculdubio erat, cum ipsius morbi fœditate & horrore, tum vero quod eo & Dei templo simul & synagogis, & amicorum atque hominum omnium privati sunt societate, quæ illorum afflictionem merito consolari posset. Quorum prius tantum quantam curam & sollicitudinem Davidi attulit, tametsi ad tempus tantum, idque Saulis tantum tyrannide, factum sit, &c. Cumulus autem miseriæ fuit, quod non hominum, sed Dei ipsius; non magistratus, sed sacerdotis voce, civitate exturbati sunt. In quo Dei consilio non erat illis difficile graviorem Dei in se iram sentire, quod morbo liberati lotionibus & sacrificiis purgandi erant; quod in aliis morborum generibus non est imperatum. Hinc enim illis promptum colligere fuit, eos Deum gravius in se concitasse, qui eos tam aspere & tam severe castigarat, & qui non sine peculiari sacrificio ad Dei aspectum admissi sunt. Hæc illos miseria graviter pungens fecit ut vehementius cum sanitatem expeterent, tum illam ferventius à Christo postularent. Hinc est quod vocem corroborantes extulerunt.

Majus tamen malum animæ lepra. Quod si corporis lepra infectus ita aspere tractandus est, nedum animæ lepra; cum in apertum præsertim erumpat, & præter deformitatem civitati Dei ignominiosam reliquis etiam civibus periculum ex contagio creat. Quo accedit, quod hæc cum à sacris tum à communi consuetudine sepositio studium quoddam illis ingenerat curationem & medicinam quærendi; ut hoc loco factum est in istis leprosis. Quo enim longius à Deo remoti & disjuncti sunt, eo vehementius illis inclamandus est Deus, quo firmius ostium Ecclesiæ adversus illos obturavit & obseravit, eo fortius pulsandæ fores erant. Deus enim non ideo nos procul à sacris suis ablegat, & à sui præsentia, ut illa nos penitus privet, sed ut studium nostrum ad eum quærendum acuat & excitet.

Quare vehementiori exclamatione digna. Quod quidem si tum fiebat, nedum nobis faciendum erit, quibus Christus jam occursum venit, qui & ipse quodammodo lepra pro nobis percussus est, id est, pœnis peccatorum nostrorum ita deformatus, ut omnes eum vel intueri dedignarentur & fastidirent, tanquam fuisset lepra pro nobis percussus. *Esa.* 53, 3. Tametsi enim purus erat à peccato, tamen, &c. Non est igitur verendum ne nolit nos respicere, qui morbos nostros in se transtulit; aut quod rejiciet nos ad se venientes, qui ipse ultro accedit; aut quod nos verbo suo sanare nolit, qui manus etiam contrectatione, ut prius vidimus, sanavit. *Matth.* 8. Denique si corporis morbos, nedum animi languores persanabit. Tantum illum invocemus: quod certe faceremus, si deformitatem lepræ hujus cerneremus; si nos illa ex civitate Dei pulsos & exules cogitaremus; si magni *Pontificis* de hac re scientiam & autoritatem cogitemus.

Vers. 14. *Cur leprosos Christus adhuc immundos ad Sacerdotem mittat.* Christus se ab illis exorari sinens, eorum tamen fidem probat; quod in immunditie manentes ad sacerdotem proficisci jubeat, haud secus ac si lepra jam mundati essent. Quo docet, nos ab ejus verbo suspensos esse oportere, nec minus de re nobis promissa hæsitare, quam si à nobis percepta jam esset; eoque ad omnia nos Dei obsequia paratos esse oportere quæ ab illo exiguntur, sicut qui promisso jam potiti sunt. Nec enim minus se in viam ad Sacerdotem dare debebant, quam si à lepra mundati fuissent. Hic igitur sensus sopiri quodammodo, & rationem cedere operæpretium est. Alioqui singulos quos fecissent passus in lepram illis adhærentem respicientes, retrahendi causam habuissent. Modo enim Dei verbum nobis adsit cui innitamur, tametsi nihil eorum quæ promittuntur appareat, quin potius omnia contra-

contraria nobis ante oculos obversentur, non tamen dubitandum quin suo tempore suppeditata erunt. Tametsi igitur, cum res aut nostra, aut aliorum industria nititur, Proverbia illa locum habeant, scilicet; *Ante victoriam triumphum canere, & pullos antequam excludantur, numerare, stultum esse*; tamen cum Dei promisso res nitatur, stultitiæ attribui nequit, si quis de rebus nondum confectis non minus audacter pronuntiet, quam si, &c. Sic Abrahamus risit nuntio accepto de filio, perinde ac si eum proseminasset. Sic Iacobus de sepultura sua in terra Canaan præcepit, ac si, &c. Sic discipuli populum discumbere jubent, cum nihil ad pastum paratum videbant, ac si omnia ante oculos mensæ apponenda vidissent. Sic & nos non minus nos à peccatis nudatos credere oportet, quam si omnis peccati labes elueretur & adimeretur, tametsi corpus peccati circumgestemus.

Hoc loco *Papistarum* de confessione commentum refellendum est. Primum, quod non nisi purgati petunt Sacerdotem. Deinde, quod non nisi de publice notis judicium ad Sacerdotem referunt.

Hactenus de his, in quibus & ipsi se pares præstiterunt, & à Christo æquantur.

Sequitur *pars altera* de uno ex decem qui se mundatum sentiens, rediit ad Christum,	Deum glorificans.	
	Christo gratias agens.	

Adjunctum enim hoc est beneficiorum Dei & liberationis ex malis; scil. glorificare Deum, juxta illud *Psal.*50. *Invoca me, &c. & ego eripiam te, & tu glorificabis me.*

Vers.15, 16. *Quid Deum glorificare?* Glorificare vero Deum est, ei honorem potentiæ & misericordiæ penitus & in solidum tribuere; mali depulsi pertinaciam & profunditatem agnoscere; confiteri sua peccata, quibus malum in se attraxit, & in quo perpetuo permanere promeritus erat; alios in laudis divinæ societatem advocare, eoque quoties oportunum est, accepti beneficii memoriam apud alios refricare. Hujus exemplum est in Iacobo qui Dei munificentiam exornat ab adjecta sua conditione in qua erat Syriam petens. Item Davidis, qui ex Saule rejecto, & se ex humili loco in tantam celsitudinem evecto, Dei erga se benignitatem amplificat: Hoc etiam quid sit ex contrario *Act.*12. colligitur.

Huc accedit quod dicitur magna voce id fecisse; id est, summo studio & conatu, omnium aures ea re personans, omnia loca ejus fama implens. Eundem igitur fervorem in gratias agendo adhibuit, quem ante fecerat in invocando Christum. Docet autem hoc loco quid debetur his quorum opera Deus utitur ad nos juvandos. Videtur enim Christum tanquam eximium Prophetam agnovisse, ad cujus pedes se provolvit, ut olim Synamitis coram Elizæo. Qui enim in homines ingratus, nec manum Dei agnoscit; is etiam in Deum utique ingratus est.

Quod Christus hoc officium commendat nos debet incitare; quod illud exornat, quod apud alios prædicat. Scimus igitur huic esse ut thus; & esse unguentum preciosissimum. Vers.17, 18,19. *Cur Christus hoc factum unius lepra, mundati commendet.*

Quæri tamen potest, quo jure hoc faciat? quum videtur recta potius templum & sacerdotem petendum: sed meminerimus hos esse vitulos labiorum; *Hos.* & præferri bovi, cornua & ungulos findenti: quin etiam ipsam gratitudinem hominibus præstitam gratiorem esse sacrificiis: juxta illud: *misericordiam volo & non sacrificium.* Apparet autem Iudæos in novem aliis leprosis perstrictos esse; & justissimum Dei in eos judicium hoc modo ab Euangelista comprobatum fuisse. Vnde discimus defectionis cujusdam à Deo initium esse, & iræ in nos divinæ, si ingrati in Deum fuerimus.

LVC. *cap.*17. *à vers.* 20, *ad* 26.

20 Interrogatus autem à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei, respondit eis, & dixit; Non veniet regnum Dei ita ut observari possit:

21 Neque dicent; Ecce hic, aut ecce illic; ecce enim, regnum Dei intus habetis.

22 Dixit autem discipulis; Veniet tempus quum desiderabitis videre unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis.

23 Et dicent vobis; Ecce hic, aut ecce illic: sed ne abite, neque prosequimini.

24 Nam sicut fulgur coruscans ex una *regione quæ sub cœlo est, in* alteram *quæ sub cœlo est splendet: ita erit & Filius hominis die suo.*

25 Sed prius oportet eum multa pati, & reprobari à gente ista.

ANA-

ANALYSIS.

QVæstio proponitur, quæ describitur suo efficiente Pharisæis; subjecto circa quod, regno Dei: & adjuncto tempore, quando veniet. Cujus effectum est responsum Christi, quod disparato constat, non venire ut possit observari.

Vers. 21. Aliud disparatum regni Dei, nempe ut nullum tempus, sic nullum locum certum & extrinsecum illi adsignari posse; quod suo adverso concluditur, quia intus & in animis piorum est.

Vers. 22. Translato sermone à subjecto Pharisæorum ad aliud subjectum, nempe discipulos, docet quodnam sit futurum effectum eorum, nempe desiderium ut corporeæ præsentiæ illis copia fiat; quod etiam suo adjuncto tempore, vel ad unicum diem. Cujus desiderii effectum declaratur, hoc illis negatum iri.

Vers. 23. Causa efficiens desiderii declaratur, quod Pseudo doctores dicent ejus regnum ita venturum, ut possit observari: dicent enim, hic est; ecce ibi est. Cujus erroris adjunctum medicina est, ut non eant ad illa loca nec illa persequantur.

Vers. 24. Refellitur autem error ille ab adjuncto, subita & gloriosa Christi apparitione, ita ut neque tempus observari, neque locus possit, qualem illi comminiscuntur; quod pari illustratur fulguris ab una cœli extremitate ad alteram uno momento pervadentis.

Vers. 25. Hujus adjunctum tempus declaratur infinite, nempe postquam multa passus fuerit & repudiatus; quod suo efficiente declaratur, nempe illa ipsa generatione, quæ tum in vivis erat; eo non obscure innuens hanc Christi tam gloriosam & subitam apparitionem ab illa quæ tum vivebat generatione non esse conspiciendam.

METAPHRASIS.

20. *PHarisæi vero qui Christi regnum in hoc mundo externo & spectabili apparatu & pompa gloriosum fore somniabant, haud secus, atque adeo multo splendidius quam terreni Monarchæ, à Christo quando hoc venturum esset quærunt. Ad quos Christus respondet, illos in turpi & crasso errore versari: quandoquidem Dei Regnum (quod idem suum est) non ita comparatum est, ut ejus gloria hîc in*
21. *terris externo oculorum sensu percipi possit. Neque enim qui sane & incorrupte de Regno Dei in hoc mundo judicant dicturi sunt: Ecce hic est Regnum Dei, aut ibi est. Regnum enim Dei hîc in terris intus in animo, non foris oculis aut externis sensibus sentitur. Ad discipulos vero à Pharisæis sermone conver-*
22. *so, dixit; Non ignoro quin hujus ipsius, qui jam apud Pharisæos viget, erroris occasione, venturum tempus sit, cum vel uno tantum die corporeæ meæ hic in terris præsentiæ copiam vobis fieri expetiveritis; quibus tamen me corporeis oculis hic in terris videndi*
23. *potestas non dabitur. Hujus autem optionis causa hæc erit: Quod non defuturi sunt sub finem seculi Pseudo-doctores, qui magna voce & summa fiducia affirmabunt me hic & illic in terris esse. Vos vero ut ab hoc errore tuti sitis, ne pedem quidem ad illa loca, ubi me esse prædicabunt, movete: tantum abest ut illa studio aliquo & desiderio persequamini. Sicut* 24.
enim fulgur ab una cœli extremitate ad alteram lucens tanta celeritate fertur, ut nec tempus nec locus distincte animadverti possit: sic erit posterior meus non in terram, ut illi delirant, sed in aërem adventus.

PRAXIS.

Regnum Dei externa gloria non fulget.

INterrogatus autem.] Quæstio hæc haud dubie per ludibrium agitata fuit: nam cum assidue de propinquo Dei regno dissereret Christus, nulla autem fieret status externi mutatio inter Iudæos, putarunt improbi & maligni homines plausibilem ejus vexandi colorem hunc esse. Ergo perinde ac si de regno Dei frustra garriat & nugetur, mordaciter interrogant, quando tandem venturum sit hoc regnum? Sentiebant autem Pharisæi (& in eodem adhuc hodie errore versantur Iudæi) regnum Messiæ fore carnale, quale fuit aliorum Regum: & existimabant Messiam venturum regio apparatu, & habitaturum pro regia majestate vel in Ierusalem vel in Samaria (quibus in locis regiæ quondam sedes fuerunt) atque omnibus gentibus ex aula sua jura daturum, suaque prudentia & potentia effecturum, ut quotquot ipsum Regem agnoscunt, habitent feliciter ac confidenter sub vite & ficu sua. Sed Christus suo responso indicat non fore regnum Dei eminus? tanquam in pompa conspicuum: Ideoque vehementer falli eos qui regnum Dei carnis oculis quærunt, quod minime carnale est vel terrenum; quando nihil aliud est nisi interior & spiritualis animæ renovatio. Nam a natura ipsius regni perverse eos facere docet, qui circumspiciunt huc vel illuc; ut visibiles notas observent: ac si dixisset: Intus quærenda est quam Deus promisit Ecclesiæ instauratio; quia electos suos in cœlestem novitatem vivificans suum in ipsis regnum erigit. Atque ita oblique perstringit Pharisæorum socordiam, quod nihil nisi terrestre & caducum spirarent. Notandum tamen est Christum de primordiis tantum regni Dei loqui: quia nunc spiritu reformari incipimus ad imaginem Dei, ut suo deinde tempore integra sequatur & nostri & totius mundi reno-

renovatio, de qua abunde Paulus *Rom.* 8, *verſ.* 23.

Verſ. 21. *Neque in [illegible] fides habenda.*

Neque dicent ecce hic, &c.] Ita ſimpliciter hæc accipienda ſunt: certum namque eſt Dominum hic voluiſſe reſpondere ſuis, quid de adventu regni Dei, quod ſemper audierant per Chriſtum reſtituendum, ſentire deberent. Neque dubium eſt eos carnale regnum externamque felicitatem ſemper ſomniaſſe, eoque Dominum ab illo errore, ut & ſæpe alias, voluiſſe revocare. Tum negari non poteſt Pſeudo-Chriſtos fuiſſe, qui externam felicitatem polliciti, ſeduxerint multos Iudæorum. Scopus itaque reſponſionis Chriſti hoc loco fuit diſcipulos docere, non eſſe regnum Dei cum externa felicitate & gloria in præſenti quidem reſtituendum, ſed ſpiritu & fide, idque cum ſumma civium hujus regni afflictione & tentationibus graviſſimis. Futuros autem multos Pſeudo-Chriſtos, & illos quidem externam felicitatem promiſſuros; ſed falſo, eoque ſimul a ſpiritali & æterna ſuos ſectatores averſuros: ideo cavendum eſſe ab omnibus, qui hoc ſæculo regnum externum pollicerentur, aut loco certo illud addicerent, quaſi Deus Ieroſolymis ſolum ſit propitius, vel Romæ ſolum exaudiat.

Verſ. 22, 23, 24, 25. *Nec corporea ejus præſentia ante conſummationem ſeculi ſperanda.*

Venient dies, &c.] His verbis Chriſtus Diſcipulos monere voluit, ut in luce ambularent, antequam occuparentur noctis tenebris, debuit enim hic acerrimus eſſe ſtimulus, ut proficere ſtuderent, quamdiu fruebantur Chriſti præſentia, dum audirent graviſſimas perturbationes inſtare, ſicuti in Matthæo habetur. Vult ergo Chriſtus ut in futurum à ſe ſolo, etſi carne abſente, pendeant diſcipuli, neque terrenum ullum Meſſiam recipiant. Nam huc Iudæi nimium propenſi erant, ſicut natura expers fidei, nonniſi ſenſibus præſenti Salvatori confidere poteſt. Indubie enim cum inter diſcipulos & primores quidem de præcipuis dogmatis male conveniret, quum deficerent multi, & Pſeudo-Prophetis plena eſſent omnia, & foris undique perſecutio & tribulatio imminerent, multi anxie præſentem carne Chriſtum optarunt vel ad horam, à quo conſolationem & animi robur acciperent. Cum ergo caro carnalem Chriſtum uſque requirat, & diſcipuli eſſent omnia adverſa experturi in quibus ratio ſummam ſervitutem & miſeriam, nihil autem regni & felicitatis poteſt agnoſcere) ne & ipſi ſequerentur impoſtores futuros, qui ſectatoribus ſuis terrenam libertatem & felicitatem pollicerentur, monet hic eos neminem, præter ſe Chriſtum agnoſcere, qui in ſpiritu non in carne eſſet regnaturus, ad id uſque tempus cum ſicut fulgur ſub cœlo, clariſſima & conſpicabili omnibus Majeſtate rediturus eſſet, judicaturus orbem. Non minus ergo nobis, quam diſcipulis ſervit Domini conſilium quod duobus verbis *Lucas* comprehendit: *Ne abite, neque ſectemini:* ita admonens ut ne obiter quidem impoſtorum illorum voces ſequamur, nedum ſtudium aliquod impendamus quod nos vel minimum illis tribuere teſtetur. Cauſam præcepti hujus addit: *Nam ſicut fulgur coruſcans ex una regione, quæ ſub cœlo eſt, in alteram quæ ſub cœlo eſt, ſplendet: ita erit & filius hominis in die ſuo.* Senſus eſt, non alium ejus adventum expectari debere quam illuſtrem illum quo ad judicandum vivos & mortuos veniet: adventum vero illum ſubitum fore inſtar fulguris, ut neque digito eminus aut cominus monſtrari, neque certus illi locus deſignari poſſit. Quæ verba ſi diligentius expendantur, ſola ſufficere poſſunt ad confutandos duos inſignes errores, quibus craſſa illa corporis Chriſti præſentia in cœna ſtatuitur, & Chriſti meritum certis locis alligatur, quæ perſuaſio nobis peregrinationis ſuperſtitionem peperit. *Sed prius oportet, &c.* Quaſi dicat; Dominabitur quidem Chriſtus à mari uſque ad mare: in hoc autem regnum nec ingredietur externa gloria & majeſtate (quemadmodũ Pſeudo-Prophetæ ſomniant) nec recipietur aut agnoſcetur a ſuo ipſius populo: ſed ingredietur in regnum ſuum per ignominiam, paſſionem, crucem & mortem. Sic alibi dicit; *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam?*

Quæ tamen digito monſtrari aut loco determinari non poteſt.

LVC. *cap.* 17, *à verſ.* 26, *ad finem Cap.*

26 Et prout factum eſt in diebus Noë, ita erit etiam diebus Filii hominis.

27 Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum uſque diem quo introiit Noë in arcam: venitque diluvium: & perdidit omnes.

28 Similiter etiam ut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:

29 *Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit igni & sulphure è cœlo, & omnes perdidit:*

30 *Secundum hæc erit dies quo Filius hominis detegetur.*

31 *In illo die qui fuerit in solario, & vasa ejus in ipsa domo, ne descendat ad ea tollenda: & qui in agro, similiter non revertatur retrorsum.*

32 *Memineritis uxoris Lot.*

33 *Quicumque studuerit animam suam servare, perdet eam: & quicumque eam perdiderit, vivificabit eam.*

34 *Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto uno: unus accipietur, & alter relinquetur.*

35 *Duæ erunt molentes simul: una accipietur, & altera relinquetur.*

36 *Duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.*

37 *Tunc respondentes dicunt ei; Ubi, Domine? Ipse vero dixit eis; Ubi corpus, illuc congregabuntur aquilæ.*

ANALYSIS.

Tempus, quod paulo ante posteriorem Christi adventum præcedet, pari illustratur; sicut diebus diluvium præcedentibus.

*Vers.*27. Quod prius in genere dixit per partes declarat: nempe paritas indicatur in effectis immodici esus & potionis: item conjugii sine discrimine aut delectu: vide *Genes.*6. quod adjuncto tempore exaggeratur, usque ad diem quo Noachus arcam ingressus est. Cujus luxus & libidinis effectum est perditio per inductum diluvium.

*Vers.*28. Tempus adventus Christi alio pari illustratur tempore Loth: quod etiam pari effecto arguitur edendi, bibendi, vendendi, plantandi & ædificandi.

*Vers.*29. Quod adjuncto temporis exaggeratur, ad eum usque diem quo Lothus urbe egressus est. Cujus effectum est incendium urbis & incolarum: instrumentum vero interitus Sodomorum est ignis & sulphur, quod suo subjecto amplificatur, nempe cœlo.

*Vers.*30. Redditio utriusque propositionis.

*Vers.*31. Monet ne quid mundani tum cogitent: quod effecto arguitur non despiciendi è tecto in domum, aut redeundi ex agro domum; quæ suo fine declarantur ut aliquid auferant aut asportent.

*Vers.*32. Hoc confirmat ab adjuncta pœna, quam illustrat pari judicii seu pœnæ, quam Deus in uxorem Lothi exercuit.

*Vers.*33. Dehortatur etiam ne tum solliciti sint de servanda vita, ab adjuncta pœna, viz. illam perdendi: quod suo adverso illustrat, vitam scilicet conservaturum qui illam perdere paratus sit.

*Vers.*34,35,36. Docet etiam separationem quam Deus tum faciet; quam amplificat à comparatione majoris, etiam conjunctissimorum; quod per partes exsequitur conjugum, qui nocte diem illum præcedente uno lecto cubabunt: ancillarum quæ uni heræ servient & eo die molent simul: denique conservorum qui in agro simul eodem die agrum colent.

*Vers.*37. Hujus postremi sermonis à *vers.*34. effectum est quæstio, ubi hæc separatio fiet: cujus quæstionis effectum est Christi responsum, nempe nos sursum ad Christum esse rapiendos, non autem Christum ad nos in terras discensurum, quod comparatione paris illustrat, ut aquilæ ad cadaver aggregantur, non autem ad aquilas affertur.

METAPHRASIS.

Error ille de Christi in terram descensu 26.
multos in perniciem inducet: siquidem
malum hoc longe gravius & periculosius est,
quod plures ad exitium ducet: quare nihil fœ-
dius quam Pseudo-Christorum impostura; ho-
mines adventu meo non ita exstinctos iri quam 27.
olim erant tempore Noachi. Quo quidem tem-
pore non tam edebant, quam vorabant &
helluabantur, & esui congruenter, largiter &
immodice potabant. Separatim vero antiquus
mundus (ut fit cum homines ventri dediti
sunt) ardebat libidine effræni, ad quam
explendam quisque neglecta pietate in eam
ruebat, quam maxime adamavit & quæ ejus
animo potissimum adlibuit. Qui ne ut à pie-
tate, sic etiam ab omni honestate alieni esse
viderentur, inducto matrimonii honesto titulo
suæ libidinis intemperantiam palliarunt, idque
ea securitate & pertinacia, ut in illo suo luxu
perstiterint, quoad Noacho arcam ingresso im-
pium illum mundum aquæ diluvium obruebat. 28.
Haud secus factum temporibus Lothi; Sodomæ
enim non ducebant uxores viri, aut parentes
suas filias nuptum dabant, quod essent nefandis
libidinibus & monstrosis dediti: ventri eden-
tes & bibentes indulgebant, eoq; negotiatione,
conserendis hortis & vineis & lautis amplisq;
ædificiis excitandis illi toti ob eam causam oc-
cupati sunt, ut ventri nefariisque suis libidinis 29.
œstris subservirent. Cujus ætatis homines ad
pertinaciam in suis iniquis studiis eam securi-
tatem adjunxerunt, ut tanquam diem Domi-
ni

ni à se propellentes nullo prorsus sensu divini
judicii impendentis imbuerentur, quoad Lotho
ex urbe egresso, urbs illa cum vicinis civitati-
bus igne & sulphure cœlitus immisso confla-
30. graret. Ad utriusque hujus ætatis Noachi &
Lothi imaginem tempus adventus mei confor-
31. mabitur. Neque vero in animum vestrum in-
ducitote, vos posse hoc judicium effugere, aut
tum demum aliquid instituere, quo vobis ipsis
prospiciatis. Nam irritum erit quidquid ex hac
parte conamini. Non enim vacabit qui in sum-
mo domus fastigio versatur, descendere, nec ei,
qui in agro est, domum reverti, sed omnes ili-
32. co ad judicium rapientur. Atque quandoqui-
dem de Sodomorum judicio mentionem facere
occepi; unum illud memorabile in illa Historia
propono de Loti uxore; quæ tametsi Sodomis
egressa & educta fuisset, tantum respectando,
& suum respectatione desiderium ibi perma-
nendi manifesto judicio prodens, in columnam
33. salis, qua nos sapere par est conversa periit. In
aliis Dei judiciis ab officio non discessit qui fu-
ga sibi consulere voluerit: sed die extremi ju-
dicii, qui in fide mea non ita acquiescit ut hunc
diem advenisse lætus sit; eoque non modo illum
non aversetur, sed etiam cupide amplectitur,
is certe salvus esse nequit: sicut contra felix
vitam suam servabit quisquis de Christo cer-
tus, vitam suam quæ instar mortis est cum
34. altera commutare sit paratus. Atque ne quis
sibi idcirco aduletur, quod se cum piis conso-
ciavit; quemadmodum uxor Loti in salute à
suo conjuge disjungebatur, sic nocte, quæ illum
diem præcedet, fore, ut duo in uno lecto futuri
sint, quorum alter tantum relicto socio assu-
35. metur. Nec tantum hoc in ditioribus ut Loto
& uxore hoc fiet, sed & in infima sortis homi-
nibus, utpote his qui molendinis operam dant:
ne quis existimet se tenuitate sua Dei judi-
cium (commiseratione quadam Dei) effugere
36. posse. Atque ut in opulentis & tenuibus, sic
etiam mediocris & intermediæ conditionis ho-
minibus fiet: ex duobus enim, qui agriculturæ
operam navant, unus assumetur, alius repu-
diabitur: unde est ut piorum ab impiis sepa-
ratio in mundo per Euangelii prædicationem
37. inchoata, illo die pœnitus absolvatur. His au-
ditis de piis assumendis, discipuli quærunt quo
tandem assumentur. Quibus respondet Chri-
stus se ob mortem quam subiturus est instar
cadaveris fore, pios autem instar aquilarum,
qui ad conspectum Christi in aërem descenden-
tis, ad eum illico studio advolantes, post in cœ-
lum, ibi cum Christo mansuri, transferen-
tur.

PRAXIS.

Adventus Christi temporibus Noachi similis erit,

ET sicut accidit in, &c.] Illustrat tempora secundi adventus aptis similibus. Prius à conditione temporum Noe, de quo *Genes.* 6. Regnavit tum publica morum corruptela, constans impœnitentia mansit, & perfricta in malo frons. Insperatus est subsecutus interitus, & in interitu illo paucissimi servati. Hæc apte quadrant adventui Christi secundo. Alterum simile ducitur à conditione temporum Loth, de quo *Genes.* 19.

Vers. 27, 28, 29, & 30 *&* *Lothi.*

Edebant & bibebant.] Hominum in illis diebus male viventium securitatem describit. Neque enim malum est edere, bibere, nubere, nuptum dare, quum ea omnia sint à Deo ordinata: sed luxus in his damnatur, quando homines non servant rectum in illis usum, sed magis inserviunt concupiscentiis & affectibus carnis, & immersi delitiis nunquam oculos in cœlum attollunt. Quod autem regnatura sit ante Christi adventum summa securitas, testatur Apostolus 1. *Thessalon.* 5, 3. *Quum dixerint* (inquit) *pax & securitas, tunc repentinus iis superveniet interitus.*

Vers. 31. *Tum nullus erit fugæ locus:*

Qui fuerit in tecto, &c.] De tecto descendere, aut ex agro reverti, hyperbolica loquutione, quæ Iudæis frequens est, dicuntur. Significant autem magnam festinationem & velocissimam fugam; ut si quis ea festinatione fugiat; ut si in tecto domus sit, non descendat in domum ut inde quicquam secum auferat; & si in agro eum deprehenderit tempus illud, ut recta quoque ad montem confugiat, neque revertatur in domum ut vel commodas fugæ vestes accipiat.

Vers. 32, 33. *nec post tergum erit respiciendum:*

Memores autem estote uxoris Loth.] Hoc exemplo monuit Christus ut ad ea quæ à fronte sunt enitamur, oblivioni traditis quæ à tergo sunt, ut perpetuo meditemur id quod futuros nos speramus: nempe ut omni hujus mundi cupiditate liberi, cœlestium rerum, hoc est solidæ pietatis, tantum avidi evadamus. Nam ideo conversa fuit in statuam salis uxor Loth, quod dubitans an frustra ex urbe migrasset respexerit post tergum, quod erat fidem abrogare Dei oraculo. Probabile est etiam desiderio sui nidi, in quo placide quieverat, fuisse retractam. Quum ergo in æternum documentum extare voluerit Deus, firmandi sunt animi fidei constantia, ne hæsitatione in medio cursu flaccessant. Deinde ad perseverantiam formandi, ut illecebris caducæ vitæ valere jussis, libere & alacriter ad cœlum aspirent. *Quicunque quæsierit animam,*

 &c.]

&c.] Hanc sententiam addit Christus ne fideles impediat terrenæ vitæ cupiditas, quo minus per medias mortes intrepide ad salutem sibi in cœlis repositam festinent. Scimus nihil nobis charius aut pretiosius esse vita: illius causa fieri omnia & omitti; tantus nobis ingenitus est amor ejus. Quare necesse fuit Christo, ut suos animaret, ita promittere & minari. Qui igitur abnegato Christo & vero Euangelio carcerem effugit ac mortem evasit, videtur sane vitam lucrifecisse: sed revera perdidit, quia indignationem summi Dei incurrit, exciditque vita cœlesti; nisi serio resipiscat. Qui vero intrepide Christo adhæret, atque constanter Euangelicam veritatem profitetur, & propter hanc fortiter occumbit, videtur sane hominibus interiisse, quum is demum vere vitam lucrifecerit. Quisquis enim propter Christum & verbum ejus salutare cæditur, in æternum servatur.

Vers. 34, 35, & 36. *nec alii expectandi.*

Dico vobis in illa nocte, &c.] Affirmat viros & fœminas tunc diremptum iri, ne copulæ quibus mutuo inter se devincti sunt homines in mundo, pios retineant vel morentur. Sæpe enim contingit ut dum alii alios respiciunt, nemo gradum promoveat. Ergo ut quisque pro se omni vinculo solutus & expeditus, celeriter currat, docet Christus ex uno pari alterum conjugem assumptum iri, altero relicto: Non quod necesse sit quicunque inter se conjuncti sunt, ita divelli (facit enim sancta pietatis copula ut viro probo mulier quoque proba adhæreat, patremque comitentur filii) sed tantum voluit Christus ut remoras omnes abscinderet, singulos ad festinationem hortari, ne qui jam accincti sunt, socios frustra expectarent.

Vers. 37. *Nihil fidelium ad Christum aggregationem tam impedit.*

Et respondentes.] Varia sunt Aquilarum genera, inter quæ unum est Vulturina specie, reliqua antecellens magnitudine. Vultures autem biduo aut etiam triduo ante volant, ubi cadavera futura sunt. Et Iob de Aquila ait, *Ubicunq; cadaver fuerit, statim adest. cap.* 39,13,33. Verisimile est igitur ab hoc aquilarum genere, quod est specie Vulturina, publicum proverbium ortum: ut qui significare volunt ea quæ natura sua conjunguntur, non opus esse magno studio ad conjungendum, dicant; ubi est cadaver, illuc congregantur aquilæ. Hujus ergo loci sensus est, quibuscunque artificiis conetur Satan huc & illuc distrahere filios Dei, in ipso tamen Christo sacrum esse unitatis vinculum, quo devinctos teneri conveniat. Vnde enim dissipatio, nisi quia multi à Christo diffluunt, in quo solo sita est nostra firmitas? Ergo hic modus præscribitur fovendæ sanctæ conjunctionis, ne errorum distractiones corpus Ecclesiæ lacerent, nempe si in Christo defixi manemus. Quod diligenter notandum est: neque enim vel ad Romanæ sedis primatum, vel ad alias nugas nos adstringit Christus, sed hoc unico nodo Ecclesiam suam colligat, si ad ipsum unicum caput omnes undique respiciant. Vnde sequitur quicunque ei cohærent, extra schismatis esse periculum. Eant nunc Romanenses, & schismaticos esse clament qui se à Christo alienari non sinunt, ut latroni fidem & operam suam mancipent.

LVC. *cap.* 18, *à vers.* 1. *ad* 9.

D*Ixit autem eis etiam parabolam* huc spectantem, *quod oporteret ipsos semper orare, nec segnes esse.*

2 Dicens; Iudex quidam erat in quadam urbe qui Deum non timebat, nec quemquam reverebatur:

3 Erat autem in illa urbe quædam vidua, quæ venit ad eum, dicens; Vindica me ab adversario meo.

4 Ille autem noluit per multum *tempus: postea vero dixit apud se; Etsi Deum von timeo, nec quemquam revereor:*

5 Tamen quia molestiam mihi præbet vidua ista, vindicabo eam, ne tandem veniens obtundat me.

6 Ait autem Dominus; Audite quid judex ille injustus dicat:

7 Deus autem non vindicabit electos suos, vociferantes ad ipsum die ac nocte, etiamsi iram cohibeat super ipsis?

8 Dico vobis; vindicabit eos cito. Veruntamen Filius hominis quum venerit, num reperturus est fidem in terra?

ANA-

A N A L Y S I S.

ORandum esse docet : cujus doctrinæ forma declaratur parabola, & adjuncto tempore, nempe semper; item alio adjunct. orandi absq; fatigatione.

Vers. 2. In parabola Deus comparatur imparis comparatione cum judice terreno, qui describitur suo subjecto, urbe in qua habitabat: adjuncto, irreverentia Dei atque hominum.

Vers. 3. In eadem parabola pii Deo supplicantes comparantur pauci viduæ; quæ describitur suo subjecto, urbe eadem, ubi habitabat: item effecto veniendi ad judicem; quod suo fine declaratur, ut illi supplicaret : forma supplicationis est; *Vindica me ab adversario meo.*

Vers. 4, & 5. Effectum judicis proponitur repudiatio petitionis viduæ; quæ adjuncto amplificatur, nempe diuturno tempore. Deinde aliud effectum judicis proponitur disceptatio cum seipso & animo suo. quod adjuncto tempore notatur, tandem post assiduas postulationes: disceptationis effectum declaratur, nempe decretum vindicandi causam viduæ: quod sua causa efficiente declaratur, quia molestiam illi exhibebat importunis petitionibus: item fine, ne amplius obtundat illum : & exornatur duobus diversis tametsi nec Deum timeam, nec hominem reverear.

Vers. 6. Quod decretum judicis adjuncto notatur, nempe quod dignum animadversione sit : quod testimonio ipsius Domini confirmatur.

Vers. 7. Hactenus parabolæ propositio : sequitur redditio: estq; comparatio minoris: si enim iniquus judex ultus est viduam : nedum Deus electorum causam ulciscetur. Si judex viduam quotidie clamantem exaudivit : nedum Deus diu simul & noctu clamantes exaudiet: & ornatur diversio tametsi differat iram in adversarios.

Vers. 8. Deinde ultio describitur adjuncta celeritate, & confirmatur testimonio Christi: deinde notat fidem in precibus adhibendam; cujus adjunct. raritatem aut parvitatem indicat in adventu suo.

METAPHRASIS.

1. *PRotulit porro parabolam apud discipulos*
suos, quæ eos adhortabatur ad officium
semper precandi, non quod nulla esset à precan-
do intermissio, aut ad reliqua pii hominis offi-
cia vacatio, sed ut cœptum precandi studium
non abjicerent, nec ab illo defatigatione aut
2. *alia quapiam incuria deficerent. Sic igitur pa-*
rabolam instituit : Erat quidam judex certa
quadam in urbe nec Deum timens, nec ho-
3. *minem quemquam reveritus. Erat etiam ipsa*
in urbe vidua amicis & clientelis destituta :
hæc judicem adiens, dixit; causam meam ab
4. *adversario meo vindica. Judex vero tametsi*
multũ sæpeque rogatus illam vindicare diutur-
no temporis spatio renuebat : tandem importu-
nis ejus precibus fractus apud se rem disceptans
conclusit: Tametsi nec Deum timeam, nec homi-
nem reverear, nec ullo justiciæ exequendæ studio
5. *ducar: Quia tamen hæc vidua importunis suis*
clamoribus mihi molestiam præbet; jus dicendo
illam ab injuria adversarii vindicabo, ne me
sine intermissione obtundere pergat. Quamob- 6.
rem Dominus dixit; Aures arrigite & animum
advertite ad illud quod Judex longe injustissi-
mus de vidua vindicanda dixit; Quid igitur 7.
Deum justissimum judicem facturum cense-
tis? Fieri certe nequit quin causam electorum,
quos charos habet, ab eorum adversariis (qui
idem ipsius adversarii sunt) ulciscatur. Nam
cum injustus Judex viduam fastis diebus il-
lum clamoribus fatigantem exaudivit: quan-
to magis Deus preces suorum interdiu & noctu
illum contente inclamantium exaudiet, tam-
etsi patientia & longanimitate erga impios
utens juris dicendi tempus pro suis differat.
Quamobrem testor vobis qui sum ipsa veritas, 8.
Deum suorum injurias probe ulturum, idque
illa celeritate, quæ ut Dei gloriæ, sic suorum
saluti aptissime convenit. Sed heu illius tem-
poris miseriam, cum filius hominis ad jus o-
mnibus dicendum venturus sit! Quotus enim
quisque invenietur qui fide hac ejus de piis
vindicandis innixus hunc adventum exspe-
ctabit aut præstolabitur.

P R A X I S.

S*Vmma.* Christus ad assiduam orationem adhortatus, suam adhortationem parabola exornat.

Partes { Adhortatio,
Adhortationis adornatio.

Scriptura sæpe nos hortatur ad excubias agendum, maxime ne dies Domini, nos imparatos inveniat : *excubiæ autem frustra aguntur* in civitate aut domo, *nisi Deus,&c. Psal.* 127. maxime *cum rem habemus non cum carne & sanguine,&c. Ephes.*6,12. Quare Deus precibus assiduis expergefaciendus est. *Psal.*12. *Propter gemitum afflictorum surgam.* Idcirco hortatur Christus ut assidue oremus. 1 *Thess.*5,17. *Ephes.*6. *Quæritur* quomodo hoc præstari possit, cum aliquid temporis cibo, somno, verbi auditioni, &c. 2. hoc videtur hæreticis olim Messalianis, nunc Monachis favere, qui per speciem assidue precandi ociose vivunt, & alienis laboribus pascuntur. *Respondeo* assidue precari dicuntur, qui petitionem ex mandato & promisso Dei semel institutam nunquam deserunt, nedum abjiciunt cum illud plene potiantur, eoque præstitutis horis & opportuno tempore singulis & diebus & noctibus precantur: sic sacrificium quod singulis matutinis & vespertinis offerebatur dicitur *sacrificium juge.* Hoc declaratur proximis verbis

Vers. 1. *Assidue orandum fidelibus:*

& quomodo hoc fieri possit?

bis καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Subesse quidem oportet semper sacrum ignem, qui oportuno tempore sacrificium incendat; id est, studium & ardorem vel amplitudinem precandi: sed, &c. Hinc colligitur cuique pio incumbere certis & definitis temporibus quotidie precandi officium: Nulla dies sine linea, ut nulla dies sine aliquo corporis exercitio quo animæ vires, &c.

Vers. 2, & 3. *fideles enim sunt instar viduæ;* In parabola observetur piorum omnium conditionem sub imagine viduæ oppressæ ob oculos poni: qua nihil est in terris destitutius, quæ omnibus fere injuriis exposita, nullis amicitiis aut clientelis munita, &c. tametsi enim multis hujus & futuræ vitæ commodis instruamur, &c. tamen quamdiu in hac valle miseriarum, &c. multis destituimur, &c. sicut igitur vidua omne causæ suæ subsidium in supplicibus precibus, &c. ita, siccæ terræ comparamur, quæ nisi assiduis imbribus, &c. & nisi lampadi nostræ assidue oleum infundatur, &c. *Apoc.* 3. objurgatur Ecclesia quod se divitem, &c. jactet. Vide 1 *Tim.* 9. *Iac.* 4, 4. adulteri & adulteræ dicuntur qui aliunde quam à Deo per preces opem quærunt. *Psal.* 73, & 25.

& ejus quidem oppressæ; Nec tantum viduæ, sed & oppressæ assimulantur, quæ cogitur jure & judicio cum adversario contendere. Sic totius salutis nostræ ratio in foro Domini pendet, omniumque quæ vel hanc vitam vel futuram spectant fœlix exitus. Quæ ergo vecordia fuerit nisi illius atria quotidie frequentemus, eumque supplices rogemus ut secundum nos sententiam dicat? præsertim cum non modo nos aliis litem intendimus, sed & ab aliis in jus rapimur. *Dan. cap.* 6. *singulis diebus ter* precatus est: nec ab hoc precandi officio ad triduum abstinere voluit, ad vitandum capitis & vitæ periculum. Hinc facile liquet quam non debent leves causæ esse quæ hoc exercitium interrumpant.

quibus tamen in civitate Dei tribunal patet, ad quod provocandum: *Venit ad Iudicem.*] In Rebuspublicis omnibus bene constitutis κριτήριον erigitur quo omnes etiam abjectissimi cives injuriis læsi accurrant. Sic in civitate Dei multo magis. Nos ergo decipi, premi, vulnerari patiemur, nec ad illud Dei forum, & cœli tribunal accedemus? in periculum amittendæ civitatis adduci, hæreditatem longe pretiosissimam nobis eripi patiemur, nec coram Deo adversarios nostros & Ecclesiæ sistemus? Singulare hoc hominis Christiani privilegium, quod Reipublicæ foro excluso tamen ad istud Dei forum patet aditus. Sic David cum non auderet se coram Saule sistere; tamen non dubitavit Saulem coram Deo homicidii reum peragere. Sic Moses & Aaron non parum abfuit ut à populo lapidibus obruerentur, &c.

Procedit fœmina ad judicem, cui nullus pro pede, oculo, ore, fuit: cui defuit Iobus qui claudis pedem, cæcis oculum, mutis os suum præberet: & nos etiam ab omnibus deserti, ne dubitemus ad Dei tribunal, &c. Nec nos impediat quod multis peccatis onusti, &c. cum nobis thronus gratiæ semper paratus est. Iubentur Iudices si quis scelestus in judicio actor extiterit, ne in præsenti causa in justioris & honestioris causam propendeant; nedum hoc in Dei foro fiet: ubi nemo ex male anteacta vita, modo resipuerit, damnum capiet, &c. *quamvis desertis & peccatis onustis:*

Petit à judice ut se ab adversario vindicet. Simplex oratio & accusatio, nullis dialecticis præsidiis, aut rhetoricis ornamentis, fulta. Sic & si nesciamus quo modo oratio instituenda sit, tamen ea est judicis ad causas nostras decidendum propensio, ut nullius in petendo simplicitatem repudiet, modo bona conscientia petitiones ejus Deo innotescant. Vide simplicem publicani orationculam præ tumore precum Pharisæi *Luc.* 18. & Annæ orationem, quam præ animi angore vix efferre potuit, sed intus quasi suffocatam tenuit, 1 *Sam.* 1. Si enim in plerisque Rebuspublicis tenuibus conceditur ut ipsi sine sequestro coram judice causam suam dicant: nedum, &c. Huc accedit quod Deus causas nostras non ut subditorum, sed ut filiorum, audiat: parentes autem filiorum titubationibus & infantia magis delectantur, quam aliorum accuratissima oratione. *& simplici oratione utentibus.*

Obj. At videtur peccare quod ultionem postulat, vide *Proverb. Ne Deus ab adversario in te iram devolvat*, & Christus; nisi adversariorum delicta condonaverit, nequaquam à Deo impetraverit, &c. *Resp.* 1. non nisi ex jure ultionem postulat, 2. non ita aut malevolentia commota; sed sui defendendi studio, vide similem petitionem *Apoc.* 6, 10. Huc accedit quod Deus confusos oppressorum clamores audit. *Exod.* 22, 21, 22, 23. *Iacob.* 5, 4.

Petitionem suam fœmina apud judicem instituit: repudiatur: illam iterat; sed, &c. multiplicat preces, sed apud surdum: instat, obstrepit, molestam se exhibet; tandem judex, &c. Si justi judicis personam cum Deo composuisset, longe maximum extitisset discrimen,

crimen, cum vero Christus elegit judicem Deo dissimillimum, qui tamen, &c. Ecquis est qui sibi non persuadeat fore, ut Deus, &c.

Vers. 4, & 5. *& quamvis Deo primum non audiente:*

Hinc docemur in precibus persistere, etsi prima, secunda, centupla vice non impetremus: etsi Deus ad petitiones nostras surdus sit, etsi aurem obturet, sepiat viam caeso lapide *Lam.* 3,8,9. obtegat se nube, ne pertranseat oratio *Lam.* 3,44. coelum tabulatum, &c. pejus nobiscum agere videatur post fusas preces. *Psal. ad preces populi Deus ira exaestuare dicitur.* Vide exemplum foeminae Cananeae *Matth.* 15. nunquam Deo silentium permittamus quousque orationem nostram exaudiat.

Obj. Num ergo Deus injusto judici similis, qui non nisi importunitate victus petitiones suorum concedit? *Respondeo*, absit: Deus liberrime in judicio agit; idque supplicum bono, tempus & modus liberationis ei permittenda, eoque libentius quod non tam nostram quam ipsius causam agit, nec tam nos, quam ille injuria & contumelia afficimur. Deus simul ac inceperimus precari, nos exaudit, *Daniel.* 9,23. imo antequam precati sumus. *Esa.* differt tamen justissimis gravissimisque de causis, &c. ut Pater, &c.

Vers. 6, 7, 8. *qui tamen aliquando exaudiet.*

1. Audite (inquit) quam judex injustus, &c. quanto magis Deus justus, 2. μισάνθρωπος hoc fecit, quanto magis φιλάνθρωπος Deus, 3. qui importunitate tantum victus est, ne ei porro molestias exhiberet, nedum Deus qui amore justitiae, odio injustitiae ducitur, 4. fecit judex; non faciet Pater? 5. fecit cui molestum erat rogari; non faciet qui ut rogemus hortatur plurimum, & delectatur precibus nostris audiendis & accipiendis? 6. fecit qui nullo nominis sui tuendi studio tenebatur; non faciet, &c. 7. fecit pro ea quae illum nulla necessitudine attingebat: non faciet Deus pro electis, quibuscum in Christo arctissimam conjunctionem, &c. 8. fecit unius Viduae rogatu; non faciet multorum postulatione solicitatus? 9. fecit qui interdiu tantum, &c. non faciet qui noctu etiam? & denique fecit qui absque sequestro; & multo magis nos qui Christi interventu, &c. Magnum Shunamitae praesidium fuit in Elizaei Prophetae precatu apud impium regem ad quidvis ejus nomine obtinendum: quanto magis praesidii in Christo Prophetarum principe apud regem justissimum, & patrem clementissimum. Memoria Elizaei jam mortui viduae illi plurimum profuit apud eundem Regem, quanto magis memoria Christi semper viventis, & apud Patrem intercedentis.

Nonne vindicabit, vindicabitur cito.] Est Deus longanimus erga suos, sed suorum injurias diu inultas non feret. Pupillam oculi sui tangit, qui &c. quis autem illud ferat? An mater vagientem infantem diu afflictum patiatur, siquidem remedium afferre possit? Atqui Dei viscera teneriora sunt. Quod si longior mora trahatur, eo fit, nequis suorum pereat. 2 *Pet.* 3,9. *Eccl.* 8. quod compensatio mali non acceleretur; ideo multi peccatores, &c. quod Deus in Republica mandavit; hoc ipse non praestabit? *Esa. Accelera judicia tua in terra.* Hinc jubetur Ecclesia ad momentũ se in cubiculum recipere donec transeat tempestas. *Abac.* 2. *Etsi tardet, &c.*

LVC. *cap.* 18. *à vers.* 9, *ad* 15.

9 Dixit autem etiam quibusdam qui sibi persuaserant se justos esse, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam istam:

10 Homines duo ascenderunt in templum ad orandum: unus Pharisaeus, & alter publicanus:

11 Pharisaeus consistens seorsim haec oravit; Deus, gratias ago tibi quod non sim ut reliqui homines, rapaces; injusti, moechi: vel etiam ut iste publicanus.

12 Iejuno bis hebdomade, decimo quaecumque possideo.

13 Publicanus autem procul stans, nolebat vel oculos in coelum attollere: sed caedebat pectus suum, dicens; Deus, placator mihi peccatori.

14 Dico vobis, descendit iste justificatus domum suam potius *quam ille: quia quicumque se extollit deprimetur, & qui sese deprimit, extolletur.*

ANALYSIS.

Efficiens causa hujus parabolae est, quod quidam in se confidebant in seipsis quod essent justi: Cujus effectum est quod alios contemtui haberent.

Vers. 10. Prothesis proponitur usque ad *vers.* 14. ubi primum describuntur duo à communibus effectis

ctis eundi ad templum; deinde à communi fine ut precarentur; deinde ab adjuncta conditione vitæ, quod unus erat Pharisæus, alter publicanus.

Vers. 11. Narrantur post quæ uterque seorsim fecit: & primum Pharisæus describitur ab effecto orandi apud se; item adjuncto orationis, nempe statione; deinde forma orationis, quæ est gratiarum actio; materia vero gratiarum dissimili docetur, quod primum in genere proponitur, quod non sit ut alii homines; deinde per partes exsequitur, nempe rapax, injustus, adulter; deinde docet exemplo, ut publicanus hic quem digito designat.

Vers. 12. Deinde aliis effectis declarat, nempe quod bis singulis hebdomadis jejunat; item quod decimas dat omnium quæ possidet.

Vers. 13. Describitur oratio publicani suis adjunctis, primum procul ab altari consistendi; 2. non attollendi oculos ad cœlum; 3. pulsandi deinde pectus: denique forma orationis, nempe deprecatione iræ divinæ.

Vers. 14. Sequitur redditio parabolæ; quæ testimonio servatoris finitur; quod proponitur comparatione majoris, publicanum domum suam abiisse magis justificatum quam Pharisæus. Quod confirmatur testimonio alio, nempe communi & pervulgato proverbio, eum qui se effert depressum iri; contra, efferendum omnem qui se depremit.

METAPHRASIS.

9. *POstquam assidue orandum esse Christus*
docuisset; opportune adjungit aliam, &
eam quidem præcipuam in precando cautio-
nem. Causam vero hujus doctrinæ præbuit,
quod nonnulli essent qui in se inhærentem ju-
stitiam subesse præsidebant. Quam doctrinam
judicans necessariam ut altius imprimeret, il-
lam parabola exornavit ad hunc fere modum.
10. *Duo viri ad templum ascendebant, utpote quod*
in edito Sionis monte exstructum. Ascende-
bant autem hoc consilio ut Deum (cujus in
templo præsentiæ pleraque tesseræ erant) com-
precarentur. Quorum prior secta Pharisæus,
11. *alter vitæ conditione publicanus extitit. Pha-*
risæus de more pedibus consistens apud se &
ex animi sui sensu ad hunc fere modum pre-
catus est. Ago tibi, ô Deus, immortales gra-
tias, (à quo quicquid boni in me est profe-
ctum agnosco) quod non sum ut alii homines,
qui aliena vi rapiunt, aut fraude injuria affi-
ciunt, mœchantur, & id genus scelera patrant.
Atque ne longe abeam non sum ut hic publica-
12. *nus. Præterquam etiam quod à maleficiis ab-*
stineo, bis singulis hebdomadibus jejunio me
macero: porro decimas do omnium quæ possi-
13. *deo. Publicanus vero pudore suffusus, quam lon-*
gissime possit ab altari consistit: & peccati one-
re depressus ne oculos quidem ad cœlum sustu-
lit. Atque ut cordis contritionem testatam red-
deret, pectus tundit atque preces apud Deum
sic ejaculatur; Domine, mei miserrimi & ne-
quissimi peccatoris, miserator, obsecro. Utrius- 14.
que orationem audivistis: accipite quod meum
sit de his judicium; verum quidem illud, ut-
cumque humano judicio parum vero simile.
Dico igitur hunc publicanum domo injustum
exeuntem, justum domum suam rediisse: Pha-
risæum vero non tantum non justificatum, sed
hac sua tam superba oratione judicio divino
magis obnoxium. Hic enim (si alibi usquam)
obtinet vulgo jactatum proverbium: qui se ex-
tollit deprimetur, sicut contra qui se deprimit
extolletur.

PRAXIS.

PArtes, verba Euangelistæ *vers.* 9. Christi *vers.* 10, 11, 12, 13, 14.

Vers. 9. *Humiliter orandum.*

Superiore parabola docuit assidue orandum: nunc oportune subjicit præcipuam quandam cautionem recte orandi, sine qua illud non tantum non prodest, sed porro Dei iram accendit; ut in *Papatu* frequentes & sæpius iteratæ preces Deum irritant.

Hoc loco damnantur qui confidunt se esse justos, propria & inhærente justitia, quod notatur his verbis ἐφ' ἑαυτοῖς nam confidere se in Deo justum non damnatur. Talibus solemne est, ut alios præ se spernant: contra, eos, qui se gratia justificatos profitentur, peccatorum agnitio & sensus semper ad humilitatem componit etiam erga homines. Sicut enim ad crucem rapiendus, si veniam consequatur, argumentum habet se coram aliis abjiciendi; &c. præsertim si diploma veniam complectens semper collo suspensum circumgestet, quod nobis facere operæ pretium est.

In altera *parte* proponitur { Collatio Pharisæorum cum Publicano. / Christi de utrisque judicium.

In priore *duo* sunt { 1. De his quæ utrique communia sunt. / 2. De his in quibus disparantur.

Vers. 10. *Sacrorum conventuum utilitas.*

Commune est quod uterque ad templum ibat, quod quoties fieri poterat, oportebat fieri; aut saltem versus templum. 1 *Reg.* 8. propter divinæ præsentiæ signa, quæ ibi non secus conspicienda erant, quam si Deum coram vidissent. In nostris templis non item: perperam igitur faciunt qui privatas preces in templis fundunt, ac si majorem inde fructum reportaturi erant, quam si in conclavibus, aut domi suæ orarent. Nec tamen conventus sacri contemnendi. Sicut enim olim in templo orantes singulare fidei subsidium inde senserunt, quod Deus se singulari

gulari quodam modo ibi præsentem fore promiserat: ita, &c. in conventu enim animus accenditur verbi prædicatione, sacramentorum perceptione, precantium fervore nostra cunctatio emendatur, eorumque pia æmulatione animi nostri excitantur, *ibi penuel, ibi bethel*, ubi Iacob propter visionem cupide Deum adoravit.

Verſ.11, 12. *Cur ſtantes orent?* *Stans.*]Videtur hic corporis situs hinc natus, quod 12. tribus undequaque ad templum convenientes, tanto numero erant, ut in terram, cum precarentur, procumbere præ loci angustia non possent: arctiore enim loco statur, quam genibus procumbitur. Vide exemplum Salom. 1 *Reg.*8. qui & stetisse dicitur & à genu flexo surrexisse.

Quæ in oratione Pharisæi reprehendenda; Propria sequuntur: primum est quod Deo gratias agat,&c. quo agnoscit omnem hanc pietatem & justitiam à Deo proficisci, & ejus donum esse; quod certe recte fecit; sed in eo turpiter errat, quod æstimavit ullis bonis operibus quæ à nobis Deo dante fiunt, se justificari posse. Ex quo egregie refelluntur *Pontificii*, qui causantur se nihil Dei munificentia indignum proferre in justificatione ex operibus, quod opera illa agnoscant à Deo proficisci, &c. sic Pharisæus iste. Atqui debebant intelligere hæc Dei dona nostra corrupta & depravata natura infici, quæ in nobis hærens, ilico se admiscet, & præclaras actiones retardat, minuit, corrumpit, ut aqua limpidissima per cænosum canalem transmissa, &c. Deinde hoc modo gloriatio non tollitur, tametsi enim à Deo proficiscantur bona opera, si tamen per nos fiant, nobis aliqua gratia debebitur. Sicut enim si ignarus ab hero edoctus, si quid tandem præclare faciat, non hero tantum, sed & servo gloria cedit, &c. sic. Hinc Paulus 2 *Tim.* 1. *Non ex operibus* inquit, non tantum nostris, sed *quæ nos fecimus*.

Nota Pharisæum in hoc prolapsum esse, quod se vitamque suam ad aliorum vitam,& quidem pessimorum exegit. Contra Pauli ad *Gal.*6,3,4. admonitionem. Item, quod caruit crassis illis peccatis in quibus non sine periculo capitis aut famæ peccatur; ideo se justum putat. Perinde ac si faciem nitidam habens,inde concluderet se toto corpore purum & maculis expertem. Vere igitur hi erant qui paropsidem foris mundatam,&c. intus fœtore & cœno, &c. item sepulchra dealbata. *Matth.* 23. Denique quod inter præcipua opera quibus turgebat, ea enumerat, quæ Scriptura nusquam imperat; nempe jejunium singulis septimanis, &c. *bis hebdomade*, sic *Pontificii*: est ergo *Pontificiorum* jejunium vere Pharisaicum.

In Publicano ut omnia dissimillima sunt, sic veræ resipiscentiæ exemplum nobis præbet. Vbi tanquam omnium virtutum cæterarum mater proponitur vera & viva fides, qua Deum accedimus ut peccatorum remissionem impetremus. *Heb.* 11. oportet Deum accedentem credere Deum esse, & esse remuneratorem se quærentium. Sic *Luc.*15 prodigus paternam erga se dilectionem prius concipiebat, quam se domum recipiebat Vide *Hos.* 2,7. Hoc aperte indicat publicanus, cum misericordiam sibi præstari petit. Hinc submissus animus; quem declarat oculorum in terram demissione: peccata enim gravia sunt impedimenta quæ hominem deprimunt ne oculos ad cœlum tollat. Erat igitur ex his quibus Christus levationem pollicetur *Matth.* 11. Sequitur pudor, qui indicatur statione procul ab altari. Virtus in omni vera resipiscentia necessaria. *Rom.*6.*Luc.*15. Hinc lepra infecti faciem obvolvebant. Ieremias Sacerdotum & Prophetarum inscitiam hinc arguit, quod nescirent pudore afficere peccatores. Alia virtus, vehemens & interior dolor de admissis peccatis, cordis contritio & compunctio, quæ pectoris percussione repræsentatur, alibi vestium laceratione. *Ioël. cap.*2. & fletu, ut in Magdalena & Petro. Duo autem sunt quæ delinquentibus dolorem ingenerent, 1. quod eum offendimus qui nos charos habet; ut qui filium charitatis suæ pro nobis dedit, 2. qui pœnas acerbissimas à nobis expetit. Quod si dolor exigitur ab offensione fratris qui nobis par est: *Luc.* nedum, &c. Aaron summus Sacerdos & Miriam Prophetissa, quod in Mosem deliquissent, indicia doloris & submissionis ostendunt: nedum, &c. Sequitur ultimo loco,quod tamen præcipuum est, precatio;in qua primo se peccatorem fatetur, quod emphaticoteron est quam si se peccasse dixisset: eo enim fatetur se vitiis nobilem fuisse & infamem: deinde deprecatur,de quo supra.

Verſ.13. *quæ in oratione Publicani laudanda.*

Sequitur pars altera de Christi judicio, quod alienissimum est ab eo, quod specie tenus hominibus videbatur. Quod enim excelsum est coram hominibus, id sæpe Deo detestandum *Luc.*16.Caveamus igitur ne temere judicemus. Nota, Publicanum insignem peccatorem justificatum discessisse, etsi coram Deo solum, non autem coram Sacerdote confessus sit. In justificatione non Verſ.14. *Christi judicium ab humano diversum.*

est magis aut minus, cum igitur Pharisæus dicitur minus justificatus, sequitur non omnino fuisse justificatum. Christus autem popularitet hic loquitur. De humiliandis his qui se extollunt, &c. vide quæ in *Luc.* 14, *vers.* 11.

LVC. *cap.* 18, *à vers.* 15, *ad* 18.

15 Adferebant autem ad eum etiam infantes, ut eos tangeret: quum autem hoc vidissent discipuli, objurgarunt eos.

16 IESVS vero quum puerulos advocasset, dixit; Sinite puerulos venire ad me, & eos non prohibete: talium est enim regnum Dei.

17 Amen dico vobis, quicumque non exceperit regnum Dei tanquam puerulus, nequaquam introibit in illud.

MATTH. *cap.* 19. *à vers.* 13, *ad* 16.

13 Tunc oblati sunt ei pueruli, ut manus eis imponeret, & precaretur: discipuli autem objurgarunt eos.

14 IESVS autem ait; Omittite istos puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.

15 Et quum imposuisset eis manus profectus est illinc.

MARC. *cap.* 10. *à vers.* 13, *ad* 17.

13 Tunc obtulerunt ei puerulos ut tangeret eos: discipuli vero objurgabant eos qui offerebant.

14 Quod quum vidisset IESVS, indignatus est, & dixit eis; Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos, talium enim est regnum Dei.

15 Amen dico vobis, quicunque non exceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in id ingredietur.

16 Et quum accepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.

ANALYSIS.

Effectum quorumdam ex plebe proponitur, nempe quod infantes ad Christum detulerunt; quod suo fine indicatur, ut eos tangeret; item alio fine, ut Deum pro illis precaretur, apud *Matthæum*: item adjuncto, reprehensione eorum qui eos affere bant; quæ suo efficiente exaggeratur, nempe discipulorum Christi.

Vers. 16. Cujus reprehensionis effectum apud *Marcum* est, quod Iesus indigne & inique hanc reprehensionem tulit, *Luc.* 16. hæc reprehensio suis disparatis arguitur, nempe quod Iesus infantes ad se vocaverit: item quod mandavit discipulis, ut illos ad se venire sinerent: quod sui adversi negatione declaratur, ne illos ad se venire prohiberent: quod arguit à subjecto, quia hi sunt qui ad regnum cœlorum spectant.

Vers. 17. Hoc etiam confirmatur à comparatione similitudinis: nempe quod ita animati esse debent ut infantes, qui servandi sunt; quod testimonio inusitatæ asseverationis confirmatur.

MARC. 10, 16. Effectum petitionis parentum primum, quod infantes alios amplexus sit: deinde quod illis manus imponebat: denique quod illis benedixit.

METAPHRASIS.

15. *AD superioris doctrinæ de animorum submissione & exinanitione confirmationem peropportune cecidit, quod quidam ex plebe suos infantulos ulnis gestantes eosdem ad Iesum afferebant hoc consilio ut manuum impositione & ad Deum pro illis precatione bona aut corporis aut animæ aut utriusque potius reportarent. Quod cum discipuli & Apostoli Christi animadvertissent, indignum existimantes Iesum alioqui occupatissimum rebus leviusculis fatigari, adferentes inconsiderantiæ suæ ergo verbis castigabant. Quod cum Iesus comperisset, hanc illorum reprehensionem indigne &* MARC. 14.
inique ferens infantulos ad se vocari jussit: Apostolis vero dixit: Sinite parvulos ad me venire, neque illis ad me veniendi aditum intercludite: tantum enim abest ut infantuli Regno cœlorum excludantur, ut non nisi hi qui suis moribus infantulos exprimunt ad Regnum cœlorum idonei sint. Sancte enim vobis MATT. 17.
confirmo, neminem regnum cœlorum ingressurum, qui se animi submissione & animi sinceritate ad infantulorum imitationem non conformaverit. Quamobrem infantulos è parentum MARC. 16.
sinu acceptos (quod illi minime petebant) ulnis suis humanissime complexus est: atque prout parentes postularant, manus imponendo & Deum pro illis precando, gratiam & dona cœlestia in illos contulit.

PRA-

PRAXIS.

HÆc historia commodissime adjungitur super parabolam ubi de superbia & humilitate disserebatur.

Summa, Infantes Christo ut benedicantur oblati, à discipulis repelluntur, à Christo avidissime amantissimeque accipiuntur.

Partes, { Oblatio infantium Christo, ut illis benediceret. | Pugnantia de illis accipiendis judicia. }

Lvc. 18, 15. Liberi ab ipsa nativitate Christo consecrandi.

Qui suos infantulos ad Christum adducebant, cogitabant eum qui omnibus benefaceret, infantibus sua munificentia non defuturum, eumque qui ægrotos sanasset, habere etiam quod in sanos conferret, ut illos à morbis & dæmoniis muniret: saltem sibi persuadebant nihil illos incommodi accepturos, si &c. Laudanda parentum cura, quod non tantum ipsi ad Christum accedunt; sed & infantes ad eum gestari curant. Hæc cura nobis imitanda: liberi quam primum ad Christum adferendi, & recens nati ei offerendi, 1. per baptismum; quam primum commode, &c. 2. pro illis precando, ut veteri Adamo extincto, &c. Vtcumque enim boni aut mali incapaces nobis videantur; habent tamen vascula quibus hæc contineant, &c. animam quæ sedes est virtutum & vitiorum: etsi enim per sensus tanquam per fenestras nondum patent aditus, tamen animis aliquid percipiunt sine corporis adminiculo, sicut animus noster quædam sine sensuum adminiculo ratiocinatur. Hic ergo agellus à primo nativitatis die, imo ante, excolendus. *Psal.* 58. *Impii à matris ventre errant*, unde apud *Ioël.* famis urgentis tempore jubentur sugentes afferri in conventum Ecclesiæ. Sic pii ab incunabulis cum matris lacte pietatem sugunt. Quod hinc apparet quod quamprimum ad ætatem perveniunt, &c. *Ioël.* 2. *Super omnem carnem. Luc.* 2, 52. Quod si hæc cura adhibenda cum nondum dextram a sinistra, &c. nedum post cum ætas jam confirmata magis; &c.

Pugnantia de illis accipiendis judicia { Hoc Discipulorum. | Illud Christi. }

In veritate decet esse munites.

Discipuli illis viam occludebant & increpabant. Fortasse illorum importunitatem increpantes, ut qui Christo gravissimis occupationibus fatigato rationem non habent ei rebus (ut illis videbatur) puerilibus molestiam exhibere. Deinde quod illi negotium facessunt in re infantibus profutura. Hæc gravis tentatio erat, venientes ad Christum a præcipuis ejus ministris repelli, & studium pium & laudabile tanquam superfluum aut stultum damnari. Perinde ac si regem supplicaturus ab omnibus consiliariis submotus ignominiose abire juberetur. Nos igitur in veritate bene munitos & radicatos esse oportet ut si qui principem in Ecclesia locum obtinent nobis se opponant, nosque ut insanos aut insipientes damnarent, &c. tamen, &c. Hic etiam monentur pii ministri, ne suo judicio nimium confidant, sed suas opiniones ad disputationis examen revocari placide patiantur. Si enim tanti viri hallucinati sunt; quid nobis? &c. Si cedrus libani erroris vento quassata est: quid hissopo? &c. Ob eamque causam Scripturæ assidue legendæ & meditandæ sunt. Notandũ rusticos & paganos, omni verisimilitudine, rectius in hac causa sensisse quam ipsi Apostoli. Ne quis olitoris commode dicentis sententiam aspernetur, tametsi cum doctissimis sanctissimisque viris committatur: spiritus ubi vult, spirat. *Ioh.* 3. Nec specioso prætextu carebant Apostoli, ut qui hoc modo heri sui cum quieti, tum honori consuluisse videri poterant. Sic sæpe sub honoris Christi pallio multa sordida conteguntur.

Ministri suo judicio ne nimium confidant.

In Christi judicio consideratur, quid gesserit { Cum discipulis circumsistente plebe. | Cum puellis. }

Marcus illum inique hoc discipulorum factum tulisse affirmat, eoque eorum errorem cæteris audientibus correxisse; jubens ut ab instituto desisterent. Sciamus igitur Christum adhuc irasci & indigne ferre quod Anabaptistæ infantibus viam ad se in baptismo præcludunt, ubi spiritu & virtute præsens existit. Quod si ἀνδραποδισταὶ morte plectendi sunt, quod ingenuum à parentibus suffurantur, quem in servitutem redigant, nedum illi qui Dei filium ingenuum ingenuitatis insignibus privant; cumque à Christo furtim subducunt, &c. Deus enim populi sui liberos apud Prophetam suos filios & filias appellat.

MARC. 10. vers. 14. *Error Anabaptistarum.*

Objectio, Talium est Regnum cœlorum, non eorum ipsorum. *Respondeo*, sensus est, tam mihi placent infantes; ut velim alios esse iis similes; quod fit, cum ætate crescentes, animi elatione decrescunt, & apud *Luc.* est: *Quisquis non acceperit regnum cœlorum sicut parvulus*; subaudi *accipit*.

Deinde Christus eos advocari jussit: quorsum

Lvc.16. Marc. 10,16. *Quorsum Christus infantes ad se vocet & amplexetur.*

ſum quæſo? num Chriſtus ullum genus hominum vocat, quibus nullam ſalutem communicare vult? Porro Marcus ait, eum ulnis amplexatum infantes: cujus rei ſignum hæc amplexatio? an non intimi amoris, &c. atqui horrendum eſſet dicere eum hoc ex animo non feciſſe, quod eſſet Chriſtum hypocriſeos inſimulare. Manus etiam imponit, quod tum ritus erat quo homines ſelecti & ad aliquid ſingulare in Eccleſia ſepoſiti & initiati, ſimul Spiritus Sancti illis affuturi pignus accipiebant; conſtat Chriſtum illos hoc ſigno ſibi ſacros eſſe teſtari voluiſſe, & Spiritus Sancti in illos, tum collati tum deinceps conferendi teſſeram præbere. Denique illis benedixit, qui cum Deus eſſet, benedictionis effectum ſubſequi oportere neceſſe eſt, ei enim benedicere benefacere eſt.

Anabaptiſtæ nos rident, quod infantibus, qui nihil intelligunt aquam Baptiſmi porrigimus, quod pro illis precamur, &c. Sed videant ne Chriſtum ipſum, &c. Ecquis nos rideat quod Medicinam iis ægrotis præbeamus qui quid Medicina ſit, aut quid morbus neſciant?

Errorem publice admiſſum publice corripit 1 *Tim.*5,20. *Gal.*2,11.*&c.* Nec parcit eorum dignitati, quod ad fidem & dignitatem eorum miniſterii pertinere videatur. Longe ſecus fit in Pontificia religione, qui ſi quod facinus admiſerint, adulterii, &c. modo nihil contra Romanam fidem; aut ad ad ſcelus connivent, aut clancularias pœnas illis expetunt, &c. Idem à quibuſdam Euangelicis fit: ne ſcilicet delinquentium autoritas aut dignitas elevetur, neſcientes Euangelium hujuſmodi malos mores impunitos in quibuſcumque non ferre.

Lvc.17. *Quæ in infantibus nobis imitanda, & quæ vitanda.*

Rationem addit: *Quia talium eſt regnum cœlorum. Math.*18. Neque aditum nobis in cœlum patere, niſi convertamur & fiamus ſimiles infantulis, nempe humilitate, depoſita omni malevolentia & invidia. 1 *Pet.*2,1. Quoties igitur infantem cernimus, toties nobis præceptorem dari putemus, vide *Pſal.* 131. Hæc reſponſio aptetur iis, qui magno cum faſtidio dicunt; quid, exiſtimas te cum infante rem habere? Atqui in cauſa vindictæ quam præſtaret te infanti ſimiliorem eſſe, quam viro truculento; agno, quam leoni: columbæ, quam aquilæ. Quia te ſtultum eſſe oportet; ut fias ſapiens. 1 *Cor.*3,18.

Proponuntur porro quædam in infantibus declinanda, { Inſcitia 1 *Cor.*8. Incoſtantia. *Epheſ.*4. *verſ.*14.

Denique hoc loco abutuntur, qui hinc confirmationem Epiſcoporum ſtabiliunt, primum enim vagientes infantuli ex his erant. Deinde ut videtur non baptizati; ſaltem non ducti, ſed à parentibus portati. 3, Hoc nunquam miniſtris mandatum eſt, nec ab ullo Apoſtolo factitatum. Nec quicquam illos juvat locus *Heb.* 6, 2. ut qui non infantum confirmationem, ſed miniſtrorum ordinationem notet.

LVC.*cap.*18, *à verſ.* 18, *ad* 31.

18 Tunc interrogavit eum quidam ex primoribus, dicens; Magiſter bone, quid faciendo, vitam æternam poßidebo?

19 Dixit autem ei IESVS; Cur me dicis bonum? nemo bonus niſi unus, nempe *Deus.*

20 Præcepta noſti; Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare, Ne falſum teſtimonium dicito, Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

21 Ille autem dixit; Hæc omnia obſervavi à juventute mea.

22 IESVS vero his auditis, dixit ei; Adhuc unum tibi deeſt: omnia quæ habes, vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & adeſdum, ſequere me.

23 At ille his auditis, valde triſtis factus eſt: nam dives erat valde.

24 Quum autem vidiſſet IESVS eum valde triſtem factum, dixit; Quam difficile qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei?

25 Facilius eſt enim camelum per foramen acus intrare, quam divitem in regnum Dei intrare.

26 Qui vero iſtud *audierant, dixerunt; Et quis poteſt ſervari?*

27 Ipſe autem dixit; Quæ fieri non poſſunt apud homines, fieri poſſunt apud Deum.

28 Dixit;

28 *Dixit autem Petrus; Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

29 *Ipse vero dixit eis; Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos, regni Dei causa.*

30 *Qui non recepturus sit multiplicia in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.*

MATTH. *cap.* 19. *vers.* 16. *ad finem Capitis.*

16 *Et ecce, quidam accedens dixit ei; Doctor bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?*

17 *Ipse vero dixit ei; Cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus*, nempe *Deus. Si vis autem ad vitam ingredi, serva mandata.*

18 *Dixit ei; Quæ?* IESVS *autem dixit; Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non dices falsum testimonium,*

19 *Honora Patrem & Matrem, Et diliges proximum tuum ut teipsum.*

20 *Dicit ei adolescens Ille. Omnia hæc observavi à juventute mea: quo adhuc deficior?*

21 *Ait ei* IESVS; *Si vis perfectus esse, abi, vende quæ tibi suppetunt, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo: & adesdum, sequere me.*

22 *Quum audisset autem adolescens ille hunc sermonem, abiit tristitia affectus, habebat enim bona multa.*

23 IESVS *autem dixit discipulis suis; Amen dico vobis, dives difficulter introibit in regnum cœlorum.*

24 *Rursum vero dico vobis; Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.*

25 His *autem auditis discipuli ejus perculsi sunt valde, dicentes; Quis ergo potest servari?*

26 *Intuitus autem* eos IESVS, *dixit eis; Apud homines hoc impoßibile est: apud Deum autem omnia poßibilia sunt.*

27 *Tunc respondens Petrus, dixit ei; Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?*

28 IESVS *autem dixit eis; Amen dico vobis, vos qui sequuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis vos etiam* inquam *in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.*

29 *Et quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure poßidebit.*

30 *Multi autem primi, erunt ultimi: & ultimi primi.*

MARC. *cap.* 10. *à vers.* 17. *ad* 32.

17 *Egrediente autem ipso* ut sese daret *in viam, quidam, quum accurrisset, & accidisset ei ad genua, interrogavit eum; Præceptor bone, quid faciam ut vitam æternam poßideam?*

18 IESVS *autem dixit ei; Cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus,* nempe *Deus.*

19 *Mandata nosti, Ne mœchator, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testimonium dicito, Ne damno afficito* quemquam, *Honora Patrem tuum & Matrem.*

20 *Ille vero respondens, dixit ei; Magister, hæc omnia observavi à juvente mea.*

21 *IESVS autem eum intuitus, dilexit eum, & dixit ei; Vnum te deficit: abi, quæcumque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me, sublata* in humeros *cruce.*

22 *Ille vero mœstus factus propter hunc sermonem, abiit contristatus: habebat enim possessiones multas.*

23 *Et quum circumspexisset IESVS, dicit discipulis suis; Quam difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt!*

24 *Discipuli vero expaverunt ad hos sermones ipsius. IESVS autem rursum respondens, dixit eis; Filii, quam difficile est eos qui confidunt opibus, in regnum Dei introire!*

25 *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.*

26 *Illi vero amplius percellebantur, dicentes inter se; Et quis potest servari?*

27 *Intuitus autem eos IESVS, dicit; Apud homines hoc fieri non potest, sed non apud Deum: nam omnia fieri possunt apud Deum.*

28 *Tunc Petrus cœpit dicere; ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

29 *Respondens autem IESVS, ait; Amen dico vobis, nullus est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & Euangelii.*

30 *Quin accipiat centuplicia nunc isto tempore, domos, & fratres, & sorores, & Matres, & liberos, & agros, cum persequutionibus, & in seculo venturo vitam æternam.*

31 *Multi autem primi, erunt ultimi: & ultimi, primi.*

ANALYSIS.

MOvet quæstionem quidam apud Christum, qui describitur adjuncta conditione principis: apud *Matthæum*, & ætatis juvenilis: item alio adjuncto, genuflexionis apud *Marcum*; item blanda appellatione boni Magistri: item divitiarum. Quæstio porro adjuncto tempore describitur, nempe cum Christus se in viam daret, ibidem apud *Marcum*. Forma quæstionis erat quid faciendo vitam æternam consequeretur.

*Vers.*19. Hujus quæstionis effectum est alia quæstio à Christo proposita; cujus forma est cur se bonum appellabat; quod refellitur proprio Dei adjuncto, ut qui solus bonus est, cum tamen princeps pro Deo Christum (qui Deus est in secula benedictus) non haberet.

*Vers.*20. Aliud effectum quæstionis propositæ est responsum Christi: salutem ex operibus in duobus effectis consistere: quorum prius est mandata Dei cognita habere: deinde illa factis implere; quæ in genere dicta post per species enumerantur.

*Vers.*21. Cujus responsi adjunctum est professio principis se illa servare omnia; quod adjuncto tempore amplificatur, à juventute sua. quærit porro an quidquam illi desit.

*Vers.*22. Cujus effectum apud *Marcum* est, quod Christus illum intuitus est: item quod illum dilexit: item quod illum alloquutus est: forma loquutionis est unum illi deesse ad regnum cælorum consequendum; quod infinite dictum post diserte additur, nempe ut bona sua vendens illa pauperibus distribuat; quod arguit ab adjuncto præmio thesaurum in cœlo reconditum habendi: item ut Christum sequatur; qui comitatus Christi apud *Marcum* adjuncta crucis perpessione notatur.

MARC.23. Cujus dicti effectum est quod gravi dolore affectus sit; quod suo efficiente declaratur, quia magnas divitias hoc Christi mandato relicturus esset.

MATT.24. Cujus tristitiæ à Christo perspectæ effectum est sententia Christi, difficulter regnum cœlorum ingredi qui divites sunt: cujus dicti effectum est stupor Apostolorum.

MARC.10,25. Comparatione minoris Christus suum dictum declarat, nempe minus difficile esse camelum per acus foramen ingredi quam divitem regnum cœlorum ingredi; ubi causam apud *Marcum vers.*24. adjungit, quod in divitiis confidunt.

MARC.10,26. Dicti effectum est majoris stupor & admiratio Apostolorum: cujus stuporis effectum est quæstio inter eos, quis possit ex divitibus servari.

MARC.10,27. Hunc nodum dissolvit Christus distributione adjuncti impossibilis in sua subjecta,
{ Deum, cui hoc possibile est.
{ Homines, quibus non item.

*Vers.*28. Petrus suam & Apostolorum obedientiam illustrat adverso ejus, quod princeps renuit facere; quod suo fine declaratur apud *Matthæum*, nempe ut sciret quæ futura sit merces.

Vers. 29, 30. Iesus vero confirmat illos in hoc obsequio ab adjuncta mercede, quam amplificat distributione subjectorum hic in terra, ibi in cœlis; quo ad mplificat adjuncto majori quam amiserit.

Quod

Quod confirmat à genere quia nemo jacturam faciens, &c. non recipit mercedem hic & in cœlis. *Quod* Marci 10, vers. 31. & Matthæi 19, vers. 30. *additur, supra vidimus.*

METAPHRASIS.

18. *Cum vero se Iesus in viam daret, citato gradu quasi gravitatis & dignitatis suæ oblitus, accurrit quidam qui principatum inter Iudæos obtinebat; idemque ad Christi pedes genibus flexis advolutus illum hunc fere ad modum affatus est: Quæro abs te (Magister nobis divinitus misse) quænam sunt illa opera quibus*
19. *perficiendis vitam æternam consequar? Quid me bonum dicis, quem tu pro Deo non agnoscis? quandoquidem perfecte & invariate bonus (qualem tu hominem civiliter inculpatum opinione judicas) nemo est præter unum Deum, qui perfecte bonus atque adeo bonitas ipsa est.*
20. *Quod vero quæstionem propositam attinet: mandata decalogi non ignoras; in quibus tametsi sint quæ Dei cultum attingunt, illa tamen libet proponere quæ nostra erga proximum officia complectuntur, tanquam rivulos ex fonte divini cultus profluentes. Hæc sunt: Non mœchaberis: non occides: non furtum facies: falsum testimonium non dices: neminem fraudabis: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, Hæc te servare & in his assiduum esse oportet*
21. *si vis vitam consequi æternam. Ad quem princeps (qui idem juvenis extitit.* Matth. 20) *Hæc omnia implevi à prima ætate, qua cœpi inter bonum & malum, rectum & pravum discernere* (Matth. 20.) *Ecqua re adhuc deficior, quæ mihi ad salutem consequendam necessaria sit; nam & illam quoque (si qua sit)*
22. *exsequi decrevi. Quo audito; Iesus, quod honeste vixerat, & se à juventutis luxu integrum servaverat & ad alia porro officia obeunda promptus esset (quatenus homo erat) eum dilexit. Atque ut errorem in lege implenda proderet, porro adjecit: Vnum tibi ad perfectionem & proinde ad salutem deest. Quæcunque & quantacunque possides vende & pauperibus distribue. Sic opes cum certiores tum etiam magis pretiosas in cœlo quo nulla lues pertingere potest, congeres atque recondes. Interim hujus tanti boni pignus & tesseram habebis, quod post distractas in pauperes opes, ad me veniens, te mihi individuum comitem adjungam, ut percepta probe via quæ ad vitam æternam ducit, eam etiam aliis prædices atque promulges.*
23. *His auditis juvenis valde contristatus est. Mæstum enim illum habuit hinc quod Iesu obsequi non potuit ad majorem vitæ æternæ certitudinem, istinc vero quod tanta copia divitiarum privandus erat: nam erat prædives. Hunc juvenem cum Christus perquam tristem intellexisset & studio diviciarum ita abreptum ut sequi renueret; ad discipulos conversus, dixit:* 24.
Dici non potest quam difficulter hi qui opibus abundant in regni cœlorum fruitionem admittentur. Quo dicto, tanquam humani judicii MARC. 24.
ratione absono & absurdo cum discipuli obstupescerent: Iesus hunc scrupum exempturus adjecit: Dici non potest quam difficile sit opibus abundanti & in illis commode & diu vivendi spem ponenti in regni cœlorum possessionem admitti. Tametsi enim τὸ ἀδύνατον sit camelum LVC. 25.
grande & vastum, idemque curvum & tortuosum animal per angustum acus foramen transire; tamen divitem opibus suis confidentem (quam diu talis esse perstat) in cœli possessionem admitti, magis adhuc τὸ ἀδύνατον est. Hac asseveratione & τῆς ἀδυνάτου amplificatione discipuli magis adhuc attoniti sunt, qui apud MARC. 26.
se privatim disquirebant, quis tandem salvus fieret ex his qui opibus abundarent, vel potius ex toto hominum genere; quandoquidem vulgo putatur pauperes uno lapide longius abesse à regno cœlorum quam divites. Iesus vero fixis oculis discipulos tanquam pinguius & MARC. 27.
crassius deceptos intuens, dicit: Hominibus quidem hoc est impossibile, sed apud Deum, qui omnia potest, non perinde est; ut qui divitum in suis opibus fiducia & animi elationi facile mederi novit. Tum Petrus arrepta, ex juvenis in sequendo Iesum animi aversione ansa, LVC. 28.
omnium Apostolorum nomine dixit. Illud, quæso, tibi semper ob oculos obversetur, nos omnia quæ nostrum ad te sequendum obsequium remorari possunt reliquisse. Quid nos præmii & MATTH.
remunerationis manet? Ad quos Iesus: sancte 27, 28.
vobis affirmo, quod vos, qui me abjectis omnibus impedimentis sequuti estis, in rerum omnium instauratione, cum ego, qui jam ab hominibus tanquam miser contemptui habeor, judex omnium summa gloria stipatus pro tribunali sedero, assidebitis; & vos singuli ex duodecim super solia de duodecim tribubus non tantum sententiæ quam feram assentientes, sed veluti ipsi sententiam dicturi; quia singuli ex Israëlitico populo, prout olim cum hic vixistis Euangelium promulgastis, vel absolventur, vel rei condemnationis pronuntiabuntur. Atque ut hic honos vobis proprius & sacer est, MARC. 29.
sic sancte vobis confirmo neminem fore quicunque & quantuscumque sit, qui domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos aut agros, aut denique in quocumque genere bona, mea, aut Euangelii

30. *gelii causa reliquerit: Qui non sit infinitis partibus meliora his quæ amisit nunc in hac vita una cum persequutione accepturus; primum domos, deinde studio & amore fratres & sorores, matres & liberos & agros, aut certe quod hæc omnia longe superat; & commoda quæ ex his percipiuntur abunde supplebit Spiritus Sancti amplum incrementum, & in seculo futuro*
31. *vita æterna. Sed videte ne à præclare captis deficiatis, aut pietatis studiis quidquam remittatis, quo minus confecto curriculo coronam gloriæ reportetis: plerique etenim reperiuntur qui magnam suæ pietatis spem in Christianæ professionis vestibulo fecerunt, qui tamen pedetentim & lento gradu in pietatis studio refrigerati, tandem omnium nequissimi evaserunt: sicut contra inventi sunt, qui omnium judicio deplorati visi, post ad frugem Dei incomparabili gratia redeuntes, pietate & probitate nobilitati sunt.*

PRAXIS.

SVmma, Christus reprehendens inscitiam principis adolescentis qui mandata Dei se accurate præstitisse jactabat, discipulis suis bonorum se operum remuneratorem esse declarat.

Partes, Dialogi Christi cum { Adolescente, qui idem princeps fuit. / Discipulis.

In priore *parte* habetur { Quæstio ab adolescente proposita. / Ejusdem ultra citraq; tractatio.

MARC.17. *Quo proposito ad Christum venerit adolescens.* In priore apparet hunc juvenem, non ut Pharisæi tentandi, sed discendi causa venisse; idque non mediocri studio, sed incenso & incitato; quod declaratur cursu & concitato gradu, ut coram Christo ita se sisteret, ut commodius sermones conferret; quod certe in viro nobili & prædivite, qui tardius incedere solent (quo autoritatem tueantur) singulare desiderium arguit. Deinde quod positis genibus, &c. tanquam rem quæ sua maxime interesset petiturus. Denique quod non tantum magistrum eum compellat; sed novum & ab aliis inusitatum titulum addit; *bonum* appellans. Huc accedit quod rem non frivolam, sed maximi momenti, &c. & in tota Theologia gravissimam proponit. Habebat quidem quo præsentem vitam transigeret; sed prudenter cogitabat aliquando migrandum; &c. tum nihil illi profuturum quod lautius hic vixisset, nisi, &c.

Quid in eo laude & imitatione dignum? Hic primo proponitur quid præcipue & ante omnia quærendum sit, & quid investigatione dignissimum; nempe quæ sit via quæ ducit ad vitam æternam. *Matth.6. Primum quærite, &c. Proverb.* 4,5,6,7. Pleræque consulationes & disquisitiones nobiscum & cum aliis habentur de præsenti momentanea & caduca vita, quibus artibus aut scientiis, aut quo genere vitæ illi optime prospiciatur: de vita æterna perpetuum pene silentium. Perinde ac si quis omnes cogitationes conferat, quo modo in hospitio viveret, ubi ad diem modo commoraturus esset; de familia domi tuenda & fovenda ne per somnium cogitaret. Et certe nemo fere tam rudis & iners inveniatur, qui non existimet se in causa salutis satis instructum esse. Quidam dicit se non dubitare quin salvus futurus, modo cuique quod suum est tribuat, neminem fraudet, etsi interim cultum Dei aspernetur, & aliis se vitiis contaminet. Alius diligendum esse Deum ante omnia, proximum ut seipsum: doctissimos nihil præterea addere posse. Tertius se scire Christum pro se passum, &c. non reputans apud se, quanta in his paucis verbis comprehenduntur, quæ vel exercitatissimis Theologis, &c. neque reputant se in deserto esse; viam incognitam, angustam, minime tritam, &c.

Laudi etiam ducitur quod adolescens hoc fecit. *Eccles.*12,1. *Quærendus est Deus mane.* Homines si quid magni momenti agendum habent, mane surgunt, ne dies eos deficiat. Item quod dives hoc fecerit: divites enim suis divitiis & voluptatibus (quarum ministræ sunt divitiæ) plerumque ita acquiescunt & oblectantur, ut æternæ vitæ curam abjiciant, ac pene irrideant.

Sed præcipue laudatur quod tanto fervore, &c. In quo tamen cum aliquid desideratur ad justam vitæ investigandæ rationem, quid iis fiet, qui vix semel in anno attentam aliquam cogitationem & commentationem de vita æterna admittunt, qui quæstionem de vita consequenda non modo non movent, sed motæ vix aurem alteram præbent: qui non modo non præcurrunt ad templum, ut Christo se sistant audituri, sed qui longissime se submovent: nec tantum non honoris significatione hoc contendunt ab his qui hoc docere profitentur, sed illos ne de hac re quæstionem moveant, rogant; parum memores Sapientiam ut aurum in fodinis quærendam, *Prov.*2. &c. tanquam margaritam

tam omnium bonorum distractione acquirendam, &c. *Matth.*13. cum illa aurora colloquendum, & sub noctem sermones conferendos.

MATT.17. &c. MARC.18, 19. LVC.19, 20. Hactenus de quæstione, sequitur ejus tractatio.

Christus boni nomen eo sensu quo adolescens intellexit ideo repudiavit, quia in Deum solum competebat.

Cur Christus titulum boni non acceptet. *Object.* at Christus est Deus: *Respondeo*, sed adolescens eum pro puro homine peccatis obnoxio habuit. Quod si quis illius Deitate probe instructus hunc ei titulum exhibuisset, non est dubium, &c. Nihil est ergo quod Arriani ex hoc loco, &c. Christus Apostolos se Dei filium prædicantes, alibi confirmat; & à Thoma se Deum & Dominum suum profitente, hanc appellationem non repudiat. Christi exemplo discimus honorem nobis delatum qui cum Dei honore pugnet, rejiciendum esse. Hoc Petrus *Act.* Paulus & Barnabas *Act.* fecerunt, hoc ingenuus filius patri, & fidelis servus Domino præstabit, imo & fidelis amicus amico. Molestus erat servis Ezechiæ sermo Rabsachis quo in eum invectus est, etsi multa præclara illis pollicebatur; & Ionathamo regni ad se devolvendi mentio, cum Davidis contumelia & injuria. Nos tamen toties hic peccamus, quoties laudem nostram falsam libenter audimus, aut veram laudem ad Deum non referimus, & ad Deum tanquam fontem laudantium linguas non traducimus.

Τὰς ἐντολάς.]Notandum contra ἐθελοθρησκείαν, nulla esse bona opera præter ea quæ in decem præceptis continentur: his nihil addendum, nihil minuendum; horum observationi omnes benedictiones, violationi maledictiones debentur. Confutantur *Papistæ* qui tanquam præcepta Dei non satis essent ad exhauriendas eorum vires, alia sibi præcepta effingunt, & jugo legis, quod nemo mortalium ferre potuit, gravius accersunt, &c. Hæc via régia, tuta hanc simulac deseris, in fossas, rupes, laqueos incideris necesse est. Vide *Ierem.*18,14,15.

Observandum, non esse novum homines de accuratiore aliqua justitia somniare quam quæ lege tenetur. Nec mirum si hoc ex scripturæ verbis extorquere conentur, cum ex Servatoris verbis qui legis obsequium mire commendabat, elicere conentur.

Cur secundam tabulam proponat. *Quæritur* in responsione Christi, cur præterita prima tabula, secundam proponit? *Respondeo*, 1. quia illa officia notiora sunt; quorum rudera post lapsum hominum animis insculpta sunt, 2. ut in secunda tabula illum reum tenens, cogitandum relinqueret quam procul abesset à primæ tabulæ observatione, 3. obsequium secundæ non excludit obsequium primæ, quæ causa est obsequii quod secundæ præstatur.

Cur legem urgeat. *Quæritur*, Cur Christus hunc qui eum candide, & magno studio accessit, non aliter excepit quam Pharisæos qui tentandi causa, &c. utrisque enim legem proponit, tanquam viam ad salutem? *Respondeo* hoc fecit ut illum infirmitatis suæ admoneret, quem paratus est statim in numerum discipulorum accipere, ut eum plenius hac de re informaret, &c. Ex quo videmus quam effusus sit Christus in eos qui eum sincere adeunt, & quam plena manu eos complectitur nisi ipsi sibi desunt.

Cur gratiam efficacem non reddat. *Quæritur*, Quare Christus oblatam gratiam efficacem non reddit? *Respondeo*, quia nondum animo & conscientia dejectus erat. Hinc responsio aptatur *Pontificiis*, clamitantibus Christum juvenem delusisse, si salus in operum merito non consistat; ac perinde esse ac si jussisset alas comparare quibus in cœlum subvolaret. Ideo enim ad legem illum mittit, ut sua infirmitate perspecta, per Christum viam quæreret.

MATT.20. MARC.20. LVC.21. *Iudæorum error.* *Hæc omnia, &c.*]Error qui illa ætate inter Iudæos obtinuerat, omnia ab illo expleta fuisse, qui exterius nihil in Rempublicam aut Ecclesiam peccaret. Ac si quis in se recipiens prægrande robur gestare, corticem tantum, &c. Esset quidem lex ipsa onus Æthna gravius, cortex vero, &c. conscientiæ humeris facile imponitur & circumgestatur. Vt ergo ab isto superbo tumore tuti simus, legis doctrina nobis penitus addiscenda, &c. ejus speculum limpidissimum inspiciendum, quo non modo strumas & ulcera sed & rugas & maculas vel minimas deprehendamus, vide *Rom.* 7. lege reviviscente & interveniente Apostolus se mortuum putavit. Item Iosias, etsi vir justus, vestes laceravit, &c. cum legem lectam audisset. 2 *Reg.* 22,11.

Hoc si fieret facile evanescerent eorum excusationes, quæ passim per omnium ora volitant; leve peccatum esse indignum de quo coarguantur, nimiæ curiositatis esse res tam leviculas perstringere, bene secum actum iri si nunquam gravius peccent. Vide Davidis exemplum quem sua conscientia perculit tantum quod vestem Saulis abscidisset, idque hoc consilio tantum, ut suam

innocentiam à Saule & ejus asseclis traductam assereret: cum tamen Saulus hoc nomine ejus pietatem laudavit.

MARC. 21. *Quomodo juvenem dilexerit Christus.* Marcus dicit Christum intuitum eum esse & dilexisse; cum scilicet videret in adolescente & quidem prædivite & principe, tam inflammatum pietatis studium: deinde quod in tanta morum corruptela exterius sibi ab omni turpioris vitæ nota cavisset. Ex quo liquet quo modo adolescentes Christi amorem inire possint, nempe si sibi ab omni labe & intemperie caveant, & coram hominibus honeste conversentur. Tametsi enim plura à nobis exigantur; tamen vel hæc ipsa Christum delectant, & à Christo in hac vita saltem remunerantur, ut in hoc adolescente liquet, qui & princeps & prædives erat. Omnes principum gratiam venantur: atqui num Christus indignus est, cujus gratiam & amorem captemus? Contra odit eos qui dissolute & intemperanter vivunt, comessones, combibones, scortatores, mentitores, &c.

Quæritur, Quo modo dilexit istum, quem videtur perisse? *Respondeo:* amor Christi duplex est: divinus, atque hic a salute eorum quos diligit non disjungitur; humanus vero contra, &c. sic dilexit consanguineos, qui tamen non credebant. *Ioh. 7, 5.* Sic nos *Pontificios* quosdam diligimus, quod modesti sunt & placido ingenio, quodque citra contumeliam audiant, quæ pro veritate dicuntur. De iis dicimus, deplorandum est eum esse pontificium, 2. fortasse etiam amore divino; eum complexus est, cujus tamen declarationem in aliud tempus dilatam voluit.

MARC. *ib.* LVC. 22. *An ei aliquid novi præscribat.* *Vnum tibi deest.*] Etsi hæc verba videantur novum aliquid præscribere, tamen si propius attendas, intelliges rem hoc loco præcipi, quæ prima tabula continetur. Nam hoc deesse ad vitam æternam affirmat, cum ante dixerat vitam æternam præceptorum impletione acquiri; sine cujus tabulæ obsequio, nullum secundæ obsequium præstatur. Quis porro ignorat multa huic defuisse qui Christum Dei Filium ignorabat; eoque Patrem. Idem ergo valet ac si dixisset, unum est non ita magni momenti, ex quo docebo te crasse hallucinari qui te hæc Dei mandata præstitisse judicas. Tu me doctorem cœlitus missum agnoscis, mihi ergo tibi Dei nomine imperanti parere debes. Nosti te omnia bona à Deo accepisse, ea lege ut prout ipse voluerit ea dispenses. Deus vero hoc per me tibi imperat ut vendas, &c. Perinde ac si homini de se profitenti se posse centum librarum pondus gestare, dicatur; omitto illud pondus; tentabo te in ejus oneris quadrante.

Nota hæc verba *Vnum tibi deest, &c.* manasse ex adolescentiis quæstiuncula, qui Matthæo referente quærebat quid aliud illi deesset: non ergo sponte Christus in hanc loquendi formam incidit; sed quæsitus alludit ad ejus quæstionem. MATT. 20. *Qua occasione ei hoc mandatum det.* Contra *Pontificios* qui hinc opera supererogationis struunt, & perfectiorem statum quam qui Christianis communis est. Quod probare conantur, quod aliquid hic consulitur, non præcipitur; commendatur, non mandatur. *Respondeo,* consulitur sive præcipitur, sed huic adolescenti, non omnibus qui perfecti esse volunt; ut olim Abrahamo mandatum est, ut filium sacrificaret, &c. Israëlitis ut Aegyptios spoliarent. Et quis novit si Christus hoc præcepto juvenem tentare voluit, ut olim Abrahamū: quem ad obsequium promptum & paratum vetuit filium sacrificare? *Objectio:* at plus hic jubetur quam charitas, quæ est legis impletio: charitas enim non postulat ut proximum plus diligamus quam nos ipsos. *Respondeo,* at jubemur Deum plus diligere quam nos ipsos. *Objectio*: at non est istud præceptum, cum ab omnibus non requiritur ut hoc faciant. *Respondeo,* imo, siquidem Deus illud postulet, ut hic.

Sunt enim præcepta { Generalia. / Specialia, ut supra.

Nihil denique hic superrogari ex Christi verbis constat, cum ex hac recusatione dicat impossibile esse diviti intrare in regnum cœlorum.

Hinc denique voluntariam fraterculorum paupertatem astruunt, quasi esset consilium omnibus qui volunt esse perfecti. Quid, an regibus convenit ut sint pauperes, aut ut non sint perfecti.

Et habebis thesaurum, &c.] Hac promissione innuit illum facilem & promptum, &c. quod cœlestem thesaurum pro terrestri commutaret, & possessionem longe & certiorem & durantiorem acquireret. Vide supra. Altera est fore ut illum discipulum crearet, qui aliis instruendis idoneus sit, in quo singulare amoris signum, &c. Vide 1 *Tim.* Ex hoc mandato sequeretur Christum astruere monachorum & fraterculorum suo Abbati & Priori obsequium. Sed non habent mandatum ut iste juvenis. Deinde aliud est sequi Christum, aliud Abbatem; aliud voluntati suæ renunciare, aliud voluntati Abbatis parere. Simul jam causam indicat cur

eum

cum velit omnia vendere; nempe quod huc illuc prædicandi causa mittendus erat: cum igitur nulla jam hujusmodi causa sit possessiones distrahendi & divendendi, constat præceptum hoc locum nunc non habere: ministeria enim, quæ nunc in Ecclesia sunt, certæ alicui Ecclesiæ affixa sunt.

MATT. 22. MARC. 22. LVC. 23. *Causa tristitiæ in juvene.*

Audito Christi mandato de venditione bonorum & tollenda cruce, ut est apud Marcum contristatur: urgebat enim hinc timor Dei ne, &c. illinc metus amittendi divitias & gloriam. Vide simile exemplum Herodis quem hinc honor juramenti servandi, illinc timor Dei ex interfectione viri justi, &c. Hinc constat quam dolose lances & stateram manu nostra moderamus, qui, quod infinite levius est, tamen præponderare facimus. Quid enim sunt aurum, argentum, &c. si cum Christi obsequio comparentur; aut inanis mundi gloriola, si cum Dei ira conferatur. Hinc item liquet quam est illud optandum, quod *Pro.* 30. habetur, *paupertatem vel divitias ne dederis, &c.* Deinde non sufficere, si cujus animus veritatis opinione aliqua sit imbutus, nisi illam penitus ita persuasam habeat, ut eum ad persequendum ea quæ mandantur, & contraria fugiendum perpellat. Si enim iste persuasum habuisset se vita æterna exturbatum, nisi Christo obsequeretur, dubio procul, &c. Item conscientiam gravem hoc modo plagam accipere; adeo ut homines sæpe ex isto mœrore nunquam convalescant. Et fortasse hunc adolescentem nec opes, nec honor in hoc mœrore consolari unquam potuerunt, quo minus ad sepulchrum, fortasse etiam ad inferos fuerit detrusus. Quam igitur stultum est, &c.

Sequitur *pars* altera hujus historiæ de colloquio Christi cum discipulis: ubi consideratur
- Periculum ex fiducia & amore divitiarum.
- Præmium propositum iis qui opes, &c. Christi causa relinquunt.

MATT. 23. MARC. 23. LVC. 24. *Quis tam gravis Christi assertionis finis.*

Christus ex adolescentis malo colligit fructum, quo discipuli proficiant. Sicut enim sapiens agrum stulti transiens sapientiam discit, sic Christus, &c. Ex aliorum defectione Euangelio tenacius adhærere discamus.

Quam difficile.] Vide *Matt.* ubi hæc asseveranter enunciantur: atque hæc tribus de causis, 1. ut discipuli in ministerio exercendo fortia divitibus medicamenta adhiberent, 1 *Tim* 6, 17. ne illos offenderet, si divites ministerium eorum fastidire adverterent ut divitiarum cupiditatem declinantes, suam paupertatem non inique ferrent. Vide *Matth.* ubi qui villam emerat ad convivium invitatus non venit. *Abac. cap.* 2. denique lutum. *Matth.* 13. spinæ. Instar oneris impediunt cursum. *Matth.* 11. pauperes Euangelizantur. Onus paupertatis placide ferendum, cum hoc multis ad vitam æternam remoris & impedimentis caremus. Lequis est qui inique feret ædes sibi demoliri quantumvis splendidas, quæ serpentibus scatent, quibus simul ac pedem imposuerit, lethaliter vulneraretur? paupertas nobis singulari Dei prospicientia obvenit. Hinc refellitur Purgatorium; quod si esset, divitibus magis quam pauperibus expositum esset regnum cœlorum; ut qui sua pecunia missas magno numero redimere possunt.

MARC. 24. *Discipulorum expavor.*

Ἐθαμβοῦντο: mirum enim est, tam cupide illa consectari quæ sibi ad cœlum viam intercludunt, & in inferis locum defodiunt, 2. portas cœlorum iis recludi; quibus portæ in terris passim patent, 3. divitias, quæ amoris Dei signa sunt, in odii materiam commutari.

MATT. 24 MARC. 25. LVC. 25. *qui comparatione proposita intenditur.*

Amplificat comparatione, qua majorem adhuc admirationem movet; non modo difficile, sed impossibile; idque eo genere, quo nihil magis. *Foramen acus* videtur angustam viam designare, *cameli* vastum corpus, superbiam & alias pravitates & distortiones animi, quæ in divitis, &c. Caveant ergo divites, & sollicite mane, vespere, interdiu, noctu secum de periculosa suæ vitæ ratione commententur, ne &c.

Objicitur pro ubiquitate corporis Christi. Si camelus potest per foramen, &c. tum corpus alicubi esse potest, ut locum non occupet, aut aliud corpus suo non expellat. At Deus efficere potest ut, &c. ergo. *Respondeo*, Est istud proverbiale dicendi genus & hyperbolicum; non simplex oratio. Deinde Christus divitem intelligit qui divitiis confidat: qualem Deus (qui se ipsum non negat) non potest servare. Ita Deo impossibile est efficere ut camelus (suam magnitudinem retinens) transeat per formam acus; utpote quod contradicentiam implicat.

Divitiæ non damnantur, sed hominum in iis fiducia.

Marcus narrat Christum secundo dixisse, impossibile esse iis qui in divitiis confidunt, &c. Divitiæ ergo in vitio non sunt, sed quod cor apponurt. *Psal.* 62. Quod in divitiis confidunt, illis ad luxum aut oppressionem abutuntur. Præsentes nimium amant; De ablatis nimium contristantur; eorum mancipia sunt; hoc ipso jumentis deteriores, quæ

 non

non nisi coacta jugum subeunt & serviunt, quod homines cupide faciunt. Videturque adolescentem perstringere, quod sibi prospectum iri diffidebat, si possessiones vendidisset, &c. Vide 1 *Tim.*6,17,18. 1 *Cor.*1,7. Quod hominibus impossibilia dicat, Deo soli possibilia labefactat liberum hominis arbitrium. Et simul docet non esse desperandum de salute nostra aut aliorum quod tanta sit naturæ nostræ pravitas; sed ad Dei omnipotentiam oculi attollendi.

MATT.27. MARC.28. LVC.28. *Quid de Petri quæstione censendum.*

Hactenus de periculo, &c. sequitur de præmio iis proposito, qui, &c. Petrus arrepta causa ex adolescentis recusatione quærit, &c. *Object o*, at videtur ista quæstio illiberalem & servilem animum olere, de præmio tantopere sollicitum esse, præsertim nondum perfecto opere. *Respondeo:* cum Christus humaniter & placide respondeat, non increpet, videtur non tanquam mercenarii quæsivisse, qui nihil facturi essent nisi de mercede constaret, sed ut mercedis commentatione se ad officium alacrius & cordatius obeundum excitaret; quod à nobis etiam fieri licet & debet. Cum enim scriptura proposito præmio nos ad officium invitet, &c. non est dubitandum, &c. In rebus magnæ difficultatis solenne est præmia exponere, ut &c. sic Calebus hostem vincenti suam filiam spondet, & Rex David expugnatori arcis Iebuseorum, fore ut dux militum crearetur.

Quomodo bona opera nostra apud Deum possint proferri.

Hinc item liquet, licere opera nostra apud Deum proferre, quo nobis persuadeamus bene nobiscum actum iri; hoc sæpius à Nehemia factitatum est, *memor esto mei secundum bonum,* &c. sic *Psal.*132. *Memor sis Davidis.* Neque tamen ex merito, &c. ut cum Ahasuerus Esteræ dimidium regni pollicetur, non illius merito, sed regis liberalitate; ut si quis mendico promitteret gemmam infiniti pretii modo manum porrigeret: non est illud manus porrectioni tribuendum; sed, &c. sic, &c. Sed nec ab officio alienum est, aliorum defectiones ad nostrum officium commendandum proferre; id est, ad Dei erga nos gratiam prædicandam, qui nos manu sua sustentavit, gratia adfuit, &c. modo in hac præ aliis præstantia non acquiescamus, aut in bonorum operum studio frigeamus, modo nos ad legis examen adigamus, ad eos qui nos præcellunt oculos attollamus, eos qui nos sequuntur non contemnamus, non jactemus per comparationem, ut Pharisæus & senior filius, *Lucæ caput* 15, *vers.*29,30.

Triplex hujus loci apud Pontificios abusus.

Hinc *Pontificii* Romanæ sedis primatum astruunt, quod Petrus reliquorum nomine respondet. Vide quæ annotavimus in *Ioh.*6, *vers.* 68. & *Matt.* 16,16. 2. Item perpetuam ministrorum continentiam, quod Apostoli omnia relinquentes, etiam uxores reliquerint: præsertim cum Christus verbis sequentibus disertam uxoris mentionem faciat. *Respondeo*, Nomine *omnium* non contineri uxores constat ex Apostolorum praxi. 1 *Cor. cap.*9,5. Deinde *Pontificii* ex Christi sententia tanquam copulata ratiocinantur, quæ est disjuncta. Denique hæc sententia de omnibus Christianis non de ministris tantum enunciatur. 3. Hinc etiam fratrum mendicitatem astruere conantur, sed frustra; cum vocatione Christi non muniuntur, ut Apostoli. Deinde proprietatem bonorum non abjecerunt; sed ab eorum usu abstinuerunt, quoad moram adferrent suscepto ministerio: id quod ex eo constat, primo, quod Christus post exceptus est in ædibus Petri & Andreæ. *Marc.*1,29. *Luc.*4,38. Quod docuit turbam ex navicula Petri. *Luc. cap.*5,3. Quod Petrus piscatum abiit post Christi mortem. *Ioh.* 21,3. Quod Iohannes Christi matrem domum duxit, & ibi aluit. *Ioh.*19, *vers.*27. Denique Apostoli nunquam mendicarunt, potius manibus laborarunt.

De Petri quæstione hactenus: sequitur responsum Christi, in quo { Præmium constituit. / Adhortationem adjungit.

In præmio est quod { Propria quadam ratione Discipulis competit. / Communiter omnibus pollicetur.

MATT.28. *Præmium Apostolis proprium,*

Præmium proponit Apostolis peculiare prout illi officium singulare præstabant. Doctoris nullius tanta sunt & tam exquisita erga Christum officia, quæ ille compensatione non facile superet. Tot sunt enim remunerationis genera penes illum, quot sunt hominum erga illum obedientiæ gradus & incrementa. Principes sæpe non possunt quædam subditorum erga eos officia exæquare. Quamobrem distributis ante honoribus, jubentur attendere dum quis locus honorificus vacarit, quod tempus sæpe morte prævenitur: quin potest illud officium principi à subdito præstari, quod ab illo compensari nequit. Nemo dimidium regni charissimis subditis confert. Christus vero integrum regnum; singulos reges creat, singulis coronam imponit; pro cujusque fide

& præ-

& præclare gestis singulorum diadema lapide pretioso ornat. Observandum quantum præmium Apostolis proponitur; non quod tot & tanta reliquerint: (erant enim pæne omnes ex ima plebe) sed quia prompte & alacriter, &c. hilare enim & promptum obsequium amat Deus. Quando hoc fiet subjungit, nempe ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ. Quod tempus *Act.*3. instaurationis dicitur; quia die illa non tantum elucebit gloria filiorum Dei, sed & totius creaturæ quæ collapsa est, & vanitatem quandam & caducæ conditionis labem contraxit. *Rom.* 8. *Apoc.* 5, 13. Deus omnes creaturas suas tanquam satellites, & administros veluti nova quadam synthesi ornabit, sicut principes cum liberos matrimonio elocant. Tum vero hoc potissimum fieri subindicat cum maxime eorum interfuerit; id est, cum res quæ jam turbatæ & confusæ sunt, in ordinem redigentur. Præsidere in republica, quæ divulsa à seipsa veluti dissilit, honori non ducitur, sed &c. Eoque æquius ferendum si interim coram aliorum tribunali sistamur: sic enim in hoc mundo fieri oportet. *Vilis in honoratum, puer in senem assurget, &c. Esa.*3. *Eccles. Vidi servos equis vectos, dominos eorum pedibus incedentes.*

Tempore regenerationis ipsis consertandum.

Tempus porro alio adjuncto notat splendentis suæ gloriæ, cum ipse &c. patientiæ argumentum: non est ægre ferendum, si dum Christus quodammodo delitescat, nostra vita cum illo delitescat. *Col.* 3. Satis fuit Davidis ducibus strenuissimis, quod cum ipse in regnum subvectus est, illi item ad honores evecti erant. 1 *Sam.* 2.

Quale sit.

Iudicantes duodecim tribus, &c.] Istud ad duodecim Apostolorum numerum accommodatum est, & quod eorum legatio in Israël duntaxat, innotuerat, cum hæc dicebantur. Erant enim futuri judices totius mundi.

Objectio: at hic honor omnibus sanctis communis est, 1 *Cor.*6. *Respondeo* sancti hoc facient judicium approbando, & latæ sententiæ succinendo. Apostoli autem singulari quadam ratione Christo assidebunt in judicio, quia secundum quod illi homines absolverint aut damnarint; cum essent in mundo; sic etiam absolventur, aut rei peragentur à Christo in extremo judicio.

Sequitur præmium omnibus commune qui aliquid Christi causa amittent, quod *duplex* est { hujus / futuræ } vitæ.

In hac vita *Lucas* millesimum, *Matth.* & *Marc.* centuplum promittit, similitudine ab agris feracissimis, ut ex parabolis *Matth.*13. & historia sationis Isaaci in *Genes.* constat. Hostes igitur nobis bona Christi causa deripientes nostri coloni sunt qui nobis serunt, &c. *Psal.*129. aratrum in nos ducere dicuntur. Quis igitur inique ferat, sua sibi auferri ut centupla accipiat? nos pro decimæ partis incremento centum damus; ut vigesimam partem lucremur, bona nostra mille periculis per mare exponemus; quæstus hic ut multo uberior, ita longe certior. Attollamus ergo animos ab expilatoribus nostris, &c. & ad eum subvehamus, qui hæc à nobis mutuo accipit quæ post cumulatissime reddat. Apud Marcum genus commodorum idem futurum dicitur quod Christi causa amisimus, quod proprie intelligi non potest, cum parentes, &c. reddi non possint; sed intelligit primum alios à Deo substitutos fore, qui parentum, uxoris, &c. instar, &c. sic Davidi Ionathan erat pro uxore, cujus amor fœminarum amorem superavit: item Reges Moabi & Ammonitarum Deus illi propensos reddidit. Deinde cum hoc perpetuo non est factum, Spiritus Sancti donis ista remuneravit; quorum vel minimus accessus infinitam auri vim longe superat.

MATT.29. MARC.29, 30. LVC.29, 30. *Præmium commune: primo in hoc vita:*

Alterum præmium est vita futura, nempe vita æterna; sic pro rebus momentaneis æterna, pro levibus ponderosissima, pro incertis certissima, &c. nunquam ut miser sit qui pro Christo patitur.

2. in futura.

Denique extat exhortatio apud *Matthæum* & *Marcum:* Primos fore novissimos, &c. quo admonet ut pergant strenue, nequis illis coronam præripiat. Sæpe enim fieri ut qui inter primos steterint, post omnium extremi sint. Eoque non tam cogitandum quid præmii accepturi sint, quam de certamine perficiendo studium intendendum.

MATT.30. MARC.31.

MATT. *cap.* 20, *à vers.* 1, *ad* 17.

Simile enim est regnum cœlorum Patrifamilias, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios quos mitteret *in vineam suam.*

2 *Pactus autem cum operariis denario in diem, misit eos in vineam suam.*

3 *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos:*

4 *Et illis dixit; Abite & vos in vineam, & quodcunque justum fuerit dabo vobis.*

5 *Illi autem abierunt. Rursum egressus circa sextam & nonam horam, fecit itidem.*

6 *Circa horam autem undecimam egressus, invenit alios stantes otiosos, ac dicit eis; Cur hic statis totum diem otiosi?*

7 *Dicunt ei; Quia nemo nos conduxit. Dicit eis; Abite & vos in vineam: & quicquid fuerit justum accipietis.*

8 *Quum autem serum diei esset, dicit dominus vineæ procuratori suo; Voca operarios, & redde eis mercedem, exorsus ab ultimis, usque ad primos.*

9 *Et quum venissent qui circa undecimam horam* conducti fuerant, *acceperunt singuli denarium.*

10 *Quum venissent autem primi, existimarunt se plus esse accepturos: sed acceperunt ipsi quoque singuli denarium.*

11 *Sed quum accepissent, murmurabant adversus Patremfamilias.*

12 *Dicentes; Isti ultimi unam horam* opus *fecerunt, & eos æquales nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstum.*

13 *Ipse vero respondens, dixit uni eorum; Amice, non facio tibi injuriam: nonne denario pactus es mecum?*

14 *Tolle quod tuum est, & abi; volo autem huic ultimo dare ut & tibi.*

15 *An non licet mihi quod volo facere in meis* rebus? *an oculus tuus malus est quia ego bonus sum?*

16 *Sic ultimi, erunt primi; & primi, ultimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

ANALYSIS.

ALlegoria seu parabola, ubi Ecclesia, quæ regnum cœlorum dicitur, cum vinea comparatur similitudine, Deus cum Patrefamilias, singuli cives Ecclesiæ cum operariis: paterfamilias describitur suis effectis, 1. quod domo ad forum, ubi operarii obambulant suos conductores expectaturi, ierit: adjuncto tempore describitur, diluculo: item quod quosdam tum conduxit.

*Vers.*2. Aliud effectum patrisfamilias proponitur, quod cum illis paciscitur de denario in diem: item aliud, quod misit operarios in vineam.

*Vers.*3. Secundus exitus à priore differt adjuncto tempore, nempe ad horam nonam matutinam: item adjuncto operariorum, nempe quod otiosi consistebant.

*Vers.*4. Item alio adjuncto paciscendi ex æquo, nullo pretio certo præstituto.

*Vers.*5, & 6. Item alios conduxit, qui differunt à prioribus adjuncto tempore meridiei, tertiæ & quintæ horæ pomeridianæ; item adjuncta quæstione, cur otiosi starent toto die?

*Vers.*7. Cujus quæstionis relatum est responsum operariorum, quod nemo illos conduxit.

*Vers.*8. Describit mercedis solutionem; quæ declaratur ab adjuncto, vespera: item à principali efficiente, mandato patrisfamilias; minus principali, œconomo; & adjuncto ordine, initium faciendo ab his qui postremi venerunt, & ita pergendo ad mane vocatos.

*Vers.*9. Describitur merces eorum qui postremo conducti sunt: species exprimitur denarius.

*Vers.*10. Cujus compensationis effectum erat, quod qui primi venerant, putabant se amplius denario accepturos; quod suo diverso amplificatur, quod denarium modo ut postremi acceperunt.

*Vers.*11. Cujus solutionis effectum est obmurmuratio eorum, qui primi conducti sunt; quod etiam suo subjecto exaggeratur, patrefamilias.

*Vers.*12. Causa materialis declaratur, quod postremos præmio cum illis primis exæquavit: quæ querela amplificatur à comparatione majoris, quia plus oneris & æstus pertulerunt.

*Vers.*13. Effectum querelæ est responsum patrisfamilias; quod subjecto declaratur, nempe ad unum ex his qui obmurmurarant: ubi consideratur adjunctum, blanda appellatio amici: responsum est ab effecto patrisfamilias, se non facere injuriam; quod confirmat ab efficiente quia pactus est denario.

*Vers.*14. Alio effecto ut tollat denarium & abeat: item quod postremum æquavit primo, cujus causa sola est voluntas ejus.

*Vers.*15. Quam voluntatem justam arguit ab adjuncto ejus quod dat postremis, nempe quod suum & proprium sit: causam etiam indicat efficientem hujus murmurationis, nempe malum & invidiosum animum; cujus instrumentum est oculus corporis; quæ invidia & malus animus exaggeratur suo disparato, quia paterfamilias sit liberalis.

*Vers.*16. Hactenus fuit protasis: sequitur redditio; quæ primum adverso declaratur, postremos in Ecclesiam à Deo vocatos fore inter primos, & primos

mos postremos futuros: item alio adverso, multos vocatos, plures electos: vel postremum hoc ad diversum referri potest, tametsi multi vocati, tamen pauci sunt electi.

METAPHRASIS.

1. *HÆc doctrina proxime proposita quo faci-
lius elucescat, libet similitudine tanquam
viva imagine & expressa effigie illam mentis
oculis repræsentare. In Ecclesia igitur, ubi
Deus regnum suum administrat, perinde facit
Deus ut in vinea colenda putandaque amplis-
simus simul & ditissimus paterfamilias. Tam-
etsi enim cœlos non egreditur, qui omnia loca
implens à loco in locum commigrare nequit:
tamen se ad tempus ab hominum notitia con-
clusum tenens cum opportunum illi videtur se-
ipsum hominibus patefaciens quodammodo
exit; idq; magna diligentia (ut hi qui magnum
aliquod opus suscepturi sunt appetente luce sur-
gunt) ut præmio proposito operarios in Eccle-*
2. *siam tanquam vineam mittat conductos. At-
que ut conducturus operarios, illos in foro otiose
obambulantes offendit, sic Deus omnes ab ope-
ribus bonis feriantes; & quidem cum primis
certo pretio vitæ æternæ tanquam denario con-
venit, hac lege, ut si totum tempus vitæ (tan-
quam diem integrum) mandata exacte serva-
rent, vitam æternam jure obtinerent: atque
hos ita conductos ad Ecclesiam, tanquam vi-*
3. *neam suam excolendam misit. Rursus se ho-
minibus patefaciens, tertia post exortum solem
hora, alios in foro (ubi operarii de more illos
exspectant, qui eorum operam conducunt) o-*
4. *tiosos offendit. Quibus etiam dixit; ite & vos in
vineam, & quod æquum videbitur dabo vobis.*
5. *Qui in patrisfamilias benignitate & munifi-
centia acquiescentes laboratum in vinea abie-
runt, tametsi nullo certo pretio cum eo depacti
essent. Iterum meridie se rursus patefaciens
Deus, post exortum solis hora sexta, alios ea-*
6. *dem lege qua tertianos conduxit. Hora vero so-
lis occasum antecedente rursus se patefaciens,
alios itidem otiosos offendit. Hos per ministros
acriter verbis castigatos, quod totum tempus
vitæ suæ otiose corrupissent, sic percontatus est;*
7. *quare totum diem inaniter contrivistis? Ad
quem illi; quod nemo sit qui nostram operam
conducat. Tum ille; ite & vos in vineam &
quod æquum videbitur accipietis; qui in beni-
gnitate & munificentia patrisfamilias acquies-
centes, laboratum in vinea abierunt, tametsi*
8. *nullo certo pretio cum illo depacti essent. Cum
jam vespera mūdi facta, finis laboribus impone-
retur, Deus tanquam paterfamilias Christum
Filium tanquam prætorii præfectum & à se se-
cundum sic alloquitur; Advocatis operariis
unicuique mercedem reddito: ita tamen ut ab
ultimo vocatis initium capiens, ordine quo vo-
cati sunt pergas, ultimos in mercedis dissolu-
tione constituens, qui primi in vocatione extite-
runt. Congruenter mandato accedentes qui un-* 9.
*decima à solis ortu hora conducti sunt, singuli
denarium acceperunt: quod ipsum de his qui
hora tertia antemeridiana & nona pomeridia-
na vocati sunt intelligendum est. Tum acce-* 10.
*dentes qui cum luce vocati sunt, se plures dena-
rios, pro rata temporis portione qua in vinea
laborarunt accepturos existimabant: sed opi-
nione sua falsi singuli denarium modo accepe-
runt. Accepta mercede, adversus patremfa-* 11.
*milias tanquam injustum clam & obscuro
murmure obloqui cœperunt, Dicentes: ut alios* 12.
*omittamus qui non tam diu in vinea ac nos la-
borarunt, quam inique comparatum est ut po-
stremos hos, qui una tantum hora operam in
vinea impenderunt, nobis qui totius diei onus
& ferventem æstum sustinuimus, mercede exæ-
quaris. Paterfamilias vero uni ex eis regerens,* 13.
*dixit; Amice, nulla subest justa de me queren-
di causa; injuriam tibi non facio: nonne me-
cum denario convenisti? Quod igitur tuum est* 14.
*tollens, apagesis & te è conspectu meo subduci-
to: libet enim mihi huic qui postremo vocatus
est, tantundem atque tibi dare. An tu me im-* 15.
*pedias quo minus de meo & proprio pro meo
arbitratu quantum libet, & cui libet distri-
buam; aut æquum putas ut mea in alios gra-
tuita largitio te ad invidiam in socios irritaret?
Quod autem tibi à me responsum est, id socii
tui (ut tu es) queruli, sibi etiam dictum putent.
Si quorsum hæc spectent & referantur, quis* 16
*quærat: horsum; ut intelligatur in Ecclesia usu
nonnunquam venire, ut qui longissime à salute
remoti sint, in optimos & præstantissimos Chri-
stianæ Reipublicæ cives evadant; & contra
qui maximam pietatis de se spem apud homi-
nes excitarunt teterrimi deveniant. Atque
hac eadem parabola illud porro elucescit, mul-
tos externa vocatione ad Ecclesiæ communio-
nem adsciscì, cum pauci ad vitam ante jacta
mundi fundamenta electi sint.*

PRAXIS.

SVmma, Christus Deum nemini ob sua merita teneri docet.

Partes parabolæ. { Protasis ad vers.16 / Apodosis. vers.16.

In protasi *duo* considerantur { Vocatio operariorum. / Eorundem compensatio.

In priore observamus singularem Dei erga Ec- Marc.17.

Vers. 1. *Singularis Dei erga Ecclesiam amor.* ga Ecclesiam amorem qui eam non alio loco habet, quam hereditatis, & quidem lectissimæ, cujusmodi est vinea, olivetum, seges; imo Dei charitas longe superat omnem agricolæ curam, &c. ut qui suæ vineæ plantandæ, & segeti conserendæ filium suum dedit. Huc refer ejus curam & sollicitudinem in ea excolenda: mane surgens mittit Prophetas, &c. *Esa.*5. *Quid faciendum fuerat vineæ meæ, quod non fecerim. Vsus*, ut in fructu ferendo huic sollicitudini, &c. respondeamus.

Hinc apparet ministerii necessitas. Vt enim vinea nisi excolatur, putetur, &c. silvescit, & in folia & sarmenta inutilia diffluit, &c. sic. &c. Vide *Ioh.*15,1,2. Deinde vocatio præstolanda, nec cuiquam vineam ingredi fas est, nisi, &c. Oportet equidem in foro seu platea academiarum obambulare, instrumenta parare, &c. sed ne pedem in vineæ culturam ponere, quoad legitima vocatione muniamur. *Ioan. 6. Cantic.*1. Deinde vocati sive ad vitam, sive ad ministerium, vocanti illico respondere oportet: & Deum vocantem, abjectis omnibus impedimentis, sequi, etiam illis, quæ alioqui cum officio conjuncta sunt; ut parentem ætate confectum non deserere, quoad sepulturæ justa persolverit, amicis valedicere, &c. quid quod ne obviam quidem factum salutare; multo minus cunctandum ut quæstui & delitiis sese dedant, aut ut honori suo velificentur. *Matth.*8. *Matth.*10,2. *Reg.*4,29.

Vers. 2, &c. *Cui tamen non nisi decurso stadio præmium largitur.* In locandis operariis notandum pensum prius absolvendum, quam de mercede cogitandum. Solenne est operarios non nisi perfecto opere, mercedem accipere, nec milites ante prælium confectum spolia dividunt, nec cursores ante stadium decursum βραβεῖον accipiunt, vide 1 *Pet.cap.*1, *vers.*11. 2 *Tim.*4,7,8. vide exemplum Reubenitarum & Gaditarum, qui ad suam hæreditatem non reversi sunt, antequam fratrum pacem & quietem procurarant. Vide exemplum Ionæ, *cap.*3. & discipulorum, *Matth.*10. *Psal.*20, 21, &c. Item Deus diversis temporibus vocat, alios in pueritia, adolescentia, juventute, virili ætate, senectute, &c. & hos acriter pungit præ omnibus aliis, quod tam diu otiosi desiderunt.

Vers. 8, &c. *idque gratuitum:* Sequitur de compensatione operariorum, ubi primo consideratur solutio mercedis, nempe vespera ejusdem diei, alludens ad consuetudinem bonorum & frugi patrumfamiliæ, qui eodem die &c. hinc admonentur qui mercenarios conducunt ne mercedem differant in crastinum. *Lev.* 19, 13. *Deut.*24,14,15. *Iacob.*5,4. Exspectatio prorogata est animi ægritudo: desiderium adveniens arbor vitæ. *Prov.*13,13. Quod per œconomum mercedem reddit, Christum in domo patris œconomum & judicem depingit. Quod singulis denarium solvit, & ab ultimo incipit, docet remunerationem piorum esse gratuitam, & à merito longissime remotam. Nemo ergo suis meritis confidat, nemo ob suam indignitatem de Dei misericordia desperet. Nec enim ex opere debitus est denarius iis qui unam tantum horam laborarunt.

Ex hac parabola perperam colligitur mercedis in cœlo æqualitas; quæ *Dan.*12. refellitur.

Ita tamen suos remunerat liberrima & gratuita liberalitate, ut impiis & obmurmurantibus nullam illos reprobando injuriam faciat, *vers.*13. ut qui nihil cuiquam debeat, *quis enim illi prior dedit? Rom.*11. Nonne rex terrenus ex duobus maleficis unum vita donare alterum in crucem agendum adjudicare potest, sine ulla in suspensum injuria? Nec repugnat quod murmurantes denarium acceperunt, ac si hypocritis locus esset in cœlis: singulæ enim partes parabolæ non sunt urgendæ, & parabolæ applicatio docet improbos excludi, ultimorum enim nomine intelliguntur nulli. Vide *Matth.*5,19, *&* 21,31. *ex liberrima sua voluntate, frustra ringentibus impiis.*

Causa gratuitæ largitionis in pios, & restrictionis in impios summa & suprema est, ejus voluntas; ut quæ summa causa est salutis, & electionis, & reprobationis, &c. sic *Rom.*9,18. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Hic enim & nusquam alibi locum habet; *Stat pro ratione voluntas*; ut quæ semper justissima est, etsi ejus justitiæ fundum pervestigare nemo hominum aut angelorum potest. Hujus causæ ratio à comparatione minorum. Si enim homines, qui Dei sunt œconomi, & ei rationem reddituri, tamen in suis quod illis adlubescit, libere faciant, nedum Deus, qui nemini est obnoxius, &c. Notatur improborum imperium, qui ut inter homines alieno bono invident; sic Dei erga pios liberalitatem ægre ferunt: *malo* enim *oculo* invidiosum intelligit. Vide *Math. cap.*6,22,25,23.

Cavendum tamen ne omnia in hac parabola stricte ad verbum exigantur. Nam cum denario præmium, quod dabit Christus, videtur significari; tamen notum est justitiarios

rios istos, qui pro operum suorum merito, non ex Patrisfamilias munificentia, mercedem postulant; cœlo excludi. Vide parabolam epulonis; ubi quædam sunt, quæ si strictè urgeantur, non quadrabunt cum analogia fidei.

Hactenus de protasi, de *Apodosi* vide in *Luc.* 13. & *Matth.* 19. versu ultimo.

IOAN. *cap.* 11. *à vers.* 1, *ad* 11.

Erat autem infirmus quidam nomine *Lazarus, à Bethania ex vico Mariæ & Marthæ sororis ipsius.*

2 *(Maria autem ea erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmus erat.)*

3 *Miserunt ergo sorores ejus ad ipsum, dicentes; Domine, ecce,* is *quem amas, est infirmus.*

4 *IESVS autem* hoc *audito, dixit; Hæc infirmitas non est* immissa *ad mortem, sed pro Dei gloria, ut per eum* morbum *glorificetur Filius Dei.*

5 *Diligebat autem IESVS Martham, & sororem ejus, & Lazarum.*

6 *Vt ergo audivit* illum *ægrotare, tũ quidem mansit duos dies in eo loco ubi erat:*

7 *Deinde postea dixit discipulis; Eamus in Iudæam rursus.*

8 *Dicunt ei discipuli; Rabbi, modo studebant te Iudæi lapidare, & rursum illuc abis?*

9 *Respondit IESVS; Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulet interdiu, non impingit: quia lucem hujus mundi cernit:*

10 *Si quis autem ambulet nocte, impingit: quia lux ei non adest.*

ANALYSIS.

Describitur Lazarus ab adjuncto morbo, & subjecto loco Bethaniæ; quæ suis aliis adjunctis habitatoribus Maria & Martha. Maria autem describitur à relato, Martha sorore.

Vers. 2. Item suo effecto, unctione Christi Servatoris; item alio effecto abstergendi pedes Iesu; quod effectum suo efficiente instrumentali declaratur, crine seu capillo suo; item alio relato Lazari fratris sui.

Vers. 3. Effectum morbi Lazari est legatio sororum ad Christum, cujus suadent ad se adventum ab efficiente, amore ejus erga Lazarum.

Vers. 4. Cujus legationis effectum est responsum Christi, ubi describit finem hujus morbi esse ut Deus glorificetur & Dei Filius: qui suo diverso fine arguitur, non ut in morte maneat.

Vers. 5. Hic cum morbus Lazari, tum mœror sororum ex fratris morte, illustratur suo diverso, tametsi illos charos haberet Iesus.

Vers. 6. Illustratur porro hæc Iesu dilectio alio diverso, nempe bidui commoratione; quæ subjecto loci amplificatur, nempe eodem loco, ubi nuntius de morbo Lazari prolatus est.

Vers. 7. Effectum hujus legationis ad Christum est adhortatio ad discipulos ut eant cum illo in Iudæam: quod adjuncto temporis arguitur, nempe post exactum biduum: item alio adjuncto numeri.

Vers. 8. Cujus dicti effectum est, quod discipuli avertere eum conantur ab hac profectione, ab adjuncto periculo mortis, quod profectionem insequeretur: quod periculum confirmant à testimonio experientiæ antegressæ, quia illum lapidibus obruere volebant Iudæi.

Vers. 9. Hanc persuasionem discipulorum refellit Iesus ab adjuncta Dei vocatione ut illuc proficiscatur, in qua se & suos confirmat ab adjuncto, securitate & à malo liberatione. Quod illustrat pari ejus qui in die ambulans, & luce collustratus non impingit.

Vers. 10. Quod suo adverso, in nocte scilicet ambulatione, confirmat.

METAPHRASIS.

Opportune vero cum ad piorum fidem confirmandam, tum vero ad Iudæos irritandos ut Christum prehensum occiderent; factum est, ut quidam nomine Lazarus Bethania oriundus ægrotaret, ex vico ubi Maria cum sorore sua Martha habitavit. Quoniam Ma- 2.
ria una & item altera fuit; hæc quam dico illa erat, quæ unguentum pretiosissimum paulo ante mortem Domini capiti ejus affundens, pedes prius in pollubro ablutos mollissimis & delicatissimis suis capillis extersit: hujus (inquam) frater Lazarus ægrotavit. Quamobrem utra- 3.
que soror partim virginali pudore, partim cura ægrotum fratrem tuendi, ne foras prodirent impeditæ, nuntium expediunt, qui illi diceret: Domine (quod nobis præter spem evenit) Lazarus frater noster, quem tu intime diligis, ægrotus in lecto decumbit: Et quidem hoc unice dictum esto; tibi, quid, in hoc negotio facturus sis, liberum (quod nos decet) relinquimus. His auditis Iesus ad nuntium dixit; ani- 4.
mo ut bono sorores sint oportet: hic enim

morbus non ideo immissus est, ut consuetam hominibus mortem afferat, sed potius ut ejus instauratione & in pristinam valetudinem restitutione gloria ad Deum & ad Dei Filium
5. *redeat. Tametsi vero Iesus Martham & so-*
rorem suam cum fratre Lazaro chare comple-
6. *ctebatur: tamen hoc nuntio de Lazari morbo*
audito, eodem loci ubi nuntium accepit totum
biduum permansit, tanquam de Lazari gra-
vi morbo aut sororum tristi mœrore non ad-
7. *modum sollicitus. Biduo exacto Iesus ad disci-*
pulos dixit; Age à Galilæa in oppidum tribus
8. *Iehudæ nos recipiamus. Ad quem discipuli;*
Magister, non diu est quod Iudæi te cum illis
conversantem, ad mortem quærebant: quam-
obrem alienum videtur illa loca denuo (præ-
9. *sertim tam brevi spatio) repetere. Ad quos Ie-*
sus: Notum est, quod qui interdiu iter facit
lucentis solis beneficio ab impactione tutus ince-
dit, haud aliter piis omnibus usu venit, ut le-
gitimæ vocationis face præeunte tuti à pericu-
10. *lis sint. Id quod suo adverso illustratur: sic-*
ut enim cæca nocte iter facientes præcipitiis ob-
noxii sunt: sic temere, nulla Dei vocatione præ-
lucente, rem aggredientes sibi pericula accer-
sunt.

PRAXIS.

Locus hujus historiæ.

CVm tres reliqui Euangelistæ solennem Christi & ultimum Ierosolymæ ingressum per Ierichuntem describant; necesse est ut hæc historia hic inseratur, quæ ante gesta est quam Christus asino insidebat.

Deinde hæc historia oportune prope Pascha incidit; ut & rerum hic commemoratarum invidia Iudæi Christi mortem accelerarent, & fideles hac re gesta adversus scandalum munirentur, & de resurrectione Christi post triduum confirmarentur.

Summa, Christus ab amicis pro ægroto amico rogatus, ita illorum petitioni annuit, ut interim eam rationē agendi ineat, quæ ad Dei gloriam amplificandam compendiosissima erat, non autem amicorū votis aptissima.

Partes { Legatio sororum ad Christum pro ægroto fratre. | Christi dispensatio & cautio in obsequio amicorum. }

In *priore* { Personæ { Supplicum. | Pro quo supplicatur. } | Legatio ipsa. }

Verſ. 1, 2. Fratrum concordiam Christus amicitia sua comprobat.

Personæ omnes subjecto loci notantur, Bethania oppido Iudææ. Hic periculum hujus profectionis notatur, de quo post. Maria singulari suo in Christum officio describitur. Hic primo notanda ὁμόνοια singularis fratrum, qui non tantum eodem loco, sed, ut videtur, unis ædibus commorabantur, ut hoc modo mutuam inter se voluntatem foverent, & se sibi ipsis devincirent arctius. Hujus effectus erat mutua sollicitudo pro se invicem. His tribus probe consentientibus Christus se adjungit quartum, ut non tantum Dei benedictio, *Psal.* 133. sed & Deus ipse cœtibus illis adsit, ut eos omnibus bonis expleat.

Verſ. 3. In horum legatione quæ observanda.

In legatione observandum, primo quod mittunt, non veniunt ipsæ. Primo enim fratris cura; secundo pudor fœmineus, præsertim virginalis, qui domi considere hortatur, &c. non quod dedignabantur, &c.

2. Sororibus alienum videri, ut Lazarus quem Christus eximie dilexit, ægrotaret; ac si Christo parum dignum esset hoc pati ut sui amici in talem calamitatem inciderent. Est hoc plane judicium carnis, res divinas ex humano sensu æstimare. Quis enim amicorum ferat, ut amicus in calamitatem incidat, unde illum ipse facile vindicet? Contra Deus, quem amat castigat. *Apocalypseos* 3. *Prov.* 3, 12. Nec vero ab amicorum amore abhorret ut quis amicum premi ad tempus sinat, ut post lautiore conditione vivat. Nec Patris amore alienum est, ut filium petulantem castiget. Contra filium perdit, qui virgæ parcit. Hujus exemplum luculentum proponitur in Lazaro, quem Christus intime diligens, tamen & illum in morbum incidere & eo languere, & extingui, & sorores mœrere, &c. passus est. His ergo armis nos instruamus adversus cogitationem de divino odio ob temporum calamitates: Eoque magis, quod strenui milites & duces hic ceciderunt. Vide *Iud.* 6, 12, 13. *Psal.* 37, & 73. Item exemplum Iobi: & Petri, qui se minus à Christo dilectum existimabat quam Iohannem, quod se potius quam illum morti objiceret, *Iohan. cap.* 21. *verſ.* 21.

3. Sorores nihil illi præscribunt, vel ut veniat vel ut ex Apostolis aliquem mittat; nec ei diem dicunt quo adsit; nec vero pure petunt, ut illū sanet; sed omnia illi permittunt, fide ipsius bonitati acquiescentes, &c. Hæc fides, & ex fide modestia nobis imitanda. Nec enim Deus nostro appetitu circumscribendus nec in nostræ stultæ cupiditatis gyrum redigendus, &c. Vide alibi ubi dicitur Christum non potuisse multa miracula edere propter eorum infidelitatem. Hic item admonemur, ut pro ægrotis prius ad Christum vota faciamus, quam Medicos adeamus.

mus. Medicorum utilis opera à Christo suspensa est; ut nemo prius Apocopeum adit, quam Medicum: sic, &c.

Vers. 4. *Quæ item in Christi dispensatione.* In Christi dispensatione & cautione primum observandum, cum per nuntios consolari afflictas sorores, idque gemino argumento, 1. ab adjuncta morbi profligatione, ne sit lethalis, 2. ab effectione quod Dei gloriam promovendi occasio esset.

In priore aliquid peculiare est, quod nobis Deum invocantibus non est exspectandum: sicut in responso ad Ezechiæ preces. Sed hoc proculdubio auferemus, modo debite eum accedamus, fore morbum nostrum sine periculo secundæ mortis: quo quid jucundius, aut ad consolationem accommodatius?

In altero argumento major adhuc consolatio est, fore scilicet, ut ex nostris morbis Deus sibi gloriam colligat: & in infirmitate nostra potentiam suam exerat. Quod quidem merito omnes morbi acerbitates mitiget, & lætitiæ argumentum pro dolore substituat. Quanti enim est cum nos Deus ad gloriam propagandam adhibere velit; cujus tot habet ministros: quam etiam ipse sine ullius adminiculo tueri possit? Vide *Iohan.* 21,19. Illud enim piis omnibus penitus constitutum esse debet quod Apostolus *Phil.* 1, 19,20. de se profitetur: Cui si hoc etiam adjungamus Christum nobis fore cum in vita tum in morte lucrum: quid est quod præterea requiramus? *Qui me honorant, &c.* 1 *Sam.* 2.

Vers. 5,6,7 *Dilatio auxilii non arguit in Deo odium nostri.* Hac clausula parenthesi inclusa Euangelista respondet eorum cogitationi, qui Christi in hos voluntatem parum propensam hoc ipso arguerent, quod non statim se in viam dedit, &c. idque hoc consilio, ut Lazaro prius mortuo, &c. Sic rogatus ut Iairi filiam ægrotam sanaret, moram in via ducit, profluvio laborantem sanat; &c. Non est ergo odio ducendum, si Christus nos afflictos & se invocantes, non statim, &c. si nos ad tempus prætereat, surdum agat, &c. Ioseph etsi fratres suos duriuscule ad tempus tractavit; tamen ejus viscera æstuabant, &c. David etsi impense desiderabat Absalonis in aulam reditum; tamen, &c. Parentes liberorum amantissimi liberos ad tempus captivos esse patiuntur, imo carcere includendos curant; ut &c. Hoc nos valde sustentare debet, si quando, &c. *Tamen Deus bonus est in Israëlem, in mundos corde.*

Lazaro jam mortuo statim se in viam dat. Idque non sine vitæ periculo (quoad homines, &c.) quod est fidelis amici. Et quoniam magna fructus istius miraculi pars ad duodecim ventura erat, eos ad itineris societatem invitat. Etsi igitur moram nectere videatur, tamen venit, &c. *Hab.* 2. Nec aliud facit quam periti viatores, qui tempus anni ad iter aptissimum deligunt, omniaque parant quæ ad iter conficiendum necessaria sunt. Nec tamen Christus hanc oportunitatem suo, sed nostro commodo metitur, quos unice (excepta Dei gloria) respicit. Erat hoc tempus ad Dei gloriam propagandam, & electorum fidem confirmandam longe aptius; quam si primo quoque tempore, &c. ipse futuri conscius est, ipse oportunitates regit.

Apostoli summo consensu eum ab instituto itinere dehortantur, argumento ab adjuncto periculo, tanquam sapientiæ suæ parum convenienter faceret, &c. Hoc nos docet carnis prudentia, ut erepti periculo, idem denuo ne veritatis quidem causa subire velimus. Cum contra superioris liberationis commentatio nos valde confirmare debeat, &c. Vide exemplum Davidis 1 *Sam.* 17, & 2 *Cor. cap.* 1, *vers.* 10. 1 *Thess. cap* 2, *vers.* 12. Vide *Apoc.* Timidi, &c. Isti similes sunt cani ignobili, qui ab urso semel morsus, statim à pugna desistit. Vers. 8. *Carnis diffidentia.*

Vt qui die iter facit, securus incedit à casu, ita qui lampade aut sole vocationis suæ prælucente res aggreditur, tutus erit à periculo. Præstans & elegans similitudo. Media nocte luce vocationis circumfundimur, qua destituti, meridie ipsa in tenebris versamur. Fide publica munitur, qui vocatione Dei instruitur, ut per turmas equitum, per cohortes peditum, per universi exercitus aciem perrumpere liceat, ad adyta & inaccessa loca occupanda. Neque ullæ difficultates tantæ sunt, quas in nomine Domini non superabimus. Hominis mandato muniti, quam intrepide, &c. Vide exemplum servorum Absalonis, regis filium ejus jussu occidentium: homines tamen nec animum dare, nec robur addere suis servis, nec alteri detrahere possunt. Deus autem, &c. Vocationis autem luce carentes in planissimis viis corruunt; in rebus facillimis impediti hærent, & vinculis constricti. Neque tamen hæc ita intelligenda sunt, ac si cœlesti vocatione armatus, nihil damni, &c. sed impulsus in via, à lapsu vindicatur, cadens erigitur, saltem die resurrectionis, nihil ut ex hoc casu damni contrahat, &c. Vers. 9, 10. *Vocationis tutela.*

IOAN. *cap.* 11. *à verſ.* 11, *ad* 17.

11 *Hæc ait: & poſtea dixit eis; Lazarus, amicus ille noſter, dormit: ſed proficiſcor ut à ſomno excitem eum.*

12 *Dixerunt ergo diſcipuli ejus; Domine, ſi dormit, ſervabitur.*

13 *Hoc autem dixerat IESVS de ipſius morte: at illi putarant eum de dormitione ſomni dicere.*

14 *Tunc ergo IESVS dixit eis aperte; Lazarus mortuus eſt.*

15 *Et gaudeo propter vos (ut credatis) me illic non fuiſſe, ſed eamus ad eum.*

16 *Dixit autem Thomas, qui dicitur Didymus, condiſcipulis; Eamus & nos, ut moriamur cum eo.*

ANALYSIS.

LAzarum mortuum declaratur ſomno ſopitum eſſe; cujus effectum eſt profectio ad eum; quæ porro fine declaratur, ut illum expergefaciat.

Verſ. 12. Cujus dicti effectum eſt diſcipulorum reſponſio; quæ ſua forma explicatur, nempe illum convaliturum; quod arguitur ab adjuncto ſomno.

Verſ. 13. Cujus reſponſi efficiens declaratur, quod de ſomno Chriſti ſermonem intelligebant: quorum error refellitur ab adverſo ſenſu verborum Chriſti, qui ſomni & experrectionis vocibus mortem & reſurrectionem intelligebat.

Verſ. 14. Hujus perverſæ intelligentiæ diſcipulorum effectum eſt, quod Chriſtus aperte & abſque tropo Lazarum mortuum affirmavit.

Verſ. 15. Prolepſis eſt, cujus occulta occupatio eſt à diſparato, male convenire cum Chriſti erga illum amore, quod illum adhuc vivum, morbo non liberavit: ſubjectio eſt ab adjuncto commodo hujus cunctationis; quod adjuncto gaudio Chriſti confirmatur; & fine hujus cunctationis, ut illi in fide confirmarentur. Cujus confirmationis adjunctum eſt adhortatio Chriſti ut ad eum proficiſcantur.

Verſ. 16. Effectum adhortationis Chriſti in Thoma eſt alia exhortatio ad condiſcipulos, ut eo ſe conferant; que ſuo fine declaratur, ut una cum illo moriantur.

METAPHRASIS.

11. HÆc *cum dixiſſet poſt ad diſcipulos dixit; Lazarus amicus meus (eoque etiam mea cauſa veſter) obdormivit: & quidem eo ſomno ſopitus eſt, ut mihi ad illum ſomno expergefa-*
12. *ciendum proficiſcendum ſit. Ad quem unanimiter diſcipuli; Domine, quandoquidem dormit, idque tam alte & profunde ut non niſi inclamatus aut pulſatus expergiſcatur, procul omni dubio convaleſcet, ut neque te nec nos eo*
13. *proficiſci neceſſe ſit. Ieſus autem mortem intellexit quam idcirco ſomno aſſimilavit, quia mox, & quidem ea facilitate eum ad vitam revocaturus erat, quam eſt facile eum qui ſomno ſenſus modo ligatos habet à ſomno excitare: diſcipuli vero inde opinione ſua falſi ſunt; quod Ieſum de nocturno tantum ſomno loquutum autumabant. Tum Ieſus ut illos hoc* 14.
errore liberaret, aperte, abſque ullo metaphoræ umbratili ſermone, dixit; Lazarus mortuus eſt. Hic vos forte amici officium in me deſide- 15.
rabitis, quod illum dum in vivis eſſet non inviſerim aut morbo liberaverim. Ego vero me quoad humanitatem abfuiſſe lætor: qui præſens ſororum ſupplicationibus non potueram reſiſtere: lætor etiam, quod hoc modo omniſcientiæ meæ teſtimonium extat, ut quod abſens illum mortuum eſſe prædico: lætor vero non quod mortuus ſit; ſed quod virtute, quam in illo excitando exeram, vos fide in me confirmabimini. Tum Thomas, qui & Didymus 16.
(quod mater eum gemellum enixa eſt) appellatus eſt, ad condiſcipulos dixit; Agedum, amabo, eamus & nos, ut cum Ieſu Domino, cui certa mors ex hoc itinere incumbit, una moriamur.

PRAXIS.

CAuſam ſubjungit cur neceſſario proficiſcendum ſit. Nempe quod, &c. Verſ. 11.
Mors ſomnus. Mors ſomnum appellat quia ex ſepulchro ſtatim tanquam ex lecto excitandus erat. Sic mors noſtra ſomnus dicitur, etſi profundior; ut hoc nomine Scriptura nobis horrorem mortis adimeret: poſt graves enim labores exantlatos, quieſcimus uſque dum magno illo judicii mane excitabimur. *Pſal.* 49.

Amicus Dei. Notanda ſingularis Chriſti humanitas, qui Lazarum amicum ſuum dicit, & ſuum amicum Apoſtolorum amicum dicit. Quis enim ferat ſuum amicum ſervi amicum haberi, ſervumque & herum in uno eodemque amico conjugari? Quantum autem eſt Chriſti amicum fieri? olim apud reges Iſraël aulicus honos inſtitutus eſt, ut quidam eſſet regis amicus. Nobis autem omnibus aditus patefit ad hunc honorem, modo ejus mandata cuſtodiamus. *Ioan.* 14. Hinc eſt quod arcana ſua nobiſcum communicet; quod ſoli amico

li amico fit. *Psal.* 25. *Genes.* 18. *Iacob.* 2. *Abrah. Dei Amicus.*

Vers. 12, 13. *Hominum in onere suscipiendo tergiversatio.* Discipuli in proposito perstant: nihil opus esse ut ad eum expergefaciendum tantum & tam periculosum iter suscipiat. Sic sumus omnes ad effugia excogitanda ingeniosi, quibus nos ab onere nobis imposito eximamus.

Vers. 14. Tandem clare sine metaphora dicit Lazarum mortuum esse, idque *primo* ut scirent ejus mortem jam ante illi perspectam esse, nec quicquam hic per imprudentiam Christo accidisse; *secundo* ut discipulos ad debitum fructum ex ejus resuscitatione reportandum admoneret. Scandalum enim ex eo accepissent, quod hunc morbum lethalem non futurum dixisset, nisi jam mortuum fuisse dixisset.

Vers. 15. *Christi de fide nostra lætitia: ejusque misericordia.* Notandum Christum magnopere lætari Apostolorum fide; quæ tamen jam ante probe fundata est & radicata. Quantum igitur est in Christum credere; cum fidei incremento Christus exhilaretur. Lætatur autem non morte amici; sed mortis exitu. Notandum deinde quam sit Christus συμπαθής, qui si adfuisset, non potuit non eorum petitioni annuere de restituendo ægroto. Deinde absens quidem potuit: sed de morte ejus nuntium accipere pertinebat ad fidei confirmationem.

Vers. 16. *Exiguus Thomæ profectus.* Thomas ex sermone Christi parum profecit, ut qui Christum existimavit à morte opprimendum; nedum ut mortuum resuscitaret. Quam sine debita examinatione hæc dixit, ejus fuga, Christo comprehenso declarat. Notandum Thomam & Petrum ex omnibus maxime audaces, turpissime lapsos esse, dum suis viribus confidentes, nihil non arduum suscipiunt.

MATTH. *cap.* 20, *vers.* 17, *ad* 20.

17 *Et ascendens IESVS Hierosolyma, assumsit duodecim discipulos suos privatim in via, & dixit eis;*

18 *Ecce, ascendimus Hierosolyma, & Filius hominis tradetur primariis Sacerdotibus ac Scribis, & condemnabunt eum morte:*

19 *Tradentque eum gentibus, ut illudant, & flagellent, & crucifigant: sed tertia die resurget.*

MARC. *cap.* 10, *à vers.* 32, *ad* 35.

32 *Erant autem in via ascendentes Hierosolyma: & præibat eis IESVS; & expavescebant, &* eum *sequendo terrebantur. Ipse vero assumtis rursum duodecim, illis cœpit dicere quæ sibi erant eventura.*

33 Dicens; *Ecce, ascendimus Hierosolyma, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis: & condemnabunt eum morte, tradentque eum Gentibus:*

34 *Et* ipsæ *illudent ei; & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & trucidabunt eum: sed tertia die resurget.*

LVC. *cap.* 18, *à vers.* 31, *ad* 35.

31 *IESVS autem assumtis illis duodecim, dixit eis; Ecce, ascendimus Hierosolymam, & perficientur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

32 *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur.*

33 *Et postquam eum flagellaverint, interiment: sed die tertia resurget.*

34 *Ipsi vero nihil horum intellexerunt: erantque ista verba ipsis occulta, nec cognoverunt quæ dicebantur.*

ANALYSIS.

Describitur iter Christi & duodecim Discipulorum Hierosolymam: cujus itineris adjunctum est quod Christus se primus in viam dat & illis viæ dux fuit: quod suo effecto declaratur, stupore scilicet discipulorum: aliud etiam effectum arguitur, nempe quod discipuli eum sequuti sunt; quod suo diverso exornatur; nempe quamvis timebant. Aliud effectum Christi proponitur, quod duodecim instituebat de his quæ illi eventura erant. Hæc institutio suo adjuncto apud *Matth.* declaratur, nempe quod duodecim sigillatim & ab aliis, sepositos instituit: quod *Marcus* & *Lucas* non obscure indicant, cum dicunt Iesum suos discipu-

discipulos accepisse, ut de his illos informaret.

Marc. 33. Quod prius in genere dixit, per partes explicat; quæ communi subjecto loco Hierosolymis, & adjuncto diligentis animadversionis declarantur: primo se filium hominis tradendum in potestatem summorum sacerdotum & scribarum: 2. morte ab illis damnandum: 3. per illos gentibus tradendum.

Vers. 34. Nunc quid gentes adversus illum efficient docet: 1. illudent ei: 2. flagris cædent: 3. in faciem conspuent: denique interficient: quorum omnium irriti conatus in Christo opprimendo docentur effecto Christi, nempe quod resurget tertio die.

Luc. 34. Horum omnium adjunctum est, quod duodecim nihil horum intelligebant; quod sua causa efficiente arguitur, quia illis abscondita sunt.

METAPHRASIS.

Marc. 32. *Christus una cum discipulis se in viam dedit ut Hierosolymam jam ultimo proficiscens, eadem opera transiret Bethaniam ubi Lazarus mortuus erat. Christus tametsi sæpe ante discipulis præivisset illisque via Dux fuisset, nunc tamen cum periculum vel maximum imminebat, ea alacritate & vultus hilaritate, totius denique corporis gestu ad lætitiam composito illis via dux extitit, ut omnes ejus rei stupore correpti sint, qui etiamsi metu mortis consternati sunt, tamen Domino obsequentes, illum sequebantur. Hos autem duodecim à reliqua turba sepositos & abductos capit rursus de perpessionibus, quæ illi Hierosolymis*

33. *obeundæ erant, præmonere. Attendite diligenter his quæ dicturus sum, cum ut hanc meam fiduciam ab ignoratione eorum, quæ mihi obvenient, non esse profectam intelligatis, tum ne si ex insperato hæc vobis obveniant, defectionis à fide occasionem præbeant. Ascendimus Hierosolymam, ubi ego filius hominis proditorie principibus Sacerdotum atque Scribis tradendus sum. Illi autem tanquam in domo Dei, quæ est Ecclesia, Architecti, de me, tanquam mortem commerito, sententiam ferent, meque Pilati & Romanorum militum in po-*

34. *testatem concludent. Qui mihi illudent, flagris cædent, in faciem conspuent: denique in crucem agent: sed quibus omnibus quod animo designant non assequentur. Illis enim rumpentibus, tertio die me ex mortuis ipse divina mea*

Luc. 34. *virtute suscitabo. Discipuli vero partim stupore & metu correpti, partim errore de terreno Christi regno præpediti nihil horum, tametsi apertissime clarissimeque dicta sunt, intelligebant: erat enim hoc totum negotium ita illis eorum culpa absconditum ut illud intelligentia non perceperint.*

PRAXIS.

Summa, Christo fidenter Hierosolymam proficiscente, & discipulos de acerbissimis suis perpessionibus & resurrectione palam & aperte præmonente, ad civiles honores adspirantes per Christum aliorsum, nempe ad crucis cogitationem revocantur.

Partes
- Christi
  - Ad iter alacritas.
  - De suis perpessionibus præmonitio.
- Discipulorum certorum honoris sitientium à principatu ad crucis tolerantiam traductio.

In *priore* consideratur Christi
- Gestus in eundo.
- Verba.

Gestus notatur à *Marco*, qui affirmat eum præivisse duodecim. Verisimile est enim præivisse solere; sed hic præivisse dicitur, ut hic alacris ejus ad mortem profectio notetur; sponte ergo non coactus mortem oppetiit. *Depono animam meam, nemo eam à me aufert.* vide annot. in *Ioan.* 12,1. Christus animum & vultum ad ea obfirmavit quæ natura abhorret: ut nos hac sua obedientia ab iis peccatis liberaret, quæ nostra voluntate, eaque quandoque obfirmata, committuntur. Hac alacritate Christus item discipulos metu Iudæorum ab hac ad Ierusalem profectione abhorrentes, animat, eoque ipso apparet hanc historiam *cap.* 11. *Ioan.* & *vers.* 16. sequi debere. Hoc nos doceat animum, vultum, gestusque omnes ad Dei obsequium magna cum animi contentione componere. Cum enim Christus cujus voluntas sancta & incorrupta, &c. eam tamen Patris voluntati submisit, quanto magis, &c. In sanitate curanda non paremus appetitioni propriæ, sed illa admittimus quæ à medicis, &c. An non hæc multo magis in sanitate æterna curanda?

Marc. 32. *Alacris Christi ad mortem profectio.*

Hujus tam alacris profectionis fructus est *duplex*:
- Discipulorum, stupor attonitus.
- Christi insequutio cum timore.

Obstupescunt quod omni diligentia ad mortem quæsitus, maxime Hierosolymis, tam animose tamen, &c. mira plane virtus & fortitudo animi. Homines sponte ad mortem Christi causa accurrentes mirati sumus. At illis peccata remissa sunt: Christus vero nostris peccatis omnibus repletus, &c. illis, mors corporis perferenda tantum; Christi infinita corporis & animæ tormenta mirati sunt etiam persequutores, &c. Non est igitur metienda gratia, quam Deus periclitantibus

Discipulorum ex ea stupor & admiratio:

bus pro nomine suo promisit & præstat, ex sensu humano: captum humanum superat, &c.

Metu percelluntur quia suum periculum cum Christi periculo conjunctum reputabant. Vide carnis nostræ ignaviam ad Christi notitiam obeundam, quæ alioqui ad bella civilia, digladiationes, cædes illegitimas paratissima est. Quod cum in discipulos Christi cecidit, nedum in nos, &c. si in veteranos, nedum in tyrones; si in strenuos duces, &c. quare ad promissum subinde suspiciendum, fides exploranda, panoplia *Eph.6.* induenda, preces fundendæ, ut in die tentationis perstemus: nam potius quam suos milites intentatos sineret, ipsemet cum illis ut olim cum Iacobo conflictum inibit.

Qui ipsum tamen, sequuntur quamvis timidi.

Christum sequuntur tamen, in lucta carnis & spiritus vincit spiritus: summus Christiani in hac vita gradus; nec quisquam eo attigit, ut semper spiritus in luctu superior evaderet. Ista tamen victoria imperfecta est: vincit spiritus, sed non ita perturbationem metus sedat, quin calcem attollat. Quare obsequamur vocationi, & Deo pareamus, etsi affectus nostros non usque adeo sedare possimus, nec resiliendum proposita nobis morte, &c. sæpe enim fit (ex Dei gratia) ut quam primo mortem perhorrescimus, post despicabilis reddatur. Dabit Deus in ipso momento vires, arma spiritualia subministrabit: sicut enim milites gravis armaturæ non ante armantur quam ad pugnam ventum est: sic, &c. formidolosi non ante jubentur redire, quam in castris essent ad pugnam parati. *Deut.* Atque ut illi ad pugnam accedentes, nisi Deus cor inderet pugnandi, domum remissi sunt: sic nos sæpe in spirituali pro Christo pugna: aliqua honesta Deo cognita ratione expedimur, domum intacti remittimur.

Privatim duodecim instituit, unde apud *Marc.* & *Lucam* illos ad se accepisse dicitur, 1. quod majori in periculo essent, 2. quod eorum offensio Ecclesiæ magis nocitura esset. Lvc.31. &c.

à Christo seorsim instituuntur; & quare.

Secunda pars præmonitio. Multi in periculis inde animosiores sunt, quod periculi magnitudinem non reputarunt, unde incauti opprimuntur. At Christus omnia jam ante expendit, &c. Hoc à nobis præstandum; ut cognitis & perspectis periculis, arma induamus, opem petamus, &c. Quis domum ædificaturus non prius accumbit, &c. Quis cum hoste congressurus, &c. *Luc.* 14,28. Quod si sumptus non suppetant, non tamen desistendum: petentibus gratis suppeditabuntur: ad nostras casas struendas pecuniam mutuo petimus; ad istam tam splendidam domum ædificandam non, &c.

Tertia die resurget.] Istud addit pro more *1 Pet.* 1. quo omnem superioris sermonis acerbitatem mitigat. Hoc nobis faciendum: exitus afflictionum & calamitatum reputandus, omnibus hujus mundi calamitatibus unam resurrectionem opponamus, ne sub onere succumbamus. *Roman. cap.*8, *vers.*17. 2 *Timoth.* 2,11,12.

Apud *Luc.* dicitur eos nihil horum intellexisse: quid ita? Impedivit, 1. stupor, 2. metus 3. error de regno terreno Messiæ. Hinc constat quam opus sit ut ad conciones accedentes animos pravis affectibus prius expurgemus. Num igitur Christus hæc monendo operam & oleum perdidit? minime: Spiritus enim Sanctus post hæc in memoriam revocavit, & res ipsa horum intelligentiam præbuit. Iuvat ergo aliquando quædam audire & legere, etsi illa non intelligas. Lvc.34.

Ejus tamen institutionem non intelligunt.

MARC. *cap.* 10, *à vers.* 35, *ad* 46.

35 Tunc accedunt ad eum Iacobus & Iohannes filii Zebedæi, dicentes; Magister, velimus ut quicquid petierimus, præstes nobis.

36 Ipse vero dixit eis; Quid me vultis vobis præstare?

37 Illi autem dixerunt ei; Da nobis ut unus ad dexteram tuam & alter ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.

38 IESVS autem dixit; Nescitis quid petatis: potestis bibere poculum quod ego bibo, & baptismo quo ego baptizor, baptizari?

39 Ipsi vero dixerunt ei; possumus. IESVS autem dixit eis; Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini:

40 Sed sedere ad dextram meam & ad sinistram meam, non est meum dare, sed dabitur *quibus paratum est.*

41 *Et quum* hæc *audissent* alii *decem, cœperunt indignari de Iacobo & Iohanne.*

42 *IESVS autem quum eos advocasset, dixit eis; Scitis eos qui censentur imperare Gentibus, dominari in eas: & earum magnates potestatem habere in eas.*

43 *Verum non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit fieri magnus inter vos, sit minister vester.*

44 *Et quicumque voluerit ex vobis fieri primus, sit omnium servus.*

45 *Nam & Filius hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionis pretium pro multis.*

MATTH. *cap. 20. à vers. 20, ad 29.*

20 *Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.*

21 *Ipse vero dixit ei; Quid vis? Ait ei; Dic ut sedeant isti duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram, in regno tuo:*

22 *Respondens autem IESVS, dixit; Nescitis quid petatis, potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum, & baptismate quo ego baptizor, baptizari? Dicunt ei; Possumus.*

23 *Tunc dicit eis; Poculum quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimi: sedere autem ad dexteram meam & sinistram meam non est meum dare, sed* dabitur *quibus paratum est à Patre meo.*

24 *Et quum* hæc *audissent* alii *decem, indignati sunt de duobus fratribus.*

25 *IESVS autem quum eos advocasset, ait; Scitis principes Gentium in eas dominari, & magnates potestatem exercere in eas.*

26 *Verum non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister:*

27 *Et quicumque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.*

28 *Sicut filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animum suam* in *redemptionis pretium pro multis.*

ANALYSIS.

Describitur ambitio duorum discipulorum: cujus causæ efficientes primariæ sunt Iacobus & Iohannes; qui primo patre Zebedæo describuntur apud Matthæum: mater eorum minus principalis causa designatur: tum ambitionis effectum est petitio apud Christum instituta: cujus forma & species indicatur, ut petitioni infinitæ & ἀνονύμῳ annueret.

Vers. 36. Cujus effectum est quæstio Christi, quid vellent illis faciat.

Vers. 37. Quæstionis effectum est petitio supremi sub illo & augustissimi honoris: qui pari illustratur, nempe sessionis ad dextram & sinistram ejus; quod etiam suo adjuncto tempore describitur, cum fuerit in gloria.

Vers. 38, 39. Effectum petitionis est Christi negatio, eum hoc ut concedat abnuere, quod confirmat ab adjuncto, ignoratione ejus quod petant: deinde ab adverso, ignominia & afflictione quam subituri erant; quæ afflictio & ignominia comparatione paris calicis illis ad exhauriendum propositi; item baptismatis, quod ebibendum subeundumque illis confirmat, à pari, quod ipse hæc subiturus erat.

Vers. 40. Tertio ab adjuncta vocatione, quod illa salva hoc annuere non possit; quod ipsum confirmat à subjecto, nempe his hoc tantum annuere posse, quibus hoc præparatum est.

Vers. 41. Negationis effectum est indignatio reliquorum discipulorum contra Iacobum & Iohannem.

Vers. 42. Cujus indignationis effectum est, quod reliquos ad se vocavit: quæ advocatio suo fine declaratur, ut omnes ab ambitione deterrens ad humilitatem & animi submissionem illos compararet. Id quod confirmat à disparato, principum esse autoritatem in alios exercere.

Vers. 43, 44. Item ab adverso, quod qui magnus inter eos esse vult, erit eorum minister: aliis verbis amplificat futurum omnium servum.

Vers. 45. Deinde comparatione majoris, quia ipse Dominus non venit ut illi ministretur; quod suo adverso declaratur, sed ut ministret; & comparatione majoris amplificatur, nempe ut vitam pro multis impenderet.

METAPHRASIS.

Vix tum Christi sermone de suis perpessio- 35.
nibus absoluto, accesserunt Iacobus &
Iohan-

Iohannes filii Zebedaei quandam apud Chri-
stum petitionem instituturi, sed pudore hujus
tam turpissimæ petitionis prohibiti, illud per
interpositam matris personam faciunt: Mater
vero venerabunda ad pedes ejus procidens
causam filiorum in hunc fere modum agit.
Domine, est quiddam quod te exoratum velo:
Illud autem peto ut mihi absolute sine ulla
36. exceptione concedas. Cui Christus: non est pru-
dentiæ meæ tam infinitæ petitioni annuere: dic
37. ergo, quid est quod me facere velis? Cui illa:
duodecim discipulis primu nomine proposuisti
duodecim illis solia esse olim collocanda, & im-
perium atque autoritatem in duodecim tribus
Israëlis illis esse communicanda: Dic, quæso, &
pro tua autoritate decerne, ut duo filii mei in-
ter duodecim illa solia primaria obtineant, ut
hic ad dextram ille ad sinistram tuam sedeat.
38. Cui Christus: Mitto te, ut quæ es à filiis tuis
surrogata: ad vos, Iuvenes, me converto, qui
hujus petitionis autores estis: & primum qui-
dem respondeo, stulte vos facere, qui quid pe-
titis prorsus nescitis: vos ad regna aspiratis,
ego vos ad crucem revoco. Quæro igitur num
potestis amarum illum crucis & afflictionis
Euangelii ergo calicem bibere, & aqua seu
flumine afflictionum in baptismo vestro repræ-
sentato immergi: in quibus ego facem vobis
39. præferens, exemplo meo præibo? Cui illi; Maxi-
me possimus hæc obire. Ad quos Iesus; ut te-
merariam hanc de vestra facultate fiduciam
silentio hoc tempore prætercam, verum qui-
dem est vos meis viribus & gratia suffultos
hunc quem dico calicem & bibituros & hoc
40. afflictionum baptismate respergendos. Tametsi
vero omnia mihi Pater in potestatem tradi-
dit, primarias tamen in regno cœlesti sedes non
possum ex ratione officii mihi concrediti qui-
buslibet sine discrimine concedere, sed his tan-
tum quibus à Deo paratæ sunt, his scilicet qui
perpessionibus & ignominia pro nomine meo
41. ad regnum cœleste viam sibi muniverunt. Re-
liqui decem Apostoli, cum suorum collegarum
superbam & ambitiosam petitionem jam per-
ceptam haberent, indignatione in illos commo-
ti sunt, non equidem quod illos peccasse mole-
stum erat, sed quod se illis præferebant, quibus
se pares aut etiam superiores in animum in-
42. duxerant. Iesus vero ne hoc malum ad omnium
Apostolorum atque adeo Ecclesiarum, quarum
duces futuri erant, perniciem longius serperet,
omnes aliquo intervallo loci à se remotos ad-
vocavit, hoc consilio, ut dominandi cupiditati,
qua mirifice pruriebant, Medicinam faceret.
Sic igitur illos affatus est: Reges gentium idem-
que gentiles (regni enim potestas & admini-
stratio apud populum Dei jam extincta erat)
absolutum in suos subditos imperium exercent
& regnum: magnates summam in subditos
potestatem & autoritatem obtinent; quod ita
in communi sensu & intelligentia positum
est, ut vos celari nequeat: vos autem ad
verbi ministerium asciti neutrum neque re-
gum & Imperatorum neque principum & 43.
magnatum Dominatum exercere debetis: &
proinde neque ejus dignitatibus aut honoribus
inhiare. Præterea quisquis vere in regno meo
id est cœlesti magnus & illustris præ aliis esse
cupit, cum animi dimissione aliis in graviori-
bus oneribus subeundis, ministrare debet. Et 44.
ad primatum in cœlo adipiscendum, nulla
compendiosior via est, quam si quis se dimit-
tens, aliorum bono & ædificationi inservit. Qua 45.
in re me nihil iniquum à vobis petere, palam
est, quia & Dominus & præceptor vester non
veni ut mihi ministretur; sed ut aliis me mi-
nistrum & præbitorem præstem, usque eo me
abjiciens, ut vel animam meam redemptionis
precium pro omnibus electis, qui numero multi
sunt, exponam.

PRAXIS.

Summa, Iuvenes ambitiose honores Christum poscentes, ab eo ad afflictiones & crucem perferendum humiliantur.

Partes { Quæstio quæ Christo movetur. Responsum Christi.

Christi regnum humanum captum superans, regno terreno a Prophetis adumbratur. Hinc Apostoli, adeoque Iudæi omnes ejus regnum terrenum fore existimarunt. Hæc naturæ nostræ depravatio, de Christo humanitus & carnali quadam ratione cogitare, & Scripturas ad sensa mentis nostræ convertere. Hoc ab iis fit, qui quæ in Cantico de Christi & Ecclesiæ amore, &c. ad turpissimam animi sui libidinem abutuntur. *Objectio:* ergo satius esset scripturas non legere, sic *Pontificii* ex *2 Pet.* 3,16. & similibus locis. *Respondeo:* Quin potius Deum enixe precemur, ut mentis nostræ cæcitatem, &c. Spiritus opem petamus qui solus Scripturas intelligit, ut solus hominis spiritus novit quid sit in homine.

Quid ansam dederit importunæ petitioni fratrum.

Tempus hoc ambitionis peccatum aggravat: quum enim Christus illos jam ad crucem perferendam compararet, ilico isti sibi honores, &c. unde constat quam vere à *Luca* dictum est, *Eos nihil horum intellexisse.* Atqui non oportuit petiisse quod non intel-

 lexerant.

lexerant. Vt in re illis injucunda, ad alium eumq; prorsus contrarium sermonem transfugiunt. Hoc à nostris fit, qui sermonem utilem vitæ statim abrumpentes, vana quædam,&c. Hinc refelluntur *Pontificii*;qui volunt in hominis arbitratu esse oblatam gratiam admittere. At isti naturam sequuti eam respuerunt,quin potius tanto impetu adversus oblatam gratiam ferimur, ut obicem non sentiamus, ut flumen validum injecto palo valentius decurrit, ut equus armatus in bellum, &c. ut calx quo plus aquæ injicitur eo urit ardentius,&c. vide *Rom.*7,8. adventu legis,revixit peccatum,novas vires sumpsit:curva ligna transversa in contrariam partem recta fiunt: at nos admoniti in pejora ruimus.

MATTH. 20,20. *Quid in fratribus laudandum aut vituperandum.*

Sequitur horum ambitio:matrem adeunt; &c. in quo bis peccant, 1. quod cogitarint, 2. quod matris opem postularint.In hoc tamen laudandi, quod ipsi petere erubuerint. Hoc multos nostri seculi damnat, qui non dubitant à Christo jam in cœlis sublato, ea petere, quæ isti, &c. *Esræ* equites & comitatum à rege non petiit, quia, Deum daturum dixerat:*Esra* 8,22.nos audebimus Deum inconsiderate alloqui?

Mater Christum adit, ab eo quiddam petit, indefinite, contra conscientiam ut videtur: ideo enim celat. Qui dubitat num ab alio accepturus sit quod vult, solet hac forma petere. Iniquum plane, ac si quis peteret Chirographum alterius apponi chartæ nudæ, cui postea quicquid sibi videretur inscriberet. Discamus ergo fide petere *Iac.*1. ac proinde ea tantum quorum promissiones in scripturis accepimus.

Vers 21. *Cur Christus petitionem non concesserit.*

A prudentia Christi alienum est indefinitam petitionem concedere, quod nobis ad exemplum proponitur. Eoque temeritatis fuit, quod Assuerus Esteræ petitionem instituenti concessit. Item quod Herodes Filiæ Herodiadis, &c

Vers.22. *Cur ad filios orationem dirigat.*

Matthæus hanc matris petitionem dicit, *Marcus* filiorum. Christus ad Filios se convertit tanquam omnium conscios,&c.Discamus ergo omnia sine fuco, &c. Deus enim omnia fuco tecta reteget, &c. ambulandum coram Deo. *Genes.* 17. caveant sibi clandestini adulteri, iniquis ponderibus utentes, &c. Illorum petitioni refragatur: scorpium enim loco panis petierunt, quod pius Pater non concedet. *Nescitis quid petitis.*]Plerique somniant de honoribus qui ad se nihil spectant. *Potestis bibere.*] Quasi dicat: honores petitis; ad dedecora & opprobria deducemini; ante gloriam Crux.Prius stadium decurrendum quam Βραβεῖον, &c. pugnandum, quam spolia dividenda;certandum quam corona,&c. *Suum calicem vocat.*] Impiis etiam bibendum est ex amaro calice; sed quem ipsi sibi suis maleficiis accerserunt.Animum nobis addere debet ad crucem perferendam, quod Christus prius bibit, cujus judicium non erat bibere, *Ierem.* 25. quanto magis nos qui meriti sumus,&c. Baptismum dicit, ut ostendat qua facilitate (ipsius gratia adjuncti) possimus afflictiones superare, scilicet eadem qua puerulus aqua respersus, ex eadem resurgit: talem enim afflictionum successum dat Deus, ut in iis non succumbant. *Possumus.*] Parum conscii suæ impotentiæ, sic Petrus etsi omnes te negarent, &c.tamen Paulo post turpissime cum abnegavit.

eorumque petitioni obviat.

Vers.23. *Quomodo ad crucem ferendam sufficiant.*

Fatetur Christus eos passuros, non autem ex se, sed ex mera gratia, ideo non dicit, *potestis equidem bibere, sed bibetis.*

Hactenus de ambitione duorum discipulorum: sequitur ejus in reliquis 10. effectus, illos ideo aspernantibus, quod se ipsis prætulissent quasi digniores.

Summa, Christus discipulorum ἀγανάκτησιν corrigit.

Partes { Ἀγανάκτησις decem discipulorum. / Ejusdem per Christum correctio. }

Vers.24. *Offendiculum in Ecclesia periculosum.*

In priore observatur, quam periculosum sit in Ecclesia offendiculum, in quod alii impingentes corruant: horum enim ambitio reliquos ad contemptum eorum incendit: non quod illegitimum votum putarent, sed quod illis præferri voluerint. Offensio eruditorum adhuc periculosior, eoque magis, quo illustriores habiti sunt. *Objectio: Væ illi per quem scandalizantur, præstat ut lapis molaris collo, &c.* At isti salvati sunt. *Respondeo:* Christus loquitur de peccato in sua natura,non quatenus per gratiam remittitur. II. Superbia excitat contentionem *Proverb.* est velut favilla & fomentum illius ignis, quo omnia conturbantur in Ecclesia, Republ. familia. Hinc David *Psal.*101. profitetur se velle *exturbare superbos.* III. Discipulos sæpe contendisse, ut *Luc.*22,24.*Marc.* 9. & hoc loco. Hinc constat novum non esse contentiones interdum inter fideles Dei ministros,&c. quo magis caveamus,&c.Neque hoc tantum ante descensum Spiritus Sancti, sed & post, ut inter *Paulum, Barnabam* & *Marcum*, & Ecclesiam illam *Pauli* parti

Crebræ inter Discipulos contentiones.

parti faviſſe. *Actor.* 15. *Objectio: Pontificii* volunt, contentiones eſſe indicium falſæ religionis; at &c. Neque tot aut tantæ ſunt inter nos ac inter illos, exempli cauſa. Alii Papatum ex Deo eſſe immediate contendunt; alii ex hominibus ordinis cauſa conſtitutum. Alii vim ſacramenti altaris ab ipſis verbis pendent; alii ab Eccleſiaſtico decreto ejus authoritatem pendent.

Verſ. 25, 26. *Apoſtoli omnes authoritate pares.* Secunda pars, reſpectu Chriſti, qua errorem tollit, & vulnus ſanat. Prima ratio à diſſimilitudine regni Chriſti, & hujus mundi.

Obſervetur, hic communis naturæ noſtræ error; cui egregia & ſpecioſa res videtur miniſtrum multis ſatellitibus & ſervis ſtipatum incedere, &c. Hoc Papatum fefellit, qui more civilis gubernationis totus regitur. Papa reſpondet Imperatori; Cardinales, Legatis; Archiepiſcopi & Epiſcopi provinciarum procuratoribus. Ideo Iohannes Eccleſiam Romanam vocat beſtiæ imaginem; id eſt, larvam Romani Imperii, quæ faſtu omnes Monarchias exceſſit, ideo dicitur magna beſtia. Hinc corruit Romanorum *Pontificum* ſucceſſio, & conculcantur Eccleſiaſticorum faſtus, quos non opes aut honores ambire, ſed ad majora munera ſe accingere oportet.

Erant quidem Apoſtolorum alii aliis prælati, ſed donis, non authoritate: ideo factum eſt ut tentationibus maxime reſiſterent, ut *Iacobus* qui fortiter in veritate perſiſtens ab Herode occiſus eſt, & *Petrus*, qui ſæpius incarceratus, tandem martyrio, &c. & *Iohannes* qui varie afflictus, exul, &c.

Maxima vis & efficacia miniſterii cernuntur in laboribus indefeſſis, & vigiliis & afflictionibus tolerandis. Verſ. 27.

Secunda reſponſio à majore, nempe exemplo Chriſti, qui venit ut ſerviret; *formam ſervi induit. Philip.* 2. Familiæ erciſcundæ judicium recuſavit; quanto magis nos, &c. Hinc diſcant Miniſtri civiles honores non modo non ambire, ſed ne oblatos accipere, omnibus ſe impedimentis exonerare, &c. Neque tamen hoc impedit quo minus qui donis præſtant, eo majore honore afficiantur, &c. *Miniſtrorum eſt civiles honores non appetere.*

Quod ſi pro fratribus vitam dare oportet; quo vultu Chriſtum aſpiciemus, ſi eis ad victum neceſſaria denegamus?

LUC. *cap.* 18, *à verſ.* 35, *ad finem Cap.*

35 *Factum eſt autem ut dum ipſe appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſederet apud viam, mendicans.*

36 *Quum igitur is audiſſet turbam prætereuntem, percontabatur quid hoc eſſet.*

37 *Annunciaverunt autem ei; IESUM Nazareum tranſire.*

38 *Tunc vociferatus eſt, dicens; IESU, Fili Davidis, miſerere mei.*

39 *Et qui præibant, objurgabant eum ut ſileret: ipſe vero multo magis clamabat; Fili Davidis, miſerere mei.*

40 *IESUS autem quum ſubſtitiſſet, juſſit eum adduci ad ſe: & quum is appropinquaſſet, interrogavit eum.*

41 *Dicens; Quid tibi vis faciam? Ille vero dixit; Domine, ut viſum recipiam.*

42 *Et IESUS dixit ei; Recipito viſum: fides tua te ſervavit.*

43 *Illico igitur viſum recepit, ac ſequebatur eum glorificans Deum, & totus populus, quum hoc vidiſſet, tribuit laudem Deo.*

ANALYSIS.

Miraculum de Sanato cæco deſcribitur primum ab adjuncto tempore, cum prope Ierichuntem veniſſet: deinde cæcus deſcribitur ab adjuncto, ſeſſione prope viam publicam; quod ſuo fine declaratur, ut ſtipem à prætereuntibus emendicaret.

Verſ. 36. Deinde deſcribitur ab adjuncta auditione ſtrepitus prætereuntium; quæ ſuo effecto declaratur, nempe quod percunctatus ſit, quid rei eſſet quod hunc ſtrepitum excitaret.

Verſ. 37. Cujus quæſtionis effectum eſt prætereuntium reſponſum, viz. quod Ieſus Nazarenus præteriret.

Verſ. 38. Reſponſi adjunctum eſt quod vocem efferendo clamavit; qui clamor forma ſua deſcribitur; *Ieſu, Fili David, miſerere mei.*

Verſ. 39. Adjunctum clamoris eſt reprehenſio plebis prætereuntis; quæ ſuo fine declaratur ne deinceps faceret; cujus adjunctum eſt cæci vehementior & intentior clamor & invocatio Chriſti.

Verſ. 40. Cujus effectum eſt quod Chriſtus ſubſtitit; deinde quod eum ad ſe adduci juſſit; 3. quod illum interrogavit.

Verſ. 41. Forma interrogationis proponitur, *quid ſibi fieri vellet:* cujus effectum eſt reſponſio cæci, ſcilicet ut viſum reciperet.

Verf. 42. Cujus petitionis effectum est, Christi mandatum ut visum reciperet; cujus receptionis causa instrumentalis assignatur, cæci fides.

Verf. 43. Mandati effectum est visus restitutio; quæ adjuncto tempore amplificatur, è vestigio: sanitatis acceptæ effectum est, in cæco, quod Christum sequebatur; item quod Deum glorificabat: in plebe quod gloriam Deo tribuebant.

METAPHRASIS.

35. *IN hoc itinere ad Bethaniam factum est ut,*
cum prope Ierichuntem accederet, cæcus quidam pro more mendicantium ad viam publicam assideret, hoc consilio, ut à prætereuntibus
36. *stipem peteret. Is audito verborum & pedum strepitu quem turba præteriens excitabat, quid hoc rei esset à transeuntibus percontatus est.*
37. *Ex turba vero aliquot humaniter, quod res erat ei referebant; Iesum nempe Nazaretheum prætereuntem causam dedisse tam frequentis & confertæ multitudinis, quæ ad illum certatim hinc inde convolans, hunc quem audit,*
38. *strepitum excitat. Ille hoc nuntio accepto, illico abjecto mendicandi studio, clamando vocem extulit, dicens; ô Iesu, qui ex stirpe Davidis oriundus humanæ miseriæ sensu duceris, mise-*
39. *rere mei. Sed qui præibant veluti viæ duces illum verbis castigantes, quod Iesu iter acceleranti remoram injecit, silentium illi indixerunt; qui ut acquiesceret tantum abfuit, ut clamando vocem etiam corroboraret, eandemque quam prius ediderat petitionem repeteret; o Iesu, qui ex stirpe Davidis oriundus, humanæ miseriæ sensu duceris, miserere mei.*
40. *Cujus commiseratione Iesus commotus, accelerationem in itinere aliquid remittens, substitit: & ad se adduci & manu duceri jussit,*
41. *eumque propius admotum interrogavit. Dicens: Quid est quod tibi à me fieri velis: Cui cæcus; Non equidem Domine ut eleemosynam auferam, ea causa huc veni, sed ut tuo beneficio visum recipiens, ab otiosa hac & homine indigna vivendi conditione deinceps absti-*
42. *neam. Ad quem Iesus; volo visum recipias: video etenim (qui hominum abditissimas & abstrusissimas cogitationes pernosco) te fide, quæ omnia à Deo obtinet, imbutum, quæ tibi*
43. *hanc salutem peperit. Quo dicto, è vestigio visum recepit. Quo facto, ad eum quod attinet Iesu comitatui se adjungens Deo gloriam tanti operis dedit. Ad populum vero quod spectat, summo consensu Dei laudem prædicarunt: exclusa tamen utrinque Iesu qui Deus in secula benedictus.*

PRAXIS.

SVmma. Singularis Christi erga hunc pauperem & cæcum misericordia.

Partes { Miseria cæci, quæ eum ad Christum adegit. | Quomodo Christus votis ipsius responderit. }

Hujus hominis miseria apparet, primo quod cæcus erat, 2. quod pauperibus. Cæcitas quam tristis sit constat ex tenebris. Inter Ægypti plagas nulla tristior tenebris, quæ tamen ad triduum tantum; sunt autem cæci tenebræ perpetuæ. Inferni pœnæ tenebris comparantur. Hic etiam pauper fuit, ideoque ductorem alere non potuit, quod ejus miseriam summe auxit. Omnes istum miserum putant: nostra autem conditio à natura longe miserior: nam non modo cæci, sed & surdi, muti, claudi, mendici, &c. Vt in parabola *Matth.*22. Quotus tamen quisque est, qui in hac miseria Christum Filium Davidis inclamat? Quod si, præter hanc cæcitatem, duce destituimur, in qua conditione sunt qui legitimo ministerio destituuntur; quam miseri, &c. eoque magis si miseriam nostram non agnoscamus. Verf.35, &c. *Cæcitatis miseria.*

Cæcus iste voto mutato, Christi misericordiam implorat, oportunitatem salutis amplectitur. Aliis neglectis, hoc à nobis præstandum, præsertim cum Christus se nobis ultro offert. *Prov. Acquire sapientiam, ante omnia, &c.* Lucro terreno inhiantes, singulis civitatibus adsunt, fora observant, &c. fur absentiam patrisfamilias observat, adultera viri, adulter crepusculum expectat, &c. nos soli oportunitatem negligemus? Vide illustre exemplum Mariæ & Marthæ. Maria non nescia Christum non sæpius adfuturum, consedit tamen ad ejus pedes, audit, &c. Verf.38. *Oportunitas salutis amplectenda.*

Prohibitus vehementius inclamat. In bonis impediti non deficiamus. Amoris est laboriosum esse 1 *Thessal.* 1. vide exemplum Cananææ. Verf.39.

Constitit Christus & hominem vocari jubet. Preces Christum licet festinantem remorantur. Deus se veluti vinctum fatetur precibus *Mosis & Aaronis. Numer. Cant. Audiam vocem tuam, nam dulcis est.* Verf.40.

Visum petit, quem eum & posse & velle dare cognovit, discamus ea petere quæ is, à quo petimus, dare possit. Plebs à ministro petit ut hospitalis sit, &c. quod si possit, &c. quod si præstet, eum optimum ministrum prædicat, etsi verbum nunquam prædicat. Magistratum dilaudant, cui palatium splendidum, multi satellites, cujus domus omnibus patet, &c. etsi injustus, &c. Verf.41, &c.

LVC. *cap. 19, à verf. 1, ad 11.*

IESVS *autem ingressus Iericho, transibat:*
2 Et ecce, quidam, nomine vocatus Zacchæus, & qui magister erat publicano-
rum, & is dives erat:
3 Studebatque videre quis esset IESVS: nec poterat præ turba, quod statura par-
vus esset:
4 Præcurrens igitur ascendit in sycomorum, ut eum videret: quoniam futurum
erat ut illac transiret.
5 Vt autem venit ad eum locum, suspiciens IESVS vidit eum, & dixit ei; Zac-
chæe, festinans descende: hodie enim domi tuæ oportet me manere.
6 Tum is festinans descendit, & excepit eum gaudens.
7 Et omnes quum hoc vidissent murmurabant, dicentes eum ingressum esse ad ho-
minem peccatorem ut ibi diversaretur.
8 Adstans autem Zacchæus, dixit Domino; Ecce dimidium bonorum meorum,
Domine, do pauperibus: & si quid cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum.
9 Dixit autem ei IESVS; Hodie salus huic domui contigit, eo quod ipse quo-
que est filius Abrahami.
10 Venit enim Filius hominis ut quærat & servet quod perierat.

ANALYSIS.

DEscribit hanc historiam à subjecto loco ubi gesta est, nempe urbe Ierechuntina; & adjuncto tempore, cum esset illam urbem ingressus.

Vers. 2. Virum describit ab adjuncto nomine Zacchæi; & alio adjuncto, nempe vitæ conditione, viz. publicano: item à relato, principe publicanorum: denique ab adjunctis divitiis.

Vers. 3. Item ab effecto, quod quærebat Iesum videre; quod suo fine declaratur, ut sciret quis esset & à reliquis discerneret; quod sua corrũpente causa declaratur, quod non potuit illum videre; cujus impotentiæ duæ causæ assignantur; una, turba quæ Iesum undique circumsistebat; altera causa indicatur, quod esset parva statura.

Vers. 4. Cujus rei effecta sunt quod præcucurrit; item quod ascendit in Sycomorum: quæ utraque suo fine declarantur, ut illum videat. item alia efficiente causa hujus cursus & in Sycomorum ascensus, quod illac transiturus erat.

Vers. 5. Hujus autem desiderii in Zacchæo Iesum videndi adjunctum est, quod Iesus sursum oculos extulit; quod suo fine arguitur ut illum juberet descendere: qui descensus adjuncto festinationis amplificatur; & suo fine arguitur, ut Christum hospitio excipiat. Quorum omnium subjectus locus notatur, prope Sycomorum in quam ascendit.

Vers. 6. Cujus mandati effectum est obsequium Zacchæi; quod amplificatur adjuncta festinatione, ut hospitium pararet: item alio adjuncto illum excipiendi, nempe hilariter.

Vers. 7. Hujus receptionis effectum est murmur, quod declaratur subjecto universæ turbæ; & sua causa arguitur, quia divertit apud peccatorem.

Vers. 8. Murmuris adjunctũ est studium Zacchæi occasionem illius tollendi; cujus studii effectum voluntaria promissio facta Domino Iesu; quæ suis partibus declaratur, distributione dimidii ejus quod possidebat, & compensatione quadrupla omnium oppressionum quibus quidpiam interverterit; quæ voluntaria promissio amplificatur adjuncto, statione, qua cum reverentiam erga Christum, tum vero animi sui firmum propositum indicat hoc faciendi, quod promissum hoc ab omnibus circumsistentibus exaudiri vellet. Quo etiam refertur aliud adjunctum promissionis (*Ecce*) quo omnes testes hujus promissionis appellat.

Vers. 9. Adjunctum hujus tam amplæ promissionis charitatem in Deum & proximum testantis & obsignantis est salus; quæ comparatione majoris amplificatur, non tantum Zacchæo, sed ejus familiæ: quod suo subjecto declaratur, quia sit filius Abrahæ.

Vers. 10. Cujus causa efficiens est, quod Iesus venit ut quæreret & servaret: subjectum autem salutis est perditus.

METAPHRASIS.

INgresso Ierichuntem ut per illam transi- 1.
ret: Res accidit nostra animadversione di- 2.
gnissima. Vir quidam erat nomine Zacchæus
vitæ professione publicanorum princeps, censu
dives. Hic ingenti desiderio Iesum videndi 3.
tenebatur, ut quis, & qualis esset, cognosceret;
sed ne hoc faceret à turba eum circundante
prohibitus est, maxime quod statura parvus
esset. Hac cum non successit, studio flagrans 4.
aliam aggressus est viam; quamobrem dignitatis & principatus veluti oblitus præcurrens
Sycomorum quamdam scandit, ut elatus in
editum locum, inde Christum intuendo, suos

 oculos

oculos pasceret: præter illam etenim sycomorum
5. *transire oportere Iesum probe noverat. Ad*
quem locum cum Iesus pervenisset & simul
viri desiderium probe pernovisset, sublatis in
sycomorum oculis, illum videns sic alloquitur:
Zacchæe (de nomine enim te appello ut te mi-
hi probe cognitum perspicias) propera ut mihi
hospitium pares: sponte etiam enim me tibi
tanquam uni ex intimis convivam offero.
6. *Qui festinus descendens, paratis omnibus, il-*
lum summa cum animi alacritate domum ac-
7. *cepit. Quo universa multitudo offensa clam*
obmurmurarunt dicentes: siccine convenit vi-
rum Dei ad sceleribus opertum ingredi, idque
ut apud illum divertat & hospitio excipiatur.
8. *Zacchæus cum de hac turbæ obmurmuratione*
rescivisset, ut hujus rei invidiam à Iesu &
Euangelio depelleret, ut ab omnibus exaudi-
retur in pedes erectus, dixit; Domine dicam
quod istis iniquis incredibile videatur, quod
re præstabo: dimidium opum mearum ili-
co & è vestigio pauperibus distribuam. At-
que ne his largiri videar quod aliis per frau-
dem & injuriam surripuerim, adeo etiam, si
quem per imprudentiam aut nimio ditescendi
studio fraudavi (quod mihi humanitus obve-
nire posse inficias non eo) me quadruplo ex lege
de furto lata injuriam compensaturum polli-
9. *ceor. Iesus ut Zacchæum adversus turbæ con-*
tumeliosas voces consolaretur, ei dixit. Hoc
ipso die illuxit salus non tantum tibi, sed & fa-
miliæ tuæ, quam in societatem hujus salutis
adhibebo: Cujus si quis causam requirat; non
alia (si teipsum respicis) est, quam quod vesti-
giis fidei Abrahami insistens germanus & ge-
10. *nuinus ejusdem filius factus es. Homo etenim*
(quicquid alii oblatrant) factus, ut quod per-
ditum est quærerem & (quod nomen Iesu mi-
hi à Patre inditum præ se fert) salvum fa-
ciam.

PRAXIS.

SVmma, Zacchæus incenso Christum videndi studio consequutus est ut illum hospitio acciperet: quod cum turba subaccusaret, eidem partim à Zacchæo, partim à Christo abunde satisfactum est.

Partes,
- Christi in Zachæum sui studiosum prolixa beneficentia.
- Calumniæ Christo ex hospitio impositæ despulsio.

Vers.1,2. Ierichunticam urbem cum transiret & Zacchæum sibi hospitem animo destinaret, Ecce domo (ut probabile erat) vir ille egressus est ut illum videret, ratus tempus esse oportunum ob eam causam, quia cogitarit Christum ibi divertere constituisse, quod locus esset divertendi accommodus.

Viri istius { Nomen / Conditio } notatur.

Nomen expresse notatur, ut ejus in Christum pietas in omnem ætatem propagaretur; *honorantes me honore afficiam.* 1 *Sam.*2. Si annalibus nostris jucundum sit nomen cum laude posteritati tradi, nedum à Spiritu Sancto in Scriptura. Vide quid Christus de Maria dicit, illius mentionem ubicunque prædicatum fuerit Euangelium, &c. idem de isto & similibus. *Objectio*: at Spiritus Sancti monumentis nemo jam inscribitur. *Respondeo*: erit tamen justus in perpetua laude *Proverb.* 10,7. Ejus nominis odor redolens & fragrans erit in omnem ætatem; non flaccessit ut alii odores & suffimenta. *Quare Zacchæi nomen notetur.*

Conditione princeps erat & prædives: eo magis inclarescit ejus virtus. *Difficile est divitem in regnum cœlorum ingredi Luc.*12,24. Nedum si ad divitias accedant honores: homines hac fortuna confidunt; in se aquiescunt. Christus eorum palato non sapit, cœlestia illis nauseæ & fastidio sunt. *Quare ejus conditio.*

Studium Christi videndi etsi à natura novum aliquod videndi cupida proficisci videatur; cujusmodi erat Herodis: tamen à pietate profectum & Spiritus Sancti instinctu constat; qui illum prius docuerat qualis & quantus sanctitate & miraculis extitisset. Vide *Ioh.*12,20, &c. Nec enim levis conjectura est quæ ex cujusque vultu, gestu, &c. petitur: sicut enim stultus in plateis incedens manibus, pedibus, gesticulationibus, stultitiam suam eloquitur: ita sapiens, &c. nedum Christus, ex cujus gestu solo & sermone facile fuit eum Dei Filium agnoscere. Vide *Luc.*4,32. & *Iohan.*7,46. Quod si jucundum sit pios coram intueri, in quibus vix scintilla ejus bonitatis sapientiæ, &c. nedum, &c. Vide *Act.* 20,18. *Col.*2,1. Reginæ Sabæ laudi datum est quod, &c. multo magis &c. Delectatur sponsa voce & vultu sponsi; quanto magis hujus sponsi, qui sua pulchritudine omnes infinite superavit. Quod si jucundum fuit Christum mortalem, pauperem, in terris aspicere, quanto magis immortalem, gloriosum in cœlis, &c. *Vers.3. Zacchæi studium videndi Christi pium:*

Præcurrens, ascendit in sycomorum.] Parvitate impeditus, non tamen deferbuit, &c. contra, &c. Quod princeps & prædives, currit, sycomorum spectante turba conscendit; insignem zelum declarat. Vide simile exem- *Vers.3. quod singulari ejus zelo probatur.*

plum

plum *Matth.*9,19. & in Davide coram arca ſaltante. Laudabile eſt gravitatem in inceſſu ſervare, & tardior inceſſus eos qui præſunt decet: ſed incidunt tempora cum, &c. ut cum virum dignitate plenum urſi inſectantur, cum ab hoſte in bello fugit. Quod ſi ad præſentis vitæ incolumitatem conſueta dignitatis ratio negligi poſſit, nedum in æterna vita conſequenda. Neque tamen fas infra viri Chriſtiani aut principis dignitatem ſe dejicere periculi metu. Vide exemplum Davidis inſaniam ſimulantis. 1 *Sam.*21,13. Contra Nehemiæ ſeſe abdere recuſantis. *Nehem.*6,11.

Quomodo à nobis Chriſtus quærendus.

Alia tamen via Chriſtus a nobis quærendus & ſpectandus eſt, ille in terram oculos dejiciendo, nos animi oculos attollendo; ille in terra, nos, &c. *Col.* 3,1. ille ex ſycomoro, nos in Euangelio, tanquam lympidiſſimo ſpeculo &c. ille videndo, nos audiendo. Quo magis abſurdi ſunt qui eum hic in terris conſpiciendum, &c. & Zacchæi exemplo nos ad propiorem ſacramentorum aſpectum invitant.

Verſ.5. *Chriſtus Zacchæo plus dat quam poſtulaverat.*

Zacchæo parum profuiſſet Chriſtum vidiſſe, &c. niſi &c. ideo Chriſtus ut ſuum amorem magis declararet ſe convivam obtrudit, &c. Mira Chriſti beneficentia qui plus largitur quam quærimus; ſtannum quærentes, in auri fodinam incidimus; ignobilem lapidem quærentes, in criſtallum, &c. *Eph.* 3,2. O beatum Zacchæum, qui &c. At Chriſtus item ſe nobis offert, ſe ipſe invitat; ante oſtium ſtat & pulſat ut cœnet nobiſcum, ut ex lacte & melle noſtro edat & bibat, ex nardo odoretur, &c. *Cant.* Deinde nos ad ſuam cœnam invitat, &c. *Apoc.* 3,20. *Cant.* 5,2,3.

Deinde Chriſtus nobis ſe convivam inſinuat cum occurrit nobis in paupere, cujus paupertas quodam modo flagitat ut &c. In paupere Chriſtus aut excipitur, aut foras pellitur. Noli igitur putare mali ominis eſſe ſi pauper tibi occurrat, &c. potius, &c. Si Chriſtum in paupere repellamus, cavendum ne nos ſua cœna lautiſſima, quam omnibus fidelibus in fine mundi inſtruet, arceamur. Si Succothitæ & cives Penuelis merito pœnas dederunt, quod languidis Gedeonis militibus cibum non præbuerint; quanto graviore ſupplicio conſtringendi, qui languidis Chriſti non modo militibus, ſed & membris, &c.

Cur de nomine eum appellet.

Eum de nomine compellat, ut intelligat eum eſſe paſtorem illum bonum qui ſingulas oves nominatim novit. *Iohan.*10. mirabile eſt quod de quibuſdam Imperatoribus memoriæ mandatum eſt; eos ſingulos milites de nomine cognoviſſe; quanto magis, quod Chriſtus omnes homines, &c. Hoc modo procul dubio ejus fides corroborata eſt. *Iohan.*1,48,49.

Feſtinans deſcende.] Feſtinare jubet, quia ibi aliquandiu hærere conſtituerat, ut oculos Chriſti intuitu quam diutiſſime paſceret; quia ad Paſcha profectionem acceleravit.

Cur ſe ei convivam præbeat.

Oportet me.] Non tantum ſe invitat, ſed quodammodo in ejus ædes irrumpit; non quod neceſſe habuit ab eo accipi, aut quod non poſſet eum ad Eccleſiam aggregare, niſi &c. ſed ut illi indignum ſe judicanti occurreret & reſtitationis anſam præriperet: dum intelligeret non ſecus fieri poſſe. Hoc Chriſtus erga nos facit, cum in perſona pauperum multiplicat petitiones, & nobis quaſi vim facit. Indigni certe ſumus qui pauperi ſtipem erogemus: cum enim eleëmoſyna Deo offertur, nos qui ſumus, qui, &c. Vide 1 *Chron.*29,13,14,15. in Davidis exemplo.

Verſ.6. *Oblatam gratiam Zacchæus amplectitur.*

Oblatam ſibi gratiam amplectitur, Chriſtum læte excipit. Sunt qui ſingulas convivis ſuis buccellas invident & veluti numerant. *Prov.*23,6. Hoc nobis imitandum, cum Chriſtum in pauperibus excipimus, hilarem datorem diligit. In verbo vero & ſacramento Chriſtum in intimo cordis cubiculo excipiemus: hoc hilariter agendum. Nefas fuiſſet Chriſtum hoſpitem in ædibus materiatis recuſaſſe, nedum ſceleris damnabitur qui Chriſtum in corde, &c. Præſertim cum Chriſtus illuc ſe invitat, & nos prævenit, ut hic Zacchæum.

Verſ.7. *Turbæ invidia.*

Murmurabant.] Qui æqui fuerunt ſpectatores operis Chriſti in cæco curando, hic iniqui ſunt in curatione longe præſtantiore. In quo Zacchæi fides plane convulſa fuiſſet, niſi Chriſti dicto acquieviſſet, ejuſque ſententiam omnibus omnium judiciis antehabuiſſet. Hominum naturæ inditum eſt, ut exiſtiment Chriſtum peccatorum, præſertim atrociorum cauſa non veniſſe, contra quam Chriſtus *Matth.cap.*9. & *Paul.* 1 *Tim,*1.

Verſ.8. *Quam Zacchæus avertere à Chriſto ſtudet.*

Zacchæus videns Chriſtum invidia ex ſe gravari, illud conatur ſtudioſe à Chriſto depellere, quaſi dicat, video te ex me male audire, quod &c. Quicquid autem hactenus fui, nunc &c, Inſigne exemplum animi probri Chriſti & doctrinæ Chriſti impatientis: ut qui omnium potius jacturam pati paratus ſit, quam, &c. vide exemplum *Abrah.* *Geneſ.* 14,21,22,23. & *Eſther* 9,10,15. Ad hoc nos exigamus. Quod ſi ad Euangelium pro-

probro liberandum brevi voluptate, aut lucello nos privare recusemus, &c.

Quadruplum.] Alludit ad legem de rebus furto ablatis. Quare per fraudem & injuste ablatum loco furti habet.

Videtur sibi conscius officii non omnino avare exerciti: alias non addixisset dimidium bonorum pauperibus, quadruplum vero compensationi & restitutioni, &c. sed potius omnia sua bona ad restitutionem reservasse oportuisset, cum eleëmosyna in pauperes ex rapto Deo exosa fuisset. Huc refer quod dicit *si cuiquam, &c.* eo indicans per ignorantiam accidisse, si &c. Ex quo liquet quod odio potius Iudæorum in Publicanos, quam suis meritis, inter facinorosos numeraretur.

Idque publice, & quare. Quod publice istud professus est, non ex ambitione & gloriæ appetitione fuit; sed partim ad tollendum scandalum: partim ut hoc modo ad constantiam in propositio adjuvaret; cum hoc professus erat coram tot testibus. Prudentia enim est, vias & rationes quibus compendiosissime itur ad observationem mandatorum Dei excogitare, & observare, sic *Iob.* 31,1. *pepigi fœdus cum oculis meis & David Psal.* 119. *juravi, &c. me observaturum statuta tua.*

Hujus charitatis in Deum & homines adjunctum, est æterna salus; qua Zacchæum populi murmure contristatum, exhilarat. Hæc salus declaratur adjuncto tempore, nempe eo ipso die. Cujus causa assignatur quod *filius Abrahæ, &c.* quod non nisi fidei Abrahæ imitatione factum est. *Rom.* 4. Causa igitur salutis in eo versatur, non quod Christum hospitio excepit, aut eleëmosynas distraxit, aut compensationem, &c. sed, &c. Vers. 9. *Salus ei annunciatur, totique familiæ.*

In subjecto salutis, nempe non tantum Zacchæo sed familia ejus, notanda Dei prolixitas in largiendo. Vide *Actor.* 16,31,32. & 2 *Tim.* 1,16. Hoc servos doceat, quos dominos perquirere illos oportet, ut gratiæ divinæ participes sint. Et dominos, ut provideant de institutione familiæ suæ in pietate, &c. *Genes.* 18. *Psal.* 101. *Act.* 10,2.

Hactenus de depulsione calumniæ per Zacchæum, sequitur quæ per Christum. Argumentum ducit à fine adventus, nempe ut servaret perditos, unde nomen suum *Iesus* traxit. Vide plura de hac re in *Matth.* 9. Vers. 10.

LVC. *cap.* 19, *à vers.* 11, *ad* 28.

11 *Hæc autem ipsis audientibus, pergens, dixit parabolam, eo quod esset prope Hierosolymam, & quod putarent fore ut illico regnum Dei appareret.*

12 *Dixit ergo; Homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reverteretur.*

13 *Vocatis autem decem servis suis dedit eis decem minas, & dixit eis; Negotiamini, donec veniam.*

14 *Cives autem ejus oderant eum, miseruntque legationem post eum, dicentes; Nolumus hunc regnare super nos.*

15 *Et factum est quum is rediisset, accepto regno, jussit vocari servos illos ad se quibus dederat pecuniam: ut cognosceret quis quid negotiando confecisset.*

16 *Adfuit autem primus, dicens, Domine; mina tua decem lucrifecit.*

17 Ille *autem ait ei; Bene* est, *serve bone: quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem in decem urbes.*

18 *Et alter venit, dicens; Domine, mina tua confecit quinque minas.*

19 Ille *vero & isti dixit; Tu quoque præesto quinque urbibus.*

20 *Et alius venit, dicens; Domine, ecce mina tua quam habui sepositam in sudario:*

21 *Metui enim te, quod homo sis austerus: aufers quod non deposuisti, & tollis quod non seminasti.*

22 *Tum* ille *dixit ei; Ex ore tuo te judicabo, serve male: sciebas me hominem austerum esse, qui tollam quod non deposui, & metam quod non seminavi:*

23 *Quare igitur non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens, cum fœnore ipsam exegissem?*

24 Et

24 *Et adstantibus dixit; Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet.*

25 Illi *vero dixerunt ei; Domine, habet decem minas.*

26 At ille, *Nam*, inquit, *dico vobis; Omni habenti dabitur: ei vero qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.*

27 *Quin etiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, & jugulate coram me.*

28 *Et his dictis, antegrediebatur ascendens Hierosolymam.*

ANALYSIS.

CAusa efficiens parabolæ imbibitus error de mundano regni Christi splendore, cujus etiam causam efficientem indicare videtur, quod dixerat versibus duobus antecedentibus, nempe salutem illi domui hodie obtigisse, & quod se venisse dixerat ut perdita servaret: cujus etiam alia causa notatur, quod prope accederet Hierosolyma, urbem scilicet ubi rex inaugurandus esset.

Vers. 12. Qui error refellitur à subjecto loco ad quem mox profecturus erat, nempe cœlum; quod indicatur longinqua regione, & adjuncto tempore cum inde venturus esset, ultimi scilicet judicii die.

Vers. 13. Deinde hunc errorem refellit ab adjuncta negotiatione, in qua servi & subditi ejus se debebant occupare; quod confirmatur ab adjuncto tempore, donec reverteretur.

Vers. 14. Deinde confirmatur ab adjuncto odio & legatione subditorum ejus suum imperium detrectantium.

Vers. 15, 16, 17, 18, 19. Item alio adjuncto tempore, nempe servorum suorum honorem & amplitudinem tum demum tribuendum esse, cum rationem suæ negotiationis in secundo Christi adventu posuerint, idque pro adjuncta mensura diligentis & fidelis negotiationis & lucri, quod domino suo allaturi sunt.

Vers. 20. Servus inutilis describitur ab effecto recondendi minam suam in strophiolo; hujus adjunctum est quod illam reddit sine ullo lucro.

Vers. 21. Cujus socordiæ adjunctum est excusatio petita à severitate & tyrannide domini sui; cujus severitatis effectum assignatur, quod tollit quod non posuit; quod comparatione paris illustratur metendi, ubi sementem non fecit.

Vers. 22, 23. Cujus excusationis effectum est retortio accusationis in dominum strictæ in ipsum servum.

Vers. 24. Aliud effectum ablatio minæ à servo nequam, quæ suo fine declaratur, ut detur illi qui decem minas habet.

Vers. 25. Cujus causa corrumpens circumstantium judicio est, quod decem jam ante haberet.

Vers. 26. Refutatio illius causæ à subjecto, quod eo magis esset idoneus qui hanc acciperet; quod suo genere confirmatur, quia habenti dabitur; & suo adverso illustratur, quia non habenti illud quod habet, auferetur.

Vers. 27. Adjunctum, pœnam, proponit civium suam subjectionem aperte detrectantium, nempe interfectionem seu internecionem extremam; quæ amplificatur adjuncto, regis ipsius inspectione.

Vers. 28. Narrat progressum itineris Hierosolymam versus duobus adjunctis. 1. est temporis, cum hanc parabolam absolvisset; alterum est alacritatis, quod notat verbo præcedendi alios.

METAPHRASIS.

SVperiorem de Historia Zacchai sermonem 11.
excepit parabola, quam Iesus proposuit: parabolæ propositæ impulsus fuit discipulorum Iesu error, quo imbuti sunt de externo regni Christi in hoc mundo splendore & apparatu, quem jam pro foribus esse conjiciebant, quod Zacchæum profligatæ vitæ (ut existimabatur) virum ideo salvum cum familia pronunciavisset & quod perditum invenire se venisse profiteretur: maxime vero quia videbant illum summa alacritate Hierosolymam proficisci, tanquam totius regni metropolin, ubi Regem creari & inaugurari oportere judicabant.
Hunc errorem ut animis illorum eximeret, sic 12.
fere dixit; Mea, in regni mei plena inauguratione & toti mundo spectabili, conditio similis est homini nobili genere nato, non qui aut regnum jam acceperit aut mox accepturus est, sed qui ut accipiat, in longinquam regionem profectus est, ad cujus itineris confectionem temporis intervallum intercedere oportet, ut domum redeat, postquam regnum acceperit.
Profecturus vero, ut fit, decem servos suos ad- 13.
vocat, non equidem ut honores & præcipua munera distribuat, sed ut unicuique minam partiatur cum mandatis in hac verba. Quisque hac mina negotiator quoad ego accepto
regno reversus fuero. Ejus cives odio in illum 14.
incensi, legationem expedierunt postquam discesserat, qua aperte professi sunt se illum pro
rege non agnituros. Factum est ut, cum accepto 15.
regno rediret, prima cura fuerit de domesticis quibus argentum suum distribuerat, ut collatus rationibus, quid quisque negotiando lucra-
tus fuerat, pernosceret. Accessit igitur primus 16.
ac dixit; Domine, mina tua, quam ad negotiandum dedisti, decem minas peperit: tua etenim gratiæ & liberalitati hoc tribuerim ma-
gis quam ulli meæ solertiæ. Ad quem domi- 17.
nus; Euge, serve bone, cum in minimo fidelis fueris, jam tandem defuncto hujus vitæ labore, pro ratione accepti laboris, quam maximo ho-

nore perfruitor, tanquam qui decem civitati-
18. *bus præficitur. Tum accessit secundus, dicens;*
19. *Domine, &c. Cui item dixit; Quin & tu pro*
portione quæstus quem fecisti, in secundo ho-
noris gradu consiste, tanquam, &c. quod &
de aliis septem intelligendum qui aliquid lu-
20. *celli majus aut minus attulerunt. Ex decem*
vero unus accedens, dicit; Hem tibi, Domine,
minam, quam dedisti utendam; quam stro-
phiolo reconditam ut tibi illam redderem as-
21. *servavi. Abs te etenim mihi metuebam, ne ex*
minæ tuæ usura periculum strueretur. Novi et-
enim te hominem plus satis ad rem faciendam
attentum, tollere te quod non posueris, haud
secus quam si quis quod non seminavit mete-
22. *ret. Ad quem herus: Tametsi tua improbi-*
tas multifariam convinci possit; tamen non
longe abibo, ut qui ex proprio ore te reum per
ago, improbe serve: si enim, quod obtendis,
me hominem durum & difficilem novisti tol-
lentem quod non posui, perinde ac si meterem
23. *ubi sementem non feci. Quamobrem pecu-*
niam meam trapezitis non dedisti, ut illam
24. *rediens cum usura repeterem? Quamobrem*
circumsistentibus servis edixit, auferte illi
quam habet minam & illam date servo qui
25. *decem minas habet. Ad quem illi: Dum ju-*
bes minam illi tradi qui decem habet, videtur
animo tuo excidisse penes illum jam esse minas
26. *decem. Probe memini: illi tamen hanc tra-*
dendam esse jubere pergo. Omnino enim hic
verum comprobatur quod vulgo evenire solet,
ut ditioribus munera afferantur; sicut contra
et qui tenuis est pauxillum illud quod habet
27. *detrahitur. Quod vero ad illos hostes meos at-*
tinet, qui meum imperium detractantes super-
be in me insurgunt, huc illos ducite ut me in-
spectante, quo interitus certior sit, interfi-
28. *ciantur. His dictis, eadem alacritate, qua supra*
commemorata est, se in viam, Hierosolymam
versus dans, aliis viæ veluti dux præcessit.

PRAXIS.

Summa, Christus discipulorum de appropinquatione regni sui gloriosi opinionem eorum animis eximens, declarat regnum illud præcessura, hinc domesticorum suorum laboriosas negotiationes, istinc propriorum civium contumeliosam sui à regno ejectionem; quos omnes sub adventum, prout se gesserint, remuneraturus est.

Partes { Discipulorum de appropinquante glorioso Christi regno, error. | Ejusdem erroris refutatio.

Vers.11. In errore considerantur causæ: una ducitur ex superiore Christi sermone, & quidem ut videtur *vers.* 9. unde colligebant universum Abrahæ genus servandum, quandoquidem salus tam scelerato homini exposita erat. Altera, appropinquatio ad urbem quæ illis regni istius sedes futura putabatur, & locus ubi Rex inaugurandus esset: quem fortassis errorem auxit, quod Christum tam alacriter procedentem viderent. Mira naturæ nostræ perversitas, qui non tantum crimen nobis sæpe prædictum non intelligimus: sed de gloria tum somniamus, cum labores, afflictiones, &c. Via ad gloriam ignominiæ lapidibus strata & pavimentata est; prius depugnandum quam spolia dividenda, ferendum quam metendum: granum tritici nisi in terram projiciatur, moriatur, &c. Vide *Act.* 14,2. 2 *Tim.* 2,11,12,3,12. *Quid errori Apostolorum materiam suppeditarit.*

In posteriore parte consideratur quid factum sit, { Priusquam ad possidendum regnum profectionem suscepit. | Postquam, occupato regno reversus est.

Nobilis.] Recte omnino nobili comparatur, qui utraque generatione & parentibus utrisque rex erat. *Regionem longinquam.*] Ergo non erat Ierusalem urbs in qua regno inauguraretur; nec tam brevi temporis spatio gloria affulgeret, ut ipsi putabant. Etsi enim iter illud in cœlum & reditus brevi tempore confectum foret; tamen propter temporis intercedentis diuturnitatem, regio longinqua dicitur. Dies profectionis, est dies ascensionis; reditus vero, dies ille quo in gloria apparebit. *Matth.cap.*25. Hoc nos doceat, ne plenam fælicitatem expectemus ante illum diem, &c. Vita nostra in Christo abdita est. *Col.*3. Quod ne inique feramus, reputemus gloriam Christi aliquousq; claudicare & obscurari usque dum, &c. neque enim omnes hostes ejus prius subigentur, nec gloria illius, quam habuit ante secula, affulgebit, quam, &c. Huc adde quod illuc profectus est, non tam ut sibi regnum occuparet, quam ut nobis pararet, & sibi cohæredes adjungeret. *Iohan.*14. Reficit uxorem ex mariti in longissimis partibus absentia dolentem, cum reputat eum rediturum onustum mercibus, &c. Præsertim si reditus ejus, ut Christi, certus est. Denique nostrum ex ejus absentia fastidium precibus de ejus acceleratione levandum est; *Veni Domine Iesu.* Deinde etsi ratione Iudæorum, qui instare gloriosum Christi regnum putabant, dicitur in longinquam regionem profectus, tamen si confe-

Vers.12. *Plena felicitas ante reditum Christi non expectanda.*

conferatur tempus illius absentiæ, vel cum æternitate regni, vel cum tempore quod ab Adamo, &c. exiguum & angustum est. Hinc toties dicitur Christus venisse in fine mundi. *Heb.*10,37. *brevi rediturus, nec tardaturus.* Hic adversus corporalem præsentiam dicendi campus est.

Verſ.13. *Singula Eccleſiæ membra aliquam minæ partem acceperunt.*

Vocatis, &c.] Solenne est heris peregre profecturis servos advocare, unicuique pensum attribuere, &c. ut ipsi rem familiarem augeant, ne servi otio corrumpantur: sic Christus. Nemo est qui (ad Ecclesiam aggregatus) non acceperit minam aliquam: aliqua pars hujus minæ posita est in Dei cognitione, quam augere indies oportet; reliqua prout cujusque locus & conditio postulat: huc refer eruditionem, prudentiam, solertiam in rebus gerendis, artes liberales, illiberales, &c. Hinc refellitur stulta opinio de Christi regno in hoc mundo cum magno apparatu inchoando, cum non de honore, sed de labore cogitandum sit. Nota, prohiberi otium: *dum dies est operemur:* ociosus, vir sceleratus est, *Prov. Otium diaboli pulvinar. Psal.*128. *Labore manuum frueris*; quid quod in incorrupta hominis natura labor præceptus est. *Genes.*2. Nec tamen nobis, sed domino cujus servi sumus, negotiandum.

Verſ.14. *Iſraëlitarum perpetuum in Chriſtum odium.*

Cives.] Israëlitæ inter quos natus, educatus est, quos plurimis beneficiis ornarat. Hi primo Christum cum adhuc in vivis erat, odio habuerunt; etsi potentiæ fræno coërciti sunt, &c. in ipso itinere ad cœlum, id est in morte, professi sunt se nullum regem agnoscere præter Cæsarem. Pilatum admonuerunt ne eum scriberet *Regem Iudæorum*, sed duntaxat, quod ipse de se hoc prædicarat. Post ascensum Christi inimicitiæ crevere, ita ut jugum penitus excuterent. Apostolos persequuti sunt. *Actor.*4,25. *Psalm.*2. 2 *Thess.* 1. per sermonem impegerunt. 1 *Pet.* 2,7,8. Hoc perinde est ac si Christo dixerant, *nolumus hunc regnare.* Quare odium in Christum latius patet, quam vulgo putatur. *Pontificii* dum verbum odio habent; nonnulli ex Euangelicis dum ministros, qui eos reprehendunt, cane pejus & angue oderunt; nonne Christum oderunt? Cavendum ergo, &c. atque ideo cavendum ne verbum negligamus: à neglectu facilis est ad odium transitus.

Miserunt legationem.] Mirum est: homines Deo inimicos, qui, conscii propriæ imbecillitatis, deberent legatos ad Christum mittere, qui pacem poscerent, tamen, &c. *Luc.* 14,31,32. Cum igitur per Christum reconciliati sumus, caveamus ne &c. Si enim bellum cum Deo renovemus, actum de nobis erit.

Verſ.15. *Chriſti glorioſus reditus & judicium.*

Rediit accepto regno.] Sic Christus, cum infinitis Angelorum myriadibus, alius redibit quam profectus est: profectus est, servus, humilis, solus &c. at redibit infinita virtute & potentia instructus, tum ad obsequentes remunerandos, tum ad rebelles plectendos. Hoc nos admoneat, & in nobis sollicitudinem ingeneret, ut nos ornemus, & abjectis peccati pannis & veteramentis, sanctitate & justitia induamur, ut apti & idonei simus qui ei obviam procedamus. Si quis princeps civitatem ingressurus sit, quantus apparatus? omnes sibi vestes holosericas parant, &c.

Iussit advocari.] Per Archangelum, & tubæ sonitum, qui mortuos excitabit, &c. Vocatos comparere necesse est: servus infrugi qui heri bona dissipavit, interdum se subducit & aufugit; at nullus erit tum subterfugii locus. *Servos.*] Primo cum domesticis rationem ponet, tum cum apertis hostibus; *judicium à domo Dei incipit:* prudentis patrisfamilias est prius propriam familiam constituere, quam foris res procuret. Ne putemus ergo nobis parcitum iri, quia ex domesticis ipsius sumus, potius, &c.

Verſ.16. *in quo omnium ratio reddenda erit.*

Adfuit primus, &c.] Seorsim cum singulis, non confuse cum omnibus rationem init, &c. Caveamus ergo &c. sciamus ponendam esse rationem, nec ullo modo nos defugere posse, &c. 2 *Cor.*5. *Matth.*12,36. *Eccl.*11,9. ponendæ sunt rationes coram judice incorrupto, à cujus tribunali provocare non datur, nec illud defugere.

Dona Dei uſu augentur.

Nota, Dei dona usu & negotiatione augeri, non ut cætera deteri & diminui. Quo enim frequentius fides cum tentationibus conflictatur, eo fortior & auctior evadit; quo charitatis opera plura, &c. eo ferventior; quo quis diligentius & attentius docet, hortatur, monet, consulit; eo &c. scintilla inflammabit, &c. Contra si quis sacrum hunc ignem non foveat, extinguitur: sacrum hoc argentum, nisi distrahatur, rubigine exeditur. Vt cum fructu mercaturam exerceas, oportet in numerato habere aliquot centenas librarum, &c. at in hac mercatura longe fructuosissima, si vel unam libram, drachmam, denarium acceperis, modo negotieris, lucrum certum est & copiosum.

Pleniorem ad hos & sequentes aliquot versus, usque ad vers.28. *Praxin vide infra ad cap.* Matth.25. à vers.14, ad 31. *ubi hæc materia copiosius tractabitur.*

MARC. *cap.* 10, *à vers.*46, *ad finem Cap.*

46 Tunc veniunt Hiericho: eoque egrediente ab Hiericho, ac discipulis ejus, & turba multa, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat apud viam mendicans.

47 Et quum audisset ipsum esse IESVM illum Nazarenum, cœpit clamare, & dicere; Fili Davidis IESV, miserere mei.

48 Objurgabant autem eum multi ut sileret: ille vero multo magis clambat; Fili Davidis, miserere mei.

49 Tunc IESVS quum substitisset, jussit eum vocari: vocant igitur cæcum, dicentes ei; Confide, surge: vocat te.

50 Ipse vero abjecto pallio suo quum surrexisset, venit ad IESVM.

51 Et respondens, dixit ei IESVS; Quid vis tibi faciam: Cæcus autem ait ei, Rabboni, ut visum recipiam.

52 IESVS autem dixit ei; Abi, fides tua te servavit. Statim igitur recepit visum, & sequebatur IESVM in illo itinere.

ANALYSIS.

Describitur hæc Historia ab adjuncto temporis, nempe cum egressus est Iesus ex urbe Hierichuntina. Cæcus etiam qui curatur describitur ab adjuncto nomine cum Patris, tum suo & proprio. Reliqua usque ad 49. vide supra ex Historia *Luc.*18, *vers.*35, *& seqq.*

Vers. 49. Vbi additur (supra quam prius dictum est) effectum eorum, qui à Christo jussi ut illum ad Christum vocarent, nempe quod jubent eum bono animo esse; quod confirmant ab efficiente, quia Christus illum appellat.

Vers. 50. Effectum hujus vocationis est quod indumentum abjicit; quod suo fine arguitur ut ad Iesum veniret. Reliqua vide ex superiore Historia *Luc.* cum quo omnia habet communia. Illud unum apud *Matth.*20. additur de causa efficiente sanitatis, quam Christus contulit, scilicet viscerum Christi commotio & compassio.

METAPHRASIS.

46. *Sicut in urbis Hierichuntinæ ingressu unum cæcum, sic egressu alterum stipem prope viam publicam (ut fit) mendicantem offendit. Et quidem hunc placet honoris causa cum de Patris, tum de suo nomine describere, quod tanto fervore ad Iesum accurrebat. Nomen igitur patris fuit Timæus; ipse ex patre Bartimæus appellatus est. Reliqua usque ad 49.*
49. *pete ex Historia* Lucæ 18,35,& seq. *Iussi illum vocare subtristem ex reprehensione, quod Christum inclamarat, consolantur, dicentes; bono animo esto: certum enim est te visui restitutum fore, quandoquidem te ad se vocare dignatus sit. Tum cæcus, abjecto pallio seu to-*
50. *ga qua superindutus est, ut gressum accelera-ret, ne Iesu festinanti iter in mora esset, surgens, ad illum accurrebat. Iesus commiseratione calamitatis motus, manu ad utriusque cæci cum illius apud* Lucam, *tum hujus apud* Marcum, *oculos admota, visum restituit.*

PRAXIS.

Idem plane argumentum est cum historia quæ scribitur *Luc.* 18,35. &c. ut quæ illic notata sunt, hoc loco intelligantur. Etsi autem hæc historia cum priore illa conspirare plerisque videatur; alia tamen & diversa existit. Hæc enim Christo contigit exeunti urbem, illa vero ineunti. Quæ autem est de duobus cæcis *Matth.*20. eadem videtur cum hac, & illa *Luc.*18. Quæ enim *Lucas* & *Marcus* divisim narrarunt, ille pro suo more in miraculis contrahit & compendiose narrat. Nec enim verosimile est duos cæcos voluisse uno eodemque loco stipem petere. Notum est enim eos ad majus compendium quæstum faciendi, se aliquo locorum intervallo solere disjungere. Quod autem *Matth.* dicit egressu ex urbe Ierichuntis duos cæcos sanatos fuisse, id *Synecdochice* dicitur. Ideo autem potius egressui ex urbe, quam ingressui tribuit, quia ex duobus cæcis qui sanati sunt, ille celebrior extitit qui illo ex urbe exeunte sanatus est. Hujus simile exemplum exstat apud *Matth.* qui duorum dæmoniorum meminit, cum *Marcus & Lucas* unius tantum mentionem faciunt *Matth.*8. *Marc.* 5. *Luc.* 8.

In *Matth.* dicitur Christus commiseratione af- Matth.20, 34.

Christus misericordia motus. ne affectus, illum curasse. Quo docemur, 1. oportere, ut subventionem nostram in pauperes & afflictos praecedat commiseratio, & sensus mali, &c. quae si adsit, etsi ad eorum subventionem nihil adferre possumus, tamen,&c. *pro eo quod habet quis, non quod non habet, Deo acceptus est.* 2. Et in genere omnem laudatam actionem laudatum affectum conjunctum habere oportere: ut bonum amore boni amplexemur; malum odio mali fugiamus.

Caeci infirmae fidei se accommodat; Deinde additur Iesum manum caeci oculis applicuisse: qui verbo aut nutu illud efficere poterat; ut hoc modo se ad ejus infirmitatem demitteret, cujus fides (quae ad corporis sanationem necessaria fuit, juxta illud, *Si possis credere, credenti omnia sunt possibilia*) nondum se ita dilataverat, ut posset credere, eum verbo aut nutu,&c. Eximium charitatis exemplum, quo docemur nos ad fratrum aedificationem in omnibus accommodare; nec tam quae ad nostrum decus & dignitatem, quam quae ad illorum commodum, &c. hoc ab omnibus praestandum, praecipue vero à ministris in Euangelii praedicatione, ut eam docendi rationem sequantur quae &c.

Cujus nomen traditur: Alterius caeci nomen aeternis literarum monumentis Spiritus Sanctus consignavit, altero (qui tamen vir bonus erat) praeterito; quia hic singulari fervore erga Christum incensus ad eum celerrime accessit. *Doctrina.* Deus nullius personam accipit, pauperes non despicit,&c. Paullo ante Zacchaeus dives aeternis monumentis nobilitatus est: nunc pauper &c. hoc pauperum studium in bonis operibus exacuat: in terris pauperum praeclara facta oblivioni traduntur. *Eccl.9.* sed in coelis non item; in terris *pauper à suis fratribus contemnitur, Prov.19,4.* in coelis vero nobilitatur, &c.

MARC.49. *Quem consolatur turba.* *Confide.*] Videtur ergo subtristem fuisse, idque non tam caecitatis nomine, quam quod Christum inclamans, asperius objurgabatur. Hujus exemplo discamus, adeo praeclaris institutis, ob taedium & animi dolorem quae hinc inde nobis creari solent, non deficere.

In iis qui coecum subtristem consolabantur, discimus, afflictos maxime ob pietatem & invocationem nominis Iesu animare & exhilarare. 1 *Thes.*5,14. Omnibus in stadio olim cum currentibus aut luctantibus acclamari & applaudi solitum est, quanto magis in coelesti hoc cursu & lucta fieri decet.

Vocat te.] Hinc eum consolantur, quod Christus eum vocavit. Nos ergo quos quotidie vocat Euangelii voce, quantum consol. &c. Quamdiu enim nos vocat, certe non abjecit, sed spem veniae ostendit. *Hodie igitur si vocem ejus audieritis, &c. Psal.95.* gravissima fuit foeminae tentatio *Matth.* 15. quod Christus praeteriens siluit, sed &c. Deus relicto Eli Samueli se patefaciens, eo testatus est ultionem constitutam esse, &c. sic, &c. Atque multo hoc magis si nos ad mensam suam vocat, quod in coena, atque etiam in verbo fit. Invitare aliquem ad mensam, reconciliati animi indicium est certissimum, modo ab integris fiat. Isaac ἀμνησίαν suam in Abimelechum convivio testatur. Et David charitatem suam singularem in Ionathanis filium prodidit, dum illum ad suam mensam adhibuit. Quantae igitur ingratitudinis est & inhumanitatis, si ad coenam invitati, non veniamus. Praesertim cum ejus mensa tam instructa est, &c. *Iohan.6.* *à vocatione Christi;*

Vocatus pallium suum, etsi mendicus, abjecit, vocationis enim suae tanto gaudio exultavit, ut &c. Vide quid simile *Ioh.*4,28. *reliquit hydriam suam.* Quod docet quam prompte & expedite vocati venire debemus, quam citato gradu & zelo accenso. Qui cursu inter se de praemio certant, omnibus se vestibus exuunt, &c. nedum hoc coelesti stadio,&c. Vide *Heb.*12,1. *Ephes.*4,22,25. Quaedam animantia sunt quae senectam exuendo quodam modo reviviscunt, &c. Vers.50. *Cui ille alacriter aurem praebet.*

IOHAN. *cap.* 11. *à vers.*17, *ad* 28.

17 Venit ergo IESVS, & invenit eum, quartum jam diem in monumento agere.

18 Erat autem Bethania prope Hierosolymam fere stadiis quindecim:

19 Multique ex Iudaeis venerant ad Martham & Mariam, & eas quae cum ipsis erant, ut consolarentur eas de fratre suo.

20 Martha ergo ut audivit IESVM venire, occurrit ei: Maria vero domi sedebat.

21 Dixit autem Martha IESV; Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:

22 Sed & nunc scio fore ut quaecumque petieris à Deo, det tibi.

23 *Dicit ei IESVS; Resurget frater tuus.*

24 *Dicit ei Martha; Scio resurrecturum in resurrectione ultimo illo die.*

25 *Dixit ei IESVS; Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:*

26 *Et quisquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?*

27 *Ait illi; Etiam Domine, ego credo te esse Christum illum Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.*

ANALYSIS.

ADventus Iesu prope Bethaniam describitur adjuncto tempore, quatriduo post mortem Lazari.

Vers. 18. Describitur Bethania ab adjuncto, propinquitate Hierosolymæ; quod confirmatur specie, nempe distantia & intervallo quindecim stadiorum.

Vers. 19. Cujus descriptionis causa proponitur. quod plerique ex civibus Hierosolymitanis Bethaniam venerant ad Martham & Mariam; qui adventus suo fine declaratur, ut illas consolarentur de morte fratris.

Vers. 20. Adventus Christi ad Bethaniam adjunctum est, quod Martha honoris ergo illi obviam procedit; quod sua causa efficiente exponitur, quia de Iesu adventu audiverat; & disperato illustratur, nempe Mariæ in domo permansione.

Vers. 21. Marthæ effectum proponitur, quod duo continet; fiduciam de Iesu amore plenam, sed de potentia diffidentiam, ut quæ vitæ fratris conservationem corporali ejus præsentiæ alligavit.

Vers. 22. Aliud effectum ejus proponitur, quod debitæ de Christo fidei defectum arguit, non nisi precibus ad Deum excitari posse fratrem.

Vers. 23. Hujus dicti adjunctum est Christi promissio de fratris excitatione.

Vers. 24. Cujus promissionis adjunctum est captio diversi; se credere quod novissimo die excitabitur, non autem hoc tempore.

Vers. 25. Effectum hujus in fide in Christum nutationis est erroris correctio; quæ docetur diverso, nempe quod sit ipse author & efficiens principalis resurrectionis, non (ut illa existimavit) minister, & efficiens modo instrumentalis: quod suo proprio subjecto declaratur, nempe credente in eum.

Vers. 26. Hanc suam potentiam vivificandi credentes amplificat primum ab adjuncta quantitate, nempe omnium credentium: deinde à comparatione majoris, quod non tantum credentes in se e mortuis excitabit, sed porro efficiat, ut nunquam moriantur.

Vers. 27. Cujus doctrinæ effectum est professio fidei Marthæ, Iesum esse Christum per Prophetas prædictum.

METAPHRASIS.

17. *TAndem pervenit Iesus prope Bethaniam, toto quatriduo post mortem Lazari intermisso, ut miraculum in illius è mortuis excitatione cum ad fidem suorum confirmandam, tum ad hostium pervicaciam convincendam efficacius esset. Ad quam rem plenius & locupletius testandam, opportune cecidit quod Bethania ab Hierosolyma haud procul dissita erat, vix aut ne vix quidem duorum milliarium intervallo distans. Hac etenim urbis vicinitate factum est, ut plerique ex civibus Hierosolymitanis Bethaniam ad Martham & Mariam convenissent, hoc tantum consilio (si illos nude & pure respicias) ut utramque sororem super mortuo fratre consolarentur. Martha vero fama de Iesu adventu accepta, partim honoris causa, partim vero ut Iesum (remotis testibus) conveniret, domo exiens, illi obviam processit, re cum sorore Maria, quæ domi remansit, ob eam causam minime communicata, ne Hierosolymitanos qui illi aderant post se attrahendo, rem Iesu ingratam faceret. Hæc cum ad Iesum pervenit, mortem fratris animo alte impressam gerens, sic orsa est: Ah Domine, modo hic opportune ante fratris obitum adfuisses; ea & virtute à Deo instructus, & benevolentia in nos affectus es, ut fratrem meum non jam mortuum futurum fuisse persuasum habeam. Sed & nunc quia præsentia tua nobis tam benigne copiam facis, non prorsus de vita fratris despero: Probe etenim novi te ea gratia apud Deum valere, ut quicquid precibus à Deo contenderis, dummodo præsens manum mortuo cadaveri impesueris, illud prompte largiatur. Ad quam Iesus; bono animo esto: è mortuis etenim resurget frater tuus. Non nego quin dolorem meum levare debeat quod sciam illum ultimo judicio cum omnibus electis olim exitandum esse, sed hoc dolorem qui meum animum imprasentiarum coquit, tollere non potest. Cui Iesus: Tu me ministrum modo, precum & impositionis manuum interventu, resurrectionis è mortuis animo tuo affingis: Ego vero ille sum, qui propria virtute homines mortuos vitæ restituo, & sum ipsius vitæ fons & origo: & qui fide in me recumbit (impios etenim tamquam pater Deus potius quam mediator è mortuis excitabo) hunc ego, quamvis mortuum, quoties libet & Dei gloriæ opportunum videbitur, vitæ restituam. Quod ne alienum & peregrinum tibi videatur,*

Margin numbers (right column): 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

videatur, audi quid porro dicam: Quisquis vitam hanc caducam agens in me fide recumbit, hunc ego efficiam ut in æternum non moriatur, utpote cui animæ à corpore dissolutio non mors, sed ad vitam transitus jure censeri debet. Atque an hoc animo tuo persuasum
27. *habeas, teipsam pertentato. Cui illa; prorsus ut dicis credo: persuasum etenim & probe perceptum habeo, quod tu, & non alius, sis Christus ille unigenitus Dei Filius, toties à lege & Prophetis constituto & oportuno tempore in mundum venire oportere, prædictus.*

PRAXIS.

SUmma, Omnia oportunissime à Christo sua prudentia, & à Deo sapienti & oculata providentia, ad miraculum ornandum, distributa & disposita fuisse docet Euangelium.

Partes { Euangelistæ verba de oportunitate ad miraculum accommodata. Dialogus Christi cum Martha, quo illam ad fidem miraculi instruit.

Vers.17. *Temporis oportunitas in Lazaro excitando.* Prior pars arguitur, 1. adjuncto tempore adventus Christi, nempe quatriduo post mortem Lazari: verisimile est Lazarum tum obiisse cum Christus dixit discipulis, Lazarus dormit: post mansisse duos dies, triduo iter fecisse. Hoc tempore mors plenam possessionem in Lazarum cœperat, & ipsa ossa & intimas medullas occuparat. Ista autem temporis oportunitas apta erat, non modo ad Christi divinam potentiam in ipso confirmandam; sed & ad fidem confirmandam de propria resurrectione. Quis enim dubitarit quin qui Lazarum quatriduo, seipsum triduo excitare poterit. Est etiam pignus nostræ resurrectionis: ejusdem enim potentiæ est mortuum ex sepulchro quatriduo excitare; & post 4000. annos mortuum resuscitare. Videmus ergo Christi cunctationem in nobis opitulandis fenerari, cum ipsis miseris qui opem ejus implorant, quorum erat gaudium ex resuscitatione cumulatius, quam si ægrotum restituisset; tum aliis plerisque qui inde fructum percipiunt. Vtcumque igitur moram trahere videatur; tamen veniens veniet, & non tardabit. *Abac.* 1. Agricolæ patientiam imitemur, &c. *Iacob.* 5,7.

Omnis spes sororibus prærepta videtur: nuncio enim de morbo minime lethali accepto, lethum tamen insecutum expertæ sunt. Vt Christi promissio videretur penitus excidisse. Huc refer quod mortuum luxerunt, quod humo mandarunt, &c. Tametsi ergo aliquando fiat ut in Christi verbis species quædam desertæ in promissis fidei appareat; tamen &c. Spem contra spem foveamus. Vide exemplum *Abra. Heb.* 11. Item Cananææ, *Matth.* 15. quæ cum canis appellata est, & filia ejus catula, ad quas beneficium sanitatis non spectaret; tamen, &c. Si quis diutius alterius fidem expertus, promissionem ab eo factam minime servatam animadverterit; tum superiorum temporum memoriam replicans, quidvis potius quam falsam fidem cogitabit, eum ægrum fuisse, aut &c. quod si nihil occurrat quod satisfaciat; potius se in audiendo falsum; quam amicum &c. Quanto magis de Dei fide & veritate istud constituendum, &c.

Aliud argumentum à subjecto loco, Bethania; quæ cum vix duo milliaria ab Hierosolyma distaret, ansam dedit multis ex Iudæis, &c. adveniendi ut sorores consolarentur. Notandum egregium amicorum in consolandis mæstis factum. Duo milliaria conficere non renuunt ut calicem consolationis illis propinarent. *Luc.* 1,58. occurrunt vicini ad congratulandum de bono: hic ad condolendum de malo. Ac si quisque suam aliquam partem hujus calamitatis portaret. Sic Iobi amici; tametsi valde in hoc peccarunt quod, &c. Hic damnatur *Pontificiorum* superstitio, qui cum multa excogitarunt mortuis præstanda; hoc tamen unum à Deo mandatum de consolandis iis qui ex defuncto contristantur, prorsus neglexerunt. Observandum istos hujus officii fructus longe uberrimos reportasse; ut qui Christi virtutem in ejus resuscitatione viderint. Vers.18, 19. *Loci oportunitas.*

Pars altera de Dialogo Christi cum Martha, sic autem Martha: Scio te præsentem & potuisse propter virtutem miraculorum tibi concessam; & voluisse propter communem doloris nostri sensum & sympathiam, illum ægrotum restituere: nunc vero cum, &c. ea te gratia apud Deum valere scio, ut quæ ab eo petas, &c. Vbi Martha modum in credendo hinc transit, istinc deserit. Nam quod ait sibi persuasum fuisse, fratrem non fuisse moriturum si Christus adesset, id nulla Dei aut Christi promissione nititur: tollit enim Deus è vivis quos vult, &c. Imponebat autem illi quod putavit Christi amorem in illam familiam sibi constare non posse, nisi præsentem vitam illi prorogaret. Vers.21. *Marthæ in fide excessus.*

Mirum vero est nos tam ad credendum quæ certa sunt tardos & hebetes esse; ad illa quæ incerta, & de quibus nullam promissionem

sionem,&c.propensos & paratos credere,quæ nunquam audivimus! illis diffidere quæ millies aures nostras personarunt, tanquam fidei manus omnibus captandis explicata foret: verbo autem Dei contracta,tanquam reti jaculum ligna,lapides,&c.captaret;pisces vero, &c.Sed sic fert humana natura,& proprii cerebri figmenta pluris facimus quam Dei certissima & sanctissima oracula. Hinc est quod sæpe credamus quæ nos ipsi commenti sumus de Dei misericordia in omnes,etiam eos qui peccatis affixi sunt; &c.

Vers.22. *& defectus.* Deinde deficit in fide,dum Christi potentiam illis angustiis complectitur, ut non nisi præsentem virtutem suam exerere posse putet, cum Elizeus Shunamitæ puerum absens restituisset: siquidem illa hoc futurum credidisset. Hinc igitur apparet eam de Christi divinitate nihil aut parum admodum didicisse, quod etiam ex sequentibus arguitur, cum illum non nisi precibus fratrem excitare posse credat. Nec mirum si Martha tam abjecte de Christo senserit: cum qui eum Deum esse profitentur, tamen eum nihil posse, nisi præsens adsit, &c. ***Pontificii*** in transubstantiatione. Sic discipuli ita affixi erant corporali ejus præsentia: ut de se actum esse putarent, si &c. cum tamen expediret eum abire &c. Et nos cum graviore aliqua tentatione probamur, illum quasi cœlorum orbibus includimus, ejus brachium contractum, &c. non est igitur minima pars fidei justificantis, de divina Christi potentia penitus persuasum esse. ***Rom.cap.4. credidit Deum potuisse, &c.*** Sicut enim multi se in arte peritos putant,qui tamen operi admoti, nihil, &c.sic cum ad fidei praxin ventum est.

Quæstio: Quomodo Christus Martham dilexit, quæ cum ejus divinitatis ignara esset, veræ fidei expertem fuisse necesse est? *Respondeo:* singularis Christi mansuetudo & φιλανθρωπία, qui quassatam arundinem non frangit, &c. modo quis docilis sit,& veritati cognoscendæ addictus.Vide quæ notavimus in *Ioh 7.vers.12. Vir bonus est.*

Vers.23. *Quam Christi responsum suspensam tenet:* Christi responsum ejus animum suspensum tenet; nec enim quando hoc aut per quem futurum sit definit, idque partim, ut ipsa magis tum sibi ipsi, tum aliis innotesceret; partim quod mysteria sensim informari convenit, ut hoc modo Deus studium nostrum incendat, & ulterius investigandi argumentum præbeat. Novit enim capacitatis nostræ angustias; unde, ut in vasis ore angustis, stillatim infundit. Sic Abrahamo primum hæredem promisit: deinde ex Sara vetula, &c. Vt nos non turbet, si ad fundum eorum, quorum primordia gustavimus, non primo quoque tempore pervadamus.

Scio resurrecturum.]Egregiam de generali resurrectione confessionem edit, quæ tamen & fœmina erat, & vixit sub pædagogia legis, in qua omnia adumbrabantur potius quam exprimebantur.Væ igitur nobis, si viri, in celebri Christi academia edocti, sub Christo ipso, non sub hypodydascalo,adulti, &c. præsertim cum sine isto fidei articulo, &c. maxime cum tot exemplis abundamus eorum qui à morte excitati sunt; præsertim vero Christi domini, &c. Vers.24. *Egregia ejus de resurrectione confessio.*

Christus cum prospiceret Martham nihil de se sapere, nisi quod in virum Deo charum & eximium Prophetam competeret, quis sit exponit, docetque se miracula edere non aliena, sed propria virtute; eoque se resurrectionem vocat & vitam, id est, qui non tantum resuscitet & vivificet,sed qui vi quadam sibi consubstantiali hoc faciat; nec tantum quatenus Patri & Spiritui Sancto coæqualis, sed quoad humani generis universi mediator. Vide *Iohan.5,21. & 26.* Vers.25. 26. *Quam tamen cognitionis Christi rudem ipse se vitæ fontem docet;*

Singularis consolationis vitæ fons, qui ante in altissimo monte, &c. nunc in convalle naturæ nostræ, &c.qui ante obsignatus, nunc reclusus; qui in profundissimæ terræ partibus quo nemo penetrare potuit, nunc domi nostræ velut per canales, &c. qui ante à sagittariis obsessus &c. ut ***Iudicum cap.5.*** nunc tuto adiri potest; qui ante à Philistæis ut aqua Bethlem, detentus, &c. nunc gloriosissima Christi tanquam David victoria, &c. Væ igitur nobis si contempserimus,&c. Si civitas aquæ penuria laborans, ut miliaria aliquot, &c. post per canales in omnes plateas, &c. an non ingrati essent, nisi eum celebrarent cujus opera & sumptibus, &c. sic, &c.

Qui credit, &c.] Fides est per quam tanquam per canalem vita quæ est in Christo,in nos derivatur; haustrum quo aquam vitæ haurimus. Vide quam pretiosa res sit & expetibilis;non quod suo merito, &c. sed,&c. *Cujus vivificantes aquas fide haurimus.*

Istius fidei proponitur effectus,id est, quod vita vera & spirituali, defunctum vitæ restituat. Aquæ inveniuntur inter mortales,quæ vitam abituram sistant; sed non quæ egressam revocent: fides igitur est morte superior; & in eam insultat.

Et quisquis vivit,&c.] Incomparabilis fidei vis: quædam aquæ sunt, quæ si tempestive

ſtive adhibeantur vitam prorogare poſſint, ſed non ne moriatur quis omnino impedire &c. fides antidotum adverſus omne venenum; armatura quæ nullis quantumvis ignitis globulis trajici poſſit. Ratio & modus quibus hoc fit oſtenditur *Ioh.* 5,24. Mors enim hæc mors dicenda non eſt: ſed tranſitus & pons ad vitam; mortis vires fractæ ſunt, aculeus demptus *Hoſ. Ero mors tua ò mors.* Sicut *Ioh.* 5. probat ſpiritualem reſurrectionem eo quod corpora reſuſcitat: ſic hoc loco ex ſpirituali reſurrectione probat corporis reſurrectionem.

Quæſtio: Quomodo hoc fidei tribuitur; cum etiam infideles reſurgent? *Reſpondeo:* Infideles à filio tanquam pure Deo excitabuntur, fideles à Chriſto tanquam mediatore.

Credis hoc?] Fœminæ conſcientiam tanquam dormitantem exſuſcitat: quod nobis dictum putemus: proponamus nobis Chriſtum ſubinde à nobis ſciſcitantem. *Intelligis hoc, credis hoc?* hoc in cubiculis poſt concionem. Hoc erga duodecim diſcipulos ante præſtitum legimus. *Matth.* 16.

Etiam, Domine.] Singularis fœminæ docilitas, pauculis Chriſti ſententiis tantopere provecta eſt, ut nos pudeat qui tam lente & tarde proficimus. Verſ. 27. *Marthæ docilitas.*

Qui in mundum venturus erat.] Nota illum eſſe, non alium, Meſſiam qui in lege & Prophetis proponitur, ut Pſeudo-Chriſtum *Pontificiorum*, qui ſacerdotio & juſtificante virtute privatur, caveamus & deteſtemur.

IOAN. *cap.* 11. *à verſ.* 28, *ad* 59.

28 *Et quum hæc dixiſſet, abiit, & clam vocavit Mariam ſororem ſuam, dicens; Magiſter adeſt, & te vocat.*

29 *Illa ut audivit, ſurgit cito, & venit ad eum.*

30 *(Nondum autem venerat IESVS in vicum: ſed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha.)*

31 *Iudæi ergo qui domi erant cum ea, & conſolabantur eam, quum vidiſſent Mariam cito ſurrexiſſe, & exiiſſe, ſequuti ſunt eam, dicentes; Certe abit ad monumentum, ut illic fleat.*

32 *Maria vero quum veniſſet eo ubi erat IESVS, viſo eo, accidit ad ejus pedes, dicens ei; Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.*

33 *IESVS autem ut vidit eam flentem, & Iudæos, qui una venerant cum ea, flentes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.*

34 *Et dixit; Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei; Domine, veni & vide.*

35 *Lacrymatus eſt IESVS.*

36 *Dixerunt ergo Iudæi; Ecce quomodo amabat eum.*

37 *Quidam autem ex ipſis dixerunt; Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut & iſte non moreretur?*

38 *IESVS ergo rurſum fremens apud ſemetipſum, venit ad monumentum, erat autem ſpelunca, & lapis erat ei impoſitus.*

ANALYSIS.

Narratur reditus Marthæ ad ſuas in Bethania ædes; quæ ſuo adjuncto tempore declaratur, finito ſermone ſeu dialogo cum Chriſto; finis etiam notatur ſui reditus, ut ſororem ad ſe vocaret, quod ſuo adjuncto declaratur, nempe tacite & in ſummo ſilentio. Deinde deſcribitur alio effecto, ſermone ad ſororem, ut ad Chriſtum accederet; ad quod illam cohortatur primum ab adjuncto, loci propinquitate, quod adeſſet, & ab officio nempe quod illam ad ſe vocaret.

Verſ. 29. Cujus effectum eſt, quod illa ad eum profecta eſt; quod ſuo adjuncto feſtinationis amplificatur.

Verſ. 30. Deſcribitur ſubjectum loci, ubi Mariam præſtolatus eſt Chriſtus, & ad quem profecta eſt, primum generalius, extra Bethaniæ vicum; deinde ſpecialius ubi Martha illi obviam facta eſt.

Verſ. 31. Hujus tam feſtinantis profectionis effectum, quod illam inſequebantur non pauci Iudæi: cujus alia cauſa efficiens aſſignatur, quia exiſtimant illam ad ſepulchrum profecturam, ut fratrem lugeret. Comites autem ſuo adjuncto primum, nempe præſentia cum Maria in ædibus, deinde fine illam conſolandi, deſcribuntur.

Verſ. 32. Narratur effectum aliud Mariæ, provolutio ad pedes Ieſu; quod ſuo adjuncto tempore deſcribitur, nempe cum ad illum veniſſet & illum conſpexiſſet: item aliud effectum ſermonis ad

Christum, quo causam narrat mortis fratris, nempe absentiam Iesu ab ejus ædibus, cum vitam expiravit.

Vers. 33. Narratur Christi effectum, fremitus intestinus & animi sui ad dolorem commotio: cujus causæ assignantur fletus Mariæ & comitum ejus.

Vers. 34. Aliud effectum ex eisdem causis, quæstio ubi Lazarum sepelierunt; cujus effectum est invitatio Iesu ut illuc se conferret; quod suo fine indicatur ut videret & visu, ut videtur, ad commiserationem commoveretur ut facilius illum excitaret.

Vers. 35. Effectum visi sepulchri, aut potius fidei eorum tam infirmæ, quod crederent eum nisi præsens esset, mortuum non posse excitare, est, quod illachrymatur.

Vers. 36. Cujus lachrymationis effectum est quorundam Iudæorum admiratio, quod Lazarum tam charum habebat.

Vers. 37. Quæ admiratio ab aliis tanquam injusta refellitur a disparato, quia non impedivit quo minus moreretur; quod etiam porro confirmatur ab adjuncta potentia hoc præstandi; quam potentiam confirmant à pari, quia aperuerat oculos cæcorum.

Vers. 38. Aliud Iesu effectum narratur, fremitus; qui adjuncto tempore amplificatur, nempe quod denuo infremuit: deinde aliud effectum narratur, accessus ad sepulchrum; quod describitur suis partibus cadaveris receptaculo cavo & ejus operculo; quod sua materia indicatur nempe lapide.

METAPHRASIS.

28. *HÆc cum dixisset abiit jussa ut sororem
accerseret: quæ congruenter mandato
Iesu sorori in aurem clam aliis dixit; Præceptor*
29. *prope adest & te, ad se ut venias, vocat. Maria
simulac hæc audivit è vestigio relicto comitatu*
30 *surgit & ad Iesum recta properat. Nondum
vero Iesus Bethaniæ vicum pervenerat, sed eodem
loci substitit, ubi Martha obviam illi
procedens, illum offenderat: forte quod sepulchrum
Lazari (quod de more extra vicum extitit)
non procul abesset. Iudæi autem, qui*
31. *cum Maria in ædibus erant, ut Mariam ex
fratre tristem consolarentur, cum illam vidissent
citato gradu se ex ædibus proripientem, illico
insequuti sunt, dicentes; Sibi in fletu non
satisfaciens, ut porro se ad lachrymandum
provocet, ad fratris sepulchrum profecta
est. Maria vero cum ad locum ubi Iesus sub-*
32. *stitit venisset, simul atque illum aspexisset,
procidens venerabunda ad pedes Iesu, tanquam
Dei in secula benedicti, se abjecit, dicens;
Domine, si hic fuisses, &c. vide supra* vers.
33. 21. *Iesus cum illam lachrimantem videret,
& flentes item Iudæos, qui illi se comites viæ
præbuerunt; spiritu infremuit, indigne ferens
peccati tyrannidem mortem luctus causam afferentem,
& se ad commiserationem humanæ
miseriæ sponte sua proclivem porro excitavit.
Impatiens igitur quodammodo luctus suorum,* 34.
*& ægre ferens lachrymas illos tam abunde
profundere, rogabat ubi demum Lazarum posuerant,
non quod ignoraret, sed ut se illorum
fidei adhuc imbecillæ accomodaret. Cui illi; veni,
inquiunt, & vide, ut propius admotus facilius
illum excites, si qua forte illius excitandi
spes superest, & ut ipso calamitatis aspectu ad
opitulandum accendaris. Iesus partim morte* 35.
*amici commotus, partim vero quod eorum nutantem
& vacillantem fidem perspexisset, lachrymas
profudit. Tum ex Iudæis nonnulli;* 36.
*Advertite, quæso, animum quam illum charum
habuit. Alii autem inique de illo sentientes,* 37.
*priorem sententiam refellere conantes, Iesum
tanquam legis amicitiæ violatorem &
amicum parum fidum insimulant; ut qui hunc
nondum mortuum æque potuerit valetudini
restituere atque cæco oculos aperire. Iesus rur-* 38.
*sus infremens & hanc hominum protervium
indigne ferens, ad monumentum accedit. Erat
autem spelunca cujus aditus seu porta lapide
occlusa & obturata erat.*

PRAXIS.

SUmma, Christus oportunitatem hujus miraculi edendi captans & persequens, visis lugentium lachrymis, se illis in fletu conformat.

Partes { Quæsita oportunitas miraculi edendi. Christi cum sororibus & præficis in fletu conformitas.

Vocat Martha Mariam.] Iussu Christi ut Vers. 28. videtur: novit enim illam tanquam plus æquo lugentē sequuturos Iudæos. Sed cur clam, cū hoc miraculum omnibus innotescere voluit? *Cur Martha sororem vocet, & quidem clam.*

Respondeo: Vt popularis auræ captandæ suspicionem vitaret: nam ut sibi conscius erat se popularem auram non captare; ita operam dedit, ne ulla ejus rei species appareret. In hac oportunitatis consectatione discamus non tantum bene facere, sed omnes loci, temporis, &c. oportunitates & commoditates exquirere, quibus opus nostrum ad ædificationem efficacius esse possit. Mercatores tempus & locum observant unde quæstum faciant, piscatores tranquillam & cæcam noctem, ut pisces captent: qui aliquid à rege petit, observat tempus exporrectæ frontis. *Res in tempore quam bona, Prov.* 15, 20. vide 1 *Sam.* 25.

Hinc item docemur, non satis esse ut nobis bene conscii simus, &c. sed providendum porro quoad fieri potest ut omnis mali suspicio & species vitetur. Vide quam sollicite

Paulus

Paulus pecuniam pauperibus transmittendam curavit. 2 *Cor.*8.& 9. per plures eosque probatos viros, ne quis suum se quæstum quærere suspicaretur. Contra eos qui suspecta loca adire, cum hominibus dubiæ fidei consuescere &c. nihil curare quid alii de se sentiant, modo sibi bene conscii sint, &c. non verentur.

Mos Iudæorum corruptus. Hinc apparet in more fuisse apud Iudæos ut ad sepulchra itarent, ut fletum ac lachrimas provocarent: qui corruptus erat & ab ethnicis tractus: vide *Matth.*9,23. lege vero vetitus, sicut & incisiones capillorum, & barbæ vellicationes, &c. perinde ac si intercute laborantes, salsa comederent ad immodicam bibendi cupidinem provocandam. Natura enim plus satis propensi sumus ad immodicum luctum.

Vers.29, &c. *Vt se gerat Maria à Christo vocata.* Vocata 1. ilico venit, 2. seque ad pedes Christi provolvit, egregium reverentiæ exemplum, in quo Martham superat. In priore redarguuntur qui à Christo euangelica voce vocati, moras nectunt. Non defuerunt Mariæ pulchri prætextus in ædibus permanendi, ut quod inurbanum videri possit, amicos multos qui se consolandi causa tam procul venerant, deserere, &c. Nos quam futiles & putidas excusationes adferimus. Invitati à quopiam ad nuptias, ad festum, deambulationem, incivile ducimus, sic, &c. Maria prudenter vidit oblatam occasionem non esse prætermittendam.

In posteriore observanda est causa, cur Maria religiosius Christum accessit quam Martha: quia scilicet in verbi auditione & meditatione magis versata est. Quo enim quis magis proficit sub præceptore; eo magis eum diliget, observabit, reverebitur, sic, &c.

Notandum, Mariam nihil de suo erga Christum amore & reverentia detraxisse, tametsi rogatus non statim venit ut ægrotum fratrem sanaret. Quod nos admoneat ne ex alicujus rei à nobis ad hujus vitæ commoditatem concupitæ denegatione in amore erga Christum refrigescamus.

In Christi in fletu conformitate notandum { Luctus Christi. / Turbæ de hoc luctu sententiæ.

Vers.33, &c. *Cur fleverit Christus;* In priore notatur causa quæ eum in luctum impulit, intuitus sc. lugentium: eorum luctum jam ante animo perceptum habebat, nunc autem aspiciens, &c. Est ergo magnum adminiculum commiserationis & viscerum aperiendorum, si quis calamitosum intueatur. Vnde sæpe dicitur ne à paupere faciem avertamus. Et hic sensus tenerrimus, quamobrem qui se in calamitosos duros senserint, invisant noscomia, carceres, ptochotropheia, &c. *Flendum cum flentibus. Rom.* 12,15. Nosque in eorum loco substituendi, quasi in carcere, &c. *Heb.* 13,3. Atque hic non difficile erit deprehendere quam non æque ac nos ipsos, proximos diligamus.

Nota, non abhorrere à pietate si quis amicos mortuos lugeat, 1 *Thess.*4. adversus ἀστόργους Stoicos, qui homine Christiano indignum putant, ut, &c. Ad hanc rem proferunt, 1. bene cum amico agi qui ex hac miseria, &c. 2. voluntati Dei gratulandum, 3. luctum illi non prodesse: irrevocabilem esse, &c. Contra considerandum est, Deum nos amicos auferendo castigare; hanc castigationem nos sentire oportere. *Objectio:* Deus Ezech. præcipit ne uxorem defunctam defleret. *cap.*24.*vers.*16. *Respondeo:* Eo documento ostendere voluit, nullos fore reliquos qui mortuos lugerent; aut si qui superstites essent; cura sibi prospiciendi impeditos fore, ne &c. Eoque magis nobis hoc faciendum, quo resurrectionis doctrina jam clarior, &c. Cavendum tamen ne modum excedamus. 1 *Thes.*4. 2 *Sam.*12. Ideo vetitum fidelibus ne carnem inciderent, capillos evellerent, &c. Cavendum ergo ne in imprecationem prorumpamus, in diem quo amicus obiit aut ipsi in lucem editi; ne medicis dira precemur, aut aliis qui mortis occasionem præbuisse videantur, &c.

Luctum à fremitu inchoavit; post lachrymas fundit: dicitur se turbasse, quia collecto aliquantulum ab aliis cogitationibus animo, se ad luctum componebat. *Objectio:* Videtur ergo difficulter lachrymas expressisse. *Respondeo:* eo certe difficilius, quia decretum habebat, Lazarum jam statim excitandum; tamen cum ex præsenti circumstantium mœrore, primo in fremitum, deinde in lachrimas inciderit, singularem ejus in homines, non tantum pios, sed, &c. amorem declaravit: ut est totus quantus est φιλάνθρωπος. Tametsi vero jam à mœrore & lachrymis destitit; eadem tamen commiseratio, & viscera eadem in nos, quæ olim &c. Vt enim olim Aaroni prohibito ne filios in sanctuario formidabiliter consumptos defleret; eadem tamen viscera intus manebant, &c. sic Christū in sanctuario cœlesti jam collocatum tametsi mœror & lachrymæ non decent; tamen eadem commiseratio & viscera perstant, &c. *Fletumque à fremitu inchoarit.*

Vbi posuistis.] Luctu & lachrymis non impeditur ne institutum suum persequatur. Hoc nos admoneat ut ita luctum temperemus ne ad munia obeunda inepti reddamur. Vide *Genes.23.vers.2,3.* Observandum eum hac sui turbatione nihil perturbatum excitasse, ut qui peccati cœni expers fuit.

Veni & vide.] Vestigium produnt delitescentis adhuc infidelitatis; quasi nihil efficere posset, nisi ad sepulchrum venisset. Hæc tamen infidelitas ad miraculi claritatem compendiosissima erat: sic enim rem oculis subjectam magis videbant, & idem illud corpus quod Lazari fuit, animæ restitutum cernebant. Ita Deus res noxias in Ecclesiæ bonum convertere solet.

Vers.36. &c. *Turbæ judicia.* Turbæ judicia sequuntur; quorum prius æquum erat, etsi non omni ex parte rectum & verũ; nempe has lachrymas ex summo in Lazarum amore provenisse. Nam hæ lachrymæ obortæ erant partim ex indignatione in mortem, quæ suum sibi amicum ademerat, ut si quis conspecto amici adversario ilico commovetur & indignatione quadam afficitur. Alterum in Christum contumeliosius. Aut eum impotentiæ arguunt, quasi non possit fecisse ut ipse non moreretur: aut imprudentiæ, qui cum posset, se & illos in hunc luctum incidere passus est. Atque isti proculdubio sibi in ista sua acuta ratiocinatione placebant; cum tamen ea nihil stultius. Morte enim Lazari, quam excitatio insequi debebat, multi ab ignoratione & peccati morte excitati sunt. Caveamus ergo ne de iis quæ à Deo & Christo fiunt parum modeste & reverenter sentiamus; ne rationi aut acumini nostro habenas laxemus.

Secundo *infremit:* videtur loco propius admotus vehementius affectus. Doluit enim Christo paternam providentiam sapientia affluentem tam inique apud homines stultitiæ in simulari. Vers.38.

IOAN. *cap.* 11, *à vers.* 39, *ad* 47.

39 Ait IESVS; Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat; Domine, jam olet: quatuor enim dierum est.

40 Dicit ei IESVS; Nonne dixi tibi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei?

41 Sustulerunt ergo lapidem è loco *ubi mortuus ille fuerat positus. IESVS autem sustulit sursum oculos, & dixit; Pater, gratias ago tibi quod me audieris.*

42 Ego vero sciebam me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem hoc *dixi; ut credant me à te missum esse.*

43 Et quum hæc dixisset, clamavit voce magna; Lazare, adesdum foras.

44 Tum qui fuerat mortuus prodiit pedes & manus vinctus fasciis, vultus autem ejus sudario erat obvinctus. Dicit eis IESVS; Solvite eum, & sinite abire.

45 Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam, & spectarant quæ fecerat IESVS, crediderunt in eum.

46 Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecerat IESVS.

ANALYSIS.

Adjunctum excitationis Lazari è mortuis est amotio lapidis, quam Iesus imperat: cui amotioni tanquam disparatum opponit Martha, quod jam oleret; quod adjuncto temporis confirmat, quia quatriduanus esset.

Vers. 40. Marthæ ad credendum tarditatem Christus perstringit, primum ab adjuncta promissione, quam dedit de excitando fratre: deinde à fine excitationis, nempe gloria Dei.

Vers. 41. Effectum mandati, Iesu de amotione lapidis est obsequium quod præstatur; quod idem effectum est reprehensionis qua Marthæ ὀλιγοπιστίαν perstrinxit: deinde exponitur instrumentalis causa excitationis Lazari, Iesu ad Patrem oratio: In qua adjuncta certitudo obtinendi quod cupit declaratur à specie orationis, nempe gratiarum actione tanquam pro re jam exorata.

Vers. 42. Confirmat se jam obtenturum petitionem à testimonio superioris experientiæ. Deinde finem notat cur precatione usus sit, non quod verbo solo non possit perficere, sed propter circumstantem turbam, ad cujus infirmitatem se dimittit; quod etiam alio fine confirmatur, ut credat turba Iesum à Patre & Spiritu missum.

Vers. 43. Alia causa instrumentalis excitationis, mandatum Iesu ut è spelunca prodeat; quod adjuncta magnitudine vocis amplificatur.

Vers. 44. Effectum hujus vocis, quam comitabatur virtus & potentia Spiritus Christi, est, quod mortuus exiliit è sepulchro; quod amplificatur suo diverso, quamvis esset ligatus cum manibus tum pedibus; item alio diverso, tametsi facies sudario obvolu-

obvoluta esset, ut nisi Dei virtus eximia adfuisset, in spelunca hinc inde palpans oberrasset; deinde veritas resurrectionis comprobatur ejus incessu & ambulatione, quæ est finis cur Iesus illum solvi jubet.

Vers. 45. Aliud effectum excitationis, fides quorundam ex his qui Mariam consolatum Hierosolymis venerant.

Vers. 46. Aliud effectum quorundam ex illis, nempe invidiosa & calumniosa apud Pharisæos Iesu traductio.

METAPHRASIS.

39. *AD monumentum accedens Iesus, ut mortuum esse Lazarum omnes circumstantes intuerentur, lapidem, quo tanquam ostio spelunca occlusa est, amoveri jubet. Tum Martha, verita ne Iesus rem tam arduam aggressus, nec illam effectum dare valens, se & Euangelium probro & ludibrio objiceret, fide vacillans, dicit; Nolim te, Domine, ignorare illum,*
40. *jam quatriduo abhinc defunctum, fœtere. Ad quam Iesus: Mea in hoc negotio virtus non deerit: fides tua culpa desideratur tua. Annon etenim tibi, cum per nuntium aliquot abhinc diebus, tum coram, cum mihi in occursum nuperrime venisti, te, modo credas, ad Dei gloriam fratrem è mortuis excitatum visu-*
41. *ram. Tum illi quibus lapidis amotio imperatur, Martha verbis retardati, hoc Christi responso confirmati lapidem à spelunca devolvunt. Quo facto Iesus sublatis in cœlum oculis, sic precatus est; Pater tanquam in re de qua certus sum quod tu me exaudis, tibi gra-*
42. *tias ago. Neque novum hoc; scio enim me semper abs te exaudiri. Neque vero precibus hanc rem aggredior ac si absque illis hoc opus effectum dare nequeam: sed ideo te comprecor, ut turba hæc me non solum Deum & tibi æqualem, sed & abs te missum, eoque in Mediatoris persona tibi inferiorem cognoscat &*
43. *cognoscendo credat. Quæ cum dixisset magna voce (ut ab omnibus circumsistentibus exaudiretur) clamavit; Lazare, resurgens & foras è sepulchro prodiens, in omnium te conspe-*
44. *ctu siste. Quo dicto, qui mortuus erat è sepulchro exiliit, tametsi manibus & pedibus vinculis sepulchralibus ligatus esset, & porro facie sudario obvolutus, ita ut nisi vocis Christi virtus obstitisset, illi aliquandiu in spelunca oberrare promptum fuisset. Tum ad circumstantes dixit; solvite & expedite illum his vinculis ut in ejus ambulatione liquidius adhuc*
45. *excitati è mortuis testimonium extet. His visis & diligenter & mature expensis, plerique ex illis qui Hierosolymis Mariam consolatum ve-*
46. *nerant, in Iesum crediderunt. Quidam tamen ex illis ad Pharisæos profecti sunt jurati Christi hostes, qui illis hæc omnia renuntiarunt, ut eos in Iesum plus satis infensos porro exulcerarent.*

PRAXIS.

SUmma, Omnibus ad Lazari excitationem apparatis, ejusdem per Christum excitatio admirabilis & explorata, cum diverso ejus fructu, exponitur.

Partes { Apparatus ad Lazari excitationem. Ejusdem, cum diverso ejus fructu, excitatio.

Tollite lapidem.] Poterat quidem verbo lapidem devolvisse, &c. sed rem hanc circumstantibus committit, quo facilius intelligant, Lazarum intuentes, eum prorsus vitæ expertem esse; ne fraudis aliquid subesse suspicarentur, ac si Lazarum vivum sepeliissent. In confirmanda enim fide nostra de resurrectione, omnem fraudis suspicionem vitare necessarium erat. Hinc est quod non subito immoto & infracto lapide exilit; ne quis existimaret præstigio aut incantatione usum fuisse. Quo magis impii sunt in resurrectionem *Pontificii*, qui vel Christi ipsius resurrectionem, in qua nostra fundata est, suspectam reddunt, dum eum, sepulchrum immotum & intactum corpore trajecisse dictitant. Isto porro exemplo docemur ad fratrum commodum in omnibus collimare. Vers 39. *Christus omnem fraudis suspicionem amovet.*

Domine, jam olet.] Christo ad miraculum acceleranti Martha sua infidelitate remoram injicit, nec ei tantum sed & illis quorum opera ad lapidem amovendum usurus erat; quasi dicat, erit hic labor inanis, &c. cave ne aggrediare, ne si non succedat, &c. teipsum irrisioni exponas, &c. Atqui jam ante de Christi potentia probe edocta, & persuasa visa est; sed cum ad rem ventum est, labascit illius fides, &c. Sic fere comparati sumus, ut nobis ipsis in multarum rerum certa fiducia probe stabiliti videamur, qui tamen cū tempus advenerit quo fiduciæ illius periculum capiendum sit, nutamus, &c. Non secus ac tyrones, qui ante visum hostem plurimum sibi confidunt; post, &c. Aut ægroti, qui plurimum pedibus suis confidunt, fore ut deambulent, &c. qui tamen erecti in pedes, vix consistere poterunt. Maxime vero istud usu venire solet in peccatorum remissione; de qua ante tentationem valde confidimus; post vero objecta tentatione spem abjicimus: tum enim nobis in mentem venit nos diu in peccatis hærentes, fætere, &c. Quare diligenter vires nostras exploremus, omnes recessus & *Quem tamen Marthæ infidelitas moratur.*

plicaturas excutiamus, altas radices in nobis agentem infidelitatem accurate expendamus: periculum & tentationem ipsam ita animo effingamus & diligenti commentatione formemus, ac si corporis luminibus rem coram cerneremus; ut cum in quo deficimus deprehenderimus, defectum supplere operam omnem & diligentiam adhibeamus.

Martha quæ summe optabat, sua infidelitate impedit: sic nos sæpe lumen nobis ipsis præcludimus & proprio lumini officimus, ut quod una precationis manu ædificamus, altera hæsitationis & infidelitatis demoliamur; ut nisi Dei misericordia interveniret, & ista obstacula superaret; actum de nobis & votis nostris esset. Hæc infidelitas ex eo contracta est, quod tota sensibus & ratione in mortuum fratris cadaver defixa erat, neutro oculo in Dei potentiam & Christi promissum conjecto. Caveamus ergo, &c.

Vers. 40. *Quam Christus perstringit.* Martha a Christo ob fidei imbecillitatem & nutationem perstringitur quia illi hoc semel atque iterum dixisset. 2 *Cor.* 13,1,2. Quanto igitur infidelitatis reatu tenebimur, qui de una eademque re centies edocti, in illa tamen ad notitiam, aut fidem, aut resipiscentiam non proficimus?

Quæstio: Vbi hoc dictum est? *Respondeo:* primo ad nuntios *vers.* 4. Deinde ad eam ipsam, *vers.* 23,25,26.

Quorsum in hoc miraculo requiratur Marthæ fides. *Si credas.*] Num ergo istud miraculum à Marthæ fide suspensum est? minime; sed docet quo modo hoc miraculum sibi usui futurum est, nempe si credat; quod ni faciat, etsi fratrem redivivum videat; tamen Dei gloriam non visura est. Vnicus enim videndæ gloriæ divinæ oculus fides est: potentia enim Dei, in qua summa ejus gloria resplendet, nisi fide, non cognoscitur. Vt igitur Dei gloriam, & Deum ipsum in sua gloria videamus, hic oculus nobis comparandus est, qui quo clarius cernit, eo magis Dei gloriam penetrabit, nosque in cœlum ad Dei gloriam videndum subvehet: contra qui eo destituuntur, stupidi manent & cæci, tametsi Dei gloriam corporis oculis indies cernant.

Vers. 41. *Quantum noceat scandalum.* Videntur circumstantes ex Marthæ verbis Christi mandato de amoliendo lapide obsequium detrectasse, donec quid respondenit Christus attendissent; ita ut illa duce videantur omnes de Lazari suscitatione hæsitasse. Ex quo videmus quantum malum immisit, si quis, præsertim qui aliquo numero censetur, pravo exemplo præeat cæteris. Væ illi per quem scandala veniunt: præstabit ut mola asinaria, &c. *Matth.* 18. Quod si uni scandalum objicere res sit tam plena periculi, quam grave judicium eos manet, qui uno veluti scandali ictu multos simul vulnerant?

Sequitur Christi oratio ad Patrem, ubi cum singulari fiducia & paternæ erga se propensionis testificatione causam orationis suæ indicat, ut omnes intelligant se à Patre missum cum ejus preces tam illustri exitu ilico excipiendæ essent. *Christi oratio fiduciâ plena.* Gratias Patri agit, quod ab illo exaudiatur, nulla petitione in medium allata; quod arguit eum plenum fidei fuisse, & in certissima πληροφορίᾳ Deum accessisse: tanquam enim pro jam accepto gratias agit: vide an huc referri possit, quod *Iohan.* 6. in miraculo quinque panum dicitur, eum gratias egisse, non petiisse ut panes multiplicentur. Istud sequentibus corroboratur: *sciebam me semper à te audiri*: Admirabilis fidei vis, tam certo nobiscum constituere optatam petitionem nobis obventuram, quam si in manibus haberemus. Vide *Psal.* 56,5. Hæc fides nobis imitanda; vide exemplum Davidis in plerisque *Psalmis*, qui in ipso tentationis gurgite versatus, certo tamen apud se constituit (fretus Dei fide & veritate in servandis promissis) fore aliquando tempus, ut sicut jam querendi & lamentandi, ita post gratias agendi & cantandi argumentum suppeditaretur. Hinc summa animi tranquillitas & patientia in extremis afflictionibus.

Quod si Christus rem hominum judicio arduam, re tamen facillimam aggressus, non nisi à precibus initium sumit: multo magis nos, &c. Si quis rem in se suscipiat, cui par non est, aliorum operam rogat, &c nos igitur qui nihil nisi favente & auxiliante Deo, &c. Oratio manus nostras quasi ambidextras & in quamvis partem versatiles reddit; robustas item efficit, ut vel arcus chalybeus, &c. alas addit quibus omnia impedimenta prætervolare, &c. Nec ulla aptior belli machina, qua aut nostra tueamur aut hostium aggesta diruamus.

Singularem consolationem habet, quod dicit se semper à Patre exaudiri; quandoquidem totum illud ad nos redundat: non enim pro se, sed pro nobis orat. Magno bono ducunt clientes si causidicum nacti fuerint qui apud judicem gratia valeat. Vers. 42. *& consolatione.*

Quorsum Christus oret. Christus precatur; non quod sine precibus

bus non potuisset Lazarum excitare; sed ut intelligerent eum non solum pure Deum & Patri æqualem esse, sed etiam mediatorem à Patre missum,& Patre quodammodo inferiorem. Atque hæc causa fuit, cur emissis sæpius aliquot divinæ naturæ scintillis, reliquum splendorem & coruscantem gloriam sub velo humanæ infirmitatis tegeret,ne illo ineffabili splendore obruerentur potius quam ad salutem ducerentur. Nobis autem preces necessariæ sunt, ut certo constituamus Deum nos auditurum. Quod ipsum majoris momenti est, quam illa ipsa dona fere quæ à Deo accipimus. Nam si beneficia quæ nobis desunt non petita largiatur, dona prius deglutimus, quam ullum beneficentiæ divinæ sensum percipimus;ut qui nihil petentes, nihil nobis ab illo præstandum expectamus: contra cum vota nostra in Dei sinum emiserimus, statim in excubiis sumus, donec,&c. Sicut enim patris in liberos charitas magis illucescit,cum petita à patris manu accipiunt, quam cum ipsi sumunt, aut per servorum manus traduntur, sic, &c.

Hoc nos ad Christum precandum incitat potius quam sanctos. Si quid enim nobis ab illis impetraretur,id Dei erga illos amorem, non erga nos testaretur. *Objectio:* idem de Christo dici potest, beneficia à Deo impetrata per Christum, Dei amorem in Christum, non in nos declarare. *Respondeo:* imo tam arcta nobis est cum Christo conjunctio, ut, &c. *Objectio:* At Sancti defuncti nobis etiam concorpores sunt. *Respondeo:* Arctius tamen vinculum inter nos & Christum,&c. Deinde illud vinculum ex se non consistit, sed ex vinculo conjunctionis cum Christo. Hæc de apparatu.

Sequitur { Excitatio ipsa. / Excitationis fructus.

Vers.43, 44. *Christi fidem statim insequens executio,& geminum in uno miraculum confirmat.* Christi fides omnibus suis numeris absoluta arguitur adjuncto temporis, quod simul ac precatus est, jussit ut prodiret foras, certo constituens preces suas exauditas esse. Hoc à nobis imitandum. Hoc profitemur in voce *Amen*, qua preces nostras terminamus. Qui hæsitat, is certo sciat se nihil accepturum. *Iacob.* 1.

Hic autem duo miracula existunt, 1. quod eum vitæ restituit, 2. quod fasciis manibus pedibusque vinctus,exit. Magnum erat miraculum quod Sampson olim vinculis fortissimis disruptis, &c. sed,&c. ille enim nisi ruptis vinculis se movere non potuit,hic vero, &c. vinctus non modo à communi humani generis fortissimo hoste, morte; sed & sepulchralibus vinculis. Eoque dixit, non surge,ut alibi;sed exi foras, utrumque complectens; ut cæci Iudæi fuerint,qui putarunt eum de cruce descendere non potuisse, qui Lazarum, &c. Notanda causa excitationis, vox Christi, vide in *Iohan. cap.*5, 28. *Venit hora qua omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus, &c.*

Voce magna.]Non quod voce submissiore hoc efficere nequiret, cum vel sola voluntate posset, &c. sed *primo* quod intererat, ut vox Christi ab omnibus circumstantibus audiretur; ut omnes intelligerent rem istam Christi mandato peractam esse: *secundo*, ut Pythonum morem (qui mussitare & murmurare solent) declinaret: *tertio*, ut hoc modo illam vocem adumbraret, qua omnes qui in monumentis sunt,&c. Hoc excitationis instrumentum ante prædixit. *cap.*5,25. Atque si hæc Christi vox ad omnes mortuos directa fuisset; omnes mortui resurrexissent. Sicut enim hæc vox ad cœlos ascendit, ut inde beatum Lazari spiritum ad corpus devocaret; sic & profundissimos inferos penetrasset, ut inde maledictas animas ad sua corpora,&c. Egregia resurrectionis confirmatio, & multum meditanda. Etsi vero à peccati morte tantum excitati; in illa ipsa tamen spirituali excitatione pignus accipimus resurrectionis corporis. Nam ut corporis è morte excitatio spiritualem resurrectionem;sic spiritualis, corporis resurrectionem confirmat. *Cur autem ad id voce magna fit ujus.*

Observa incredibilem verbi divini vim quæ res vocat quæ non sunt tanquam essent. Quod aptissime confertur cum spirituali à morte peccati resurrectione. Tametsi nihil in nobis est; quod non sit ineptum ad salutem nostram promovendam: tamen Deus, qui voce sua vocat, vitam & vires largitur. Atque huc plane spectat hæc Lazari excitatio, ut illam doctrinam quam Iesus supra *vers.*25,26. proposuerat, tanquam appositum sigillum obsignaret. Quo spectat etiam quod *Iohan.*5. à Servatore dicitur:ubi hanc ipsam de spirituali resurrectione doctrinam, corporum resurrectione ultimo illo die futura,confirmavit. Hoc modo etiam Iohannes antiquum obtinet,qui singula miracula, certis quibusdam doctrinis confirmandis adhibeat. *Miraculum hoc apte cum spirituali resurrectione confertur.*

Istud non prius dictum quam factum est: ubi nota admirabilem Christi potentiam, qui *Admirabilis Dei potentia.*

qui eadem facilitate excitat quatriduum & fœtens cadaver, quam eum qui recens obiit: imo quam febricitantem valetudini restituit: ut sciamus perinde esse Deo facile, Abelem qui primus obiit, quam qui pridie diei judicii, &c. item eum qui per totam vitam in sepulchro peccati fœtens occubuit, quam, &c

Non effecit ut sponte sua vincula dissolverentur; verum illa jubet solvi, & quidem non à discipulis, sed a circumstantibus, ut miraculum omnibus exploratius esset, & nodos solvendo rem altius reputarent, & tactu suo miraculum confirmarent. Dei enim miracula palam & in summa luce fiunt, & omnibus exploranda & inspicienda proponuntur: ut enim eximius artifex opus suum non veretur omnium vel oculatissimorum oculis subjicere, quod operis omnibus suis numeris perfecti sibi conscius sit; sic, &c. Contra, *Pontificiorum* miracula in angulis, remotis arbitris fiunt; eoque nullis præter sacrificos & impostores permittunt loca illa accedere, unde portenta sua procudunt.

Excitatio hæc imago spiritualis excitationis è peccatis.

Hæc excitatio corporis mortui imago quædam est animæ è morte peccati excitatæ: quare ut Lazarus excitatus ambulavit, &c. ita & nos in novitate vitæ: alias peccati vinculis ligati sumus; nec quicquam nobis proderit de prima resurrectione (quæ beatam & gloriosam præcedit) gloriari.

Frustra hinc Pontificii purgatorium colligunt.

Pontificii hinc Purgatorium sumunt, de quo vide alias: quibus adde, Lazari animam non fuisse in purgatorio, *Pontificiis* judicibus, qui medios homines inter justos & injustos modo purgatorio adjudicant. Lazarus vero tantopere à Christo adamatus non potest in hoc censu haberi. Deinde hoc modo Iesum accusant violatæ legis amicitiæ, qui Lazarum amicum suum ad Purgatorium locum infiniti cruciatus mandaret. Quod si dicant animam Lazari in lymbo fuisse, tum injuria illi facta est (proprio illorum argumento) qui ex loco quietis; (qualem esse lymbum comminiscuntur) in hanc miseriarum vallem revocatus est.

Miraculi fructus duplex; prior legitimus; *multi credebant:* alter illicitus; *adibant* enim *Pharisæos*, ut eos odio & ita in eum flagrantes, magis incenderent: ita enim ista intelligenda censeo, cum hic fructus priori opponatur. Vers. 45, 46.

Miraculi effecta diversa.

Atque hæc fere Euangelii prædicati conditio est; ut his odor vitæ, illis &c. 2 *Cor.* 2. hos emolliat; illos induret; his oculos aperiat; illis configat. Caveamus ergo, &c. quo modo ad ejus auditionem accedamus, deinde quo modo audiamus. Quod dicit plures credidisse, in eo apparet veritas promissionis Christi, qui ante dixerat Deum Lazari morbo glorificandum. Nam in Christum credere est Deum glorificare *Rom.* 4. Indicatur etiam Patrem dedisse ut crederent plerique in eum, ut in oratione ad Patrem significarat.

In illis qui non credunt notandum fidem non esse omnium; sed Dei donum. Item verum esse illud *Luc.* 16. infideles non credituros, etiamsi aliquis ex mortuis resurgat; si Euangelii prædicatione non credant.

IOAN. *cap.* 11, *à vers.* 47, *ad finem Capit.*

47 Coëgerunt ergo primarii Sacerdotes & Pharisæi concilium, & dicebant; Quid agemus? nam hic homo multa signa edit.

48 Si omittamus eum ita, omnes ei credent: venientque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem.

49 Vnus autem ex ipsis, Cajaphas, Pontifex maximus anni illius, dixit eis; Vos nihil scitis:

50 Nec cogitatis conducere nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.

51 Hoc autem ex semetipso non dixit; sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore ut IESVS pro gente moreretur:

52 Nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum.

53 Ab illo ergo die, consultabant una ut interimerent eum.

54 IESVS ergo palam amplius non ambulabat inter Iudæos: sed abiit illinc in regionem quæ est prope desertum: in urbem quæ dicitur Ephraim: & illic commorabatur cum discipulis suis.

55 Prope

55 *Prope autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione ante Pascha, ut purificarent se.*

56 *Quærebant ergo IESUM, & loquebantur alii cum aliis in templo stantes, Quid videtur vobis? an venturus non est ad festum?*

57 *Dederant autem primarii Sacerdotes, & Pharisæi præceptum, ut si quis nosset ubi esset, indicaret, ut prehenderent eum.*

ANALYSIS.

INdicii, quod malevoli miraculi spectatores fecerunt, effectum est concilium initum adversus Christum; cujus efficiens causa erant primi Sacerdotes & Pharisæi; subjectum vero circa quod concilium initum est, fuit disceptatio, quid facturi essent Iesu; disceptationis hujus causa efficiens erat, quia multa miracula edebat.

Vers. 48. Prior sententia hujus concilii erat, ferendum non esse, ut plura miracula edat; quod arguitur ab effecto, multorum in eum fide; cujus aliud effectum assignatur vastatio templi & Iudaicæ gentis per Romanos.

Vers. 49. Alia sententia concilii proponitur, Iesum morte afficiendum; cujus efficiens principalis est Caiphas; qui suo adjuncto, officio nempe principis Sacerdotum, describitur; & officii depravatio & adulteratio ab adjuncto temporis, nempe quod principatus anno definiebatur: hujus sententiæ adjunctum proponitur, prioris sententiæ aversio; quod confirmatur ab adjuncto, ignoratione eorum qui illius authores fuerunt, quod dubii essent quid facturi essent.

Vers. 50. Item alio adjuncto, quia non reputant rem. Postea proponit suam sententiam, nempe Iesum morte afficiendum: quod confirmat ab adjuncta utilitate quam gens Iudaica percipiet: quod adversi negatione confirmatur, ne tota gens pereat.

Vers. 51. Hujus sententiæ causam efficientem notat Spiritum Sanctū, Spiritum Propheticum: quod diverso confirmat, quia ut Sacerdos illius anni, non ut Caiphas loquutus sit. Deinde videtur hanc sententiam partiri in duas partes. Quorum una Caipham respicit, quatenus sanguinolentus & crudelis erat, altera Sacerdotem, quatenus dicebat Iesu mortem salutarem esse.

Vers. 52. Euangelistæ sententia proponitur, qua à comparatione majoris amplificat Sacerdotis sententiam, Iesum morte afficiendum non tantum pro Iudæis, sed pro omnibus Dei filiis: quod suo fine arguitur, ut dissipati in unum cogantur & coalescant.

Vers. 53. Hujus sententiæ in Concilio definitæ effectum est, quod quærebant Iesum interficere: quod adjuncto tempore declaratur, ab ipso tempore quo hoc in concilio decretum erat.

Vers. 54. Hujus persequutionis effectum est, quod Iesus inter Iudæos occulte versatus sit. Cujus aliud effectum declaratur, quod ad locum desertum se recepit, qui locus suo adjuncto nomine proponitur Ephraim; & suo fine arguitur ut ibi conversaret cum discipulis.

Vers. 55. Narratur quod plures Hierosolymam venerant; quod suo fine declaratur, ut se sanctificarent; quæ sanctificatio & ad urbem confluentia, ab adjuncto tempore arguitur; quia Pascha prope esset.

Vers. 56. Cujus propinquitatis effectum erat, quod quærebant Iesum in urbe Ierosolymorum. Non inventi aliud effectum notatur, nempe disceptatio inter se, cur ad festum non venisset; quæ disceptatio subjecto loco amplificatur, nempe templo.

Vers. 57. Narratur effectum Sacerdotum & Pharisæorum, ut si quis nosset ubi Iesus esset; illis indicaret; quod suo fine indicatur, ut Iesum comprehenderent.

METAPHRASIS.

HOc indicio de Lazaro è mortuis per Iesum excitato commoti Pharisæi, & qui summi Sacerdotis munus obiverant, Concilium cogunt in quo sermones, qui ultra citraque habiti sunt, hi fere sunt, qui sequuntur: 47.
Quid consilii de hoc Iesu capiemus, quandoquidem multa miracula ab illo edi ita palam est ut negari nequeat? Si, ut in edendis miraculis 48.
pergat, permittimus: tota natio fidem illi adjungentes illum in summo pretio habebunt. Quo de Romani res novas nos moliri suspicantes instructa acie ad nos venient, ut urbem, simul cum templo (à cujus ministerio opes simul & dignitas nostra suspensa tenentur) & universa hac gente, penitus evertant. In hoc con- 49.
ciliabulo erat quidam nomine Caiphas, officio summus Sacerdos, qui pecunia & gratia à Romanis obtinuerat ut illo anno summus pontifex crearetur. Qui dixit; video vos omnes, qui dubii estis quid hoc homine faciatis plane insensatos nihil omnino scire. Neque etenim cum 50.
animis vestris collatis rationibus reputatis è re nostra esse, ut unus homo pro totius populi salute morte afficiatur, cum cæteroqum tota natio nostra ad certum exitium rapienda sit. Quam sententiam quoad Caiphas erat & 51.
sanguinolente in Christum affectus, non protulit; sed in summa nocendi voluntate Spiritus Sanctus ita rexit linguam, ut sententiam ferret non indignam amplissima summi Sacerdotis dignitate, quam illo anno exercebat, fore ut Iesu mors in salutem populi & gentis Iudaicæ cederet. Quod autem dixit ne tota seu univer- 52.
sa gens periret, in eo imprudens subindicavit Iesum non pro gente Iudaica tantum mortem obiisse, sed eadem ipsa morte perfecisse ut omnes

Dei Filii ad salutem ordinati ubivis in quacumque gente aut natione quaquaversum dissipati in unum corpus Ecclesiæ, cujus ipse est
53. *caput, cogerentur & coalescerent. Cum igitur de Iesu morte in concilio definivissent, ab eodem ipso tempore consilia sua assidue contulerunt, ut illum è medio tollerent. Quamobrem*
54. *Iesus ut se ad præstitutam, quam non ignorabat, horam reservaret, palam & libere inter Iudæos conversari noluit: eoque ipso inde abiens secessit in locum prope desertum, ad oppidum cui nomen erat Ephraim, hoc consilio ut aliquantisper ibi cum discipulis ageret. Erat au-*
55. *tem prope tunc festum illud Iudæorum quod Pascha dicitur. Ad quod tanquam ad festum inter omnia celeberrimum quamplurimi undique Hierosolymam ascenderunt. Tempus vero Paschatis aliquantulum anticipabant ut defunctis ceremoniis quibusdam in lege Dei mandatis, seipsos ad Paschatis celebrationem præ-*
56. *pararent. Quærebant igitur Iesum, quem iidem ad sanctificandum & se ad Paschatis celebrationem præparandum, festum anticipare velle cogitabant. Quem cum non invenirent, in templo consistentes invicem apud se dicebant: Quid vobis de hujus viri pietate videtur, cum ad festum hoc tam celebre & augu-*
57. *stum non venit? Tardius autem & solito magis sero idcirco venit, quod principes Sacerdotes cum Pharisæis in mandatis dederant, ut si quis ubi esset rescisceret, ilico indicaret, ut illum comprehenderent.*

PRAXIS.

Summa. Concilium Ecclesiasticum initur, in quo consultore summo Sacerdote cum summo cæterorum consensu de Christi interfectione constituitur.

Partes { Deliberatio totius conciliabuli. Sententia summi Sacerdotis, cui assensum est, & quæ executioni mandatur. }

Vers. 47, 48. Eo magis infidelium impietas se exerit, quo magis Dei gloria effulget.

In priore notandum particula illationis *ergo*, qua declaratur Iudæos, præsertim Pharisæos, qui hoc miraculo debebant Christum interius amare, qui gentem suam tantis rebus gestis nobilitaret, hoc miraculo irritatos, vel potius prius irritatos nunc odio in eum flagrasse: splendor enim hujus miraculi adversus quem oculos obvertebant, eorum aciem perstringebat: sonora ejus vox surdiores reddidit; suavissimus ejus odor tanquam non satis bene valentes in deliquium detrusit. Omnino enim ita est, ut pro magnitudine operum Dei, impii ad deterius vergant: sicut enim cadavera tanto odiosius fœtent, quo solis æstus plenius se exerit, ita &c. sic ingenium est impiorum, qui tanto longius à Deo resiliunt, quo ad illos virtute miraculorum propius accedit, tanta enim & tam eximia virtus Christi non apparuit hactenus, quanta in Lazari excitatione se exeruit: neque unquam hostium Christi furor se extulit magis. Quamobrem mœsti & anxii de perfecto Christi ministerio, concilium rogant, ut mature deliberent, de illo interpellando & abrumpendo.

Quidnam in hac consultatione observanda.

Quid agemus?] Propositio hoc concilio ventilanda & agitanda. Cujus rationes sequuntur, *nam multa signa edit*, &c. *Venient*, Romani nempe, zelotypia novi regis commoti, &c.

Observandum *primo*, non debere nos ægre ferre, si in veritatis causam propugnando interdum anxii sumus & consilii expertes, cum idem sæpe veritatis hostibus eveniat; *quid faciemus? Secundo*, fastidium istorum, qui *hunc hominem* appellant, non Iesum aut Prophetam. Vide annotationes in *Iohan.* 7,11. & 9,12,24. & *Luc.* 18,11. *Tertio*, invidiosum eorum animum, qui insinuant multos credidisse, cum tamen pauci respectu multitudinis crediderunt. Vide annotationes in *Iohan.* 3,26. *Quarto*; Agi hic primo loco, non de eo quod sanctum & justum est, sed de eo quod utile; quum, ut cœlum terræ misceatur, & fundamenta terræ tremefiant, quod sanctum est valere debeat. Talis erat Demetrianæ coitionis consultatio. *Actor.* 19, 24, &c. qui quasi triarium militem in postrema acie, argumentum à quæstu statuit, quicquid habet, pro pelle dabit, ut Sathan de Iobo. *Quinto*, Concilium istud Ecclesiasticum, quod scriptura duce tractandum erat, tamen tanquam politicum tractatur. *Sexto*, novum non esse reipublicæ perniciem Euangelii prædicationi tribuere. *Septimo*, stultum eorum consilium, quod illos in illam calamitatem conjecit, quam ipsi extimescebant, & ex qua fides in Christum, quem illi tantopere aversabantur, illos exemisset: Christus enim satis potens erat, qui Romanos facile subjugaret: ἡ κακὴ βουλὴ βουλεύσαντι κακίστη. sic laqueo quem pararunt ipsi irretiti sunt, & existimantes vitam servare, illam perdiderunt; sic dum clypeum parare cogitant, quo, &c. gladium, &c. quo, &c. Cavendum ergo ne vafra carnis consilia admittamus. *Octavo*, ipsos malitiam & invidiã suam occultare, per nomen procurandi reipublicæ commodum.

Sequi-

Sequitur sententia Sacerdotis in qua { Verba Sacerdotis.
Euangelistæ interpretatio, non tam ad mentē Sacerdotis, quam ad veritatem Propheticarum prædictionum accommodata.

Vers. 49, 50. *Sententia summi Sacerdotis crudelissima:*

Sententia Sacerdotis sanguinaria est & in Christum capitalis; nempe è medio insons tollatur, quo reliqui populi saluti consulatur: ac si malum committendum esset, ut inde bonum, &c. aut non esset præstabilius mille mala evenire, quam unum flagitium perpetrari; aut æquum esset ut aliis uvas comedentibus, aliorum dentes obstupefierent: aut Dei ira hujusmodi maleficiis placaretur. Nota *primo*, stupendam istius hominis malitiam, qui umbram Christi gestans, & ob Christi nomen, ad summum dignitatis fastigium evectus, pessime de Christo meritus est, quod sæpe evenit ut propriis Christi armis instructi, impotentius in eum ferantur. Vide illud in Achitophele & Iuda Apostolo. II. Superbiam, qui ita sententiam suam proponit, ut omnem causæ hujus finiendæ peritiam sibi assumat; assessores haud alio loco habens, quam si pecudes essent, &c. *Vos nihil scitis, &c.* Discamus ergo placide & modeste sententiam nostram dicere, ut utilis sententia suaviter enunciata animos aliorum facilius influat. *Sententia commode dicta similis est pomo aureo argento cœlato. Prov.* 25, 11.

Testimonium tamen illustre Christi satisfactioni præbens.

Deus vero ita ejus verba moderatus est, ut per eum, tanquam suum Prophetam, luculentum testimonium de salute per Christi mortem extorserit; quod dignissimum est, quod in Ecclesiæ arca asservetur. Sic olim Baalami linguam moderatus est, ut vel invitus cogeretur populo Israëlitico, quem maledictis configere cupiebat, benedicere. Quanquam iste non magis intelligebat quod dixit, quam Balaami asina. Hominum ergo etiam improbissimorum linguam, utcunque lubricam, Deus ita catenis constringit, ut se pro sua voluntate commovere nequeat: imo ita moderatur ut adversus se pro piis convertat, vibretque tanquam sagittas contrario vento reflexas in eum qui illas ejaculatus est. Quod si impiorum linguas Deus interdum ita regit, ut præclara dogmata enunciant: quanto magis id nobis faciet, si hoc ab illo ardenter petamus.

Vers. 51. *Vera interpretatio & vindiciæ hujus loci.*

Quum esset Pontifex maximus, &c.] Videntur hæc verba causam, cur Prophetam egerit, indicare; nusquam tamen, quod memini, in ordinatissima summi Sacerdotis vocatione, ipse hoc privilegio ornatus est; nisi quod arcana quædam per *Urim & Thummim* aperiret. Existimarim igitur sensum esse, hoc oraculum dignius fuisse quod à summo Sacerdote, quam à scelerato & sanguinario Caipha proficisceretur. Quare futile est quod *Pontificii* hinc astruunt, Papam, tametsi sceleribus coopertum, in iis quæ ad Deum pertinent non posse aliquid falsi dicere: sed veritatem ejus mitræ veluti affixam, &c. Quasi vero Papa cum *Pontifice* legali (cujus vocatio erat à Deo) esset conferendus. Deinde si vocatio ejus esset licita, & cum summi Sacerdotis vocatione conferenda, tamen Vrias summus Sacerdos Achasi tempore, falsum cultum Damascenum introduxit. Deinde Deus renuit mentem suam Eli Sacerdoti aperire; potius Samueli puero, &c. Denique quis ignorat scriptis traditum esse à *Pontificiis* amanuensibus, Papam hunc Arrianum fuisse; illum negasse immortalitatem animæ, &c.

Cujus sensus sane præclarus.

Sententia vero ipsa longe præclarissima est, *expedire* scilicet, &c. Quod operum justificationem confutat. *Galat.* 2, 21. Nam 1. opera nostra postquam Spiritu Sancto imbuti sumus, imperfecta sunt; 2. sæpius peccatis interpolata; 3. si legem impleremus, tamen nisi corruptio nobis connata expiaretur, &c. *Objectio:* At istud videtur injustum, ac proinde non expedire, ut innoxius delinquentium pœnam subiret. *Respondeo:* Aliud est cum insons pro sonte ad supplicium rapitur; aliud cum se sponte sua vadem constituit; illud iniquum, hoc justum & humanum. 2. Fide-jussorem se constituit qui prædives est, ut debitum dissolvat, quod debitor non poterat. Quod si Mosi & Paulo laudi datur, quod vitam æternam parati erant pro Iudæis exponere, qui tamen æternam damnationem superare non possent: nedum hoc Christo honorificum. Et si Aquilæ & Priscillæ perpetuæ laudi datur quod Pauli vitam sua morte redimere parati erant, nedum, &c.

Quæstio: At quo modo unius mors pro tanta hominum infinitate satisfaciat? *Respondeo:* Pœnæ quas Christus luebat infinitæ erant, justitia item quam præstitit infinita, cum ipse Deus erat: inter homines unius vita cum multorum vitis comparatur; ut Davidis, cum dimidio exercitu. 2 *Sam.* 18, 3. nedum vita Christi qui idem Deus est, &c. Quod si Adæ peccatum tam potens erat, ut omnem suam posteritatem ream constitueret; nedum Christi obedientia, &c. *Rom.* 5.

Verſ. 52. *Euangeliſtæ verborum Caiphæ interpretatio.* *Tota gens.* Non *noſtra gens.* Hinc videtur Euangeliſta concludere gentes etiam ſub hoc vaticinio comprehenſos eſſe. Cum vero Gentibus, quæ natura peccatores naſcebantur, eadem ſalus erat in Chriſto quæ Iudæis, natura filiis fœderis; palam eſt inchoatam juſtitiam nihil ad juſtificationem conferre. Iudæi enim in quibus Dei timor obtinuerat, fide perinde juſtificantur, ac Gentes. Hic locus aptiſſimus eſt ad refellendum errorem de univerſali gratia, & de Chriſti pro omnibus indiſcriminatim perpeſſione. Vide *Heb.* 9,14. & 10,10,14.

Verſ. 53. *Concilii levitas & pervicacia.* *Notanda* levitas aſſeſſorum, qui tam cito in tam barbaram Caiphæ ſententiam pedibus iverunt: cavendum ergo ne ullius ſplendor aut authoritas nos abripiat, &c. Nec tamen eorum, qui præſtant, ſententiæ temere rejiciendæ ſunt; ſed prudenter expendendæ. *Notanda* etiam eorum pervicacia, qui tam impium decretum exſecutioni dare, &c. Ac ſi decretum Medorum & Perſarum eſſet, quod mutari non poſſet: etſi fieri non poſſit, quin conſcientiæ ſtimulis urgerentur. Quamobrem ſi quid impie patraverimus, videndum ut quam mature pedem inhibeamus.

Concilia univerſalia poſſunt errare; erat hoc generale concilium nempe ex primoribus unicæ Eccleſiæ Iudæorum conflatum. Precantur in concilio congregato, *Dimitte nobis debita, &c.* quod frigidum eſſet, niſi, &c. Huc accedit, quod concilia priora ſæpe à poſterioribus emendata ſunt; interdum etiam penitus refixa.

Verſ. 54. *Chriſtus concilii decretum cognoſcit:* Etſi iſtud concilii decretum Chriſto non eſt renunciatum; tamen perſpexit, &c. ut olim *Elizæus Syrorum arcana* quæ in ſecretiſſimis locis conſulta ſunt, retexit: ſic Elizæi dominus multo magis. Aves cœli retegent conſilium adverſus regem initum, nedum adverſus regem regum, &c. Singulare ſolatium nobis talem conſiliarium a Deo Patre datum eſſe, qui, &c. felix Reſpublica, quæ talem conſiliarium ſortita eſt, qui ſua ſolertia & prudentia omnia hoſtium conſilia explorare poſſit, &c. nedum Reſpub. Chriſtiana, &c.

Et vitæ ſuæ conſulit. *Seceſſit in deſertum.*] Nempe ut vitæ conſuleret, quoad tempus præfinitum, &c. Hoc nobis licet: modo vocationem non deſeramus. Ex deſerto mature rediit, quod tempus ſuum appropinquaret, Diſcipulos ſecum traduxit, ut eos in veritate ſumma cura informaret, quorum miniſterio totum terrarum orbem fermentaturus erat. *Nota*, *deſerta* appellari ubi erant rara oppida; contra *Pontificios*, qui ex Iohannis in deſerto converſatione eremitarum & monachorum ordinem confirmant.

Verſ. 55, &c. *A Iudæis quæritur.* *Paſcha Iudæorum.*] Sic dictum videtur, potius quam Paſcha Dei, quia Iudæi diem in lege præſtitutum mutarant.

Vt purificarent ſe.] *Nota*, quanta cum veneratione & religioſa cautione ad cœnam Domini nos comparare debemus. 1 *Cor.* 11. *probet ſe homo, &c.* ut aurum ad ignem aut lydium lapidem probatur. Vide quo modo Davidis ſervi purificandi erant antequam panem propoſitionis, &c.

Quærebant eum (1. *effectus*) quod eum præſentem fore putabant ut ſe purificaret, etſi enim puriſſimus erat; tamen ut legi obediret, &c. Hanc ceremoniam cum vitæ periculo conjunctam omiſit. Sic David in panibus propoſitionis & diſcipuli in confricatione ſpicarum. *Alter effectus* notatur, iſtorum perverſitas, qui cum ſe ad paſcha comparare debebant, ſe ſanguine innoxio polluere non dubitabant. Interim externam purificationem curioſius obſervabant, ſic *Matth. Non ibant in prætoriam, ne pollueerentur*. De iſto cultu vide *Eſai.* 66,3.

IOHAN. *cap.* 12, *à verſ.* 1, *ad* 12.

IESVS *ergo ſex ante Paſcha diebus venit in Bethaniam, ubi erat Lazarus ille qui fuerat mortuus, quem ſuſcitaverat ex mortuis.*

2 *Fecerunt igitur ei cœnam iſtic, & Martha miniſtrabat: Lazarus autem unus erat ex iis qui ſimul diſcumbebant cum eo.*

3 *Maria vero accepta libra unguenti nardi liquidæ multi pretii, unxit pedes IESV, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: domus autem impleta eſt odore unguenti.*

4 *Dixit ergo quidam ex diſcipulis ejus*, nempe *Iudas Simonis* filius, *Iſcariotes, qui erat eum proditurus;*

5 *Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis & datum eſt pauperibus?*

6 *Dixit*

6 *Dixit autem hoc, non quod pauperum ipsi cura esset, sed quia fur erat, & marsupium habebat, & ea quæ immittebantur portabat.*

7 *Dixit ergo IESVS; Omitte eam, in diem funerationis meæ asservavit illud.*

8 *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me vero non semper habebitis.*

9 *Cognovit ergo turba multa ex Iudæis eum illic esse: & venerunt non propter IESVM tantum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem excitarat à mortuis.*

10 *Consultarunt autem primarii Sacerdotes, ut Lazarum etiam interimerent:*

11 *Quia multi ex Iudæis propter eum abibant, & credebant in IESVM.*

ANALYSIS.

REditus Iesu ex deserto describitur à subjecto loco, ad quem venit, Bethania; quæ describitur suo adjuncto, nempe Lazaro; qui etiam describitur ab adjuncto, excitatione e mortuis: item reditus ejus describitur ab adjuncto tempore, sex dies ante Pascha.

Vers. 2. Aliud adjunctum adventus sui est, quod cœna illi instructa erat: cujus cœnæ adjuncta proponuntur; primum quod Martha ministrabat; deinde aliud adjunctum est, quod Lazarus mensæ accumbebat.

Vers. 3. Tertium est, quod Maria libram unguenti attulit, quod unguentum suo adjuncto declaratur, liquiditatis, & altero nempe precii magni; item suo fine, ut pedes Iesu ungeret: deinde effectum Mariæ indicatur, quod pedes Iesu extergebat; cujus extersionis efficiens instrumentalis erat capillitium Mariæ. Deinde effectum unguenti effusi declaratur, quod totam domum complevit fragrans ejus odor.

Vers. 4. Hujus effusi unguenti adjunctum narratur, obmurmuratio; cujus causa assignatur Iudas; qui describitur effecto, nempe quod Iesum traditurus erat.

Vers. 5. Hanc autem effusionem conatur traducere à disparato, quia vendi potuit, 300. denariis; cujus finis notatur, ut pauperibus distribuatur.

Vers. 6. Euangelista hanc larvam illi adimit à disparato fine, ad quem Iudas unguentum destinare voluit, nempe ut ad suum proprium quæstum argentum converteret; quod ab adjuncta commoditate & opportunitate argentum intervertendi confirmat, quia præfectus est Christi ærario seu Ecclesiastico thesauro.

Vers. 7. Effectum hujus murmurationis est mandatum Iesu, ne illi molestiam facessere pergat; quod confirmat ab adjuncta opportunitate temporis, quo hunc sumptum fecit, nempe paulo ante sepulturam suam.

Vers. 8. Aliud argumentum quo refellit prætextum sublevandorum pauperum, quem Iudas opposuit, ab adjuncta commoditate pauperibus opitulandi omni tempore; deinde ab adjuncto, inhabilitate gratificandi Christo, nisi illud in præsentiarum præstarent.

Vers. 9. Aliud adjunctum adventus Iesus ad Bethaniam, nempe quod evulgatum erat Iesum ibi esse; cujus effectum est quod plures Iudæi illuc venirent; quorum adventus finis est propter Iesum; quod comparatione majoris amplificatur, non tantum Iesus causa, sed ut viderent Lazarum; cujus videndi desiderii causa assignatur, quod Iesus eum è mortuis excitarat.

Vers. 10. Hujus ob hunc finem concursus Iudæorum effectum erat concilium coactum, ut Lazarum interficerent.

Vers. 11. Cujus decreti in Concilio causa efficiens assignatur, quod multi Iudæi mediante hac Lazari excitatione, in Iesum credebant.

METAPHRASIS.

IEsus ut festo Paschatis ad obsequium Patri 1.
præstandum, interesset, ex Deserto, sex dies
ante festum Paschatis, Bethaniam rediit, ubi
Lazarus erat quem è mortuis excitaverat:
hoc consilio, ut cum his, quorum consuetudine
& colloquio oblectabatur, aliquantisper recreatus, se ipsum ad mortem acerbissimam subeundam compararet. Quamobrem familia il- 2.
la, nempe Lazarus & sororum par, ut suam
de accepto tam illustri beneficio gratitudinem
testarentur, cœnam illi instruunt, in qua, Martha ministrante, Lazarus una cum Iesu men-
sa accumbebat. Maria vero ne suum aliquod 3.
in Iesum officium desideraretur, accepta unguenti liquidi ex nardo confecti idque valde
pretiosi, libra, ad pedes Iesu advoluta, eosdem
primum lotos suo mollissimo & delicatissimo
capillitio extersit, effuso autem & nonnihil ad
pedes Iesu affricato unguento gratissimus &
suaveolentissimus ejus odor totam domum
complens, convivas omnes exhilaravit. Sed ex 4.
propriis discipulis unus, cui nomen erat Iudas
filius Simonis, Iscariotes, qui eum traditurus
erat, huic Iesu gaudio remoram injecit, dicens:
Quorsum hæc donorum Dei inanis profusio? 5.
nonne potuit hoc tam pretiosum unguentum
300. denariis vendi; qua pecunia ad usum
pauperum collata, multi necessario victu &
corporis cultu destituti, pasti simul & vestiti
fuissent. Quod tamen dixit non quod (ut ob- 6.
tendebat) pauperum cura illi fuit, sed quod
pecuniam hanc ad suum usum convertere cogitarat, arrepta inde opportunitate, quod mar-
supio præfuit, & in Iesum ad se & suos alendum collata, asservanda circumgestavit. Ad 7.

 quem

quem Iesus, conscius doloris animi quem ex hoc dicto Maria conceperat. Mitte illam porro mœrore afficere: quandoquidem hoc quo me perunxit unguento, funerationis meæ, infra paucos dies insequitur, simulachrum ita ob oculos omnium spectatorum proposuit, ac si data opera & consulto hoc unguentum ad hoc
8. *usque tempus reservasse videatur. Quod autem pauperum subventio, huic quod mihi præstatur officio, tanquam obstaculum objicitur, inane & vanum est; cum pauperes quibus subveniatis & in quos beneficentiam exerceatis nunquam defuturi sint: quam nisi mihi inpræsentiarum exhibeatis, deinceps illam te-*
9. *standi potestas omnis adempta erit. Cum autem magna Iudæorum turba Iesum Bethaniæ fuisse rescivisset, illuc ad Iesum accurrerunt. Tametsi non Iesu solius ergo hoc fecerunt, sed ut Lazarum intuerentur, quem Iesus è mor-*
10. *tuis excitarat. Quo de principes Sacerdotum consilium inierunt, ut ipsum etiam Lazarum*
11. *interficerent: Non alia subjecta causa, nisi quod ob miraculum, in illius è mortuis excitatione editum, plerique ex Iudæis ab illis deficientes, in Iesum crediderunt.*

PRAXIS.

SVmma. Christus ab insidiis liberatus hospitio exceptus in Bethania ab illis fide agnoscitur.

Partes sunt de { Hospitio Christi in Bethania. Ejus fructu.

In convivii structura proponũtur { Horum benevolus animus. Illorum malevolentia & indignatio.

Vers. 1. *Cur Christus Bethaniam diverterit.* Institutum Christi apud Bethaniam divertendi, fuit partim ut alios qui ad fidem spectabant hoc modo colligeret; partim ut se adversus ingruentem mortis tempestatem confirmaret, seque consuetudine eorum quos maxime charos habebat, recrearet. Hoc nobis imitandum tempore mœroris. Vide præceptum Bathsebæ. *Prov.* 31, 6. *Da vinum afflictis.* Vide exemplum Davidis, qui adversus mærorem ex filii morte convivium solito lautius sibi parari jussit, cum unguentis conjunctum. Neque vero statuamus angores his externis præsidiis depelli, nisi &c. videntur quidem mærores ad tempus lenire, sed recurrunt, &c. Vt gelida aqua in febri res grata est ad tempus, &c.

Nota admirabilem Christi φιλανθρωπίαν, qui cum peccatoribus consuescit, & convivatur, idque in summis delitiis habet. Quam enim oblectationem vir sapientissimus & nobilissimus in consortio morionis, & bajuli sordidissimi, &c. Atqui majus est discrimen inter nos & Christum, quam, &c. Hinc constat eos qui se amant mutuo, cupere etiam una cœnitare, & sermones una habere. Si ergo Christus nobis gratus & exoptatus est; certe cum eo cœnare, & sermones habere cupiemus.

Fecerunt ei cœnam, &c.] Quisque ut se aut magno bono auctum aut magno malo liberatum sentit; ita se ad singularia in Deum officia obstringit. Cui multum datur aut condonatur, is multum debet; & ejus dilectionis fructus eximius esse debet. Agricola ex illa arbore fructum preciosissimum expectat, in qua maxime elaboravit. Herus pro discrimine stipendii quod servis pendit, &c. Contra tamen fit ut qui Christo melius habiti sunt; in eum magis sunt quam cæteri immemores. Plerique sunt qui se aliis magis divites, nobiles, ingeniosos putant; qui tamen, &c. vt equus saginatus excutit sessorem; sic &c. quod certe in collatione pecuniæ in ærarium Ecclesiasticum cernitur, ubi ut quisque ditissimus, eo minus, &c. ut cujusque jumenta pinguiora, eo macilentius sacrificium, quo copiosior messis, eo primitiæ & decimæ tenuiores. Vide *Mal.* 1, 14. *maledictus machinator, qui cum masculum habeat, &c.* Vers. 2, 3. *Lazari sororumque in Christum officia:*

Martha ministravit, Maria unxit pedes, &c.] Vtraq; Christo grata faciendo imcumbit, Maria vero sororem superat, sicut ante *cap.* 11. ad Christi pedes se abjicit, majori reverentia, &c. ut quæ ad ministerium omnium contemptissimum se abjecit, & sumptu magno, &c. Hujus rei causam aliunde petas; nempe quod in audiendo verbo magis sedula fuisset. *Vnguentum lectissimum & pretiosissimum.*] Sicut enim Abel ex pinguissimis pecudibus, &c. sic ista. Curandum ergo Christo convivium exquisitissimum paremus, ut sit quod oculos, quod gustum, quod odoratum delectet: ut ei per omnia placeamus *Col.* 1, 10. non in hoc aut illo tantum. Neque hic ullius offensio reformidanda: poterat enim Maria vereri ne istud Marthæ non placeret, quod, &c. *Vbi tamen Mariæ studium eminet; & quæ ejus causa.*

Vers. 4, &c. *Iudas Mariæ officium interpellat:* Christo se exhilarare cupienti Iudas ejus gaudium impedit & doloris materiem ministrat. Ne igitur nos pigeat in summa rerum prosperitate aliquod gaudii obstaculum persentiscere.

Iudas ingenio vafer ad turpissimum scelus palliandum speciosam rationem excogitavit, sed Spiritus Sanctus hypocrisis pallium ei de-

ei detraxit, &c. eumque piis omnibus exosum reddidit. Non est ego quod quisquam ad peccandum audacior sit fiducia occultandi sceleris. Quod in aure & penitiore cubiculo loquuti sunt, id in fastigiis tectorum; quod noctu fecerunt, id meridie revelabitur. *Nota* fures esse qui pecuniam suæ fidei creditam ad alios usus, quam quibus destinata est, transferunt. Quod si grave sit ab homine mortali *fur appellari*; nedum à Deo præpotenti.

Vers.7. *Quod Christus defendit.* Christus horum conscius tum se tum Mariam defendit, &c. *omitte eam.* Hanc vocem à Christo emissam putemus nobis omnibus dictam, si quando bene operantibus moram injicimus. *Nota* fieri aliquando ut qui in Ecclesia rerum potiantur, rem non modo legitimam, sed etiam summa laude dignam, improbent. Sed unius Christi in verbo approbatio omnibus eorum præjudiciis anteponenda. Erit aliquando tempus cum justitia nostra in apertum proferatur.

In diem funerationis nostræ.] Quasi dicat, non poteritis mihi justa funeris consueta denegare: atque hoc unguentum corpus meum mox sepeliendum cupit. Sicut enim illa effracto alabastro unguentum odore gratissimum effudit: sic ego mox effracto corporis mei alabastro suavissimum sanguinis & animæ meæ unguentum, &c. Christus hac ratione utitur, ut discipulos mortis suæ jam appropinquantis admoneret, cujus mentionem ipsi adeo aversabantur.

Vt Lazarum viderent quem, &c.] Hoc ex curiositate provenisse videtur, ut ex illo quis futurus sit status mortuorum expiscarent; sed frustra, cum Lazarus in corpus morti adhuc obnoxium, &c. non posset, &c. Vide 2 *Corinth. cap.*12, *vers.*4. ubi Paulus in cœlum raptus audivit verba quæ non potuit fari. Vers.9. *Populi curiositas.*

Consultarunt autem, &c.] Insignis autem erat perversitas Lazarum odisse quod per eum multi crediderunt. Eoque magis quod jam ante mortuus reviviscebat.

LVC. *cap.*19, *à vers.* 29, *ad* 41.

29 Et factum est quum appropinquasset Betphagæ & Bethaniæ, ad montem qui vocatur Olearum, misit duos è discipulis suis.

30 Dicens; Abite in vicum qui est ex adverso: in quo introeuntes invenietis pullum alligatum, cui nullus unquam hominum insedit: solutum eum adducite.

31 Et si quis vos interrogaverit; Quare solvitis? sic dicetis ei; Quoniam eo opus est Domino.

32 Profecti autem qui missi erant, invenerunt prout eis dixerat.

33 Solventibus autem ipsis pullum, dixerunt eis Domini ejus; Quare solvitis pullum?

34 Ipsi vero dixerunt; Quoniam eo opus est Domino.

35 Duxerunt igitur eum ad IESVM; Et palliis suis pullo injectis, imposuerunt IESVM.

36 Eunte autem ipso, substernebant pallia sua in via.

37 Et quum jam appropinquaret ad descensum montis Olearum, cœpit omnis multitudo discipulorum gaudentium laudare Deum voce magna de omnibus quas viderant virtutibus.

38 Dicentes; Benedictus rex ille qui venit in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in locis *altissimis.*

39 Et aliqui Pharisæorum è turba dixerunt ei; Magister, objurga discipulos tuos.

40 Ipse vero respondens dixit eis; Dico vobis, si siluerint illi, mox lapides clamaturos.

MATTH. *cap.* 21, *vers.* 1, *ad* 10.

E*T quum appropinquassent Hierosolymis, & venissent Beth-phagen ad montem Olearum, tunc IESVS misit duos discipulos.*

2 Dicens

2 Dicens eis; Ite in vicum qui vobis est ex adverso, & statim invenietis asinam
ligatam & pullum cum ea: solventes eos adducite mihi.
3 Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite; Domino his opus est: statim autem mit-
tet eos.
4 Hoc autem totum factum est ut impleretur quod dictum est per Prophetam,
dicentem;
5 Dicite Filiæ Sion; Ecce, rex tuus venit tibi mitis, & insidens asinæ, ac pullo fœ-
tui subjugis asinæ.
6 Profecti autem sunt discipuli, feceruntque sicut imperarat eis Iesus;
7 Et adduxerunt asinam & pullum, & eis imposuerunt vestimenta sua, & collo-
carunt ipsum super ea.
8 Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii vero cædebant ra-
mos ex arboribus, & sternebant in via:
9 Porro turba, quæ præibat & quæ sequebatur, clamabat, dicens; Hosanna Filio
David: benedictus qui venit in nomine Domini; Hosanna ô qui es in cœlis altis-
simis.

MARC. cap. 11, à vers. 1, ad 11.

QVum autem appropinquarent Hierosolymis ad Betphpage & Bethaniam apud
montem Olearum, misit duos è discipulis suis.
2 Et dicit eis; Abite in vicum qui vobis est ex adverso: & statim ut ingredie-
mini in eum, invenietis pullum ligatum, in quo nullus hominum sedit: solvite eum &
adducite.
3 Quod si quis vobis dixerit; Cur hoc facitis? dicite; quoniam eo opus est Domi-
no: & eum statum huc mittet.
4 Abierunt igitur & invenerunt pullum ligatum ad ostium foris in bivio: & sol-
verunt eum.
5 Tunc quidam eorum qui illic adstabant, dixerunt eis; Quid facitis, qui solvitis
pullum?
6 Ipsi vero dixerunt eis prout mandarat IESVS: & illi dimiserunt eos.
7 Adduxerunt igitur pullum ad IESVM, & injecerunt ei pallia sua, & insedit ei.
8 Multi vero pallia sua straverunt per viam: alii autem frondes cædebant ex ar-
boribus, & sternebant in viam.
9 Et qui præibant, quique sequebantur, clamabant, dicentes; Hosanna, benedictus
qui venit in nomine Domini.
10 Benedictum regnum Patris nostri David, quod venit in nomine Domini; Ho-
sanna ô qui es in cœlis altissimis.

IOHAN. cap. 12. à vers. 12, ad 20.

12 Postero die turba multa quæ venerat ad diem festum, quum audissent IESVM
venire Hierosolymam.
13 Acceperunt ramos palmarum, & prodierunt ei obviam, & clamabant; Ho-
sanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex ille Israëlis.
14 Nactus autem IESVS asellum, insedit ei; sicut scriptum est;
15 Ne metue Filia Sionis: ecce, Rex ille tuus venit, insidens pullo asinæ.
16 Hæc autem non cognoverunt discipuli ejus primo: sed quum glorificatus esset
IESVS,

IESVS, tunc recordati sunt hæc esse scripta de eo, & sese hæc illi præstitisse.

17 Testabatur vero turba quæ erat cum eo, quod Lazarum vocasset e monumento, & suscitasset eum ex mortuis.

18 Propterea etiam occurrit ei turba, quia audierat eum edidisse hoc signum.

19 Pharisæi ergo dixerunt inter se; Videtisne nos nihil proficere? ecce, mundus eum sequutus est.

ANALYSIS.

Mittit duos Discipulos suos; quæ missio declaratur adjuncto tempore, cum venisset ad montem olivarum; qui describitur adjuncto, vicinitate Bethphage & Bethaniæ.

Vers. 30. Deinde describitur à subjecto loco, in quem illos misit, vicum qui ex adverso eorum erat: deinde notantur duo effecta Christi; alterum est prædictio, quid illis eveniet in hac legatione; alterum est mandatum Christi, quid faciant discipuli: item ab effecto, nempe quod invenient pullum; qui suo adjuncto notatur, nempe alligationis: deinde altero adjuncto, quod sessorem numquam admisit; & ab efficiente, asina; quæ suo adjuncto describitur, nempe quæ jugo assueta erat: quæ suo fine describitur, nempe quæ jugo assueta erat: quæ suo fine describantur, ut solvant pullum, & illum adducant.

Vers. 31. Describitur porro hæc legatio à relatis, quæstione Domini seu possessoris cur solvant pullum, & responso discipulorum, nempe Dominum eo opus habere. Cujus effectum est, quod dimittit pullum.

MATTH. 4. Finis totius hujus legationis, ut per Prophetam prædictum impleretur.

Vers. 5. Forma Prophetiæ proponitur, qua jubetur Propheta Ecclesiæ prædicere & eam consolari ab adjuncta mansuetudine Regis; quæ suo effecto arguitur, quod pullo asinæ insidens veniat.

LVC. 32, 33, 34. Effectum mandati Christi, obsequium discipulorum; prædictionis Christi effectum est, quod omnia, prout prædixit Christus, invenerunt.

Vers. 35. Effectum discipulorum, nempe quod pullum vestibus suis instraverant; alterum quod Christum pullo imposuerunt.

Vers. 36 Comitatus Christi effectum narratur, quod substernebant sua vestimenta in via ubi Christo inequitandum fuit.

Vers. 37. Aliud effectum narratur, nempe quod laudabant Deum; materia subjecta laudis erant præclara Christi miracula: adjunctum laudis erat gaudium animi; efficiens instrumentalis vox, quæ sua adjuncta magnitudine amplificatur; & adjuncto tempore, cum scilicet ad descensum montis pœne pervenissent.

Vers. 38. Forma gratiarum actionis describitur; ubi Iesus describitur ab adjuncta benedictione, qua benedicendus est: deinde a relato regiæ potestatis; quæ suo efficiente declaratur, nempe quod authoritate Dei instructus venit: cujus adventus effectum est, quod pax sit in cœlis; cujus pacis in cœlis conciliatæ effectum est, quod gloria Deo tribuenda sit.

Vers. 39. Huius populi acclamationis effectum est, quod Pharisæi quidam rogabant ut Iesus silentium populo acclamanti injungeret.

Vers. 40. Cujus petitionis effectum est responsio Christi ex connexo axiomate, lapides laudem suam prædicaturos si populus taceret; argumentum est à disparatis.

METAPHRASIS.

Exacta cœna & nocte ibi ubi cœnatum est LVC. 29
transacta, cum postero die prope Bethphage
& Bethaniam veniret, qui vici ad montem
Olivarum siti sunt, duos ex discipulis suis Ie-
sus misit. Ad quos dixit; Abite ad vicum qui 30.
ex adverso est, quem cum ingressi estis, ilico
pullum invenietis alligatum, qui nunquam
sessorem admisit, eundem prius solutum huc
ad me adducite. Non ignoro vos interrogatos 31.
iri; quorsum aut quo jure jumentum solvitis?
sed perinde novi ilico acquieturos vobis, simul
ac me omnium Dominum eo opus habere re-
sponderitis. Quæ legatio tametsi in speciem lu- MATT. 4.
dicra videri possit, maximi tamen momenti
existit: cum hoc pacto impletum sit, quod per
Prophetam Zachariam prædictum est. Pro- 5.
pheta enim cum regiam Christi potentiam
tam in fundendis hostibus, quam in Ecclesia
conservanda proposuisset, ne illud externo belli
apparatu confectum iri fidelibus in mentem
veniret, subjungit: Dicite ô vos, quorum partes
sunt Evangelium annuntiare Ecclesiæ, quæ in
incolis Sionis præfiguratur, maximam ad tuam
animi consolationem animum advertite, regem
tuum mansuetum & accessu facilem ad te ve-
nire. Cujus rei indubitatum testimonium est,
quod venit insidens pullo, qui fœtus est asinæ
ejusque quæ jugo assueta est. Abeuntes autem 32.
qui missi erant, prorsus, ut prædictum est,
omnia sic se habere experimento compererunt.
Invenerunt etenim pullum alligatum ad por- MARC. 4.
tam foris in bivio, eumque solvunt. Sed dum 33.
solverent quidam qui adstabant, ad quos jus
pulli spectabat, ad legatos dicunt: Quid hoc
est quod pullum, qui vester non est, & in quem
nihil juris vobis, solvitis. Ad quos illi: Est & 34.
alius hujus jumenti dominus, ut qui est totius
orbis hæres qui eo opus habet. Quo dicto ilico 35.
solutum pullum ad Iesum adduxerunt, cui

 pri-

postquam vestes suas instravissent, Iesum imponebant.
36. *Quamobrem Iesu inequitante & Hierosolymam versus proficiscente, plerique qui Hierosolyma Paschatis causa venerant, urbe egressi & illi obviam prodeuntes, vestimenta honoris causa illi in via substernebant.*
MARC.8. *Alii frondes & ramos palmarum succidentes*
37. *illis viam sternebant. Cum autem ad descen-*
MATTH.9 *sum montis Olivarum appropinquasset, tota multitudo discipulorum, atque adeo turba, cum qui pracedebant, tum qui subsequebantur, cœperunt latis & intentis vocibus Deum laudare de omnibus, qua viderunt, Iesu insi-*
38. *gnibus miraculis. Verba autem gratiarum actionis & laudis sic fere erant: O te terque quaterque beatum, regni qui authoritate ad nos instructus venis! Quandoquidem hujus regis ad nos interventu in celsissimis cœlorum locis hominibus cum Deo stabilita pace, gloria ob eam ipsam causam Deo summis in cœlis*
Marc.10. *habitanti jure optimo debetur. O terque quaterque beatum regnum etiam illud tuum quod Dei nomine & authoritate Patris Domini nostri Iesu, vere Davidis, administratur! Quem cum regem tum regnum, te Deus impense rogamus, ut ex summis cœlis in æternum serves.*
39. *Ex Pharisais autem aliquot, qui in media turba permisti hanc acclamationem audiverunt, ad Iesum dixerunt; Praceptor, discipulis tuis in quos authoritatem habes, ne in istis acclama-*
40. *tionibus porro pergant, prohibe. Ad quos Iesus: Atqui ut isti conticescant, nihil tamen eorum quod vos cupitis assequemeni. Illa enim necessitas huic rei pradicanda incumbit, ut si tacerent, muti lapides, si quos cernitis, non lo-*
IOHAN. *querentur modo, sed etiam clamarent. Et hac*
12,16. *quidem fecere & exsequuti sunt Apostoli, tametsi quid hoc sibi vellet non intelligebant: sed postquam Iesus ascensu in cœlum gloria cumulatus, Spiritus Sancti donis illos plenius instruxit, tum demum recordati sunt hac de illo in scripturis Prophetarum pradicta esse, & se congruenter illis pradictionibus illa manda-*
17. *to Iesu exsequutos esse. Ex turbā autem aliquot qui Iesu praibant Hierosolymam ingressi palam testati sunt, Iesum sola voce Lazarum*
18,19. *è sepulchro evocatum redivivum fecisse. Pharisai in urbe harentes, cum viderent plerosque ex urbe prorumpentes Iesu obviam ivisse, secum ipsi sermocinati sunt, ut se porro ad majorem industriam in opprimendo Iesu exuscitarent. Nonne consideratis, vos nihil perficere his vestris in illum structis insidiis? En vobis spectantibus non clam aut occulte, sed palam totus mundus se illi in disciplinam tradit.*

PRAXIS.

Summa. Expressa regni Christi in terris imago nobis hac historia repræsentatur.

Partes { Παρασκευὴ ad Christi in terris in regnum inaugurationem. | Ipsa inauguratio. }

In παρασκευῇ consideratur { Duorum discipulorũ per Christum legatio. | Obsequium quod Christi mandato præstiterunt. }

Tametsi *Marcus* dicit Christum par disci- Vers.29,
pulorum legasse cum Bethphagen & Be- 30,31.
thaniam venisset; tamen cum Bethphage *Legationis hujus circumstantiæ variæ:*
uno miliari ab urbe distaret, Bethania duobus plus minus, dubium non est quin hoc fecerit quasi æque propinquus utrique vico. Duos misit suo more; 1. ut se mutuo juvarent & consolarentur; 2 ut veritas & miraculum Ecclesiæ testatum existeret. Tempus hujus inaugurationis notatur, postridie ejus diei quo in Bethania convivio exceptus est, quintiduum ante Pascha: sex enim dies ante Pascha Bethaniam appulerat, ubi noctem illam transigens; postero die viæ se ad urbem dedit. Vicus ad quem mittuntur videtur fuisse Bethphage; ut quæ in conspectu erat eorum qui Bethania Hierosolyma proficiscebantur.

Causa hujus rationis agendi tenenda est, *causa.* nempe ut Iudæorum & Discipulorum errorem de externo splendore regni Christi refutaret. Atque hoc nobis utile est: somniamus enim nescio quem externum splendorem regni Christi, ac si omnes ejus regni administri splendide viverent; Episcoporum domus similes Aulæ principis, &c. item à malis immunitatem: quod si aliter acciderit, offendimur, &c.

Asinam cum pullo ligatam, &c]Singularis *Singularis Dei providentia,* Dei administratio & omniscientia, qui omnes homines atque adeo bruta animalia novit, latibula, oberrationes, nexus, &c. Hæc homines multo magis complectitur, maxime fideles: cogitemus ergo Christum scire ubi quisque sit, quid agat, quid patiatur, ubi precamur, ubi luxuriamur, ubi bona aliena ad nostros usus convertimus, qua in cauponula tempus divini cultus consumimus, &c. Atque hæc omnia uno intuitu, & ictu oculi.

Hæc Christi πρόνοια actuosa est, & cum *eaque actuosa.* admirabili efficacitate conjuncta: sicut illi mille oculi quibus videat, sunt etiam mille manus, &c. Hoc eo declaratur quod Dominorum percunctationem, deinde propensam in eum voluntatem, denique rei totius effectum

ctum prænuntiat. Deinde Christus novit omnes omnium voluntates ad suum obsequium unico verbulo flectere, aut etiam si opus est, cogere. Hic eorum animos inflectit, 1. qui prius in illum iniquiores erant; 2. qui statim post defecerunt; 3. qui suam è malis liberationem in externo Regis terreni splendore posuerunt. Quod nos incitet ad preces, si quando Principum gratia opus est, ad Dei cultum instaurandum aut Ecclesiam ædificandam. Vide exemplum. *Nehem. cap.* 1.

Vers. 32, &c. *Promptum Discipulorum obsequium.*

Notandum obsequium discipulorum singulare, qui non reputabant se posse furti insimulari, qui asinam abducerent, non rogata venia, &c. tamen, &c. vide exemplum Abrahami, qui non veritus est Deo obsequium præstare in sacrificando filio, etsi se homicidii reum constitueret, &c. Item Prophetæ 1 *Reg.* 20. qui alteri in verbo Dei imperavit; ut se vulneraret: hæc enim omnia videntur ipsis Dei mandatis adversa esse. Non est ergo cum carne aut ratione consulendum, sed simpliciter faciendum quod ipse præcipit, nec in dubium vocandum. Nunquam cuiquam male cessit etiam præter rationem ipsi obedire, contra nunquam bene, &c. vide exemplum 1 *Reg.* 20. ejus qui noluit Prophetam vulnerare: item Saul qui præstantissimam servavit prædam.

Vers. 35, 36. *Regnum Christi in hoc mundo abjectum.*

Quod Christus pullo insidebat, & quidem ignobilis asinæ, & subjugis, quæ & ipsa pullum insequebatur; eoque Christum pullo insidentem; quod istud tam abjectum animal aliunde mutuo acceperat; quod sine ephippiis; quod pro tapetibus vestes & rami substernuntur; idque eo die quo regnum suum in terris auspicari voluit; docet quam sit regni Christi in hoc mundo abjecta & despicata conditio. Cum enim *Zacharias caput 9. sex primis versibus* ostendisset Christum hostes Ecclesiæ gloriose subacturum: & *vers.* 7, & 8. Ecclesiæ fore patronum: ne existimarent illum externa potentia & belli apparatu, instar regum mundanorum hæc facturum; statim subnectit *vers.* 9, *&c.* Docet rationem cultus divini ab omni externo splendore remotum esse; longe secus quam olim sub lege. Item hujus regni subditos magna ex parte non in deliciis vivere, sed ex tenuioribus & afflictioribus esse, &c.

Potentius tamen terrenis regnis.

Ita prorsus in regno Christi omnia externa specie despicata; prædicatio verbi, sacramentorum & disciplinæ administratio, ministerium, &c. Hæc tamen comminuunt præstantissima quæque regna quæ in hoc regnum insurgunt. Cavendum ergo, ne ob paupertatem, contemptum, &c. a Christo deficiamus: sed contra, &c. ut qui regem suum probe norunt, cum non minus reverenter cum veste viliore, sine diademate, &c. quam cum paludamento ornatus, & diademate, &c. sic, &c.

Notandum etiam hac inequitatione Christum in altum attolli, ut facilius conspici posset.

Notandum Prophetæ testimonium qui ex hac inequitatione Christi consuetudinem arguit; erat enim incomparabilis mansuetudinis, eo se demittere, &c. Hoc nobis lætitiæ materiem subministrat, habere nos talem regem ad quem accessus facilis pateat: sæpe enim fit, ut regum splendor & majestas subditos ab ejus aditu prohibeat, &c. ut per sequestros, &c. Quo magis intolerabilis est eorum inscitia, qui objecta sua indignitate per alios sequestros Christum adeūt. Tametsi enim infinito majestatis splendore jam fruatur, tamen eadem adhuc mansuetudo manet.

MATTH. 4, 5. IOHAN. 14, 15. *Zachariæ testimoniū de Christi inauguratione.*

Discipuli hoc non cognoverunt, usque dum, &c.] Quod eorum obsequium commendat: ut qui in Christi mandato penitus acquiescendum existimarunt. Vide *Iohan.* 13, 4, 7. ubi discipulorū pedes lavat, &c. post ejus mysterium explicat; ut hoc modo eorum fidei & obedientiæ periculum faceret. Hinc etiam discamus non minus studiose & attente verbum audire, etsi quædam ad tempus ignoramus. Verbum enim in animo fideliter reconditum post ejus intelligentiam superadditam consequetur. Sicut enim semen jactum non ilico se ostendit, sed &c. sic, &c.

IOHAN. 16. *Discipulorum ignorantia.*

Postquam Euangelista singulorum propria & separata officia percensuisset; nunc commune & conjunctum universorum pariter commemorat.

Quod in *duobus* versatur, { Narratione gestorū Christi. / Oratione.

Hoc nobis imitandum, ut quisque seorsim pro donorum varietate Christo inserviat; hic peritia negotiationis, ille agricultura, &c. omnes vero conjunctim Deum colendo, verbum audiendo, carnem subjugando, &c.

Quod res gestas ejus commemorant; eo se ad insequentem orationem præparabant, & animos suos inflammabant. Hoc nobis præstandum, ut præmeditatione animis nostris veluti ignem subjiciamus; quod non erit

LUC. 37. *multitudinis ad orationem præparatio.*

rit difficile in tanta rerum gestarum varietate. Cum enim regis terreni unicum præclarum facinus omnium linguis & calamis celebratur, nedum, &c.

Ioan. 12, 18. *Officium nostrum ex comparatione Hierosolymitanorum.* *Propterea, &c.*] Quod si isti tanto numero ex urbe eruperut sola narratione miraculi de Lazaro suscitato, quam pudendum erit si nos tot miraculis, &c. illum non agnoscamus? si illi non obstante carnis infirmitate, &c. nedum nos jam infirmitate exutum, & gloria undique vestitum, &c. si regem asino insidentem agnoverunt; nedum nos cœlis inequitantem. Si illi quibusdam ex ima turba hoc narrantibus, qui Christum præcedentes istud in urbe prædicarunt, nedum nos ministris Euangelii ad hoc constitutis, &c. Denique si illi uno tantum nuncio & velut concione, &c. nedum nos, quibus toties, &c.

Spiritus Sancti virtus. *Nota,* Simus utcunque viles, inopes, inglorii, si Sp. Sanctus nos agit, ea est ejus vis & vigor ut omnium oculos & corda in nos attrahat, figatq; in nostrum intuitum & admirationem. Ioannes Baptista vili integumento incedens, totam tamen Iudæam ministerii sui vi efficacius attraxit, quam Pharisæi & Scribæ omni sua pompa & Pontificalibus.

In oratione consideratur	Petitio. / Gratulatio.	Vtraque ex *Psal.* 118. nonnulla immutatione facta.

Vers. 38. *In oratione autem petitio,* In petitione notandum, esse officium subditorum Christi, pro prospero ipsius regni successu preces fundere. *Adveniat regnum tuum.* Si pro regnis terrenis, &c. 1 *Tim.* 2. nedum &c. pro tyrannis qui nos in captivitate detinent; ut *Ierem.* 29, 7. *Orate pro rege Babylonis*; nedum pro rege mansuetissimo per quem ex servitute Babylonica & Ægyptiaca liberamur.

Gratulatio est	Christo. / Christi regno.

gratulatio. Pronunciant cum regem benedictum, tum regnum (ut ut specie omnia tum videbantur miserrima) idque non proprio instituto, sed Spiritus ductu; quod ex Christi approbatione sequenti constat. Hæc benedictio manat per ipsum regem ex altissimis locis, Deo scilicet in altissimis confidente. Benedicti ergo sunt, quotquot sub ipsius regno obsequenter se gerunt, quantumvis miseriis conflictati; sicut contra maledicti omnes qui ab ejus regno extorres, &c. Hujus benedictionis causa subnectitur, scilicet quod hoc, tum Rege tum regno pax nobis cum Deo, quocum inimicitias exercuimus, conciliatur. Cum enim omnis felicitas est a Deo; sicut illo irato nulla benedictio existit; ita peccato nihil est, quod &c. De hoc autem tam munifico beneficio tanquam justus effectus Dei glorificatio subjungitur.

Notetur populi in Sacris Scripturis peritia, qui tam dextre *Psalmum* accommodant; quanto magis nos decet, qui adulta sumus ætate; quorum quivis è plebe sacerdotes æquare decet. *Notandum* quoque contra *Pontificios*, omnes, viros, fœminas, pueros, senes, Deo laudes cecinisse, quod illi tanquam prophanum aversantur. *Populi in S. Scripturis peritia.*

Pharisæi quod inique hoc ferunt, indicat non defuturos hostes, idque inter eos ipsos, quos Ecclesiæ & veritatis nutritios & propugnatores esse oportebat. Vers. 39. *Nunquam Ecclesiæ hostes deerunt.*

Christus autem contra, non defuturos qui regnum suum propagabunt, ne si totum humanum genus ab eo deficeret; quod illi facile sit ex lapidibus homines excitare. Vers. 40. *Sed non etiam defensores.*

Pharisæi ergo, &c.] Mutuo se exstimulant ut diligentius quam ante ejus mortem persequantur; deplorata pertinacia & animi obfirmatio qua in Christum Petram totis viribus ruebant & insultabant, ut ab ea comminui necesse esset. Nos igitur quanto magis frangi non debemus, si bona consilia primo, secundo, &c. non secundentur: pudendum enim esset res præclaras deserere; cum isti ex tanto scelere non recederent. Iohan. 12, 19. *Pharisæorum pertinacia,*

Totus mundus eum seq.] Invidia & malus oculus: cum vix centesima pars Iudææ, &c. contrarium in Iohanne Baptista *Iohan. cap.* 3. *vers.* 26. *& seq.* *Notandum* quo modo se frustra cruciant. *& invidia.*

LVC. *cap.* 19, *à vers.* 41, *ad* 45.

41 *Et ut appropinquarit, visa urbe, flevit super ea.*

42 *Dicens; Si vel tu nosses hoc saltem tuo die quæ ad pacem tuam* pertinent; *Sed*
ea *nunc occulta sunt oculis tuis.*

43 *Nam veniet tempus adversum te, quo circumjicient tibi inimici tui vallum,*
& circumcingent te, & constringent undique;

44 *Teque solo æquabunt, & filios tuos intus, neque relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non noveris præstitutum hoc tempus visitationis tuæ.*

ANA-

ANALYSIS.

NOtat fletum Christi ab adjuncto tempore, cum appropinquavit ad urbem; deinde effectum hujus appropinquationis est, quod vidit urbem: quæ visio seu intuitus urbis instrumentali causa assignatur fletus; principalis efficiens est urbis eversio, quæ describitur, *Vers* 43,44.

Vers 42. Causam materialem assignat urbis desolandæ, quod ignoraverit ea, quæ ad pacem suam pertinebant, quam ignorantiam exaggerat a comparatione majoris, quod ne tum quidem, cum tam manifeste se prodebat, agnovit: hujus ignorationis altiorem causam assignat, quod justo Dei judicio abscondita illi fuerint.

Vers. 43. Desolationem urbis describit suis causis efficientibus, nempe vallo eam circumdabunt, exercitu undique cingent, prement illam undique, ut nusquam exire aut effugere possint.

Vers. 44. Effecta indicantur, quod solo æquabitur, quod cives penitus evertentur; illa autem æquatio cum solo describitur sua forma, quia lapidem super lapidem consistere non sinent. Denique materialis causa repetitur quod non agnovit diem visitationis suæ.

METAPHRASIS.

41. *CVm jam prope urbem veniens eandem plenius oculis intuendi commoditatem nactus esset, conscius scelerum quæ admiserat, & præscius internecionis quæ illi immінebat, in*
42. *lachrymas solutus est. Dicens: si cognovisses tu quæ privilegiis præ aliis omnibus ornata, præcipua quadam ratione in hoc quod dicturus sum incumbere debebas: Atque ut anteactis ætatibus in ignoratione vixisses, si tamen hoc ipso die atque hoc ipso temporis momento, quo jam ad te venio, ea cognovisses, quæ ad salutem tuam cum præsentem, tum perennem referuntur, bene beateque tecum actum fuisset. Nunc vero cum tua contumacia, & justissimo Dei judicio hæc ab animi tui intuitu abscon-*
43. *dita sunt, de te penitus actum est. Erit enim tempus, quod veluti in viam se dans, non cunctatur quoad itinere confecto adveniet: in quo qui te odio habent vallum tibi circumjicient & immani exercitu te, quantumvis vastam & spatiosam urbem, circumdabunt; qui denique ita te arcte constringent, ut nec commeatum in urbem inferre, nec urbe, ut fuga tibi*
44. *consulas, exire possis. Quod quidem tantisper facient, quoad (te solo æquata) omnes cives tuos & quoscumque alios qui se salutis ergo ad te aggregabunt, penitus perdent: usque eo vero urbem vastabunt, ut ne lapidem quidem unum relicturi sint, qui ordinatim alteri insistat aut imponatur. Quod quidem sicut pro multis magnisque tuis peccatis tibi obveniet: sic vel maxime quod hoc tempus, quo thesauros misericordiæ suæ Deus in te unici filii ad te missione effuse contulit, non agnovisti.*

PRAXIS.

SVmma, Christus urbis Hierosolymitanæ oculis suis plene propter propinquitatem repræsentatæ, mala deflet.

Vbi notantur { Fletus Christi ex pleniore intuitu urbis, *vers*. 41. / Causa fletus, *vers*.42,43,44.

Visa urbe flevit.] *Primo* hic notandum argumentum humanitatis Christi. *Secundo* in externo sensu nominatim oculorum visu, nonnihil subsidii ad commiserationem esse, *Matth*.9,36. Cum vidit populum pastoribus destitutum intimis visceribus, &c. *Iohan*. 11. cum vidit flentes, & Lazari sepulchrum, flevit: nobis ergo qui corda indurata & animos lapideos circumgerimus, expedit, ut videamus, audiamus, &c. Vide *Esai*.58,7. ne oculos avertamus; ut carceres, nosocomia, &c. invisamus. *Eccles*.7,2. *Præstat domum luctus, quam domum convivii intrare.* — *Vers. 41. Christi humanitas,*

Quod mali post annos triginta & octo venturi commentatio lachrymas illi extorsit, ejus ad commiseratioň facilitatem evincit: sic Elizæũ ad lachrymas impulit consideratio calamitatis Israëlis, post aliquot annos futuræ, 2 *Reg*.8,11,12. Quanta est ergo nostra durities, si malorum præsentium sensu non tangamur, si mala quæ jam Ecclesiam premunt non lugeamus. Christus & Elizæus eas calamitates luxerunt, à quibus ipsi immunes futuri erant, ut quæ post eorum mortem, &c. nos igitur silices esse oportet, si illis malis non commovemur quæ nos cum reliqua Ecclesia involvent: illi eas calamitates luxerunt, quæ ipsi nullis suis peccatis accersierant, nos, &c. Christus flevit mala perditissimæ urbis, quæ Prophetas partim occiderat, partim contumeliis & ludibriis onerarat: imo quæ unicum erat Prophetarum in toto orbe quasi macellum; impossibile est, inquit Christus, ut Propheta extra te pereat. Nos non deflebimus ornatissimas & politissimas Ecclesiarum ruinas & quasi cadavera? — *& ad commiserationem facilitas.*

Nota, Christum in die inaugurationis suæ in regno Iudæorum flevisse, cum illi undique applausum & acclamatum sit, cum omnia gratitudinis & gaudii ex regno suo signa extarent (res credo ex omni hominum memoria inaudita) cum omnes hominum ordines omnia gloriosa illi apprecarentur. Quo docemur florentissimam in hoc mundo Ecclesiæ conditionem nunquam ita à malis liberam — *Semper in Ecclesia lachrymarum argumentum.*

liberam fore, quin argumentum lachrymarum facile occurrat. Hæc de fletu.

Cauſa fletus duplex erat. { Culpa, *verſ.* 42. Pœna, *verſ.* 43, 44.

Verſ. 42. Hieroſolymitanorum culpa. *Culpa quod neſciret quæ ad pacem, &c.*] Omnes exiſtimantur ſibi ipſis ſapere, nequicquam ſapit qui ſibi non ſapit; tamen &c. qui enim veram pietatem ſpernunt, ſuam pacem negligunt. *Pſal.* 34. *Quis eſt vir ille qui vitam cupit, &c. Impiis nulla pax. Eſa.* 57, 21. neque cum Deo, neque cum hominibus *Rom.* 3, 14, 15, 16. 17. (Neque enim Pax cum Deo à pace cum hominibus ſejungitur *Eph.* 2.) quare neque ad præſentem neque ad futuram vitam commode agendam comparati ſunt.

Si vel tu.] Amplificatur peccatum à ſubjecto Ieruſalem urbe Dei; ibi templum, cultus Dei, ibi Deus ſe habitaturum dixit. Tanto gravius peccant homines quo pluribus beneficiis a Deo aucti & ornati ſunt, 2 *Sam.* 12. Peccatum Davidis eo nomine exaggeratur, quod Deus tam cumulate, &c,

Hoc ſaltem tuo die.] Amplificatur peccatum ab adjuncto tempore, quod præter priſtinam Prophetarum tempore rebellionem, etiam in filium ipſum refractaria eſſet, idque non tantum ſæpe alias, ſed & hoc ipſo die quo tam manſuetus ad eam venit: unde etiam ſuum hunc diem vocat. ***Doctrina***, Diuturnitate & perſeverantia in peccato augetur peccatum; maxime cum poſtrema quæque tempora majoris largitionis in nos teſtes ſunt, quam quæ præceſſerunt, Nullum tempus ne in craſſiſſimis tenebris, in quo non Deus benignitatem, &c. ſed contra lucem Euangelii præſertim pleno meridie ſplendentem rebelles eſſe, gravius judicium acceſſit.

Si eo ipſo die reſipuiſſent quo Chriſtus ingreſſus eſt urbem, hæc ſententia lata non fuiſſet, quod quia neglexerunt, impoſterum nullus miſericordiæ locus. Ex quo liquet quantum intereſt reſipiſcentiam noſtram non dico in ſenium, in annum, &c. ſed ne in diem differre. Peccatum ſemel hoſpitio exceptum non deſinit ſalutem noſtram arrodere uſque dum eam penitus conficiat. Qui in leges Reipubl. capitaliter peccat, nullum diem ac ne horam prætermittit, uſque dum veniam impetrarit, quanto magis, &c.

Sed ea nunc occulta ſunt oculis tuis.] Iſtud partim à civium cæcitate voluntaria, partim à juſto Dei judicio contumaciam ulciſcente, &c. ***Matth.*** 11. Pater cœleſtis myſteria regni à ſapientibus hujus mundi occultaſſe dicitur. ***Eſa.*** 6. Propheta à Deo mittitur ut oculos contumacium occæcet, aures obturet, &c.

Hæc de culpa: pœna ſequitur: Quam Chriſtus lachrymis deflens, miniſtros docet, quo animo ad has comminationes deſcendere oporteat. Vide *Ierem.* 14. & 2 *Cor.* 1, 23. Verſ. 43. Pœna.

Venient dies.] Peccandi tempus exſtitit; exſtabit & pœnarum: vos dies veſtros habuiſtis, in quibus licenter, &c. Mihi etiam meus dies, &c. Attribuit diebus per προσωποποιίαν pedes, quibus iter faciunt quoad inſtitutum iter confecerint, ſic *Pſal.* 37, 13. *vidit Deus eorum diem venientem. Doctrina,* Non dormit impiorum judicium, etſi ipſi ſtertant, lente ut plurimum incedunt Dei judicia, nunquam tamen iter interrumpunt æſtate, hyeme, die, nocte, &c. quædam tamen celerrime. Zachariæ exſecratio volans. ***Prov.*** 1. Vt turbo, Vos hodie peccàtis, cras pœnas luetis. Tempus hoc alibi præfinitum eſt, ante decurſam ætatem vel ſeculum.

Vallum circumjicient.] Tu non potuiſti in gyrum legis divinæ redigi: diffluebant & diffundebant ſe cupiditates tuæ; viæ Domini tibi ſpinoſæ & anguſtæ viſæ ſunt; ut onager deſerta ſectans domari nequiviſti; quamobrem &c. Contra, iis qui ſe legis divinæ cancellis continent, viam dilatat, regnum amplificat, ſecuritatem adauget, &c.

Quis talem regem non timeat qui de exercitu ſuo quadraginta poſt annos adducendo eadem fiducia affirmare audeat, ac ſi jam illũ in caſtra duceret. Erant hæ copiæ Romanorum; tamen *Matth.* 22, 7. Patris exercitus vocatur. Deus totum mundum in ſingula momenta armatum habet, nec quiſquam in ſuis caſtris arma ſua ſecus tractare poteſt, quam ab illo conſtitutum eſt.

Solo æquabunt, &c.] Ezechiæ tempore obſidebantur Ieroſolymæ, ſed ab Angelo liberatæ: jam vero, &c. omnia extrema, ut ſicut eorum impietas ad ſummum proceſſerat, ita & pœna, &c. ſicut enim cum quis non tantum pullos accipit, ſed & nidum dejicit, imo arborem ſuccidit, &c. ſic, &c. Huc refer quod caſſi extiterunt omnes eorum conatus qui hanc urbem & templũ reſtituere & reædificare ſtuduerunt. Vide quæ ſit vis peccati, quam nulli nec muri, nec antemuralia, nec valla, nec alia ulla præſidia, &c. quæ non tantum homines, ſed & urbes munitiſſimas cadavera reddit. Eſt enim peccatum tormentum bellicum quo omnia deturbantur. Iſta Verſ. 44. Eaque extrema.

cum

cum ob Euangelii contemptum, &c. caveamus nos, ne, &c. *si enim naturalibus ramis non pepercit, &c.*

Quam exitus comprobavit. Observandũ quo modo exitus prædictionem comprobavit. Narrat Iosephus Titum Imperatorem, templum ab incendio liberare voluisse, ut monumentum insigne esset: ideoque quosdam ex militibus qui ad ejus incendium festinarant, vi ad terram prosterni fecit: tamen quia Christus summus decreverat templum solo æquandum, & sententia sua definierat, tantus fuit militum ardor & furor; ut eorum ardorem cohibere nequiret.

MATTH. *cap.* 21, *à vers.* 10, *ad* 12.

10 Et quum introisset Hierosolymam, commota est universa urbs, dicens; Quis est hic?

11 Turba autem dicebat; Hic est IESVS ille Propheta ortus Nazaretha, urbe *Galilææ.*

ANALYSIS.

Commotio urbis arguitur suo efficiente, nempe Iesu ingressu in urbem, cum hoc, qui supra commemoratur, apparatu. Cujus commotionis adjunctum est quod cives quærunt quis sit Iesus.

Vers. 11. Effectum quæstionis propositæ per cives est responsum turbæ; quæ Iesum describit ab adjuncto officio magni illius Prophetæ, quem scriptura celebrat; & à subjecto loco communi, Galilæa; & proprio, Nazaretho.

METAPHRASIS.

MATTH. 21,10. *Cum jam urbem ingressus esset, his acclamationibus gratulationibus & applausibus populi, commoti sunt cives Hierosolymorum, verentes ne per suspicionem rerum novarum, quas populum moliri suspicabatur, Romani in illos irruentes exitium illis afferrent; usque eo autem consternati sunt, ut de eo, quem sæpius viderant, audiverant, & quocum conversati*
11. *erant, quis sit, quærant. Quærentibus quidam ex turba responderunt: Hic est Propheta ille tantopere in lege & Prophetis celebratus: qui in Galilæa & oppido Nazarethano diu commoratus est.*

PRAXIS.

Vers. 10. Impiorum inutilis timor. Hactenus dicta sunt quæ extra urbem; sequuntur quæ intra urbem gesta sunt. Civitas concussa est & commota: istis enim acclamationibus, quæ Christo undique habitæ sunt, obstupuerunt. Deinde quod Christum asino insidentem, reliquos pedites cernerent, commoti sunt. Etsi Christus eam regni sui rationem inivit, quæ maxime humilis erat; impii tamen hac ratione inquietudine animi sui & expectatione metuque judicii divini terrentur. Sic timent impii ubi nulla causa timoris existit; imo ubi summi gaudii argumentum, &c. Quærunt, quis sit hic, qui jam ante inter illos vixerat, & plurima beneficia in eos contulerat. Sic *Matth. cap.* 2. ex fama nati Christi Regis commota est Ierosolyma. Regnante Christo horrent impii; exultant pii. Sicut & idem verbum & Euangelium aliis salutare est, aliis mortiferum odorem spirat.

Hic porro videmus Respublicas plerumque sibi ex Christi regno metuere, ac si erigi nequiret, nisi cum rerumpublicar. ruinis, cum tamen unicum rerumpublicarum firmamentum sit. In quo malam gratiam Euangelio reponunt, quod eos durissima *Papæ* servitute vindicavit, subditos suos cum *Papa* conspirantes fideles reddidit, coronas capitibus eorum à Papa detractas, restituit.

Populus respondet, quod res erat, istum regem Iesum esse, qui diutius in Galilæa Prophetæ munus docendo exercuerat. Vers. 11.

MATTH. *cap.* 21, *à vers.* 12, *ad* 17.

12 Et introivit IESVS in templum Dei, & ejecit omnes qui vendebant & qui emebant in templo: mensasque nummulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.

13 Et dixit eis; Scriptum est; Domus mea, domus precationis vocabitur: at vos fecistis eam speluncam latronum.

14 Tunc venerunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.

15 Quũ vidissent autem primarii Sacerdotes & Scribæ miranda illa quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, & dicentes; Hosanna Filio David, indignati sunt.

16 Et

16 *Et dixerunt ei; Audis quid isti dicant? IESVS autem dixit eis; Etiam, nunquam legistis; Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?*

ANALYSIS.

DEclarat effectum Christi, ingressum in templum; quod suo subjecto describitur, nempe Dei; deinde finem ingressus describit, ut vendentes una cum ementibus templo ejiceret, mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas everteret.

Vers. 13. A fine templi refellit illorum abusum; quem finem confirmat a Sacræ Scripturæ testimonio; & illorum scelus amplificat à comparatione majoris, quod non tantum templum non reverebantur, ut Dei domum, sed porro ad quæstum turpem callide transtulerunt; quod ipsum comparatione paridm illustrat, haud secus quam cum fures deprædati sunt sua spolia, in speluncas, ubi non tam facile deprehendi possunt, comportant.

Vers. 14. Effectum Christi in templo aliud narratur, sanatio cæcorum & claudorum.

Vers. 15. Adjunctum narratur hujus sanationis, acclamatio à pueris, quorum utrorumque effectum in principibus Sacerdotum & in Scribis est indignatio animi.

Vers. 16. Aliud effectum est aperta Christi reprehensio, quæ magis asseveranter proponitur quæstione, *An hæc audiret*; qua quæstione connexo syllogismo reum conantur perstringere hoc modo: *Si tu audis acclamantes tibi pueros, culpandus es: sed audis illos acclamantes: ergo, &c.* Cujus quæstionis effectum est responsio, se probe audire, & tamen culpa carere quod illis os non obturet; quod confirmat testimonio divino, quia Deus, referente Davide, à pueris laudandus est.

METAPHRASIS.

12. *VRbem subiens recta templum Dei, tanquam regni sui solium, ingressus est, quod deformitatibus, quibus ad alienum, quam ad quem institutum est, usum traductum, repurgavit: nominatim omnes vendendo & emendo negotiantes exturbavit, mensas nummulariorum qui minutam pecuniam cum majuscula commutabant penitus subvertit: quod idem fecit his, qui columbas vendebant, quas nonnulli pro sua rei familiaris tenuitate ad sacri-*
13. *ficandum Deo redimere coacti sunt. Cujus sui facti rationem redditurus ad illos dicit: vere patrissatis: ejusdem enim sceleris rei estis, cujus olim Ieremias Propheta majores vestros insimulavit, dicens: Domus mea domus est cultui divino, cumprimis vero orationis omni generi dicata: vos vero per speciem cultus divini illam fecistis veluti latibulum turpis quæstus; haud secus ac fures & latrones qui cum suis prædis ad speluncam ubi se abdant,*
14. *recurrunt. Dum adhuc in templo esset, accesserunt ad eum, hi quidem oculis, illi vero pedibus capti: quos pro more Regia munificentia, die inaugurationis, donis auro & argento præstantioribus, sanitatem conferendo affecit.*
Sacerdotum vero principes & Scribæ cum hæc 15.
Christi miracula vidissent, & simul nomine miraculorum pueros illi in templo acclamantes (serva quæsumus, ô Deus, Filium Davidis, Regem nostrum) *audivissent, indignatione commoti sunt. Quamobrem dicunt ei;* 16.
Si, quod te facere necessum est, quid hi dicunt auribus accepisti: magni te reum criminis constituis, qui has voces non reprimis, nec blasphemiæ coarguis. Quibus ille; omnio audio & probo: quod & vos faceretis, si quod legistis simul intelligeretis & intellectum agnosceretis: scilicet Dei laudes (quas jure mihi vendico) tam esse amplas uberesque, ut vel infantes qui nondum fari norunt, illis prædicandis idonei sint, nedum isti pueri qui sermonis participes sunt.

PRAXIS.

SVmma, Christus Dei templum ingressus & cæcos & claudos pristinæ valetudini restituens à pueris laudibus celebratur, à Pharisæis vero indignabunde rejectus, se adversus eorum levissimas calumnias tuetur.

Partes, { Christi in templo primo die hebdomadis miracula. / Varia astantium de eo judicia. }

Christo nihil prius aut antiquius fuit quam ut Dei templum quamprimum adiret; ubi illa ageret & diceret, quæ ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem spectarent; ut se Patri gratum præberet, qui eum in regiam hanc dignitatem extulerat. Rebus lætis & ad voluntatem fluentibus curæ nobis imprimis esse debet, ut Deum pro accepto beneficio celebremus. Quod contra ab iis fit qui edunt, bibunt, ludunt.

Vers. 12. *Cur Christus in templum ascenderit.*

In templum tanquam in solium suum conscendit, ut saltem hoc modo intelligerent cujusmodi esset regnum suum, nempe spirituale. Neque tamen hinc concluditur, nunc dierum nos primo quoque appulsu ad templum accedere oportere; sed in conclave, &c. 1 Tim. 2, 8. *Vbique attollentes puras manus.* Ioh. 4, 21. *neque in isto monte, &c.* Vide in Luc. 18.

Templum Dei appellatur, quod tamen tot corruptelis contaminatum fuit, ut in speluncam latronum redactum fuerit. Vide quanta sit vis ordinationis divinæ, quæ ita adversus quasdam

quaſdam corruptelas prævalet, ut &c. Sic de Eccleſiis noſtris.

Verſ.14. *Chriſti regia munificentia.*

Sanavit cæcos & claudos.] Regiam munificentiam imitatur, qui die inaugurationis ſuæ, tenuioribus argentum per plateas projiciunt; tubos & canales vino implent, ut prætereuntes bibant. Sunt autem iſta dona regiis omnibus muneribus longe ſuperiora. Neque vero hæc beneficia ad eos tantum ſpectabant qui ſanitatem conſecuti ſunt; ſed & ad alios omnes. His enim miraculis aliorum in fide claudicationes curari & in mente cæcitas illuminari potuerunt. *Eſa.*35,5.*& ſeqq.* Deinde reges terreni hæc beneficia ad diem conferunt; poſt eorum loco tributum & vectigal poſtulant; noſter autem rex nullius rei indigus, omnia ſuis perpetuo confert. Quis igitur ſub hoc rege libens non viveret, &c. Hic ſolus mundi hæres, &c. Qui animo cæci & claudi ſunt ad Chriſtū in ſacris cœtibus præſentem & præſidentē accedant, ut ſanentur. Sequitur *pars* altera de aſtantium judiciis: ſunt autem { Puerorum. Phariſæorū.

Verſ.15. *Puerorum judicium de Chriſto rectum:*

Pueri perſpectis Chriſti miraculis carmen illi, quod Meſſiæ tantum competebat, accinunt: contra Phariſæi, &c. indignabunde ferunt, &c.

Obſervemus *primo*, quantum ſit lumen S. Scripturæ & operum Chriſti, cujus beneficio pueri de cauſa omnium graviſſima & inter Iudæos varie addubitata rite pronuntiare norunt. II. Puerorum candorem, qui candide quod ſentiunt eloquuntur, atque adeo clamant. Alii erant proculdubio multi in templo, qui Chriſto faventes, Phariſæorum metu impediebantur quo minus profiterentur quod ſcirent; at iſti, &c. Tales nos eſſe oportet, *Niſi convertamini, & fiatis ut puerul i, &c.* & 1 Pet.2,1,2. *Vt recens nati pueri, omni dolo, &c. amoto, concupiſcite, &c.* III. Formidabile Dei judicium in Phariſæis, qui ambitione & avaritia occæcati illud providere non poterant, aut noluerunt, quod pueruli, &c. IV. Pueros variegatam & curtam veſtem geſtantes plus videre & ſapere in cauſa regni cœlorum, quam qui nigras & talares veſtes, &c. caputia, literarum inſignia, &c. quam Doctores pietatis & doctrinæ opinione inſignes, &c. Cavendum ergo, 1. ne quid externæ pompæ & ſpeciei tribuamus; 2. ne ullius, quantumvis infimi, ſententiam contemnamus; 3. ne fidem Chriſti cum perſonarum reſpectu habeamus. *Iac.*2,9. Apollo potens in ſcriptura & eloquens, à muliere accuratius edoctus eſt, *Actor.*18,26.

Verſ.16. *Phariſæorum perverſum, à Chriſto refutatum.*

Audis quid iſti dicunt.] Quaſi dicant, ſuperbum eſt ea te teſtimonia admittere quæ Meſſiæ propria ſunt; puerorum improvidorum in re tanta ſuffragia captare, ſtolidum: Cæſarem hoc modo contra Iudæam armare impium, quid ergo, &c.

Chriſtus calumniam refutat, argumento à minore; non eſſe mirum ſi Dei gloria & veritas à pueris, qui ſermonis participes ſunt, prædicetur; cum vel ab infantibus & lactentibus. Quo autem modo infantes perficiant Dei laudem. Vide *Pſal.*8,3. 2 *Tim. cap.*3,*verſ.*15. Hic puellorum animi ad Dei cultum excitandi ſunt, cum intelligant illum Chriſto tam gratum eſſe: quod etiam præclaris in illos donis effuſis comprobat. Nos autem qui provectiores ſumus, hinc animos erigamus, fore quem nos cultum exhibemus Deo gratum, etſi multiplici errore & ignorantia implicetur, dummodo ſemper ad perfectiora contendamus. Pater filium balbutientem & reſtitantem avidius exaudit, quam, &c. Obſervandum eo magis ſplendere Dei laudem quoad per infirmiſſimos deprædicetur. Hoc in Apoſtolorum miniſterio confirmatur, & hoc exemplo.

Nota Chriſtum caute reſpondere: neque ſe aperte regem profitetur, ne ad Cæſaris tribunal ageretur; neque illud inficiatur, ne apud populum tanquam ſibi contrarius traduceretur.

IOHAN. *cap.* 12, *à verſ.* 20, *ad* 27.

20 *Erant autem quidam Græci ex iis qui aſcendunt ut adorent in feſto.*

21 *Iſti ergo venerunt ad Philippum qui* erat *à Bethſaida* urbe *Galilææ, & rogarunt eum, dicentes; Domine, vellemus IESVM videre.*

22 *Venit Philippus & dicit Andrææ: Andræas rurſum & Philippus dicunt IESV.*

23 *IESVS autem reſpondit eis, dicens; Venit hora illa glorificandi Filii hominis.*

24 *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi vero mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

25 *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam.*

26 *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego fuero, illic & minister meus erit, & si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater.*

ANALYSIS.

DEscribuntur quidam qui cupiebant Iesum videre, primum ab adjuncta natione Græcorum; deinde ab adjuncta religione; quæ declaratur ab effecto ascendendi Hierosolymam; qui suo fine describitur, ut in festo Deum adorarent.

Vers. 21. Describitur efficiens causa videndi Christum, nempe accessus ad Philippum ut illum rogarent uti Iesum videndi rationem iniret.

Vers. 22. Cujus petitionis adjunctum est Philippi cum Andrea consociatio; quæ suo fine exponitur, ut uterque conjunctis viribus Iesum adirent, & illum alloquerentur de hac petitione.

Vers. 23, 24. Effectum petitionis est responsio Christi; quæ proponitur Axiomate discreto; *tametsi tempus appetat quo Deus glorificandus est, tamen non nisi per mortem & morte interveniente hoc fieri posse*; quod testimonio vehementis & repetitæ asseverationis confirmatur, & illustratur comparatione paris grani frumenti, quod non germinat pullulatione, nisi prius mortuum.

Vers. 25. Hac occasione ostenditur etiam conditio fidelium, nempe per voluntariam mortem pro veritate vitam consequi; quod docet ab adjuncto ejus qui vitam suam pro veritate amittit, nempe quod lucratur vitam; quod suo adverso illustratur.

Vers. 26. A subjecto confirmat hanc confirmationem ad Christi mortem, nempe quod qui Christo ministrat, illum mortis perpessione sequi debet: Ad quam rem eum animat à subjecto loco, quod erit ubi Christus est; & adjuncto honore quod Pater talem ministrum honore afficiet.

METAPHRASIS.

20. *ERant vero aliquot natione Græci qui fama miraculorum quæ edebat adducti & ad Ecclesiam aggregati, è patrio solo cultus divini causa in festo exhibendi, Hierosolymam*
21. *ascenderunt. Hi ad Philippum Apostolum ex Bethsaida oppido Galilææ accedunt, apud quem suam petitionem sic fere, per aliquem cui pro omnibus loquendi partes datæ sunt, instituunt; Domine, magno desiderio tenemur videndi Iesum. Quamobrem si tu, qui ex domesticis servis ejus es, illius videndi commoditatem procuraveris, rem nobis gratam, quam in benefi-*
22. *cio ponemus, feceris. Philippus vero hinc peregrinis gratificandi studiosus, istinc vero sollicitus ne Iesum offenderet, quem probe noverat animum gerere ab inani & infructuosa apud populum admiratione abhorrentem; Andræam accedit, & re cum illo communicata, & Andræa in societatem hujus negotii pertracto, conjunctis operis hanc Græcorum petitionem*
23. *Iesu proponunt. Ad quos Iesus: video vos ex istis quæ hodie vidistis & audivistis applausibus & acclamationibus in magnam spem elatos esse me propediem maxima gloria afficiendum, eoque magis quod animadvertitis alienas gentes mei videndi desiderio accendi. Et quidem (ut quod verum est ingenue fateor) appetit tempus cum ego qui homo sum, utcumque spretus & contemptus, glorificandus sim. Sed longe aliter quam vos censetis: Nam san-* 24.
cte vobis confirmo hanc gloriam, non nisi interveniente morte acerbissima, mihi adeundam. De me enim idem fiet quod in grano frumenti terræ gremio mandato usu venire quotidie experimini: quod nisi in lyram terræ decidens moriatur, absque fructu solum permanet. Quod si mortuum sit, non ipsum tantum aliam formam magis præstantem acquirit, sed porro multum fructum fert. Nec est fidelium 25.
& qui mei discipuli sunt, dissimilis ratio. Quamobrem qui hujus vitæ studio ductus ab officio defecerit, vitam quæ vere vita est, perdet: contra qui vitam hanc cum dispendio fidei & bonæ conscientiæ continuandam non negligit modo, sed quodammodo etiam odio habet; is illam ad vitam æternam servabit. Pro- 26.
inde si quis mihi minister esse velit, is me, cum res postulat, voluntariam mortem oppetendo sequatur: sic enim fiet ut mecum in terris morte & perpessionibus communicans, mecum in cœlo futurus sit, quem & Pater meus honore afficiet.

PRAXIS.

SVmma, Christus rogatus ut se à Græcis quibusdam spectari pateretur, de gloria consequenda, sed non nisi præmissa cruce & ignominia, disserit.

Partes,
- Petitio ut sui videndi & spectandi Græcis copiam faceret.
- Christi responsio ad sequestros & internuntios.

Quod Proselytæ isti Christum videre cupiunt, videtur non reprehendendum. Cum enim in Christi vultu relucebat admirabilis gravitas & autoritas, &c. Hic enim Proverb. locum habet, ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, *of looking cometh liking*. Si enim Apostolus ægre caruit præsentia & conspectu fidelium, 1 *Thessal.* 3,10. Si fideles ex orbitate Apostoli nunquam post ab iis conspiciendi ingentem dolorem acceperunt. *Actorum cap.* 20. *ult.* nedum

Vers. 20. *Græcorum studium videndi Christi laudatum.*

dum,&c. Quod si illum in terra humilem & mortalem videre & intueri ad momentum temporis jucundum fuit, quanti erit, illo mortali & glorioso indesinenter frui.

Vers.21. *Vrbanitas.* *Venerunt ad Philippum.*]Quem ex Christi domesticis fuisse intellexerant, ut illius adminiculo ad Christum,&c. reveriti ejus gravitatem & autoritatem. Quo exemplo docemur modestiam & morum urbanitatem Christianum hominem decere: contra dedecere inverecundiam & effrenem nonnullorum audaciam, qua nonnulli se in omnia loca, cœtus, mensas ingerunt. *Objectio:* ergo non nisi per sequestros ad Christum precibus accedendum. *Respondeo:* absurdum 1. civilem urbanitatem ad præcipuum cultum contorquere. 2. Isti Græci nondum Christum norant. 3. Philippus hæsitavit: neque eorum petitionem ad Christum attulisset, nisi Andræas eum animasset: ut semper suspensi maneant necesse est, qui tales sequestros consectantur. 4. quod nihil ex Euangelio liquet an pro Græcis quid obtinuerit. Vide *Matth.* 15. ubi Apostoli pro fœmina intercedentes repulsam passi sunt; cum fœmina eaq; Cananæa causam propriam agens Christum exoravit. Quod si Christus istis Græcis mandasset, ut ad se recta sine sequestro venirent, ecquis tam vecors est qui,&c. atqui nobis mandavit ut ad se &c.*Matth.*11, 28. *Iohan.*6. Deinde promissum annexum habemus, fore ut exaudiamur. Stultum est ergo *cisternas nobis effodere, &c. perennem aquam vitæ contemnere*; ex puteis bibere, cum ex fonte bibendi copia concedatur.

Vers.22. Philippus gravitatem Christi reputans,& quam inanem gloriam aversaretur, secum addubitavit, Andræam consuluit,&c. *Observandum*, petitiones nostras non esse temere profundendas, sed ad examen præceptorum & promissionum tanquam βάσανον reducenda. Quod si tum factum est cum Christus humilis in terra: &c. nedum,&c.Neque tamen (sicut fit apud principes terrenos) dubitemus res vel minimas (modo ex præceptis & promissis) ei committere; ipse enim omnium moderator, &c. An Christus hanc petitionem admiserit, quia Euangelista tacet, in medio relinquendum est.

Vers.23. Putabant Apostoli tempus jam appropinquare, quo Christus gloriosus fieret. Fatetur Christus: sed prius mortem ignominiosam &c. quod declarat similitudine à grano frumenti, quod nisi in terram cadens, corrumpatur,&c.sic,&c. sic Christus sæpe se flagellandum, morti tradendum,&c.Et Prophetæ, Esaias præsertim. Vide 1 *Pet.*1,11. perpessiones Christi & gloriam consequuturam. *Discipulorum error à Christo refellitur.*

Nota miram istorum pravitatem & impatientiam, simul & nostram: qui etsi millies audiamus ad gloriam per crucem transeundum esse,&c. tamen,&c.

Vers.24. *Discipulis cum Christo patiendum erat.* Quia autem Apostolorum perpessiones cum suis perpessionibus conjunctæ futuræ erant, ideo eos monet & argumento ab adjunctis, pœna & præmio. Vide hac de re quæ in *Matthæi cap.*19. annotata sunt. Christi ministri non ut servi principum & magnatum terrestrium qui semel in anno, &c. *releyners*, sed assidue eum sequi, & illi administrare debent.

Vers.25. *ut cum ipso glorificarentur.* Æquissimum autem est quod Christus flagitat. Quis enim herum in labore, &c. præeuntem non sequatur, etsi conservos non concomitaretur. Vide exemplum Armigeri Ionathani; item Abneri, qui Davidem ad castra Saulis secutus est, ubi nullum mortis effugium patebat. Quod si mortalem herum non sequi turpe esset: nedum &c. Quanquam Christus ne millesimam quidem crucis partem nobis imponit quam ipse pro nobis pertulit. Heri mortales hoc à servis suis postulant suo commodo: Christus autem, ut illi in gloria conformes fiamus.

Observandum, quanto honore Christus servos suos dignatur, nempe ut eodem loco sint, eadem mensa comedant, cubiculo reclinent, regno donentur, corona ornentur. Quam multi servi post fidele multorum annorum servitium aut inanes ablegantur, aut tenuiter remunerantur. Olim summa honoris erat regis mensæ assidere, &c. Atque ut cætera largissime profundant, regni tamen sui zelotypi sunt, nec consocium, nedum multos patientur.

Observandum, contra ubiquitarios, Christum ibi jam esse, ubi nos olim erimus: nos vero certo loco continebimur in cœlis, ergo Christus uno eodemque tempore in diversis, nedum in omnibus locis non est.

IOHAN. *cap.* 12. *à vers.* 27, *ad* 37.

27 Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater, libera me ab hac hora: sed propterea veni in horam hanc.

28 *Pater, glorifica nomen tuum; Venit ergo vox è cœlo,* dicens; *Et glorificavi, & rursus glorificabo.*

29 *Turba ergo quæ adstabat & audierat, dicebat; tonitru esse factum. Alii dicebant; Angelus ei loquutus est.*

30 *Respondit IESVS & dixit; Non propter me hæc vox extitit, sed propter vos.*

31 *Nunc judicium adest mundi hujus: nunc princeps ille mundi hujus ejicietur foras.*

32 *Et ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad meipsum.*

33 *(Hoc autem dicebat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.)*

34 *Respondit ei turba; Nos audivimus ex Lege,* Christum *manere in æternum: quomodo igitur tu dicis oportere tolli Filium hominis? quis est iste* Filius *hominis?*

35 *Dixit igitur eis IESVS; Adhuc parvo tempore lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant; nam qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.*

36 *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut Filii lucis fiatis; Hæc loquutus est IESVS: & quum abiisset, occultavit se ab eis.*

ANALYSIS.

Describitur Christi conturbatio primum à subjecto, nempe anima sua: deinde ab adjuncto tempore, nempe dum hunc de morte sua sermonem habuit; post ab effecto, dubitatione quid precibus à Patre peteret; item alio effecto, petitione ut Pater illum ab hac formidabili morte servet; quam petitionem adjuncta correctione revocat: quam arguit à fine adventus sui in hunc mundum.

Vers. 28. Alia petitio à priori illa disparata, ut Pater nomen suum glorificet, ut ut gravissime crucietur; cujus effectum est responsum Dei; quod describitur subjecto loco unde emissum est, deinde species responsi & forma proponitur, *Deum*, prout petierat Iesus, *eum glorificaturum*; quod confirmatur ab adjuncto, veritate & constantia Dei, quia cœperat jam ante illum glorificare.

Vers. 29. Adjunctum hujus vocis cœlitus emissæ est, quod turba illam audivit; cujus auditionis effectum est in his quod esset tonitru, in illis quod Angelus Iesum alloquutus est præsertim.

Vers. 30. Cujus posterioris sententiæ effectum est, Christi responsum; quo refutat illam quod existimarent Christi causa hanc vocem cœlitus emissam, quam refellit à diverso, non sua, sed eorum causa demissam esse.

Vers. 31. Describit effectum mortis suæ, nempe mundi in ordinem redactionem; quæ suo efficiente declaratur, quod diabolus mundi princeps ejiciendus esset sua morte.

Vers. 32. Aliud effectum mortis Christi, nempe attractio omnium electorum ad se.

Vers. 33. Descriptio vocis quam dixit de sua in altum elatione, nempe nihil aliud esse, quam illum morte crucis pro nostris peccatis plectendum.

Vers. 34. Christi dicti de sua exaltatione effectum turbæ responsum, Iesum non esse Christum, ab adverso: tolli enim è mundo & manere semper in mundo (quod Christo convenire comminiscebantur) non possunt consistere; cujus item aliud effectum sequitur, quæstio, *quis est filius ille hominis qui attollendus est?*

Vers. 35. Hortatur ut ambulent in luce, quamdiu lucem habent; quam adhortationem confirmat ab adjuncto, tempore exiguo quo luce fruuntur; item ab adjuncto periculo ne in tenebris versentur; cujus adjunctum proponitur, nescire quo quis eat.

Vers. 36. Descriptio est ejus qui ambulat in luce, nempe credere in lucem; ad quam fidem hortatur à fine, ut sint filii lucis. Deinde narratur effectum hujus sermonis quem habuit, nempe persequutio Christi; cujus item effectum est quod Iesus se abdidit.

METAPHRASIS.

Hoc ipso tempore mentione & commenta- 27.
tione formidabilis mortis quæ perferenda
mihi est, maxime cum tam prope adest, anima
mea perculsa & conturbata est. Quamquam
vero in Dei invocatione remedium mihi para-
tum esse probe novi, tamen quid potissimum
precer, nescio. Pater erue me ab infernalibus
pœnis, quæ me mox, tempore abs te præstituto,
perferendæ manent. Sed retexo & revoco me,
quandoquidem hoc consilio in hunc mundum
veni ut has pœnas subeam. Quamobrem ut 28.
sententiam, sic orationem muto; Pater quic-
quid sit, etiamsi mille mortes mihi obeundæ
essent, tamen glorifica nomen tuum. Vnde est
ut vox de cælo exaudita sit. Sicut capi tuo in
prædicatione Euangelii & miraculorum edi-
tione, ministerio nomen meum gloriosum red-
dere; sic in hac morte quam perferes & quod
illam sequitur, gloriam meam quam notis-
simam efficiam. Turba igitur quæ adstabat & 29.
hæc auribus hausisset, dixit (propter vocis so-
noritatem)

noritatem) tonitru esse. Alii dixerunt Angelum Iesum alloquutum fuisse. Ad quos Iesus:
30. *Erratis si mea potissimum causa hanc vocem cœlitus demissam esse existimetis, cui exploratum satis est Deum Patrem suam gloriam mea morte & his quæ eam sequentur propagaturum; sed vestra causa cœlitus demissa est, ut me Patri unice dilectum cognoscentes, in me fidem collocetis. Appetit jam tempus cum*
31. *mortis meæ virtute, Diabolo tyrannidem in mundo exercente ex animis hominum in me credentium ejecto, rectus ordo & judicium in mundo obtinebunt. Et ego cum in crucem ela-*
32. *tus è medio sublatus fuero, merito passionis meæ omnes cum Iudæos tum Gentes ad mei participationem attraham, & ex nolentibus volentes efficiam. (Hoc dixit Iesus de sua in*
33. *altum elatione, ut sicut prius se moriturum prædixit, sic quo genere mortis plectendus fo-*
34. *ret, non obscure significaret.) Respondit turba: Scripturæ testimonio accepimus Christum in æternum duraturum: Quomodo igitur consistere potest te (qui Christum teipsum prædicas & quem discipuli tui Christum esse docent) filium hominis è medio sublatum iri? dic igitur, amabo, quis est ille filius hominis, quem tu è medio tollendum esse affirmas? Quisquis autem est; illud certum est, illum non esse Chri-*
35. *stum populi redemptorem. Ad quos Iesus: Non libet mihi his vanis quæstiunculis meipsum fatigare. Illud unum admoneo, ut dum ego, qui lux sum mundi, vobis in Euangelii prædicatione præluceo, in luce illius doctrinæ proficiatis; ne tenebræ quas vestra scelera accelerant vos non cogitantes comprehendant: qui etenim in tenebris versatur, quid agat nesciens, passim impingit, quoad tandem pereat.*
36. *Quod dico de conversatione in luce dum lucet vobis: de fide in me (qui lux sum) omnis illuminatæ actionis fonte & scaturigine intelligi volo: sic fiet ut in his numeremini & ad illos aggregemini, qui luci æternæ hæreditate possidendæ destinati sunt.*

PRAXIS.

S*umma.* Precum Christi animo conturbati ex sensu & meditatione futuræ crucis, effecta.

Partes, { Preces Christi animo conturbati ex sensu, &c. / Earundem effecta.

Vers. 27. *Christus animo perturbatus.* Meditatione crucis appropinquantis, torquetur, horrore corripitur, quo se vertat nescit. Hoc discipulis proponit, ut crucis exspectatio (quam omni ratione excutere conabantur) altius eorum animis insideret.

In his angustiis ad preces, tanquam ad asylum, confugit. Vide *Psal.* 64,14. & 109,4. *Nehem.* 1,4.

Quod tamen nihil præcedenti fortitudini detrahit. *Objectio:* Magna videtur fuisse in Christo inæqualitas: ante animose ad mortem Hierosolymam versus profectus est, nunc, &c. *Respondeo:* Hoc indicat ipsum verum fuisse hominem: homines enim malo appropinquante magis percelli solent, quam cum longe abest, &c. *Objectio:* At quam indignum est eum qui aliis omnibus mortem veritatis causa animose obeundam & intrepide perferendam suadet; metu mortis animo consternari. *Respondeo:* Nos hoc modo ad mortem obeundam magis animari. Si enim metus expers ad mortem profectus fuisset, facile excepissent fideles; illi facile fuisse, &c. qui nullo sensu acerbitatis, &c. nunc vero cum ipse, &c. non esse propter ullam mortis acerbitatem ab officio discedendum.

Quod Christus ad momentum commentatione infernalium pœnarum mortem hanc deprecatur, eo fit quod ejus divinitas suam operationem aliquantulum ab humanitate subduxit: nisi quod illum ad precandum Deum direxit, & ut se voluntati Patris conformaret, effecit.

Perpessiones Christi incredibiles. *Nota* incredibiles Christi perpessiones, quarum vel sola cogitatio Dei filium tam graviter perculit, eumque obstupefecit, qui tanta fortitudine præditus est, quantæ nullus unquam nec homo nec angelus vel minima pene parte donatus est: tamen reperti sunt inter homines, qui non modo non ad mortis mentionem, sed ne ad mortem ipsam cohorruerunt: quique exquisitissima tormenta ita pertulerunt, ut vix vultum mutarint; imo quandoque magna lætitia &c. Ex quo apparet quam sunt in Christum blasphemi, qui illum communem tantum crucem, illi similem quam latrones, &c. pertulisse dicunt, aut vero etiam putant.

Christus in has angustias ideo conjectus est, ut nos istis difficultatibus & animi anxietate liberaremur: unde enim est quod pii per media pericula & mortes non ita conturbantur, quin quo se vertant probe sciant (vide 2 *Corinth.* 4,8. θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι) nisi quod Christus nostro nomine hoc in se suscepit, ut nunquam ad desperationis petram allideremur.

Fieri tamen potest ut dubii & animi pendentes simus, atque ita anxii, ut de salute dubitare incipiamus: sed ne mergamur efficit, quod

quod Christus has difficultates pertulit. Vide 2 *Cor.*4,8. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. In his difficultatibus exemplo Christi ad preces confugiendum, & ad Christum qui magnus consiliarius, &c. *Esa.* 9.

Orationis perturbatioris correctio. Anima conturbata, orationem paulo perturbatiorem profert. Primum enim cum hominis incorrupta natura à nociturus refugit atque abhorret, ex illo incorruptæ naturæ sensu petitionem in medium affert, ut possit ab instante jam hora, &c. sed memoria ad momentum ex sensu futuri cruciatus labante, cum illico recordaretur se in hunc mundum venisse, ut, &c. retexit se, ἐπανορθώσει utitur, ob eamque causam ita concludit, ut Pater glorificet nomen suum, quasi dicat, quicquid de me fiat, tametsi mille mortes, tormenta, &c. ita fac ut nomen tuum glorificetur. Singulare exemplum à nobis imitandum, ut cum rem ultra citraque omnino versavimus, hinc grata nobis consulentes, istinc Dei obsequium cum maximis conjunctum periculis: tandem nos totos Deo resignemus, & illud expetamus, quod ad gloriam, &c. sive hoc fiat rebus prosperis, sive adversis, per honorem, infamiam, vitam, mortem, &c. Vide 2 *Sam.*15,25,26.

Hactenus de priore *parte*.

Vers.28. *Christus à Patre exauditus.* *Vox è cœlo.*] Vt omnes intelligerent se à Patre auditum & exauditum esse. *Glorificavi.*] Nempe miraculis & doctrina quibus Christus Dei gloriam quæsivit. *Glorificabo*] Dei constantia, qui quod semel incipit, perficit.

Vers.29. *Turbæ conjecturæ de voce edita.* Christus, turba de voce cœlitus demissa divinante, quid ipsa velit & quem sensum haberet, exponens, eidem turbæ de mota inde difficultate respondet.

Partes,
- Responsum Christi ad divinationem turbæ de voce cœlitus demissa.
- Difficultas à turba ex verbis ejus excitata.

Tonitru.] Non existimandum merum tonitru fuisse, vocis articulatæ expers; sed Deum ex tonitru loquutum, ut Iobo *Ex turbine*. Et *Apocal.*10. septem tonitrua dicuntur edidisse voces suas; Hac ratione Deus eorum animos ad reverentiam comparare voluit. Quod si Dei vox quæ misericorditer & amanter edita est, tam formidabilis sit: quantus horror futurus est illius vocis quam iratus edet? Quis leonis tribus Iehudæ rugitum & fremitum feret? Discamus ergo suavissimis Dei in Euangelio vocibus proficere. Vide *Iob*, ubi Eliab se à Deo datum dicit, loco Dei, ne illius majestate consternetur. Quod si his tam mansuetis vocibus non commovemur, supersunt aliæ voces nobis audiendæ, quæ sua nos majestate obruent.

Angelus.] Neque hoc alienum quod hanc sonoram vocem angelo tribuant, cum sub mundi finem archangelus voce sua tanquam tuba totum mundum, atque adeo mortuorum aures personaturus sit.

Non propter me.] Is enim erat à seipso ornatissimus, etsi nemo eum honore afficeret. *Ioh.* 5,33,34. *Sed propter vos.*] *Doctrina generalis:* Vniversam scriptam doctrinam nobis & nostro commodo proponi, non quod Deo aut Christo quicquam sive accedat si &c. sive decedat &c. *Iob.* 10,15, & 35,7,8. *Quis prior dedit ei, &c. Rom.*11,35. Vers.30. *Omnia propter fideles.*

Singularis consolationis est Christum gloria ornatum esse propter nos. Quod in tota Christi gloria & felicitate & singulis ejus partibus spectandum est. 1 *Pet.*1,21. *Expedit vobis ut ascendam ad Patrem. Iohan.* 16,7. Ad dextram Patris subvectus est, ut pro nobis intercederet. *Rom.*8. *Col.*3,1.

Effecta quibus Deus glorificetur, quod mundi judicium & discretio fiet. Omnia in mundo susque deque ferebantur; ut initio creationis, omnia tenebris confusa & convoluta, &c. nunc tempus advenisse docet, quo omnia in ordinem redigantur, &c. vide *Matth.*12,18,20. vide *Luc.*3,4,5. *montes dejicientur, valles, &c. Nota,* omnia sine Christo & Euangelio tenebricosa & confusa, etiam respub. ordinatissimas; nullam veram pietatem, probitatem, &c. perpetuam noctem & tenebras; desidere eos in umbra mortis & Dei iram manere super eos: sine Euangelio solitudo sumus, imo ut feræ deserti, quas venatores quotidie ad interitum venantur, &c. Vers.31. *Quibus Deus glorificetur.*

Principem hujus mundi.] Vocat diabolum, qui hujus confusionis & perturbationis parens est. vide *Ephes.*2. eo igitur ejecto, impietatem & injustitiam omnem exturbari necesse est. Hinc constat unde falsus cultus & morum depravatio fluit; nempe à Diabolo. Si igitur eum odio habemus, ut præ nobis ferimus, profecto ista odisse necesse est: qualis enim ipse est, talia sunt quæ ab ipso proficiscuntur omnia. Si ab improbo improbitas, 1 *Sam.*25,13. nedum ab improbissimo. Mundi princeps dicitur, 1. quia mundus ab illo regitur, & ejus tyrannide tenetur. *Eph.*2. 1 *Corinth.*5,5. *tradat ut Sathanæ.* Quare, qui suis cupiditatibus quas diabolus insufflat & accendit,

accendit, parent, nec concupiscentiis, *(quæ adversus animam militant,* 1 *Pet*.2,11.) reluctantur, ei tanquam principi parent. Deinde mundi princeps dicitur, quod maxima pars mundi, non modo ante Gentium vocationem, sed & hodie ab eo regatur: non quod jus aliquod in mundum habeat, cujus Christus est hæres,&c. sed &c.

Vers.32, 33. *Christus in cruce victor.* Causam hujus reformationis in mundo denotat suam crucem, in quam efferendus erat. Morte in altum attollendus erat, (ut à toto orbe conspiceretur, non deprimendus) ut illi existimabant. In cruce enim cum diabolo & inferis commissus, illa omnia vicit & triumphavit: &c. *Nota,* quam magnifice de cruce loquitur; quamque alio modo ut illi putabant.

Traham.]Christus in crucem sublatus, instar magnetis, &c. *Omnes.*] non modo Iudæos, sed & Gentes, servos, liberos, viros, fœminas: peccata enim in cruce expiata sunt, inimicitiæ peremptæ,&c. Idem hic filio tribuitur, quod ante Patri. *Iohan. caput* 6, *vers*.44. *Nisi Pater traxerit.* Contra liberum arbitrium.

Sequitur pars altera de responsione Christi ad difficultatem quam turba ex sermone ejus arripuit.

Partes sunt, { Quæstio à turba mota. / Christi responsio.

Vers.34. *Turba probare conatur Iesum non esse Messiam.* *Nos audivimus ex lege, &c.*] Argumentum ducunt ab adversis. Christus manet in æternum: tu tamen dicis te debere tolli; ergo non es Christus. Propositio probatur ex scriptura quæ de Messiæ æternitate passim, nominatim *Psal*.110,4. Hinc videmus quam ingeniosi sint homines ad seipsos fallendum, qui alioqui hebetes sunt. *Ierem*.4,22. *Populus meus stolidus est, sapiens ad malefaciendum,&c.* Non renati omnem suam sapientiam & animum ad proprium interitum convertunt. Quare stultos nos esse oportet, ut fiamus sapientes. 1 *Cor*.3,18. Ne sapiamus judicio nostro. *Prov*.3. nec prudentiæ nostræ innitamur: est enim scipio arundineus, Ægyptiacus.

Notandum primo non satis esse in scriptura versari, nisi invocato Dei nomine eam legamus,&c. *Secundo,*Impios ex scriptura avide arripere quæ illis allubescant, præteritis quæ non minus necessaria, &c. Iudæi in splendore & magnificentia Messiæ sese oblectantes, ea didicerunt quæ majestatem, &c. crucem vero, & mortem ejus, non minus quam magnitudinem in scriptura comprehensam, cæcis oculis præteribant. Sic fit à à nostris hominibus, &c.

Adhuc parvo tempore,&c.] Quasi dicat vos languide & frivole disputando & addubitando tempus teritis, oportunitatem lucis oblatam negligitis: quasi vestro arbitrio hoc beneficium vobis expositum foret, erratis: hoc genus nundinarum in quo æternæ vitæ merces vobis gratis veneunt, non semper duraturum; imo per exiguum tempus ego, qui lux sum mundi, apud vos mansurus, &c. Vers.35. *a Christo reprehenditur.*

Hic docemur, ne nostram ad Deum conversionem proferamus de die in diem, &c. Deum accedamus dum præsto est. Sæpe fit, ut veritas contumeliose repudiata irata ilico discedat, nec unquam revertatur. Euangelium alicubi male habitum, diu cum iis conflictatur, & se veluti obtrudit, alibi velut obiter transit, salutem una & vale dicit. E filiis Isaschar. יודעי לעתים בינה. 1 *Chron*. 12,32. sic consiliarii Regii Ester. 1. Hæc peritia temporum in spiritualibus longe præstantior. Agricola tempus sationi & messi oportunum observat: quanta diligentia utitur, de nocte surgit, &c. ut tempestive, &c. quanto magis,&c. Vt eorum tarditatem corrigat, se luci, vel soli potius, totius mundi luci, comparat; unde facile intelligant quam illo opus habeant, quam bene cum illis agetur, si tempestive oculos aperiant; quam male si &c. vide quæ in *cap*. 8. notantur.

Ambulate dum lucem habetis.] Id est, ad lucem vias vestras exigite & ex lucis præscripto instituite, ut homines solent mundi hujus negotia lucis beneficio exsequi. *Ne vos tenebræ,&c.*] Argumentum ab adjuncto periculo ductum. Qui in luce versantur iis sol nunquam occumbit: semper illis expositum est quid faciant, quo vadant, &c. contra, &c. unde constat *Pontificios* in tenebris versari, ut qui nesciant cum hinc discedunt; quid illis fiat, num ad cœlos, an ad infernum, an ad purgatorium tendant.

Credite.]Exponit quid sit in luce ambulare, ut Christus nobis lux sit, credendum: credentibus fit lux, *cibus Iohan.* 6,35. *Potus Ioh.* 4,10. *Pastor Ioh.* 10, 11. *ostium ibidem, vers*.7. *vitis, Iohan* 15.1. Denique omnia. Fructum credendi annectit, *ut sitis filii lucis,* id est, ii quibus admirabilis in cœlo lux reposita est. Lux enim ista quæ hic in cordibus nostris exoritur, nunquam extinguetur: sed tandem infinite multiplicabitur: contra qui lucem Vers.36. *Addita exhortatione ad fidem.*

lucem contemnunt, in tenebras tandem exteruas præcipitabuntur. *Abiens occultavit se*] facto confirmat quod ante denunciaverat, lucem non semper apud eos permansuram.

MARC. *cap.* 11, *à vers.* 11, *ad* 19.

11 *Qumque circumspexisset omnia, & vespera jam hora esset, abiit ad Bethaniam cum illis duodecim.*

12 *Et postero die quum exissent Bethania, esuriit.*

13 *Quumque procul vidisset ficum habentem folia, venit* visurus *videlicet num inveniret aliquid in ea: & quum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia, non enim erat tempus ficuum.*

14 *Tunc respondens IESVS, dixit ficui; Ne amplius ex te in seculum quisquam fructum comedat;* Et hoc *audierunt discipuli ejus.*

15 *Veniunt igitur Hierosolymam; Et ingressus IESVS in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.*

16 *Nec sinebat ut quisquam deportaret vas per templum.*

17 *Et docebat, dicens eis; Nonne scriptum est, domum meam domum precationis vocatum iri ab omnibus Gentibus? vos autem eam fecistis speluncam latronum.*

18 *Et* hoc *audierunt Scribæ & primarii Sacerdotes, & quærebant, quomodo eum perderent; timebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrina ipsius.*

ANALYSIS.

Effectũ Christi est, eum omnia circumspexisse; deinde aliud effectũ narratur, eum Bethaniam rediisse; quod duobus adjunctis explicatur, cũ jam esset verspera; & cum comitatu duodecim Discpulorum.

Vers. 12. Narratur reditus ad urbem adjuncto tempore, nempe postero die; item alio adjuncto, quod fame urgebatur.

Vers. 13. Cujus famis adjunctum est, quod vidit ficum; quæ visio suo subjecto loco declaratur, nempe procul dissitam: adjunctum etiam fici est, quod folia ferebat. Effectum vero famis est, quod quærebat fructum in fico: cujus adjunctum est, quod non invenit fructum; quod suo disparato declaratur, quod non nisi folia invenit; quod arguitur ab adjuncto tempore, quia tempus anni non ferebat ut fructum adhuc ferret.

Vers. 14. Quod non invenit fructum, ejus adjunctum est, quod Christus exsecratione ficum perdidit; cujus effectum est ne unquam deinceps fructum ferat. Cujus exsecrationis adjunctum est quod discipuli hanc exsecrationem audirent.

Vers. 15. Vide supra.

Vers. 16. Partem unam Prophanationis templi indicat; unde argumento à comparatione minoris exaggerat prophanationem 15. *vers.* descriptam.

Vers. 17. Vide supra.

Vers. 18. Adjunctum repurgati templi & defensæ repurgationis, quod quærebant Scribæ & Pharisæi Iesum interficere. Cujus instituti causa corrumpens est, quod metuebant sibi à populo; cujus item efficiens assignatur, quod totus populus obstupuit ex doctrina Iesu.

METAPHRASIS.

11. *Postquam, circumspectis rebus omnibus quæ ad templi repurgationem spectabant, repurgationem absolvisset, quod vespera jam esset & nox appeteret, ut in instituendo populo diutius versari nequiret: una cum duodecim Discipulis qui in comitatu ejus erant, urbe egressus Bethaniam orandi causa profectus est. Postero vero die Bethania egressi cum essent,* 12. *ut Hierosolymam regrederentur, tota illa nocte jejunus & incœnatus, fame corripi cæpit. Con-* 13. *specta vero ficu, quæ loci intervallo longius distabat, ad eam (quod foliis diffluebat) spe nonnulla fructum percipiendi profectus est. Illam vero accedens, nec præter nuda folia quidquam inveniens (neque enim tempus maturitatis ficuum consuetum & ordinarium venerat.) Ie-* 14. *sus oratione ad ficum, quæ creatoris sui vocem agnovit, conversa, dixit; numquam ex te fructus hominum esui destinatus deinceps progignatur: quam maledictionem, tam clara & aperta voce enuntiavit, ut omnes illam discipuli ejus exaudirent. Vide supra. Quo autem* 15, 16. *Sacerdotes & Scribas magis ad Prophanandum templum obfirmatos animadverterat, eo fuit ad illud repurgandum magis incensus, ut ne vas quidem per templum deportari passus sit. Vide supra. Quæ cum Sacerdotes & Scri-* 17, 18. *bæ audivissent, se peti sentientes, ut illum perderent commodam aliquam & à periculo seditionis remotam ansam quærebant: timebant enim aperte vim illi inferre, quia turba obstupefiebat præ admiratione doctrinæ, quam tanta cum gratia & majestate proposuit.*

PRAXIS.

SVmma. Christus potentia sua in desiccanda fico, & templo perpurgando declarata, doctrinam & adhortationem utrique facto convenientem apponit.

Partes sunt { Secundo } Die post ingressũ
gesta Christi { Tertio } in Hierosolymã.

Vers. 11. *Christi in templo purgando zelus.*

Περιβλεψάμενος πάντα.] Intelligit quæ in templo gesta erant; ut non prius discesserit è templo quam illud deformitatibus repurgaverit.

Vers. 12. *Mane rediens cibum negligit.*

At mane rediens, & jentaculum festinatione (ut videtur) negligens, dum iter Hierosolymam faceret, fames eum ussit, maxime cum de nocte non cœnasset. Quod 1. eum verum hominem fuisse confirmat: 2. ejus amorem indicat, qui eam difficultatem pro nobis tolerare non recusavit. Discamus ergo sitim & famem ipsius causa perferre, &c.

Vers. 13. *Cur ficum adeat.*

Non erat tempus ficuum] *Quæstio:* quomodo ergo ficum adiit? *Respondeo:* 1. tempus ficuum appropinquasse, tametsi nondum advenisset; constat ex anni tempore quo hæc gesta sunt. 2. luxuries foliorum videbatur spem facere præcocioris fructus & ordinarium tempus anticipantis. 3. Christum fame pressum voluisse fructus nondum maturos edisse. 4. notum est quam exigua spe cibi, famelici cibum quærunt. Fructum non offendit, nec tamen irritus erat illius & discipulorum labor: quippe propriore accessione ad ficum, ejus virorem & luxuriem probe animadvertentes, eo magis in miraculo profecerunt, quo ariditas insequens cum virore comparata, miraculum magis illustravit, præsertim in ficu quæ maxime succulenta est; unde Adam & Eva ex fici foliis subligacula, &c. Quo docemur Dei providentia fieri ut rem aliquam frustra quærentibus, alia interdum nobis obveniat melior & utilior. Quod cum aliquando iis accidat qui vetita & illicita quærunt, ut Paulo *Act.* 9. & servis Saulis Davidem persequentibus. (Prophetarunt enim) &c. nedum hoc fiet cum honesta & legitima quærimus, &c.

Vers. 14. *An recte eam devoveat.*

Maledixit ficui, & perpetuæ sterilitati devovit. *Quæritur*, An recte, &c. maxime cum Deus lege caverat arboribus frugiferis parcendum, &c. vide *Deut.* 20, 19. præsertim cum in agris crescens communi viatorum usui inserviebat. *Respondeo:* Istud ad discipulorum fidem adhibitũ est, quæ omnes ficus, quas terra unquam latura esset, longe superat, &c. arida enim dulciorem & pretiosiorem fructum tulit, quam viridis: viridis corporibus profuit; arida animis, & quidem eorum, quorum in fide firmitas post toti mundo profuit; quare ante paucis Iudæis profuit, nunc toti orbi. Deinde hoc miraculo declaravit, se non minus potentem esse in hostibus perdendis, tametsi in terris agens hanc vim non exercuit, quam in sanandis hominibus & beneficiis conferendis. Non est igitur canis ille Porphyrius audiendus, qui hoc Christi factum calumniatur, ac si iracundia correptus, &c. Nec alienum est quod arborem alloquitur: hoc enim modo divinitatem suam probat, qui mutas creaturas, &c. alloquitur, ac si auritæ essent & rationis capaces: sic mare & ventos alloquitur, &c.

Quam autem flagrabaret studio divinæ gloriæ propagandæ ex eo constat, quod cum perinde facile ei fuisset verbo ficus ex arbore evocare, & ut amigdalos *Num* 17. una nocte maturare; tamen quia arefactio arboris compendiosior ad Dei gloriam & discipulorum salutem, &c. Quod nos doceat accepta à Deo dona, non tam ad nostrum commodum, quam ad aliorum, Ecclesiæ præsertim, compendium, &c. neque vel edere vel bibere velle cum maxime fame aut siti premimur, si illud cum Ecclesiæ aliqua jactura fiat. Quæ res amplificari adhuc magis possit ex eo quod Christus Hierosolymam ingressus, præterito diversorio ubi se reficere potuisset, recta ad templum proficiscitur, tanquam famis oblitus.

Vers. 15. *Iudæorum templi abusus.*

Templum tanquam urbis & regni arcem conscendit, ut ea sarta tectaque, urbs adversus hostium incursiones armatior esset. Illud autem non offendit, ut olim pii reges desertum pulverulentum & hinc inde collapsum, sed multorum hypocrisi & avaritia violatum, dum ibi per spem cultores juvandi, mercaturam exercebant. Nam cum cultoribus ditioribus, vituli, agni, boves, capræ; tenuioribus vero pipiones & columbæ comparandæ essent; deinde cum pecunia minutior ad varios usus sacrificiorum necessaria foret, ut saltem oleum, farinam, &c. coëmerent, Sacerdotum avaritia factum est, ut ista omnia in templum irrepserint; ut cultores qui undique confluerent, cum omnia sibi parata cernerent, prolixius offerrent, &c.

Vers. 16. *Fœditas prophanationis templi; Christi potentia & zelus.*

Sed nec vas per templum ferri sustinuit, etsi humeris impositum pavimentum templi non attingeret. Hoc modo docuit quam fœda fuerit Prophanatio mercaturam in

templo exercere, cum ne vas quidem per templum ferre licuit. Hæc cum unus Christus inter homines pertinacissimos & animis in eum exulceratissimis præditos faceret, egregium potentiæ divinæ specimen edidit. vide in *Ioh.*2.

Ex *Matthæo* apparet illum superiore die templum purgasse, nunc iterum idem opus aggreditur. Hic omnes illum stultitiæ arguerent, quod in templo purgando, quod mox denuo prophanandum erat, operam collocat. Vnde discimus nobis incumbere, ut quod officii nostri est prosequamur, tametsi hominibus labor noster cassus & inanis esse videatur.

Deinde cum tantæ corruptelæ in templo invaluissent, videtur non tam prudenter à Christo factum, quod ne vas quidem per templum ferri passus est. Debebat, ut videtur, ad illud connivisse, donec in majoribus corruptelis perpurgandis palmam obtinuisset. Contra vero Christo zelus crevit; sicut Pharisæorum & Sacerdotum obstinatio in prophanando templo aucta est.

Hic discendum quam religiose Ecclesia, quæ templum veritatis est, ab omni corruptela vindicanda & perpurganda est. Quam etiam nosmet qui & templum & vasa templi sumus, ab omni peccati labe & macula, &c. gravius enim vindicabitur, qui &c. quam qui templum polluebant.

Vers.17. *Reprehensio in Iudæos stricta;*

Quod templum *orationis domum* esse dixit, non sacrificiorum, eo Propheta indicasse videtur umbrarum profligationem, & corporis præsentiam, qua umbræ profligatæ sunt. Propheta enim *Esa.*56,7. Verba facit de Euangelica Ecclesia, ut Christus hæc verba à veritate ad figuram traduxisse videatur. Vide locum. Idem scelus prophanationis templi iterantibus non erubescit eadem testimonia & argumenta reponere quibus ante usus est.

Latrocinii nomen ad eos accommodat, qui quæstum turpem faciunt, etsi nihil nisi suum vendant, etsi nihil nisi ex mutuo contractu accipiant ab emptoribus. Neque enim satis est si quis victum ex labore quærat, nisi quod bonum est operetur *Ephes.*4,28. Atque hoc genus latrocinii sæpe reliquis, quæ ab omnibus damnantur, deterius est, tamen plurimi huic adhærescunt, ac si nulli hic accusatores, testes, commentarienses, carceres, &c. Σπήλαιον dixit, quod per speciem cultus divini, cui sacrificia & alia additamenta subministrarunt, eorum latrocinia minus erant conspicua. Sed stultum est hominum oculos fugere conari, Dei vero, &c. Perinde ac si latro ab omnibus, judice excepto, se subducere posse lætaretur.

Iam vero Ecclesia fit latronum & sceleratorum spelunca, cum homines conventus frequentent hoc consilio, ut liberius & minore cum suspicione suam nequitiam exerceant. Si vero princeps indigne ferret suum palatium in canum & porcorum latibulum transferri, nedum Deus, &c.

Sacerdotes & Scribæ cum viderunt se hoc modo de quæstu periclitari, ventres & culinas appeti, arcas exhauriri, ilico excandescunt, &c. *Discimus* quæstum & lucrum maxime in damno ponere ut Christum lucremur. *Phil.*2. quod contra non ab his tantum, sed à plerisque aliis fit, qui Christum cum lucri & rei familiaris dispendio non admittunt. Hoc etiam facto, arcano Dei consilio, exulcerantur magis, quo quod de filii Dei cruce præfinitum suo tempore erat, executioni mandaretur. Retinentur tamen frœno metus populi, &c. Sic justo Dei judicio fit, ut qui Dei timoris & reverentiæ expertes sunt, metuant sibi à populo, atque adeo à populi fece. Vers.18. *Quum Pharisæi & Scribæ ægre ferunt.*

Notandum porro, utrosque, & populum & religionis antistites sibi à se invicem metuisse. Hi ne populus sibi vim faceret, illi ne ἀποσυνάγωγοι fierent. Ita Deus alterum alterius veluti tyrannum & flagellum constituit. Sit ergo Deus timor noster: ita fiet, ut nec homines, nec dæmones metuamus; sin minus, à casu folii, & muris strepitu timebimus, &c.

MARC. *cap.* 11, *à vers.*19, *ad* 27.

19 *Quum vero vespera advenisset, egressus est IESVS extra urbem.*

20 *Et mane iter facientes prope ficum, viderunt eam exaruisse radicitus.*

21 *Tunc recordatus Petrus, dixit ei; Rabbi, ecce, ficus illa cui imprecatus es, exaruit.*

22 *Et respondens IESVS, dixit eis; Habete fidem Dei.*

23 *Amen enim dico vobis, quicumque dixerit monti huic; Tolle te & projice te in mare: nec addubitaverit in corde suo, sed crediderit futura quæ dicit, fiet ei quicquid dixerit.*

24 *Pro-*

24 Propterea dico vobis, quæcumque precantes petitis, credite vos accepturos: & erunt vobis.

25 Et quum adstiteritis precantes, remittite si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater ille vester qui in cœlis est, remittat vobis offensas vestras.

26 Nam si vos non remiseritis, nec Pater ille vester qui in cœlis est, remittet offensas vestras.

ANALYSIS.

DEscribit rursus egressum ejus ex urbe Hierosolymorum, ab adjuncto tempore, cum esset vespera & proinde populus ad suas domos redibant.

Vers. 20. Describit reditum ad urbem ab adjuncto tempore, mane; item alio adjuncto, nempe quod discipuli viderent ficum radicitus arefactam, ut est apud *Matth.* amplificatur miraculum ab adjuncto tempore, quod tam cito exaruit.

Vers. 21. Cujus visionis effectum quod Petrus meminit maledictionis qua Christus ficui maledixit: deinde adjunctum notatur, nempe indicatio hujus miraculi Christo, cum adjuncta admiratione; & apud *Matthæum* declaratur adjuncta admiratione omnium Apostolorum.

Reliqua pete aliunde, ubi hæc tractantur.

METAPHRASIS.

19. *CVm jam vespera appeteret & tempus missionis conventus Ecclesiastici, sicut prius ex urbe egressus in agrum Bethaniæ orationis ergo profectus est.*
20. *Mane autem in reditu ad urbem, in transitu viderunt illam ficum initio à radice facto penitus arefactam.* Matt. *Quo viso discipuli omnes admiratione commoti sunt.*
21. *Petrus vero revocata in memoriam maledictione qua Christus illam pridie exsecratus fuerat, rem ad Iesum refert, non tanquam ad illius rei ignarum, sed ut quod illius in illa exsecranda consilium fuerat expiscaretur; Præceptor, vide, ficus cui maledixisti penitus exaruit.*
22. *Iesus vero, sermone ad duodecim converso, ita illos affatus est; Habetote fidem, quam unus Deus in vos confert, & quam in illo solo fixam collocare convenit.*
23. *Ea etenim imbutis sancte vobis, in quos donum miracula edendi collatum est, confirmo, quod quicunque ex vobis huic, qui ante oculos versatur, monti, sua firmitate & immobilitate veluti æterno, indixerit, dicens; Tolle te & transfer te in ipsum mare, tametsi longe abhinc locorum intervallo dissitum, nec de illa re animo addubitaverit, sed fieri quod meo nomine jussit crediderit: utiq; quod dixit re implebitur.*
24. *Quamobrem vobis dico eandem certitudinis legem ut in hac peculiari miraculorum, sic in communi piorum omnium justificante fide. Quicquid enim ex voluntate Dei & præscripto doctrinæ ejus orantes petieritis, credite illud vos accepturos; utique fiet vobis.*
25. *Tenendum vero est, tanquam veræ fidei genuinus & individuus fructus, ut (quoties ad precandum Deum vos accingitis) proximo remittatis, si qua ab illo injuria affecti fueritis.*

Reliqua Vide Matth. 6, 14, 15.

PRAXIS.

PRætereuntes postero die viderunt radicitus exaruisse ficum. Videtur *Matth.* ita rem narrare, ac si emissa execratione ilico exaruerat; sed sciendum *Mattheum* in concionibus Christi explicandis verbosiorem esse, in miraculis narrandis contractiorem, eoque exaruisse protinus dicit, quod ilico exaruisse inceperat. Postero autem die omnis arboris succus deperierat, quæ alioqui ne totius quidem hyemis frigoribus, turbinibus, gelu, &c. exaruisset. Vide quanta sit vis flatus Christi, qui omnes tempestates superat. Hinc constat feracitatem arborũ, omniumque ex terra succrescentium à Dei benedictione pendere, & contra; nam à cœli & soli temperie, &c. Cujus rei fidem facit, quod è terra fructum eduxit, cum sol, luna & stellæ nondum creata sunt. Nec vero putandum est Christum tum modo arboribus, &c. maledicere, cum disertis verbis ut hoc loco, &c. sed etiam cum silentio per segetes & pomaria transiens, occulte in aures veluti arborum & frugum maledictionem insusurrat, ut nullis eam audientibus plurimi tamen videre & sentire cogantur; herbæ vero & arbores ejus vocem etsi submissam audientes, ei obtemperant. Hoc idem facit in hominibus, qui suo virore & prosperitate arboribus assimilantur. Vide *Ezech* 17, 24.

Vers. 20. *Christi in omnes terræ fructus potestas.*

Discipuli omnes rem admirantur. *Petrus* rem ad Christum refert: non quod eum rem ignorare putabat, sed ut hoc modo expiscaretur, quid sibi Christus in hac exsecratione proposuerat. Miraculum vero in his præcipue versatur, quod arbor tam virens, tam subito & penitus exaruerat, idque uno Christi dicto, eoque anni tempore quo virorem indies acquisitura esset, nisi, &c. Atque hic unus fructus est eorum, quos arida ficus tulit, quod hoc modo discipuli in Christi poten-

Vers. 21. *Quam Petrus in hac ficu admiratur.*

tentiæ admirationem rapti sunt; quæ admiratio illos ad alia provexit. *Alter* est, exsecrationi subjacere qui bonis operibus non incumbunt: *tertius*, quod doctrinæ eximiæ occasionem dedit, qua fides eorum cresceret, floresceret, fructum faceret.

22,23. *Vide annot. in* Matth. 17,20. *& sic cætera vide suis locis*, Matth. 6,13,15.

IOHAN. *cap.* 12, *à vers.* 37, *ad* 44.

37 *Quum autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum:*

38 *Vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit; Domine quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui detectum est?*

39 *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias.*

40 *Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum: ne videant oculis & sint intelligentes corde, & sese convertant, & sanem eos.*

41 *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo.*

42 *Verum tamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos* hoc *non profitebantur, ne Synagoga moverentur.*

43 *Dilexerunt enim gloriam hominum potius quam gloriam Dei.*

ANALYSIS.

INfidelitatis Iudæos coarguit; quam amplificat à diverso, quamquam Iesus miracula edidisset: quam infidelitatem exaggerat ab adjuncta multitudine miraculorum, quæ edidit: item ab adjuncto, eorum præsentia, quod illis inspectantibus miracula edita sunt.

Vers. 38. Finis seu effectum hujus infidelitatis, ut impleretur Prophetia Esaiæ; in quo Prophetæ testimonio notatur subjectum fidei, nempe quod Prophetæ à Deo audiverunt, & quod populus à Propheta: deinde notatur causa infidelitatis nempe quia Deus non revelasset suam in miraculis potentiam.

Vers. 39,40. Alio testimonio Esaiæ confirmat hanc infidelitatem Iudæorum: ubi etiam causas infidelitatis exponit, oculorum cæcitatem & cordis indurationem, quæ sua efficiente causa declarantur, Deo, qui justissimo suo judicio sic illorum peccata præcedentia ultus est; item finem notat hujus judicii, ne videant oculis aut intelligant corde; quorum etiam alius finis ulterior notatur ne conversi ad frugem & salutem perveniant.

Vers. 41. Hoc testimonium Prophetæ declaratur suo adjuncto tempore, cum vidit Propheta gloriam Christi; item subjecto circa quod, nempe Christo.

Vers. 42. Videtur exaggerare impietatem Iudæorum à comparatione majoris, quod illi ipsi quibus oculi aperti sunt, & qui viderunt brachium seu miracula Iesu, credentes non sunt ausi suam fidem profiteri; quæ ignavia amplificatur ab adjuncto, conditione vitæ, nempe quod principes fuerant: item ab efficiente causa hujus ignaviæ, nempe amotione ex Synagoga, non autem vitæ periculo.

Vers. 43. Cujus item efficiens notatur nempe quod captabant gloriam hominum; quæ captatio exaggeratur comparatione minoris, nempe quod magis quam gloriæ Dei, studiosi erant gloriæ, quæ ab hominibus provenit.

METAPHRASIS.

TAmetsi vero Iesus tot & tam magna mi- 37.
racula edidisset, quorum singula Iesum
esse Christum illum aperte significabant, no-
minatim hæc recens edita in Lazari excitatio-
ne, & ficu subito desiccata, eademque fecit il-
lis inspectantibus; tamen eum Christum illum
esse non credebant. Quod tamen neminem of-
fendere debet, aut impactionis causam præbe- 38.
re, quasi novi aliquid & inexspectati accidis-
set: oportuit etenim impleri quod aliquot an-
te seculis ab Esaia Propheta prædictum est:
qui de tempore Euangelii verba faciens, Chri-
stum & Apostolos de Iudæorum pertinacia hoc
modo apud Deum querentes, inducit: Domine,
quis nobis, illud modo quod abs te accepimus,
prædicantibus fidem adhibuit, aut cui incom-
parabilis illa in edendis miraculis potentia te
revelante innotuit illuxitque. Non potuisse ve- 39.
ro in Christum credere docet aliud ejusdem
Prophetæ testimonium in hæc fere verba. Quia 40.
pertinaciter Deum per Prophetam illos admo-
nentem repulerunt: idcirco eorum oculos occæ-
cavit, & animum eorum veluti inducto callo
obfirmavit, ne oculis cernerent, mente intelli-
gerent, neve à suis sceleribus conversos illos ex
interitu vindicatos in æternum salvos faciam. 41.
Et quidem hæc Esaias tum prædixit, cum vi-
sa Christi gloria & incomparabili majestate,
de ejus persona loquutus est. Verum enim ve- 42.
ro non deerant, qui Iesum Christum esse cre-
debant, quin etiam ex ipso principum ordine
non pauci, sed nulla illius gentis commenda-
tione, quandoquidem metu Pharisæorum Chri-
stum confiteri & agnoscere non sunt ausi; non
equi-

equidem quod se hac agnitione mortis periculo objecissent, sed tantum ne Synagoga exturbarentur. Quod etiam non ideo metuebant, quasi hac ejectione longius à regno cœlorum abessent : sed ob eam causam ne in hoc mundo aliquid honori suo & existimationi decederet : pluris enim æstimabant laudem quæ à miseris hominibus, quam quæ à Deo in seculum benedicto profecta est.

43.

PRAXIS.

Summa, Iudæorum impietas in Christum & ipsius prædicationem.

Partes Iudæorum impietas. { In Christum non credendo, 37. &c. | Illum cognitum contemnendo. 42, 43. }

Ad infidelitatis confirmationem adduntur testimonia. { Iohannis Euangelistæ. | Esaiæ Prophetæ. }

Vers. 37. *Maximum Iudæorum peccatum infidelitas.* Inter omnia peccata Iudæorum Scriptura maxime infidelitatem insectatur & exaggerat ut omnium atrocissimum, & reliquorum fontem. Sicut enim qui testimonium de Christi fide accipit, testimonium apposuit confirmans quod Deus est verus: *Ioh* 1. 3, 33. sic qui non credit, Deum falsitatis (horribile dictu) insimulat. Hinc est quod Christus Spiritum Sanctum Apostolis promittens, *Ioh.* 16, 8, 9. qui mundum peccati convinceret, subjicit peccatum illud esse, quod in se Dei filium non credidissent. Quod nos doceat quanti facere debemus fidem in Christum, & quam sollicite nobis elaborandum ut illam veram & infucatam acquiramus, *sine qua impossibile est placere Deo. Heb.* 11. & quæ expultrix est vitiorum.

Hanc incredulitatem exaggerat à diversis, quod tot & tantis miraculis editis non tamen crediderunt. *Ioh.* 15, 22, 24. *nisi venissem, &c. peccatum non haberent*, id est, tam enorme. Ex quo admonemur tanto gravius peccare, & damnandum esse, quo quis plura & majora salutis instrumenta & subsidia, &c.

Cor. m.] Amplificat ab adjuncta præsentia & intuitu miraculorum. Si fama tantum horum miraculorum eorum aures circumsonasset, &c. jam vero cum &c. Sicut enim piorum beatitas Christi tempore in eo collocatur, quod cum oculis tum auribus ea percepissent quæ multi reges, &c. *Matth.* 13, 16, 17. sic impiorum infelicitas tanto major est, quo beneficiorum Dei non auribus modo, sed oculis frustra participes fuerunt. Non est verisimile Christum in singulis Iudæorum pagis prædicasse, nedum miracula edidisse, & tamen nullus in Iudæa infidelis exstitit, qui eo nomine sententiam condemnationis non accipiet. Sonus prædicationis Apostolorum ad fines mundi &c. etsi vix centesimus eos coram concionantes audiverit. Hæc ad nos accommodentur, quibus Christus coram, &c. nec verbum modo, sed & sacramenta, &c.

Vers. 38, 39, 40. *Euangelista citatione Prophetæ offendiculi occasionem tollit.* Sequitur testimonium Esaiæ. Scopus Euangelistæ in hoc testimonio citando, est, ut offensæ, quam reliquus mundus ex hoc Iudæorum comtemptu arriperet, obviam iret. Christum enim cum suo Euangelio ab iis contemptum & repudiatum esse, qui unus erat Dei populus, in quem tot beneficia contulisset, tot privilegiis per tot secula ornasset, denique ex quibus Christus originem duxit; omnes gentes ab ejus Euangelii fide absterrere poterat, præsertim cum non ab uno aut altero; sed &c. non à plebe, sed à principibus Ecclesiasticis & civilibus repudiatus fuerit, &c. Huic offensæ occurrit dum docet, 1. hoc non novum esse, cum Prophetarum hæc olim vetus querela adversus hunc populum fuisset. Deinde ita necesse esse, ut alioqui de veritate prædictionis divinæ aliquid intercidat, quod fieri non potuit: simili artificio utitur Petrus *Act.* 2, & 3, & 4. item Paulus *Act.* 13, & *Rom.* 9, 10, 11.

Hinc *discimus*, quemque ut proprius ad Christum in Euangelii professione accesserit, & altius in aliorum opinione veluti in cœlum elatus est, eo magis periculosæ impactionis occasionem præbere, si, &c. Quod iis præcipue considerandum est, qui in amplis Ecclesiæ & Reipublicæ dignitatibus constituti, in veritatis professione, ardore & zelo aliis præcurrerunt.

Neque tamen Prophetarum prædictio infidelitatis causa exstitit, sed contra: ideo enim Spiritus hoc fore prædixit, quia ex speculo prospicientiæ suæ illos incredulos fore prævidit.

Obstinatio Iudæorum duobus effectis describitur, quod non crediderunt, { Doctrinæ | Miraculis } Christi.

In priore notandum prædicationem voce *auditus* designari; quo *docetur* Christum (ut & Prophetas) nihil prædicasse, nisi quod prius à Patre acceperat, quod ipse alibi expresse de se testatus est. Hoc omnibus ministris incumbit. *Quod à domino accepi, &c.* 1 *Cor.* 11. & *cap.* 15.

In posteriore *observandum, Dei brachio* incomparabilem illam potentiam declarari, quæ in miraculis elucebat, sicut ante *Dei digito*. Vnum miraculum Christi vocationem obsignabat; quam perditæ igitur & deploratæ pertinaciæ erat, tantæ miraculorum multitudini non credere? *Objectio*: quomodo potuerunt ex miraculis fidem confirmare, cum illis Dei virtus per Spiritum non revelatur? Ecquis præter &c. Deinde cum Deus eorum oculos occæcavit, &c. *Respondeo:* istam occæcationem suis peccatis ante aliquot secula promeriti sunt. 2. occalluerunt nullo peccato in illorum animis infuso aut inspirato, nulla gratiæ quam contulerat subtractione, sed gratiæ inhibitione, cui conferendæ Deus non fuisset obnoxius si in eum non tam graviter, aut non omnino peccassent; nedum cum, &c. *Nota*, seriem & ordinem quo itur ad salutem; *primo* oportet ut mentis oculi aperiantur & illuminentur, *secundo* ut cor molliatur, *tertio* ut quis ad Deum fide in Euangelicis promissionibus convertatur.

Vers. 41. *Ex quibus Christi Deitas colligitur.* Hæc de Christo scripta esse confirmat Euangelista; unde liquidissime constat (præsertim ex posteriore Prophetæ testimonio) Christum esse verum Deum benedictum in secula.

Vers. 42. *Primorum in Christum temporaria fides;* Hæc de priore parte, sequitur altera de contemptu Christi cogniti. *Multi ex primoribus crediderunt, &c.* revelatum illis erat brachium Dei, miracula talia fuisse agnoverunt, quæ Christum Messiam fuisse satis probarent; crediderunt ergo; sed erat hæc fides temporaria: nam post metu persecutionis defecerunt: non audebant Christum confiteri, ne &c. vera enim fides confessionem conjunctam habet. *Psalm* 116. 2 *Cor*. 4, 13. *Rom*. 10, 9, 10. Si servus herum abnegaret ne in periculum incideret; si filius patrem agnoscere recusaret, qui pauper & contemptus; omnes rem indignam esse clamarent; quanto magis, &c.

ignavia; Hæc autem ignavia amplificatur, *primo* à subjecto quod principes erant, quorum vel maxime erat à larvis & umbris non metuere: *secundo* ab adjuncta excommunicationis pœna; neque enim sibi à morte metuebant. Christo indignus est qui non paratus sit mortem expetere illius causa; si, &c. multo vero gravius peccant, & difficiliorem ad resipiscentiam reditum habent, qui ob res leviusculas à veritatis professione deficiunt, maxime si in dignitate & principatu positi sint, quos præ aliis confidere decet. Hic igitur nos pertentemus. In hac serenitate omnes profitebuntur se ad mortem pro Christo obeundam paratos esse: Interim famæ jacturam vel minimam ejus causa facere recusabunt; verentur ne leves, ne Puritani, &c. vocentur; modici lucelli causa; imo momentaneæ voluptatulæ causa ea admittent, quæ cum Christiani fide & professione pugnant; interim clamitant se, si ad rem ventum fuerit, paratos esse pro Christo mori, dicent se cum de summa fidei decertabitur, majorem rationem habituros: sed meminisse oportuit eum qui in parvo fidelis non est, in magno non futurum. *Luc*. 16. Quare ut pro Christo moriamur, si opus fuerit, prius assuescamus iis officiis quæ minoris difficultatis existunt; alioqui, &c. Iam vero quid de iis dicemus qui illic agentes ubi Christum libere profiteri possint, imo ubi laudi datur pie & juste vitam agere; tamen ad pietatem, &c. adduci nequeant?

Ab excommunicatione sibi metuebant, non quod verebantur ne quid hoc modo illis decederet, quo salus æterna proveheretur; sed ne infames haberentur. Hinc constat veram pietatem & infucatam fidem eam esse, quæ nos ad nostri abnegationem ducit: nisi enim omne lucrum nobis sordeat ut Christum lucremur *Phil*. 3. nisi existimatio propria à tergo rejiciatur, ut Deus magni fiat in corpore nostro; vana est quam de pietate nostra concipimus opinio: nisi ipse sit honos & gloria nostra; nisi nos abunde honoratos existimemus, si ipsi chari simus, & tantum nos gloria & honore afficiat, &c. Pluris autem facere laudem quæ ab hominibus est, quam quæ à Deo, perinde est, ac si quis de abjectissimi mancipii aut Nabalis stulti prædicatione laboraret, prætérita commendatione regis amplissimi, aut Salomonis. Vide *Ioh*. 5. *Quomodo potestis credere gloriam ab hominibus captantes, &c.* Vers. 43. *vanus metus.*

Nota, non oportere nos terreri fulmine excommunicationis, ne quidem à vera Dei Ecclesia vibrati, modo injusta sit; nedum si ab Antichristi Synagoga exturbemur. Molestum quidem nobis esse debet, tum quod Ecclesia gravi crimine se implicat, tum quod hoc modo à Dei cultu exulamur; sed, &c.

IOHAN. *cap.* 12, *à vers.* 44, *ad finem Cap.*

44 IESUS autem clamavit & dixit; Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.

45 Et qui conspicit me, conspicit eum qui misit me.

46 Ego lux in mundum veni, ut quisquis credit in me, in tenebris non maneat.

47 Si quis autem audierit verba mea, & non crediderit, ego non damno ipsum. Non enim veni ut damnem mundum, sed ut servem mundum.

48 Qui aspernatur me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: sermo quem loquutus sum, ille damnabit eum ultimo illo die.

49 Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi præcepit quid dicam & quid loquar.

50 Et scio præceptum ejus vitam æternam esse. Quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.

ANALYSIS.

Docet Iesus quanti sit in se credere, & quam periculosum sit illi fidem abrogare; cujus utriusque ad finem *Cap.* pertractati adjunctum est, quod istam doctrinam contenta voce & vehementi pronunciavit; & primum docet quam operæ pretium sit in se credere comparatione majoris, quod qui in illum credat, in Patrem qui eum misit, credat.

Vers. 45. Confirmat superiorem rationem à toto, quia qui videt Christum, videt Patrem qui eum misit.

Vers. 46. Hanc fidei dignitatem arguit ab effecto credentium, quia non manent in tenebris qui in Christum credunt; cujus causa efficiens assignatur, quia Christus illos illuminat; quod pari illustratur lucis vel solis.

Vers. 47. Accedit ad periculum in quod præcipites ruunt qui non credunt: ubi deficiens causa fidei declaratur, recusatio auditionis verbi Christi; adjunctum autem periculum est condemnatio; quod diverso exornatur, quamvis Iesus eum non judicet; quod suo fine arguitur, quia non venit ut condemnaret; quod suo contrario confirmatur, quia venit ut servaret mundum.

Vers. 48. Aliud infidelitatis effectum est rejectio Christi; cujus efficiens causa est, quod quis Christi verbum non accipit: deinde causam efficientem condemnationis assignat Sermonem quem locutus est; & condemnationis adjunctum tempus indicat, extremum mundi diem.

Vers. 49. Amplificat gravitatem condemnationis ab adjuncto præstantiæ verbi quam arguit à comparatione majoris, quod non tam verbum suum sit, quam Patris, qui misit eum; quod confirmat ab adjuncto mandato Patris quid Christus loquatur.

Vers. 50. Porro aliud præstantiæ verbi argumentum est ab effecto, quod vitam conferat; deinde ab adjuncta prædicatione verbi per Christum, quia ut in mandatis à Patre accepit, sic hominibus proposuit.

METAPHRASIS.

44. *IEsus perspecta Iudæorum partim contumacia in se rejiciendo, partim ignavia in se (in quem crediderunt) agnoscendo & profitendo, magna & animi & vocis contentione usus est, si qua hunc animi veternum & torporem excutere & eximere posset. Proinde elata voce sic fere dixit; In utramque partem, sive quis in me credat & me agnoscat, sive fidem mihi abroget, non magni habetur. Sed omnes hoc velim intelligant, eum qui vere in me credens me confitetur, non in me tantum credere, sed & in eum, qui me misit, Patrem, cui fidem non adjungere, omnes pro piaculo ducunt. Ita enim* 45.
in una eademque essentia conjungimur & coalescimus, ut qui me ex verbo & operibus (essentia etenim uterque imperceptibili sumus) cognoscit, eundem & me mittentem cognoscat necesse est. Ego lux mundi cum ab ipsis ejus- 46.
dem incunabulis fuerim, idcirco in hunc mundum assumto Abrahami semine veni, ut omnis (cujuscumque linguæ & nationis sit) qui in me credit in ignoratione, in qua natus est, non permaneat. E contra si quis audito verbo meo (cui 47.
soli fides innititur & incumbit) in me non credit, equidem pro ministerii mei, quæ mihi hic in terris agenti commissa est, οἰκονομίᾳ, illum insigniori aliqua pœna inflicta non judico. Nec enim in mundum veni ut mundum hoc pacto judicarem, sed potius ut mundum in se perditum servarem. Neque tamen idcirco judicium 48.
& pœnam effugient, qui mihi fidem detrahent. Nam qui me repellit, qui mea verba fide non accipit, suum habet; qui illum jam ulciscitur, judicem Patrem meum: in extremo vero die, me judice pro tribunali sedente, ad hujus sermonis normam omnia exigam, quem me præcone aspernantur homines. Qui quidem sermo 49.
tanto majorem apud omnes authoritatem obtinere debet & in contemptorum ejus condemnatione omnino obtinebit, quoad nequaquam

à me

à me tanquam Mediatore (qua Patri sum inferior) tantum profectus est. Nec enim ex meipso loquutus sum, sed qui me misit Pater mihi in mandatis dedit, quid dicam & quid loquar.
50. *Contemptorum porro augebit condemnationem, quod probe novi sermonem, quem ut annunciarem in mandatis accepi, vitam æternam continere: sicut autem mihi in mandatis dedit Pater ut enunciarem, sic prorsus & per omnia loquor.*

PRAXIS.

SVmma, Christus magna vocis contentione fidei præstantiam & fructum, & infidelitatis nequitiam & pœnam ob oculos proponit.

Partes { Adjunctum, fervor quo Christus usus est in hac doctrina, proponitur.
Subjectum, doctrina ipsa. }

Vers.44. *Cur Clamet Christus.* Clamor magnum animi motum indicat, clamasse dicitur *Ioh.*7,28. cum Iudæi illum Christum fuisse negarent, & *Ioh.*7,37. in re maximi momenti, sic *Esa.*58,1. clamare jubetur: & Iohannes *Baptista Esa.*40. *Vox clamantis.* Hoc nostram surditatem, præsertim in rebus maximi momenti, indicat: multi corporis surditate afficiuntur, nullo sumptui parcunt, ut possint, &c. de mentis & cordis surditate, quæ longe deterior est, nemo pæne sollicitus existit, quare Christum rogemus ut digitum in aures, &c.

Ministri hic docentur de rebus maximi momenti, præsertim apud præfractos, dicentes, vehementia & contentione uti oportere, præsertim si mortui sint & sepulti in peccatis apud quos concionem habent: isti enim non nisi magna voce excitantur.

Subjecta doctrina, est de { Veræ fidei præstantia & fructu, *vers. tribus.*
Incredulitatis nequitia & pœna, *reliquis.* }

Fidei præstantia. Præstantiam docet à comparatione majorum, qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. Iudæi profitebantur se in Deum credere; atque omni contumelia dignos, ni hoc facerent; interim Christo fidem abrogarunt; quare Christus ut hunc errorem convellat, &c.

Vers.45. *Pater per Filium tantum videtur.* Hoc confirmat à genere, *Iohan.* 14,1,9. 1 *Ioh.*2,22,23. imo vero nemo in Patrem credere potest, nisi per Christum, nec quisquam eum cognoscere, nisi per Filium: sicut qui Christum per fidem habet, is Spiritum Sanctum habet. Hac loquendi formula Christus se Patri coëssentialem esse docet. Atque hoc est fidei nostræ firmamentum vel maximum, eum qui fide Christum tenet, Patrem una & Spiritum tenere. Omnes captant gratiam secundi. *Eccles.*4,15. & bene secum actum putant si regis filii amicitiam captent, quam tamen quis adeptus, regem sibi infestum infensumque habere poterit, quia ut duo sunt diversi homines, sic separatas habent voluntates & affectus: Pater vero, & Filius, &c.

Hinc liquet Iudæos, Turcas & alios infideles Deum non habere, ac proinde non posse salvos fieri; ut vana sit & impia eorum oratio, qui dicunt quemque sua religione salvum fore: ecquis enim qui Deum non habet, poterit salvus fieri?

Causam ostendit cur in mundum venerit, nempe ut eum tenebricosum & salutari Dei luce destitutum, illustraret, idque fidei oculo. Hic igitur fructum veræ fidei indicat, ut superioribus præstantiam. Vers.46. *Fidei fructus.*

Ejus adventus multa complectitur; conceptionem, nativitatem, perpessiones denique omnes. Hæc omnia cum Deus in secula benedictus pro nobis obivit; quanto scelere se constringunt qui hoc beneficium aspernantur? Deus enim hæc omnia ab illis reposcet. Si quis princeps audita homuncionis aut latrunculi captivitate, longum iter magno cum labore & sumptu conjunctum susciperet, quo illum ex carcere, &c. ipse ex carcere exire recusaret, &c. nonne dignus esset qui pædore, fame, &c. qui tantam bonitatem & munificentiam repudiaret, præsertim contumeliose, &c. Si unicus principis filius longum iter, &c. in quo multi montes transiliendi, multæ petræ scandendæ, &c. ut ut bubulci filiam in uxorem acciperet, &c. Multo ergo graviores pœnas daturi sunt qui oblatam in Euangelio salutem respuunt, quam &c. Huc illud *Iohan* 15,22. *nisi ad illos venissem peccatum non habuissent.*

Nota, Illum fuisse lucem antequam in mundum venit; non participatione, ut Apostoli *Matth.*5,14. sed natura. Illi enim non venerunt lux in mundum, sed in mundo facti sunt lux. Quo est detestabilior *Papistarum* sententia, qui hæc verba Papæ ascribunt. *Concilium Trident. sub Paulo tertio, oratione Cornelii Episcopi Bitontini.* *Christus lux ante adventum in mundum.*

Nota, Fidem esse oculum quo huic luci & soli, Christo, communicamus, sic ante *ver.*36. dictum est, nos credendo in lucem, fieri filios lucis. Vnde fidei natura præclare illustratur: sicut enim nullum in corpore membrum

præ-

præter oculum, lucem prehendit; sic,&c. & sicut oculi beneficio cætera membra omnia illustrantur, sic per fidem reliqua omnia opera Deo accepta sunt. Denique ut oculi non radios in lucem emittendo illustrantur, sed intromittendo; sic fide justitiam quæ extra nos est prehendimus, non illam quæ intus est acquirimus. Sed hoc tamen dissimile est, quod sol hic, qui nos illustrat, simul oculos aperit; cum alter sol, &c.

In tenebris non maneat.] Eramus ergo omnes natura in tenebris, sub regno tenebrarum & potestate Sathanæ, ut mancipia detenti. Vide *Ioh.*3,3. *Esai.*42. *Dedi te lucem gentium, &c.*

Hactenus de fidei præstantia & fructu.

Vers.47. *Repudiato verbo Christi repudiatur Christus:*

Adjungit pœnam qua plectendi sunt qui illam repudiabunt. Vbi *nota*, Christum repudiari, si verba ejus non crediderimus, nec illa admittamus; neque enim repudiatur ab iis solum qui eum persequuntur; sed &c. Qui ad verbum impingunt, ad Christum offendunt. 1 *Pet.*2,8. Contra *Pontificios* & *Pseudoeuangelicos*, Sicut enim fides subditi legum & mandatorum regis obsequio comprobatur; sic,&c. Filius si patri assurgit, geniculetur,&c. non tamen pro germano agnoscitur nisi, &c. Hoc modo Christus sui charitatem explorat. *Si diligitis me, præcepta mea servate. Ioh.*14,15. & 1 *Ioh.*2,5. Item qui impingunt ad sacramenta; impingunt autem quotquot præ se ferunt, 1. in Christum credere, 2. vitæ novitati studere, 3. fratres amore complecti, &c. nec faciunt tamen. Isti regno Dei sigillum syngraphæ commentitiæ apponunt: si inani chartæ apponerent, perfidiæ rei essent; nedum &c.

Quod peccatū Christus non judicat;

Non veni ut damnem mundum, &c.] Causam explicat cur sui contemptum non vindicavit, quia &c. sic *Ioh.*3,17. ideo se à judiciis temperavit dum in terra erat, ut omnes ad se liberius confluerent. Principes una manu coronam, altera gladium gestant. Christus vero non venit armatus gladio, olivam gestabat, pacis insigne, vexillum non nigrum, aut rubicundum, sed album explicavit, &c. Principes qui clementiæ laudem affectant, si quæ sunt præmia, ea propriis manibus conferunt; pœnas vero per vicarios infligunt, sic, &c. Hinc est quod probris & injuriis à viris contemptissimis affectus, non regessit tamen, 2 *Pet.*2,23. Quare ut nos filios pacis esse declaremus, & ad benedictionem vocatos, item à maledictis & malefactis abstineamus, & contra, &c.

Neque tamen idcirco judicium effugient, &c. Erit enim olim tempus, cum hujus contemptus pœnas dabunt; idque judice hoc ipso sermone, quem jam rejiciunt: ad hujus enim normam judicium ultimum revocabitur. Vide *Rom.*2,16. & 12. Vers.48.

Sed verbum, idque die extremo.

Argumentum est à diverso, 1. non se, sed sermonem suum judicaturum; 2. non in hac vita, sed futura; quasi dicat, etsi me non sentiatis de vobis ultionem sumentem, quod facile possem, &c. tamen ne putetis, &c. Sic enim homines existimare solent, se non deliquisse, nisi statim pœna sequatur.

Quidam hæretici olim putabant Deum sub lege severum judicem fuisse, nunc mitem & mansuetum sub Euangelio: atqui qui Euangelium contemnunt graviori pœna multabuntur. Vide *Heb.*2,1,2, &c.

Nota, Summa verbi divini authoritas, quo causæ omnes in extremo judicio decidentur; cum de capite cujusque agetur. Hoc verbi αὐταρχείαν evincit. Omnes hoc admoneat, ut in omnibus judiciis & conventibus, hoc verbum præsideat & debitam dignitatem obtineat. Si enim in celeberrimo illo (qui unquam exstitit) conventu, &c. si in cœlo, &c. Si apud Deum ipsum, &c. nedum, &c. Hic *Pontificii* exagitandi, qui Scripturæ authoritatem elevant, & ab ea ad concilia & patres provocant.

Cujus verbi summa autoritas;

Hanc verbi authoritatem ab efficiente amplificat, quod à Patre, non à se profluat. sic *cap.*7,16. *verbum meum non est meum, sed Patris qui me misit.* Iam si Christi mediatoris authoritas satis valida non sit ad hominum conscientias sustinendas, nisi quoad à Patre, &c. quo loco hominum mortalium & peccatorum dicta, scita, decreta reputabuntur, &c. Vt in Monarchia nulla, ne filii quidem & hæredis, authoritas satis firma est ad justum imperium; nisi quæ à rege proficiscitur, sic, &c. Vers.49.

quæ amplificatur, ab efficiente,

Hanc porro verbi dignitatem & amplitudinem amplificat ab adjuncto vel effecto vitæ æternæ, quam natura sua operatur. Si Deus sermonem suum ad hominum interitum accommodasset, tamen magna fuisset ejus apud nos authoritas, jam vero cum &c. Vide 1 *Ioh.*5,11. Vers.50.

ab effecto.

Quæ igitur ego loquor, &c.] Quod si Christus nihil nisi à Patre acceptum Ecclesiæ proposuit; nedum nos quod à Christo per Prophetas & Apostolos non accepimus. 1 *Cor.*11. & 15. Deinde *nota*, non modo verbum Dei duntaxat à nobis proponendum,

ſed eo etiam modo quo accepimus. Vide 1 *Pet.*4,11. Qui *loquitur*, *loquatur ut verbum Dei.* Eſt tamen diſcrimen inter Chriſtum & Prophetas : Prophetæ , *miſit me Dominus*; Chriſtus , *miſit me Pater.* Deinde quicquid Chriſtus loquutus eſt, etiam in familiari ſermone, Pater per eum loquutus eſt. Prophetis autem (extra miniſterium) multa excidebant quæ à Spiritu Sancto non proficiſcebantur.

LVC. 19. *à verſ.* 47. *ad finem Capitis.*

47 Et docebat quotidie in templo. Primarii vero Sacerdotes & Scribæ, & primores plebis ſtudebant eum perdere :

48 Nec inveniebant quid facerent : totus enim populus pendebat ab ipſo , quum eum audiebat.

LVC. *cap.* 20, *à verſ.* 1, *ad* 9.

ET factum eſt quodam dierum illorum , ut quum ipſe doceret populum in templo, & euangelizaret, ſupervenerint primarii Sacerdotes & Scribæ cum Senioribus.

2 Et alloquuti ſint eum, dicentes; Dic nobis qua auctoritate iſta facias, aut quis ille ſit qui dedit tibi iſtam auctoritatem.

3 Reſpondens autem, dixit eis; interrogabo vos & ego quiddam; dicite igitur mihi,

4 Baptiſmus Iohannis è cœlo erat, an ex hominibus?

5 At illi ratiocinati ſunt apud ſe, dicentes; Si dixerimus; E cœlo : dicet ; Quare ergo non credidiſtis ei ?

6 Sin autem dixerimus; Ex hominibus : tota plebs lapidabit nos : perſuaſa enim eſt, Iohannem Prophetam fuiſſe.

7 Reſponderunt igitur ſe neſcire unde eſſet.

8 Tunc IESVS dixit eis; Nec ego dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

MATTH. *cap.* 21, *à verſ.* 23, *ad* 28.

23 Quum autem veniſſet in templum, primarii Sacerdotes & ſeniores populi eum docentem adierunt, dicentes; Qua auctoritate facis iſta? & quis tibi dedit iſtam auctoritatem ?

24 Reſpondens vero IESVS, dixit eis; Interrogabo vos & ego rem quandam; quam ſi dixeritis mihi, dicam & ego vobis qua auctoritate iſta faciam :

25 Baptiſma Iohannis unde erat? è cœlo; an ex hominibus ? At illi ratiocinabantur apud ſe, dicentes; ſi dixerimus; E cœlo: dicet nobis; Quare ergo non credidiſtis ei?

26 Sin autem dixerimus; Ex hominibus , timemus turbam : omnes enim habent Iohannem ut Prophetam.

27 Et reſpondentes IESV, dixerunt; Neſcimus. Ait eis & ipſe; Nec ego vobis dicam qua auctoritate iſta faciam.

MARC. *cap.* 11, *verſ.* 27, *ad finem Cap.*

27 Tunc veniunt rurſus Hieroſolymam : & quum ipſe ambularet in templo, veniunt ad eum primarii Sacerdotes & Scribæ & Seniores :

28 Et dicunt ei; Qua auctoritate iſta facis? & quis tibi dedit auctoritatem iſtam, ut hæc facias ?

29 IESVS autem reſpondens , dixit eis ; Interrogabo vos & ego rem quandam. Reſpondete igitur mihi , & dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

30 Baptiſma Iohannis è cælo erat, an ex hominibus? reſpondete mihi.

31 Ratio-

31 *Ratiocinabantur autem apud se, dicentes; Si dixerimus; E cœlo: dicet; Quare ergo non credidistis ei?*

32 *Sed si dicamus; Ex hominibus: timemus populum: omnes enim sentiebant de Iohanne, eum vere Prophetam fuisse.*

33 *Tunc respondentes, dicunt IESV; Nescimus. Et IESVS respondens, dicit eis; Nec ego dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.*

ANALYSIS.

Effectum Christi narratur, quod in templo docuit; quod adjuncta assiduitate amplificatur, quotidie: Cujus adjunctum est, quod primores Ecclesiastici & civiles quærebant eum perdere.

Vers. 48. Cujus conatus Christū perdendi adjunctū est impotentia aliquid efficiendi; cujus efficiens causa est, quod populus à Christi ore pendebat.

Vers. 1. Adjunctum temporis, quo hæc quæ sequuntur gesta sunt, notat; sed tempus notat infinitum, non determinatum, nempe in ultima illa sua profectione quam instituit ad Hierosolymorum urbem: aliud adjunctū temporis notatur, cum doceret & Euangelium prædicaret, ubi notatur etiam subjectum loci ubi hæc gesta sunt; apud *Marc.* aliud adjunctū temporis indicatur, nempe cum in templo ambularet. Deinde proponuntur effecta principum Sacerdotum Scribarum & Seniorum. Quorum Primum effectum est, quod Christo supervenerunt.

Vers. 2. Deinde aliud effectum est quæstio ab illis Christo proposita, nempe qua authoritate illa faceret; deinde quærunt de efficiente hujus authoritatis; quis illi hanc authoritatem dederit.

Vers. 3. Hujus quæstionis effectum est, Christum aliam quæstionem illis propositurum, cum adjuncta promissione, se eorum quæstioni responsurum, adjuncta conditione hac, dummodo suæ responderint, ut est apud *Marcum.*

Vers. 4. Subjectum circa quod quæstio versatur est Baptismus Ioannis:

Partes quæstionis sunt *duæ* an sit ex { Cœlo à Deo. / Hominibus.

Vers. 5. Hujus quæstionis effectum est tacita disquisitio adversariorum, quid facturi. Disquisitionis hujus duæ partes assignantur; primum disquirunt; an responsuri sunt è cœlo; cujus efficiens corrumpens est Christi, quæ futura foret contra eos, replicatio, cur igitur non crediderint.

Vers. 6. Secundo disquirunt an responsuri sunt ab hominibus; cujus item corrumpens efficiens est, quod totus populus illos ita respondentes lapidibus obrueret: cujus caussa efficiens est, quod persuasus esset populus Ioannem fuisse sua vocatione quasi Prophetam; cujus Prophetici muneris adjunctum additur apud *Marcum,* nempe vere fuisse Prophetam.

Vers. 7. Hujus disquisitionis & discursationis apud se tacitæ effectum est responsio ad Christum aperta, se nescire unde sit Ioannis Baptismus.

Vers. 8. Illius responsi effectum est Christi ad eos responsum, se nolle respondere ad illorum quæstionem.

METAPHRASIS.

47. *Appetente jam morte, Iesus suam in prædicando diligentiam & industriam auxit: ut qui quotidie in templo doceret: & pro ratione etiam aucta illius in prædicando industria crevit etiam Pharisæorum, Scribarum & in Republ. principum furor, qui illum interficere satagebant. Omnes autem morte mul-* 48. *ctandi vias persequentes, qui voto compotes fierent non invenerunt, quod à populo sibi metuerent, quod à Iesu sapientissimo potentissimoque sermone omni melle dulciore tamquam catena aurea ejus sacro ori veluti affixæ aures essent. Quodam autem illius hebdomadis* 1. *die, quæ proximæ mortem Iesu præcessit, cum in templo ambulans doceret & Euangelium prædicaret; supervenerunt & veluti ex improviso accesserunt principes Sacerdotum & Scribæ cum Ecclesiæ præsbyteris. Hi Iesum allo-* 2. *quentes, dicebant; Boves cum ovibus & capris, emptores cum venditoribus, & alia id genus è templo exigis, docendi in templo partes exerces. Atque palam est te ex tribu Levitica non esse, nec ullam à nobis (qui Ecclesiæ Antistites sumus) authoritatem accepisse. Dic ergo qua authoritate fretus hæc facere suscepisti, sponte ne & tuo arbitratu, an ex alius præscripto? Quod si alius mandatu hoc facis, dic, amabo, quis sit qui tibi hanc potestatem fecit. Quibus Iesus respondens, dixit; Vos duo à me* 3. *interrogatis; ego unicum tantum à vobis quæram: cui si ingenue & ex animi vestri sensu & sententia prius responderitis, itidem & ipse vobis respondebo; tametsi ex vestro, ex propria rei veritate, & prout conscientia vestra vobis dictabit, responso, hæc quam quæritis à me quæstio dissolvetur. Quæro igitur an Baptis-* 4. *mus Ioannis (qui de me tanquam unico inter Deum & homines Mediatore clarum & luculentum testimonium edidit) à Deo, qui in cœlis est, an ab hominibus, qui in terra sunt, profectus est. Illi vero tacite consilia confe-* 5. *rentes & rem hanc ultra citraque disceptantes inter se mussitabant: Si respondemus à Deo, statim regeret, cur igitur illi non credidistis; eademque opera cur non mihi tantum, sed & in me non credidistis, cum totum ejus ministerium huc spectabat & referebatur, ut fidem in me astrueret. Sin respondeamus Ioan-* 6. *nem suum Ministerium hominum opera (ut*

alii ordinarii Ministri) accepisse, universus populus in nos tumultuarie & per seditionem irruens lapidibus obruent. Hanc enim de Ioanne omnes persuasionem imbiberunt, eum, haud secus quam Prophetæ, à Deo immediate missum esse. Quamobrem reclamante eorum conscientia, responderunt se unde esset prorsus ignorare. Ad quos Iesus; Non respondebo, quod vos facitis, me nescire qua authoritate hoc faciam; sed respondeo me vobis nolle dicere.

PRAXIS.

Summa. Principum utriusque ordinis Ecclesiastici & civilis cum sanguinolenta consilia, tum fraudulenti sermones, cassa & irrita declarantur.

Partes, irriti conatus adversus Christum,	Principum utriusque ordinis sanguinolenti Principũ alterius ordinis, scil. Ecclesiastici, insidiosi	Sermones.

Lvc.19, verſ.47. *Sacerdotum & Scribarum pertinacia:* In *priore*, *nota* principes Ecclesiastici ordinis sibi jam civilis ordinis principes adversus Christum adjunxisse, & quidem forte ex illis, qui in Christum credentes eum metu Ecclesiasticorum profiteri non audebant) ut & populo majorem metum incuterent, & ipsi essent ad opprimendum Christum armatiores. In quo observamus insignem ipsorum pertinaciam, quibus singuli pœne dies, novum malitiæ incrementum attulerunt; & quo plura viderunt & audierunt quæ illos ab hoc scelere abducere debebant, eo magis, &c. quo sol justitiæ & potentiæ divinæ in Christo resplenduit magis, eo cæciores: quo ejus virtus admirabilis sonantius personavit, eo surdiores, &c. debebant certe toties suis consiliis frustrati, aut ab incœpto destitisse, aut certe num recte suscepta fuissent, accuratius expendisse, sed, &c.

Notandum porro, gladium ad veritatis & religionis defensionem à Deo concessum, sæpius in veritatem distringi, & in Deum ipsum vibrari, inscitia, ignavia, malitia eorum qui illum gerunt: nec ullos esse qui studiosius magistratus gladium evocant, quam veritatis hostes, qui hoc modo causæ suæ malæ imbecillitatem fulcire conantur. Quare pro magistratibus assidue orandum, ne &c. ne tum quidem cum ab iis ad hoc sollicitantur, qui in Ecclesia rebus potiti, in religionis causa peritissimi simul & sanctissimi jactantur. Deus veritatis suæ thesaurum sæpe in *vasis fictilibus* non aureis recondit, nec veritas semper *Pontificum* mitris & insignibus alligatur.

Etsi manum manui adjungunt, tamen nihil sine Dei digito efficiunt: cum enim viderent populum usque eo Christi in templo audiendi avidum, ut quodam modo ejus ori appensi & affixi non secus viderentur, quam si aurea eloquii sui catena eos post se traheret & ejus verbis inhiantes, non secus quam terra sitibunda pluviæ, &c. quid aut facerent aut dicerent nescierunt: turba metuit sibi ab excommunicatione, eoque prohibentur Christum profiteri; principes sibi metuunt à turba, ne lapidibus obruerentur, ita sunt mutui sui ipsorum carnifices. Verſ.48. *Et irriti conatus.*

Nota, turbam tam attentam, &c. post triduum aut quatriduum principum exemplo paratam esse manus in Christum injicere, & eum crucifigere. Est ergo quoddam genus hominum qui cum magna oblectatione sermonem percipientes, eum tamen salutariter in cordibus non reponunt, vide annotat. in *Matth* 13. & *Marc.6.* Interim tamen hujus levissimæ turbæ opera Deus ad Christum conservandum tantisper utitur, dum ejus hora præstituta adveniret. *Plebis inconstantia.*

Sequitur *pars altera* ubi consideratur	Pontificum adversus Christum tacita criminatio. Christi ad illos responsio.	

Priore in loco, mortem intentare non audentes, quæstione eum aggrediũtur, si forte eum sermone irretitum tenere possent, & populo suspectum & exosum reddere. Eum autem insimulant, tanquam seipsum in istud docendi & templum purgandi munus intulisset sine vocatione, quasi dicant, tu nec ex turba Levitica oriundus, nec à nobis qui ad clavum Ecclesiæ sedemus, &c. Sic hodie *Pontificii* nos hoc nomine condemnant, quod ab iis manuum impositionem non accepimus, ac si ad illos solos Spiritus S. transisset, satis est ab his explorari episcopatum obituros, qui eorum in rebus sacris tractandis peritiam pertentare norunt, 1 *Tim.*3. neque enim Deus successionis seriem respicit, neque uspiam Ecclesia existit, quæ creandi ministri qui ei inserviat potestatem non habeat. Nam si civitas ab hoste obsessa constituat sibi speculatorem ex civibus, neque ad aliam civitatem majorem aut antiquiorem mittit, &c. ita enim ante forsan periret quam &c. nedum Dei civitas. Et si in bello Imperatore aut duce sublato, alius statim suffectus est, nec, &c. nedum in Dei exercitu, &c. Lvc.20. verſ.1,2. *Sacerdotum & Scribarum quæstio.*

Christus insidiatoribus non respondet, sed Verſ.3,4.

Quam Christus opposita quæstione solvit.

sed aliam quæstionem proponit, quæ rem quæsitam continet Quo docemur non teneri nos ut iis respondeamus quibus non simus profuturi, & qui insidiose,&c *non est Sanctum canibus projiciendum, &c.* satis erat apud eos iis uti sermonibus, qui eorum ora obturent.

De Iohanne quærit, partim quia ejus item vocatio extraordinaria erat, ut si ipsius, Iohannis etiam ministerium damnarent: præcipue vero quod Iohannes de Christo testimonium perhibuit, ut,&c.

E cœlo.] Id est, extraordinarium: huc spectat quod additur, omnes Iohannem ut Prophetam habuisse: hoc modo probatur vocatio extraordinaria, non ab hominibus, neque per homines, *Gal.*1,12.

Iohannem pro Propheta habentes, mirum est Christum de quo Iohannes testimonium dixit non agnovisse, saltem pro Propheta. quod magna pars hominum non fecit: Christus enim Iohanni longe prælucebat, tum vitæ sanctitate; tum miraculis. Sunt ergo homines lusciosi, qui melius per nocturnam quam per diurnam lucem cernunt.

Homines fere externa spectant

Hujus rei causa erat, quod Iohannes vitam magis austeram, &c. Christus pro reliquorum hominum consuetudine in victu & vestitu, &c. Sic populi fere in externis corporis exercitiis summam & quasi arcem pietatis constituunt. Hinc est quod Iesuitæ sese flagellantes, (quum sint alioqui omnium nequissimi,&c.pro sanctissimis habentur. *Exercitatio corporalis parum utilis, pietas ad omnia utilis:* qui contra faciunt, perinde agunt ac si quis fœminæ pulchritudinem ex veste, non ex vultu & apta corporis structura argueret.

Hinc etiam liquet homines sæpius personas ministrorum admirantes, eorum doctrinam oscitanter audire: si enim in Iohannis doctrinam oculos defixissent, Christum certe, cui Iohannes testimonium perhibuit, agnovissent. Sic Ezechiel a suis popularibus eloquentiæ causa adamatus est, *cap.*33,30, *&c.* cum in ministris nihil tam spectandum quam doctrina, &c. Hi fœminas referunt, qui servum, paranymphum spreto hero, qui omnia servo suggerit, deamant, aut eos qui regis legatum plurimi facientes, regem ipsum contemnunt: aut potius eos pauperes, qui servum regis, munus eximium afferentem, amplexantes, munus ipsum quo eorum paupertas sublevetur, respuunt.

Nescimus.]Ignorantiam profiteri malunt, quam veritati cedere. Quod eorum odium in veritatem irreconciliabile prodit, qui existimationem quam tantopere expetebant, imminui potius patiuntur,&c. Si igitur impii,&c. nedum nos existimationis jacturam facere parati simus, ut veritatem testimonio nostro confirmemus. Vers.7.

Veritatis Hostes potius infamiam, incurrunt, quam veritati cedant.

Nec ego.] Subindicat eos nolentes, quod res erat indicare, probe tamen novisse: unde eos alio responso non dignatus est, &c. Ex quo intelligitur non deesse ex religionis nostræ hostibus, qui eam intus agnoscentes, illi tamen se opponunt; ut enim in hujus mundi rebus sæpe fit, ut qui alii litem de agro movent, sibi tamen conscii sint injustæ possessionis; sic &c. quod nos moneat, ne hostium autoritate tantopere commoveamur, cum vel ex illis ipsis sint qui, &c. tanta est enim veritatis lux, ut vel in oculos cæcorum clausos incurrat. Vers.8.

MATTH. *cap.*21. *à vers.*28, *ad* 33.

28 *Quid autem vobis videtur? Quidam habebat duos filios: & accedens ad priorem, dixit; Fili, abi, hodie operare in vinea mea.*

29 *Ille vero respondens ait; Nolo: sed postea quum resipuisset, abiit.*

30 *Et accedens ille ad secundum, dixit itidem; Is vero respondens, ait;* Ego abeo, *domine. Sed non abiit.*

31 *Vter è duobus fecit quod voluit* ejus *Pater? Dicunt ei; Prior. Dicit eis IESVS; Amen dico vobis, publicani & meretrices præeunt vobis in regnum Dei.*

32 *Venit enim ad vos Iohannes via justitiæ, & non credidistis ei; publicani vero & meretrices crediderunt ei; Vos autem qui* hoc *vidistis, non resipuistis postea, ut ei crederetis.*

ANALYSIS.

Recriminatio est Pharisæorum & Scribarum ita artificiose proposita, ut imprudentes contra se sententiam ferant. Quæstio proponitur de relato, Patre & duobus filiis: Pater describitur ab effecto, accessu ad Filium natu majorem; qui accessus suo fine declaraturut, illi imperet ut ad vineam eat; quæ profectio fine declaratur ut laboraret & adjuncto tempore, uno tantum die.

 Vers. 29.

Verſ. 29. Hujus mandati in Filio effectum eſt prius detrectatio imperii Paterni, deinde pœnitudo; cujus effectum eſt, quod profectus eſt ad vineam Patris.

Verſ. 30. Alterum effectum Patris, acceſſus ad alium filium, ob finem prædictum: filii effectum eſt, quod verbis annuat, quod factis negat.

Verſ. 31. Quæſtio ex hoc caſu naſcens eſt, *uter horum Patri obſequentior ſit?* Cujus quæſtionis relatum eſt reſponſio Phariſæorum & Scribarum, priorem ex his Patri magis paruiſſe. Deinde ſequitur ἀπόδοσις hujus parabolæ: ubi publicani & ſcorta cum priore filio comparantur, qui Deo obſequium primum denegantes, poſt pœnitudine ducti Deo Patri paruerunt; hi etiam ſua adjuncta mercede deſcribuntur, quod illis præferuntur in regno Dei; unde & priori filio comparantur.

Verſ. 32. Deinde Phariſæi cum poſteriore filio comparantur, qui obſequium verbis & externis geſtibus prætexentes, re ipſa illud denegarunt: quod confirmat ab adjuncta incredulitate ſermonibus Iohannis: quæ exaggeratur adverſa fide publicanorum & ſcortorum. Denique incredulitas Phariſæorum exaggeratur comparatione majoris, quod ne tum quidem fidem concionibus Iohannis adjungebant, cum publicanos & meretrices credidiſſe intellexiſſent.

METAPHRASIS.

28. *QVandoquidem mihi ad hanc quam propoſui quæſtionem reſpondere renuitis: age*
tentabo vos alia. Quid igitur vobis videtur
de hac re quam jam propoſiturus ſum? Facite
alicui duos eſſe filios, quorum ad priorem acce-
dens, dicit; fili abi, operare in vinea mea hoc
29. *duntaxat die. Ad quem filius; Nolo equidem*
ire. Mox tamen ad ſe rediens, mutata ſen-
tentia, Patris imperio obſequens, laboratum ad
30. *vineam proficiſcitur. Ad alterum filium acce-*
dens Pater, idem illi in mandatis dat quod
priori. Ad quem ille: quod jubes, domine, pro-
tinus abſque omni mora effectum dabo: ſed per
ſimulationem modo dicens, omnino profectus
31. *non eſt. Ex duobus his, quæro quis proprius ad*
Patris obſequium acceſſit? Ad quem illi: In
promtu & ante pedes eſt, priorem Patri ma-
gis audientem & obſecundantem eſſe. Tum ad
illos per imprudentiam ſuis ipſorum verbis
captos, dixit Ieſus. Sancte vobis confirmo pu-
blicanos & meretrices ſua vita cognita corru-
ptela Deo obſequium veluti aperte negantes;
in regno Dei vobis præituros, qui verbis modo
magnum Deo obſequium præ vobis præferen-
32. *tes, factis & reipſa Deo obedire renuitis. Ve-*
nit etenim ad vos Iohannes, doctrinæ puritate
& vitæ ſanctitate adeo inſignis, ut ſui apud
vosmet admirationem concitaret; de me ta-
men teſtanti fidem non adjunxiſtis: cum pu-
blicani & meretrices (fide adhibita) à ſua ne-
quitia ad Deum reverſi, hoc pacto miniſterium
ejus cœlitus dimiſſum obſignarint: vos autem,
horum ad Deum converſionem oculis uſurpan-
tes, eorum tamen exemplo credere Ioanni de-
trectantes, ad inobedientiam rebellionem ad-
didiſtis.

PRAXIS.

SVmma, Scribas & Phariſæos pietatem ſimulantes, Publicanis & meretricibus aperte mandata Dei violantibus pejores eſſe.

In Chriſti recriminatione notandum non temere arreptam, ſed ad argumentum propoſitum accommodatam eſſe: hoc enim pacto Iohannis miniſterium è cœlis fuiſſe probat, quod homines profligatiſſimos ad frugem & reſipiſcentiam revocarit. Quoniam autem ſcientes nihil quod illis adverſum erat confiteri volebant, ideo per parabolam, &c. ut olim Nathan Davidem 2 *Sam.*12. & alius Propheta Achabum 1 *Reg.*20,28. ad peccati confeſſionem adigerunt. Hoc artificium noſtris hominibus valde neceſſarium eſt, qui à peccatorum confeſſione tantopere abhorrent, ut mori potius, &c. Verſ.28. &c. *Recriminationis Chriſti occaſio.*

Quod patris potius quam Domini appellatione in hac parabola uſus eſt, & cives ſuos filios potius quam ſervos vocat, & Dei amorem patrium prodit, & ſimul docet eum amari potius quam timeri velle.

In hac recriminatione parabolà tectà duo potiſſimum peccata Phariſæorum perſtringuntur, { Hypocriſis, Obſtinatio, } quæ à comparatione exaggerantur.

Hypocriſis aperta iniquitate nequior & deteſtabilior deprehenditur; *primo* enim in ipſis inteſtinis hæret: ac proinde nec ab aliis, nec ab ipſo delinquente tam facile aut deprehenditur, aut deprehenſa corrigitur: ut enim in corporis morbis, qui in inteſtinis hærent, &c. ſic; &c. *Secundo* cum retecta facie peccantes omnium fere vituperio pateant, unde pudorem contrahunt iſti &c. in his nihil tale: imo plerumque hominum laudibus elati ſuperbiunt, &c. illi Deum contemnunt; hi Deo illudunt: *Ego abeo Domine:*] *Eſa.*29,13. *Hic populus labiis mihi appropinquant, cor autem eorum longe eſt à me. Tertio* aliis plus nocent: aperte enim peccantes omnes pæne declinant: hypocritæ ut fermentum, &c. ut lupi ovinis pellibus tecti nocentiores ſunt, &c. ut pocula quæ cum intus tum foris impura ſunt, non tam facile imponunt, &c. meretrices quæ in lupanaribus, Verſ.31. *Hypocriſeos mala.*

bus, non tam facile ingenuum adolescentem irretiunt, &c. quam quæ in domo matronam simulat: sic &c.

Caveamus ergo ne aut obsequium verbis profiteamur, quod factis denegemus; aut, &c. maxime vero caveamus nobis ab hypocrisi, cujus venenum homines imprudentes & nihil tale cogitantes conficit; & quo homines specie valentes subito opprimuntur: & cui perraro amuleta parantur.

Vers. 32. *Quo doctoris pietas major est, eo infidelium damnatio gravior.*

Crimen obstinationis objicit, quod publicani & meretrices, injustitiam avide sectantes, & sanctitatem pedibus proterentes, tamen, &c. ipsi vero qui sanctitatis cultores studiosissimi videri vellent, &c.

In priore obstinationis membro, notatur quidem perire eos qui maculosis in moribus magistris, sed vera tamen prædicantibus non credunt *Matth.* 23,3. sed cum iis qui simul & doctum & pietate probatum ministrum consequuti sunt, durius agi nisi &c. vide *Ioh.* 8,46. *Quis ex vobis arguet me peccati?* merito perit qui à via digito monstrata deflectit; sed multo magis si eundem ducem etiam itineris habeat, sic, &c.

Singulorum peccatorum conversio resipiscentiam nostram promovere debet.

In posteriore membro, quod aliorum exemplo non sunt revocati, &c. docet, singulorum peccatorum conversionem nobis ad resipiscentiam stimulos addere oportere: quod ni faciamus, atrocius supplicium subituri sumus, &c. Saulis peccatum aggravatur, quod servis qui ad Davidem comprehendendum missi erant Prophetiæ majestate fractis, & ex persecutoribus Prophetis factis; ipse tamen ab incœpto non destitit. Quod si Ninivitarum exemplum quos resipiscentes non vidimus, & qui ante multa secula, &c. Euangelii auditorum non resipiscentium judicium augebit, nedum quos nostra ætate resipiscentes vidimus. Neque quisquam tam vilis & contemptus est, cujus resipiscentis exemplo, &c. etiamsi in summa dignitate collocati simus. Principibus hic objectũ est, quod meretricum exemplo non resipuerunt.

MATTH. *cap.* 21, *à vers.* 33, *ad finem Capitis.*

33 Aliam parabolam audite; Fuit quidam Pater-familias qui plantavit vineam, & sepem circumposuit ei, foditque in ea torcular, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregre profectus est.

34 Quum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut ejus fructus perciperent.

35 Agricolæ vero, captis ejus servis, alium quidem ceciderunt, alium vero trucidarunt, alium autem lapidarunt.

36 Rursum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt eis itidem.

37 Postremo autem misit ad eos filium suum, dicens; Reverebuntur filium meum.

38 Agricolæ vero viso filio dixerunt inter se; Iste est hæres, adeste, trucidemus eum, & obtineamus hæreditatem ejus.

39 Et captum eum ejecerunt extra vineam, & trucidarunt.

40 Quum igitur venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41 Dicunt ei; Malos ipsos male perdet: & vineam suam elocabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

42 Dicit eis IESVS; Nunquam legistis in Scripturis; Quem lapidem reprobarunt ædificantes, is factus est caput anguli; A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

43 Propterea dico vobis, tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ ferat ejus fructus.

44 Porro qui ceciderit ad lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, dissipabit eum.

45 Et quum audissent primarii Sacerdotes ac Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt hæc *de se dici.*

46 Et quum studerent eum prehendere, timuerunt turbam, quoniam ut Prophetam eum habebat:

MARC. cap. 12, à vers. 1, ad 13.

ET cœpit eis per parabolas dicere; Vineam plantavit quidam, & circumposuit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregre profectus est.

2 Misitque servum ad agricolas suo tempore, ut ab agricolis acciperet ex fructu vineæ.

3 Illi vero captum eum ceciderunt, ac remiserunt inanem.

4 Et rursum misit ad eos alium servum, & illi huic quoque lapidato, caput comminuerunt, & remiserunt dedecoratum.

5 Et rursum alium misit: & illum trucidarunt, multosque alios, hos quidem cædentes, illos vero trucidantes.

6 Quum ergo unum adhuc haberet filium suum dilectum, misit etiam illum ultimum ad eos, dicens; Reverebuntur filium meum.

7 Illi vero agricolæ dixerunt inter se; Iste est hæres: venite, trucidemus eum, & nostra erit hæreditas.

8 Et captum eum trucidarunt, & ejecerunt extra vineam.

9 Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.

10 Ne hanc quidem Scripturam legistis; Quem lapidem reprobaverunt ædificantes, is factus caput est anguli:

11 A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

12 Studebant igitur eum prehendere, sed timuerunt turbam: norant enim eum adversus ipsos illam parabolam dixisse, itaque omisso eo abierunt.

LUC. cap. 20, à vers. 9, ad 20.

9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc; Quidam plantavit vineam, & elocavit eam agricolis: & peregre abfuit multum temporis.

10 Sed præstituto tempore misit servum ad agricolas illos, ut sibi darent ex fructu vineæ. Agricolæ autem illi cæsum illum ablegaverunt inanem.

11 Ille vero perrexit, & alterum servum misit: at ipsi hunc quoque cæsum & contumeliis affectum ablegaverunt inanem.

12 Et perrexit mittere tertium: at illi & istum vulneratum ejecerunt.

13 Dixit igitur dominus vineæ; Quid faciam? mittam filium illum meum dilectum: utique quum hunc viderint, reverebuntur.

14 Viso autem eo agricolæ ratiocinabantur inter se, dicentes; Iste est hæres: venite, interimamus eum, ut nostra fiat hæreditas.

15 Et ejectum eum extra vineam, interemerunt; Quid ergo faciet eis dominus vineæ?

16 Veniet & perdet agricolas istos, & dabit vineam aliis; Hoc autem quum audissent, dixerunt; Absit.

17 Ille vero intuitus eos, ait; Quid illud est ergo quod scriptum est; Quem lapidem reprobaverunt ædificantes, is factus est caput anguli?

18 Quisquis ceciderit super illum lapidem, confringetur: super quem autem ceciderit, dissipabit eum.

19 Et studuerunt primarii Sacerdotes & Scribæ injicere in eum manus ea ipsa hora:

hora: sed metuerunt plebem: cognoverant enim cum *adversus ipsos dixisse similitudinem istam.*

ANALYSIS.

Doctrinam suam describit à forma, quod sit parabolica: cujus adjunctum est ut attente audiatur, ut quæ cæteroquin non comprehenditur. Deinde comparatione Patrisfamilias describitur Deus; cujus effectum proponitur Ecclesiæ constitutio seu formatio; quæ pari illustratur plantationis vineæ: aliud effectum Dei proponitur, communitio & conservatio Ecclesiæ; quæ pari illustratur sepis quam circumduxit vineæ: Aliud effectum describitur, suppeditatio commoditatis & facilitatis ferendi fructus & bene operandi: quæ pari illustratur defodiendi torcular in ipsa vinea: aliud effectum est ministerii Ecclesiastici in Ecclesia institutio; quæ pari turris extruendæ illustratur; deinde aliud effectum est, Ecclesiæ fundatio & institutio inter Iudæos: quæ pari illustratur locationis vineæ villico: deinde aliud effectum peregrinandi, quo designat, tempus ab institutione Ecclesiæ inter Iudæos usque ad adventum Christi.

Vers. 34. Describitur vindemiatio ab adjuncto tempore, nempe cum servos suos mittit; quod suo fine declaratur, ut fructus exigant.

Vers. 35. Effectum exacti & postulati fructus est, servorum indigna tractatio, quæ suis partibus exponitur, verberandi & interficiendi; quæ interfectio comparatione majoris exaggeratur, usque eò ut etiam lapidibus obruerentur.

Vers. 36. Aliud adjunctum hujus in Dei servos sævitiæ est missio aliorum servorum; qui suo adjuncto majoris numeri describuntur; cujus missionis eventus est, quod perinde ut priores excepti sunt.

Vers. 37. Hujus etiam sævitiæ adjunctum est missio filii unici: quæ suo fine declaratur, ut illum revererentur; ubi occulta exornatio à diverso innuitur, tametsi servos non sunt reveriti.

Vers. 38. Adjunctum missionis filii est, quod coloni eum conspicati, eum hæredem esse cognoverunt: deinde effectum eorum notatur, mutua cohortatio ad interfectionem filii; quæ suo fine declaratur, nempe ut retineant hæreditatem, quam se amissuros putabant, si, eam obtinuisset filius.

Vers. 39. Aliud effectum colonorum, quod idem fuit adjunctum mortis Christi, nempe quod filium ejecerunt.

Vers. 40. Adjunctum totius hujus narrationis, est quæstio Christi ad Pharisæos; quid Paterfamilias homicidis faciat.

Vers. 41. Hujus quæstionis effectum est responsum Pharisæorum, quod sua forma subjicitur, nempe perditum iri homicidas; deinde ablatum iri vineam & aliis tradendam: quod suo fine confirmatur, ut fructum ferant.

Vers. 42. Hujus responsi adjunctum est alia quæstio, quam proponit Christus; quæ huc spectat ut testimonio *Psal.* 118. confirmet illos ipsos esse qui hoc homicidium patraturi erant. Quod illustratur comparatione paris; Christi, qui comparatur lapidi angulari in ædificio Ecclesiæ; & Pharisæorum, &c. qui comparantur stultis structoribus illum lapidem reprobantibus. Quæ repudiatio suo diverso exornatur, nempe quod utcumque illi hunc lapidem ejecerunt, tamen, illis rumpentibus, ædificii stabilimentum evasit: cujus efficiens causa est Dominus: quod etiam opus Dei amplificatur ab adjuncta admiratione: quæ admiratio etiam exornatur suo subjecto, nempe Prophetarum & piorum omnium, etiam Angelorum, ut alibi Scriptura loquitur.

Vers. 43. Effectum hujus lapidis rejecti est ablatio regni Dei à Iudæis; quæ pœna amplificatur ab adjuncto, ejusdem regni translatione ad gentes Iudæis infensissimas; quæ describuntur ab effecto fidei.

Vers. 44. Cum indicasset totius nationis Iudaicæ adjunctam pœnam, notat etiam pœnam uniuscujusq; rejicientis Christum, nempe internecionem; quæ pari illustratur in lapide offendentis; qui distributione subjecti declaratur, vel ejus qui incidit in lapidem vel illius in quem lapis incidit.

Vers. 45. Adjunctum utriusque Parabolæ, cum hujus, tum antecedentis, cognitio Sacerdotum primariorum & Pharisæorum utrasque in se stringi.

Vers. 46. Effectum vero est, quod quærebant Iesum comprehendere; cujus causa corrumpens erat, quod turbam timebant; ubi causa efficiens timoris indicatur, nempe quod Iesum divinitus missum existimabat turba: quæ cœlestis vocatio pari illustratur, ut Prophetæ olim missi sunt.

METAPHRASIS.

Ad superiorem de duobus filiis parabolam aliam vobis primariis Sacerdotibus & primoribus populi, una cum turba, proponam: eam igitur omnes, quotquot adestis, audite: Deus optimus & maximus fœdere cum Abrahamo inito Ecclesiam fundavit, haud secus quam prudens Paterfamilias vineam conserit. Hanc Ecclesiam suam sua providentiâ circummunivit, & lege ceremoniali, tanquam muro, à totius orbis nationibus disclusit: perinde ut Paterfamilias consitam à se vineam sepe circumducit, cum ut adversus noxiarum bestiarum incursionem illam vindicet, tum ut à circumjacente aliorum possessione illam distinguat. Deinde quo commodius & majore facilitate fructum ferret, templum & cultum suum in medio illius erexit: sicut Paterfamilias in vinea torcular, quo uvæ vino conficiendo destinatæ exprimantur, exscindit: porro ministerium verbi instituit, cujus beneficio de adventantibus ad cautionem malis erudiantur; ut Paterfamilias turrim in vinea exstruit, unde vineæ custos eam direpturos & populaturos prospectare possit, Denique ut uno verbo complectar, nihil vel cogitando inveniri 33.

potuit, quod Deus stabiliendæ & ornandæ Ec-
clesiæ suæ affatim & abunde non suppeditavit.
Hanc vero sic perfectam & expolitam Abra-
hami posteris hac lege & conditione utendam
& fruendam tradidit, si fructum pietatis &
justiciæ tanta munificentia dignũ proferrent;
prout Paterfamilias lectissimam cultissimam-
que suam vineam colonis elocare consuevit,
cum illis de annuo vini ad familiam suam
alendam vectigali depactus. Atque ut non ra-
ro fit ut amplarum possessionum Paterfamilias
procul in longinquam regionem abscedat: ita
Deus ubique præsens regiam & quasi aulam
suam in qua majestas ejus maxime relucet in
summis cœlis figens, colonorum opinione, tan-
quam in remotis partibus agere & habitare
censetur, quod illis stimulum addit ut ab offi-
34. *cio in dominum discedant. Tempore vero ad-*
ventante, quo fructus percipiuntur, mittit ser-
vos suos ad Ecclesiam, tanquam ad vineæ co-
lonos, ut fructus ex condicto ad domini sui
35. *usum accipiant. Hos inhumaniter acceptos*
contumeliose tractant coloni; Nam ex his non-
nullos verberibus oneratos inanes dimittunt.
Marc. *Aliis, conjectis in eos lapidibus, caput*
diminuentes, pudibundos ablegant; alios mor-
te mulctant, idque mortis genere perquam
36. *ignominioso, eosdem lapidibus obruendo. Post*
legationem numerosiorem, quo majorem ani-
mis eorum reverentiam injiceret, ad illos mit-
tit: sed neque hoc modo vel hilum quidem ad
frugem ut redirent, profecit: eandem etenim
vim illis inferebant, quam his de quibus di-
ctum est. Sic legatos suos subinde & multoties
iteravit, quos aut virgis cædebant, aut morte
37. *mulctarunt.* Marc. *Demum unigenitum suum*
filium ad eos misit, secum & cum animo suo in
istum modum disserens. Grave scelus est me in
meis servis toties tam indigne habitum esse.
Atque ut servos meos contemtui habuerint,
tamen si vel mica humanitatis aut officii er-
ga me sui remanserit, filium meum reverebun-
38. *tur. Coloni vero simul ac filium conspexissent,*
eumque pro filio (utcumque rem serio dissimu-
lantes) cognovissent, apud se consilia agita-
runt, dicentes: Hic hæres est, conferamus ca-
pita & omnem quam possumus operam de-
mus, ut illo è medio sublato, divitiarum, glo-
riæ & gratiæ apud populum (quam illo vivo
retinere nequimus) possessionem ad nos trans-
39. *feramus. Quamobrem illum acceptum non*
tantum hæredem non agnoverunt; sed ut in-
dignum, qui in aliqua parte Ecclesiæ aut hæ-
reditatis divinæ hæreret, foras ejecerunt, &
40. *ejectum interfecerunt. Quæro igitur à vobis,*
quid dominum istiusmodi colonis facturum
censetis, cum incomparabili sua patientia &
horum malorum tolerantia veluti procul dissi-
tus apparens, de hac tam enormi impietate
sententiam laturus veluti appropinquabit. Ad 41.
quem Sacerdotum principes & seniores populi:
Quid faciet rogas? Quid? nisi ut malos male
perdat, & possessionem suam à malæ fidei pos-
sessoribus asserens, eam aliis utendam & fruen-
dam tradat, qui fructum debitum mature
reddent. Omnino ita est ut dicitis: veniet et-
enim Dominus, & obtruncatis his colonis, suam
hæreditatem aliis utendam & fruendam dabit. 42.
Atque ut in vos ipsos hanc vos sententiam tu-
lisse, intelligatis, quæro à vobis an nusquam in
libro Psalmorum legeritis selectissimum illum
lapidem spiritualis templi (quem vos primarii
structores usque repulistis, ut illi in templi ædi-
ficio ne infimum quidem locum reliqueritis)
vobis rumpentibus, non tantum ad domus Dei
structuram adhibitum, sed porro pro primario
angulari lapide muros utrimque conjungente,
palam agnitum & celebratum esse. Hoc autem
omnium piorum judicio tam admirabile, ad
quem, nisi ad Deum, ejus unicum authorem
& effectorem referamus? Quapropter con- 43.
gruenter sententiæ quam imprudentes in vos
tulistis, prædico vobis Iudæis, cumprimis vero
vobis populi ductoribus vel (ut verius dicam)
seductoribus, propediem fore, ut omnia, quibus
ad cæleste regnum itur, subsidia pœnitus à
vobis ablata, ad gentem quæ dignos fructus fa-
ciet transferantur. Et quicunq; ad hunc quem 44.
dixi lapidem, id est, meipsum, tametsi impru-
dens & inscius, impegerit, quassatus peribit:
sed qui volens & sciens adversus illum recal-
citrat, in hunc lapis hic maximo impetu ir-
ruens atque incursans, damnatione longe gra-
viore & pœna exquisita multo magis crucia-
bitur. Principes Sacerdotum & Pharisæi hac 45
cum audivissent, quantumvis parabolico ser-
mone tecta & adumbrata, de se tamen dicta,
& ad illos præcipue directa fuisse probe norant.
Vnde magno studio detenti illum ad mortem 46.
comprehendendi, metu turbæ, ne hoc facerent,
cohibiti sunt: quia turba utut illum Christum
esse ignorarint, tamen à Deo ἀμέσως missum,
perinde ut olim Prophetæ missi sunt, existima-
runt.

PRAXIS.

SVmma, Christus Iudæorum, præcipue vero Antistitum & Procerum, crudelem adversus Deum obstinationem indicans, extremum illis exitium denunciat.

Par-

Partes, { Parabola.
Parabolæ accommodatio.

Verſ.33. *Quo pacto Deus vineam ſuam plantaverit, munierit;* Vineam hanc Deus conſevit cum fœdus cum Abraha inivit, quem tanquam nobilem ſurculum plantavit. Poſt in Ægyptum tanquam in plantarium tranſtulit; unde male habitum ad locum amœniſſimum terræ Canaan tranſtulit, ſepem circumduxit, ut cum tenellus eſſet, adverſus omnes agri feras, id eſt reges, &c. tutatus eſt, & vigilanti providentia texit: miniſterium tanquam turrim inſtituit, unde undequaque circumſpiceretur, ne ab hoſtibus imprudens opprimeretur: effodit torcular, dum cultum ſuum inſtituit, quo ſe exerceret, & fructum tanti ſumptus & laboris proferret. Denique nihil non effecit, quo eam ornatiſſimam redderet, *quid fieri potuit quod non præſtiti vineæ meæ*; *Eſa.*5, 4. Imo *ne proprio quidem filio pepercit. Rom.* 8,32. Hæc omnia uberius & munificentius in nos quam in Iudæos, &c. Diſcamus ergo Dei munificentiam agnoſcere, eoque digne ambulare, fructus, &c.

Quibus & quomodo eam locaverit: Primoribus populi vineam ſuam, non pretio, ſed fructu ex vinea proventuro elocavit. Sicut igitur paterfamilias ex conſita vinea fructum efflagitat, &c. ſic, &c. à ſilveſtri quæ ſponte ſuccreſcit, & in quam nullus labor aut ſumptus collatus eſt, non magnopere expectant fructum, ſed ab illa quam manu ſua conſeverunt, rigarunt, ſtercorati ſunt, &c. Nec placatur Paterfamilias ſi ramos, folia, gemmas, omphacinum, &c. ſed fructum maturum, &c. ſic Deus, &c. eoque magis quod hi fructus à Deo reſervati non ſuo, ſed noſtro commodo, &c. *Deut.* 10,12. *Et nunc Iſrael, quid eſt quod Dominus à te exigit pro omnibus beneficiis, &c.*

Quomodo peregre profectus dicatur? *Peregre profectus eſt.*] Etſi Deus ubique ſit, & cœlum habeat ſolium, terram ſcabellum, &c. tamen quia in cælis & ſede beatorum ejus majeſtas & gloria potiſſimum relucet, &c. Deinde quia colonis impiis longe abeſſe videtur, qui nulla præſentis Dei reverentia tanguntur, &c.

Verſ.34. *Tempus redditionis fructuum;* *Quum autem tempus, &c.*] Nota tum eſſe fructus reddendi tempus, cum à nobis per miniſtros depoſcuntur: quare cum tempus vectigalium pendendorum nobis notum ſit, caveamus &c. nec moras nectamus, fructus præcoces, & qui primo afferuntur valde placent, & arbores quæ primo anno fructum ferunt. Properemus ergo & feſtinemus, &c. vide exemplum Shimei, qui primus regi occurrit poſt depulſum Abſolonem; quod ei plurimum profuit, &c.

Miſit ſervos.] Apud homines fructus per conductores vinearum & agrorum juſto tempore afferuntur; quod ni faciant, periculo & damno, &c. Quanto hoc magis a nobis præſtari oportuit; qui uberrimum quæſtum ex Eccleſiæ occupatione percipimus. I. Laudanda Dei facilitas & clementia qui ſervos fructus depoſcituros mittit. Regibus munera deportari ſolent ut David, Salomon, &c. quanto magis nos hæc munera vel potius debita, vel non rogatos, tanto regi & tam benefico Domino adferre oportuit. II. Eſt ea noſtra à bonis operibus alienatio; ut non niſi miniſterii verbi adminiculo fructus reddamus; cum tamen ſinguli ſua ſponte ſatis ſe probos exiſtiment, etſi à nemine admoneantur.

Agricolæ pro eo quod ſervum hoſpitio commode accipere debebant, & Domino gratum animum ſignificare, eum verberibus exceptum dimiſerunt. Verſ.35. *quam homines recuſant.*

Nota, Tum demum homines ſuccenſere, cum fructus depoſcuntur. Quamdiu vinea ſeritur, munitur, &c. doctrina juſtificationis, libertatis à jugo Antichriſti, &c. omnia bene, &c. Poſtquam vero, &c. vide *Eſa.*30,9, 10,11. *Mich.*2,6. 2 *Tim.*4,3. *Act.*7,51. *&c.* & 24,25. 1 *Reg.* 22,8. Sic Pharmaca grata paſtui appetimus, quamvis noxia; amara reſpuimus etſi ſalutaria: lenimenta tantum & demulcentia gravi vulnere decumbentes admittimus: egre ferimus in viam reduci, ſi paulo aſperior ſit. Denique venenum modo arrridens avide exhaurimus, &c.

Quod repulſam tam indignam toties fert, manum tanquam in ſinu continet, gladium non diſtringit, immenſam patientiam declarat. Hæc declaratur *Exodi.*34. quæ quidem tanta eſt ut Ionæ 4. Deo à Propheta indignabunde objiciatur. *Ezechiel* 4. cubatu in alterum latus per 390. annos, &c. illuſtrat. Quis autem mortalium hoc ferret? vide exemplum Rehabeami qui ob interfectum ſervum unum, qui tributa à Salomone haud ita juſte fortaſſis impoſita, exigebat, exercitũ numeroſum conſcripſit 1 *Reg.*12,21. & Davidis qui ob legatos à rege Ammon indigne tractatos, gentem pæne univerſam delevit. 2 *Sam.*10. Non ſunt igitur Dei cogitationes ut ſunt cogitationes hominum, &c, *Eſa.* 55. Hic nos monendi, ut cum Dei filii ſimus, ejus patientiam imitemur. *Matth. cap.*5, *verſ.*44. &c. Cum ejus diſcipuli ſimus ab ipſo manſuetudinem diſcamus. *Matth.cap.* 11,29. Verſ.36, &c. *Ubi ſumma Dei patientia elucet,*

11,29. Murum patientiæ præaltum & æneum attollamus, quo exsultantes affectus intra civitatem contineamus; nec simus similes civitatibus, quibus muri & portæ non sunt; nec ut vasa figulina, quæ minimo spinarum strepitu calescunt, &c.

Quæritur: Quo modo dici potest Deum patienter tulisse Iudæos, &c. cum tam sæpe & graviter in eos animadvertit; urbe & templo incenso in Babyloniam amandavit; &c. *Respondeo:* hæ castigationes paternæ fuerunt, & Pharmacum quibus eos persanare studuit: nunquam eos ultus est dum apud eos vinea Ecclesiæ maneret. Vineam hanc conculcavit quidem per aprum silvestrem *Psal.* 74. sed aliis colonis non elocavit. Quare quamdiu Euangelium apud nos manet, &c.

Huic contraria pertinacia hominum. Ex adverso mira hominis pertinacia hic apparet; quæ nullis nec beneficiis, nec patientia liquescit, sed indies profundius in peccatis immergitur, cede cedem attingente: quo magis precandum ut Deus nobis cor lapideum auferat, carneum det, &c.

Hæc de parabola. Sequitur accommodatio.

Vers. 41. *Impii Dei judicia justa fatentur.* *Dicunt ei.*] *Nota*, Corruptissimorum & maxime cæcorum hominum judicio, Dei judicia justissima esse. Vide exemplum Pharaonis. *Exod.* & *Dan.* 4,37. Est autem argumentum certissimum justissimi judicis judicii si reus ipse agnoscat, &c.

Deus licet longanimus, vindex tamen. Deus ergo etsi longanimus, nocentem tamen pro innocente non habebit. *Exod.* 34,7. multum denique cum hominum improbitate conflictatus, exurget tandem, gladium distringens exacuet, brachium nudabit, plagam insanabilem imponet. Et quia legatos, atque adeo filium contempserunt; veniet ipse, non fructum aut vectigal posciturus; sed ut colonos extinguat prorsus; nec enim tum tempus resipiscentiæ dabitur. Quare cavendum ne peccatis indormiscamus, si Deus ilico iram non properat, &c.

Luc. 20. *Pharisæi judicium, quod ipsi tulerant, absurdum ducunt:* *Absit.*] Fatentur se esse colonos; ac proinde in se ipsos sententiam dixisse. Hanc pœnam Pharisæi non tam deprecantur, quam ut rem absurdam judicant; Deum ita sibi alligatum putantes, &c. quasi lex ab iis excidere non posset. Perinde quasi filius nequam paterna bona profundens, &c. ac si pater nollet aut non posset hæreditatem in alium transferre; aut colonus qui per aliquot secula vineam aut agrum occupaverit, sibi in animum induceret dominum nolle, &c. Frugi patrisfamiliæ est villam illis utendam dare, qui fructus uberrimos, &c. num putemus Deum tam oscitantem esse & dissolutum, &c. quin ex lapidibus potius sibi populum excitabit, &c. Quod si Deus populo suo natu maximo non pepercit: nedum &c. si germanæ olivæ, &c. si populo cum unicum haberet, &c. si in populo toto hanc impietatem non tulit; nedum in uno aliquo.

Christus ex Psalmo, rem istam etsi admirabilem non tamen absurdam videri debere ait, cum Propheta vaticinatus est Ecclesiæ architectos eo aut ignorantiæ aut malitiæ processuros, ut lapidem lectissimum qui utrumque populum conjungeret, non modo non justo loco, sed nec, ullo habituros. Istud adversarios revincit & Ecclesiæ offendicula amovet quibus inverisimile videtur, ut, &c. Vers. 42. *Quod Christus ex Psal. vindicat.*

Nunquam legistis.] Hinc offendicula, quod in scriptura parum exercitati sumus.

Nemini mirum videri debet, si quando hi qui in Ecclesia duces sunt, Ecclesiam ipsam demoliantur, & lapides affabre politos rejiciant, ascitis iis qui pulvisculo leviores sunt: quandoquidem Christum ipsum, &c. nec mirum si hoc in Papatu, Antichristi synagoga, fiat, cum in germana Ecclesia interdum fiat. Quare ab hominibus ne pendeamus, utcunque splendidis ornatis titulis.

Nota, architectos istos, utcunque authoritate pollentes, nequaquam suo conatu effecisse ut Christus lapis angularis non esset; quin potius eorum invidia factum esse, ut qui ante Ecclesiæ Israëliticæ fundamentum extitit, nunc utriusque Iudææ & Gentilis, &c. Hoc nos eximie consolatur, cum sciamus nullos hostium conatus successuros. *Psal.* 129. Nulla fermenta contra Ecclesiam facta prosperatura. *Architectorum conatus frustraneus.*

Ejus ratio quia *à Domino factum.* Deus admirabili suo brachio, rumpente diabolo & proceribus, effecit ut Christus, &c. sic *Psal.* 2. tamen *posui regem meum, &c.* Hoc nos consoletur cum videmus ab eis deseri quorum esset, &c. Deus unus illi instaurandæ & ex cœno extrahendæ sufficit. Vide *Esa.* 63. *Vidit Dominus quod nullus erat, &c. & miratus est: dextra sua sibi ipsi auxiliatus est.* Ne igitur animo cadamus, manus pendeant, genua committantur, &c. si quando, &c. *Quia à Domino factum erat.*

Mirabile in oculis nostris.] Quam mirabile Vide 1 *Tim.* 3,16. & 1 *Pet.* 1,12. Est igitur Ecclesiæ instauratio mirabile & omnem humanam rationem superans: sic Ecclesiæ multiplicatio in Aegypto; & post rejectum Antichristum: ne desperemus igitur si, &c.

Tolletur regnum.] Explicat se. *Alteri Genti.*] Vers. 43.

Quomodo regnum à Iudæis ablatum.

ti.] Non aliis colonis. Hoc declarat non tantum colonis, sed toti genti ablatum iri regnum Dei, id est Ecclesiam. *Quæritur*: quomodo hoc, cum uterque populus in Christo coaluit. *Respondeo* maxima ex parte: sicut igitur olim Iudæis undique ad regnum accurrentibus, ex Gentibus pauci tanquam proselytæ: sic jam Gentibus turmatim accurrentibus, pauci Iudæi, &c.

Vers. 44. *Qui ceciderit.*] Christum ingenti lapidi, homines vasi testaceo comparat: sicut igitur, si testaceum ex alto in magnum lapidem, &c. confringitur, sed ita ut instaurari possit, saltem ut ejus fragmenta portandæ aquæ aut igni inservirent: sed si lapis ipse in vas testaceum cadat, comminuetur, &c. sic qui impetu in Christum feruntur, frangentur quidem; sed si impœnitentes permaneant donec ipse in eos cadat, actum est de iis. Vide *Psal.* 2. ubi *virga ferrea* comparatur.

Pœna hostium Christi.

MATTH. *cap.* 22, *à vers.* 1, *ad* 15.

Tunc respondens IESVS, rursum loquutus est eis per parabolas, dicens:
2 *Simile est regnum cœlorum cuidam regi qui fecit nuptias filio suo:*
3 *Et misit servos suos qui vocarent vocatos ad nuptias: sed noluerunt venire.*
4 *Rursus misit alios servos, dicens; Dicite vocatis; Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata: adeste ad nuptias.*
5 *Illi autem quum* hoc *neglexissent, abierunt, alius quidem in agrum suum, alius vero ad mercaturam suam.*
6 *Reliqui vero prehensos servos ejus contumeliis affecerunt, & trucidarunt.*
7 *Rex autem quum* hoc *audisset, iratus est, & missis copiis suis, perdidit homicidas illos, & urbem eorum incendit.*
8 *Tunc dicit servis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui vocati fuerant, non erant digni.*
9 *Ite ergo ad compita viarum: & quotcumque inveneritis, vocate ad nuptias.*
10 *Et egressi servi illi in vias, congregarunt omnes quos invenerunt, malos pariter ac bonos: & impletæ sunt nuptiæ convivis.*
11 *Ingressus autem rex ut spectaret convivas, vidit illic quemdam non indutum veste nuptiali:*
12 *Tunc dicit ei; Amice, quomodo huc introisti non habens vestem nuptialem? At illi os occlusum est.*
13 *Tunc dicit rex ministris; Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum, & ejicite in tenebras extimas, illic erit fletus & stridor dentium.*
14 *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

ANALYSIS.

Formam doctrinæ proponit qua Christus Iudæis exitium minatur, nempe parabolicam; quam etiam designat ab adjuncto tempore.

Vers. 2. Subjectum parabolæ est regnum cœlorum, seu administratio Dei, in hominibus in Ecclesiam aut cooptandis, aut ablegandis & repellendis. Adjunctum in hoc regno est Deus; qui pari regis illustratur; qui suo effecto declaratur, celebrandi nuptias; quæ adjuncta amplitudine exponitur quia pro filio fecit.

Vers. 3. Adjunctum nuptiarum est legatio servorum regis, ut invitarent convivas; qui suo adjuncto describuntur, nempe antecedente vocatione. Cujus invitationis adjunctum est quod convivæ venire respuant.

Vers. 4. Hujus recusationis effectum est alia legatio servorum; ubi proponitur forma legationis, quæ constat ex causis efficientibus & effecto: causis quod omnia sunt parata; quod etiam partibus declaratur: nempe quod boves mactati, altilia parata: effectum vero est ut veniant.

Vers. 5, 6. Hujus item legationis adjunctum erat recusatio convivarum.

Qui distributione effectorum declarantur
- Neglectui habentiū regis liberalitatem; quod suis effectis declaratur nempe excusatione sui: quæ *duplex* est,
  - *Horum* quidē agrū,
  - *Illorum* vero mercaturam,
  - } Oppo-nē-tiū.
- Vim servis inferentium: quod declaratur effecto, nempe quod manus illis injecerunt; quod suo fine exponitur, ut illos contumelia prius affectos post necarent.

Vers. 7. Hujus posterioris ingratitudinis effectum est ira regis: iræ vero effecta expeditio exercituũ suorum; quæ suo fine declaratur, ut homicidas interficerent, & urbem eorum etiam incenderent.

Vers. 8. Effectum ingratitudinis utriusque quæ in regiæ liberalitatis neglectu, dictio sententiæ in illos, quod indigni sunt qui convivio adhibeantur; quod diverso amplificatur, tametsi pro illis prandium nuptiale paratum.

Vers. 9. Aliud effectum utriusque, nempe legatio servorum tertia, ut quosvis occurrentes, sine discrimine ad prandium invitarent.

Vers. 10. Hujus mandati effectum est servorum obsequium, qui quosvis vocabant; qui distributione adjuncti proponuntur, boni, mali. Cujus item vocationis effectum est, quod completa est tota domus convivis.

Vers. 11. Adjunctum hujus convivii est lustrationis effectum, quod offendit unum ex convivis non utentem munda veste aut nuptiali.

Vers. 12. Cujus item effectum est interrogatio, cur se intulit vestem non habens nuptialem? Cujus interrogatione effectum est silentium convivæ, seu potius oris obthuratio, ut nihil potuerit loqui.

Vers. 13. Aliud effectum regis & adjunctum non utentis nuptiali veste est mandatum regis ut puniatur; quæ pœna suis partibus describitur, primum manuum & pedum ligatione, deinde ejectione in tenebras; quarum effectum est lamentatio & stridor dentium.

Vers. 14. Apodosis parabolæ; quæ est paucos esse electos: quod diverso exornatur, quamvis multi sint vocati.

METAPHRASIS.

1. *SVperiore obstinatione & sanguinolento co-*
natu Christus irritatus, perrexit Iudaicæ
genti Dei horribilem vindictam figurata ora-
2. *tione, adumbrare, dicens: Deus Pater tan-*
quam Rex regum in instituenda & regenda
Ecclesia, in qua regnum cœleste inchoat, quod
post futuro seculo perficiet; Filium suum unige-
nitum, cui per Spiritum S. humanam carnem
univit, cum hominibus Sacro & Spirituali
conjugio conjugare volens verbi prædicatione;
sui noticiam & peccatorum remissionem, tan-
quam nuptiale convivium ad nuptias instruit
3. *regia largitione & munificentia dignum. At-*
que ut in conviviis fieri solet, ut invitati sub
horam convivii, ad convivii celebrationem
advocentur: Servos suos (ut ante adventum
filii Prophetas, sic post adventum Euangelii
præcones) ad Iudæos tanquam honestiores &
honoratiores cives misit: sed illi humaniter
4. *invitati venire recusarunt. Hanc contumeliam*
ferens, perrexit alios servos, Apostolos, Prophe-
tas, Euangelistas, Pastores & Doctores ad
eos mittere, qui dicerent invitatis: Advertite,
quæso, animum occiso & in crucem acto filio è
mortuis excitato, deniq; in cœlum elato: pan-
dium ex vera Dei noticia & peccatorum re-
missione consistens paratum est (haud secus
quam si quis convivium propositurus boves &
alia animalia mactasset) ut nihil vobis quod
faciatis supersit, nisi ut vera fide donati, illius
participes fiatis: quamobrem venite ad pran-
dium quod tantum vobis paratum est. Ex in- 5.
vitatis vero nonnulli equidem Dei munificen-
tiam parvi ducentes, rerum caducarum amo-
re abrepti sunt. Ex quibus alii ad villas &
agrum suum, alii ad mercaturam & nego-
tiationem & alias hujus vitæ occupationes, ab-
ierunt. Reliqui autem (maxime hi qui rerum 6.
potiuntur) injectis in Dei servos violentis ma-
nibus, eosdem prius contumelia affectos, post
morte mulctarunt. Deus qui hanc crudelita- 7.
tem plene cognitam habebat (ut irati face-
re solent) vindictam sumturus, exercitus ju-
bet, ut post civitates fame & peste conflatas,
in illos incurrant, & occisis primum homici-
dis, urbem Hierosolymitanam cum templo ipso
incenderent. Sed neque illos alios, qui munifi- 8.
centiam ejus regiam neglexerunt, inultos pas-
sus est: sed eisdem servis suis dicit. Quando-
quidem convivium paratum est, illud cassum
& irritum esse nolo; quoniam igitur hi, qui
invitati sunt, sua infidelitate se indignos fece-
runt. Profecti compita viarum & sepes pera- 9.
grantes lustrate & quosvis etiam in se con-
temtissimos & Iudæis istis perfidiosissimus sum-
mopere exosos, Gentes scilicet à me alienissimas
ad nuptiale convivium adducite. Quamobrem 10.
iidem illi servi in latissimas & maxime fre-
quentes vias egressi omnes sine discrimine bo-
nos & malos collectos in regis aulam introdu-
xerunt, adeo ut convivarum numerus usque
eo creverit ut omnia loca nuptiali convivio ce-
lebrando destinata complerentur. Atque sicut 11.
nuptias celebrans Paterfamilias inter epulan-
dum suos convivas lustrat: sic Rex Regum
Deus in Ecclesiam tanquam in aulam intro-
ductos regni sui cives penitius intuetur & ab-
ditissimas animi cogitationes perscrutatur; ubi
conspecto viro qui spreta Dei ipsius dignitate
& amplitudine non positis anteactæ vitæ sordi-
bus accesserat; haud secus quam si ad Regis
mensam sordidatus accumberet. Sic eum ador- 12.
tus est. Heus tu quem ego benevole & amice
ad vitæ æternæ spem, tanquam ad nuptiale fi-
lii mei convivium, misericordia commotus in-
vitavi, qui fit quod temere & inconsulto, an-
teactæ vitæ sordibus minime positis & abjectis,
in meam Ecclesiam (tanquam in aulam re-
giam pannis obsitum) te intulisti? Qui conscius
sui in Deum contemptus ne verbum quidem
mutire potuit. Tum Deus Angelis suis man- 13.
dat,

dat, tanquam Rex ministris, ut illum arreptum & ita constrictum tenentes, ut se commovere nequeat, in inferos locum tenebricosissimum, à beatis electorũ sedibus procul remotum præcipitarent; ubi clamore & ululatu omnia implentur, ubi diri cruciatus qui reprobos etiam maxime animosos ad dentium stridorem adigant; haud aliter quam si Rex potentissimus ministris suis mandaret, ut maleficum manibus pedibusque prius vinctum ne minima ex parte resistere possit, in obscurissimum & teterrimum carcerem, qui fere procul ab urbe dissitus est, conjicerent. Cujus quidem scopus & summa huc redit, ut multos externa vocatione illustratos, paucos ad vitam electos intelligamus: ut discamus mente, non fronte modo, pietatem & justiciam colere.

PRAXIS.

HÆc parabola magnam habet consensionem cum ea quæ habetur *Luc.*14. quare quæ utrique communia sunt inde petenda sunt. *Summa* utriusque eadem est, *partes* item eædem.

Vers. 1. *Hujus parabola, ab illa, quæ* Luc. 14 *refertur, discrimina.* Primum discrimen est quod illic cœnæ comparatur, hic prandio; ex quo liquet omnia nobis plenissime à Deo prospici, quæ ad vitam æternam, &c.

Aliud discrimen, quod ex diverso hujus & illius parabolæ scopo ortum est: illa enim docendi causa proponitur, hæc ut præfractos Iudæos maxime Pharisæos exitium denunciando lacesseret: unde ad illius mortem quærendam acriores, &c. ad quem finem duæ item priores parabolæ referuntur.

Amplificatio; Illud prandium amplificatur, *primo* ab efficiente quod rex sit qui &c. *Deinde* quod sit nuptiale, quod ex omnibus conviviis lautissimum & exstructissimum esse solet. Tertio à subjecto non pro servo, sed filio & quidem unico. Iam quid hic deesse potest quod gustum, visum, auditum, &c. oblectet, cum nihil sit, quod regia authoritas & opulentia non possit facile suppeditare. Nec tamen hoc cum spirituali nostro pastu comparandum. Vide *Esa.*2. ubi duo (*courses*) apponuntur, 1. ad hanc vitam sublata ignorantia, mortis destructio, per remissionem peccatorum, 2. ad vitam futuram, cum Deus omnes lachrymas &c. & pleno gaudio perfundet. Omnia igitur à Deo uberrime, lautissime, gratissime subministrantur, ut impia sit *Pontificiorum* partitio salutis nostræ in Deum & nos: sic Deum hospitem fingunt, qui non nisi pretio victum prætereuntibus suppeditat, &c. & Ecclesiam veluti regiam aulam in cauponam convertunt.

Rex autem &c.] Ex superiore discrimine nascitur hæc ultio, (cujus in illa parabola *Luc.*14. nulla mentio) qua aperte prædixit exitum Ierusalem per Titum & Vespasianum quorum exercitum suum vocat, ut per Prophetas Nebucadnezarum servum suum. Vide *Luc.*19,43,44. & *Matth.*24,2. Vers. 7. *Adjuncta ultio.*

Malos pariter ac bonos.] *Quæritur*; Num ergo aliqui ex gentibus boni extiterunt antequam vocati, *Lucas* omnes *cæcos claudos, &c.* vocat. *Respondeo:* Iis verbis declarat, quæ sit futura Ecclesiæ conditio in hoc mundo; ut Euangelium instar retis colligat bonos & malos, &c. Hoc confirmatur *vers.* 11. Cæterum boni tales fiunt per vocationem efficacem. Vers. 10. *An quidam boni ante vocationem.*

Vt patresfamilias institutis conviviis solent convivas lustrare, &c. sic Deus ad Ecclesiæ communionem vocatos: ministri, si quis fidem profiteatur, & externe, &c non possunt eũ à sacris repellere; at Deus cordium inspector, &c. Quare non satis est si nos ministris, atque adeo cæteris omnibus probemus; nisi etiam Deo, &c. Quid iis fiet, qui ne ministris quidem se probant, ac ne minimis ex sanctis? Vers. 11. *Deus non tantum professionem externam, sed corda spectat.*

Veste nuptiali designare videtur mutationem à priore conditione, qua quis in infidelitate vixit: ut enim regiam aulam ingressuri, vestes squalidas deponunt, &c. Vide Historiam Iosephi ad Pharaonem ex carcere adducendi. *Quid vestis nuptialis?*

At illi os occlusum est.] Qui nunc tam ingeniosi sunt ad excusationes excogitandas, quibus suam impietatem pallient, aut saltem extenuent; illis tum os occlusum, &c. aut si quid obtendunt, illud omne in illorum exitium retorquebitur, ut est *Luc.*19,21,22. Vers. 12. *Impiorum in die judicii stupor.*

Dixit ministris.] Isti ministri sunt Angeli. *Matth.*1,13,29,40,41.42. Vers. 13. *Qui Ministri, & quid manuum & pedum ligatio.*

Manum & pedum legatione.] Notat eos non posse pœnas inflictas obsistendo effugere.

MATTH. *cap.* 22, *à vers.* 15, *ad* 23.

15 Tunc profecti Pharisæi consilium ceperunt ut illaquearent eum in sermone:

16 Itaque mittunt ad eum discipulos suos cum Herodianis, dicentes; Præceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere, nec quemquam curare: non enim respicis ad personam hominum.

17 Dic

17 *Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?*

18 *Cognita autem IESVS malitia eorum, ait; Quid me tentatis, hypocritæ?*

19 *Ostendite mihi numisma census; Ipsi vero obtulerunt ei denarium.*

20 *Tunc dicit eis; Cujus est imago ista & inscriptio?*

21 *Dicunt ei; Cæsaris. Tunc dicit eis; Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

22 *Quum igitur* hoc *audissent, mirati sunt: & omisso eo abierunt.*

LVC. *cap.* 20, *à vers.* 20, *ad* 27.

20 *Itaque observantes* eum, *miserunt insidiatores, qui se justos esse simularent: ut carperent ejus sermonem, tradituri eum imperio & potestati Præsidis.*

21 *Qui interrogaverunt eum, dicentes; Præceptor, scimus te recte dicere, nec accipere personam, sed viam Dei in veritate docere:*

22 *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?*

23 *Animadversa autem eorum calliditate, dixit eis; Quid me tentatis?*

24 *Ostendite mihi denarium: cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes autem dixerunt; Cæsaris.*

25 *Tum dixit eis; Reddite igitur quæ* sunt *Cæsaris, Cæsari: & quæ* sunt *Dei Deo.*

26 *Itaque nequiverunt ejus verba carpere coram plebe: & mirati super ejus responso, siluerunt.*

MARC. *cap.* 12, *à vers.* 13, *ad* 18.

13 *Et miserunt ad eum quosdam è Pharisæis & Herodianis ut eum irretirent captum sermone.*

14 *Illi vero quum venissent, dicunt ei; Præceptor, scimus te veracem esse, neque curare quemquam: non enim respicis ad personam hominum, sed in veritate viam Dei doces: Licet censum Cæsari dare, an non? demus, an non demus?*

15 *Ipse vero, quum sciret eorum hypocrisin, dixit eis; Quid me tentatis? proferte mihi denarium, ut videam.*

16 *Illi vero protulerunt; Tunc dicit eis; Cujus est imago ista & inscriptio? Illi vero dixerunt ei; Cæsaris.*

17 *Et respondens IESVS, dixit eis; Reddite quæ* sunt *Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei* sunt *Deo. Et admirati sunt super eo.*

ANALYSIS.

Effectum parabolæ, vel eventus potius, conatus Iesum ad mortem detrudendi: quod suo efficiente declaratur, nempe Pharisæis: deinde forma proponitur, nempe, ut insidias illi collocent; efficiens instrumentalis circumveniendi est sermo ejus; cujus insidiationis finis apud *Lucam* proponitur, ut magistratui eum traderent. Apud *Lucam* describitur adjunctum, occasio & oportunitas ad hanc rem quæsita.

Vers. 16. Aliud effectum discipulorum suorum ad eam rem legatio: item Herodiani illis se adjungunt. Et primum quidem ex relato præceptoris se discipulos fore profitentur. Deinde illum describunt ab adjuncta synceritate, quam arguunt ab effecto, quod syncere doceat; item alio effecto, quod ut veritatem doceat nullius rationem habet: quod sua efficiente causa arguitur, quia nullius personam accipit, unde apud *Lucam* describuntur legati ab effecto simulandi se justos.

Vers. 17. Forma illi in verbis insidiandi est proposita quæstio, *an Cæsari census pendendus sit?* Cujus quæstionis apud *Marcum* adjunctum est, quod Christum urgent ut categorice respondeat, etiam aut non.

Vers. 18. Hujus quæstionis adjunctum est, quod Iesus probe norat illorum malitiam: cujus effectum est quod finem alium doceat illis propositum esse quam simulabant; qui non ut discant venerunt, ut illi præ se tulerunt, sed ut illum tentarent.

Vers. 19. Aliud effectum Christi mandatum ut nummum sibi inspiciendum præberent: cujus effectum est quod nummum præbebant.

Vers. 20. Aliam quæstionem proponit de duobus

bus adjunctis nummi, nempe de imagine & inscriptione & de subjecto utriusque adjuncti, nempe cujus sint.

Vers. 21. Cujus effectum est responsum legatorum; nempe Cæsaris esse cum imaginem, tum inscriptionem: Cujus item effectum est Christi responsum, ut Cæsari quod suum tum ex imagine, tum ex inscriptione est, reddant; quod suo diverso exornatur, non ita censum Cæsari pendendum, quin Deo item, quod illi ad cultum suum tuendum necessarium est, itidem reddant.

Vers. 22. Hujus responsi adjuncta sunt, primum admiratio; deinde aliud, quod re infecta discesserunt.

METAPHRASIS.

15. *His parabolis quas in se vibratas Pharisæi*
probe intellexerant, irritati & populi me-
tu tanquam fræno cohibiti, ne violentas illi
manus injicerent: consilium ineunt illum ser-
Luc.20. *mone illaqueatum & irretitum tenere. Obser-*
Matth. *vata igitur opportunitate mittunt ad illum*
16. *suos quosdam Discipulos, quibus comites dede-*
runt, Herodianos scilicet, aulicos, qui ad He-
rodis & Cæsaris (cujus vicarias partes Herodes
sustinebat) gratiam omnia faciebant. Hos, in-
quam, tanquam insidiosos exploratores mittũt,
qui amicorum Christi persona induta, sic illum
alloquerentur: Ad te Doctorem discipuli acce-
dimus, tuam de gravi controversia sententiam
cognituri: præter etenim eximiam tuam in re-
bus sacris peritiam, experientia comperimus te
syncerum & singulari integritate virum esse,
qui vivendi rationem Deo acceptam syncere
& sine omni fuco aut tergiversatione doces: qui
nullius qualiscunque aut quantuscunq; sit ra-
tionem habes eam, quæ te à veritate enuclea-
te docenda impediat, ut qui spreta & præterita
hominum cujuscumque ordinis conditione, rem
Matt.7. *& causam ipsam sola intueris. Dic igitur, ama-*
Marc.14. *bo, quid tibi videatur: fas ne nobis est nummũ*
illum qui divino cultui tuendo lege devotus
est, ad Cæsarem census nomine transferre, aut
nefas? Sed illud unum rogamus, ut breviter
omni verborum posito circuitu respondeas, de-
Matt.18. *mus ne an non demus? Iesus autem cordium*
scrutator, eorum pravitatem & malitiam per-
spectam habens, ut qui ex affirmata quæstione
illum in populi Iudaici odium vocatum, ex ne-
gata, majestatis Cæsareæ peractum, ex silen-
tio, inscitiæ aut ignaviæ condemnatum iri pro-
19. *be norat, dixit: O vos hypocritæ qui aliud men-*
te geritis aliud fronte præ vobis fertis! Quid
est quod non discendi sed insidiandi animo me
acceditis? Verum enimvero ut responsum con-
gruenter petitioni auferatis, ferte mihi huc
nummum illum, quem singuli census nomine
Cæsari penditis. Illi læti hoc responso, è vestigio
nummum illum, ex loculis extractum ad eum
attulerunt. Ad quos Iesus, inspecto prius num- 20.
mo: Cujus est hæc imago & inscriptio, quæ
nummo insculpta & exaratæ sunt? Ad quem il- 21.
li; Cæsaris. Tum Iesus ad illos inquit: cum Cæ-
saris beneficio hac pecuniæ commoditate ad
commercia peropportuna utamini: æquum est
ut ei quod ab illo accepistis, reddatis. Neque ta-
men hoc pacto ab annuo vectigali ad sacros u-
sus pendendo absolutos vos putetis. Potestis
enim ejus speciei nummum ad sacros illos usus
alterum Deo reddere. Quæ cum audivissent, 22.
incredibili hujus tam acutæ & ingeniosæ re-
sponsionis admiratione perculsi: omni illum
illaqueandi spe abjecta, re infecta discesserunt.

PRAXIS.

Summa, Insidiosa consilia à Pharisæis ad Christum damno afficiendum, hinc odii populi, istinc vitæ periculo, inita, ita caute declinantur, ut ipsis adversariis frustratis, admirationem moverit.

Partes, { Insidiosa legatio ad Christum damno afficiendum. / Ejusdem cum adversariorum admiratione declinatio. }

Puncti & repuncti, sed minime tamen ad resipiscentiam compuncti sanguinaria sua in Christum consilia persequuntur. Legatos mittunt qui se justos & Christi studiosos simulent, ut Christo hinc mortem, istinc ignominiam struerent, qua etiam ad mortem iter faceret. Nam si respondisset Cæsari censum esse solvendum, gratia populi excidisset; unde fieret ut illis quidvis in eum moliri liceret: metu enim populi impediti sunt, &c. Si negasset, reus ilico læsæ majestatis apud Pilatum proconsulem factus fuisset. Si tacuisset, se aut nescivisse, aut non ausum fuisse regererent. Vnde *discimus* vetus hoc esse Sathanæ stratagema, hostes Ecclesiæ supponere, qui se cœtibus nostris tanquam ὠδακὺστας ingerant, conciones audiant, precibus, sacramentis communicent, &c. ut cum gratiam iniverint, & authoritatem conciliaverint, Ecclesiam prodant.

Christi anceps in proposita quæstione periculum.

Hic etiam videmus hostibus Ecclesiæ religionem non esse ut mentiantur & simulent. Hinc sæpe acutuli & solertes reputantur, quod nihil illis in mentem veniat, quod exequi refugiant, cum pii non nisi honesta consilia executioni mandent, quantumvis specie prudentia.

Videntur Herodianos ideo secum con- *Quod an-*

 junxisse,

gebat Herodianorum præsentia. junxisse, ut illi eum comprehenderent si quid contra Cæsaream majestatem, &c. ne si Pharisæi hoc nomine eum accusarent, populo odiosi redderentur, qui Cæsaris vectigalia libens excutere voluit. Herodes autem cum Cæsaris beneficiarius erat & rex fiduciarius, fortasse etiam is qui hoc tributum conduxisset, non dubium est quin illius aulici & sectatores avide illius verbis inhiarent, &c. Hic videmus conjurare in Christum qui inter se alioqui mortaliter dissidebant. Sic Sacerdotes cum Pilato, Pharisæi cum Sadducæis consilium contra Christum ineunt. Quid, quod quidam Euangelici hoc seculo, ut fratres suos opprimant, se etiam *Pontificiis* adjungunt? Quod si veritatis hostes pretium reconciliationis justum putant veritatis oppressionem; quanto nos magis decet omnes simultates deponere, ut laboranti veritati subveniamus?

Doctoris fidelis requisita. Duo tribuunt Servatori, 1. syncerum esse, 2. veritatem syncere proponere. Hæc duo in fideli Doctore requiruntur. Ad fidem œconomi spectat ut nihil subtrahat, nec veritatem fuco inducto proponat, quo minus illa percipiatur. Vide 1 *Thess.*2,2,3,4. *Gal.* 1,10. qui ficum ficum, ligonem ligonem appellabit, qui nullius ita rationem habeat, quo minus quod dicendum sit, &c. ab Ecclesia etiam requiritur ut talem ministrum expetat. Quis Medicũ aut Chirurgum non expetat, qui pro morbi aut vulneris ratione Medicinæ aut emplastri asperitatem temperet? Quis coquum alat qui in cibis parandis suavitatis & gustus rationem habeat, spreta salubritate? Sed quam longe secus fit in iis quæ ad æternam salutem spectant. Vide 2 *Tim.*4,3.

Vers.17. *Exaggeratio Hypocriseos Pharisæorum ex propositione quæstionis.* Quod quærunt, an liceat potius quam, an illis incumbat, & necesse sit; ad hypocriseos exaggerationem spectat. Perinde ac si profiterentur se non tam lucri sui & compendii causa hoc quærere, quam ut conscientiæ satisfiat: & quamvis Cæsaris non sit hoc ab illis exigere, se tamen pendere vectigal paratos esse, modo illud liceat. Hæc est enim larvata avaritia per speciem religionis nummos arca conclusos tenere, cum illos extrahere oportebat. Vt qui obtendunt se rem familiarem amare ut ab eleëmosyna conferenda se eximant.

Idcirco autem hac quæstione Christum adoriuntur, quod ea difficilior id temporis habebatur, & in qua plurimi se torserunt. Videbantur autem Pharisæi, ut & Iudæi fere omnes in ea sententia esse, ut existimarent censum non esse pendendum. Et Iudas ille qui in describenda terra censui obstitit, de quo Amaliel *Act.*5,37. (referente Iosepho) Pharisæus fuit. Quo erat detestabilior Pharisæorum malitia qui Christi vitæ in eo ipso insidiabantur, quod illi, quoad ausi sunt, probabant.

Vers.19, 20,21. *Nummi inspectione levitatem quæstionis Christus arguit.* Quod sola pecuniæ inspectione & inscriptionis lectione quæstionem tantopere agitatam dissolvi posse doceat; eo Pharisæorum inscitiam & tarditatem vellicat, qui in re tam obvia hæsitabant. Sic Scriptura ut pudorem nobis incutiat, brutis animantibus nos instituendos tradit. Sic pecuniæ materia nobis Dei benignitatem proponit, qui tam preciosa metalla dedit, quibus mutua commercia ad hanc vitam sustentandam, &c. forma nos erga principem officii admonet. Vestes peccatum in memoriam revocant, cujus nomine nuditas nostra pudenda sit, & aëris intemperies nocitura. Cibi humilem nostram conditionem quæ sine cibi baculo, &c.

Cur de imagine quærat Christus. Cautissime Christus imaginem Cæsaris probe noscens, non nisi illorum de hac re responso, sententiam dicit, ut plebs (in cujus odium illum pertrahere conabantur) intelligeret hanc non tam suam quam illorum sententiam esse.

Cavendum autem ne imagines è templo ejicientes, imaginibus quæ in loculis sunt procumbamus: avaritia est idololatria: qui enim lucrandi causa mentiuntur, pejerant, se à cultu divino subducunt, à pauperibus faciem avertunt; nonne has imagines deosculantur, his genua flectunt, &c.

Objectio: Ergo tota pecunia Cæsari pendenda; cum tota ejus imagine, &c. *Respondeo:* animadvertendus scopus quo Christus respexit: nempe ut cum Principis beneficio utantur pecunia, ipsi etiam vectigal justum & usibus regni accommodatum pendeant. Prius ergo pecuniæ usus rejiciendus, quam vectigalis solutio respuenda.

Quod si pecunia pendenda sit; nedum amor & benevolentia, sine quibus pecuniæ solutio apud Deum non juvabit. *Hilarem datorem diligit Deus.* 2 *Cor.*9,7.

Quatenus Cæsari parendum. Deo tamen suum pendendum: non est ergo Cæsar sequendus quocunque vocarit, sed in domino, &c. Israël accusatur quod in viis regum institerit. *Hos.*11,5. item quod ad regis Ieroboami unicum verbulum defecissent. 2 *Reg.cap.*17, *vers.*21,22. *Act.*5. *An æquius sit*

sit parere hominibus potius quam Deo, &c.

Hujus autem partis responsi Christi occasio erat, quod nummum lege ad cultum Dei tuendum destinatum Cæsar ad se transtulisset. Quamobrem Pharisæis promptum erat excipere, Deum hoc modo fraudari, &c. His Christus occurrit; utrumque pendi posse, Cæsari unum, alterum Deo.

Quid Deo reddendum. Deo igitur etiam reddendum quod Dei est. Si autem quid illud sit *quæras*; *Respondet:* Christus illi omnia deberi, quia ejus imago & nominis conscriptio in singulis rebus apparet. Nihil enim est in cœlis aut in terra, in quo imago illius sapientiæ, potentiæ, bonitatis non appareat, & majusculis literis,&c. Omnium vero maxime nos ipsos illi debemus, in quibus maxime expressa Dei imago relucet. Quædam autem Deo propria sunt, quæ in alium sine sacrilegio transferri non possunt. Quod si debita Cæsari persolvenda sunt; nedum Deo: si periculum metuimus ex subtracto Cæsari vectigali, nedum, &c. si gravi supplicio multatur, qui Cæsarem debito honore privat, nedum, &c. Quod utinam hominibus penitus insideret: modo enim Cæsarem propitium habeant; de Deo placato curam pæne nullam agunt. Deus tamen suum jus persequuturus est, etsi non prima quaque prævaricatione. Nec ipse illudi potest. Quinetiam hoc ad Principes spectat ut sua autoritate provideant, ut Deo sua pendantur, &c.

Frustrati & pudefacti discedunt; muti facti, ut pisces. Vide quid sit Christo insidiari, & contra Christum consilia inire, &c. *Vers. 22. Consilia adversus Christum irrita.*

MATTH. *cap.* 22, *à vers.* 23, *ad* 34.

23 In illo die adierunt eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem; & interrogarunt eum:

24 Dicentes; Præceptor, Moses dixit; Si quis, mortuus fuerit non habens filios, ejus frater ducet affinitatis jure uxorem ejus, & suscitabit sobolem fratri suo.

25 Fuerunt autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta obiit: & quum non haberet semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26 Similiter etiam secundus & tertius, usque ad illos septem.

27 Post omnes autem mortua est & mulier.

28 In resurrectione ergo cujus ex illis septem erit uxor? omnes enim habuerũt eam.

29 Respondens autem IESVS, dixit eis; Erratis, neque Scripturas scientes, neque potentiam Dei.

30 Nam in resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur, sed sunt ut angeli Dei in cœlo.

31 De resurrectione vero mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo, dicente;

32 Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.

33 Et quum hoc *audisset turba, perculsa est super doctrina ipsius.*

MARC. *cap.* 12, *à vers.* 18, *ad* 28.

18 Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogarunt eum, dicentes;

19 Præceptor, Moses scripsit nobis, ut si cujus frater mortuus sit, ac reliquerit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat ipsius frater uxorem ejus, & excitet semen fratri suo.

20 Septem ergo fratres fuerunt: ac primus accepit uxorem, & moriens non reliquit semen.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est, & ne ipse quidem reliquit semen: & tertius itidem.

22 *Et acceperunt eam septem illi, neque reliquerunt semen: ultima omnium mortua est & mulier.*

23 *In resurrectione ergo, postquam resurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam septem habuerunt eam uxorem.*

24 *Tunc respondens IESVS, dixit eis; Nonne propterea erratis quod non sciatis Scripturas, neque potentiam Dei?*

25 *Postquam enim à mortuis resurrexerint, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut Angeli qui in cœlis* sunt.

26 *De mortuis vero, quod suscitandi sint, non legistis in libro Mosis, quomodo in rubo loquutus sit ei Deus, dicens; Ego* sum *Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi?*

27 *Non est Deus* Deus *mortuorum, sed Deus viventium; vos ergo multum erratis.*

LVC. 20, *à vers.* 27, *ad* 41.

27 *Accedentes autem quidam Sadducæorum, (qui contendunt non esse resurrectionem) interrogarunt eum.*

28 *Dicentes; Magister, Moses scripsit nobis; Si cujus frater mortuus fuerit habens uxorem, & sine liberis mortuus fuerit, ut ejus frater accipiat uxorem illam, & excitet semen fratri suo.*

29 *Septem ergo fratres fuerunt, quorum primus accepta uxore mortuus est sine liberis.*

30 *Accepit igitur eam secundus,* qui *& ipse mortuus est sine liberis.*

31 *Deinde tertius accepit eam: iidem autem & illi septem: nec reliquerunt liberos, & mortui sunt.*

32 *Post omnes autem mortua est mulier.*

33 *In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? nam illi septem habuerunt eam uxorem.*

34 *Tum respondens, dixit eis IESVS; Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dantur:*

35 *Qui vero digni habiti fuerint qui ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur:*

36 *Nec enim mori possunt amplius, pares enim Angelis sunt: & filii sunt Dei, quum sint filii resurrectionis.*

37 *Mortuos autem suscitatum iri, etiam Moses indicavit in rubo, quum dicit Dominum Deum Abrahami, & Deum Isaaci, & Deum Iacobi.*

38 *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum* Deus: *omnes enim vivunt ei.*

39 *Respondentes autem ei quidam ex Scribis, dixerunt; Magister, bene dixisti.*

40 *Nec amplius audebant eum quicquam interrogare.*

ANALYSIS.

NOtatur adjunctum temporis quo hæc gesta sunt, nempe eodem ipso die quo superiora: Item subjectum hujus cum Christo disceptationis Sadducæi; qui suo effecto describuntur, nempe qui negent resurrectionem à mortuis: item alio effecto, quod Christum interrogabant.

Vers. 24. Notat subjectum circa quod disceptatio versabatur, nempe de resurrectione; quam convellere conantur syllogismo connexo, hoc modo: *Si nullum est conjugium post hanc vitam, tum nulla est resurrectio: sed prius non est; ergo nec posterius.* Antecedens propositionis probant alio syllogismo connexo, ad hunc modum: *Si septem fratres unam eandemque uxorem sine liberis ex ea susceptis successive habere possint: tum nullum est post hanc vitam conjugium: sed verum prius; verum ergo & posterius:* Antecedens propositionis probatur testimonio. Nam

Nam licere septem fratres unam eandemque uxorem habere suscitandi seminis causa, probatur testimonio Mosis *hoc vers.*

Vers. 27. Extitisse vero hujusmodi fœminam quam fratres absque liberis ex ea susceptis duxerunt, probatur testimonio experientiæ.

Vers. 28. Consequens propositionis confirmatur. Quia absurdum est ut aut omnes illam post mortem in uxorem habeant, aut unus aliquis ex his: omnes enim unam aliquam uxorem habere pugnat aperte cum lege & natura; unum aliquem vero illam habere, exclusis reliquis, iniquum; cum par omnium sit in illam jus.

Vers. 29. Hujus quæstionis effectum est Christi responsum; cujus summa huc redit, ut neget consequens prioris propositionis syllogismi connexi; non sequi scilicet non esse resurrectionem è mortuis, quia post mortem non sit conjugium: cujus Sadducæorum erroris causam efficientem duplicem assignat, ignorationem Scripturarum & potentiæ divinæ.

Vers. 30. Probat nullum usum esse matrimonii post hanc vitam, ab adjuncta immortalitate; quam illustrat pari, Angelorum.

Vers. 31. Sadducæorum captione dissoluta, confirmat doctrinam de resurrectione mortuorum ex testimonio legis, unde illi suum argumentum desumebant, & cujus unius authoritate, rejectis Prophetis, stabant: argumentum autem est à relatis. Nam si Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus vere dicatur, cum jam mortui essent; sequitur Abrahamum, Isaacum & Iacobum ex populo Dei tum fuisse, cum eorum se Deum profiteretur.

Vers. 32. Hujus Christi responsi effectum est stupor audientium.

METAPHRASIS.

23. *Eodem ipso die, quo Pharisæis os occlusit; Sadducæi, qui mortuorum resurrectionem è medio tollunt, tametsi Pharisæis infesti inimici, Christum accedunt, ut illum quæstionibus (ut illis quidem videbatur) ingeniosis & perquam acutis, oppugnarent. Quamobrem*
24. *proposita quæstione sic eum adoriuntur. Magister, tecum disceptaturis de mortuorum resurrectione, quam te (prout occasio fert) astruere intelligimus, liceat paullo altius hujus causæ principium ducere. Non ignoras Deum per Mosem Prophetam suum instituisse, ut germano fratre absque liberis mortuo, superstitem ejus uxorem duceret germanus frater: hoc consilio, ut de mortuo fratre semen suscitans, ejus è populo Dei memoria non intermoreretur.*
25. *tur. Hoc fundamento posito, istud etiam adjungimus, fuisse hic apud nos septem fratres: quorum natu major uxorem ducens obiit suum diem, & quod sine liberis vita excessit, uxorem fratri à se seniori ducendam reliquit.*
26. *Qui eadem conditione (postquam illam duxisset) qua prior obiit sine liberis: quod idem ter-*
tio fratri obtigit, sic ut (ex septem) reliquis omnibus. His omnibus sine liberis defunctis, tan- 27.
dem mulier suum item diem obiit. Iam abs te, 28.
qui resurrectionem constanter tueris, libenter quæreremus cujus ex istis septem uxor futura est, cum omnes in novissimo die (ut vobis placet) excitabuntur: omnes enim ad unum ex æquo illam uxorem habebant. Hic si omnes responderis, rem absurdam dixeris, cum fœminæ nunquam duos simul maritos habere concessum sit, tametsi vir unus pluribus fœminis connubio junctus sit: sin illam uni alicui (exclusis cæteris) adjudicaveris, rem prorsus iniquam induxeris. Hinc nullam esse è mortuis resurrectionem confectum esse, tibi ad intelligendum promptum est. Ad quos Iesus: Erratis turpiter. Er- 29.
roris autem vestri duæ causæ subsunt, una quod Scripturas, quæ resurrectionem docent, ignoratis; altera (quæ ex priore nascitur) quod Dei potentiam perceptam & comprehensam non habetis. Et quidem quod ad Dei potentiam 30.
attinet, nescitis Deum mortuis illam omnibus felicitatem & absolutam perfectionem largiturum, ut nullus sit conjugii futurus usus, sicut initio creationis extitit, cum ad mutuam viri & fœminæ consolationem & hominum proseminationem hæc societas necessaria extitit: nec enim major conjugii post hanc vitam inter homines usus erit, quam inter Angelos, quibus hac ex parte prorsus similes futuri sunt. Quod 31.
autem ad Scripturarum ignorationem attinet; video à vobis non intelligi quod in Mose legistis, quem vos Doctorem (rejectis aliis Prophetis) à Deo missum agnoscitis; qui Deum sic loquentem introducit (postquam Abrahamus, Isaacus & Iacobus aliquot secula mortui & sepulti fuissent.) Ego sum Deus Abrahæ, Deus 32.
Isaaci, & Deus Iacobi. *Non potest autem fœderatus esse Deus eorum qui mortui non existunt amplius: est igitur vivorum, idque non animabus modo; sed, quia Deo omnia præsentia sunt, corporibus suo tempore excitandis.*
Quod Christi responsum cum turba audivisset, 33.
ejus singulari acumine & dexteritate obstupuit.

PRAXIS.

Summa, Sadducæi resurrectionis doctrinam tanquam absurdam arguentes, à Christo erroris cum summa & totius plebis admiratione, & Scribarum acclamatione & applausu, coarguuntur.

Partes, { Sadducæorum adversus doctrinam resurrectionis disceptatio. / Christi adversus illos defensio.

In *priore.* { Propositio.
Argumentatio.

Vers.23. *Opinio Sadducæorum admirandæ; & miser Ecclesiæ tum temporis status.*

Propositio est, non esse corporum resurrectionem : mirum autem videri potest hanc tam absurdam opinionem in Ecclesia Dei invaluisse, omnem beatitatem augustis hujus vitæ finibus contineri ; post mortem homines perinde ut pecudes, &c. sic quidam in Ecclesia. *Corinth. cap.*15. *Edamus, bibamus, cras moriemur, &c.* Vide quam misero loco Ecclesia tum fuerit, quæ hinc à Pharisæis, istinc ab istis Sadducæis regebatur ; ut tempestive Christus affulgeret, &c. ut illos ex errorum captivitate assereret.

Quid autem nos ? verbis resurrectionem asserimus, sed vita negamus. Si enim, &c. num corpora nostra ad res tam sordidas abjiceremus ? Si coram tribunali Christi olim sistendos rationem reddituros, &c. Quidam etiam has voces eructant, *edamus, bibamus, ludamus, dum hic sumus, &c.* ut servus, qui herilia bona prodigit, non cogitat se Domino rationem redditurum ; sic &c. Item qui ejus adventum procul rejici somniant, bibunt ad ebrietatem, conservos cædunt, &c. *Matth.*24,48,49.

Notandum eos qui se voluptatibus, &c. dedunt, valde cupere sibi persuadere,se morte corporis penitus extinctos fore : ut enim latrones, &c. omnes cruces & patibula tolli cupiunt : sic isti, &c. Nec mirum ; potior enim futura est pecudum, quam istorum post mortem conditio.

Quæstio: Quo modo religionem & cultum Dei præ se ferebant inter populum, cum Dei resurrectionem negarent ? *Respondeo:* ut illis bene esset in hoc seculo juxta promissionem & maledictionem. *Deut.* 28. & *Lev.*26.

Quod si illi, ut sibi in hac vita bene esset, Deum studiose colebant, an non nos, qui, &c.

Vers.24, &c. *Futile Sadducæorum argumentum :*

Ratio Sadducæorum est à disparato. Resurrectio conjugum morte dissociatorum renovatam conjunctionem secum attrahit: at ista recontinuatio conjugii aliena est ; ergo, &c. propositionem (quæ falsa est) tanquam concessam accipiunt ; assumptionem probant distributione. Si, &c. tum enim aut una pluribus, &c. quod est absurdum; aut uni tantum, quod est injustum, &c. ergo, &c.

Sic videmus è terra natos terrestria sapere, nec quicquam de futura fœlicitate concipere, nisi quod terrenis eorum cupiditatibus adlubescit ; cum quæ Deus piis, &c. omnem hominum & angelorum captum superant, &c. 1 *Cor.*2,9. Quid, quod Paulus in Paradisum raptus ad eorum spectaculum admissus ingenue fatetur, se illa effari non potuisse 2 *Cor.*12,4. Vt enim puelli omnes suæ felicitatis partes in eo collocant, si pomum aut pyrum aut pictum gladium nanciscantur, quæ adultiores contemnunt: sic, &c. Scriptura quidem futuræ vitæ felicitatem corporeis rebus adumbrat ; sed, &c.

Quo tamen sibi valde placebant.

Etsi vero pinguis & crassa fuerit hæc eorum ratio : tamen dubium non est illos sibi in ea valde placuisse, sibique acutulos videri, &c. sic homines hujus mundi diabolus ludicris & puerilibus argumentis illudit, qui sensuum & rationis propriæ ductum sequuntur. Vt enim pueri levissimarum rationum momentis huc illuc impelluntur. *Ephes.* 4, 14. Sic qui in hoc mundo sapientissimi sunt, si rationi propriæ innitantur, facile imponitur *vide Prov.*3,5. *Fili mi intelligentiæ tuæ ne innititor.*

Vers.29. *Ignorantia Scripturarum errorum causa est.*

Sequitur Christi defensio. *Notandum* quod erroris causa Scripturarum ignoratio. *Psal.*119. *Lucerna pedibus*, 2 *Pet.*1,19. cæcis ὁδηγοὶ, præsertim noctu & per desertum iter facientes, ut nautæ sine gnomone navigantes, &c. Detestabilis ergo *Pontificiorum* doctrina,qui Scripturas errorum sementem habere dictitant, & earum ignorantiam devotionis matrem esse.

Notandum non dicere Christum: ideo errare Sadducæos, quod δευτερώσεις Iudæorum, decreta majorum, placita Rabbinorum & conciliorum ignorarent, sed quod,&c. Scripturæ sufficientia hinc probatur. *Ioh.*5,39. *Scrutamini Scripturas Luc.* 16, 29. *Mosem habent, &c.* 2 *Tim.*3,16. *Omnis scriptura, &c.* legi nihil addendum aut detrahendum, non deflectitur ad dexteram aut sinistram. Promptuarium est, unde quis probe instructus vetera & nova, &c. *Matth.*13. Convivium regium ubi nihil desideratur ; medicamentum quod morbo maxime lethali nos vindicat ; sanus cibus quo sanitatem tueamur. Lac pueris, cibus solidus adultis.

Lvc.34, &c. Matt.30. *In futura vita nullus conjugii usus ;*

Posteriorem partem de potentia Dei primo loco expedit. Cum enim illi putabant non posse corpora excitari, nisi veterem conditionem, &c. Docet longe aliam conditionem futuram, &c. ut conjugium non magis appetant, aut eo opus habeant, quam angeli. Hanc propositionem illustrat comparatione dissimilis. In hoc seculo homines

nes conjugari, in futuro non item. Quæ enim est dissimilitudo vitæ præsentis & futuræ, id discrimen erit inter corpora hæc terrestria, & illa gloriosa. Hinc constat potiorem & lautiorem fore nostram in vita futura conditionem, quam fuit Adami in paradiso. Illi enim non erat commodum uxore carere; sicut ne cibo, somno; &c. nobis autem in vita futura, &c.

Ejusque ratio: Apud *Lucam* hujus rei ratio redditur, quod mori non poterunt, ita ut conjugii ad nominis propagationem nullum opus erit. Atque hac etiam in re nostra conditio Adami adhuc innocentis conditione, potior est: ipse enim mori potuit, quia peccare potuit. Tum vero morte & peccato profligatis, &c. Quinetiam Angelis ipsis, præsertim quibusdam præponimur, qui peccare poterant. Nec vero Angelis tantum similes erimus, sed & Deum ipsum, ut filii Patrem, quodammodo referemus, quandoquidem filii resurrectionis erimus.

Meritorum refutatio. *Qui vero digni, &c.*] Hic locus eximius est contra merita & dignitatem propriam: ut quod *digni tantum reputabimur*: & pulchre illos locos interpretatur, ubi *digni* vocantur, id est, *dignatione Dei.*

Quod etiam Lucas *filios resurrectionis* vocat, notat nos ad gloriosam resurrectionem designatos & destinatos esse: quod etiam cum merito pugnat.

MATT.31, &c. *Resurrectio ex Mose probata.* Aliud argumentum à testimonio. Ideo autem ex Mose petit, quia Sadducæi nihil præter Mosis scripta admittebant. Quod ministros admoneat, ut scripturas ita sibi familiares reddant, ut qui universam Scripturarum πανοπλίαν non admittunt, ex hoc vel illo libro eos arguant; ut si cum Manichæis, qui vetus testamentum, aut cum Iudæis aut Turcis, qui novum, non admittunt, agentes, &c.

Testimonium argumento distributionis accommodat, sic: *Si Deus est Deus Abrahæ, tum aut vivorum aut mortuorum: sed non est mortuorum; ergo, &c.*

Objectio: At Deus est Deus omnium rerum. *Respondeo:* Verum est; scil. creatione, &c. non autem illa peculiari ratione qua est piorum Deus: eximiæ promissionis loco habetur Deum esse nostrum Deum. 2 *Cor.6. Heb.*11,16. Id est nobis clementem, misericordem, adunatum, ut nunquam à nobis alienari possit. Hæc Dei benignitas cum in mortuos exerceri nequeat; sequitur, &c.

Quæstio: Quomodo hoc argumentum quadrat? valet quidem ad animæ immortalitatem astruendam (quod Sadducæi item negabant) sed non ad corporum resurrectionem probandam: corpora enim eorum mortua erant; ac proinde videtur Deus Deus esse eorum animarum, non autem corporum. Huic difficultati Lucas occurrit, cum dicit eos quantumvis corpore mortuos, Deo tamen (cui omnia præsentia sunt, & qui vocat ea quæ non sunt, tanquam essent) vivere; quia tam certo revicturi essent, quam si jam tum corpore vixissent, sic *Ephes.* 2. cum Christo resurrexisse & ascendisse, &c. Præclare autem horum Patrum meminit, quibus nos omnes filii & posteri sumus, adeoque ejusdem de resurrectione promissionis hæredes. LVC.38. *Quo argumento non tantum animæ immortalitas, sed corpora revictura evincitur.*

Hinc singulares consolationes, quod vel mortui Dei esse non desinimus, ne secundum corpus, quod Deus ad gloriosam resurrectionem conservat. *Sive igitur vivimus, sive morimur Domini sumus.*

Hic *quæritur* à quibusdam an fœmineus sexus manebit? *Respondeo:* Sine dubio manebit: alioqui nulla causa extitisset, cur Christus affirmasset, illas nec nupturas, nec nuptum datas iri, nisi his instrumentis & membris præditæ essent, quibus olim ad conceptum & partum usæ sunt. *An mansurū sexus discrimen in futura vita.*

MARC. *cap.* 12, *vers.* 28, *ad* 35.

28 *Et quum accessisset quidam è Scribis qui audierat eos disceptantes, & sciebat eum bene illis respondisse, interrogavit eum,* dicens; *quod est primum omnium mandatum?*

29 *IESVS autem respondit ei; Primum omnium mandatorum* est; *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.*

30 *Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis viribus tuis, hoc est primum mandatum.*

31 *Et secundum* illi *simile, hoc* est; *Diliges proximum tuum ut teipsum; majus istis aliud mandatum non est.*

32 *Tunc*

32 Tunc dixit ei Scriba ille; Bene, Præceptor, in veritate dixisti, nam unus est
Deus, nec alius est præter eum:
33 Et diligere eum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus: ac dili-
gere proximum ut seipsum, plus est quam omnia holocautomata & sacrificia.
34 Tum IESVS quum vidisset eum cordate respondisse, dixit ei; Non longe es à
regno Dei; Et nemo amplius audebat eum interrogare.

MATTH. *cap. 22, à vers. 34, ad 41.*

34 Pharisæi vero, quum eum *audissent os occlusisse Sadducæis, coacti sunt in*
unum:
35 Tunc interrogavit eum *quidam ex ipsis Legis interpres, tentans eum & dicens;*
36 Præceptor, quod est mandatum magnum in Lege?
37 IESVS autem dixit ei; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &
ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.
38 Istud est primum & magnum mandatum.
39 Secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum ut te ipsum:
40 Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.

ANALYSIS.

PRoponitur superioris disputationis cum Sadducæis adjunctum, nempe quod Pharisæi illam audiverant. Deinde aliud adjunctum approbatio responsi Christi ad Sadducæos; quæ sua efficiente probatur, quia Sadducæis os obstruebat. Quorum omnium effectum est quod Scribam ex ipsis subornabant qui Christum interrogaret: interrogatio sua forma proponitur. *Quod nam sit primum mandatum:* quæ etiam suo fine explicatur, apud *Matthæum*, ut illum tentaret.

Vers. 29. Effectum interrogationis est Christi responsum; ubi primum describitur Deus ab adjuncto numero, quod unus duntaxat sit.

Vers. 30. Deinde primum mandatum proponitur, *dilectio Dei*; quæ describitur subjectis 1. cordis, 2. affectus, 3. mentis, 4. virtutis: quorum omnium adjunctum commune est perfectio amoris, in his 4. subjectis.

Vers. 31. Post primum mandatum illustrat comparatione secundi mandati; quod primo est simile, nempe amore proximi; qui suo pari arguitur, nempe ut seipsum amat; & utrumque mandatum illustratur comparatione minoris, quod alia omnia mandata his sunt minora.

Vers. 32. Cujus responsi adjunctum est approbatio Scribæ, primum in genere, quod egregie responderat: quod post per partes exsequitur; 1. quod unus duntaxat Deus sit, *hoc versu.*

Vers. 33. 2. Tum quod ad illius Dei & proximi dilectionem, 3. quod nullum esset majus mandatum his; quod comparatione minoris confirmat, quia sacrificia essent illis inferiora; quod etiam à comparatione majoris confirmat, quia holocausta, quæ sunt in sacrificiis præcipua, duobus mandatis erant inferiora.

Vers. 34. Responsi vero per Scribam superadditi adjunctum est laus, qua Christus illum affecit; cujus efficiens est, quod prudenter respondit. Cujus item effectum erat, quod Christus testatus est illum non procul à regno cœlorum abfuisse. Effectum commune responsi Christi ad discipulos Pharisæorum de censu, & ad Sadducæos & hunc Scribam ab aliis ad tentandum Christum submissum est, neminem ausum esse tentandi causa Christum amplius interrogare.

METAPHRASIS.

PHarisæi cum Sadducæos profligatos à Chri- MARC. 28.
sto audivissent, & responso tam concinno MATT. 34.
& apposito os illis obstructum, ut quod porro
dicerent non haberent, suum acumen ostentaturi consilium inierunt de Christo adhuc aggrediendo: si qua possent doctrinæ & in Scripturis peritiæ existimationem minuere. Quamobrem Scribam & eundem legis interpretem doctrina & literis inter illos excultissimum deligunt, qui cum Christo tentandi animo non discendi consilio congrederetur. Is igitur Christum accedens percontatus est, quodnam ex omnibus Dei mandatis maximum & augu-
stissimum esset. Ad quem Iesus: Maximum præ 29.
cæteris mandatum si cupis cognoscere, de hoc primum constare convenit, quod scribitur; Audi Israël, Dominus Deus noster essentia
unus modo est. Hoc posito maximum manda- 30.
tum addo: vide supra, Luc. 10. *Hoc quo me-* 31.
lius & clarius elucescat, addo secundum dignitate & præstantia mandatum, superiori illi amplitudine & arctissima conjunctione ita simile, ut ab eodem pariter aut observentur aut violentur. Atque his duobus mandatis nullum quærendo majus aut augustius inve-
nietur. Ad quem Scriba, utcumque tentandi 32.
animo

*animo accesserat, responsi tamen concinnitate victus, ingenue professus est, dicens; praclare sane Magister & verissime dixisti: quoniam Deus essentia unus est, nec prater illum (nisi vana stultorum hominum opinione) alius
33. uspiam est. Quem amore ex toto corde, ex tota intelligentia, ex toto animo & omnibus viribus complecti, & proximum sicut nos ipsos, majus quiddam & divinius est, quam si sacrificia atque holocausta, idque infinito numero,
34. Deo mactes. Quem cum Christus candide simul & prudenter respondere probe nosset, illum sic alloquutus est: Cum legis vim & mentem tibi probe perspectam esse videam, non longe te à regno cœlorum abesse prospicio. Horum autem omnium Christi, de censu, de mortuorum resurrectione, denique primo mandato responsorum hic fructus erat, ut ex adversariis nemo illum tentandi gratia adoriri ausus sit.*

PRAXIS.

SVmma, Christus interrogatus de mandatorum delectu, simul & ab interrogante probatur, & interrogantem probat.

Partes,
- Christi ad propositam quæstionem respondentis comprobatio.
- Scribæ in Christi responso acquiescentis & illud scienter amplificantis, dilaudatio.

Vers. 28. *Cur Pharisæi Scribam subornent.* Scriba hic quidem Pharisæus & legis peritus appellatur *Matth.* 22, 35. Venit ut Christum exploraret. *Matth.* 22, 35. non ignarus ejus quod quærebat. *Marc.* 12, 32. sed tamen à Pharisæis subornatus, qui consilium inter se agitarunt, quam potissimum quæstionem difficilem Christo proponerent, cui cum non responderet, cum ejus authoritas apud populum minueretur, tum eorum amplitudo cresceret, qui profligantem Sadducæos profligassent.

Discendi causa percontandum: Quod perstringitur à Spiritu S. quod tentandi causa, non discendi venit, docetur eos omnes prophanati verbi reos peragi, qui aliorsum in verbi auditione respiciunt, quam ut ad pietatem proficiant. vide 2 *Tim.* 3, 16. & *Ioh.* 5, 27 Quod hic tentandi, nos discendi causa faciamus; de rebus in quibus recte judicamus, à doctioribus percunctemur, ut quæ scimus, accuratius, plenius, certius sciamus.

Hinc est, quod Scriptura sæpe rem eandem repetit, vide *Phil.* 3, 2. & 2 *Pet.* 1, 12. multo magis de rebus nobis incognitis, &c. Exolevit *discipuli* nomen, inducto nomine *Christiani Actor.* 11, 26. res tamen ipsa manet; ut Christianus non sit qui discipulus non est. Si via quæ ducit, &c. nobis ignota sit, a quovis sciscitabimur, etiam a puero septenario, si adultior non occurrat: Cur non, &c. Empiricos videas nunquam in Pharmacis admovendis percunctari, cum doctiores Medici non nisi re probe discepta, &c. sic, &c. Quid, quod vanus etiam metus est, ne quærendo rudes habeamur, cum haud raro non minus acumen in spinosa quæstione, &c. quam in prudenti responso. Hinc est quod Pharisæi & Sadducæi ex quæstione famam reconditæ doctrinæ captarunt.

Notandum ut ab illis percunctemur, à quibus erudiri posse credamus: cum plerique non alio consilio quærant, quam ut ipsi scioli videantur, ab iis quærendo qui respondere non possunt, ut hoc modo suam ipsorum peritiam venditent. Ac si circumforaneus nundinas peragrans semper ea deposceret quæ sciret venum non extare: aut si quis mercatoris pannariam officinam ingressus, plures tibi pannos ad emendum exposceret quam ejus officina capiuntur, nullum sibi lucrum proponens, sed tantum divitias suas ostentaturus. Est quidem in laude si quis ideo percunctetur, ut alium ignarum rei rogatæ informet; sed ita tamen ut perinde sit ad discendum, quam ad docendum paratus. *Et ex iis, qui nos erudire possunt.*

Quæstio inutilis videri potest; sed tamen cum Christus ei respondeat, qui inutiles quæstiones, ut scopulum declinasset, &c. apud mundi sapientes non tantum quid bonum aut malum, sed & ex duobus bonis aut malis, utrum, &c. sic in cœlesti Philosophia officii nostri est non modo, &c. sed & quid prius, quid posterius, quid vehementius, quid remissius prosequendum: ut qui artem profitentur, quæ sunt in ea præcipua, præcipue cognoscere debent, sic, &c. Hinc est quod Apostolus Corinthios reprehendit, quod plus extraordinariis Spiritus donis tribuebant, quam charitati; item quod inter extraordinaria plus linguis, quam Prophetiæ, &c. Sicut ex pluribus medicamentis ad eundem morbum accommodatis, multum interest, ut quod aptissimum sit, &c. sic, &c. *Quæstio Scribæ non utilis tantum,*

Quam vero operæpretium est istud de quo quæritur perceptum habere, docent abunde varii multorum errores, quorum hi omnem sanctimoniam in honesta cum proximo conversatione, alii etsi suum in Deum *sed necessaria.*

officium non excludunt, tamen illud propriis emolumentis postponunt, & Deo satisfacere egregie putant, si defuncti rebus suis, quod vitæ superest Dèo largiantur.

Vers. 9. *Charitas debet esse integra.* *Deus unus.*] Contra multitudinem Deorum quibus in Ægypto assueverant. Hinc etiam *docet* charitatem erga Deum integram esse debere, nec ad plures distrahendam: sicut enim Salomon amore ad plures uxores distentus, erga legitimam uxorem (Pharaonis filiam) refrixit: sic &c. Hinc constat nullam esse apud *Pontificios* Dei charitatem, ut, qui plures maritos & Dominos habent, quibus precantur, quos adorant, &c. Sed nec apud Euangelicos qui à divitiis, honoribus, &c. constuprantur.

De sensu horum mandatorum vide quæ alibi in hanc sententiam annotavimus copiosius.

MATT. 40. Quod autem ab his legem & Prophetas pendere dicit, id videtur ad utrumque seorsim referri *Matth.* 7, 12. *Rom.* 13, 9. *Gal.* 5, 14. Nam dilectio Dei & proximi, separari ab invicem nequeunt, 1 *Ioh.* 4, 7, 8, 9.

MARC. 32, 33. *Scribæ candor imitandus.* *Bene, Præceptor, &c.*] Candorem Scribæ indicat Euangelista qui veritatem à Christo indicatam agnoscit, utcumque tentandi animo venerat, & laudibus effert. Hoc nobis imitandum, ut quocumque animo aut errore ad conciones veniamus, affulgentem tamen veritatem agnoscamus; idque non tantum cum nostri ipsorum abnegatione, sed & illorum (si res postulat) offensione, quos charos habemus; quod huic Scribæ accidisse non est dubitandum. vide *Gal.* 5, 6. & 6, 15.

Comparationis argumento amplificat & præfert *omnibus holocaustis, &c.* (quæ, ut videtur, à Pharisæis pluris fiebant) & recte omnino. Nam sine charitate Dei & proximi, omnia sacrificia Deo exosa sunt *Esa.* 1. *Ps.* 50. cum tamen sine sacrificiis illa Deo grata, &c. sacrificia culices sunt, si cum charitatis camelo conferantur. *Obedientia Sacrificiis potior.*

Possunt hæc ad externum Euangelii cultum accommodari, qui nisi animetur charitate, cadaver est: nisi accendatur charitate, ad cineres non redigitur, &c.

Idem de civilibus cum hominibus commerciis dicendum, quæ charitate nudata, coram Deo fœtent. *Matth.* 5. 1 *Cor.* 13. ut fructus Sodomæ & Gomorræ, remoti speciose apparent; admoti & contrectati pulverem & fetorem emittunt; sic ista hominibus præclara, &c. Deo qui intus penetrat, odiosa.

Sequitur *Pars altera.* Perspecta responsi cum candore, tum dexteritate, illi animum addit ut veritatem exquirat, dum non procul, &c. cum enim in veritate, contra quam ferret Pharisæorum hæresis, acquiesceret, illam præconio ornaret; & vera legis intelligentia (quæ illum ad Christum duceret) præditus esset; non sine causa eum non procul à regno cœlorum, &c. Quare contra, qui nullo veritatem quærendi studio ducuntur, illam perspectam non agnoscunt, &c. procul absunt à regno cœlorum, &c.

MARC. *cap.* 12, *à vers.* 35, *ad* 38.

35 Et respondens IESVS dicebat, docens in templo, quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis?

36 Non ipse David dixit per Spiritum Sanctum, dixit Dominus Domino meo; Sede ad dexteram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37 Ipse ergo David dicit eum dominum: unde igitur filius ejus est? Et multa turba audiebat eum libenter.

MATTH. *cap.* 22, *à vers.* 41, *ad finem Capitis.*

41 Coactis autem Pharisæis, interrogavit eos IESVS.

42 Dicens; Quid vobis videtur de Christo illo? cujus filius est? Dicunt ei; Davidis.

43 Dicit eis; Quomodo ergo David per Spiritum vocat eum Dominum, dicens;

44 Dixit Dominus Domino meo; Sede ad dextram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46 Et nemo poterat ei respondere quicquam: neque ausus fuit quisquam ab illo die amplius illum interrogare.

LVC. *cap.* 20, *à verſ.* 41, *ad* 45.

41 *Dixit autem eis; Quomodo dicunt Chriſtum Filium eſſe Davidis?*

42 *Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum; Dixit Dominus Domino meo; Sede ad dextram meam.*

43 *Vſque dum ſtatuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?*

44 *David ergo Dominum eum vocat, & quomodo filius ejus eſt?*

ANALYSIS.

DEſcribitur à *Marco* hæc diſputatio à ſubjecto loco ubi habebatur, in templo: apud *Matthæum* ab adjuncto tempore, cum Phariſæi eſſent ſimul congregati.

Matth. 42. Quæſtionis ſubjectum eſt Chriſtus; conſtat autem ex relato, an ſit filius Davidis. *Marc. verſ.* 35. occaſio hujus quæſtionis erat Scribarum ſeu Phariſæorum opinio, Chriſtum fuiſſe filium Davidis tantum, non etiam Dei: quod ex complexu diſputationis facile elicitur.

Verſ. 36. Hanc opinionem refellit Chriſtus à relato, quod ſit etiam dominus Davidis: item alio argumento ab adjuncta ſeſſione ad dextram Dei; item ſubjugatione ſumma omnium hoſtium ejus; quæ ſubjugatio pari illuſtratur ſcabelli, cui pedes imponuntur & quod ab illis calcatur. Quæ omnia divino teſtimonio Spiritus Sancti confirmantur: ubi etiam efficiens inſtrumentalis David producitur, quo res clarior eluceret.

Verſ. 37. Quod initio *verſ.* 37. apparet magis: ubi hanc circumſtantiam Chriſtus urget, ita ut videatur à comparatione majoris illorum errorem refellere; ac ſi diceret. Si David ipſe Chriſtum ſibi ipſi tanquam dominum ſervo præponat; nedum, &c. denique à diſparato concludit, Chriſtum non eſſe tantum filium Davidis, quia eſt etiam illius dominus.

MATTH. 46. Effectum hujus diſputationis eſt quod Phariſæi non poterant reſpondere: aliud effectum, quod nemo audebat illi quæſtionibus propoſitis inſidiari, 3. effectum eſt apud *Marcum*, quod turba, eaque numeroſa illum libenter audiebat.

METAPHRASIS.

MATT. 41. MARC. 35. *CVm jam Phariſæi in templo conveniſſent, Ieſus diſſolutis ſpinoſis illorum & cornutis quæſtionibus, ſic illos adoritur: vos veſtra capita contuliſtis ut meam in voluntate divina peritiam diverſis quæſtionibus exploraretis: ego unus vobis omnibus quæſtionem proponam, & illam ſcitu digniſſimam: maxime cum probe intelligam vos in origine & genealogia Meſſiæ turpiter deceptos alios in eundem errorem impellere.* MATT. 42. *Quæro igitur quid vobis de Meſſia videtur, cujus eſt filius? Cui illi ſummo conſenſu reſpondent. Cujus tandem filius eſſet, niſi Davidis?* 36. *Atque ſi unius modo Davidis filius eſt, quomodo conſiſtat quod David divino ſpiritu ductus & in ſpiritu in libro Pſalmorum ſcriptum reliquit. Dixit Deus Pater filio ſuo domino meo, ſummam in cœlo & terra ſupra homines & Angelos authoritatem accipe, quoad omnes hoſtes tuos in te rebelles, ita ſubjugavero, ut ſe contra te non magis commovere poſſint, quam ſcabellum in illum inſurgere cujus pedibus ſubſtratum calcatur. Cum itaque ipſemet David, à quo Chriſtum oriundum dicitis, Chriſtum non dubitet ſuum Dominum vocare: quomodo conſiſtit, quod vos mordicus tenetis, illum Davidis modo filium eſſe.* 37. *Hanc quæſtionem cum ex illis nullus expedire potuerit, nemo exinde quæſtionem ad ejus peritiam pertentandam movere auſus eſt: Vnde etiam effectum eſt, ut turba magno numero illum audiendi ſtudio & delectione teneretur.* MATT. 46.

PRAXIS.

SVmma, Chriſtus quæſtione de divinitate Meſſiæ, aggregatis in templo Phariſæis, propoſita, cum illos ob eorum inſcitiam pudefacit, tum os (ne illi deinceps obſtrepant) ipſis, acclamante populo, occludit.

Partes, { Diſceptatio Chriſti cum Phariſæis. Diſceptationis effectus.

In quæſtionis propoſitione obſervandum Chriſtum *opportunitatem* captaſſe, 1. *loci, &c.* in templo & in celeberrimo conventu, &c. ut populus tum ſuæ in lege peritiæ, tum Phariſæorum inertiæ teſtis eſſet, 2. *temporis*; cum illorum quæſtionibus ſatisfeciſſet, 3. *perſonarum* cum jam plurimi Phariſæi aderant; quaſi dicat, ego veſtris quæſtionibus, &c. date jam mihi vices meas, &c. ego ſolus vobis qui capita & conſilia contuliſtis reſpondi: vos, &c. Verſ. 35. *Quæſtionem Chriſtus opportune proponit.*

Hoc nos docet, ut non modo quod bonum & juſtum eſt faciamus & loquamur, ſed & locum & tempus deligamus, &c. *Pro.* 15, 23. *Verbum in tempore quam bonum.* Perſonarum ratio habenda ut eos præſertim alloquamur qui ſunt noſtri ordinis. Vide exemplum latronis in cruce, qui latronem alterum redarguit, non alios. Elihu non niſi tacentibus natu majoribus, &c. *Iob. cap.* 32, *verſ.* 4. Temporis, ut Abigaël Nabalem poſt crapulam reprehendit. Stultis vero verbum in ore oneri eſt, quo veluti gravis

& onustus incedit donec illud effutiet.

Quæstio est de Messiæ genealogia & parentibus: in quo argumento cum Pharisæi immodice versabantur, ut qui genus majorum accuratius & subtilius repetierunt; absurdum fuit eos Messiæ genus, &c. Pudeat ergo nos putridum & raucidum genus studiose replicare, genus Christi negligere. vide quæ in *Matth.*1. & *Luc.*3.

MATT.42. *Responsum insufficiens & error Iudæorum:* *Respondent Davidis.*] Quod quidem verum est, sed insufficiens: unius enim tantum naturæ, & quidem vilioris, originem continet: unde constat quo errore Iudæi pene omnes implicantur, videlicet Messiam purum hominem futurum, vide *Ioh.*10,33. & *Matth.*8,9,10. Qui error crassus, & religionis fundamenta convellebat. Hinc etiam liquet quam ignari erant atrocitatis peccati & justitiæ divinæ, qui reconciliationem per purum hominem, &c. *Pontificii* etsi Christum Dei Filium agnoscunt; tamen nihil fere illi attribuunt, quod ab homine fieri non potuit: eum enim regem & Sacerdotem nostrum constituunt quoad humanitatem, & quatenus homo est, peccata remittere, nullos in cruce cruciatus pertulisse, quos non nudus homo perferre potuit.

MARC.36, 37. *Christi argumento producuntur.* *Nam ipse David, &c.*] Argumentatur à diversis, non ut tollat quod ipsi responderant, sed ut eorum inscitiam proderet; simulque doceret se vere Deum, &c. Si enim David, vel tum cum rex esset, Christum Dominum, imo suum Dominum vocat, &c.

Hinc constat *primo* Christum non tunc extitisse cœpisse, cum in carne, &c. cum diebus David exstitit.

Secundo notatur verbi authoritas; per *Spiritum Sanctum:* sic alibi *os Domini locutum est.* Sic ergo legamus, audiamus, non ut sermonem hominis, sed Dei: vide 2 *Thessal.* 2, 13. & *Act.* 10, 33. *Hic sumus coram Deo.*

Cujus effecta. Effectus hujus disceptationis duplex erat, 1. à *Marco* notatur, videlicet, *populus illum avide audiebat*; tanta enim gratia, sapientia &c. docuit; ut vel lapides ipsos commovisset, vide *Matth.*13,20. *audiunt cum gaudio*; & exemplum Herodis qui audiebat Iohannem libenter. *Marc.*6,20.

Posterius à *Matth.* neminem deinceps ex acutissimis disputationibus ausum fuisse, &c. Veritas etsi ad tempus conculcata jacet; tandem tamen caput attollit, hostes attonitos reddit, & sternit; adeo quidem, ut, etsi ad fraudes accedat effrænis contendendi libido; tamen, &c. ut illi manus, sic isti linguas invenire non possunt. MATT.46

Nos vero, non pudoris causa, ut isti; sed veritatis studio concedamus.

MATT. *cap.* 23, *à vers.* 1, *ad* 13.

TVnc IESVS loquutus est turbæ & discipulis suis,

2 Dicens; In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi:

3 Omnia ergo quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite: sed secundum opera eorum ne facite; dicunt enim, & non faciunt.

4 Ligant enim onera gravia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.

5 Omnia vero opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & producunt fimbrias palliorum suorum.

6 Amantque primos accubitus in cœnis, & primos consessus in conventibus:

7 Et in foris salutationes, & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi.

8 Vos autem ne vocamini Rabbi; unus est enim doctor vester, nempe Christus: *omnes autem vos, fratres estis.*

9 Et Patrem vestrum ne quemquam *vocate in terra: unus est enim Pater vester qui in cœlis est.*

10 Nec vocemini doctores: unus enim vester est doctor, nempe Christus.

11 Sed qui maximus est vestrum; sit minister vester.

12 Porro qui sese extollet deprimetur: & qui sese deprimit, extolletur.

ANALYSIS.

HÆc concio Christi describitur ab adjuncto tempore, cum silentium imposuisset adversariis, & populus ad audiendum pronus esset: item à subjecto, nempe discipulis & turba, ad quos dirigitur.

Vers. 2.

*Vers.*2. Subjectum circa quod sunt Scribæ & Pharisæi; qui suo adjuncto describuntur, sessione in Cathedra Mosis.

*Vers.*3. Cujus sessionis effectum est, ut populus asservet quæ ex illa Cathedra proponuntur; deinde aliud effectum, ut illa factis exprimant, quod suo diverso illustratur, ne ad eorum opera se conforment: cujus efficiens indicatur, quia bonum docent, quod non faciunt.

*Vers.*4. Postremum illud de docendo & non faciendo pari illustrat, quod similes sint his qui aliis gravia onera imponentes eademque arctissime dorsis astringentes, nihil ipsimet attingere volunt.

*Vers.*5. Aliud effectum Pharisæorum & Scribarum, quod bona opera quæ faciant fucata sunt: quod fine declaratur, quia fiunt ut ab hominibus spectentur: cujus effectum est quod phylacteria & peniculamenta in lege imperata præ aliis hominibus latiora faciunt, ut omnium mandatorum Dei observantiores videantur.

*Vers.*6. A genere ad speciem delabitur, ubi ab effectis notat ambitionem & superbiam animi: quam ambitionem describit distributione subjectorum locorum privatorum & publicorum.

*Vers.*7. Publica etiam loca, ubi ambitionem produnt, duorum generum sunt: vel enim in Ecclesiasticis conventibus primos consessus, vel in foro salutationes ambiunt. Deinde speciem & formam salutationis designat, quam ambiunt; adjunctum vero ambitionis ardorem & vehementiam reduplicatione vocis *Rabbi* declarat.

*Vers.*8. Discipulos ne hoc faciant vetat à disparato, quia cum unus sit Doctor à cujus authoritate pendendum est, nempe Christus, illi hoc sibi vendicare non debent: item alio argumento à relato: nam cum fratres sint, unus alterius Doctor esse non possit ad eum modum, ut unus ab alterius authoritate pendeat.

*Vers.*9,10. Eodem argumento vetat ne quis se alterius patrem esse profiteatur; item ne magistri & duces appellentur.

*Vers.*11. Ab adverso confirmat quod dixerat: neque enim potest ejus esse magister, cujus est διάκονος quod etiam comparatione majoris amplificat, quia si quis inter illos dotibus & donis eminentissimus sit, aliis inservire debeat; nedum qui inferiores sunt.

*Vers.*12. Ab adjuncta pœna hoc confirmat; quia deprimetur qui se effert; quod suo adverso illustratur, quia se qui se deprimit exaltabitur.

METAPHRASIS.

1. *NE ex superius in Pharisæos & Scribas oc-*
culte & figurate dictis, aut deinceps a-
perte & palam dicendis, homines (quod fit) il-
lorum sanam & salutarem doctrinam asper-
nandi ansam arriperent, Iesus ad universam
turbam, maxime vero discipulos suos, sermo-
2. *nem suum direxit, Dixitque; Quamdiu Scribæ*
& Pharisæi ministerium in Ecclesia obeuntes
pro suggestu ea modo vobis proponant quæ Mo-
ses magnus Propheta & Doctor populi Dei
3. *docenda tradidit. Quæcunque ad illius doctri-*
næ normam vobis servanda proponunt, illa at-
tente audita, fideli memoria asservate, ut ea-
dem (prout tempus & locus postulabunt) fa-
ctis exprimatis: Ita tamen ut sicut morum in-
corruptione, corruptam Doctrinam non ad-
mittendam, sic depravatos eorum mores ob
doctrinæ sanitatem & integritatem non esse
imitandos decernam. Multa etenim præclare
sane docent, quæ vita & conversatione non
exprimunt. Multa etenim eaque gravia & 4.
factu difficilia ex lege aliis præcipiunt, idque
adhibitis diris maledictionibus, nisi illa factis
impleant, quibus implendis ipsi nullam ope-
ram impendunt: haud secus quam si quis al-
terius humeris grave & importabile onus im-
poneret & funiculis illud ita alligaret ut illud
excutere non possit, cum tamen ipse ne digi-
tum quidem admoveat quo onustum sublevet.
Hic si qui me in illos iniquiorem esse accusent, 5.
qui vitæ sanctitate cæteris anteire judicantur;
ii velim intelligant, illos nihil solidi habere,
sed fucum facere. Omnia enim opera faciunt,
non equidem ut Deo cordium scrutatori se pro-
bent, sed tantum ut hominibus (qui externa
modo intuentur) placere studeant. Cumque
lege præceptum sit, ut singuli peniculamen-
ta sibi in oris vestium aptarent, ut hoc sym-
bolo de omnium mandatorum observatione
subinde admoneantur; illi re signata post ter-
gum rejecta, signum nudum & inane retinent:
quod pejus est, aliis omnibus in sincera legis ob-
servatione inferiores, quo omnibus aliis legis
observantiores videantur, peniculamenta (à
servatæ legis indicio phylacteria *dicta) præ*
cæteris dilatant, ampliantque. Si quis por-
ro insurgat, facile & promptum esse γενικῶς 6.
& confuse alios traducere; cum nihil spe-
ciale designet, in quo vel ipse, vel qui illi fa-
vent, amici, calumniam illis impositam di-
luant: age ad singularia illorum facta des-
cendam. Primum igitur illis ambitionis cri-
men impingo. Nam ad epulas & convivia in-
vitati primos in mensa consessus aucupant;
& quod adhuc deterius, in Ecclesiasticis con-
gressibus, ubi vel maxime illorum modestia
relucere debet, primas sedes certatim expe-
tunt. Imo vero in ipso foro ad offensionem 7.
summorum & infimorum omnium, qui in illos
oculos defixos habent, honorificis appellationi-
bus à quibusvis salutari avent: usque eo ut
ab eorum authoritate & nutu omnes pendere
magnopere expetant. Quæ nulla in illos ma- 8.
levolentia suffusus dico, sed ut vos illorum
exemplo edocti ab ambitione caveatis. Nolite
enim vos hos fumosos Doctorum titulos sectari,

cupereque ut homines veſtra in authoritate acquieſcant. Vnus enim eſt doctor veſter Chriſtus, à cujus unius nutu & arbitratu vos pendere decet: vos autem ut fratres æquo jure vivere par eſt, nec ut in alterius verba juret cuiquam conceſſum eſt.
9. *Hanc ipſam ob cauſam, neminem in terris ita patrem agnoſcetis, ut ab ejus imperio deflectere & latum (quod dicitur) unguem recedere fas non ſit: unus enim vobis in cœlis Pater eſt, cui hunc hono-*
10. *rem habere convenit. Atque ut nemini mortalium hunc honorem abſoluti Doctoris deferre; ſic neque eum vobis vendicare conceſſum eſſe*
11. *putandum eſt. Contra qui inter vos donis & vocatione cæteros præcedit: is ſciat hanc eminentiam illi à Deo idcirco elargitam eſſe, ut*
12. *aliorum bono & utilitati inſerviat. Quiſquis vero opinione bonorum, quæ à Deo accepit, inflatus ſeipſum extulerit, illum Deus juſtiſſimo judicio, in barathrum uſque inferorum, niſi reſipuerit, deprimet: qui autem aliorum commodo deſerviens ſe depreſſerit, is ad ſummos cœlos (ut alia taceam) efferetur.*

PRAXIS.

SVmma, Chriſtus turbam & præcipue diſcipulos informat, quomodo ſe adverſum Scribas & Phariſæos gerant, ut neque bono quod ab illis proficiſcitur priventur, neque malo damnum ferant.

Partes, quo animo nos eſſe oporteat erga eorum { Doctrinam. / Converſationem.

Verſ. 1, &c. *Chriſti de doctrina Phariſaeorum ſententia.*

Profligatis Scribis & Phariſæis, Chriſtus præcipitiis quibuſdam occurrit: in odium enim vocati & poſt vocandi; ne turba aut diſcipuli quæ illi recte docuiſſent, averſarentur, &c. Ea enim eſt hominum temeritas, is frigidus veritatis amor, ut levi momento ab ejus ſtudio aſtrahantur.

Quæ Eccleſiæ Doctores vitæ & doctrinæ non ſatis probatæ audiendos docet.

Hinc diſcimus Eccleſiæ doctores, etſi erroribus infectos, & moribus corruptos, tamen audiendos eſſe, quoad quæ ſana ſunt, proponunt. *Phil.* 1, 18. *Matth.* 16, 6. *Cavete à fermento Phariſæorum, &c.* non autem ut ab iis audiendis penitus abſtineant: & *Marc.* 4, 24. admonet cavendum non quem, ſed quid audiamus. Neque enim ſanæ doctrinæ aurum ob corruptæ doctrinæ ſcorias rejiciendum; aut verbi divinini mel ob humanorum commentorum fel, &c. præſertim cum, etſi hæc ita miſcere poſſint ut non poſſis ſeparare; alia tamen facile, &c. Hic noſtra in rebus cœleſtibus, vecordia cernitur, qui in delectu hujus generis paſtus à brutis animantibus vincimur. Apes etſi pleraque herbarum & floſculorum genera circumvolent, tamen illa duntaxat ſugunt quæ mellificio apta ſunt: quin etiam bos (ſtupidum animal) in prato multis herbis diſtincto, eas tantum carpit quæ paſtui aptæ &c. prætermiſſis iis quæ nocituræ, &c. Nos vero tanquam ſues in hortum immiſſi, præteritis floſculis, oletum & ſtercora, &c. & tanquam aſini, carduos mordicus arripimus.

Objectio: ergo *Pontificios* audire licet, modo hunc delectum facias. *Reſpondeo:* Non ſedent in Moſis cathedra, nulla legitima vocatione muniuntur. Atque ut paſtorum legitimorum vita incorrupta ſit, tamen uſque eo tantum audiendi ſunt, quoad quæ in Moſis libris, &c.

Chriſti æquitas & veritatis promovendæ ſtudium.

Nota, Summam Chriſti cum in adverſarios æquitatem, tum promovendæ veritatis ſtudium: qui hoſtes ſuos juratos uſque audiri vult, &c. Vide carmen Davidis quod in mortem Saulis conſtruxit. Dei enim dona vel in impiis & oſoribus agnoſcenda ſunt. Contra Phariſæi Chriſtum, quem odio proſequuti ſunt, crapulæ & vinolentiæ inſimulabant, & Samaritanum & à diabolo actum clamitabant. Sic plerique ſi quem ſibi infeſtum habent; ejus dona quæcunque deprimunt, &c. atque hoc eſt Deo & Eccleſiæ damnum afferre.

Scriptura regula vitæ perfecta.

Nota I. in docendo non probari, niſi quod ex Scriptura depromptum eſt. Si ergo quis in cathedra dictis patrum, concilio, traditionibus, Philoſophiæ confiderit, &c. II. Perfectam & abſolutam Dei voluntatem in libris Moſis conſignari.

Requiſita in auditore verbi divini.

Duo requirit, 1. ut audita memoria aſſerventur, 2. ut factis exprimantur. Hanc gemmam ita in cordis arca incluſam eſſe oportet; ut ſi neceſſitas requirat, extrahatur ut pignori danda. Vt ſemen gleba tectum aſſurgit, & fructum profert, &c. ut cibus in ſtomachum injectus, concoctus &c. in ſanguinem, &c. ſic, &c. Vide exemplum Davidis *Pſal.* 119. & *Mariæ Luc.* 1. & 2. *recondidit apud ſe, &c.* Hic redargue eos qui ſermonem auribus arripientes, ilicò ſibi à diabolo eripi patiuntur; tanquam aves ſemen in via tuita projectum tanquam cibum in os injectum protinus exſpuerent: aut gemmam acceptam inter ſilices projicerent. Hujuſmodi ſunt qui poſt verbi auditionem non ruminant aut recolunt, &c. Parum memores quam obdurato corde ſint, ut niſi ſæpe commentationibus, colloquiis, &c. fodiant

diant & exeavent, &c. Quid ergo illis fiet qui somno oppressi, &c.

Sequitur *pars altera* de { Genere. Pharisæorum operibus in { Specie.

Sententia de vita Pharisæorum, generalis: Postquam illos multum docuisset, doctrinam miraculis obsignasset, occulte parabolis vellicasset; nec iis omnibus ad frugem revertissent: tandem illos aperte aggreditur & severissime exagitat: ita tamen ut prius discipulos & turbam promoveret, &c. Hoc à ministris præstandum.

Genus est aut illos non facere quæ bene præcipiunt; aut facere, quod probe docent deflectendum. Alius scopulus ad quem multi impingunt: aut enim sanam doctrinam ob morum corruptelam aspernamur, aut per speciem doctrinæ puræ propositæ depravatos doctorum mores sequimur; ac si quis indicata probe via, ducem, contra quam dixerat, viam instituentem, sequatur: aut si quis ægrotus audita Medici de vini interdictione sententia, vinum tamen ideo biberet, quia Medicus eodem morbo laborans vinum libasset. Cum ne Apostolus quidem nos sui imitatores esse velit, nisi quatenus ipse est Christi. 1 *Cor.* 11, 1. Quam autem plenum periculi sit, hominem quantumcunque sine exceptione imitari, docet illud Petri *Gal.* 2.

Doctores vero qui hoc faciunt, citharam referunt, quæ pulsata aliis delectationem exhibet, quam ipsa non sentit.

Vers. 4. *Quod ea non sit imitanda.* Hanc cautionem amplificat duplici argumento à comparatis, 1. à majore; quod ne illa quidem opere demonstrant quæ ab aliis severissime exigunt; 2. à minore, quod ne conentur quidem, &c. quod simili illustratur, quod onera aliis imponentes quæ ne humeris sustinere possint; nec imponentes solum, sed comminationibus tanquam funibus & fasciis humeris alligantes, ipsi ne digitum, &c. Vide *Matth.* 5, 19, 20. & *Gal.* 6, 13. Haud secus ac si Dux unicuique stationem attribuens, dum dubie cum hoste confligaretur, ipse se in hortum aut tectum otii & delectationis causa, &c. aut si hero multa contra ocium, &c. servo dictante, ipse totum diem in ludis, globulis, chartis pictis, alea, &c. Hujus exemplum memorabile est in Papatu, ubi plebe ad panem & tenuissimum potum jejunii diebus adacta, Sacerdotes vino, aromatis, &c. se farciunt, & aliis ad longinquas peregrinationes ablegatis, ipsi interim cum peregrinantis uxore aut filiabus suaviter in molli lecto volutant. Cum pii ministri non modo ab illegitimis sibi cavent, sed vel ab iis quæ licebant, ut aliis exemplo essent, ut Paulum Corinthi, Ephesi, Thessalonicæ fecisse legimus.

De genere hactenus. Vide hujus expositionem *Matth.* 6. & quæ annotata sunt in *Luc.* 11, 39. Sunt enim instar histrionum, qui dum in theatro sunt, nunc regum & Principum, nunc Philosophorum, &c. post autem deposita persona, pauperculi, &c. & similes fœminis quæ faciem infucant, &c. aliam faciem interdiu, aliam noctu gerunt. *Vers. 5. Quod per enumerationem ostenditur.*

Huc accedit quod ex passis phylacteriis præter cæterorum consuetudinem sanctimoniæ laudem ambiunt. Verum quidem est legem præcipere variis locis ut populus subinde recordaretur mandatorum observationem; quod non obscure ipsa voce φυλακτήρια designatur: illi ceremoniam retinentes, rem ipsam spreverunt; ac si puellus audito patris pii vestigiis insistendum; patris iter facientis singula vestigia & pedum impressiones observaret, & in iisdem pedes suos poneret. Haud melior est *Pontificiorum* insipientia, qui quod crucem Christi quotidie tollendam audiant, crucis signo frontem consignant, aliam collo circumponunt, aliam præ se ferri jubent: cum interim crucem Christi causa ferre detrectant. *Ubi 1. Sanctitatis externa species in vestitu.*

Observa opinionem sanctitatis, aut aliorum in nos observantiam non esse ex peregrino habitu colligendam: ne ab ipsis quidem ministris, quales hi fuerunt: quod enim fimbriis laxioribus & latioribus quam cæteri utebantur, illis vituperio datur. Iudæi quidem ab aliis Gentibus etiam vestitu distinguebantur, sed neutiquam ministri à cæteris in communi vitæ consuetudine. In sacris quidem vestitu ab aliis distinguitur, sed quod Christi adventu exolevit. Eoque hoc minus est faciendum, quod hæc externa sectantes, plerunque vera pietate destituuntur, unde ex his sanctimoniæ insignibus subsidium petunt. Verum quidem est Prophetas extraordinariè vocatos & Iohannem Baptistam peculiari ab aliis veste usos, sed vili & subrustica: quod si quis in exemplum trahat, oportet ut vilitate & rusticitate vestium, &c. quod nostri non facient. *Quæ à nobis, etiam à ministris Ecclesiæ, non est captanda.*

Huic hypocrisi opponatur illud *ambula coram me, &c.* Etsi vero impia est hypocrisis, præcipue in iis quæ ad Deum spectant: magis tamen detestanda est aperta impietas: ut quæ nec Dei timore, nec hominum reverentia à scelere deterretur. *Sed coram Deo ambulandum.*

Cum

Nec à communi conſuetudine recedendum.

Cum Chriſtus Phariſæorum ambitionem & ſuperbiam ex inuſitato corporis habitu arguat, ſequitur eos omnes ambitione teneri qui in veſte aut cincinnis hoc quærunt, ut ſe à communi aliorum conſuetudine ſejungant. *Matt.6.* docetur illos omnia ad hominum aſpectum facere, ut gloria afficiantur. Hypocriſin igitur comitatur ambitio.

Verſ.6,7.11. *πρωτοκαθεδρίας & ſalutationum ambitio:*

Inflati etiam opinione juſtitiæ propriæ ſuperbiunt, ut in Deum, ſic in homines, ut *Luc.*18.11. Hinc eſt quod primos accubitus, &c. quod in foro ſalutari: ante omnia vero ut pro doctoribus Angelicis & Seraphicis habeantur, quorum ſententiæ ſine reclamatione ſtetur, &c. Non prohibetur ut quis pro loco & dignitate quam in Eccleſia vel Republ. poſſidet, locum & ſedem occupet: ſed primas ſedes amare, & amando captare: ut non prohibetur argentum habere, ſed amare & deperire.

Hic nos excutiamus quo animo, &c.

Huic opponuntur illa *Rom.*12,16. & *Philipp.* 2, 3. item quod puellos lactentes aut à lacte recens depulſos imitari jubemur. *Matth.*18. *Pſal.*131. *Qui bien ſe cognoit, peu ſe priſe.*

Quæ omnibus, ſed præſertim miniſtris vitanda.

Hæc autem ambitio cum omnibus ordinibus, tum præſertim miniſtris declinanda; quorum ambitio non modo exemplo nocet; ſed diſciplinam Eccleſiæ convellit: eoque ſtudioſius quo videmus Apoſtolos ipſos ſæpius ob ambitionem reprehenſos, ad eum tamen lapidem ſæpius impegiſſe. Hic Pontifex Romanus flagellandus, qui *πρωτοκαθεδρίας* ergo tantas in Eccleſia turbas dedit: item ejus aſſeclæ Archiepiſcopi, qui palam in conſeſſu ſociorum ſuorum de prima ſede ita litigarunt, ut ad manus & pugnos in ipſo conſeſſu ventum ſit. Sorbonici noſtri doctores, &c.

Vos autem ne vocamini, &c.] Ex hoc loco apparet receptum fuiſſe in Eccleſia Iudæorum, ut qui docendi partes, &c. *doctores & Patres* appellarentur. Hinc Prophetis in diſciplinam traditi, Prophetarum filii dicti ſunt: & Paulus ſe Phariſæi filium, id eſt, diſcipulum appellat, & Micha *Iud.*17, 10. Levitam patrem appellat. Hunc morem Apoſtolus etiam imitatus eſt, qui Corinthios, Timotheum, Titum, Oneſimum filios appellat. Verſ.8,9. *Doctores & Patres appellati qui docebant apud Iudæos.*

Quod nomen ambiendum non eſt.

Argumentum à diſparatis, unus magiſter, unus pater: non quod miniſtros, magiſtros aut Patres vocari fas non ſit; ſed illud captare & ambire: quod enim in Phariſæis perſtrinxit, hoc in diſcipulis prohibet: cujus gloriæ ſtudere, à quo doceri, &c. Chriſtus ſolus non docet; pater ſolus nos generat, is qui plantat, & qui rigat nihil ſunt; nos miniſtri ſumus, non magiſtri; quantum nos attollimus, tantum Deum & Chriſtum depellimus; quantum nos venditamus, tantum, &c.

Fratres eſtis.] Aliud argumentum. Quod ſint *fratres*, eoque pari potius cum Eccleſia conditione, vivendem, quam ut quis imperatorie, & cum dominatu ſe gereret.

MATTH. *cap.* 23, *à verſ.* 13, *ad* 37.

13 Sed væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam præcluditis regnum cœlorum hominibus: vos enim non introitis, nec introeuntes ſinitis introire.

14 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam exeditis domos viduarum, idque in ſpeciem utentes longis precibus: propterea auferetis graviorem condemnationem.

15 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam circumitis mare & terram, ut faciatis unum proſelytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos ſitis:

16 Væ vobis duces cœci, qui dicitis; Quiſquis juraverit per templum, nihil eſt: quicumque autem juraverit per aurum templi, reus eſt.

17 Stulti & cœci, utrum enim majus eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum?

18 Et, quiſquis juraverit per altare, nihil eſt: quicumque autem juraverit per donum, quod eſt ſuper ipſum, reus eſt.

19 Fatui ac cœci, utrum enim majus eſt, munus, an altare quod ſanctificat munus?

20 Qui

20 *Qui ergo juraverit per altare, jurat per ipsum, & per omnia quæ super illud sunt.*

21 *Et qui juraverit per templum, jurat per ipsum, & per eum qui habitat in eo.*

22 *Et qui juraverit per cœlum, jurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super ipsum.*

23 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cuminum, & omittitis quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam ac fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

24 *Duces cæci, qui percolatis culicem: camelum autem deglutitis.*

25 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui purgatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem* illa *plena sunt rapina & intemperantia.*

26 *Pharisæe cæce, purga primum quod est intra poculum & patinam, ut id quoque quod extra est, purum fiat.*

27 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui aßimiles estis sepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt oßibus mortuorum, omnique immunditia.*

28 *Ita & vos extra quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*

29 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.*

30 *Et dicitis; Si fuissemus temporibus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socii in cæde Prophetarum.*

31 *Itaque testamini adversus vosmetipsos, vos esse filios eorum qui Prophetas occiderunt.*

32 *Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.*

33 *Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere poßitis condemnationem gehennæ?*

34 *Propterea ecce, ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex ipsis* nonnullos *trucidabitis & crucifigetis: & ex ipsis nonnullos flagellabitis in conventibus vestris, & persequemini oppidatim.*

35 *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, effusus super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ; quem occidistis inter templum & altare.*

36 *Amen dico vobis, venient hæc omnia super ætatem istam.*

ANALYSIS.

Pharisæi & scribæ describuntur ab adjuncta exsecratione; item ab ejus causa efficiente Hypocrisi: describuntur item ab effectis, primo homines arcendi à regno cœlorum; quod comparatione paris illustratur, haud secus quam si ingredienti & jam pedem in limine ponenti aliquis januam opponeret & occluderet.

*Vers.*14. Item alio effecto, spoliandi viduas; quod pari illustratur, ac si quis distento in immensũ gutture, tanquam balena, domos devoraret; exaggeratur vero instrumentali causa hujus deceptionis, nempe prolixæ orationis prætexu: cujus adjuncta pœna est major condemnatio.

*Vers.*15. Alio effecto, laborioso conatu proselytum faciendi, qui laboriosus conatus pari illustratur mercatorum, qui terra marique circumeunt ut opes augeant: item alio effecto, quia creatos & factos duplo se nequiores reddunt.

*Vers.*16. Hanc exsecrationem illis denuntiat ob aliam efficientem causam, nempe cæcitatem & ignorationem in docendo: quod suis partibus arguitur; primum in causa juramenti, cujus etiam erroris aliquot species enumerat, prima quo aurum templi templo præferunt & rem sanctiorem & augustiorem credunt.

*Vers.*17. Quem errorem refellit ab effecto templi sanctificantis aurum; non contra.

*Vers.*18. Alia species erroris in causa juramenti quod præferebant donum altari; quod confirmatur

tur ab adjuncta levi æstimatione juramenti per altare, & contra exaggeratione atrocitatis peccati juramenti per donum altaris.

*Verſ.*19. Qui refellitur ſicut prior.

*Verſ.*20. Item alio argumento à comparatione minoris, quia jurans per altare non tantum per altare jurat, ſed per omnia illa quæ ſuper altare ſunt; non contra.

*Verſ.*21. Eodem etiam argumento amplificat juramentum per templum; quod non tantum jurat per templum, ſed per illum qui habitat in templo.

*Verſ.*22. Eodem argumento amplificat, juramentum per cœlum.

*Verſ.*23. Deſcribit illos ab effecto decimandi mentham, anethum & cuminum; quæ illuſtrat diverſo, quod majora legis omittunt; quod item ſuis partibus aliquot exponit, judicio, miſericordia & fide.

*Verſ.*24. Hujus rei cauſam aſſignat non tantum Hypocriſin, *ſuperiore verſu*, ſed etiam cæcitatem & ignorantiam; & illuſtrat comparatione paris, eorum ſcilicet qui excolant culicem & camelum devorant.

*Verſ.*25. Eorum Hypocriſin porro inſectatur; cujus effectum eſt, quod externa ſpecie pii & probi videri volunt; cujus adjunctum eſt intrinſecam pietatem & probitatem neglectui habere: quod effecto probat. *vide Marc.* quia ſtudioſe lavant externam ſuperficiem poculi & patinæ, cum interim de cibis potu & rapina partis & ad intemperantiam deſtinatis non laborant.

*Verſ.*26. Effectum Chriſti deſcribitur, adhortatio ut intus & in animo ſe expurgent: quod fine arguitur, ut mundum ſit quod & eſt externum.

*Verſ.*27. Hanc Hypocriſin illuſtrat alio pari, nempe ſepulchrorum dealbatorum, cum intus impleantur fœtidis cadaveribus.

*Verſ.*28. Adjunctam pœnam maledictionis illis denuntiat porro ob Hypocriſin; quam probat ab effecto, primum quod extruunt Prophetis monumenta & ſepulchra, 2. quod exornant ſepulchra juſtorum.

*Verſ.*30. 3. Quod dicunt ſe noluiſſe interficere Prophetas, ſi illorum temporibus vixiſſent; quod diſpari amplificant, ut patres & majores eorum fecerunt.

*Verſ.*31. Deinde narratur Chriſti adverſus illos accuſatio alia, eos eſſe filios eorum qui interfecerunt Prophetas; quod proprio eorum teſtimonio & confeſſione confirmat.

*Verſ.*32 Deinde illos accuſat ob futuram deinceps Prophetarum, &c. cædem; quam pari exornat, nempe ut Patres eorum fecerunt; quod comparatione ſimilis illuſtrat complendi menſuram ſanguinis quam majores fundere inchoarunt.

*Verſ.*33. Quam cædis atrocitatem per illos olim patrandam exaggerat comparatione paris, nempe Serpentum & viperarum; item adjuncta inevitabili pœna, quam Deus hoc nomine infliget.

*Verſ.*34. Cujus cædis olim patrandæ adjunctum declarat, ſuam ad illos Prophetarum miſſionem; deinde cædis inferendæ partes enumerat, quorundam occiſionem, aliorum flagellationem, quam ſubjecto locoamplificat, in ipſisSynagogis; aliorum denique inſectationem ab urbe in urbem.

*Verſ.*35. Finis aſſignatur tantæ crudelitatis ut luant pœnas de ſanguine omnium juſtorum; qui juſti adjuncto tempore notantur, ab Abele uſque ad Zachariam; qui ſuo relato, patre Barachia deſcribitur: cujus cædes exaggeratur à ſubjecto loco, nempe inter templum & altare.

Verſ. 36. Pœnam quam exſolvent definit adjuncto tempore, nempe antequam præſens ætas in qua hæc dicta ſunt exacta & completa fuerit.

*De tribus poſtremis verſibus Analyſin pete ex Luc.*13, *verſ.*34,35.

METAPHRASIS.

Atque ut vos (ò Scribæ & Phariſæi) a-
crius pungam, æternam vobis Hypocritis 13.
maledictionem denuntio, quia Doctrinæ tum
corruptæ promulgatione, tum puræ ſilentio,
moribus depravatis, denique ex Synagoga eje-
ctione mortales ab Eccleſia, ubi Deus ſuum
regnum habet in terris, haud ſecus prohibetis,
quam ſi demum ingreſſuro oſtium quis occlu-
deret. Neque etenim ſatis vobis eſt vos ipſos
ſalutari Eccleſiæ communione privare, niſi
alios, eoſque non prorſus à ſalute accipienda
alienos, impediatis. Æternam vobis, (ò Scri- 14.
bæ & Phariſæi Hypocritæ) maledictionem de-
nuntio, quod viduarum conſilii inopum (eoque
deceptu facilium) non modo pecuniam & ſup-
pellectilem ſpoliatis, ſed ipſas etiam domos &
habitacula conviviis & commeſſationibus vel-
uti exeditis. Quæ viduarum direptio & expi-
latio tanto atrocior eſt, quod obtentu precum
prolixarum, quas pro illis vos fuſuros dictitatis,
hunc quæſtum facitis. Quamobrem æternæ
mortis ex ſola fraude & bonorum direptione
rei, atrociores hoc nomine pœnas dabitis, quod
non tantum viduas (quas juvare debueratis)
ſed per ſpeciem & ſimulationem divini cultus
ſpoliaſtis. Eandem maledictionem vobis Scri- 15.
bis & Phariſæis hypocritis porro denuntio: pri-
mum quidem quod tantopere in Ethnico ad
Eccleſiam aggregando deſudatis, cum non-
dum tempus advenit ut gentes (niſi ſponte
auditione nominis Dei commoti ſe offerant)
ad Eccleſiam aggregandæ ſint. Deinde quod
partim inſcitia eos in religionis myſteriis infor-
mandi, partim illos novis ceremoniolis à vobis
excogitatis onerando, denique ſceleratæ vitæ
veſtræ peſſimo exemplo eos duplo (quam vos-
eſtis) æterna morte digniores redditis. Væ vo- 16.
bis cæcis populi mei ducibus, qui veſtra pecu-
niæ cupiditate ſeu avaritia, vobis ipſis oculos
configitis! Dicitis etenim eum, qui per tem-
plum juraverit, perjurii non teneri, tametſi,
quam hoc juramento obſtrinxit, fidem violet;
reum autem eſſe qui per templi aurum jurave-
rit,

17. vit, nisi fidem datam liberaverit. O stulti &
cæci, ex duobus, auro & templo (quod aurum
templi usibus sacrum) sanctum reddit, an non
templum sanctius & augustius habendum
18. erit? Deinde dicitis eum qui per altare jura-
verit, perjurii non teneri, tametsi quam fidem
sic obstrinxit violet, reum vero esse si per do-
19. num altari impositum juraverit. O stulti &
cæci ex duobus, dono & altari, quod donum illi
impositum sanctum reddit, an non altare san-
20. ctius & augustius est? Præterquam vero quod
perperam de horum præstantia judicatis, ne-
farie illa disjungitis, quæ disjungi non debent.
Quicumque etenim per altare juraverit, is per
21. omnia jurat quæ super altare sunt. Et qui-
cunque per templum jurat, non tantum per
templum jurat, sed per Deum qui gratiosam
22. suam præsentiam in templo testatur. Denique
qui per cœlum jurat, per Deum ipsum jurat,
qui tanquam in solio majestatis suæ suam glo-
riam & incomparabilem splendorem in cœlis
23. relucere facit. Væ vobis Scribis atque Phari-
sæis hypocritis, qui ut religiosi & cultus divini
perquam studiosi hominibus videamini, non
non tantum lectiores & pretiosos terræ fructus,
sed minutissima quæque, puta mentham, ane-
thum & cuminum decimatis, cum interim
quæ graviora legis præcepta sunt parvi æsti-
matis, ut sunt innocentium à violentis asser-
tio, misericordia erga calamitosos & fides in
dictis pactisque. Non equidem quod de his de-
cimandis pure vos reprehendam, nam & hæc
leviora prætereunda non sunt, sed illa gravio-
ra tanto vehementius persequenda quoad ad
24. illa obeunda plus virium requiritur. Ad hypo-
crisin vestram accedit cæcitas. O igitur vos cæ-
ci qui hac decimatione vestra, perinde faci-
tis, ut si quis culicem excolaret, camelum, in-
25. gentem bestiam devoraret. Væ vobis Scribis &
Pharisæis hypocritis, qui multam operam in la-
vandis poculis & patinis collocatis, ne illorum
immunditie polluamini, cum potus & cibi,
quibus implentur, insigni fraude & avaritia
comparentur, & ad prodigiosum luxum &
26. intemperantiam destinentur. Cæce Pharisæe
ante omnia da operam ut quæ intus sunt pura
& munda fiant: sic fiet ut eadem opera quæ
27. sunt foris pura omnia futura sint. Væ vobis
Scribis & Pharisæis Hypocritis, ut qui sepul-
chrorum expressam imaginem geritis, quæ fo-
ris aspectu jucunda apparent, cum intus in
ipsis conceptaculis omnia putridis ossibus &
28. fœdissimis rebus scatent. Haud secus vos ex-
terna specie justi apparetis, cum intus in ani-
29. mo Hypocrisi & iniquitate referti sitis. Vobis

porro Scribis & Pharisæis hypocriseos vestræ
nomine æternam maledictionem denuntio, vel
hoc ipso quod magnos sumptus facitis ut in
exstruendis Prophetarum veterum sepul-
chris, ita in justorum sepulchris prius exstru-
ctis, affabre exornandis: perinde ac si probe
vobis cum illorum doctrina conveniret. Ac- 30.
cedit porro ad hanc in factis, una in verbis
vestris simulatio. Dicitis etenim si patrum no-
strorum ætate fuissemus, in societatem effusi
sanguinis Prophetarum cum illis non venisse-
mus, quos pro virili à mortis supplicio vindi-
cassemus. Quod datis accipio, scilicet proprio & 31.
vestro testimonio vos esse filios eorum, qui Pro-
phetas interfecerunt. Agedum ergo & vos, 32.
& intestinum vestrum in eandem veritatem,
quam veteres Prophetæ prædicarunt & literis
consignarunt, odium exercete, & (siquidem
sic facere animo vestro designastis) quam pa-
tres vestri effusi sanguinis innoxii mensuram
inchoarunt, illam vos ad summum complete.
Cum igitur propter cruentum & sanguinolen- 33.
tum animum vestrum, non ita multo post pa-
lam prodendum & declarandum, jure optimo
serpentes censeamini, cumque à serpentino
genere oriundi, sanguinis per patres effusi
(quorum vestigiis insistitis) rei sitis: dicite, quæ-
so, quodnam ab æterno inferorum supplicio, vos
effugium manet? Quamobrem ad id quod di- 34.
cturus sum, tanquam ad rem omni admira-
tione majorem, animum advertite. Mitto ad
vos Prophetas (quorum studio vos teneri si-
mulatis) mitto in mysteriis regni cœlorum pe-
ritissimos, mitto alios, qui doctrinam quam vo-
ce promulgabunt, scriptis consignabunt. Ex his
partem interficietis & in crucem agetis, par-
tem in Synagogis flagris cædetis, partem deni-
que se fuga ex urbibus eripientes, vesano furo-
re perciti, relictis familiis vestris ab urbe in
urbem infestabimini, ut comprehensos crudeli-
ter & contumeliose tractetis. Sic fiet ut pœnas
luatis universi sanguinis effusi in terra, initio 35.
sumpto à sanguine justi illius Abelis, usque ad
sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, in quo pro-
pterea desino, non quod sanguinis Ioannis Ba-
ptistæ & aliorum rei non estis & pœnas non
dabitis, sed propter facinus ante inauditum:
utpote quem vos etiam (quia cum patribus
scelere vos consociatis) inter templum & alta-
ra interfecistis. Hoc autem horrendum in vos
judicium, dubio omni procul vobis superven- 36.
turum ante ætatem hanc plene exactam: ut
ex vobis qui jam vivitis non desint, qui hanc
tam tristem & formidabilem cladem oculis
intuebuntur.

De 3. postremis hujus capitis versibus Metaphrasim pete ex Luc.15. vers.34,35.

PRAXIS.

SVmma, Christus sceleribus, quæ patrarunt Pharisæi & Scribæ, maledictionem denuncians, quando & in quos præcipue illa stringetur declarat.

Partes, { Denunciatio divinæ maledictionis ob certa quædam immania scelera.
Designatio temporis & personarum, quibus maledictiones illæ potissimum executioni mandentur. }

Cur maledictionum Christus in Pharisæos vibret; Istas maledictiones in Scribas, &c. vibravit, non modo ut eis divinæ iræ sensum incuteret, sed etiam ut discipulos ab iisdem criminibus absterreret, quod inde liquet quod hunc sermonem ad turbam & discipulos habitum fuisse, narrat Euangelista. *vers.*1. Vide *Gal.*5,10,12. & 2 *Cor.*10. ubi Apostolus quodammodo transfert comminationem divinæ iræ ad impostores, Ecclesiæ errore abductæ parcens, ac si parens omnes filios auditum aut spectatum convocaret, cum servo interminari aut supplicio graviore eum afficere constituit. Hoc nos doceat, ut cum Ecclesiastem in *Pontificios* aut alios Ecclesiæ hostes invehentem audimus; illa ad nos etiam spectare putemus, ut ab eorum corruptelis abhorreamus, & mærore afficiamur, si quando, &c.

omnium opinione beatos; *Nota*, maledictos à Christo pronunciari quibus omnes, omnia bona precabantur, & qui omnium opinione, sua potissimum, beatissimi erant & hac, & futura vita. Sæpe enim Deo abominabile est, quod est hominibus gloriosum. *Luc.*16.

Quæ maledictio intus eos erosit. Maledictio hæc exterius non visebatur; tamen ut tinea eos erosit & exedebat quotidie, dum cæciores & obfirmatiores facti sunt. Sicut enim non semper optimi sunt illi porci qui pinguissimi, quod sæpe pustularum & variolorum morbo laborent, sic in impiis fit quibus omnia prospere succedunt. Eliphaz *Iob.*4. dixit se pronunciasse improbum exsecrandum, etiam dum vireret, &c. sic Christus istos. Nemo igitur sibi placeat quod se intelligat multis probari (non enim laude dignus est qui hominibus, sed qui Deo probatur *Rom.*2) aut quod omnia prospere succedant, &c. Hæc de maledictione in genere,

Vers.13. Claves ministerii & scientiæ *Luc.*11,52. illis ad aperiendum cœlum concessas, ad claudendum, &c. hoc autem fiebat inscitia legis, cujus ne mediam quidem partem tenebant, *Matt.*5.& omittendo, & errores admiscendo. Sic qui debebant cœlum ingredi, aliis ad intrandum viam munire, & nolentes quodammodo perpellere; hi nec veram doctrinam proponendo, & falsam promulgando, & venientes ad Christum excommunicando, seipsos & suæ curæ commissos excludebant. Hic *notatur*, 1. infelicitas naturæ nostræ, quibus cælum propter peccatum occlusum est. 2. ministerii vis & necessitas, quo cœlum aperitur, alioqui clausum & obseratum, & angelorum veluti flammanti gladio observatum. Omnes studiose ejus gratiam ambiunt qui in familia ampliore claves gerit. Vide quanta contentione omnes non modo Aegyptii, sed & finitimæ regiones Iosephum frumento præfectum circumsistebant; sic regis frumentario. 2 *Reg.*7. tanta contentione, ut ab iis plane opprimeretur; quanto magis ministri adeundi, quibus clavis non tantum frumenti, sed & vestium, Pharmacorum, denique omnium concreditur. *Quo pacto Pharisæi regnum Dei claudant.*

Hic vide quantũ Ecclesiæ interest, Deum serio comprecari ut ipse & fidos ministros emittat & eos Spiritu suo regat, ne pastoris loco lupus aut pardus *Ier.*5,6. qui ovibus ingredientibus & egredientibus insidietur, quod ab his factum est. Quanta est hominum oscitantia, qui plus curæ & operæ ponunt in opilione aut architecto, aut servo, quam in ministro fido quærendo.

Quod volentes ingredi, non sunt ingressi tamen (quod liquidius apparet *Luc.*13,24.) nos admonet non esse satis velle intrare (quis enim tam impius est qui nollet servari? vide exemplum Balami) nisi operam strenuam navemus & omnia impedimenta superemus.

Simulatæ pietatis causam unam supra attigerat, nempe gloriolæ aucupationem; nunc alteram, &c. nempe avaritiam, quoniam autem viris non tam facile imponitur, ad infirmiorem sexum (ut olim Sathan *Gen.*3.) se conferunt: quoniam autem conjugatæ aut virgines nihil aut parum erogare possunt sine consensu maritorum & patrum; ideo viduas adoriuntur. Emphasin habet quod *domos devorare* dicit, non tantum pecuniam & suppellectilem; ut balenæ illos assimilet quæ ore in immensum distento, res maximæ molis absorbet. Vers.14. *Pharisæorum hypocrisis, dum viduis imponunt;*

Per speciem prolixæ precationis.] Illis spem facientes, *idque pie-*

tatis specie. facientes, fore ut illæ omnium precularum quas ipsi effunderent, participes forent.

Hi lucrum pietatem judicant. 1 *Tim.6,5.* religionem quæstu metiuntur, illam cultus rationem ineunt, quæ maxime ad quæstum compendiosa est. Tales sunt *Iesuitæ.*

Omnis expilatio Deo odiosa, viduarum præsertim, maxime vero quæ religionis specie admittitur. Hinc gravius judicium, sacrosancto enim Dei nomine in precibus ad quæstum abutentes, severius à Deo puniuntur. Hinc discant mulieres caute ambulare ne circumveniantur à diabolo, memores suæ imbecillitatis. Item juvenes (non enim est dissimilis eorum ratio) quorum proprium quoddam vitium est temeritas & inconstantia. Hinc Paulus ad Timotheum hortatur *juveniles cupiditates devitare.* Vide 1 *Ioh.2,15.*

Non abutendum cultu divino ad fallacias. Gravius puniendi quod per speciem pietatis, &c. Publicani avari erant; sed &c. Cavendum ergo ne pietatis exercitiis hoc animo interfimus, ut eo facilius fallamus. Cujusmodi sunt qui juramento ad fallendum abutuntur, aut qui a juramento prorsus abstinent, ut &c. Sicut enim Ioabi Abner homicidium & Iudæ proditio eo nomine detestaboliora sunt, quod per speciem amicitiæ, &c. sic, &c.

Vers. 15. Pharisæi Proselytos facientes in damnationem eos trahunt: *Prolepsis* Magno religionis ardore flagrare, nullum non lapidem movere ut proselytam, &c. *Resp.* 1. eos in vera religione informare, nec potuerunt, nec multum curarunt, si ceremoniarum observationem excipias. Malo vitæ exemplo illis nocuerunt: timore cultus idololatriæ excusso, timorem Dei non imbuerunt: unde perruptis omnibus pietatis & justitiæ repagulis, &c. interdum etiam religionis (ex depravatis Pharisæorum moribus) tædio correpti, ad veterem vomitum redierunt. Hinc duplo magis, &c. In quo tanto horribilior est eorum condemnatio, qui veram religionem profitentes, ejus dulcedine capti non sunt, cũ tamen omni ex parte dissimilis est suæ quam repetunt superstitionis; ut nisi omni judicio destituerentur, hanc illi non præferrent.

Hos Pharisæos *Iesuitæ* imitantur, qui terra marique circumeunt, ut ex Iudæo aut Turca; unum Pseudo-catholicum, &c. quique gloriantur se totas insulas novi orbis ad fidem Christi perduxisse.

In quo etiam peccant, quod sine mandato Dei eos converterunt. *Quærendum* hic, an non hoc ipso nomine damnarentur, quod in id incumbebant, ut proselytas, &c. quandoquidem Gentibus ante Christi adventum nullus locus erat, nisi fama bonitatis Dei in populum suum pertraherentur. vide *Zach.*8. unde nec Elias ad viduam Sareptanam, nec Ionas ad Ninivitas profecti sunt, nisi expresso Dei mandato, &c. nec Elizæus de religione quicquam Syro dixit, nisi quoad ipse de ea re quærebat, verum quidem est pios sub lege Gentium vocationem optasse, & pro illa Deum orasse, sed, &c. Ex quo constat omnem laborem & diligentiam voluntariam quæ à Deo minime præcipitur, Deo ingratam esse, quamcunque pietatis aut charitatis speciem habeat.

Hinc apparet quam necessarium est, ut qui à *Pontificia* religione ad veram transeunt; non tantum ab idolis avertantur, sed ad verum Deum revertantur. 1 *Thess.1,9.* eoque plene & solide in veræ religionis summa informentur, ne ab agnita veritate resiliant. *Heb.5.* & *6.* item ut veritatis studio teneantur; ne post deficiant. 2 *Thess.2.*

Proselytorum conditio. Rabbini dicunt iis majus onus cæremoniarum impositum fuisse quam Iudæis, ut hoc modo in Iudaica religione facilius continerentur, unde factum est, ut earum frequenti violatione (cauterio abscissa conscientia) se in omne scelus profunderent.

Hinc porro constat Gentes antequam ad Ecclesiam aggregarentur filios Gehennæ fuisse. vide *Ephes.2.*

Externa fidei professio, si sola sit, plus nocet. Item eos qui in externa Euangelii professione hærentes, re non exprimunt, &c. longe deteriore conditione esse, quam ante fuerant: ut enim sus lota ad volutabrum rediens, plus cœni contrahit, quam si nunquam lota fuisset, & ut canis ad vomitum rediens magis ægrotat & torquetur, &c. sic, &c. Quo quis altius scandit, eo horribiliore casu, &c. si præcipitetur: ut aquæ ex alto, &c. Hinc discant ministri non tam in eo sudare ut multos discipulos concilient; quam ut probe edoctos, &c. ut enim paucæ oves bene pastæ & curatæ, plus lanæ, & fæturæ, &c. quam multæ neglectæ & macilentæ; sic, &c.

Hinc etiam liquet inique religionem veram in invidiam vocari quod quidam à *Pontificiis* ad nostram translati, post gravioribus sceleribus se constringunt quam ante, non minus quam Gentes Iudaicam religionem improbare poterant, quod, &c. leges sapienter latæ non damnantur, si quis flagitiosus civis existat; aut sapienter latæ non damnantur si quis flagitiosius civis existat, aut si magistratus dissolutus, omnia pessum ire sinat, &c. sic &c. Libertas Euangelii nemini licentiæ habenas laxat, &c. Vide 1 *Pet.2,16.*

Vers. 16, &c. *Pharisæorum peccatum in juramentis:*

Hypocrisi porro eorum inscitiam & cæcitatem adjungit qui aliis duces, &c.

Primo, quorundam juramentorum nullam rationem habebant, unde homines callum in peccatis ita contrahebant, ut nec fontem divinæ misericordiæ adirent, nec vitæ emendationi studere possent. *Secundo*, in juramentis expendendis statera dolosa usi sunt, majora æstimantes, quod, &c. Hic etiam eos perstringit quod a nomine Iehova pronunciando aut legendo superstitiose refugientes, creaturas in quibus Dei nomen insculptum est ad juramenti religionem transferrent. Horum discipuli sunt qui inter nos nonnullorum juramentorum religionem parvi æstimant. *Per fidem, ita me Deus adjuvet, vel judicet, age Dei nomine*, de iis quæ illicita putamus, vide *Ecclesiast.* qui timet à juramento, *Ierem.* 4. ne temere, &c. & mandatum *non assumes nomen Domini in vanum.*

Quæstio de juramentorum gradu non inutilis erat, sed in ea error turpis, cujus rationem assignat, quod templum, &c. sic inter nos quidam *as I am a true man, of mine honour, as I am a gentleman*, juramentum per fidem aut honorem suum vero etiam juramento per Dei nomen sanctius & augustius putant, saltem in rebus gravioribus istis formis utuntur, præferuntque, &c.

Notandum verisimile esse Pharisæos in hunc errorem avaritia & pecuniam contrahendi studio, incidisse. Nam hoc modo populus promptior reddebatur, ad aurum conferendum & sacrificia numerosa conferenda; quod illa existimabant in pretio maximo esse. Sic Avaritia & studium consectandi dona sapientum oculos oblinere solet.

Sicut autem dicit eum qui per templum, per altare, &c. jurat, per ea etiam jurare quæ illis annectuntur aut imponuntur, sic itidem de fidei juramento, aut sacramentorum dici posse videtur.

Vltimum est, quod sicut per creaturas temere, &c. sic erat in quo superstitiosi, &c. sic *Matth.* 5. Huic superstitioni opponatur prophanus quorundam animus, qui Dei nominibus in scriptura usitatis non contenti alia juramenta excogitant.

Hinc videtur juramentum per creaturas (modo debite & mature) non esse illicitum, neque enim Christus has formulas reprehendit; nec cæcitatem illis exprobat, quod, &c. sed quod secus illis uterentur quam decuit: ratio quod in creaturis Dei gloria elucescente, non tam illæ, quam Deus in illis testis adhibetur.

Vers. 23. *Præceptorum minutiorum observatio, & majorum neglectus:*

Maledictionem illis denunciat, quod gravioribus neglectis, &c. atque hoc dupliciter, 1 à specie; ex legis præscripto, quod oleracea studiose decimantes, &c. majoris precii decimas agnos, vitulos, &c. à Levitis interverterunt: 2. à comparatione ex communi hominum usu, qui periculum mortis ex culicis deglutione metuentes, à cameli devoratione non reformidabant. Insignis autem est hypocrisis ejus amorem præ se ferre cujus maximis & gravissimis præceptis operam non dat. Insolens cæcitas non videre curæ esse oportere maxima, cum ne minima quidem prætermittenda sunt: non quod levissima studiose consectari; aut à minimo malo declinare, in vitio sit: sed quod cum graviorum contemptu hoc fiat, illud demum est quod damnatur.

Hinc constat quodque Dei mandatum ut maximum est; ita potissimum omnes nervos in illud intendendos esse. *Phil.* 3, 11, 14. ut si quis onus grave subiturus, sese cibo, potu, &c. corroboraret ut &c. aut ut rem concupitam attingeret, summis pedum digitis inniteretur &c. contra quam a plerisque fit, qui si quid difficilioris provinciæ a Deo mandatur, & ad quod præstandum affectus animi recte constringendi sunt & cohibendi, ut si quod periculi, famæ, rei familiaris, vitæ, &c. ejus ilico curam omnem abjiciunt; interim tamen ne prophani videantur ea studiose consectantur quæ facilia. &c. ut verbum audire, sacramenta communicare, &c.

Isti cæremoniales leges, sacrificia, &c. studiose observabant, & urgebant, adjectis gravissimis comminationibus; interim Dei timorem lente & frigide exegerunt: Sabbathi minimam violationem, &c. animi & affectuum perturbatos motus in se & aliis æque tulerunt: duorum millium confectione iter Sabbathi definiebant; interim per totum pene Sabbathum turpi ex sacrificiis lucro inhibebant, mercatum in templo exercuerunt, & templum in emporium aut bursam (ut vocant) commutarunt. Bovem ex labore fatigationem Sabbatho subire tum indigne ferebant: interim fratrem inedia & fame cruciari siccis oculis, &c.

His sacrificiis & corporeis exercitiis opponit *Esaias* 1. judicium *Oseas* 6. misericordiam. *Zachar.* 8. Veritatem in dictis, quæ eadem est cum fide cujus hic meminit Christus. Vide. *Mich.* 6.

Hæc

Quod peccatum in Papatu etiam viget.

Hæc hypocrisis in Papatu viget, qui gravius ulciscuntur minimæ ceremoniolæ transgressionem, puta si quis lustralem aquam & panem benedictum accipere oblitus sit, si quis famelicus succidiæ portiunculam die veneris aut Sabbathi comederit, si sacerdos comam nutriat, &c. quam si Deum blasphemiis pejerasset, fratrem occidisset, adulterium commisisset, &c.

Nec non inter Evangelicos.

Sed nec quidam Euangelici hac culpa vacant, qui suorum decretorum violationem severius & atrocius ulciscuntur, quam, &c. Alii æquitatem & humanitatem in fratres colentes, veram Dei notitiam & cultū aspernantur, sibi & familiæ de rebus terrestribus prospicientes; de regno cœlorum nulla cura ducuntur. Concioni, precibus, &c. assistentes animum & cogitationem in rationibus, in mercibus, &c. Non audimus, sed & animum advertimus; re tamen & factis non præstamus: non est istud mentham decimare, &c Totos annos odio in fratres flagrantes ad conciones & preces indies accedere non verentur, idem tamen semel in sacramentorum perceptione factitare piaculum judicamus: quæ est ista cum hypocrisi cæcitas. Fratrem periclitantem & in foveam cadentem non admonere inhumanum & crudele judicamus; in foveam peccati casurum non admonemus, lapsum non erigimus. Si quis furtim manus in alterius loculos immittens, solidum unum extrahat, omnes ilico manibus complodunt, cruce dignum clamitant, &c. interim si quis in negotiando, dolose, mercium corruptela, pretii longe maximi excessu 20. libras emungat, nemo illi vitio vertit, nemo ex tali facto rubore perfunditur. Si quis furtim fratris bovem, &c. seu servum blandis pollicitationibus ablegerit; imo filiam è gremio & sedibus parentum avulserit, odio non habetur, interdum laudibus ornatur. Hæc quid aliud sunt quam culicem excolare, &c. mentham decimare, &c.

Discendum igitur non modo quid sanctum & prophanum, sed quid sanctius, quid sanctissimum, &c.

Minimorum præceptorum tamen necessaria observatio.

Hæc oportet facere.] Notatur Christum minutorum observationem non reprehendere, imo requirere. *Matth* 5,19. *Eph.* 5,15. Exempla vide in Christo *Matt.* 18. David *Psal* 119. qui se omnia Dei præcepta observaturū dicit *Gal.* 2. ὀρθοποδεῖν. in Zacharia & uxore *Luc.* 1,20. in Mose, qui ne ungulam, &c. Hic enim locum habet Proverbium, ne latum unguem, ne grani aut capilli magnitudo.

Hinc constat quam inique à plerisque accusamur quod in rebus minimis hæremus, &c. hinc scrupulosi & superstitiosi vocantur qui &c. ut si joculare aut officiosum (quod vocant) mendacium non probant, unum aut alterum vini cantharum plus justo sumere, recusant: sed considerandum minimu peccatū, 1. in infinitam Dei justitiam ferri; 2. mortem æternam promereri, eamque sine resipiscentia, accersere, 3. in Christo gravissima pœna vindicatū esse, 4. Sathanam hoc modo ad atrociora deducere, donec tandem in profundum, &c. unde non datur reditus. Hinc osculis, tripudiis, amplexibus, contrectationibus, post ad adulteria patent portæ. Hinc Salomon, postquam sibi consuetudinem cum idololatris uxoribus indulsisset, tandem in idololatriam prolapsus est, & à Deo defecit, sicut enim laceræ vestes, nisi statim resarciantur ad majorem fissuram, &c. sic, &c. unde etiam peccatum fallax & insidiosum dicitur.

Exteriorem poculi partem.] Non tantum hypocrisin, sed & cæcitatem exagitat, quod non tantum majorem externorum quam intestinorum rationem habebant; sed quod ordine inverso ab externa purgatione incipiebant, &c. cum corde purgato, purgantur externa; non contra: imo si ab externis incipias, externa corrupta manebunt, imo hominem adhuc contaminatiorem reddent. Hoc probatur *Matth.* 12,35. Radix enim si amara sit, ecquis fructus dulces, &c. an ex tribulis uvas, &c. *Matth.* 7. quare *ante omnia cor custodiendum, Pro.* 4,23. Sicut enim fontes sollicite observantur, ne sordibus incidentibus, sic, &c. & sicut illa castri pars quæ reliquis imperat, studiose servatur, ut qua amissa, reliquæ, &c. Hinc liquet splendidissima infidelium opera, peccata esse, utpote quorum corda non mundantur, &c.

Vers. 25, 26. Hypocrisis externa purgat, interna negligit.

Hanc hypocrisin iterata maledictione atrociorem reddit, nova similitudine exornat, & fœtoris circumstantia exaggerat: *similes sepulchris, &c.* quo facto videntur ipsi sibi suæ impietatis conscii: ut enim fœmina cum faciem inficit, propriæ turpitudinis conscia est, quam hoc modo ab hominum oculis, &c. sic, &c. Sic Pontificia religio in se tetra & horrida, multis serici, auri, jejunii, simulationibus dealbatur. Hinc meretrix Babylonia purpura, auro, &c. nitet. Contra, Euangelium nativa sua pulchritudine contentum illos fucos respuit. Vide 2 *Cor.* 4,2.

Vers. 27, 28. Quod similitudine illustratur.

Ædificatis sepulchra Prophetarū, &c.] Observan-

Vers. 29, &c.

Deus impiorum officio utitur ut piis benefaciat. *servandum* Deum qui istorum memoriam perpetuam fore promisit, istud hostium suorum infensissimorum opera præstare. Quod nos doceat ne honoris appetentiores simus, sed placide Dei promissa expectemus, qui tot vias habeat, &c. Huc spectant quæ per Cyrum, Artaxerxem, Darium, erga Dei populum præstita sunt, quorum unus (Artaxerxes) populum suum depressit, ut Dei populum in summo honoris fastigio collocaret: sic lupi opiliones fiunt; non tantum (ut Paulus) mutata animi sanguinolenti feritate, sed & manente adhuc, &c. & leones qui homines vorant, mel hominibus pascendis suggerunt. Idem ad avaritiæ morbum curandum adferri debet. Impii enim pecuniam, vestes, &c. pro piis porrigunt. *Iob.* 27, 16, 17. simulque piorum mancipia sunt, ut hic illi sit pro colono, alter pro vinitore, tertius pro messore, &c. contra pii ex legis promisso in Christo præstito, proprios fructus sementemque percipient.

Notandum istos, utcumque doctos & in lege versatos, sibi tamen ipsis imposuisse; sibi enim in animum induxerant se Prophetarum amore teneri, eoque Dei ipsius, cui deserviebant, ex minutis istis in defunctos officiis; nec tamen distiterunt his Prophetis hostes infensissimi esse, utpote quorum doctrinam aspernabantur, &c. & quos procul dubio ipsi interfecissent, si in illorum tempora incidissent. Sic hodie multi reverenter de Martyribus loquuntur, &c. qui tamen eorum doctrinam & discipul. &c. Quare exploremus nos, &c. profundum est cor hominis, multi sunt animi recessus, abditæ speluncæ & latebræ, &c.

Hypocriseos detegendæ facilitas. *Nota* quam facile Deo sit, atq; adeo hominibus, diligenter tectam hypocrisim in lucē educere; sæpe enim propria confessione, &c. servum inertem *Matth.* 25. In hoc isti *Pontificiis* præponendi sunt, quod isti patrum suorum facta verbis damnarunt. *Pontificii* patrum suorum scelera laudibus efferunt. Peccatum autem in hoc est, quod majorum exempla verbo tenus damnata, re & factis comprobarunt.

Observandum quemque ut serius nascitur, ita graviorem sibi condemnationem consciscere, nisi à superiorum temporum corruptelis, &c. ut enim in terra prius fermentata ejus conditio pejor est, qui postremus vestigia ponit, si iisdem vestigiis incedat: sic, &c. Quod vel ex hoc confirmatur, quod Sathan sub fine mundi solutus, grassatur & sudat vel maxime, ut quamplurimos perdat.

Impietatem parentum & filiorum certis mensurarum vasculis asservatis comparat, quorum bonam partem cum majores compleverint, reliquum à filiis, &c. ita tota quanta quanta essent, in filios effunderentur. Hic iræ divinæ thesaurus, cum tam avide per tot secula coacervatus est, quærit quo modo tantam iræ divinæ molem effugiant: cum non tantum ipsi serpentes sint, sed & fœtus etiam serpentum. Vers. 32, 33. *Impietatis mensura.*

Hæc mensuræ similitudo peccandi sitim restinguere debet: scelera enim in propriam perniciem coacervata sunt; in proprium caput tandem effundenda: quo enim plus peccamus, eo citius mensura complebitur, &c. Ista autem inveterata peccata raro condonantur: quare pedem cito retrahas.

Eos autem justitia Dei citius opprimet, quorum peccata majorum suorum peccata excipientia, in unam mensuram conjiciuntur: mensura enim media parte ab antecessoribus impleta, otio, &c. majorum in vestigiis insistentes, eorum peccata approbantes, sua faciunt.

Hinc constat cuique vel maxime impio certam impietatis mensuram demensam esse, cujus cancellis egredi non possit: sic Sathan primo solutæ catenæ, post contrahuntur; & impiorum tyrannis funibus comparata, quibus isti tanquam in novali trahunt & à Deo abscindi dicuntur. *Psal.* 129. Hoc nos plurimum reficiat adversus Ecclesiæ calamitates, &c.

Serpentes vocat, &c. ac si illud parum fuisset ad eorum pervicaciam describendam *viperæ fœtus, &c.* cujus morsus insanabilis est. Cum autem serpentes sint, non esse illis expectandum aliud prœmiū quam quod serpenti veteri qui Evam, &c. contigit. Isti autem doctrinæ & morum corruptela, suæ fidei commissos, lethaliter pupugerunt, accurata ergo resipiscentia opus esse, ut &c. Horum stimulus tanto nocentior serpentis aculeo, quo se clam infert, nec sentitur, &c. *Cur Pharisæi Serpentes vocati.*

Hinc constat quantum periculum insit in falso Doctore. Non est igitur res ludibunda, purus ne sit an corruptus minister qui nobis præficitur, nisi forte placeat cum serpentibus & viperis lusitare.

Hoc item latius spectat, nosque admonet ab ebriorum, avarorum, scortatorum, &c. consuetudine abstinere, nisi &c. præsertim vero istud in domesticis, atque adeo uxore caven-

cavendum; quam enim periculosum est viperam in sinu fovere?

Vers. 34. *Quorundam damnationem auget Euangelii prædicatio.*

Hinc liquet Prophetas interdum ad populum mitti, non quo illis gratificetur Deus, sed ut eorum impietatem gravius ulciscatur. vide *Esa.6.* ad excæcandum oculos. Potior ergo est eorum conditio, ad quos Apostoli per Spiritum jussi sunt, ne Euangelizarent *Actor.16.* quam eorum quibus Euangelium profuse prædicatum est, &c.

Cum exitium toti Iudææ denunciasset, singulare quoddam Hierosolymæ denunciat exitii & internecionis genus, ex insolito eorum peccato profectum.

Vbi consideratur { Causa calamitatis. Calamitas ipsa.

In causa consideratur. { Fœderis divini violatio. Crudelis obstinatio.

Vers. 37. *Privilegia à defectione vel pœna defectionis non eximunt.*

Videtur anticipare quod Scribæ & Pharisæi objicere parati essent, nempe Hierosolymam urbem religionis ergo erectam, &c. hac illuvione divini judicii non esse evertendam, utcunque reliquæ reipublicæ, urbes & pagi, &c. Respondet, imo illa cumprimis: &c. *primo*, quod multis privilegiis præ cæteris ornata esset; *secundo*, quod Prophetarum ad eam legatorum admonitionibus, non modo non se retexuit, sed deterior, &c. Hinc constat nullius loci tam ampla esse privilegia quæ illum vel à defectione, vel à defectionis pœna eximant: quæ enim urbs unquam huic æquata est? Romæ igitur gloriatio vana est. *Ier.7.* Iudæos ad *Shiluntem* mittit, qui urbi & templo confiderent: sic nos Romanos ad Hierosolymam. Veteris Babiloniæ Euphrates, qui profundissimus olim fluvius extitit, aquarum derivatione ita exhaustus est, ut in vadum redactus sit; nedum Romanus Tyber. Sacerdos Levita, Christi typus à defectione immunis non erat, nedum vos sacrificuli Romani.

Hoc sæpius conspicitur, ut qui maximis à Deo beneficiis affecti, &c. turpissime prolabantur. Exempla existunt in Davide, Salomone, Tyro, Capernaumo. Homines enim his privilegiis inflati, in Deum inofficiosi, in homines superbi existunt. Vide exemplum Israëlitarum, qui saginati recalcitrarunt. Cavendum ergo ne nos qui nitide vestimur, laute præcingimur, imo, inter quos Euangelii pluvia tam copiose, &c. præstitisset enim, &c. nisi, &c.

Alterum quod illis objicitur, est crudelis obstinatio, qui de peccatis convicti, non resipuerunt tamen, nec ad Dei vocem qua cœli commoventur contremuerunt. Multa in illa urbe gravia scelera, &c. adulteria, fornicatio, furta, latrocinia, &c. sed hæc omnia tanquam longe minora prætergreditur præ ministerii contemptu. Vide 2 *Reg.* sub finem; ubi Propheta tanquam regius procurator, prætermissis reliquis, unum hoc urget.

Huc accedit sanguinarius animus, eos lacerandi, qui, &c. non satis habentes, margaritas ut porci pedibus conterere; nisi ut canes, &c.

Hierosolyma, Hierosolyma!] Ista ingeminatione commiserationem indicat, & quam invite hanc sententiam in illos ferebat, utcunque deploratos Dei hostes: etsi enim sibi ex legationis ratione incumbebat, ut, &c. tamen quia homines erant, & Deo confœderati, &c. sic Ieremias cupit aquarum rivos, &c. sic Paulus 2 *Cor.*2,4. & *Rom.*9. Ministros ergo ita affectos esse oportet, ut unum oculum adversus populum obfirment ne ullam commiserationem admittant, alterum in lachrymas & lamenta resolutũ &c. nec carnifices & lictores imitari, quibus gratum est lucelli sui causa, &c. nec lanios, quibus frequenti mactatione omnis commiserationis sensus evanescit. Hoc item ad judices erga reos; & dominos erga servos accommodandũ. *Quid Ministro animi esse debeat:*

Hinc etiam intelligimus, quo animo auditores esse oportet erga suos Ministros; non ut illos existiment objurgationibus, comminationibus, &c. delectari; sed muneris sui ratione ad hoc quodammodo invitos trahi, non secus quam olim Abrahamus ad Isaaci filii immolationem. *quid auditoribus.*

Ποσάκις.] Notat cum incredibili sua erga eos tolerantia, eorum obstinatam animi obdurationem; quod idem parabola *Matt.*21. luculenter exprimitur. Item typo apud Ezechielem quo Deus in alterum latus multos annos incubuisse declaratur. Eoque docemur homines Dei longanimitate ad peccata certatim patranda abutentes, sibi thesaurum divinæ iræ colligere, *Rom.*2. ut melius fuisset illis, si primo quoque peccato periissent, quam peccati filum ulterius producere: quanto enim gravius pondus peccati contrahunt, tanto profundius in barathrum deprimentur: quo graviorem peccati fœtorem peccandi consuetudine conflaverint, eo longius à cœlesti Ierusalem & terra veræ Cananææ submovendi sunt: quo propius ad diabolum impietate & improbitate accedunt, eo erunt illi in peccati pœna associandi magis. Qui vero in hac Dei dilatione oblectant, *Longanimitate Dei abutentes thesaurum iræ colligunt.*

illis assimilari queunt, qui ad præstitutum tempus æs non dissolventes, postridie illius diei dupli tenentur. Et pueros insipientes imitantur, qui pœnas commeriti, cras malunt duas, quam hodie unam plagam accipere.

Deus non simulate vult.

Volui.] *Nota*, Deum tum velle nos servare, cum suos ad nos legatos mittere dignatur: nobis non illudere, sed re ipsa præstare velle dici debet, quod verbo promittit, modo ad gratiam amplectendam idonei sint. Certum enim est, nullius hominis arbitratu institui aut instrui verbi præconium, sed mero Dei beneplacito. Vide *Act.cap.16, vers.6,7.* Etsi enim homines sæpe aliud verbis proponant, aliud animis designent; ea tamen simulatio in Deum non cadit. Quod ex adversis arguitur, quod deploratis hominibus & quos nulla misericordia prosequitur, verbi præconium ipsemet parabolis subduxit: & Apostolis hoc præcipit, *ne date quod sanctum est canibus, &c. Matth.* 7. Hoc est igitur tempus acceptum, &c.

Quæstio: Quo modo ergo perierunt, quos Deus voluit salvos fieri?

Respondeo: voluntas alia est { Præcepti, revelata, antecedens. / Beneplaciti, arcana, consequens.

Rex vult omnes subditos salvos, tamen ob scelera & proditionem comprehensos non vult a legis pœna eximi. Pater vult filium hæredem fieri, tamen decoctorem exhæredatum esse vult, & hæreditatem ad alium remotiorem transferri. Danda ergo opera, ut in iis studium ponamus, quæ nobis revelantur. *Arcana Deo: revelata nobis, &c. Deut.*29,29.

Quemadmodum gallina, &c.] Nullum pæne est animal quod suos fœtus non chare complectitur. Inter animalia aves; inter aves gallina στοργῇ excellit; ut quæ pro pullitiei salute non dubitat cum milvo, aquila, cane, &c. iniquo & impari prælio congredi. Hoc Dei amorem mire explicat. *Esa.*65,2. *Totum diem expandi manus, &c.* Sicut parentum amor erga liberos, &c. *Psal.*103. imo longe superat, &c. nec mirum: Deus enim qui aliis rebus omnibus summum amorem indidit, multo magis ipse hac animi propensione erga suos, &c. Contra vero, quanta sit nostra inscitia & incuria, hinc cogitari potest, quod prudentia ab ipsis avibus superamur. Aves futuram tempestatem præsentientes, ad perfugium & *asylum* confugiunt, *Ier.9.* nos vero, &c.

Evangelii fructus.

Observa, Fructum Euangelii prædicati, quo, veluti pulli sub gallinæ alis, fovemur & tuti sumus, & cum incrementum accipimus, tum detrimenti nihil patimur, modo fide ad Dei alas recurramus, nosque ejus protectioni subjiciamus. Contra vero, nudati hoc patrocinio, perinde sumus atque pulli minutuli, milvorum & aquilarum unguibus expositi, &c. Amota enim Dei protectione, integra regna, tanquam nidus à matre desertus, auferuntur. *Esai.* 10. Etsi enim in unam urbem, legem, principem coalescamus, tamen nisi per Euangelii præconium colligamur, instar ferarum dissipati manemus, in deserto oberrantes, leonum, luporum, ursorum morsibus expositi, &c. Hinc Christus prædicationem Euangelii, collectionem vocat, qui non colligit mecum, dissipat.

Hactenus de peccato, sequitur pœna, quæ spectat { Hanc vitam. / Futuram.

Vers.38, 39.

Præsentem vitam spectat, quod dicit *domicilium* eorum desertum fore, &c. ante Hierosolyma vocabatur *Civitas regis magni*; & *templum Domus Dei*; nunc *vestra urbs, &c.* ac proinde sibi tuendum ac propugnandum relinqui.

Hierosolymæ exitium.

Quæstio: Sed cur non primo ipsis civibus exitium denunciat? *Respondeo:* Vtrumque facit, ut & cives perdendos & civitatem demoliendam declaret: ac si quis cum pullitie nidum etiam deturbaret.

Hinc liquet nobis fidem amplexantibus, non tantum nos, sed nostra omnia veluti muro cingi; ne aut fera bestia, aut latro perrumpat, *Iob.*1. dum enim nos à Deo tecti sumus, nostra omnia, &c. nec nostra tantum, sed & fidei commissa (ut in Iosepho & Iacobo constat) nisi, quod in Iobo factum est, Deo placuerit periculum de nostra fide & patientia capere. Contra vero, nudati, &c. Hinc Euangelii amplexatio ad pacem urbis pertinere dicitur, *Luc.*19.

Contumacium pœna æterna.

Vsque dum.]Hoc ad vitam futuram spectat quo illis extremũ corporis & animæ exitium denunciat, quasi dicat: vos nunc mei tædet, nec æquis oculis me aspicere sustinetis, quamobrem edico vobis brevi fore, ut à vobis interfectus, à vestro conspectu tantisper me subducam, quoad coram in judicio comparentes, me illum esse conspicietis, cui vos cum aliis, plebe scilicet & puerulis, acclamasse ex usu futurum fuisse confiteri cogemini. Hoc modo notat seram pœnitentiam & inutilem luctum, quem tempestivo mœrore redimere poterant. Veniet igitur tempus cum cogentur

tur impii beatos & perbeatos illos pronunciare, quos contemptui & ludibrio habuerunt; se vero perditissimos; præstitisse nunquam fuisse natos, aut boves fuisse natos, &c. Quamobrem mature resipiscamus. Homines die, juventute, æstate, colligunt, quo se nocte, senectute, hyeme alant: quare cum in sepulchro tanquam nocte atra, senectute decrepita, hyeme intempesta, decumbendum est; omne studium ponendum, omnes nervi intendendi, ut &c. Ad noctem, senectutem, hyemem perventuri sumus, necne, incertum est: sed ad sepulchrum certissime descensuri sumus.

LVC. *cap.* 21, *à vers.* 1, *ad* 5.

RESpiciens vero vidit divites immittentes dona sua in gazophylacium.
2 Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam immittentem illuc minuta æreola *duo.*
3 Et dixit; Vere dico vobis, vidua hæc pauper immisit amplius quam omnes.
4 Nam omnes hi ex eo quod sibi redundat, immiserunt quæ donarent Deo: hæc autem immisit ex penuria sua totum victum quem habebat.

MARC. *cap.* 12, *vers.* 41, *ad finem Capitis.*

41 Et quum sedisset IESVS ex adverso gazophylacii, spectabat quomodo turba immitteret æs in gazophylacium: multi igitur divites injiciebant multa.
42 Et quum venisset quædam vidua pauper, injecit minuta æreola *duo, quod est quadrans.*
43 Tunc ille, *quum advocasset discipulos suos, dixit eis; Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus immisit quam omnes* alii *qui miserunt* pecuniam *in gazophylacium.*
44 Nam omnes ex eo quod ipsis redundat immiserunt: hæc vero è penuria sua immisit omnia quæ habebat, totum nempe *victum suum.*

ANALYSIS.

DEscribitur Christus à suo effecto intuendi eos qui eleëmosynas erogarunt: item à subjecto loco intuitus, nempe sedens ex adverso ærarii templi: describitur item eleëmosyna à subjecto loco in quem eleëmosynas conjiciebant, ærarium templi: item ab efficiente causa, nempe turba; quæ distributione adjunctorum describitur, divitum & pauperum. Divitum autem largitio describitur suo adjuncto, nempe quod multum conferebant.

Vers. 42. Speciem pauperum quamdam exprimit viduam; quæ suo adjuncto dono describitur, nempe duorum minutorum; quæ quadrantem efficiunt.

Vers. 43. Describitur adjunctum intuitus Christi, nempe prædicatio liberalitatis viduæ pauperculæ: quæ amplificatur comparatione minoris, quod omnes divites non tantum conferebant quantum illa. Quod porro confirmatur testimonio vehementis asseverationis.

Vers. 44. Hoc suum præconium confirmat ab adverso, quod divites ex sua abundantia, vidua vero ex sua penuria erogasset: item à disparato quod illa totum quod habuit contulit, illi non item.

METAPHRASIS.

41. *CVm hæc maledictionum tonitrua absolvisset, jamque Ecclesiæ finita concione missio fieret, Iesus ex adverso ærarii templi sedens, sublatis oculis, eos intuitus est, qui in arcam (cui foramen in summitate fuit) ad cultus divini & pauperum subventionem nummos injiciebant. Et divites quidem plerique* 42. *multa conferebant. Venit etiam vidua quædam quæ suæ solitudinis & destitutionis veluti oblita, duo minuta (quæ quadrantem constituunt) in ærarium injecit. His visis, Iesus* 43. *discipulos suos ad se vocans, illis dicit. Quod dicturus sum vobis perquam alienum (scio) videbitur, quod ego vobis extra omnem controversiam verum esse sancte affirmo: hanc pauperem viduam plus in ærarium sacrum contulisse quam illi omnes. Nam divites isti* 44. *opibus affluentes ex illa opulentia ad sacros usus erogantes, multum sibi reliquum domi suæ fecerunt: Hæc vero ex summa sua penuria totum quicquid habet quo vitam sustantare posset, erogavit.*

PRAXIS.

SVmma, Christus inspecta Ecclesiæ totius ad sacrum thesaurum collatione, suum de ea judicium hujusmodi fert, quod hominum sensibus adversatur.

Partes sunt,
- Diligens inspectio collatæ in thesaurum sacrum pecuniæ.
- Christi de eadem collatione judicium.

Vers.41. *Collatio in pauperes vetusta divini cultus appendix.*

In priore observandum partem cultus divini pervetustam esse, post verbi auditionem, & sacras preces, aliquid in pauperum usum erogitare. 2 *Reg*.12,10. Hinc est quod jubetur ne quis coram Domino vacuus appareat. *Exod*.23,15. *&* 34,20. *Deut*.6,17. & 1 *Cor*. 16, 1,2,3. aliquid die dominico seponendum, &c. Hoc modo Deum ex facultatibus nostris honoramus. *Prov*.3,9. & subditi regi munera afferimus (quis autem regi munus vile aut nullius pretii afferat?) fidem in Deum exercemus, dum in ejus benignitate acquiescentes, non dubitamus aliquid conferre ad sacros usus, tam certi nihil nobis defuturum, quam si omnia mordicus retineremus. In fratres charitatem declaramus, dum quod illis deest à nobis suppletur. Hoc eo magis à nobis quam à Iudæis præstandum, quo illis alias oblationes & sacrificia, &c. cum nobis præter hoc sacrificii genus nihil supersit. *Obj*. At ego occulte eleëmosynas confero juxta Christi mandatum *Matth*.6. *Resp*. utrumque præstandum: preces privatæ non excludunt publicas, ita &c. idem de jejunio statuendum.

Cujus Christus semper inspector;

Ἐθεώρει.] *Observa* Christum inspectorem esse oculatissimum eorum quæ in gazophylacium conferuntur: considerare & lustrare cujusque conditionem, dives ne sit, an pauper; donum, magnumne sit an parvum; animum, promptus ne sit an difficilis in dando. Quod si in terris agens præstitit, cum non sine aliquo labore, &c. nedum jam in cœlis cum sine omni difficultate, &c. Quare unusquisque Christum sibi proponat, ut Archiepiscopum, sic Archidiaconum. Diaconis facile fuerit imponere, sed Christo, &c. Magnum est angelos nostræ liberalitatis testes habere; nedum Christum ipsum: longe vero maximum Patrem censorem habere, &c. *Matth*.6. Quare non opus est ut tubam infles, &c. sponte sua adsunt inspectores, &c.

Vers.42. *Qui etiam pauperis viduæ munusculum aspicit.*

Vidit & viduam pauperculam, &c.] Communi sensu videbatur tenuissimam viduam neglecturus, ejusque doni pauperculi nullam rationem habiturus: sed longe secus, &c. In ea tria nobis proponuntur, quæ ejus donum mirifice commendant: 1. Quod fuit fœmina, quæ sexus imbecillitate sæpenumero tenacior existit. Hinc *Luc*.15. gaudium inventæ drachmæ in fœminæ persona proponitur. 2. Quod paupercula, atque ideo ad accipiendum quam ad dandum ideonea magis: 3. Quod vidua, &c. Sed fide in Deum acquiescens, & charitate in proximum flagrans, omnia hæc obstacula facile superavit. Vir igitur prædives & multis amicis tectus, si ad dandum promptus non sit, magna illum infidelitate & perfidia teneri necessum est.

A collatione in ærarium Ecclesiæ nemo excipitur.

Hinc liquet, nullius cujuspiam conditionē tam abjectam esse, qui de collatione in ærariū Ecclesiæ non debeat cogitare, nec quenquam ab hoc Dei cultu excludi, nisi quem propria avaritia pepulerit. Modo enim aliquid conferat, acceptū est pro ratione facultatum. 1 *Cor*.16,2. Hinc est, quod in tabernaculi structura Deus exigebat, non modo aurum, argentum, gemmam, purpuram; sed & capillos hircarum & hædorum, ut pauperes haberent quod afferrent: item quod in lege instituit, ut si quis vitulum afferre nequiret, columbam afferret. Quod hoc exemplo vel maxime illustratur: poterat enim ipsa secum reputare, quid ego pauperibus do, quæ & ipsa paupercula sum? poterant alii illi objicere, aut stultitiam aut inanem jactantiam; quæ jam daret quod mox acceptura esset, sed, &c. Imo ubi promptus est animus, acceptus est, etsi nihil detur. Abraham dicitur Isaacum obtulisse *Iacob*.2. quia animum habuit eum offerendi, &c. David, qui Deo domum ædificare voluit, perinde acceptus est, ac si exstruisset.

Dei benignitas, qui nullius indigens dona tamen accipit.

Hic etiam mirificam Dei benignitatem intueri licet, qui cum nulla re indigeat, sed omnium indigentiæ subveniat, & cujus sunt omnia quæ in cœlis & in terra; tamen dona à nobis profecta benigne accipit. Vide 1 *Chro*.29,10,16. eoque voluit vocari dona Dei, potius quam templi aut pauperum.

Ex quo quantum sit sacrilegii scelus dignoscitur; quum quod à sacris usibus & pauperum subventione subtrahitur, Deo ipsi subtrahitur.

Hinc nostra etiam siccitas arguitur, qui hoc honore à Deo affecti, illum repudiamus, homini mortali non rogati munus astruimus; Deo roganti & obsecranti denegamus. Domino tuo munus instruis quod ad tuum usum non redeat: Deo, qui quod offertur in nostras rationes ponit, non, &c. si enim Paulus captivus & auri indigus, donum tamen à Philippensibus collatum, non tam suo commodo, quam conferentium lucro metiebatur, *Phil*.4,10. quanto magis Deus, &c. Domino tuo ex lectissimis fructibus offers: Deo vero corruptum macilentum, &c. Vide *Genes*.4.

Abel

Abel Deo obtulit ex pinguioribus, &c.

Vers. 43, 44. *Deus eleëmosynas conferentium animos novit.*

Hactenus de inspectione, sequitur ut de collationum judicio, &c.

1. *Observa* Christo omnium eleëmosynas conferentium, cum facultates, tum etiam animum & internas cogitationes notas esse. Nihil ergo lucrantur qui parum dantes, inopiam prætexunt, cum Deo probe cognitæ sunt suæ facultates. Vide *Proverb.*13,7. Homines cum tributa ex censu cujusque regi pendunt, suas divitias occultant: sed cum Deo tributum pendimus, &c. hoc insulsum fuerit, &c.

2. *Nota*, muneris lautitias non ex rei datæ pretio, sed ex dantis animo æstimari. Hinc Macedonia tantopere laudatur, quæ tametsi minus Achaia contulit, tamen tam prompte, & ex profunda paupertate, &c. Ideo exemplū Corinthiis proponitur, 2 *Cor.*8,1,4. Hinc colligitur, hospitii laudem non in eo collocari, si multum cibi & potus, &c. sed si pro facultate sua prompte, prudenter, & cum judicio communicetur. Ideo *Paul.*1 *Tim.*3. ab Episcopo requirit ut sit hospitalitatis amans, φιλόξενος. *Nota* denique Christum olim suo tempore nostram erga pauperes liberalitatem prædicaturum, ut hujus viduæ Vide *Matth.*25.*Esurivi, &c.* Quicquid ergo homines, &c. in ejus judicio acquiescamus, Vide exemplum Cornelii, *Actorum* 10.

Unde laudetur vidua.

Viduæ autem munus exornat, *primo*, quod cum illi deesset ex quo vitam sustineret, tamen, &c. cum alii, &c. *secundo*, quod omnia contulit quæ, &c. cum alii non totum illud quod redundavit, &c. *Quæstio*: An hoc recte à vidua factum fuit; cum vita nobis propriis impensis tuenda est? *Respondeo*: omnino: alioqui Christus ejus factum non tantopere extulisset. *Ratio*, nemini licet coram Deo *inani* comparere: ideo aliquid Deo ab illa debitum erat, quod victus aut cultus sui causa à Deo avertere nequivit. *Objectio*: Potuit tamen alterum minutum obtulisse, alterum sibi reservasse. *Respondeo*: poterat quidem sine peccato, sed hoc pacto fidem suam in Deum, in quo (sicut viduæ præcipitur) penitus acquievit, & charitatem tum in Deum, tum in homines, magis luculenter testata est. Deinde tametsi charitas erga proximum non jubet ut nos ipsos nudemus, ut aliis suppeditemus; tamen charitas in Deum postulat ut nostri obliti, omnia (si opus fuerit) in ejus cultum conferamus. Non est ergo dubitandum, si res ita postulat, omnia in Dei cultum & pauperum subventionem conferre. *Objectio*: non ut aliis sit relaxatio, vobis afflictio, &c. *Respondeo*: verum est, nobis non incumbere, ut alios divites constituentes nosmet pauperes reddamus; sed, &c.

LUC. *cap.* 21, *à vers.* 5, *ad* 12.

5 Et quibusdam dicentibus de templo, quod pulchris lapidibus ac donariis ornatum esset, dixit;

6 Hæccine spectatis? venient dies quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

7 Interrogaverunt autem eum, dicentes; Magister, quando hæc erunt: & quod erit *signum quando futura sint ista?*

8 Ipse vero dixit; Videte ne seducamini: multi enim venient sub nomine meo, dicentes; Ego sum Christus: *& tempus illud præstitutum appropinquat. Ne igitur sequimini eos.*

9 Quum vero audieritis bella & exagitationes, ne consternamini: oportet enim ista primum fieri, sed non statim erit *finis.*

10 Tunc dixit eis; Insurget gens in gentem, & regnum in regnum:

11 Et magni terræmotus erunt singulis locis, & fames ac pestilentiæ, & terriculamenta, & signa è cœlo magna erunt.

MARC. *cap.* 13, *à vers.* 1, *ad* 9.

QVum autem egrederetur è templo, dixit ei quidam è discipulis ejus; Præceptor, vide quales lapides, & qualia ista sint *ædificia.*

2 Tunc IESVS respondens, dixit ei; Vides ista magna ædificia? non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissolvatur.

3 Et quum sederet in monte Olearum ex adverso templi, interrogarunt eum privatim Petrus & Iacobus & Iohannes & Andreas.

4 Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum erit *quando futurum est ut hæc omnia finem habeant?*

5 IESVS autem eis respondens, cœpit dicere; Videte ne quis vos seducat.

6 Multi enim venient sub nomine meo, dicentes; Ego sum Christus: *multosque seducent.*

7 Quum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbamini, oportet enim ista *fieri, at nondum* erit *finis.*

8 Surget enim gens in gentem, & regnum in regnum; eruntque terræ motus singulis locis, & erunt fames ac turbæ.

ANALYSIS.

Historia hæc adjuncto tempore describitur, nempe cum finita sacri thesauri collecta templo exiret. Deinde à subjecto, eorum sermone, qui quæstionem Christo proponebant; qui hic in genere describuntur, nempe discipuli; apud *Marcum* vero ἀνώνυμως proponitur ex illis unus, qui reliquorum nomine Christum alloquebatur. Deinde à diverso argumentatur, non esse diruendum templum; quia cum egregiis & lectissimis lapidibus constructum, & eximiis donariis instructum & exornatum erat.

*Vers.*2. Cujus dicti adjunctum est vaticinium de extrema ejus eversione; quod confirmatur testimonio vehementis asseverationis; amplificatur suo diverso, tametsi illud splendore & gloria luceat hoc ipso tempore.

*Vers.*3. Responsionis Christi adjunctum est alia quæstio duplex, quando hæc vastatio futura est, & quando erit finis mundi; quæ declaratur subjecto loco, cum sederet Christus in monte olivarum; item ab adjuncto modo, quod clam & privatim hæc quæstio proposita est: deinde ab efficiente, primum in genere, apud *Matth.* discipulis; post in specie, apud *Marc.* Petro, Iacobo, Ioanne & Andrea.

*Vers.*4. Effectum quæstionis Christi responsio, ab adjuncta adhortatione, ut sibi caveant; quæ suo fine declaratur, ne quis eos seducat.

*Vers.*5. Quæ adhortatio arguitur ab efficiente, nempe quod multi impostores venient: quod amplificatur à forma imposturæ, quia venient in nomine Christi; quod descriptione declaratur, nempe quod dicent se esse Christum; item ab effecto seducendi complures.

*Vers.*6. Hujus imposturæ adjunctum est bellum & belli rumores; quorum adjunctum est consternatio, à qua illos dehortatur; item adjunctum tempus designat, antequam urbis Ierosolymorum finis sit.

*Vers.*7. Describit genus belli, nationis contra nationem, & regni adversus regnum: item adjunctum belli, famem; & effectum famis, pestem.

*Vers.*8. Mala hæc insequentia exaggerat à comparatione minoris, quod hæc, quæ commemoravit mala, tantum sint initia dolorum.

METAPHRASIS.

Ierosolymorum urbi & templo cum ex- 1.
tremum exitium denuntiasset, indignabundus egressus est è templo, nunquam iterum regressurus. Accedens vero ad illum ex discipulis unus suorum nomine sic Iesum affatus est; Præceptor, audivimus te in hoc templum extremum exitium denunciantem. Atqui si tecum paulo altius expendisses hujus templi magnificam structuram, lapides ingentes & affabre politos, una cum munificentissimis donariis, quibus templum exornatur; credo equidem pro tua mansuetudine te adversus hunc locum noluisse tam severe intonare: & jam penitus perspecta ejus tam pretiosa materia, eleganti forma, & ornamentis eximiis, te hujus sententiæ severitatem mitigare velle
spes est. Ad quos Iesus: ego maturo judicio 2.
hanc in templum sententiam dixi, neque is sum qui sententiam pure & absolute dictam & denuntiatam muto. Quamobrem à vobis qui me ad attentam ejus considerationem invitatis, vicissim quæro, an horum ædificiorum splendorem exacte & accurate considerastis. Sin minus hoc fecistis, admoneo ut ejus pulchritudinem & decus adhuc interius intueamini, ut judicii divini altitudo, latitudo & profunditas splendescat magis. Sancte enim vobis affirmo, tantam & tam incomparabilem vastationem hoc templum manere, atque ab ipsis fundamentis ita convulsum iri, ut ne lapis quidem superfuturus sit, qui non dissol-
vatur & suo loco moveatur. Inde vero ad 3.
montem olearum profectus, cum consedisset, accesserunt ad illum Petrus, Iacobus, Ioannes & An-

& Andreas, qui de interiore Christi erga illos amore sibi persuadentes privatim & silentio illum sic fere alloquuti sunt: Scimus equidem tibi non esse consuetum tempora & articulos temporum, quibus quodque eventurum est, prædicere: Nobis tamen (qui pauci sumus) dic, quæso, præcise magis; an unius seculi spatio hanc cladem definivisti? aut quando hæ clades urbi Hierosolymitanæ & templo obvenient? eademque opera nobis, quod sit secundi adventus tui & consummationis mundi tempus, expedies. Ad quos Iesus; Mittite hunc de temporum articulis quærendi pruritum: & cogitationem & animum adjicite ad hoc, ut nemo
4. *vobis imponat & in errorem inducat. Plerique*
5. *enim sponte sua (non missi) venient, qui ipsius Messiæ nomen superbe arrogabunt. Quamquam vero unicus sit Christus, tamen ex his impostoribus singuli dicent; Ego sum ille tantopere in lege & Prophetis celebratus Christus à Deo ad hoc missus, ut vos dura hac Romanorum servitute asseram. Vna etiam fiet, ut cum me verum & unicum Messiam repudiaverint, justo Dei Iudicio illorum errore abducantur. Hanc Dei vindictam alia & nova*
6. *excipiet. In urbibus etenim Iudææ & illi finitimis regionibus, bella & rumores bellorum futura sunt: videte ne hac re animo consternamini, maxime cum firmissimo decreto hæc omnia à Deo immittenda declinari nequeant. Atque cum hæc omnia obvenient, non dum tamen urbis Hierosolymorum eversio futura*
7. *est. Quod de bello futuro prædixi, sciatis velim, illud unius generis non fore: erit enim partim civile & domesticum, gente seu tribu inter se commissa; partim externum, regno cum regno belligerante. Ad famem etiam, assiduam pene belli comitem, magna annonæ caritas cœlitus immittetur; famem vero (sicut nostis) ut umbra corpus, sequitur pestis: non deerunt etiam certis quibusdam locis, in Iudææ præsertim regionibus, terræmotus, certissimum iræ divinæ testimonium, & gentis Iudaicæ ex patrio suo solo excutiendæ prænun-*
8. *cium. Hæc cum in se gravia & formidabilia sunt, his tamen omnibus divina ira non exhauritur: ut quæ sunt malorum insequentium quædam veluti præludia.*

PRAXIS.

SVmma, Christus duo reipsa, Apostolorum vero opinione unum, postulatus, ad prius respondet, de signis Hierosolymitanæ urbis excidioni præmittendis.

In quo considera-tur sermo	Discipulorum ad Christum	Prope templum.
	Christi ad Discipulos	In monte olearum.

In priore sermone discipulorum notatur eorum inscitia, qui æstimabant Christum à lata jam sententia deduci posse, atque ideo illum in rem præsentem adducunt, lapides affabre factos, &c. ostendunt, quasi dicant: an non esset res commiseranda tam pulchrum ædificium diruere, &c. Ita homines non facile sibi in animum inducunt (ne Deo ipso loquente) res splendidas & augustas pessum- ire. Deum enim sibi similem somniant, qui concinnis & magnificis ædificiis delectantur. Quam autem exiguam harum rerum Deus curam habet, declaravit satis veteris mundi diluvium, quo omnia ejus præclara ædificia deturbavit. Quum enim Deum semel cœperit hominum tædium & fastidium, in quibus potissimum se oblectat, omnis ejus in eorum domicilia cura & amor facile evanescit. Vers.1. *Discipulorum inscitia;*

Deinde *notandum* nullas esse tam splendidas aut minutas ædes, quæ adversus divinæ iræ tempestatem, &c. Si in illis impietas & injustitia exerceatur. Si enim ne templo, loco augustissimo & totius orbis celeberrimo pepercit; quo modo aliis ædificiis, quæ casæ & tuguria sunt, &c. Cavendum igitur ne furtis, rapinis, fraudibus, &c. ne cavea immundorum avium, &c. ne lapis à pariete clamet, & nodus in ligno testificetur, &c. *Abac.*2,11. Hinc est quod justi hominis tuguriolum tyranni regiæ præponatur: idem de arcibus, navibus, &c. hæc tutissima custodia, anchora, &c. hæc tormenta, &c. si pietas, justitia, temperantia, &c.

In altero sermone notatur nimia Discipulorum curiositas, qui cum à Christo prius accepissent hæc intra seculum eventura, pergunt tamen de certiore aliquo & magis circumscripto tempore quærere. Hæc naturæ nostræ vitiositas frænanda: si enim aures prurientes habeamus, non deerunt linguæ titillantes, quæ noxiis opinionibus nos inficiant. Sicut enim homini malum de aliis audiendi avido non deest obtrectator: ita neque curioso impostor. Scriptura definitur *utilitate, ædificatione, commonefactione, consolatione, &c.* 2 *Tim.* 3. ut quicquid sit quod ad *fidei & charitatis* caput referri nequeat, tanquam noxium repellatur 1 *Timoth.*1. Sicut enim in cibis, qui paulo prudentiores & temperantiores sunt sanitatem potius Vers.3. *nimia curiositas;*

potius quam voluptatem sectantur: sic in animæ pabulo, &c.

Abusus gratiæ qua apud Christum pollebant.

Nota discipulos, Petrum, Iohannem, Iacobum, Andræam, quos Christus inter cæteros chariores habuisse videtur *Ioh*.12,22. sua apud Christum gratia ad hanc curiositatem abusos esse. Cavendum ergo ne divini in nos amoris indiciis, ad peccandum audaciores reddamur, maxime in prolixiore largitione cognitionis Dei speculationibus & curiosis quæstionibus indulgeamus.

Notandum porro discipulorum animos tum imbutos fuisse secundo Christi adventu, & totius mundi consummatione. *Sic Martha Ioh*.11. Quo est detestabilior eorum error, qui hodie post tam luculentam de illo die doctrinam, hæc in dubium vocant 2 *Pet. cap*.3. Isti (tanquam malefici) judicem, tribunalia, lictores, carceres, extincta cuperent; sed frustra. Piorum enim in hoc mundo afflictio, & impiorum à malis libera conditio judicium futurum arguit. Contra pii hunc diem amant, expectant, ejus commentatione sese oblectant, *Actor*.1. 2 *Timoth*.3. tanquam sponsa sponsi adventum, tanquam servi frugi Domini reditum, tanquam filii tempus hæreditatis.

In Christi responsione ad priorem quæstionem consideremus { Signa urbis obsidionem præcedentia. / Obsidionem ipsam.

In priore consideratur { Effectus / Causa } quæ per ὑστέρωσιν ponuntur.

Vers. 4,5. *Christus Discipulis aliud petentibus utilia proponit.*

Hic *primo notatur* Christum eos à curiosis quæstionibus ad res utilissimas tutissimasque revocare: quasi dicat, vos magno studio extremum diem cognoscere ducimini; sed intendendi potius nervi sunt, ne ille dies vos imparatos offendat, &c. prosilient Pseudo-christi; cavendum ne, &c.

II. *Nota* justo Dei judicio fieri, ut qui veritati credere noluerant, credant mendaciis; ut qui Christum admittere renuerunt, Antichristum amplectantur. *Ioh*.5,43. & 2 *Thes*.2. ut siliquis & glandibus vescantur, qui frugibus pasci nolunt; errores avide ingurgitent, qui fastidiose veritatem degustarunt. Nam si ob spretam in opificio mundi Dei sapientiam homines in reprobum sensum, &c. ut fœdis idolomaniis, &c. nedum qui Euangelium spreverunt, &c. Euangelium sol est meridianus, si cum illa stella minutissima conferatur.

Electionis firmitas

III. *Nota* Christi pro suis Apostolis curam ne à veritate deficerent, quos tamen sciebat ad vitam electos, quos precibus suis (quæ repelli non poterant) Patri commendarat, qui firmius in salute radicati, quam montes ipsi, erant: quanto magis nos sollicitos esse oportet, ne, &c. Hinc est quod Paulus corpus suum jejuniis & vigiliis subegit, ne, &c. 1 *Cor*.9,26,27. ut enim in stadio currentes, aut lucta certantes, conatus & contentionem suam nunquam remittunt; usque dum, &c. sic &c. ut qui corpore bene constituti sunt: corporis tamē cultum & ornatum ne ad diem quidem negligunt, sic, &c.

media salutis non tollit.

Istud eo magis observatur, quod hæc opinio nobis sæpe inopinantibus obrepit, satis superioribus annis à nobis pietate desudatum esse; fraudi non futurum, si jam paululum interquiescamus. Apostolus Ecclesias quam maxime laudat, eas hortatur vehementissime, ut incepto cursu, &c. & pro iisdem Deo ardenter supplicat, pro quibus gratias Deo agit. Contra *Pontificios* qui salutis certitudinem omnes ad pietatem adhortationes evertere contendunt.

Vers. 6,7. *Series malorum Iudæis superventuræ; & Apostolorum consolatio.*

Bella & rumores belli minatur, quibus Gentes, ac (proinde Iudæi inter Gentes disseminati) separentur. Sic, qui ex Euangelii amplexatione cum præsentis tum futuræ vitæ commodis frui potuissent; ejusdem recusatione & repulsa utrinque sibi exitium consciverunt.

Ne turbemini.] Præsenti animo estote & bono, certi divinæ erga vos voluntatis: etsi enim terra loco moveatur, maria claustris suis erumpant, cæli facies mutetur, sol in tenebras, luna in sanguinem vertatur, tamen, &c. justus ad rumores non extimescet, *Psal*. 112,7. confidit in Deo. *Proverb*.. 29. Deo enim reconciliatus, pacem habet cum feris agri, lapidibus, armis, &c. Contra, impii ad strepitum folii cadentis, &c. *Deuter*.28. ut arbores silvæ agitatæ, &c. *Esa*.7. Nec ad pericula tantum contremiscunt, sed vel ad famam periculi: fugiunt nemine sectante. Quare hac æstate paremus, quod hyeme nos foveat: hac messe, quod ea deficiente nos sustentet; hoc pacis tempore, quod bello, &c.

Nota ratio cur turbari non debeant; quia necesse est ista evenire; quis enim paulo prudentior his rebus se cruciet, quæ declinari nequeant.

Secunda ratio quia *finis*, (id est, excidium Hierosolymitanum) *nondum*, &c. Monet ergo Apostolos, quorum plerique sedes suas Hierosolymis fixerant, ne ilico fugam arriperent,

tiperent, & stationem suam desererent.

Ex bello fames, ex fame pestis. Hanc quassationem Deus terræmotu frequenti indicabat, &c. Vide quæ mala Euangelii contemptum excipiant. Iustissima enim talionis lege fit, ut qui Euangelium pacis repudiarint, bella experirentur; ut Deo inimiciores facti, inter se dissecti essent; ut vitæ pabulum fastidientes, fame, &c. ut unicam animæ Medicinam contemnentes, peste, &c.

Hic etiam videmus bella inter homines geri, quod belligerantur cum Deo; externa bella ex intestinis animorum conflictibus, & *Iacob.* 3. Gladios gestari, quod linguis tanquam gladiis abusi sumus; ligones in gladios, &c. quod Euangelium contempsimus.

Sicut vero peccatum peccatum attingit, (ut luxui ebrietas, ebrietati lites, adulteria, &c. cupiditati ditescendi fraus, fraudi mendacia, perjurium, &c.) sic pæne etiam concatenatæ incedunt pœnæ. *Apocalyp. cap.* 6. equo rufo subnectitur niger, & nigro pallidus, &c. Prout enim quis biberit ex calice illegitimarum oblectationum; ita etiam ex calice furoris divini, &c.

Terræmotus.] Hinc liquet terræmotus, utcumque ex naturalibus causis nascuntur, tamen signa esse irati Dei, & præsagia calamitatum gravissimarum: terra enim nihilo incumbens, & potenti Dei brachio innitens, simulac Deus manum paululum deflectat, ilico instar ebriosi huc illuc se versat. *Iob.* 20, 27. cœlum, &c. & Amos terram peccatis onustam docet non potuisse non tremefieri: sunt ergo terræ motus tanquam Dei satellites qui nobis dicunt, &c. Hoc modo Deus vocem suam variat, si qua nos ad se attrahat.

Ἀρχὴ ὠδίνων.] Ne putetis hoc modo exhauriri Dei iram, nondum externis labris gustastis, &c. adhuc manus Domini extenta, adhuc restant gravissimi partes cruciatus, &c. Bella ergo, fames, &c. vel minima pars sunt flagellorum Dei; ut nisi resipiscamus, &c. ut nos dicere solemus, tum pessimo loco res esse, &c. sed fallimur, nisi enim, &c. Habet Deus armamentarium longe instructissimum, ejus brachium feriendo non labascit, aut enervatur, exercitus ejus pugnando non debilitatur, &c.

MATTH. *cap.* 24, *à vers.* 9, *ad* 15.

9 *Tunc tradent vos afflictioni, & trucidabunt vos: & eritis exosi omnibus gentibus propter nomen meum.*

10 *Et tunc offendentur multi: & alius alium prodet, & odio habebit alius alium.*

11 *Et multi Pseudo-prophetæ exorientur, ac seducent multos.*

12 *Et quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

13 *Sed qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.*

14 *Et prædicabitur istud Euangelium regni in toto terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.*

MARC. *cap.* 13, *à vers.* 9, *ad* 14.

9 *Principia* erunt *dolorum* partus *ista*; *sed cavete vos vobis ipsis: tradent enim vos in consessus & conventus: cædemini, & coram præsidibus ac regibus sistemini propter me,* ut hoc sit *testimonio adversus eos.*

10 *Et apud omnes gentes oportet primum prædicari Euangelium.*

11 *Quum autem vos tradendo duxerint, ne ante soliciti estote quid dicturi sitis, neque meditamini: sed quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini; non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Sanctus.*

12 *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & Pater Filium: & insurgent liberi adversus parentes, & eos curabunt morte mulctandos.*

13 *Et eritis odio omnibus propter nomen meum: sed qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.*

LVC. *cap.* 21, *à vers.* 12, *ad* 20.

12 *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, &* vos *persequentur, tradentes*

in conventus & carceres adductos ad reges ac præsides, propter nomen meum.

13 Hæc *autem cedent vobis testimonio.*

14 *Habete igitur* hoc *repositum in cordibus vestris, non præmeditari defensionem.*

15 *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neque resistere omnes qui se vobis opponent.*

16 *Prodemini autem enim à parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte mulctandos curabunt* aliquos *ex vobis:*

17 *Et eritis exosi omnibus propter nomen meum.*

18 *Sed pilus capitis vestri non peribit.*

19 *Per tolerantiam vestram possidete animas vestras.*

ANALYSIS.

Causa Materialis superiorum malorum persequutio Apostolorum & fidelium; quæ sua specie declaratur, nempe ad mortem; cujus interfectionis causa efficiens assignatur, odium; odii vero, professio nominis Christi: apud *Marc.* adjunctum tempus notatur, nempe postquam Euangelium in universum orbem prædicabitur.

Vers. 10. Adjunctum persequutionis piorum, multorum impactio & à veritate defectio; cujus effectum erit proditio mutua; proditionis efficiens, mutuum odium.

Vers. 11. Cujus defectionis & impactionis effectum est, quod Pseudo-prophetæ exorientur; qui suo effecto declarantur, nempe quod multis imponent.

Vers. 12. Item aliud effectum, nempe quod iniquitas abundabit; cujus adjunctum declaratur, nempe quod zelus Dei in his ipsis, qui veritatem profitentur, refrigescet.

Vers. 13. Disparati his omnibus partim refrigeratis sunt hi, qui in agnita veritate perstant; qui adjuncto præmio describuntur, salute æterna: sicut non obscure adverso defectorum & tepidorum damnationem indicat.

Vers. 14. Ex adjuncta prædicatione Euangelii per totum orbem illos porro consolatur; illius vero tam generalis prædicationis adjunctum subsequens est excidium Hierosolymitanum.

METAPHRASIS.

Lvc. 12. Marc. 9. *Priusquam vero superiores calamitates immittantur, ut innotescat quæ sit causa & semen tantorum malorum, prædico fore ut in pios, maxime in vos Euangelii præcones (quo de circumspectis rebus omnibus, vobis caveatis moneo) manus violentas injiciant, persequantur vos, tradantque vos Synagogis examinandos, deinceps in carcere asservandos, ut post vos sistant coram regibus & præsidibus. Quæ omnia non aliunde provenient, quam ex odio vestri, quod nomen & doctrinam meam profitemini.*
Lvc. 13. *Neque putetis vos vestram operam, harum contumeliarum perpessione, ludere: quandoquidem hoc pacto Euangelium illis prædicatum & palam testatum (quod nunquam cæteroqui audivissent) illis ad majorem condemnationem cedet.* de 14, & 15, 18. Lucæ vide supra. *Hac autem persequutione vestra* Matt. 10.
quam plures offensi à veritatis professione deficient, tanquam Dei veritas non sit, quæ à multis & magnis in Ecclesia & repub. viris oppugnatur; defectores autem suos & maxime necessarios tradent. Prodent enim vos pa- Lvc. 16.
rentes, fratres, affines, amici. Prodet etenim Marc. 12.
frater fratrem ad mortem usque. & Pater liberos, & insurgent liberi adversus parentem, quem ad mortem adigent. Quod cum ita sit, Lvc. 17.
ecquod hominis genus inveniatur, quod vos odio non sit habiturum, cum qui vobis arctissimis sanguinis & affinitatis vinculis conjuncti sunt, odio mortali vos persequentur: sed illud vos sustentare debet, quod hoc odio nulla vestra culpa, sed ob nominis & doctrinæ meæ professionem in vos flagrabunt. Præter Pseudo-christos, Matt. 11.
quos dixi, justissimo Dei judicio (quod veros & fideles Dei servos obtruncarunt) exsilient Pseudo-doctores qui multos errore seducent. Ex 12.
his denique qui veritatis professionem retinent non pauci (propter exundantem iniquitatem) sua in Deum & homines charitate refrigescent. Quisquis vero est qui nec cruce 13.
Christi offensus, nec Pseudo-doctorum imposturis abductus, nec charitate in Deum & proximum refrigeratus, in agnita veritate perstiterit, is demum (reliquis in æternum pereuntibus) æterna salute fruetur. Quamobrem pla- Lvc. 19.
cide horum temporum difficultates perferentes, animas vestras, vel in ipsa morte, possidebitis. Consolationi denique vobis esse debet, Matt. 14.
quod antequam manus sanguinolentas vobis Marc. 10.
injicient, vestri ministerii justum cursum absolvetis; utpote quorum opera Euangelium in totum terrarum orbem disseminabitur: postquam

quam vero congruenter Prophetiis è Sione & Hierosolymis verbum Dei egressum ad ultimos terræ fines personuerit, tum demum illius urbis excidium & extremus interitus exspectandus erit.

PRAXIS.

Vers. 9. *Euangelii contemptus malorum causa.*

Causam notat harum calamitatum, contumeliosam Apostolorũ tractationem, sicut ante *Matth.* 23,34,35.

Vide *Matthæi vers.*10. quæ ad hunc locum spectant. Ogganniunt improbi & imperiti, Euangelii præconium semen & causam esse hæresium, & calamitatum: sed hinc liquet, contemptum Euangelii,& præconum indignam tractationem hæc parere.

Vers. 10, &c. *Tria defectorum genera.*

Videtur tria genera defectorum hic notare: *primo* eorum qui ad crucem impingunt: vix enim sibi persuadere poterunt, hanc esse veritatem, cujus præcones tam indigne in mundo tractantur. Hinc Apostoli ad Philippenses cautio. 1,12,13. & *Ephes.* 3,13, *&c.* *Secundum* genus est eorum, qui mendacibus dogmatis se à veritate abduci patiuntur. *Tertium* est eorum, qui mersi afflictionibus in odium veritatis impelluntur, neque Pseudo-prophetarum laqueis capiuntur; sed ob multorum qui Euangelium profitentur improbitatem, plurimum de veteri suo amore & in Euangelium ardore remittunt, & zelo restinguuntur.

Quibus omnibus regno ejectis, illi demum salvi fient, qui ad extremum fidem Deo datam servaverint, & illam inchoatam, quotidianis incrementis auxerint.

Dura fidelium conditio.

Tres igitur salutis nostræ hostes (præter externos) hic nobis proponuntur, 1. afflictio, 2. Pseudo-prophetæ, 3. Professorum iniquitas. Duriter ergo tentandi sunt pii; ei qui gladium effugerit parata erit fossa: quique à leone evaserit, occurret urso, &c. sic Deo videtur aliquando suos undique explorare ut septies veluti igne purgati, tandem prodeamus vas Dei usibus summe acommodatum. Cavendum ergo ne à fide tandem desciscendo, multa frustra passi videamur. *Gal.* 34. ne quis coronam nobis adimat aut præripiat. *Apoc.*3,11. Ad quam rem multum juverit serio cogitare; ne pilum quidem capitis nobis adimendum, nisi,&c. imo afflictiones nostras nobis in bonum cessuras. *Rom.* 8. Hac promissione, tanquam strophiolo, omnes lachrymæ & sudores detergentur; tanquam flabello ventum colligente, crucis æstus sedabitur.

Vers. 14. *Euangelii ante excidium urbis per orbem propagandi necessitas.*

Altera consolatio, quod nullis conatibus impediri poterit quo minus Euangelii prædicatio (ex Sione prodiens ut *Esai.*2.) per totum terrarum orbem personaret; etsi id agerent Iudæi ut passim ejus profectum inhiberent; ac proinde non potuisse urbem Hierosolymam perire, quam,&c. simul vero atque hoc impletum est (quod impletum fuisse testatur Apostolus *Roman.*10,18.) ilico Hierosolymitana urbs solo æquata est. Etsi igitur Iudæi dignissimi erant, qui dudum periissent, etsi Romanus Tyrannus truculentissimus erat, & potentia instructissima, Iudæi vero ad resistendum imbelles; tamen urbs non prius periit, quam omnia impleta essent, quæ, &c. Homines cum ira concitantur ad supplicium ita festinant, ut multa oblivioni tradant, quæ post mentem subeuntia illos ad seram tantæ festinationis resipiscentiam adigunt; Deus vero, &c.

Hinc constat testimonium illud quod testandum erat Gentibus καιροῖς ἰδίοις 1 *Tim.*2. jam testatum esse, sicut etiam clarissimis verbis constat *Col.*1. Frustra ergo extremi judicii signum præstolantur Euangelii denuo in universum orbem secundam promulgationem. Cum enim Apostolicæ tubæ Ecclesiæ ademptæ sint, non est expectandum ut aliorum quorumcunque ministerium tanto operi sufficiat: quo accedit, quod & miracula desierunt,quibus,tanquam alis,doctrina Euangelii pernicius in omnes orbis partes pervolavit. Illa enim largitio erat regni Christi jam auspicandi.

MATTH. *cap.* 24, *à vers.* 15, *ad* 23.

15 *Quum ergo videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem Prophetam, positam in loco sancto: (qui legit, animadvertat.)*
16 *Tunc qui in Iudæa* fuerint, *fugiant in montes.*
17 *Qui in solario, non descendat ut sumat quicquam è domo sua.*
18 *Et qui in agro, non revertatur retro ut sumat vestimenta sua.*
19 *Væ autem prægnantibus & lactantibus per illos dies.*
20 *Orate vero ne fiat fuga vest, a hyeme, neque Sabbatho.*

21 *Erit enim tunc afflictio magna, qualis facta non fuit à principio mundi ad hoc usque tempus, neque unquam fiet.*

22 *Et nisi decurtati fuissent dies illi, periret omnis caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi.*

MARC. *cap.* 13, *à verſ.* 14, *ad* 21.

14 *Quum autem videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est à Daniele Propheta, positam ubi non oportet, (qui legit animadvertat) tunc qui* fuerint *in Iudæa, fugiant in montes.*

15 *Qui vero* fuerit *in solario, ne descendat domum, nec ingrediatur ut quicquam sumat è domo sua.*

16 *Et qui fuerit in agro, ne revertatur retro, ut sumat pallium suum.*

17 *Væ autem prægnantibus & lactantibus per illos dies.*

18 *Orate vero ne fiat fuga vestra hyeme.*

19 *Erunt enim dies illi* talis *afflictio, qualis ea non fuit à principio rerum conditarum quas condidit Deus, usque ad hoc tempus, neque fiet.*

20 *Et nisi Dominus decurtasset dies illos, omnis caro periret: sed propter electos quos elegit, decurtavit dies illos.*

LUC. *cap.* 21, *à verſ.* 20, *ad* 25.

20 *Quum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus.*

21 *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: & qui intra eam, excedant: & qui in agris, non ingrediantur in eam.*

22 *Nam hi sunt dies ultionis, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.*

23 *Væ autem gravidis & lactantibus in illis diebus: erit enim necessitas magna in hac regione, & ira in populo isto.*

24 *Et cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes: & Hierosolyma calcabitur à Gentibus, usquequo impleantur præstituta illa tempora Gentium.*

ANALYSIS.

Signa remotiora eversionis Hierosolymorum & templi cum enarrasset, jam narrat propiora ut *Lucas* diserte notat. Adjunctum est obsidio urbis Hierosolymitanæ, ut liquet ex *Luca*: cujus causa narratur efficiens, exercitus Romanus; qui suo adjuncto detestationis describitur, & testimonio Prophetæ confirmatur; cujus testimonii intelligentia suo subjecto declaratur.

MATTH. 16. Hujus obsidionis adjunctum est admonitio, ut qui in Iudæa sunt ad montes se recipiant; quod distributione declaratur subjectorum, eorum qui sunt in { ædibus. / agro. } *verſ.* 17, 18.

Verſ. 17. Adjunctum illius fugæ est summa festinatio; quod comparatione minoris illustratur, non descendendum esse ut vel quidquam sumant, nedum ut suos thesauros & suppellectilem asportent.

Verſ. 18. Alia adhortatio ut in agro agens non revertatur, ut quid domi suæ accipiat; quod comparatione minoris probatur, ne ut vestimenta quidem accipiat, redeundum.

LUC. 22. Ab adjuncto tempore vindictæ divinæ confirmat festinationem; quæ vindicta suo fine confirmatur, ut compleantur quæ scripta sunt.

MATTH. 19. Hæc festinatio in fuga illustratur ab adjuncta infœlicitate fœminarum prægnantium & lactantium, quæ festinare nequeunt.

Verſ. 20. Proponit aliquam consolationem adversus hæc mala: cujus efficiens assignatur deprecatio fugæ hyeme & Sabbatho.

Verſ. 21. Adhortatur ad hanc cum fugam, tum deprecationem fugæ hyeme & Sabbatho, ab adjuncta gravi afflictione; quæ exaggeratur à comparatione minoris, quod talis non extitit ab initio mundi.

LUC. 24. Partes enumerat afflictionis quod alii gladio peribunt, alii captivi abducentur, Hierosolyma calcabitur à gentibus; quæ conculcatio adjuncto tempore declaratur, quoad tempora decursa quibus solæ gentes ad Euangelii communionem admittentur.

Verſ. 22. Consolationem aliam adhibet, nempe dies illius vindictæ divinæ decurtatos & contractos iri; cujus causa erunt Electi inter Iudæos: effectum est quod aliqui ex Iudæis ex hoc incendio & strage eripientur; quod suo adverso arguitur, quia

quia nisi contraherentur dies illi, nulli ex Iudæis salvi ex illa cæde evasissent.

METAPHRASIS.

MATTH. 15. *HActenus de his dictum est quæ Hierosolymitanum excidium antecedent. Sequitur ut de ipso excidio & extrema depopulatione dicam. Quando igitur videritis Romanum exercitum (sua impietate & injustitia detestandum) urbem Hierosolymitanam, olim cultui divino sacram, obsidione cingentem, congruenter prædictioni Danielis Prophetæ, qui locus attentum & experrectum lectorem desi-*

16. *derat: Tum tanquam deplorata urbis salute, quotquot in Iudæa sunt, vel hi qui in munitissimis urbibus degunt, fugam ad montes & deserta loca arripiant.*

17. *Qui vero super tectum ædium consistit, præ festinatione in ædes, ut viaticum, aut aliud itineris subsidium sumat,*

18. *ne descendito. Qui vero in agro forte vestibus nudus & exutus versatur, ut vestem acci-*

LVC. 22. *piat, domum ne redito. Erit enim illud tempus tristissimum, in quo Deus de Prophetarum & Apostolorum, maxime vero Servatoris Christi sanguine, ultionem, congruenter Pro-*

23. *phetarum prædictionibus, sumet. Sicut autem omnium Iudæorum miseranda conditio futura est, ita mulierum gravidarum & suos infantes lactantium longe miserrima: ut quæ suorum embryonum & infantium onere ad fugam minus expeditæ erunt. Magna etenim iræ divinæ indicia in illo populo Iudaico passim ex-*

MATT. 20. *tabunt. Tametsi vero ineluctabile & inevitabile hoc malum sit; tamen piorum causa placet aliquam malorum mitigationem precibus concedere. Quamobrem precibus contendite vestro commodo, ne hyeme; meo autem*

21. *cultui & gloriæ, ne Sabbatho fuga fiat. Erit enim eis incomparabilis afflictio, qualis ab omni hominum memoria haud fuit, nec dein-*

LVC. 24. *ceps ulla posteritas videbit. Hi enim magna infinitate gladii acie cadent, illi vero tametsi non tanta infinitate in omnes gentes & re-*

MATT. 22. *gionum oras captivi abducentur. Atque nisi frænum Deus furori Romani exercitus injiceret, contra quam constituunt, bellum illud crudele & sanguinolentum contrahendo, ex gente Iudaica ne unus quidem superesset; sed electorum meorum gratia ita illorum furorem moderabitur, ut cædem & stragem illam eo usque, quo animo suo designarunt, non præstituri sint: tametsi vero Iudæi falsa spe urbis Hierosolymitanæ instaurandæ se lactabunt, tamen certum est quod ad mundi finem (quo tempore numerus ex gentibus salvandorum absolvetur) ab iisdem gentibus conculcabitur.*

PRAXIS.

HActenus fuerunt signa eversionis Hierosolymorum: sequuntur ejusdem obsidio & excidium.

Cum igitur videritis Romanorum exercitus, qui propter idolomaniam & injustitiam abominandi sunt, cingentes Hierosolymam quæ penitus & sine omni spe instaurationis perdenda est (quod ex Daniele verum esse comperietis, modo attente legatis, &c.) tum qui in Iudæa sunt, &c. Non enim, ut olim alii, inanes discedent, aut obsidionem solvent, aut perdentur, ut sub Ezechia & aliis. Vers. 15. *Romanus exercitus Deo abominandus:*

Nota sanctissimam Dei & justissimam vindictam, per summe prophanos & injustos, executioni mandari. Neque enim ulli alii tantam crudelitatem exercere, blasphemiam exercere, fœditatem patrare, &c. Deo igitur non modo licet, sed & necessarium est, ut pollutas manus & ora execrabilia ad sua judicia exercenda adhibeat. Hinc discamus patienter ferre cum ab iis corripimur, qui legibus & æquitate nobiscum agunt: nisi velimus potius eorum potestati permitti, qui omnia in libidine sua gerent. *Cujus tamen opera ad vindictam in Iudæos utitur.*

Nota item Christum, cujus authoritas omni exceptione major existit, non tamen dedignari Prophetæ testimonium proferre, &c.

Objectio ex Marco. In loco ubi non debebat. Videtur ergo eversio Hierosolymæ vituperio dari. *Respondeo:* certe quidem respectu Romanorum, qui avaritia & ambitione flagrantes, hoc fecerunt; maxime vero quod eorum odium in templum non ex illius per Iudæos abusu natum sit; sed quod erat olim à Deo institutum & cum illorum idololatria maxime pugnavit.

Tum fugiendum, tanquam rebus deploratis, idque celerrime, abjectis omnibus impedimentis & mora: abunde enim benigne cum illis actũ iri, si vitam pro præda auferant, *Ier.* 38, 2. Nec vero ab una civitate ad aliam, ut olim, sed ad montes & solitudines. Vnde male erit prægantibus & lactantibus, quia hæ onere externo gravatæ non poterunt fugam accelerare. Maxime vero si hyeme & Sabbatho fugiendum sit: quod ne contingat, precibus vestris deprecandum relinquitur: nam de exilio conclamatum est, nec ullus precibus locus relictus. Atque quo preces intendatis magis; prædico vobis, nunquam parem calamitatem aut extitisse, aut olim extituram. Ita enim sanguinem vestrum sitient, & illi insidiabuntur; ut nisi tempus illud con- MATT. 15. LVC. 22. *In Iudæorum clade sola fuga subsidio erit*

traheretur, nemo ex Iudæis reliquis fieret, sed essetis ut Sodom & Gomorrha: sed cum fœdus cum illa Gente inierim, ex quo semper mihi aliquos manere electos necesse sit, illos dies contraham, & eorum rabiem & immanitatem frænabo.

Christi pro suis cura. *Nota* singularem Christi pro suis curam & sollicitudinem, qui non modo mala ventura prædicit; sed quo modo se in periculis gerant præstituit: quo modo, quando, quo fugiendum sit: quod tametsi nobis jam periclitantibus non faciat, tamen rem ex lege divina excutientibus, & precibus Deo commendantibus, non minus nobis Spiritu suo aderit: promisso enim munimur, Deum omnia pro nobis perfecturum, modo vias nostras illi permittamus. *Psalm.*37 nec minus certa agendi & itinera nostra instituendi ratio, quam olim cum nubes aut loco incumberet, aut se attolleret; aut cum Sacerdos Ephodo accinctus oraculum à Deo in rebus dubiis acciperet.

Vers.19. *Maledictio gravidis & lactantibus dicta, temporalis.* Maledictio quæ prægnantibus, &c. non nisi hujus vitæ est: estque prædictio potius quam comminatio; quæ tamen vel ad æternam salutem pertingere possit, nisi hujusmodi promisso se muniant, &c. si enim in persequutione defecerint, aut contra naturæ στοργὴν fœtus abjiciant, &c. Vnde Oseas *cap.9. da illis, Domine; quid dares? uteros steriles & arentes mammas.* Contra vero, si tentationes sustinuerint, beatiores existent. Eadem est ratio cur Paulus 1*Cor.7.* virginitatem matrimonio præponat, propter scilicet eorum temporum asperitatem, qua cogebantur huc illuc fugam arripere; unde gravidæ & lactantes magis de vita periclitabantur; quo in periculo virgines ad fugam expeditæ, non versabantur. Hinc est quod Deus Ieremiam prohibeat, ne accipiat uxorem unde liberos suscipiat. *Ierem.*16,2,3,4. tantum autem abest, ut conjugum conditio apud Deum pejor sit; ut si divictis omnibus difficultatibus inconcussi maneant, hoc ipso virginibus præferendi sint.

Obiter *Nota* easdem esse nutrices, quæ matres: conductitiis enim non tam gravis futura esset calamitas, si alienos non suos infantes deserere cogerentur; cum tamen hìc in pari calamitatis gradu ponantur cum gravidis.

Observa peccata Dei benedictiones in maledictiones convertere: mensa in laqueum convertitur. Quare, quo quis pluribus ingenii, divitiarum, uxoris, liberorum, &c. dotibus ornatus est, eo debet cautius conversari, ne illi graviori judicio sint.

Vers.20. *Deus in maxima severitate misericors.* Illud singularis mansuetudinis quod in maxima severitate, meminit misericordiæ, dum aliquid permittit precibus: hoc enim suorũ precibus (modo instent) dat, ut nec hyeme, nec Sabbatho, &c. Sic *Tscar* alioquin devastandam Loti præcibus dedit, &c. *Gen.*19. Hoc nos ad preces pro Ecclesia animare debet. Nemo ad Deum accedens (quod de quodam Imperatore dicitur) mæstus discedit. Vide exemplum Annæ. 1 *Sam.* 1. Aut enim judicium Dei avertemus, aut efficiemus ne tam vehemens sit, aut ne diutius grassetur, aut ut aliquæ supersint reliquiæ. Hic locum habet quod *Proverb.* 11,11.

Cur precandum ne fuga fiat Sabbatho. *Quæstio*: Cur precandum ne Sabbatho, &c. *Respondent* quidam, quosdam ex fidelibus hac superstitione Sabbathi observandi constrictos, ut potius vitæ curam abjicerent quam Sabbatho fugerent: sed hoc esset superstitiosum errorem fovere, &c. Quamobrem statuendum est ideo justos esse deprecari ne Sabbatho, &c. cultus divini causa: tanta igitur cura esse debet Sabbathi servandi, ut vel Deus eo nomine comprecandus sit, &c.

Simul hic docemur non tantum nostri temporis Ecclesiarum curam agere; sed, &c. ut in omne ævum, &c. turpe esset de nostra posteritate in finem seculi propaganda cogitationes inire, de Christi vero prole & generatione proferenda & multiplicanda curam abjicere. Huc accedit quod hanc calamitatem deprecari edocti 38. annos priusquam advenerat. Quanto magis æterna corporis & animæ perditio quotidie deprecanda?

Vers.21. *Iudæorum inaudita mala.* Accendit ardorem precandi ex gravitate mali, quam à comparatione amplificat superiorum & insequentium temporum: ecquod enim unquam auditum est bellum in quo decies centies millia virorum occisi sunt, nonaginta septem in captivitatem abducti? sicut enim in gravi & inusitato ignis incendio, ejus periculum homines ab igne restinguendo non modo non deterret, sed & acuit, &c. ita in hoc tanto incendio cœlitus immisso, &c.

Vers.22. *Quomodo dies contrahantur.* Dies contrahi dicuntur, non respectu divinæ sententiæ; sed 1. diuturnitatis malorum, quam populus promeritus erat; 2. consilii hostium, qui ultionis appetentiores, ulterius vellent, &c. ut Ezechiæ anni 15. addebantur, non supra tempus à Deo constitutum, sed, &c.

Nota improbos piorum causa sæpe in vita con-

ta conservari. Vide *Gen.* 18, & 19. quam gratiam improbi non modo non agnoscunt, sed & pessimam rependunt.

Nota Dei judicium non præcipitari, ut hominum, qui justa ira accensi, sæpe tamen modum excedunt, & ea faciunt, quorum post eos pœnitet. Vide illustre exemplum in Israelitis qui in Benjamitas tam impotenter ferebantur, ut inde in gravem luctum inciderent, & aliquid ex definita severitate remittere coacti sint. *Judic.* 20, & 21. Deus vero in maxima qua unquam aut uspiam excanduit ira modum servat, ut veritati suæ & promissæ misericordiæ constaret.

Observa in judiciis divinis omnia ad electorũ salutẽ tanquam ad normam revocari.

Nota etiam salutem electorum, piorum precibus à Christo commendari; qui tamen excidere non magis possent, quam Deus sententia & judicio falli. Contra *Papistas* qui electionis doctrina omne studium restingui dicunt, &c.

MATTH. *cap.* 24, *à vers.* 23, *ad* 29.

23 *Tunc si quis vobis dixerit; Ecce, hic Christus; aut hic: ne credite.*

24 *Excitabuntur enim Pseudo-christi & Pseudo-prophetæ, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri posset) etiam electos.*

25 *Ecce, prædixi vobis.*

26 *Itaque si dixerint vobis; Ecce, in deserto est: ne egredimini; Ecce, in conclavibus, ne credite.*

27 *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem: ita etiam erit adventus Filii hominis.*

28 *Ubicumque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.*

MARC. *cap.* 13, *à vers.* 21, *ad* 24.

21 *Tunc autem si quis dixerit; Ecce hic Christus, vel ecce illic, ne credite.*

22 *Surgent enim Pseudo-christi & Pseudo-prophetæ: & edent signa ac miracula ad seducendum, si fieri posset, etiam electos.*

23 *Vos autem cavete; Ecce, prædixi vobis omnia.*

ANALYSIS.

ADjunctum signum finis mundi est quorundam impostura de Christi Servatoris è cœlis in terras descensu; quæ impostura sua forma describitur, nempe *hic est Christus* vel *ibi est Christus*; hujus adjunctum remedium adscribitur, nempe ut fidem illis impostoribus derogemus.

Vers. 24 Cujus imposturæ efficientes causæ describuntur; principales, Pseudo-christi ipsi; adjuvantes, Pseudo-prophetæ; qui suo adjuncto describuntur, nempe exurgendi, seu se ingerendi; item effecto edendi magna signa & prodigia; quorum prodigiorum & imposturæ effectum est, multos in errorem impellere; quod comparatione majoris amplificatur, fore ut ipsis electis, si fieri possit, imponerent.

Vers. 25. Efficiens causa vitandi erroris est prædictio Christi, qua illos adversus hanc imposturam præmunit.

Vers. 26. Forma imposturæ generaliter 23. *vers.* indicata, specialius hic indicatur, nempe quod dicent, *Ecce est in deserto, ecce est in penetralibus*; ubi alterum efficiens instrumentale vitandi erroris indicatur, ne pedem moveant, cum sic evocentur.

Vers. 27. Probat istos non esse verum Christum ab adjuncto glorioso Christi adventu; qui pari illustratur, fulguris ex oriente in occidentem exeuntis.

Vers. 28. Deinde hunc errorem refellit à subjecto edito loco, quo Christus descendet, non autem in terram; quod suo relato confirmatur, quia electi ad illum præfestinabunt: quod etiam comparatione paris illustratur Aquilarum ad cadaver advolantium.

METAPHRASIS.

PRiore de excidio Hierosolymitano quæstio- 23.
ne expedita, accedo ad vestram alteram
de mundi fine. Quo in negotio de hoc primum
vos omnes discipulos meos admonitos esse volo,
ne fidem cuiquam (quantuscumque sit) adjun-
gatis, qui ab ascensu meo in cœlum vobis dicit;
Christus ille filius Mariæ verus Deus & ve-
rus homo spectandus in terram venit, & nunc
hoc, nunc illo loco illum intuendi potestas est.
Exsilient etenim ut ante Hierosolym tantum, sic 24.
a te mundi excidium voluntarii minimeque
vocati Pseudo-christi suis Pseudo-prophetis (qui
illorum laudes decantent) stipati. Hi signa &
prodigia tanta & tam stupenda edent, ut vel
ipsi

ipsi Dei electi (siquidem hæc fieri possit) in er-
25. *rorem abriperentur. Circumspicite & animum*
diligenter advertite: me quod attinet, vobis
ad cautionem, omnia quæ vestra intersunt, præ-
dicendo, officio perfunctus sum: proinde vestra
culpa erit, si vos horum fraudibus & impo-
26. *sturis irretiri patiamini. Quamobrem si mus-*
sitaverint in aurem vestram, dicentes; Venite,
sodes, & videte, nunc est in deserto, nunc in
secretioribus & magis abstrusis locis, nolite ad
illa loca vel pedem ferre, nedum ut istis nefariis
27. *impostoribus fidem adjungatis. Secundus enim*
meus (qui sum filius hominis) adventus, pri-
mũ subitus erit, & celerior, quam ullus in orbe
degens iter in desertum aut abstrusa loca con-
ficere possit. Deinde erit gloriosus & conspicuus,
ut non opus sit aliquo, qui adventum meum
aliis indicet, quandoquidem uno momento &
ictu oculi omnes per universum terrarum or-
bem me in nubibus venientem intuebuntur.
Cujus mei cum repentini, tum illustris adven-
tus vivam & expressam imaginem in fulgu-
re vobis propono, quod ab Oriente egressum,
28. *quam citissime ad Occidentem pertingit. Vn-*
de est ut fideles omnes inflammatissimo studio
ad me, qui pro illis vitam exponam, haud secus
aggregabuntur, quam Aquilæ, cum in viden-
do accutissimæ, tum in odorando sagacissimæ,
ad cadaver advolant.

PRAXIS.

Signa prædicuntur Hierosolymæ excidium & mundi consummationem antecedentia.

Partes, signa profecta ab { Hominibus in terris. / Deo in cœlesti & terrestri machina.

Vers.23, &c. *Impostura sub mundi finem.*

Vox τότε non designat tempus quod continenter excidium Hierosolymæ insecutum est, sed quod intra seculum seu ætatem ante finem mundi venturum est; quod ex *vers.29.* liquet, & *Luc.17.* nam de fine mundi quæstio quoque à discipulis mota est. Sicut igitur ad Hierosolymæ excidium arcessendum præcesserunt impostores, qui à plerisque admissi & amplexati judicium Dei accelerarunt; sic ante finem mundi, &c. Eoque efficacior erit hic error, quo gravius judicium in fine mundi exercebitur quam in Hierosolymæ excidio: hi enim Pseudo-christi (non ut priores qui Messiam se esse profitebantur) se Mariæ & Dei filium esse venditabunt. Hinc est quod vel electos, si fieri possit, seducendos dicit.

Quod signa & prodigia edituros dicit, docet sigillum Euangelicæ doctrinæ ab illis effingendum, & adulterinæ earum doctrinæ apponendum. Vide 2 *Thess.2.* & *Apoc.13.* Legimus ignem cœlitus evocandum à Pseudo-prophetis imaginis bestiæ.

Quæstio: Quodnam discrimen inter vera & falsa ista miracula? *Respondeo:* Attente rem considerantibus non erit difficile discrimen statuere, in genere, modo, & aliis circumstantiis; nec enim usq; eo Deus Sathanæ fræna laxabit, ut discrimen inter sua & Sathanæ opera non extet; ut in miraculis in Ægypto editis: nam si sagaces regis terreni sigillum effictum dignoscant, nedum, &c. Sed certissima hujus rei dijudicatio petitur ex doctrina probe excussa, & ad βάσανον verbi divini adhibita; quæ si cum doctrina Christi in Scriptura tradita non consentiat, etiamsi majora, si fieri posset, & crebiora miracula ederent, quam Christus & Apostoli; non tamen flocci æstimanda essent. Miracula enim ex doctrina, non doctrina ex miraculis æstimanda est. Quemadmodum si quis clam sigillum regis subduceret, & falsis tabulis apponeret, non tamen ideo expetitam possessionem auferret, sic, &c. Si Angelus, &c. *anathema esto. Gal.1.* Nedum si homo cœlum & terram commovens aliquid à tradita doctrina alienum mussitaret. Etsi enim hominum scriptura ita fingi potest, ut inter hanc & illam non internoscas; tamen ut Dei scripturam homo ita imitetur fieri non potest. Vide quæ in *Luc.17,22.* supra annotavimus.

Discrimen inter miracula Dei & Pseudoprophetarum.

Nota firmissimum piorum præsidium & arcem maxime inexpugnabilem in Dei consilio sitam esse, non in nostra prudenti cautione; sed nec in fide, (quæ tamen labefactari nequit) sed in Dei electione. *Rom. 11, 2. 2 Tim.2,19. Ioh.13,18.* Etsi enim fidei ut fundamento, radici, anchoræ, innitamur, tamen fidei fundamentum, radix & anchora est electio & consilium Dei. Hinc est quod qui instar montium radices alte in terram demersas habebant, convellantur, & loco moveantur, quod electionis stabilitati non incumbebant; cum alii, qui propter ingenii & doctrinæ tenuitatem vix collium locum obtinere poterant, inconcussi stent: Argonautarum naves submergantur, cum cymbæ non obruantur, lucidissimæ stellæ extinguantur, & cœlo excutiantur, cum linum fumigans non perinde luce sua privetur. Quare electionem nostram bonis operibus firmam & persuasam reddamus: quo non tantum in portu simus per medias tempestates;

Piorum firmitas in consilio Dei.

tes; sed nos in tuto versari scientes, placide & patienter omnia feramus. Vnde etiam constat eos qui electionem tollunt, nullum sibi tranquillitatis locum in gravissimis jactationibus relinquere.

Vers.25. *Serio cura nostri gerenda.* *Ecce prædixi.*] Ἐπιφώνημα, quo illos ad majorem attentionem excitaret, quasi dicat, ego quod mearum partium erat, feci, ut vobis hæc prædicerem. Vos videte ne vobis ipsis & officio vestro desitis; ne otio & securitate torpeatis; ne instar ebriosorum in fastigio mali in tam gravi tempestate dormiatis. Non sunt ergo res leviculæ, aut leviter prætereundæ, quæ à Christo in Scriptura prædicuntur. In bello tuba interdum clangit, & signo dato ad arma concurritur, ubi nullus hostis imminet: sed in Christi bello, Christo præsertim ipso clangente, &c. etsi enim omnes hoc belli genere non exerceantur, omnes tamen paratos esse oportet. Multa in castra comportantur quorum nullus est usus. Plures anchoræ feruntur, quam semper opus est, &c. quia res ita cadere potest, ut, &c. sic, &c. Abnerus reus mortis pronunciatur ac si Saul ejus incuria interfectus fuisset, etsi, &c. 1 *Sam.*

Hic docemur excubias nobis agendas in quos finis mundi incidit; qui cum Apostolis minus virium habeamus, gravius tamen hac ex parte jactabimur. Imo si hi, qui ad hæc tempora non pertigerunt, jubentur tamen se munire, &c. nedum hoc nobis incumbit, qui, &c. cumque parum abfuturum est, quin electi ipsi in perniciosum errorem impellantur; quam solliciti, &c. quare imbecilli se corroborent, firmi vires addant; cum gradus sistendus, &c. si enim in bellis nullus aut dux, aut miles tam expertus est, qui in disciplina militari quotidie sibi proficiendum non conducere putet; quanto id magis in hoc bello adversus hostem tam fortem, vastum, expertum, exercitatum; maxime cum posteriores quique conflictus periculosiores futuri sunt.

Ecce, in deserto est, &c.] Vide quæ in *Luc.*17,23,24. jam antea in eandem sententiam disseruimus.

Prius errorem de Christi in desertum aut antrũ secessu convulsit. Nunc rationem adhibet dehortationis, ne pii ad illa loca se conferrent. Argumentum est à disparato, quod pii ad verum Christum aggregabuntur in aëre tum futurum; non igitur deserta aut recessus quærent: quod simul illustrat & probat, sicut aquilæ, quæ & visu acutissimo & odoratu sagacissimo sunt, advolant quam celerrime ad cadavera: sic pii omnes ad Christum, tanquam expetitum cibum & escam, quam celerrime festinabunt: rapientur enim (inquit Apostolus) in aëra. Vers.28. *Pii ad Christum in aëra rapientur.*

Vultures perinde sagaces sunt ad cadavera invenienda; sed ab aquilis, &c. quia volatus aquilarum aptissimus erat ad, &c. & quia alta petunt, &c. Quod piorum ingenium refert: etiam ab ipsis regenerationis incunabulis alta petunt, cœlestia sapiunt: in cœlis conversatio, *Phil.*3,19. *Col.*3. contra qui terrestria petunt graculis similes sunt, & talpis qui semper terram suffodiunt.

MATTH. *cap.* 24, *à vers.* 29, *ad* 37.

29 Statim autem post compressionem dierum illorum Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum, & stellæ cadent è cœlo, & potestates cœlorum concutientur.

30 Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa.

31 Is *vero mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & cogent electos ejus à quatuor ventis, à cœlorum extremo ad eorum extremum.*

32 A ficu autem discite parabolam: quum jam ramus ejus tener fit, & folia germinat, nostis prope esse æstatem:

33 Ita & vos, quum videritis hæc omnia, scitote illum *prope esse* & *ad fores.*

34 Amen dico vobis, nequaquam præterierit ætas hæc usquedum omnia ista facta sint.

35 Cœlum & terra præteribunt: sermones autem mei nequaquam præteribunt.

36 De die autem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem cœlorum: sed Pater meus solus.

MARC. *cap. 13, à vers. 24, ad 33.*

24 *Cæterum per illos dies, post afflictionem illam, Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum.*

25 *Et stellæ cœli excident, & potestates quæ in cœlis* sunt *concutientur.*

26 *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria.*

27 Ipse *vero tunc mittet Angelos suos, & suos electos coget à quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cœli.*

28 *A ficu vero discite parabolam; Quum ramus ejus jam tener sit, & germinat folia, nostis prope esse æstatem:*

29 *Ita & vos, quum hæc videritis fieri, scitote* illum *prope esse ad fores.*

30 *Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas usquedum facta sint hæc omnia.*

31 *Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt.*

32 *Sed de die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt, neque ipse Filius, sed Pater.*

LVC. *cap. 21, à vers. 25, ad 34.*

25 *Tum erunt signa in Sole & Luna & stellis: & in terra anxietas Gentium in consilii inopia: resonante mari & salo:*

26 *Exanimatis hominibus præ metu & exspectatione* malorum *eorum superve-nientium in orbem terrarum, nam potestates cœlorum concutientur.*

27 *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & glo-ria multa.*

28 *Quum autem hæc fieri incipient, sursum aspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestri.*

29 *Dixit etiam eis parabolam,* inquiens; *Videte ficum & omnes arbores:*

30 *Quum jam emiserint* folia, vos eas *cernentes, per vos ipsos agnoscitis jam prope esse æstatem:*

31 *Ita & vos quum videritis hæc fieri, agnoscite prope esse regnum Dei.*

32 *Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas quousque* hæc *omnia facta fuerint.*

33 *Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.*

ANALYSIS.

ADjunctum signum adventus Christi obtenebratio Solis & Lunæ, stellarum è cœlo casus, & totius cœli virtutum concussio. Quod etiam adjuncto tempore declaratur, nempe ilico post imposturas Pseudo-christorum & Pseudo-propheta-rum.

Vers. 30. Aliud adjunctum, nempe signum & veluti vexillum Christi; quod subjecto loco declaratur, in cœlo: quorum signorum effectum in improbis erit planctus & mœror: cujus etiam planctus causa efficiens notatur, quod videbunt Christum venientem in nubibus.

Cujus adventus *duo* adjuncta ponuntur { potentia, gloria, } quæ utraque sua adjuncta magnitudine amplificantur.

Vers. 31. Effectum Christi narratur, missio Angelorum: quorum effectum indicatur, sonantissima vox; quæ comparatione paris illustratur, nempe tubæ. Deinde aliud effectum narratur, collectio electorum ad Christum adducendorum: quæ etiam subjecto loco declaratur, nempe à quatuor ventis, & ab uno cœli extremo ad alterum.

Vers. 32, 33. Propinquitas finis mundi, cum hæc adveniunt, comparatione paris illustratur; tam enim propinquus est, quam æstas, cum ficus tenellos ramos & folia sua fundit.

Vers. 34. Omnium horum signorum quæ ultimum diem præcedent adjunctum tempus notatur, antequam seculum vel ætas una penitus exacta erit. Quod etiam testimonio vehementis asseverationis confirmatur.

Vers.

Vers. 35. Porro comparatione minoris corroboratur, cœlum & terram peritura potius, quam unum verbum Christi excidat.

Vers. 36. Quod tempus seculi vel ætatis suo diverso illustratur; tametsi enim seculum & ætas, quo dies ultimus adveniet, perscriptum & præfinitum hominibus innotescat, tamen dies & hora omnibus occulta est; quod comparatione majoris illustratur, quia ne Angeli quidem hoc sciunt; quod etiam alia comparatione majoris arguitur, ne filium quidem hominis illum diem aut horam nosse.

METAPHRASIS.

29. *Statim postquam Deus suos, Pseudo-christorum & Pseudo-prophetarum imposturis, gravi afflictione exercuerit (quod piis singulari consolationi, & impiis horribili exitio cadet) in cœlis sol obtenebrabitur, luna lucem suam subducet, stellæ è suis sedibus decident, astra*
Lvc.25. *item & cœlestia signa concutientur. Atque ut in cœlis, sic inferiore mundi parte ex maris & freti fragoso sonitu omne genus populi in maximas animi angustias conjicientur, quæ illos aut ad resipiscentiam exstimulabunt, aut si pænitentiæ locus non sit, formidabili horrore*
26. *consternatos ad desperationem adigent. Usque eo ut homines præ metu & exspectatione eorum, quæ mundo superventura sunt, animam efflare parati sint; quia omnium creaturarum cœlestium & terrestriũ confusione & conturbatione insequentis mox ruinæ πανωλεθρίᾳ mundi finem appetere & adventare cuivis ad cognoscen-*
Matt.30. *dum non erit difficile. His signis præmissis, Christi filii hominis signum in cœlo conspicietur, infinitus splendor & apparatus, quo tanquam vexillo sublato, omnes tanquam in bello ad illud convolabunt & aggregabuntur. Quando etiam omnes omnium gentium impii & scelerati homines animi cruciatu concutientur, maxime cum viderint me filium hominis, (prout in cœlum ascendi) in nubibus è cœlo descendentem incomparabili potentia & glo-*
31. *ria instructum. Quo tempore Angelos etiam mittet suos, & in his Archangelum, quasi ducem: qui tanquam tuba sonitu ingentem vocem edet: Cujus vi mortuis excitatis & vivis uno momento mutatis, electos, ab omnibus*
32. *cœli plagis ad Christum aggregabunt. A ficu vobis familiari similitudinem petite, quæ vobis in hoc negotio documento & consolationi esse possit. Cum etenim ficus arbor ramos & flagella & folia fundit, æstatis appropinquatis*
33. *certissimum testimonium esse noscitis. Haud secus & vos cum hæc omnia oculis & auribus usurpabitis, scitote adventum meum perinde appetere & propinquum esse, ut qui domus suæ ostium pertingens, illam protinus ingredi paratus est. Atque ut Hierosolymitani excidii* 34.
antecedentia signa unius ætatis & seculi curriculo circumscripsi; itidem in mundi hujus interitu sancte vobis affirmo, integram ætatem non plene exactam iri, priusquam extremus Iudicii dies advenerit; initio facto à Pseudo-christorum & Pseudo-prophetarum impostura, ad illum diem usque, quo filius hominis gloriosus ab omnibus in aëre conspicietur. Quod 35.
quidem ita indubitatum est, ut cœlu & terra citius esse desinant, quam ex dictis meis vel verbulum unum excidat. Tametsi vero ætatis seu seculi secundi adventus mei à me tempus præfinitum vobis innotescat: tamen de die illo (nedum de hora) nemo mortalium novit: quod ne vos mœstos habeat, mentem vestram subeat, ne beatos quidem Angelos hæc scire: dicam amplius; ne filius quidem hominis (quoad homo est, nondum in gloriam translatus) hæc novit; ut uno verbo dicam, Pater istos temporum articulos sibi soli reservavit.

PRAXIS.

Post compressionem dierum illorum.] Impostores enim cruentabunt pios, non tantum doctrinæ perversitate, sed etiam, quoad possunt contumeliis & injuriis. Vers.29. *Creaturarum, ante adventum Christi, consternatio.*

Sol obscurabitur, &c.] Machina cœli, terræ & maris tremefiet: sicut enim ædes priusquam ruunt, concrepare solent; sic in hoc mundi domicilio fiet. Propheta hæc figurate de afflictionibus, &c. sed hic prout sonant verba, accipienda sunt. Cum autem pulcherrima & maxima mundi pars cœlum & ejus splendidissima ornamenta deformentur, & veluti claustra obsignentur, certum est ejus interitum appetere: multo magis quam cum terra quæ instar puncti est, &c. vestis, cum ejus color, species, villus, usu atteritur, abjectioni prope est, sic, &c. Huc refer quod est de cœlo, terra, mari sub Euangelio concutiendis *Agg*.2. Quo videtur *Lucas* respexisse cum de horribili maris strepitu mentionem facit.

Objectio: Videtur alienum talem fore creaturarum defectum, sub adventũ Christi, qui longe splendidissimus erit, &c. Principis enim adventum quædam claritatis notæ præcedunt. Deinde hoc ad piorum, qui tum in terra existent, consolationem minus accommodatum videtur, qui alioqui afflicti, hac tanta obscuritate amplius conturbabuntur.

Respondeo: 1. Hoc Christi gloriæ non obe- *Piis læta,*

 rit,

impiis horrenda. rit, quin potius eam illustrabit: nam quo major præcessit rerum omnium obtenebratio, eo gloriosior apparebit Christus, qui depulsa illa caligine, cœlum & terram sua gloria collustrabit. Nec piis officiet, quibus iudicium erit appropinquantis Christi Servatoris & vindicis. Sicut enim appetente mane, majores tenebræ sunt quam reliqua noctis parte, quo exhilarantur potius qui diem expetunt, quam, &c. sic, &c. Improbis vero hic adventus Christi apparatus aptus est, vel ut illos injecto metu ad resipiscentiam extimulet; vel si illi locus non sit, ut hoc modo consternati sensu æternæ damnationis tangantur, ut veluti in atriis & vestibulo inferni, hic in terris agentes consistant.

Quare lumen intus paremus, ut cum externum defecerit, animo alacri & erecto simus: ut enim nocte domum occupante, qui lucernas accensas habent, non ita magnopere solis lucem requirunt: sic, &c. imo nobiscum erit ut cum Israël, cum tenebræ Aegyptum occuparunt. Cumque tantus maris strepitus & terræ motus, &c. futurus sit; curandum ut intus pacem colamus, qua, &c. tum enim fortissimus quisque qui fide vacat, tanquam fœmina trepidabit; & contra.

Atqui non cœli, &c. annihilabuntur: sed excoquentur & defæcabuntur: qua nos ergo pietate & sanctitate esse oportebit, qui cœlos inhabitabimus? 2 *Pet*.3, 13, 14. tam splendida palatia porcis aptari, quam indignum esset?

Vers.30. Signum Christi triumphale; Sicut belli Imperator copias suas coacturus vexillum pandit, ad quod, &c. sic tantus erit Christi advenientis splendor, ut omnes ad eum hoc indicio colligantur. Priore adventu furtim venit, ejus ut adventus paucis innotesceret, quibus veluti in aurem insusurravit, &c. sed posterior clarus, in edito loco omnibus innotescet. Hoc autem signum non est classicum belli, sed signum quo triumphus agetur, ut quicunque sub signo crucis & afflictionis militaverit, is ad hoc signum advolet, ut cum Christo triumphos agat, & vitæ æternæ spolia dividat. Quo est minus vero simile hoc signum futuram crucem cui Christus affixus fuit; cujus proculdubio omnis memoria delebitur.

impiis luctuosum. *Plangent*, *&c.*] Adjunctum hujus signi: plangent autem impii qui Christum pupugerunt, sive in capite, sive in corpore, sive factis, sive dictis. Signum hoc impiorum oculis sanguinolentum aut atrum apparebit, ut qui Christum victorem & regem, tanquam refractarii & rebelles subditi, & tanquam judicem malefici, intueri cogentur; cujus vel solo conspectu consternentur, cogitationibus se accusantibus & reos peragentibus. Planctus vero talis erit, qualis pro primogenito; & qualis olim *Hadadrimmone*, ubi Iosiæ mortem Iudæi defleverunt. vide *Zachar*.12, 10, *&c.*

Quod si tanto in luctu hic in terris versabuntur, quid illis fiet in inferno, &c. Quare homines se ad planctum & lachrymas hic excitent, ubi eorum fructus erit: præstat ad momentum lugere, ut in æternum gaudeamus, quam, &c.

Nota causam cur homines in Christũ sive infidelitate, sive morum corruptela impingunt; nempe quia eum fidei oculo potentia & gloria instructum non intuentur, ejusque magnitudinem sibi in animo non proponũt: impii enim simulatque eum angelorum satellitio stipatum videbunt, &c. lugebunt eorum protervіam, perfidiam, &c. Qui nubes currus suos, & quadrigas sibi & suis facit.

Tuba.] Perstat in priore metaphora: sicut enim explicant vexillo, sic tubæ sonitu solent copias cogere. Videtur alludere ad *Num.* 10. Vbi populus castra figens circum tabernacula tuba convocabatur ad tabernaculum. Apostolus 1 *Thes*.4. docet hanc tubam fore Archangeli vocem, quam ille virtute filii Dei efferet. Vnde *Iohan*.5. vox filii Dei appellatur. *Vers.31. Tuba vox Archangeli, Filii Dei virtute elata.*

Hujus vocis *duplex* erit effectus,	1. In mortuos ut reviviscant immortales,	utrũque in ictu oculi.
	2. In vivos ut mutentur,	

Hic confer virtutem verbi prædicati per ministros, cum voce hac: mortuos enim perinde excitat; & uno momento hoc facit. Hoc tamen differt, quod Euangelii vox vitam hanc inchoat; illa consummat.

Nota admirabilem Dei potentiam qua uno momento instaurabit, quæ multis annorum millibus collapsa sunt; nec instaurabit modo, sed in conditionem longe præstantiorem provehet: Admirabilem scientiam qua singulis sua propria corpora, nervos, ossa, reddet & coaptabit. Hominibus non perinde facile est instaurare ac diruere; Deo vero, &c. tum mare suos mortuos, tanquam fidelis custos reddet; & terra suos, &c. *Dei potentia & scientia admiranda.*

Sed alii ad vitam, alii ad mortem resurgemus, prout in sepulchro conditi simus: hi enim ut frumentum in horreum, &c. illi ut spinæ & cardui in ignem, &c. quare providendum *Diversa resurgentium conditio.*

dendum quomodo nos ad lectum sepulchri componamus, ut ei fidei culcitram substernamus, bonorum operum cadurcum superstern amus, spei pulvinar capiti supponamus, veteramenta peccatorum antequam lectum petamus, exuamus. Nobis autem qui superfuturi sumus cavendum ne somnus obrepat, sed perpetuæ excubiæ agendæ, animi in Domini adventum parandi, ut illi venienti obviam procedamus, aut ad fores simus, ut prima quaque pulsatione ei aperiamus.

Angelorum in resurrectione ministerium.

Mittet Angel. s.] Ministri enim Dei sunt ad electorum salutem. Hoc videtur esse postremum ministerium quod erga eos præstabunt: post Dei laudibus concinendis vacabunt. Hi sunt igitur secundi messores, qui Dei frumentum in cœli & Ecclesiæ triumphantis horreum comportabunt. *Quæritur:* quomodo electos à reprobis internoscent? *Resp.* facillime: cum enim electorum saluti destinati sunt; non est dubitandum, &c. si servus domini messem ab aliena internoscit; & frumentum à Zizaniis; nedum Angeli, &c. *Ezech.*9. dicuntur electi fronte notari; ut non minus facile sit, &c. quam si nota aliqua visibili, &c. Deinde ex hilari aut tristi singulorum vultu, &c.

Cogant electos à quatuor ventis.] Mirifici sunt isti messores & vindemiatores. Inter homines vel diligentissimi coloni & vindemiatores aliquod spicilegium & racemationem post se relinquunt; isti vero ne spicam, ne uvam: omnes sive electi, sive reprobi colligentur, &c.

Tum erit perfecta separatio. Hic aream repurgare incipit, verbi prædicatione, maxime ubi disciplina Ecclesiastica obtinet; tum vero scorium à pretiosis metallis, palea à frumento, &c. tum non dicetur amplius impio, justus es; nec contra avaro dicetur liberalis es, &c. *Esai.*32,5. Hac meditatione nos consolemur.

LUC.28. *Hæc omnia piis liberationis suæ signa.*

Tum suspicite & attollite capita, &c.] Impii præ metu signorum in cœlo & mari expiraturi sunt; contra pii, &c. ut sponsa sponsi adventum exspectans; servus frugi, &c. heri adventum: hæres in hæreditatem immissionem. Nec mirum si pii, &c. cum mutæ creaturæ hunc Domini adventum quodammodo naturæ instinctu expectant. *Rom.*8. Hic igitur implebitur, quod est apud *Esa.* 65,13,14.

MATTH. 32,33. *Extremi diei certus adventus, & ex eo lætitia:*

Quo hæc consolatio altius insideret eorum animis, similitudine illustrat, &c. ubi *notandum* 1. Spacium quod interjectum est inter hæc signa in sole & luna, &c. & Christi adventum. 2. Certitudo venturi illius diei. 3. Lætitia & consolatio, quæ veris & æstatis tempore adumbratur. Vide *Cant.*2.

Vers. 34. *Ejusdem præstitutum tempus.*

Non præteribit ætas] Est ætas 100. annorum. *Gen.* 15,13,16. Ante *cap.*23. calamitatem Hierosolymæ explicans, tempus præstituit, unius seculi curriculum, &c. sic nunc, &c. sicut enim non omnia prædixit quæ Hierosolymæ excidium & mundi interitum intercurrerent (id enim *Paulus* 2 *Thessal.*2. & *Ioh. Apoc.* præstant, ita neque jam, &c Hæc enim verba ad eam ætatem referri, quæ finem seculi immeditate præcedet, ex antithesi constat, quæ sequitur; *sed de die & hora, &c.* Quasi dicat, ætatem quidem & seculum noveritis, sed diem aut horam minime. Magna vero asseveratione utitur ad consolationem & confirmationem electorum, qui tum valde prementur.

Piorum afflictiones breves.

Observa piorum calamitates graves, sed easdem breves esse intrã seculum: sic in excidio Hierosolymæ contrahentur dies illi. Non enim semper patietur virgam improborum electorum tergoribus adhærere, ne & illi manus ad impietatem & stultitiam apponant. Colonus paulo æquior bovis laborem tanto citius definit, quanto in pertinaci & petroso agello araverit. Queruntur quidem pii Deum tardare, sed illud ex infirmitate proficiscitur. Deus enim veniendo veniet & non tardabit, & sibi supplicantes cito vindicabit. *Luc.*18.

Vers. 35. *Adventus Christi certitudo:*

Cœlum & terra præteribunt, &c.] Ut superiore versu festinationem, sic hoc versu certitudinem notat; ut pios confirmet adversus impios illos, qui ejus adventum negabunt. 2 *Pet.*3.

Hinc autem discimus rem quamque eo nobis diligentius meditandam, &c. quo aut sæpius, aut asseverantius, aut vehementius in Scripturis proponitur. Deus enim prout vel nostram tarditatem & stuporem, vel foris periculosas tentationes præviderit, eo nos accuratius adversus ea munit: ut enim prudens parens eo frequentiores & vehementiores adhortationes ad filium accommodat, quo, &c. sic, &c. Eoque nobis prudenter expendendum est, quæ potissimum tentationes illam ætatem exercent, in qua nos agimus; aut quæ magna verisimilitudine impendebunt; ut promissiones & cautiones, quibus illis cum primis occurratur, probe & compertas & meditatas habeamus.

Vers. 36.

Seculum quo venturus est suis communicavit,

Sed dies ejus ignotus; licet seculum cognitum.

cavit, diem vero aut horam, &c. Ideo non dicit; exacto seculo; sed antequam seculum, &c. Sic in Hierosolymæ excidio. Quod quo æquius ferremus, dicit, ne Angelos, &c. Atque apud *Marc.* ne filius hominis, &c. non est ergo ex defectu charitatis quod diem nos celavit. Sed 1. ut suæ gloriæ consuleret. *Dei enim gloria est rem celare, Prov.* 25. 2 *Rom.* 11. Quod si reges aliquod arcanum secum reservant, quod ne consiliariis quidem communicant: nedum Deus, qui nullis consiliariis eget. Cavendum ergo ne in Dei arcanum & conclave irrumpamus, *Deut.*29,29. *Res secretæ Deo, &c.* Hujus autem curiositatis causa est, quod in rebus patefactis indagandis segniores simus. Si enim patefacta intelligeremus, ea nos jucunditate afficerent, ut nihil amplius in hac vita desideraremus; 2. ut nobis consuleret, qui si Deum aut horam nosceremus, securi, &c.

MATTH. *cap.* 24, *à vers.* 42, *ad finem Cap.*

42 *Vigilate ergo, nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit.*

43 *Illud autem scitote, si sciret Paterfamilias qua vigilia fur venturus sit, vigilaret, nec sineret perfodi domum suam.*

44 *Propterea & vos estote parati: quia qua hora non putatis; Filius hominis venturus est.*

45 *Quis igitur est fidelis servus & prudens quem præfecit dominus famulitio suo, ut det illis alimentum in tempore?*

46 *Beatus servus ille, quem, quum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem.*

47 *Amen dico vobis, omnibus quæ sibi suppetunt præficiet eum.*

48 *Quod si dixerit servus ille malus in corde suo; Differt dominus meus adventum:*

49 *Cœperitque verberare conservos, quin etiam edere & bibere cum ebriis:*

50 *Veniet dominus servi illius die quo non exspectat, & qua hora non novit.*

51 *Et separabit eum, ac partem ei assignabit cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.*

MARC. *cap.* 13, *vers.* 33, *ad finem Capitis.*

33 *Cavete, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus illud sit futurum.*

34 Nam filius hominis ita est *ut quispiam qui peregre abiens relicta domo sua, dataque servis suis potestate, ac suo cuique opere, janitori mandavit ut vigilaret.*

35 *Vigilate igitur: (nescitis enim quando dominus domus veniet, vespere, an media nocte, an in gallicinio, an mane.)*

36 *Ne quum repente venerit, inveniat vos dormientes.*

37 *Quæ autem dico vobis, omnibus dico; Vigilate.*

LVC. *cap.* 21, *à vers.* 34, *ad finem Cap.*

34 *Cavete autem vobis ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & solicitudinibus hujus vitæ: & repente vobis superveniat dies ille.*

35 *Nam ut laqueus, invadet in omnes qui habitant in superficie totius terræ.*

36 *Excubate igitur, omni tempore deprecantes ut digni habeamini qui effugiatis ista omnia quæ futura sunt: & consistatis ante Filium hominis.*

37 *Docebat autem interdiu in templo: noctu vero exiens, pernoctabat in monte qui vocatur Olearum.*

38 *Et totus populus diluculo veniebat ad eum, ut eum audiret in templo.*

ANA-

A N A L Y S I S.

AD excubias animi agendum hortatur ab adjuncto, ignoratione horæ qua Christus veniet; quod pari illustratur vigiliæ corporeæ.

Vers. 43. Quod illustrat pari patrisfamilias excubantis ad adventum furis; quod amplificat comparatione majoris: nam si paterfamilias cognita hora qua fur veniet excubias agit, nedum nos debemus, qui nescimus horam adventus Christi.

Vers. 44. Finem notat vigilantiæ, ut simus parati; quod etiam confirmat ab adjuncto subiti & inexspectati Christi adventus; quod apud *Luc.* 21, 35. pari illustratur retis, quo aves subito illaqueantur; deinde efficiens causa indicatur vigilantiæ, cautio ne corda graventur crapula, ebrietate, & mundi sollicitudine.

Vers. 45. Specialius explicat quomodo verbi ministri se ad adventum Christi comparare debent; quorum officium describit duobus adjunctis, fidelitatis & prudentiæ: item effecto pascendi gregem sibi commissum; & illustrat comparatione paris œconomi, qui à domino familiæ præficitur.

Vers. 46. Describitur etiam adjuncto præmio, fide dispensationis, nempe beatitate: quæ suo adjuncto tempore declaratur, cum dominus venerit.

Vers. 47. Speciatim præmium notat, nempe præfecturam & dominatum in omnia; quod etiam testimonio vehementis asseverationis confirmatur.

Vers. 48. Hoc fidelis servi officium suo adverso servi nequam illustrat: cujus effectum designat, 1. quod cum animo suo statuit dominum suum in adventu moras nexurum.

Vers. 49. 2. Quod conservos suos verberat, 3. quod helluonum & ebriosorum socius fit.

Vers. 50. Hujus adjunctum est improvisus & inexspectatus adventus domini.

Vers. 51. Deinde adjuncta pœna designatur, nempe quod in partes discindetur; deinde quod ejus portio cum hypocritis futura est; quæ etiam pœna suo subjecto loco describitur, ubi erit ploratus & stridor dentium.

METAPHRASIS.

Marc.33. *CIrcumspicite igitur & excubias agite:*
quæ cura & solicitudo vestra ne cassa &
inanis sit, Deum studiose comprecemini, quandoquidem tempus secundi adventus filii hominis vobis, quando tandem erit, incognitum
34. *est. Sic enim prorsus de filio hominis cogitandum est, ut de illo qui relicta domo sua peregre proficiscens, servos ad se advocat, & cuique prout conditio ejus fert, cum authoritate operis pensum attribuit. Ianitori vero præcipua quadam ratione, ut excubias agat præcipit.*
35. *Vigilate igitur, ut qui nescitis quando pater familias peregre profectus, domum suam redibit; ut enim diem reditus præcise noscatis, tamen vesperine, an media nocte, an galli can-*
36. *tu, an mane venturus sit, ignoratis. Vigilate igitur, ne ex improviso superveniens, vos*
Luc.34. *dormientes offendat. Quo autem commodius excubias agatis, omnem curam & cogitationem adhibete, ne animi, hinc crapula & ebrietate, istinc hujus vitæ curis & solicitudinibus graventur, unde subitus dies ille Domini vobis superveniat. Plane etenim ut laqueus avi-* 35.
bus expanditur; sic omnibus orbem terrarum incolentibus dies Domini superventurus est.
Quamobrem sine omni intermissione omni 36.
tempore vigilate, à Deo precibus contendentes, vos ut idoneos reddat, qui omnia hæc ventura mala, tam in doctrinæ corruptelis per Pseudo-christos & Pseudo-prophetas, quam in depravata veteris mundi conversatione & vitæ consuetudine, effugientes, coram filio hominis inculpati sistamini. Non vos latet, pa- Matth.
tremfamilias, modo qua noctis vigilia fur do- 43.
mum invaderet compertum haberet, solicite excubaturum, nec passurum ut ædes illi suffoderentur. Quanto vos magis parati & exper- 44.
recti esse debetis, cum qua hora vos non putaretis, filius hominis venturus sit. Quod vero Marc.37
vobis quatuor discipulis meis, de Hierosolymæ & mundi extremo excidio percunctantibus, de vigilandi officio inculcavi, id vobis omnibus (quotquot estis) discipulis meis dictum putate.
Hæc vigilantia cum ad unum omnibus piis & Matth.
discipulis meis, tum vobis Apostolis & ad mi- 45.
nisterium verbi delectis incumbit magis. Si quis enim (qui certe rarus est) fidelis & prudens servus est, quem dominus famulitio suo præfecit, ut alimenta familiæ tempestive suppeditet. Perbeatus est servus ille, quem domi- 46.
nus sic facientem offenderit. Sancte enim vobis affirmo, fore ut illum non tantũ famulitio, sed 47.
omnibus in universum possessionibus & vectigalibus præficiat. Quod si nequam servus se- 48.
cum & cum animo suo hæc agitet, cunctatur dominus meus venire, & moram trahit. Qua 49.
fiducia injustum imperium sibi in domesticos arrogans illos cædere cœperit, aut cum combibonibus suis cibo & potu se infarcire. Veniet 50.
illius servi Dominus die quo non exspectat & hora quam non novit. Et à fidelibus servis se- 51.
posito, sortem illi cum Hypocritis ibi attribuet, ubi erit assidua lamentatio & stridor dentium.

Erat autem Iesus interdiu docens, in tem- Lvc.37.
plo, noctu vero urbe exiens pernoctabat in monte, qui vocatur mons Olivarum. Totus au- 38.
tem populus mane (illum ut audirent) in templum conveniebant.

P R A X I S.

HInc concludit vigilandum animo, id Vers.42.
est, diligenter circumspiciendum, ne &c.
impa-

Quare vigilandum, exemplo Patrisfamilias furem expectantis.

imparati comprehendamur, quod illustrat parabola vigiliæ corporeæ. Argumentum à comparatione minoris ducit. Si enim paterfamilias comperto tempore adventus furis, vigilias ageret, nec in eo acquiesceret quod januas bene clausas & pessulis obductas haberet, &c. Multo magis nos qui tempus nescimus, &c. Magis ergo nos exsuscitat ad vigilandi studium, quod dies Domini nobis cælatur, quam si innotesceret. Quam pauci erant ex Iudæis qui priorem Christi adventum præstolarunt, cujus annus & mensis præcise a Prophetis præfinitus est (prædici enim oportuit, quia humili & abjecta conditione veniens, alioquin non fuisset agnitus; quod jam secus fiet) si Zachariam, Elizabetham, Simeonem, Annam excipias. Quam pauci ex Diluvii tempore prædicto, &c. ut nostræ ergo saluti consuleret tempus adventus sui nos celavit. Vide *Prov.7. maritus peregre profectus, &c.* Hinc audax facta est, &c.

Paterfamilis subito oppressus, poterit tamen furem conficere; nos autem Christo nos dormientes offendente, resipiscere nequimus. Fures interdum conscientiæ terroribus & crucis metu ita percelluntur, ut vix apud se sint (hinc proverbium, *unum probum virum duos fures valere.*) At Christus summa cum fiducia, non in alienam, sed suam possessionem irrupturus est. Et si adversus diabolos, qui à Christo frænis constringuntur, vigilamus, nedum, &c. Paterfamilias ignarus est an fur venturus est nec ne; nos autem, &c. Paterfamilias nocte vigilat; tempus nostrum nox perpetua, si cum illa luce futura componatur. Paterfamilias quo ditior, eo magis sollicite excubias agit: sic nos quo plus pietatis & notitiæ veritatis, &c. Eo enim majus dispendium si, &c. *Apoc. videte ne quis vobis coronam praripiat.* Paterfamilias, quo quis domus locus magis pentrabilis, eo magis reficit, &c. Sic qua ex parte, Christus nos maxime imparatos offendat, ea nos promissionum aut comminationum meditatione muniamus magis. Paterfamilias excubias agit ne caduca & peritura auferantur: nedum nos, ne æterna, &c. Si Domicilium ab homine constructum diligenter servandum: nedum à Deo ædificatum. Si domus quæ mille aureis empta, &c. Nedum quæ nec auro, nec pecuniis redimi poterit. Si domus quæ diruta reædificari aut redimi poterit; nedum quæ, &c.

Lvc.34, 35.

Vigilantiæ causam assignat, ne à crapula, ebrietate, & curis seculi, quæ animo stuporem afferunt, multo magis quam crapula, &c. Hæc autem sive cautio, sive excubatio cassa erit, nisi preces accedant quibus ejus fructus percipiatur, ut est apud *Marcum.* Ideo apud *Lucam* formula orationis proponitur, ut erepti ab omnibus hujus mundi malis, tam doctrinæ imposturis, quam morum corruptelis, quæ in veteri mundo, & Sodoma viguerunt, incorrupti sistantur Christo. Quare adversus hæc vigilandum & orandum.

Causæ hujus vigilantiæ efficientes.

Istud confirmatur argumento ab adjuncto, subito interitu nisi excubias agamus. Qui interitus illustratur argumento Parabolico retis exparsi super aves. Sic media nocte adortus Aegyptios. *Exod.*

Hactenus de iis excubiis in quibus omnes esse oportet, ut est apud *Marcum.* Sequuntur eæ, quæ his peculiaria sunt, qui Ecclesiæ Christi præponuntur. Sicut enim in civitate obsessa omnes cives excubare oportet, eos verò præsertim qui ad eam rem delecti sunt, sic, &c. & prout quisque locum majoris momenti, puta arcem aut portam custodiendam susceperit, ita majorem sollicitudinem adhibeat, &c.

Vers.45. *Vigilantia Ministrorum.*

Christus sibi quærenti (propter paucitatem) quis sit servus fidelis, &c. respondet quem dominus sic facientem offenderit, id est, qui ab officio nunquam desistit, quoad illud adventu ipsius definiatur, tametsi multas molestias subire cogatur.

Ab his igitur qui Ecclesiæ præficiendi sunt, requiritur, *primo* ut fideles sint, qui sui commodi, voluptatis, honoris causa nihil eorum subducunt, quæ Ecclesiæ usui esse possunt, nihil iis addunt: herus enim optime novit quid familiæ sua conducat, *Secundo* ut prudentes sint, id est, ut norint quibus finibus eorum officiũ circumscribitur, & officii sui rationem accurate teneant, quid cuique & quo tempore & loco conveniat; quid sanis, quid ægrotis: qui lacte potandi, qui solida cibo pascendi; ut cũ senibus & junioribus, prout eorũ ætas postulat, agant. 1 *Tim.*5,1,2. Si enim principum aulas præstantissimis ingeniis & formis ornari oportet; ut *Daniel* 1. nedum in Christi aula hic delectus habendus. Honestiores familiæ œconomum non admittunt, nisi quem sciverint dotibus præcellere; nedum in Ecclesia & familia Christi. Et si erudiri oportet eos per quos βιωτικά judicantur. *Psal.2.* nedum eos qui causas regni cœlestis decidunt. Norit ergo minister Christi non modo summam doctrinam Ecclesiæ

Eorundem requisita.

clesiæ proponere, sed etiam eandem doctrinam ad ejus usum & ædificationem applicare, nec toti gregi tantum, sed & singulis ejus membris; neque pabula tantum, sed & Pharmaca: fastuosos comminationibus retundere; imbecilles consolari, sustentare. Hinc est quod Iob, unum ex mille, & *Matth.* 13. qui ex thesauro suo depromit nova & vetera; non ad victum modo, sed ad delitias. A Presbyteris item requiritur, ut inter sanctum & prophanum possint judicare, ut peccatorum gradus teneant, ut ingenium facile à refractario, &c. quid privatim, quid publice arguendum, ut consilium salutare Ecclesiæ conferant, &c. Item ut Diaconi cujusque paupertatem, imbecillitatem ex morbo, &c. pietatem, &c.

Vers.46. *Beatitudo,*

Similes adhortationes ad hanc prudentiam & fidelitatem adhibet, ab adjuncto præmio beatitatis, quod omnino necessarium fuit: Ecclesiæ ministerium tanti laboris & fastidii, tot probris, detrectationibus, aliis injuriis expositum est; ut nisi iis promissionibus sustentetur, millies oneri succumbere necesse esset. Quare ad istud præmium oculos attollamus: interim vero meminerimus quanto nos honore Deus impræsentiarum dignatur. Si enim consul aut quæstor in civitate creari præclarum est: nedum in Ecclesia Dei. Et si Salomonis servi beati pronunciantur qui coram eo stabant, &c. 1 *Reg.* nedum ministri & præbitores Christi.

Vers.47. *& præmia:*

Istam vero beatitudinem similitudine à terrenis principibus illustrat. Sicut enim, &c. Ita Christus suos œconomos fideles in regno suo multis præfulgere faciet, erunt & in cœlo quasi ex vigintiquatuor senioribus; erunt ei quasi à consiliis. Vide quo fides & prudentia Iosephi se evexit apud impios homines; quanto magis apud justissimũ Deum. *Prov.*22. *Vidisti virum expeditum in opere? is stabit coram principibus, non coram ignobilibus*, & *cap.*14. *Servus prudens delicia regis*, & 17. *Dominabitur Filio pudendo & hæreditatem dividet inter fratres*: quod si Deus hoc inter mortales fieri velit; nedum, &c.

Nota eum omnibus præfectum iri; hic ex parte bonis fruimur; ibi omnibus, &c.

Vers.48, &c. *Servi infidelis perfidia: cujus primus gradus cogitatio de*

Istud tum officium, tum officii præmium illustrat servi nequam contraria perfidia, & perfidiæ pœna. Et primo quidem frugi servo infrugem & decoctorem opponit; ἀχρεῖος, id est, œconomus, non servus fidelis.

Primum hujus perfidiæ semen & initium in cogitatione ponit, *dixerit in corde suo, &c.*

servo heri adventu:

hæc cogitatio perfidiæ & stultitiæ in ministris mater est. Cavendum ergo ne de Christi adventu tanquam de re, quæ in aliquot secula rejicitur, cogitemus: coram Deo ambulandum, *Genes.* 15. Deus semper ob oculos ponendus, *Psal.*16. *Prov.*5,21. judicis forma, habitus, adventus subitus, præmium &c. cogitanda. Ministris sic vita instituenda, ac si Christus præ foribus staret; fides & affectus in cœlum tollendi, ut cum eo conversemur.

Nec tamen iste nequam videtur ex eorum genere esse, qui omnem sensum reditus Christi exuerunt, qui eum aperte negarunt. 2 *Pet.*3. *Vbi est promissum, &c.* Illi veritatis hostes sunt aperti, isti hypocritæ, qui de ejus reditu non satis solliciti sunt: quare cavendum, &c.

Nota, Sathanæ stratagema, qui cum omnes pœne ab officio abducit, vel abnegatione adventus, vel diuturnioris commorationis opinione; ita tamen rem cum *Thessalonicensibus* dolose tractavit, ut eos opinione instantis & jam appetentis ipsius adventus fefellisset; nisi ei Apostolus occurrisset. 2 *Thess.*2. *non veniet ille dies, nisi prius, &c.*

Secundus excussum vigilandi studium, conservorum cedes, luxus.

Ex illa radice amara prodeunt fructus radice digni, 1. studium vigilandi ad tempus excussum, & per aliquot annos aut menses ex animo dispunctum. Hinc spiritus sumit cædendi conservos, eos præsertim, qui se ejus cupiditatibus opponunt; contra vero comitem se adjungendi illis conservis, qui herilia bona dissipant; ita quos pascere debebat, eos cædit; & quos à luxu prohibere, eos in scelere confirmat, sic *Mich.*2,11. *Hos.* 9,8. Atque ut ejus impietas Magistratus potentia non armetur; tamen pessimo vitæ exemplo, piorum conscientias vulnerat & verberat. Vide ergo quanta cura adhibenda in deligendis iis qui Ecclesiæ præsunt.

Conservos.] *Nota*, ministros conservos appellari; eorumque moderatum principatum œconomi typo adumbrari. 1 *Cor.*4,1. *Sic nos existimet homo, &c.* Hæc ergo moderatio servanda, ut nec eos tanquam servos contemnamus, nec ut dominos habeamus.

Vers.50, 51. *Domini adventus inexpectatus, servi pœna.*

Veniet dominus die & hora qua nescit.] Domini enim, si in servum infrugi inciderint, cujus perfidiam exploratam habeant, ita reditum suum insidiose instituunt, ut nihil tale cogitantem opprimant. Huc accedit quod ebriosi, securi & somnolenti fiunt: etsi enim vino non inebrientur, tamen voluptatibus, honoribus, quæstu, tanquam vino, &c.

Etsi autem reputent se ante adventum heri experrectos omnia ita curaturos, ut dominus quod requirat non habeat, tamen, &c. Nec enim magis effugient, quam parturientes dolores & tormina. Quod si servus nequam sciret se ab hero cito opprimendum, nunquam se nequitiæ daret: nos igitur, &c. Servus nequam ita pudore suffunditur ex conspectu heri, ut ejus remedium aliquando quærat in morte, quam sibi consciscit. Quo igitur animo nos erimus, cum coram tanto principe, &c.

MATTH. *cap.* 25, *à vers.* 1, *ad* 14.

TUnc erit simile regnum cœlorum decem virginibus, quæ sumtis lampadibus suis exierunt in occursum sponsi.

2 *Quinque autem ex eis erant prudentes, & quinque fatuæ.*

3 *Quæ erant fatuæ, sumptis lampadibus suis, non ceperant oleum secum:*

4 *Prudentes vero ceperant oleum in vasis suis una cum suis lampadibus.*

5 *Morante autem sponso, nictarunt omnes, ac dormierunt.*

6 *Media vero nocte clamor ortus est* dicentium; *Ecce, sponsus venit, exite in occursum ejus.*

7 *Tunc surrexerunt omnes illæ virgines, & adornarunt lampades suas.*

8 *Fatuæ vero prudentibus dixerunt; Date nobis ex oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.*

9 *Responderunt autem prudentes illæ, dicentes;* Nequaquam, *ne non sufficiat nobis & vobis: ite vero potius ad eos qui vendunt, & ipsæ vobis emite.*

10 *Quum autem abirent emptum, venit sponsus: & quæ paratæ erant, introiverunt cum eo ad nuptias: clausaque est janua.*

11 *Postea vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes; Domine, Domine, aperi nobis.*

12 *Ipse vero respondens ait; Amen dico vobis, non novi vos.*

13 *Vigilate itaque, quia neque illum diem, neque illam horam scitis; qua Filius hominis veniet.*

ANALYSIS.

DEscribitur status Ecclesiæ in posteriore adventu Christi, ubi Ecclesiæ cives comparatione paris, nempe virginum, adumbrantur; quarum commune adjunctum est, quod omnes lampades suas accipiunt; commune effectum est, quod omnes in occursum Christi sponsi exeunt.

Vers. 2. Describuntur distributione adjunctorum, quod quædam erant sapientes, quædam insipientes.

Vers. 3. Describuntur insipientes proprio adjuncto, quod lampades accipientes oleum non acceperunt.

Vers. 4. Quod adverso virginum sapientum exornatur, quæ una cum lampadibus oleum secum ferebant.

Vers. 5. Describitur commune adjunctum omnium virginum, idque distributione facta, quod aut nictarunt aut dormierunt; quod adjuncto temporis notatur, interim dum sponsus suum tempus differebat.

Vers. 6. Describitur adjunctum adventus sponsi scilicet Christi, nempe clamor editus, qui sua forma notatur; *Ecce sponsus venit, exite in occursum ejus;* & adjuncto tempore describitur, nempe media nocte.

Vers. 7. Cujus vocis commune omnium virginum effectum est, prius, quod surrexerunt; alterum, quod lampades pararunt.

Vers. 8. Describitur proprium effectum insipientium virginum, quod oleum mendicarunt a sapientibus: ejus efficiens causa notatur, quod lampades extinctæ erant.

Vers. 9. Describitur proprium effectum sapientum virginum, quod oleum insipientibus abnuebant; cujus efficiens causa notatur, ne illismet ipsis oleum abunde non suppetat: Deinde aliud effectum indicatur, adhortatio ut proficiscantur & emant ab his qui vendunt oleum.

Vers. 10. Notatur adventus sponsi adjuncto tempore, interim dum insipientes virgines emptum oleum profectæ sunt. Deinde notatur proprium effectum sapientum virginum, nempe ingressus in Thalamum sponsi cum ipso sponso; cujus causa efficiens notatur, quod paratæ essent ingredi; ingressus vero adjunctum notatur, quod fores clausæ sunt.

Vers. 11. Deinde proprium effectum insipientum virginum notatur, primum adventus ad ostium: deinde supplicatio ut aperiatur; quæ utraque suo adjuncto tempore notantur, nempe postquam ostium clausum esset.

Vers. 12. Cujus supplicationis effectum est, quod sponsus illis ingressum abnuit; quod sua efficiente causa notatur, quia illas non probat.

Vers. 13. Quorum omnium finis est ut vigilent: cujus efficiens causa notatur, quod nescitur qua hora filius hominis veniet.

METAPHRASIS.

1. *Ecclesia, in qua potissimum Deus regnum*
suum exercet, ex his conflata qui nomen
Christo dederunt, posteriore Christi adventu,
sponsæ jamjam nuptum dandæ assimilatur; cui
de more virgines aliquo numero comites attri-
buuntur: quemadmodum autem omnes accep-
tis lampadibus in occursum sponsi procedunt;
ita qui nomen Christo dederunt, omnes suæ
professionis externam tesseram præ se ferunt.
2. *Et ut fit, si decem adhibeantur, quinque pru-*
dentes & providæ, totidem stolidæ & inconsi-
deratæ sæpe existunt: sic in Ecclesia nonnulli
cœlestia sapiunt, alii in his penitus desipiunt.
3. *Sicut autem stolidæ & inconsideratæ virgines*
acceptis lampadibus aliquid (sed non satis)
olei affundunt, aut secum afferunt: sic pleri-
rique fidem Christi profitentes, quibusdam
Spiritus Sancti donis (puta noticia veritatis)
aspersi sunt; qui tamen spiritu adoptionis filio-
rum Dei & veræ Sanctitatis non inficiuntur.
4. *Contra vero, ut prudentes & providæ virgi-*
nes una cum lampadibus quod satis est olei
secum in vasis afferunt: sic vera fide induti,
oleo Spiritus Sancti longe pretiosissimo abun-
5. *de perfunduntur. Sicut autem sponso moram*
ducente, nonnunquam fit ut virgines partim
nictent aut dormitent, partim somno sopitæ
sint: sic Christo sponso suum adventum certo
consilio proferente, omnes Ecclesiæ cives vel
vivi ad adventum Christi reperiuntur, vel
6. *hac vita defuncti in sepulchris conduntur. Sic-*
ut autem tempore maxime inexspectato (tan-
quam media nocte) sonantissima vox virgi-
num aures non raro circumsonat, Ecce spon-
sus venit, procedite illi in occursum: *sic ex-*
tremo die Archangelus virtute Christi corro-
boratus ingentem vocem edet. Quo facto, qui
7. *vivi reperientur haud secus momento muta-*
buntur, quam virgines quæ nictarunt evigi-
lant: qui autem mortui sunt, haud secus ex-
citabuntur quam quæ dormierunt virgines,
audito clamore, expergiscuntur. Quo tem-
pore ad unum omnes se ad sponsi occursum
8. *comparabunt. Atque ut stolidæ & inconside-*
ratæ virgines, exstinctis lampadibus, oleum à
prudentibus & providis emendicare solent.
sic extremo die insipientes Christiani tum
demum de pietate & Iustitia anxii & soliciti
9. *erunt. Sicut autem prudentes virgines suum*
cum stolidis oleum communicare abnuunt, ne
illismet ipsis sat non sit: haud secus insipientes
illi Christiani virtutes, quibus se Deo & Chri-
10. *sto probent, frustra requirunt. Porro sicut in-*
terum dum stolidæ virgines oleum mercatum
eunt, sponso cum his qui parati erant domum
ingrediente, fores occlusæ sunt: sic illis Pseudo-
christianis sero sapientibus ad æternam vitam
aditus interclusus erit. Sicut autem stolidis 11.
virginibus recurrentibus fores pulsantibus, &
importunis precibus (ut illis aperiatur) spon-
sum fatigantibus omnia vana & cassa sunt:
sic olim Pseudo-christianorum vota & preces,
ut ut illa magna numero concipiant. Illis et- 12.
enim haud secus à Christo respondebitur,
quam stolidis virginibus à sponso responderi
solet: omnino vos non agnosco. Cum igitur hæc 13.
Ecclesiæ, posteriore Christi adventu, conditio
futura sit, excubias agite, quia neque horam,
neque diem noscitis, qua filius hominis ad ju-
dicium veniet.

PRAXIS.

Summa, Parabola docemur ut semper in excubiis stemus, & semper parati simus ad Domini in nubibus occursum.

Partes, { Parabola.
Parabolæ accommodatio.

Vers. 1. Adventus Christi cur tot parabolis illustratus.

Hæc parabola adventus Christi tempus quodnam futurum sit ob oculos proponit; ob eamque causam dicitur, *Tum fore regnum cœlorum.* Istud argumentum jam ante duabus parabolis illustraverat, hinc docemur rem istam maximi momenti esse, & quæ altissime animis infixa, &c. quod enim tam varie hoc idem repetat, non fuit quod res sit intellectu difficilis; facile enim, &c. sed quod difficile est animum nostrum terræ affixum semel erigere; difficilius erectum altius adhuc attollere; difficillimum vero, ne deorsum recidat curare, &c.

Parabolæ hujus vis ad meditationem adventus Christi.

Parabola ejus generis est, quæ merito nos in hoc vigilandi officio sine tædio contineat: ecqua enim sponsa est quæ sponsi adventum non expetat & expectet? quin & ejus omnes amici & amicæ plurimum satagunt ut ad illum diem, &c. nihil desit, &c. quanto nos magis ad nuptias Christi gloriosas, &c. & si virgines ad unius nuptias tanta sollicitudine se comparant; nedum nos ad totius Ecclesiæ: si illæ ad nuptias, quarum lætitia paucorum dierum spacio, &c. nedum, &c. præsertim cum æquabili tenore; non autem in humanis nuptiis, ubi primus dies maxime gloriosus, reliqui gradatim aliquid de superiore splendore & deliciis remittunt. Denique si illæ ita se parant ad alienas nuptias; quid nobis in propriis faciendum?

Christiani

Virgines sunt totus chorus Christiano-

virginibus assimilati. rum veritatem profitentium & Christi adventum expectantium, idque publica nota tanquam lampadum gestatione; nihil hic ergo de infidelibus & alienis. Ex iis cum pleriq; peribunt, merito hoc nos ad cautionem exsuscitet. Homines in bello cautiores redderet, si prius scirent mediam exercitus partem occubituram: sic, &c.

Objectio: non erit opus lampade: tanta enim claritate & splendore Christus adveniet, ut sol faciem suam obvelaturus sit. Neque bonis operibus Christo opus erit, &c. *Respondeo: 2 Thess.*1,12. Christus gloriosus erit in omnibus suis. Sicut rex in die inaugurationis gloriatur de subditis, subditi de rege; sic, &c.

Exierunt in occursum sponsi.] Hoc per Prolepsin dicitur: nondum enim exierunt quoad voce media nocte audita, &c.

Vers.2. *Pii sapientes, impii stulti.* Merito pii sapientes & impii stulti dicuntur. Magna de sapientiæ titulo inter homines concertatio; major ut possint sapientiæ, quam pietatis titulo ornari. Vere autem sapientes pronunciantur, qui vero Dei timore imbuti, Christi adventum sollicite in omnia momenta expectant, & contra stulti à mundo habemur, quod ad res sacras attentiores sumus, quod in declinando malo strictiores, &c. sed hic in mentem veniat Salomonis nostri judicium, quo freti facile totius mundi sententiam spernemus. Vide simile exemplum *Matth.*7,24. & ii igitur soli sapientes, &c. impii stulti, imo insani. *Psal.*5.

Vers.3,4. *Piorum & hypocritarum ad tempus convenientia,* *Non ceperunt oleum.*] Puta quantum satis erat: alioqui insanũ esset lampadem sine oleo gestare; nec hoc ulli faciunt qui profitentur, &c. hoc apparet ex eo quod *vers.*8. lampades extinctas dicunt. Hoc enim ex incautione & inconsiderantia: putabant enim sponsi adventum proprius instare quam rei veritas tulit. Prudentia ergo virginum in eo est, quod præter oleum, quod in lampadibus portabant, vasculum etiam oleo refertum gestabant, si forte tardaret sponsus. Nihil ergo discriminis ad tempus inter pios & hypocritas: utrique lampades, &c. oleum in occursum sponsi, &c. Quare coram Deo ambulemus, eum nobis inspectorem proponamus; certiori & exactiori judicio nos probemus, quam, &c. Stultæ virgines hominibus se probant & ad tempus prudentes habentur.

& discrimen. Hic *nota* quousque impii procedant, nonnulla spiritus dona habent. *Matth.*13. *Heb.* 6,4,5. sed est eorum ignis stramineus, aut ex sentibus; cito accenditur, cito extinguitur, ut coruscatio, quæ simulatque apparuit, evanescit; sic *vers.*8. lampades extinctæ. Contra piorum lumen nunquam extinguitur, granum fidei, modo veræ & synceræ, omnia per preces obtinebit: quid, quod desiderium credendi & se cum Christo reconciliandi, modo constans (maxime in die tentationis) & fervens, modo defectus lugeat, & incrementa sumat; sine fide & reconciliatione non est: beati enim esurientes & sitientes pronunciantur. Fumantem ellychnum non extinguet, *Matth.*12. & *Zach.*4. De duabus oleis quæ per infundibula oleum assiduo in Ecclesiæ lychnychum transmittunt: cujus interptetatio adnectitur, *non vi aut robore, sed de spiritu meo.*

Tardante sponso.] Mirum hoc videtur; cum Christus novit spem quæ differtur animi morbum esse, *Prov.*13,12. Atqui hoc facit quatuor de causis, 1. ut suorum desiderium acuat, ut ejus adventum ardenter appetant, & precibus impetrent, 2. ut omnes electi colligantur, ne quis eorum pereat. 2 *Pet.*3. 3. ut impiorum omnium mensura justa impietatis (maxime Anti-christi) impleatur, ut, &c. Si enim hoc impedivit ne Cananæi prius exstirparentur, quam, &c. nedum hoc fiet in generali totius mundi judicio, quanquam cum piorum obedientia impleta fuerit, tum etiam impiorum impietas completa erit, 4. ut omnes Novi Testamenti libri, maxime *Apoc.* Prophetiæ, impleantur. Vers.5. *Causa cur Christus adventum tardet.*

Omnes nictarunt.] Videtur hoc adjectum ad subitum Christi adventum significandum; quo etiam refertur quod de clamore media nocte dicitur. Nictantes videntur dici, quos ultimus dies vivos deprehendet; qui tanquam somnum inituri ad mortem properabunt. Dormientes qui jam mortui sunt. 1 *Cor.*15. *Mysterium indico vobis, &c.* Hinc patet diem Domini piis simul & impiis subitum fore: unde sicut impiis mæror & horror incredibilis; ita piis gaudium summum, quia ex summis calamitatibus in summam felicitatem subito rapientur; ex medio mari (jactati & agitati) in portum amœnissimum, velut discipuli *Ioh.*6. uno momento ad littus, &c. *Quid nictare & dormire?*

Hoc loco proditur stultitia virginũ, quod oportuno tempore non parassent oleum quod modo usui sit: putabant oleum (si forte deesset) aliunde precibus aut pretio parandum; constituerant apud se, se paratas fore, sibi satis olei fuisse; sin minus, parare posse Vers.8. *Qui fatuis virginibus similes.*

posse antequam Christus adveniret, sed,&c. Tales sunt, 1. qui sibi persuadent sibi satis notitiæ & pietatis esse, eoque studia priora, quæ intendere oporteret, remittunt, 2. *Pontificii*, qui aliorum operibus tanquam oleo alieno se servatos iri putant, 3. qui cum sententiam mortis in se acceperint, tum demum sentientes quam parum aut nihil olei habeant, valde cupiunt oleum emere, sed vel iis locis sunt, ubi parabile non est; vel morte anticipantur priusquam ii qui oleum habent accedant; vel ipsi inhabiles sunt (Deo eorum oscitantiam vindicante) qui præsens coëmāt.

Vers. 9. *Nemo alteri fidem vel bona opera communicare potest.* Hoc responsum commode affictum est ad prudentiam virginum designandam: alioqui si maxime vellent, non possent suum oleum fidei, aut lumen bonorum operum cum illis communicare. Premant *Pontificii* hanc similitudinem & pro lacte sanguinem exprimant: tamen de eorum operibus supererogationis actum erit; cum affirment vel justissimis sibi & aliis non suppetere; sed satis munifice cum illis actum, si sibi quod satis est suppetat.

Vers. 10. *Serum pietatis studium:* Aliud stultitiæ genus: consilium cum opportunum erat respuebant (sæpius admonitæ ut viaticum, ut oleum sibi compararent) nunc libenter arripiunt, cum illud nullo modo profuturum sit: ita illum referunt, qui oculos habet in occipitio.

Venit sponsus, & quæ parata erant, &c.] Est enim negotium festinationis maximæ, amor moræ impatiens est. *Cantic.* montes subsilire dicitur.

Parata.] Æquum enim est ut cum tam magnificus princeps sit, omni veneratione observetur: ut plane indigni sint ut ad tam immensa gaudia & honores admittantur, qui se ad ejus adventum non comparaverint.

Clausa est janua.] *Objectio:* Atqui magis munificum videretur, si portæ omnibus paterent. *Resp.* minime: non vult se aut suam sponsam impiorum fœtoribus aut sordibus offendi. Illic nullus erit canis, porcus, Cananæus. Deinde in cœlis loca designata sunt cuique, quibus occupatis clauduntur portæ. Vers. 11, &c.

Quod etiamsi verum esset, janua tamen clausa non prodesset. Iam frustra clamant. Ante importunitate profecissent. *Luc.* 18, 11. Nunc autem ne hilum, etsi ad rabiem clament & vociferentur.

Quæstio: Eritne ergo aliquid tum parabile quod cum salute conjunctum est; quod si sit, erit ne à Christo repudiatum? *Resp.* Minime: Prædicatio enim verbi, Sacramenta, preces cessant: sed formula orationis vehemens est, per concessionem; quasi dicat, siquidem fieri posset, ut fidem quæ per bona opera exercetur comparare potuissent, tamen illis profuturum non esset.

MATTH. *cap.* 25, *à vers.* 14, *ad* 31.

14 Ita *enim* est *ut* quum *quispiam peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit eis quæ sibi suppetebant.*

15 Et huic quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum: unicuique secundum ipsius facultatem: & peregre profectus est statim.

16 Profectus autem qui quinque talenta acceperat, negotiatus est ex iis: & fecit altera quinque talenta.

17 Itidem & qui duo acceperat, lucratus est & ipse altera duo.

18 Qui autem unum acceperat, abiit & defodit illud *in terram, & occultavit pecuniam domini sui.*

19 Post multum vero tempus venit dominus servorum illorum, & confert rationem cum eis.

20 Tunc accedens is qui quinque talenta acceperat, attulit altera quinque talenta, dicens; Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, altera quinque talenta lucratus sum ex iis.

21 Dixit autem ei dominus ejus; Bene est, *serve bone & fidelis: in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredere in gaudium domini tui.*

22 Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait; Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce, alia duo lucratus sum ex iis.

23 Ait ei dominus ejus; Bene est, *serve bone & fidelis, in exiguo fuisti fidelis,*

ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium domini tui.

24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait; Domine, noveram te hominem durum eſſe, qui metas ubi non ſeviſti, & inde cogas ubi non ſparſiſti.

25 Itaque timens abii & occultavi talentum tuum in terra; ecce, habes quod tuum eſt.

26 Reſpondens autem dominus ejus dixit ei; Serve male & ignave, ſciebas me metere ubi non ſevi, & inde cogere ubi non ſparſi.

27 Oportuit ergo te tradere pecuniam meam menſariis: & ego quum veniſſem recepiſſem meum cum fœnore.

28 Tollite ergo ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

29 (Omni enim qui habet, dabitur, & is exuberabit: qui vero non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.)

30 Et inutilem ſervum ejicite in tenebras illas extimas: illic erit fletus & ſtridor dentium.

ANALYSIS.

HAc parabola, haud ſecus quam proxime antecedente, cauſa vigiliarum & excubationis in Domini adventum declaratur: ita ut *verſ.* 13. perinde effectum ſit ſuperioris parabolæ, ſicut hujus quæ ſequitur: ubi Chriſtus cum principe peregre profecturo comparatur; qui ſuo effecto declaratur advocandi ad ſe ſervos ſuos: quod ſuo fine declaratur, nempe ut bona ſua in ſervos diſtribueret.

Verſ. 15. Quæ partitio diſtributione ſubjecti in adjuncta notatur, nempe quod huic quinque, alteri duo, tertio unum talentum partitus ſit: cujus inæqualis partitionis cauſa efficiens indicatur, inæqualis ſervorum ſuorum ad his talentis utendum facultas: quæ diſtributio porro adjuncto tempore notatur, protinus antequam ſe in viam peregrinationis dediſſet. Apud *Lucam* finis hujus diſtractionis bonorum indicatur, ut illis negotiantes ea multiplicarent.

Verſ. 16. Effectum primi ſervi indicatur, nempe quod talenta duplicaverat.

Verſ. 17. Idem effectum ſecundi.

Verſ. 18. Effectum tertii eſt, quod abſcondit talentum ſuum; quæ occultatio ſubjecto loco, terra defoſſa, notatur.

Verſ. 19. Effectum principis deſcribitur, nempe quod ſervos ad rationes adigit; quod adjuncto tempore declaratur, poſtquam domum redierat; qui reditus alio adjuncto tempore indicatur, poſt multum tempus.

Verſ. 20, 21, 22, 23. Narrantur fides & diligentia duorum priorum ſervorum; quæ adjuncta mercede exponuntur: cujus mercedis membra recitantur; prius in laude, alterum in gaudio, quo Dominus ipſe fruitur (vide *Ioh.* 17.) collocatur.

Verſ. 24, 25. Effectum ejus qui talentum occultavit, eſt quod culpam à ſe derivatam in domini injuſtitiam & ſævitiam conferre voluit.

Verſ. 26, 27. Cujus vanæ excuſationis ſui ipſius, & accuſationis in dominum ſtrictæ adjuncta ſunt primum exprobatio improbitatis & ſegnitiei; deinde retortio vanæ excuſationis in ſuum ipſius caput.

Verſ. 28. 3. Ablatio talenti quod illi commiſſum erat; quæ ſuo fine declaratur, ut detur decē habenti.

Verſ. 29. Qui finis confirmatur à ſubjecto: quia multa habenti plura adjicientur; quod ſuo adverſo illuſtratur, quod non habenti auferetur quod habet.

Verſ. 30. 4. Ejectio inutilis ſervi in tenebras; quarum adjuncta ſunt lamentatio & ſtridor dentium.

METAPHRASIS.

AD quas excubias ut vos porro exſtimu- 14.
lem, priori de virginibus aliam parabo-
lam adnectam. Sicut enim vir potens peregre
in longinquam regionem profecturus, ſervis ad
ſe vocatis, illis ſua bona committit. Vni qui- 15.
dem quinque talenta, alteri duo, tertio unum
modo, prout cujuſque ingenium fert, &
prout facultate illis utendi præditi ſunt: haud
ſecus Chriſtus, conſcenſis cœlis, civibus Eccle-
ſiæ, maxime his qui in repub. & Eccleſia præ-
ſunt, ſua, pro loco & conditione, quam in cor-
pore Eccleſiæ occupant, dona diſtribuit. Atque 16.
ut profecto peregre viro illo potente, qui quin-
que talenta acceperat illis recte utens, alia
quinque talenta lucratus eſt. Itidem qui duo 17.
ſua talenta duplicavit. Denique qui unum ac- 18.
cepit, profectus in terra illud defodit, & domi-
ni ſui pecuniam abſcondit: haud ſecus fit in
Eccleſiæ civibus, quorum hi donis à Chriſto ac-
ceptis, pro rata parte divinæ erga illos muni-
ficentiæ ad Dei gloriam proximorumque com-
modum recte & legitime utuntur; illi vero ſe-
cus; ut qui donis à Deo acceptis in ipſius Dei
contumeliam & proximorum damnum abu-
tuntur. Atque ut longo poſt intervallo domum 19.
revertens ſervorum dominus, & ratione cum
ſervis inita; Quinque talenta accipienti & 20.
alia quinque ſecum afferenti, denique dicenti;
Domine, quinque talentis mihi in manum tra-
ditis, ecce eorundem beneficio alia quinque 21.
comparavi. Dominus ejus reſpondet; recte fa-
ctum, ſerve bone & fidelis, in paucis fidelem
te inventum, ſuper multa præficiam. Quam-
obrem

cbrem in mei Domini tui gaudii societatem te
22,23. *accipio. Itidem secundo eundem quæstum fa-*
24. *cienti, idem præmium constituit. Vnum vero*
talentum accipienti & dicenti; Domine, quod
te durum novi, & ad rem plus satis attentum,
metentem ubi sementem non fecisti, & inde
25. *colligentem, ubi nihil sparsisti: Equidem me-*
tu hujus tantæ rapacitatis, profectus, in terra
abscondi talentum tuum: Quod referens, tibi
26. *quod tuum est reddo. Dominus ejus respon-*
dens, dixit; ó serve nequam & desidiose, quan-
doquidem (ut tu prædicas) meto ubi sementem
27. *non feci, & colligo ubi non sparsi. Tanto te*
magis incumbere oportebat, ut talento tibi
commisso lucrum faceres: saltem pecuniam
meam nummulariis traderes, ut domum re-
28. *diens meum cum fœnore reciperem. Quare ó*
vos satellites, talentum quod habet auferte, &
29. *servo meo qui decem habet traditote. Verum*
est enim verbum quod proverbio jactari solet,
omni habenti dabitur, usque eo ut omnium co-
pia affluat; ei vero qui nihil solidi habet, etiam
30. *quod habet auferetur. Quod autem servum il-*
lum inutilem attinet, prehensum ejicite in tenebricosum carcerem, procul ab urbe remotum, ubi omnia lamentis & stridore dentium complentur. Haud secus longo aliquot seculorum intermisso spacio, Christus omnium Dominus è cœlo descendens, singulos, maxime vero Ecclesiæ suæ cives, ad calculos vocabit, & servos, qui fidem sibi datam liberaverint, suo præconio primum ornabit, deinde incomparabilis & nunquam terminandi gaudii sui participes faciet: servos autem perfidiosos & otio languentes, eosdemque (ut ipsi culpa vacari videantur) in Deum ipsum culpam transferentes, eumque injusticiæ accusantes, primum probrosis & ignominiosis verbis onerabit; deinde injustam adversus se accusationem in illos retorquebit; postremo omnibus donis exutos & nudatos in imū inferorum barathrum, quam longissime à beatis sedibus remotum, præcipitari jubebit; ubi omnia fletu & stridore dentium ex diris animæ simul & corporis cruciatibus personant: illis interim honoribus quam maximis cumulatis, qui illi hic in terris fidelissime inservierint.

PRAXIS.

Hujus & præcedentis parabolæ convenientia:

PRopositio seu adhortatio est communis æque præcedenti illi de decē virginibus, atque huic subsequenti, de domino & servis, parabolæ: Quamobrem tam huic quam illi accommodanda & conjungenda est: Sicut autem priori parabolæ unus sponsus omnibus respectandus proponitur virginibus, sic hic unus Dominus servis est: quemadmodum ibi stultæ & prudentes virgines; sic hic fideles & desidiosi servi. Quemadmodum autem ibi stultæ virgines aliquod officii obibant, tametsi minime justum & debitum illud erat; si hic piger servus aliquid videtur præstare quo à profligatis discernatur. Denique ut illic sapientes exclusis stultis, sponsi gaudii participes sunt: sic hic frugi servi exclusis stultis & pigris, ad Domini gaudium admittuntur.

Et diversitas.

Verum enimvero hæc parabola nervosior & argumentosior apparet; *primum* enim hoc argumento ad excubias agendum justo esse possit, quod servorum fidei herilia bona & facultates permittuntur, ut per illa commercium exercentes, eadem auctiora faciant. *Secundo*, quod sub adventum Dominus cum suis servis rationem initurus est. Denique quod singulis aut præmium insigne, aut supplicium exquisitum, pro gestorum ratione, redditurus sit.

Vers. 14. Dominus, servis bona sua committendo honore eos afficit.

Quod permittit servis suis facultates & fortunas suas præsertim tam lautas & amplas, eo honorem illis habet non parvum. Docetque Discipulos mæstos ex Christi abitu, tantum abesse ut ejus discessu orbi futuri essent, ut eodem ipso locupletandi forent; sicut in ascensu suo Spiritus dona largiter erogavit: *Spiritus enim nondum erat quia Christus glorificatus non erat. Ioh. 7, 39. Nisi prius abiero, paracletus non veniet. Ioh. cap. 16, 7.* Hic igitur aliqua dissimilitudo est inter Christi in Cœlum ascensum, & principis peregre profectionem; princeps etenim propriis manibus facultates suas servis distribuere nequit, nisi corpore præsens; quod Christus homo, quia Deus est, præstare potest.

Christus nobis dona dat ne orbi simus.

Sciamus igitur nobis dona à Christo absente collata esse, ut nostram orbitatem & solitudinem consolaretur: & plane si hinc indignitatem nostram, istinc Dei in nos liberalitatem, seu potius munificentiam reputemus, fieri nequit quin magno gaudio compleamur, quod idoneos nos duxit quibus tantum concederet. Quod vero nostram mendicitatem pro merito non reputemus, nec dona, quæ possidemus, à Christo mera liberalitate proficisci cogitemus; fit ut non pro dignitate afficiamur. Quod quia à nobis non præstatur, cogitur Deus idem nobiscum agere, quod olim cum Israelitis factitasse Deum Hoseas narrat, nempe ut subductis lana, lino, oleo, vino suis, ex subductione

ctione intelligant Dei fuisse, quæ antea propria acquisitione & deorum alienorum cultu perquisita esse prædicabant.

Sed mensura inæquali: Sicut propensione in suos neminem Christus indotatum aut vacuum dimittit, ne eum quidem qui in Ecclesia aquam haurit aut ligna findit; sic singulari prudentia non omnes omnibus æquat, sed ut prudens paterfamilias cujusque ingenium, peritiam, robur, industriam explorat, ut prout habilis inventus sit, ita illi plus aut minus committat. Quod quidem, si à mortalibus aliquousque præstatur, dubium non est quin à Christo solo sapiente Deo plenissime præstetur. Nam cum quidquid habet à Deo collatum sit, non poterit ignorare quid quisque aut ferat, aut non ferat pernoscere. Vt enim in corpore longe major est virtus oculi quam manus, &c. Et ut in magna familia servorum non æqua conditio est; sic in Ecclesiæ corpore & Christi familia res habet.

qua nos contentos esse decet: Hinc docemur, nos propria sorte & donis, quæ nobis Christus distribuit, contentos esse debere, nec aliam seu minorem, seu majorem conditionem appetere velle. Hic enim cogitat cum animo suo se ad majora quam consequutus est, natum esse, ac plus donorum ei superesse, quam quæ pro humili vocatione sua exercere potest: ut in Absolone, qui quasi non satis fuisset se ut pii principis filium gerere, sibi ad regnum tractandum satis superque virium putavit suppetere. Hoc adhuc luculentius in Abimelecho veluti rhamno aut cynosbato cernitur. Idem de his dici potest quibuscunque mercatoris professio obtigit, qui in gestu, in habitu & tota vitæ ratione hoc agunt, ut nobilium aut aulicorum mores imitentur, eorumque veluti personam sustineant, atque ita stationem à Deo designatam linquant. Alii sunt qui prolixius dotati, quod Dei in se dona nesciant nec rependant, humiliore & obscuriore loco agere expetant; sicut in Mose & Ieremia usu venisse cognoscimus.

Sed heus tu, quis es qui te sapientiorem Christo judicas, qui novit quid tibi melius conveniat quam ipse tu. Tibi enim cor tuum cognitum non est, illi probe notum; tibi tua dona non penitus explorata, illi exploratissima; tibi rerum futurarum eventus ignotus est, qui illi perspectus. Quod si hac in re servus mortalis hominis judicio acquiescit, seque ad eam provinciam adjungit, cui ab hero addictus est: nedum tu debes in sapientissima Dei dispensatione acquiescere.

Nec alius majora invidere. Hinc etiam facessat omnis invidia & livor, ex alterius divitiis, honore, ingenio, gratia, dexteritate. Quandoquidem enim omnia Christi sententia & judicio fiunt, idque prout cujusque ratio postulat, quorsum invidia suffundamur, nisi communi totius reipublicæ Christianæ bono & propriis commodis invidere velimus, ut qui sciamus nobis conducere, ut hic nobis major, nos illi subjecti simus. Quod si forte facta distributio litem & invidiam dirimat, non tantum cum admirabili providentia hoc fit, sed cum & pervulgata; quidni ea dirimeret hæc cogitatio, omnia a Christo fieri.

Nec inde liberum arbitrium colligitur Hic forte *quærat* aliquis an ante collata in nos Christi talenta nobis aliquid virium inhæreat. Videtur enim hæc sententia libero hominis arbitrio patrocinari. *Respondeo*, esse quasdam reliquias superstitis illius imaginis, quæ primo in nobis fabricata est; quæ si dextre accommodentur ad ea obeunda, quæ nobis concredita sunt, suum non inutilem usum habent. Sed illæ tales non sunt, quarum fiducia hominibus tantam vim cœlestis pecuniæ Deus committat, neque tanto oneri sustinendo sunt. Intelligendum igitur, Christum nobis substantiam suam ad eam mensuram conferre, qua facultatem simul & vires confert illi prudenter moderandi, & ad destinatos & præfinitos usus accommodandi. Neque enim sequitur propriam facultatem servorum esse quam illi habent: & huc nos ducit Analogia liberalitatis Christi in suos Discipulos; quandoquidem Spiritu Sancto imbuti erant, antequam in Cœlum tanquam in longinquam regionem profectus est.

Hic *quærat* aliquis, quæ sint talenta quæ illis dispartita sunt, quid illud quod his talentis lucrati sunt? Quorum priori respondeo. Talenta constare partim donis quæ ad futuram vitam, partim quæ ad præsentem referuntur; ita tamen ut multo maximam partem sibi vendicent dona, quæ ad vitam futuram spectant; ut in talentis, vitæ æternæ dona minam aut libram valeant, denarium veluti valeant quæ hujus vitæ sunt. Sic *Matth.6,33. cætera adjicientur*. Hinc 1 *Cor.* 6,4. Βιωτικὰ appellantur κριτήρια ἐλάχιστα. Hinc omnes viæ divitis apud Iacobum instar marcescentis floris nuncupantur. Et 16. *Luc.* 10. ἐν ἐλαχίστῳ. Tametsi igitur illa ad calculum *Vers. 16, 17. Hæc talenta præsentis & futuræ vitæ dona.*

lum exigantur, tamen major quædam ratio habebitur eorum quæ ad vitam æternam referuntur. Quæ igitur summam constituunt Talentorum, præcipue sunt doctrina Evangelii, ejusdem disciplina; cum sacramentorum administratione, precibus, aliisque regni Dei præsidiis & privilegiis.

Inter quæ eximium est S. Cœna, qua merces variæ emuntur.

Hæc sequentia descripta sunt ob Domini Cænam, quæ illo die, quo hæc concio habita est, celebrabatur.

Hic igitur pro temporis ratione consideremus primum quomodo negotiandum hac Christi pecunia, cujus titulus *Cœna Dominicæ* inscribitur. Est autem procul dubio longe quæstuosissimum pecuniæ cœlestis genus. Vt enim inter pecuniæ genera hoc illo lucrosius: sic isthic etiam. Primum enim quantum lucrū in eo est, quod ex fractione panis, & vini effusione incomparabilem & infinitam Dei justitiam consideremus, quæ ne unigenito quidem filio hoc indulget, ut unicum homūcionem ex mortis & inferorum faucibus eriperet, nisi illius homuncionis peccata in Christi corpus ac animam translata ab illis summo jure exigerentur & in illis expiarentur.

Deinde quam præclara merx in eadem fractione & effusione exposita est consignata notitia divinæ in nos charitatis, qui ne unigento quidem suo filio pepercit, sed mundi charitate constrictus illum crudelissimæ & ignominiosissimæ morti idque hostibus suis dedit.

Hinc augescit in nobis charitas qua Deum complectimur, qui quæstus est longe maximus. Ex charitate & incalescente in corde fervore erumpit gratitudo in Deum, in homines propter Deum, non tam verbis & cantionibus, sed in universæ vitæ ratione.

Hiccine est totum? minime. Sequitur enim alia merx, quæ si ad splendorem non tam gloriosa & magnifica, at certe ad suavitatem & animi pacem præstantissima est; his præcipue temporibus, quibus omnia sunt plena tumultibus & timoribus, à quibus nullæ vindiciæ sunt, nisi in Christo plene & solide per fidem recumbamus: hoc est perfugium die belli, in æstu umbra, in tempestate recessus. Hanc viam licet persequaris in reliquis religionis partibus.

Quæ negotiatio optima & certissima.

Quo facilius autem excitemur ad hanc sanctam negotiationem, cogitandum est mercem & fructum hujus negotiationis omnes alias merces præstantia tantum superare, quantum carbunculus uniones; pyropus, adamas, stercora superant: nec enim harum gemmarum vel mentio tantum fiet, cum de his mercibus agitur. Deinde quod quæstus ut est longe uberrimus, ita non minus certus & indubitatus est. Nec enim ut in mercatura communi fit quæstus est dubius, & ex plerisque exportationis & importationis casibus suspensus, ut vel solertissimus mercator aliquando fide concidat & spe fallatur. Hic enim, modo diligentiam & peritiam adhibeas, certus est quæstus: partus autem semel, non amittitur. Quis igitur, harum mercium studio non terram, maria transcurret? Quis non mane illas quærat? Quis omnes portus, mercatum, nundinas non anteverttat? Quis ex hoc mercatorum collegio censeri nollet, & in eo nomen profiteri? Huc accedit, quod cum fideles servi absente hero, ut in hac parabola cernitur, manum operi admovent, ut qui non sunt ὀφθαλμόδουλοι, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι· nedum nos alacres in opere esse debemus, quandoquidem Christum, ut absentem, inspectorem habemus: ut igitur priora illa studium in nobis ingenerant, ita hoc timorem & reverentiam. Turpeque profecto fuerit nos in theatro Dei & Angelorum sub labore succumbere, cum fideles servi mortalem herum reverentur perinde absentem & præsentem.

Vers. 18. *Ignavia causa defossi talenti.*

Abiit & defodit, &c.] Quæ hujus consilii causa sit herus post aperit, otium scilicet & desidia, quod laborem & sollicitudinem refugiens aliasque necessarias curas, quæ sacrum hunc mercatum comitantur, ad hanc talenti occultatione dilapsus sit. Sibi enim ab omnibus periculis ignavus metuit; unde Leonem atque Vrsum in mediis plateis & hominum frequentia timet, nec ad opus ideo prodire vult: amat somnum & dormitationem, seque huc illuc volutat in lecto tanquam in cardinibus ostium. Quamobrem otium caveamus tanquam pestem Christiani officii. Profitetur ille quidem sæpe se hoc & illud facturum. Sed ut ex omni labore fructus superest, sic *verba labiorum*, id est, semota à factis, *tantum ad penuriam spectant. Prov.* 14,23. Hic vide quæ alibi notantur de solertia & industria in aliquid boni agendo.

Non sufficit labor, nisi ad Dei gloriam relatus.

Atqui, inquit aliquis, Deo gratias ago, me semper ab otio abhorruisse: neque enim facile patior me nihil agere: proinde spero fore ut non accensear huic servorum ordini. Sed cogitandum est te operam & oleum perdere, nisi Deo labores, eique lucreris; cui ut edendum bibendumque, sic laborandum magis: ut scilicet ad eos usus illa pares, in qui-

quibus elaboras, quibus Deus illa destinat; ut honore, divitiis, gratia tua utaris primum ad Dei gloriam, deinde ad proximi, Ecclesiæ præsertim, utilitatem.

Vers. 19. *Reditus Christi certissimus, dies vero ejus incertus ad vigiliam nos excitare debet.*

Intermisso longo tempore Dominus redit. Sicut enim ejus reditus dies incertus est, sic reditus longe certissimus est. Quod si mortalis servi se ad heri reditum comparabunt, qui incertus est, & qui morte anticipatur; nedum hoc nos præstare debemus; cum Domini nostri adventum exploratum habemus. Quamobrem reditus ejus certitudo nos in ejus expectatione assidua retinere debet. Si moram fecerit, exspecta: veniendo enim veniet: interea te in fidam speculam subvehe, unde eum veluti venientem prospicias. Nam si diutius eum expectando tandem fatiscamus, omnem fructum exspectationis amittimus. Saul jussus præstolari Samuelem, eum diutius exspectavit, & quidem vix dum sacrificia fecerat, cum illico intervenit Samuel: unde totius suæ exspectationis fructum amittens, damnum porro contraxit; quod eo facto tanquam gradu quodam & passu eo processit, unde regno ejectus salute etiam excidit. Hic plurimum juverit cogitatio illa apud Petrum 2 *Pet.* 3,8. mille annos apud Deum sicut unum diem esse, & contra, & sicut noctis vigilia *Psal.* 90,4. Is autem est verus temporum mensor. Hinc *Petr.* 1. *Epist.* 1,6. tempus angustum esse quo pii contristantur variis tentationibus. & 1 *Pet.* 5,10. Cujus eximium exemplũ habemus in Paulo 2 *Cor.* 4,17. Qui cum multos annos in ministerio exegisset, quibus laboriose admodum & periculose negotiatus esset, tamen universum illud tempus momentaneũ appellat. Si Iacobo labores & tempus momentaneum visum sit, ut uxores suas acquireret, quæ illi maximas molestias exhibebant; quanto magis nobis ærumnæ omnes molestiæque leviusculæ & momentaneæ videri debent, per quas ad metam illam, quæ angustiis omnibus nos eximet, finemque cunctis laboribus imponet, properamus. Concludatur hæc adhortatio Apostolorum ipsorum vocibus. *Benefaciendo ne segnescamus, tempore enim suo metemus, si non elanguerimus. Et patientes estote, fratres, usque ad Domini adventum. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter eum expectans, dum accipiat pluviam matutinam & serotinam. Patientes estote & vos, & stabilite corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquat. Gal.* 6,9, & *Iacob.* 5,7,8.

Ad negotiationis studium movere debet ratio reddenda;

Συναίρει μετ' αὐτῶν λόγον.] Hoc nos ad diligentem solertiam excitare debet, quod rationem negotiationis nostræ posituri sumus; quod singula ad quadrantem usque ad calculos revocabuntur; quod non ab omnibus confuse, sed à singulis separatim rationem exiget. *Eccles.* 12,14. Deus enim ut est munificus, ita non est negligens & dissolutus paterfamilias; ut sua bona dissipari & abliguriri æquo patiatur animo: præcipue cum tam illa eximia & præstantia dona sunt. Si servus persuasum haberet sibi de omnibus ponendam esse rationem, nec calculum heri sui effugere ullo modo posse, mirifice eum hæc cogitatio in officio contineret, maxime si rem sciat sibi cum eo esse, qui nec fallere nec falli potest. Hoc argumento utitur Apost. *Rom.* 14,10,11,12. Hujus rei eximium exemplum extat in *Paulo* 2 *Cor.* 5,9,10. Qui se hoc adminiculo ad officiũ excitavit. Quod si ἀνυπεύθυνοι Iosephus in domo Potipharis, & Pharaonis, & Daniel in aula Darii, & templi instauratores in reficiendis templi ruinis fideles se præstiterunt, nedum nos à quibus ratio exigetur.

Eaque tum donorum, tum lucri.

Secundo ratio duobus in capitibus consistit, quid utendum acceperit, quidque lucratus sit: quod perinde est ac si diceret, pro ratione pecuniæ apud me dispositæ lucrum & quæstum feci: cui enim multum creditum est, ab eo multum repetetur; ubi sementem prolixam facit, ibi etiam uberiorem messem expectat. Quamobrem danda cuique opera, ut primum dona sibi à Deo collata quantacunque varietate sint, cognoscat: deinde ut pro mensura donorum in quocumque genere conatus adhibeat, ut singula dona ad maximum heri quæstum adhibeantur.

In quo turpissime ab hominibus sæpissime peccatur, qui negotiationis suæ rationem non ad accepta ab ipsismet dona, sed ad aliorum hominum ejusdem aut ætatis, aut ordinis, conatus & diligentiam, componunt; à quibus si non superantur, præclare secum agi putant. Atque ita fit, ut cum quinque talenta acceperint, non magis tamen negotientur, quam qui duo acceperunt. Vnde fit ut dominicæ magna pecuniæ pars otiosa rubiginem contrahat, & ita totam Domini pecuniam temporis progressu corrumpat & inficiat. Quid, quod ipsi fere hoc sumentes, tanquam sint suis sociis magis dotati, in seipsos sententiam condemnationis ferunt, cum suum officium alieno pede metiuntur.

Videmus

Quod illuſtratur exemplis, ex communi vita & S. Scriptura ſumptis.

Videmus mercatores frugi, quam vel minima in mercibus non aſpernantur, ſed ex illis, quæ alicui rejectitia videri poſſunt, quæſtum aliquem faciunt: quod in agricolis magis perſpicitur, qui è ſtercoribus quæſtum faciunt: quanto magis in pretioſis Dei donis nihil non exercendum eſt? Si hunc Deus equitem fecit, alium vero peditem, an æque feret ſi eques non plus ſpatii & itineris conficiat quam qui pedes eſt? Cum igitur donorum præſtantia ſæpe homines deſidioſos reddat, intelligendum nobis eſt, debere hanc donorum largitionem noſtram induſtriam acuere. Sic Samſon pro virium ſuarum ratione inuſitata admirabiliter pugnavit & uno tempore mille interfecit; poſt templum in capita incircumciſorum attraxit. Quod ſi illis viribus præditus nihil proprium & ſingulare admiſiſſet, culpa non vacaſſet: ſic in Daniele videmus, qui tametſi ſocios haberet, non tantum Chaldæos, ſed pios & eximios viros, non tamen putavit ſatis illi eſſe, ſi ſtudio & labore & omni contentione ſe eis exæquaret; ſed cum plus accepiſſet, dedit operam ut plus etiam lucraretur. Longe vero luculentiſſimum hujus rei exemplum in Salomone habemus, qui cum omnes & anteceſſores & poſteros plurimum donis omnis generis ſuperavit, non tamen inde ſtudium remiſit; ſed diligentiam potius ſuam acuebat, & veluti ſumpto condimento alacrius res omnes aggreſſus eſt. Nec vero hujuſmodi negotiatoris diſſolutio lenius tractabitur, quam qui talentum ſuum defodit. Cum ex quinque talentis quatuor forte otioſa ſint, gravius procul dubio judicium eum quam alterum manet. Neque enim tantum otioſi, ſed cunctatores plectentur.

Verſ.20, 22. *Servi fideles lucrum ſuæ prudentiæ non aſſcribunt.*

Notandum porro quod lucrum & quæſtum ſibi & ſuæ prudentiæ non vendicant, ſed talentis Domini attribuunt; uſque adeo ut *Luc.*19,16. dicantur talenta hunc quæſtum feciſſe: quod idem eſt cum Apoſtoli dicto, ***non ego ſed Dei gratia quæ eſt in me.*** 1 *Cor,*15,10.

Verſ.21. *Fidelitatis præmium partim in laude,*

Præmium redditur; quod partim in honore, partim gaudio conſiſtit. Et quidem honos duabus partibus abſolvitur,

eo qui in { verbis / potentia } verſatur.

Quod ad laudem & præconium attinet; quanti putamus eſſe à Deo commendari? Qui opus Tabernaculi fideliter confeciſſent ob eamque cauſam à Moſe benedictionem accepiſſent, rem non parvi momenti acceperunt. ***Exod.***39. *verſ.ult.* quanto magis a Deo prædicari & benedici? Is enim vere laudabilis eſt, quem Deus laudat, is benedictus manebit, cui ille benedicit. 2 *Cor.*10,18. Iacobus affirmat placidum fratris vultum illi tanquam Dei ſerenum vultum apparuiſſe. ***Geneſ.***33,10. Commendat autem eum, quod bonus ſeu utilis fuerit, & quod fidelis, qui nihil cohibuerit aut averterit, ſed omnia retulerit ad heri commoda.

partim in dignitate; quæ amplificatur.

Altera pars honoris verſatur in eo, quod multis ſit præponendus. Arceſſetur enim in ſocietatem regni Filii Dei, & hæreditatem cum filiis dividet. Sedebit enim cum Chriſto, & non tantum homines, ſed angelos judicabit. Deinde gaudio æterno, & pleno, & ſine viciſſitudine doloris perfruetur; gaudio ſcilicet heri, *χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ.* 1 *Pet.cap.*1, *verſ.*8. quod ſi gaudium magnum *καὶ ἀνεκλάλητον* hoc mundo piis contingit; gaudium, quod nemo novit, niſi qui eo fruitur, quid futurum erit, cum omnes lachrymæ abſtergentur? quam rem Chriſtus alibi deſcribit menſæ ſub unius cum illo participatione, *Luc.*22,30. Hoc vero nemo mortalium fere ne fideliſſimo quidem ſervo conceſſerit: quis enim (inquit) ex vobis eſt colonum habens arantem aut paſcentem, qui ab agro regreſſo ſtatim dicat, Accede & diſcumbe? *Luc.*17,7. Quid, quod Abrahamus cum domus œconomum fideliſſimum, prudentiſſimum & Dei maxime timentem haberet, ægre tamen tulit illum ſibi hæredem liberorum orbitate ſcribendum eſſe? Perrari ſunt, qui fratres aut etiam filios in regni & gaudii ſocietatem admittunt, nedum ſervos. Salomon Ieroboamum ſervum ſuum, quantumvis à Domino Deo regem deſignatum, non potuit ferre. Atque ut hoc ſervo (ſe defuncto) quis indulgeat, nequaquam tamen ſe vivo hoc faciet.

Deus fideles ſibi utiles reputat.

Notandum porro *utiles* & *bonos* dici, cum tamen Deo nemo utilis eſſe poſſit. Si enim quis ſapit; ſibi, non Deo ſapit: ſi ſtultus ſit, pœnam auferet. *Prov.* & *Iob.*35,7,8. Homo poterit prodeſſe homini ſibi ſimili; ſed Deo non poteſt prodeſſe. *Pſal.*16,2. *bonum meum ad te non pertingit*; & tamen hic Deus homines ſibi utiles reputat, unde etiam ſervi lucrati dicuntur talentis heri.

In commerciis iſtis & negotiationibus queri ſolent, nihil pœne proficere negociantes, niſi magna vi pecuniæ inſtruantur:

tur: alioqui si arca tenuior sit, vix aut ne vix quidem posse panem, unde se pascant, lucrari. Hoc autem pecuniæ genere & hac in negotiatione tantum lucri fit, pro rata portione unius aut duorum talentorum, quantum ex 5. aut 10. talentis colligitur.

Servi in duobus talentis diligentia plerorumque ignaviam prodit.

Hic vero qui non minore diligentia duobus talentis negotiatus est, quam qui quinque accepisset, plerorumque vanitatem & perfidiam prodit, qui partim quod summos quosque attingere nequeunt, negotiandi studium abjiciunt; partim pudore prohibentur suam præ aliis tenuitatem in medium afferre; partim desperatione animi dejiciuntur, & ab hac negotiatione retunduntur. Sed meminerint pecuniam Domini esse, & quidem transeuntem (quod vocant) inter omnes mercatores: meminerint porro distractam & ad destinatos usus adhibitam certissimum quæstum facere. Meminerint dona quæ in illis sunt, ἀναζωπυρεῖν. 2 *Tim.*1,6. Denique meminerint neminem tam stultum esse, ut à mercatura deficiat, quod primus inter suos esse nequeat. Quod si in mercatura hac præclarum sit in secundis & tertiis consistere, nedum hic in centesimis.

Vers.23. *Bene est, serve bone & fidelis, &c.*] Tametsi eisdem verbis hic utatur, quibus ad superiorem servum usus est, non tamen inde conficitur paria fore utriusque præmia: uterque enim utilis, prior tamen magis utilis: uterque potentiæ simul & gaudio heri communicat, sed prior pro mensura donorum, quibus in terris recte usus est, post hanc vitam potentiæ & gaudio Domini cumulatius & magis confertim participabit. Nec enim apud homines fidelis œconomi & agricolæ vel villici par præmium, non pædagogi qui moribus filii moderatur, & ejus qui illi à pedibus est. Quod post clarius in hac parabola liquet, cum talentum inutilis servi ad eum qui 10. talenta habet transfertur.

Iisdem verbis impar præmium significatur.

Vers.24. *Accedens autem & qui unum talentum, &c.*] Pulchre instituitur hæc parabola, quod inutili servo & desidioso attribuitur unum talentum; ut sciamus inultum non laturos, si quis majora dona occultet; cum tam graviter in eum statuatur, qui unum talentum acceperat, quod non adeo manifestum fuisset, si inutili servo quinque talenta tributa fuissent: non enim sequeretur tam aperte, puniendum qui uno tantum abusus est, quia punitus est, qui quinque tam aperte ad otium abutebatur.

Cur inutili servo unum talentum datum.

MATTH. *cap.* 25, *à vers.* 31, *ad finem Capitis.*

31 *Quum autem venerit Filius hominis cum gloria sua, & omnes S. Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.*

32 *Et cogentur coram eo omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hœdis.*

33 *Et statuet, oves quidem ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram.*

34 *Tunc dicet Rex iis qui ad dexteram ipsius* erunt; *Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.*

35 *Esurivi enim, & dedistis mihi* quo *vescerer: sitivi, & dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me:*

36 *Nudus, & amicivistis me: ægrotavi, & invisistis me: in carcere eram, & venistis ad me.*

37 *Tunc respondebunt ei justi, dicentes; Domine, quando te vidimus esurientem, & aluimus? aut sitientem, & dedimus tibi potum?*

38 *Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & amicivimus?*

39 *Aut quando te vidimus ægrotum, aut in carcere, & venimus ad te?*

40 *Et respondens Rex dicet eis; Amen dico vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

41 *Tunc dicet etiam iis qui ad sinistram* erunt; *Exsecrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

42 *Esurivi enim, & non dedistis mihi* quo *vescerer: sitivi, & non dedistis mihi potũ:*

43 *Hospes*

43 Hospes eram: & non collegistis me : nudus, & non amicivistis me: ægrotus, &
in carcere eram, *& non invisistis me.*

44 Tunc ipsi quoque respondebunt ei, dicentes; Domine, quando te vidimus esu-
rientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, &
non ministravimus tibi?

45 Tunc respondebit eis, dicens; Amen dico vobis, quatenus id *non fecistis uni ex*
istis minimis, nec mihi fecistis.

46 Et abibunt isti ad supplicium æternum: justi vero ad vitam æternam.

ANALYSIS.

Describitur secundus Christi adventus ab adjuncta gloria in { Persona { Sua. / Angelorum. } / Throno. }

Vers. 32. Deinde ab adjuncta multitudine hominum, qui eo die ad illum aggregabuntur: deinde effecto seperandi bonos à malis; quod pari illustratur Pastoris oves ab hircis discernentis.

Vers. 33. Aliud effectum collocandi bonos ad dextram, ad sinistram vero malos.

Vers. 34. Aliud Christi effectum, sententiæ dictio; quæ distributione subjectorum declaratur { bonorum usque ad *vers.* 41. / malorum à 41. *ad finem Capitis.* }

Sententia in bonos sua forma describitur: *venite, hæreditario jure possidete regnum:* quæ sententia suis causis efficientibus exponitur; primum quod sint benedicti à Patre: Deinde quod præparatum fuerat à Patre; quæ præparatio adjuncto tempore notatur, ante jacta mundi fundamenta.

Vers. 35, 36. Adjuncta hujus sententiæ de possidendo regno jure hæreditario, nempe quod Christo esurienti cibum præbuerunt, &c.

Vers. 37, 38, 39. Cujus sententiæ effectum in piis est percunctatio à Christo, quando illi esurienti cibum dederunt, &c.

Vers. 40. Cujus percunctationis effectum est responsio Christi ad eos ab adjuncto, sibi præbitum fuisse, quod suis fratribus egentibus præstitum est.

Vers. 41. Sequitur sententia in improbos; cujus forma est, *abite à me in ignem æternum*; quæ sententia suis causis exponitur, quod sint maledicti: Deinde quod illis præparatus sit ignis ille: quod etiam pari illustratur, eodem scilicet, qui diabolo & ejus Angelis præparatur.

Vers. 42, 43. Alia causa efficiens notatur condemnationis, quod Christo esurienti cibum non dederunt, &c.

Vers. 44. Cujus sententiæ effectum est percunctatio impiorum, quando Christo cibum negarunt, &c.

Vers. 45. Cujus percunctationis effectum est responsum Christi adversum illi quod est *vers.* 40.

Vers. 46. Sententiæ executio; quæ distributione adjunctorum declaratur, nempe quod { Impii in æternum supplicium / Pii in æternam vitam. } abeunt.

METAPHRASIS.

31. *Quando vero homo Christus, qui priori adventu suo humilis & obscurus in mundum venit, secundo suo ad nos adventu gloriosus & majestate plenus apparuerit, & qui prius duodecim Apostolis, viris ignobilibus, stipatus, in terris conversatus fuerat, infinito Sanctorum & Angelorum numero comitatus descendet: tum qui prius ad aliorum tribunal sistebatur, ipse in solio summe glorioso & tantam majestatem decente judex considebit. Coram eo ministerio Angelorum aggrega-* 32.
buntur omnes ad unum homines, quotquot ab orbe condito ad mundi consummationem vita præditi sunt; quos in duas classes discludet, haud secus quam opilio, pecudibus ex agro in caulas & septa collectis, oves ab hircis dissepa-
rat. Et pios quidem mansuetudine & obsequio 33.
ovium ingenium referentes ad dextram collocabit: impios vero, sua pervicacia & morum quasi fœtore hircos imitantes, ad sinistram.
Tum rex cujus partes sunt judicem agere, his 34.
qui ad dextram sunt dicet; Vos, quibus cordi olim fuit, mihi appropinquare, ad me venite: & quandoquidem à Patre meo spiritualibus benedictionibus, electione, vocatione, justificatione & sanctificatione, benedicti & donati estis, regnum cœleste gratuito haud secus possidete, quam filii, qui nunquam quidquam de parentibus promeriti, hæredes ab illis instituuntur: quod regnũ illico à jactis mundi fundamentis, nempe secundo creationis die, vobis
præparatum est. Vos enim fructus dignos Dei 35.
filiis edidistis: mihi enim esurienti cibum dedistis, sitientem potastis, peregrinantem excepistis, & in domum vestram collegistis. Nu-
dum vestibus induistis, ægrum & infirmum 36.
invisistis, ad carcere inclusum venistis. Tunc
justi tanquam attoniti & stupentes tanta Dei 37.
munificentia haud secus afficientur, quam si ad gratuitæ beatitatis beneficium exornandum in hunc modum Christum alloquerentur; Domine, quando te vidimus fame laborantem, ut alimenta tibi præberemus, aut siti ut potum
suppeditaremus? Quando te vidimus peregri- 38.
num, ut te hospitio exciperemus, aut nudum
ut amiciremus? Quando te vidimus infirmum, 39.

aut

40. *carcere inclusum, ut ad te veniremus? Tum Rex respondens, illis dicet: Sancte vobis affirmo, quod uni ex fratribus meis vel infimi inter pios ordinis fecistis, mihi factum deputo. Tum*
41. *his qui ad sinistram sunt dicet: O vos qui olim à me quam longissime remoti esse voluistis, abscedite à me (ut qui à Patre meo maledicti estis) in æternum exitium; quod vos instar ignis aduret: exitium, inquam, ejusdem generis, quod diabolo & reprobis ejus Angelis, seu administris sub initium creationis præparatum*
42,43. *est. Quod exitium meritissime vobis justum & debitum est: mihi enim esurienti cibum non*
44. *præbuistis, &c. Tunc respondebunt & illi attoniti (ac si atrocitatem peccati sui ignorantes)*
45. *Domine, quando te vidimus, &c. Quibus Dominus respondebit; sancte vobis affirmo; quod uni ex minimis qui in me credunt officii nega-*
46. *stis, tanquam mihi denegatum reputo. Et quidem quod ad impios istos attinet, spectante Christo & piis omnibus. Angelorum ministerio projecti, ad æternum supplicium ibunt, justis ad æternam vitam eorundem Angelorum ministerio in cœlos abreptis & asportatis.*

PRAXIS.

Gesta ultimi diei; quæ sunt.
- Adventus secundus Christi.
- Finis adventus, ultimum judicium:
  - Apparatus ad judiciũ.
  - Ipsum judicium.
- Cujus *partes* sunt,

Latior clariorque extremi judicii enarratio,

Superioribus duabus parabolis judicium extremum aliquousque adumbratum est. Nam intromissis virginibus prudentibus & servis fidelelibus ad gaudia sponsi & heri, ac repulsis stultis virginibus & perfido servo ab eodem gaudio; certa quædam crassa lineamenta depinguntur futuri judicii. Sed quod prius strictius comprehensum est, hoc loco fusius & latius explicatur, quodque prius allegorica & translata oratione dixit, hoc loco verbis magis propriis enarrat. In hoc vero discrimen longe maximum statuitur, quod superiores parabolæ Christi administrationem complectantur adversus eos duntaxat, qui in Ecclesia sunt & Euangelium profitentur. Hæc autem narratio omnes in universum homines ab initio mundi, ad finem ejus complectitur. Et primum quidem in adventu Christi glorioso in ultimo die, qui describitur hoc loco,

Spectatur Christi gloria
- Inhærens.
- Circumsistens.
  - Angeli gloriosi omnes quotquot sunt.
  - Solium, quo considebit.

Quæ autem aut cujusmodi Christi gloria sit futura & quam incomparabilis, partim liquet ex ejus transfiguratione, in qua aliquot ejus lineamenta ducuntur; partim ex gloria unius Angeli eum comitantis. Nam si Ministri unius tanta gloria sit, quanta describitur 28. *Matth.* 3. quanta tandem Angelorum omnium Domini gloria futura est? Vide *Apocal.* 4,3. *Vers. 31. Christi in judicio extremo gloria.*

In Angelis vero Ministris non tantum propter præstantiam, pulchritudinem, vires, & robur, sed eorundem infinitate gloriosus & plenus majestatis futurus. Cui millies mille ministrabant, & coram quo myrias myriadum stabant. *Dan.* 7,10. regius comitatus consuetus constabat 60. satellitibus partim anteambulonibus, partim subsequentibus. Quod autem ad Solium attinet, hujusmodi erit, quale Dei filium & omnipotentem decet. Cujus descriptionem & picturam, vide *Apoc.* 4,3,4,6. & *Ezech.* 1. *cap.* 26,27,28. Vide an Angeli, qui ad *Coloss.* 1,16. *throni* dicuntur, pro solio Christi futuri sint, eum suis viribus tanquam humeris sustentantes. Cum autem Ministri & solium tam gloriosa sunt, quanta in ipso Christo gloria; qui etiam Patrem aspectu jaspidi & sardio consimilem *Apoc.* 3,4. refert & imitatur. Salomonis igitur 60. satellites edocti ad prælium, stringentes gladium, gladio accincti super femur sicut nani sunt & tyrunculi, si cum his satellitibus componuntur. Solium ex ebore & auro purissimo, cujus nunc nulla vestigia, cum hoc solio collatum, vix scabelli nomen meretur; potissimum vero Salomonis persona cum Christi persona commissa ita evanescit, ut stellæ ad aspectum solis. Christus enim verus est Absolon, qui non tantum innocentia, sed forma etiam corporis ab omni labe à vertice capitis ad plantam pedis liber & solutus. Ille, ille est pulcherrimus inter filios hominis, ille Lilium in convallibus, rosa in Sarone; cum illo omnes compositi, veluti spina sunt inter rosas, veluti silvestres arbores, cum frugiferis & consitis comparatæ.

Sed quorsum (inquit aliquis) hujus apparatus mentio fit? Ideo scilicet ut pii tam gloriosi, & tanquam regii apparatus commentatione, ad pietatem, justitiam & sobrietatem excitentur. *Titum* 2,12,13. 1 *Timoth.* 6,14. & 2 *Tim.* 4,1. 1 *Ioh.* 2,28. Quem enim non pudeat coram tanto & tam amplo rege nudum & indecorum apparere? Si enim scintilla illius sanctitatis, quæ in piis hodie *Cujus narratæ gloriæ fructus.*

die

die apparet, ab omni externo splendore remota, impios ita pudefacit, ut non ferant eorum consuetudinem (unde scorta impudica ad lupanaria confugiunt, fures larvas & noctem quærunt) quomodo infinitam sanctitatem cum pari majestate conjunctam aspicient & intuebuntur? Si etiam pii, quibus peccata sunt remissa, conscientia suæ indignitatis sic afficiantur, ut Christi præsentiam vix ferant, *Isai.6,5. Matth.8,34.* quomodo impios quibus peccata retinentur, confundi necesse est, cum Christum coram aspicere cogentur? Si denique protoplastes ob corporis nuditatem ex peccato contractam, à conspectu Dei contente fugiebat, cum ab omni spe veniæ consequendæ exclusus non esset: quomodo consistent impii, quum omnis spes melioris conditionis ipsis penitus erit convulsa? præsertim quum Deus non suaviter ipsos alloquetur, ut Adamum olim, sed veluti in turbine ac tempestate formidabili, quasi fremitu & rugitu leonis, illos terrebit? Ex ista itidem amplitudine gloriæ ac potentiæ, tanquam ex proprio adjuncto arguitur infinita facultas compensationis tribuendæ, tum in præmio erga pios Dei cultores, tum in pœna adversus irreligiosos. Quod quidem ut Dei timentibus merito studium pie & juste vivendi aut accendit, aut inflammat; sic Dei contemtoribus frænum aut hamum injicit, quo sint ad peccandum saltem tardiores. 1 *Thess.1,9,10.*

Vers.32, 33. *Diversa fidelium & infidelium in resurrectione conditio.*

Vt Pastor separat oves ab hœdis.] Sicut pastor bonus oves suas, interdiu hinc inde palantes, sub vesperam colligit in unum, sic Christus in mundi hujus vesperi, vel fine, omnes homines colliget. *Ioh.5,28,29.* Frustra namque male sibi conscii Epicurei contrarium sibimet persuadere conantur. Sicut mortis somnus est omnibus communis, sic etiam resuscitatio communis erit: sed cum differentia magna. Piorum enim somnus in morte similis est eorum in vita somno, qui bona valetudine utentes, tametsi fessi lectum petant, mane tamen ita recreari se sentiunt ac si nova vita à Deo donarentur. Impiorum autem mors eorum somnum refert, qui lethaliter ægroti, postquam somnum inierunt, experrecti deterius se habent quam cum somnus eos occupavit. Sole justorum occidente, cœlum ipsis rubet, nuntius futuræ insequente die serenitatis: contra vero impiorum sole occidente eorum cœlum tristem faciem induit, quod præsagium est maximæ tempestatis insecuturæ.

Hoc autem loco difficilis quæstio solvi posse videtur: *Quæritur* enim utrum pii tantum, an etiam impii simul virtute Christi filii hominis resurgent? Colligunt enim nonnulli ex 1 *Cor.15.* pios tantum resurrecturos virtute Christi; ita ut impii excitandi sint absoluta Dei potentia. *Resp.* Sed apparet ex hoc loco, Archangeli voce omnes excitandos: qui Archangelus Christi Mediatoris minister erit. Vide etiam 1 *Cor.* 15,20,21,22. *Omnes tamen virtute Christi resurgent.*

Separatio illa quæ excitationem sequetur, in hac vita aliquo modo inchoatur: sed non nisi in extremo mundi fine perficienda. Quæ res quam piis grata futura sit, facile colligitur ex parabola zizaniorum, *Matth. cap.13.* item ex 2 *Thess.2,1.* magni gaudii materia erit piis semet invicem intueri simul congregatos ad hæreditatem cœlestem adeundam. Incomparabilis autem fœlicitatis, intueri gloriam Christi in quem speraverant, & cui se ac salutem suam commendarant. *Eorum separatio hic inchoata tum perficietur.*

Quod oves ad dexteram, ad sinistram hædi collocantur, indicium est incomparabilis in judice & ministris ejus peritiæ, qui antequam singulorum causas audiverunt, suum cuique locum attribuunt. In hoc etiam videtur allusio quædam esse ad *Deut.27,11,* &c. ubi jubet Moses ut sex tribus ex liberis matribus natæ, è regione montis Gerisini consisterent benedicturi populo Dei; & sex reliquæ (ex ancillis oriundæ omnes, præter Rubenem, dignum qui cum istis annumeraretur) è regione montis Ebal collocarentur, ut maledictionibus proclamandis responderent, *Amen.* *Quæ judicis & ministrorum peritiam testabitur.*

Hoc etiam in loco observandum est ingenium piorum simul & impiorum sub metaphora ovium & hœdorum. Ovis enim mansuetum animal est, & vel sola voce aut sibilo pastoris facile regitur: cæterorum etiam simplicissima, in agnoscendo pastore acutissima est. Porro Domino suo est fructuosissima: quamdiu enim vivit, lanam, lac, & fœtum adfert: nec quicquam est in ove quod non afferat emolumentum, ne stercore quidem excepto: cum vero mactatur, tum vero tota cedit in Domini sui usum. Contra vero hœdos refractarios, errones, alta petentes ac scandentes, fœtidos, & libidinosos esse constat. *Piorum & impiorum cum ovibus & hœdis collatio*

Hinc etiam colligitur, duo tantum genera hominum esse, pios & impios, oves & capras: nullos esse intermedios. Duæ tantum sunt *duo tantum hominum genera esse arguit.*

sunt Christi manus: non datur tertia, ad quam purgatorio addicendi stabunt. Quod si quis jam eos in oves evasisse excipiat, Deum ille personarum acceptorum constituere videtur. Cum enim his purgatorii beneficium concedatur, qui superioribus seculis vixerunt, qui in extremo die vivent, ilico à mutatione ad Dei tribunal rapti, hoc privilegio privabuntur: adde, quod recens antea mortui non tam accurate purgabuntur, ac illi qui longius remoti fuerunt à fine mundi.

Vers. 34. *Cur Iudicium à piis inchoetur?* *Quærat* hic aliquis, cur primum judicium inchoatur à piis? *Resp.* ut Christi solemni & clara sententia absoluti, postea impiorum, tam Angelorum, quam hominum judices esse possint. 1 *Cor.* 6,3. Deinde æquius ferre debemus, judicium Dei in affligendo initium jam accipere à domo Dei, non tantum quod leviores multo sint istæ primæ velitationes; sed etiam quod judicium summæ fælicitatis initium capiet à nobis.

Venite.] Cum pii semper Christo appropinquare appetiverint, sæpiusque gemitibus postularint, ut suum adventum accelerare vellet, non mirum est si Christus eos ad se invitet.

Qualitas salutis, & ejus causa. Deinde notatur salus nostra qualis sit, & quæ sit ejus causa. Salus ostenditur gloriosissima futura, quando *regnum Dei* vocatur. Si etenim reges ab hominibus creati, & quidem in terris, beati prædicantur, multo magis à Deo designati, delecti ut in cœlis regnent.

Salutis nostræ causa statuitur gratuita Dei in Christo gratia; quod etiam tribus argumentis declaratur. *Primum argumentum* petitur ab efficiente, benedictione scilicet in Christo. Sic Apostolus *Gal.*3,8,9. ut res mutuo se consequentes proponit justificationem per fidem, & Dei erga Abrahamum benedictionem & *Eph.*1. omnia, quibus ad salutem itur, gratuita ostendere volens, benedictiones Dei appellat.

Hinc discamus (doctore Petro *ep.*1.*c.*3. *vers.* 9.) ne maledicentibus remaledicamus: sicut enim Deus nos illi maledicentes benedixit, sic etiam & nos maledicentes nobis benedicamus.

Secundum argumentum est à relatione Patris dantis, & filiorum accipientium hæreditatem. Si enim ex meritis res penderet, non filius, qui nunquam forte profuit parenti, præsertim cum sit infantulus, sed servus qui multum laboravit, patrimonium acciperet, & hæres scriberetur.

Tertium argumentum est ab adjuncto temporis, quod tum paratum illis hoc regnum fuit, cum nondum nati nihil mereri potuerunt. *Rom.* 9,11,12,13. *Eph.*1,4. *Pontificii* inde astruunt justificationem ex meritis, quod particula *enim* hic subjungatur: sed responsum est, particulam illam esse rationalem; & rationem, non causam designare.

Causa salutis jam explicata, necessaria ejus adjuncta notat: sunt autem illa omnia opera bona, quæ Deus præparavit ut in illis ambularemus: quæ sub uno bonorum operum genere synecdochice comprehenduntur. Nam bona opera sunt via, qua itur ad salutem, & necessario debent intervenire inter nostram justificationem & redemptionem expletam. Elegit autem Christus opus commiserationis, quia Iudæi plerique in externo cultu diligentes, misericordiam negligebant. Porro tria genera constituit indigorum seu miserorum, in quos nostram commiserationem declarari vult: primum est pauperum victu aut vestitu destitutorum; secundum hospitum latibulo carentium; tertium conclusorum vel ob morbum, vel ob maleficia seu maleficiorum opinionem. Atque his omnibus operibus charitatis abundare nos oportet, non (ut plerique) unũ horum amplexari, & alia negligere, vel etiam studiose declinare. Vers. 35, 36. *Ejus necessaria adjuncta.*

Vtitur autem Christus gravissimo argumento ad hoc officium suadendum, cum semetipsum in membris suis recreatum, pastum, vestitum, curatumque palam ac aperte profitetur. Pii magni olim æstimarunt si Dei servum aliquem, Prophetam, aut Apostolum ad suas ædes pellicere potuerunt: nec dubium est, quin quoties cubiculum quo accipiebatur, mensam cui accumbebat, aut lectum in quo cubabat, intuebantur, toties aut de Dei erga se benignitate cogitabant, aut ad precandum, aliudve præclarum opus, quod in servis Dei viderant, imitandum exsuscitabantur. Scriptor ad Hebræos insignem facem & stimulum esse statuit, quo quis ad ad hæc misericordiæ officia accendatur, quod hoc modo effectum sit ut aliquot, putantes se mortales excipere, Angelos exceperint. Si ergo hoc efficax sit ad commovendam miserationem erga peregrinos & pauperes, quod sic possint excipere hospitem Angelum, cum itidem possint hunc honorem non assequi; quanto magis hoc nos movere debet, quod Angelorum Dominus excipiatur hospitio; idque sine omni dubitatione. Inde enim *Opera misericordiæ Christo in membris suis præstantur.*

enim certissime concludamus Christum nobis propitium esse, siquidem munus à nobis acceperit. Vide *Iud.*13,23. responsum uxoris Manoachi ad virum suum. Huc refer quod Salomon *Proverb.*19,17. *qui dat pauperi fœneratur Domino, &c.* Et si rem probe expenderimus, animadvertemus magnis beneficiis affectos fuisse à Deo Prophetarum opera, qui illis hospitium præbuerunt, &c. Vide exemplum Sareptanæ viduæ, Shunamitidis, Dorcadis, & pupurissæ, &c. quarum ex hoc hospitio vigebit in omnem posteritatem memoria. Quod si minimus ex fidelibus hunc honorem procurat, quanto magis qui primarios reficiunt & recreant, quales sunt ministri verbi. Vide *Matth.*10,40,41,42.

Quare reprehendenda in iis tarditas nostra.

Hinc examinentur nostri, quo in Christum amore sint; qui illum dominum cœli & terræ, & eorum quæ possident hæredem & largitorem aliquid velut mendicantem repudiant. Si enim hanc doctrinam non intelligunt, insignis inscitiæ in mysteriis regni sunt: sin scientes illud, non factis compleant, insigniter ingratos esse illos oportebit, qui tam præclare de se meritum tam indigne accipiant. Perstringatur igitur siccitas & ariditas nonnullorum, quibus cum Deus prolixe benedixerit, tamen quam parcissime & quam aridissime largiuntur: cum alii decuplo tenuiores, decuplo plus quam illi largiuntur, cum servi plus suis heris largiuntur. Quod si excipiant eos profuse & juveniliter erogare, parum scire quanti sit denarius, respondeo & ipsos parum scire quis Christus, & quid illi debeant; parum nosse, quantum lucrum & fœnus ex hac pro facultate datione percipiatur; non expendere quam execrabili maledictione Deus eos constringat, qui macrum animalculum in victimam Deo affert cum opimum & præpingue in gregibus aut armentis habeat; *Malach.*1,14. quam secure & tuto ea possideantur, quæ in pios conferuntur.

Vers.37, &c. Piorum exceptio, & Christi ad eam responsio stupendam Dei gratiam declarat.

Domine, quando, &c.] Pii jure videantur hæc excipere, cum maxima pars Christum in terris agentem nunquam viderit: & cum viderunt, eum tamen nec morbo laborantem, nec carcere conclusum vidisse verosimile sit. Sed hæc exceptio facile dissolvitur à Christo, qui se in paupere excipi profitetur. Sed *quæritur* porro, cur hoc tam alienum piis videatur, ut hoc quærant nunc demum, cum perfecti existent, cujus ne tum quidem ignari erant, cum in terris degebant. *Respondeo* non hæc eo commemorari, quasi hic dialogismus ultimo die futurus sit; sed ut intelligatur experrectos & ad se veluti redeuntes pios nunquam satis pro dignitate hanc Dei munificentiam æstimare posse, qua illos perinde complectetur, ac si omnia illa pietatis officia in seipsum contulissent. Cum etenim Angeli ad hoc Euangelii mysterium obstupescant, & in illud penitus introspicere contendant; quid mirum, si pii, utcunque perfecti, & ignoratione exuti, admirabuntur? Ex quo illud elucescit, quemque ut quam proxime ad Deum accedit, ita ad hanc Dei munificentiam obstupescere, quod Christus in suos beneficentiam tanquam in se effusam accipiat. Quis unquam rex exstitit, qui hospitium abjectissimorum ex aula eadem compensatione remuneraretur, qua suum & proprium hospitium solet Imo vero si quis hujusmodi exsisteret, quæ tantæ opes, aut sumptus ei rei præstandæ sufficiant? Quoties igitur in hoc officii genere nos ipsos socordes & frigidos sentimus, nobis Christum ob oculos proponamus, deflexis à pauperibus oculis, & subductis sensibus ab hospitibus; atque in hunc modum rationes ineamus, Egone ut Christo panem, potum, vestes negarem? Eone ingratitudinis me prolabi patiar, ut ei boni quicquam subtraham, qui mihi nihil denegarit, in me omnia, & inter omnia se ipse contulerit? contemtuine Christum habebo, qui sui contemptum probe ulciscetur? quid? sumptuine parcam, cum is tam abunde remuneraturus sit?

Vers.41. Impios Christum à se pellere solitos à se pellit Christus:

Cum impii olim Christum à se abscedere jusserint & facessere, ne quid illis cum eo commercii esset, *Iob.*21,14. non mirum si jam eadem mensura Christum audient illis discessum à se imperantem. Sicut enim piis Christi adventum expetentibus & ejus regnum dicitur, *Venite*; sic impiis Christi adventum & regnum exhorrescentibus dicitur, πορεύεσθε. Hoc autem loco pœna descripta constituitur in profligatione impiorum à præsentia Dei. Quod enim à se abscedere jubet, liquet partem magnam pœnæ reproborum esse privationem præsentiæ Christi. 2 *Thess.*1,9. & *Ioan.*7,33,34. Cum enim in beneficio ducatur aggregari ad electorum consortium, nedum ad Christum electorum caput. *Ioh.*17,24. deinde amandatione in ignem æternum, eum qui paratur diabolo & Angelis ejus, id est, horribilissimum, ut qui talis sit, qualis diabolis paratur. Dei vox jucundissima in Euangelio formidabilis hic

est impiis: quanto magis cum in ira loquetur Deus. Si tum erat formidabilis cum gratiam illis obtulit; quanto magis erit, cum gratiæ expers futurus est. Formidabilis, Adamo fuit, cum leviter & paterne Deus eum alloquebatur in paradiso, in aura auroræ, nedum tum erit horribilis, cum in furore loquetur & in turbine.

Ejus rei causa. Causa assignatur, Dei maledictio; sicut ante salutis piorum, benedictio. Huc appelletur Dei in Esavum odium, & maledictio; ut contra ejus in Iacobum benedictio.

Vers.44, &c. *Non dedistis, &c.*] Quod si quod non fecerint condemnabuntur, quanto magis quod his contraria fecerint.

Impii in pauperibus Christum non agnoverunt. Quod improbi item quærant; quando Christum repudiarint; eo docent se parum reputasse suæ inhumanitatis atrocitatem & indignitatem; neque quid in pauperibus præter ipsorum personam spectasse: quæ res illis imposuit.

Sed hic *excipitur*, quod ab improbis Christo dicitur, Comedimus & bibimus tecum, &c. *Luc.* 13, 25, 26. *Respondeo*, illa officia irrita esse, quæ ex vero amore non manant. 1 *Cor.* 13, 3. sed per ostentationem, aut civili quadam ratione præstantur.

Sententiæ latio à piis, exsequutio ab impiis inchoabitur, ut cum oculis suis pii vindictam sui intueantur (ut est in *Psal.* 58, 11. & 76, 10.) tum ut eorum infelicitatis comparatione suam fœlicitatem plenius agnoscant.

MATTH. *cap.* 26, *à vers.* 1, *ad* 6.

ET factum est quum finisset IESVS omnes istos sermones, dixit discipulis suis;
2 Scitis post biduum Pascha fore, & Filius hominis prodetur ut crucifigatur.
3 Tunc coacti sunt primarii Sacerdotes & Scribæ & Seniores populi in aulam Pontificis maximi qui dicebatur Caiaphas.
4 Et simul consultarunt ut IESVM dolo prehenderent, & trucidarent.
5 Dicebant autem; Non in festo, ne tumultus fiat in populo.

ANALYSIS.

HIstoria hæc quæ sequitur, describitur adjuncto tempore, nempe cum doctrinam, quam Ecclesiæ proponendam accepit, absolvisset.

Vers. 2. Item alio adjuncto tempore, cum duo tantum dies superessent ad festum Paschatis. Cujus Paschatis adjunctum est Christi veri Paschatis traditio & crucifixio.

Vers. 3. Cujus traditionis & crucis efficiens instrumentalis causa est conventus Sacerdotum primorum, Scribarum & Seniorum; qui conventus subjecto loco describitur, in domo Cajaphæ.

Vers. 4. Finis conventus est, ut consilium caperent; finis vero consilii capti, ut prehensum interficerent: adjunctum vero utriusque, est dolus.

Vers. 5. Declaratur adjunctum prehensionis & interfectionis ex consilio Principum, non in Paschate (contra quam Christus prædixerat) cujus finis proponitur, ne esset seditio.

METAPHRASIS.

1. *CVm Christus absolvisset illam partem muneris sacerdotalis, quæ in docendo versatur, ut qui universam Euangelii doctrinam à capite ad calcem, nempe extremum judicium, pertractasset, ad illam partem sacerdotalis muneris, quæ in sacrificio consistit, transitum facturus, dixit discipulis suis.*
2. *Vtcumque Iudæi depravata consuetudine tempus Paschatis mutarunt: vos tamen meis cum verbis, tum exemplo edocti, probe nostis intra biduum ex legis præscripto Pascha celebrandum esse: quo tempore me verum Pascha tam certo à Iudæis tradendum esse, ut crucifigar, sciatis velim, ac si eorum in manibus jam essem. Atque hoc ipso tempore, quo Iesus in monte Olivarum agens, hoc dixit;*
convenerunt principes Sacerdotum (hi sunt, qui exacto pontificatus sui anno, translata ad alium authoritate, dignitatis nomen & titulum retinuerunt) Scribæ & populi Seniores in domo Principis Sacerdotum, qui illo anno gratia aut pecunia dignitatem illam comparavit, cui nomen erat Cajaphas. 3.
Convenerunt vero ut consilium agitarent de Iesu prehendendo & interficiendo. Quod quidem insidiose & clam, non vi aut copiis, tentare constituerant. 4.
Tametsi vero sanguinis Iesu sitientissimi erant, tamen cautione utentes dicebant, non esse hoc tentandum tanto in omnium ordinum & populorum concursu: non equidem quod ulla in festum reverentia aut religione ducebantur, sed quod metuebant ne, si vim illi facerent, turbam in se concitarent. 5.

PRAXIS.

SVmma, Docetur Dei decretum per Prophetas prædictum de Christo, necessario, hominibus aliud conantibus, impleri: eo-

que

quæ impiorum studia & consilia, qui unam rem aliquam perficere cogitant, inter se scindi, ut quod Deus fieri vult, suo & proprio tempore exsequutioni mandetur.

Partes sunt,
- Christi de mortis suæ tempore prædictio præcisa.
- Quomodo impiis quibusdam contraria huic consilia agitantibus, eadem aliorum impiorum opera mutantur & irrita fiant.

Vers. 1. *Christus accuratus Doctor Ministris ad imitationem proponendus.* Christum accuratum doctorem, qui totum doctrinæ sacræ quasi corpus & structuram discipulis tradiderit, documento est, quod clausurus ministerium ante mortem suam, quod est in Euangelii doctrina veluti summum fastigium, de extremo judicio graviter pertexuit: quæ enim post in Iohanne à *cap.* 13. *ad* 18. differuntur, magis ad consolandum, quam docendum pertinent. Nec enim dubium est, quin sicut quod postremum in doctrina erat, postremo loco docuit: sic & cætera itidem suo tempore & loco protulerit. Vnde alio loco dicit se omnia illis ostendisse, nihil celasse, Patris voluntatem exposuisse *Ioh.*17. Denique ut ea docerent modo, quæ ab illo edocti in mandatis accepissent. *Matth.*28. Hanc Servatoris fidem & diligentiam imitatus est Paulus *Act.*20. qui universam viam veritatis Ephesios docuit, nihil retinens. Eandem in suis Ecclesiis omnes pii Ministri sibi ad imitationem proponant: totum, ut paterfamilias, dimensum singulis tribuant, ut non tantum ad necessitatem, sed ad lautitiam pascantur: nec tantum habeant quod famem frangat, sed porro quod eos pingues & aspectu pulchros faciat. Filii enim regis sunt, & illis vel ab mensa regia diurnus victus suppeditatur. Quod si Nebuchadnezaris servus regis offensionem tantopere metuebat, ut magno suo commodo non auderet quidquam de regis dimenso (pueris hoc flagitantibus) diminuere, quo minus pulchri & bene pasti apparerent: nedum illud in spirituali pabulo tenendum erit. Denique ut doctrina Euangelii, tanquam operimentis, non tantum nuditati eorum in frigore & æstu occurratur, sed accedant etiam ornamenta torquium, armillarum, annulorum, &c. ut regis filios decet. Quod si in illos Ministros jure animadvertatur, qui ad victum & cultum πενιχρῶς tuendum suppeditent tantum, quid illis fiet, qui non suggerunt, quod à fame & siti illos eximat, aut quod ad necessarium vestitum satis sit, ut illos è funibus mortis eripiat.

Quod si hoc non docere Ministris periculum creat; an auditores & discipuli periculo vacabunt, si ad cognoscendam universam Dei voluntatem studium & diligentiam non adhibuerint? An existimant regem æque laturum, si illis lautam mensam instruens, ea repudiata, cibum subrusticum amplectantur, puta atrum panem pro albo, aquam pro vino, lardum pro pavone? aut si serico illos indui velit, impunesne erunt, si saccum aut vilem pannum præferant. Atqui, inquit aliquis, mihi perinde est, modo vita foveatur, delicias non exquiro. Atqui, inquam, in præsentis vitæ victu non ita dissolutus es. Sed fac te hæc non persequi, sed mediocritate contentum esse, attamen regi & patri obsequendum est, cujus nomen & gloria violatur, nisi pro tanti regis magnificentia & pastus & vestitus sis. Ergo, inquit, aliquis cessabit tum ministerium, cum omnes erunt æque docti. *Resp.* Tametsi hoc convenit, non tamen plene assequimur; & si assequeremur, non tamen illico ministro æquaris, qui illa novit ut doceat: deinde ut omnia gustaris, tamen regustata placebunt magis. Scientia enim cum Ministri, tum corporis Ecclesiæ hic omnis ex parte est. *Quorum diligentiæ, auditorum industria respondere debet.*

Absoluto igitur Prophetico Christi munere, jam accedit ad Sacerdotale: vel absoluto potius Sacerdotali in docendo munere, accedit ad illud quod in sacrificandi ratione consistit. Vers. 2. *Christi transitio à docendi munere ad sacrificiū.*

Christus dicit discipulos probe nosse, Pascha post biduum celebrandum esse. Iudæi quidem hoc ignorabant, qui in triduum post, depravata consuetudine, illud rejecerant. Sed vos à me de hac re cum edocti, tum usu & exercitatione confirmati, probe hoc tenetis. Sic *Lucas* idem innuit 22,7. cum affirmat *advenisse diem Azymorum in quo mactari oportebat*, non autem in quo mactabatur Pascha. Ex quo illud intelligitur, resistendum esse temporum & ætatis erroribus, tametsi summo omnium consensu tanquam inundatione obruamur. Nec vero tantum corruptelas fugere, sed veritatem in praxin revocare: ut si minus illud publice obtineamus, at certe illud domi, inter eos qui nostræ curæ sunt commissi, exequamur. *Iudæorum consuetudo depravata.*

Adjungit eodem ipso die se crucifigendum esse. Sæpe prædixerat mortem suam (discipulis præsertim) mortis genus semel *Christus speciale tempus suæ mortis indicat.*

etiam atque iterum, mortis etiam suæ locum: nunc adjungit tempus speciale, quo illud fieri debet. Quod idcirco facit ut figuram cum re figurata, repræsentationem veritatis cum veritate, corpus cum umbra conjungeret; ut ex utriusque comparatione effectus Christi mortis clarius elucesceret, & constaret liquidius. Hinc enim docetur Christum verum esse Pascha, cujus unius sanguinis causa ultor Deus transit ædes nostras, nec pro merito nostro nobiscum agit, omnibus nostris peccatis per illius sanguinem expiatis. Hic historiam, *Exod.*12. replica; de agno Paschali.

Agnus Paschalis non fuit sacrificium. Agnum hunc non fuisse sacrificium: vide quod scriptum à me est in 12. *cap. Exodi.* Nec enim ad Altare, neque in tabernaculo, aut templo, nec per Sacerdotem modo mactabatur. Deinde nihil ex agno cessit Deo, sed totus ab Ecclesia consumtus est: cum in sacrificiis aliquid Deo cesserit. Denique in Aegypto mactabatur, ubi, teste Mose, non erat fas sacrificare. Quod autem urgent *Pontificii* Christum comedi oportere, sicut agnus comestus est. *Respondeo*: agnum carnaliter comestum esse ad adumbrandum spiritualem Christi esum per fidem: nam corporales ceremoniæ spiritualis Dei cultus simulacra erant. Deinde si Christus ipse sit Sacramentum, ut agnus qui edebatur, oportet eum alicujus alterius rei sacramentum esse: nam ut agnus Christi erat sacramentum sic Christus rei alterius. Hoc autem absurdum est ut Christus omnium Sacramentorum finis & ad quem sacramenta referuntur, ipse ad aliud referretur. Denique si agni esum tantopere urgeant, simul urgeant Christum non nisi cæsum & mortuum esse comedendum, quod illi ipsi non audent affirmare.

Christi mors omnium piorum communis est. Non est hoc Pascha Iudæorum tantum, sed piorum omnium & Gentium. 1 *Cor.*5,7. & *Ioh.*1,29. Sic etiam ῥαντισμὸς sanguinis Christi 1 *Pet.*1,2. pars una causæ materialis salutis nostræ notatur, id est, redemtio, qua ab omnibus cum peccatis, tum peccatorum debitis pœnis eximimur. Pars altera versatur in Christi obsequio, quod nobis tanquam proprium fide in Christo tribuitur.

Ejus effecta: Et certe nisi sanguinis hujus vox peccatorum nostrorum clamosas voces vindictam à Deo repetentes sua sonoritate vinceret & obrueret, sæpius exterminatorem & vindicem Angelum nostros liberos & domesticos, atque adeo jumenta, imo & res inanimatas ferientem experiremur; sæpius nobis multa adhuc nocte experrectis clamores exaudirentur, & aures nostras circumsonarent. Quamobrem non tantum futuræ vitæ, sed & præsentis incommoda virtute sanguinis Christi à nobis depelluntur. Nec vero tantum electi Angeli, qui bono nostro delectantur, transibunt ædes nostras nobis patentes; sed & reprobi ita hoc sanguine Christi constringuntur, ut nos (quorum interitum sitiunt) non possint ut plurimum invadere.

Applicatio necessaria. Sed hoc loco tenendum erit, non satis esse si Christi sanguis effusus est, nisi idem per fidem postibus conscientiæ aspergatur. Vide *Heb.*9,13,14,18,19,21.

*Vers.*3. *Lex de Sacerdotio violata.* Hic locus dicendi est de lege Dei violata in summo Ecclesiæ ministerio: nempe principe Sacerdotum, qui cum unus solum esse deberet, uno tempore, multi fuerunt. Quod contra Brounistas facit, qui nullum ministerium agnoscunt, nisi quod est accuratissime ad normam verbi conformatum.

*Vers.*4,5. *Decreti divini immobilitas:* *Et simul consultarunt.*] Hæc subjiciuntur ab Euangelista ut divini decreti firmitas & immobilitas inconcussa liqueat magis: dum universo Ecclesiæ concilio aliud consilium ineunte, illud tamen obtinuit, quod unus Deus consilio suo decreverat. In quo singularis cum instructio, tum consolatio nobis suggeritur, impios & sceleratos homines cancellis divini decreti veluti septis & repagulis ita constringi & coërceri; ut nec ex illis potentissimus quis, sed nec omnes quidem terræ & inferorum principatus cum satellitio suo, illud aut frangere aut transilire possint. *Act.*4,27,28. Cogitabant illi quidem & machinabantur, multa & multoties; nunc vi eum opprimere, nunc dolo & insidiis eum irretire, nunc præcipitem agere ex præalta & prærupta petra, nunc lapidibus obruere. Sed nihil horum successit: tantum illud valuit quod erat à Deo decretum, ut certo loco, tempore, mortis genere, & proditore interimeretur. Sic cum Pilatus dixit, an ignoras me potentia instructum esse ut te aut morte multem aut absolvam; Non, inquit, haberes in me potestatem nisi tibi cœlitus daretur. Vide insignem locum *Daniel.*3,16,17. Nec vero his æneis vinculis pedes tantum & manus eorum constringuntur, sed & lingua lubricissimum membrum & indomitum ita hoc decreto vincitur, ut se commovere adversus illud non possit. Vide *Numer.* 22,35. item *Prov.*16,19. *dispositio cordis est ab homine.*

sed

sed responsum est à Domino. Quod idem de de cogitationibus intelligi debet. *Ierem. cap.10, vers.23. via hominis non sunt penes ipsum, &c.*

Et ex ea consolatio. Hæc singularis consolatio est, omne consilium Dei de nobis & nostra salute, & impiorum perditione, susceptum & initum, expletum iri, quod ad eam rem tot manus, tot ministros & præbitores comparavit; ut quod consilium a piis vel Angelis, vel hominibus salva eorum vocatione fieri nequeat, id ab impiis vel hominibus, vel spiritibus nequam exsequutioni mandetur; qui vel tum voluntatem & consilium Dei vel maxime præstabunt, cum ut ne faciant vehementissime reluctantur. Monarchæ bono Reipubl. & hostium exitio multa deliberant & decernunt, quorum nulli administri aut exsequutores reperiantur: omne autem Dei consilium stabit.

Ne terreamur ergo Tyrannorum aut potentia, aut in tormentis excogitandis ingeniolis & fœcundis inventis. Nec enim transibunt decretum Dei: nec aliud perficient, quam quod ante mundi constitutionem decretum est. Nec vero hic fit, ut in civilibus judiciis, ut carnifices aliquando acerbiores & magis crudeles sint, quam judicis sententia ferat. Nam cum omnes Tyranni Dei carnifices sint, non possint, etsi maxime velint, judicis decretum præterire.

Impii decreta Dei perficientes merito tamen puniuntur. Hinc etiam liquet impios nullo studio duci voluntati divinæ obsequendi, ut ut ogganniant iniquum esse, ut Deus ultionem de illis sumat, quandoquidem nihil faciant nisi quod fieri Deus ipse velit: perinde ac si tribuli ficus aut spinæ uvas producerent: facile autem illorum sophisma diluitur, quod voluntatem Dei explendo, illud per imprudentiam aut inscitiam faciunt, simul etiam cupiditate explendi sua desideria: nec igitur minus pro hostibus habendos, quam, qui sunt infensissimi: nullam illis Deum posse gratiam magis agnoscere, quam quis hosti, qui perfodere suum hostem eumque transverberare cupiens ei vomicam aperit, unde læthali eum morbo liberat. Nam in voluntatis Dei legitimo obsequio intervenire necesse est notitiam voluntatis divinæ, & studium seu voluntatem obsequendi. An Mardochæus Hamani debuit, quod illi profuit, cum illud perinvitus quidem Mardochæi respectu fecit? Iosephus an erat obnoxius fratribus, quod illorum in eum inhumanissima studia in ejus bonum reciderunt? Aut denique Iobus diabolo, quod omnes ejus in illum conatus ad pleniorem suam felicitatem redundarunt?

Hinc etiam liquet, quam falsum est, quod *Pontificii* de Caiphæ suffragio garriunt; cum dicunt illum justam, *Ioh.cap.*11. sententiam tulisse: apparet enim ex hoc loco cum nihil, ne per somnium quidem, de æterna electorum in Christi morte salute spectasse; ut qui illud consilium hic inierit, quod totam eorum salutem convulsisset, siquidem ejus mors ultra hoc Pascha rejecta fuisset: tum enim Pascha nostrum non fuisset. Tantum igitur de caduca hujus sæculi salute cogitabat: verebantur enim fore, ut si ejus fama longius pervagaretur, Romani inde illos opprimendi occasionem arriperent. *Pontificiorum circa Caiphæ suffragium error.*

*Ioh.*11,53. Decreverunt morte multandum: Id cum multipliciter tentassent, animadvertissentque eum populo gratum & acceptum fuisse; nunc decernunt dolo hoc facere, & populo minime conscio. In quo videre licet obstinatam & desperatam istorum hominum pertinaciam, qui nullis documentis Dei erga Christum providentiæ & protectionis, nec ullis experimentis divinæ Christi ipsius potentiæ, ab istis tam exitialibus & perniciosis consiliis abduci poterant. Illa est cæcitas & durities humani cordis, cum proprio & suo motu dicitur. Saltem in tam frequenti concilio & corona doctorum & sapientum venire illis in mentem debebat, hoc modo secum disceptare. Quid agimus? sæpe tentavimus eum obruere, sed frustra. Actum est astutiis; ille omnes dolos persensit: vi; sed ea semper fuit superior, sive per medium agmen perrumpendo, seu manus nostras ita constringendo verbo aut nutu, ut cupientes eũ comprehendere, nesciremus tamen quomodo lapides nobis è manibus excussi sint: & stupor injectus, ut illum non attigerimus. Balaamo vituperio datum est, quod asina præter consuetudinem in via perstrepente & exorbitante non erat admonitus ut retrocederet. Quid, quod Iehoshua in legitima belli expeditione, cum semel aliquando Deus ei restitisset, nec illis probe successisset, cepit addubitare, an ea expeditio legitima esset. Quod item ab Israëlitis in bello contra Benjamitas suscepto factum est. itidem à Davide in ruptura, quam fecerat Dominus, Vzza subito inter arcam deducendam perempto. *Primorum obstinata pertinacia.*

Mala consilia, si non succedant, à Deo impediri putandum.

Si igitur malum aliquod instituens quis Dei patientia & misericordia hoc consequitur, ut concupitum scelus non possit patrare, si velit maxime, meminerit Deum ei veluti in via occurrisse, ut ab illo flagitio eum averteret. Interim desinamus mirari (in quo sæpe obstupescimus, si quando videamus homines impios sæpe suis consiliis frustratos eadem tamen iterum iterumque atque adeo millies repetere. Quod si quis excipiat illud non frustra fieri, quandoquidem isti multis & variis molitionibus tandem voto potiti sunt; verum quidem est voto potitos, sed summo eorum malo & horribili condemnatione. Dei enim benignitas cum illorum impietate diu concertans, tandem veluti victa se retraxit, eosque ad extremum exitium ruere passa est.

Vers.15. *Magis homines quam Deũ primores verentur.*

Non in festo, ne tumultus fiat, &c.] Homines scelestissimi publicæ pacis majorem rationem habent, quam pietatis: & de civilibus legibus solliciti ne violentur, divinarum nullam rationem habent, ut hæ inviolatæ serventur. Denique majori cura ducuntur, ne læsæ majestatis apud Cæsarem, quam apud Deum, peragantur. Quid autem hoc aliud est quam re ipsa cum animo suo cogitare, non esse Deum? aut si sit, eum nec benefacere, nec male facere, sed in circulo cœlorum inambulantem, curam rerum inferius gestarum abjecisse, ut se in cœlorum ambitu oblectet. Cum etenim certissimam ex interfectione Christi pœnam indictam non extimescant, incertum vero ex Cæsare supplicium summe reformident, ut qui nec scirent an tumultus futurus foret, aut an ex tumultu periculum: aperte loquuntur, sibi, de Dei providentia & rerum humanarum à Deo procuratione, omnem non modo fidem, sed opinionem pœne ex animis deletam esse. Hac autem externæ pacis procuratione, quæ reprehendenda non est, fœdissima in Deum & homines peccata oblinunt; & veluti assumpta larva occultant. Tametsi igitur in bonis numerandum sit, si quis pacem reipub. procuret: tamen videndum est, ne per hanc speciem nimis hominibus tribuamus, & ab illis nos abduci patiamur. Huc accedit, quod suam ipsi hoc pacto causam in primis agant, ut vitam transigant in honore & rerum omnium affluentia: quia dum in repub. & Ecclesia pax est, fit ut nulli gravius damnum ex publicæ pacis interruptione, quam illi, percipiant: eoque ut sarta tecta permaneat, nervos intendunt. Exemplum hujus rei extat *Matth.2.* quod Iudæi omnes cum Herode ad nati Christi rumorem cohorrescerent; tametsi enim eos regni Herodis & Cæsareæ tyrannidis distæderet; tamen metu, ne motus inde orirentur, melius duxerunt in illa captivitate computrescere, quam cum tumultu aut periculo res novas experiri.

Sed excussu Dei timore infimæ plebis servi fiunt.

Interim vero dum Dei timorem excutiunt, justo Dei judicio fit, ut homines adeoque infimam plebem, quam alioqui superbe & magnifice contemnebant, cogantur formidare; atque ita pro uno propitio Domino sibi infinitos duros Dominos & tyrannos compararint. Quemadmodum enim vere Deum timens à filio Adami, quisquis sit, non timebit, sed nec ab ipsis malignis spiritibus; ita qui Dei timorem abjecit, omnium, etiam abjectissimarum creaturarum, vile mancipium constituitur. Quamobrem timorem Dei avide & prolixe imbibamus.

Quam porro vanus hic metus erat post patuit, cum Christi causa præter unum Petrum nemo ex tota turba fuit, qui vel digitum pro illo asserendo tolleret. Quin etiam populus levis & inconstans magno consensu suis principibus Christi necem molientibus applaudebat.

MATTH. *cap.26, à vers. 6, ad* 14.

6 *Quum autem IESVS esset in Bethania in domo Simonis leprosi.*

7 *Venerat ad eum mulier habens alabastrum unguenti gravis pretii, & effuderat in caput ipsius accumbentis.*

8 Hoc *autem videntes discipuli ejus indignati sunt, dicentes; Quorsum perditio hæc?*

9 *Potuit enim istud unguentum venire magno, & dari pauperibus.*

10 *Quum autem* hoc *cognovisset IESVS, ait eis; Quid molestiam exhibetis isti mulieri? opus enim bonum operata est erga me.*

11 *Semper enim pauperes habebitis vobiscum: me vero non semper habebitis:*

12 Quod

12 *Quod enim hæc unguentum hoc injecit corpori meo, ad funerandum me fecit.*
13 *Amen dico vobis; Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ipsius.*

MARC. *cap.* 14, *à verf.* 3, *ad* 10.

3 *Quum autem* IESVS *esset apud Bethaniam in domo Simonis Leprosi, accumbente eo, venerat mulier habens alabastrum unguenti nardi liquidæ multi pretii: & confracto alabastro, effuderat ei in caput.*
4 *Quidam autem indignabantur apud sese, & dicebant; Quorsum perditio ista unguenti facta est?*
5 *Nam poterat hoc venire amplius quam trecentis denariis, & dari pauperibus; Et fremebant in eam.*
6 IESVS *autem ait; Omittite eam: Quid ei molestiam exhibetis? bonum opus operata est erga me.*
7 *Semper enim pauperes habebitis vobiscum & quandocumque volueritis, potestis eis benefacere: me vero non semper habebitis.*
8 *Hæc quod potuit fecit: occupavit enim ungere meum corpus ad funerationem.*
9 *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam id quod ista fecit, dicetur in memoriam ipsius.*

Deest hic in Autographo hujus sectionis Analysis, quam pete ex Iohan. 22. *In Metaphrasi etiam aliquid hiulcum.*

METAPHRASIS.

6. *CVm vero Iesus præscius ingruentis passionum suarum tempestatis esset, ut se magis adversus illam communiret Bethaniam se contulerat; ubi in domo cujusdam Simonis, quem turpissimo lepræ morbo laborantem Iesus sanaverat,* (Marc.3.) *convivio exceptus est. Iesu accumbente de more in lectulo supervenit fœmina, cui promptum erat erectis pedibus stanti, unguentem capiti ejus affundere.* 7. **** Pauperes semper vobiscum ita habetis, ut in eos prout volueritis, & quando volueritis, benefici esse possitis: in me vero hanc beneficentiam exercere, nisi in præsentiarum hoc fecisset, non conceditur.* 8. *Quod vero totam pixidem in me effudit, id si vobis in convivio paulo magis profusum videatur; tamen si hoc unguentum funerationis loco affusum reputaveritis, nihil insolitum fieri invenietis, quo minus cum illa largitione uti, tum ego illam admittere jure possim.* 9. *Tam autem gratum & acceptum est, quod in me officii præstitit, ut sancte vobis affirmem, hanc ejus in me largitionem, in perpetuam rei memoriam, præconio ornatam iri, in quascumque oras & totius orbis regiones Euangelium hoc propagabitur.*

PRAXIS.

Historiæ hujus di-[versitas ab ea quæ Iohan. 12. narratur.]

QVia magna est affinitas hujus historiæ cum illa quæ est *Ioan.*12. usque eo, ut nonnulli hanc cum illa eandem esse statuant; omissis illis, quæ utrique historiæ communia sunt, illa duntaxat capita perstringam, quæ hujus loci propria sunt. In his est quod convivium *Ioan.*12. in domo Marthæ instructum omnino videatur; hoc vero in ædibus Simonis: illud, ut tessera & testimonium grati animi extaret de excitato mortuo; hoc vero de sanato ægroto. Quo docemur tametsi nulli sunt hoc sæculo, qui beneficio, quo Lazarus affectus est, à Christo ornantur, paucos tamen inveniri, qui gravi morbo laborantes, à Christo liberati non sunt: eoque ipso illi obærati, ut illi in suis membris & (ut ipse loquitur) fratribus convivium parare debeant, itemque in aliis bonis operibus. *Cant.*5,1. Certum est etiam illum ex præscripto legis obtulisse donum; sed eo non contentus, alio indicio gratitudinem testatus est.

Vers.1. Simon leprosus dictus quia olim lepra infectus.

Quod Simon *leprosus* dicitur, intelligendum illum non tum, sed olim lepra infectum fuisse. Nam si lepra purgatus non fuisset; in agris, non in oppido Bethaniæ domi suæ vitam egisse ex lege oportebat. Neque convivas, quibuscum consuesceret & comederet, adhibere fas fuisset. Qua loquendi formula Spiritus Sanctus nos admonet, ut morbis & periculis liberati, illorum tamen, ad gratitudinem, cum verbis, tum factis recordemur: plerique enim omnes, cum ægrotamus aut periclitamur, cogitamus (vovemus etiam quan-

quandoque) fore ut si his malis expediamur, magnam in melius vitæ mutationem instituamus; qui tamen Dei beneficio è malis erepti, ad consuetã vitæ nostræ rationẽ revolvimur.

Pontificiorum vanum ex hoc loco effugium.

Quod autem *Pontifícii* ex his loquendi formulis effugia & diverticula pro sua Transsubstantiatione quærunt, panem corpus Christi factum, panis appellationem ideo retinere, quia panis olim fuit, haud secus quam Simon hic Leprosus dicitur. Et *Exod.7*. Serpens baculus dicitur, quia prius hoc fuerat, futile & frivolum est. Nam in hac mutatione, quod in prioris naturæ conditionis locum subit, sentitur & effectis comprobatur: Simon etenim se sanatum & purgatum lepra sentit, alii illum liberatum videre possunt, & baculus draco factus movebat se, & devoravit incantatorum dracones. In conficta vero panis & vini Transsubstantiatione, idem color, idem gustus, idem vini odor, idem effectus pascendi, confirmandi vires, & exhilarandi animum manent: ita ut si quis se justo numero hostiarum consecratarum pasceret, sentiret se satis bene pastum, ut amplius cibum non appeteret, & si consecrati vini paulo majorem mensuram hauriret, dubium non est quin ebrius evaderet: quod præterquam draco baculus dictus est, quia post in baculi naturam & formam rediit; quod de pane & vino transsubstantiatis ne ipsi quidem confiteri velint.

Vers.7. *Hujus fœminæ cum Maria in officio comparatio.*

Fœmina prior unxit Christi pedes; hæc autem effracto alabastro unguentum capiti ejus affudit. De more etenim orientalium populorum ad mensam lectulis insidentibus, fœminæ expeditum fuit Christi caput unguento perfundere, cum ipsa pedibus erecta staret. Si comparatio officiorum quæ utraque præstitit, fiat; videtur pedum unctio capitis unctioni præferenda, ut quæ majorem animi submissionem redolebat. Videmus tamen hoc officium à Christo probatum esse & illi perquam acceptum fuisse, sicut ex illius facti patrocinio & præconio constat. Quod nos doceat aliorum bona opera, tametsi nostris inferiora, boni consulere; cum Christus hoc faciat, qui myrrham cum aliis minus pretiosis aromatibus, mel cum favo, lac cum vino grata habet. *Cant.5,1.*

Marc.7. *Beneficentiæ erga Christum & pauperes discrimen.*

Apud *Marcum* discrimen statuitur inter beneficentiam quæ erga pauperes exercetur, & illam quæ Christo exhibetur in adjuncto temporis, quod pauperibus ubi volunt benefici esse possunt, in Christum non item. Quod tamen non esset, si in Transsubstantiatione panis aliquid veri & solidi esset. Panem etenim illum, quem hostiam vocant, bene observando à murium morsu, ab ignis conflagratione eripiendo, & à mucore vindicando, non vulgare in Christum beneficium collatum foret.

Matt.13. Marc.9. *Sanctos defunctos honorandi ratio.*

Postremum in hac historia est quod Christus dicit hoc in se à fœmina collatum beneficium passim per totum terrarum orbem in ipsius fœminæ memoriam prædicatum iri, ubicumque doctrina Euangelii locum obtinebit. Quibus verbis Christus nos docuit rationem honorandi fideles, qui hac vita defuncti sunt: non equidem illos invocando, aut mediatores & sequestros constituendo, sed illorum præclara facinora enarrando, ut ad virtutis eorum imitationem excitemur. Atque hoc monumentum, quod ei erexit Christus, multo illustrius est, quam ullius Imperatoris statua aut currus triumphalis. Tametsi vero desunt jam hujusmodi Scribæ quales Euangelistæ fuerunt: tamen manet illud semper firmum quod Proverbio *Salom.* celebratur, *justum in perpetua memoria futurum.* Atque hoc modo sanctos, qui defuncti sunt, honore prosequimur, qui illos contemptui & despectui habere à *Pontificiis* dicimur, quia illos non adoramus nec invocamus.

MATTH. *cap.* 26, *à vers.* 14, *ad* 17.

14 Tunc profectus unus ex duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad primarios Sacerdotes:

15 Ait eis; Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? ipsi vero appenderunt ei triginta argenteos nummos.

16 Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ad eum prodendum.

MARC. *cap.* 14, *à vers.* 10, *ad* 12.

10 Tunc Iudas Iscariotes, unus ex illis duodecim, abiit ad primarios Sacerdotes, ut eum ipsis proderet.

11 Illi

11 *Illi vero eo audito gavisi sunt: & polliciti sunt se pecuniam ei daturos; Quærebat igitur quomodo opportune eum proderet.*

LVC. *cap. 22, à vers. 3, ad 7.*

3 *Introiit autem Satanas in Iudam cognominatum Iscariotem, qui erat è numero* illorum *duodecim.*

4 *Abiens igitur colloquutus est cum primariis Sacerdotibus ac præfectis* templo, *quomodo ipsis eum proderet.*

5 *Qui gavisi sunt: & pacti sunt se daturos ei pecuniam.*

6 Ipse *vero spopondit: quærebatque opportunitatem eum ipsis tradendi absque turba.*

ANALYSIS.

Causa efficiens instrumentalis hujus proditionis Satanas: quæ illustratur etiam adjuncto tempore: hujus proditorii transitus ad Christi hostes innuuntur causæ efficientes, nempe quod lucro cui inhiabat excidit: deinde animi indignatio, quod à Christo reprehensus fuit, tametsi hoc extemplo factum non sit, sed interim dum concilium celebrabatur Hierosolymis in ædibus Cajaphæ.

MATTH. 15. Effectum describitur, nempe quod minime provocatus suam operam in prodendo Iesu obtulit; cum adjuncta conditione, modo pretium illi constituant. Cujus pretii postulatum suo relato declaratur, nempe quod pretium constituerunt 30. denariorum.

LVC. 6. Quæ pretii constitutio suo item relato declaratur, nempe quod accepit conditionem, quam obtulerunt; cujus effectum est, quod opportunitatem temporis & loci quærebat. Cujus opportunitatis investigatæ causa efficiens notatur, quia in se recipit illum tradere absque tumultu.

METAPHRASIS.

LVC. 3. *Impietate & improbitate ab aliquot annis incrementum in Iuda Iscariote, qui ex duodecim Apostolis erat, accipiente, cum jam ad maturitatem pervenissent, & Satanas illum totum (quantus quantus erat) scelestissimis consiliis imbuisset: indignabundus cum quod spe lucri, cui inhiavit, exciderat, tum quod à Christo, ob molestiam fœminæ injectam reprehensus sit.*
4. *Nullo vel præmio vel pœna propositus, sponte se ad cœtum recepit ex præfectis Ecclesiasticis & civilibus conflatum, quibuscum sermones conferebat.*
MATTH. 15. *Sermonis quem habuit hæc summa fuit. Non ignoro ab aliquot annis vos Iesum illum ad mortem quæsivisse, sed nunquam tamen voto potiri potuisse. Agedum, dicite mihi, qua me mercede munerabitis, ut illum in manus & potestatem conclusum tradam? Concilio toto hac re læto,* Luc. *cum Iuda depactum; illi 30. argenteos nummos appenderunt, quos illi præ manibus solvebant.*
LVC. 6. *Iudas accepta conditione, fidem suam obstrinxit: unde opportunitatem Iesum prodendi quærebat, cum hac cautione (quod Concilium ab illo expetivit) ut quam minimo seditionis aut tumultus discrimine fieret.*

PRAXIS.

Τότε, id est, cum jam in concilio cogerentur principes Iudæorum, cujus concilii fama ad aures Iudæ pervenit, qui duobus tantum miliaribus à concilio dissitus erat: non autem simul ac unguentum erat in Christi pedes & caput effusum. Aliquod enim tempus intercesserat inter unctionem & hanc Iudæ ad Iudæos profectionem. Sed priusquam ad singulare hoc facinus describendum accedamus; notandum est quod *Luc.* hic præmittit, tanquam sceleris nefarii causam & fontem; diaboli in Iudam ingressum. Quod non ita intelligendum, ac si corpus ejus occupaverit, substantiaque diaboli ejus substantiam subiverit: sed quod ejus suggestiones animum Iudæ penitus imbuerant, ut *Act.* 5, 3. Cum enim homines satanici spiritus ductu grave scelus patrant; tum dicitur satan homines subintrare, ac si totos illos occuparet, & non tam ipsi, quam ille in ipsis operaretur: sicut contra Spiritus Sanctus homines incessere & imbuere dicitur, quoties memorabile & præclarum facinus factitant; ut cum Samson Leonem illum manibus suis ipse discerpsit, cum Prophetæ aliquid arcani proferebant. Vnde etiam & illud liquet, non jam tandem cœpisse satanam Iudam instinctu Spiritus sui ducere *Ioh.* 6, 70. & 12, 6. (non magis quam in piis tum cœpit Deus operari, cum tam rara & inusitata gesserunt) sed tunc cœpisse plenius eum possidere & intus delitescentem impietatem & virus evomere.

Vers. 14. *Quando Iudas ad principes sacerdotum iverit, & quomodo Satan in eum ingressus sit.*

Hic ergo notemus satanam hominem recte ingredi dici posse, quoties ad scelus animo

mo conceptum manum admovet & consilia init quomodo voto in scelere potiatur: quamdiu enim illud animo agitat & in utramque partem disceptat, tametsi illud diaboli instinctu fiat, tamen quodammodo veluti ad ostium animæ consistit: sed cum rem illam nefandam exsequitur, tum ingredi dicitur.

Luc.4, &c. *Sceleris Judæ exaggeratio à circumstantiis temporis & loci:* Cum Euangelista scelus & flagitium ex causa efficiente satana exaggerasset; adhibet & alia argumenta quibus sceleris atrocitatem coarguit, quorum hoc primum est, non à temporis adjuncto tantum, quod primam quamque opportunitatem captabat Christi prodendi, sed à loci quoque subjecto, quod ausus sit perfricta fronte coram toto consessu & concilio principum utriusque ordinis, tam horrendi facinoris se ministrum & præbitorem fore profiteri, & Christum coram omnibus in concilio coactis traducere. Plerique enim sunt, qui horrenda scelera & proditiones admittere parati sunt, sed ita tamen, modo non innotescant, & ut remotis arbitris sua perniciosa consilia prodere possint. Ex quo intelligimus graviora illa peccata esse, quæ pluribus spectantibus admittuntur. Tametsi enim crimen sit privatis ædibus & inter domesticos potu se inebriare, tamen illud gravius est, si quis die Sabbathi otiosus in cubiculo sedeat, nec precetur, meditetur, aut legat aliquid, quo Sabbathi opus expleatur; sed gravius est, si quis in plateis aut in foro omnibus inspectantibus hoc faciat: unde ansam præbet his idem faciendi, aliis dolendi quod Sabbathum tam neglectim & dissolute colatur: peccatum est, si quis, dum habetur concio, domi suæ aut in cubiculo suo se oblectat, sed si foris deambulat & rus animi causa peragrat, augetur plurimum.

A voluntaria susceptione: Deinde amplificatur ab adjuncta voluntaria profectione, quod à nemine sollicitatus, allectus aut impulsus hoc fecit, sed suopte motu & animi propensione, ut olim reprobi Angeli, ut Achitophel. unde *Hebr.*10, 26. peccatum in Spiritum Sanctum notatur adjuncto vocabulo ἑκουσίως, quo summam voluntatem peccatum patrandi intelligit. Longe secus fuit in Adamo & Eva. Inde discimus multo graviora esse peccata illa, quæ citra solicitationem patrantur, quam quæ præbita ansa oblata occasione aliqua admittuntur, quod Nathanus in Davide, & Petrus in crimine Ananiæ diligenter observant. Si enim ab Ecclesia præceptum fuisset, ut aut possessionem venderet, aut venditi agri pretium afferret, minus peccatum habuisset, sed jam cum ab Ecclesia occasio hujus facinoris præbita non sit, peccati gravitas magnopere crevit. Si quis servus ab hero duro & inhumano inclementer haberetur, qui nec victum, nec vitæ cultum idoneum suppeditaret, tametsi nullam causam haberet, haberet tamen occasionem furandi & intervertendi ab hero aliquid. Sed si liberaliter & prolixe ab hero acceptus herum suum falleret, augescit mirum in modum perfidia. Si quis siti pressus, aut prava educatione corruptus mensuram & moderationem in bibendo transiliret, levius peccatum esset: sed cum nulla quis siti urgetur, sed nec vini (ut plerique dictitant) titillatione capitur, tum demum se inebriare potu, ut huic vel illi, nescio cui, (diabolo, si vere loqui velimus) gratificetur, illud demum facit ut peccatum ad magnam altitudinem assurgat: unde efficitur ut, quod nostri homines afferre solent, quo se purgent, illud eos obscæniores & turpiores faciat. In commerciis & contractibus si quis servus herum nactus sit, qui illi mentiendi & vanitatis autor & hortator sit, modo lucrum faciat, alioqui fore ut illi gratus non sit futurus; servus ille quidem graviter peccat, qui hero magis quam Deo auscultat: sed gravius multo is, qui pium herum nactus, qui sua commoda fide & veritate quærit, tamen sponte sua fraude & dolo hero suo quæstum affert. Hi enim sponte ad maleficium accurrunt; illi non nisi funiculis tentationum attracti: hi in tendiculas veluti sine inescatione sese præcipitant; illi proposita illecebra capiuntur; hi veluti tempestate quadam adacti, in petram aut arenam allidentes, naufragium faciunt; illi vero summa maris tranquillitate & cœli serenitate hoc faciunt.

Quartum argumentum, quo exaggeratur ejus scelus, est ab adjuncto Christi in eum beneficio, qui illum non tantum in numerum eorum, qui eum profitebantur, cooptasset, sed etiam ex domesticis suis illum fecisset; nec tantum ad ministerii honorem, sed ad summum ministerii in Ecclesia fastigium extulisset, dum in album Apostolorum eum adscivit: perinde ac si Rex aliquis honorem subdito habiturus eum in sanctiorem regni senatum cooptaret. Hinc est quod ejus peccatum tantopere crevit, quod qui ad Christi mensam admissus est, & panem cum illo pacifice comedit, is calcibus eum protrivit; *A Christi beneficio.*

trivit;

trivit; quod is prodidit, cui arcana sua commisit. Si inimicus extitisset, nec Christo tam molestum fuisset, nec ipsi tam lethiferum. Hoc etiam est, quod David tantopere queritur in Achitophelis nefaria proditione, quod cum illi ab intimis consiliis esset, ejusque ea existimatio (Davide procurante) existeret, ut consilium ejus instar oraculi omnes venerarentur, tam nefarie tamen defecit. Et quidem tanto major & amplior erat Judæ dignitas, quam Achitophelis, quanto Christi regnum Davidis regno augustius existit. Nec vero Iudæ consilium in publica functione instar oraculi erat, sed ipsum Dei oraculum. Graviora igitur sunt illorum scelera, qui aliquid contra pietatem admittunt, quo sunt illi qui ea patrant honoratiores, aut in oculis & auribus omnium versantur, vel propter autoritatem, vel propter dona quibus præstantes gratiam & existimationem sibi conciliant.

Ministri aut Magistratus ab officio discedentis, grave peccatum.

Cum igitur aut Minister, aut Magistratus ab officio discedunt, & aut gloriam Dei, aut Ecclesiæ, vel reipublicæ & collegii, cui præsunt, negotia & commoda frigide procurant, verentes ne suam operam omnibus non probent, graviter peccatur; quia à Deo honorati illum neglectui habent, quia pinguefacti (quo illum sessorem æquius ferant & alacrius) recalcitrant, quia liberaliori stipendio ad officium obeundum veluti conducti, magis inofficiosi sunt: quia propinquo loco consiti, rigati, putati, parum fructus ferunt; quia œconomi honorem & commoda percipientes, vix vulgaris servi opus exsequuntur; quia ducis honorem & insignia accipientes, non plus præstant quam miles.

Quos ideo præmissis precibus eligi Ecclesiæ interest.

Hinc etiam colligimus quanti intersit in mandandis muneribus, Ecclesiæ præsertim, preces & jejunia, præmittere, quibus à Deo pios Magistratus & Ministros impetremus: quandoquidem in hoc sacrosanctum Apostolorum ministerium proditor nefarius & execrandus irrepsit. Agnoscebatur ille quidem à Christo antequam electus est: sed hoc fiebat divinitatis Christi ratione: nemo hominum ut sit, ne Christus quidem ipse quoad homo, qui tam acute discernat latebras & recessus qui in homine sunt.

Exaggeratur quoque Judæ facinus à pretii vilitate.

Postremum argumentum est ab adjuncta pretii vilitate, quod cum illis non licitavit, sed pretium ab illis dictum ilico accepit, accepturus (ut videtur) minus, siquidem minus illi pretium constituissent. Sic Propheta Amos Israëli exprobrat, quod fratres suos in judicio tritis calceis vendiderint. *Ioel.*3,3. graviter Deus minatur quod Gentes projecerunt sortes super populum sacrum, & vendiderunt puerum pro scorto & puellam pro vino. Sic in eo gravissime peccavit Iudas, atque adeo Iudæorum natio in suis principibus, quod Christum Dominum cœli & terræ triginta argenteis siclis æstimaverunt: quod quidem pretium est in lege constitutum vilissimis mancipiis. *Exod.*21,32. Cujus vita non pluris æstimatur quam 30. Argenteis.

Quod vilis mancipii vitæ redimendæ erat constitutum.

Igitur 30. Argenteis ejus vita venditur in quo vivit quicquid vivit: ejus mors non nisi triginta argenteis æstimatur, cujus morte omnes Electi à morte æterna eruuntur: pro mancipio vilissimo æstimatur, qui non tantum quoad Deus est, sed quoad homo, omnium & hominum & Angelorum Dominus est. Scelus fuit in Iosephi fratribus quod illum 20. argenteis vendiderint, nedum Christum, qui infinite Iosephum superabat 30. Monstri simile fuit Israëlitam pro calceis vendere veteribus, quantum igitur piaculum Christum tam contempto pretio vendere, quod ne veteris corrigiæ locum meretur, si cum justo Christi pretio componatur.

Parvo lucello Deum inhonorare magnum peccatum.

Sicut autem magno compendio Deum inhonorare non licet, ita gravissimum scelus est, si parvi lucelli causa quis sacrū Dei nomē juret, nedum pejeret; si fidem suam minima causa, veluti vadem & sponsorem interponat; quid enim hoc est, quam Dei gloriam & sacrosanctum ejus nomen prostituere tanquam rem nihili? Atque cum pro vino venditur concio, pro ludo talario, pro minima lite cœnæ Sacramentum? an non putabimus novum de vendendo Christo consilium ab hominibus iniri? qui si in sua illa rerum sacrarum abjecta æstimatione perrexerint, seque illi assueverint; verendum erit ne qui hic Christi sacra suis voluptatibus, veluti veteribus calceis vendant, Christum unicum ipsum, si reviviseeret, 30. argenteis revenderent.

Semen facti Judæ avaritia.

Notandum vero semen hujus immanis sceleris esse avaritiam, & per eam Satanam illum occupasse. Cum enim diutius furto & pecuniarum aversioni assuevisset, crevit in illo pecuniæ cupiditas, quantum ipsa pecunia crevit. In dies vero cum adolevisset, tandem ad illam maturitatem pervenit, & eas vires & robur collegit, ut illum præcepitem ageret & veluti captivum duceret vinctumque, ut à nullo, quantumvis atrocissimo, scelere abhorreret,

horreret, modo pecuniam auctiorem faceret. 1 *Timoth.6,10. avaritia radix omnium malorum.* Quod scelus eo fuit scelestius, quo omnia illi ad hanc vitam necessaria sine ulla ejus cura & labore prolixe & munifice à Christo suppeditabantur: ut cum nihil haberent, omnia tamen possiderent, ipsis etiam Apostolis hoc ipsum confitentibus. Sed hic voluit prospicere sibi, cum Christum interficerent Iudæi; ne ipse deficeret, stulte sibi imponens, ac si divitiarum in copia vita consisteret, aut pro multitudine divitiarum vita prorogaretur. *Luc.12.*

Avaritia magnum malum. Hinc intelligimus quam horrendum flagitium avaritia sit, & quanta mala pariat, ut ut homines parvi illud æstiment, ut legibus civilibus ne appellentur quidem, & Ecclesiasticis vix se attingi posse sperent; quod illis promptum sit respondere, neminem illorum divitias præter se nosse, eoque nescire an restrictius expendant, nec ne. Tametsi enim radix omnium malorum sit, operæ pretium foret, ut illi in primis resisteretur, ne illa obtinente & regnante, alia etiam scelera exundarent. Quod si cum civilis, tum Ecclesiastica disciplina laxetur aut cesset, certe divina severitas non patietur hanc improbitatem inultam aut impunem abire. Et quidem avaris multo præstabilius esset, si cum civiliter, tum Ecclesiastice in illos animadverteretur. Sic enim in manus hominum incidentes, effugerent forsan ultrices manus Dei. Contra autem ab hominibus præteriti, incidunt in iram Dei horrendam. Hinc est, quod sæpe laqueo præfocent semetipsos, sæpe filiis sua relinquant, qui omnia prodigunt & profundunt, sæpe prædatores & raptores eorum messem invadant. Quamobrem cum ad tam horribile præcipitium ducat avaritia, studendum erit nobis, ut corda nostra ab hac peste repurgemus, quæ tanquam fur in animo hominis sese occultat.

Concilii levitas. Vide etiam inconstantiam & levitatem concilii, quod unico pæne verbulo tam levis proditoris, se & decretum suum (de non interficiendo Christo ante Paschatis festum peractum) irritum facit. Vt igitur veritati officiant, levi momento à sententiis suis depelluntur: sed ut veritatem provehant, non item.

LVC. *cap. 22, à vers. 7, ad 19.*

7 *Venit autem dies azymorum, quo oportebat mactari Pascha.*

8 *Misit igitur Petrum & Iohannem, dicens; Profecti parate nobis Pascha ut edamus.*

9 *Ipsi vero dixerunt ei; Vbi vis paremus* illud?

10 *At ille dixit eis; Ecce, postquam introieritis in urbem, occurret vobis quidam aquæ amphoram bajulans: sequimini eum domum illam in quam ingreditur.*

11 *Et dicite Patrifamilias illius domus; Dicit tibi Magister; Vbi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?*

12 *Tunc ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: illic parate* Pascha.

13 *Profecti vero invenerunt omnia prout dixerat eis; & paraverunt Pascha.*

14 *Quum autem adesset* constitutum *illud tempus, recubuit, & duodecim Apostoli cum eo.*

15 *Et dixit eis; Desiderio desideravi hoc Pascha edere vobiscum, antequam ego patiar.*

16 *Dico enim vobis me non amplius esurum ex eo, usquequo completum fuerit in regno Dei.*

17 *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit; Accipite hoc, & partimini vobis ipsis.*

18 *Dico enim vobis me non bibiturum ex fructu vitis, usquequo regnum Dei venerit.*

MATTH. *cap. 26, à vers. 17, ad 26.*

17 *Primo autem* die *azymorum accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes ei; Vbi vis paremus tibi ad edendum Pascha?*

18 *Ipse*

18 *Ipse vero dixit; Abite in urbem ad quendam, & dicite ei; Præceptor dicit: Tempus meum prope est, apud te faciam Pascha cum discipulis meis.*

19 *Et fecerunt discipuli sicut præceperat eis IESVS: & paraverunt Pascha.*

20 *Quum autem serum diei esset, discubuit cum duodecim.*

21 *Et edentibus ipsis, dixit; Amen dico vobis, unus vestrum me prodet.*

22 *Tunc contristati vehementer, cœperunt singuli eorum ipsi dicere; Num ego* is *sum Domine?*

23 *Ipse vero respondens ait; Qui intingit mecum manum in catino, is me prodet.*

24 *Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.*

25 *Respondens autem Iudas qui prodebat eum, dixit; Num* is *ego sum, rabbi? Dicit ei; Tu dixisti.*

MARC. *cap.* 14, *à vers.* 12, *ad* 22.

12 *Primo autem die azymorum, quando Pascha mactabatur, dicunt ei discipuli ipsius; Vbi, vis ut profecti paremus ut edas Pascha?*

13 *Tunc mittit duos è discipulis suis, & dicit eis; Abite in urbem, & occurret quidam bajulans amphoram aquæ, sequimini eum:*

14 *Et quocumque introierit, dicite Patrisfamilias; Præceptor dicit; Vbi est diversorium ubi Pascha cum discipulis meis edam?*

15 *Tunc ipse vobis monstrabit cœnaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis* Pascha.

16 *Abierunt igitur discipuli ejus, veneruntque in civitatem, & invenerunt* omnia *prout dixerat eis: & paraverunt Pascha.*

17 *Et quum serum* diei *esset, venit cum duodecim.*

18 *Quumque discubuissent, & ederent, ait IESVS; Amen dico vobis, unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.*

19 *Ipsi vero cœperunt contristari & ei dicere sigillatim; Num ego? Et alius; Num ego?*

20 *Ipse autem respondens dixit eis; Vnus ex duodecim qui* manum *intingit mecum in catinum,* me prodet.

21 *Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per quem filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.*

ANALYSIS.

HÆc Historia describitur adjuncto tempore, nempe in festo panum Azymorum: specialius adjunctum temporis notatur *Matth.* 26. nempe cum oportebat Pascha mactari.

*Vers.*8. Cujus adjunctum est Christi missio, ut paretur Pascha: missio describitur suo efficiente principali, Christo; instrumento, Petro & Ioanne; deinde relato, mandatis quibus missi seu legati instruuntur; primum ut parent Pascha; quod suo fine proponitur, ut illud manducent.

*Vers.*9. Cujus effectum est quæstio ubi illud pararent.

*Vers.*10,11,12. Effectum quæstionis est Christi responsio, in qua alia mandata, quibus instruuntur, exponuntur, omnia Christi omniscientiam & & præscientiam comprobantia.

*Vers.*13. Veritas prædictorum Christi testimonio Euangelistæ confirmatur; & legationis effectum notatur, nempe obsequium Apostolorum in mandatis Christi obeundis.

*Vers.*14. Paschæ esus suis adjunctis declaratur, hora in lege præstituta, & discubitu Christi & duodecim Apostolorum.

*Vers.*15. Adjunctum aliud esus Paschæ, professio Christi de suo incenso studio hoc Pascha cum illis comedendi; quod suo efficiente confirmatur, quia mox ipse verum Pascha mactandum erat.

*Vers.*16. Confirmat suum desiderium mortem oppetendi, quia morte sua implebitur, quod sacramento Paschatis adumbratum est.

*Vers.*17. Aliud adjunctum esus Paschæ vel communis cœnæ, nempe vini bibitio: quæ suo adjuncto notatur à gratiarum actione præcedente; cujus gratiarum actionis efficiens est paterfamilias; ad-

junctum, ordo; item notatur, ut paterfamilias prior bibens, reliqui sequerentur.

*Vers.*18. Aliud adjunctum hujus calicis declaratur, quod proxime anteivit hujus ceremoniæ complementum per Christi perpessionem.

METAPHRASIS.

7. *DEcima tertia luna, cum jam instaret fe-*
stum, in quo, amoto omni fermento, pa-
nibus infermentatis ex lege vescendum erat,
parva pecus liberationis ex Ægypto & An-
geli transitionis memoriale, ex legis divinæ præ-
scripto, erat mactanda. Hic inserenda vide-
tur Metaphrasis *vers.*1. *Cap.*13. *Ioan.* omis-
sa priore parte de tempore Paschatis, quod
idem est cum hoc, quod à Luca describitur.
8. *Quamobrem Iesus ut in negotio magni mo-*
menti, ex primariis Apostolis duos misit, ut
rerum, quæ in hac missione occursuræ essent,
idonei testes forent, Petrum & Ioannem. Qui-
bus dixit; profecti Hierosolymam ubi Pascha
celebrandum necessario est, parate nobis Pa-
9. *scha, quod comedamus. Ad quem illi; cujus*
in ædibus pecudem, quæ nomen Paschatis, quod
10. *repræsentat, obtinuit, parari vis? Ad quos*
Iesus: Advertite animum, cur virum nomine
suo non indicem suppetunt mihi rationes non
parvæ, tamen rem vobis ita exponam, ut in
deligendo hospitio ne tantillum quidem aber-
raveritis: vobis urbem Hierosolymam subin-
gressuris obviam se dabit vir quidam urceum
figulinum aqua plenum ferens, illum sequimi-
ni & eandem quam ille domum ingreditur,
11. *vos quoque ingredimini. Illius autem domus*
patremfamilias his verbis compellabitis, sic
dicit piorum omnium Doctor. Matth. cap.18.
Tempus mortis meæ & transitus ex hac vita
appetit atque ut meum in te amorem testa-
tum relinquam, constitutum mihi est tuis in
ædibus parvam pecudem, Paschatis signum,
12. *cum Apostolis meis comedere. Ille protinus*
vobis cœnaculum, seu in editissimis domus
partibus cubiculum stratum & honeste com-
paratum ostendet: ibi ut parvam pecudem
13. *paretis volo. Apostoli suscepto itinere rem ita,*
ut prædixit Iesus, compererunt, & prout in
14. *mandatis habuerunt, pecudem pararunt. Cum*
vero occasu solis vespertinum crepusculum ad-
venisset, Christus cum suis Apostolis, ut in
mensa & communi pastu fieri assolet, discu-
15. *buit. Ad quos dixit: Alia equidem Pascha-*
ta libens vobiscum, prout decet, comedi: sed
hoc Pascha vobiscum comedendi miro quodam
& incredibili studio incensus sum, utpote quod
postremum est, cum mea, pro æterna vestra
16. *salute, perpessione conjunctum. Dico enim vo-*
bis me deinceps ex eo non esurum, quoad mor-
tis & resurrectionis meæ interventu, regno
satanæ everso, meum stabiliatur, quando
umbræ omnes (in quibus hoc Pascha locum ha-
bet) evanescent. Paschatis cœna finita, ac- 17.
cepto in manus calice, postquam gratias Deo
egisset: accipite, inquit, & postquam biberi-
tis illum, quoad omnes biberint, de manu in
manum distribuite. Dico etenim vobis me ex 18.
fructu vitis ab hoc discubitu non bibiturum
quoad, &c. ut versu 16.

PRAXIS.

SVmma, A Christo de parando Paschate discipulis datur mandatum, quod ab ipsis diligenter curatur. Simul Christus & duodecim ad Pascha comedendum discumbunt.

Partes sunt, { Paschatis præparatio. / Discubitus ad illud comedendum.

In priore *duo* sunt, { Christi præceptum. / Ejusdem exequutio.

*Vers.*7. *Quis dicatur primus dies azymorum.*

Primus dies azymorum dicitur hoc loco decima tertia luna, cum nondum domus fermento repurgatæ erant: non quod ita esset proprie, & ad Mosis præscriptum, qui primum diem azymorum à vespere illius diei inchoat, sed quod ita communi reputatione haberetur, quia Iudæi naturalem diem ab aurora auspicabantur, ut omnes fere nationes. Pars autem illius diei naturalis (vespera scilicet) revera fuit ex diebus azymorum. Vnde est quod *Iohannes cap.*13. *vers.*1. computationem legis secutus, dicit hoc factum fuisse ante Pascha. Hoc dum non satis animadvertebatur olim, grave inter Græcam & Latinam Ecclesiam dissidium oriebatur: Græci decima tertia luna Pascha celebratum dicunt, Latini (& quidem vere) decima quarta. Vnde & alia contentio pullulavit; ut Græci fermentatum panem adhibendum in cœna contenderent, Latini vero de infermentato acriter & acerbe litigarent.

Cum igitur vespere illius diei mactandum & manducandum esset, tempus postulabat ut omnia rite præpararentur, ne quid moræ esset quo minus debita ratione perageretur. Si enim de terrestribus & perituris conviviis curam agimus, ut ad præscriptum paterfamilias & ad condictam convivis horam nihil imparatum sit: quanto illud magis in cœlestibus & divinis conviviis fieri oportebit? unde etiam Iudæis sua erat Paschatis παρασκευὴ, sicut post indicatur.

Cur adeo sero hæc præparatio à Christo instituta.

Sed illud alienum videri possit, nunc tandem, tantillo ante Paschatis celebrationem tempore, hanc præparationis rationem iniri, cum

cum alias videamus populum Dei aliquot ante festum dies Ierosolyma, ut se appararent, venisse; partim quidem ut legali immunditie se purgarent, partim vero ut animum pararent: ob eamque causam inter alia jubebantur pecudem quatriduo ante Pascha seponere, ut illius sepositio eos præparationis admoneret. Cujus quidem animi præparationis insignis mentio fit 2 *Chronic.*30,6, 18,19. *Respondeo* igitur hanc præparationem duntaxat esse de his quæ ad externum sacramentum parandum spectabant: plus cæteroquin spatii adhibebant, ad interiorem animi purgationem & institutionem in mysterio Paschatis. Quo magis nobis danda opera est, ut nosmetipsos ad sacrum Cœnæ Dominicæ edulium comparemus; quo est hoc effectu & virtute, quam fuit Pascha, præstantius. Sequẽdum igitur Pauli consilium, ut nosmetipsos penitus exploremus, & velut ad βάσανον exigamus, & cum nostris animis colloquamur, &c. tantoque majorem in animis præparandis operam insumamus, quo ab externæ præparationis labore & cura soluti penitus sumus. Ante omnia vero sordes animi & corporis (quod Dei templum est) antequam cœnam celebremus, efferamus: sicut sacerdotes & Levitas fecisse legimus, antequam Pascha in templo celebratum est. Hoc illos perstringit, qui pridie aut vero etiam eodem die, quo mysteria peraguntur, se examinandos & præparandos sistunt.

Vers. 8. *Quare Christus duos mittat.*

Christus ex duodecim duos designat qui hoc negotium Paschatis procurent, Petrum & Iohannem: quibus mandat ut Pascha pro sese & discipulis parent. Vbi *primum notandum*, quod duos misit, *deinde* quod hos duos.

Quod autem duos misit, eo fecit, cum ut res magni momenti melius, certius, & maturius perficeretur; tum vero ut eorum (de his rebus, quæ inter parandum gerenda erant) testimonio omni exceptione superiore, nullus esset qui de earum rerum fide & veritate dubitaret.

Res Ecclesiæ per certos homines procurandæ.

In quorum priore *notatur* per certos homines res Ecclesiæ & religionis procurandas esse: non autem per incertos & circumforaneos. Sic Centurio Italus ad Petrum legabat duos ex lectissimis domesticis servis & religiosissimum militem. *Act.*10. itidem *Act.*9,38. item 2 *Reg.*12,15. argentum templi fidelissimis manibus concreditum est, ita ut ab illis rationem exigere necesse non fuerit. vide 35. *Genes. vers.*4. Vbi Iacob Bethlehem properans, ut ex voto sacra Deo faceret, ab idolis suos prius purgatos curavit: quod eo fecit diligentius, quo præter opinionem clam se idola Rachelem furatam commeminisset. Sic hoc loco noluit Christus ignotum aliquem conducere, qui præcurrens ista præstaret: sed misit duos ex duodecim & eos quidem probatissimos. Quod illorum incuriam coarguat, qui cum graviter decumbunt, puerum aut puellam mittunt, qui vix nuncium perferre & exprimemere norunt, & forte in itinere lusitant: cum res tanti momenti per certiores & prudentiores expedienda foret. Hinc igitur discendum res & causas omnes, quæ ad fidem pertinent, diligenter à nobis tractandas & obeundas.

Religionis capita abunde à Deo testata.

Quod vero ad testimonii fidem attinet, ex eo discimus fructum miraculorum, quæ hoc itinere gesta sunt, ad alios præter hos spectare; & simul constare; ea quæ ad fidem & religionem pertinent, à Deo ita institui, ut abunde satis testata sint, cum ad piorum fidem confirmandam, tum ad impiorum duritiem & in credendo aversum animum convincendum & coarguendum. Quæ cum Deum in omnibus Scripturarum monumentis spectasse constat; aut illas semper satis liquere experrectis & oculatis, aut Deum sua spe & consilio excidisse efficitur. Quorum cum hoc nihil absurdius, tum illo nihil verius inveniri aut excogitari possit. Cum enim civilium testium voce (modo duo accedant aut tres) omnis causa controversa definiatur; nedum duorum aut trium cœlestium & plane divinorum voce & testimonio acquiescendum.

Quare Christus hos duos mittat.

Quod hos duos misit, & sibi longe charissimos, & gravissima tentatione in aula pontificia, cum Christus illic sisteretur, explorandos: in eo *primum notemus* quam verum illud est sacrum Servatoris proverbium, plus habenti dabitur ut abundet, ereptum iri ei qui nihil habet, id quod habet, aut habere se cum ab ipsomet, tum ab aliis creditur. De quo vide prius.

Eadem mensura beneficia & crucem Deus distribuit.

Deinde & illud porro *observandum* Deum prospicere ex specula providentiæ, quid cuique crucis & adversitatis, quantum & quam diuturnum obtinget: eoque ipso pro rata cujusque portione quemque præsidiis & adminiculis, quibus illud obiri & sustineri possit, præmunire & veluti armare; ita ut majora Dei beneficia & patrocinium expectanti, magis dubia certamina expectanda sint. Hoc in Iacobo Syriam proficiscente, & inde

de

de revertente liquidissime constat: qui & Angelos ascendentes & descendentes viderat; & castra Angelorum, & Angelorum Dominum, cum quo singulari certamine colluctatus erat. Hoc nobis firmiter retinendum est, qui prolixiorem hoc loco Dei beneficentiam experti sumus, quam reliqui populares nostri; ut ad durissima quæque certamina nos ipsos comparemus: qui enim nobis πανοπλίαν verbi sui concessit, eum verosimile est in loco aciei periculosiore collocaturum, ubi armaturæ nostræ præstantia omnibus ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem innotescat. Nec enim in umbra aut σκιομαχίᾳ semper desidere eos patitur, quibus tam præclara arma ex Ecclesiæ suæ armamentario suppeditavit. Quod si quis arma præbita aut neglexit, aut sibi non probe & concinne aptavit, illius casus longe tristissimus futurus est.

Vers. 9. Delectus, quantum potest, habendus, eorum quibuscum sacramenta participamus.

Quod jussi discipuli ut Pascha pararent, quærunt ubi, id est, quibus in ædibus, in urbe Hierosolyma Pascha celebrarent, otiosum non est. Cum enim illis Christus præceperat, ut vel pro communi victu ingressi urbem, delectum haberent hospitii, & percunctarentur de pietate civium, ut apud quemque, prout erat religiosissimus, diverterent: nedum in sacro hoc epulo fieri hoc debere facile conjectabant: maxime vero cum in comedendo Paschate omnes illius familiæ domestici ex lege cum Christo & discipulis ad sacrum epulum adhibendi erant: utpote quibus unis in ædibus unum tantum agnum comedere fas erat. Tametsi igitur impiorum causa, qui se Sacramentis admiscent, Sacramentum non est declinandum; tamen quoad datum, & nostra in potestate est, omnis conatus & diligentia adhibenda est, ut nos cum piis aggregantes, improbos à Sacramentorum communione procul abigamus: quod ut omnibus promiscue incumbit, ita singulari cura & industria ab Ecclesiæ moderatoribus procurari debet.

Vers. 10. Causa occultati nominis hospitis duplex.

Quod nomen hospitis subticet, id primum hoc consilio fecisse videtur, ut Iudam proditorem locum cælaret; ne is occasionem Christum tradendi captans, eum ante tempus traderet. Deinde vero hoc consilio factum apparet, ut inde in hospitis admirabili descriptione suam omniscientiam discipulis (ad fidei confirmationem) patefaceret.

In priore serpentis prudentia commendatur:

In quorum *priore* serpentis prudentia & sagacitas in rebus Ecclesiæ procurandis nobis commendatur, non minus quam simplicitas columbina: siquidem cum vaferrimo hoste rem habeamus, & cum serpente ipso manus conferimus. Si enim externa bella, teste Salomone, consilio geruntur, nedum militia hæc spiritualis. Cavendum tamen, ne dum cauta & consulta consilia inimus, ea ex carnis nostræ prudentia ducamus; quæ non aliunde proveniunt, quam ab ipso serpente, quem certum est nullum contra se, sed secundum se consilium suggesturum: sicut fit cum homines ad serpentinam prudentiam à Christo imperatam, mendacium, vanitatem, amicitiæ simulationem referunt. Sapientia autem ista unde petenda erit, nisi ex lege divina, cujus commentatione, lectione, aliaque exercitatione nostris & præceptoribus & ætate senioribus & denique hostibus vel ipso quidem diabolo prudentiores efficimur. *Psalm.* 119. Ex adverso autem monemur *ne nostræ prudentiæ confidamus*, id est, humanæ. *Prov.* 3,5. Nec enim propria tantum consilia excluduntur, sed humana omnia, tametsi à prudentissimis proficiscantur, si non sint consona verbo, quod ex opposito membro perspicitur. *In omnibus viis tuis agnosce Deum & ipse diriget itinera tua. Prov.* 3,6.

In altera firma divinæ beneficentiæ memoria.

In *posteriore notandum* est, ut quamdiu Deus nobis suam beneficentiam & munificentiam abunde & aperte testatur; ut illam, in quocumque genere sit, avide arreptam altis animis recondamus, & ad Dei in nos charitatem, virtutem, potentiam confirmandam accommodemus. Veniet enim tempus, cum tametsi eadem Dei & Christi erga nos charitas maneat, munificentia ista & prolixitas in nos non erit externis beneficiis tam spectabilis: adeo ut de Dei erga nos charitate addubitare cogamur, nisi ex superioribus & præteritis beneficiis fidei nostræ adminiculum & veluti pedamentum petere possimus. Christus enim secum reputavit tempus passionis suæ miraculis destitutum iri, cum quod tempus humiliationis esset: tum etiam quod ita fieri nobis ex usu fuit; ne si eum se in passione præbuisset, quem ante in miraculis præstitisset; Iudæi ab illo in crucem agendo deterriti fuissent; eoque jam frequentius suam discipulis omniscientiam & omnipotentiam miraculis declarat. Idem & piis sæpe accidit, ut Sol charitatis divinæ, qui multos & magnos beneficiorum radios ejecit, post veluti nubibus obrutus & obscuratus occultetur. Quamobrem ita nos cale-

calefaciant radii munificentiæ divinæ, qua inpræsentiarum fruimur; ut cum illa ad tempus (certo Dei consilio) intermittatur, nobis tamen facile sit calorem divinæ in nos charitatis persentiscere. Longa & diuturna æstate perfruiti sumus, in qua multi soles splendide & cum summa oblectatione nobis exorti affulserunt. Ita nobis Deus indulsit, ut veluti lacte vestes nostras lavare potuerimus, vestigia in butyro ponere, oculos vino rubentes habere. Si igitur Dominus hyemem importaverit, qua Sol ille nunquam aspicietur, qua hæc Dei tam larga manus contrahetur, qua per aspera & deserta loca nobis incedendum erit: tamen quemadmodum Elias in virtute unius pastus paulo liberalius sumpti, quadraginta totos dies iter fecit; sic & nos virtute & robore ex superiore ubertate acquisito, duriora illa tempora æque & constanter feramus. Quamobrem hic formicæ solertiam imitemur, quæ æstate recondit, quod hyeme eam pascat: Iosephi item, qui aliquid ex annis uberioribus reposuit, quod ad caritatis insequentes annos reservaret.

Major in sacrorum societate, quam in communi convictu habenda hominum ratio.

Cum illos ad prædicandum Euangelium emitteret, *Matth.* 10. hospitii delectum eos habere voluit, ut apud pios & Dei timentes diverterent. Sed illius rei notitiam & indicium non aliunde peti voluit, quam ex hominum fama, quæ sæpe fallit. Iam vero cum de hospitio sacro & sacris mysteriis celebrandis adhibendo agit, certiorem rationem iniit. Quod nos docet in communi convictu quærendos nobis eos, quoad commode fiat, qui Deum timent. Sed si quem velimus in sacrorum societatem adhibere, majorem curam adhibendam, ut certos & indubitatæ fidei homines nobis adsciscamus. In deligendo nobis hospitio curam adhibeamus oportet. Sed si illa essent, ut olim apud nos fuerunt & nunc alibi sunt, tempora, in quibus Ecclesia in familiis delitescere oporteret & sacrorum causa convenire; major quædam tum cura & diligentia adhibenda foret, ut omnia tuta & opportuna sint. Nam si regis aut principis Metatores regis satellitibus & domesticis commoda hospitia designant; nedum Regis cœli metatores hoc Dei familiæ præstent. Hic porro notamus Dei & præscientiam & providentiam, res quasque, quæ geruntur, minutissimas complecti: Sicut in hoc mediastini amphoram aquæ gestantis, exemplo liquide constat. Item quod nec minima avicula, aut capitis nostri pilus sine illius & præscientia & præstituto cadat.

Matt. 18. *Christi amoris erga hospitem signum, quod apud eum Pascha comedat.*

Apud Matthæum habetur in Christi verbis. *Tempus meum instat; apud te Pascha meum cum discipulis comesturus sum:* quod perinde sonat, ac si diceret; ultimum Pascha apud te comedam: quod tibi indicio sit mei erga te amoris non vulgaris. Hic igitur discimus singulare rari cujusdam amoris divini erga nos argumentum esse, si cujusque ædes sibi & suæ Ecclesiæ veluti sacras faciat, dum sacra exercitia & cultus divinus in illis peraguntur; magnumque præmium illum à Domino manere, qui ædium suarum portas & valvas Ecclesiæ reseraverit. Princeps si cujus subditi ædes designet, apud quem diversari constituit, eo ipso omnibus testatum facit, illum sibi pergratum esse. Tametsi vero Christus ipse quoad naturam humanam ædibus nostris excipi nequeat, tamen rem ipsam tam gratam habet, quam quod gratissimum, atque acsi ipse conviva adesset. Si enim unum justum hospitio accipiens largiter remunerabitur, nedum qui Ecclesiam ex multis conflatam. Et si ad pastum cito periturum hominem accipiens Christi causa, mercede non caret; nedum confertim & abunde remunerabitur, qui multos ad cœlestem pastum admiserit. Vide quomodo Dominus Obedi domui propitius erat, dum Arca ibi mansit. Hoc etiam Apostolus tanquam insigne honoris seu honorarium certis fidelibus attribuit, quod Ecclesiæ hospites sint. Atque si honorificum est privati alicujus ædes propter Regem ibi hospitio acceptum Aulam regis appellari; quanto magis honor ei futurus est, cujus ædes Aula Christi jure vocari possint.

Ejus regia authoritas:

Aliter autem jam metatores suos Christus mittit, quam tum, cum hæc gerebantur, fecit. Hoc enim loco suo jure usus est & regia authoritate. Nec enim dicit, vellem apud te divertere; sed diverto & Pascha comedo, sicut prius præceperat discipulis, ut pullum alligatum palo, abducerent; nec veniam prius à Domino peterent: idque ob eam causam ut hoc modo discipulorum fidem confirmaret. Nunc autem tametsi idem jus illi in nostra omnia sit, quod tum fuit, tamen precario suum diversorium ab hominibus ad Ecclesiæ usum accipit. Quo magis ingrati fuerimus, si illi petenti hospitium præbere recusemus, qui jus imperandi hospitium habeat. Ergo is in nobis animus sit quem legimus in Arauna

Iebusæo, 2 *Sam. cap.24,vers.* 21,22,23.

LVC. Vers. 11. *Et modestia.* Quod autem apud *Lucam* jubentur consulere patremfamilias, quod cœnaculum illis daturus sit: in eo modestia Christi apparet, qui cum potentiam suam & autoritatem in vendicando sibi hospitio declarasset; reliquum de delectu cœnaculi in potestate & arbitrio hospitis relinquit. Quod nos modestiam doceat, ne quidquam nobis insolenter vendicemus: sed his contenti simus, quæ nobis ab hospitibus proponuntur. Sic etiam Deus olim fecit, cum populum in terram Canaan deduceret. Tametsi enim voluit (propter se) populum suum jus habere per regiones eorum transeundi, eoque gladio, si qui obstabant, viam illis aperuit, tamen voluit eos placide & pacate transire per regiam viam, nec ad sinistram, nec ad dextram divertere, nec aut panem aut aquam nisi pretio accipere.

Vers.12. *Hospitis exemplo pii alacriter excipiendi:* Quod dicit hospitem Christo non tantum annuere, sed plus etiam, quam postulabatur, Christo concedere, ut qui rogatus ut cœnaculum tantum qualecumque suppeditaret, illud ornatum & stratum lubens concessit: in eo hospitis summam in excipiendo Christo & discipulis alacritatem notare licet: quod nobis exemplo sit, quod sequamur; ut non tantum pios hospitio excipiamus, sed summa alacritate illud faciamus; ut tametsi pii minora à nobis petant & quæ tantum necessaria sunt, nos tamen vel ad ubertatem & ornatum illa suppeditemus. Vnde Apostolus hortatur Romanos ut *Phœben* suscipiant, sicut dignum est sanctos hoc facere. Omninoque ita nos affectos esse oportet, ut Philemonem prædicat Apostolus, ut piis & modestis plura demus quam postulant; cum res hoc postulat. Sed neque semper petitiones indigorum exspectare, sed illas potius anticipare, & illas nostra promptitudine præripere, ut filii simus Patris cœlestis qui cum plura postulatis largitur, tum postulata nostra sæpe prævertit.

Et causæ Ecclesiæ & piorum promovendæ; Simul etiam nobis animum & stimulos addat ad causas Ecclesiæ & piorum procurandum, ut qui scimus labores nostros irritos non fore: non tantum quod concupito fructu excidentes, mercedem tamen apud Deum repositam & tutissime asservatam habemus: sed quod piis etiam votis perfruemur, dum quod bonum expetimus & sequimur, assequamur. Nostra enim desperatio & animi abjectio, quæ ex infidelitate nascitur, sæpe nos veluti pedicis quibusdam præpeditos reddit, ut quamvis Ecclesiæ causa omnia vellemus, nihil tamen aggrediamur aut suscipiamus, quod illud parum successurum, aut potius operam & oleum perire arbitremur: recreare autem nos deberet admirabilis Christi potentia, & in omnes mortales, etiam summos, summum & merum imperium, quo eos facile huc illuc flectat. Quæ fiducia in Deum effecit, ut pii religionis causam templique ædificationem apud principes à religione alienissimos, non sine singulari successu sollicitarint; ut Nehemias apud Arthashastem, Ester apud Assuerum.

Quod si piis Ecclesiæ patronis & advocatis apud Tyrannos opera non periit, sed singulare Ecclesiæ commodum importavit; nedum nos apud principes, qui religionem profitentur, & ex Ecclesia sunt, animos despondere æquum fuerit; si quando nos Deus huc vocet, ut Ecclesiæ causa à nobis promovenda & provehenda sit. *Etiam apud Principes.*

Atque hactenus de his quæ Christus in hac legatione discipulis duobus in mandatis dedit. Sequitur *pars altera* de mandatorum exsequutione. Vbi *primo in loco notatur* promptum discipulorum obsequium. Quibus tametsi hoc incredibile videri posset, si rationis normæ auscultassent: tamen quia Christum verum ministrum atque adeo Dei filium cognoverant, jussa capessunt; nec dubitant quin Hierosolymis Christo infensissimis hospitium inventuri sint. Vide hic quæ observantur in illum locum ubi agitur de duorum discipulorum pro asinæ pullo legatione. Vers.13. *Discipulorum obsequium.*

Deinde notatur veritas omnium quæ à Christo dicta sunt. Nec enim fieri aliter potest, quin, quæ nobis præcipiuntur, obitis & expletis, illa nobis obveniant quæ Deus promisit. Si enim nobis sæpe fœdifragis sua tamen promissa exsolvit; quanto magis fidem servantes, promissionum participes fient? Quod si quis excipiat nunc non extare hujusmodi promissiones; fateor equidẽ: sed nec hujusmodi jam mandata nunc dantur, qualia hæc fuerunt; sed generalioribus mandatis generales promissiones adnexas habemus, & in specialibus mandatis speciales adhuc promissiones habemus. In genere enim dicitur; si observaveris præcepta, bene tibi erit; in specie, si parentes colueris, illi tibi vitam prorogabunt. Atqui, inquit aliquis, nemo præcepta observat; quomodo inde promissionem accipiet? Sed intelligendum est promissiones duobus modis dici; una est legalis, altera *Christi dictorum veritas.*

Euange-

Euangelica: promissio legalis non datur, nisi quod mandatur, accurate ad legis præscriptum fiat. Sed promissio Euangelica datum conanti & contendenti, non propter conatum & contentionem, sed propter Christum fide apprehensum.

Quare in esu Paschatis discumbant. In Paschate *notantur* adjuncta, quæ Paschatis esum antecesserunt. *Primum* quidem discubitus ad mensam: ubi *quæritur* cur discubuerint, cum in *Exodo* 12. mandetur populo, ut stantes illud comederent. *Respondeo:* standi cæremoniam, una cum bacilli in manum prehensione & lumborum accinctu & amararum herbarum esu, primi Paschatis celebratione terminatam fuisse; ut quæ erat ad exitum ex Ægypto accommodata. Vnde etiam est, ut cum hoc festum in lege imperatur, de his omnibus summum sit silentium.

Et quidem in una mensa: Quod una mensa Christus & Apostoli omnes accepti sunt, cum in hoc, tum in Dominica cœna, docemur in spirituali mensa longe aliam & diversam esse rationem, quam in communi mensa. In hac etenim disparantur herus & servi: in illa pariter aggerantur. Quod eorum fastum & superbiam arguit, qui soli malunt sacrosanctæ Cœnæ communicare, quam inferioris conditionis homines ad eandem mysteriorum communionem admittere.

Vbi notandus idem gestus, qui in communi cœna servatur. Quod cum in hoc veteris testamenti, tum in illo novi testamenti (quod mox insequutum est) Sacramento eodem corporis gestu utuntur, quo in communi cœna consueverunt, nempe ad mensam discubitu, non autem genuflexione, eorum vel superstitionem aut inscientiam coarguit, qui affirmant majorem reverentiam Sacramento exhiberi, cum flexis proplitibus, quam cum à discumbentibus sumitur: quasi Christus aliquid factu opus omiserit, quod justam & debitam Sacramenti existimationem & reverentiam conservaret. Quod quid aliud est, quam Christum (quod absit) aut imperitiæ, aut osci- & inconsiderantiæ insimulare? Genuflexio etenim præterquam quod ad Cœnæ rationem parum apta censetur, speciem venerationis omnibus spectantibus repræsentat: maxime cum in papatu hoc situ corporis usi sunt, ut suum cultum & venerationem Sacramento redditam testarentur. Vt igitur hanc rem concludam, geniculatio in participatione sua natura incommoda, superstitione *pontificia* longe facta est incommodior: nec tamen propterea ita rejicienda, ut ejus nomine à Sacramento abstineamus, si ejus cæteroquin participes esse nequimus; quia res sua natura non est pure illicita.

Quod dicit se expetivisse in hac Sacramenti participatione consociari, documento est, quo animo & affectu ad Sacramenti perceptionem accedere nos decet, nempe alacri & accenso, haud secus, quam fame pressi ad communem pastum, maxime in convivio & epulo, advolamus. Sicut enim corporis cibus stomacho fastidioso & nauseabundo magis obest, quam prodest: sic quorum animi appetentia in hujus Sacramenti participatione jacet, ex ea damnum potius, quam emolumentum percipiunt. Tantoque magis hic cibus, quam corporeus, est expetendus; quia unica mica hujus sacri panis, toti conspersioni communis panis præfertur, & gutta hujus vini una modo, dolio communis vini præponenda est. Non quidem quod substantia aut genere differant, sed propter longe diversos, ad quos destinantur, usus. Hoc illorum impietatem arguit, qui nonnisi lege aut mandato principum coacti, & veluti obtorto collo ad Dominicæ Cœnæ communionem trahuntur. Quo facto, nullo nec institutionis divinæ, nec consociationis cum fratribus studio se teneri, loquuntur aperte. *Vers. 15. Quo affectu ad S. Cœnam accedendum.*

Quod dicit se ingenti & inusitato studio ductum esse hoc Pascha cum illis comedere: Christi hoc præ cæteris festis Paschatis studium celebrandi aperte declarat. Cujus rationem proxime adjungit *hoc & sequenti versic.* quia cum sua cruce & morte conjunctum erat, & quod postremum foret. Si humanitus hæc res expendatur & reputetur; debebat ab hoc Paschate, si non abhorrere, tamen magis ægre & moleste accedere. Quamobrem hic (ut sæpe ante & deinceps non raro) videmus quam sponte & prompte mortem pro nobis obiit; quod quantæ nobis consolationi esse debet, vide supra. *Christi spontanea mortis perpessio & desiderium.*

Quod dicit se non esurum ex hoc Paschate quoad impleatur in regno cœlorum; sensus est, quoad impletis his, quæ hac ceremonia pecudis, & aliis ejus generis ceremoniis adumbrantur, Christus devictis, morte & resurrectione sua, hostibus, satana, peccato, & morte, regnum suum inter omnes gentes erigat. In ipso initio prædicationis suæ & Ioannis regnum cœlorum appropinquasse dicitur: nunc demum morte & resurrectione sua perfectum, & consummatum: Baptismo Ioannis inducto regnum Christi initum est; & tunc quidem significatio non ob- *Vers. 16. Quid Paschatis impletio.*

ſcura fuit veteris pædagogiæ non ita multo poſt abolendæ; ſed morte & reſurrectione Chriſti penitus ſublata eſt: ubi ſingularis fructus mortis & reſurrectionis Chriſti nobis ante oculos proponitur.

Verſ.17. *Quale poculum hoc verſu commemoratum.* *Quæritur* hoc loco, quodnam poculum hoc fuit, ſacrum an commune. Et quidem in Sacramento Paſchatis, nullum poculum, nec calix ullus inſtitutus aut imperatus eſt. *Reſp.* Non fuiſſe poculum cœnæ Dominicæ conſtat ex verſibus ſequentibus, ex quibus calicem Dominicæ cœnæ poſt inſtitutum & imperatum eſſe liquet. Relinquitur igitur eſſe poculum cœnæ communis. Quam rem confirmat *Ioan.*13,2. qui cœnam peractam affirmat antequam Chriſtus cœnam Dominicam inſtituit; quam nonniſi lotis diſcipulorum pedibus auſpicatus eſt.

Sed quæritur quomodo conſtare poteſt quod dicit ſe non bibiturum, &c. cum mox in Cœna Dominica ex eodem vitis fructu biberit. *Reſp.* Chriſti mentem eſſe, ſe poſt illum diſcubitum non bibiturum (ſicut nobis etiam loqui conſuetum eſt) vel illum deinceps in eo genere, nempe ad ventris paſtum, non bibiturum.

IOAN. *cap.* 13, *à verſ.*1, *ad* 12.

ANte feſtum autem diem Paſchæ, ſciens IESVS veniſſe horam illam digrediendi ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexiſſet ſuos illos qui erant in mundo, uſque ad finem dilexit eos.

2 *Et cœna peracta, (quum diabolus jam immiſiſſet in cor Iudæ* filii *Simonis Iſcariotæ, ut proderet eum.)*

3 *Sciens IESVS Patrem omnia dediſſe ſibi in manus, & ſe à Deo prodiiſſe, & ad Deum abire:*

4 *Surgit à cœna, & deponit pallium: acceptoque linteo, præcinxit ſe.*

5 *Deinde immiſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.*

6 *Venit ergo ad Simonem Petrum: qui dixit ei; Domine, tu mihi lavas pedes?*

7 *Reſpondit IESVS & dixit ei; Quod ego facio, tu neſcis nunc, cognoſces autem poſtea.*

8 *Dicit ei Petrus; Non lavabis meos pedes in æternum. Reſpondit ei IESVS; Niſi lavero te, nihil mecum habebis commune.*

9 *Dicit ei Simon Petrus; Domine, non ſolum pedes meos, ſed etiam manus & caput.*

10 *Dicit ei IESVS; Ei qui lotus eſt, non opus eſt niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi eſtis, ſed non omnes.*

11 *Norat enim eum à quo prodebatur: propterea dixit; Non omnes eſtis mundi.*

ANALYSIS.

DEſcribit mortem Chriſti ab adjuncto voluntatis Chriſti illam pro nobis oppetendi; quam voluntariam mortem confirmat ab adjuncta præſcientia ipſius horæ, atque adeo momenti, quo ad mortem rapiendus erat. Cujus voluntariæ mortis cauſam efficientem indicat, unam quod illa morte ad Patrem tranſiret; alteram vero conſtantem & immutabilem amorem erga ſuos.

Verſ. 2. Adjunctum tempus notat ſequentis hiſtoriæ de lotione pedum, cœna peracta, quæ communis erat; nam ſacramentum cœnæ nondum inſtitutum erat: item aliud adjunctum tempus, poſtquam diabolus Iudæ in animum injeciſſet ut proderet Ieſum.

*Verſ.*3. Occupatio à cauſa corrumpente hujus lotionis pedum: videri etenim potuit Chriſtus, quis eſſet, & ad quam dignitatem evehendus eſſet, ignorare, cum ſe ad tam abjectum ſuorum ſervitium abjiceret: ſubjectio eſt, non hanc fuiſſe cauſam, ut qui probe ſciret quis eſſet & quo tandem evehendus erat.

*Verſ.*4. Apparatus ad hanc lotionem deſcribitur ab effecto Chriſti, ſurgendi è menſa, exuendi veſtes, ſe linteo cingendi.

*Verſ.*5. Pollubrum aqua implendi: lotio ſequitur, quæ ſua parte deſcribitur, nempe quod cœpiſſet lavare quorundam pedes, item illos linteo extergere.

*Verſ.*6. Petrus lavari recuſat adjuncto, intervallo excellentiæ perſonæ Chriſti & abjectionis ſuæ: videtur etiam argumento à diverſis hoc innuere: ac ſi diceret, ut alii hoc admittant, ego tamen non feram.

*Verſ.*7. Ieſus hanc recuſationem refellit ab efficiente,

ciente, nempe Petri ignorantia. Deinde est occupatio ab effecto Petri, dicentis; quin igitur dic quæ causa sit? subjectio est ab adjuncto tempore, nempe quod post lotionem causam intelliget.

Vers. 8. Repetitur recusatio Petri amplificata adjuncto tempore, numquam passurum ut, quam diu vivit, illius pedes lavet; quod refellit Iesus ab adjuncta perditione Petri, nisi à Christo lavetur.

Vers. 9. Hujus dicti effectum est Petri ad voluntatem Christi conformatio; quæ comparatione majoris amplificatur, non tantum pedes, sed manus etiam & caput petit ut Christus lavet.

Vers. 10. Refellit Christus amplificationem de redundanti & superflua lotione capitis & manuum; quod confirmat ab adjuncto tempore, nempe quod jam ante lotus erat illa lotionis acceptione, quam Petrus intellexit. Quod confirmat à toto, quod omnes Apostoli erant loti, præter Iudam.

Vers. 11. Causam efficientem hujus dicti, de Iudæ impuritate, assignat certam Iesu in ea præscientiam.

METAPHRASIS.

1. *CVm nondum plene expletum tempus esset, quo Paschæ festum ex præscripto legis celebrandum erat, quo tempore probe scivit se ex hoc mundo per mortem ad Patrem transitum facturum: quæ domesticos suos, qui in vivis erant, charitate complexus est, eos ad extremum ea prosequens, amoris sui signa indubi-*
2. *tata ante mortem relinquere voluit. Cœna igitur communi pascendo ventri consueta jam peracta, cum diabolus in Iudæ Iscariotæ Simonis filii mentem indidisset, ut Iesum trade-*
3. *ret; quæ sequuntur gesta sunt. Tametsi vero Iesus neque nescius erat, neque oblivioni tradidisset, quis esset, & quod Pater omnia ejus potestati subdidisset, & quod æterna generatione à Patre exiens ad eum secundum humanam naturam rediturus, incomparabili glo-*
4. *ria, quæ Dei filium decet, afficeretur: Tamen è cœna surgens, primum vestes, quo in opere expeditior esset, exuit: deinde linteo accepto*
5. *seipsum eo cinxit. Post, aquam ipsemet in pollubrum effundens Discipulorum suorum domesticorum (qui iidem Apostoli erant) pedes lavare cœpit. Et prout singulorum pedes lavare absolvisset, ita illos adhibito linteo, quo cin-*
6. *ctus erat detersit & desiccavit. Progressus venit itaque ad Simonem Petrum, qui Iesum sic affatus est; Domine, egone patiar, ut tu totius cœli & terræ Dominus, mihi in tam abjecto ministerio inservias, idque ad pedum, infimarum & cœnosissimarum partium corporis*
7. *mei lotionem? Ad quem Iesus. Hæc tua recusatio non aliunde nascitur, quam ex ignoratione, quod meum in hoc negotio consilium non intelligis, de quo suo tempore te condocefaciam: interim me jubente (quem nihil iniquum mandare non ignoras) etiam causam facti ignorans, acquiescito. Ad quem Petrus: Quicquid* 8.
sit, & ut alii te hæc facere patiantur, me quod attinet, stat sententia te nunquam, ne minima quidem ex parte, pedes meos loturum. Ad quem Iesus: Non est quod meam de te lotionem tantopere & tam universe aversaris: nam te semel in baptismo lotum, nisi quotidie Spiritu meo in merito sanguinis mei lavero, nullam mecum communionem habere potes. Ad quem Simon Petrus; Domine, si ita sit, non 9.
tantum pedes, sed & manus & caput, & me totum, quantus quantus sum, à summo vertice ad imas pedum plantas lavandum præbeo. Cui iterum Iesus, nosti in balneis totum lo- 10.
tum, postquam è balneis exit suis pedibus cœni aliquid exeundo contrahere, unde pedes denuo tingi opus: sic hoc tempore satis fuerit te antea in universum lotum, pedibus modo lavari. Atque hæc ipsa lotio quam jam instituo, non eo suscipitur ut vos, tanquam peccati sordibus immundos, lavem. Non enim ignoro vos jam in sanguine (qui pro vobis fundetur) lotos, non esse immundos; quod de vobis tamen ad unum omnibus, nolo intelligi. Probe enim eum 11.
noverat, qui ipsum traditurus erat: eoque ipso dixit; Non omnes mundi estis.

PRAXIS.

SVmma, Christus mundo excessurus suam erga discipulos constantem charitatem evidentissimis argumentis declarat; Vt in charitate fundati & radicati adversus omnes tentationum fluctus & procellas inconcussi & infracti consistant.

Partes { Christi erga suos constans charitas.
sunt, { Charitatis τεκμήρια.

Christi Paschatis, communis, & sacræ cœnæ communicatione cum suis discipulis, item pedum lotione, & aliis officiis suum ergo illos amorem testaturi, Euangelista *hoc versu* 1. consilium exponit. Cum enim speciali præscientia sua procul prospiceret imminentes & ingruentes suis tempestates; eosque ilico post mortem suam ex portu in turbulentissima maria soluturos; unaque intelligeret malis perferendis impares fore discipulos, nisi Christi erga se amorem exploratum & indubitatum haberent: in eo totus fere versatur, ut suam illis charitatem multis suis & egregiis erga eos officiis comprobaret.

Vers. 1. *Christi insignis amoris sui erga Discipulos scopus.*

Ex quo illud liquet notitiam charitatis divinæ, eamque certam & indubitatam, illis necessariam esse, qui aliquid Christi causa subitu-

Quorum necessitas in tentationibus subeundis.

subituri sunt: cæteroquin excutiendis ab illa persuasione, quam de Dei in se dilectione imbiberunt. Tentationes enim hanc vim habent, ut Dei in nos odium (naturæ nostræ perversitate) ingerant & insinuent. Quam rem declarat satis Ecclesiæ apud Deum lugubre lamentum, qua sæpius se à Deo spretam, terra stratam, pedibus conculcatam queritur, preces repudiatas, aditum ad Deum interclusum; item plerique Davidis Psalmi, quibus oblivionem misericordiæ conqueritur. Quod si Davidi insigniter in Dei promissionibus fundato hoc obtingere potuit, ut de Dei fide & benignitate fluctuaret; nedum nobis elaborandum erit, ut omnia amoris divini erga nos signa diligenter corrogemus, & in unam summam collecta animis nostris asservemus: ut nobis sint umbraculo adversus æstum ardentem, latibulo adversus tempestatem; atque sint instar siceræ & generosi vini, quod ab afflictis haustum & potatum, illos, ut suæ afflictionis oblivionem capiant, efficit. *Pontificii* certitudinem gratiæ in nobis divinæ luxuriantis & dissolutæ vitæ semen & causam esse dictitant. Habet & hoc singulare solatium, quod sicut Christus sui corporalem præsentiam, qua discpulos videntes & sentientes tuebatur & ab omnibus periculis circumtectos fecit, non prius subduxit, quam illos suæ erga eos charitatis certos reddidisset. Sic neque à nobis conspicua favoris & amoris sui argumenta substrahet, quo tentationibus nos objiciat, nisi prius suum erga nos amorem testatissimum faciat. Iam enim veluti Christum manibus tenemus, & veluti corpore præsentem habemus, quandiu ejus erga nos tam multa & tam conspicua beneficia constant.

Amoris Christi constantia:

Cum jam scopum teneamus non hujus tantum περικοπῆς, sed aliquot capitum insequentium: primum fontem ipsum intueamur, ipsam Christi charitatem. Dicitur Christus dilexisse suos ad finem usque. Notat autem constantiam amoris Christi, cum quoad Deus, tum quoad homo erat. Deus enim non mutatur, & donum & vocatio Dei ἀμεταμέλητα sunt. Cum enim ejus amor erga nos initio caruit, ut qui nos dilexit ante jacta mundi fundamenta, finem certe habere nequit; citiusque ipse Deus esse desinet, quam semel in Christo adamatos abdicet, aut odio habeat. Vnde etiam fit, ut cum Christus suam voluntatem ad Dei voluntatem conformaverit, eos nunquam odisse possit, aut non charissimos secundum humanitatem habere, quos Deum amore complecti novit. Nec enim non potest non amare, quos Deus amat; aut non odisse, quos ille odio habet. Hic enim Christi in nos amor tanta quadam hominum erga invicem amoris comparatione illustratur. *Ierem.* 31, 3. *Hos.* 3, 1. Perinde ac si diceret hominum amorem ad tempus fervere, post refrigescere, inter illos vel amicissimum quemque amicum suum paulo frequentius adeuntem & implorantem fastidire. Vnde Salomon filium suum monet, ut pedem suum ab amici ædibus cohibeat. Vt enim mel plenius & liberalius comestum, quamvis suave, fastidium tamen ingenerat: sic amicus utut alteri charus, tamen quia is sæpe ad eum ventitat & de auxilio illum subinde sollicitat, contemptui habetur. Dei autem & Christi in suos amor, ut est omni tempore æquabilis, sic effectis & fructibus magis sub finem, quam initio se prodit.

Et ex ea consolatio.

Est autem summæ consolationis loco, quod quos Deus semel complexus est, eos semper amore prosequitur. Hinc est, quod refractarios & contumaces filios non abdicat, sed illos ad resipiscentiam vocat. *Isa.* 1. Perditum filium recipit. *Luc.* 15. ut & adulteram fœminam (contra quam homines assolent) sibi iterum tanquam uxorem adjungit. *Ier.* 3. *Ozea.* 2.

Testatio amoris Christi à circumstantia temporis amplificata;

Hujus autem constantis amoris fructus & fœtus antequam Euangelista pertractat, tempus notat, quo hunc suum in suos amorem testatum fecit, id scilicet quod proxime mortem suam antecessit, ante Pascha scilicet Iudæorum, cum jam Satan in Iudæ animũ ingessisset ut ipsum proderet, id est, jam tum, cum humanitas seipsam & res suas maxime curare ac animo agitare debebat, ut se adversus tantos cruciatus & perpessiones compararet: cum jam ipse potius à discipulis consolandus videbatur, quam ut ille alios consolaretur. Qua temporis περίστασει Christi dilectio mirifice crescit & amplificatur. Cum enim alii calicem consolationis propinare debebant, ille aliis propinavit: cum alii læta aliqua cantione aut musico instrumento eum exhilarare debebant, ipsemet cecinit & suavissima musica aliorum dolores depulit. Eliæ laudi ducitur, quod in cœlum gloriose transferendus, Academias & scholas Prophetarum peragrando lustravit. Sed illi facile fuit, cum sine ulla sua molestia, aut mortis sensu & dolore commigrationem ex hoc

hoc mundo faceret. Elizæo itidem laus debetur, quod ægrotus de rebus Ecclesiæ cum Rege, qui illum invaserat, sermones contulerit, eumque adversus Ecclesiæ hostes confirmarit. Sed mors illa quam obiturus erat pulicis veluti morsus erat, præ morte quam Christus perpessurus erat, & veluti scorpionis ictu & viperæ morsu pungendus. Idem de Iacobo & Davide dici potest, qui moribundi de suis vero Dei cultu informandis solliciti extiterunt.

Et nobis imitanda. Hoc & nobis imitandum est, ut non tantum rebus ad animum affluentibus alios reficiamus qui miseri sunt, sed vel tum etiam ut aliis prosimus & consolationi simus, requiritur, cum nos mala premunt: Nec ita rerum nostrarum cura nos occupare debet, ut illa à nobis aliena ducamus, quæ salutis proximorum intersunt. Quod in Paulo luculenter apparet, qui in profundo calamitatum immersus, quæ illum undique circumfundebant, intimo sensu doloris & Ecclesiarum cura & incommodis afficiebatur. 2 *Cor.* 11,28,*&c.* In Iohanne Baptista *Matth.*11. Item in Ecclesia Macedonica, quæ exhausta & pauper exhaustæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ opitulata est, hoc idem videre licet. Vide etiam exemplum viduæ, cui cum paululum olei & farinæ superesset, quo ipsa cum filio reficeretur; tamen ex eo tantum desumpsit quantum placentæ ad recreandum Prophetam sufficeret. Mundus vero longe secus affectus est; nam rebus lætis, sua, quæ gaudet, gaudia interrumpi non sinit. Vide historiam Hester, ubi Mardocheus pullatis vestibus utens aula regis prohibetur: rebus autem tristibus ita propriis periculis distinentur, ut nullum prorsus de aliis cogitandi aut illis consulendi locum relinquant. Vnde Moses docuit, tempore extremæ famis parentes liberis, uxorem marito panem subducturam. *Deut.*28. justa vindicativæ justitiæ pœna punientis securam nostram philautiam. Nec vero negliguntur aut destituuntur consolatione, qui ipsi afflicti in aliis consolandis operam ponunt. Nam Deus illos consolatur, & preces eorum, qui consolationem accipiunt, ad consolantis summum solatium recurrunt & redundant.

Vers. 3,4,5. *Amoris Christi effectum submissio,* Effectum amoris Christi erga discipulos, versatur in submissione animi, quæ totum hominem & animo & corpore ad abjectissimum & contemptissimum mediastini & mancipii ministerium dejecit, dum vestes ipse exuit, se accingit, aquam in pelvim seu pollubrum misit, illam apportat, &c. Videmus igitur effectum amoris hunc esse, ut submissionem animi pariat, quæ se omnibus vel vilissimis officiis præstandis demittit. Hinc est quod *Luc.*7. submissionem illam, qua fœmina se ad Christi pedes demittens eos lavit & capillitio abstersit, amori Christus deputavit. Hoc clarissime pervideri potest in parentibus, matre præsertim; cujus in natum & partum amor illam vim habet, ut matri non modo tolerabiles, sed quodammodo jucundos reddat labores puditissimos, qui in illis purgandis & mundandis sumuntur; ut non sine causa hæc charitas redolenti & fragranti unguento in caput Aaronis effuso comparetur, quo omnes sensus nostri ita occupantur, ut sordes eorum vix sentiamus, quæ nos ab officio in proximos absterrere possint. Quamobrem siquidem nostrum in fratres amorem Deo & nobis ipsis probare velimus, oportet erga illos humiles & submissi simus. Nec vero tantum hoc ab illis requiritur, qui aliorum imperio subsunt, sed ab illis etiam, qui aliis præsunt; ut erga illos etiam (prout occasio postulat) humiliter & submisse nos geramus, eos nobiscum causam suam disceptare patiamur. *Iob.*31,*&c.* in illos delinquentes peccata & injurias confiteri, & eas deprecari, nedum resarcire ne pigeat. Quod ad applicationem hujus exempli attinet, in eum locum reservabitur, ubi Christus istud exemplum accommodat.

Quod autem præfatur Euangelista Christum, cum hoc tam abjectum ministerium in se susciperet, pulchre & novisse & meminisse quis esset, unde venisset & quo iret (*Phil.*2. similis locus) ideo factum est, ut eum à temeraria submissione eximeret; quæ illis accidit, qui obliti dignitatis suæ ea faciũt quæ parum conveniunt: quod olim Davidi usu venit, qui in aula regis Philistæorum Achishi versans insanum egit, oblitus dignitatis, Christiani præsertim regis. Hujus abjecti animi memorabile exemplum est in Achaso rege. 2 *Reg.*16,7. qui oblitus dignitatis suæ se Tiglath pestifero Assyriæ regi abjectissime subjecit: quod Propheta *Esaias*.57,9. objicit. Perinde ac si principis filius se cum bubulcis & subulcis consociaret. Eoque docetur veram submissionem sibi suarum virtutũ & amplitudinis aut prærogativæ & privilegii consciam probe esse: Sed nec præteriti olim, nec mox insequuturi honoris cogitatione per fastum prohiberi, quo minus se fratri subjiciat. Nec enim tantum præsens & in- *Non tamen temeraria.*

& instans amplitudo, sed exacte & post exspectata homines sæpe ita turgidos fastuososque reddit, ut genua non magis aliis flectant, quam si illis Elephantis tibiæ, quæ nullas commissuras habentes, totæ rigent, suppeterent. Hujusmodi fuit Davidis humilitas, quæ hic nobis commendatur, cum positis regiis vestibus coram arca saltavit; nec enim oblitus erat dignitatis suæ, ut Michol ei objecit. Item Abrahæ cũ optionem Loto dedit vel ad dexteram vel ad sinistram concedendi. Nec enim eum cepit oblivio & se natu majorem & patruum Loti fuisse,& Deo confœderatum; cujus causa bene cum voto actum est. Sed cum hæc scirent & probe tenerent, se tamen ad officia in speciem contempta & abjecta submiserunt.

Vers.6. *Humani ingenii cæcitas & sub humilitatis specie superbia.*

In Petro spectanda proponitur humani ingenii cæcitas & perversitas; quæ in his ipsis, quæ illi pulcherrima & rectissima videntur, turpissime labitur & impingit. Petro enim videbatur cum officio conjunctissimum, ut Christum à pedum suorum lotione prohiberet, indignumque judicavit ut hoc sibi fieri à Christo pateretur, idque humilitatis specie. Cum contra justum erat illum Christo obedire & suum sensum & voluntatem ad ejus voluntatem conformare, à quo non nisi improbe dissentire potuit: maxime cum sciret Christum esse Patris sapientiam, nec quidquam moliri voluisse, quod non esset à Patre profectum. Vtcumque igitur humilitatis & submissi animi fucus quidam existat; reipsa tamen ex superbo elatoque animo & nondum in Christi potestatem edomito & redacto profecta hæc recusatio est. Simile quid legimus in Iohanne Baptista. *Matth.*3.13,14. vide & 1 *Reg.*20,35, &c. Hoc modo *Pontificii* sibi imponunt, qui humilitati ducunt cum se coram cruce prosternunt, nudis pedibus incedunt, saccum gerunt. Sciamus igitur nihil tutius esse, quam si Deo obediamus etiamsi Christus Petrum jussisset ut se præcurreret, non tamen hoc recusasse debebat. Nam quandoquidem cũ Deo negotium sit, qui nihil non juste & sapienter facit; nostrum erga illum obsequium nunquam erit intempestivum, sicut sæpe in hominum imperatis & mandatis exequendis, est.

Vers.7. *Christum in re ignota obsequiũ petere non absurdum;*

Quod Christus vult Petrum obsequi sibi in eo cujus rationem ignorat, & cujus rationem non prius indicavit, quam de ejus obsequio periculum cœperit; id videtur alienum esse. Danda enim opera est, ut quod quisque officii præstat, ejus rationem & causam quam exactissime teneat, quo majore & studio & fiducia illud obeat. Sed notandum est hanc autoritatem in Ecclesia Christo peculiarem esse, & Deo, & ejus nomine legatis, Prophetis,& Apostolis; nec ulli ministerio ordinario competere. Consilium autem est Dei in istiusmodi mandatis fidei nostræ periculum sumere. Hoc etiam luculenter apparet. 1 *Reg.*20,35. ubi tam alieni in speciem facti nulla causa præter Dei voluntatem obtenditur. Sic in Abrahamo videmus, qui jussus est exire è patrio solo, nulla dum aut causa patefacta, aut alio habitationis loco indicato. Secus tamen cum Baptista actum, cui restitanti Christus apposita ratione satisfecit. Eoque docemur, ut semel de voluntate certi ex verbo, illi nos ilico subdamus, & exsequutioni, quod jubetur, mandemus: Neque exspectandum esse, donec ejus causas & Dei consilium cognita habeamus: quæ tamen deinceps suo tempore nobis illucescent, siquidem sub captum & animi nostri comprehensionem cadunt.

Sed hominum exemplo æquum.

Homines suis servis negotia gerenda imperabunt, quæ nec ipsi quidem scient cum mittuntur, ut Turcarum usu & experientia discimus, quis suis ducibus in mandatis dant, ut ad certum locum profecti, tum demum cum eo advenerint, literas legant, quæ quid ab iis fieri velint exponunt. Pii autem heri & Domini est (si quid scrupi in animis servorum hæreat, quod illos ab alacri obsequio retardaret) suis præbitoribus rationem exponere. Sic Abrahamus belli causas suis servis exponit.

Vers.8. *Petri iterata recusatio peccatum auget.*

Non lavabis meos pedes in æternum.] Hoc loco Petri pertinacia in suscepto consilio recusationis indicatur; quæ non aliunde profecta est, quam quod sibi in stulta & temeraria carnis prudentia valde placebat. Atque ut hoc loco se magis officiosum erga Christum duxit, quam in priore recusatione, quod magna voce & contentione hoc sibi fieri pernegavit: ita gravius & atrocius peccavit. Hoc loco *notandum* est, quanti intersit, vera Dei & voluntatis ejus notitia imbui: sine qua ut quisque optimo in Deum animo est, ita gravius in eum peccare solet: ubi & contra ignorationem & bonam (quam vocant) intentionem locus dicendi est.

Quod autem Christus adjungit nullam Petro partem secum reliquam fieri, nisi ipse eum lavet: in eo arrepta ex hac lotione occasione, alludit ad spiritualem lotionem, quæ baptismo obsignatur ut *Ioh.*4. deflectit ab aqua

aqua fontis ad Spiritualem aquam: quo etiam spectit, quod non dicit Christus, nisi lavero pedes, sed nisi lavarem te. Quanquam dici etiam potest Petrum regno cœli excludendum futurum fuisse, nisi Christo obsequens ab illa pertinacia resipuisset. Nam peccatum, quod in se non ita atrox est, ut hominem ita a regno excludat, ut nulla illi venia reliqua sit; tamen pertinacia præfracta & indomita evadit in peccatum, quod hominem perimit.

Vers.9. Humana perversitas ab uno extremo in aliud incidens: Hic vero mira perversitas naturæ nostræ se prodit, quæ ab uno extremo depulsa ad alterum extremum, mediocritatem transiliens, transit. Tametsi enim Petrus Christi autoritate fractus priori suæ sententiæ nuncium misit: tamen non idcirco in Christi sententia acquiescit, sed ad sinistram partem (relicta via regia) deflectit. Et quoniam salutem in pedum lotione collocatam ex Christi verbis collegerat; nunc prudentiæ carnis suæ indulgens, concludit non pedes tantum, sed & caput & quicquid est, lavandum; & prius officium oblatum à Christo cum per speciem humilitatis ante recusasset, nunc novum & magis laboriosum à Christo obsequium seu servitium flagitat. Sic est hæc depravata natura nostra comparata, ut aut ad dextram aut sinistram, aut ulterius aut citerius præter præscriptum verbi consistere velimus: atque ita dum nos ipsos retexere & colligere cogitamus, pluribus nosmet involucris implicamus. Vide exemplum Esaui. *Genes.*28,8,9. vide exemplum Israëlitarum in deserto. *Num.*14,40,41, *& seqq.* Similes enim sumus natura indomito vitulo, qui aræ & porcæ ut insistamus adduci nequimus.

Quod peccatum nostris familiare. In hoc genere sæpe peccatur à nostris hominibus, qui se probe emendatos & ad frugem bonam revocatos putant, cum deserta idololatria & superstitione ad atheismum & divini cultus contemtum transierint; cum abnegata priore effusione & ἀσελγείᾳ ad avaritiam & pecuniæ coacervationem animum adjunxerint; cum otio & inertia excussa ita sint toti in occupationibus obruti, ut nusquam illis vacet ad cultum Dei & sacra facienda. Sic fit ut uno dæmone fugato, alius eo nequior & tetrior succedat. Hoc tamen in laude est, quod de priore sententia (tametsi magnopere & asseverantissime confirmata) discedit. Vide exemplum Davidis. 1 *Sam.* 25. qui tametsi juramento ad maleficium se obstrinxisset, tamen, &c. Notandum ingenium hominis esse à rebus spiritualibus ad corporea defluere. Cum enim Christus de spirituali purgatione loquutus fuisset, Petrus ad momentaneam delabitur. Sic *Iohan.* 4,33. deinde & illud hominum naturæ depravatæ adhæret, ut facile salutem in rerum externarum usu collocent. Denique cum externarum rerum usum ad futuram vitam utilem esse secum statuant: ilico multiplicatum ejus rei usum magis è re esse secum concludunt. Nam hoc modo proculdubio sibi imponunt idololatræ. Cum enim Abrahamum placuisse Deo intelligunt, quod jussus filium mactare, paratus fuit: nedum se Deo placituros secum constituunt, si injussi & sponte sua filios Deo sacrificent; si uno loco coli gratum sit, nedum pluribus; si uno altari nedum pluribus. Hæc enim suggerit nobis carnis prudentia, quæ Deo inimica est. Hinc *Pontificii* aquam lustralem induxerunt, quod aquam baptismi utilem intelligant; & benedictum panem, quod panis cœnæ salutaris sit; & septem sacramenta, quod duo tantum momentum afferant.

In Christi responso ad Petrum, quo in pedum tantum lotione acquiescendum declarat, occupatio videtur esse, qua Petro ad objiciendum parato, quod corpore satis mundus sit, siquidem hæc lotio nihil ad animi munditiem spectet, responsionem præmittit: Eoque similitudinem ducit ab his qui in balneis lavantur: nam loti toto corpore è balneis egressi terram pedibus contingunt, unde pedes denuo lavari convenit: aut ut nullæ sordes pedibus adhæreant, tamen ad pedum refrigerationem lotio perutilis est, ut illis refrigeratis totum corpus refrigeretur. Tametsi igitur totus mundus sis corpore, non decet pugnare quo minus pedibus laveris. Ex quo illud liquet, *Anabaptismum* otiosum esse, eoque ex Ecclesia ejiciendum. Vnica enim baptismi lotio universam, quæ ullo unquam tempore futura est, spiritualem à peccatis nostris purgationem obsignat: nec minus efficax est ad obsignandam illorum peccatorum remissionem, quæ quis animam expiraturus patrat, quam quæ cum illo concepta & connata sunt. Baptismus enim quo Christum induimus, & qui etiam ipse vestis appellari potest (quod Sacramenta nomina accipiunt rerum, quarum sacramenta sunt) imitatur vestes illas, quas Israëlitæ in deserto gestabant, quæ usu quotidiano attritæ non sunt. Siquidem opere (quod loquuntur) operato baptismus peccata ablueret, tum justa causa *Vers.10. Vnica pedum sufficiens lotio Anabaptismum refellit.*

subesset sæpius nos ex *Anabaptistarum* sententia abluendi; ut nulli dubium sit, quin *Pontificii Anabaptistarum* partes per imprudentiam corroborent. Hinc etiam liquido refellitur sacramentum pœnitentiæ, quod *Pontificii* commenti sunt, & quam quasi secundam tabulam post naufragium induxerunt.

Mundities nostra nobis non inhæret. Quod vero mundos omnes dicit præter Iudam; in eo apparet munditiem nostram non esse nobis inhærentem, sed aliunde accersendam. Nec enim nescii esse possumus, justissimum quemque in se peccatorem & immundum esse. Quis enim quærendo inveniatur, qui vere possit affirmare cor suum mundum esse? Corde autem immundo, quod fons est actionum nostrarum, actiones inde manantes immundas esse necessum est. Nec enim dicit eos fuisse olim cum baptizarentur, aut deinceps exacta hac vita, mundos fore, sed jam esse mundos. Sicut enim in Adami peccato, nos omnes peccatores & immundi sumus constituti; sic in Christi justitia omnes justi & mundi sumus. Et sicut Adami peccatum singulare nobis omnibus justo Dei judicio imputatur, sic Christi justitia, Dei misericordia nobis attribuitur.

Vers. 11. *Quare nomine Iudæ abstineat Christus.* Quod Iudam cognitum habens, non tamen eum denunciat aut præcise indicat, id eo consilio fit, ut cæteri cautiores fierent, seque penitus excuterent. Ex eo discimus nos tametsi ab aliqua improbitate, quam Ecclesiastes insectatur, immunes & innoxios, admoneri tamen oportere, ut nos ipsos excutiamus quo animo simus, quæ in nobis ad eam rem proclivitas sit, ut ab hoc scelere quam longissime absimus, & quicquid est irritamenti diligenter & sedulo declinare. Quemadmodum enim olim in furto Achan exquirendo, Deus voluit omnes tribus timore quodam percutere, dum sibi ipsis singuli bene conscii de suis tamen parentibus & amicis solliciti esse poterant: & quemadmodum belli Imperatores in totius exercitus offensa, ita quosdam (puta decimum quemque) forte mulctant, ut timor supplicii omnium animos pervadat: Sic hoc loco Christus. Quod si quis excipiat injuriam insontibus fieri, dum, qui nihil quidquam de hoc scelere patrando cogitarunt, timore percelluntur: is intelligat nullam hic injuriam iis fieri, ut qui naturam corruptam & depravatam sortiti ad illud ipsum facinus patrandum proclives sunt, reipsa patraturi, nisi Dominus indomitam hanc naturæ nostræ belluam fræno aut Spiritus Sancti, aut arcanæ Dei providentiæ constringeret & cohiberet.

IOHAN. *cap.* 13, *à vers.* 12, *ad* 21.

12 *Postquam ergo lavisset pedes eorum, & pallium suum recepisset, rursum recubuit, & dixit eis; Nostisne quid fecerim vobis?*

13 *Vos me vocantes,* dicitis; *Magister ac Domine, & bene dicitis: sum enim.*

14 *Itaque si ego lavi pedes vestros Dominus & Præceptor, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare.*

15 *Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis,* ita *& vos faciatis.*

16 *Amen amen dico vobis; Servus non est major Domino suo, neque legatus major eo à quo missus est.*

17 *Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis.*

18 *Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim: sed* oportet *impleatur Scriptura; Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem suam.*

19 *Iam nunc dico vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis me* eum *esse.*

20 *Amen amen dico vobis, quando aliquem misero, quisquis* eum *recipit, me recipit, qui vero me recipit, recipit eum qui me misit.*

ANALYSIS.

HÆc Christi oratio ad discipulos diversis adjunctis temporis describitur, 1. postquam lavisset eorum pedes, 2. postquam exutas vestes resumsisset, 3. postquam in mensa discubuisset: sequitur subjecta oratio: ubi primum ab adjuncto, discipulorum explorata notitia ejus quod fecerat in pedum lotione & abstersione, illos ad sui imitationem adhortatur.

Vers. 13, 14. Aliud argumentum à comparatione minoris, quo ad imitationem eos exstimulat, quia

quia dominus & præceptor hoc fecit, nedum servi & discipuli suis conservis & condiscipulis hoc præstare debent: propositionem hujus comparationis confirmat Christi testimonio, veritatem confessionis Apostolorum comprobantis.

Vers. 15. Confirmat hanc rem à fine quod hoc non alio consilio fecit, quam ut hanc ejus animi submissionem confirmet.

Vers. 16. Rationem à comparatione minoris confirmat ab adjuncta inæqualitate inter herum & servum, legantem & legatum.

Vers. 17. Ab adjuncto præmio, beatitudine, ut hoc faciant adhortatur; quod amplificat à disparato, non esse scilicet beatum, qui hoc scit faciendum, nec facit tamen.

Vers. 18. Notat subjectum, ad quod dirigitur hæc adhortatio, nempe non omnes; quod suo efficiente declaratur, nempe quod omnes non esse electos novit. Cujus Christi effecti in omnes non eligendo, finis indicatur, ut Scriptura impleatur; deinde describit eum ab effecto, qui calcaneum adversus Christum attolleret.

Vers. 19. Finem notat cur prædicit unum ex suis Apostolis illum proditurum: ne fide nutent, cum proditum viderint.

Vers. 20. Describit adjunctum præmium amplexantis illum, quem Christus mittit, nempe quod cum se, tum Patrem suum amplexatur.

METAPHRASIS.

12. *Postquam Iesus abjectum ministerium lotionis & abstersionis pedum Apostolorum suorum omnium absolvisset, indutis, quas prius exuerat, vestibus, ad pristinam dignitatem rediens & iterum in mensa discumbens, dixit: Quæro an quid vobis fecerim intelligitis: non equidem quod vos hoc scire nescius sim, sed ut vividius & efficacius animos vestros afficiam, ut re bene cognita, quod deinceps de hac re vos monebo alacrius (omni ignorationis excusatione pulsa) promtissime exsequutioni mandetis.*
13. *Quod Petro consilium suum in lotione & abstersione pedum expositurum supra pollicitus est, jam omnibus declarat. Quamobrem dixit; vos me vestrum in divinis mysteriis magistrum, in cæteris rebus omnibus dominum vocatis; nec immerito. Nam sive æternam à Patre generationem, sive Mediatoris officium spectetis, re ipsa cum magister, tum Dominus vester sum.*
14. *Si igitur ego Dominus & Magister vester, ad hoc tam humile & abjectum lavandi & abstergendi pedes vestros ministerium me dimisi, nullum certe tam vile & contemptum ministerium ad pedum usque lotionem & abstersionem occurret, cui vos vestri & fratrum commodo subjicere non convenit.*
15. *Exemplum etenim vobis ante oculos proposui, ad quod (me imitantes) vos ipsos, quoties usus erit, conformetis.*
16. *Hoc enim audacter & constanter affirmare audeo, servum (ut quam parcissime loquar) suo domino præstantiorem & honoratiorem non esse, nec Apostolum eo, qui legationis author est.*
17. *Scio quid cum animis vestris cogitatis, vos non tam tardos ingenio & intelligentia esse, ut hæc (quamvis nullus admoneat) non intelligatis probe: recte quidem: sed nec hujus nec aliorum istius generis documentorum notitia meliores vos, nedum beatos reddat, nisi quod mente intelligitis opere præstetis.*
18. *Hæc ego de beatitudine in mandatorum meorum obsequio omnibus vobis non loquor (quod enim sanctum est, canibus prostituerem) novi etenim esse inter vos, quem ad Apostolatus munus à me electum, ad æternam vitam ante jacta mundi fundamenta, neutiquam elegi. Quod si quæratis cur ante jacta mundi fundamenta rejectum, in numerum Apostolorum cooptavi: respondeo hoc à me certo consilio factum esse, ut, quod à Psalmista diu ante prædictum est, impleatur, eum qui mihi commensalis est, & quo cũ familiariter convixi, mihi ut me subvertat insidias collocaturum, haud secus quam qui cum alio colluctatur, suum Antagonistam fraude supplantare satagit.*
19. *Quod equidem antequam fiat prædico, ut cum fiat, in me, tanquam aliquid mihi aut nolenti, aut imprudenti obtigisset, fides vestra minime nutet aut concutiatur, quam de me vero mundi Mediatore concepistis.*
20. *Atque ut ad intermissum sermonem, de mutuis erga invicem officiis ex animi submissione præstandis, redeam: ex usu erit, ut deflexis ab obscuræ aut tenuis conditionis fratre oculis, eosdem aliorsum, nempe ad Deum, convertatis. Qui enim cuipiam, nedum vobis Apostolis (quos ego misi) subventioni aut consolationi est, eum eodem loco habebo, ac si in me beneficus fuisset: quod magis est, non in me tantum, sed & in Patrem & Spiritum S. qui me mittunt.*

PRAXIS.

Quod iterum sumptis vestibus accumbens, sibi & docendi & præcipiendi partes vendicat: eo docet nos ad utrumque edoctos esse debere, ut cum authoritatem nostram & dignitatem, cum tempus est, tueamur; & rursus, cum tempestivum est, de jure & autoritate nostra discedamus. Plerique enim sunt qui se demittere non didicerunt: sunt etiam qui socordia quadam & animi abjectione suum jus & autoritatem retinere nesciunt: quod utrumque in Saule vidimus; qui ad regiam dignitatem jam à Deo vocatus sese subduxit & inter scruta se abdidit: ab eodem vero dejectus & deturbatus

Vers. 12, &c. *Quid vestibus receptis, iterum accumbendo Christus doceat.*

batus

batus imperium dimittere, aut Davidi cedere recusavit.

Quorsum Christi quæstio.

Quod autem quærit, an quid fecerit cognoverint, tametsi manis & otiosa quæstio videri possit, cum illud ignorare nequiverint, tamen ideo hoc facit, ut rem cum causa, quam expositurus est, commodius conjungat. Argumentum autem minoris est. Duo sunt, quorum alterutrum me jure posset ab hoc ministerio avertisse, seu quod magister vester sum, seu quod herus; nedum utrumque conjunctim; maxime cum meum cum herile, tum magistrale (si ita loqui liceat) imperium & authoritas mere sit absoluta, non ut hominum certis conditionibus devincta & definita: si igitur hæc summa autoritas me non cohibuit, quo minus me ad pedes vestros, ut eos lavem, dimitterem; nedum vos, qui pares estis & socii, cum quod unius heri conservi, tum quod unius præceptoris discipuli existitis, vos dimittere debetis, ut aliorum pedes lavetis. Si nullo imperio aut principatu vobis prælatus hoc fecissem, tamen quod rectum est facientem me in recte facto imitari debebatis; quanto magis nunc, cum tanta præditus autoritate hucusque me dimiserim. Siquidem manus aut caput vobis lavissem præceptor & herus, vos debebatis invicem pedes lavare: nedum cum pedes vestros laverim. Si vos condiscipuli, non etiam conservi, debebatis tamen præceptoris exemplo invicem pedes lavare; nedum & condiscipuli & conservi hoc facere debetis.

Ab officiis humilitatis nos deterret, 1. consideratio personarum;

Quæ nos ab officiis humilitatis & submissionis Christianæ revocant aut retardant duo fere sunt, 1. contemplatio personarum inter quas officia intercedunt & commutantur; 2. officiorum seu rerum quæ præstantur. Et quidem quod ad personas attinet; primum nostra quam nobis affingimus dignitas, & quam alteri (cui officium præstandum est) attribuimus, indignitas & abjectio nos ab officio debito depellunt. Subit enim nobis in mentem cogitare qui sumus. Sic enim ratiocinamur. Egone illo generosior, & honestiore loco natus, ditior, honoratior, doctior, ætate major hoc faciam? In quibus æstimandis tametsi sæpe φιλαυτίᾳ labimur; tamen ut hæc sint, nihil tamen affirmare possis de te ipso, quod in Christo non fuit plenius & cumulatius; necdum tamen dicere possis te præceptorem ejus aut herum esse. Atque ut hoc affirmare possis, Christo tamen inferior es, qui se submittit Apostolorum pedibus lavandis. In eo cui officium est præstandum consideramus generis obscuritatem, &c. Atque ut vera sint, nondum tamen usque eo abjectus & humilis est, tuus ut sit servus aut discipulus; atque ut esset, ut non tamen id juris tibi in eum est, quod Christo in suos fuit. Imo vero quisquis es, & quantuscumque, tamen ejus vel vilissimi mancipii conservus & condiscipulus es. Siquidem frater sit & eundem Christum tecum profiteatur. Ergo non tantum tibi illius abjecta conditio in hoc mundo cogitanda est, qua tibi inferior est, sed reputanda etiam dignitas est, quam in Christo adeptus tibi exæquatur, aut etiam, nisi te ad id humilitatis demiseris, præfertur. Tametsi enim nondum regnum cœlorum adepti sunt, aut potius plenam ejus possessionem nondum obtinuerunt, tamen cum jam hæredes designati sint, & jus regni habeant, eos perinde æstimemus ac si jam in illam celsitudinem elati essent. Exemplo Abigaëlis, quæ tametsi adhuc David in desertis palaretur, tanquam erro & circumforaneus; tamen quia jus regni habebat, non minore submissione sese coram illo abjecit, & honorificis appellationibus de sua ad lavandum pedes ipsius indignitate, quam si jam in regni solio collocatus fuisset, ut quæ se ad lavandum pedes servorum abjecit. 1 *Sam.* 25,41.

2. consideratio officiorum.

Alterum quod nos ab hoc submissionis officio deterret, est genus officii, quod præstatur. Sic enim homines ratiocinari secum solent, ego ne ut illum aspiciam? iturusne ad eum sum? illi caput aperturus? de via discessurus? supplicaturus? illi dextram porrecturus? Sed quid in his hæres, cum vel ad pedes ejus provolutus, illius etiam pedes lavare deberes, si hoc illi profuturum sit. *Summa* est, nullum tam abjectum esse, cui vel vilissimum quodque officium non præstet, & præstare debeat, qui est inter summos. Hoc in membris corporis dilucide perspicitur, in quibus quæ summa pars corporis est, ad infimum membrum se dimittit, ut illud curet eique consulat. Quo etiam referri potest exemplum *Iob.* quod ad *versum* 3. supra adduximus. Hæc ad nos accommodentur: & simul vellicetur eorum superbia, qui elatione animi alios vix dignos putant quos alloquantur, quibuscum consuescant, aut qui ex eodem cum illis calice bibant, & qui quod *Psalm.* 10,5. dicitur: יָפִיחַ בָּהֶם

Quod

Christi factum imitandum.

Quod autem dicit se exemplum edidisse, quod ipsi imitentur, eo docet hoc Christi factum à nobis imitandum. Quantumvis enim Christus nihil fecerit quod nobis institutioni non sit, non tamen sine mandato ejus illud nos imitari fas est. Quod *Pontificii* in plerisq;,ut in quadragesimali jejunio aliisque Christi factis stulte & inepte faciunt.

Ministrorum est aliis bene agendo praire.

Sed & illud peculiare est Ministris & his qui sunt aliis præpositi,seu publice seu privatim, ut suis præluceant vitæ exemplo, & quoad commodum fuerit, prius rem imperandam & docendam ipsi exsequantur. Sic enim fiet, ut facilius & doceant & persuadeant, quod ab illis fieri velint,quibus præsunt. Vide Apost.1 *Cor.*8,13. *& Rom.* 14. *&* 2 *Thess.* 3,7. *Tit.*2,7,8.

Vers.16. *Qui se ad fratrum infimorum ministeria non demittit,se Christo præponit.*

Αὐτόπης hoc loco est, plus intelligi vult quam quantum exprimit. Perinde enim est ac si dicat, quantumcunque se æstimet quis, non tamen major hero aut legante est: si servus aut legatus ea procacitate sit, ut se hero exæquet aut leganti: tamen incredibilis cujusdam inflationis est, si se hero aut leganti præponat; si hero pedite ipse equitem agat, si hero ministrante, ipse mensæ accumbat Est igitur argumentum à comparatis. Nam qui se non demittit vel ad abjectissimorum fratrum infimum officium, animi elatione is sibi plus arrogat, quam Christus Dominus. Quod si absonum sit se supra Christum efferre: noverit etiam alienum esse,si se ad infima quæque officia & obsequia non abjiciat. Hoc quidem verbo horremus, sed reipsa tamen amplectimur. Quod si superbiæ sit se infimis non subjicere & (ut usus est) submittere; quantæ elationis est, si regibus, parentibus, & heris non obsequamur quicquid legitime imperant? Verum quidem est heros expendere oportere, quid cuique conveniat pro loco & ordine quem tenent. Interim servi debent jussa capessere.

Hic *quæri* posset,quare Christus in re tam omnibus obvia & nota, tanta & tam vehementi asseveratione usus sit. Videtur enim prima facie à vanitate non abesse. Cui quæstioni responsum petendum est ex sequente *versu.*

Vers.17. *Quæ cognitu facilia, factu sæpe difficilia.*

Quod subjungit beatos esse,si scientes illud factis exprimant: Eo occurrit tacitæ cuidam objectioni,qua excipere possent,rem quam Christus proposuit per se esse claram, nec aut illa amplificatione, aut vehementi & duplicata asseveratione eguisse. Quibus Christus respondet, rem ut cognitu perfacilem, ita difficilem factu esse, ut qui illud fecerit pro beato ac felice habendus sit. Ob eamque causam hanc amplificationem & asseverationem inanem & otiosam non esse. Denique bene cum illis agi,si hac amplificatione & asseveratione usque eo proficiant,ut rem ita noscant,ut etiam eam servent. Nihil enim artifex commodi percipit ad vitæ cultum & victum, nisi artem exerceat, tametsi eam exactissime teneat: sic nec ex rerũ divinarum cognitione lucri aliquid orietur, nisi praxis etiam peritiæ accesserit: atq; adeo hic multo magis. Est enim in artibus oblectatio quædam animi, tametsi non exerceantur; & ut non prosunt, ita nec obsunt: Sed notitia Euangelii, nisi exsecutioni mandetur, plurimum obest, & officit illud scienti *Iacob.*4, 17. item illud, *servus qui novit voluntatem Domini, nec facit, multis plagis multabitur. Luc.*12,48.

Sollicite cavet ne vel minima suspicio animos eorum subeat, suæ de proditore ignorationis. Ob eamque causam beatitudinem, cujus mentionem fecit, ab illo tanquam homine illam ad beatitatem assequendam inepto removet. Causam vero hujus rei altiorem assignat, quam prius, quod mundus non esset; nempe ipsam Dei electionem. Quod enim à Christo electus non erat,minime potuit mundari. *Cum enim fide purificantur corda hominum Act.* 15,9. *Credant autem quotquot ad vitam electi & ordinati sunt. Act.*13,48.fieri nequit ut qui electi non sint, mundi sint. Sicut enim paterfamilias multorum operas conducit,nec tamen illos omnes perpetuo domesticos habere constituit, sed eos ædibus suis movere,postquam opus suum expleverint: Sic etiam Christus. Vers.18. *Proditoris in Christo certa notitia: ejusque repudiati suprema causa.*

Ex hoc loco etiam liquet *duplicem* Christi fuisse in Apostolis electionem; unam ad vitam,alteram ad Apostolatum;unam æternam ante jacta mũdi fundamenta,alteram temporalem in mundo;unam absq; fine & in omnia sæcula,alteram paucis annis finiendam. Nam Christus *Iohan.*6,70. affirmat se Iudam cum reliquis elegisse: hic vero eum à se electum esse negat, ut futilis eorum ratio sit, qui ex Iudæ defectione electionis æternæ firmitatem labefactare conantur: cum illa electionis acceptatione Iudas electus non fuerit. Ejusdem generis est, quod hoc ita fore prædictum sit, non tantum quod proderetur Christus, sed & à domestico & familiari traderetur. *Electio duplex.*

*Ioan.*14,29.*&* 16,4. Affirmat finem prædi- Vers.19.

Ex prædictione Christi geminautilitas.

ctionum suarum esse, ne offenderentur; quod & alibi dicit. Hoc autem loco plus dicit, non tantum ut Iudæ proditione non revocentur aut retrahantur a Christi fide, sed ut in illa porro firmius roborarentur. Hoc enim ipso, quod Christus à Iuda (prout prædixerat) proditus est, Christus suæ divinitatis & veritatis Messiæ argumentum protulit longe firmissimum; quod nisi evenisset, omnino futurum erat ut Christus deceptus opinione Messias verus non fuisset. Hoc etiam nobis notandum est, ut quoties hi deficiunt, qui videbantur cœlum digito contingere, & qui suis præclaris donis inter cæteros fulgebant, non tantum ut Euangelium non deseramus, aut veræ religionis tædio teneamur, sed porro ut horum defectione ad firmiorem fidem in veritate provehamur. Nec enim vera religio esset, quam profitemur, nisi aliqui qui primas in ea partes occupant, deficerent.

Quisquis eum recipit, &c.] Redit ad intermissum Sermonem 16, 17. *vers.* & argumento à comparatis utitur, quo homines ad hanc submissionem erga abjectissimos impellat, nempe quod hoc officium, quod ei præstant, non tam illi, quam Christo, nec tam Christo, quam Patri præstant. Hinc est quod Abigael se aptam & idoneam non judicavit lavandis pedibus servorum Davidis. Servos enim non in seipsis, sed in hero considerabat. Vers. 20.

LVC. *cap.* 22, *à vers.* 19, *ad* 24.

19 *Et acceptum panem, quum gratias egisset, fregit: & dedit eis, dicens; Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite ad mei commemorationem.*

20 *Itidem etiam* dedit eis *poculum, postquam cœnasset, dicens; Hoc poculum,* est *Novum illud pactum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.*

21 *Cæterum ecce manus ejus qui me prodit, mecum* est *in mensa.*

22 *Et filius quidem hominis, prout definitum est, abit: verumtamen væ homini illi per quem proditur.*

23 *Tunc ipsi cœperunt mutuo quærere inter se de hac re: ecquis nimirum ex ipsis esset hoc facturus.*

MATTH. *cap.* 26, *à vers.* 21, *ad* 31.

21 *Et edentibus ipsis, dixit; Amen dico vobis, unus vestrum me prodet.*

22 *Tunc contristati vehementer, cœperunt singuli eorum ipsi dicere; Num ego* is *sum, Domine?*

23 *Ipse vero respondens, ait; Qui intingit mecum manum in catino, is me prodet.*

24 *Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.*

25 *Respondens autem Iudas qui prodebat eum, dixit;* Num is *ego sum, rabbi? Dicit ei; Tu dixisti.*

26 *Edentibus autem eis, IESVS quum accepisset panem, & benedixisset, fregit* eum, *deditque discipulis, & ait, accipite, comedite: hoc est corpus meum.*

27 *Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens; Bibite ex eo omnes.*

28 *Hoc est enim sanguis meus, Novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

29 *Dico autem vobis; Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

30 *Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.*

MARC. *cap.* 14, *à vers.* 18, *ad* 27.

18 *Quumque discubuissent, & ederent, ait IESVS; Amen dico vobis, unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.*

19 *Ipsi*

19 *Ipsi vero cœperunt contristari & ei dicere sigillatim; Num ego? Et alius;*
Num ego?

20 *Ipse autem respondens dixit eis; Vnus ex duodecim qui* manum *intingit me-*
cum in catinum, me prodet.

21 *Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per*
quem filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.

22 *Et edentibus ipsis, quum accepisset IESVS panem, & benedixisset, fregit, de-*
ditque eis, & ait; Accipite, edite: hoc est corpus meum.

23 *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes.*

24 *Et dixit eis; Hoc est sanguis meus Novi illius fœderis, qui pro multis ef-*
funditur.

25 *Amen dico vobis, non bibam amplius ex fructu vitis usque ad diem illum quum*
ipsum bibam novum in regno.

26 *Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.*

IOHAN. *cap.* 13, *à vers.* 21, *ad* 33.

21 *Quum hæc dixisset IESVS, turbatus est spiritu, & testatus est, dixitque;*
Amen amen dico vobis, unus ex vobis prodet me.

22 *Discipuli ergo aspiciebant alii ad alios, incerti de quo diceret.*

23 *Erat autem quidam ex discipulis IESV recumbens in sinu ipsius*, nimirum *is*
quem diligebat IESVS.

24 *Innuit ergo huic Simon Petrus* ut *percontaretur quisnam esset de quo diceret.*

25 *Ille vero quum sese inclinasset in pectus IESV, dicit ei; Domine, quis est?*

26 *Respondet IESVS; ille est cui ego intinctam offulam dedero. Et quum intin-*
xisset offulam, dedit Iudæ filio *Simonis Iscariotæ.*

27 *Et post* sumtam *offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. Dicit igitur ei*
IESVS; Quod facis, mox facito.

28 *Hoc autem nemo accumbentium intelligebat quorsum ei dixisset.*

29 *Quidam enim putabant, quoniam marsupium habebat Iudas; IESVM ei*
dixisse; Eme quibus opus est nobis ad festum: aut egenis ut aliquid daret:

30 *Ille igitur accepta offula, statim exivit, erat autem nox.*

31 *Quum ergo exivisset, dicit IESVS; Nunc glorificatus est filius hominis, &*
Deus glorificatus in eo.

32 Quod *si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, &*
statim glorificabit eum.

ANALYSIS.

Effecta Christi describuntur in institutione cœnæ; primum in subjecto pane; quem prius in manum accepit, deinde precibus consecravit, 3. fregit, 4. dedit illis, 5. definit quid sit panis ille, nempe sigillum corporis Christi; denique finem notat hujus institutionis, ut mortis Christi beneficium memoria conservarent.

Vers. 20. Idem dicendum de calice, nisi quod in calice designat adjunctum temporis, quando ministrabatur.

MATTH. 29. Describitur porro ab adjuncto tempore, nempe quod sit ultimus.

MATTH. 30. Adjunctum totius Cœnæ dominicæ est cantus hymni ad Dei gloriam.

LVC. 21. A diverso amplificat proditionem Iudæ, quod tametsi ad hanc cœnam charitatis Christi in nos & nostri in Christum aggregatus esset, quidam ex Apostolis tamen proditionem moliebatur.

IOHAN. 21. Declaratur adjunctum Christi, mœror & animi perturbatio ex discipuli sui molitione.

LVC. 22. Docet effectum hujus proditionis, nempe quod concupitum & optatum consequetur; quod confirmat testimonio Scripturæ: Post eandem proditionem ab adjuncta pœna describit; quam pœnam amplificat à comparato minoris, nempe nunquam natum & editum in mundo esse ipsi melius fore. *Marc.* 21.

MATTH. 22. Effectum hujus dicti Christi est grandis dolor Apostolorum *Marc.* 19. Effectum doloris est, quod sigillatim à Christo quærunt, an ipsi essent; quæ quæstio suo relato responso declaratur, nempe quod una mensa comederet: aliud effectum etiam notatur, quod secum disquirunt quis esset.

IOHAN. 22. Aliud effectum dicti Christi, quod invicem intuebantur: cujus efficiens indicatur, quod dubii essent quis hoc faceret.

MATTH. 25. Quæ quæstio primum ab Apostolis infinite proposita est: Cujus relatum responsio est, eum esse proditorem.

IOHAN. 23. Causa efficiens indicatur cur *Petrus Ioanni* nutu significet, ut quis sit à Christo rogitet, nempe dilectio Christi erga illum; cujus adjunctum erat, quod in sinum Christi recumbebat.

Vers. 24. Effectum hujus dilectionis notatur.

Vers. 25. Effectum petitionis *Petri*.

Vers. 26. Interrogationis *Ioannis* effectum est indicatio; indicium vero describitur à relatione dandi, & accipiendi offam vino intinctam.

Vers. 27. Adjunctum acceptionis offæ est possessio Iudæ per Satanam: effectum Christi notatur, prædictio acceleratæ traditionis.

Vers. 28. Adjunctum hujus dicti Christi est, quod Apostoli ignorabant mentem Christi.

Vers. 29. Hæc ignoratio probatur suis effectis, nempe falsa verborum Christi intelligentia.

Vers. 30. Adjunctum hujus dicti in Iuda est, quod ilico proditionem Christi aggressus est; qui adjuncto tempore declaratur duplici, postquam offam accepisset, & cum jam nox esset.

Vers. 31, 32. Effectum passionis Christi gloria Dei per Christum: glorificandi autem Dei per Christum effectum est gloria Christi; quæ suo efficiente Deo, & adjuncto tempore arguitur.

Videtur cœna Domini præcessisse ordine lotionem pedum: nam cum panis cœnæ porrectus sit ante cœnam finitam, necesse est ut calix qui à cœna præbitus est, continenter panis dationem sequi. Cum igitur lotio pedum, cœna peracta, facta sit, lotionem illam cœnam dominicam subsequutam esse necesse: Alioqui aliquod magnum intervallum intervenire necessum est inter panis & vini dominici præbitionem, quod est absurdum.

METAPHRASIS.

IOAN. 21. MATT. 21. LVC. 21. *HÆc cum dixisset, cumque adhuc in mensa accumbentes cibum caperent, Iesus Iudæ proditionem animo versans, intimis animæ suæ penetralibus commotior factus, dixit; tametsi tot indicia amoris & charitatis meæ erga domesticos meos extent quod illos una mensa spirituali, corporea pedum lotione & abstersione dignatus sum; & illorum erga me vicissim charitatis signa appareant, tamen quod vobis incredibile videri potest, sanctissime vobis affirmo, esse ex vobis ipsis unum, qui me*
MATT. 22. *proditurus est. Qua de re Apostoli graviter contristati, cœperunt invicem spectare & vultus intueri, si ex rubore aut pallore (ut cujusque ingenium fert) proditorem deprehendere possent, anxii admodum quis esset, de quo Christus hoc diceret. Quod cum mutua inspectione consequi non potuerunt, cœperunt singuli seorsim sciscitari à Christo, egone is sum, qui te sit traditurus: nec etenim ignorabant Christi flammantes oculos in illis pervidere & longe ante prospicere, quod ipsi in semetipsis persentiscere nequibant. Ad quos Iesus respondet:* MATT. 23.
qui manum suam meam in patinam infert (quemadmodum Psaltes vaticinatus est) ille me traditurus est. Atque hæc proditio illi ex voto MATT. 24.
cadet: nam ego, qui vere homo sum, quoad LVC. 22.
humanitatem ex hac vita commigraturus sum, quandoquidem ut ita fiat primum quidem à Deo ante jacta mundi fundamenta decretum est, deinde per Prophetas decantatissimum est: verum enimvero nihil proditori profuerit aut Dei decretum æternum, aut scripturam hoc suo tam nefario scelere impletam esse: nam illum tam gravis pœna & vindicta manet, ut (illum quod attinet) satius fuisset nunquam natum fuisse, quam pœnam subire, quæ illi parata est. Quinetiam Iudas traditor MATT. 25.
ne suo in sciscitando silentio se reliquis suspectum redderet, ad Christum dixit: An ego, Magister, is sum? Ad quem Iesus: omnino is es qui me traditurus est. Ex duodecim Aposto- IOHA. 23.
lis unus erat, qui quod eum præcipuo quodam & interiori amore Iesus complexus erat, in pectus Iesu (ut inter amicos fieri solet) recumbere solitus erat, quo commodius, si quid in aurem clam aliis dicendum erat, silentio acciperet. Huic Simon Petrus, Christi offensionem 24.
metuens, si Ioannis operam in retegenda proditione palam deposceret, nutu significavit, ut quis esset, quem Iesus designavit, sciscitaretur.
Quamobrem in pectus Iesu irruens discipulus 25.
ille dixit illi: Domine, dic quæso, quis est qui te prodet. Respondet Iesus is est, cui ego, tanquam 26.
amoris mei tesseram, offulam vino intinctam dedero: Quamobrem offulam intingens, eandem Iudæ Iscariotæ Simonis filio dedit. Qua amoris 27.
tessera, cum non omnino ad resipiscentiam proficeret, factum est ut Satanas majori quadam adhuc mensura, jus & potestatem in illum obtinuerit. Quamobrem cum eum Iesus in suscepto scelere obfirmatum probe nosset, sic illum affatus est: Novi equidem te in cepto scelere perstare, nec ullis rationibus (quæ variæ & multæ à me adhibitæ sunt) adduci posse, ut ab hoc facinore desistas: age igitur, quandoquidem ita vis, tempore passionis meæ à Deo prædicto jam appetente, quod facturus es, fac ocius. Hoc Iesu dictum, nemo ex illis 28.
qui

29. *qui mensæ accumbebant, intellexit. Quidam*
etenim ex his (quod Iudas crumenam gesta-
vit, ex qua sumptus pro communi omnium
Christi & duodecim convictu fiebant) existi-
mabant Iesum illi mandasse, ut illa coëmeret
quæ per universum Paschatis festum insu-
menda erant. Alii putabant edixisse illi Ie-
sum, ut aliquid in pauperes erogaret, quo faci-
30. *lius sumptus illius festi sustinerent. Iudas ve-*
ro accepta offula, ilico ad scelus hoc patran-
dum egressus, nec temporis incommoditate
(erat enim nox) adduci potuit, ut animo de-
31. *signatam proditionem retardare vellet. Egres-*
so jam ad proditionem procurandam Iuda, Ie-
sus liberius quam ante cum Apostolis agens,
illis dixit: prope adest, cum ego, quoad huma-
nitatem in ipsa crucis ignominiosa tolerantia,
Dei Filius declarabor, quod ipsum ad summam
32. *Dei gloriam cedet. Quod si Deus per me &*
crucem meam gloriam misericordiæ, justitiæ
& sapientiæ acquirat, Deus itidem me summa
gloria afficiet; idque gloriosa resurrectione,
ascensu & donorum Spiritus missione cito fa-
MARC.22. *ciet. Cum adhuc ita in cœna cibum caperent, ut jam jam Cœnam claudere parati essent, Iesus tesseram amoris sui discipulis, atque adeo omnibus in illum crediturus relinquere statuens, pane in manum suam accepto, Deo primum gratias egit, cum quod se unigenitum Filium morti pro electorum redemptione traditurus erat, tum quod panem instituisset, tanquam aptissimum organum virtute & operatione Sancti Spiritus, quo fidelium incepta jam ante cum Christo capite & membris invicem conjunctio & participatio, indies incrementum accipiat. Deinde precatus est, ut suam mortem & hoc panis organum fidelibus omnibus Deus ad illum finem, ad quem destinata sunt, salutaria esse velit. Hæc cum precatus fuerat, placentum quod in manu tenebat (ad fractionem quam ad sectionem accommodatius) fregit, hoc consilio, cum ut sanctissimi sui corporis attritionem ob oculos repræsentaret, tum vero ut diffractum distribueretur: diffractum discipulis dedit, dicens: hic panis me totum hominem corpus simul ac animam vobis repræsentat, cujus fractio mei attritionem, distributio mei vobiscum communicationem designat: hunc panem manu accipite & manducate, corpus vero fide. Hoc quotiescumque feceritis (quod sæpius facere æquum est, si gratos vos erga me præstare velitis) gratam & memorem amoris mei in vos & ex acerbissima*
LVC.20. *morte crucis recordationem facitote. Finita jam cœna, ut prius (de more) panem, sic calicem vino repletum in manum accepit, & postquam analogice (ut supra) simul & gratias egisset & precatus esset, dixit vinum hoc calice conclusum fœdus de peccatorum remissione vobiscum depactum, quod in sanguinis mei effusione tantummodo stabilitatem & firmitatem habet, vobis obsignabit; nec vobis modo,*
sed multis aliis. Ex hoc igitur vino sanguinem MATT.28.
vera fide haurite, ex eoque in manum accepto
vos omnes bibere jubeo: sicut autem omnes MARC.23.
prius ex porrecto pane comederunt, sic ad
unum omnes ex uno calice biberunt. Hæc vos MARC.25.
tanto altius intimis animi vestri penetralibus recondere decet, quod deinceps vobiscum ex hoc genere vini (quoad vitæ fovendæ necessitatem) non bibam: donec in glorioso regno meo hilaria vobiscum agens, pleno gaudio perfusus fuero, uti hic in terris fieri solet, cum inter convivandum largius vinum bibitur.

PRAXIS.

DE *Cœna Domini περικοπὴν, quæ videtur huc ex* Luca *præsertim adducenda, pete aliunde.*

Indefinitum proditoris indicium & Apostolorum disquisitio, tametsi apud *Matthæum* præmittuntur institutioni Cœnæ Dominicæ, post cœnam tamen gesta esse ex *Lucæ* 22,21. liquet; qui ordinem, quo quidque gestum est, accuratius persequitur: atque ob eam forte causam hoc loco à *Matthæo* inseruntur, ut causam aperiat, cur Christus in legatione ad parandum Pascha occultius egerit, & illius nomen cælaverit, ad quem duos Discipulos *Petrum* & *Iohannem* mittebat.

Summa vero est, I. Christo indefinite proditorem ex duodecim discipulis fore prædicente, discipulos, quis tandem is esset, disquisivisse. II. Retecto post diligentem disquisitionem proditore, proditionis eventum indicari.

Prioris membri *partes* sunt, { Christi de proditore ex duodecim indefinitum indicium. | Duodecim Apostolorum de ea re disquisitio. }

In priori parte ex *Iohan.*13,21. intelligi posset eum turbato spiritu hæc dixisse. Cum enim superius ex Iohanne constet, eum semel atque iterum proditoris sui meminisse, partim hac ipsa commemoratione, partim insequenti nunc prædictione commotus, videtur in hanc spiritus perturbationem incidisse: quod illum fecisse non tam sua calamitate & ærumnis, quas ipse ex illa proditio-

IOAN.21. *Christus ex Iudæ interitu turbatus.*

 ne

ne perpessurus esset, quam quod Iudas hoc modo periturus erat; declarat satis argumentum quod Iohannes sibi eo loco proponit, ut scilicet Christi incredibilem erga suos amorem ostenderet. Tametsi enim ad exitium æternum proprio Christi consilio & voluntate (quoad Deus erat) destinatus sit: tamen quoad Dei creatura erat, quoad ipse cũ herus, tum præceptor ejus erat, non potuit non in creaturæ, servi, discipuli, Apostolique sui, qui alios ab interitu servaret exitio non dolere, & graviter contristari. Hunc animũ fuisse in Samuele legimus, qui de Saule à Domino rejecto luxit. 1 *Sam.*15,35. Quod autẽ, *cap.* 16,1. à Domino reprehenditur; non ideo fit quod luctus ejus contra officium esset; sed quod in luctu & mœrore modum non adhibuit. Quod si quis cogitet, quod osculo Christum prodidit: atqui cœnæ participatio arctioris cujusdam conjunctionis tessera est, quam osculum olim erat: quod enim inter nos manuum junctio aut amplexus, illud olim osculum erat. de qua re vide prius.

Sequitur *pars altera* de disquisitione quis ille futurus esset:

Quæ *duplex* est, { Vna inter se. / Altera cum Christo.

Vers. 22. *Discipuli ex vultu proditorem dignoscere satagunt.*

Iohan. 13,22. Disquisitio inter discipulos notatur; dum dicitur eos se mutuo aspexisse, si forte alicujus ex eis conscientia Christi dicto tam vehementi perculsa crimen aut pallore, aut rubore vultus (ut fit) proderet. Sicut enim Salomon docet, stultum vel incessu suo suam sæpe stultitiam prodere: Sic etiam nonnunquam fit, ut in vultu signa quædam reæ conscientiæ appareant.

Mutua peccatorum inquisitio necessaria.

Ex quo illud intelligitur; nos debere invicem peccata, vel cum fiunt, vel cum facienda decernuntur, exquirere & veluti in terra defossa effodere & eruere, ut in lucem allata puniantur & qui deliquit ad frugem revocetur.

Ejus insigne exemplum in lege est; *Deut.* 21,1.*&c.* item *Gen.*37. Contra autẽ nequam Cain erat, qui dicebat se non esse fratris sui custodem. Apud nos tamen proditionis insimulantur, si qui alterius peccata & errores retegant, & probose Promotores appellantur, & gratiæ aucupes, *pickthancks.* Si tamen peccata latent, nec ad multorum aures pervenerunt, privatim admonendi sunt; nisi forte alterius incommodo silentium hoc sit. Cum autem ab omnibus hoc fieri debet, tum maxime ab Ecclesiæ presbyteris, qui [illegible] ad eam rem delecti sunt.

MATT. 22. *Sed accedente tristitia.*

*Matth.*26,22. Narratur eos, cum ex mutuo aspectu nihil de hac re (præsertim certi) elicere potuissent, ad Christum conversos, eum accessisse: sed accessisse tristes, Christum tam indigne ab his habendum & excipiendum esse, & extare inter eos, & in hoc amplissimo collegio eũ, qui tam nefario scelere se contaminaturus erat. Quo docemur, nos ad exquirenda & investiganda aliorum peccata tristes accedere oportere; non (ut sæpe fit) læti de fratris nostri casu. vide 1 *Cor.* 5. Quod si tristes esse debemus de crimine nondum admisso, sed deinceps patrando, quanto magis cum facinus patratur. Quin etiam Christum videmus mentione impuritatis Iudæ, & ejus ex impuritate perditionis, spiritu perturbatum fuisse.

Occulta peccati fraus.

Quod autem sibi probe conscii undecim, tamen in sua ipsorum conscientia non acquiescunt, sed porro à Christo certiores de ea reddi expetunt; In eo *primum* discimus quanta peccati fraus sit; quam furtim in nobis & clam delitescat; ut ne ipsi quidem sæpe nos explorantes & probe & diligenter pertentantes illud nosse possimus. Hinc est ut Apostolus dicat se sibi ipsi nullius erga Corinthios peccati conscium, non tamen ob idipsum justificari. Hinc etiam Propheta David seipsum his in quibus insimulatus erat, explorans; petit porro ab ipso Deo ut eum pertentet & probet. Hinc est quod *Ps.*19. ab arcanis suis peccatis liberari à Deo postulat: hominis enim cor mare profundum est, quod non tantum alii, sed nec ipse valde explorare & plene perceptum habere potest, sed Deus tantum. Tot enim hypocriseos & ignorationis involucris obducitur, ut sibi ipsi etiam non raro imponat. *Ier.*17,9,10.

Vnde omnes peccati opportunitates vitandæ.

Hinc docemur nobis ipsis diffidentes, omnes peccandi opportunitates & illectamenta declinare nos oportere. Tametsi enim adversus peccati aliquod certum genus probe muniti videmur, ut nullum inde casum pertimescamus: tamen meminerimus aliquam illius peccati scintillam in nobis latere posse, quæ in materiem aliquam seu cremium incurrens, istud incendat. Hinc est quod Iosephus noluit cum sua hera sermones ultra citraque conferre, veritus ne ejus vultu & verbis insidiosis ad illud facinus patrandum perpelleretur, quod animus refugiebat.

Vers. 23. *Celati proditoris à Christo fructus.*

*Matth.*26,23. Christus aliis verbis rem eandem respondet quam prius indicarat. Quo docemur mirificam Christi fuisse in hoc scelere celando sapientiam. Videri potuit,

tuit, in reliquos diſcipulos injurioſus, qui ilico eos & à grandi ſollicitudine & timore, in quo verſabantur, & ab aliorũ ſuſpicione non liberat, proditoris indicio. Donec enim de proditore certo conſtabat, & ſinguli ſeipſos ſuſpicabantur, & ab aliis ſuſpecti eſſe poterãt. Sed hoc pacto voluit ſuos ad ſui ſubmiſſionem & humilitatem & ad charitatem in alios exercendam erudire, ut ſeipſos penitus explorarent & peccata ſua petractarent. Quare ſi quando in ſuſpicionem injuſtam veniamus patrati aut patrandi ſceleris, non eſt quod inique feramus; cum hoc Apoſtolis Chriſti obvenerit, aliiſque piis, ut ſanctiſſimæ virgini, quæ immerito ſuſpicionis nota ex adulterio laborabat. Hinc vero nobis hoc utile eſſe argumento eſt, quod Chriſtus in terris agens, qui eos illa ſuſpicione abſolvere potuit, non abſolvit tamen, quoad eorum aliquantiſper patientiam exercuiſſet. Quamobrem qui Ariolos & Aruſpices & Pythones adeunt, ut res arcanas & abditas perſcrutentur, præferuntque è re eſſe ut indicato flagitioſo reliqui innoxii pronuncientur, hinc facile refelluntur, quod illud ad tempus latere ex uſu piorum eſt.

Deus gradatim ſceleratos detegit.

Deinde hoc loco colligitur Deum gradatim ſceleratos in lucem & apertum educere hoc conſilio, ut ſe colligendo & ad Deum recipiendo, peccata quæ admiſerunt, quandoque penitus ſepeliantur, nec omnibus innoteſcant; certe quidem ut ſpatium reſipiſcentiæ habeant, nec in peccatis moriantur. Si enim Iudas hoc priore indicio reſipuiſſet, nunquam ejus proditio animo concepta, ad hominum notitiam perveniſſet. Sic fit ſæpius ut ſuſpicio ſceleris, quod latet, prius plures complexa, poſt in paucos recidat, deinceps in pauciores, tandem in ipſum ſceleratum, qui facinus patravit. Sic factum eſt in Achanis ſceleris inveſtigatione. Quoties ergo aliquis ſuſpectus flagitii certis teſtibus convinci & coargui nequit: tamen caveat ne hanc de ſe ſuſpicionem contemnat, quod nulli juſti teſtes extent, ſed potius Dei illa facilitate ad reſipiſcentiam ſeipſum excitet atque inſtiget.

Verſ 24. Chriſtus offendiculum in proditione dandum tollit: 1, à Decreto Dei:

Sicut autem prædictione proditionis, aliqua ex parte crucis ſcandalum depulit, nihil non ante cognitum & perceptum ſibi eventurum docens; ita aliis argumentis offenſionem, quæ inde pullulare poſſit, declinat. Nam illud inprimis ad conſolationem noſtram pertinet, quod molli abeundi verbo utitur, ſicut *Matth.* 17. ἔξοδος vocatur, & 24. & 2 *Cor.* 5. *depoſitio tabernaculi* appellatur mors, ſimilia vide *Ioh.* 5, 24. & 3, 16. Deinde, totum hoc non tam ex proditoris malitia, quam ex Dei ſapiente decreto (ut eſt apud *Lucam*,) & ipſius Scripturæ prædictione (ut eſt apud *Matth.* & *Marc.*) fieri confirmat. Videtur enim indignum, Dei filium à terræ Filio, pro ipſius arbitratu, & ad explendam ipſius avaritiam prodendum & crucifigendum eſſe. Vide *Act.* 4, 27, 28. Hinc igitur conſolationem habemus quoties veritatis cauſa aliquid indigni patimur. Sicut enim indignatio ingeneratur in animis noſtris, quoties ſcelerorum hoſtium malitiam ac perverſitatem intuemur, qua Eccleſia & pietas læditur, ita rurſus animos ad Dei decretum referentes, qui non niſi bona & Eccleſiæ ſalutaria decrevit, conſolationem accipimus, fore ut ex illo cœno Deus aurum ad ſui templi ædificationem ſit eruturus. Tametſi enim fluctus maris fremant, Eccleſiæ hoſtes tamen decretum Dei, tanquam littora quibus veluti clauſtris ac vectibus furor eorum cohibetur, non poſſunt tranſilire. Quod autem non ſcriptum tantum dicitur, ſed & definitum, id animadvertendum eſt, ne debita & juſta conſolatione privemur. Quamvis omnia facinora Eccleſiam vexantia non ſint ſcripta, ſunt tamen omnia Dei conſilio præfinita.

2. A pœna proditoris,

Aliud argumentum ad depellendum ſcandalum ex cruce oriundum, ducitur ab adjuncto ſupplicio proditoris, qui hanc injuriam filio Dei illatam non feret impune, ſed tam horrendo ſupplicio conſtringetur, ut cum illo bene actum fuiſſet, ſi nunquam natus fuiſſet: quaſi dicat; Si quidem Deus hoc ſcelus inultum pateretur, merito poſſet animos veſtros hæc ſuſpicio ſubire, me à Patre neglectum eſſe & non diligi: ſed, &c. Non igitur charitatem Dei in ſuos minuit, ſi quando in proditorum naſſas incidunt, atque ita in carnificum & tyrannorum exquiſitiſſima ſupplicia conjiciantur, ſi in ſpeluncis & carceribus tenebricoſis concludantur, ſi quæſtio de illis habeatur, ſi flammis denique crementur. Sed ſi tyranni, tortores, aliique carnifices impune hoc factitarent, tum demum Deum curam ſuorum abjeciſſe exiſtimandum eſſet. Quod nunquam accidiſſe experientia omnium ſeculorum clamat: ſimulque ſanguinem ſuorum ſibi pretioſum eſſe affirmat, *Pſal.* 116. Nam ſi lachrymas ſuorum in utre conſervat, ut authores lachrymarum ulciſcatur, *Pſal.* 56, 9. Quanto magis hoc faciet in effuſione ſanguinis eorum. Nos igi-

tur de ejus charitate certos esse decet, ut ut nequissimorum hominum injuriis divexemur. Quam care constitit Iudæis Christi sanguis, cum horrendo in Iudam & Pilatum judicio, tum tot annorum à regno Dei defectione; non ignoramus. Nec dubium est quin membrorum Christi sanguis pro ordine & loco, quem in corpore Ecclesiæ obtinent, Deo non minus charus sit. Vide exemplum Pharaonis & Ægyptiorum, Achitophelis, Herodis, *Actor*.21,21, &c. Vide historiam nostrorum temporum. Supplicium arguitur à comparato minoris: nam non fuisse præstiterit ei, quam tanto exitio devoveri. Quod cum dicit, multa complectitur quæ cogitando complecti quis possit. Ei enim non tantum non nasci bonum fuisset, sed quam citissime extingui; nunquam lucem aspexisse, genibus maternis exceptum esse, lac suxisse, crevisse, *Iob*. 3. Maxime vero Apostolum creari. Hæc enim omnia beneficia ad graviorem damnationem tantum illi profuerunt. Atque hæc est conditio reproborum omniũ, tametsi non tam horribili quam Iudas judicio opprimentur. Vnde est quod se à montibus operiri & obrui atterique optant, mortem appetunt, sed mors fugiet ab eis. Hinc est ille impiorum sensus, quo se non esse post mortem expetunt. Quod si pii hanc Dei iram gustant eo modo, *Iob*.1. & 3. in hos clamores erumpunt; quid impiis fiet, qui plenum haustum inde bibunt. Hoc nos admonere debet, ne quæstum ita vel injuste faciamus, voluptatibusve inserviamus, quæ post in illas nos angustias & cruciatus conjiciant, nobis ut hos clamores & ejulatus extorqueant; ô utinam nunquam natus fuissem! educatus, altus, &c. Si illis aut quæstu, aut libidinibus in nihilum redigendi forent, quis non illa adversaretur; jam vero cum eo homines adigunt, ut non esse optabile sit; nedum debent declinari. Contra vero perbeati pii, cum illis bene sit: & quidem summo gradu bene est, quod nati, quod educati, quod demum mortui sunt.

Propter decreti divini & Scripturæ impletionem non mitigata.

Simul etiam innuit Christus, nullam levationem ex Dei decreto, aut Scripturæ impletione, atque adeo electorum salute, quæ sine hac proditione nulla futura fuisset, ad Iudam accessuram. Quandoquidem nullo obsequendi Dei voluntati studio, sed cupiditatis suæ explendæ ergo scelus admisit. Quanquam hi, qui scelerum suorum pœnitudine ducuntur, ex Dei decreto & ordinatione administrationeque consolationem nonnullam accipiunt. Sic enim prorsus citatur Dei decretum & administratio à Iosepho, ut fratres, qui illum vendiderant, consolaretur.

Bonum quidem, Iudam natum, sed non illi bonum.

Quod etiam non dicit Christus bonum fuisse, si Iudas nunquam extitisset, sed bonum *illi* fuisse, ideo facit, ut Dei de hac re decretum à calumnia vindicaret. Quod certe Deo dignum non fuisset, si bonum non nasci Iudam extitisset. Bonum enim omnino erat divinæ gloriæ promovendæ, bonum Ecclesiæ servandæ, & informandæ cum doctrina quam proposuit, tum casu, quo nos ad cautionem instituit, ut nobis ab avaritia caveamus, qua Iudas tam horrendam damnationem contraxit. Illud igitur, velint nolint, ab illis exprimet Deus ut bonum fuerit cuique nasci. Alii etiam sua inde commoda percipiunt; discipulis etenim bono cedit, qui ab impio præceptore edocti sunt; filiis, qui à reprobo parente hæreditatem consequuti sunt aut ditati sunt. Danda igitur opera, *ne cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi simus*, 1 *Cor*.9,27. & ut non aliis solum, sed nobis etiam nasci bonum sit.

Vers.25. Iudæ impudentia & stupor.

In Iudæ interrogatione, notatur insignis impudentia & stupor. Sicut enim in cæteris laude dignum est, quod nullius rei sibi conscii in suo de se judicio non acquiescunt, nisi Christi de ea re sententiam acceperint, ita bruti cujusdam stuporis fuit, sibi conscium non intelligere Christum multo magis rem cognitam habuisse. Reliqui discipuli, tametsi ipsi nullius sibi mali conscii essent, certo tamen secum statuebant, Christum, quod illi in se pervidere nequibant, pervidisse. Hic autem ita obbrutescit, ut ne id quidem scire Christũ sibi penitus persuaserit, quod sibimet ipsi perceptum plene esset. Ad hanc autem interrogationem videtur quodammodo aliorum discipulorum exemplo compulsus, ne si cum reliqui omnes ut se purgarent audacter Christum, an ipsum prodituri essent, sciscitarentur, ipse taceret; reum se quodammodo fateretur. Audaciam autem addidit, quod tametsi Christum sciret hucusque pervenisse, ut unum ex duodecim sui proditorem futurum resciverit, tamen quis ille tandem esset forte nesciret. Deinde fretus Christi humanitate & facilitate, in animum sibi forte induxit, fore ut si Christus proditorem forte cognosceret, tamen ut jam aliquot dies fecerat, illud alios celaret. Ex quo illud intelligitur, quantam hominum oculis avaritia & pecuniæ cupiditas caliginem offuderit.

derit. Hic enim Christum Dei Filium esse, & verum Deum pernoverat, atque confessus erat, experientiaque didicerat nihil illum latuisse. Tamen studium pecuniæ & callus peccandi, quem contraxerat, oculos animi ejus ita confixerat, ut cum de peccato confitendo ageretur, non secus se cum Christo gerat, quam si cum puro homine commercium habuisset, ut non sine causa dictum sit, munus sapientum oculos occæcare. Hic enim probe olim sciebat & sapiebat hucusque, ut Christum cuncta perscrutari arcana non ignoraret: sed nunc, ubi captus est studio mercedis, illa omnis veluti evanuit scientia: ut non temere sæpius inculcandum sit, Deum nobis ante oculos semper proponendum esse, ut non peccemus.

In Christi responso declaratur ipsum certum hominem a se cognitum fuisse, quod item ad offensionem pellendam & diluendam referri oportet.

Alterius membri *partes* sut, { Retectio proditoris post diligentem disquisitionem. Eventus proditionis.

IOAN. 23. *Christi indicium à reliquis Discipulis non intellectum.* Hic primum *quæritur* quomodo in proditoris indagatione perseverent, cum Christus eum disertis verbis indicasset. *Respondendum* vel Christum submissa voce, veluti in aurem, Iudæ hoc dixisse; vel discipulos ita inter se tumultuatos de hac re, ut quid à Christo diceretur non attenderent. Quicquid sit, illud certe liquet, Christi consilium fuisse ita Iudæ conscientiam percellere, ut reliquos hoc celatum vellet. In quo admirabilem suavitatem & facilitatem Christi notare licet, qui tam ægre adductus est ut ejus proditionem nefandam patefaceret; ne facinoris pudore oppressus, periret. Quod nobis imitandum proponitur, qui si quid de fratre rescíscimus, dolore parturimus, quoad illud cum aliis communicaverimus. Simul etiam exemplum reliquit, quomodo in Ecclesiasticis censuris nobis procedendum sit, ut illos toleremus, quorum crimen nobis notum, aliis ignotum est.

Iterata Discipulorum inquisitio reprehensa. Quod discipuli à Christo nequaquam quod orabant exorantes de proditoris indicio, rursus ad illius investigationem redeunt, & qui prius ex vultu illud aucupabantur, nunc ex sermonibus inter se mutuis illud expiscari conantur; dubitationem movere potest, recte ne an secus hoc fecerint. Videri enim potuit hoc illis negatum esse, quandoquidem Christus hactenus hoc celavit; & quod à Christo cognoscere cupiunt, quod indicare noluit, reprehensione non caret. Videtur enim prorsus curiositatem nobis ingenitam resipere, qui meminisse debuimus his acquiescere, quæ Deus nobis revelavit. *Deuter. cap. 29, vers. 29.* Verum quidem est Deum aliquando nos aliquid celare ut nostræ in eo investigando industriæ periculum capiat. Quamobrem si tum in procinctu res non est, terram perfringere & veluti ex terræ cavernis effodiendo illam eruere par est. Si difficilior aliqua causa oriebatur in Iudæa vel in extimis Israëlis partibus, quam illius ditiones Iudices expedire & extricare non poterant, Hierosolyma adeunda erant, & consulendi hi qui in Repub. & Ecclesia præfuerunt, prout causa postulabat.

Quem diligebat Iesus] Laudatur in Scriptura amici usus, & amicitiæ vinculum, vel fratrum nexu obligatum, prædicatur. Vnde Christus ipse tametsi nullum non modo parem, sed ne cum illo vel minima ex parte comparandum haberet; noluit tamen hoc amici subsidio & consuetudine destitui. Et quidem prius 11. *Iohan.* accepimus eum Lazarum charum habuisse. Sed quoniam ille domi suæ hærebat, nec semper in promptu erat, quo cum consilia sua & mærores nonnunquam communicaret, voluit etiam inter domesticos amicum habere. Sicut enim Reges olim (ut ex historia sacra constat) unum aliquem habebant sibi adjunctum amicum, quocum se, defuncti gravioribus Reip. negotiis, oblectarent, arcana communicarent, quem gaudii & mæroris participem facerent, ita & Christus ipse certum ex suis amicum præ cæteris arctius astrinxerat sibi. Hic fuit Ioannes, qui duobus adjunctis amicitiæ notatur, amore interiore & singulari supra cæteros, & recubitu in ejus sinum; quod summæ familiaritatis & singularis cujusdam amoris indicium est. Vnde etiam notat conjunctionem uxoris cum viro. Hinc est quod illi præter cæteros arcana sua Christus, in libro Apocalypseos comprehensa, patefecit, quæ alios Apostolos celavit. Item quod huic tantum proditorem indicavit. Hoc igitur exemplo admonemur ut amicitiam colamus, & hoc vitæ subsidium comparemus. Nec tanti nos æstimemus, ut ipsi alterius non indigere existimemus. Neque est quod quenquam aspernemur, quod nobis inferior sit; siquidem in eo animadvertamus fidem & prudentiam, quæ ad colendam amicitiam apta sunt: Siquidem Christus non est dedignatus eundem & servum & amicum habere.

Amicitia in exemplo Christi laudata.

habere. Nec tamen propterea Christo tam submisse servire destitit, quam alii condiscipuli & conservi, & fraterne cum illis conversari.

Vers. 24. Eorum preces expetendæ qui Dei sunt amici, Petri exemplo,

Quod Petrus innuit Iohanni ut Christum interroget: docemur, ut quoties aliquid precibus apud Deum perficiendum erit, eorum potissimum hic in terris opem in precando appellemus, qui Deo magis conjuncti sunt, & Christi veluti amici. Hi sunt (ut *Ioan.* 3 *Matth.* 9.) Ministri pii, quorum oratio est efficacissima. Hinc est quod Abrahæ pro Abimelecho preces efficaces futuras prædicatur, quod esset Propheta *Genes.* 20, 7. Hinc est quod Martha dicebat, se non dubitasse, quin Christus, quicquid vellet, apud Deum precibus impetraret. *Ioh.* 11, 22. Nec tantum in verbi Ministris hoc verum comperitur, sed & in aliis Deo charis. Hinc enim est illud quod summa in impetrando difficultas, vel potius impetrationis τὸ ἀδύνατον ita notatur, cum dicitur, ne Iobum quidem, Mosem, Danielem, aut Samuelem exoraturos.

Iohannem sibi in amore prælatum agnoscentis:

Deinde Petrum ipsum testem produco majoris & interioris amoris erga Iohannem, quam erga se, adversus *Pontificios*, qui primatum in omnibus Petro tribuunt.

Quod *Ioannes* nomen suum subticet, de se loquens; modestiæ est: quam imitari debemus. Hinc etiam liquet licere hero servũ præ servo diligere, & parenti ex liberis aliquem præ cæteris charum habere, ut Iacobus Iosephum, siquidem majus virtutis & pietatis specimen appareat: non ut Isaacus Esavum amavit. Sed caute hic amor regendus est, ne flamma contentionis inde excitetur: in quo videtur Iacobus aliquantulum aberrasse.

Sed sine invidia.

Simul etiam *notandum*, Petrum eximiis dotibus præditum non indignatum esse condiscipulum suum sibi in hac amicitia & interiore familiaritate cum Christo prælatum esse: sed potius fructum inde percipit ut illius opera uteretur ad illa agnoscenda quæ cæteroquin occulta mansissent. Quod nos servos, condiscipulos, unius parentis liberos imitari oportet, ut alteri præstantioribus donis prædito, & magis in repub. aut Ecclesia gratioso non invideamus: sed illius potius operam imploremus, quo melius nobiscum, aut cum Rep. aut Ecclesia agatur.

Vers. 26. Christi erga proditorem facilitas.

Christus amici petitionem non repudiat, nec illum pudefacit: & ita tamen arcana sua communicat, ut interim Iudæ nullam injuriam faciat; nam nonnisi honesta ab amico petenda sunt; & secus petenti, quantumvis amico, resistendum est. Sed *notandum* est, quo indicio prodit proditorem. Non enim nomen ejus indicat, sed offa porrecta illum indicat. Quod quidem ob eam causam potissimum facit, ut suam erga proditorem & infensissimum hostem animi facilitatem & suavitatem declararet: eoque nos doceret, quo nos animo erga hostem & inimicum nostrum esse debemus. Perinde enim est ac si diceret: Hunc ego meum esse proditorem cognosco, cui tamen ita ex animo condono, ut illi etiam officium amici præstare velim, & animi mei erga illum amorem testari. Legimus Elizæum hostibus, qui illum ad mortem expetebant, eam gratiam præstitisse, ut cum illos à rege interficiendos vindicaverit, tum convivium apparari curaverit. Hinc Apostolus *Rom.* 12. hosti cibum præbendum monet, si esuriat; & potum, si sitiat. Christus autem Servator plus etiam præsterit. Nam non tam humanitatis officium Iudæ exhibuit, famelicum satiando, sed & amici officium præstitit, dum perinde hoc illi facit, quod nos solemus his, quibus vini calicem propinamus. Nisi igitur in hostes ita affecti simus, ut illorum bonum procuremus, Christi spiritus in nobis locum non habet. Amicos enim suos diligunt Turcæ, Iudæi, &c. quod tametsi laudi ducatur, Christiani tamen hæc laus propria non est, sed illa, si quis hostem amet, tametsi acerbissimum, tametsi indignissime nos odio prosequentem, qui in illum benefici & munifici extitimus. Nemo enim hostis perniciosior, quam Iudas, qui Christum prodebat & vitam illi eripuit; nemo indignior hostis, aut qui non pluribus à Christo beneficiis affectus fuerat, quam quibus nos quenquam ornemus, tametsi magnopere in illam partem elaboraremus. Nemo obfirmatior aut durior, ut qui petræ duritiem superavit, qui nulla Christi humanitate se vinci & emolliri passus est. Inter nos autem reperiuntur, qui non dubitant profiteri se illos amare nolle, qui se odio habent; se malum malo reposituros, atq; adeo duplicaturos: quod quid aliud est, quam profiteri, se non modo Christi exemplum imitari nolle, sed quod contrarium est amplecti velle. Alii autem sunt, qui cum se hominis Christiani nomen retinere non posse, intelligant, si tam contumeliose in Christi præcepta insurgant, dicunt illi quidem se inimicos diligere, sed dicunt modo, non factis exprimunt. Nec enim esurientem & sitientem reficiunt, nec inopi consilii consilium

lium dant: eoque quicquid aut prædicent, aut sibi de se persuadeant, inimicos odio habent. Alii autem sunt, qui usque eo procedunt, eos etiam ut juvare & illis benefacere parati sint. Si quidem re aliqua destituantur, quod illi suppeditare queant: sed tamen ut illis præbibant, ut illis de via decedant, ut caput aperiant, ut dextram porrigant, ut ad mensam accipiant, adduci nullo modo queunt. Atque Christus hucusque processit, quo nos pertingere debemus; si quidē Christi imitatores esse velimus. Simile quid Isaac Abimelecho fecit, a quo injuriam acceperat. Quid, quod Christus vel pedes hujus proditoris lavit. Sed hic valde fœcundi sumus & ingeniosi, ut nosipsos fallamus. Ne enim ab officio hic discedere putemur, dicimus non esse ex re inimici nostri ut hoc factitemus: illum enim hoc modo & his officiis deteriorem reddi, spiritus sumere, ad maleficia amplius accendi & incitari. Atqui Scriptura longe aliter docet, quæ lenitate & facilitate vinci malitiam docet. *Rom.* 12, 21. quæ molli & amica appellatione iræ duritiem frangi docet *Prov.* 15, 1. quod in Davidis & Iacobi exemplis erga Esavum & Saulem perspicue & clare cernitur. Sed fac illum hac tua felicitate abuti ad majorem improbitatem: tamen tibi hoc officium incumbit; nec tu in officio tuo deficere debes, quod inimicus tuus ab officio longius recedit. Cujus exemplum hoc loco singulare extat in Christo, qui cum Iudam novisset in deterius iturum, & hac sua humanitate abusurum ad malitiam; non tamen ideo hoc unguentum ab ejus capite inhibuit, aut hoc erga illum officii & familiaritatis desiderari passus est. Quanto magis hoc nobis præstandum erit, cum quem successum habiturum sit hoc nostrum officium, ignoremus. Atqui, inquit aliquis, ita serpentem in sinu nutrivero & propriam vitam prostituero; siquidem familiaritate erga illum uti cum officio conjunctum sit. Minime quidem illud. Nam si vitæ tuæ times ejus ad mensam tuam accessu, poteris usque eo ejus familiaritatem declinare. Si famæ tuæ ex eo times, poteris illam sermonis libertatem declinare, unde ipse ansam arripiat. Nec hoc loco dicitur ut illum consilii tui participem facias, aut interiore aliquo amicitiæ vinculo cum illo conjungas. Sed officia tamen humanitatis non detrectanda docet Christi erga proditorem tam nefarium facilitas.

Vers. 27. *Quos Satanas:* *Luc.* 22, 3. Hoc itidem de Iuda dicitur, satanam illum subiisse: quod igitur hoc loco subjungitur, satanam tum ingressum esse Iudam, non eo dicitur ut significetur eum post à Iuda egressum, nunc demum regredi, & eū occupare: sed eo indicatur satanam majorem tyrannidem in eum exercuisse, & eum magis ad sui obsequium redegisse quam antea. Alioqui enim sicut Spiritus Christi nunquam suos semel vocatos deserit, ita spiritus satanæ reprobos, quos à conceptu subit, nunquam ad extremum spiritum relinquit. Et ut pii Spiritum Christi indies imbibunt, eoque augentur: Sic reprobi spiritu satanæ in dies farciuntur & replentur. Quid vero hæc loquendi forma velit, vide superius. Quod si quæratur quo modo Euangelista noverat satanam tum Iudam ingressum esse, cum Satanas spiritus insensibilis sit: illud *versu* 30. expeditur, ab effectis nempe quod ilico scelus hoc patrare aggressus sit, eoque a Christo & consortio discipulorum egressus. Hoc igitur indicio nobis quoque innotescent, qui sint, qui diabolum hospitio accipiunt, eique apud se habitaculum præbent, illi portas omnes, valvas, atque adeo fenestras reserant. Nempe si qui sunt, qui de maleficiis admoniti nullis nec admonitionibus nec officiis humanitatis adduci possunt, ut à scelere suscepto desistant. Qui enim nullis officiorū vinculis nec admonitionibus se constringi patitur, ut aut in officio maneat, aut à suscepto & animo designato scelere desistat; eum satanico potius, quam humano spiritu duci recte existimaris. Maxime vero, si quo magis malitia ejus suavitate & facilitate oppugnatur, tanto se magis exerat & erumpat. Si cui igitur Christus in mensa panem & vinum dederit, qui hac tanta Christi suavitate & mansuetudine non flectitur, ut designatum animo scelus abjiciat, is certe ab accepto sacro pane multo erit, quam prius, deterior.

Satanam ingressum esse in Iudam quo modo Euangelista noverit, agat ex effectu patet.

Ὃ ποιεῖς ποίησον τάχιον.] Non jubet eum Christus ut aut scelus hoc patret, aut illud acceleret; sed cum ut Iudas sciret Christo perceptum fuisse, & quo studio & ardore patrare egressus sit; tum vero ut reliqui discipuli opportune & suo tempore idem intelligerent. Est igitur hæc non Christi jussio, sed prædictio potius ejus quod futurum cognovit: non absimilis locutioni qua usus est Deus ab Balaamum, cum negata ei facultate adeundi Balacum post dixit, ito: ac si diceret, scio te captum dulcedine præmii iturum, quicquid ego tibi impero; ergo pergas: item similis est Micheæ Prophetæ dictio

Verba Christi ad Iudam non mandatum, sed prædictionem continent.

ad Achabum; ito, inquit, ad prælium contra Syros; quasi diceret, scio te iturum, quicquid ego contra tibi in nomine Domini mandavero. Sed hic *quærat* quis cur non Christus eum proditionis admonet, eumque partim comminationibus, partim promissionibus à suscepto scelere arcet. Videtur enim parum officiose fecisse, qui alteri, Iohanni scilicet, illud aperit, priusquam Iudam privatim admonuisset. Deinde cum jam illum Iohanni indicasset, cur non eum, adhibito teste suæ improbitatis arguit. *Responsio* est nihil hic iniqui aut contra superiora documenta sua à Christo fieri. Cum enim porcum hunc sciebat esse & canem, margaritæ admonitionum non erant illi projiciendæ. Sed sequutus est illud Iohannis, *qui sordescit sordescat adhuc*: maxime quod intellexerat sua facilitate & mansuetudine non fuisse mitigatum. Ex quo colligitur quanti beneficii sit de peccatis corripi, quod tantisper dum Deus nos admonet spes salutis est.

Vers. 28, 29.
Discipulorum simplicitas non nimis suspiciosa.

Quod suspicantur Discipuli quidvis potius, quam quod res erat; exemplum habet illius simplicitatis, quæ pios docet, ne nimium suspiciosi sint. Quandoquidem nondum illis innotuerat (si Iohanne unum excipias) quis Christum proditurus erat. Recte faciunt, qui nihil ante tempus judicant: sed quidvis potius significari putant, quam ut animum suum ingrediatur suspicio de Iudæ scelere. Omninoque præstabilius est ut divinando erremus, quam sine justa & debita causa de alterius scelere suspicionem, utcumque veram, admittamus. Deinde percipimus Iohannem officium amici coluisse dum arcanum hoc illi in aurem dictum non indicat Petro, qui hoc scire cupiebat.

Vers. 30.
Iudæ rabies ab adjuncto temporis amplificata.

Superiore sermone, *fac cito*, Iudæ rabies accensa videtur; ut qui probe norit Christum hoc de sui proditione designata animo loquutum esse: adjectumque est, ut diaboli in Iuda vehementem impressionem indicaret Euangelista, dum tempore ad quietem destinato & commodo nequitiam hanc patrat, neque aut jactura quietis & somni hominum lassis corporibus reficiendis accommodati, neque molestia itineris & noctis cum frigore, tum caligine, à suo scelere retardatur. Hinc est illud in *Prov*.4,16. improbos somnum non capere, nisi iniquitatem patraverint. Sensus autem est majore eos duci cupiditate peccandi quam somni; qui tamen omnibus noctu jucundus est. Hinc etiam fit ut dicantur sitire peccatum & sitibundos esse in peccando. *Ier*.2,25. Cujus exemplum extat in *Actis* eorum, qui voto se constrinxerant non prius se esuros, aut bibituros, quam homicidium perpetrassent. Hinc igitur deprehenditur quid de nobis ipsis sentiendum; siquidem potando, saltando noctes integras transegerimus. Simul etiam docemur quid contra faciant, qui Spiritu Dei regeniti sunt: scilicet ad pietatem promovendam paratos esse, ut somni & cibi obliviscantur. Vide exemplum in Davide *Psal*.132. vide Esræ & Nehemiæ exemplum; item Christi Servatoris *Ioha*.4,32,34.

Impii noctem & tenebras amant.

Deinde considerandum etiam est illum nocte ad quietem concessa & ad peccata, quæ interdiu admissa sunt, excutienda accommodata *Psal*.16,7. abuti ad sceleris perpetrationem, ut noctis beneficio occultus delitescat. Vnde dicitur *Iob*.24,13,*&c.* impios in lucem conscientiæ suæ rebelles esse. *&* 16,17. lucem diei non agnoscere aut probare, quæ illis instar umbræ mortis est. Sed meminisse oportebat quod *Psal*.139. dicitur, diem & noctem perinde esse apud Deum; tenebras Deo non esse tenebras. Deinde lucem conscientiæ, maxime Euangelii, multis parasangis solis luce clariorem, non occumbere, sed nobiscum pariter in lecto velut cubare, ut ejus radios effugere nequeamus. Illa autem lux te coram tristiore & severiore tribunali sistit, quam lux solis possit; lictoremque conscientiæ nostræ acerbiorem principis lictoribus, ut violentas manus sæpe efficiat sibi inferre hominem. Si igitur filios lucis nos esse profitemur, ut filii lucis ambulemus; nec quidquam suscipiamus cujus nollemus Deum ipsum & pios sanctosque Angelos inspectores esse.

Vers. 31.
Mors Christi gloriosa Christo.

Hactenus de proditionis diligenti investigatione dictum est: jam de proditionis eventu dicendum. In quo primum *notandum* est Christum liberius jam post exitum Iudæ de sua morte loqui & de mortis suæ gloria, quam cælaverat Iudam: ne si intellexisset mortem Christi sibi gloriæ futuram à proditionis instituto desisteret, ut qui Christi gloriam & Dei oppugnaret. Mortem vero ipsam cum prius *Luc. cap*.9, *vers*.31. Exodum & transitum mollioribus appellasset nominibus: hoc loco eam, hominum judicio ignominiæ & contemptus plenam, gloriosam fore notat: eoque *Iohan. cap*. 5, *vers*. 14. *&* 12,32. dicitur exaltandus & in altum tollendus morte sua. Hinc etiam Pauli *Colloss*.2,15. palam triumphasse in cruce dicitur,

& copias

& copias inferorum & imperatores tenebrarum quasi currui suo triumphali alligatos palam traduxisse. Sic spineam coronam Salomonis diademate, quod illi mater aptari curavit, ut nuptiarum die capiti ejus imponeret, pluris æstimavit: sic colaphos quibus cæsus est inauribus pretiosiores duxit: vibices ex flagris contractas veluti bracteolas, vulnera & clavorum vestigia veluti gemmas & uniones, sputum quo conspuebatur veluti unguentum pretiosissimum. Crucem ipsam veluti solium regale. Nam his omnibus acerbissimis perpessionibus insignis illius obedientia, amor in fratres, infinita patientia, infinita fortitudo & virtus animi ita in illo reluxit, ut nunquam magis; merito ut inde gloriosam mortem suam esse dixerit. Quod si Christus in propria morte sibi gloriandum esse duxit: næ nos multo magis debemus. *Galat.6,14. Absit mihi gloriari nisi in morte Domini nostri Iesu Christi.* Non igitur nos pudeat coram omnibus confiteri Christum crucifixum.

Vt & mors piorum piis gloriosa est. Quod etiam de piis pro mensura donorum, quæ acceperunt,& pro ordine & loco, quem in corpore Ecclesiæ obtinent, verum est, eorum etiam mortem & perpessiones, quas veritatis ergo perferunt,tanto esse gloriosiores, quanto hominum judicio viliores & pudendæ magis existimantur. *Psalm.116. pretiosa est coram Deo mors sanctorum.* Vide *Galat. cap. 6. vers.* 17. ubi Apostolus gloriatur se stigmaticum compunctum esse. *Item. 2 Corinth.* 12, 9, *&c.* Piorum igitur compedes veluti periscelides sunt nobilium virorum; armillæ sunt, ligamina quibus manus eorum colligantur: capistrum quo suffocantur, torquis est aurei instar: ignis quo cremantur, veluti igneus carrus,in quo cum summo triumpho in cœlum subvehuntur: ipsi persequutores veluti humeri sunt, quibus in altum attolluntur, aut veluti stapes quo quis equum conscendit. Nam cum nobis cum Deo pax sit, nihil est in tota terra quod nobis aut obesse, aut non etiam prodesse possit. Hinc afflictiones nostræ comparantur cum cursu in stadio Theatrali, cui corona proposita est.

Mors Christi etiam Deo gloriosa. Alterum effectum seu eventus proditionis hujus est Dei gloria,quæ ex Christi morte & perpessionibus redundat. Vnde fit ut passio ipsa Christi gloriosa sit. Nam utcumq; hominibus ingloria fuit Christi crux, tamen Deo gloriosa erat, & Deo gloriam summam peperit. Ob hanc causam dicitur *Iohan.*12, 28. *Pater, glorifica nomen tuum.* Cum enim oblivio ad momentum Christum acceperat angoris & animi incomparabilis mæstitiæ sensu, quo penitus ad tempus attonitus est, & obstupuit, postquam mortem deprecatus fuisset, statim ad se rediens & seipsum retexens, ait, Pater glorifica nomen tuum. Hic doce quomodo Deus glorificatus sit, Christi morte scilicet; quod hoc modo infinita ejus dilectio & misericordia, infinita justitia & sapientia ejus enituit, dum suos ita dilexit, ut unigenitum filium illis liberandis dederit, dum eos quidem quos dilexit, nollet servatos, nisi dissoluto pretio è damnatione eriperet. Denique dum eam rationem invenit in filio, qua de peccatis nostris ultionem sumens, nos tamen servaret; & simul justus & misericors in una eademque actione existeret,quod hominibus τῶν ἀδυνάτων est.Hic non erit alienum cujusdam regis mentionem facere, qui lege caverat de configendis utrisque ejus oculis, qui adulterium committeret. Quam legem cum filius transgressus fuisset, sibi ipsi unum oculum, filio alterum configi curavit. Quo facto nec plene justus, nec misericors evasit.

Hoc idem de piis etiam vere affirmari potest quorum afflictionibus & morte Deus glorificatur. *Iohan.* 21,29. *Phil.* 1,20. hoc nobis stimulos addat ad patienter & æque ferendam crucem, quod sciamus Deum hoc modo magni fieri & gloriam acquirere.Cum enim indignæ sunt, quæ Dei nomen amplificando inserviant, hac gratia donatæ & dignatæ, ut ad Dei gloriam referantur, nobis facem adjungant, qua illas prompte subeamus & sustineamus fortiter. Si cui rex ita fidat ut suum illi honorem tuendum & propugnandum committat, is se beatum putat: dubitari certe nequit, si cui regium diadema asservandum tradatur, anne is summo loco habeatur. Sic illis fit qui virtutis causa aliquid patiuntur; quodammodo enim illis Christi veluti corona tuenda & propugnanda traditur.Et quidem reges hac propugnatione egent: Deus non item. Summæ laudi datur Davidi, quod bella Domini depugnavit. Hæc autem bella sunt longe clarissima.Gloria autem Dei est,si qui cum eo studio & fervore defendunt, ut quidvis potius perpeti parati sint,quam nota infamiæ Deo aut religioni adhæreat: gloria imperatoris est, si milites stationem datam servent, & mortem fugæ inhonestæ præferant. Nedum cum patriam referunt, quod tum fit, cum veritatis *Vt & mors piorum.*

causa tolluntur. Sic enim in Apocalypsi victoria constituitur esse, quod interfecti sunt. Hinc etiam est quod ad prædicandum Davidis regnum tot viri recensentur, quorum opera in bello nobilitatus est rex.

Vers. 32. *Christus à Patre glorificandus; ut & pii.* Post sequitur filium à patre glorificatum iri: quod factum est signis & prodigiis in cruce, gloriosa & præpotenti resurrectione, ascensu & Spiritus effusione, unde nomen Christi per totum orbem increbuit & splendorem acquisivit, ut *Phil* 2. patet; quod ipsum etiam nobis obveniet. *Honorantes enim me honorabo*, inquit Dominus, 1 *Sam.cap.*2,30. Hinc in Apocalypsi stolis albis induuntur qui ex maximis afflictionibus emerserant. Hinc *Apoc.*2,& 3. tot prœmia proponuntur victoribus. Si igitur homines pro his vitæ periculum suscipiunt, qui aut nolunt sæpe aut non possunt præmium illis reddere, nedum nos pro eo, qui & velit promptissime & possit splendidissime, debemus. Quin etiam sæpe fit, ut illi pugna cadentes non possint hoc honore frui.

Per seipsum glorificabit.] Ante enim Deus eum per hostium manus glorificaverat; quandoquidem omnem illam ignominiam ad filii sui gloriam convertit; sed glorificabitur etiam per seipsum; hoc ipsum etiam de piis omnibus vere enuntiatur.

Εὐθὺς.] Passiones enim sequuta est gloria. 1 *Pet.*1,21. quin etiam in ipsa passione eum glorificavit. *Apoc.* 14, 13. *Beati qui moriuntur in Domino à modo.* Sic videmus in piis, quos singularis prudentia, constantia, eloquentia admirabiles facit; aliquando etiam alias notas gloriæ illis imprimit, ut in Stephano cujus facies resplendebat; item in Daniele & tribus ejus fratribus. Principes cunctantur sæpe, & honores compensationum differunt: Deus vero compensationem accelerat.

IOHAN. *cap.* 13, *à vers.* 33, *ad finem Capitis.*

33 Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me: sed sicut dixi Iudæis; Quo ego vado, vos non potestis venire: ita *& vobis nunc dico.*

34 Præceptum novum do vobis; Vt alii alios diligatis: sicut, inquam, *dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii alios.*

35 Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.

36 Dicit ei Simon Petrus; Domine, quo abis? Respondit ei IESVS; Quo abeo, non potes me nunc sequi: postea vero sequeris me.

37 Dicit ei Petrus; Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te deponam.

38 Respondit ei IESVS; Animam tuam pro me depones? Amen amen dico tibi, non emittet vocem gallus donec ter me abnegaveris.

ANALYSIS.

Prædicit suum mox è mundo discessum ab adjuncta momentanea ejus cum illis (quod ad humanitatem spectat) præsentia; quod porro arguitur ab effecto, nempe quod discipuli eum requirent; deinde quo se recipiet describit ab adjuncto inaccessu per discipulos: quod pari illustratur, non magis quam Iudæi possunt accedere: aliud adjunctum discessionis est adhortatio ad discipulos.

Vers. 34. Subjectum adhortationis est ut mutuo se diligant; quod confirmat ab efficiente, nempe Christi mandato; quod mandatum adjuncto novitatis describitur: deinde comparatione paris hanc dilectionem illustrat, ut ipse dilexit eos.

*Vers.*35. Aliud argumentum ab adjuncto mutuæ dilectionis, quod sit nota, qua dignoscentur Christi discipuli.

Vers. 36. Illius sermonis, quo Christus dixit illos non posse sequi, quo ille iturus est, adjunctum est quæstio, quam Petrus movet; cujus effectum est responsio Christi, eum non posse adhuc sequi; quod suo diverso arguitur, quod deinceps sequetur.

Vers. 37. Cujus responsi effectum est alia quæstio, quam movet Petrus, cur non possit sequi: probat autem se (contra quod Christus affirmavit) eum sequuturum, ab adjuncto sequendi Christum, nempe animæ positione, ut illum sequatur.

Vers. 38. Hoc dictum Petri refellit Christus à comparatione minoris, non modo animam non pones, sed ne confiteberis quidem verbis; quod ab adverso confessionis arguit, nempe quod illum negaturus sit; quod amplificat duobus adjunctis, temporis perbrevis & numeri, nempe ter. Quod porro confirmat testimonio & repetitione asseverationis vehementis.

METAPHRASIS.

O Vos Apostoli, quos ego non minus chare complector, quam parens teneros ætate 33.
filios, superest tempus admodum breve, quo vobiscum

vobiscum quoad humanam naturam permansurus sum. Atque sic, ut non ita pridem obfirmatis Iudæis dixeram, me eo abire, quo ipsi pertingere nequibant, quod maximo, eoque perpetuo locorum intervallo, disjungendi essent: sic nunc (quamvis longe alio consilio & ratione) vobis dico, me à vobis (quoad humanam naturam) ad aliquod tempus dissociatum iri.
34. *Interea loci, quo facilius vos adversus absentiæ meæ mœrorem confirmetis, mandatum vobis mutuæ inter vos dilectionis do. Quod quidem, licet olim ab ipsis fere jactis mundi fundamentis patribus & piis omnibus datum à Deo & imperatum est: tamen cum meo exemplo, quod ego perfectissimum ante oculos vestros, præsertim meæ mortis perpessione, statuo, tum Spiritus mei liberaliori in vos effusione, non immerito novum appellarim. Quamobrem sicut ego ardentissime vos dilexi, usque eo, ut non dubitarim vitam meam crudelissimæ & amarissimæ morti exponere: ita & vos mutuo tam arcte diligere debetis, ut vel mortem (si usus sit) pro mutua salute oppetere debeatis.*
35. *Et hac veluti nota & insigni omnes, non fideles modo, sed etiam à repub. Dei alieni vos ab omnibus sectis & professionibus discipulos meos esse internoscent, si mutuam inter vos ex animo dilectionem colueritis.*
36. *Simon Petrus silentio transiens ad mutuam charitatem adhortationem, & verbis Christi de suo discessu insistens, dicit; Domine, quo vadis, quod nobis te sequendi facultatem adimis? Ad quem Iesus: Quo ego vado, tu in præsentiarum pervadere nequis, sed deinceps Spiritus Sancti donis liberalius perfusus, viribus ad me sequendum*
37. *instructus eris. Dicit ei Petrus: Domine, dic quæso, quid causa est, cur te non possim in præsentiarum sequi? ultimum, quod me in te sequendo impedit, discrimen, est mors: atqui vitam meam pro te deponere paratus sum.*

PRAXIS.

Summa, Christus generatim undecim discipulos de eorum post suum discessum conversatione instituens, idem institutum omnes informandi post in Petri persona persequitur.

Partes sunt, Discipulos undecim de ipsorum post suum discessum officio informans alloquitur, { Generatim omnes promiscue. / Speciatim, Petrũ.

In *priore parte* insunt: { Prædictio separationis suæ. / Præceptum de dilectione mutua.

Vers. 33. *Doloris Discipulorum, ex discessu Christi, gradus.* Prædicit discessum suum, quem illis gravem & acerbum fore præsensit, ne repentinus & improvisus eos plane opprimeret. Cujus quidem acerbitatis aliquot gradus & incrementa notat. Cum non tantum discessurum se, sed brevi discessurum confirmat, eoque discessurum, quo illi pertingere nequeant. Si enim Ecclesiam tam graviter affligebat & contristabatur, quod Pauli faciem non esset visura, nedum discipulos Christi ab illis discessus.

Utile aliquando carni ingrata audire. Hinc discimus nobis ex usu esse, ut ea sæpius audiamus, quæ carni ingrata & molesta sunt, ut adversus ingruentes tempestates nos comparemus, & ut diuturna meditatione doloris gravitatem dimitigemus. Qua prudentia utantur Ministri, quoties crucem & perpessiones omne genus ex verbo prædicant. Eoque ineptos esse auditores Philosophiæ Christianæ qui semper sibi jucunda prædicari, exoptant: qui semper Ministros sibi fistula canere expetunt, ut saltent. Hæc etiam causa assignatur imposturæ qua Achab deceptus est, quod non nisi illi grata & exoptata audire vellet.

Non eadem Christi à Iudæis & Discipulis separatio. Quod dicit eos se requisituros, nec tamen voto potituros, & non modo se ad eos non venturum; sed nec ipsos ad se pervenire posse, non magis quam impii Iudæi, quibus olim illud comminatus est: non ita accipi debet, ac si Christi præsentia aut illis perinde negata esset ac impiis Iudæis, aut eadem de causa; sed tantũ ut indicetur Christum quod ad corporis præsentiam attinet, tam à discipulis ad tempus, quam ab ipsis abfuturum. Alioqui enim, quod ad spirituale præsentiam, semper cum illis futurus erat usque ad mundi finem, & corporis præsentia ad tempus tantum dissociandus; cum, ut corpore, sic & Spiritus salutari & consolatoria præsentia à Iudæis in omne ævum removendus erat. Eisdem tamen verbis apud discipulos utitur, quibus olim iratus apud Iudæos usus est, ut discipulis omnem spem carnalis & corporalis præsentiæ præcideret. Hoc loco campus patet adversus *transsubstantiationem* & *consubstantiationem*. Nam eadem locorum distantia à piis corpus Christi removetur, qua ab impiis, quod non consisteret, si corpus Christi invisibile in pane manducaretur.

Futuræ vitæ beatitas. Hinc colligitur quam plenum beatitudinis & confertissimæ voluptatis cum Christo esse in cœlis. Si enim tam moleste & ægre Christus ab illis avulsus est, cum ejus gloria occultabatur, cumque quæ scintillæ in illo relucebant, à discipulis perspici non poterant; nedum illa erit perbeata conditio, cum ejus gloria patefacta, nostri oculi itidem, ut

illum intueantur, aperientur: ut non sine causa piorum in sequenti vita fœlicitas notetur in eorum cum Christo consortio. *Phil.* 1,23. & 1 *Thess.* 4,17.

Quomodo Discipuli Christum quæsituri. Quod autem dicit ζητήσετέ με, id intelligit quod *Luc.* 17,22. dicitur, *unum diem filii hominis videre expetetis, nec tamen videbitis.* Nec enim quærent illum, ut olim filii Prophetarum Eliam quærebant etiam assumptum in cœlum: sed sensus est, illos expetituros illam præsentiam, quam olim experti ab omnibus hostium impressionibus tuti & securi erant.

Cujus discessus amoris imminutionem non arguit. Τεκνία.] Acerbitatem prædictionis lenit blanda appellatione, qua testatur nullo eorum odio, fastidio, aut amoris refrigeratione se discessurum. Simulque ut indicet se longe alio animo hoc illis nunc dicere, quam olim Iudæis: eoque commoda & oblectamenta nostra non eo animo aut consilio Deum nobis substrahere, quod nos odio habeat, aut quod his nos non dignetur; sed illa nobis auferendo nos tamen arcte complecti, & non alio quam filiorum loco habere. Nec enim, cum parens filium suum à se ablegat, & à paternis ædibus procul removet, ubi delicate altus & educatus est, aut cum parens ipse peregre proficiscitur, hoc odio liberorum fieri existimandum est. Quod si substractione præsentiæ Christi nobis se infensum & inimicum non declarat, nedum divitiarum aut honoris imminutione. Deinde ad mutuam dilectionem adhortaturus, appellatione utitur charitatem suam quam maxime teneram testante.

Vers. 34. *Christus discessurus charitatem præcipit.* Sicut autem parentibus solemne est ut expiraturi, aut alias liberos relicturi, liberos advocent, illisque præcepta dent, quibus observandis bene illis sit: sic & Christus discipulis, quos plus quam paterno amore complexus est, præcepta dat jam discessurus. Cum autem multa essent præcipienda, tum hoc unum præcipue delegit de mutua inter eos charitate, quam præcipua quadam ratione illis commendavit, tanquam quod illis præsentia sua destituendis, summo cum adversus hostem præsidio, tum adversus mærorem consolationi foret. *Psalm.* 133. *Philip.* 2,12. Qua futuri erant instar triplicis funiculi, instar urbis bene compactæ & constructæ, instar membrorum corporis, quæ vinculis nexibusque inter se conjunguntur: duodecim enim Apostoli totum mundum Christo subjugarunt. vide 1 *Cor.* 13.

Quod præceptum, 1. quia exemplo suo renovatum & illustratum, novum vocat. Quod novum vocat præceptum, quod 1 *Ioan.* 2,7. vetus vocatur: id fit propter rationem subjectam, quod Christus hujus dilectionis exemplum dedisset & præceptum hoc plene & accurate obiisset: sicut & 1 *Iohan.* 2,8. expresse notatur hunc locum respiciendum. Hac enim impletione Christus præceptum hoc quodammodo renovavit. Nunquam enim ante ita à quoquam imperata est, ut ab eodem præstita sit. Hoc igitur præceptum mutuæ dilectionis in Christo novum præceptum; non quod aliquid in illo præcipiatur, quod prius præceptum non est; sed quod nunc exemplum perfectissimum hujus præcepti implendi ob oculos nobis statuitur, in quo planissime & lucidissime quid hoc præceptum à nobis exigat, intueri nobis licet. Prius enim nostra caligine, quæ nobis offusa est, veluti pulvere obductum & deformatum videri potuit. Nunc vero Christi exemplo coloribus vividissimis nobis ante oculos ita depingitur, ut illam oculis veluti cernere liceat. *Ephes.* 5,2. Sicut enim in legibus humanis fit, quæ pene exstinctæ & antiquatæ novis sanctionibus instaurantur, aut pulvere deformatæ altius æri inciduntur, ut post innotescant magis, & majorem autoritatem apud homines acquirant, &c. Sic, &c. Et quidem ante charitas proximi nobis tanquam scopus à Deo propositus minus cernebatur ab omnibus collimantibus: Nunc autem Christi exemplo clara & conspicua est, ut eam vel lusco cernere liceat. Vide 1 *Thess.* 4,9.

2. Quia novum etiam ratione facilitatis. Nec tantum novum est hoc præceptum claritatis & perspicuitatis ratione, sed est etiam novum facilitatis in præstando ratione: eoque *Iohannes* novum illud vocat, non tantum in Christo, sed novum etiam in nobis. Et *primum* quidem, quod Christi charitate lex charitatis pro nobis perfecte & accurate præstatur: ut, qui illud per nos implere nequibamus, in Christo expleamus. *Deinde* quod ejus charitate nobis Spiritus majore mensura subministratur, quam Patribus qui nos antecesserunt; Sicut igitur novæ leges & recens edita statuta diligentius exsequutioni mandantur, quam quæ jam vetustate exoluerunt: Sic etiam lex Charitatis in Christo instaurata, mirifice virtute Spiritus vires nostras auget ut fratres diligamus. Atque ut discipuli lectiones novas avidius ediscunt, quam illas, in quibus ad aliquod tempus occupati sunt: Sic nos istam nobis à Christo nova forma propositam debemus.

Neque

Quod & de reliquis præceptis dicendum.

Neque vero de hoc præcepto charitatis tantum vere affirmatur, illud novum esse; sed & de omnibus Dei præceptis; unde etiam 1 *Iohan. capite* 5. *minime gravia* appellantur. & *Matthæi* 11. *suave jugum* vocatur *& leve.*

Vnde charitatis requisitus in Christiano gradus colligitur.

Ex his liquet quales nos Charitate esse decet. Si Patres dilexerunt, nos amare debemus. Si illi amarunt, nos charitate ardere & flagrare oportet. Si illi charitate fratrum divitias & facultates profuderunt, nos vitam debemus. Si illi vitam suam amicorum causa profuderunt, nos inimicis gratiam debemus. Si denique illi vitam periculo exposuerunt, nos mille vitas (siquidem hoc fieri posset) profunderemus. Iam vero cum Patres in omnibus his officiis insignes extiterint, quales nos esse oportet charitate?

Vers. 35. *Charitatis vere fidelium insigne:*

Aliud argumentum ab adjuncto discipulorum, Christi insigni & nota, qua non tantum ab infidelibus, sed etiam ab hypocritis pietatem simulantibus distinguantur. Viri enim nobiles suos servos & satellites insigniore aliqua nota internosci volunt. Præceptores suos etiam discipulos & alumnos ab aliis aliqua nota discerni cupiunt: sic Christus Dominus & præceptor servos suos atque discipulos. 1 *Cor. cap.* 13. Non igitur satis fuerit ut Christus nos suos discipulos esse agnoscat, ut nos nosmet ejus discipulos cognoscamus, quod mutua charitate perficitur. 1 *Iohan. cap.* 2. Sed ut alii hoc intelligant, nec hi tantum, qui ejusdem fidei sunt participes, sed etiam infideles omnes. Neque enim fide innotescit an simus Dei cultores, & à Deo dilecti, nisi Deo tantum & nobis ipsis. Tametsi etiam multa sunt indicia externa, quibus quis arguatur Christianus esse, ut quod Conciones accedat, Sacramentorum particeps sit; tamen neque hoc apud infideles quidquam valet, & inter fideles non ita firmum est, ut in universum sine exceptione vim obtineat. Sed si quis mutuo amore fratrem quantumvis inimicum amet, certissimo indicio est eum esse Christianum. Hoc facilius intelligitur ex contrariis odii & inimicitiæ affectibus. Si enim quos viderint inter se digladiantes, qui eandem religionem profitentur, illico dicunt eam non esse veram religionem.

Iisque propria.

Hinc constat veram dilectionem duntaxat inter Christianos inclusam teneri. Videas quidem effectus in aliis, quos στοργὰς appellant; videas humanitatem, videas urbanitatem, videas denique compensationem: sed mutuam charitatem, quam Christus præcepit, non videas.

Hac quæstione Petrus & suam ignorantiam prodit & animum apertum & ingenuum, qui, quod nescit, se nescire profitetur: ignorantia liquet, quod locum quo concessurus esset Christus ignorat, nec ex veteri lege, nec ex Christi verbis *Iohan.* 7, 33. agnovit. Cujus rei procul dubio causa extitit figmentum opinionis de Christi in terris regno, quod, tanquam globuli plumbei palpebris animi appensi, eorum oculos in terram defixos tenebat, ne cœlum cogitarent. Omninoque existimandum est terrestrium rerum studium tanquam velum appensum esse, quo oculorum nostrorum acies perstringitur, ne quæ cœlestia sunt intueamur. Suntque tanquam λεπίδες & squamæ quibus veluti obstipantur animorum oculi. Vers. 36. *In Petri quæstione cernitur ejus ignorantia,*

Simplicitas, ingenuitas & candor apparet quod neque ad alienum & indignum Christo sensum hoc detorqueat, ut Iudæi *Ioan.* 7, 35, & 8, 22. nec suam ignorationem profiteri erubescat, sed discipuli germani animum retineat. Vide *Matth.* 13, 36. & 15, 15. ubi quærunt quæ ignorant. Et certe cum tantæ sint tenebræ humano ingenio offusæ, tamque recondita Euangelii mysteria; verendum ne pauci veri & germani Christi inveniantur discipuli, cum pauci sint, qui in religionis causa aliquid sciscitentur. *Ier.* 6, 16. maxime cum peregrini simus hic in terra, *Psal.* 119. cum desertum hujus mundi pertranseamus, ubi opus est nobis Hobabo qui viam nobis commonstret. *Et candor.*

Christus idem respondet quod prius, nisi quod illud aliquantum emolliat pollicitatione, fore ut tandem ad eum sit aggregandus: quod idem de reliquis intelligi debet. Hoc igitur nos confirmet quoties tædio absentiæ à Christo frangimur; maxime cum hic in mundo premimur: ut olim Elias, ut Ionas, ut Iob. Sic David confirmavit se adversus immaturam filii mortem. 2 *Sam.* 12. *Iob.* 19, 25, *&c.* Qui exules spe certa in patriam revertendi sustentantur, facilius exilii molestiam, & amicorum orbitatem ferunt. Deinde *notandum* Petrum nondum ad perferendam crucem satis instructum, ad illam sustinendam non vocari modo, sed porro ne veniat elaborari. Vide *Ioan.* 18, 8, 9. 1 *Corinth. cap.* 10. *vers.* 13. *Ad quam idem, sed addita promissione futuræ aggregationis, respondet Christus.*

Vers. 37. *In Petri iterata quæstione superbia.*

Petrus, cui bis Christus sequendi in præsentiarum facultatem negarat, in suo Christum sequendi studio persistit: suamque ad-

 versus

versus Christi claram sententiam, possibilem insequutionem esse probat argumento causæ, quod nulla causa subsit, quo minus hoc faciat. Quod etiam argumentum compendio majoris confirmat. Cum enim ne mors ipsa quidem illum possit impedire (ut qui eam oppetere pro Christo paratus sit) nedum amicorum aut facultatum jactura, aut denique, quicquid sit, eum impediat. In quo quicquid carni videatur, subest tamen superbiæ non obscurum vestigium. Debebat enim intelligere, Christo omnia melius perspecta & percepta esse, quam sibi: Christo nota fuisse quæque temporum momenta; Christum melius animum ipsius pernovisse quam ipse: simile quid prius vidimus. *Iohan. cap.* 13, *vers.* 8.

Pii sæpe in virium suarum æstimatione falluntur.

Hinc discimus sæpe pios sibi in virium suarum fiducia imponere, ut tametsi se adversus mortem probe munitos esse putent, non sint tamen. Vide exemplum Eliæ, qui sibi mortem expetens, post tamen objecto mortis periculo fuga sibi consulit. Gedeon etiam antequam egressus est ad bellum, probe signis & portentis armatus, post tamen cum ad castra ventum est, timere cœpit. *Iud.* 7. Quamobrem danda opera est, ut nosipsos diligenter excutiamus, pericula ob oculos proponamus, nostram ἀδυναμίαν pensitemus, Spiritum Christi petamus, cujus beneficio, quæ nobis à Deo dantur, pernoscamus. 1 *Cor.* 2, 12. Sicut enim in corpore obeso fit ut parum solidi roboris sit, quo quis fretus magnum aut iter conficiat, aut grave onus suscipiat, sic, &c. vel ut cuniculorum pinguedo prima quaque pluvia deteritur & abluitur, sic, &c. & ut ægroti plerumque plus initio sibi de suis viribus persuadent, sic, &c. Cor hominis profundum est, & multos recessus habet & latibula quæ rimanda sunt. Sæpe enim fit, ut aut plus nobis, quam accepimus, attribuamus, quod nos ad illa præcipites fert, quæ cum pudore & ignominia abjicere post cogimur; aut minus nobis inesse opinamur, quam veritas nos sentire patitur, quod nos segnes & languidos reddit, & à rebus præclaris suscipiendis nos avertit. Cujus rei infinita exempla in *Mose*, *Ieremia*, & aliis. Ergo precandum est ut σωφρονισμοῦ Spiritum accipiamus, quo nec nimium audeamus, nec in timore modum transeamus. 2 *Tim.* 1, 7.

LVC. *cap.* 22, *à vers.* 24, *ad* 31.

24 *Orta est autem etiam de hoc contentio inter eos, quis eorum videretur esse maximus.*

25 *Ipse vero dixit eis; Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas, benefici vocantur.*

26 *Vos autem non ita* estote: *sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui ductor est, sicut qui ministrat.*

27 *Nam uter major est, qui accumbit, an qui ministrat? nonne qui discumbit? At ego sum inter vos ut qui ministrat.*

28 *Vos autem ii estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

29 *Ego vero paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum.*

30 *Vt edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.*

Analysis & Metaphrasis *peti possunt partim ex* Matth. 20. *partim ex* Matth. 19. *& aliis locis.*

PRAXIS.

QVoniam similem historiam, *Matth.* 20, & *Marc.* 10. item *Matth.* 18. *Marc.* 9, *&c.* habuimus; unde petenda sunt, quæ ad hujus historiæ tractationem attinent: hic illa modo adnotabo, quæ hujus loci propria videntur.

Vers. 24. *Lapsus in peccatum, unde quis liberatus est, gravis: sed tamen remissibilis.*

Hic primum occurrit quod in idem peccatum ambitionis recidunt, cujus ante convicti simul & correpti, pœnitudine (procul dubio) ducebantur. Tametsi igitur (ut in morbis recidivis) magnum periculum sit, cum quis ad pristinum, unde semel liberatus est, peccatum prolabitur; tamen tales peccatores non sunt venia peccatorum excludendi. Succurrat enim promissio divina: *Quandocumque peccator pœnitudine ductus, ad Deum conversus fuerit, omnium ejus peccatorum non recordabor amplius*, *Ezech.* 18.

Succurrat exemplū Ionæ; & hoc exemplum Apoſtolorum, qui jam tertio hanc litem agitaverunt. Vbi tamen prætereundum non eſt, ſingulari cautione providendum, ne ſpe veniam conſequendi quiſquam vetera ſua peccata repetat. Hæc enim doctrina illis quam maxime proponenda eſt, qui incauti & per imprudentiam impingunt. Huc accedit quod communi totius gentis errore decepti de regno terreno, in hanc litem inciderunt.

Intempeſtiva Diſcipulorum contentio.

In omnibus autem locis, ubi hæc lis mota eſt, continenter præceſſit ſermo Chriſti de ſua cruce: ut hæc contentio nunquam non odioſa, his temporibus maxime intempeſtiva & importuna fuerit. Hoc etiam tempore, tanto magis abſurda, quoad ſuam paſſionem intra duos dies futuram prædixerat, & ſe ad ſepulturæ præludium ſemel atque iterum unctum fuiſſe teſtatus fuerat. Maxime vero quod ilico poſt cœnam Dominicam ſigillum mutuæ charitatis in hanc litem inciderunt. Huc acceſſit quod ex illis unum proditorem fore indicarat. Quæ una cogitatio illos debebat ad luctum & mærorem potius revocare, quam hanc de dominatu diſceptationem in animis eorum ciere. Denique quod eorum pedes lavans & abſtergens, ſe ad tam humile & abjectum Mediaſtini opus demiſiſſet: illos admonere debebat ne hæc honoris captatio vel per ſomnium illorum mentem ſubiret.

Naturæ noſtræ perverſitas.

Mira igitur & plane incredibilis naturæ noſtræ perverſitas, tanto ferventius nobis vetita perſequentis, quanto vehementius ad illa, quæ præcepta nobis incumbunt, urgemur: adeo ut (niſi malitia & voluntaria quædam contumacia abeſſet) in id crimen incidiſſent Apoſtoli, cujus Iudæi inſimulantur, apud *Eſai.*22,12,13,14. Vna quoque emergit, quam alienum animum à cruce (quæ tamen piis omnibus ſubeunda eſt) geramus, ut ejus vel ſola mentione ad illa, quæ illi prorſus adverſa ſunt, animum referamus. Quamobrem Deus nobis ſedulo & aſſidue comprecandus eſt, ut nobis animum ſubmiſſum & ſubactum concedat, quo ad omnia ſuſtinendum animati & armati ſimus, ut ſive nobis Deus ad arandum, triturandum, ad occandum, ſive ad equitandum uti velit, nos illi quam promptiſſime in obſequium tradamus.

Verſ.25. *Regum eſt munificentia, non miniſtrorum Euangelii.*

Quod dicit Principum & Regum eſſe ut munifici ſint & appellentur, alludit ad Epithetum quod olim quibuſdam Regibus, præſertim Ægyptiis, attribuebatur, & in univerſum omnibus (quoad illorum vectigalia ferunt) competit. Nec enim ſatis eſt, ſi liberales ſint, quod à vulgo exigitur, niſi etiam munifici ſint. Vide exemplum Reginæ Sabæ & Salomonis 1 *Reg.*10. Iam vero quod dicit hoc Miniſtrorum Euangelii non eſſe, ut ita aut appellentur aut ſint, eorum errorem coarguit, qui dicunt Epiſcopos magnis vectigalibus & latiſundiis inſtrui oportere, quibus munificentiam exerceant. Neque juvat eos, quod Apoſtolus illos hoſpitales eſſe oportere docet; quandoquidem hoſpitales in ſumma paupertate eſſe poſſunt; dummodo animum intus gerant ad hoſpites excipiendum promptum & alacrem.

Verſ.28. *Regnum æternum in tentatione perſeverantibus datur.*

Occupantibus illis à diſparatis, indignum fore ſi illos abſque munere & honore dimittat, qui illi conſtanter adhæſerunt: ſubjectione reſpondet, illos plus habituros, quam de quo contendebant, nempe regnum, non tantum in regno præfecturam. Regnum vero intelligit non terrenum, ſed quod eſt in cœlis: una quoque notat neceſſarium & inſeparabile adjunctum hujus regni, ſcilicet quod Chriſto ſe in ejus tentationibus conſociantes ab illo non deſciverant. *Si enim cum illo compatimur, cum illo una regnabimus.* Illi adfuerant etiam cum in monte glorioſus erat: ſed inde non petitur fidei & conſtantiæ argumentum: quandoquidem omnes ſecundis Euangelii Chriſti temporibus Chriſto libenter adhærent; vel potius proſperitati, qua Euangelii beneficio fruuntur. Deinde non quia participes facti ſunt tentationum Chriſti, regiam dignitatem conſequentur; niſi in ſuſcepta communicatione perſtiterint.

Verſ.29. *Dei benignitas nobiſcum paciſcentis.*

Confirmat Apoſtolos de regno, quod illis daturus eſt, à teſtimonio pacti & fœderis, quod cum illis paciſcitur. In quo mira Dei benignitas ſe prodit, qui liberrimus ſuam tamen fidem obſtringit ad tantam & tam imparem noſtro obſequio (ſi ita loqui licet) compenſationem. Regi deſervientes pro ſua compenſatione à Regum arbitratu ſuſpenſi tenentur; qui iniquiſſime ferunt, ſi quis ex ſuis Aulicis de ſua mercede & compenſatione cum illo paciſci velit. Deus tamen, cujus unius imperium merum & abſolutum eſt, cum ſuis ſervis paciſci, etiam infimis, non dedignatur: Cui tamen *Pontificii* malam gratiam reponunt, dum ex hoc pacto, quod gratuitum eſt, debitum & meritum commiſcuntur.

Regum ſu-

Hoc regnum amplificat à comparatione

periam

delibus dandum amplificatur. parium quod si tale regnum, quale Deus Filio dilectionis dare paciscitur: unde etiam illud est. *Rom.8. hæredes Dei, cohæredes Christi:* ut tam late patet regnum, cujus hæredes sumus, quam late pateat Christi regnum, quod ad ultimos terræ fines diffusum ad summos etiam cœlos extenditur: non tamen pari jure, quia ipse est natura hæres, nos vero per adoptionem; ipse per se, nos vero per illum.

Vers. 30. *Describiturque ab ejusdem mensæ cum Christo participatione:* Deinde hoc regnum, quod nos manet, ab adjunctis duobus describitur. Quorum *prius* est, quod ejusdem cum Christo mensæ in cœlis participes erimus: non quod corporeus aliquis cibus in cœlis adhibeatur, ubi nulla fames, nulla sitis futura sit; sed quod hac formula loquendi incredibilem, quam percepturi sunt, voluptatem, adumbrare voluit regia mensa, quæ omnibus deliciis instructissima esse solet: præterquam quod hoc modo honorem summum, quem illis habiturus est, subindicare voluit. Notum enim est summo honori datum esse olim, si quis ad Regiam mensam ordinarius conviva admissus est; ut ex historia Mephiboseti & Barzillæ liquido constat. Reges terreni, Persiæ præsertim, nullum ad suam mensam facile admittunt. Quo major est Christi charitas erga nos, qui nos ad suam mensam olim adhibendos pollicitus est.

Alterum adjunctum est, quod potentia & authoritate regia instruuntur. Regis etenim partes sunt sententiam de sontibus ferre. Hinc est quod *Apoc.2,26,27.* in fide victores promissionem accipiunt dominatus in gentes & illas sceptro ferreo comminuendi; & *Apoc. 3, 21.* sedendi eodem cum Christo Throno: quod jus ægre & raro cum propriis suis filiis communicarunt, nisi aut viribus fracti sint, ut hoc munus obire nequeant, aut ne jus regni litigiosum ad alienum devolveretur. *Et regia potestate.*

IOHAN. *cap.14, à vers. 1, ad 5.*

NE turbator cor vestrum: creditis in Deum? etiam in me credite.
2 In domo Patris mei habitationes multæ sunt: alioqui dixissem vobis;
3 Proficiscor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad me ipsum: ut ubi ero ego, & vos sitis.
4 Et quo ego abeam scitis, & viam scitis.

ANALYSIS.

Effectum Christi notatur, adhortatio ad undecim Apostolos, ne animo conturbentur: causa efficiens depulsi terroris est fides in Deum: fidei vero in Deum efficiens est fides in Christum.

Vers. 2. Aliud argumentum adversus terrores in morte Christi ab adjuncta habitatione in cœlis; quæ amplificatur ab adjuncto numero locorum in cœlis, ne putent multitudine salvandorum illos excludendos; quod porro confirmat à disparato, quia nisi ita esset, hoc illis prædixisset. Deinde confirmat illos adversus mœrorem, quem acceperunt ex ejus discessu, à fine, quia ideo discedit, ut illis locum præparet.

Vers. 3. Item alio argumento ab effecto Christi, qui redibit; quod suo fine declaratur, ut illos in cœlum deducat; quod etiam alio fine declaratur, ut sint ubi est ipse.

Vers. 4. Item alio argumento ab adjuncta eorum noticia, cum loci, quo Christus vadet, tum viæ, per quam ad illum locum ibit.

METAPHRASIS.

1. *Video vos ex mei à vobis discessus mentione, (præsertim quod vobis me sequendi adhuc vires deesse confirmavi) animo consternari: sed hunc animorum vestrorum terrorem deponite. Cujus quidem consternationis remedium ex firma fide petendum est. Creditis in Deum: quis hoc de se non profiteatur? Atque ut solida fide in Deo acquiescatis, in me etiam utcumque in mundo nunc contemptum, & mox crucifigendum, fidem vestram figite. Quod si* 2.
veritatis ergo vobis locus hic in terris nullus relinquatur, succurrat vobis in cœlis summis, ubi tanquam in regio palatio Pater meus mirifice gloriam suam patefacit, multas fixas & firmas sedes esse, quæ omnes vobis paratæ sunt. Quod ni ita esset, equidem vobis, cum, ut me sequeremini, hortatus sum, illud indicassem, nec vos vana spe lactatos ab operis & artificiis vestris abduxissem. Neque vos meus ab- 3.
hinc discessus tantopere percellere debet, cum adeo propria virtute in cœlos proficiscor, non ut mihi prospiciam, sed ut vobis locum in cœlis parem. Nec ita discedo, tanquam non reversurus. Nam die ultimo ad vos revertens vos ad me asciturus & aggregaturus sum, ut in ipsis illis beatis sedibus, ubi ego sum, vos una mecum sitis. Non potestis (toties à me edocti) 4.
nescire, quo per mortem crucis vado, & viam qua eo itur, non ignoratis: ut hanc meam à vobis

vobis dissociationem sempiternam non fore, certo cum animis vestris constituatis.

PRAXIS.

SVmma, Christus discipulos turbatos mentione tam indignæ mortis suæ ad animi placidam quietem adhortans, validissimas firmasque rationes proponit, quibus illud effectum det.

Partes { Adhortatio.
sunt, { Ejusdem ἀπολογία.

Vers. 1. *Postremum charitatis Christi argumentorum genus in adhortatione.* Ex duobus argumentorum generibus, quibus Christus charitatem suam incomparabilem erga discipulos testatam relinquere voluit, superest posterius in verbis ad animum discipulorum & ad cor prolatis. Quum vero omnis sermo Christi sua natura præstantissimus & autoritate & sapientia perfectissimus; tum quidam tamen existit, qui usu præstantior deprehenditur. Atque hic ille est, si quis alius, utpote quem postremum apud illos ante mortem habuit; tanquam cygnea cantio: & ut sol occubiturus maximum splendorem nobis exhibet: sic in Mose, Iacobo, Davide, Esaia.

Cujus prior pars, ut Apostoli terrores abjiciant; Adhortationis duplex membrum: prius ut terrores & animi inquietudinem abjiciant: alterum ut credant in Deum & Christum. *In priore notandum*, non tantum naturæ imbecillitatem summam esse, qua ex amissis hujus vitæ commodis consternamur animis & immodice contristamur; sed perversitatem, qua vel ex illis dolorem sæpe accipimus, ex quibus lætitiam demetere nos & percipere oportebat. *Proverb.* 28, 1. *Impii fugiunt, &c. Isai.* 7, 2. unde tanquam poma præmatura levissima impulsione cadunt, metuuntque ignem, cum nihil nisi fumus est, ut in Achaso liquet duos fumantes titiones timente.

Qui etiam in pios cadunt. Sed cum illud non sit mirum in impiis: tamen alienum videtur à piis; cum proverbio eodem dicatur, justum ut juvenem Leonem confidere. Sed notandum est pios etiam turbari, tametsi à turbatione & concussione animi non vincantur, aut illi cedant, atque est quidam pavor non reprehendendus, sed hunc immodicum fuisse constat. Vnde si timore correpti aliquando animo percellamur, non est ut desperemus; cum tam clari duces belli ab hoc vitio non absint: dummodo nobis in hac ignavia & timiditate non indulgeamus, aut eam in sinu nostro placide dormire patiamur.

Posterior pars ut in Deum & Christum credant. *Altera pars* adhortationis est, ut in Deum & Christum credant, amuletum præscribens quo noxium timorem & perturbationem pellamus. Fide enim profligatur metus vitiosus, qui ex infidelitate nascitur. *Esai.* 7, 9. *Annon creditis quod non confirmamini?* Inde enim natum est, quod ita trepidarent ut arbores quæ agitantur vento. *Matth.* 8, 26. *Heb.* 11, 27. *Fide Moses reliquit Ægyptum non metuens regis furorem. Psal.* 27, 1, 2, 3, *&c.* ut enim juvenis Leo confisus robore non festinat pastore eum persequente: sic nec pii persequentibus impiis: & ut domus Petræ superposita non facile concutitur: *Matth. cap.* 7. *vers.* 24. sic nec piorum constantia. Hoc tamen interest quod Leo suis viribus confisus haud trepidat: pii aliter. Hoc igitur *notandum*, piorum fiduciam & animositatem non nasci ex stupore quodam & incogitantia periculi, ut plerique; neque ex propriis viribus sed, &c. Deinde etiam tantum fidei deprehendi in illis, quantum absunt à vitioso & trepidante metu.

Quæ tamen non sunt in nostra potestate. Hic autem *quæri* potest an timorem pellere & motus concitatos, aut in Deum credere, nostræ sit facultatis; quandoquidem hoc Christus præcipit nobis, quod ad metus depulsionem attinet: quandoquidem etiam hanc ipsam adhortationem repetit *vers.* 27. & *Iohan.* 6, 29. *hoc est opus Dei ut credatis meum, quem ipse misit. Resp.* non esse nostræ facultatis. Nec impedit quod nobis mandat, quod nostri officii est, ut sensu ἀδυναμίας nostræ excitemur ad Deum quærendum precibus, &c. Gratiam enim facturus creditor reo, debitum repetit, cui debitorem solvendo non esse novit.

In Deum per Christum credendum. *Etiam in me credite.*] Iubet in Christum credere, viam & rationem aperiens, qua quis in Deum credat: Non quod Deus non sit potens & sufficiens ad pellendum metum, sed quod justitia sua prohibetur nobis opitulari, & nos ab illo arcemur inæqualitate quadam conditionis, ne quid ab eo accipiamus. Lux enim est nobis inaccessa, quam oculi nostri imbecilles nequeunt intueri. Ignis est ardens & consumens, quo nos qui stipula & sarmenta sumus, conflagrabimus. In Christo vero, qui nostra natura indutus est, facilis est ad eum aditus & omnino tutus. Vita enim Dei à nobis procul dissita in Christi carne prope nos admovetur.

Vers. 2. *Primum argumentum ad confirmandos animos à cœlesti patria paratâ.* *Primum argumentum* confirmandi eorum animos, est ab adjuncta habitatione, que illis morte peremptis in promptu est quæ quidem

mes à cœlesti patria parata.

dem à subjecto describitur primum, Patris Christi scilicet domicilio: post ab adjuncto amplificatur, certitudine & immobilitate. Quasi dicat; vos sollicitos habet, quod nullus vobis locus in terris erit: at erit in cœlis. Pellent vos ex tugurio, sed ecce palatium paratum: pellent a tabernaculo, quod in diem aut noctem figitur, at mansio & habitatio æterna vobis paratur. Vide *Hebr.*11,8, 9,10,13,14,15,24,25,26,27. Abraham è patria discessit ut peregrinaretur; nos inquilini & advenæ non ibimus in patriam? Ille reliquit patriam, parentes, nescius quo concederet; nos non faciemus certi de loco quo proficiscemur? Moses reliquit regiam Pharaonis ut habitaret in tabernaculis cum fratribus: nos non contemnemus tabernaculum, ut regiam Dei adeamus? quis non tugurium commutaret cum regia? quis non libens feret ruinosas ædes dejici, ut novæ astruantur? Quod quidam hinc gradus felicitatis astruere conantur, tametsi doctrina ipsa sana sit, tamen hic locus ad eam rem ἀπροσδιόνυσος est, cum dicatur πολλαὶ non ποικίλαι.

Ausquin enim Christus eos vana spe non lactasset.

Sin aliter haberet res, dixissem vobis.] Nisi commodum hospitium vobis in cœlo pateret dixissem vobis, cum vos primum vocavi, neque à mundanis vestris commodis abductos vos vana spe lactassem: appello enim vos num tam frigide à me dilecti sitis aut tam neglectim à me curati, ut velim vobiscum ita agere non præmonitis: dixi enim vobis quæ incommoda mei professionem comitarentur, quomodo odio habendi essetis propter nomen meum, ad regum tribunalia sistendi essetis, quod vix quidquam ubi caput reclinetis habituri sitis; quod si etiam vobis post hanc vitam pœnæ manerent, si non munera amplissima, & hoc vobis prædixissem. Argumentum igitur ducitur ab adjuncta fide sua erga eos, quam confirmare videtur à testimonio proprio, & discipulorum experientia. Hoc ipso colligitur Christum nihil suos discipulos celasse quod ad eorum consolationem pertineret. Vide *Act.*20,27.

Confirmatio adversus Christi absentiam.

Sed non tantum eorum persecutio eos urebat, sed quod Christo destituerentur, quem semper illis promptum & paratum in auxiliando experti essent, qui illos & à calumniis & ab omni calamitate vindicasset. Huic objectioni respondet à fine discessus sui; *Proficiscor paraturus vobis locum.* Quasi dicat; si cogitetis, &c. Nam si Iacob scivisset Iosephum præmissum fuisse in Ægyptum ut sibi & familiæ suæ prospiceret, quo in vita, urgente fame, conservarentur, nunquam tantum luctum edidisset.

Ascensus quoque Christi in nostrum bonum.

Videmus hoc loco non tantum descensum, sed & ejus ascensum nobis utilem esse, qui tamen videri poterit nobis tantum utilis: nam ascendit partim ut Sacerdotis officium obiret pro nobis semper coram Deo apparens. *Heb.*9,12,14.& 10,19,20. & 7,25. partim ut regis officio defungeretur, ut captivitatem captivam ducens omnia impleret. *Ephes.*4,9,10,11. *Psal.*68,18,19.

Pontificiorum limbus male ex hoc loco astructus.

Quod *Pontificii* hinc limbum suum astruere conantur, ac si nemo fidelium cœlum ante Christi ascensum ingressus sit, futile est. Nam virtus & meritum hujus ascensus non minus efficax est ad fideles in cœlo collocandum, qui Christum antecesserunt, quam virtus passionis suæ ad illos à peccatis redimendum.

Vers.3. Secundum Argumentum a Christi reditu.

Alterum argumentum ab adjuncto ejus reditu ad nos, ob eam causam præcipue subjunctum, quod non tantum se discessurum prædixit, sed illos sequi non posse. *Act.*1,11. & 2 *Thess.*2,1,2. Sic David 2 *Sam.*12,23. se consolatur quod olim filio sit reddendus. Iacobus consolationem de Iosepho non admisit, quod (suo judicio) non erat; alioquin consolandus, si spes fuisset, fore ut aut hic ad illum, aut ille ad hunc rediret. *Genes.*37,35. Conjugibus in virorum absentia solatio est, quod redituros maritos sperant, tametsi non certum habent, maxime si onusti opibus aut hostium spoliis redeuntes expectant. Virgines qui sponsum & sponsam venturos norunt, nocte & in tenebris non gravate præstolantur: quanto magis nos hoc consolari debet, qui de Christi reditu gloriosissimo sumus certissimi? non quod in terram descensurus sit, sed in aëra duntaxat. Vnde qui ad illum aggregabuntur, tanquam aquilæ sunt: nec enim in sublimi mundi, in desertis locis aut obscuris quæri se jubet. *Matth.*24,26,28.

In quo singularis Christi erga Ecclesiam amor effulget.

Vide autem summum & singularem Christi in Ecclesiam amorem, ex quo Deus in secula benedictus hunc honorem illis habet, ut illis in occursum prodeat, ut amici solent honoratioribus suis amicis: alioqui quidni posset jubere nos ad cœlum usque uno tractu rapi, nisi quod sic illius singularis amor declaratur *Luca* 15,20. in persona Patris, qui perdito & profligato filio in occursum ivit. Quod etiam notatur porro, cum adjungit illos

illos ibi futuros, ubi ille est; ubi etiam refellit ubiquitatem *Lutheranorum* & *Pontificiorum*.

Vers. 4. *Tertium argumentum à notitia loci & viæ,*

Postrema ratio est ab adjuncta eorum notitia ad beatitatem illam perveniendi, quo contendunt & à Christo vocantur. Vbi excipi potest, non opus esse ut viam norint, cum ipse venturus sit ut illos ad se recipiat. Sed primum Christus suam operam illis sua præsentia dirigendis in extremo die pollicetur, ante quem diem Apostoli animabus suis erant aggregandi. Deinde etiam ut Christus ultimo die eos accipiat, via quædam & ratio tenenda est à se commonstrata. Quid autem his verbis sibi vult, post diserte explicat in responso ad Philippi interrogata.

quo Christus abit.

IOHAN. *cap.* 14, *à vers.* 5, *ad* 12.

5 *Dicit ei Thomas; Domine, nescimus quo abeas : quomodo igitur possumus viam scire?*

6 *Dicit ei Iesus; Ego sum via illa, & illa veritas, & vita illa, nemo venit ad Patrem nisi per me.*

7 *Si nossetis me, Patrem etiam meum nossetis: & jam nunc nostis eum, & vidistis eum.*

8 *Dicit ei Philippus; Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

9 *Dicit ei IESVS; Tantum temporis vobiscum sum, & non nostis me? Philippe, qui vidit me, vidit Patrem : quomodo igitur tu dicis; Ostende nobis Patrem?*

10 *Non credis me in Patre, & Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, sed Pater qui in me manet, ipse facit opera.*

11 *Credite mihi me in Patre, & Patrem in me esse: sin minus, propter ipsa opera credite mihi.*

ANALYSIS.

Effectum sermonis Christi est interrogatio Thomæ qua fortissime negat se & socios scire quo vadat; unde à comparatione minoris concludit eos ignorare viam, quæ quo Christus vadit, eos ducat.

Vers. 6. Ad utrumque respondet : primum enim notat adjunctam viam, se ipsum; quam viam describit duobus aliis adjunctis veritatis & vitæ. Deinde exponit subjectum quo vadit, nempe Patrem.

Vers. 7. Probat illos Patrem cognoscere ab adjuncta cognitione sui; item à testimonio suo.

Vers. 8. Cujus dicti adjunctum est petitio Philippi, ut Patrem illis commonstraret; quam confirmat ab adjuncto, sufficientia, qua illis abunde satisfiet.

Vers. 9. Cujus petitionis effectum est acris redargutio quod Patrem nesciret; quæ amplificatur adjuncto tempore diuturnitatis, qua cum illo consuevit. Deinde ab adjuncta ignoratione ipsiusmet Christi; quod eum noscentes Patrem norint; quod porro exaggeratur adjuncta absurditate petitionis, ut Patrem illis declararet.

Vers. 10. Confirmat conjunctam Patris & Christi notitiam, quia Christus est in Patre & Pater in Christo, quod unum essentia sunt, à duobus effectis verborum & operum utrique perinde communium.

Vers. 11. Fidem eorum de unitate essentiæ Patris & Christi confirmat à testimonio proprio; deinde ab effectis operum utriusque communium.

METAPHRASIS.

Dicit ei Thomas; Domine, nescimus locum 5.
quo vadis, tantum abest ut viam, quæ
eo ducit, sciamus. Dicit ei Iesus: viam quod 6.
attinet, quæ eo ducit ego sum, & præter me nemo: & via quidem non typica & sacramentalis, in quo genere multa sub lege exstiterunt, sed vera & germana; denique viva & quæ vitam in me & pro me morituris æternam confero: sicut enim ad concupitum locum nemo nisi via accedit, sic ad Patrem, ad quem ego vado, nisi per me mediatorem Deum & hominem nemo accedit. Si me nosceretis, Pa- 7.
trem meum eadem opera nosceretis, & quidem (ut supra dixi) jam Patrem (quamvis non tam plene & explicate, ut olim facietis) nostis & Patrem mentis vestræ oculis vidistis. Tum 8.
Philippus, non minus quam Thomas, rudis: Te quod attinet, non sumus solliciti ut te cognoscamus, quem jam probe & penitus cognitum habemus: illud modo desideramus ut Patrem nobis oculis vel semel videre & intueri concedatur, sicut te aliquot jam annos in- 9.
tuiti sumus. Ad quem Iesus : tam diu chare Philippe vobiscum conversor & tam assidue consuesco, & me adhuc non nostis, ut vobis Patrem repræsentari petas? Quisquis me cognitum

gnitum habet, Patrem meum eadem opera
cognitum habet: quo igitur sano judicio hoc à
me petis ut vobis Patrem meum videndum
10. *proponam. Non me credis unum essentia esse*
cum Patre, ut ego sim in Patre & Pater in
me sit: cujus fidem indubitatam tibi faciet
primum quidem, quod verba, quæ vos doceo
non mea modo verba sunt, sed & Patris, qui
in me & per me vobis loquitur. Deinde quæ
ego miracula edo, non ego modo facio, sed qui
mecum essentia unus est Pater, illa ipsa opera-
11. *tur. Hunc honorem mihi habete, ut mihi affir-*
manti me esse essentia cum Patre unum, & me
esse in Patre & in me Patrem, firmiter creda-
tis. Quod si in mea authoritate non acquiesci-
tis, nec mihi hoc dicenti (quod vos dedecet) cre-
ditis, saltem ob effecta, quæ cum auribus au-
ditis, tum oculis cernitis, mihi fidem adhibete.

PRAXIS.

SUmma, Christus de æterna vita, & ad eam ducente via interrogatur, vitam in Deo, in se vero Deo & homine vitam tantum expositam patere respondet.

Partes sũt διαλογισμοὶ Christi cum { Thoma, Philippo, } Quibus pro quæstionum nonnulla diversitate diversè respondet.

Vers. 5. Thomæ ingenua ignorantiæ professio. In *dialogismo priore*, consideratur Thomæ dictum: ubi elucet singularis ingenuitas ex animi submissione Christiana profecta, qua non erubescit se nescium ejus rei profiteri, quam se nescire existimavit, quod vel maxime Christi discipulum, id est, quemvis Christianum decet. Vide quomodo in Daniele, & Apocalypsi instructissimi Dei servi & perspicacissimi suam sæpius ignorantiam fatentur. Unde & suo & totius Ecclesiæ commodo edocti sunt. Sic *Psal.* 25, 14. & *Psal.* 146, 8. minus humiles docet, & cæcos illuminat, qui se cæcos agnoscunt: & contra occæcat eos, qui cæci se tamen perspicaces esse venditant. Huc etiam afferri potest Proverbium Salomonis, quo vanitatem eorum damnat, qui se divites simulant cum sint pauperes. *Prov.* 13, 7. item illi in Apocalypsi, qui sibi acute cernere videbantur, cum tamen collyrio egerent. *Apoc.* 3, 17, 18. Atqui, inquit aliquis, non adest Christus ut olim. Sed adsunt Ministri Dei Angeli, quorum labia scientiam asservant, & à quibus requirant legem. Quod si illos de rebus dubiis populus interrogaret; stimulos hoc pacto adderent Dei consilia accuratius investigandi. De rebus hujus vitæ & de via quam ignorant, semel atq; sæpius percontari à quibus vis obviis, etiam puellæ non erubescunt.

Dicit autem se non intelligere viam, nedum quo proficiscatur; cum qui viam tenet ad locum, locum prius norit oportet, sed non contra. Atque hic se nescire dicit quod novit: nostri se scire dicunt quod nesciunt.

In responso Christi singularis humanitas continetur, qui cum esset veritas ipsa, ægre & aspere ferre potuit, quod ab illo affirmatum sit, à discipulo aperte negari: indicatque summa eum familiaritate usum esse cum discipulis. Christus autem primum respondet de via; non tantum quod scitu difficilior visa sit, sed etiam quod ea percepta, ilico innotescat is, ad quem proficiscendum est. In aliis rebus primum metam, deinde viam; hic autem contra, prius tenenda via, post meta: dicit igitur se esse viam; & rationem attexit, quod per eum ad Patrem eatur, eoque ad vitam æternam. Quod etiam dicat, *Ego sum*, indicat se tantum esse, quod & post explicat, cum non tantum ad Patrem iri per se confirmet, sed nullum venire nisi per se. *Notandum* quod non dicit se viam esse, sine qua nemo, &c. Sed *per quam*: quia *Papistæ* alias vias sunt commenti. In aliis negotiis viæ plures sunt omnes idem consequendi, quamvis una cæteris compendiosior: Sed hic secus. *Vers. 6. In Christi responso humanitas: & ejus ordo.*

Hoc loco confirmatur & illustratur doctrina illa de Christo unico mediatore. *Actor.* 4, 12. *non est nomen, &c.* 1 *Tim.* 2, 5. Sicut & illa *Iohan.* 10, 9. *Ego sum ostium, per me si quis intret, &c.* Sic & 1 *Iohan.* 5, 10. *Genes. cap.* 28, 12. dicitur scala per quam ad cœlum ascenditur: adumbratus in lege mediatione Mosis, qui tantum in legislatione in monte coram Deo constitit. *Deut.* 5, 5. item summo Sacerdote, cui soli in sancta Sanctorum patebat aditus. *Heb.* 9, 7. *Unicus mediator Christus.*

Quamobrem Christum nobis à Patre obsignatum mediatorem habentes eo uno acquiescamus, nec in viis à nobis aut aliis excogitatis oberremus. *Vide Esai.* 53, 6. via est igitur Christus, per quam itur ad Patris cognitionem per fidem, & per quam itur ad Patris felicitatem, quæ hoc loco maxime indicatur.

Ἀλήθεια.] Videtur dicere se non esse umbratilem viam, qualem olim habuerunt, sacrificia, velum, serpentem æneum, Sacerdotem summũ præsertim; sed esse veram viam & umbris omnibus exutam. Hoc etiam loco confirmatur Christum unicũ esse mediatorem, cum illa Christi duntaxat fuerint umbræ, quarum ipse sit corpus. *Coll.* 2, 17. Cum igitur *Vocis ἀληθεία interpretatio varia.*

igitur nullius Sanctorum intercessionis aut sanguinis typus aliquis extiterit, sed Christi tantù (Moses enim & Prophetæ Christo tantum testimonium dicunt, & illù respiciunt.) Sequitur nullù nec redemptionis, nec intercessionis esse mediatorem præter Christum. Vera etiam via est non fucata, qualem plerique se viam dictitabant. *Ioan.*10,7,8. Vide tamen si non præstabilius sit ἀληθεύειν hic sumere pro verissima via. Est enim via, quæ hominibus bona videtur, cujus exitus est mors, *Prov.*14,12. Vel potius ut sit veritas, quod monstret viam; Etsi etiam differt ab omnibus aliis viis; ut sit & ὁδὸς; & ὁδηγός.

Christus simul vita & via ad vitam. Ζωή.] Hoc loco dissimile quiddam indicat: cum enim in cæteris via, & id quo via ducit, duo sunt, hic secus fieri, ut qui sit via ad vitam, sit & ipsa vita, Deus scilicet. Vnde etiam *Hebr* 10,20. dicitur via vivens. Sic ostium est, per quod ingredimur in salutem *Ioh.*10. & ipsa salus; ac si esset haustrum quo aquam extrahimus, & fons unde etiam petitur aqua; esset laterna & lucerna. Cæteræ igitur omnes viæ lethales sunt, & nonnisi ad mortem ducunt; cisternæ sunt, quæ aquam nequeunt continere. Hoc autem τῆς ζωῆς epitheto declarat illos ne morte quidem ipsa impeditos iri, quo minus Christum sequantur. Vis ambulare ad regnum cælorum? ego sum via. Non vis falli? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum vita. Non est quo eas, nisi ad me: non est qua eas, nisi per me.

Vers.7. Discipulorum major quam opinabantur cognitio. Ex superiore Epitheto quod sibi attribuit, *vita*, concludit eum, qui se norit, Patrem eadem opera & momento cognoscere. Atque adeo confirmat discipulos eum cognoscere, & eum vidisse. Sic aperte confirmat quod à se prius dictum, à Thoma negatum est. Hinc colligimus discipulos instructiores fuisse quam putarunt: idque etiam verum esse quod proverbio dicitur de extremis divitiis, esse qui divites sunt, & tamen se pauperes dictitant. Quod quidem tametsi vanitas sit, & notetur labe qui hoc faciat; tamen in rebus spiritualibus minus periculi in hoc vitio est, nec hac ætate facile inveniuntur, qui in illo delinquunt. Nostri enim homines similes sunt Sodomitis *Gen. cap.*19,11. & Syris 2 *Reg.*6,18. qui scotomate laborant, qui omnia vident, nisi quæ potissimum deberent.

Percontationis fructus. Hic igitur fructus est percontationis, ut quæ implicite scimus, explicite liquido intelligamus; quæ confuse, liquido & sigillatim; quæ ante velut è longinquo, hoc modo quasi propius admoti. Habebant ut cibum in ventriculo inconcoctum, ut thesaurum domi in arca reconditum, cujus usum adhuc non prorsus tenebant.

Sequitur *dialogismus alter.* Vbi in Philippi petitione indicatur ingenium hominis avidum illius Dei cognitionis, cujus ipse non est capax, & quæ illi non tantum nocitura, sed omnino eum perditura erat. Cum enim sermonem Christus fecisset de Patris visione, ilico dulcedine Majestatis divinæ intelligendæ captus, ad hanc petitionem prosilit; quæ quidem tametsi verbis non alia sit, quam quæ legitima existimari debet; tamen sensu ipsius hujusmodi fuit, quæ eum perdere potuit, si illius petitioni Christus annuisset. Deum enim nemo vidit, qui post vixit; ne Angeli quidem. *Exod.*33,20. *Ies.*6,5. hujusmodi quid olim titillavit ipsum Mosem & illum è via abduxit. *Exod.* 33. Qua in re intelligimus tam illustres & insignes viros peccasse, cavendum ne cancellos nostros transiliamus, sed meminerimus illius aureæ sententiæ, ***Revelata nobis & filiis nostris, cœlata autem Deo nostro***, ***Deut.*29,29.** Est enim gloria Deo, celare consilium. Philippus cupiebat Deum videre in solio sedentem, auro & gemmis fulgentem, cum Christus de fidei visione locutus esset. Sic sumus comparati natura. *Vers.8. Hominis ingenium nocitura visionis Dei avidum.*

Christus ab inani illa & inutili, vel potius noxia speculatione divinæ essentiæ & majestatis, quæ inscrutabilis est, Philippum revocat ad illam Patris notitiam, quæ pervia & salutaris futura erat: nempe Patrem in filio cognoscere, in quo se cognoscendum duntaxat præbet. Sæpe fit ut in hominum liberis quædam lineamenta paternæ faciei & vultus ita appareant; ut ex his quodammodo patrem aut matrem dignoscas. Sed hoc in Christo multo magis & verius fit, in quo tota sapientia, bonitas, justitia, misericordia Patris sese conspicienda præbent. Hinc est mysterium illud summum 1 *Timoth.*3,16. ***Deus manifestatus in carne***; & illud, *Deum nemo vidit unquam sed unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse eum revelavit. Iohan.*1,18. ob eamque causam *Hebr.* 1,3. Ἀπαύγασμα καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Patris dicitur. Hinc etiam 1 *Iohan* 2,23. qui filium habet, Patrem habet, & contra qui filium non habet Patrem non habet. Et Paulus, nihil præter Christum se scire professus est. 1 *Cor.*2,2. ut enim mentem nisi per sermonem, & rem longe remo- *Vers.9. Pater in Christo cognoscendus.*

tam à nobis tanquam præsentem non possumus intueri, nisi per ejus sculptam imaginem: sic nec Deum Patrem nisi per filium sermonem ipsius. Hinc docemur Deum à *Iudæis* à *Turcis* & aliis *paganis* non cognosci, quia non nisi in Christo cognoscitur. Itē impie facere *Pontificios*, qui Deū Patrem cognoscere volunt per picturas & sculpturas humanas.

Tarditas nostra in discendis fidei capitibus culpanda.

Quod totum quadriennium cum Christo fuisse probrosum & ignominiosum ducit, si hoc universo tempore Patrem non cognovissent, id est, Christum, cujus cognitione ad Patris notitiam pervenirent, nostram tarditatem coarguat, qui totos 43. annos Christum in Ministris nobiscum conversantem non didicimus, imo vix prima illius cognoscendi elementa hausimus. Vide *Hebr.*5,12. Nos huc ad templum advenimus, preces & conciones habemus; tamen cum solidum cibum vobis dare velimus, lac præbere cogimur; cum cœlestia vellemus, terrenis & humilibus documentis insistendum nobis est. Quamobrem cum liberos reprehendatis quod paucis annis in humanioribus literis non profecerint, & illos probrose otiosos nugatores vocetis, hoc in vos ipsos opprobrium meritissime retorqueri possit.

Vers.10. Ἐμπεριχώρησις *Patris & Filii,*

Docet se cum Patre unum esse & consubstantialem, quod ipse sit in Patre & Pater in ipso. Sicut rex in sua expressa imagine visitur & in rege imago repræsentatur. Vide *Ioa.*17,21. Igitur generatur filius à Patre non ea generatione quæ est à Patre emanans, sed immanente generatione: hæc enim personalis substantia per generationem aut processum non efficit aliquam ab invicem separationem, quin unum maneant. Quod duobus aliis argumentis probat, uno ab effectis verborum & sermonis ipsius; altero ab effectis operum; quod Pater per ipsum operetur, quod non posset, nisi unus cum Patre esset. De eo enim vere dicitur, quod sit potens verbis & factis. *Luc.*24,19.

Probata 1. à communi sermone utriusque:

Quod enim ad verba attinet & sermonem, dicitur eum docuisse cum autoritate, non ut Scribæ & Pharisæi, vel instructissimi piissimique. *Matth.cap.*7,*vers.*29. item *Iohan.*7,46. *nunquam audivimus quenquam ita loqui ut hic.* & *Luc.cap.*4.*vers.*22. *obstupescebant ex sermone gratioso, qui ex ore ejus fluebat.* In quo tanta vis & virtus & sapientia apparet quæ non potest à nudo homine proficisci.

Hic respondendum objectioni quod Deus loquutus sit, & miracula edidit per Prophetas & Apostolos. Sed non est loquutus ut Pater per filios, sed ut Dominus per servos. Non est loquutus ut immanens in illis connaturali & coëssentiali habitatione, sed, &c. non est loquutus, μεθ' ἐξουσίας, &c.

Vers.11. *à communibus operibus.*

Et quidem si hoc illis minus apparet in verbis propter eorum stuporem, aut non certe justam attentionem, tamen illud liquido ex operibus ejus constat. Quod enim ad opera attinet, vide *Iohan.*5,17. *Pater meus operatur & ego operor.* Illa autem tam liquida erant, ut de his ipsos hostes suos judices ferret. Ex his enim probat se esse in Patre & Patrem in se *Ioan.*10,37,38. Sicut igitur Patrem in Christo, sic Christum non nisi ex doctrina & operibus rite cognoscemus: ut inanis sit Christi cognitio, quæ non hinc petitur.

Sic his modis quodammodo Patrem cognoscendum præbet, quomodo homines se hominibus præbent. *Primo* visione, sed non corporea, ut Philippus expetivit. *Deinde* auditione sermonis ejus. *Tertio* operibus, ex quibus cujusque ingenium agnoscitur.

Idque ex abundanti.

Hic *notandum* Christum Dei Filium, ipsam (ut de se prædicavit) veritatem, in quo dolus non est inventus, divinitatis & officii sui fidem facere ex operibus. Tametsi etenim in illius uno verbulo acquiescere penitus æquissimum sit: tamen non secus sibi fidem haberi postulat, quam factis declaret: quod verbis de se profitetur. *Ioan.*5,36. Et nos homunciones & vanitatis pleni, inique ferimus, si nobis de nostra religione & Christiana professione profitentibus non credatur, cum Christiani hominis officiis illud non comprobemus? Quamobrem Iacobus pulchre hoc postulat ut fidem nostram bonis operibus probemus. *cap.*2,18. Hoc igitur validissimum argumentum est, & ut Christo, sic Christiano viro dignissimum. Quicquid enim dicas, aut quantocumque argumentorum pondere veritatem eviceris: tamen semper aliquid habebunt iniqui quod opponant. Sed hoc operum argumento os hominum alioqui importunissimorum obturatur. 2 *Pet.*2,5. Atque ut hominibus verbis, & professione satisfacias, tibi ipsi tamen, nedum Deo nunquam satisfacies.

IOHAN. *cap.* 14, *à vers.* 12, *ad* 19.

12 *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora illis faciet. Nam ego ad Patrem meum proficiscor.*

13 Et

13 *Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.*

14 *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.*

15 *Si diligitis me, præcepta mea servate.*

16 *Ego vero rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum:*

17 Nempe *Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.*

18 *Non relinquam vos orbos: redeo ad vos.*

19 *Adhuc paululum, & mundus me non amplius conspiciet, vos autem conspicietis me: quia ego vivo, vos etiam vivetis.*

20 *In illo die vos cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.*

ANALYSIS.

Effectum fidei notat, eadem opera facere quæ Christus facit; quod amplificatur comparatione minoris, facturum scilicet majora, quam Christus fecit, quod fine confirmatur, ut Pater in filio, cujus in nomine hæc ederet, glorificetur: hoc vehementi asseverantione confirmatur; cujus efficiens causa notatur profectio Christi ad Patrem.

Vers. 13. Aliud effectum fidei, nempe obtinere quæcunque petunt in nomine Christi: quod suo fine confirmatur, ut Deus Pater in filio glorificetur.

Vers. 14. Causa efficiens notatur potentiæ & gratiæ, nempe Christus, non tantum sua intercessione, sed & propria virtute.

Vers. 15. Fidei effectum est charitas; charitatis est mandatorum Dei observatio.

Vers. 16. Adjunctum observationis mandatorum est Christi apud Patrem intercessio: intercessionis effectum, missio Spiritus Sancti: cujus effectum est, fideles consolari; adjunctum, cum fidelibus permanere; quæ etiam permansio suo adjuncto tempore declaratur, nempe in æternum.

Vers. 17. Describitur Spiritus Sanctus ab effecto, deducendo illos in veritate; deinde à disparato, quod mundus Spiritum non potest accipere; quod suo adverso illustratur, nempe quod fideles illum norunt; quod suo efficiente arguitur, nempe quia est in fidelibus: quod comparatione majoris amplificatur, quod non tantum in illis sed cum illis permanebit.

Vers. 18. Consolatur porro illos primum ab adjuncto, protectione eorum cum discedet; quod comparatione paris illustratur Patris morituri, qui curam liberorum amico committit: Deinde ab adjuncto suo ad illos adventu.

Vers. 19. Consolatur illos ab adjuncto suo ad eos reditu; quod beneficium amplificatur alio adjuncto angusti temporis, quo ab illis disjungetur; & illustratur dissimili, nempe quod mundus eum non videbit: qui Christi ad Apostolos reditus suis causis confirmatur, sua & Apostolorum vita.

Vers. 20. Aliud argumentum, quo consolatur illos de sua absentia ab adjuncto adventus ad eos, quod augendi sint copiosiore Dei Patris & filii unitatis cognitione: illius item unitatis, quæ est nostri cum Christo.

METAPHRASIS.

Ut hanc meam ejusdem cum Patre essentiæ unitatem liquidius demonstrem, sanctissime vobis affirmo me non tantum miracula edere, sed & in me credentibus, hanc miracula edendi virtutem communicare: efficiam etenim ut non eadem modo, quæ ego, sed longe his majora opera tum in successu prædicationis Euangelii, tum vero in magnitudine miraculorum perficiatis. Quod quidem non aliunde ad vos perveniet quam ex hoc ipso discessu meo ad Patrem, à quo tamen vos abhorretis. Nihil etenim tam arduum aut difficile factu est, quod pro vobis Patrem meo nomine & merito rogantibus non perficiam: ut per me filium tam eximia dona largientem Pater gloriam consequatur. Iterum repeto nihil esse quod vobis meo nomine Patrem per Spiritum rogantibus ipsemet (non tantum Pater & Spiritus) non præstabo. Me à vobis diligi profitemini, quod etiam ego non diffiteor: sed vestrum ex discessu meo mœrorem germanum dilectionis vestræ fructum non possum agnoscere. Indicium vel potius τεκμήριον vestri in me amoris inde intelligitur, si mandata Dei (quæ eadem mea sunt) observaveritis. Excipietis forte fieri non posse quin de meo à vobis discessu mœreatis, quo consueto vestro subsidio & in angustiis consolatore destituemini: sed animis propterea cadendum non est. Ego etenim rogabo Patrem, qui exoratus alium consolatorem vobis dabit, qui vobiscum (secus quam ego secundum humanam naturam) in perpetuum permanebit. Consolatorem intelligo, sanctissimum Patris & mei Spiritum, qui vos in

(Margin: 12. at "Ut hanc meam"; 13. at "ad Patrem, à quo tamen"; 14. at "consequatur. Iterum repeto"; 15. at "non præstabo. Me à vobis"; 16. at "(quæ eadem mea sunt)"; 17. at "perpetuum permanebit.")

in veritate deducet & pro illa laborantes defendet. Quem Spiritum quod mundus superbe contemnet vos offendere non debet: Eum etenim in mundo impii & rebus mundanis addicti & veluti affixi, non possunt amplecti, quia illum non aut cognoscunt aut agnoscunt: vos vero illum cognoscitis, utpote qui prope vos est, atque adeo in intimis animorum vestrorum
18. *penetralibus manet. Quamobrem nolite existimare me ita vos relicturum ut vos tanquam pupillos patrocinio & tutela destitutos esse patiar: præterquam quod ipse etiam quoad humanitatem ad vos revertens aliquantisper vobiscum conversabor, quoad divinitatem*
19. *nunquam non benigne vobis adero. Non longe est, quod morte sublatum, qui in mundo impii sunt, cum è mortuis excitatus fuero me amplius non videbunt, quem tamen è mortuis excitatum vos intuebimini, tametsi vero corporea visio ad aliquot dies tantum durabit, tamen præsentia per Spiritnm priori illa multo conducibilior nunquam à vobis auferetur.*
20. *Quo tempore, vos qui nunc Patrem ignorare profitemini, liquido cognoscetis me esse Patri coëssentialem, meque ita natura & essentia esse in Patre, ut vos mystice arctissimo Spiritus Sancti vinculo in me, & ego in vobis adunatus existo.*

PRAXIS.

SUmma, Christus regressus ad omnes discipulos, eosdem subjectis argumentis validissimis, tum ad fidem in se, tum ad mandatorum observantiam hortatur.

Partes sunt, adhortatio ut { In se fiderent. / Ejus mandata servarent.

Vers. 12. *Christus verus Deus Patrique coëssentialis arguitur ex miraculorum potentia.*

Christus aliud argumentum ad fidem in se proponit ab adjuncta communicatione incredibilis illius potentiæ, qua miracula edidit. Cum enim non modo hac potentia ipse instructus sit, sed eandem ad alios, quos vult, derivare possit, idque non ad unum duntaxat, sed omnes quos vult, & qui per fidem illius capaces sunt: argumento est ipsum esse Deum. Est enim meri imperii & αὐτοκρατορικοῦ indicium, si non tantum ipse jus habeat imperandi, sed & jus hoc mandandi cui velit & ad quem velit transferendi. Nam qui aliunde potentiam & imperium derivarunt, illud non possunt aliorsum absque consensu datoris transferre.

Quod tamen in hominibus secus se habet.

Hic tamen *excipitur*, miraculorum (ob eam causam) operatores, unum cum Christo esse, ut Christus cum Patre. Nam si sequitur Christum coëssentialem Patri esse, quia opera Patris edit: eodem modo sequitur Ministros & Christo coëssentiales, quia & ipsi Christi opera edunt. *Respondeo:* ut supra. Sed *urgebit* adhuc aliquis, Apostolos non tantum miracula edidisse, sed hanc potestatem aliis concessisse. Hic etiam *Respondeo* ut supra: Quibus & illud addatur, nullum repertum fuisse qui tam incomparabilia & tam insignia opera fecerit, quam Apostoli. Deinde dona Spiritus tantum collata esse ab Apostolis & à nullo præterea.

Apostoli majora miracula patrarunt quam Christus.

Sed illud mirum videatur quod Christus dicat majora & illustriora ab Apostolis edenda quam à Christo ipso. Quod factum legimus in Petro qui una Concione tria hominum millia ad fidem Christi pertraxit: *Act.* 2,41. Cum illud nusquam Christo contigerit in terris prædicanti. Ex quo illud efficitur non in præstantia & perfectione prædicationis, sed in benedictione Dei fructum præconii verbi consistere; nam in prædicandi dexteritate Apostoli Christo longe inferiores erant. Item quod umbra ipsius Petri & semicinctiis Pauli dæmoniaci & decumbentes sanati sint. In quo Christus ministerium servorum suorum honore prosequi voluit, cum ad Ministros animandos, tum etiam ad excitandam Ecclesiam, ut non minore cura & cogitatione ministros, ac se, suscipiant; nec minorem fructum ex eorum auditione & attentione, quam si Christum ipsum audirent, expectarent,

In quo Christi benignitas elucet.

Hic incredibilis & commemoranda Christi benignitas *notatur*, qui cum majora miracula edidisse potuit, quam Apostoli edituri erant, sibi tamen ita temperavit, ut illis minora & minus clara fecerit: à proprio splendore aliquantulum decedens, ut nobis in servorum suorum ministerio magis prodesset. Quis enim princeps hoc fecerit, ut subditorum causa plus splendoris administris indulgere velit, quam ipse usus sit? Patrem forte offendas qui id filio non invidebit, quod ipsi, ut uteretur, commode non fuit concessum: sed qui illud filio indulgeat, aliorum quam filii causa, quod sibi, cum id commode potuit, non assumsit, non reperies.

Cujus causa Christi ad Patrem discessus.

Quod hujus largitionis fontem aperit, suam ad Patrem profectionem, eo illos de suo abitu consolatur; cujus beneficio tantum aberat ut eorum in miraculis edendis vires & virtus labefactaretur, ut illius accessio futura foret. *Iohan.* 7,39. ut enim die inaugurationis regis tubi & canales vino fluunt, auro & argento plateæ sternuntur: sic, &c.

vide

vide supra. Verosimile est illos subveritos, ne discessu Christi, virtus miracula edendi (de qua eos admodum exultasse videmus, *Luc.* 10,17.) aut sublata, aut imminuta foret. Hoc *notandum* adversus eos, qui dicunt se, si Christum audivissent, vidissent, &c. Hoc quia incredibile illis visum est, vehementi & duplicata asseveratione illud confirmat.

Gravioris asseverationis & juramenti legitimus usus.

In quo *notandus* gravioris & constantioris affirmationis usus, eoque etiam juramenti, cum res postulat. Docetur que eorum vanitas qui ad singula, tametsi levia, adhibebunt testem veritatem suam, conscii suæ vanitatis, ut videtur: non ut Christus, qui conscius infirmitatis & imbecillæ fidei discipulorum hoc fecit. Docetque pro pondere & momento rei, quam confirmamus, aut affirmationem vehementiorem, aut juramentum sacratius adhibendum. Nemo enim paulo sapientior & cautior pro singulis minutissimis commodato acceptis torquem, annulum aut gemmam, aurum vicesimarium oppignorabit: quod hi tamen faciunt, qui ad singula prope verba fidem suam atque adeo Deum suum oppignorant.

Notetur hic πιςεύειν ἐμοὶ, καὶ πιςεύειν εἰς ἐμὲ pro eisdem usurpari, adversus, &c.

Christi promissio ad Apostolos tantum spectat; usus tamen ejus ad omnes.

Hic *quæratur* quomodo hoc præstatur in omnibus fidelibus de miraculis edendis. *Respondeo:* quædam esse specialia Apostolis non mirum videri debere, quandoquidem erat aliquid in illis specialis mœroris & angoris, quod Christi præsentia, qua aliquot annos perfruiti sunt, privandi erant. Deinde quod majoribus angoribus premendi erant, & gravioribus oneribus onerandi, quam cæteri; ut mirum videri non debeat, si hæc ad omnes Apostolos credentes restringantur. Vnde tamen consolatio ad omnes redit, non tantum quod hæc potestas Apostolis data, fidelium causa data est; sed quod nos doceat, pro ratione & mensura afflictionum consolationem & dona spiritualia in fideles conferri.

Vers.13, 14.
Christi cum Patre æqualitas iterum probata.

Probatur iterum æqualitas Christi cum Patre, *primum* ab adjuncta mediatione petitionũ, quæ ad Deum ejus nomine fiunt. Cum enim petitiones piorum Deus exaudiat, suoque proprio nomine Ecclesiæ suæ laboranti propter se subveniat: efficitur Christum esse Deum, cujus nomine & propter quem fideles, quæ orant; exorant. II. *Argumentum* est ab efficiente causa, quod non tantum ejus nomine fiant, sed ab ipso etiam fiant. Quare non contentus est dixisse ποιήσω, sed eandem sententiam repetens ait, ἐγὼ ποιήσω. Quasi dicat, non procurabo tantum ut sequestris, sed ipse hoc faciam. Sæpe enim apud principem ea gratia quis valet, ut possit aliquid pro aliis impetrare, quod ipse proprio jure efficere nequit.

Pontificii de non adorandis sanctis convicti.

Ex horum priore convincuntur *Pontificii*, qui sequestres alios in precando adhibent præter Christum: quandoquidem Deum oportet esse, cujus causa & gratia aliquid nobis largiatur. Nec vero quicquam illos juvat, quod plerumque in Scriptura dicitur Deum alicui gratificaturum Abrahami, Davidis, &c. causa; quandoquidem hujusmodi formulis significatur Deum hoc facturum propter promissum & fœdus suum, quod cum illis in Christo pepigit, ut Deus & Christus Deique & Christi dignitas & meritum proponatur ante oculos, non autem Davidis aut Abrahami. Vt si de posteritate facinorosi ad mortem postulata cui post quam rex vitam, quam jure adimere poterat, indulsisset, diceretur, Ego propter patrem eorum à quo oriundi sunt, hanc pœnam ab illis exigi non patiar. Ecquis tam amens est, ut Regem ob facinorosi meritum aut dignitatem posteritati ejus pepercisse affirmet. Nam uterque & Abrahamus & David in seipsis & in suis meritis erant facinorosi, tametsi Dei gratia & Christi merito justi. Exemplum sumatur in Gibeonitis, quorum posteritas morte per Saulem affecta, post vindicata est, non ullo eorum merito, qui populo Dei imposuerunt; sed propter juramentum, quo principes se obstrinxerant de illis in vita conservandis.

Spiritus Sanctus etiam à Filio procedit.

Ex posteriore *observatur* adversus *Græcam Ecclesiam* Spiritum Sanctum à Filio procedere, quandoquidem filius ipse non tantum mediator est sanctificationis fidelium, sed ipse eos sanctificat. Quod cum non possit fieri nisi per Spiritum, efficitur Spiritum perinde à Filio ut à Patre procedere quandoquidem Filius ipse non minus per Spiritum Sanctum, quam Pater, operatur.

Piorum privilegia, amplissima.

Hæc cum de filii persona nos instruant, occurrunt porro alia quæ nos de ejus officio informant. Quorum prius ad admonitionem, alterum ad consolationem spectat. *Primum* enim *docemur* ut fide tanquam fonte, ita oratione tanquam situla, bona omnia à Deo obtinenda esse. Et vera fides orationem tanquam filiam parit. *Credidi, propter quod loquutus sum. Psal.*116,10. Est enim clavis, qua reseratur cum animus, tum os. Deinde amplissimis promissis hoc loco fideles instruuntur. *Matth.*7,8. *omnis qui petit accipit,* ut ut

abjectus, ut ut sceleribus coopertus & peccatis onustus. Hoc loco, quicquid petierimus, Christus faciet. Mirus igitur stupor & incuria, quod his juribus instructi & privilegiis, illis non utamur: an nullius igitur indigemus? &c.

Certa tamen regula limitata.

Notandum hic exceptionem & cautionem esse apud *Iohan.1. Epist. cap.5,14.* petendum esse *secundum divinam voluntatem*, ea, quæ nos petere decet & Deum dare non sit indignum; id est, quæ Deus nobis largiri pollicitus est cœlestia primum & cum primis: post quæ istius vitæ sunt.

Sequitur *altera adhortatio* ad mandatorum custodiam.

Vers.15. *Signum amoris Dei observantia præceptorum ejus.*

Primum argumentum à causa procreante, Dei scilicet dilectione, quæ si aliqua sit, aliquam etiam mandatorum observationem fore necesse est; si mediocris, mediocrem; si nulla, nullam: tantum enim dilexisse comperiemur, quantum in servandis Dei mandatis studium & operam posuerimus. Hoc igitur modo veram fidem à fucata distinguit, si, &c. Vide *Deut.*11,1,*&c.* Simul docet illorum in se dilectionem non esse mœrore de ejus abitu arguendam, sed ex observatione mandatorum.

Luctus non est amoris signum.

Hinc *docemur* uxores, filii, servi, & subditi, non esse justum argumentum ad nostram erga maritos, parentes, heros, & principes dilectionem probandam, si illos morte sublatos lugeamus amare, nisi illis viventibus obsequium præstemus. Fieri enim potest ut nostrimet ipsorum dilectione hoc faciamus. Audias multos; hanc querentem se bonum maritum, alium se charos parentes, tertium se benignum herum, quartum denique gratiosum principem amisisse, quibus, cum viverent, nullum obsequium præstiterunt.

Vers.16. *Consolatio adversus persequutiones ex missione Spiritus S.*

Ego vero rogabo Patrem & alium advocatum, &c.] Occupatio, qua objectionem ex effecto persequutionis mandatorum custodiam insequente, anticipat. Argumentum ab adjuncta consolatione. Quasi dicat, scio vos ex observatione mandatorum odium incursuros. Vide *Ioa.*3,19,20,21. & 1 *Ioa.*3,12. Sed nolite animum despondere, dabo enim consolationem. Hic igitur videmus quid homines sæpe retardat, quo minus se pietati dedant, non tantum quod natura semper & sæpe consuetudine ab ea aversum animum gerunt; sed etiam quod vident magnam inde illis tempestatem concitandam. Sed stulte faciunt & inconsiderate, qui non reputant consolationem illos manere, quæ illi oneri ferendo idonea sit, atque adeo qua illam difficultatem facile superent. Vide. 1 *Tim.*4,9,10. item *Rom.*8,18,37. Quod non tantum magnitudine consolationis, sed duratione etiam arguitur, ut quæ nunquam illis adimetur, cum afflictiones sæpe intermissæ & interpolatæ tandem penitus cessabunt & abolebuntur, cum Deus nobis lachrymas deterget. Huc accedit quod post dicit paracletum hunc ita illis semper præsto adfuturum, ut cum illis sit; cum Christus nec semper cum illis futurus erat, nec unquam cum illis nisi per Spiritum. Quod si commodo ducitur, aliquem ad cubitum habere semper qui suggerat, quanti est Spiritum Christi intus in animi penetralibus gestare.

Vers.17. *Cur Spiritus S. Spiritus veritatis.*

Πνεῦμα ἀληθείας.] Ab adjuncta veritate Spiritus, cujus & author & assertor est, probat præsto illis futurum Spiritum Sanctum; ac si diceret: Vobis veritatis ergo afflictis & cruentatis certo sciatis Spiritum semper affuturum; quandoquidem ipse ejusdem veritatis sit autor, eoque ipso vindex. Vide 1 *Pet.*4,14. Quis enim paulo humanior, qui alium sui obsequio periclitantem viderit, eum desertum patietur.

Mundus Spiritum S. contemnit, quia ejus capax non est.

Ὁ κόσμος.] *Secundum argumentum*, quo eos consolatur ab adjunctis, cum odio, tum ignorantia mundi, quibus erga Spiritum veritatis affectus est. Quasi dicat; fieri potest ut vos moveat quod videatis Spiritum, qui in vobis est, contemni à mundi potentibus & sapientibus, unde subintrare possit animum vestrum suspicio, illum nullius pretii esse, quem mundus contemtui habet: sed scitote hoc eo fieri, non quod non sit pretiosus, sed quod pretium ejus ignorent & vim ejus, &c. Vide 1 *Iohan.*3,1,2. Quis gemmam minoris æstimabit quod gallum gallinaceum ei granum hordei præferre videat, aut quod infantulum gemmam pomo postponere intelligat; maxime cum illius accipiendæ capaces non sint. Plerique enim inveniuntur, qui cum rem aliquam præclaram sua indignitate & ἀδυναμίᾳ consequi nequeunt, ilico ut rem nihili illam deprimunt, tanquam si vulpes uvas contemneret, quas nequit assequi. Hoc igitur modo amplificat beneficium, quod mundus ejus particeps esse nequit.

Vers.18. *Christus perpetuus suorum defensor.*

Tertium argumentum ab adjuncta defensione & propugnatione quam ipse Christus suis suppeditabit, laborantibus præsertim: quod amplificat à comparatione disparatorum suæ erga illos propugnationis & aliorum in suos clientes patrocinii. Sic *Iohan.*

1, 9. &

1,9. & *Hebr.*13,5. *non te deseram, neque derelinquam.* & *Phil.*1,6. *qui bonum opus in vobis inchoavit, illud persequetur ad diem usque Domini. Dona Dei esse absque pœnitentia. Rom.*11,29. Ex quo illud liquet quam operæpretium sit, Christum nobis patronum per Spiritum, & propugnatorem acquirere. Quo acquisito, nunquam deinceps destitui possumus. Quod de nullo neque in terra, neque in cœlis enunciari vere potest. Qui enim vel parentes suos liberos, vel advocati clientes, vel tutores pupillos arctissime diligunt & complectuntur, tamen illos his promissis munire non possunt.

Cui nos & nostri commendandi.

Hic igitur præcipua cura ducamur, cum ut ipsi hunc ambiamus; tum nostros ita instituamus ejus præceptis, & precibus ei commendemus. Olim nobiles sua prædia à Rege, tanquam summo Domino & patrono tenere præoptarunt, ut eorum filii Regum sub umbra tuti & tecti manerent, &c. Sic, &c. Verum quidem est pios aliquando affligi, sed nunquam tamen opprimi. Vide 2 *Cor.cap.*4, *vers.*8,9,10.

Vna quoque liquet quam misera sit hominis conditio sine Christi per Spiritum præsentia.

Christus suis Spiritu suo adest.

Ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.] Hic notat se ad eos venturum, & sua præsentia illis opitulaturum; ne existiment eum propterea absentem fore quod corpore absuturus sit. Hanc enim præsentiam non tam carnalem & corporalem esse apparet ex 20,22,23. *vers.* Sed eam vel maxime notat quæ indicatur, *Mat.* 28,20. *Ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem*, & *Actor.*18,9,10. hæc est præsentia gratiæ & Spiritus sui Sancti. Hic coarguuntur, qui ex Christi præsentia in terris, conclusam putant carnalem præsentiam.

Vers.19. Non item impiis.

Vt prius Spiritus Sancti, sic nunc hoc præsentiæ suæ beneficium adjuncta impiorum incapacitate & incommunicabili illis facultate illustrat: quasi dicat; Impii hujus carnalis & mortalis præsentiæ, perinde ut vos, participes sunt: Sed visio & communicatio, cujus à morte mea participes & consortes fietis, ejus generis est, quæ partim communicabitur, partim non potest cum impiis communicari: ob eamque causam non tam dolenter absentiam meam ferre debetis: hujus visionis largissime participes eritis, cujus cum impiis nullum est omnino commercium.

Ex quo apparet falsum esse quod *Pontificii* & alii de impiorum cum Christo communicatione in cœna garriunt.

Ad hanc Christi præsentiam requisita duo.

Ad hujus consolationis præstationem *duo* requirebantur, *unum* ut Christus morte sua, quam prædixerat, non interiret; quod illos metuisse apparet. *Alterum* ut & ipsi in vivis conservarentur, de quo magis adhuc dubitarunt: horum iccirco utrumque anticipatione quadam futurum confirmat. Vbi quod de se dicit, *ego vivo*, vitæ perpetuitatem indissolubilem & propria vi & virtute ita consistentem indicat, ut aliis eandem communicare possit. Vide *Iohan.*5,26,21. atque multo efficacius, quam si dixisset, *ego vivam*, sicut de suis discipulis adjungit: Eo enim docet se vel tum vivere Spiritu, scilicet, cum carne mortuus futurus foret; in quo Spiritu in diebus Noæ, &c. 1 *Petr.*3,18,19. Hoc *docemur* nos de vita præsenti non adeo solicitos esse oportere, quod Christo coadunati per fidem vitam & vitæ fontem & scaturiginem prope nobis admotam habeamus, unde tantum vitæ nobis suppeditabitur quantum satis erit. Hoc pacto se consolatur Apostolus, 1 *Timoth.*4,10. & Timotheum ipsum 1 *Tim.* 6,13. Ecquis patrem amantem & regem habens, cui vitæ & necis potestas est, sibi à morte à patris subditis inferenda metueret, aut relicto patre ad subditum vitæ causa se reciperet? Hinc confutatur *Græca Ecclesia*, cum Christus non nisi per Spiritum præsens sit.

Vers.20. Christi salutaris præsentiæ sensus.

Arguit præsentiæ suæ veritatem ab effectu: nempe acriori & vivaciori sensu tum suæ cum Patre unitatis essentialis, tum eorum secum gratiosæ adunationis: quod eo dicit ut cum & Patris notitiam & suam cum illis præsentiam tantopere expeterent; utrumque hoc suo discessu se consequuturos scirent; & quidem suam præsentiam non, ut prius, extra se, sed in se & apud se persentirent. Ex quo veram & salutarem Christi in nobis præsentiam dignoscimus, si illum in nobis agentem sentiamus, cum mentes nostras sui notitia illuminantem, tum nos adversus omnes mortis & inferorum terrores confirmantem. 2 *Cor.*13,5. *Gal.*2,20. *Ephes.* 3,16,17. Christus enim nudus non venit ad quenquam, sed Spiritus sui donis instructus. Ex quo apparet cujusmodi est illa *Pontificia* Christi præsentia, quæ nihilo illos doctiores, sanctiores, melioresve reddit.

Hic responde *Arianis*, qui Christo cum Patre unitatem talem affingunt, qualis nostra est cum Christo.

IOHAN. *cap.* 14, *à verſ.* 21, *ad* 27.

21 *Qui tenet præcepta mea, & obſervat illa, is eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à Patre meo: & ego diligam eum, & ei conſpiciendum exhibebo meipſum.*

22 *Dicit ei Iudas, non* ille *Iſcariotes; Domine, quid eſt cur te ſis nobis conſpiciendum exhibiturus, & non mundo?*

23 *Reſpondit IESVS & dixit ei; Si quis diligit me, ſermonem meum obſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.*

24 *Qui non diligit me, ſermones meos non obſervat: & ſermo quem auditis, non eſt meus, ſed ejus qui miſit me,* nempe *Patris.*

25 *Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens.*

26 *Advocatus autem ille,* id eſt, *Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.*

ANALYSIS.

Effectum amoris noſtri erga Chriſtum primum tenere Chriſti mandata: deinde eadem ſervare: cujus adjunctum eſt, quod diligetur à Patre & Chriſto ſimul: cujus dilectionis Chriſti erga nos effectum eſt, quod ſe nobis manifeſtabit.

Verſ. 22. Hujus poſtremi Chriſti dicti effectum eſt quæſtio, quare ſe vellet diſcipulis manifeſtare; quæ quæſtio ſuo efficiente, Iuda, arguitur; qui ſuo diverſo illuſtratur, quod non ſit Iudas Iſcariotes, manifeſtatio ſuo diverſo amplificatur quod nollet ſe mundo manifeſtare.

Verſ. 23. Præterita quæſtione pergit Chriſtus in explicandis effectis noſtri erga Chriſtum amoris, nempe ſervare ſermonem Chriſti: cujus effectum eſt, quod diligetur à Patre: deinde alio effecto, nempe adventus Patris & Filii ad eum; qui ſuo fine declaratur, ut apud eum maneant.

Verſ. 24. Confirmat eum, qui diligit Chriſtum, ejus ſermonem ſervare ab adverſo, quia non ſervans non diligit: ſermonis ſui dignitatem amplificat à comparatione majoris, quod non ſuus, ſed Patris ſermo ſit.

Verſ. 25, 26. Præſentiæ Spiritus excellentiam præ ſua corporea præſentia amplificat ab effectis, quod ipſe quoad humanitatem nihil aliud facit, quam ut doctrinam ſalutis ita proponat, ut illam tantum auribus percipiant, cum Spiritus illos tum doceat, ut ignota intelligant; tum oblivioni tradita illis in mentem revocet.

METAPHRASIS.

21. *Sicut dixi vobis me diligentes mandata mea*
ſervaturos: ſic nunc dico eum, qui primum
mea mandata edidicit, deinceps intelligentia
comprehenſa ſervaverit, me amare. Qui au-
tem me charitate complectitur, is non ſine ma-
gno fœnere hoc faciet. Nam & Pater meus
eum diligit & ego illum diligam: Cujus ſin-
gularis inter alia fructus erit, quod meipſum
illi familiariter patefaciam. Dixit illi Iudas, 22.
non Iſcariotes ſeu proditor, ſed Iudas Alphæi
filius: Domine, quid cauſæ eſt, quod te ipſum
nobis tam familiariter patefacere vis, non au-
tem his, qui ſunt in mundo, impiis. Ad quem 23.
Ieſus: Omiſſa tua non tam ad id, quod in ma-
nibus habemus, appoſita quæſtione, pergo in
ſuſcepto ſermone. Si quis me diligat & ſermo-
nem meum ſervaverit, eum Pater meus dili-
get, ad quem uterque noſtrum Pater & Filius
per Spiritũ veniemus, ut apud illum non tan-
quam hoſpitem, ſed conſtanti & perpetua com-
moratione maneamus. Quod dixi clarius ſuo 24.
adverſo eluceſcit. Qui etenim me non diligit,
ſermones quidem meos audire, forte intellige-
re, & meminiſſe poterit: ſed ſervare certe non
poteſt. Qua in re quam graviter peccat, inde
cognoſci poteſt, quod ſermo meus non eſt (quo-
ad homo ſum) meus, ſed qui me miſit Patris.
Alienum forte videri poteſt, quod hæc vobiſ- 25.
cum dolore oppreſſis loquutus ſum, qui præ do-
lore ad hoc aut intelligendum, aut in memo-
ria retinendum, inidonei eſtis, ſed non eſt (ut
pûtatis) hic labor inanis. Nam conſolator ille, 26.
quem dixi, Spiritus (inquam) Sanctus, quem
Pater meo interventu & mediatione mittet;
is vos cum quæ non intelligitis docebit, tum
eorum, quæ obliti eſtis, memoriam refricabit.

PRAXIS.

Summa, Ab hypothetica adhortatione, ad mandatorum obſervantiam Apoſtolis accommodata, ad θελκλὼ, quæ omnibus fidelibus convenit, tranſiens: Occurrit difficultati, quæ ex ſuo tam longo & vario, apud duodecim ad ſe audiendum inidoneos, ſermone naſcitur.

Partes

Partes sunt:
- Omnibus fidelibus servandi Dei mandata, ut summam necessitatem incumbere, ita mercedem amplam reponi.
- Occupatio difficultatis de sermone apud Apostolos tam prolixo & vario, cum ipsi ejus percipiendi tam incapaces essent.

Vers. 21. *Fidelibus omnibus mandata Dei servanda æque ac Apostolis.*

Eandem servandi Dei mandata necessitatem (quæ Apostolos manet) omnibus fidelibus incumbere, apud Apostolos proponit. Tametsi igitur Apostolos duntaxat alloquatur, tamen non de his tantum, sed & de aliis ab ipsis instituendis sermonem habet. Sicut enim oratio, 17. *cap.* qua concionem clausit, non tantum Apostolos, sed alios fideles complexa est: *cap.* 17, 20. Sic etiam præcepta & mandata dedit, quibus cum hi tum illi ad vitam æternam imbuerentur. Quod eo potissimum consilio fecit, quia Apostoli fidelium doctores futuri erant. Tametsi vero & mandata & promissiones mandatorum observantiæ adjunctæ, eadem sunt: tamen repetit hoc loco (ut & aliis;) quod non sine singulari fœnore, & sancta usura facit Christus.

Unde error vulgaris reprehensus.

Quod adversus illos facit, qui aliam sanctitatem Ministris affingunt, aliam plebi impositam: quasi alius sit Deus Ministrorum, alius populi: aut si alia fide plebs justificetur, alia Ministri. Verum quidem est Ministros prælucere debere aliis. Sed hoc tantum abest ut minuat studium populi, ut illos ad omnia mandata astringat. Nam si illi præire debent, illis incumbit eosdem vestigiis omnibus insequi. Atque ut Minister suum officium non faciat, ille luet pœnas; sed interim manet obligatio populi.

Mandata Dei servare cupienti eorum cognitio necessaria est.

Primum igitur dicit; ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς, cujus officii prius non meminerat. Eoque docet eum qui obsequium Dei mandatis præstare vult, primam curam habere oportere, ut illa cum discat sollicite, tum firmiter retineat. Quo *docemur* non nos natura illa scire, aut percepta retinere, ut qui quæ carnis sunt & sapimus & meminimus probe; contra autem quæ sunt Dei, & ignoramus, & nota facile effluere patimur. Unde *Prov.* 3, 1. memoria & recordatio mandatorum sæpius & vehementer efflagitatur. Cujus rei si exemplum quærimus, ubi expressius videbimus quam in Apostolis? Hinc refelluntur qui mandatorum Dei perceptionem rem facilem & ludicram putant, ut quisque absque præceptore se illa percipere posse autumet: contra quam David, qui nullum Deum precandi finem facit, ut se doceat vias & mandata sua. Verum quidem est, homines aliquod discrimen boni & mali natura habentes, aliquousq; Dei præcepta tenere, ut Deum colendum, &c. Sed illa cognitio legis satis est excusationem illis duntaxat adimere, *Rom.* 1, 20. non autem ad Christianum hominem informandum in illa vitæ sanctitate, quæ Deo per Christum accepta est: ut quis aulicam disciplinam ita accipiat, qui regi obsequium præstet, aliquot annorum intervallum & ingenii acumen & dexteritas requiritur. *Daniel.* 1, 4, 5. Ut igitur quis gratum officium Deo præstet, qui rex maximus regum, multo & vehementius & diuturnius incumbere cum necesse est. Si quis Artifici in disciplinam detur, eum non admittet, nisi sibi ad septem aut plures annos obstrictum habeat: excipiet enim tres aut quatuor annos abire, antequam ullum fructuosum ab illo officium percepturus sit. Inanissima igitur eorum jactantia est, qui se Deum colere & illi obsequi gloriantur, qui nunquam hoc facere edocti sunt.

Amoris erga Deum signum;

Ante adhortatus ad mandatorum observantiam, à causa ad effectum argumentatus est; nunc ab effecto ad causam: prius enim docuit amantes Christum ejus mandata observare. Nunc dicit observantes mandata Christum amare. Hic igitur ***notandum*** nos tum demum amare Deum certos duntaxat esse, si mandata ejus observandi studio tenemur. Si quis subesset, ad quem diceretur, eum Deum non amare, gravem sibi injuriam fieri existimaret. Egone ut Deum non amem? Atqui quanta multitudo est eorum, qui Deum non ament, imo detestentur. *Rom.* 1 30. θεοστυγεῖς omnes non regeniti. Si quis affirmaret de quopiam eum diabolum amare, indignissime hoc ferret. Sed quanta infinitas est, quæ illum deperit & insano amore prosequitur, cum ejus instinctu & impulsu omnia faciant. Porro cum dicitur eum tantum Christum diligere, qui præcepta Christi servat; palam est eum qui humanis præceptis servandis se macerat & fatigat, non tamen Christum diligere, non magis quam qui ad voluptatem omnia faciunt.

Fructus.

Quamvis autem in se præclarum sit Deum amare, etiam nullus si inde fructus rediret, cũ inter homines reperiantur, apud quos fructus amicitiæ amplissimus est ipsa amicitia; tamen si fructum reputemus quem adscribit Christus, mirifice nos accendet in mandato-

rum obſervantiam: dicit autem unico noſtro amore nos duos excellentiſſimos amores lucrari, Dei & Chriſti. Hoc lucrum amplum eſt, hoc fœnus fæcundiſſimum eſt. Sic enim obſignatur animis noſtris noſtra ante jacta mundi fundamenta electio ad æternam ſalutem. Sic 2 *Pet.*1,10,11. *Certam facite electionem veſtram*, *&c.* Hoc tametſi abunde magnum emolumentum ſit, adeo ut non ſit neceſſum nos de aliorum omnibus odiis ſollicitos eſſe, ſi quidem Deum noſtri amantem habeamus. *Rom.*8,32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* tamen hæc Dei dilectio omnium Angelorum & piorum in nos dilectionem ſecum trahit. Addo impios ita fingi & flecti à Deo, ut (quoad nobis expedit) nobis benigni futuri ſint: quod variis Sacræ Scripturæ exemplis liquet. Animadverte vero quantam certitudinem nobis hoc adfert Dei erga nos amoris. Nam cum mandatorum obſervantia exploratum nobis fiat, nos Deum & Chriſtũ diligere; quanto magis certi eſſe debemus & compertũ habere, nos à Deo diligi? Si enim nos, qui natura θεοστυγεῖς ſumus, Deum amemus; quanto magis Deus, qui natura ſua φιλάνθρωπος eſt, *Tit.*3,4. nos amabit? & ſi Deus nos tum charos habuit, cũ nos illum odio proſequuti ſumus: nedum nos jam amat, cum illum amamus. Vnde etiam ſolvitur illa difficultas, qua videri potuit Dei amor erga nos ex noſtra erga eum charitate profectus. 1 *Ioha.*4,10. *non quod nos prius illum dileximus*, *Rom.* 5,8,10. Deinde abſurdum eſt aliquid in Deo prius & poſterius eſſe.

Effectum. Sed videamus hujus amoris Dei & Chriſti effectum. Videtur autem Chriſtus utriuſque effectum hic dicturus fuiſſe, niſi diſcipuli importuna interrogatione ſermo ejus abruptus fuiſſet. Quamobrem amoris ſui, hoc eſt, Chriſti, effectum tantum hoc loco dicit; cum dicit ſe hanc teſſeram ſui amoris apud ſuos relicturum, quod ſeſe illis porro communicaturus ſit & ſui potiendi majorem copiam facturus, cum naturæ ſuæ, tum officii erga nos, tum noſtri in Deum officii; denique ſeipſum facie ad faciem tandem videndi: quorum ſingula eximia beneficia cum ſunt: tum conjuncta quanti facienda ſint, non eſt facile dictu, ut vere dici poſſit, quod *Pſalm.* 19, *verſus* 11. canitur, ſervandis illis magnam eſſe mercedem. Hæc igitur compendioſa eſt via ad voluntatis divinæ notitiam, ſi quis ſe in mandatorum praxi exerceat. Hac enim ratione plus ſolidæ cognitionis theologicæ ſibi congeret exiguo annorum ſpatio, quam qui integram ætatem, idque in Academia (ſine hoc) in theologiæ ſtudio collocarint. Vide *Rom.*12.*verſ.* 2. & *Iohan.*7,17. Amico enim quis ſua arcana retegit. Hic porro ***notandum***, beneficii ſingularis loco deputari, quod Chriſtus ſuam alicui voluntatem patefacit; quod plerumque parvi æſtimatur.

Dicit ei Iudas, *&c.*] Hoc ab Euangeliſta notatum ob eam cauſam, ut imperitiam diſcipulorum indicet, & ſimul apertum ingenium, & ea, quæ ignorabant, diſcendi cupidum: de quo vide ſupra: tametſi major ſtupor adhuc elucet, quod ſermone ad utrumque diſcipulum non eſt abductus à terreſtri Chriſti viſione, de qua adhuc ſomniavit, ac ſi pompam & ſplendorem regium illis duntaxat communicaret. Verſ.22. *In Iuda, præter imperitiam & ingenuitatem, ſtupor.*

Chriſtus reſponſo primum Iudam eo erraſſe docet, quod ſermonem priorem ad duodecim tantum revocarit, quem Chriſtus omnibus communem eſſe voluit. Sed reſpondet quæſtioni tamen, docetque hanc cauſam eſſe, cur fidelibus ſe communicet quod ſe ament, & ſermones ſuos ſervent: contra non mirum eſſe ſi ſuam præſentiam ſalutarem mundo ſubtrahat, qui eum non amet, eoque ejus ſermonem non ſervet, adeoque Patris ſermonem, cujus gloriæ ille unice ſtudeat. Non quod hic cauſam ſalutis notet, quæ eſt in fideles Dei dilectio (tametſi in impios non ſolum odium, ſed illorum peccata perditionis cauſa exiſtit) ſed quod non niſi cum his communicet ſe, qui vitæ ſanctimonia præditi ſunt; ut bona opera adjuncta aut effecta tantum ſint Chriſti nobiſcum communicationis, ut 1 *Ioh.*1,6,7. Quanquam videtur potius hac inutili quæſtione præterita, inſtitutum de obedientia ſermonem perſequi. Verſ.23. *Chriſtus ſe fidelibus communicat, quia mandata ſua ſervant.*

Hic eandem doctrinam, quam ſupra *verſ.* 15. propoſuit, repetit, ſed tamen non ſine ſingulari incremento; nam ante juſſit eos, qui ipſum amant, ejus præcepta ſervare. Hoc autem loco confirmat illud certiſſime factum iri, ſi quis ipſum amore complectatur. Alioqui enim multa imperantur, quæ non ilico exequutioni mandantur. *Doctrina hæc repetita, ſed cum incremento.*

Hoc loco aliam non abſimilem priori promiſſionem attexit; eum ſcilicet qui mandata Dei ſervat, ſe & Patrem hoſpites apud ſe habiturum. Quo non tantum amorem, ſed intimi cujuſdam amoris effectum declarat, quod apud ſe divertent: Principes enim cum alicui honorem habere volunt, eorum ædes *Inſignis promiſſio ei appenſa.*

ædes ſibi in hoſpitium deligunt. Honori ducitur ſummo, *Hebr.*13,2. quod Angelos quidam hoſpitio exceperunt: quanti igitur honoris eſt angelorum Dominum ipſum excipere? Shunamitis & Sareptana vidua eximia commoda perceperunt ex hoſpitio Eliæ, 1 *Reg.*17.& Elizæi. 2 *Reg.*8.quæ igitur commoda ex Dei ipſius contubernio ſperari poſſunt? *Apoc.*3,20.Notatur adhuc major quædam familiaritas: item 2 *Cor.*6,16. Hinc adhortationem ducas ex *verſ.* ejuſdem *cap.*17. Maxime vero cum apud nos manſurus ſit. Amicorum enim ut adventu ſingulari gaudio perfundimur,ſic eorum abitu valde contriſtamur. Hinc etiam apparet unam eſſe triados naturam quod per Spiritum in nobis cum Pater,tum Filius habitent.

Verſ.24. *Sublata dilectione Christi tollitur obſervantia mandatorum.* A cauſa etiam negative argumentatur; nam ſublata dilectione Chriſti,tollitur etiam mandatorum obedientia. Quo *docetur*, nullam eſſe obedientiam niſi in vere Chriſtianis. Tametſi enim *Turcæ*, *Iudæi*, *Papiſtæ*, videntur præclara quædam facere, & vitam inculpatam agere, & virtute antecelluiſſe Davidem, &c. tamen Chriſtus aperte docet illic nullam eſſe obedientiam: nec enim Chriſtum diligere queunt, quem non norunt: Ne nobis imponat, ſi quando virtutis inſignem ſpeciem in hoſtibus religionis videamus. Sunt illa quidem bona opera in genere, ſed in ſpecie & quatenus ſine dilectione Chriſti & fide geruntur, impia & ſcelerata ſunt.

Quorum violatio exaggeratur. Hic etiam *notetur* mandatorum violationem exaggerari,quod ſunt Dei mandata: ut non ſint pro mandatis reputanda, quæ proficiſcuntur ab ipſo Chriſto,quatenus homo eſt inferior Patre. Tale eſt quod ante habuit; *Sermo meus non eſt meus, ſed Patris mei, qui me miſit.* Inde etiam fit ut damnatio infidelium non in eo conſiſtat, quod Apoſtolos quis non audit, ſed quod in illis Chriſtus,in Chriſto Deus contemnitur. *Mat.* 10,40.& *Iohan.*12,44,45.Contra *Pontificios*, qui autoritatem ſummam ſuis mandatis & traditionibus vendicant. Vnde etiam cauſam ſubindicat, cur ſe impiis non communicet, quod non in ſe tantum, ſed & in Patrem nimis injurii ſunt, cujus gloriæ ut propriæ ipſe ſtudet.

Verſ.25, 26. *Christi ad poſſibilem objectionem responſio.* Sequitur *pars altera*, quæ eſt prolepſis anticipans quod objici poterat de Chriſti ſermone(in ſpeciem)importuno;quod Apoſtoli metu & mærore correpti ad illa, quæ dicebantur, percipiendum minus capaces erant. Reſpondet enim Spiritum Sanctum utrumque vitium tum memoriæ, tum intelligentiæ, quo laborabant, correcturum. Eſt autem ὑπόμνησις quia primum illa in memoriam revocabit; poſt, eorum ſenſum illis exponet. Vide *Ioh.*2,22. quod idem de cæteris Chriſti dictis intelligendum, ut paſſim ex aliis apparet.

Intelligentiam & memoriam verbi divini Spiritus S. confirmat. Hoc loco inſignis *doctrina* eruitur, qua recreentur qui ad conciones accedentes parum aut intelligunt, aut ex perceptis memoria retinent, cum illud negligentia non fiat, ſed aut tentatione, aut ingenii & memoriæ exilitate. Omnino enim ſibi perſuadeant, ſibi Spiritum Sanctum adfuturum cum opportunum fuerit, & doctrinæ perceptæ vel auditæ potius aliquem majorem uſum futurum cum memoria, tum etiam intelligentia eorum, quæ dicuntur. Quamobrem non eſt animus deſpondendus, dummodo hujus ſanctiſſimi negotii quis curam non abjiciat. Sicut enim videmus naturam in anguſtiis redactam ſeipſam ſuperare vel ſaltando, vel currendo,vel onera ſuſtinendo: ſic etiam Deus in παλιγγενεσίᾳ laborantes & ad anguſtias redactos aut opis ſingularis indigentes mirifice reficit. Eodem rationis momento infantes docemus ſacra ſonare, quod parum aut intelligentes aut retinentes,poſt Spiritus Sanctus in acceptorum cum memoria, tum intelligentia, eos confirmat.

Anabaptiſtarum & Papiſtarum ex hoc loco inſignis refutatio: Hic autem locus inſignis eſt ſi quis alius, non ſolum adverſus *Anabaptiſtas*, qui apparitionibus & ἐνθουσιασμοῖς ſpreto verbo animum advertunt, ſed & *Papiſtas* qui *Anabaptiſtis* hac in re conſanguinei ſunt, dum verbum ſcriptum à Spiritu disjungunt, & Spiritum ſine ſcriptura jactant.Apparet enim Spiritum nihil docere niſi quæ audivit, ut poſt ſequitur; & nihil docere, cujus memoriam non renovat & refricat; ut hoc loco. Cum igitur Chriſtus ita verbo ſuo Apoſtolos alligavit; ut illis Spiritum ſuum doctorem indulgere nollet, niſi in his, quæ prius ejus ſermone & verbis (quamvis ad diſcendum inidoneos) docuiſſet: nedum hoc aliis quibuſcumque liberum reliquit, ut à verbi præſcripto divagari libere queant.

Et Deitatis Spiritus S. aſſertio. *Notetur* porro Spiritum Sanctum eſſe, Deum, ut qui intus doceat fideles. Quum enim non niſi θεοδίδακτοι *Ier.*31,33,34. *Hebr.* 8,10,11. Spiritum, quod eos intus doceat, Deum eſſe evincitur.

Ioh.

IOHAN. *cap.* 14, *à verſ.* 27, *ad finem Cap.*

*27 Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis: non prout mundus dat,
ego do vobis; Ne turbator cor veſtrum, neque formidato.*
*28 Audiviſtis me dixiſſe vobis; Abeo & redeo ad vos, Si diligeretis me, gaudere-
tis utique quod dixerim, proficiſcor ad Patrem: nam Pater major me eſt.*
29 Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut quum factum fuerit credatis.
*30 Non loquar amplius multa vobiſcum: venit enim princeps mundi hujus, ſed
in me non habet quicquam.*
*31 Sed ut norit mundus Patrem à me diligi: & prout præcepit mihi Pater, ita
faciam: ſurgite, abeamus hinc.*

ANALYSIS.

Conſolatur illos porro ab adjuncta pace, quam abiens illis relinquit & gratis dat: quam amplificat à diſſimili quod ſit alia ab ea, quam mundus dat. Cujus effectum eſt ut illos à terrore eximat; quod confirmat à comparatione minoris, quia etiam illis metum eximet.

Verſ. 28. Reprehendit eos quod ex duobus à ſe propoſitis, nempe diſceſſu ſuo & reditu, diſceſſus ſui ſenſu dolore affecti ſunt, præterito gaudio, quod ex reditu percipere debebant: deinde quod vel ex ipſo diſceſſu voluptatem non perceperint; quod arguit à ſubjecto loco & perſona ad quam vadit, nempe Patrem; quod confirmat, à comparatione majoris, quia Pater illo major: cujus gaudii defectus cauſam aſſignat, amoris erga ſe tenuitatem, ex nimio ſuimet amore profectam.

Verſ. 29. Cujus prædictionis finem notat, ut, cum fiat, in fide erga ſe confirmentur, cui nihil accidit quod ille non prævidit.

Verſ. 30. Præſentem ad illos ſermonem commendat ab adjuncto tempore, quod ſit ante mortem ultimus. Cujus cauſam efficientem indicat, quod diabolus per ſuos miniſtros illi vitam adimet; quod ſuo diverſo declaratur, quamvis nulla ſit in illo mortis cauſa.

Verſ. 31. Cauſa efficiens mortis, quam perpeſſurus erat, ut mundus intelligat eum diligere Patrem; cujus dilectionis effectum eſt obſequium, quod Patri præſtat mortem obeundo: deinde ſequitur adhortatio ut à menſa ſurgentes inde, ubi cœnabant, diſcederent.

METAPHRASIS.

27. *Relinquens vos ad tempus quoad humanam naturam, non auferam tamen animi pacem, qua jam fruimini, ſed illam meam, quam ego conferre poſſum, vobis relinquo, aut etiam ampliorem vobis dono. Sed ne in pacis nomine erretis, pacem non quæ auferri ſolet, ſed eam, quam mundus, ut nec dare nec accipere, ſic nec auferre poteſt. Quamobrem ex diſceſſu meo nolite conturbari, ſed neque timere.*
28. *Audiviſtis quid vobis dixi, me ita à vobis diſcedere, ut reditum brevi temporis ſpatio cogitem: vos autem abitus mei mentionem mordicus arripientes, (præterita reditus mentione) contriſtamini. Atque tantum abeſt ut hoc modo veſtrum in me amorem teſtatum reddatis: ut contra amoris veſtri indicium, eſſet & certiſſime vos me amare agnoſcerem, ſi ſolide de hoc meo diſceſſu lætaremini, ſiquidem ex hac vita migrans ad Patrem in cœlis proficiſcor, qui cum me, qua homo ſum, atque adeo mediator Deus & homo, major eſt me, multo beatiorem quam jam ſum reddet.*
Hæc vobis in præſentiarum antequam fiant 29.
prædico, ut cum fient, me credatis verum Mediatorem eſſe. Ante mortis meæ perpeſſionem 30.
pauca modo mihi apud vos dicenda ſuperſunt: quo majorem attentionem adhibere vos convenit, ut fructum accipiatis. Nam Diabolus (cui juſtiſſimo Dei judicio ob peccatum Adæ tota ejus poſteritas ſervituti peccati turpiſſimæ addicta eſt) per ſuos miniſtros Iudam, Annam, Cajapham, Pilatumque jam me prehendere paratus eſt. Sed vos conſolari debet, quod nullam nec minimam mortis cau-
ſam in me vel quærendo invenire poteſt. Quod 31.
ſi quærat aliquis cur igitur mortem perpetiar: reſpondeo ut mundus clare noſcat, quod Patrem diligo, & ex dilectione, quod ille mihi in mandatis dat, exſequor: quod vos etiam ſuſtentet, cum veſtram ſalutem tam Patri charam eſſe ſciatis, ut filius unigenitus ſuum amorem Patri cæteroquin probare non poſſit, niſi pro vobis mortem crudeliſſimam ſimul & ignominioſiſſimam obire vellet. Sed age à menſa ſurgite & impiis inimicis, qui mei capiendi cauſa jam ſe in viam dederunt, obviam eamus.

PRAXIS.

Summa. Chriſtus, ne animos diſcipulorum ſuorum abitu ſuo & ſua morte & ignominia offendat, anticipatione prævertit.

Partes

Partes sunt, Consolatio Aposto-lorum adversus mala adventu-ra in personis. { Christi. Aposto-lorum.

Vers. 27. Christus Apostolos consolatur adversus mala ipsis eventura à pace quam illis dat.

Ego non discedam à vobis nisi pace primum apud vos stabilita; imo pacem, quam hactenus in me habuistis, non aufero, sed relinquo vobis, atque adeo majorem: nec vero contristemini, quod diem ducam, aut tempus extraham, cum inpræsentiarum pacem vobis dedi. Est enim mea, quam pro libitu meo dare possim. Cum enim meo discessu Spiritum vobis missurus sim, qui est Spiritus pacis, fieri nequit, quin meo discessu pacem etiam cumulatiorem obtineatis. Sed nolite somniare pacem externam & mundanam, qualem mundus suis dat, immunitatem scilicet ab omni afflictione, altam pacem & rerũ affluentiam. Nec tamen idcirco deterior est mea pax, quam quæ sit mundi, sed melior; non solum quod pluris constat, sed quod tolli non possit: neq; a Christo, quia non vult, neque à mundo, quia non potest auferre; cum mundi pacem vel qui dederunt, vel alii adimant, aut alioqui sponte sua tandem diffluat. Vide *Philip.* 4,7. Contra vero mundi pax indigna quodammodo pacis nomine habetur. Vide *Isaia*, 57,21. *impiis non est pax.*

Cujus fructus

Hujus pacis excellentiam docet ab effectu, quod tumultus & fluctus componit & sedat, & animum distractum & jactatum fluctibus, undis & ventis placidum & serenum efficit. *Primo versu* dixerat hanc malorum sedationem esse effectum fidei in se & in Deum: nunc pacis conscientiæ, tanquam causæ propinquioris.

præclarus.

Hunc autem pacis Christi fructum præclarum esse inde liquet, quod intestinum animi cum seipso bellum est bellum omnium periculosissimum tristissimumque: ut civilia bella omnium sunt atrocissima & perniciosissima. Salomon in Proverbiis eo ipso litem uxoris exaggerat, quod unis ædibus ita conjuncta sit, ut neutiquam ab ea disjungi possis: quanto magis gravis & acerba censenda est animæ, quæ intus est, contentio & disceptatio. Contra vero valente animo & pace intus constituta, bellum quod foris geritur periculi parum aut nihil habet. Quamobrem demus operam ut hanc pacem quovis prælio redimamus: eoque in occursum Deo eamus, ut ab illo hanc emendicemus. Hæc pax nos primum Deo, deinde nobis ipsis, denique cum hominibus unitos & pacificos reddit. Imo vero cum feris agri, cum rebus inanimis, ut cum lapidibus. *Iohan.* 5,23. Cum omnibus terræ & cœli creaturis, exceptis modo inferorum copiis, quæ tamen nocere nequeunt.

Vers. 28. Consolatur eosdem adversus mala sibi eventura à profectione ad Patrem.

Cum Apostolos confirmasset adversus mala, quæ sibi ipsis timebant ex Christi abitu, jam eos confirmat adversus illa, quæ sibimet ipsi eventura suspicabantur Apostoli. Docetq; tantum abesse ut ejus causa dolere debeant, ut ob discessum ejus lætandum illis fuerit, tanquam singulari suo bono, utpote qui ad Patrem hac morte perventurus esset. Qui, cum major se esset, non dubitandum illis esse, quin hæc discessio ipsi majorem honorem esset allatura, cum Pater libenter suam excellentiam cum filio communicet. Si enim Pater prodigum & profusum filium suum, qui omnia decoxerat, ad se redeuntem tam honorifice excepit, nedum Pater cœlestis me suum ad omnia obsequentissimum filium honorifice excipiet. Nam cum *Patrem* vocet, de ipsius erga se voluntate dubitandũ non esse; cũ *majorem se* dicit satis indicat eum facultate & potentia instructum esse se honore summo afficiendi. Quod etiam vere impletum est, ut qui per mortem ascendit in cœlos & sedet ad dextram Patris, Angelis omnibus amplior, & Deo soli, quatenus mediator est, inferior; alioqui, quoad Dei filius, Deo æqualis. Hinc etiam dicitur *Iohan.* 17,5. *glorifica filium ea gloria, &c.* Hoc illustratur exemplo ab hominibus petito, qui suos amicos parentesque charos habentes, & eorum consuetudine lætantes tamen læti sunt, cũ ad aulam principis eunt, quod ibi & honore augebuntur, & suis commodius opitulabuntur.

Unde immodicum eorum dolorem sublatum it, modicum non item.

Sed *quærat* hic aliquis; an non tristitia discipulorum ex abitu Christi justa fuerit, cum & Christi perpessionibus mærere debent, *Zach.* 12,10. & sua etiam jactura, quod ejus dulcissima consuetudine orbandi essent. *Respondeo:* omnino hoc faciendum, sed ita tamen, ut consolationem dolorem superantem non excluderent, quam hoc discessu percepturi essent. Hoc applicandum his qui modum in amicorum piorum luctum excedunt, cum ex hac vita discedunt.

Falsa Arrianorum *hujus loci explicatio.*

Arrianis hic occuratur, quod se minorem dicit ea parte qua ad Patrem profecturus est, id est, humanitate: divinitate enim profectus non est. Quid, quod ipse minor seipso asseritur, cum dicitur seipsum exinanivisse. *Phil. cap.* 2, *vers.* 7. Cum igitur minorem esse seipso, illum non probet esse Deo minorem, neque minorem esse Patre quoad

divinam naturam, quod eo minor dicitur, efficietur. Potius vero arguit ipsum esse Deum: nam is est Deus excellissimus, qui est major Christo homine aut mediatore: sed Christus seipso homine & mediatore major est: ergo est Deus excellissimus.

Verſ. 29. *Prædictionis de Morte Christi fructus.*

Dixi vobis, &c.] Occupat quod objici poterat, ab adjuncto temporis, adversus Christum suum discipulis abitum prædicentem. Occurri enim posse videtur Christum non tam consulte hoc fecisse, qui tutius hæc reticuisset, quam illos præmoneret. Cui respondet à singulari fructu hujus prædictionis, nempe fide de Christi ascensu in cœlum, quæ hoc pacto egregie confirmata est. Vt enim ascensus Eliæ prius est Elizæo prædictus & aliis; quo in cœlum translatus, illuc evectus, non aliorsum abreptus crederetur. Sic & Christi. Nam ut ægre creditus est Eliæ raptus, sic Christi ascensus. Quid, quod ob hanc causam duo Angeli descenderunt, ut Apostolos de hac re restitantes confirmarent. *Act.* 1, 10.

Vnde lectionis V. T. utilitas.

Hoc loco *discimus* apprime utilem esse lectionem Veteris Testamenti, utpote quod in prædictionibus firmamentum fidei nostræ existit, dum scimus in Novo Testamento perfecta ante multa secula prædicta esse. Sic enim primum scimus rem nec temere, nec hominum arbitratu factam esse, ut ut per homines impleta sit. Sic Petrus *Act.* 2, 15, 16. refellit eos, qui dona divinitus data ad vini seu musti fæcundos calices transferri voluerunt ex Prophetia Ioëlis. Atque ut Deus suam deitatem his prædictionibus comprobat, sic vera religio suam fidem.

Exaltatio Christi admiranda.

Ad ascensum vero quod attinet, res incredibilis videbatur, & omnem humanum captum excedens. 1 *Timoth.* 3, 16. Quis enim unquam credidisset Christum ad inferorum conditionem detractum, & judicio Dei in nos (cum in cruce esset) in baratrum iræ divinæ deturbatum; ad tantam gloriam, quanta omnes creaturas & creaturæ gloriam transcendat, evehendum fore? eum qui potius vermis erat, quam homo, *Psalm.* 22, 6. supra omnes & homines & Angelos efferendum? Quod si incredibile videbatur filiis Prophetarum, Eliam fuisse translatum; quanto magis hoc de Christo incredibile futurum erat, qui ita depressus est?

Ad ea quæ in S. Scriptura sæpe repetuntur & confirmantur, diligentius attendendum.

Quia autem plurimum interfuit hæc confirmari ad consolationem Apostolorum, quæ à suo proprio & Christi bono suspensa fuit: ideo in illam partem incumbit ut ascensum Christi probe persuasum habeant, unde cum Apostolorum salus, tum Christi gloria manatura erat. Eoque docemur ut ad ea quæ à Scriptura diligenter & sollicite proponuntur, sæpius repetuntur, pluribus argumentis confirmantur, animum attentius advertamus. Quis non existimaret satis fuisse ad confirmationem ascensus Dominici apud Apostolos; quod illud à Prophetis prædictum sit, oculis Apostolorum inspectum, Angelorũ testimonio testatum? Tamen videmus & hoc fuisse necessarium, qui fortasse nobis persuademus nos hoc in articulo probe fundatos esse, cum illum semel atque sæpius legerimus & audiverimus. Spiritus Sanctus non est βαττολόγος, Christus novit profunda infidelitatis nostræ & medicinam congruenter parat, quam nisi totam exhauriamus, lethali morbo conficiemur. Nescimus porro occursuras nobis tentationes, eoque providendum ut adversus eas probe muniamur.

Verſ. 30. *Christi passio immerita.*

Non tantum vero prædicit abitum suum ad Patrem, sed ad majorem fidei confirmationem tempus circumscribit, quo illud fieret, ut cum Scriptura non tantum prædicit rem futuram, sed annum sæpe, mensem, aut diem definit. Hic porro occupat quod objici posset de adjuncta ignominia per quam ad gloriam transiturus sit. Respondet autem ignominiam illam non eis gravem esse debere ab adjuncta ipsius innocentia. Tametsi enim omni genere crudelitatis & abjectionis lacerandus erat, nihil tamen se promeruisse; diabolum nihil suum in se inventurum, id est, peccatum, *Ioh.* 8, 44. eoque nullam pœnæ justam & legitimam causam. Quamobrem per *principem mundi*, intelligit diabolum suis copiis tum infernalibus, tum terrestribus instructum Vide 2 *Cor.* 4, 4. ubi θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου dicitur.

Cum dicit venire principem hujus mundi, intelligit eum Christũ oppugnaturum & tentationes admoturum & cruciatus intolerabiles. Conflictatus erat cum Christo in deserto, *Matth.* 4. & subinde intermissis spatiis rediit, *Luc.* 4, 13. Sed illæ impressiones vix velitationes & σκιομαχίαι erant, præ hac quasi stataria pugna & agone, quo depugnabat: cum diabolo & satellitio ejus proxime ante mortem. Nec enim tum præliatus est adversus Pilatum, Herodem, Annam & Caipham; sed adversus principatus & nequitias spiritales. Vide *Psal.* 22, 1. & *Coloss.* 2, 15. expoliavit, triumphos egit, vicit igitur: vicit, pugnavit ergo, & manus cum principibus tenebrarum

rum consevit. Quasi dicat, nihil tam vile aut tam ignominiosum, aut etiam tam dolorificum eveniet, quod mihi adventurum non prospicio. Est igitur concessio.

Quomodo diabolus princeps mundi.

Hic *quæritur* quomodo sit ἄρχων, &c. Videtur enim hoc pacto confirmari quod ipse de se jactat, suum esse mundum, &c. *Matth.* 4. *Resp.* princeps mundi dicitur *primo*, quod justo judicio Dei omnes illi in servitutem & mancipia traduntur; quod homines hoc in Adamo meriti sunt. Sic *Hebr.*2,14. sumus enim illi mancipati, ut nos peccatis per totam vitam deditos, post morti æternæ addiceret. Hinc nostra misera conditio apparet, nos esse mancipia diaboli natura, & ejus filios. *Ioh.*8,44. eoq; nobis aliquid boni attribuere, est diabolo hoc dare, & diabolum affirmare aliquid boni facere posse, quod est blasphemum. Cum igitur hominum liberum arbitrium & virtutes prædicantur, hoc ipso non homines, sed diabolus ornatur. Huc accedit, quod ab Apostolo κοσμοκράτωρ appellatur, *Ephes.*6,12. quod magna vi & potentia ineluctabili nos sub se contineat, & ad *Hebræos* 2, 14. dicitur habere κράτος, unde ad *Coll.*1,13. dicitur nos eruisse & armata manu nos asseruisse. Huc accedit parabola Christi, quâ comparatur duci forti, qui arcem tenens omnia sua in pace possidet, donec eo fortior venit, *Luca.*11,21,22. ita enim nos tenet captivos ut ne semel quidem vel libertatem exoptare, in mentem nobis veniat. *Deinde*, quod plerumque fraude & injustitia mundi etiam possessiones ad suos devolvit, qui illas malis artibus acquirunt. Hinc est quod *Pontifex* feracissimam regionem totius mundi occupat, & *Pontificii* passim feracissimos agros, quod perditi homines sæpe lucrantur & evehuntur. Tametsi enim Christus mundi hæres sit, suisque quod satis est tribuat, qui jure totius mundi hæredes sunt: tamen maximam ejus partem à diabolo & suis occupari patitur.

Nota etiam sæpius ante diabolum conatum esse Christum cruciare, sed non potuisse ante tempus præstitutum, unde Christus *Luc.*22,53. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: quod consolationem mirificam suppeditat.

Ex innocentia Christi lætitia percipienda.

Sequitur hujus offensionis depulsio, quod nihil in se inveniet. Si enim hoc commeritus fuisset, esset quod ejus causa lamentarentur. Sed cum nihil in eo invenerit, nihil meruerit, nihil est quod lamentemur. Maxime vero cum nostra causa hoc pertulit. Vide *Psal.* 53, *vers.* 3. item *Actorum cap.* 13, *vers.* 28. Hoc singularem consolationem affert, quod scimus Christum omnia pro nobis passum esse, quòd qui nihil in Christo quod suum & proprium erat invenit, nisi quod illi à Deo imputatum est, nihil jam in nobis inveniet, qui multa & infinita propria peccata habemus, quia nobis non imputantur; simulque discamus ejus exemplum imitari. 1 *Pet.*2,19,20,21.

Vers. 31. *Ex voluntaria & Patri grata Christi passione triplex solatium.*

Alterum argumentum, quo depellit illam crucis ignominiam, quod sponte sit eam subiturus, *Iohan.*10,18. Hoc singulare solamen est peccatoribus, qui in peccatis se oblectarunt, & maximo impetu instar cataphracti equi in bello in peccatum ruerunt, vel ut aquila ad prædam advolat; Vide alibi.

Deinde singularem consolationem affert, quod intelligamus hanc Christi passionem gratissimum Deo fuisse obsequium, tanquam εὐωδίαν. Vt sciamus non tantum Christum hanc passionem subiisse, sed Deum hoc valde voluisse. *Iohan. cap.*3, *vers.*14,15,16. Adversus illos qui Deum Patrem Pharaoni assimilant.

Tertio hoc discipulis necessarium fuisse, qui ex verbis Christi colligebant, Patrem à se aversum fuisse, & interventu tantum filii, quasi invitum quodammodo adductum, ut illos complecteretur. Hic mundus pro piis sumitur, secus quam ante *versu* 30.

Hanc autem voluntariam subjectionem probat ab effectu promptæ & expeditæ assurrectionis & discessionis à mensa ubi cœnati essent, ad locum ubi ad mortem capiendus & comprehendendus esset. Hoc nos docere debet, &c. perinde autem est ac si dicat, paremus nos ad abitum jam jam instantem; nam non ilico ædibus ubi cœnabant, excedebant; sed trium insequentium capitum sermonem eodem loci habuit, ut apparet ex *cap.*18, *vers.*1.

IOHAN. *cap.* 15, *à vers.* 1, *ad* 12.

EGo sum vitis illa vera, & Pater meus est agricola ille.

2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat.

3 *Iam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis.*

4 *Manete in me, & ego in vobis* manebo: *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso*, id est, *nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.*

5 *Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me & in quo ego* maneo, *hic fert fructum multum: nam seorsim à me nihil potestis facere.*

6 *Nisi quis in me manserit, abjectus extra* vineam, *statim ut palmes arescet: deinde congregantur isti* palmites, *& in ignem abjiciuntur, & ardent.*

7 *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petite, & fiet vobis.*

8 *In hac re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis: & eritis mei discipuli.*

9 *Prout dilexit me* Pater, ita *& ego dilexi vos: manete in illa mea charitate.*

10 *Si præcepta mea observaveritis, manebitis in charitate mea, sicut ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus charitate.*

11 *Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur.*

ANALYSIS.

ALlegoriam proponit; ubi comparatione paris se viti, quam adjuncto veritatis designat, Patrem Agricolæ comparat.

Vers. 2. Fideles palmitibus; quorum palmitum effectum declarat in eo consistere, ut fructum ferant; sicut Patris paritatem cum agricola describit ab effecto tollendi inutilia & luxuriantia in vite Christo membra, tanquam luxuriantia sarmenta; deinde purgandi fideles tanquam palmites, qui fructum ferunt; quod suo fine declaratur, ut plus fructus ferant.

Vers. 3. Efficientem instrumentalem notat sermonem, quo tanquam falce repurgat Pater suos.

Vers. 4. Declarat paritatem sui cum vite, primum quod ipse sit in fidelibus & fideles in ipso: deinde quia ut palmites non ferunt fructum nisi viti insitæ & inhærentes sint: sic nec fideles nisi in Christo maneant.

Vers. 5. Effectum manendi in Christo est ferre multum fructum; quod suo adverso probat, quod sine illo & succo, qui ab illo manat, nihil boni facere possunt.

Vers. 6. Aliud effectum non manendi in Christo est abscissio à Christi communione externa, & perditio æterna; quæ pari emortui & aridi sarmenti declaratur.

Vers. 7. Illustratur effectum non manendi in Christo contrario effecto manendi in Christo, nempe obtinendi quicquid petierint: ubi etiam efficiens instrumentalis manendi in Christo declaratur, nempe si sermo Christi in nobis insitus maneat.

Vers. 8. Excitat & acuit ad fructum plurimum faciendum à duobus adjunctis, uno quod Pater glorificatur; altero quod sic veros Christi discipulos se probabunt omnibus.

Vers. 9. Causam principalem notat fructus ferendi, suum erga eos amorem; cujus magnitudinem illustrat pari Patris erga se amore: hortatur etiam ut maneant in ejus amore.

Vers. 10. Amoris sui erga illos effectum est observatio mandatorum suorum: quæ illustratur pari suæ obedientiæ erga Patrem ex Patris erga se amore manantis.

Vers. 11. Finis totius allegoriæ propositæ est gaudium fidelium; quod gaudium suo adjuncto plenitudinis declaratur.

METAPHRASIS.

SEd ægre à vobis & vestro colloquio avul- 1.
sus captum de vobis consolandis sermonem paullo longius perducam. Ego sum viti optimæ maxime succulentæ similis, & Pater diligentem & peritum Agricolam imitatur, qui vos per Spiritus sui operationem, per quam fidem
dat, in me veluti vite insevit. Quisquis vero 2.
ad me aggregatus & professione veritatis externa mihi inhærens, ut palmes fœcundus, fructum commodū & culturæ Patris convenientem non fert, eum Pater tollit & tanquam emortuum sarmentum ita resecat ut ejus simulata sanctitas detracta larva omnibus innotescat. Quisquis vero commodum fructum fert (tametsi perexiguum) hunc porro verbo excolit Pater & castigationibus, tanquam falce putatoria, sollicite curat ut fructum ferat
copiosiorem. Atque vos quod attinet bono 3.
animo estote, utpote quos Pater per Spiritum mei sermonis interventu purgavit putavitque.
Per fidem igitur in me, tanquam trunco seu 4.
radice, manete, sicut & ego tanquam radix in palmite per Spiritum meum charitate, qua vos arctissime complector, maneo. Sicut etenim palmes ex se fructum proferre nequit, nisi in vite manens succum inde trahat: sic neque vos nisi in me tanquam vite permanseritis.

Ego

5. *Ego sum vitis illa, vos mei palmites. Qui mihi insitus per fidem in me manet & ego per meum Spiritum & meam erga illum charitatem in illo, is fructum copiosum feret: sicut è contra, nisi mea virtute fulti & sustentati, nihil boni prorsus non modo perficere & expe-*
6. *dire, sed nec conari quidem potestis. Quod si quis vera & non simulata fide in me non manserit, tanquam luxurians palmes è vite rejectus ejicitur & exarescit, atque tanquam ad omnes domesticos usus inutilis, & ne ad paxillum quidem conficiendum idoneus, colligitur ut in ignem injectus comburatur. Quod si*
7. *in me manseritis, quod tum fiet, si sermo meus vobis insitus manet, nihil est quod legitime*
8. *petetis, quod ipsum non accipietis. Cum primis vero precibus contendendum vobis est, ut multum fructum feratis: quandoquidem ejus rei hic eximius fructus extabit, ut cum Pater meus gloria afficiatur, tum vos germani mei*
9. *discipuli agnoscamini. Sicut impense & infinite me dilexit Pater; sic ego vos impense & infinite diligo: agedum, ita vos comparate, ut nunquam vos amare desinam: siquidem grave mihi futurum est, si meus in vos amor un-*
10. *quam deficiet. Si mandata mea servaveritis, in meo erga vos amore manebitis: haud secus quam ego Patris mei mandata servavi, & in*
11. *ejus erga me amore hæreo. Et quidem hæc vobis loquutus sum, ut quod gaudium hactenus ex mea præsentia percepistis, vobiscum, cum ego discessero, maneat, nec maneat solum, sed porro incrementum indies sumat, donec in regno cœlesti compleatur.*

PRAXIS.

SVmma, Christus, cum à mensa surrexisset, pedibus consistens, *duobus cap. seqq.* sermonem, quem abruperat, resumit; ut amici sibi invicem valedicturi sermones conclusos & finitos redordiuntur, quia perinviti à mutuo colloquio abstrahuntur. Hac autem pericope suam cum undecim Discipulis unionem & unionis fructus pulcherrimos ad plenissimum Discipulorum gaudium & consolationem ἀλληγορικῶς proponens, illud ipsum explicat.

Partes sunt: { Propositio. / Propositionis explicatio.

Propositio *duas partes habet*: { Priorem de Christo vite. / Posteriorem de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, κατ' ἐξοχὴν Patre, agricola.

Vers. 2. *Deus Pater vineæ cultor I. aridos pampinos e vite tollit.* Posteriorem partem de Deo καθ' ἐξοχὴν Patre ὕστερον πρότερον expedit. Patris autem officium ab effectu describit, quod ramos & surculos in Christo non ferentes fructus resecet atque tollat. *Primum* agricolæ seu vinitoris *officium* est putridos pampinos & aridos, aut ratione quapiam alia infrugiferos à trunco falce resecare, ne aut locum occupent, aut succum & humorem è trunco exsugant & ad se attrahant. Sic Deus Christianam religionem verbotenus profitentes, nec debitum fructum ferentes ex Ecclesiæ & filii communione ejicit: quod omnibus curam & studium ingenerare debet, ne inutiles & infructuosi sint; quandoquidem tam oculatum & peritum agricolam & sui curatorem & inspectorem habeant, qui omnes hypocritas in numerato habet. Agricolis sæpe accidit vel summe diligentibus & peritis, ut errore vel imprudentia surculos prætereant; quod non fit in Deo omniscìente & providente. Hinc est quod *Esai.* 5, 4. Deus testatur se nihil eorum omisisse, quibus vinea excolatur.

Quomodo hoc fiat. Sed hic *quærat* aliquis, quomodo resecentur qui Christo semel insiti & infixi sunt. *Resp.* insitos non esse revera, sed specie tantum, & potius ut pali in terra depacti & defixi, quam radicati sunt; membra putrida, rancida, quæ corpori quidem adhærent, nec tamen vita, quæ est in corpore, vegetantur; suntque tanquam scabies in corpore, aut ulcera, quæ tametsi adhæreant corpori, tamen sine corporis dispendio aut mutilatione tolluntur. Quod si *quæratur* quomodo resecentur. *Resp.* quandoque illud fieri horribili morte; vel hypocrisin illorum tanquam larvam illis detrahendo, ut propriis nativis coloribus quales sunt appareant.

II. Bonos pampinos purgat. *Alterum effectum* agricolæ est, ut malleolos & pampinos fructus ferentes arte, cultura, & curatura feraciores reddat; stolones hinc inde erumpentes & luxuriantes amputando, ne succum, qui ad ramum transfundendus est, præripiant aut intercipiant. Sic Deus fideles ita fructum facientes, ut interim multis infirmitatibus & corruptelis impediantur indies magis magisque expurgat, illasque paulatim corruptelas tum judicii, tum affectuum tanquam nævos aut strumas circumcidit. Sic *Malach.* 3, 3. dicitur Deus purgare & mundare suos tanquam argentum aut aurũ, cui scoriæ aliquid semper adhæreat. Nec tamen ut aurum & argentũ excoquit, donec corruptelæ omnes tollantur: sic enim illos consumeret. *Esai.* 1, 25, 48, 10.

Hinc petitur singularis consolatio, nemi-

nem à Deo repudiari, qui vel tantillum fructum fecerit; sicut *Matth.*12,20. calamum quassatum non comminuit & linum fumigans non extinguit. Item *Matth.*13. non repellitur qui tria, id est, reliquum edidit. Nec enim duros Dominos imitatur aut refert; qui de suis servis, nisi totum pensum absolverint, pœnas expetunt: sed, &c.

Piorum fructus indies ampliores. Deinde & illud *observandum* est vere pios indies pietate crescere & seipsos fructu ferendo vincere, & longe secus illis evenire, quam vitibus; quæ ut cæteræ arbores consenescentes minus fructus ferunt. Vnde etiam *Psalm.*92,13,14,15. *plantati in atriis Domini florebunt ut palma; in senecta fructus ampliores etiam ferent. Habenti dabitur, Matt.*25,29. Nec tantum plures sed & meliores & pretiosiores fructus ferunt, ut vitis.

Vers. 3. *Instrumentum purgationis nostræ.* Describit purgationem fidelium ab efficiente instrumentali, verbo scilicet prædicato, quo Pater tanquam falce putatoria pios & fideles exuviis carnis & nativæ corruptionis expurgat exuitque. Sic *Ioh.*17,17. *Sanctifica eos Pater verbo tuo, verbum tuum veritas est.* Item *Iacob.cap.*1, *vers.*18. ex quo intelligitur quatenus & quam necessarius usus sit verbi prædicati, sine quo omnes impuri, immundi & prophani in sua lepra, sanguine, sordibus, manent. Sæpe quidem fit ut pii castigationibus & flagellis proficiant, sed tantum abest ut castigationes per se & sine verbo prædicato hoc faciant, ut majorem impuritatem attrahant, nisi quis Dei verbo, maxime promissionibus, sustentetur. Verbum enim sine castigationibus sæpe prodest: castigationes sine verbo non item; quod luculentissime perspicitur in Pharaone: quapropter verbum prædicatum, prætertim nobis, instar aquæ, ignis, & seminis cujusdam est, sine quo à sordibus lavari, excoqui, aut ad vitam æternam renasci nequimus.

Vers. 4. *Ejusdem causa materialis.* Doctrinæ adhortationem adjungit, ubi docet quomodo verbum prædicatum nobis utile & vivificum est: nempe si cum Christo uniti succum salutarem ab illo trahamus: eoque materialem causam nostræ purgationis & purificationis designat ipsum Christum, qui est truncus cui inserimur per fidem. Vnde constat non satis esse verbum audire, nisi fidem verbo adjungamus. Hinc *Iacob.*1,21. *verbum insitum* vocat *aptum servandis animis nostris.* & *Hebr.*4,2. ut semen terræ inseminatum, nisi condatur, & occultetur, ut pulvia in terram decidente radices agat: & ut talea arbori infixa & incisa fructum non fert, nisi cum trunco coalescat & una fiat: Vt lapis nisi cæmento cum fundamento aut angulari lapide coaptetur, in ædificium non evadit: Sic, &c.

Hinc etiam liquet fructus non ferre eos, qui in Christum non vere credunt; ut ut specie bona opera videantur. Fructus enim, quos ferunt, sunt silvestres, insipidi, putridique; non dissimiles fructibus terræ Sodomeæ. Atque hactenus de priore parte, quæ est de Deo scilicet agricola & vinitore.

Sequitur *pars altera*; ubi Christus dicit se vitem esse, & nos palmites. Quod docet arctissimum unionis nexum, qui illi nobiscum intercedit: nos non minus Christo adunitos esse & Christum nobis quam palmites cum trunco, & truncus cum plamitibus. Vt enim truncus palmiti inest per humorem & succum, quem in eum transfundit; palmes trunco ratione succi & humoris, quem à trunco ad se attrahit, sic Christus in nobis est per Spiritum, quem in nos perspirat, & nos in Christo per Spiritum, quem ab illo ducimus & derivamus: quod apprime appositum est ad indicandam Christi præsentiam cum fidelibus, vel nunc cum in cœlis est; quod discipulos tristes habebat. Hæc conjunctio inexplicabilis; aliis etiam similitudibus ob oculos proponitur, capitis cum membris corporis, viri cum uxore, panis ex multis granis in unam massam confecti, vini uvarum multarum in unum vini cantharum expressarum, multorum lapidum in unum templi ædificium coadunatorum. Vers. 4. *Arcta Christi & nostri unio.*

Atque hæc est illa demum arctissima fidelium cum Christo conjunctio, non illa quam *Pontificii* comminiscuntur, quæ est Christum ore, dentibus, ventre conclusum tenere. Neque enim quis hac Christi comprehensione beatus evadit, cum ne ipsa beata virgo, quæ utero Christum gestavit, non ideo fœlix extitit. *Lucæ*.11,27,28. *imo qui audit, &c.* & *Luc.*1,45. *Beata es quæ credidisti:* beatior ut fuerit Christum fide concipiendo, quam quod eum utero gestaret. Huc accedit quod hæc unitas, quæ salutaris est, perinde exigit ut nos in Christo atque Christus in nobis sit: quamobrem si corporalem manducationem urgeant ut Christus in nobis sit, perinde sequitur ut Christus nos quoque realiter comedat, ut nos in Christo simus. Præterea quod urgent τὸ ῥητὸν, *hoc est corpus meum,* hoc loco refelluntur, cum perinde hic Christus dicitur esse vitis, quam illic esse panis & vinum. Adde etiam quod *Multum diversa ab ea, quam Pontificii somniant.*

hic

hic dicit se veram esse vitem, quod idem si dixisset in Sacramento, panem esse verum corpus, mirum est quantos applausus & clamores extulissent. Denique Christus suos de suo abitu tristes consolans, & præsentiam suam quamcumque salutarem illis monstrans, nunquam tamen præsentiæ suæ in Sacramento mentionem fecit, quod tamen fecisset, si quid ejusmodi futurum fuisset.

Ejus I. effectum. Effectus unitatis nostræ cum Christo per fidem. *Primus effectus* est ferre multum fructum, qui Christo insitus & cum illo unus. Ejusmodi enim trunco insitus tam nobili & generoso, non potest non ferre fructum: est enim surculus de cœlo demissus, qui infinitam Spiritus Sancti veluti pinguedinem & succum in se continet, *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei repositi sunt*, *Coloss.* 2,3. non ut illos apud se conclusos teneat, sed ut aliis communicet. Hic excutiat se quisque, an multos fructus ferat.

Hoc argumentum ab adversis corroborat, quod sine Christo & extra eum nemo sanctum facit vel tantillum. Quod si *Pontificii* excipiant se quidem nihil præstare posse sine Christo, sed adjunctos Christo posse omnia; quanquam ne sic quidem sibi constant, qui dicunt se natura facultatem habere eligendi oblatum bonũ, refelluntur loci circumstantia. Ramus enim insitus nihil prorsus ex se facit, quoad succum à trunco ducit, & antequam insitus sit, nihil prorsus potest.

Vers. 6. Pampinorum aridorum pœna. Hoc argumentum amplificat ex adjuncta resectione, arefactione & in ignem injectione ut *Matt.* 3,10. *securis ad radicem arboris admota est, &c.* Huc pertinet quod ab *Ezechiele* dicitur *cap.* 15, 3. vitem infrugiferam omnium arborum vilissimam & inutilissimam esse; non solum ad ædificandum, sed ne ad paxillũ quidem conficiendum idoneam esse.

Vers. 7. Effectum secundum. Sequitur *alterum effectum* nostræ cum Christo unitatis & permansionis; fore ut quæcunque petimus, ex Dei scilicet voluntate ut 1 *Iohan.* 5,14. ab illo accepturi simus. Sed *notandum* est repudiari eorum preces, qui mandatorum rationem non habent, *Prov.* 28,9. & 1,24,25,26,27,28. *qui aurem avertit ut doctrinam ejus non audiat, ejus preces Deus abominatur*, & *Iohan.* 9,31. *peccatores Deus non audit*: contra autem justos suique cultores exaudit. Est autem æquissimum ut nos, qui Dei perfectissimum sermonem rejicimus, repudiemur in his quæ à Deo postulamus. contra 1 *Iohan.* 3,21,22. Cum enim unum cum illo simus, cujus nomine petimus & merito obtinemus, non magis Pater nos, quam Christum, repellere & repudiare potest, ut qui non nostra, sed Christi persona appareamus.

Quantum vero beneficium sit Deum in omnibus exorabilem & facilem habere non tantum pro nobis, sed pro nostris omnibus, atque adeo pro quibusvis, quos debite oratione nostra complexi fuerimus; non est facile explicatu. Proverbio dicitur, *amicum in aula pluris esse, quam in loculis pecuniam.* Quanto majus est ipsum Deum summum amicum habere? Regis Assueri amoris erga Estherem declaratio summa fuit, quod illi copiam fecit quicquid vellet petendi, cum hac pollicitatione, fore ut illud obtineret: sed hæc munificentia una tantum petitione aut duabus definita est. Nobis autem potestas fit petitiones nostras multiplicandi. Et quidem illi largitum tantum est ut ad dimidium usque regni peteret, nobis autem totum Dei regnum petentibus, Deus annuit, dum nos in consortium regni Christi admittit.

Hic etiam *apparet* quomodo in Christo maneamus, nempe si ejus verba in nobis maneant. Sic 1 *Ioh.* 2,24. ut contra 1 *Pet.* 2,8. dicuntur homines in Christum impingere, quod in ejus verbum impegerint: quod aperte *Pontificios* in Christum rebellionis coarguit, quia in ejus sermonem refractarii sunt. *Quomodo maneamus in Christo:*

Docemur porro quomodo plurimum fructum feramus, nempe si Deum precibus de hac re solicitemus. Sic David *Psal.* 119. sæpe professioni de mandatis servandis preces conjungit, hoc ipso declarans hoc in se non esse positum: non magis quam terra ex se fructum feret, nisi cœlitus perpluatur. *Et multum fructum feramus.*

Hoc argumentum porro corroborat ab adjuncta Dei Patris gloria in eo consistente ut multum fructum feramus. Sic *cap.* 14,13. ut honori regi ducitur, cum nemo vacuus aut tristis ab illo discedit. Si patres filiis panem non negent, nedum Pater cœlestis vobis Spiritum etiam Sanctum, id est, quo sanctificamur. Vide 1 *Reg.* 3 quam Deo placuit quod Salomon sapientiam ab eo petiit. Si quis causam suam in foro agens eam rationem inire posset ut regem socium adhibeat, ut regis jus aut injuriam cum suo jure aut injuria conjunctum habeat, is punctum omne veluti tulit. *Vers. 8. In quo Patris gloria consistit.*

Nostris bonis operibus, quæ precibus per Christum à Deo accipimus, Deus glorificatur, *Et quomodo.*

tur, cum quod ora piorum ad ejus laudem aperiuntur, cum quod ora improborum obthurantur, ne convitia jaciant in religionem & Dei populum. Atque ut nullus alius usus esset bonorum operum, hic solus stimulos nobis addat ut bona opera operemur.

Dei erga nos amor intimus. Hinc etiam *liquet*, quantum à Deo, quam intimo amore diligamur, qui in Christum credimus. Si enim ferventissimi amoris erat, &c. & Ioabus alicubi dicit se probe notum habere se à rege diligi quod petitionem ejus pro Absolone acceperat. 2 *Sam*.14,23. quanto magis, &c.

Καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί.] Vide *cap*.13, 35. ut qui initiatur professioni alicui aut scholæ, certis quibusdam legibus tenetur, sine quibus in alumnorum censu haberi nequeat, sic μαθητεύσατε *Matth*.28,19. *Baptizantes & docentes eos servare quæcumque præcepi vobis, &c.* Sic etiam dicitur, *qui manet in Christo, debet quemadmodum ille ambulavit & ipse ambulare*. 1 *Ioan*.2,6.

Vers. 9. *Amoris Christi erga nos magnitudo, à comparatione.* *Aliud argumentum* affert ab adjuncto Christi in nos amore, quo nos in permansione & unitate in Christo confirmat. Dum hinc ex adjuncto vel effecto potius Christi in nos amore, quid sit in Christo manere indicat: istinc ex adjuncto nostro in Christum obsequio, nos in illo esse & cum illo unum esse cognoscemus. *Primum* igitur *notemus* incredibilem Christi nobiscum unionis fructum. Quia enim Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus nos amans nos Christo insevit, ideo Christus mediator nos intime amat; eodem scilicet amore, quo Pater Christum. Vt igitur hujus sententiæ fructum dulcissimum percipiamus; videndum quomodo Christus à Patre ametur. Et primum quidem, quoad Filius Dei Patri coæternus, egregie describitur, *Prov*.8,30. Vbi etiam *vers*. 31. docetur se perinde delectari hominibus, ut Pater se delectatur, hanc ipsam quam in manibus habemus confirmans. Item *Ioh*.1, 18. quod sit in sinu Patris. Quod autem ad Christum attinet, quoad mediator est, Deus & homo, Dei amor in illum declaratur *Matth*.3,17. *hic est Filius meus dilectus in quo unice delector*, & certe quantus & quam incredibilis amor sit, ex hominum sensu aliquousque adumbrari possit. Si enim quis filium habeat unicum sibi & similem corporis effigie, & eundem per omnia obsequentem, quis non durus aut ferreus Pater eum non arcte complecteretur; quanto igitur magis Deus Pater Filium sibi per omnia conformem & obsequentem? Quamobrem vere dicitur *Ephes*.3,19. *amorem Christi omnem intelligentiam humanam superare, Iohan*.17, 23. dicitur porro Patrem nos diligere, quemadmodum Christum diligit. Hic amor nos mirum in modum consolari debet, adversus mundi odium, contemtum, ludibria, &c.

Μείνατε ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ.] per suam dilectionem intelligit illam, qua nos amat intime, non illam, qua nos eum charum habemus. Cum enim ad permansionem in amore cohortetur, necesse est ut illum intelligat, cujus prius mentionem fecerat, alioqui dixisset, sicut ego vos dilexi, sic me vicissim diligite, ut ego vos charissime complector. *Ab effecto, scilicet ambitu amoris nostri.* Hoc porro arguitur ex fine hujus & præcedentium sententiarum *vers*.11. ubi docetur, hæc dicta ut gaudium nostrum sit plenum. In promptu autem est gaudium nostrum in eo non consistere, quod nos Christum amemus, sed quod nos Christus amet. Sensus igitur est, Christum nos hortari ut nos à se amari patiamur; quod est argumentum incomparabilis ejus dilectionis, quo ita correptus & incensus est, ut nostrum amorem ambiat. Hoc argumentum illustratur parabola cantici Salomonis, ubi Christus vulneratus inducitur amore Ecclesiæ, imo ejus ocello capi, &c. *Cant*.4,9. Et hoc est quod Paulus 2. *Cor*.11,2. ministros paranymphis comparat, qui pro Christo Ecclesiam ambiunt & ut Christum amet, satagunt. Quod si spectaverimus quanta nostra indignitas, qui simus non modo terræ, sed inferorū filii; qui simus nothi, Æthiopes, Cananæi, Hittæi; qui simus mendici; Non modo Christi erga nos pietatem & amorem sed nostram proterviam & stultam morositatem prodit, qui ab illo nos avertimus: Perinde ac si bubulci filia Regis magni filium eam ambientem aspernaretur. Inter homines imbecilliores & ignobiliores potentiorum & magis illustrium amorem quærunt & persequuntur.

Quem nos excutere non valemus; nec id ex admonitione Christi colligitur. Sed hic *quæret* aliquis, an penes nos sit excutere Christi amorem, aut efficere ut Christi in nos inchoatum amorem abrumpamus. Hac enim adhortatione videtur hoc innuere. certum tamen est Christum quos diligit, ad finem diligere *Iohan*.13,1. Et Christum, non, ut homines, in suo amore mutabilem esse aut falli posse. *Dona Dei esse absque pœnitentia*, *Rom*.11,29. *Respondeo* igitur subordinata non pugnare. Nam sicut Christus nunquam suos, quos semel complexus est, abdicat; ita etiam rationem & viam init, quo non

non excidant, illos adhortando, sacramentorum usu confirmando. Maritus, qui uxoris suæ fidem exploratissimam habet, non tamen ea negligit quibus uxoris erga se amor confirmetur. Christus Dei Filius non potuit a Dei amore excidere, tamen non ideo vel Deus, cum Angelum ut Christum consolaretur misit, vel ipse, cum intente oraret media & rationes præteribat.

Vers. 10. *Amoris Christi signum mandatorum ejus observatio.* Quoniam maxime eorum intererat, ut cognoscerent se in Christo esse, & ab eo amore intimo comprehendi, docet ab adjuncta observatione mandatorum, tanquam certissimo indicio, eos & esse in Christo, & ab eo amari: sic 2 *Pet.* 1, 10. docetur electionem nostram certam fieri bonis operibus. Item *Joh.* 14, 21. Dilectio, qua Christum diligimus, certissimum argumentū assignatur Dei erga nos amoris. Tametsi enim intentissimo nos amore amet magis quam quisquam, tamen non ut amatores & proci, qui quidem rapido & incomposito amore feruntur, & virginis amore incensi bruto quodam impetu ruunt in ejus amplexum, quibuscumque alioqui vitiis perfidiæ & refractarii ingenii & cerebrosi inficiatur. Atqui cum Christus ipse non possit manere in Patris dilectione, nisi voluntati paternæ conformis sit & ejus mandatis obsequatur; nedum nos in amore Christi, nisi mandatis ipsius obsequentes fuerimus. Si enim Christus non sit suæ voluntati obsequutus, quæ tamen recta est, nedum nos nostræ debemus, quæ sæpe parum recta est.

Qua tamen amorem ejus consequemur. Quod si quis dicat nos Christi amorem promereri hac mandatorum observatione, refelluntur hoc ipso loco: *primum* enim dicitur nos mansuros in dilectione Christi, si ejus mandata servaverimus; quamobrem efficitur nos ante in ejus amore fuisse; alioqui in illo manere nequibamus. *Deinde* in Christo apparet, qui ante intimus fuit Deo Patri, priusquam obsequium illud præstaret. Verum quidem est alibi dici Patrem diligere filium, quod ponat animam suam pro ovibus. *Ioan.* 10, 17. Sed vocula *quia* non est ibi nota causæ, sed consequutionis & connexionis cujusque, quod notissimum est. Erat enim passio Christi adjunctum amoris erga se paterni, non ejus causa.

Vers. 11. *Concionis hujus finis.* Notat finem hujus Concionis parabolicæ, ut in Christo plenam consolationem habeamus adversus omnes calamitates impendentes vel prementes. Et certe, nisi bono animo simus, in quascumque tentationes incidemus: quoad in Christo simus & ab eo diligamur, intime fructum justum hujus unionis non percipimus. Sic dicitur *Galilæis*, *Matth.* 4, 16. qui in latebris & umbra mortis sedebant, lucem Christum in Euangelio affulsisse, quæ tenebras & mortem fugavit. Cum quis è foro tristis domum redit, recreatur aspectu uxoris & dulcium pignorum suorum: sic & nos Christi intuitu, quoties adversis premimur. Atque hoc videmus à Davide factum 1 *Samuel.* 30, 6. cum omnia amisisset & periclitaretur à militibus suis.

IOHAN. *cap.* 15, *à vers.* 12, *ad* 18.

12 Hoc est mandatum illud meum, ut diligatis alii alios, prout dilexi vos.

13 Majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.

14 Vos amici mei eritis, si feceritis quæcumque ego præcipio vobis.

15 Non amplius dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ipsius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.

16 Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.

17 Hæc præcipio vobis, ut diligatis alii alios.

ANALYSIS.

A Genere mandatorum suorum descendit ad speciem, nempe mutuam dilectionem, ad quam hortatur: quæ dilectio arguitur comparatione paris, sicut Christus suos discipulos dilexit.

Vers. 13. Cujus dilectionis magnitudinem incomparabilem à minore amplificat; & ab effecto arguit, suam pro illis vitam ponendo.

Vers. 14. Consolatur illos porro à relato; quod illos sibi conjunctione amicitiæ accepit: cujus mutuæ cum illo amicitiæ adjunctum est, ut ejus mandata faciant.

Vers. 15. Hanc amicitiæ societatem à diverso illustrat; quod illos non amplius pro servis habet, sed pro amicis: quod utrumque confirmat ab adjuncto servorum & amicorum: quorum prius est

non cognoscere, quid herus facit: posterius vero est cognoscere arcana amici.

Vers. 16. Docet amicitiam & mutuam hanc conjunctionem à se initium capere, non ab illis, ab effecto, quod illos prior elegit; quod confirmat à disparato, quia illi eum non elegerunt: finem deinde electionis declarat, ut sua prædicatione fructum ferant; quem fructum exornat ab adjuncta duratione ad finem seculi; cujus fructificationis efficientem causam notat, eorum ad Deum in nomine Christi preces.

Vers. 17. Finis hujus divinæ liberalitatis in eos, quæ 15,16. *vers.* descripta est, notatur, ut mutuo se diligant.

METAPHRASIS.

12. *Quod dixi vos meis mandatis servandis in me mansuros, specialius propono, meum hoc mandatum esse (quod multa alia suo complexu continet) ut mutuo vos diligatis, non frigide sed ferventer, ut tametsi meum erga vos amorem, utpote infinitum exæquare non potestis, illum tamen tanquam exemplar vobis ad imitationem proponatis.*
13. *Meo autem in vos amore nullus certe major non modo dari, sed ne cogitari quidem potest, ut qui præ amore erga vos vitam ponere constitui: quod vos commonefaciat vel mortem (si res postulat) pro invicem oppetere.*
14. *Quod dixi vos mihi amicitiæ fœdere conjunctos, quamvis magnificum sit, non retracto; estis enim plane amici mei, dummodo, quæ vobis in mandatis do, opere exsequamini.*
15. *Quamobrem posthac non tam vos pro servis habeo, cum servus quid herus suus facit nescit: sed vos amicos dixi, quod omnia, quæ salutem electorum continent, à Patre accepta vobis exposui.*
16. *Quod de mutua inter nos amicitia dixi, haud aliter intelligendum est, quam quod hæc amicitia à me, qui prior vos dilexi, non à vobis, qui natura me odio habetis, initium sumpsit. Hinc est quod ego vos cum in sortem Sanctorum, tum ad Apostolicum munus elegi, vobis nihil ad hanc electionem non modo conferentibus, sed ne per somnium cogitantibus. Elegi vero ut profecti in universum orbem Euangelii præconio fructum feratis nec quoad vos, nec quoad eos, qui vestro ministerio credituri sunt unquam periturum: quem fructum referentibus liberior & confidentior aditus ad thronum gratiæ vobis munietur, quæcumque vobis & his, ad quos ministerium vestrum pertinebit, commoda & necessaria petitis cum certa fiduca, ista à Patre meo nomine impetrandi.*
17. *Atque quæ mando huc spectant omnia, ut mutuo vos invicem amore complectamini.*

PRAXIS.

Summa, Ad ferventem & mutuum fratrum inter se amorem à suo efficaci exemplo adhortans, rationem adhortationis suæ, quam amplificat, adjungit.

Partes sunt: { Adhortatio ad mutuam in se charitatem. Ratio adhortationis. }

In *priori* intelligendum est, *cap.*14. Christum multis docuisse, quomodo ipse sit in Patre & Pater in ipso: in priore hujus capitis parte docuit quomodo Christus est in nobis, & nos in eo: his autem versibus ostendit quomodo nos simus in nobis invicem. Atque ut superius docuit nos esse in Christo & Christum in nobis Christi in nos incomparabili charitate; sic nunc docet nos in nobis invicem esse nostro mutuo inter nos amore, me in te esse, tuo in me; te in me, meo in te amore: te meum brachium, &c. esse tuo in me amore; me tuum pedem, &c. esse mea in te charitate: amorem enim nervos & artus esse, quibus in unius corporis compage tenemur; *Coloss.*2,19. cæmentum esse, quo in unum ædificium tanquam vivi lapides coalescimus: gluten esse sacrum, quo adglutinati invicem adunamur; vinculum, quo colligamur ne à prætereuntibus diffringamur: sine qua charitate membra laxata sunt, lapides dissiliunt, omnia confusa & conturbata sunt.

Vers.12. *Quo pacto fideles sint in se invicem.*

Cum vero scopus sit discipulos ex sua absentia consolari, palam est dilectionem rem esse plenam consolationis, mirifice homines alioqui afflictos recreare, *Psal.*133,1. *bonum & jucundum*, *Gen.*33,10. Iacob in fratris amore sibi visus est Deum propitium intueri. *Paulus ad Philemonem vers.*2. recreatur fama amoris Philemonis. *Act.*2,46. unanimes comedebant cum gaudio. Atque hæc de scopo generali totius hujus Concionis à *c.*13. ad *c.*17. & quidem orationis *c.*17.

Dilectio consolationis plena.

Magis vero specialis scopus est, ut doceat quomodo certiores reddamur charitatis in nos Christi. Atque etiam singularis fructus est charitatis, 2 *Petr.*1,10. plerique sunt tam effero ingenio ut aliorum in se amorem non curent, *oderint enim* (inquiunt) *dum metuant*. Alii vero aliorum benevolentia se muniri & ornari cupiunt, parum solliciti de suo & mutuo in se amantes amore. Christus vero mutuum postulat, & potiorem ducit nostrum in alios, quam in nos aliorum amorem.

Ea nos de dilectione Christi certos reddit.

Charitatis nostræ cum fervorem tum fin-

Ejus fervor

& sinceritas. sinceritatem notat; cum jubet nos ita nos invicem complecti, sicut ipse nos complexus est. Non quod καθὼς hic æqualitatis nota est, sed ut ad hunc scopum collimemus; quandoquidem Christi charitas eo amore nos amans quo ipsum Pater, est infinita, nec à finita creatura impleri potest, non ab ipsis Angelis, nedum ab homine. Sed καθὼς hoc loco, ut illud *Matth.6,12. ut nos dimittimus, &c.* Sed tamen ut in exemplaribus, quæ vel scriptura vel pictura imitanda proponuntur, prodest exemplar omnibus numeris perfectum & politum esse, sic & isthic. Hoc enim modo fit, ut nunquam nobis consistendi tempus concedatur, ad quamcumque hic in terris Charitatem pertingamus.

Vers.13. *Amor Christi erga nos ex effecto commendatus.* Amorem ejus erga nos probat ab effectis, quod vitam suam pro nobis profusurus esset, quo nullum certius indicium sui erga nos amoris extare potest. Sic 1 *Iohan.*3,16. item *Eph.*5,2.*Gal.*2,20. Christi amor in tota sua exinanitione à primo conceptus momento ad sepulchrum usque spectatur; sed maxime in morte præsertim formidabili. Inventi sunt paria aliquot amicorum qui intime amabant: in iis David & Ionathanus, sed nemo inter istos, qui hunc gradum amoris attingeret, repertus est. Nec pugnat hic locus cum illo *Rom.*5,8. quod Deus suum amorem commendet; quod passus sit pro inimicis. Nam Christus intelligit se exponere vitam pro his quos pro amicis habet, & Apostolus pro his, qui Deo fuerunt inimici, quantumvis à Deo dilecti: quia non pugnant. Nec conveniebat hoc loco & tempori ut Apostolos diceret suos fuisse olim inimicos.

Charitas nostra vel morte testanda. Hoc ipso *docetur* nos nostram charitatem testatam facere oportere mortis perpessione, si res ita postulet. 1 *Iohan.*3,16. item *Ephes.*5,1,2. maxime pro eorum salute, ut eos in veritate accepta stabiliamus, vel ab errore revocemus, aut exemplar constantiæ illis relinquamus. Sic videmus in membris corporis, manum se in periculum amputationis inferre ut caput vulnus evadat. Non tamen ut hoc modo salutem illis promereamur, ut *Pontificii* volunt; perpessiones enim non sunt dignæ, quæ cum futura gloria conferantur. *Rom.*8,18. Nullius nos sanguis lavit præter testatoris, *Apoc.*5,9. Quod si fratres nostros non sublevemus subsidiis hujus vitæ, quomodo animam pro illis ponamus? 1 *Ioh.*3, 17. Quamobrem his minoribus charitatis officiis assuefacientes tandem gradatim ad majora perveniemus. Quod si quis *excipiat*, hinc futurum ut nos in amore erga nos mutuo Christi erga nos amorem exæquemus. *Resp.* nullam proportionem, ne millesimam, esse nostræ, ad Christi passionem, perpessionis. *Notanda* autem est *Pontificiorum* blasphemia: Christi passionis meritum nobis imputari indignum clamitant, cum non verentur affirmare martyrum passionis meritum nobis applicari.

Ratio adhortationis ab adjuncta Christi amicitia proponitur; nos tum demum scire nos Christi amicos esse si invicem diligamus. Sic 1 *Iohan.*2,5. *qui servat sermonem ejus, in eo vere perficitur charitas, & Iohan.* 14,21. Hæc ratio insignis est ad nos permovendum ut fratres charos habeamus, quod hoc modo Christum & Deum nobis amicum habituri simus. Hic igitur expende quanti sit amicus fidus apud Salomonem *Prov.*17, 17. *omni tempore diligit*, etiam adverso. Non est similis torrenti hyeme & pluvioso tempore aquis scaturienti, qui æstate, cum eo opus est, deficit. *Iob.*6,15,17,18, *&c. Prov.* 18,24. *amicus firmior est fratre* & *Prov.*27,9. *ut unguentum & suffitus exhilarat cor*: ut sive commodum, sive voluptatem spectes, amicitia admodum fructuosa sit. Quod si hominem fidelem habere tanti sit, quanti est habere Christum, Deum amicum? Olim summo honori ducebatur ut quis Regi amicus esset: unde apparet certum fuisse in Aula regis statum & gradum singularem dignitatis. Sic Davidis amicus, Ionathan; Salomonis, Zabud. 1 *Reg.*4,5. Vide *Iacob.*2,23, &c. Quamobrem demus operam ut fratrum dilectione amicum Christum comparemus, eumque comparatum retineamus; ut Salomon hortatur amicum colendum & tuendum esse *Proverb.*18,24. *Vers.14. Per dilectionem mutuam Christi amicitiam consequimur.*

Nec vero miretur quis, quod Christus pro dilectione fratrum substituat observationem præceptorum. Præterquam enim quod sæpius Scriptura συνεκδοχικῶς notat partem per totum: intelligendum est totam legem mandatorum charitate comprehendi, *Rom.*13,8,9.

Si quis *excipiat* hoc modo dilectionem nostram causam esse cur Christus noster amicus sit; *refellitur* disertis Christi & Apostoli Iohannis verbis. Christus enim affirmat *ego elegi vos, non autem vos me, Iohan.*15,16. 1 *Ioh.*4,10. *Iacob.*2,23. *Nec tamen eam promeremur.*

Hæc ratio amplificatur ab effecto amici, quod omnia sua consilia in eorum sinum effundit nihil illos cœlat Sic Ionathan affirmat

Christi communicatione.

mat Saulem patrem nihil se cœlaturum. 1 *Sam.*20,2. scilicet quod illum amaret, & Dalila Sampsonem arguebat amoris parum intensi, quod cœlaret arcanum, *Iudic.*16,15. Hinc est quod *Psalm.*25,14. *secretum Domini est timentibus eum,* cujus exemplum est in Abraha. *Gen* 18,17. Quis non cuperet arcana regis scire, & ei à consiliis esse? & tamen quis est qui Deo Regi Regũ à consiliis esse appetit? tanquam ejus consilia & arcana regum terrestrium arcanis inferiora sint. Arcana autem ejus sunt oracula, quæ mundi vel sapientissimos cœlat, ut nihil in illis cognoscant, sed nec cognoscere queant. Regum consilia, quantumvis secreta, hostes ipsius Regis sæpe dolis & technis explicant. Sed Dei consilia nemo quisquã his artibus assequitur.

Ab Amicorum conditione.

Hoc argumentum alio à minori exornatur, quod hoc pacto non tam servorum, quam amicorum locum apud se obtineant. Magnum quidem est servum tanti principis fieri & ejus domesticum: & is multa habet inde privilegia, singularem protectionem; multaque domesticus cognoscit, quæ alii qui extranei & alieni à domo sunt ignorant; hujusmodi aliquid extat *Galat.*4,7. Erant quidem servi: ut *Iohan.*13,16. *servus non est major, &c.* Sed hoc per comparationem dicitur, non tam esse servos, quam amicos qui voluntatem ejus sciunt. Hoc singularem stimulum nobis addat cognoscendæ voluntatis Dei, quod eo ipso major Dei providentia & protectio pro nobis excubias ageret, quod gravius injurias nostras vindicaret, quod sic ab omnibus & piis & Angelis diligeremur, & pluris fieremus. Sicut numerosior & honoratior comitatus cum regis amico mittitur, quam cum servo ignobiliori.

Hoc etiam loco refelluntur *Pontificii,* qui, ut suis inventis locus pateat, obtendunt locum 16. *cap.*12. *multa habeo vobis dicere, &c.* Hoc enim testimonio confirmatur totam Patris voluntatem Apostolis expositam esse.

Vers.16. A Christi amore ultro nobis oblato.

Generale illud *καθὼς vers.*12. alio specialiore explicat, scilicet quod illos immeritos vocavit & nihil tale cogitantes, quin potius à se fugientes, idque efficaciter, dum ad fructum faciendum eos vocarit, & quidem hujusmodi, qui non, ut semen in petricosis aut spinosis locis satum, pereat, sed qui maneat, & qui, cum expirant, eos sequatur. *Apoc.*14,13. Vnde in majorem fiduciam assurgentes Deum orent, qui omnia illis, etiam vitam æternam, suo nomine largitur. Hic autem fructus non annum bienniumve durat, sed in omne ævum, ut pretiosas oporteat esse arbores, quæ tam dulcem & salutarem & semper duraturum fructum ferunt: durat autem in æternum.

Precibus salus acquirenda.

Deinde etiam *docet* quomodo exoptatæ salutis participes fient, nempe precibus ad Deum fusis. Quibus autem dicit se illos elegisse, &c. eo docet nullo eorum merito ipsos vocatos ad tantum honorem fuisse, ne hoc vel ipsismet in mentem venisse.

Alios amore prævertere oportet.

Hoc *discamus* exemplo nos contendere debere, ut priores in amore simus, & aliorum amorem & amicitiam expetamus. In quo *notetur* hominum perversitas, qui partim superbia, partim morositate, primi nolunt aliorum expetere & ambire amorem.

Deinde notetur fiduciam confirmari nostram ad precandum, dum in mandatorum observantia nos exercemus. Vide *vers.*7. *hujus cap.* item 2 *Timoth.*2,19. & 1 *Petr.*3,7.

Vers.17.

Hæc transitio solennis est Iohanni, cum in Euangelio, tum in Epistola, qua docet scopum & finem sermonis sui; atque ut hic & alibi particulatim, ita sub finem libri, cum dicit hæc scripta esse ut crederemus, &c. *cap.*21,31.

IOHAN. *cap.* 15, *à vers.* 18, *ad* 22.

18 *Si mundus vos odit, scitis me prius quam vos, illis odio habitum.*

19 *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia vero ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.*

20 *Mementote sermonis illius quem ego dixi vobis; Non est servus major domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum observaverunt, & vestrum observabunt.*

21 *Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia non noverunt eum qui misit me.*

ANALYSIS.

Consolationem ducit ab adjuncta communione Christi cum Apostolis in mundi odio.

Vers. 19. Consolatur item à causa efficiente, nempe odium mundi inde natum, quia non sunt ex mundo; quod altero efficiente arguitur, quia Christus

Christus eos ex mundo elegit; & illustratur prior illa causa efficiens ab adjuncto, quod illos amaret mundus, siquidem ex mundo essent.

Vers. 20. A comparato majoris consolatur illos, quod se Dominum & herum odio habuerunt; nedum fideles suos servos: quod generaliter dictum in specie declarat, nempe si se Dominum persequuti sunt; & illos servos persequentur: quod item suo adverso illustratur, nempe illos eorum sermones observaturos, si illius sermonem servaverunt.

Vers. 21. Aliud consolationis adversus odium & persequutionem mundi argumentum ab efficiente, quia propter nomen Christi hoc facient: item alio efficiente, quia per ignorantiam hoc facient.

METAPHRASIS.

18. *Scio vos mœstos habere hoc, quod mundus vos odio habet: sed mœrorem hunc, si non tollere, certe levare debet, quod compertum vobis sit, mundum me prius odio persequutum*
19. *esse, quam vos odisse cœpit. Illud vero non tantum lachrymas abstergere, sed solido gaudio vos complere debet, quod qui in mundo impii sunt, idcirco vos odio habent, quia non estis impii ut illi, & quod ego meo in vos amore vos ex damnabili illa conditione, in qua sunt, elegi: quandoquidem illud certissimum est, impios in mundo vos impense amaturos, si illis vita &*
20. *moribus conformes essetis. Expendite & reputate cum animis vestris dictum illud, quod me loquutum esse meminisse potestis: servi conditionem sui heri conditione non esse potiorem: præclare cum servo actum iri, si illius & heri par sit conditio. Si igitur me Dominum persequuti sunt; vos servos persequentur: sicut si qui sunt, qui meum sermonem servaverunt,*
21. *haud aliter vestrum servabunt. Omnium autem consolationum primum est, quod cum peccatorum vestrorum nomine jure vos odisse possent, præteritis peccatis vestris, ob meum sanctum nomen vos odio persequentur, idque nullo judicio, sed tantum ex ignoratione: quod vos ad commiserationem potius in eos flectat, quam ut inde ex eorum in vos odio animum despondeatis.*

PRAXIS.

Summa, Christus suos adversus mundi odium consolatur.

Partes sunt, { Mundi in Christi discipulos odium. Consolatio Christi adversus illud odium.

Vers. 18. *Vita piorum militia.* In *priore notandum* vitam hominis pii esse militam, ut cum carne, & diabolo, sic cum mundo. Vide *Gen.*3,15. Hinc illud 1 *Iohan.* 2,15. & 2 *Chron.*19,2.

In qua consolatio, I. à Christi consortio. In *altera parte primum argumentum* ducit ab adjuncta communione & confirmatione cum Christo in odio, quo illos mundus prosequetur. Proverbio jactatur, dolorem mitigari aliorum consortio. Unde illud *flete cum flentibus, Rom.*12,15. Sed consortio tali quale est Christi, &c. *Pet.*5,9. *Rom.*8,17. Hoc mirifice nos recreare debet Christum, utcumque dilectum à Deo, pietatis & sapientiæ plenum, de mundo bene promerentem, mundo tamen exosum fuisse. Si enim ille nullis ejus tam præclaris & divinis virtutibus mundum inhibuit, quo minus in se irrueret furenter, nedum in nos irruiturum expectare debemus. Elias quando Prophetæ ab Achabo & Iesabele interempti sunt, expetivit & ipse, ut Deus se itidem è mundo retraheret, hanc rationem afferens, quod suis patribus melior non esset. 1 *Reg.*19,4. Petrus, cum illi à Christo prædictum fuisset, eum ob Christi nomen mortem obiturum; illud ægre tulit, quod Iohannes, quem Christus unice dilexit, hac conditione liberatus esset. *Ioh.*21,21. at nos hic nec Christum ipsum exemptum videmus.

Qui nos in militia antecedit. Hoc argumentum per se validum, *alio argumento* ab adjuncto temporis amplificat, quod ipse non tantum ejusdem odii particeps sit, sed porro prior hoc perpessus sit, viam illis sternens, glaciem (quod dicitur) findens. Plurimum enim animi addit periclitanti, si alius eisdem difficultatibus præpeditus viam ei monstrat, ut si flumen tranandum aut trajiciendum esset, &c. Atque hoc argumento Christus Petrum loco citato confirmat. Sequere tu me, *Ioan.*21,22. & *si quis meus discipulus esse vult, tollat crucem & sequatur me. Matth.*16,24. Sicut enim mandatum charitatis novum est & dicitur *Ioan.* 13,34. vel renovatum, quod Christus nobis tam præclarum exemplar in se & amore suo proposuit; sic etiam fit in præcepto perferendæ persequutionis. Eoque *docemur* ut in subeundis pro Christo periculis, quisque primum locum, cum datur, & vocatione in certamen educitur, captet; nec quod ignavorum est, cupiat in extremis esse & periculum à se ad alios rejicere. Christus enim ut primus periculo se objecit, & quasi in mediam aciem inferorum se volens, (sed vocatus) intulit. Sic & nos ipsius vestigia in hoc sequi debemus. Atque ut Petrus dicit, primum castigationem à domo Dei inchoari, 1 *Pet.*4,17. Sicut quisque Deo charissimus est, ita sæpissime periculo exponitur. Hinc summo honori ducitur Stephano, quod

πρωτομάχοντος extitit. Id videmus in bello, locum periculi plenissimum à militibus expeti, qui honori sibi ducunt, si in prima acie collocentur. Item in *Actis* in Petro, Iohanne, & Iacobo, qui inter Apostolos præcipuis periculis præ aliis objecti sunt & expositi. Vide an *priorem vobis*, accipiendum sit pro vestrum principem ut plerique intelligunt, eoque adiciscunt 1 *Iohan*.30. πρῶτός μου ἦν, quamquam uterque sensus conjungi potest, præsertim cum non modo verba hoc sonent, sed quod pulchre cum instituto conveniat.

Vers.19. II. *A nostri per Christum electione.*

Aliud argumentum à causa odii, nempe eorum per Christi electionem & à mundo sepositionem; quo docet plus consolationis, & gaudii ex causa odii percipi oportere, quam doloris ex ipso odio & malevolentia mundi; ut nisi doleatis vos non esse ex mundo, nos à mundo odio haberi nequaquam mœrere debetis. Vide *cap*.17, *vers*.14. Singulare igitur solamen est quod hoc modo scimus nos ex mundo non esse, sed ex Deo esse, quia mundus nos odio habet. Sic vide *Matth*.5,11,12. & *Luc*.6,26. & *Galat*.1,10. Qui igitur tempori inserviunt, ut sese hominibus (tametsi bonis) in omnibus conformes præbeant, hi nullum testimonium Dei apud se & animum, suum tueri & alere possunt. Sunt autem quidam, qui ita rem se posse procurare arbitrantur, ut simul & Deo & mundo serviant, quorum opinionem convellit Christus *Matth*.6,24. Sed falluntur.

Odium mundi in suos diversum ab odio in fideles.

Hic tamen *excipiat* aliquis mundi etiam filios inter se digladiari, *Anabaptistas* cum *Pontificiis*, *Pontificios* cum *Arrianis*, *&c.* Sed intelligendum est illud odium angustis finibus teneri, & ex eo oriri, quod se ab illis odio haberi existimant: alioqui *Anabaptistæ Pontificios* amarent, ut illos *Pontificii*. Cum vere Christianos non una secta odio habeat, sed omnes. Deinde odium mundi in suos non fertur in vitia, sed in personas. Præterea non tam est lethale & infensum, ut in Ecclesiam Christi: unde ut Ecclesiam expugnent quandoque conciliantur, ut in discipulis Iohannis & Pharisæorum, in Herode & Pontio Pilato cernitur. Hinc est quod *Papa* Iudæos & religionis infensissimos hostes æquius ferat quam Euangelicos: quod cum Turca conjuravit, ut Græcam Ecclesiam & urbem Constantinopolitanam in servitutem redigeret, quod illius Patriarcha sibi se submittere noluit.

Mundus non odit suos.

Hoc argumentum corroborat ab adversis, quia si ex mundo essent, mundus eos diligeret, cum suos diligat mūdus. Vnde Christus. *Ioh*.7,7. dicit mundum non potuisse illos odisse, &c. Mundus enim non nisi suos & se amantes amat. Vide 1 *Iohan*.2,15, *&c.* simulque nos eo minus angi decet, quod à mundo non amamur. Nam molestum est non amari à suis, sed si quis ab alienis & extraneis non ametur, non ita illum urit. Hoc clarissime conspicitur in Christo, nec à suis non modo popularibus & contribulibus, sed ne quidē cognatis diligebatur, qui illos tamen nobilitavit, & eo amore naturali complexus est, quo nemo magis. Tametsi in propria venit tamen proprii eum non susceperunt. *Ioan*.1,11. Cavendum igitur ne à mundo diligamur, aut mundum diligamus, cum tam chare constabit nobis mundi amor ut Dei amoris & Christi jacturam faciamus.

Notat porro causam separationis fidelium à mundo, suum erga illos amorem. Erant enim mundi pars (quod tamen vetus interpres sua falsa interpretatione, verbis saltem negat, cum dicit, *si fuissetis ex Mundo.*) priusquam Christus eos à mundo separavit. Est autem hæc electio, non illa, quæ erat ante mundi jacta fundamenta, sed ejus effectus. *Crediderunt* enim *quotquot ad vitam ordinati sunt. Act*.13,48. Hinc est quod Christus dicitur Pastor qui separat agnos ab hædis, *Matth*.25,32. præconio Euangelii ut agricola, qui triticum à palea secernit. *Matth*. 3,12. Architectus qui lapides hinc inde disjectos colligens eos fundamento imponit, ut in Dei ædificium coalescant. Princeps qui errones huc illuc palantes in unum populi corpus ad civitatem constituendam congregat ὁμογενέα & disgregat ἑτερογενέα. Quæ separatio tamen maxime in ultimo judicio fiet. Hinc patet nos non priores accedere ad Christum. *Nemo* enim *venit ad me, nisi quem Pater trahit. Ioha*.6,44. *Ego eligo. hoc vers.* *Electionis causa.*

Hujus effectus est mundi odium in eos qui à Christo eliguntur, quod Christus ipse egregie declarat, cum dicit, se venisse ut gladium mitteret, &c. *Matth*.12,34,35. Hujus exemplum vide in Paulo, qui multis suis in Iudæorum Synagogam meritis eorum in se odium mitigare non poterat, quin ilico in illum furiose involarent, simul ac senserunt eum ad Christum conversum. Idem de cæco mendico *Iohan*.9. Illud in posteritate Abraham luculenter conspicitur, quam à Deo electam totus mundus odio habebat, *Psalm*.129,1,2. in tribu Iudæ adhuc magis: quam non tantum Gentes, sed Israëlitæ fratres persequebantur, sese cum gentibus ad illam *Ejus effectum.*

illam oppugnandam, & suas copias & consilia conjungentes, quod etiam in nostris Pseudo-euangelicis cernitur, qui aliquando non dubitabunt brachio *Pontificiorũ* se, si qua potuerint, armare contra veros Dei Professores.

etiam in S. Scriptura apparens. Vide etiam quam vere hoc perspicitur in Sacra Scriptura, quam quoniam Deus ante omnia Scripta delegit ut illa homines servaret, ideo mundus in eam furenter fertur, non alia causa, nisi quod ex mundo non sit. Homerum, Platonem, Aristotelem, &c. non est conatus igne cremare, aut cultro concidere; sed hoc scriptum conatus est. Hoc etiam in *Papatu* liquido & clare perspectum est, ubi fabellas passim, atque adeo in templis, æque tulerunt, cum sacra Biblia, nec domi, nec in Ecclesia legi aut haberi passi sunt. Unde singularis consolatio redit. Nam quemadmodum scripturæ ad incendium & πανωλεθρίαν quæsitæ, salvæ tamen manserunt, ita ut ne jota unum aut punctum minimum interciderit, sic, &c. Et quemadmodum alia scripta studio & conatu omni ut conservarentur pertentata, tamen aut interciderunt penitus, aut corrupta permanserunt; sic, &c.

Vers. 20. III. *Consolatur Apostolos ab exemplo suo.* *Aliud argumentum* à comparatione majoris, quod argumentum a testimonio Proverbii confirmat, non esse servum majorem hero, quod ante a se dictum repetit, tanquam ad rem hanc amplificandam accommodatissimum. Fas enim non est communem sociorum & fratrum nostrorum conditionem recusare: sed meliorem hero, præceptore, rege, imperatore, Deo nostro expetere, nimiæ profecto & intolerandæ mollitiei, & delicati animi est: hujus rei exemplum præstans existit in Uria, qui invitatus ad legitimas & à rege suo imperatas delicias, illas firme recusavit, quia suus imperator Ioabus sub dio in castris duriter viam tolerabat. 2 *Sam. cap.* 11, *vers.* 11.

Quod autem dicit, *mementote illius dicti*, quod ita obvium & tritum erat omnium sermone ut peræque fere proprii eos nominis oblivio capere potuerit, ac illius; illud non tam intelligendum est, ac si vereatur ne ipsa verba illis excidant, quam quod velit ut æquitas illorum verborum eorum non memoriæ, sed affectibus penitus insideret.

Quo cognoscimus facile intolerandam nostram aut superbiam aut mollitiem, qui in re tam ab omnibus concessa procul ab officio absumus.

Simul etiam singulari consolationi Ministris esse debet, cum eorum doctrina repudiatur, ne nimium consternentur, quandoquidem non secus Christum, si adesset, contempturi fuissent. Vide *Matth.* 10, 24, 25.

Aliud argumentum quo illos consolatur, à causa finali persequutionis, quam perferent à mundo, nempe quod non peccatorum suorum nomine, sed veritatis causa propter Christum hoc facient. Sic *Iohan.* 21, 19. ducitur loco consolationis quod Petrus morte sua Deum glorificaturus esset. Vide *Act.* 5, *vers.* 41. Est enim incredibile beneficium, cum, peccatis nostris sepultis & silentio oppressis, nobis hunc honorem Deus habet, ut pro veritate persequutionem patiamur. Hinc ergo solide lætandum nobis, ut, *Actor.* 5, 41. 1 *Ioh.* 3, 21. & *Ioh.* 17, 1. Hoc experientia docetur, eos quos Deus è mundo sevocat, licet coopertos sceleribus, tamen à mundo dilectos esse, quamdiu ex mundo erant; post autem odio lethali exosos fuisse. Ne autem videretur hoc jure fecisse, adjĕgit hoc ignorantia fieri: quod est ad depellendam offensionem aptum. Vide *Act.* 13, 50, 51, 52.

Vers. 21. IV. *à fine persecutionum.*

IOHAN. *cap.* 15, *à vers.* 22, *ad finem Capitis.*

22 *Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.*

23 *Qui me odit,* is etiam *Patrem meum odit.*

24 *Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt tum me tum Patrem meum.*

25 *Sed* oportet *ut impleatur sermo qui in Lege ipsorum scriptus est; Oderunt me immerito.*

26 *Quum autem venerit Advocatus ille quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus,* inquam, *ille veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me.*

27 *Sed & vos testabimini, quoniam à principio mecum estis.*

ANALYSIS.

Exaggerat Iudæorum in se odium, & ex odio peccatum à disparato, quia hæc fecerunt contra quam edocti sunt à Christo; cujus doctrinæ seu sermonis apud illos adjunctum est, quod nullam excusationem vel prætexere norunt.

Vers.

Vers. 23. Deinde exaggerat hoc odium à comparato majoris, quod non tantum in se feratur hoc odium, sed & in Patrem.

Vers. 24. Aliud argumentum ad exaggerationem odii à disparato, quia hoc fecerunt non obstantibus tot miraculis, quæ edidit; quod argumentum amplificat primum comparatione minoris, quia nemo alius hæc opera fecit: deinde ab adjuncta visione miraculorum, quæ edita sunt.

Vers. 25. A fine depellit hanc offensionem, quæ ex eorum odio manare potuit, quia sic Scriptura impletur, quæ illorum in se immeritum odium prædixit.

Vers. 26. Depellit offensionem ex ignominiosa morte, & porro confirmat immeritum in se odium à testimonio Spiritus S. quod Spiritus testimonium amplificatur ab adjuncto veritatis; item ab efficiente, nempe missione à Patre & se Filio.

Vers. 27. Instrumentale efficiens hujus testimonii Spiritus describit, Apostolos. Eorum vero ad testandum aptitudinem arguit ab adjuncto tempore, quia ab initio functionis cum illo conversati sunt.

METAPHRASIS.

22. T*Ametsi vero ignorent eum qui me misit,*
eoque ipso mei noticia imbuti non sint,
nolite tamen putare me meam in prædicando
operam perdidisse; nam nisi venissem & veri-
tatem promulgassem, tanto scelere & tam pe-
tulanti contemtu constricti non fuissent: jam
vero meo verbi & voluntatis præconio nullam
non modo excusationem, sed nec excusationis
23. *speciem peccato suo prætexere norunt. Putant*
equidem leviculũ quid esse me contemptui ha-
bere, neque existimant se in Deum impingere,
cum in me feruntur: sed magno suo malo tan-
dem intelligent, suo in me odio Patrem (hor-
24. *tendum dictu) etiam se odio prosequi. Quod de*
doctrina dixi, idem de miraculis affirmo, illa
cassa non esse. Nisi enim illa opera fecissem,
quæ nemo umquam ante me fecit, sceleris tam
atrocis non tenerentur: nunc vero cum illis
spectantibus hæc à me edita sint, à gravi sce-
lere abesse non possint, qui me odio habere per-
gunt, præsertim cum eadem opera Patrem si-
25. *mul odio habent. Quod tametsi sine summo*
eorum scelere fieri nequeat, tamen ne stupore
inde percellamini: nihil etenim factum ab il-
lis hac in re est, quod fieri necesse non fuit: ut
impleatur quod in Scriptura illis commissa, &
quam magni facere præ se ferunt, præscriptum
est, scilicet quod me immerito odio prosequuti
26. *sunt. Atque cum venerit paracletus ille, de quo*
dixi, quem ego à Patre mittam, (Spiritum in-
telligo veritatis à Patre perinde ut à me pro-
cedentem) is de mea hac, quam dixi, innocen-
27. *tia testimonium dabit. Et vobis ille tanquam*
organis & ministris ad hanc innocentiam te-
standum utetur, ut qui ad hanc rem peridonei estis, quod ab initio functionis meæ mecum conversantes quæ dixi & feci omnia probe tenetis.

PRAXIS.

S*Vmma*, Discipulos de se & gloria sua à mundo partim jam violata, partim deinceps conculcanda solicitos consolatur.

Cujus *partes* sunt, consolatio discipulorum de Christo à mundo
- Ante mortẽ contempto.
- Post mortem contemnendo.

Ex dicto quo confirmaverat eos ignorare eum, qui se misit, Patrem, promptum erat regerere, Christum magnum & gravem laborem frustra sumpsisse in illis instituendis. Vide *Ezech.*2,3,4,5.& *cap.*3.*vers.*7. ubi mittitur Propheta, quem præmonet & præmunit Deus affirmando clare & enucleate, populum Prophetam non auditurum; sed mittit eum tamen ut intelligatur Prophetam ibi fuisse. Occurrit igitur Christus se operam non perdidisse, quod suo adventu & assiduo in docendo labore illud lucratus sit, quod non modo excusatione destituantur, sed nec quid prætexere possint, quod vel verisimilem speciem defensionis habeat. Vers. 22. *Christus in prædicando Evangelio apud contumaces non frustratus.*

Ex quo *primum notandum* est, quis sit fructus & effectus verbi apud impios, nempe ut illis omnem speciem excusationis auferat. Nam tametsi in ignoratione & tenebris demersi jaceant, tamen excusatione vacant: cæcus enim in foveam cadit, & servus nesciens voluntatem Domini sui vapulat. *Matt.* 15,14. *Luc.*12,48. Sed veritatis tamen prædicatione uterque magis inexcusabilis redditur. Vnde consequitur judicium formidabilius & tremendum magis. Hinc est ut dicatur *Ierem.*23,29. *Sermo meus tanquam ignis & tanquam malleus efficiens ut dissiliant petræ.* Vide *Esai.*11,4. *Hebr.*4,12. *gladius bipennis. Luc.*2,34. ideo dicitur poni Christus in ruinam multorum: *petra scandali*, 1 *Pet.* 2,7, *&c.* Homines enim existimant se posse ludere cum Dei verbo, & si nullum inde commodum percipiant, providere tamen nihil ut incommodi referant. Sed similis est bipenni gladio, quocum ludere periculosum est, ex veteri Proverbio. Similis est medicamentis vehementissimis, quæ in summo discrimine adhibentur, quæ aut valetudinem restituunt, aut ægrotum perimunt: summam affert aut beatitatem, aut miseriam auget. Erit enim Sodomis & Gomorrhæ in die judicii *Qui inexcusabiles fiunt audito verbo.*

dicii levius quam civitati illi. *Matth.*10,10.

Unde nec Ministrorum apud præfractos irritus labor.

Deinde consolatur Ministros, quod cum præfractis negotium habentes, apud quos ne hilum quidem proficiunt, qui etiam eorum laboribus in deterius vertuntur, non tamen cassus sit eorum labor & irritus. Vide *Esaiæ* 49,4,5. 2 *Corinth.*2,15,16. Ministri id agunt & agere debent, ut populum in Dei ovile & horreum colligant. Sed si isti renuerint, illi operam non perdunt. Tam enim Regi serviunt & grati sunt, qui justitiæ ejus ministri sunt, quam qui misericordiæ. Quin etiam eo & majorem mercedem (quo majore fide & diligentia in obeundo ministerio utuntur) ipsi, & graviorem pœnam illi accipient, qui non profecerint. In quorum utroque Deus glorificatur.

Vers.23. *Contumacium grave peccatum,*

Cujusmodi vero & quam horrendum illud judicium futurum sit, docet ex peccati horrore, quo se constrixerant Christi doctrinam repudiando, & Christum ipsum odio prosequendo: scilicet quod Deum odio habebant: Cum enim arbitrabantur se cum homine Christo rem tantum habuisse, effectum est ut in ipsum Deum impetu quodam lati sint: *qui enim Filium negat Patrem non habet.* 1 *Ioh.*2,23. Quam autem horrendum dictu sit, ut mortalis Deum præpotentem odio habeat? aut quo supplicio expiabitur? Hoc testimonium est luculentum contra *Iudæos*, quo docetur illos perire, tametsi unum Deum agnoscunt, cum Christum rejiciant. Idem etiam de *Turcis*, qui tametsi Christum Prophetam & excellentem virum, Deum tamen negant. Idem etiam ad *Pontificios* transfertur, qui tametsi Christum & Deum & hominem agnoscunt, tamen quia non eum perinde accipiunt, ut Pater eum proposuit: ideo, &c. Cujus etiam insignis sententia extat 1 *Ioh.*4,6. eoq; ad Pseudo-euangelicos transfertur. Quis non cohorresceret vel ad nudam recordationem hujus conditionis, quæ hominem Deo hostem infensum sistit? Hinc etiam ministri se jure consolari possunt, & certi esse de severissima in contemptores suos ultione, quandoquidem eadem opera & ipsos & Christum & Patrem oppugnant.

Vers.24. *A conspectu operum Christi amplificatum.*

Eorum scelus, & obfirmatam animi cæcitatem adjuncta operum suorum præstantia exaggerat, eoque pœnam analogam: quia non tantum doctrinam ejus cœlestem & divinam audiverant, sed etiam opera ejus & miracula eximia viderant, ea præstantia & ea Deitatis significatione, quæ nunquam prius in quoquam visa est. Vide *Iohan.*5,36. hoc populus non abreptus cæco affectu viderunt & confessi sunt, cum dicunt nunquam tale extitisse in Israel, *Matth.* 9,33. nunquam auditum esse, ut quis oculos natura occæcatos restitueret. *Ioh.*9,32. Sic igitur & doctrina & Christi miraculis inexcusabiles sunt redditi, & atrociore supplicio constricti. Sciendum autem eadem miracula doctrinæ, quæ hodie proponitur, sigilla esse, eoque reatum majorem jam esse Euangelium rejicientibus, quam si ea minime exhibita fuissent. Opera, quæ pii Ministri jam edere possunt, sunt probati mores, morata vita ex Dei præscripto; quæ si ad Ministerium accedat ut illud ornet, gravius judicium creabit reluctantibus. Si veritatem proponimus, cur non creditis? cur non vita exprimitis? Quod si ad doctrinæ puritatem accedat porro vitæ incorruptio, tum demum gravioris rebellionis tenentur, qui non obsequuntur. Cũ enim non tantum vitæ pabulum vobis præbeatur, sed vase etiam mundo & honesto; cum non tantum via vobis monstretur, sed à monstrante teratur, isque vobis præeat, multo magis inexcusabiles reddimini.

Hactenus consolatus est eos ab adjuncta sui operis mercede, & pœna sui in doctrina & miraculis suis contemti. Nunc aliam rationem affert à testimoniis. Sic scilicet per Prophetas prædictũ, hoc modo opera impleri oportuisse. Non igitur hoc vos offendere debet, quandoquidem ita fieri oportuit. Sic Petrus *Act.*4,25,26,27. & Paulus *Act.*13,27. Quod autem in capite impletum est, in membris pro sua mensura impleri oportet: & quod in membris ante Christi adventum accidit, idem in his, quæ subsequuntur, evenire debet. Neque igitur quenquam offendere debet, quod pii, qui hodie vivunt, ab Antichristo cruciantur & infinitis malis lacerantur, quandoquidem illud etiam à Iohanne in *Apocalypsi* prænunciatum sit. Hoc autem vel ex *Psal.*35,12. vel 69,5. desumitur.

Vers.25. *Apostolorum confirmatio à prædictione Prophetarum.*

Quanquam etiam alterum ab adjuncta innocentia argumentum hinc etiam petitur. Nam si merito paterer, justam causam haberetis cur animis consternaremini: sed cum immeritus patiar, quod conturbemini non est.

Et ab innocentia Christi.

Sequitur *pars altera* de depulsione doloris discipulorum ex metu Christi gloriæ patrocinio destituendæ post ejus abitum: tametsi hoc loco aliquid porro adjicitur de consolandis Apostolis adversus illa mala, quæ sibi eventura metuebant. Hic igitur locus duplicem illis

Vers.26. *Confirmatio eorum in dolore post Christi discessum.*

consolationem affert, unam suiipsorum respectu, alteram Christi ratione: & quidem quod ad illos attinet, dicitur Christum alium suo loco substituturum, qui illis non minus consolaturus sit, quam ipse cũ præsens esset.

Qui tamen Spiritu suo præsens est. Quis non dubitaret mortem obire, si Christum præsentem & intuentem cerneret? Atqui non minus nobis prospectum est Spiritus præsentia, quam si ipse adesset: ipse enim vobis & consolator & Advocatus aderit. 1 *Ioh.*4,4. *qui in vobis est, fortior est mundo.* Πανοπλίᾳ Spiritus induti non debemus metuere à toto mundo. Ille est generosum vinum & sicera quam Deus afflictis, suo nomine præsertim, præbet, eoque largiter eos potat. *Ephes.*5,18. Hoc enim homines afflictissimos vel media nocte exhilarat. Vide *Act.*16,25. Pios sollicitos non tam habet eorum causa, quam Dei Gloria, quam calcari pedibus ægerrime ferunt; alioqui æquo animo passuri, si quid passuri ipsi sint. Sic videmus Christum. *Ioh.*12,28. qui postquam illum proprii cruciatus sensus aliquantulum occupasset, ilico tanquam sui oblitus dicit, *glorifica nomen tuum Pater*, quicquid de me fiat. De nobis quidem quid fiat non tanti interest, sed quid sancto Dei nomine fiat. Huic igitur tentationi Christus opponit Spiritum suum, Spiritum veritatis, id est, qui novit omnem veritatem & illam testabitur. Hinc illud toties in precibus piorum *propter nomen tuum*. Meminerimus igitur nos ipsos hac promissione confirmari. Tametsi vero post subjungit hoc per Apostolos factum iri; tamen vult non tam se loquentes confiderent, quam Spiritum in se eloquentem: ut alio loco. Vide *Matth. cap.*10, *vers.* 20. Est singularis consolationis aliquem nobis astantem habere, qui nobis nobis vel ignaris vel obliviosis suggerat; sed in nobis eum habere melius multo.

Unde Christi cum Patre æqualitas probata. Hinc æqualitas Christi cum Patre confirmatur, qui peræque ut ille Spiritum mittit; dicitur autem mitti Spiritus non quod non sit ubique, sed quod hac missione incipit novo quodam modo in cordibus suorum esse. Sic Christus dicitur in mundum missus, cum tamen certissimum sit eum totum mundum ante complevisse, quia nova quadam ratione cœpit esse.

Græcorum hujus loci abusus. Hinc astruunt Græci Spiritum à filio non procedere, quia dicitur à Patre procedere; tametsi non inficiabuntur Spiritum à Patre per Filium procedere. Sed *primum* intelligendum est hoc loco sermonem fieri non de æterna processione, sed de temporali. *Deinde* etiam quod dicitur à Filio mitti, idem est ac à Filio procedere. Huc refer quod Paulus ad *Gal.*4,6. dicit esse *Spiritum Filii*: quamobrem ut à Patre, sic à Filio spiratur. *Denique* exceptis oppositis relationibus, omnia quæ de una persona dicuntur, dicuntur & de aliis. Cum igitur spiratio activa non opponitur filiationi, sed tantum spirationi passivæ, quæ convenit Spiritui, sequitur ut illa æque Filio ac Patri conveniat. Deinde si Spiritus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo personaliter. Solæ enim relationes oppositæ personalem faciunt in divinitate distinctionem. Huc accedit quod quæcumque Pater facit, Filius itidem facit, *Ioh.* 5,19. quod Pater & Filius unum sunt. *Iohan.* 10,30. quod Christus spiravit Spiritum in Apostolos *Iohan.*20,22. & quod halitus externus rei significatæ verum signum fuerit; quod Christus se sanctificet, *Iohan.*17,19. se resuscitet.

Quod autem eos dicit testimonium perhibituros, quod ab initio cum illo fuerint, vide *Actor.*1. & *Tim.*3. Vers.27.

IOHAN. *cap.* 16, *à vers.* 1, *ad* 12.

HAec loquutus sum vobis, ut ne offendamini.

2 *Movebunt vos Synagogis: imo veniet tempus quum quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo.*

3 *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

4 *Sed hæc loquutus sum vobis, ut ubi venerit hora illa, memineritis eorum,* nempe *quod ego hæc dixerim vobis, hæc autem vobis à principio non dixi, quia vobiscum eram.*

5 *Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me,* dicens; *Quo abis?*

6 *Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

7 Sed ego veritatem dico vobis, confert vobis ut ego abeam. Nisi enim abiero; Advocatus ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.
8 Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio:
9 De peccato quidem, eo quod non credunt in me:
10 De justitia vero, eo quod ad Patrem abeam, & amplius non conspicietis me:
11 De judicio autem, eo quod princeps hujus mundi condemnatus sit.

ANALYSIS.

HUjus concionis finem notat, ne discipuli ad illa, quæ aut Christo aut illis ineptiis sunt eventura, offendantur.

Vers. 2. Duorum effectorum causam efficientem assignat, opinionem cultus Deo præstiti per Iudæos: unum est ejectio Apostolorum è Synagoga: alterum est eorundem interfectio amplificata comparatione majoris.

Vers. 3. Altera causa efficiens duorum effectorum est Iudæorum ignoratio Dei; quæ & prioris causæ causa est.

Vers. 4. Corrumpentem causam offensionis assignat, recordationem istorum Christi dictorum cum evenerint: ubi est etiam prolepsis; in qua occupatio tacita est ab adjuncto tempore, cur hæc ab initio non dixerit: cujus causa efficiens subjungitur, Christi cum suis Apostolis præsentia.

Vers. 5, 6. Causam notat mœroris, in quo erant Apostoli, quod ab illo discessum suum prædicente nemo interrogabat quo abiret.

Vers. 7. Mitigat dolorem sui ab illis abitus ab adjuncta utilitate, quæ ad illos inde accedet, nempe Spiritus S. ad illos missione; quam suo adverso illustrat, nempe quod non mittetur si non abierit; quod utrumque confirmat testimonio vehementioris asseverationis.

Vers. 8. Effectum Spiritus Sancti in Apostolis est redarguere mundum: quæ redargutio suo subjecto declaratur, peccato, justicia, & judicio.

Vers. 9. Causa efficiens redargutionis de peccato est, quod in Christum mundus non credidit.

Vers. 10. Causa redargutionis de justicia est, quia Christus ad Patrem vadit; cujus adjunctum est, quod eum amplius non intuebuntur Apostoli.

Vers. 11. Item causa redargutionis de judicio, quod Princeps mundi judicatur.

METAPHRASIS.

1. *HÆc de mundi in vos lathali odio prædi-*
co, ne si ex improviso & inopinato hæc
vobis acciderent, à mea fide desciscatis, & de-
2. *fectionis ansam aliis præbeatis. Vobis vero jam*
probe confirmatis, non dubitabo odii in vos
nefarios fructus prædicere. Atrocissima quæ-
que in vos intentabunt. Nam Ecclesiæ mode-
ratores vos Synagoga (quod ultimum in Ec-
clesia flagellum est) movebunt: in Repub. ve-
ro magistratus (quod summum supplicium est)
vos morte multabunt. Quod quidem adeo abs-
que omni hæsitatione & conscientiæ scrupo fa-
cient, ut se Deum hac in vos sævitia, religiose
3. *colere sibi in animum inducant. Cujus crude-*
litatis si fontem quæritis, non aliunde prove-
nit, quam quod Patrem se scire profitentes, il-
lum ignorent: utpote qui me ignorent in quo
uno Patrem cognoscere possunt. Quod vos ad-
moneat ne à veritatis confessione abducami-
ni, cum illos per errorem vos persequi reputa-
veritis. Et quidem hæc prædixi vobis ut cum 4.
advenerint me illa ex specula omniscientiæ
meæ prædixisse memineritis, vestram in me
fidem eadem opera confirmaturi. Quæritis for-
te quid sit quod hæc sub initio vocationis ve-
stræ non prædixerim: Respondeo quod præsens
vobiscum nullum vobis per me tectis & vindi-
catis vel minimum ex his periculum adhærere 5.
potuit. Nunc autem expeditis rebus omnibus,
quæ mihi Pater in mandatis dedit, ad eum,
qui me per incarnationem in mundum misit,
redeo. Quod vos molestos habere video, quia
ex vobis nullus quo vadam, & qua gloria à
Patre excipiendus sum rogitat. Tantum quia 6.
mei à vobis discessus mentionem feci, toti
quanti quanti estis in mœrore & squalore de-
fixi hæretis: mordicus illud unum verbum ar-
ripientes, præteritis discessus mei causis, quæ
vos ad lætitiam erexissent. Præterquam vero 7.
quod magno meo bono hic discessus futurus sit,
quod vos recreare debet: sancte vobis affirmo
vobis summe conducere ut hinc à vobis disce-
dam. Nisi etenim discedam Spiritus Sanctus
consolator pleniore mensura non superveniet:
sicut contra hinc à vobis in cœlum profectus
illam ad vos mittam. Quæritis quid ex Spiri- 8.
tus adventu emolumenti? veniens vestro mini-
sterio, postquam cœlesti ipsius dono perfusi &
proluti fueritis, in mundo impios redarguet de
peccato, de justicia & de judicio. Et primum 9.
quidem de peccato, quod tametsi multiplex &
varium sit, illud tamen præcipue, & cætero-
rum omnium veluti parentem exagitabit,
quod in me non crediderunt, ejusque impios
Iudæos reos peraget. Deinceps convincet idem 10.
Spiritus adversus omnes, qui me ut impium
& injustum condemnarunt & in crucem ege-
runt, me esse justum & innocentem: cujus
certissimum argumentum proferet meam ad
Patrem in summis cœlis profectionem, dono-
rum Spiritus Sancti tam inusitata profusione

abunde testatam, maxime vero cum in cœlum elatus ibi permansurus sum, ita ut hic in terris me deinceps non sitis visuri. Denique me judicem & Dominum à Patre constitutum esse convincet: cum Diabolum & totam inferorum cohortem una cum peccato (cujus vi tyrannidem in electis exercet) exarmatum & confixum esse fidelium vita Sancte & incorrupte acta demonstrabit.

PRAXIS.

S*Umma*, Malorum quæ illis eventura sunt prædictione, illos præmuniens, suum ab illis discessum non modo non inutilem, sed prorsus necessarium esse asserit.

Partes sunt, { Præmunitio adversus offensionem ex obventuris malis. Necessitas summa Christi ab illis discessionis. }

Vers.1. *Malorum præmeditatio necessaria.* Scopum proponit eorum quæ à *vers.*17. *superioris capitis* dicta sunt, usque ad ejusdem capitis clausulam; quod Iohanni familiare est. Hæc quæ tum mihi, tum vobis adversa venient, præmonui: ne illorum indignitate offensi ab Euangelio desciscatis, atque impingentes aliis impactionis causa existatis. Hoc quidem de Christo prius prædixerant Prophetæ. Sed tamen illa suggerere, Christo necesse fuit. Sic Paulus & Barnabas *Act.*14,22. Quod nobis faciendum est futuras afflictiones commentando. 1 *Petr.*4, 12. Contra malum impiis improviso advenit, ut fœminæ parturienti dolores, ut turbo die quem nesciunt, & hora quam non cogitant; cum dicunt, pax pax, ut rete, quod aves subito deprehendit, ut fur in nocte. Vide Historiam Nabuch. & Balthas. *Dan.*4, & 5. Atque videmus maximas copias ab imbelli multitudine facile fundi cum ex improviso appetuntur. Contra imbelles cautione adversus fortissimos consistere. Hujus rei insigne est exemplum in *Iobo cap.* 3, *vers.* 24,25. item in Esthere, quæ sibi mortis periculum proposuit. *Esth.* 4,16. Contra David, quod sibi omnia prospera promisit, subito ita consternatus est, ut difficulter seipsum collegerit. *Psal.*30,6,7. Hic inserendum ex Proverb. Salomonis, *Sapiens prospicit mala ventura & illa cavet.* Sed, &c. *Prov.* 22,3, & 27,12.

Vers.2. *Et maximorum quidem.* Cum vero jam probe muniti sitis, multis confirmati rationibus, quas diligenter accumulavi; audebo etiam accumulatius & specialius mala vobis, ex mundi odio obventura, indicare. Non proponam autem singula in quocumque genere, sed gravissima & atrocissima, adversus quæ si commentatione & armis fidei probe instructi sitis, non est quod de reliquis laboretis. Cum igitur duo suppliciorum genera sunt, unum Ecclesiasticum, alterum civile, quæ in utroque genere severissima sunt, perpetiemini. Hoc nobis imitandum ut non tantum futura mala nobis ipsis proponamus, sed porro exquisitissima quæque supplicia & extrema mala. Nam nulli sunt infensiores hostes, quam qui nomen Euangelii persequuntur, nulli crudeliores, nam in causa religionis filius non parcit patri, &c. Imitari igitur debemus eum, de quo est in Euangelio, qui sedens iniit secum rationes. *Luc.*14,28,31.

Hinc liquet Deum non prius nos tentatione experiri, antequam nos adversus illam armaverit: non prius morbum immittere, quam medicamentum paratur. *Dei in afflictionibus benignitas.*

Objectio: Sed illud videtur peregrinum, quod excommunicationem tanquam leviorem pœnam proponat, corporis mortem tanquam graviorem: cum tamen gladius excommunicationis formidabilior sit, quam occisionis; quod horribilius sit in manus Satanæ incidere: utut enim homines non magni hoc æstimant, &c. tamen revera in se longe gravius est. Atque adeo rem excommunicatione dignam admittere est multo formidabilius quam gladio vitam amittere. Nec melius cum flagitiosis agitur, quod nec Ecclesia nec Respub. suum officium faciant, quia formidabilius incidere in manus creatoris quam creaturæ. *Responsio* in promptu est, quod istud Ecclesiæ judicium temere sit ejaculatum & sine causa; unde efficitur quod Proverbio Salomonis dicitur, *maledictionem, quæ sine causa est, instar avis esse, quæ avolet.* Hoc experimur hodie in *Pontificiis*, qui excommunicatione & ferro grassantur, &c. *Cur excommunicatio ut pœna levior morte proposita.*

Accedit hoc quod non, ut latrones, trepide & insidiose hoc facturi sunt, sed tanquam in re non licita solum, sed laude summa digna, summa fiducia utentur; & cum supplicium jure timere debeant, præmium expectabunt. Vide exemplum in Samaritanis: *Ioan.*4,9. *Lucæ* 9,53. etiam in Paulo. *Act.*9,1. Videmus autem illos, qui aliquousque in religione consentiunt, majori furoris impetu ferri in eos, qui in quibusdam dissentiunt, quam qui toto cœlo ab illis disjuncti sunt. Hinc est quod *Pontificiorum* sævitia in *Euangelicos* major est quam quæ à *Etiam hostium audacia & violentia cogitanda.*

Turcis

Turcis aut *Ethnicis* perpetiuntur; item major sævitia *Pontificiorum* in *Euangelicos*, quam in *Iudæos* magis religione inter se dissitos, quia *Pontificii* videri volunt quod nos sumus. Hinc etiam major sævitia *Turcæ* in *Iudæos*, quam in *Christianos*, quod *Turcæ* videri volunt quod *Iudæi* sunt, nempe semen Abrahæ ex Sara libera.

Intentio bona sæpe perniciosa. Hic *notetur* intentio quæ dicitur bona, quæ homines præcipites abripit ad horrenda scelera; qua sæpe tum longissime à Deo abscedunt, cum proxime se ad eum accedere arbitrantur; tum ad inferos celerrimo cursu feruntur, cum se in cœlum volare autumant. Hinc est quod Paulus de Iudæis testatur *Rom.*10,2. *quod Dei zelum habent, sed non secundum scientiam*; qui zelus eos in omnium horribilissimum exitium conjecit. Nec vero hoc tantum in impios cadit, sed in pios, ut Iohannem Baptistam. *Matth.* 3,14. & Petrum *Iohan.*13,8.

Vers.3. Munit illos adversus hunc furorem adjuncta ignorantia in his, qui illud patraturi sunt: de qua vide supra.

Vers.4. *Memoriæ hujus prædictionis utilitas.* *Quærat* aliquis quid inde boni Apostolis accedet, quod prædictionis hujus meminerint. *Resp.* Plurimum omni modo. *Primum* enim confirmabit eos in Christi divinitate, quæ ista longe antequam facta sunt, vel ulla eorum significatio extiterit, prævidit; eoque ipso ipsius summa voluntate fieri, qui illa potuit, si voluit, avertere, & quo minus evenirent impedire. Nec enim dubitandum eum summe potentem esse, qui sit summe sapiens. *Hinc* porro concludi potest esse ex gloria sua, Ecclesiæ bono, eorumque singulari commodo, ita rem geri: cætero quin in mentem nobis veniret Deum aut in cœlis otiosum esse, aut ejus animum à nobis alienatum esse: nisi hæc nobis, intime nos & charissime complectens, prædixisset. Sic Euangelista Iohannes in Christi perpessionibus narrandis ad depellendam invidiam singulas in Scriptura prædictas esse designat; ut intelligatur, non tam nos libidini eorum expositos esse, quam ad explendam Dei voluntatem ad ista certamina pertractos esse.

Christo præsente Apostolis hac confirmatione opus non fuit. Sed hic discipuli excipere poterant argumento disparatorum non oportuisse hoc jam dici, sed potius sub initium. Atqui respondet Christus ab adjuncta præsentia sua: illud non fuisse opportunum, quandoquidem quandiu præsens cum illis fuerat, ab afflictione liberi fuerint, nec sint appetiti, imo vix appellati. Vnde etiam noluit illos jejunare. *Matth.*9,15. non est passus ut aliquid illis deesset in itineribus, ut aliquis illos adoriretur, ut in ipsius prehensione aliquis ex illis abduceretur. *Iohan.*18,8. Cum igitur hactenus pugna vobis ineunda non fuit, quid opus erat vos ad pugnam armare? Deinde hujus doctrinæ de persequutione ferenda non tam idonei tum auditores fuistis, eoque in hoc tempus magis opportunum distuli. Cujus etiam prudentiæ exemplum in Paulo & Barnaba videmus, qui primo in Antiochiam ingressu illos de perpessionibus non est allocutus. Sicut enim infantibus & adhuc tenellis virgam non ostentant: ita, &c. Quod singularem consolationem habet, Deum nos non prius in bellum adhibiturum, antequam veluti 20. an nos agimus, id est, antequam nos ad eam rem adaptaverit. Et quemadmodum olim in bello timidos & formidolosos copia abeundi facta dimisit, ita his quorum animos non obfirmavit, adversus mala perferenda effugium aliquod parabit, modo caute & circumspecte ambulemus, nec nos, ut Petrus, temere in pericula ingeramus. Simul etiam Ministri hinc admonendi sunt, ut judicium adhibeant in doctrina proponenda, ut primum quodque primo loco, cætera suo quæque promant.

Sequitur *pars altera*; ubi cum prius docuisset illis nihil decedere suo discessu; nunc docet plurimum etiam accedere, atque adeo necessarium esse ut abeat, ut illis probe consulatur. Et hanc necessitatem sui ab illis abitus apte connectit cum perpessionum mentione, utpote quarum remedium & medicina petenda est ex largitione Spiritus Sancti, qui non potest, nisi suo abitu, obtineri. Eoque docet hoc esse opportunum tempus de afflictionibus dicendi, sicut præcedens tempus fuit importunum. Hactenus enim nihil perpessos esse, quia Spiritus Sanctus in illos prolixiore aliqua mensura non deciderat, ut qui non potuit se præsente dari. Nunc autem cum aflictionibus objiciendi sint, necesse est ut ille discedat, uti illis arma & robur adversus ingruentes hostes mittat. Eoque perperam illos facere, qui de ipsius abitu tam tristes sunt, de quo tantum & tam illis necessarium fructum percepturi sunt. Vers.5,6. *Christus discedit Apostolis perpessionibus remedium suo abitu daturus.*

Cujus causam assignat, quod non quærerent quo vaderet. Hac enim commentatione David se in morte filii consolatus est. 2 *Sam.* 12,23. Sic afflictiones nos consternant, quod non quærimus quorsum immissæ sunt: & amicorum mors nos contristat, quia non re- *Apostolorum inde dolor arguitur quod non considerent quo Christus cat.*

putamus quo expirantes migrant. Sed hic *objicitur*, quod Petrus *Iohan.*13, *verſ.*36. diſerte quærebat, quo vadis? Sed *Reſponſio* eſt, non quæſiviſſe conſilio quo debebat, nempe ut fœlicitatem inde ad Chriſtum, & commoda ad ſe perventura noſceret. Sic enim neque ex Chriſti, nec ex propria calamitate ullum tantum dolorem accepiſſet, quem non centuplo ſolidum gaudium compenſaſſet. Vnde etiam ab hominibus peccatur, quod tametſi ſciant amicos in cœlum conceſſiſſe, tamen non reputant quanto illorum bono hoc fit, quam illis hoc expedit ut proprius Deo accedant. Sic tametſi ſciunt afflictiones à Deo immiſſas eſſe pro peccato, tamen non reputant quanto illorum commodo hoc fiat.

Verſ.7. *Hominum perverſitas.* *Confert vobis ut ego abeam.*] Sic *Iohan.*7, 39. *Spiritus nondum datus erat*, *quod Chriſtus nondum glorificatus eſſet*: nam ea largitio in diem aſcenſus & inaugurationis dilata eſt. Hinc intelligatur quanta eſt hominum amentia: qui de ea re valde dolent ſæpe, de qua ſumme lætari deberent. Nec tantum hoc in improbos cadere, ſed & pios quandoque ad hunc lapidem impingere Non igitur mirum eſt ſi *Pontificii* Spiritu deſtituantur, quod præſentiæ Chriſti in terris ita affixi ſunt.

Doctrina de miſſione Spiritus S. à Chriſto gradatim propoſita. *Notetur* etiam quomodo Chriſtus de Spiritus adventu loquendo ſæpius, gradibus quibuſdam & ſenſim ſibi hoc ſumit, ut perinde à ſe atque à Patre Spiritum procedere doceat. Sic paulatim doctrina inſtillanda eſt, ut ingenium hominum illud ferat. Nam *cap.*14. *verſ.*16. ego rogabo Patrem, & ipſe dabit alium paracletum, & *verſ.*26. quem Pater mittit meo nomine. *cap.* autem 15. *verſ.*26. dicit ſe miſſurum Spiritum à Patre: & nunc *cap.*16, *verſ.* 7. dicit ſe miſſurum Spiritum ſine aliqua adjectione.

Animi rebus ſenſibilibus non affigendi. Hinc etiam *diſcimus*, non debere nos ſuſpenſos animos habere aut defixos penitus in re ulla, quæ ſenſibus objicitur. Nam ſi ne à Chriſti quidem carnali præſentia pendere nos oporteat, nedum ab ullis aliis terrenis amicis aut ſubſidiis, ut exſtimemus nos perditos iri, ſi his deſtituamur. Quin potius ſciamus Deum ut Chriſti carnalem præſentiam ſubduxit Apoſtolorum bono, ita etiam omnia noſtra in hac vita ſubſidia & oblectamenta eo conſilio ſubtrahere, ut illa melioribus commutet. Neque dubitandum quin qui Chriſti ipſius carnalem præſentiam tam abunde Apoſtolis compenſare potuit, facile poſſe noſtras omnes amicorum & aliorum præſidiorũ commoditates amiſſas reſtituere.

Præſtantiam hujus doni cœleſtis ab effectu declarat: qui tametſi varius & multiplex fuerit, tamen illum præcipue exſequitur, qui eſt ad rem præſentem accommodus. Nam cum ſollicitos Apoſtolos haberet, quod exiſtimarent mundum hoc Chriſti abitu & ignominioſa perpeſſione veluti innoxium habitum iri & meliores partes ſequutum; docet Chriſtus mundum peccati & quidem graviſſimi reum peragendum eſſe: & cum Apoſtolos ureret, quod Chriſtus pro facinoroſo & impoſtore à pleriſque perhibebatur; hunc in illis Spiritum Chriſti juſtitiam aperte oſtenſurum hoc ipſo, quod ad Patrem profectus apud illum permaneat. Denique cum hoc illos pungeret, quod Chriſtus tanquam teruntii homo omni autoritate nudatus impiorum judicum ſententiam ſubire coactus ſit; Spiritum convicturum, ejus eſſe Iudicem in omnes agere; cujus certiſſimum indicium foret, quod princeps mundi ab illo exturbandus foret. Verſ.8. *Spiritus S. effecta.*

Et primum quidem in univerſum *notatu dignum* eſt, Chriſtum hic doctrinam & correptiones Apoſtolicas non tam ad ipſos Apoſtolos, quam ad Dei Spiritum per illos homines coarguentem, referre. Sic alibi *Matth.*10,20. *non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris qui in vobis eſt.* ita *Act.*6,10. *non potuerunt obſiſtere Spiritui per quem locutus eſt.* Quod quidem primum Miniſtros, conſolari, deinde populum admonere debet. Miniſtros, quod Spiritus Sanctus (modo ſibi non deſint otio & oſcitantia) virtutem ſuam exerturus ſit: quodque ab hominibus rejecti, non tam ipſi, quam Spiritus Dei per illos redarguens repudiatur. *Non vos rejecerunt, ſed me.* Populum vero, ut æqui bonique conſulant & patienter ferant miniſtrorum reprehenſionem, niſi uſque eo ſuperbire velint, ut ne Dominum quidem eos verbis corripientem audire velint. *Apoſtolorum doctrina Spiritui S. aſcripta.*

Περὶ ἁμαρτίας.] Hic *notandum* ex omnibus peccatis nullum eſſe tetrius & horribilius infidelitate, ut quæ mater & radix reliquorum omnium. Multas horrendas contumelias in Chriſtum admiſerant; ſed ea omnia præ infidelitate veluti ſilentio ſepeliuntur. Sic *Heb.*3,18,19. tametſi multa ſcelera patraſſent, tamen infidelitatis ſolius nomine excluſi perhibentur. Nec injuria, quandoquidem qui non credit in filium, Deum mendacem facit. 1 *Iohan.*5,10. Hoc illuſtretur exemplo ab hominibus: quibuſdam præſertim, Verſ.9. *Infidelitas peccatum maximum.*

ſertim, qui hanc injuriam morte vindicabunt & ſanguine ejus, qui illis mendacii convitium imponit. Quod quidem cum ſemper atrox ſcelus fuerit, nunc tamen gravius multo eſt ſub Euangelio: poſt enim tot promiſſa præſtita & tantam fidem in promiſſis maximis de filio ſuo ad mortem tradito dubitare de Dei fide longe fit graviſſimum. Hoc illuſtratur ſuperiore ſimilitudine.

Deinde cum Deus, qui olim per Prophetas, nunc per filium unicum loquutus ſit: *Hebr.*1,1,2. etiam hoc ipſo gravius fit fidem dictis derogare. Denique ſi grave ſcelus ſit non credere Deo minanti ut quod Ieremias populo objecit, *an non manum meam extimeſceretis, Ierem.*5,22,23. Nedum grave erit Deo pollicenti non credere. Hoc videmus in Actis Apoſtolorum, ubi Petrus perfidiam Iudæorum confidentiſſime coarguit.

Verſ.10. *Chriſti juſtitia ejus exaltatione probata.* Sicut Spiritus in vobis loquens mundi faſtum deprimet, & ejus nequitiam coarguet: ſic & meam juſtitiam quam vos traduci & obſcurari inique fertis, vindicabit, & inde aſtruet, quod ego ad Patrem iturus ſum. Quod & diligenter ab Apoſtolis inculcatum paſſim eſt, Chriſtum eſſe juſtum & ſanctum, idque hoc ipſo argumento, quod reſuſcitatus à Deo ad dextram ejus ſedit. Sicut enim miniſterium Enochi ſua aſſumptione in cœlum obſignatum eſt, *Hebr.*11,5. collato cum *Iudæ epiſtola verſ.*14 Sicut etiam Eliæ miniſterium ejus raptu in cœlũ abunde comprobatum eſt, 2 *Reg.*2. Sic Chriſti juſtitia atque innocentia. Hunc autem Chriſti aſcenſum tanto magis teſtatum eſſe oportuit, quod ex ejus juſtitia aſcenſu ſuo plene convicta noſtra omnis juſtitia pendeat. Nam niſi ille reſuſcitatus Deo gratus fuiſſet, eoque apud dextram ejus ſederet, nos nullo modo Deo accepti eſſe poſſemus. Si enim qui perſonam noſtram ſuſtinet & peccata noſtra omnia in ſe tranſtulit, in morte remanſit, aut reſuſcitatus cœlo tamen excluditur, quem locum in cœlis reperiemus? Sic dicitur *Rom.*4. *verſ. ult.* eum reſurrexiſſe propter juſtitiam noſtram. Atque hæc ratio eſt cur Chriſtum oportuit reſurgere tertio die, & non diu hic in terris verſari. Quo etiam fit, ut qui illum hic in terris hærentem ſomniant, tantum ejus juſtitiæ detrahant, quantum ejus in terris commorationis commento illum à Patris dextra detrudunt: nec juſtitiæ Chriſti tantum, ſed & eodem momento noſtræ detrahunt, qui juſtitiam ab illo petimus & commodato accipimus.

Cur nos tertio die non reſurgamus. Quod ſi *quærat* aliquis quomodo igitur fit, ut nos juſti non reſurgamus tertio die & deinceps in cœlum rapiamur. *Reſpondetur* longe diſſimilem eſſe rationem, quia nos non reſurgimus ut aliis juſtitiam afferamus, aut teſtatam relinquamus. Deinde ita in Chriſti reſurrectione acquieſcimus, & per eam juſtificati non minus bono animo ſumus, quam ſi tertio die reſuſcitati, non multo poſt in cœlum ſubveheremur. Nos igitur nunc juſti facti Chriſti juſtitia, ea contenti ſumus, quod cum Chriſtus noſtra juſtitia apparuerit, tum quod nos aliquando cum ipſo comparituri ſumus. *Colloſ.*3,1,3,4. & 1 *Ioh.*3,1,2. Quanquam etiam ſæpe Dominus non obſcura teſtimonia innocentiæ ſuorum etiam in hac vita relinquit, & notas quaſdam ita illis imprimit, quibus hominibus palam fiat eorum ſanctimonia, ut in Elia, Enocho, Stephano, Moſe. Vnde etiam ipſi conſcientia ſua convincuntur illos eſſe innoxios. Præterquam quod memoria juſtorum manet, utcumque ad tempus pro reis & impiis habeantur.

Verſ.11. *Ex profligatione Diaboli Chriſtus Iudex aſſeritur.* Denique mundum coarguet de judicio & poteſtate illi in terris & cœlo tradita, ut qui omnium deſpicatiſſimus habebatur, is glorioſiſſimus princeps comprobetur. In quo etiam Apoſtoli in Actis diligenter elaborarunt. ut *Act.*2,36. & 3,13, *&c.* Hujus rei firmiſſimum argumentum ab effectis affert, quod mundi princeps judicatur, fugatur & profligatur, mortis peccati imperium illi infideles ademptum, omniaque obſtacula, quæ noſtram ſalutem remorari poſſint, ſummota; ut ab inimicis noſtris liberati ei ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ. Quod *primum* ſingularem conſolationem habet; omnes vel potentiſſimos Eccleſiæ hoſtes fundendos & ſternendos eſſe. *Deinde* admonitionem, ut nos exploremus an juſtitia Chriſti induti ſimus: nam ſi hoc ſit, ſequatur etiam nos in Chriſti poteſtatem à tyrannide peccati aſſertos pietati & juſtitiæ ſtudere, & ſtrenue operam dare. Vide *Matth.*12,29.

IOHAN. *cap.*16, *à verſ.*12, *ad* 16.

12 *Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare.*

13 *Quum autem venerit ille,* id eſt *Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem*

omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit, loquetur: & quæ ventura sunt, renunciabit vobis.

14 Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.

15 Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi illum de meo accepturum & renunciaturum vobis.

ANALYSIS.

AB adjuncta multitudine eorum, quæ dicenda habuit, arguit illorum ad illa comprehendenda ἀδυναμίαν; cujus asperitatem demitigat ab adjuncto tempore, quod illa incapacitas præsenti tantum tempore finiatur.

Vers. 13. Pleniorem consolationem proponit ab adjuncto adventu Spiritus Sancti ad illos, ejusdemque Spiritus effecto, quod illos ducet & illis præibit in omnibus, quæ scire illos interest. Deinde proprium subjectum designat documentorum Spiritus S. nempe, quæ audivit modo; deinde efficientem causam notat doctrinæ, quam ponet Spiritus, nempe Filium: aliud effectum Spiritus, Apostolis prædicere futura.

Vers. 14. Aliud effectum Spiritus Sancti, nempe glorificare Christum, cujus efficiens notatur, quod à Filio accipiet, quæ loquetur.

Vers. 15. Prolepsis est, cujus tacita occupatio est à disparato: occurri enim potuit Spiritum Sanctum à Patre accipere quæ loquitur: subjectio est ab adjuncto, communicatione omnium quæ sunt Patris cum filio.

METAPHRASIS.

12. *MVlta cum sint de quibus vos edoctos &*
admonitos curavi, multa adhuc super-
sunt, de quibus vos edoctos & admonitos esse
velim. Sed partim quod donis Spiritus Sancti
nondum largiter perfusi estis, partim quod
mœrore oppressi ad illa percipienda minus
idonei sitis, de illis in præsentiarum disserere
13. *supersedebo. Sed cum supervenerit ille, quem*
jam sæpius dixi, Spiritus omnis veritatis Do-
ctor; ipse tanquam via dux præibit, & vos in
omnem, quæ vobis & ministerio vestro com-
moda & opportuna est, veritatem ducet: qui
tamen (quamvis Deus sit in secula benedi-
ctus) à se non loquetur, sed quæ à Patre & me
acceperit (de nostro enim accipiet) eloquetur,
atque adeo præter salutarem Dei doctrinam,
eorum quæ futura sunt præscius, eadem ad
14. *Ecclesiæ commodum enuntiabit. Beatus ille*
Spiritus ex factis dictisque meis, ex depressio-
ne seu perpessionibus & ex elatione & exalta-
tione, me gloriosum prædicabit, siquidem à me,
à quo procedit, & cujus Spiritus est, accipiet
15. *quod vobis annuntiabit. Neque novum vobis*
videatur, quod illum à me accepturum dixi,
quod vobis annuntiet: Idcirco etenim auda-
cter hoc dixi, quia quæcunque Pater habet,
eadem & mea sunt. Cum igitur notum &
indicatum vobis sit, illum quæ loquitur à Pa-
tre accipere, eodem rationis momento conficitur, illum quod enuntiabit à me perinde atque à Patre accipere.

PRAXIS.

ETι πολλά.] Hinc apparet quales naturâ simus in rebus cœlestibus percipiendis, quam stupidi & bardi. Cum enim cætera omnia, tametsi cognitu difficillima, in intimis terræ quasi penetralibus abstrusa infinitis spaciis à nobis dissita, aut propria industria, aut duce magistro percipiamus; cum terræ, maris, cœli magnitudinem animo & disquisitione assequamur; cum solis, stellarum mensuram, cum corporum cœlestium motus comprehensa habeamus; naturæ secreta rimemur; cum in artibus inveniendis miri artifices esse comperiamur: tamen ne minimum regni cœlorum mysterium percipere rite possumus. Animalis homo non percipit ea quæ Dei. 1 *Cor.*2,14. *Non est qui intelligit, non est usque ad unum. Psal.* 14,2,3. & *Rom.*3,11. *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit.* 1 *Cor.*2,9. hinc est quod καρδία ἀσύνετος bis, 1 *Rom.*21,30. appelletur. Cumque principes mundi Deus hæc cœlavit, 2 *Cor.*2,8. qui tamen & educatione & usu acutissimi sunt, nedum alii eo pertingere possunt Hinc est quod non multi nobiles non multi sapientes, &c. in hoc mundo vocati perhibentur. 1 *Cor.*1,26. Nam si sapientia & ingenio humano percipi possent, quis non videt plures sapientes & nobiles ad religionem veram aggregatos iri, quam fatuos & ignobiles. Huc item spectat quod Apostolus, 1 *Cor.*2,11,12. dicit: *neminem cognoscere sensa hominis, nisi spiritum hominis, qui est in ipso; sic neminem cognoscere quæ Dei sunt, nisi Spiritum Dei.* Nam & de libro Prophetiæ dicitur, *Apoc.*5,7. illum esse δεξιᾷ τοῦ θεοῦ & septem sigillis obsignatum, ita ut non nisi per Christum possit reserari. Quod quidem adeo verum est, ut ne improbi quidem ipsi mysteria regni percipiant ad eorum auctiorem condemnationem, nisi cœlitus ea accipiant. Vide *Heb.cap.*6, *vers.*4.

Vers.12. *Nostra in rebus spiritualibus stupiditas.*

tantum

tantum abest ut salutariter percipiant.

In primis religionis initiis non subsistendum.

Neque vero hoc ad illos duntaxat spectat, qui Spiritu Sancto destituti sunt & extranei a Repub. spirituali & omnino rudes mysteriorum fidei, sed & ad illos pertingit, qui Spiritu Sancto & cognitione Scripturarum aliquousque imbuti sunt. Nam hæc Apostolis etiam dicta sunt, qui aliquot annos ad Ecclesiam aggregati a Christo Doctore accuratissime instructi fuerunt. Quo *docemur*, non esse subsistendum in initiis, ut nobiscum præclare actum esse existimemus, quod crassiores tenebræ dissipatæ sunt & nos aliquo veritatis lumine perfusi, ut nos divites & perspicaces ac probe vestitos arbitremur cum Ecclesia Laodicensi *Apoc.*3,17. Sed ad majora contendendum exemplo Apostolorum; atque adeo necessarium ducendum, ut proficiamus, alioqui nani erimus in religione Christiana æquali statura trigesimo professionis nostræ anno atque primo & secundo, quod cum in corporis & præsentis vitæ ratione abhorremus, nedum in spiritualis. Quid, quod ne eodem quidem statu permanemus, sed decrescimus, exarescimus, cum non proficimus; donec in fumum abit quicquid prius aut nobis aut aliis præclarum & floridum apparebat. Neque vero excipiamus Apostolis hoc necessarium fuisse ad munus quod obituri erant, quod nobis perinde non necesse est. Nam apparet illos ne ea quidem percepisse, quæ de ejus morte & resurrectione dixit, tametsi & sæpe illa dixerat plenissime planissimisque verbis. Quamobrem danda opera ut non modo in lectione Scripturarum assidui simus, sed Deum pro Spiritu suo imploremus, qui nobis illum petentibus dabit. *Luc.cap.*11,*vers.*13. atque ut eum assequamur, mentem & cogitationem a carnali Christi præsentia abducamus, quæ nobis obest, ad Spiritum Sanctum impetrandum.

Vers.13. *Consolatio à manuductione Spiritus S.*

Sicut aut prior versus nos ad sollicitudinem excitare debet; sic etiam consolationem affert hic, nihil nobis deesse quod non abunde & plena manu Spiritus suppeditat, modo de illo solliciti eum debite quæsiverimus. Nec enim manus Dei contracta est, ut non possit aut nolit opitulari. Si cui desit sapientia postulet à Deo, abunde dabit. *Iacob.*5. qui enim nos prævenit Spiritu suo & illum contulit cum illum non expetivimus, nedum illum dabit precibus expetitum.

Pontificiorum

Hic *Pontificii* magnum propugnaculum traditionum suarum se nactos esse arbitrantur & arcem inexpugnabilem. Ecce enim, inquiunt, hic aperte notatur quædam esse documenta, quæ Spiritus Sanctus Ecclesiam docturus erat non prius à Christo proposita.

interpretationis refutatio.

Sed quibus, cedo, verbis illud apparet? Imo vero si verbis standum sit, vos confodiunt. Nam cum prius ea dixerat quæ ante docuerat; affirmetque superesse alia adhuc quorum ipsi capaces non erant: videtur prorsus tacite ejusdem cum prioribus generis esse, confirmare. Sed hoc proprius introspiciamus, & excutiamus diligentius; ut facilius intelligamus, quam futile sit in quo spem suam ponunt. *Iohan.*15,15. dixerat Apostolos suos amicos esse, & rationem adjungit, quia omnia, inquit, quæ audivi à Patre, proposui vobis. Si omnia igitur proposuit, nihil celavit, &c. Vnde etiam ex hoc loco firmissimum argumentum instituitur, adversus Pontificias traditiones. Si Spiritus Sanctus ea tantum docet, quæ à Filio accepit, nihil docet quod non prius à Christo edoctum est. Prius verum; posterius igitur. Propositionis pars antecedens est manifesta: quandoquidem procedit à filio, ut hoc loco. Consequentia item manifesta est, quia eadem quæ Spiritus Sanctus à Filio accepit, ea Christus à Patre accepta proposuit. Vel sic brevius, Spiritus Sanctus nihil docet præter filii voluntatem: Christus omnem eam voluntatem docuit; nihil igitur Spiritus docet, quod Christus non docuit. Propositio est ipse contextus. Assumptio confirmatur. Si Filius Patris voluntatem omnem docuit, suam etiam docuit, ut quæ una & eadem sit *vers.*15. sed prius verum, *cap.*15,15. posterius igitur.

Vers.14. *Eaque iterata.*

Deinde *aliud argumentum* ducitur ab effectu. Qui me glorificabit, eandem doctrinam quam ego proposui docebit: sed Spiritus Sanctus me glorificabit. Propositio apparet: Nam si aliam doctrinam, quam Christus proposuerat, doceret, se glorificaret, non Christum: Eandem vero docens quam Christus docuerat, Christum verum & fidelem in domo Patris sui comprobabit. Sicut quis diceret; mihi verum dicenti non jam fiditis; sed cum talis advenerit, ille me veracem esse confirmabit.

Huc accedit quod prius *cap.*14,26. docet Spiritum ὑπομνήσειν quæ ipse prius eos docuerat. Ergo non nisi prius dicta docebit. Deinde ἡ ἀλήθεια τῇ ἀληθείᾳ συμφωνεῖ. Sed quæ docet spiritus Pontificius cum his pugnant, quæ Christus docuit, idcirco non est spiritus veritatis. Ad hæc *considerandum*,

quæ sunt illi longe difficilia; quorum Apostoli Christi non erant capaces: scilicet luminum meridie accensio, aqua benedicta, panis benedictus, crux, &c. nœniæ vix dignæ pueris. Docuerat eos & erant capaces summorum Euangelii mysteriorum, quæ 1 *Tim.* 3, 16. enumerantur; doctrinæ Trinitatis. *cap.* 15, &c. Et tamen has nugas scilicet capere nequiverunt. Postremo *notetur*, veteres Hæresiarchas hunc locum eadem, qua *Papistæ*, ratione torsisse, ut sua commenta stabilirent.

Hoc etiam loco liquet doctrinam Pontificiam non esse veram Spiritus doctrinam; quod Christum non glorificet, sed sanctos, & opera hominum, liberum hominis arbitrium. Vide *Ioan.* 7, 18.

Deinde hic locus eximius est ad asserendum processum Spiritus à Filio, ut qui hic aperte monstretur perinde accipere ὑπόστασιν à Filio, atque à Patre.

IOHAN. *cap.* 16, *à vers.* 16, *ad* 23.

16 Paulisper, & non conspicietis me: & rursum paulisper, & videbitis me, quia ego vado ad Patrem.

17 Dixerunt ergo quidam *ex discipulis ejus alii ad alios; Quid est hoc quod dicit nobis; Paulisper, & non conspicietis me, & rursus paulisper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Patrem?*

18 Dicebant ergo; Quid illud est quod dicit paulisper? nescimus quid loquatur.

19 Cognovit autem IESVS eos velle ipsum interrogare, & dixit eis; De hoc quæritis inter vos, quod dixi; Paulisper, & non conspicietis me: & iterum, paulisper, & videbitis me?

20 Amen amen dico vobis, flebitis vos, & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos vero tristes eritis, sed tristitia vestra evadet in gaudium.

21 Mulier, quum parit, dolorem habet, quoniam advenit hora ejus: postquam autem peperit puerulum, jam non meminit afflictionis, propter gaudium quod homo sit natus in mundum.

22 Et vos igitur nunc quidem tristitia tenemini: sed rursum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

ANALYSIS.

Alia consolatio est ab adjuncta brevitate temporis, quo ejus exhilarante præsentia & visione destituentur; quod suo adverso confirmat, nempe quod illius gratiosa visione fruentur, cujus gratiosæ visionis causam explicat, nempe hoc ipsum de quo illi tantopere mærent, quod vadit ad Patrem.

Vers. 17, 18. Effectum superioris dicti à Christo est Apostolorum inter se disquisitio, quis esset illorum verborum sensus; cujus disquisitionis causa efficiens notatur, quod scilicet quid vellet non intelligerent.

Vers. 19. Hujus sermonis qui à Christo proponitur causa efficiens indicatur, præscientia ipsius de discipulorum apud se designatione, quæ erat ut Christum de verborum suorum sensu interrogarent.

Vers. 20. Christi jucundæ præsentiæ ad tempus carentia suo effecto declaratur, nempe mœrore & lamentatione quæ suo, adverso, mundi exultatione illustratur; deinde gratiosi ad illos reditus effectum declaratur, doloris in gaudium commutatio. Quæ omnia testimonio vehementis asseverationis confirmantur.

Vers. 21, 22. Hanc doloris & lætitiæ in Apostolis conditionem illustrat similitudine parturientis, quæ infantem enititur.

METAPHRASIS.

Instat jam tempus cum aliquantisper in mœrore constituti, læta & gratiosa præsen- 16.
tia mea destituemini: sed non diu in illo mœrore tabescetis: nam non ita multo post lumen vultus mei, quo recreëmini intuebimini: idque ob illam ipsam causam, ob quam jam in mœrore estis, nempe quod ad Patrem in cœlis profectus, inde Spiritum consolationis ad vos mittam. Hoc Christi dicto commoti, ex 17.
Apostolis quidam inter se differentes dicebant; Quid hoc sibi vult, quod nobis dicit, paulisper & me non intuebimini, & è contra paulisper & me videbitis, quia, vado ad Patrem? Dixe- 18.
runt, inquam: Quid sibi vult hoc paulisper: nam plane quid sibi velint hæc verba ignoramus. Quamobrem Iesus præscius, fore ut Apo- 19.
stoli illum de verborum suorum sensu interrogarent, ad illos dixit; Scio equidem vos inter vos ultra citraque quærere quod dixi: paulisper,

sper, & me non intuebimini, & paulisper, & me videbitis. Horum verborum hic sensus est:
20. *quod me morte sublato vos in luctu & lamentatione versabimini, sicut è contra, qui in mundo sunt, impii gaudio & exultatione gestient, interim dum vos contristamini; sed bono animo estote, quandoquidem mundi gaudio in animi mœrorem translato, vester mœror in laticiam commutabitur; quæ omnia eventura*
21. *sanctissime vobis affirmarim. Hanc vestram conditionem in puerpera aliquousque adumbrare libet. Mulier jam jam paritura ad paucas horas torquetur & acerrimis dolorum aculeis pungitur, quia tempus à Deo partui præstitutum advenit: sed cum puerulum enixa fuerit, omnis non dolor tantum, sed doloris recordatio evanescit: solido siquidem gaudio perfunditur, quod hominem prius in densis uteri sui tenebris latentem in lucem hanc*
22. *edidit. Sic & vos in præsentiarum mœrore afficimini: Sed cum lumen bonæ voluntatis meæ erga vos affulserit, ex intimis animi vestri penetralibus solide gaudebitis. Quod gaudium (secus quam in recens nato, qui rapacibus mortis manibus biduo aut triduo post partum abripitur) tam est constans & firmum, ut illud vobis terrestrium aut inferorum vis aut machina eripere non possit.*

PRAXIS.

S*umma*, Christus sui abitus molestiam & acerbitatem porro mitigaturus, se absentem augustiore & fructuosiore ratione ab illis fruendum & conspiciendum pollicetur.

Partes,
- Discipulorum de proposita consolatione disquisitio.
- Christi de proposita dubitatione matura & accelerata explicatio.

In *priore* insunt,
- Christi propositio.
- Discipulorum addubitatio.

Vers. 16. *Nostra cæcitas & Dei benignitas.*

In *priore* dicit discipulos se non visuros tametsi præsentem, sed parvo intermisso temporis intervallo illos se aspecturos; idque hoc ipso quod ad Patrem proficiscens corpore & aspectabili præsentia ab illis removendus sit: tantumque abesse ut illius discessu ejus aspectu privandi essent, ut hoc ipso eum magis visuri sint, quod ad Patrem subvehendus sit. Eodem argumenti genere hic utitur, quo *cap.*14. Postquam enim ibi docuerat quæ ad illos commoda redirent ex suo discessu, adjungit non tantum suo discessu illa commoda percipienda esse, sed post suum discessum eum etiam illis affuturum. Videtur autem consilio hanc sententiam sæpius reponere, ut discipulis de ea interrogandi ansam præberet. Hinc *liquet* miram esse nostram cæcitatem, qui tam ægre ferimus alicujus rei amissionem, quæ non tantum aliis beneficiis majoribus compensatur, sed illud ipsum quo tantopere uti cupimus, ratione augustiore & meliori nobis utendum præbet. Sic etiam sæpe fit ut Deus nobis hujus vitæ commoda subducens non tantum præstantioribus utpote cœlestibus illa compenset; sed efficiat ut, quæ nobis supersunt vitæ commoda, ad usum & legitimum & jucundum commodiora & magis idonea sint. Nec nobis tantum benefacit, sed hoc ipso medio, quo nos lædi & damnum accipere existimamus, juvat.

Quid ergo causæ est hodierno die, quod *Pontificii* tam sunt amentes, nisi quod in carnali Christi præsentia defixi & demersi Spiritus Sancti, qui vicariam carnis Christi in terris operam præstat, participes non sunt. Quid eos impedit quo minus Christum videre queant, nisi quod illum non ad Patrem profectum, sed hic in terris hærentem comminiscuntur. Et certe si ipsius veri Christi corporis aspectus, qui alioqui jucundus & utilis fuit, discipulos inhibuit, ne ad spiritualem fructum percipiendum erigerent animos, nedum luculentæ intuitus verus, sed Christi ipsius ementitus, eos impedit quo minus ad cœlestia consurgant?

Vers. 17. *Qui idonei Evangelicæ doctrinæ auditores.*

Hac sententia non est mirū si discipuli attoniti & stupefacti sunt, maxime quod dixit eos se visuros, quod ad Patrem profecturus sit, cum potius dicendum esset, quod se visuri erant quod à Patre descensurus erat. Cum igitur in planissimis sententiis hærent, mirum non est, si hanc tam in speciem difficilem sententiam non intellexerint. Vnde primum inter se de hujus sententiæ sensu & mente disquirebant. Ex quo illud *primum liquet*, qui sint idonei Euangelicæ doctrinæ auditores, qui scilicet animum adjungunt ut eorum, quæ dicuntur pro concione, verum & genuinum sensum & mentem teneant, & quæ sit illorum veritas exquirant. Sic videmus à Beroënsibus factum, qui Scripturas scrutati sunt, *Act.*17,11. item *Act.*8,34. ab Eunucho, qui Philippum percontatus. Cum plerumque homines audita Concione, ilico quicquid audierint, veluti à tergo rejiciunt, nequaquam solliciti ut illa animis inscribantur: atque ita fit ut veluti in superficiem cordis & intelligentiæ eorum semen decidens à

Ddddd 2 dia-

diabolo tanquam ab alitibus auferatur, & , ut recens ſcriptum, facile obliteretur, cum atramentum nondum deſiccatum ſit: ita etiam de panno recens tincto.

Deinde notandum quomodo rem inter ſe & cum ſibi proxime conjunctis & familiaribus diſquirunt? nondum percepta aut intellecta non ilico, ut fit, diſſeminant, ſed quæ dubia ſunt inter ſe agitant. Sic duo diſcipuli Emauntem profecti *Luc.*24. Cujus rei effectum ibi vide.

Verſ.18. *Auditorum in rebus non bene intellectis officium.*

Euangeliſta narrat rem ad diſcipulos relatam ab illis expediri non potuiſſe, quamobrem cogitarunt ad ipſum doctorem hæc referre. Et hic ordo brevis eſt; ut prius auditores hæc inter ſe diſceptent, qui cum exitum non reperiunt, tum res porro ad Eccleſiaſtam deducenda erit; alioqui ipſe infinitis quæſtionibus obruetur, ſi ilico ac dubitatio oboriatur, ad illum accurretur. Hujuſmodi aliquid vide *Iohan.*1,46,47. Contrarium ſtudium vide *Iohan.* 7,33,34,35,36. item *Iohan.* 8,21,22. Optandum etiam ut hæc ratio in civilibus & βιωτικοῖς obtineret, ut Servator Chriſtus hortatur *Matth.*5,25. prius convenire & amice inter ſe litem componere, antequam jure experiantur.

Verſ.19. *Chriſtus diſcere volentes docere expetit.*

Sequitur *pars altera* de Chriſti propoſitæ quæſtionis diſſolutione. In quo quod primum illos interrogaturos anticipat, eximiam conſolationem continet & doctrinam, quæ inſtar cotis ſit ut nos ad rerum cœleſtium diſquiſitionem acuat; quod hoc ſciamus, ſitientes & eſurientes juſtitiam ſatiatos iri. Chriſtum enim cupidiorem eſſe ut nos doceat, quam nos ut diſcamus. Vide exemplum *Luc.*24,15. in Chriſto qui ſe ad diſcipulos adjunxit: item *Act.*8,29. in Eunucho ad quem legentem Philippus miſſus eſt. Vide *Marc.*4,24.

Verſ.20. *Chriſti propriæ ſententiæ explicatio.*

Nunc expoſitionem adhibet. Cum ergo dixerat prius, pauliſper & non videbitis me, id ita exponit, quod aliquantiſper lugebunt, imo lamentabuntur, & triſtitia afficientur. Quod autem dixit, paulo poſt eos ſe viſuros, illud ſic explicat; quod eorum dolor in gaudium convertetur.

Chriſtum non videre ſummus dolor.

Vbi *primum* luculentiſſima *doctrina* ducitur. Nullum eſſe mœrorem, qui cum mœrore hoc componatur aut etiam mœroris & calamitatis nomen mereatur, niſi cum Chriſtum non videmus, ſcilicet fidei oculo, quo eum noſtrum Servatorem, vindicem, patronum, tutorem, amicum intuemur; niſi cum ſponſus nobis ita ademptus eſt, ut ejus vultum amabilem intueri nequeamus. Hoc eſt quod Eccleſia in 1 *Cant. cap.6.* & 3,*v.*1,2,3. & 5,1,2,5, &c. Hinc ſunt querelæ frequentes, quod Deus obdat faciem ſuam & lumen vultus ſui, tanquam omnium malorum cumulum. Sicut enim cum rex Aſſuerus Hamanis aſpectum ferre non potuit, actum de illo eſt, *Eſth.*7,8. iratus enim Regis vultus mortem affert: ita de nobis actum videtur, cum vultus divini aſpectus intercipitur. Contra vero illud ſingulare & eximium gaudium eſt, ſi Dei vultum ſerenum & placidum cernamus. Vide *Pſal.*4,7. Comparatio fiat Dei vultus cum placido fratris Eſavi vultu. *Geneſ.*33, 10. cum regis ſereno vultu. Huc etiam ſpectat, quod ſumma beatitudo deſcribatur vultus divini contemplatione. *Pſal.*16,11. & *Apoc.*22,4. & *Ioan.*17,24. *Pater, volo ut, &c. ut videant gloriam meam.*

Luctus piorum brevis.

Hinc etiam *liquet*, luctum eſſe exiguo tempore *Pſalm.* 30,6. *ſi veſperi, &c. Eſai.* 54,1,7,8. Item 2 *Corinth.*4,17,18. recordatur enim nos carnem eſſe, non lapides, aut tanquam cœlum, &c. Vide *Pſal.*103, *verſ.*14. & 1 *Cor.*10,13.

In quo mundus lætatur.

Notandum etiam mundum lætari cum nos premimur, ſic in *Apocalypſi* cum duo teſtes ſaccū ferrent, & cum interfecti eſſent, mundus gaudio ſummo perfuſus eſt, *Apoc.*11,10. Vnde etiam illis lugentibus nos ridebimus. *Eſa.*65.13,14. & *Luc.*6,21,25. Hanc doctrinam illuſtrat ſimilitudine luculenta; qua & luctum acrem quidem, ſed brevem tamen, & gaudii ſimul cum diuturnitatem tum magnitudinem explicat. Tametſi interim hæc ſimilitudo rem pro dignitate non explicat: vide hiſtoriam Rachelis cum Benjaminem pepererat, *Gen.*35,17. & uxoris Phineæ 1 *Sam.* 4,20. item quod cum pro voto pariunt, tamen infans illis poſt paucos dies aut menſes auferatur; quum gaudium piorum ſit plenum [illegible], ut verſu ſequente. 1 *Pet.*1,8. 1 *Iohan.*1,4. Vide etiam *Pſal.*26,2. ubi dicitur ora repleta fuiſſe riſu.

A Chriſto videri felicitas.

Notandum porro quod cum prius gaudium noſtrum in noſtro Chriſti intuitu collocaſſet, hic mutata loquendi formula gaudii ſummam in eo conſtituit, quod Chriſtus nos videbit & intuebitur, id eſt, ſe nos intueri & curare reipſa declarabit, ut *Act.*7, 34. *vidi, vidi, &c.* Tametſi etiam videtur quid præterea habere, quod in priore formula loquendi comprehendi non videatur. Sæpe enim fit ut Chriſtus ſuos aſpiciat & intueatur, id eſt, amanter complectatur, cum tamen

illi

illi eum non aspiciunt. Videtur enim veluti pone ostium vel per clathrum nos intueri, cum nos nosmet ab illo derelictos esse existimamus. Sic in *Canticis* Salomonis.

IOHAN. *cap. 16, à vers. 23, ad 29.*

23 Et illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, quæcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.

24 Usque adhuc non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25 Hæc loquutus sum vobis per similitudines: venit tempus quum non amplius per similitudines loquar vobis, sed aperte de Patre meo nuncium afferam vobis.

26 Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis me rogaturum Patrem pro vobis.

27 Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis me à Deo prodiisse.

28 Prodii à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.

ANALYSIS.

Causa efficiens illius lætitiæ notatur notitia magis evoluta voluntatis divinæ: cujus effectum notatur, quod tum dubitationi locus non relinquetur; cujus tam evolutæ scientiæ alia causa efficiens assignatur, nempe per preces Dei erga eos largitio.

Vers. 24. Ab adjuncto tempore perstringit eorum in Patrem per ipsius nomen precandi tarditatatem: & effectum indicat, nempe acceptionem ejus quod petunt; quod porro fine declaratur, ut gaudium eorum impleatur.

Vers. 25. Genus docendi Apostolos demonstrat à distributione ab adjuncto temporis præteriti, quod fuit hactenus obscurum; & futuri, quod deinceps erit liquidum: subjectum etiam notat, circa quod sermo ejus versatus est & versabitur, nempe circa Patrem.

Vers. 26. Hujus enucleati sermonis effectum est quod non (ut hactenus) suspensi de re qualibet quæstionem movebunt.

Vers. 27. Prolepsis cujus occulta occupatio est ab adjuncto Patris erga illos si non odio, at certe amore parum incitato, eo quod toties repetivit Patrem illis benefacturum per nomen & meditationem Christi. Cujus subjectio est à comparatione minoris illum non tam pro illis intercessurum, quam Pater sua sponte erga suos benigne affectus sit, cujus amoris effectum est, quod illi Christum amant; quod suo efficiente declaratur, nempe fide in Christum, quod à Deo exivit.

Vers. 28. Confirmat porro hanc Apostolorum fidem ab effecto suo, nempe suo descensu à Patre ut veniret in mundum, qui suo ascensu rursum ad Patrem illustratur.

METAPHRASIS.

23. *EO tempore tanta omnium mysteriorum*
cœlestium intelligentia vos collustrabo, ut
vos (quod jam facitis) percontari & subinde
quærere necessum non fuerit, sancteque vobis
affirmo non tantum cœlestium scientia perfundendos esse, sed porro quicquid mei meriti
virtute à Patre petieritis accepturos. Ob 24.
meam corporis vobiscum præsentiam tam in
petendo parci fuistis, ut mihi quodammodo nihil quidquam petiisse videri possitis. Quamobrem ora dilatantes petitiones vestras crebras
facite, ut illis acceptis pleno & consummato
gaudio compleamini. Et hæc quidem quamvis 25.
à me perspicue vobis proposita, ita tamen propter tarditatem & intelligentiæ vestræ tenuitatem vobis perinde visa sunt, tanquam ænigmata & maxima obscuritate involuta: Sed
jam tempus instat, cum donorum Spiritus S. in
vos prolixa largitione, nihil quod à Patre acceptum vos docebo, obscurum aut difficile, sed
facile admodum intellectu & veluti ante pedes positum erit. Cujus quidem ad intelligen- 26.
dum facilitatis in nonnullam rationem venit,
quod meo nomine Patrem de omnibus, quæ
opus sunt, orabitis. Quamquam, quod toties 27.
repeto, Patrem propter nomen meum largitione in vos usurum, nolim ita accipiatis, quasi
Pater vobis infensus sit, nec nisi mea importunitate victus voluntate in vos propendeat.
Ipse etenim Pater sponte sua vos chare complectitur; Cujus sui erga vos amoris τεκμήριον est, quod in animo vestro indidit ut me
diligatis: quæ dilectio non aliunde fluxit,
quam quod firma fide credidistis me à Patre
servatorem exiisse. Qua in re non estis ullo 28.
modo falsi: nam carnis ex beata virgine assumtione, à Patre (in quo tamen in æternum
maneo) exiens veni in hunc mundum: rursus
expedito negotio, quod à Patre in mandatis
accepi, ad Patrem quoad humanam naturam
revertar.

PRAXIS.

SVmma, Exponit præsentiæ suæ spiritualis effecta specialia.

Partes sunt, { Explicatio fructuum, quos Spiritus sui præsentia essent percepturi. Occupatio, qua difficultatem inde ortam tollit.

Vers. 23. *Carnalis Christi absentiæ fructus.* In *priore* videtur a concessione ordiri. Quasi dicat; verum quidem est, vos nihil a me absente (ut olim) vel petituros vel interrogaturos. Nam verbum ἐρωτᾷν cum utrumque significet, communiter & maxima parte petere, aliquando etiam petere & preces instituere, ut patet ex *cap.* 17,9,15. malim γενικῶς hic intelligere, quam restringere ad specialem preces instituendi significationem. Verum enim vero sancte vobis polliceor & confirmo, nihil esse (modo legitimum & vobis conducibile) quod non meo nomine à Patre impetrabitis, nihil ut vobis ex hac parte decasurum sit. Sive enim intelligentia destituamini Scripturarum, sive sapientia, qua silentium persequutoribus imponetis, sive denique virtute & robore, quo adversa omnia perferatis, ea omnia vobis suppeditabuntur. Hoc ergo emolumenti habemus ex Christi corporali & carnali absentia, nostras petitiones liberalius præstari. *Hebr.*9, 24. & 10,19. *Rom.*8,34. & *Hebr.*7,24,25. Sicut enim hæredes regni multa quidem largiuntur & à Patre impetrant, cum nondum regno inaugurantur, sed postquam regna adepti in solio consident, &c. Sic videmus Davidem cum ad regnum evectus esset, 2 *Sam.*9,1. studiose circumspexisse ut omnes sui studiosos remuneraretur.

Et is longe maximus. Est autem singularis promissio & prolixa admodum, ὅτω *Matth. cap.*7, *vers.*8. ὅπως. alicubi etiam, quandocunque quod quidem, quia hominibus incredibile sit, se homunciones & vermes vilissimos, idque post infinita scelera patrata, tantas & tam eximias res consequi, reduplicata asseveratione illud confirmat; qua omnes nostras hæsitationes & dubitationes eximit ex animis nostris. Cum igitur ille dixit nos exauditos esse, nosne apud nos statuemus nos non fore exauditos? cum ille dicat extra omnem dubitationem nos exauditos iri; nos ne animo nostro aggeremus, forte, forsan; cum ille tam fidenter pollicitus sit?

Pater nomine Christi adorandus. Sed *notandum* nomine Christi Patrem appellandum: nullum aliud nomen sub cœlo datum est in quo servemur: *Act.*4,12. in hoc vivens ut servet eos qui per eum Deum accedunt. Vide 1 *Timoth.*2,5. Quod autem *Pontificii* dicunt se illud facere, quod Christi nomen in clausula cujusque preculæ apponunt, illud non modo inepte faciunt, qui meritum exauditionis ad sanctos referunt, sed diserte adversus hujus Christi orationis apertum & liquidum sensum. Nam cum Christus hic in terris esset, discipuli recta ad eum accedentes, ab eo exaudiebantur. Nec Apostoli tantum, sed & alii fideles. Si igitur ascensu Christi jam effectum sit, ut non nisi intermediis & interpositis aliis ad Christum possimus accedere, næ nobis plurimum ex Christi à nobis discessu decedit. Et certe si placeat periculum facere in his petitionibus quæ ilico ab ascensu Christi à fidelibus conceptæ & in cœlum sublatæ sunt, antequam vel virgo, vel Apostolorum ullus in cœlum intromissus sit: intelligimus nullam unquam uberiorem donorum Dei effusionem fuisse, nec deinceps ad seculi finem futuram.

Vers. 24. *Apostolorum Christo præsente oratio parcior.* Hactenus tam pauca meo nomine petiistis, ut illa, præ copia quam accepturi estis, nihil esse ducam. Quod quidem partim fecistis, quia me præsente & vos ex malis vindicante multorum non eguistis, partim quod carnali præsentiæ meæ innitentes animos vestros ad illa quærenda non ita adjecistis: partim denique quod eorum ipsorum, quorum desiderium sentitis, & expetitis supplementum, tam confidenter & tanta fiducia petere nequivistis, quanta facietis cum ipse meo in cœlos ascensu animum vobis petendi additurus sum. Quamobrem petite.

Dei largitio incredibilis. Hic *videmus* incredibilem esse Dei erga nos largitionem, qui tantum abest, ut nobis sua dona petentibus exprobret, ut etiam illud nobis exprobret, quod plura non petamus, quod gremium non ampliemus, quod os non dilatemus. Petierant quidem prius, nec nisi Christi nomine petere poterant. Sed præut quæ petituri erant & à Deo per Christum accepturi, nihil petierant. Similis locus est *Iohan.*3,32. Sic Elizæus Domini in suos liberalitatem repræsentans efferbuit ira, quod Ioash sæpius sagittas in terram non impetisset. 2 *Reg.*13,19. Atque ut multa petamus, tamen superat nostras petitiones. Vide *Ephes.*3,20.

Pontificiorum preces frigidæ. Hinc etiam *liquet*, quæ causa sit cur *Pontificii* tam sunt in petendo tremuli, tam etiam in precando frigidi, quod Christum in carne adhuc cũ illis versari comminiscuntur.

Ira

A precibus non desistendum nisi defectibus nostris suppletis.

Ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν.] Videtur indicare non esse desistendum à precibus, quoad omnibus nostris defectibus suppletis perfecta & cumulata felicitas fuerit. Nos enim præclara quædam nacti quibus aut nos ipsos excellimus, aut plerosque alios, ilico acquiescimus, & a studio precandi desistimus. Vide *Apoc*.3,17. de Ecclesia Laodicena. Huc spectat præcipue 2 *Reg*.3,14. historia Ioashi, qui reprehenditur, quod destiterit sagittas in terram impetere donec adversarios penitus & plene subegisset. Vide 2 *Reg*.4,6. historiam viduæ. Hujus egregium exemplum est in Elizæo, qui duplum spiritus Eliæ petiit, 2 *Reg*.2,9. tametsi insignis Prophetæ & Domini sui. Videri poterat satis fuisse servo hero æquari; sed in spiritualibus rebus, etiam servus herum, patrem filius, & discipulus præceptorem anteire debet contendere. Vide 1 *Reg*.1.*vers*.47. Hoc etiam ad Ecclesiam transferendum est, ut *Apoc*.3,17. & ad nostram præcipue accommodandum.

Vers.25. *Apostolorum cognitio post Christi discessum major.*

Venit tempus quum non amplius.] Alteram jam speciem ἐρωτήματος attingit, qua docet longe secus fore in interrogando quæ sit Dei voluntas & sensus verborum Christi, quam quæ nunc est. Nam cum discessu hinc suo preces multiplicandæ fuerint, tum quæstionum frequentia, quæ prius magna fuit, decrescet, ut qui omnia quæcumque usui illis sint, clare & evolute perspicient, ut cum prius vulgatissima & maxime familiaria dicta illis instar ænigmatum fuerint, nunc post discessum suum αἰνιγματώδη omnia tanquam planissime & clarissime dicta erunt & videbuntur. Vide *Iohan*.7,39. Hinc dicitur *Ephes*.4,10,11. Apostolos, &c. tum datos fuisse cum ascendisset; ut quamvis ante fuerint, tamen tanquam non essent fuerunt, quoad id quod post ejus ascensum fuerunt.

Quo magis precamur, eo de Dei voluntate certiores sumus.

Vnde illud *liquet*, nos pro mensura invocationis Dei certiores de Dei voluntate fieri, ut non alia causa sit cur toties rogitemus de hoc & illo sensu Scripturæ, quod qua via insistendum sit ignoramus, nisi quod Deum non magis assidue precemur. Vide exemplum Cornelii *Act*.10. qui Deum comprecans ut illi veritatem in Iudæa tantopere jactatam & controversam declararet, exauditus est. Idem etiam vide in Petro *Actor*.10. cujus norma generalis *Iacob*.1,5,6. extat. Hinc *Ierem*.31,34. de Christi adventu loquens, *Non docebit vir fratrem*; & singuli plebeii instar Levitarum & tanquam David, &c. erunt. *Zach*.12,8. *Esai*.66,20,21. Hinc intelligitur non mirum esse si *Pontificii* de singulis Scripturarum sententiis, tametsi planissimis & maxime obviis, dubitent, & si omnia illis αἰνιγματώδη sint, & tanquam clausus & obsignatus liber, ut qui non tantum Christi carnali præsentiæ addicti sunt, sed etiam Christum mediatorem, qui sigilla resignat, non habent.

Vers.26. *Mandata non arguunt liberum arbitrium.*

Notandum porro Christum, qui *versu* 24. Apostolos hortatus est ut preces ad Deum funderent, hoc loco polliceri se effecturum ut Deum orent. Hic etenim orandi Spiritus post ascensum illis à Christo datus est. Vnde est quod affirmat illos tum Deum oraturos. Quamobrem hortationes & dehortationes, mandataque affirmativa aut negativa liberum arbitrium non arguunt, ut *Pontificii* ex Aristotele ratiocinantur.

Vers.27. *Difficultatis ex sermone Christi occupatio.*

Sequitur *pars altera* de occupatione, qua difficultatem, quæ hinc oriri potuit, tollit: quod enim toties de sua ad Patrem pro nobis intercessione mentionem fecit, scrupulum facile injiciat, Patrem illis infensum esse, & nullo suo in discipulos studio & propensione illis gratificaturum, sed tantum victum importunitate precum & intercessionis Christi, ut fit cum rex cuidam valde infensus, tamen in illum beneficus est, alterius, quem unice diligit, veluti precibus & importunitate fractus. Vt videmus factum fuisse in Dario Rege, qui importunitate Satraparum victus in Danielis mortem, quam valde adversabatur consensit. *Dan*.6,14,15. Sic injustus judex. *Lucæ*.18,5. Sed longe secus est in Patre meo, qui vos illum venerantes & orantes nomine meo, vel me quodammodo tacente, exaudiet. Nam ut mea causa vos exaudit, sic & mea causa vos amat. Hinc est, quod ipse nos dilexit & Filium suum dedit pro nobis. *Iohan*.3,16. & *Iohan*.10,17. dicitur eum filium propterea amare, quia pro nobis animum suam exponit. Sic igitur potius res est comparata, ut cum pater filio iratus, & suam adversus eum iram testatus, valde expetit, ut aliquis pro filio intercedat, ut secum in gratiam redeat. Cujus rei luculentum exemplum existit. 2 *Samuel*.14,1.2. nam David præoptabat aliquem pro Absolone intercedere, ut illius interventu eum in gratiam reciperet. Vnde queritur Dominus, nullum esse qui in ruptura consistat, & iram suam avertat; nullum esse qui illi in occursum prodeat. *Ezech*.22,30. Hæc igitur singularis consolatio est: quod assiduitate precum, interventu Christi pro nobis postulata

postulata

ſtulata aſſequemur, cum hæc omnis cauſa non coram iniquo judice, ſed clementiſſimo Patre agenda ſit. *Luc.*18,5,6.

Signum Patris erga nos amoris. Noſtri amoris fons.

Ὅτι πεφιλήκατέ με.] Probat Patris erga illos amorem ab effectu, quia in animos eorum indidit ut ſe amarent. Vide *Luca* 7,47.

Καὶ πεπιστεύκατε.] Fontem charitatis notat fidem. *Galat.*5,6. & 1 *Timoth.*1,5. Simulque docet non omnem Chriſti amorem nobis argumento eſſe divinæ in nos dilectionis, ſed illum duntaxat, qui ex fide vera fluit, quem hic συνεκδοχικῶς notat. Nam multi ſunt qui Chriſti virtutes, ut excellentis hominis, qui à Deo egreſſus eſt, amant, ut Turcæ, ſed in illum tamen non credunt. Sicut etiam Chriſtus quoſdam ut homo dilexit, qui tamen ideo ſalvi non ſunt: ut juvenis ille prædives. *Marc.*10,21.

Verſ.28. *Fides ſemper incrementa capere debet.*

Tametſi Chriſtus probe & novit, & ſuperiore verſu teſtatus eſt ſuos in ſe diſcipulos credere, idque vere & ſincere, ut qui cum fide ſui dilectionem conjunxiſſent, tamen pergit illos in ſuſcepta fide corroborare. Perinde ac ſi diceret nec hoc credendo falſi eſtis: nam revera à Patre exii & veni in mundum conceptu in virginis utero; quod etiam adhuc liquebit magis, quod mundum ilico relicturus ſum & Patrem repetiturus propriis viribus, quod nemo niſi Deus faciat. Ex quo illud *liquet*, fidem tametſi bene confirmatam, tamen aſſidua incrementa capere debere, quamvis alioqui inchoata & accenſa in animis noſtris nunquam extingui poſſit. *Iohan.*4,14. Hinc eſt quod a fide in fidem progredimur, ſine qua non adoleſcimus, aut incrementum ullum in pietate & juſtitia ſumimus. *Eph.*2,15.

Chriſti carnalis in S. Cœna præſentia refutata.

Notandum porro, talem fuiſſe Chriſti ad Patrem è mundo profectionem, qualis fuit Chriſti in mundũ adventus: ſed ejus in mundum adventus non fuit niſi carnali & ſenſibili corporis ſui præſentia: ergo ejus è mundo ad Patrẽ commigratio eſt ejuſdẽ generis. Contra carnalem Chriſti in Sacramento præſentiam. Ille cum in mundum venit, ita in mundo fuit humanitate ſua, ut eadẽ in cœlo humanitas non eſſet: quamobrem ad Patrem reverſus, ita eſt in cœlo humanitate, ut non ſit in terris.

IOHAN. *cap. 16, à 29, ad finem Capitis.*

29 Dicunt ei diſcipuli ejus; Ecce, nunc aperte loqueris, nec ſimilitudinem ullam dicis.

30 Nunc ſcimus te ſcire omnia, nec opus eſſe tibi ut quis te interroget: per hoc credimus te à Deo prodiiſſe.

31 Reſpondit eis IESVS; Nunc creditis?

32 Ecce veniet tempus, & jam venit, quum diſpergemini unuſquiſque ad ſua, meque ſolum relinquetis: ſed non ſum ſolus: nam Pater mecum eſt.

33 Hæc loquutus ſum vobis ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.

ANALYSIS.

SErmonis ſuperioris Chriſti effectum eſt libera Apoſtolorum confeſſio de claritate & perſpicuitate ſermonis Chriſti, quem jam habet: quod ſuo diſparato illuſtratur, nempe quod non loquatur in parabolis.

Verſ. 30. Aliud effectum prioris Chriſti ſermonis, quod inde omniſcientiam ejus edidiciſſent: cujus adjunctum eſt non neceſſe eſſe, ut illum quis interroget, hoc conſilio ſcilicet, ut Chriſto ſenſus animi ſui patefaciat: item effectum confirmatio fidei Apoſtolorum quod à Patre exivit.

Verſ. 31, 32. Taxat eorum confidentiam, quod plus ſibi de fide perſuaſerunt, quam res ferat, quod ſuo effecto arguitur, nempe fuga cujuſque ad ſuos: cujus adjunctum eſt, quod Chriſtum ſolum relinquant: fugam ſuo diverſo illuſtrat, tametſi jam credant. Deſertionem ſui item diverſo, quod tametſi reſpectu diſcipulorum erit ſolus, tamen non erit ſolus reſpectu præſentiæ Patris.

Verſ. 33. Hujus ſermonis finem declarat ut in Chriſto pace fruantur. Cujus adjunctam utilitatem amplificat ab adverſa perturbatione & afflictione in mundo, adverſus quam confirmat illos ab adjuncto, ſua adverſus mundum victoria.

METAPHRASIS.

DIcunt illi diſcipuli ejus vide, quæſo, quam 29.
vere hoc abs te modo dictum de futura
in ſermone perſpicuitate: jam etenim aperte
loqueris neque ænigmatica oratione uteris.
Nunc porro ex hac quæſtionis noſtræ præven- 30.
tione & occupatione compertiſſimum habe-
mus te omnia noſſe, nec opus habere ut quis
te quicquam roget hoc conſilio, ut tibi, quod
prius incognitum erat, innoteſcat: hoc uno (ut
cætera non eſſent) te à Deo egreſſum eſſe con-
ſtanter credimus. Ad quos Ieſus; Siccine vero 31.
tam

constanter & firmiter credere vobis videmini?
32. *Advertite animum ad id quod dicturus sum; venit tempus, atque adeo nunc instat cum metu mortis ad proprias vel paternas ædes singuli dissipati transfugietis, idque me (quod pejus est) solum relinquendo: quamquam à vobis & omnibus aliis destitutus, non tamen solus sum, qui Patrem præsentem*
33. *& auxiliarem habeo. Et hæc equidem vobis loquutus sum, ut fide in me pacem conscientiæ retineatis; tanto magis, quod foris ab impiis in mundo afflictio vos manet: sed spiritus sumite & bono animo estote: nam ego pro vobis omnem adversariam vim, quæ vestræ saluti obesse potest, vici.*

PRAXIS.

SVmma, Discipulos aliquantulum reipsa hac Christi concione confirmatos, sed plus quam veritas tulit, de sua fide persuasos, Christus ita imminentis tempestatis prædictione ad humilitatem erudit, ut simul illos labantes & ruentes fiducia in se sustentet.

Partes sunt,
- Discipulorum profectus ex Christi concione, eorum opinione minor.
- Depressio illius in discipulis inflationis, admixta absolutione.

Vers.29, 30. *Verbi divini utilitas.* In *priore*, videmus discipulos ut ut stupidos cum doni & Spiritus cœlestis parciore perceptione, tum imminentis calamitatis tristitia & metu, aliquantulum tamen recreatos & refocillatos esse. Quo *docemur*, nos verbi Dei auditione adversus omnia obstacula incrementum accepturos, modo ut decet accedamus; nullius tam crassam esse intelligentiam, cui veritas Euangelii sui videndi copiam non faciat; nullam noctem aut tenebras tam esse densas & concretas, quæ non illuminentur radiis divinæ prædicationis, dummodo docilem animum quis afferat. Sapientiam præstat parvulis & rudibus *Psal.*19,8. Eunuchus non dicet, sum sterilis, &c. *Esai.*56,3. claudus non queretur se non posse incedere. *Esai.*53,5,6. Manna imitatur quod perinde infantibus ac adultis pascendis aptum erat.

Nimia Discipulorum confidentia, & mala verborum Christi interpretatio. Deinde *considerandum* est illos nimia fiducia elatos fuisse, idque dupliciter, cum quod se majori scientia illustratos & illuminatos, quam veritas tulit, autumabant, tum quod ampliore fide se donatos putabant, quam perfusi fuerant. Nam præ se ferunt se omnia, quæ Christus dixit, pulchre tenuisse, quod longe secus erat. Nam Christus dixerat se deinceps per parabolas cum illis melius intellectum iri, eorumque intelligentiam auctam iri, non autem (quod discipuli existimarunt) eum dilucidiore & magis illuminata oratione usurum. Deinde dixit se hac perspicuitate à morte, maxime vero ascensu usurum esse. Illi vero ajebant Christum impræsentiarũ illa perspicuitate uti. Huc accedit quod resurrectionis (de qua aperte dixit) mysterium non percipiebant, neque regnum ipsius, quod satis docuit non esse in terris exspectandum, ad quod tamen animum apposuerant. *Act.*1,6. In fide porro se radicatos & probe fundatos existimabant, cum tamen, sicut Christus indicat, in illa vacillarent. Crediderant quidem ante *Matth.*16, 16,17. Christus fidei testimonium illis dederat *vers.*27. item *cap.*17,8. Sed cum dicunt νῦν οἴδαμεν καὶ ἐν τούτῳ πιστεύομεν, indicare volunt se jam longe maximum fidei incrementum accepisse.

Ex quo *videmus* omnibus, etiam maxime piis, ingenitam esse hanc nostri ipsorum adulationem & lenocinium, quo nobis ipsis imponimus; nostra enim via nostris oculis & judicio bona videtur. *Commune vitium sui ipsius adulatio* Sicut enim fit in cibis & hujus vitæ alimentis, ut sæpe quis se saturum credat, cum flatibus tantum venter distentus sit. Sic & in esca spirituali, donisque cælestibus. Vide *Apoc.*3,17 Laodicensium exemplum, *Psalm.*30,7. *dixi non commovebor, &c.* Quo magis auscultandum, ut Apostoli consilio pareamus, qui jubet ut nos explorando nosmet ad aurificis trutinam seu Lydium lapidem exigamus. 2 *Cor.*13,5. & 1 *Cor.*11,28. Atque ut omnia perciperemus, tamen utile est ea rursus audire, quia nos confirmat quod sæpius repetitur. *Philip.*3,1. item somnium sæpius repetitum est ut intelligamus rem certam esse. *Gen.*41,32.

Sequitur *pars altera*; in qua primum videmus singularem Christi οἰκονομίαν, & prudentiam eximiam, omnia pro modulo eorum temperandi apud quos sermonem habuit. Vers.31, 32. *Singularis Christi prudentia:* Cum enim eos nimium dejectos & consternatos adverteret, id agit ut dulcissimis promissionibus & consolationibus eos sustentaret, ne afflictionum mole opprimerentur. Iam cum videt illos aliquantulum intumescere, medicamentum satis acre & amarum adhibet. Itane vero, inquit, creditis? scilicet ea firmitate, qua vos putatis? Atque id longe secus esse docebit ignavia vestra, quam hac ipsa nocte prodetis; Cum vos omnes me relicto diffugietis & dilabemini. *Hinc apparet* verum esse, quod Salomon Proverbio eximio

mio celebrat, tantum quemque roboris & fiduciæ habere, quantum rebus afflictis constantiæ & animositatis, *Prov.*21,10. Vide *Iohan.*13,37,38. & similitudinem aquarum residum & stagnantium in *Iob.*6,15,16,17, *&c.* *Nota* item Christum illos quantumvis afflictos reprehendere tamen, ut nullum sua calamitosa conditio à justa reprehensione immunem reddat.

Eiusdem in Discipulos stricta accusatio. *Notandum* porro quod dicit quemque ad sua scilicet latibula diffugiturum: quo non tantum se deferendum queritur, sed illos porro reos peragit mutuæ desertionis, quod metu Iudæorum se in unum ad mutuas & consolationes & preces non sunt aggregaturi. *Hebr.*10,25,38,39.

Deus derelictis adest. Est etiam singularis consolatio, quod dicit Deum secum fuisse, cum omnes illum dereliquissent. Confer cum 2 *Timoth.*4,16, 17. & 2 *Reg.*6,16. *plures sunt, qui nobiscum, quam qui contra nos.* Vide etiam quomodo de Iosepho dicitur, Deum cum illo fuisse cum in carcerem conjectus esset, *Gen.*39, 21. Elaborandum igitur ut Deum à nobis habeamus, qui & potest & vult nobis adesse, cum cæteri omnes aut nolint, aut non possint, si maxime vellent, nobis adesse.

Vers. 33. *Pax in Christo nullis malis labefactatur.* Hanc asperitatem extollit singulari consolatione, cum dicit se hæc mala non prædicere, ut illos perdat aut consternet, sed ut consolationem & pacem, quam mundus illis negavit, in illo, & illi insiti consequantur. Pacem in se, dicens, explicat illud quod docet in mundo non habituros. Pacem enim simpliciter non pollicetur, & ab adversis liberam, sed pacem in se, &c. *Notetur* porro pacem seu beatitatem in Christo tantam esse, ut maximis in mundo afflictionibus labefactari nequeat. Vnde etiam bono illos animo esse jubet, ne sua fuga & ignavia perculsi animos despondeant. Victis enim in seipsis, paratam esse eis in se victoriam, victoriamque non propriam, sed quam in Christo ei adunati consequentur, quia ipse propria persona vicit mundum pro suis. Vide 1 *Iohan.*5,4. *hæc est victoria, &c.*

IOHAN. *cap.* 17, *ad finem Capitis.*

Haec loquutus est IESVS, & sustulit oculos suos in cœlum, dixitque; Pater, venit hora illa: glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet:

2 *Sicut dedisti ei auctoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.*

3 *Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum.*

4 *Ego te glorificavi in terra: opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem:*

5 *Nunc igitur glorifica me, tu Pater, apud temetipsum ea gloria quam habui apud te prius quam mundus esset.*

6 *Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi selectos è mundo: tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servarunt.*

7 *Nunc noverunt omnia quæ dedisti mihi à te esse.*

8 *Quia verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis: & ipsi receperunt, & vere noverunt me à te prodiisse, & crediderunt me à te missum esse.*

9 *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

10 *Et mea omnia, tua sunt, & tua, mea sunt: & glorificatus sum in eis.*

11 *Et non sum amplius in mundo, sed isti sunt in mundo, & ego ad te venio, Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, prout & nos.*

12 *Quum essem cum eis in mundo, ego custodiebam eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius ille perditionis: ut Scriptura impleretur.*

13 *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum plenum apud se.*

14 Ego

14 *Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt ex mundo, prout & ego non sum ex mundo.*

15 *Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut eos ab impio illo conserves.*

16 *Ex mundo non sunt, prout ego non sum ex mundo.*

17 *Sanctifica eos tua veritate: sermo ille tuus veritas est.*

18 *Sicut me misisti in mundum,* ita *& ego misi eos in mundum.*

19 *Et eorum causa ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.*

20 *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me:*

21 *Vt omnes unum sunt sicut, tu Pater, in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus me à te missum esse.*

22 *Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus:*

23 *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus quod tu me miseris, & eos diligas, prout me dilexisti.*

24 *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante jactum mundi fundamentum.*

25 *Pater juste, mundus te non novit: ego autem te novi, & hi noverunt me à te missum esse.*

26 *Et notum ipsis feci nomen tuum, & notum faciam: ut charitas, qua dilexisti me, sit in eis, & ego in eis.*

ANALYSIS.

ADjunctum concionis finitæ est oratio ad Deum; adjunctum vero orationis est elatio oculorum in cœlum. Oratio sequitur, ubi prima petitio est, ut Pater se glorificaret; quod arguitur primum à relato, quod sit Filius; deinde ab adjuncto temporis, quia est opportunum & tempus advenit: deinde à fine, ut Filius eum glorificet; quod & pari illustratur, nempe ut Filius vicissim glorificet Patrem.

Vers. 2. Deinde ab adjuncta fide & constantia Dei, qui jam ante potestatem ei dedit in omnem carnem: item arguitur alio fine, nempe ut omnibus electis, quos Pater illi servandos dedit, vitam æternam det.

Vers. 3. Descriptio vitæ æternæ cognoscere Patrem solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum.

Vers. 4. Aliud argumentum quo confirmat petitionem de se glorificando ab effecto, quod Iesus Deum in terra glorificavit: item alio effecto, quod opus in terris perficiendum absolvit.

Vers. 5. Subjectum loci notat, ubi sit glorificandus, nempe apud Patrem: item formam gloriæ, quam habuit apud Patrem ante mundum.

Vers. 6. Quod *vers.* 4. generalius dixit se exsolvisse opus illi demandatum, nunc specialius declarat, nempe quod Patris nomen manifestavit. Subjectum vero cui manifestavit, sunt electi; qui describuntur proprio adjuncto, nempe quod è mundo à Patre per Spiritum separati tradlti sunt Christo servandi: Iidem electi describuntur suo effecto, nempe quod servant sermonem Dei.

Vers. 7. Alia species illius operis, quod Christo datum est, ut in terra perficiat, antequam ad Patrem redeat: nec enim tantum manifestavit illis gloriam Patris, sed per S. Spiritum effecit ut Patris nomen & gloriam agnoscerent.

Vers. 8. Efficiens instrumentale superioris agnitionis, cujus mentio fit *vers.* 7. est quod verbum Patris fide acceperunt: cujus effectum repetitur, nempe quod probe norint Christum à Patre exiisse & à Patre missum esse.

Vers. 9. Probat se exauditum iri precantem pro Apostolis à subjecto, quod hi sunt, quos Pater dedit illi; item ab adjuncto, quod Patris sunt; quod utrumque suo adverso subjecto confirmatur, quod non sint ex mundo hi, pro quibus Patrem orat.

Vers. 10. Item ab adjuncto, communi jure quod uterque cum Pater, tum Filius in Apostolis obtinet; præterea ab effecto Apostolorum, quod Christum glorificarunt.

Vers. 11. Præterea ab adjuncto suo discessu ab illis, & à subjecto loco ubi discipuli agunt, nempe in mundo: causam discessus è mundo proponit, quod ad Patrem è mundo concedit: post proponit petitionem magis specialem, ut Apostolos servet; cujus custodiæ efficientem notat Dei nomen; quod confirmat ab adjuncta Patris donatione; finis etiam indicatur, ut sint unum; quod simili illustratur, ut Christus & Pater sunt unum.

Vers. 12. Comparatione paris probat Patrem servare oportere illos, quia illos ipse servavit quamdiu fuit in mundo; quam conservationem adversi negatione confirmat, quia nemo ex illis periit; quod porro confirmatur, quia unus mo-

do periit, qui perditioni destinatus est, eoque ipso illi non datus ut illum servaret; quæ ejus perditio fine suo confirmatur, ut Scriptura impleretur.

Vers. 13. Petitionem suam commendat porro ab adjuncto tempore, antequam ad Patrem concedat, & dum sit in mundo; item à fine; hanc orationem illis audientibus fundit ut plenum gaudium obtineant.

Vers. 14. Agit causam Apostolorum ab adjuncto mundi odio; cujus duas causas efficientes indicat; unam quod sermonem Patris illis tradidisset, alteram quod eundem sermonem recepissent: quod idem est ac ex mundo non essent; quæ à mundo separatio simili exornatur separationis Christi à mundo.

Vers. 15. Petitionem de illis in mundo servandis diverso arguit.

Vers. 16. Causam odii, quo mundus eos odio habet, repetit; quam ut supra exornat.

Vers. 17. Causam efficientem illos in mundo servandi & à diabolo eruendi est sanctificatio per veritatem, quæ veritas definitur.

Vers. 18. Ab adjuncto eorum ministerio Apostolatus illos commendat; quod amplificatur simili.

Vers. 19. Effectum Christi ponitur, nempe quod se sanctificat; quod suo fine declaratur, ut Apostoli sint sanctificati.

Vers. 20. Transit ab Apostolis ad omnes in Christum credituros; quorum fides efficiente instrumentali arguitur, nempe Apostolorum ministerio.

Vers. 21. Finis, ut sint unum; quæ unitas illustratur simili, ut Pater & Filius sunt unum; finis unitatis, ut mundus credat Christum à Patre missum.

Vers. 22. Effectum fidei in Christum est, quod Christus credentibus gloriam tribuit; quæ gloria illustratur & amplificatur comparatione similis, nempe gloria quam Pater Filio tribuit; cujus finis est, ut sint sicut conjunctione, sic gloria unum, & ut unitas perfecta sit omnibus suis numeris.

Vers. 23. Quod & suo fine declaratur, ut mundus cognoscat Patrem suum filium misisse.

Vers. 24. Subjectum locum hujus gloriæ notat, nempe ubi Christus quoad humanitatem est; quod suo fine declaratur, ut videant gloriam Christi: cujus causa efficiens est Patris erga se dilectio ante jacta mundi fundamenta.

Vers. 25. Ab adjuncta Patris justicia probat credentibus in se benefaciendum: cujus causam efficientem declarat, quod credant Patrem Christum misisse: quod illustratur comparatione dissimilis nempe mundi; deinde simili Christi.

Vers. 26. Agit porro causam Ecclesiæ apud Patrem ab adjuncta manifestatione nominis Dei apud illos per seipsum, cum præterita, cum futura: cujus finis proponitur, ut dilectio, qua Pater se dilixit, sit in iis, & ipse in iis.

METAPHRASIS.

1. *ABsoluta ad Apostolos concione, quo doctrinam in ea comprehensam in animis obsignaret, maxime vero ut hac Deum oratione se ad oblationem & expiationem mox in cruce offerendam consecraret, sublatis in cœlum oculis, tanquam singularis in Deum fiducia signo, Patrem ad hunc fere modum affatus est. Pater, quæso te, quandoquidem opportunum est & tempus à te præfinitum advenit, glorifica me indiciis summæ potentiæ in ipsa hac morte mea mox subeunda, maxime vero resurrectione, ascensu & sessione ad dextram tuam. Quod quidem facere non abnues, cum sim unigenitus tuus Filius, nec hanc gloriam alio consilio expetam, quam ut gloria abs te affectus vicissim te gloria afficiam, dum hoc pacto cum fides tua & veritas in promissis una cum potentia infinita omnibus innotescet. Et quidem tibi glorifican-* 2.
do idoneus sum, quandoquidem mihi abs te omnis in terra & cœlo concessa in & super omnes homines bonos simul & malos potestas, ut hac authoritate in omnes instructus, eos vita æterna beatos reddam, quos mihi fide servandos tradidisti: Quod tamen præstari à me Mediatore nequit, nisi tu me mortuum resurrectione, ascensu & sessione ad dextram tuam gloriosum reddas. Æterna autem vita, 3.
qua illos donabo, hæc est, ut illis merito mortis meæ & Euangelii præconio fidem in animis indas, qua te verum Deum, rejectis omnibus factitiis diis, esse credant, idque interveniente me filio tuo Iesu Christo, in quo unico te salutariter per Spiritum Sanctum cognoscendum præbes. Hujus de me glorificando petitionis ut 4.
æquitas magis appareat, porro præfero me te hic in terris glorificasse, quandoquidem omnia mandata, quæ mihi ad exsequendum dedisti, penitus exhausi. Quamobrem nunc, Pater, 5.
effice ut quoad divinitatem perinde gloriosus agnoscar, ac fui apud te in una essentia ante jacta mundi fundamenta: & quoad humanitatem in tanta gloria sim, quantam potest humana natura capere. Quod dixi me opus 6.
absolvisse, quod mihi in mandatis abs te datum est, id explicatius propono, nomen tuum & ea de quibus meritissime celebrandus es, iis quos selectos ab impiis in mundo mihi Mediatori servandos tradidisti, liquido patefeci. Æterna electione tui erant, & sancta vocatione mihi tanquam mediatori illos dedisti: Neque inanis aut irrita extitit institutio quam adhibui: nam & sermonem origine tuum, ministerio vero (quoad Mediator) meum ipsi servarunt. Atque utut olim, cum 7.
primum ad me aggregati sunt, rudes erant; nunc tamen omnia, quæcunque mihi ut Mediatori abs te data sunt, tua esse & cognoscunt probe, & agnoscunt liberrime. Quod di- 8.
xi me nomen tuum illis patefecisse, haud aliter feci, quam verbum abs te acceptum illos docendo:

docendo: quod illi fide amplexati sunt. Et
sicut de se paulo ante professi sunt, ita testi-
monium illis perhibeo, illos syncere noscere &
agnoscere me ex te egressum, & abs te Serva-
9. torem missum esse. Ego pro illis & eorum bo-
no preces apud te instituo, quam petitionem eo
citius & alacrius admittes scio, quod pro his,
qui in mundo tibi exosi sunt, preces non fundo,
sed pro his modo, quos mihi, quod tui sunt &
10. tuum veluti peculium, servandos dedisti. Ita
etenim prorsus in unitate essentiæ conjuncti
sumus, ut omnia quæ mea sunt, tua itidem sint,
sicut vicissim tua omnia mea sunt: unde ne-
cesse est quod utriusque in his servandis &
tuendis conjuncta cura esse debeat: maxime
cum eorum in me fide gloria affectus sim, cum
quo te eandem gloriam communem, propter na-
11. turæ unitatem, habere necessum est. Huic au-
tem petitioni de tua in his servandis cura in-
sisto magis, quod illis adhuc ex vocatione in
mundo illis infenso & infesto agentibus mihi
è mundo mox excedendum est, & ad tuam
gloriosam in cœlis præsentiam, idque ex tuo
præscripto, concedendum. Quamobrem, Pater,
cujus sanctitas summa te his servandis quo-
dammodo obnoxium & devinctum tenet, in
tua ipsius cognitione illos serva, quos mihi de-
disti, ut mihi jam uniti, & per me tibi, atque
adeo inter se charitate colligati, continuis in-
crementis sumptis, tandem nostram inter nos
12. unitatem, quoad datur, assequantur. Atque
æquum peto ut illos in hoc infenso mundo ser-
ves à me tibi commendatos, quandoquidé mihi
abs te commendatos ego in mundo agens per
tui cognitionem illos servavi. Quos dedisti mihi
ad unum omnes, non vivos modo, sed ad æter-
nam salutẽ capescendam idoneos custodivi: ut
ne unus quidem ex illis perierit. Periit quidem
unus, sed idem abs te ad exitium tanquam ad
suam hæreditatem destinatus, eoque ipso mihi
ad servandum minime traditus. Periit igitur
nulla nec inconsiderantia mea, aut in servan-
do impotentia, sed tantum (quod fieri omnino
oportet ut Scriptura, quæ hujus exitium longe
ante prædixit, impleretur, cæteroquin (quod
(absit) tibi in verbo veritatis non constitisses.
13. Nunc autem ad te venio; id est, ad tuam glo-
riosam præsentiam. Quod autem in hac peti-
tione tam multus sum apud te, non eo fit ac si
sponte tua de illis sollicitus non sis: sed hæc in
in mundo adhuc agens ideo, illis audientibus,
loquor, ut conscii meæ pro illis in precando sol-
licitudinis, pleno ex me gaudio perfundantur.
14. Ego illos tuum sermonem docui, illi vicissim
sermonem fide acceperunt. Qua ratione à mun-
do sejunctos (sicut & ego à mundo separatus
sum) mundus illos letali odio persequitur, sic-
ut & me eodem nomine odio habent. Non 15.
equidem abs te peto, ut ob mundi in illos odium
& ex odio infectationem è mundo tollas, aut
vero etiam ut mundum seu in mundo impios
simul & semel destruas: sed illud majorem
in modum rogo, ut illos à malo, maxime à
mali authore diabolo, incolumes serves. Il- 16.
lud vero tanquam quod maximi apud te pon-
deris est, iterum repono: hos meos non esse ex
mundo; sicut nec ego ex mundo sum. Eoque 17.
idoneos esse, quibuscum Spiritum tuum com-
munices. Quamobrem, sancte Pater, il-
los germana & syncera veritatis cognitione
per Spiritum sanctissimum sanctifica: veri-
tatis nomine verbum tuum intelligo, quod
unicum veritatis appellatione dignum est,
& sanctos homines reddendi vim & virtu-
tem habet. Hanc de eorum sanctificatione 18.
petitionem tanto magis largieris, quoad [illegible]
secus ad publicum verbi ministerium pe[illegible]
versum terrarum orbem promulgan[illegible]
me mittendi sunt; quam, tu Pater, me ad [illegible]
dem verbi in Iudææ finibus promulgationem
misisti: unde pluribus malis & afflictionibus
obnoxii futuri tanto magis Spiritu sanctitatis
opus habent. Quod vero ut eos sanctifices pe- 19.
to, ipse etiam præstabo. Ob eam etenim cau-
sam ipse victimam sanctam me tibi offero &
mortis meæ merito vere & perfecte per fidem
in me sancti sint. Atque ut pro illis præcipua 20.
quadam ratione precor, quos mundus letali
odio propter ministerium persequetur: sic pro
reliqua Ecclesia, id est, pro omnibus in me per
eorum doctrinam primum prædicatam, dein-
de litterarum monumentis consignatam credi-
turis. Ejus quod pro eis peto hæc summa est, 21.
ut omnes loco & regionibus & animorum sen-
su divulsi & dissociati, fide in unum corpus,
cujus ego sum caput, coalescant, & charitate
inter se coalescant tam astricto & indissolubili
unitatis vinculo, ut, tu Pater, in me & ego in
te unum sumus; ut & ipsi (inquam) in nobis
unum sint: idque in hunc finem, ut qui sunt
in mundo reprobi, tandem vel inviti credere
cogantur me abs te Servatorem missum fuisse.
Ego quam mihi tanquam homini gloriam de- 22.
disti, illis ut sum Dei Filius & Mediator Dei
& hominum, prout cujusque mensura fert,
gloriam do, ut sicut amore, sic & gloria no-
biscum pro suo modulo unum sint: atque hoc
meum de illis glorificandis donum peto ut tu
ratum habeas. Vt ego in eis sim, quemadmo- 23.
dum tu in me, ut sint undique & omnibus nu-

meris perfecti: ut reprobi in mundo, ſaltem in conſummatione mundi, cum illos gloria amictos & indutos videant, cognoſcant me abs te Servatorem miſſum fuiſſe, & hos perinde mea cauſa abs te diligi, ut tu me propter me dilexiſti.
24. *Pater, quos dediſti mihi, volo ut in ſummo cœlo, ubi ego quoad humanitatem mox futurus ſum, & ipſi itidem ſint, ut cum eorum lætitia meam gloriam contemplentur, quam mihi æterna generatione dediſti, quia me unice ante jacta mundi fundamenta dilexiſti:*
25. *O Pater, cum in omnibus promiſſis ſervandis ſemper juſtus ſis, cumque in mundo reprobi te non agnoſcant, ego vero te agnoſcam, & hi qui in me credunt agnoſcant, quod tu me Servatorem miſeris, juſtitia tua eſt me*
26. *in his, quæ pro illis peto, exaudire. Nam quicquid illud eſt, in quo jure optimo ab hominibus lauderis, illis notum feci, & porro notum faciam: ut dilectione qua me dilexiſti, ipſi ſe abs te diligi ſentiant, quandoquidem me in illis exiſtente illi unum mecum ſunt.*

PRAXIS.

SVmma, Petit à Patre ut cum ob ſui & proprii nominis gloriam, tum ob totius Eccleſiæ ſalutem, ſe ſuum filium glorificans, Eccleſiam ſuam perfecte ſervet.

Partes ſunt, Precatio pro { Se. / Suis.

In *Priore* conſideratur { Petitio. / Αἰτιολογία.

Verſ.1. *Concio precibus claudenda.*

Notetur Chriſtum Concionem precibus clauſiſſe, ad morem Eccleſiæ confirmandum. Vbi etiam apparet preces non niſi ex antecedentis Concionis capitibus conceptas eſſe. *Act.*6,4. ut precibus & verbo toti incumbamus. Nec mirum, cum totius laboris ſucceſſus à Dei benedictione pendeat. Paulus plantat, Apollo rigat, incrementum Deus dat. 1 *Cor.*3,6. Quo magis culpandi ſunt, qui finita Concione ilico ante preces ſe eripiunt.

Per crucem ad gloriam itur.

Petitionis ſenſus eſt, ut perpeſſionibus & ignominioſa ſui apud homines acceptione, qua illum mundus probro & ignominia obruere & opprimere conſtituit, ſe ad ſummam gloriam evehat. Quod non eo dicit ſolum, ut ſe adverſus imminentem crucem confirmaret, quam quod diſcipulis dolorem ex contumelioſa ſui tractatione hoc modo eximere voluit: unde & mortem ſuam *elationem, exaltationem Iohan.*3,14. & 12,32. *Iohan.* 13,31,32. vocavit. item *Exodum*, *Luc.*9,31. tanquam illam crucem eo loco haberet, quo olim exitus ex Ægypto Iſraëlitis habitus fuit. Quod quidem non tantum eo præſtitum eſt quod per carnis ignominiam ad ſummam gloriam tranſiit; ſed quod in ipſa etiam morte incredibilis & infinita vis divinæ virtutis partim in ipſo Chriſto, qui illa tam fortiter pertulit; partim extra Chriſtum in ſciſſione veli, petrarum ſciſſione, ſepulchrorum apertione patefacta eſt. Atque hoc *docemur*, quomodo nobis crucis acerbitas mitiganda ſit: cum ſcilicet reputemus in ipſa cruce occultam deliteſcere gloriam: quam quidem crux ex ſe non parit; ſed Deus ſingulari ſapientia & potentia inſculpit & imprimit in ſuorum perpeſſionibus 1 *Pet.*4,14: *Rom.*4,3. *Act.* 5,41. *Galat.*6,17. Sed hic opus eſt fidei oculo, ſine quo hoc dignoſci nequit.

Fidem in precibus I. *Filiorum conditio confirmat.*

Fidem ſuam in hac petitione confirmat, primum à relatis, quod Filius ſit Patris, cui ſupplicavit. Omnino enim videmus inter homines patrem filii ſui honore & gloria oblectari, nunquam illi ſuam beatitatem invidere. Vide *Matt.*20,20. in matre filiorum Zebedæi. Imo æque ferre ut filius eum gloria & honore ſuperet. Vide 1 *Reg.*1,47. Banaias & cæteri Davidis ſervi Salomoni majorem amplitudinem, quam David perfruitus eſt, apprecantur: idque coram & in auribus Davidis. Quod nos etiam confirmet cum à Deo gloriam nobis convenientem exoptamus, cum ſimus filii in Chriſto Ieſu, in quo Deus nobis Pater clementiſſimus exiſtit.

Ε'λήλυθεν ἡ ὥρα.] *Argumentum* eſt ab adjuncta opportunitate, ſe non prius hoc petere, quam maturum tempus ejus rei perficiendæ advenerit, *Matth.*20. filii Zebedæi propere expetebant hic à dextris, ille à ſiniſtris collocari, cum nondum pugnam experti eſſent: tanquam meſſe frui exoptarint, antequam ſementem fecerint, ad ſpolia convolent ante victoriam partam. Vide *Ionæ*.4,3. Sic plerique in cœlo eſſe vellent, cum nihil dum ad Dei gloriam fecerint.

II. *Dei gloria per eas promota.*

Aliud argumentum à fine, ut Patrem glorificet. Eſtque ſingulare præſidium, cui fides noſtra in precibus innitatur, ſi precibus petitoriis, ea requiramus, quæ ſunt Dei gloriæ prædicandæ idonea. Eſtque norma ſeu amuſſis certiſſima ad quam noſtræ preces ſunt exigendæ. Vide *Iohan.*12,27,28. *Philip.* 1,20. Hoc argumentum confirmatur. *Pſal.* 50,14,15. *invoca me die afflictionis, &c.* Quis enim rem habens cum prudenti (ut non ſit bene-

benevolus) non ab eo impetrat, quæ ad ipsius decus, & dignitatem spectant apud quem petitionem instituit? Cumque homines ad res suas promovendas opem libenter submittunt, tum nunquam alacrius quam ad gloriam suam aut propugnandam, aut augendam. Si igitur dubitatio animum subrepit an Deus nostri amore ductus nobis petitiones concedet, hæc apud nos animo agitemus, & pensemus; parentes sæpe filiis & amicis condonabunt, quod cum sui honoris dispendio fiat; nedum si quid petant quod illis honori sit: & nobis Deus ergo, quæ ad honorem suum conducunt, concedet. Tametsi non tantum hic, sed in rebus omnibus Dei gloria spectanda sit, 1 *Cor.*10,31.

Vers. 2. Christi potentia.

Καθὼς.] Confirmat, se eum esse, qui glorificabit Patrem, ab adjuncta potentia, quæ illi communicata ex conceptu, cum omnium hæres constitutus sit, tum demum exerenda, cum à Patre excitatus in cœlis collocabitur. Scilicet quod omnes mortales suæ sint ditionis & imperii eoque potentiæ fræno & retinaculo constricti, ut pro voluntate & libitu suo eos regat, ut salutem quam electis largiturus sit, impedire nequeant. Hac igitur loquendi formula crucis ignominiam emollit, dum penes se esse affirmat homines quoscumque & quotcumque vult, servare.

Sicut enim de Patre dicitur *Matth.*11,25, 26,27. omnes sub Patris nutu esse ut eos ad salutem æternam vocet, cum tamen præteritis sapientibus obscuros & contemptos mundi elegerit: Sic hic de Christo; item *Iohan.*5,21. Nec vero piorum tantum respectu, sed ut eos, quos ad salutem destinavit, adducat, quo constituit; necesse est ut in eos etiam quos perdet, imperium habeat, ne se contra servandos commoveant; ut principes oportet vel in sui & rebelles imperium exercere, quo sui amantibus & sibi subditis consulant. Alioqui pessime ageretur cum quibus tamen regis prudentis consilio & autoritate bene agitur, quod vel ipsi improbi cogantur commoda & honores subditorum procurare. Vide Historiam Ammanis, item Iosephi in Aegypto, cujus auspiciis melius cum Israële peregrino, quam cum Aegypti indigenis, quod rex ei omnia permisisset, agebatur.

Petitiones nostræ ad piorum salutem referendæ.

Ἵνα, &c.] Notatur alter finis, quem in omnibus petitionibus spectare debemus, ut pii serventur. 1 *Cor.*10,32. item *cap.*8, *vers.*9.13. & *Rom.*14,13. Est igitur observandum Christum in sua hac petitione omnem suimet rationem abjecisse, & Dei gloriam cum primis, post hominum salutem respexisse: quod nobis exemplo sit. Quod & nos mirifice confirmet & fidem nostram fulciat, quum certi simus Deum nihil nobis denegaturum. Quis enim pater filio roganti deerit, cum intelligit omnem suam beneficentiam ad totius familiæ, maxime liberorum, conferendam.

Salus nostræ in Patre & Christi par desiderium.

Notetur etiam Patrem non minus nostram salutem sitire, quam Filius. Sicut enim Filius gloriam non expetit, nisi ut nos servet: sic Pater suam cum Filio potentiam non communicat, nisi ut nos ab exilio afferat.

Vers. 3. Vitæ æternæ definitio.

Aeternam vitam definit, quo facilius intelligant se eam conferre, vel potius jam ante contulisse, ut post explicat. Est vero insignis sententia & adversione dignissima, ut quis cognoscat paucis, in quo hominis beatitas versatur. Plurimum in hac parte ab hominibus sudatum est, quorum labor irritus fuit. Infelices enim homines de fœlicitate, mortui de vita, caduci de æternitate disputarunt.

Consistentis in salutari notitia

Versatur autem vita æterna in scientia, ut quis cognoscat, adversus inscitiam & ignorationem, quam *Pontificii* fovent; item qui fidem Ecclesiæ urgent, & prædicant, quam quis nescit. Vide *Iohan.*16,30. quomodo rationem quis fidei reddat, nisi illam qualis sit bene norit? 1 *Pet.*3,15. item 2 *Timoth.*3,14, 15. conjungit fidem cum Scripturarum notitia, & fidem cum sapientia σοφίσαί σε, *Ierem.* 9,24. *in hoc glorietur quod me cognoscat, &c.* tametsi non hic intelligat nudam notitiam. Vide 1 *Iohan.*2,4. si quis dicat se nosse Deum, nec mandata ejus observet, mendax est. Hujus autem notitiæ vitæ æternæ, iccirco hic meminit, quia ea sua glorificatione in morte, resurrectione, & ascensu in cœlos, uberius & prolixius erat conferenda.

Scientiæ vero subjectum est { Pater. / Iesus.

Patris, ut veri Dei,

De Patre sciendum est *solum verum Deum* esse. Verus Deus opponitur Idolis, qui falsi dii sunt. Hinc & *vivens Deus*, ut opponatur mortuis. Nam dii gentium aut falsi sunt, aut mortui.

Non exclusi tamen à Deitate Filio & Spiritu S.

Hic *quæritur* quomodo Pater sit solus verus Deus, cum & filius & Spiritus Sanctus perinde sint. *Resp. Notandum* primum Deum hic opponi, non personis in divinitate, sed duntaxat falsis diis infidelium. Deinde *notandum* voculam (*solum*) ad Deum restingi

non

non ad Patrem. Ideoque fieri ut non dicatur, ut cognoscant te solum esse verum Deum. (Sic enim dicendum erat, ut cognoscant σε μόνον τ̃ ἀληθῆ·) sed σε τ̃ μόνον. Atque *Iohannes* 1 *Epist.*5,20. Filium ἀληθινὸν θεὸν affirmat: quod etiam aperte arguitur, cum vita æterna perinde in sui cognitione, ut in Patris, consistit. Præterea cum Filius sit ejusdem essentiæ cum Patre, & sit in Patre, quod Patri tanquam peculiare accommodatur, de Filio qui est in Patre non negatur: quod idem de Spiritu Sancto intelligimus.

Et Filii ut Messiæ. Alterum subjectum est, Iesus, quem cognoscere debemus ab illo missum Christum & Messiam, sine quo fieri nequit ut Patrem cognoscamus. *Matth.*11, 27. *Iohan.* 14,6. *via, veritas, & vita*; vide alibi.

Vers 4. *Deus glorificat se glorificantes,* Ab adjuncta glorificatione Patris confirmat fidem suam de se glorificando: glorificantes enim me ego glorificabo, 1 *Sam.* 2,30. *Proverb.*4,8. Christum honoravit, cum jam nihil fecerat homo in Patris gloriam, quod ejus humanitatem divinæ personæ univit eamque unicam cum filio hypostasin constituit. Quomodo ergo dubitet se jam à Patre glorificandum, postquam in Patris gloriam tanta patrasset? Sic Deus nos tum honoravit, cum illum spernebamus, quod ex eadem cum reliquis massa & corruptione nos, præteritis aliis, ad communionem Euangelii vocavit: quanto igitur magis glorificabit, postquam nostram, ad gloriam sibi comparandam, operam hic adhibuerit?

In terris: *In terra.*] Amplificat suum in glorificando studium à subjecto loci. Nam Deum quidem honorabimus in cœlis, sed sine ulla lucta, sine difficultate, sine periculo, sine vel famæ vel vitæ jactura, atque adeo illud cum omnium applausu & congratulatione faciemus. Sed isthic cum periculis & molestiis id agimus. Hinc est *Matth.*10,32. quicunque me confitebitur seu glorificabit in adultera hac generatione. Vide *Apocal.*2,13. ubi à subjecto loci & adjuncto temporis amplificat Pergameni pastoris fidem & constantiam. Milites enim qui in ruptura constiterunt & loco periculis plenissimo depugnarunt, majori fiducia præmium postulant. Servi Davidis, qui aquam Bethlemiticam ab hoste occupatam attulerant, tanto magis gloriam apud eum promerebantur. Omnes equidem Deum in cœlis glorificare cupimus, impense in terris etiam (credo) modo sine voluptatum & commodorum dispendio fiat. Sed nemo Deum glorificabit in cœlis aut à Deo glorificabitur, nisi hoc prius in terris præstiterit. Atque hoc nos absterret, quod videmus omnia ita luxata esse, quod tot obstacula nobis objecta esse prospiciamus. Atque hoc ipsum nos animare debet ut omnia obstacula perrumpamus. Quod hoc modo nobis major fiducia accedit impetrandi à Deo gloriam & quietem, quibuscum labor & ignominia hæc indigna sunt ut vel nominentur tantum.

Quod est, injunctum sibi opus perficientes. Τὸ ἔργον ἐτελείωσα, &c.] Explicat quid sit Deum glorificare, nempe opus sibi à Deo demandatum penitus exhaurire. Omnes homines, quam maxime impii, atque adeo dæmonum princeps Deum in omnibus vel nequissimis conatibus glorificabunt. *Psal.*76, 11,12. *Rom.*3. *vers.*5,7. & *cap.*9,17. in Pharaone. Sed interim tamen mandatis Dei non sunt obsequentes. Vt vero fidem nostram firmemus in precibus, oportet nos Deo in his quæ imperat obsequi. Sicut enim princeps in subjugandis & coërcendis refractariis & rebellibus ob sapientiam & potentiam magis celebratur: Et ut Medici peritia tanto augustior evadit, quo morbus pertinacior & magis deploratus existit. Nec tamen idcirco quis aut rebelles excusat & pœna eximit, aut morbum dilaudat, aut eum minus aversatur. Ita nec ideo improbi impiique vel homines, vel dæmones aut magis sunt excusandi, aut minus pœna digni, quia Deus suam in illis subjugandis & profligandis gloriam & potentiam exerit. Huc accedit quod dicit etiam ἐτελείωσα, ubi prius dixerat horam advenisse: ut & nos sciamus non satis esse si bene inceperimus, nisi & ad ceptorum consummationem constanter perseveremus.

Vers.5. *Gloria quam Deus largitur mensuræ afflictionum respondet.* Παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ.] Notat gloriam quam petit summam & singularem, nempe eam quæ est Dei; ne discipuli animis caderent, quod illum tam contumeliose affectum visuri essent, quandoquidem tanta & tam infinita gloria hoc pacto onerandus esset. Quod quidem usque eo nos consolari debet, quod pro mensura afflictionum & ignominiæ, qua hic oppressi & cooperti sumus, gloria nobis in cœlis reposita est. Vide 2 *Cor.* 4,17. ut quæ etiam in terris hic eadem mensura inchoatur. 2 *Cor.* 1,5. Apud homines plus eorum gratia patiamur, quam quod isti compensare possint: sed utcunque amplientur sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum afflictiones Dei causa, illas omnes Deus infinitis partibus gloria & honore superabit.

Sed

Quo pacto Christus glorificari petat.

Sed *quærat* hic aliquis, quomodo petat Christus, ea gloria, &c. quandoquidem illa cum essentialis sit, nunquam illi decedere potuit. *Respondeo* eum petere, ut quæ jam delituit sub carnis infirmitate (unde & se exinanivisse dicitur.*Phil.*2,7.) omnibus manifesta sit. Quamobrem nihil hic habent Lutherani, quod suo errori prætexant, quo Christi corpus & humanitatem divinis proprietatibus omnipræsentiæ,&c.induunt,Deitatem hoc pacto suo & proprio privantes. Simul etiam necessario petit ut sua humanitas tanta gloria perfundatur,quantæ ipsa pro modulo creaturæ capax sit.Cæteroquin non potuit fieri,ut Deus in sæcula beatus & gloriosus appareat, nisi quæ in humanitate infirma erant absolverentur gloriosa immortalitate. Et quidem quoad humanitatem,tametsi Deo non æquatur,tamen omnes creaturas in cœlo & terra incomparabiliter superat. Denique petitur ut Christus homo ab omnibus ut Deus agnoscatur, & ab Angelis & ab hominibus ut Deus adoretur.

Hactenus fuit Precatio Christi pro se: *Sequitur altera* pro Ecclesia.

Quæ *duplex* est, pro {
- Apostolis.
- Omnibus qui per eorum prædicationem credituri sunt.

Vers.6. Christus primo pro ministris orat.

Nota, quod primum & majorem in modum precando laborat de bono Ministrorum. Hæc omnia, *primo* quod Dei voluntas illis revelata sit. *Secundo* quod electi sunt. *Tertio* quod Christo traditi sunt. *Quarto* quod fide receperunt doctrinam, totidem sunt rationes quibus discipulorum salutem Patri commendat, & ad hunc scopum præcipue referri debent; adeo ut quod de Christi erga illos officio hic dictum est, secundaria quadam ratione dicatur, ad prius illud referatur.

Ministrorum officium.

Ἐφανέρωσά σου, *&c.*] Quod autem in genere dixit de mandatis Dei capessendis,nunc specialius exponit. Vbi etiam *notandum* est, quid à Ministris requiratur, ut suum Deo obsequium probent; nempe ut doceant. Nam ut honeste & inculpate vivant, ut hospitales sint, &c. tamen nisi suos in veritate informent, officio suo plane non satisfaciunt. Vide *Act.*20,27,28. *Iohan.*15,15.Quis enim hominum ferat eum, quem conduxit ut in vinea operetur, si in agro fodiat, aut si cum in pugna & acie eum collocet, ad impedimentorum custodiam diffugiat.

Sparta sua cuique ornanda.

Deinde & illud *observandum*, illam spartam colendam, quam Deus nobis ornandam dedit. Neque enim nos excusabit si doceamus, nisi eos docuerimus quos Deus nostræ fidei commisit. 1 *Pet.*5,1,2. Vnde miles si stationem suam deserat, ut alibi pugnet; reus habebitur.

Soli & omnes electi servantur.

Σοὶ ἦσαν.] Electione scilicet ante jacta mundi fundamenta; Christi vero sunt vocatione Dei efficaci; vide *Iohan.*6,37. Patris erant Dei solum notitia, Christo vero traditi sunt etiam, non tantum Dei, sed & sua & propria notitia. Ex quo illud *liquet*; Neminem servari præter electos; prius enim oportet Patris esse, quam Christo tradantur. Sic *Act.*13,48. *crediderunt quotquot ad vitam destinati erant. Matth.* 15,13. dicuntur plantati à Patre, totumque illud quod à Patre non est consitum perire. Perinde igitur est ut in Agricolis, qui hortum instruentes plantaria quædam habent, unde quod commodum est in hortum traducunt.Prius enim fideles in Dei electione tanquam in plantariis tecti asservantur; post vero ad Ecclesiam tanquam in hortum vocatione transferuntur. Hinc *liquet* nostram salutem ex Dei Electione, non autem ex nostris operibus suspensam esse. *Deinde* etiam omnes qui Patris sunt Electione, ad Christum veniunt vocatione. *Iohan.*6,37. ut certum sit, Dei non esse, qui ad Christum non veniunt; adversus eos, qui dicunt quemque sua religione servari.

Christus non tantum aures sed animos doctrina sua ferit.

Καὶ τὸν λόγον σου, *&c.*] Nec enim alioqui opus suum perfecisset, cujus fuit non tantum suos in veritatis notitia informare, sed porro efficere ut doctrina eorum animis insideat. Sicut enim dicitur *Matth.*3. Iohannes Baptizare aqua, cum Christus baptizet Spiritu: Sic Ministri omnes aures quidem exteriore sono pulsant, sed Christus non tantum exterius eas voce feriebat, sed porro intus docuit. Atque hoc adjuncto docet eos Christo à Patre traditos esse.

Quod aliquatenus Ministris & patribusfamilias præstandum.

Hoc etiam aliquousque à Ministris verbi præstandum est, qui tametsi corda penetrare nequeunt,neq; aures animi pulsare: tamen connitendum illis est & instandum tempestive & intempestive, ut quam plurimi salutem consequantur, eoque precibus incumbendum, & insistendum privatis admonitionibus & adhortationibus & vitæ exemplo cum in se, tum in tota familia.Nec vero hoc Ministris duntaxat faciendum, sed & patribusfamilias. Vnde laudi datur *Iobo* 1, 4,5. quod liberi ejus inter se concordes divino

Fffff cul-

cultui sæpius ad Dei iram avertendam vacaverint: item Centurioni *Act.*10,2. quod Deum timuit cum tota familia. Non igitur satis fuerit ut se probent gloriæ Dei studiosos esse, quo gloriæ consequendæ certiores sint, si tantum eos instituant qui fidei eorum committuntur, nisi omnia adminicula persequantur, quibus eorum pietas promoveatur, & ut de eis dicatur, quod de suis Christus profitetur. Ut enim in bello dux peritissimus sit, tamen nisi milites ad militaris scientiæ peritiam formet, ejus peritia cassa & inanis est.

Christus non sui causa Advocatus noster?

Deinde observetur Christum non sui causa nostrum Advocatum esse, qui nostram causam tam sollicite agit & nos sermonē Patris servasse confirmat, quem sæpissime violaverimus; ut quemadmodum Satanas accusator fratrum est, sic Christus eos excusare satagit. Sic Dominus de Iobo, quod justus esset. *Iob.*1,6. item Iacobus, *audivistis patientiam Iobi. Iacob.*5,11. Sed hæc magis propria sunt illius partis orationis Christi, ubi pro Apostolis orat, dicitque se in illis glorificari, cum tamen multa & fecerant & dixerant, quæ a Christi gloria aliena erant.

Vers.7,8. *Glorificatur Pater, dum doctrina ejus proponitur.*

Νῦν ἔγνωκαν.] Probat ab adjuncta doctrina, quam proposuit suis, se Patrē glorificasse. Nempe quod nullam docuit nisi a Patre acceptam. Hoc confirmat *Ioh.*7,18. *Act.*20,30 Cum igitur Christus non aliter se probet Patrem in ministerio glorificasse, nisi quod verba à Patre accepta docuerit, nedum nos. Tametsi enim non omnes, qui Dei verbum loquuntur, ilico Deum glorificent; tamen nemo Deum glorificat, qui non à Deo accepta proponit. Eum enim glorificant, cujus doctrinam proponunt, ut qui Aristotelis doctrinam, &c. qui Augustini, &c. Si qui præ se ferant principis honorem provehere, qui interim aut proprias, aut aliorum leges in Rempublicam inferre velint, hi plane Regis gloriam & decus non provehunt. *Hinc liquet* apud *Pontifitios* non esse qui Deum honore afficiat. Quod vero de doctoribus dicitur, non posse illos Deum glorificare nisi accepta doceant, idem de discipulis vere affirmatur, illos non posse Deum glorificare nisi eadem custodiant. *Denique* obstaculum est in doctrina vitæ moribus exprimenda, quod spreta Dei gloria, eam ab hominibus expetamus.

Opus nobis injunctum absolvendum antequam mercede fruamur.

Καὶ αὐτοὶ ἔλαβον καὶ ἔγνωσαν.] Probat porro ab adjuncto Apostolorum profectu, se usque eo Deum glorificasse, ut jam tempus sit se à Patre glorificari; quod erat quiddam in sua petitione propositum, ut non tantum se filium glorificaret, sed protinus hoc faceret: quandoquidem non tantum doctrinam edocti essent, sed etiam illam amplexati essent; nec qualemcumque Dei notitiam hausissent, sed vere & solide eam perceptam & exploratam haberent, ut qui crediderant ipsum à Patre egressum, ab eoque missum esse; ita ut jam ad alios instituendos in vera doctrina apti & idonei futuri essent. Perinde ac si pro pueris alicui in disciplinam traditis præceptor mercedem laboris tum exigeret, cum plene omnibus numeris pueros instructos dedisset. Sic 2 *Tim.*4,6,7,8. Contra Elias & Ionas. Nec enim satis est in omni opere bono & imperato nos exercuisse, nisi opus nobis demandatum perficiamus & ut tanquam meta segetum post omnes soles & pluvias in Domini granaria deportemur. Sicut igitur precari debemus, *veni, Domine Iesu, &c.* ita etiam opus & pensum nostrum ut exsolvamus accelerandum est. ***Veni in terram ut immittam ignem, atque quanto desiderio teneor ut accendatur?*** *Luc.*12,49. Nec tantum fervebat amore ea agendi, quæ agenda erant, sed eodem studio elatus est illa patiendi, quæ perferenda erant. *Luc.*12,50. & 22,15. Quandoquidē non alium in finem se glorificari Christus petit, quam ut sic serventur hi, qui sunt ad vitam destinati; eoque pluribus argumentis de hac re apud Patrem suum agit, ut non tam seipsum, quam nostram fidem de salute nobis ab ipso parta confirmet. *Summa* vero doctrinæ est me abs te missum esse, ut cognoscant quem misisti, &c.

Vers.9. *Consolatio nobis eximia quod Christus pro nobis oret.*

Christus primum suum amorem erga nos probat, quod pro nobis oret: quem amplificat à disparatis, quod scilicet pro mundo seu mundanis hominibus non oret. Singulare fidei nostræ fulcimen est, quod sciamus nos precibus Christi comprehendi, maxime post resurrectionem & sessionem ad dextram Patris. Non dubium est quin Apostoli audita Christi pro se oratione plurimum exhilarati sint: nedum nos cum jam ejus intercessio continua sit, nullis edendi, dormiendi, prædicandi intermissionibus interpolata. Vide insignem locum *Roman.* 8,34. Cum quis sciat se habere in aula amicum cui ad Principem aditus nunquam interclusus est, & cui Princeps nihil negare potest, cujus faciem repellere & repudiare non facile possit, plurimum in eo acquiescit adversus omnes accusa-

cusationes, quæ adversus illum institui possent. Nobiscum vero longe melius agitur; nam in terris nemo alteri tam charus est, ut illi & ejus charitati omnia postulata concedere velit. Salomon enim matri quam unice diligebat, petitionem pro Adonia denegat. 1 *Reg*.2,22. Sed Christo Pater nihil negare potest. *Ioh* 11,41,42.

Præcipue Ministris.

Deinde singulare solamen Ministris est, quod sciant se à Christo supra cæteros commendari precibus & intercessione Christi. Hinc Paulus ad Timotheum 1 *Tim*.1,2. scribens, gratiam, misericordiam & pacem apprecatur: cum gratiam tantum & pacem cæteris exoptat: eo declarans quomodo pro Ministris intendendæ preces sunt. Vide Historiam 2 *Sam*.18,3. de Israëlitis, qui plus solliciti sunt de uno Davide, quam de reliqua dimidia sui parte. Percusso pastore oves dissipantur. Hoc ergo Ministros valde exhilaret, qui tametsi ab hominibus maledicantur, à Christo tamen benedicuntur: & ut appetantur à mundo, tamen Christum auxiliarem habent.

Mundi conatus frustranei.

Deinde illud etiam nos consoletur, tametsi mundus multos habet, qui illi auxiliarem manum præbent, cum Christum non habent, eoque nec Deum, fieri non posse quin corruant. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom*.8,31. ut contra si Deus adversus hostes nostros sit, quis ab illis stabit? aut quid profuerit, si omnes illis opem ferant? Huc accedit quod hoc loco λιτότης est. Nam cum dicit se pro mundo non precari, subindicat se etiam in illos omnia dira imprecari.

Atqui (inquit aliquis) omnes homines atque adeo creaturæ sunt Dei Patris. Vide *Matth*.11,25. *Deut*.10,14,25. sed sunt Dei creatione tantum, non dilectione, electione, redemptione.

Cur Christus pro fidelibus orans exaudiatur.

Vt autem fidem suam confirmet se pro illis exauditum iri, argumentum affert à subjecto, quod Patris sunt, eoque non posse eum ipsius petitiones repudiare, aut illum ἀθετεῖν, quandoquidem pro his roget qui Patris sunt. Quis enim pius parens obsistat amici petitioni pro his roganti, quos ipse charissimos habet? Hoc artificio usus est Ioabus, cum pro Absolone se apud Davidem interposuit, quem Ioabus sciebat à Davide vehementer diligi. Hæc etiam regula est, ad quam preces nostras exigamus, & qua preces pro fidelibus fundentes confirmemur, illas non esse irritas.

Quatenus pro impiis orandum.

Vbi tamen *quæri* potest an non liceat nobis pro impiis orare. *Resp*. licet quidem pro mundo orare ut eousque hujus vitæ beneficia percipiant, quoad piorum cœtus & humana societas conservetur, sine qua ne Ecclesiæ quidem consistant. Sic enim olim Ecclesia oravit pro tyrannis, qui non erant vitæ æternæ participes, sed exules a Repub. Dei & Christi. *Esra*.6,10. etiam his, qui ad Ecclesiæ societatem non erant vel provocandi.

Vers.10. Fideles Christi & Patris commune peculium.

Probat eos Patris esse, quod quæ Christi sunt, omnia Patris sunt. In quo dissimilem rationem Patris donationis atque aliorum esse probat. Nam alii quæ donarunt non habent, eoque ejus non amplius curam agunt, aut certe non perinde solliciti sunt. Sed quæ Pater Filio dedit, ea ipse adhuc ut sua possidet & ut sua curat. Quod etiam alio argumento parium ostenditur, quia quicquid est Patris, itidem Filii est. Christo enim tanquam pastori à Patre traditi sunt, non tamen ut pastori mercenario, sed ut justo eorum possessori, quos suo pretioso sanguine redemit. Quod si Labani oves Iacobus tam sollicite custodivit quæ ejus non erant, nedum Christus suas. Si ille injusti soceri, nedum Christus germani Patris: si ille homo tantum, nedum Christus Deus pariter & homo. Quod quidem cum non sit respectu mediationis, qua ratione hi tantum Christi esse dicuntur, qui fide in Deum & Spiritus sanctificatione Christo custodiendi traduntur; necesse est ut divinæ naturæ ratione fiat. Hoc igitur firmissimũ est divinitatis Christi argumentum, quod quæ Patris sunt Christi sunt; & contra: nihil ut sit in Patre quod non sit in filio. *Ioh* 10,30,33. Hæc debent efficere ut in unica Christi pro nobis intercessione acquiescamus.

Cur Christus pro fidelibus oret.

Quod si quis *quærat* cur igitur Filius pro nobis apud Patrem interpellet, cum tam simus Patri chari ut nos sponte sua complectatur. *Resp*. id ideo fieri, non quod Deus opus habeat ut seu oblivione, seu charitatis non satis magna copia Deus à Christo appellandus sit, sed ut nostræ imbecillitati hoc pacto consulatur, ut hoc loco mæstos Apostolos hoc pacto refecit: multitudine enim & magnitudine peccatorum nostrorum Deum alias nobis propitium non comprehenderemus, nisi, &c. Tametsi enim regi irato reconciliatum me mihi in animum inducerem; tamen si ipse cujus merito & gratia reconciliatus sum ab aula Principis abesset, dubium mihi hoc foret: vel si præsens taceret, nec animum reconciliatum regis aucupari adhuc conaretur, &c.

Magnum

Δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς.] Dum in me crediderint:

precum nostrarum fulcimen, Christi in nobis glorificatio. derint: magis adhuc, cum relictis omnibus, patre, matre, me sequuti sint; dum aliis à meo obsequio deficientibus ipsi perstiterint. *Ioh.6,67,68,69.* quare tu illos arcte complectere, cũ me glorificantes, te qui unus tecum sum, eadem opera glorificaverint. Est igitur singulare precum nostrarum fulcimentum, si ita nos comparemus & vitam instituamus, ut Christo liceat hoc apud Patrem suum vere proferre, *glorificor in his.* Quantoque magis in ea re laboraverimus, & nostra in Christo glorificando opera & studium illustrius fuerit; tanto non tantum preces nostræ, sed aliorum etiam pro nobis supplicationes certiore fide nitentur, non ullo operum merito, sed fide & veritate promissionis. Vide *Hebr.* 13,18. David Ioabum pro filio Absolone, qui ipsum omni ignominia affecerat, & porro afficere studebat, intercedentem audivit, nedum, &c. pater prodigum filium, qui bona sua abliguriverat, sponte se sine sequestri offerente, &c. *Luc.*15. nedum, &c.

Vers.11, 12. *Christus fideles Patri commendat* I. *ab absentia sua.* Ab adjuncta suæ præsentiæ destitutione petit ut Pater Apostolorum curam gerat, & illis adsit Spiritu suo, tanto sollicitius, quo ipse discessurus erat. Atque hæc petitio respondet doctrinæ *ca.*14,16,17,18. Sicut enim prius docuerat nihil illis decessurum suo abitu, quo porro confirmandi erant: Sic hoc loco illud petitionis suæ fulcimentum subjicit, ut intelligant hoc ipso eorum petitiones, quibus opem Dei efflagitant, plenius perficiendas esse, quod Christus discessurus esset. Vere ut prius dixisse comprobetur, *expedit vobis ut ego abeam.* Sic Pater vita excessurus suos liberos tanto vehementius amicorum & matris patrocinio & curæ commendat, quo ipse suis amplius consulere absens nequeat. Vt David Salomonem, &c. 1 *Paral.*28. *Ex quo* illud *elicitur*, neminem nullius in hac vita subsidii orbitate infeliciorem reddi, dummodo Deo tanto propius accedat, quanto sua, quibus usus est vitæ præsidia longius recesserunt, sed plenam compensationem ejus subsidii in Deo habere; dummodo nullo suo vitio, sed Dei duntaxat providentia auferantur. Hinc est quod David Dei fidem appellat, quod à parentibus destitutus esset. Vnde etiam Deus se viduarum, pupillorum, peregrinorum Deum appellat. Quod si carnalis Christi præsentia Spiritus surrogatione & subministratione compensari queat, nedum alia hujus vitæ sustentacula. Deinde si parentum nostrorum & amicorum discessus nobis fraudi non sit futurus propter Spiritus Sancti vicariam operam & alia adminicula, quæ nobis Deus submittit, cum tamen ipsi defuncti nobis post non poterunt subvenire, quanto minus damnum patiemur ex Christi discessu, qui è cœlis & in cœlis nobis opem submittet: unde prius dixerat, *& iterum ad vos venio,* auxilio scilicet divino.

Hic etiam *notetur* Christum affirmare se ideo non amplius nobis adesse, quod ad Patrem abierit, ita ut non possit nobis quoad humanitatem opitulari. Quo aperte refelluntur *Pontificii* & alii, qui dicunt illum adesse, quamvis non adsit visibili ratione. Nam ut non conspiciatur, tamen posset nobis secundum humanitatem opitulari, siquidem præsens esset, sicut Angeli nobis opitulantur, & eripiunt, atque hostes impositis plagis sternunt, tametsi nec à nobis nec ab hostibus nostris cernantur. Promtumque erat adversus hanc Christi petitionem excipere; Nihil est cur tua absentia, mea, qui Pater sum, cura & sollicitudo plenius exeratur; quandoquidẽ tametsi oculis illa non cernatur, tamen potest illis in terris existens subvenire. *Pontificiorum ex hoc loco refutatio.*

Alterum argumentum est à subjecto loco, in quo relinquendi essent, mundo scilicet; in medio scilicet generationis tortuosæ & perversæ. *Phil.*2,15. 1 *Ioh.*5,19. tanquam in deserto & horrido loco serpentibus, draconibus & aliis feris silvestribus referto: tanquam in mari fremebundo & fluctibus agitato. Nam & intus non desunt carnis stimuli, qui eos ad mala sollicitabunt; & extra etiam in promptu erunt tentationes omnis generis, cum irritamenta tum terriculamenta, quibus à salute adducantur. Sicut igitur per deserta olim iter facientes eximiis & inusitatis præsidiis nubis interdiu, & columnæ ignis noctu muniti sunt: sic, &c. Sic his qui in prima acie dimicant & tormentorum vi cum primis subjiciuntur, aut muros quam proxime accedunt arma præberi solent lectissima, &c. quod locus ipse periculi plenus. II. *A mundi periculis.*

Quo *docemur* omnes quotquot in mundo sumus, quantacumque virtute aut scientia præstemus, opus habere ut Dei auxilium impensius imploremus, cum tamen homines tanquam essent in portu, in paradiso, in patrio solo, pietatis studium remittant.

Πάτερ ἅγιε.] *Tertium argumentum* ducit à comparatis, *Primum* quidem parium: Ego præsens cum illis servavi illos, nullus ut pereat præter filium perditionis; quamobrem & tu, Pater, me absente eos serva. Et ite- III. *Ab officio suo fideliter præstito.*

iterum à comparatis parium; Ego eos servavi quos tu mihi tradidisti, ergo tu illos serva quos ego tuæ fidei commendo. *Tertio* a comparato minoris; Ego illos servavi nomine tuo, nedum tu illos servabis nomine proprio. Quod si quis *excipiat* hoc nihil nostra interesse, quos Christus hic præsens in terris nunquam servavit. *Resp.* Non novum videri si quædam sunt Apostolorum propria, quandoquidem peculiari quodam & proprio dolore laborabant; eoque peculiarem orationem pro illis concipit & à reliquis fidelibus separatam. Verum enimvero hoc etiam ad nos spectat. Si enim à nostris discessuri Dei vocatione, sive è vita migrantes, sive alio commigrantes, vere coram Deo proferre possimus, nos eos, qui fidei nostræ commissi sunt, sive familiam, sive gregem, sive plebem fideliter & studiose servasse & rexisse; non dubium est quin hoc modo fiduciam nostram vehementer augebimus, Deum itidem eosdem in suas manus precibus refusos, quos ipse nobis custodiendos tradidit, paterne recturum. Contra vero si familiam, liberos, gregem, plebem oscitanter curaverimus, quos apud nos deposuit Deus, aliquid nostræ istinc fiduciæ decedere necessum est. Sic Paulus tanto liberius & vehementius Ephesini Presbyterii inspectionem diligentem & excubias efflagitavit, quoad illius Ecclesiæ singularem in omnibus curam gessisset. Hoc tantum interest quod ab hominibus hoc eorum debito officio, à Deo vero gratuita promissione hanc mutuam exspectamus operam.

IV. *A sanctitate Patris.* Ἅγιε.] *Quartum argumentū* est ab adjuncta Patris sanctitate. Petit ut illos servet. Sic *Ps.* 22,4. quasi diceret, tuæ sanctitatis interest ut hoc præstes ni velis à tua sanctitate, id est, à teipso deficere. Nec enim fidus futurus sis, aut tibi ipsi constans, nisi hoc feceris. Qui igitur dicunt eos, qui Deo crediderunt & Christo donati sunt, posse à fide & à salute excidere, hi non tam homines, quam Deum perfidiæ & levitatis & impietatis arguunt.

Hujus commendationis finis. Ἵνα.] Docet quorsum Dei auxilium imploret & ipsius opem in servandis Apostolis, *ut* scilicet *unum sint.* Vbi *quæritur*, quæ tandem hæc unitas est, an ut sint unum inter se, aut cum Christo, aut cum Deo, aut potius cum omnibus? Omnino cum omnibus. Nam ista petitio deducta videtur ex *cap.* 15,4,5,9,10,12. Cum enim hæc Christi oratio fructum passionis respiciat, qui est, ut Deo per Christum uniti inter nos in unum coalescamus, *Ephes.* 2,15. & *Ephes.* 4,3,4,5,6. Certum est illam hic unitatem a Deo flagitari, quæ est parta hominibus pretioso Christi sanguine; Cumque perfecta expetatur, quæ non est, nisi cum Deo per Christum uniti, inter nosmet uniti simus, videtur prorsus non alia, quam hæc intelligenda. Quod si quis *excipiat* Apostolos jam tum unum cum Christo & Deo & inter se fuisse, eoque irritam fuisse illam petitionem: *Resp.* Verum quidem est illam unitatem inchoatam esse, sed virtute insequentis passionis, &c. & inchoatam notitia, sanctitate, lætitia spirituali, &c. Sed procul abfuisse à perfectione: & propterea precari ut unum fiant, quemadmodum Pater & Filius unum sunt.

Vbi difficilis *quæstio* nascitur; Quomodo nos unum vel cum Christo, vel cum Deo esse possimus ut Christus cum Patre. Hinc enim *Arriani* conantur Filium sua divinitate spoliare, quod dicant unitatem filii esse voluntatis tantam concordiam & conformitatem judicii, quandoquidem cum Christo non aliter uniti simus aut inter nos coalescamus. Sed *Respondeo:* falsum est, nos hoc duntaxat modo conformitate unos esse cum Christo. Sumus enim os ex ossibus ejus, & caro ex carne ejus, ut ex Adamo Eva, *Eph.* 5,30. & qui adhæret Christo, unum Spiritu cum Christo est, 1 *Cor* 6,17. Hinc est quod tota Ecclesia cum Christo unum duntaxat hominem & Christum constituat, 1 *Cor.* 12,12. *Ephes.* 2,15. ut mutua συμπαθείᾳ tangatur Christus: ut membra nostra, quæ una anima vivunt, non magis una comprobentur quam nos cum Christo uni comperimur, quod eodem Spiritu, quo ille, vitam cælestem agamus. Deinde *notandum* est καθὼς non semper paritatem significare, sed plerumque indicare exemplar, ad quod alia contendere debent: ut *estote misericordes sicut Pater vester, &c.* *Luc.* 6,36. *Sancti estote sicut ego sanctus sum,* 1 *Pet.* 1,16, *&c.* Hoc loco etiam unitatis genus indicatur, cum non secus nos unum esse Christus rogat, quàm ipse & Pater sunt unum. Vnde Hierosolymitani dissipati dicuntur, qui summo consensu Christum appetebant; eamque unitatem, quæ est extra veritatem, Christus ut diffindat venit.

Quomodo Fideles inter se & cum Christo unum.

In certis quibusdam ad æternam mortem destinandis firmitas consilii divini mirifice apparet in exemplo Iudæ. Cum enim Iudas filius perditionis fuisset, id est, ad

Prædestinationis firmitas.

 mortem

mortem tanquam ad hæreditatem suam ante jacta mundi fundamenta designatus: Vide quam nulla, quantumvis salutis æternæ eximia præsidia & adminicula, hominem ita ad mortem sepositum ex morte eximere aut eruere possint. Iudas enim tametsi ex semine Abrahami, tametsi ad singularem veritatis notitiam adductus, in Apostolatu constitutus, sub Christi inspectione & ferula assidue versatus, qui nullum aut pii patrisfamilias, aut fidelis Ministri & institutoris officium prætermiserat, quo ad salutem perduceretur, perit tamen. Quod vehementer pios Pastores confirmet, qui fidelem in instituendis suis operam ponentes in quosdam perditos filios incidunt, qui Euangelii doctrina deteriores & obstinatiores fiunt. Contra etiam videmus electionem Dei adversus omnia obstacula prævalere, quantacumque sint. Tametsi enim perditis parentibus ortus sit, atque adeo non ex justo matrimonio, tametsi sub Patris impii & improbi rectione & educatione vixerit, perdito præceptori in disciplinam traditus, Ministro aut hæretico, aut muto sub ministerio agat, ad salutem tamen pertingit electus. Non quod ista omnia tanquam inferos & diabolum ipsum fugere non debeamus, & contraria his persequi, aut quod hi, qui hominem subduxerunt aut perdere conati sunt, minore aut in peccato, aut ex peccato damnatione versentur, aut quod hoc non rarissime eveniat, quandoquidem quos fere Christus elegit his media & adminicula & præsidia destinavit accommoda, quibus vitam assequantur: ut contra reprobos his sæpe viis & rationibus privat, quibus tanquam equis & velis ad vitam pervenitur; sed, &c.

Citatione Scripturæ Christus offendiculum cavet.

Ἵνα ἡ γραφή.] Hoc adjunxit Christus ad declinandam offensionem, quæ de Christi imbecillitate suspicionem moveret, ac si Christus eum servare non posset; quem in Apostolum ipse delegerat. Quandoquidem enim ad ministerium deligendi non sunt, qui fideles non sint, subire mentes omnium potuit Christum aut non satis caute, aut non satis pie Iudam Apostolum designasse, incaute quidem, si eum perditum esse non noverat; non satis pie, si illum pro perdito habens, tamen ad tanti ministerii culmen provexit. Huic igitur respondet, hoc nulla Christi imbecillitate factum, sed tantum ut Scriptura impleretur, &c. Sic Christus *Iohan.* 13, 18. ad quem locum respexisse hic videtur. Sic etiam Petrus huic offensioni occurrit. *Actorum primo, vers.* 16. Deinde piorum animos concutere poterat, quod Iudas usque eo dignitatis in Ecclesia & notitia veritatis provectus, ut videretur quodammodo cœlum digito attigisse, tamen ad imum barathrum detrusus sit. Quid enim (inquit aliquis) nobis fiet, qui nunquam ad tantum cœlestis largitionis apicem pervenimus? &c. His item occurrit Christus. Vide 2 *Tim.* 2, 19. Ex quo illud *liquet*, non aliunde nasci, quod homines sæpe ad aliorum casum impingant, nisi quod Scripturas ignorent. Tametsi enim Scriptura de aliis Apostatis nihil præcise & singillatim testatum reliquit, tamen nos de hac re satis præmonuit, ut nonnisi nostro magno in hac re peccato peccetur.

Vers. 13. Extremum Christi erga Apostolos officium.

Colophonem jam imponere se dicit Ministerio suo in illis servandis hac oratione, quam in eum finem instituit, ut hac intercessione gaudium suum spirituale expletum & cumulatum habeant. Estque argumentum a distributione integri in sua membra. Cum enim cætera omnia officia, ad illos servandos obiverim, superest hoc unum, ut etiam precibus commendem tibi Apostolos, sicut pollicitus sum me à te petiturum ut gaudium eorum plenum sit. Hic igitur respicit ad *vers.* 24. *cap.* 16. Aliumque finem notat, quo Christi officium, ministerium Ecclesiæ, preces nostræ referri debent, nempe ut Christi gaudium in nobis inchoatum expleatur.

Ex quo magnum gaudium.

Tametsi simul indicet se non ideo Patrem de his appellare, quod ipse sponte sua hoc non sit facturus minime rogatus; sed tantum ut majorem hanc consolationem Apostoli conciperent. Omninoque videtur ad illam concionis partem alludere, qua dixit, *non dico me Patrem pro vobis rogaturum: ipse enim Pater vos diligit. c.* 16. *vers.* 26, 27. Confer etiam hunc locum cum *Iohan.* 11, 41, 42. Atque extra controversiam magno gaudio perfusos fuisse Apostolos constat, qui Deum ipsum hæc de se apud Patrem prædicantem audiverunt. Nec minor consolatio nos manet, qui hoc Euangelistæ scripto scimus nos Deo commendatos esse.

Vers. 14. V. commendat Apostolos Patri à mundi odio.

Aliud argumentum ad adjuncto mundi in Apostolos odio: ob eam causam Patri commendatissimi sint, quod mũdus eos odio prosequatur, idque quod sermonem ipsius Patris receperint. *Iohan.* 15, 19. singularis consolationis loco esse ostensum est, quod

mundus

mundus eos odio habeat, ut certius cognoscant se Dei esse. Nunc vero Christus ex illa doctrina petitionis suæ fundamenta ponens, novam consolationem affert, certe quidem priorem confirmat.

Quo plures nobis hostes, eo certiores Dei pro nobis excubiæ.

Ex qua illud elicitur, tanto magis Dei erga nos providentiam excubias agere & præsidia sua & præsidiarios milites ἀγγελοὺς speculatores nobis custodiendis attribuere, quanto magis pietatis & Euangelii causa mundo exosi simus; & simul etiam tanto ardentius Christum pro nobis precari Deum, ut olim Iacob pro Dan. *Gen.*49,18. *In salutem tuam exspecto.* Sic Propheta *Psa.*3. & 22. ex multitudine & magnitudine & acerbitate hostium suorum de Dei subsidio sibi tanto certius pollicetur. Homines eo plurimum opis submittunt, ubi intelligunt pugnam acerrimam & calidissimam, adeo ut non dubitent sese consuetis præsidiis & stipatoribus destituere ut suis magis laborantibus subveniant. Ne dubitemus igitur invidiam & odium mundi conflare & cum mundo inimicitias exercere, & mundi odium vel maximum benefaciendo accersere: quia quo majus mundi in nos odium sentimus, eo arctiorem Dei erga nos charitatem esse statuamus. Neque vereamur mundi aut potentiam aut fraudem in nos instructam, quia hominum copiis Deus opponit cœlestia præsidia, singulis eorum tendiculis & laqueis Deus singulos cultros, &c. Neque magis periclitamur uno hoste, quam mille; siquidem veritatis ergo hostes sint. Hujus rei exemplum vide in Paulo, Davide, maxime Christo, qui hic exemplo proponitur, ut intelligant discipuli se Deo commendatos eadem ratione, qua ipse charus est, nempe quod mundi invidiam sustineant.

Et mundo nos amante minor nostra in precibus fiducia.

Hinc intelligitur nostram in precando fiduciam labefactari cum mundus nos amat, de nobis bene sentit & loquitur: supplicanti enim si objici possit se ab ejus hoste plurimum fieri, apud quem petitio instituitur, tum minus efficacem verisimile est futuram ipsius petitionem. Vnde Christus, væ dicit his quibus a mundo acclamatur & applauditur *Luc*æ 6,26. & *Iacob.*4,4. *an nescitis amicitiam mundi inimicitiam Dei esse.* Hostis sæpe hoc artificio utitur, ut hostem suum apud suos in invidiam vocet, ut illum aliquando laudibus afficiat, ei parcat, & honore prosequatur.

Indicium odii mundani.

Notandum porro quo indicio sciamus nos mundo exosos esse, ut de Dei charitate erga nos certiores fiamus; nempe si sermonem Dei acceperimus, eundemque servaverimus ut *vers.*6. Nam nuda verbi auditio aut Euangelii professio mundi in nobis odium non conciscet, neque conflabit; sed vera pietas & justitia, quibus impius & iniquus mundus infensus est, quod opera ejus sint mala & bonis fidelium operibus coarguuntur. 1 *Iohan.* 3,9,14. Hinc verbum *gladius* dicitur, quo Deus nos a mundo veluti diffindit: & dicitur *ventilabrum. Matth.*3,12. & 10,34.

Vers. 15. Fideles non ex mundo evocandi, sed in mundo servandi.

Docet hoc loco aliud quiddam, quod petit eorum nomine, quod sint in mundo qui illos letali odio prosequuntur: quod etiam amplificatur argumento à diversis: Cujus quidem ob eam causam meminit, ut occurrat tacitæ *objectioni*, cur non secum suos Apostolos è mundo abducat, aut precetur ut Pater se e mundo vocans, eos itidem evocet: ut sæpe fit, ut amicus amico extincto mori quoque cupiat, & qui arcte se complectuntur, cupiunt eodem lecto mori, eodem sepulchro humari, maxime cum discrimina eos manent majora post eorum obitum: unde Petrus & reliqui dictitabant se velle cum Christo mori & Thomas, *Matth.*26,35. *Ioan.* 11,16. *Respondet* igitur Christus se non illud petere, sed petere ut in mundo serventur; non petere ut aut ipsi è mundo auferantur, aut mundus & impii in mundo penitus tollantur, sed, &c. se quidem hoc à Patre impetraturum, siquidem conveniret; sed non convenire. Quod & nos admoneat, ne & ipsi afflicti & in mundo obsessi, è mundo migrare tædio afflictionum cupiamus, sed potius nervos orationis intendamus, ut servemur in mundo à malo: vide Ionæ exemplum, *Ionæ* 4, & Iobi. *Iob* 3.

Nempe à malo culpæ.

Deinde cum *malum* hoc loco significet malum culpæ, non autem calamitatem & ærumnas hujus vitæ: *docemur* quæ tandem illa mala sint, quæ aversantes potissimum deprecari debeamus, & quibus propellendis in oratione vigilare & intentissime laborare oporteat. Indignum esset militem stipendia merentem, ut nunquam pugnam iniret, præoptare: Sic Christus docuit nos precari ut Deus nos à malo eripiat; si quando nostræ patientiæ periculum capere velit. Hujus egregium est exemplum 2 *Timoth.*4,17,18. Verum quidem est Deum aliquando suos è mundo subducere, partim ne videant mala ventura, ut Iosiam; partim ne in mundo pervertantur; denique quod mundus illis indignus sit. *Hebr.*11,38. Sed pios non decet hoc absolute expetere. Vide Paulum *Phil.*2,21, 22,23.

22,23. ubi docetur nos in Christo cum vivendo, tum moriendo lucrari, &c. Hic perstringe *Monachos*, qui ut Deum colant è mundo exeunt, & se ab hominibus separant.

Vers. 16, 17. *Christo unitos sanctos esse opus est.*

Aliam petitionem proponit, quæ tamen cum superiore conjuncta est, ut omnes hæ petitiones inter se ita sunt colligatæ, ut una sublata reliquas convelli sit necesse. Estque illa petitio, ut Pater sanctificet Apostolos in veritate, sine qua nec à malo eripi, nec gaudium expletum habere, nec cum Christo unum esse possint. Vnitas enim in Christo non nisi cum sanctitate consistit. *Hebr.* 12,14. Hanc vero petitionem arguit primum à subjecto, quod Apostoli è mundo non essent, ut nec ipse, eoque idoneos esse quibuscum sanctitatem suam communicet. Cum enim luci cum tenebris κοινωνία non sit, docet Apostolos lucem esse, ut eo ipso indicet non pugnare cum Dei sanctitate, si cum illis Pater communicet, non magis quam cum Christo Filio, cujus hi justitiam induerunt, & in quo mundus nihil habet, sicut nec mundi princeps. Si enim tum nos sanctificavit in Christo, cum ex mundo essemus; nedum faciet, postquam nos è mundo seposuit. Deus enim quod bonum opus cœpit, perficiet usque ad diem Domini, & opus manuũ suarum non despiciet. Nec enim est inter artifices illos aut imperitos aut inconsultos, qui opus inchoatum aut propter inscitiam, aut propter animi levitatem abjiciunt. Huc etiam spectare videtur, quod ante Patrem sanctum vocavit, non tam quod sit in se sanctissimus, sed quod sanctitate sua alios sanctos efficiat, *Estote sancti quia ego sanctus sum.*

Verbum à Spiritu non separandum.

Quod autem ἐν ἀληθείᾳ dixit, quæ est sermo Dei; eo docet verbum à Spiritu non esse dissociandum; & impiam esse *Pontificiorum*, *Anabaptistarum*, & *Libertinorum*, & *Stanckaristarum* Hæresin, qui sibi sanctitatem extra verbum somniant. *Iohã.cap.*15,3. *Esai.*59,21. 1 *Thessal.*5,19,20. Hoc *notandum* etiam adversus illos qui quemque sua religione salvum fore dicunt. Nam cum nemo sine sanctitate Deum visurus sit. *Hebr.* 12,14. nec quisquam sanctus esse possit nisi veritate; efficitur neminem visurum Deum nisi veritatis & verbi divini cognitione sanctificetur: veritates quidem aliæ sunt, sed non secundum pietatem, aut qua pii homines efficiantur. *Tit.*1,1.

Vers. 18. *Apostoli missione sua de Spiritu accipiendo confirmati:*

Alterum argumentum quo persuasum esse vult Apostolis, se pro illis Spiritum sanctitatis petentem exauditum iri, ab adjuncto munere quod illis mandatum est, nempe quod perinde legantur ad Euangelii præconium ut ipse à Patre legatus est; legatos enim convenit instrui mandatis, quibus de pace cum his agant ad quos legantur. Hoc Ministros valde confirmat, quod sicut major Dei & veritatis notitia ab ipsis exigitur quam à reliquis fidelibus, ita majori fiducia confirmantur, fore ut largiore & pleniore mensura providendi sint, dummodo illam à Deo petant, Christumq; habeant apud Deum pro illa ubertate Advocatum, vide 1 *Reg.*3, 9,12. Simul etiam docet quam sollicite pro hac sanctificatione veritatis instare debent, quandoquidem inde multorum salus pendeat, ut qui non possunt utiliter suum munus obire, nisi sanctificentur.

Vers. 19. *Sed maxime Christi merito.*

Postremum argumentum, quod & primum sua efficacitate esse potuit, à materiali causa sanctificationis Apostolorum; subesse scilicet copiosam meriti Christi efficaciam, in quo & propter quod Apostolos (ut cæteros electos) Pater sanctificet. *Excipere* enim potuit Pater, se justitiæ suæ ἀκριβοδικαίᾳ prohiberi ne Spiritum suum sanctissimum eis conferat, qui prophani & turpes sunt, & sua impietate merentur ut in reprobum sensum conjecti, magis ac magis prophani evadant. Atque *respondet* Christus se propterea seipsum ab utero sanctificasse & etiamnum per sui oblationem sanctificare, ut ejus merito & sanctitate Pater habeat quod in eos cumulatissime conferat. Sanctificat autem se quatenus Sacerdos est & victima, quibus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus reconciliarentur hominibus. Nam in lege Sacerdos sanctificatus, consecratus & sepositus quibusdam ceremoniis à reliquo populo. Vide *Lev.*8. item *Hebr.*7,26. victimæ etiam sepositæ & sanctificatæ erant; maxime vero Paschatis Sacramentum, quod Christum verissime repræsentans aliquot dies, antequam offerebatur, à reliquis seponebatur. Idcirco vero dicit se seipsum sanctificare, quod adhuc illa actio perfecta & plene absoluta non fuerit, utpote qui se hac solemni oratione adhuc ad Sacerdotium & victimam consecravit. Quod autem adjungit, se pro illis seipsum sanctificare eo docet discrimen inter se & alios Sacerdotes, qui opus habebant pro seipsis sanctificare & offerre. Vide *Levit.*16, 12. *Hebr.*7,27.

Hinc igitur summa consolatio ad nos redit & certissima fiducia, Christum pro nobis orantem exauditum esse. Tametsi enim

nim sit Dei Filius, Deo unice dilectus; tamen si à Patre pro nobis peteret, quæ cum ejus gloria & justitia non consisterent, non est ut quidpiam boni ab ipso exspectemus. Eademque ratione scimus suppetere satis causæ, cur nos freti Christi merito, Patrem orantes exaudiamur: & tam esse inexhaustum Christi meriti thesaurum, ut nullis nostris petitionibus quantumvis plurimis & maximis exhauriri queat.

Christus nostri causa sanctificatus.

Deinde *notetur* Christum non pro se, sed pro nobis seipsum sanctificasse, ut Scriptura nusquam Christum sua causa aliquid fecisse commemoret, sed constanter nos ducat ad Christi in nos charitatem, qua quicquid fecit, nostra causa fecit, non sua. Hoc tametsi *Pontificii* odiose traducunt & vexant; tamen ut verissimum est, & summo Scripturarum testimonio innitens, ita & summam consolationem nobis affert, & Christo est honorificentissimum: sicut *Pontificium* de Christi merito pro seipso dogma indignum est Christi præstantia. Ecquis enim tam cæcus est, qui non videt principis erga suos liberalitatem commendari magis, cum tanta ejus gloria & bonitas agnoscitur, quanto major & auctior esse nequit; quam si dicatur Regem sua erga subditum munificentia in honoratissimum & plenum dignitatis virum evasisse?

Atque hujusmodi fuit orationis Christi pro Ecclesiæ conservatione in hoc mundo pars prior, quæ Apostolos respicit tantum. Sequitur pars altera pro reliquis fidelibus.

In qua *parte*, sicut & in priore, *duo* spectantur: { *Unum* est pro quibus petiit. *Alterum* quid petiit. }

Vers. 20. *Ecclesia à fide plerumque descripta.*

Hoc versu extat rudis illa quidem, sed non obscura tamen Ecclesiæ Dei descriptio. *Cœtus* enim dicitur *credentium per sermonem Apostolorum*. Vbi *notandum* quod ab adjuncta fide, non aut spe, aut charitate, aut virtute quapiam alia salvandos designet: Sic *crediderunt quotquot ad vitam destinati sunt* & descripti. *Act.* 13, 48. Hinc etiam Epistolæ inscribuntur fidelibus; ut piorum sanctitas fidei accepta feratur. Sic dicuntur *Galat.* 6, 10. *pii ex familia fidei*. Verum quidem est quandoque Dei amantes aut amatores appellari & notari ab adjuncto adventus Christi desiderio. Sed quoties de eorum insitione in Christum truncum; quoties de eorum nominibus in Dei civitatem referendis & inscribendis; quoties denique de solenni & augusta eorum cum Christo communione sermo fit; toties ad fidem recurritur.

Ex Christi oratione sequitur fideles non excidere.

Ex quo quod Christus pro ipsis orat, *liquet* credentes in Christum excidere non posse, nec eorum fidem labefactari posse, utcumque aliquando vacillet; adversus *Pontificios*, qui docent fidem excuti posse; & quiddam peculiare Petro fuisse, quod Christus pro eo precatur, ut ejus fides non deficeret.

II. Fidem eorum verbo Apostolorum inniti.

Alterum est hoc loco *observandum*, quod piorum fides verbo duntaxat Apostolorum innitatur & incumbat, tanquam basi & fundamento certissimo. Vide 1 *Thess.* 2, 13. & *Hebr.* 6, 17, 18. Hoc evertitur *Pontificia* Synagoga, quæ est cætus credentium sermoni Pontificis, Canonibus Conciliorum, & traditionibus, non autem sermoni Apostolorum, qui non alius fuit quam sermo legis & Prophetarum, *Act.* 26, 22. quod quidem verbum instar arundinis Aegyptii, instar fundamenti ex arena. Vtcumque enim rebus tranquillis homines firmiter consistere sibi persuadent, exorta tamen tempestate ruunt. Sicut autem *Pontificiis* vituperio datur, quod hominum commentis fidem adjungant, ita & nostris non minus probrosum est & periculosum verbo Dei non satis fidere, & ejus promissis ad perrumpendum difficultates, quas mundus opponit; non penitus acquiescere. Quod certe non fit quoties studio rerum terrestrium aut timore hominum officium deserimus.

III. Et ex verbi prædicatione oriri.

Notandum porro non tantum ex verbo Dei fundari fidem, sed ex verbi prædicatione, non lectione. Confirmatur quidem lectione, sed ordinarie non nisi prædicatione ingeneratur. *Luc.* 14. Sed *quærat* aliquis quomodo hoc ad nos spectet, qui Apostolos nunquam prædicantes audivimus; cum consolatio hæc ad eos tantum spectat, qui eorum sermoni credunt. *Resp.* Ministerium Apostolicum non tantum scriptis (quæ eorum sermo rite habentur) sed & Concionibus æternum fructum fert, ut *Iohan.* 15, 16. Nam quæ fundamenta veritatis Euangelicæ per illos semel posita sunt, nunquam convulsa penitus sunt. Tametsi enim in plerisque locis Ecclesiæ ab illis consitæ, desertæ, in aliis deformatæ sint; tamen quæ collapsæ instaurantur, & quæ deformatæ, pristinæ formæ restituuntur, non aliunde aut instaurationem aut correctionem accipiunt, quam ab illis qui successive ab illis oriundi sunt, qui veritatem ab Apostolis hauserunt. Hinc

est quod adulterinam omnem doctrinam judicemus, quæ Apostolica non sit. Et quemadmodum pii inter Israelitas Apostolorum tempore filii Prophetarum erant, tametsi Prophetas nunquam audivissent, *Actor.* 3, 25. Sic & nos Apostolorum, quos tamen ore tenus non audivimus. Vere enim de illis dicitur quod de Ionadabo Recabi filio dicitur, nunquam defuturum aliquem ex ipsius posteritate.

Atque quod petit Christus, huc fere totum refertur, ut perfecta unione colligentur; quæ quidem unitas arguitur a subjecto primum. Deinde ab adjuncto.

Et quidem subjectum, est partim hominum cum { Seipsis. / Aliis. } Vide 1 *Ioh.*1,3.

Vers. 21. *Quo verbo omnes credentes uniri petit Christus.*

Primo enim petit, ut quæ gentes diversis inter se religionibus & Dei cultibus disparantur, in unam religionem & cultum cogantur; qui multis inter se dissidiis & contentionibus à se invicem dissiliunt & disjunguntur, in unum concordiæ vinculum coalescant. *Ex quo* illud *liquet*, societatem illam nondum ad Christum aggregatam esse, quæ mutuis se ictibus conscindit. Priore versu ostensum est pro quibus Christus preces fudit: nunc quid pro illis petat adjungit; nempe ut non tantum regione & lingua, sed cultu & religione dissociati & disclusi, in unum coalescant. *Luc.*1,17. *Matth.* 9,36. *Luc.*13,34. *Ephes.*2,14. Post hujus unitatis & veritatem & astrictissimam copulationem notat; de quo omni negotio, vide supra *vers.*11. Hic notetur eam vim Euangelii esse, ut tot modis divisos arctissime conjungat: ut facilius intelligatur, quam in vitio futuri sumus, si tot modis inter nos devincti invicem mordeamus. *Hinc* etiam *liquet* ad quantam nos unitatem contendere oportet, qui nunquam in confirmanda unitate quiescere debemus, antequam tam arcte inter nos & cum Deo conjungamur, ut est cum Patre Filius.

Cujus unionis fructus insignis.

Ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ.] Argumentum ab effectu, quod hac tam insigni & arcta colligatione impius mundus convincetur Christum esse Messiam; fideles esse veram Dei Ecclesiam: relucebit enim unitas Christiana ad eum modum, ut qui aliquam æquitatem ad judicium afferat, negare non possit, quin populus Dei sint. Vide *Deut.*4,6. & *Daniel.* 2, 47. & 3, 28. & 6, 26. *Ios.* 2, 11. *Act.* vero 5, 12, 13. luculentissimum exemplum existit, idque, ut videtur, huic loco appositissimum inter cætera; perinde ac si rebelles & seditiosi cives de jure germani regis ejusdem præstare gestis convincerentur. Quod si hoc aut passim, aut clare & liquido non appareat, non aliunde acceptum feratur, quam quod hujus unitatis tam tenuia, tam frigida vestigia appareant, quæ hoc loco a Christo proponitur. Quo magis culpandi sumus, qui dum mutuo nosipsos mordemus, non tantum Ecclesiæ hostibus nos Ecclesiam esse non probamus, sed & hi, qui religionem nostram profitentur, nec firmiter in ea radicati sunt, de religionis nostræ veritate dubitare incipiunt. Hanc autem interpretationem de his qui sunt reprobi, non autem de his qui ex mundi luce eripiendi sunt, duo potissimum confirmant: prius quod crediturorum nomine omnes intelligantur quicumque Apostolorum ministerio colligendi forent: alterum quia mundi fides *vers.*23. nuda tantum notitia dicitur, quæ tum maxima & liquidissima erit, cum fideles in gloria visuri sunt, ipsi eadem gloria exclusi.

Vers. 22, 23. *Pro gratia Dei erga fideles precibus fusis, nunc pro gloria eorum orat.*

Hactenus pro Ecclesiæ in hoc seculo conservatione precatus est: nunc pro ejusdem glorificatione petitionem instituit. In his vero duobus versibus, quibus de crediturorum gloria sermo fit, ἔλλειψις esse videtur petitionis, quam ex petitionis αἰτιολογίᾳ promtum est colligere. Perinde ac si diceret, quandoquidem gloriam, quam dedisti mihi, credituris in me dederim, noli, Pater, eam illis denegare. Ista precatio non sine causa subjungitur, quia tametsi Deus nos in mundo conservet, nec à se deficere patitur; tamen quia illud non sine nostris frequentibus prolapsionibus fit, in dubium venimus vitæ æternæ potiundæ. Maxime vero cum ita in mundo servemur ut per mille mortes & ignominias transeuntibus difficile nobis creditu est, nos qui tam flocci æstimamur, dignos habitum iri ut cum Christo regnemus. 1 *Iohan.*3,1,2. Unde illa tam vehemens & contentissima asseveratio 2 *Timoth.*2,19. Hinc fit ut Apost. *Rom.*8. justificationem per fidem his duobus obstaculis tremefactam, illis etiam invitis stabilem & firmam manere probet. Ad hanc igitur Christi precationem tanquam ad portam nos recipiamus, eamque veluti clypeum his ictibus excipiendis opponamus. Hinc docemur, quo ordine singula petenda, primo gratiam petendam, deinde gloriam. *Psalm* 12,48. *Psalm.* 73,24. quod contra fere fit.

Notan-

Quæ in unionis hic inchoatæ perfectione consistit.

Notandum vero unitatem hic in terris vera fide & cognitione Dei inchoatam, in futura vita gloria perfecta absolvi, *Ephes.*2,6. *Phil* 3,20. & 1 *Iohan.*3,2. sine qua conformatione uni non essemus futuri. Hanc autem gloriam in eo versari, & unitatem hanc tum demum fieri, cum sicut Pater se Christo (quatenus mediator est) communicat, qua ratione cum supra omne nomen exaltatum perhibetur, *Ephes*1,21. ita & Filius se suis omnibus membris communicet pro mensura quæ cuique membro competit. Vivent tum vita Dei.

Cujus *partes* sunt,
- Quod bene illis futurum sit & fœliciter. *Matth.*22,30.
- Quod gloriose & splendide sese habebunt. *Luc.*9,31. 2 *Cor.*3,18.

Hæc gloria & fœlicitas notatur similitudine communicationis Patris cum Filio: ut quemadmodum Pater se cum Filio communicat, sic Filius se cum suis membris. Vide *Iohan.*17,5. *Prov.*8,30. Ex quo intelligitur longe beatiorem fore conditionem fidelium, quam fuit Adami in prima creatione. *Rom.*5, *vers.*15,17.

Vers. 24. *Et cujus I. pars est, idem cum Christo locus.*

Prima pars beatitatis erit, quod eodem loco erunt, ubi Christus erit. *Matth.*19,28. & *Luc.*22,29,30. Adam in terris positus erat, nos in cœlo. Adam cum terræ bestiis cohabitavit, nos cum Deo & sanctis Angelis. Adam sibi mensam, quæ & illius propria fuit, paratam habuit, nos communem cum Deo & Angelis. Adam collocatus in Paradiso terrestri, non tamen aliter collocatus erat quam ut ab illo loco moveri posset, nos ex cœlesti Paradiso nunquam exturbari poterimus. David ut suum erga amicos suos amorem testatum faceret, non potuit illud efficacius perficere, quam cum eorum liberos ad mensam adhiberet; 2 *Sam.*9,9. & 19, 33. cum suum filium Salomonem honoribus cumulare vellet, equo suo imposuit, & throno considere jussit. 1 *Reg.*1,33,35. Vide etiam exempla Iosephi, Mardochæi. Hoc modo etiam occurritur mœrori Apostolorum ex divortio & separatione. Vide 2 *Sam.*12,23. *Hinc intelligitur Lutheranorum & Pontificiorum* Christi in diversis simul locis præsentiam convelli. Cum enim Christus ibi sit ubi nos simus futuri, &c.

II. *Contemplatio gloriæ Christi.*

Altera pars hujus summæ fœlicitatis est, nos contemplaturos Christi gloriam. Vide *Psal.*16,11. & 17,15. Cujus exemplum lucuntissimum extat. *Mat.*17. Cum autem tanta fœlicitas & gloria nos maneant, meminerimus ejus quod scribit *Iohannes* 1 *Epist.cap.*3,3. Videmus mūdanos ita comparatos esse, ut tametsi hæc vita multis difficultatibus præpedita sit; tamen magno redimere vellent, si ut hic in terris omne ævum agere possent: quanto igitur magis, &c.

Vers. 25.

Πάτερ δίκαιε.] Qui ideo non potes per justitiam tuam eodem modo cum mundanis agere atque cum his qui te agnoscunt, quia justus es servandis promissis. Cum igitur mundum ad barathrum juste detrudis, fieri nequit, quin tibi credentes & te agnoscentes ad cœlum attollas.

MATTH. *cap.* 26, *à vers.* 30, *ad* 36.

30 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.
31 Tunc dixit eis IESVS; Omnes vos ista nocte offendemini in me, scriptum est enim; Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.
32 Postquam autem suscitatus fuero, praibo vobis in Galilæam.
33 Respondens vero Petrus dixit ei; Etiamsi omnes offendantur in te, ego numquam offendar.
34 Dixit ei IESVS; Amen dico tibi, ista nocte antequam gallus vocem mittat, ter me abnegabis.
35 Dicit ei Petrus; Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

MARC. *cap.* 14, *à* 27, *ad* 32.

27 Tunc dicit eis IESVS; Omnes offendemini in me nocte ista; Nam scriptum est; Percutiam pastorem, & dispergentur oves.
28 Sed postquam suscitatus fuero, praibo vobis in Galilæam.
29 Petrus autem dixit ei; Etiamsi omnes offendantur, at non ego.

30 *Tunc dicit ei IESVS; Amen dico tibi, hodie nocte ista, priusquam bis gallus vocem miserit, ter abnegabis me.*

31 *At ille multo magis dicebat; Si me oportuerit commori tibi, haudquaquam te abnegabo. Itidem autem etiam omnes dicebant.*

LVC. *cap.* 22, *à verſ.* 31, *ad* 35.

31 *Dixit etiam Dominus: Simon, Simon, ecce, Satanas appetiit vos quos ventilaret ſicut triticum:*

32 *Sed ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua: tu igitur aliquando quum te converteris, ſtabili fratres tuos.*

33 *Ipſe vero dixit ei; Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & ad mortem proficiſci.*

34 *At ille dixit ei; Dico tibi, Petre, nequaquam emittet vocem hodie gallus priuſquam ter neges quod tu me noveris.*

ANALYSIS.

NOtat adjunctum temporis, quum pſalmum cecinerunt; deinde notat adjunctum ſuæ per Iudæos comprehenſionis & captivitatis, impactionem omnium diſcipulorum; aliud adjunctum tempus notatur, nempe nocte illius veſperæ, qua cœna celebrabatur; quod confirmatur teſtimonio divino; in quo teſtimonio ſubjectum hujus impactionis notatur, nempe percuſſio Ieſu paſtoris: cujus adjunctum narratur, diſſipatio ovium.

MATTH. 32. Deinde narratur Chriſti reſurrectio una cum ejus effecto, nempe recollectione diſſipatarum ovium.

Verſ. 33. Adjunctum ſuperioris ſermonis Chriſti de omnium impactione, profeſſio Petri, ſe non iri offenſum; quod ſuo diverſo exornatur, tametſi omnes alii impingant.

Hic inſerendi videntur Iohan. 13, verſ. 37. *de quibus ſupra.*

LVC. 31. Cauſam Chriſtus explicat cur Petrus nondum Ieſum ſequi tum potuit, quod Satanas cum Petrum, tum alios à fide excutere conabitur, quod comparatione paris illuſtratur, nempe ſicut quis cribrum agitat ut paleam excernat.

Verſ. 32. Cujus conatus Satanæ diſparatum eſt Chriſti oratio pro Petro & reliquis; cujus precationis finis aſſignatur, ne fides aut Petri aut aliorum deficeret; effectum vero precationis eſt, Petri converſio ab illo turpi lapſu, in quo impegit; finis vero converſionis eſt, ut confirmet ſuos fratres, ne illi impingant aut impingentes deſperent.

Verſ. 33. Refellere conatur Ieſu dictum de ſua impactione à diſparato, nempe animi promtitudine, vel potius abſoluta conſtitutione cum illo ad carcerem eundi, quod confirmat comparatione majoris, quod vel ad mortem perferendam paratus ſit.

IOHAN. 13, *verſ.* 38. Eſt inſerendus: ubi quæſtio an mortem perlaturus ſit ad vehementiorem confirmationem ſequentis negationis, additur.

MARC. 31. Hujus prædictionis Chriſti adjunctum in Petro eſt prædictionis Chriſti negatio; quæ comparatione majoris amplificatur, nempe hanc negationem fuiſſe magis confidentem, quam quæ præceſſit; deinde notatur adjuncta negatio prædictionis per reliquos decem Apoſtolos, quæ illuſtratur pari, negatione Petri.

METAPHRASIS.

CVm jam in itinere eſſent trajecto torrente Cedrone, Chriſtus in hunc modum loquutus eſt: Cum me à Iudæis male acceptum videritis, & ſimul (tanquam exhauſtus viribus eſſem) me vim vi non repellentem conſpexeritis: vos ad unum omnes (hac mea in ſpeciem infirmitate) offenſam accipientes, partim huc illuc diffugietis, partim me aperte abnegabitis idque hac ipſa nocte. Cujus quidem prædictionis certitudo inde vobis conſtare poteſt quod Prophetarum teſtimonio hoc ipſum confirmatum eſt. Etenim Spiritus Sanctus per Prophetam Zachariam ſic ſcribit. Ego Deus Pater juſtus judex & ultor peccatorũ omnium electorum meorum in Filii mei perſona, qui ſe vadem & ſponſorem pro illis conſtituit, eundem Filium quem Paſtorem dedi populo meo, formidabili gladio iræ meæ feriam, unde erit (quod fieri aſſolet) ut qui ſe illi in diſciplinam tradiderunt tanquam oves diſſipabuntur. Sed 32.
animum ne abjicite: nam poſtquam è mortuis reſurgam (pro paſtorum more,) vobis in Galilæam præibo, ut vos tanquam oves me ſequentes ex diſſipatione illa colligamini. Dominus porro dixit dolenter, ſed utiliter tamen: LVC. 31.
tibi ó Simon, Simon (non enim te hac ex parte Petrum appellare poſſum) animum ad hoc, quod dicturus ſum, adhibe: Satanam expetiviſſe vos omnes (te præſertim) tentationibus ventilare, haud ſecus quam in vanna exagitatur triticum. Sed noli animum abjicere. Ego 32.
etenim (ut probe noſti & dudum audiviſti) pro te Patrem oravi ne fides tua, utcumque

cu-

concussa, deficeret. Et non ignoras Patrem mihi pro vobis roganti nihil denegare posse. Cujus quidem conversionis tuæ ex vi & virtute precum mearum hunc fructum postulo, ut conversus labantes & infirmos fratres confirmes ne cadant & ut collapsos erigas. Respondens Petrus, dixit ei; ut cæteri omnes condiscipuli mei ex tua cruce offensionem accipiant, ego tamen firmus manebo. Ad quem Iesus; Atque ego sancte tibi affirmo fore, ut hoc die civili, atque adeo hac ipsa nocte, in qua jam sumus, antequam gallus bis cecinerit ter me abneges. Quanto vero Christus constantius & asseverantius Petri casum affirmavit, tanto obfirmatius Christo hoc affirmanti restitit. Si etenim, inquit, me te sequendo & tibi obsequendo mortem perferre oporteret, te tamen ne minima quidem ex parte abnegabo. Idem & reliqui, quamvis non pari audacia & orationis vehementia se facturos profitebantur.

PRAXIS.

SVmma, Christus Sacramentum cœnæ suæ cantione concludens & Cedronem transiens, in montem Olearum cum Apostolis se confert, & in itinere Apostolorum offensionem ex se prædicit, ubi Petro se ab illa eximente, cum Christi prædictio asseverantius proponitur, tum discipulorum, maxime Petri, contradictio vehementius & audacius ingeminatur.

Partes sunt, { S. Cœnæ religiosa conclusio. Transitus Cedronis ad montem Olearum.

MATTH. vers. 30. *Officium nostrum post S. Cœnæ usum.*

In *priore notandum*, quod sit officium cœnæ Dominicæ participantium, ut de beneficio redemptionis in Christo gratias non tantum precatione nuda, sed & cantione agant, nec ullis mœrorum obstaculis sinant sibi illam lætitiam & consolationem in Christo expectorari, quæ animi hilaritatem in canendo tueatur & sustentet: *Roman.* 5, 2. 3. *Iacob.* 1, 2, 3. ut non tantum voce sed corde Deo psallamus, *Ephes.* 5, 19. Quod certe fecerimus si verum & legitimum sacræ Cœnæ usum perceperimus: certiores enim de nostra in Christo perpetua permansione facti, quomodo non solide lætemur & contentissime gaudeamus? Vide 2 *Chron.* 30, 21. ubi in Paschæ celebratione dicuntur magno gaudio perfusi. Gaudium enim Spiritus, quod nobis ex aucta fiducia de Dei erga nos studio & voluntate accedit, instar vini generosissimi est, quo hausto tristes recreantur. Quod quidem ex hoc spirituali convivio luculentissime patet Tametsi enim discipuli cum sua, tum Christi causa insigni mœrore confecti erant, ut *Num.* 14, 1. tamen sese ad omnem animi hilaritatem excitant, ut sacram actionem, prout decebat, obsignarent. Hoc autem loco videtur ex *Iacob.* 5. *quæri* posse qui præcipit cantiones rebus lætis, & afflictis precationem, an licitum sit rebus tristibus canere. *Respondeo* Apostolum κατ' ἐξοχὴν loqui cantandi exercitationem rebus lætis maxime convenire, & tristibus convenire, & tristibus precationem: tametsi res tristes cantionem non excludunt, ut nec res lætæ precationem. Atque non modo licere sed expedire etiam docetur *Prov.* 25, 20. 2 *Reg.* 3, 15.

In *altera parte* consideratur, { Christi & Apostolorum ex urbe discessus. Quid in illo factum sit.

Hæc egressio cum sit Christi præparatio ad mortem: quam nobis incumbit, ut in diem mortis bene parati, & adversus mortis spiculum probe armati simus?

Cur Christus urbe egressus

Egressus est ex urbe ut omnem tumultum & intestinos motus declinaret; cujus periculum creari potuit, siquidem cohortem in urbe præstolatus esset. Eoque magis quod plebs antequam comprehensus esset, magno studio illius ducebatur, quod instar fræni Pharisæos & principes retinuit, quo minus manus illi injicerent. Maxime vero, ut cum arderet studio Deum vehementissime precandi, eo concederet ubi liberrimas & sonantissimas voces & vociferationes ederet, quas fervor & intentio animi sui pareret. Vide *Marc.* 8, 35.

Ad montem olearum,

Deinde ad illum locum profectus est, ubi & sæpiuscule & novissime orare consueverat. Nam accepimus septimana Pascha antegressa eum interdiu in templo docentem, sub noctem ad montem Olivarum precum causa profectum. Quod utrumque fecit ut propensam suam ad crucem pro nobis perferendam voluntatem testatam faceret, nostro singulari gaudio & consolationi, qui in tanto & tam incitato persequendi mali studio nullum solatium ex Christi perpessionibus perciperemus, nisi suam obedientiam summe propensam & spontaneam esse comprobasset. Sic *Matth.* 4. in desertum & solitarium locum profectus est ut se diaboli tentationibus objiceret.

Discipulis comitantibus.

Quo etiam spectat quod discipulos suos secum duxit, quod non fecisset si sibi fuga

 & li-

& latitatione consulere voluisset; non magis quam Elias qui fugiens servum ablegavit, 1 *Regum* 19 & David qui à Saule fugiens comitatum suum à se dimisit. Atque tametsi in hoc nobis Christus est imitandus, quod ad omnia Dei obsequia paratissimi esse debemus: tamen cavendum est ne hoc Christi exemplum usque ad imitationem pertrahamus, ut nos morti carcerique ad quæ exquirimur, semper sistamus; cum fuga vitæ aut libertati consulamus. Christus enim noverat sibi prorsus constitutum à Patre fuisse, ut illam mortem ea ipsa hora & die subiret; quorum utrumque nos fere ignoramus. Atque adeo Christum videmus sanguinolentas Iudæorum manus sæpius declinasse, cum tempus nondum advenisset. Alia causa cur discipulos secum adhibuit præter consuetudinem, cum privatim Deum precabatur; partim ut testes eos angorum suorum haberet; & ut in tantis difficultatibus aliquam consolationem ex eorum comitatu auferret; maxime vero ut divinam suam & fidem & potentiam declararet, cum illos ex cohortis manibus violentis sine sudore & sanguine tanquam corpore exueret. *Ex quo liquet* non prohiberi testes & spectatores habere precum, quæ privatim funduntur, dummodo φιλοδοξία declinata, aliquis sit adstantium usus.

In itinere occurrit Christi prædictio de Apostolorum ex se offensione,	*Prior* & levior, cum Petri exceptione tantum. *Posterior* & vehementior cum omniũ, Petri præsertim, exceptione.

Vers.31. *Cur Apostolorum offensionem prædicat Christus.*

Omnes vos ista nocte offendemini in me.] Exposui vobis unum scrupum, qui me valde urit, de Iudæ proditione, sed superest alter, qui non minus me molestum habet, & animum meum angit, de vestra non equidem proditione, sed desertione. Vos enim omnes ex me & ex ea, quæ mihi obveniet, cruce & ignominia, offensione accepta, impingetis. Idque prædico vobis, non tam ut calamitatum mearum levationem quæram, quam ut vos doceam me hujus rei conscium & præscium esse; ne me ista ignorasse putantes fide in me labasceretis. Atque ut rem extra controversiam esse sciatis, scitote à Deo in Scripturis præscriptum & prænunciatum esse; quas non impleri τ̃ ἀδυνάτων est.

Prudenter nobis ambulandum.

Tametsi vero Christus nobis jam non prædicit certorum fidelium casum & defectionem aut Euangelii desertionem; nec ullæ Scripturæ sunt, quæ certorum quorundam scandalum prædicant: tamen cum indefinite illud præmonetur, & easdem lapsus in nobis causas comperimus quæ in illis fuerunt; consultum fuerit ut adversus illas offensiones circumspecte ambulemus: eoque cautius & accuratius, quo nos diligenti cautione mala declinemus, quæ Apostolos deflectere impossibile fuit, utpote ante prædicta & prænunciata. Atque hi tam præclare instituti & imbuti hoc fecerunt; nedum nos, &c.

Commode Deus Pater Christum gladio percutere dicitur.

Notandum quod Deus Pater hic à Propheta Christum gaudio percutiens inducitur. Nam cum Christus se vadem & sponsorem pro peccatis electorum constituit, justum erat ut Deus in illum fulminaret, & in persona Pilati injusti judicis juste Christum Filium suum condemnaret. Tametsi enim reus proprii & sui alicujus peccati non extitit, fuit tamen ratione peccatorum nostrorum quæ sua fecerat, vel maxime reus.

Pastorem autem percuti periculosum.

Vide hoc loco quam periculosum sit pastorem percuti, nedum penitus Ecclesiæ auferri: quandoquidem in illius unius plaga multi cæduntur & conficiuntur. Quo magis curandum precibus & omni reliquo conatu, & ut bonum pastorem nanciscamur, & comparatum retineamus.

Quare serio pro illis orandum.

Hic etiam in eos commode oratio stringi potest, qui pastores percutiunt. Quod studium nostrum in precibus pro his qui in Republica & Ecclesia præsunt acuere debet. Nam si amor in illos hoc non obtineat à nobis, propriæ tamen salutis cum civilis tum cælestis cura hoc à nobis exigat: quandoquidem pastoribus prostratis oves dissipantur & magna parte pereunt: ut pro pastoribus preces ad Deum fusæ pro illismetipsis ovibus instituantur. Singularis consolationis est quod vulneri antequam incutiatur remedium non parat solum, sed prædicit, nihil veritus, ne discipuli remedio freti sese tanto magis in baratrum defectionis à Christo præcipitarent. Sic *Deut.* 30, 1, 2, 3, &c. Neque nobis interdicitur, quin adversus lapsus nostros, si quando (quod Deus prohibeat) in illos incidamus, nos ipsos præmunire possimus. Sed ita tamen ut studium nostrum firmiter consistendi non remittamus. Et quidem nos ex Christo offendi docet Petrus, 1 *Pet.* 2, 8. cum in sermonem impingimus.

Luc.31. *Causa cur Apostoli Christum non potue-*

Simon, Simon, &c.] Christus de Petro & discipulis nondum ad se sequendum aptis judicium confirmat argumento causæ, quod Satan illos impediturus sit, ut quod concupiverunt,

rint sequi, gravis lucta cum Satana:

piverunt, de Christo ilico sequendo adipiscantur. Quasi diceret, graviora obstacula objiciuntur vobis quam quantum existimatis. Nam vos cogitatis rem vobis esse tantum cum hominibus, qui vos impediant, quo minus me sequamini: sed ego prædico vobis luctam vos manere cum satana, non tantum cum hominibus. *Zach.*3,1,2. & *Eph.*6,12. Tametsi enim homines erant, quibuscum tum Iehosua, tum discipuli colluctaturi erant, tamen quod illis veluti instrumentis duntaxat diabolus utatur, eorumque operam adhibet ad consilia sua exsequenda, non sine causa Christus satanæ hoc attribuit, idque ut nos ad majores cum copias, tum prudentiam exsuscitet, ad majorem belli apparatum. Si enim cum hominibus, homo homini opponendus esset, &c. nunc autem cum negotium nobis sit cum Satana, cœlesti auxilio nobis opus est ad inferorum vim aut sustinendam, aut repellendam.

Cui nondum pares erant.

Hic *notemus* Christum unam causam assignare hujus in sequendo ἀδυνάτου, quod nondum satis comparati & instructi erant ad tam ancipitem cum satana pugnam. Nec enim plus imponit nobis, quam cui ferendo vires suppeditat. 1 *Cor.*10,13. Neque nos, dum adhuc molles & tenelli sumus, rebus duris conficiendis adhibet. Ob eamque causam aperte dixit illos nondum eum sequi posse. Tametsi enim non semper paratos & instructos adversus mortem ilico in bellum mittit, aut cum capitalibus hostibus committit simul atque illos viribus ad præliandum & mortem vincendum cinxerit, ut *Act.*12. patet: tamen nunquam ad duriora certamina aliquem vocat, quam quibus depugnandis par est. Si enim mortalis ea commiseratione ducatur erga jumentum suum, ut gravius ei onus non imponat, quam quod subire & sustinere possit; si agricola prudens jugum juvenci cervicibus paulo gravius & durius non imponit, &c. Qui in bello hoc momentaneo & civili timidis copiam facit ut domum redeant, &c. *Deut.*20,8. Nedum, &c. Tametsi enim discipuli & cum primis Petrus graviora onera senserunt, quam quibus superiores erant: tamen ipsi hæc omnia sibimet imposuerunt, non Christus, qui cum Iudaico satellitio pacisci voluit de suis discipulis dimittendis & ablegandis priusquam sese ipsis traderet.

Propter incitatum Satanæ studium de ipsis ventilandis.

Deinde *notandum* est studium satanæ incitatum & inflammatum de Christi discipulis ventilandis. Sicut enim olim expetivit Iobum ut illum cribraret, tentaretque, sic & discipulos. Hoc arguitur ex indefessa ejus circuitione qua terram peragrat. *Iob.*1,7. & diligenti investigatione qua tanquam famelicus leo rugiens quærit quos devoret. 1. *Pet.*5,8. Vide quam promptus & paratus erat ad seducendum Achabum una cum Prophetis Achabi. Vere enim de illo dicatur, quod Propheta de Chaldæis dicit, illum non fore fessum, non dormiturum, nec dormitaturum, cingulum non solvere, nec corrigiam noctu, & noctem qua pugnare nequeat aversari. Item quod Propheta alibi de eisdem affirmat; eos nunquam satiari sanguine & spoliis, non magis quam famelicus & sitibundus satiatur cibo aut potu, quæ per insomnium tantum sumit.

Cui perpetuo ipsius studio vigilantia nostra occurrendum.

Quod nos *doceat* ut si velimus illo in pugna superiores esse, nos ad prælium excitemus, neque in illi resistendo dormitemus. Si enim ille se ad prælium acuat, nos autem nosipsos hebetemus; si ille vigilet semper, nos autem dormiamus aut dormitemus; si ille circumcurset, nos desides domi sedeamus; si ille arma sua in nos polita & tersa reddat, nos autem nostra arma cariem, rubiginem, aut mucedinem patiamur contrahere; si ille semper obsideat, nos aggeres & murum non opponamus, aut labes non instauremus; quid aliud nobis exspectandum est, nisi ut penitus corruamus & devicti subjugemur? Quamobrem excubias excubiis, diligentiam diligentiæ, clypeum gladio, prudentiam astutiæ opponamus; idque summa animi contentione & studio intentissimo. Hostis enim quantumvis imbellis si contemnatur, periculosius est. Ne quis igitur sibi persuadeat partam fore victoriam, sine sudore & sanguine, edendo, ludendo, saltando, dormiendo.

Ventilatio Ecclesiæ Deo & satanæ in Scriptura attributa.

Ventilandi verbo notat vehementem satanæ impressionem & incursionem in Petrum & reliquos discipulos. Concussionem enim indicat vehementissimam, quæ & manibus & genibus fit nunc in altum efferendo, nunc ab uno latere ad alterum latus agitando: ubi *notandum* est ventilationem Ecclesiæ fere semper in Scripturis Deo attributam, hic diabolo attribui. Et præclare sane Deo convenit ut instar agricolæ frugi triticum ventilet. Sciendum igitur Deum simul & diabolum ventilare pios, sed longe alio atque alio modo. Deum enim principem esse in hac agitatione, & veluti diaboli manus ita vinctas tenere, ut non possit vim majorem

majorem, quam Deo libitum erit, adhibere. Deum etiam ventilasse Apostolos ut eorum casus minime lethalis cum illis ad cautionem, tum aliis ad consolationem adjumentum afferret. Diabolum vero ideo ventilasse, ut illis perditis, alii præterea eorum ministerio colligendi perirent. Deus eos ventilavit ut purgatiores evaderent. Diabolus ut illos ex ventilabro excuteret. Videmus igitur Deum cum satana in eadem actione ita conjungi, ut Deus tamen non tantum satanæ malitiæ non communicet, sed contrarium prorsus effectum & sibi proponat & efficiat.

Vers. 32. *Adversus satanam in nobis vires nullæ, in Christo eximiæ.*

Hic autem occupationi tacitæ occurrit: hoc enim Christi dicto vel prædictione subeat ilico mentes Apostolorum; Quin igitur de nobis actum est: quomodo enim subsistamus, qui à tam potenti hoste concutiendi, agitandi & tundendi sumus? Argumentum à caussa efficiente ducitur. Cui respondet Christus, omnino conterendos esse, si nihil esset quod illos præter proprias vires sustineret, & ab hac lue liberaret. Sed illos ipsius precibus conservatos iri, ne penitus deficiant & atterantur. Perinde enim est ac si diceret, verum quidem est satis superque esse virium in diabolo, ut vos obterat & diffringat: sed tamen plus virium est in Dei Spiritu, quem ego precibus meis exoraturus sum ad vos conservandos, quam Satanæ vires ad perdendum suppetant. Sicut igitur satanæ impetus & astum cum nostra imbecillitate & inertia componentibus nulla nobis salutis spes affulget: ita etiam in Christi advocatione & patrocinio abunde nobis salus suppetit, & victoria adversus omnes inferorum copias.

Qui noster Advocatus est.

Advocatus autem noster est non tantum preces nostras gratia apud Deum perfundens, iisque gratum odorem coram illo afflans, sed nostras etiam preces antevertendo suis. *Ex quo* illud *apparet*, omnem liberationem à Deo proficisci, idque nullo nostro merito, sed tantum advocatione Christi, quæ in mortis suæ sacrificio vim obtinuit & robur suum. Sicut enim olim unius Mosis interventu & intercessione mala commerita à populo avertebantur, qui quidem Christi typus erat: sic & nostra Christi interventu. Hinc etiam est quod tum demum modo in pugna superiores erant Israëlitæ, cum Mosis manus in altum sublatæ essent. Simul enim ac manus ejus deciderant, ilico Israëlitæ cædebantur. In specula autem est à Deo Patre collocatus, unde omnes satanæ machinationes & fraudes è longinquo prospicit, ut illas cassas & irritas reddat.

In quo ante ipsa mala nobis auxilium.

Quod nobis singulari consolationi esse possit, remedia nobis antequam mala accidant, in Christo parari, & emplastra vulneribus antiquiora esse. Hinc est quod Deus, nos ad salutem in Christo destinarit, priusquam nos in Adamo cecidimus. Hinc etiam reditus è captivitate prædicitur, antequam captivitas importata est. Hæc est admirabilis medicandi ars, prius medicinam parare quam morbus immissus sit, prius emplastrum parari, quam vulnus infligatur. Nam si accepto vulnere parandum esset emplastrum, antequam comparari posset, periremus: & cum ex alto decidimus, nisi Christus precibus quasi manum subjiceret & supponeret, ipso casu penitus confringeremur. Sic icti à scorpiis, nisi ilico oleo scorpionum se ungerent, perirent; & veneno infecti, nisi amuletum & antidotus in promptu sit, statim intereunt; nedum cum quis ex satanæ veneno combiberit.

Cur Christus Petrum ventilari passus.

Quod si *quærat* quis, cur non perinde precatus sit ne Petrus agitaretur & a Satana concussus quateretur? *Responsum* datur, utilitatem, quæ inde ad Petrum & Ecclesiam redundavit, obstitisse, ne Petri casum deprecaretur. Iustitiam Dei obstitisse, qua commeritus erat Petrus, ut sua incuria & inertia à satana ita colaphis cæderetur: misericordiam etiam Dei in Ecclesiam. Hinc est ut Iobum affligendi & ad blasphemiam irritandi copiam satanæ fecerit: perdere autem & ex ventilabro excutere non sit passus. Hinc petimus quidem, ne nos inducat in tentationem, sed ut liberet nos à malo, si quem inducturus. Sic fit ut parens aliquando filium suum carceribus cum flagitiosis teneri patiatur, & eodem modo excipi cum illis, quod in ipsum inofficiosus extiterit; sed tamen cum ad mortis sententiam perventum fuerit, ilico parentis viscera incalescunt, nec patitur filium quem morte jure eximere potest, perire.

Christus pro omnibus Apostolis oravit ne fides eorum deficerent.

Quod autem precatus est pro Petro ne fides ejus deficeret, idem & pro cæteris precatus, ut constat ex *Ioan.* 17, 9, 20. Cum enim non Petrus tantum, sed & reliqui Apostoli à Satana agitati & ventilati sunt, necesse est Christum pro illis perinde ut pro Petro precatum esse, alioqui certe in minutissimas particulas fracti fuissent, quod absurdum est: ut hoc loco *Pontificii* absurdi sint,

sint, qui hinc primatum Petro adstruere conantur. Non diffiteor quin ardentius pro Petro precatus sit: prout enim cujusque electorum tentatio periculosior extitit; ita preces Christus intendebat magis.

Ventilationis usus in Petro, *Et tu conversus.*] Docet Christus Petrum tanto diligentiorem esse debere alios confirmando, ne aut Christum negent aut labantes & impingentes penitus corruant, quo ipse magis hac ex parte à satana occupatus est. Quod etiam reipsa factum est: nam nemo ex Apostolis graviorem & duriorem sententiam contra apostatas fert quam Petrus 2 *Pet.* 2. Quid, quod tota secunda Epistola confirmandis fratribus scripta est, ut diserte liquet *cap.* 1. *v.* 12. 13, *&c.* Vnde etiam Paulus quod per blasphemiam cecidisset, contra illam diligentissime vigilavit, 1 *Tim.* 1. *vers. ult.*

In Ecclesia. Præterquam quod magnopere profuit hic casus his, qui per infirmitatem defecerunt, ut non sine causa ventilatio Satanæ, Ecclesiæ utilis sit. Est igitur forma hæc loquendi consolationis plena, diabolum ipsum nos tentando & agitando, concutiendo, commiscendo, quatiendo, vel invitum nostram salutem promovere; non secus quam triticum cribro aut agitatum & concussum excernitur à gluma & palea, capillisque: atque hoc prorsus modo *Psalm.* 129, 3. impii dicuntur aratores; qui dum Dei agrum vexant, purgatiorem reddunt.

MATTH. 33. *Petri & discipulorum propositum non satis firmum.* In responsis Petri & discipulorum illud in universum observetur, illos non modo nullius proditionis aut defectionis apud se conscios esse; sed porro animis apud se penitus constituisse totos se Christo addicere, nec vel minimum gry ab illo recedere, secum & cum animis suis deliberasse. Quod quidem ut præclarum est, ita non satis esse, hoc loco docemur. Sunt enim plerique qui proditionem secum in animis circumferunt & circumgestant, qui scenæ inservire constituunt, & apud se constituunt Christo nuncium & Euangelio mittere, simul atque advertunt se cum illius professione non amplius vita aut vitæ hujus commodis uti posse.

In oratione Petri quæ culpanda. Hæc oratio Petri tametsi in speciem præclara videri possit & illam *Iosua* 24, 15. exprimere, tamen plurimum fermenti veteris admixtum habet. *Primum* enim intolerabilis superbiæ est, se diserte verbis Servatoris Christi & Spiritus Sancti in Scripturis opponere. Debebat enim dicere: Siquidem ita est à Deo constitutum, ut grave hoc scelus defectionis à te admittam, scio primù justum esse & meo merito hoc fieri; deinde tametsi ineluctabile sit, tamen dabo operam ut cum labendum mihi sit, ut quam hoc minimum fieri possit, à me fiat. Deinde in hoc dicto singularis animi sibi præfidentis tumor apparuit, ac si penes eum esset se ex hac flamma eripere. Et quod *Pontificii* malitiose de libero arbitrio sentiunt, hoc Petrus per imprudentiam & incuriam admisit. *Notandum* etiam quomodo Petrus incaute Christi omniscientiam pernegat, & suam de se notitiam ei notitiæ, quæ in Christo erat, præfert.

Superbia igitur *duplex* est: nempe in præfidentia { Virium suarum. / Scientiæ.

Vide igitur eos qui in doctrina Euangelii recte sentiunt, imprudenter tamen illud verbis negare, quod intus & in animo gerunt. sic *Iacobi* 4, 13, 14, 15, 16.

Christus prius dictum cum specialius Petro accommodat, tum adjectione *Amen*, nota vehementioris asseverationis firmius confirmat: quasi dicat; Tu pro cæteris te eximis ab isto scandalo, atqui ego confirmo, te præcipua quadam ratione me deserturum, non tantum communi omnium desertione. Tu dicis te nullo modo me deserturum; ego affirmo, te me ad abnegationem usque deserturum. Tu nunquam hoc te facturum profiteris: ego contra affirmo, te hodie atque hac ipsa nocte me ter abnegaturum, antequam gallus bis cantaverit. Et tametsi satis tibi esse debebat, quod hoc dixi, nunc tamen tibi solemniore & illustriore dicendi forma hoc confirmo: *Amen enim dico, &c.* Vers. 34. *Cui Spiritus S. non cedit.*

Hic videmus Spiritum Dei falsitati non credere, sed contra tanto ferventius resistere, quanto majore impetu quis adversus eum fertur. Maxime eum qui se falso absolvit, tanto profundius cœno pollutionis & iniquitatis suæ demersum iri. Denique tanto magis nudari & detegi alicujus impietatem, quanto studiosius eam quis operire & occulere contendit. Quod cum illis accidit, qui imprudentes & non cogitantes hoc fecerunt, quid illis fiet, qui refragrante conscientia se absolvunt & excusant.

Cum autem hæc Petro inscio in animo ejus delitescebant, *videmus* quanta profunditas sit humani cordis quam ne ipse quidem homo, quantumvis justus, si exploraret, penetrare possit: ut non sine causa dictum sit à Ioanne, Deum esse majorem corde nostro, 1 *Ioha. cap.* 3, 20. & à Paulo, non in eo se justifi- *Cordis humani profunditas.*

ficari, quod sibi nullius criminis conscius esset. 1 *Cor.*4,4. Iacobum quidem temere fecisse in confesso est, cum non pro se tantum, sed pro domesticis suis omnibus recepit Labanis soceri Idola surrepta non fuisse. Sed videtur vir bonus & justus pro se spondere posse. Verum enim vero aliter fieri hoc loco docemur. Quamobrem pulchre monent, qui consulunt, ut teipsum noris. Multi enim recessus & clandestinæ latebræ sunt in hominis animo, multa subterfugia, multæ rimæ & plicæ, ubi peccata delitescant & occultentur, ut valde nobis opus sit quotidie lucem verbi inferre ad istas tenebras illustrandas. Quod autem Matthæus dicit Petrum Christum abnegaturum ter, antequam gallus cecinerit, cum Marcus dicat illum hoc facturum antequam bis cantaverit: intelligendum est Matthæum intelligere Petrum negaturum ter antequam gallus suum illum cantum absolverit.

Matt.35. Marc.31. *Humana cæcitas contra Deum insurgit.*

Etiamsi oportuit me mori tecum, &c.] Hic videmus miram cæcitatē non modo non cedere Christo, sed vehementius contra insurgere. Quod vel maxime prodit depravatam nostram naturam, quæ instantiis ex lege & verbo Dei objectis fortius obsistit, & quasi novis viribus collectis adoritur. Vide *Ioann.* 13,8. Quanto melius fuisset Petro timere ne prolaberetur? *Proverb.* 14,16. Vide etiam quomodo pravum hoc Petri exemplum omnibus reliquis impingendi occasionem dedit.

Fugienda contentio Christi exemplo.

Quod Christus tertio non urget & pergit, quod cæpit dicere, porro confirmare; documento est piis hominibus, & Ministris præsertim, non esse contendendum, neque existimare in postremo verbo victoriam consistere; alioqui nullus esset finis, & altercando veritas amitteretur. Post unam igitur & alteram rei alicujus asseverationem quiescere nobis & tacere licebit. Vide hujus rei exemplum insigne apud Ieremiam, quia cedens Pseudoprophetæ abiit. *Ierem.* 28,11. item *Tit.*3,10,11. In Christo vero hæc cessio tanto insignior existit, quoad Petrus sua hac præfidentia Christum cum in suis sanctissimis Prophetis quorum princeps est, tum in sua ipsius persona mendacii arguebat. Si etenim ipse firmus (sicut de se professus est) mansisset, Christus neque in suo Propheta neque in sua ipsius persona sibi in suis dictis constitisset.

MATTH. *cap. 26, à vers. 36, ad 47.*

36 Tunc venit IESVS cum eis in locum, qui dicitur Gethsemane: & dicit discipulis; Sedete hic usque quo profectus precatus fuero illic.

37 Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & gravissime angi.

38 Tunc dicit eis IESVS; Vndiquaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hic, & vigilate mecum.

39 Et progressus paululum, procidit in faciem suam, precans, & dicens; Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum istud: verum tamen non ut ego volo, sed ut tu.

40 Tunc venit ad discipulos, & reperit eos dormientes: & dicit Petro; Itane non potuistis unam horam vigilare mecum?

41 Vigilate & orate, ne introeatis in tentationem, spiritus quidem est promptus, sed caro infirma.

42 Rursum secundo abiit, & precatus est, dicens; Pater mi, si non potest hoc poculum abire à me, quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.

43 Et quum venisset reperit eos rursum dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44 Et relictis eis, rursum abiit: & precatus est tertio, eundem sermonem loquutus.

45 Tunc venit ad discipulos suos, & dicit eis; Dormite quod superest, & requiescite: ecce, appropinquavit hora illa; & Filius hominis proditur in manus peccatorum.

46 Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me prodit.

MARC.

MARC. *cap.* 14, *à vers.* 32, *ad* 43.

32 Veniunt igitur in locum cujus nomen est *Gethsemane. Tunc dicit discipulis suis; Sedete hic usquedum precatus fuero.*

33 Et assumit Petrum & Iacobum, & Iohannem secum: cœpitque expavescere, & gravissime angi.

34 Et dixit eis; Vndequaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hic, & vigilate.

35 Progressusque paululum, procidit in terram: & oravit, ut, si fieri posset, abiret ab ipso hora illa.

36 Dixitque; Abba, Pater, omnia fieri abs te possunt: transfer à me istud poculum; verum non quid ego velim, sed quid tu.

37 Tunc venit, & invenit eos dormientes: dixitque Petro; Simon, dormis? non potuisti unam horam vigilare?

38 Vigilate & precamini, ne introeatis in tentationem, spiritus quidem promtus est, sed caro infirma.

39 Et quum rursum abiisset, precatus est, eundem sermonem loquutus.

40 Reversus autem invenit eos rursum dormientes; (erant enim oculi eorum gravati) neque sciebant quid ei responderent.

41 Et venit tertio, dicitque eis; Dormite quod superest, & requiescite: sufficit, venit hora: ecce, traditur Filius hominis in manus peccatorum.

42 Surgite, eamus: ecce, qui prodit me, appropinquavit.

LVC. *cap.* 22, *à* 39, *ad* 47.

39 Et egressus, profectus est ex more in montem Olearum: sequuti sunt autem etiam discipuli ejus.

40 Quum vero pervenisset ad eum locum, dixit eis, orate ne introeatis in tentationem.

41 Tum ipse abscessit ab eis quasi ad jactum lapidis, positisque genibus oravit.

42 Dicens; Pater, si velles transferre poculum hoc à me! verumtamen non mea voluntas sed tua fiat.

43 Conspectus est autem ei Angelus è cœlo corroborans eum.

44 Et ipse constitutus in angore, intentius orabat; Erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram.

45 Et quum surrexisset à precatione, venissetque ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.

46 Et dixit eis; Quid dormitis? surgite, & orate, ne introëatis in tentationem.

ANALYSIS.

PRimum hic sermo Christi describitur à subjecto loco ubi habitus est apud *Lucam*, magis generali, nempe cum jam pervenisset ad montem Olivarum, apud *Matth.* & *Marc.* magis speciali, in villa quæ vocatur Gethsemane, maxime speciali, cum esset in horto, ut est apud *Ioannem*. Causa etiam efficiens notatur, profectio in illum locum quod eo consueverat ire (ut videtur) precatum: deinde adjunctum hujus profectionis ad illum usque locum notat discipulorum seu Apostolorum comitatum, post effectum Christi notatur, jussio discipulorum, ut ibi considerent seorsim, & aliquo spatio remoti, jactu lapidis apud *Luc.* quod suo fine declaratur, ut solus precaretur, apud *Luc.* additur aliud effectum Christi, mandatum ad discipulos, ut Deum precarentur; quod suo fine declaratur, ne intrent in tentationem.

MATTH. 37. Aliud effectum Christi notatur, selectio trium discipulorum ex undecim, qui propius eum accederent. Deinde describitur aliud effectum Christi, quod cœpit tristari; quod compa-

ratione majoris exornatur, non tantum cœpit contristari, sed porro gravissime angi.

Vers. 38. Adjunctum hujus angoris, prof ssio apud tres Apostolos, se undique & omni ex parte contristatum esse: cujus angoris in se effectum est mors; aliud effectum hujus mœroris, adhortatio ad discipulos ut ibi subsisterent & vigilarent cũ illo.

Vers. 39. Narratur porro circumstantia precum Christi; primum subjectus locus, aliqua spatii distantia à tribus discipulis: deinde ab adjuncta geniculatione (ut est apud *Lucam*) procidens super faciem, ut hoc loco: postea forma orationis notatur.

Luc. 43. Effectum hujus orationis est corroboratio Christi: quæ describitur ab efficiente instrumentali Angelo, forma visibili & (procul dubio) verbis consolatoriis apparente; describitur etiam Angelus à subjecto loco, nempe cœlo. Quod idem subintelligendum est factum fuisse sub fine duarum insequentium precationum.

Matth. 40. Narratur effectum aliud Christi, reditus ad discipulos tum octo illos longiore, tum tres propinquiore intervallo remotos: qui reditus suo eventu declaratur, quod offendit eos dormientes. Cujus dormitionis efficiens apud *Luc.* est tristitia; effectum est reprehensio discipulorum omnium per Christum & præsertim *Petri. Luc.*46. *Matth. vers.* 40. quæ reprehensio exaggeratur adjuncto tempore, quod ne ad unam tantum horam vigilarint.

Vers. 41. Adhortatio Christi ad discipulos ad vigilandum, quod suo fine declaratur, ut orent: quæ utraque alio fine declaratur ne intrent in tentationem; quod efficiente causa arguitur, quia caro infirma est; quod diverso illustratur, tametsi spiritus sit promptus.

Vers. 42. Describitur precatio Christi ab adjuncto numero, nempe quod secundo hoc fecit; forma eadem cum priore ut est apud *Marc.* sed adjuncto aliquantulum discrepante, nempe majore fervore, ut apud *Luc.* etiam longiori oratione: id enim vox ἐκτενέστερον significare potest, perinde ut majorem fervorem: vide, *Actor.* 12. apud *Luc.* 44. aliud effectum agonis indicatur, quod pro sudore excernebat corpore grumos sanguinis magna copia.

Vers. 43. Ubi causa efficiens dormitionis assignatur, quod oculi eorum gravati essent.

Vers. 44. Vide 39.

Vers. 45. Effectum tertiæ dormitionis est acris & dentata discipulorum per Christum reprehensio; quæ exornatur ironia, qua jubet ut pergant dormire & quiescere; quæ acerbitas reprehensionis arguitur ab adjuncta propinquitate temporis, quo Christus comprehendendus erat.

Vers. 46. Quæ acerbitas exaggeratur, quod jam illis vel invitis expergiscendum erat ut abirent: quod arguitur ab adjuncta appropinquatione proditoris.

METAPHRASIS.

Matth. 36. *TUm Iesus trajecto torrente Cedronis, una*
cum undecim Apostolis venit in vallem
propter eximiam feracitatem dictam Gethsemane, ubi inter alios unus hortus erat, quo Iesus orationis, meditationis & colligendi animi causa ventitare consueverat, ad basim montis Olivarum situs, quam Iesu in horto frequentationem Iudas non ignorabat, ut liquido constet Iesum mortem sponte pro nobis oppetiisse: cum non (ut olim Elias) deserta loca captavit, sed in illum locum concessit, qui proditori tam obvius erat & expeditus. Quo cum Iesus advenisset, ex undecim discipulis octo mandavit, dicens; considite hic in ipso ingressu & veluti limine horti, quoad ego aliquantulum ibi progressus, Deum Patrem invocem, hoc modo solitudinem ad liberius precandum magis opportunam quærens. Luc. v. 40. *quibus etiam edixit,*
ut Deum cum illo precarentur. Petrum tamen 37.
& duos Zebedæi filios Iacobum & Ioannem,
ut gloriæ suæ in monte ita perpessionum suarum testes, tum vero ut laboranti (si opus essent) subvenirent, ex undecim selectos secum duxit: his ita dispositis, sponte sua, vivens & videns cœpit contristari & angi vehementissime. Unde tribus illis dixit; Undique mœrori- 38.
bus ita premor, ut mœror sua magnitudine
lethalis plane & mortifer sit. Vos etiam hic aliquantulum subsistite & excubias agite cum vestra ipsorum, tum mea (si opus erit) causa potius: mœrore premor non nisi morte deponendo, sæpius antehac dolore correptus sed quem subinde pepuli. Deinceps paululũ progressus vel 39.
fervore potius abreptus. primum Luc. 41. *in ge-*
nua, deinde pronus in faciem procidens, ad hunc fere modũ precatus est; Pater, si per tuam gloriam, & electorum salutem fieri posset, ut hujus acerbissimæ pœnæ (quam jam gustare cœpi) præfinitus veluti ad exhauriendũ calix transeat, ut auferatur peto: verum enim vero, quicquid est, & quantumcumque quod me manet malum non mea sed tua (ad quam me conforma-
re æquum est) voluntas fiat. Quod valde vo- Luc. 43.
luit à Deo Patre suo non exorans, ab eo tamen
repulsam non tulit: Beatus etenim Angelus, utpote de cœlo beatorum domicilio descendens, eum ab omnibus, etiam Apostolis desertum & derelictum cum jucunda sui visione & aspectu, tum verbis consolatoriis ad susceptum redemptionis opus corroboravit. Quod quidem ad exitum duarum insequentium Christi precationum factum fuisse intelligendum est: Luca *unica modo sententia triplicem hanc Angeli corroborationem haud secus breviter complectente, quam triplicem Christi ad discipulos profectionem, ut quid agerent videret. Chri-* Matth.
stus tametsi abunde satis suarum rerum ha- 40.
buit, quibus se totum (quantus quantus erat) vel ad fatigationem, occuparet: tamen discipulorum suorum cura & sollicitudine ductus, omnes cum illos octo, qui longiore, tum tres

alios

alios qui propinquiori intervallo ab eo remoti sunt, invisit. Quos dormientes præter spem offendens, quod mœrore confecti ad vigilandum inidonei essent, ad unum omnes verbis perstringens, Petrum præcipua quadam ratione pervellebat, dicens; Siccine, Petre, fieri decet, ut tu, qui omnibus condiscipulis in omni obsequii & perpessionum genere teipsum prætulisti, non potueris vel ad unam modo horam mihi te in vigiliis comitem præbere, qui si vigilare jussus fuisses interim dum ego somnum capissem, hoc officium detrectare non debebas.

41. *Vt vigiletis & oretis moneo, ne securi tentationibus quæ vobis imminent obruamini. Nec vos fallat quod Spiritus Sancti in vobis operatione promptitudinem aliquam ad resistendum sentiatis: hæret enim in vobis penitus veteris hominis corruptela, quæ omnibus ad bene agendum viribus destituta ad maleficii omne genus*

42. *prompta & parata est. Christus ex discipulorum visitatione nullam consolationem percipiens, sed dolorem augens ex intuitu pœnæ, quæ illi ob hanc oscitantiam amplius adhuc dependenda erat: ad Deum secundo per preces regreditur: ubi tametsi eadem precandi formula usus sit* Marc.39. *Tamen cum ferventiori spiritu, tum diuturniori tempore (ut videtur* Luc.44.*) precatus est: Qui quidem fervor & intensio precandi inde orta est, quod dolores eum adhuc gravius, quam ante, urgebant: usque enim eo animo cruentatus est, ut grumi sanguinis ex omnibus corporis partibus tanta copia manarent, ut neque in genis, sed nec in vestibus subsisterent, sed ad terram usque de-*

43. *scenderent.* Luc.44. *Denuo ad discipulos recurrens, ut prius, eos somno oppressos offendit: quod animo mœsti oculis etiam gravati essent.*

44. *Quamobrem ad Deum (ut prius) recurrens, ad eundem, quo dictum est, modum Deum*

45. *precatus est. Post ad discipulos revertens & jam tertio dormientes offendens acrius & asperius quam prius perstrinxit hanc somnolentiam salse irridens; Scilicet, inquit, quandoquidem bis benigne admoniti non resipiscitis, pergite dormire, & tanquam ebrii ad quietem vos componite, siquidem tempus jam instat, quo me filium hominis tradi oportebit.*

46. *Iam enim vel vobis invitis expergisci vos oportet. Quamobrem surgite, in occursum hostibus eamus; prope etenim adest, qui me traditurus est.*

PRAXIS.

SVmma, Christus in horto Gethsemane preces ardenter fundit, & Apostolorum somnolentiam acriter reprehendit.

Iubet ut considant in horto, quoad ille precatum iret, & simul illis precationem injungit proposito tentationem intrandi periculo, ut est apud *Lucam*. Quæ duo videntur non posse consistere. Nam considendi situs precationi non competebat. Sed promptum est respondere vocem considendi synecdochice sumi pro permansione in eo loco. Hic *quærat* aliquis, cur, cum Christo & discipulis simul justa causa precandi subisset, non simul preces suas conjunxerint. Vtrique metu futurorum malorum oppressi cum fuerint, æquum videtur ut copias suas & vires ad Deum exorandum conjungerent. *Resp.* Christum non potuisse per Servatoris vocationem aliorum opem in Deo pro se precando asciscere. Solus enim debebat & potuit Deo pro nobis satisfacere. Nec enim ullius hominis aut Angeli preces Dei iram pacare poterant, & liberationem, quam Christus quærebat, impetrare. *Esai* 63,1,2,3,*&c.* atque hoc plane fuisset asinum & bovem conjugasse, & agrum diversis seminibus consevisse. Deinde Christi precationis subjectum longe diversum fuit à materia subjecta precum Apostolorum. MATTH. vers.36. *Duplex in hoc versu scrupulus sublatus.*

Hic *discimus* afflictiones quantumcunque graves & acerbas nos non modo à Dei invocatione absterrere non debere, sed potius nos accendere & acuere ad precandum. Hypocritæ in afflictionibus ejulant & exclamant sensu ultionis divinæ; sed ut Deum quærant non perinde facile est. Deum quidem pro suo more rebus prosperis adeunt, sed adversis se à Deo subducunt. Contra pii, ut ut rebus secundis silent quandoque, adversis tamen reviviscunt; spes enim hypocritæ est instar telæ araneorum, quæ levi momento tollitur. *Graves afflictiones accendere preces oportet.*

Quid autem sit *tentationem ingredi*, patet ex eventu discipulorum, qui omnes in fugam versi, Christum deserebant; maxime vero Petrus, qui cum ter negavit & abjuravit: ingredi enim tentationem non est tantum tentationem sibi objectam ante oculos habere, sed laqueis ejus impediri & implicari ut non pateat exitus. 1 *Cor.*10,13.& 2 *Cor.*12,7,8,8. LVC.40. Quid tentationem ingredi.

Hic etiam *quæri* possit, quomodo necessarium fuit discipulis Deum precari, ne, &c. Cum Christus id prius præstiterit. *Luc.*22,32. & *Iohan.*17. nec fieri posset ut exciderent, quos Christus servatos esse voluit. *Resp.* certitudinem salutis non convellere media quibus ad eam itur. Vide *Act.*27,31. Vnde Christus ipse ad preces confugit, quanto *Quorsum Discipulorum preces:*

nobis magis hoc incumbit? Nec vero satis nobis esse debet ut servemur, nisi etiam Deum vitæ incorruptione prædicemus. Curandum enim non tantum ne ad nostrum interitum prolabamur, sed ne ad Dei gloriam obscurandam & proximi damnum impingamus.

Vers. 37. Cur Christus istos tres assumpserit.

Quod tres istos accepit cæteris relictis ut propius eos ad παθημάτων inspectionem adhiberet; id eo fecit, ut eosdem abjectionis & afflictæ conditionis testes habens, quos gloriæ in monte ostensæ habuit, minus ex miserrima ejus conditione ad defectionem à se sollicitarentur. Sic Paulus ad tertium cœlum raptus Angelum Satanæ sibi immissum habebat, à quo veluti colaphis cæderetur. 2 *Cor.* 12. Sic Iobus divitiis, honoribus, liberis ornatissimus, post ad extrema quæque demersus est, & adjungit (quod hujus loci proprium est) æquum esse ut qui bona à Deo acceperint, mala itidem accipiant & boni consulant. *Iob* 2, 10. Quamobrem, fratres, si qui simus, qui eximia à Deo dona, honores, &c. accepimus, his veluti armis seu ferro armemur adversus spinas & cynosbatum afflictionum, quibus nos Deus explorare constituit. Quamobrem operandum est, ut omnia Dei beneficia, maxime illa in quibus nos à cæteris coætaneis & æqualibus nostris Deus discrevit, in memoria veluti congesta & asservata habeamus, ut eorum suavissimo gustu, qui nunquam nobis excidere debet, adversum amarum afflictionum calicem muniamur: scientes quod si qui vel in Ecclesia vel Republ. Christiana honoribus præ cæteris onusti sint; qui ignominiam & gratiæ jacturam, &c. veritatis causa refugiunt; hi nullum testimonium filiorum Dei in se habeant, nec aliis unde bene de se sentiant præbeant; qui ubi in monte cum Christo fuerunt & in horto esse recusant. Vbi singularis consolationis loco est, quod in illa afflictione cũ Christo sunt, id est, illi in afflictionibus conformes fiunt.

Æqualibus non invidendum.

Quod etiam nos admonet, ne æqualium nostrorum honoribus aut donis invideamus: quandoquidem non alia conditione illa accipiunt, quam ut graviores tentationes subeant. Ecquis enim socio donum invidet, quod mox in herili negotio distrahendum est. Est etiam alia causa cur hoc Deus faciat, nempe ne excellentia acceptorum donorum efferamur animis & insolescamus. 2 *Cor. cap.* 12, *vers.* 7.

Pontificiorum error in consideratione passionis Christi.

Pontificii Christi perpessiones formidabiles sic considerant, ut miserationem commoveant, cum quod Christus talia tormenta pertulit, tum quod pia mater virgo Maria ex his perpessionibus miserandum in modum afflicta sit; idque ut omnium odium in Iudæos accendant, qui Christum tam indigne tractarunt. Quod quidem humanum quiddam est ex prophana historia exprimendum. Hunc errorem Christus videtur pervellere. *Luc.* 23, 27, 28, 29, 30, 31.

Ejus usus legitimus.

Nobis vero incumbit, ut in Christi passione, tanquam in speculo, *primum* nostrorum peccatorum tetram & horrendam deformitatem, pœnæque atrocitatem; *deinde* amorem Dei incomparabilem; *tertio* redemptionem, quam inde percipimus, intueamur; *quarto* ut nos ad dolorem pro peccatis abducat: denique ad vitæ novitatem & corruptionis cruentationem recta nos ducat.

Cur Christus instante demum morte dolere cœperit.

Ἤρξατο λυπεῖσθαι.] Quod tum mœrere incepit, cum causæ mœroris sui æque clare & evolute illi prius cognitæ & prospectæ atque etiam creditæ erant, indicio est Christum non nisi sponte & judicio suo istud certamen & palæstram ingressum esse. Nam in nobis secus est. Cum enim mala nostra plene cognita habemus & Dei comminationibus indubitanter credimus præsertim nobis ingruentibus, ilico dolorem arripimus. Christus non item; quia sua divinitate illa propulsavit & procul a se abarcuit tantisper, quoad tempus præstitutum illis perferendis adveniret.

Quod quidem *dupliciter nobis prodest: primum* ut peccatis nostris summe voluntariis & voluntatis præcipitatione admissis, hanc Christi pro illis perpessionem λύτρου loco opponamus: *deinde* ut offensioni ex Christi afflicta & infirma conditione occurratur. Nam cum scimus illum sponte hoc fecisse & delectu suo, qui ista omnia declinare poterat si voluisset, nulla ratio est cur ejus perpessionibus ad illius contemptum moveamur. Atque ut sponte hoc certamen ingressus est, sic decurso penitus hoc stadio sponte sua expiravit, ut post videbitur, secus quam in nobis accidit. MARC. 33. *Quotuplex Christi perturbatio.*

Hujus vero animi motus & perturbationis apud *Marcum* duo membra sunt, videlicet,
- Ἐκθαμβῆσθαι.
- Ἀδημονία.

Vel potius Integrum fuit ἀγωνία, cujus *Lucas* meminit *cap.* 22. cujus membra sunt
- Λύπη.
- Ἐκθαμβῆσθαι.
- Ἀδημονία.

Ἐκθαμ-

Quid ἐκθαμβησις. Ἐκθάμβησις est omnium facultatum ex vehementissimo & acerrimo sensu iræ divinæ obstupefactio. Videmus enim homines gravitate malorum onustos, maxime cum subito irruunt, ut hic factum est, penitus ita esse attonitos; ut astantibus vix apud se esse videantur. Sed illa mala quæ nos obstupefaciunt externa & adventitia sunt. Intestini enim dolores aliquot gradibus procedunt, & incrementa accipiunt. In Christo vero simul & semel videntur illum adorti.

Quid ἀδημονία. Ἀδημονία est qua omnibus facultatibus ex mera naturali infirmitate, sancta facultatum inter se συμπάθεια proprias functiones relinquentibus, & ad communem ægritudinem sublevandam abreptis, ipse ineffabili divini judicii horrore tantummodo occupatus, impositi muneris ad tempus non recordabatur: bibit enim calicem furoris divini, atque adeo fæces exsuxit potius: illud volenti ei obvenit pro peccatis nostris, quod Iehudæ nolenti obventurum prædicitur suis. *Ezech.* 23, 32, 33, 34. Nam supra vires intelligentiæ, memoriæ, judicii, voluntatis humanæ cum quid infertur aut infligitur, si animi aut corporis facultates succumbunt, hoc non est in vitio; ut cum penitius & attentius in alicujus rei commentatione animo occupato, oculus non cernit, quæ ante & coram sunt, nullo id oculi vitio fit. Atque ut in perfectissimo horologio usu venit, ut justus ejus motus ad tempus impediatur, vel aëris intemperie vel manu retentus nullo horologii vitio: Sic animo propter onus dolorum, quibus premitur, ab ejus propriis muneribus obeundis cessante, nullo id animi vitio accidit Huc accedit ut primaria animi facultate, mente scilicet & intelligentia ad rem aliquam considerandam abrepta, reliquæ animæ facultates συμπάθεια eo simul abripiantur.

Dolores etiam in hac vita peccata meruerunt. Hic *discendum* nos peccatorum nostrorum reatu promeritos esse ut angores in hac etiam vita nos corriperent, quibus perferendis impares animi nostri facultates existunt. Christi autem perpessionibus his effectum esse, ut nihil jam nos angorum incessat, nisi quod sustinendo erimus, non quidem viribus naturalibus, sed Spiritus Sancti nobis in Christo suppeditati: ita ut si nobis hujusmodi quid accidat, quod hic Christo obtigit, à culpa abesse nequeamus. Hic *quæritur*

Quæ angorum Christi causa. quid causæ fuerit cur Christus tantis angoribus confectus & confixus sit. Plerique ut *Arianorum* calumniam commodius declinarent, qui ex hac Christi abjectione & exinanitione ei divinam potentiam detrahere conabantur; ajunt eum in hanc voraginem mœrorum & angorum incidisse, quod Apostolorum defectionem & abnegationem animo præciperet; veriti ne si dicerent Christum mortem exhorruisse, rem tanta majestate indignam assignarent. Sed certo certius est Christum ideo animi pendere & anxium esse, quod ipse calicem illum bibiturus esset, qui ob oculos ejus obversabatur, ut post ex ejus precatione, qua Deum comprecatus est, liquet. Nec tamen aliquid hic admissum est Filio Dei indignum: nam illi hic luctandum erat non cum morte, sed cum inferis ipsis; & pœna subeunda, quæ omnium nostrum peccatis in universum ævum & infinitum tempus justa & debita erat. Quamobrem Christus hic nobis considerandus est, non ut privatus aliquis (quo respectu Deus justitia sua impeditus fuisset pœnas vel levissimas sumere) sed tanquam publica persona seu præs, & sponsor pro debito filiorum Dei.

Non igitur mirum videri debet si Christus mortem exhorruit quam & impii æquius & constantius ferunt, & pii non sine summa alacritate & lætitia amplectuntur, ad mortem tanquam ad convivium properantes. *Quales in hominibus morituris non cernuntur.* Nam quod ad impios attinet, eorum in morte fiducia inde oritur, quod ipsam mortem, & mortis stimulum, inferos, & Dei iram aut penitus ignorant, aut stupore & incuria non attendunt. Quod autem ad pios attinet, sciendum est longe alia in arena versari quam Christus. Nam *primum* rem habent cum morte & inferis devictis & profligatis; Christus autem cum illis jam vegetis & armatis ira divina luctatus est. *Deinde* piis ope divina in afflictionibus succurritur, sed Deus quodam modo suam opem Christo subtraxit gravissime laboranti, ut pœnas nobis debitas plene dependeret. Hinc coarguantur *Pontificii*, qui Christum verum Samsonem ob communis mortis duntaxat metum exhorruisse dicunt, &c. Hujus autem causa immediata est, quod angores subito & veluti uno momento eum invaserunt, ut ex sequenti versu constat cum hoc versu collato. Nec tantum præsentium malorum sensus, sed porro impendentium certissima expectatio.

Subitæ Christi in summos dolores Περίλυπος.] *Notandum* eodem ipso tempore, quo contristari cœpit, dolores & angores eum gregatim & turmatim corripuisse, ita

ſe, ita ut uno momento veluti ad collum uſque in aquas angorum & cruciatuum præcipitatus & detruſus eſſet; eoque affirmat ilico atque dolores eum acceperant, ſe illis undique obſeſſum fuiſſe, ut nuſquam mortis effugium pateret. Quod quidem ad gravitatem & magnitudinem perpeſſionum pertinet. Nam cum catervatim tanquam fluctus maris confluunt ut unus alterum aſſequatur & attingat, tum demum acrius pungunt. Hinc Propheta de Babylone cui graviter comminatur, pronunciat una die illam & viduam & orbam fore. *Eſa.* 47,7,8,9. Hujus rei memorabile exemplum eſt in Iobo.

Vſus duplex.

Quod etiam nos *primum* admoneat, ſi quando nobis illud adveniat, graviora eſſe peccata noſtra, quorum cauſa hæc tam conferta afflictionum concurſatio nos invadit. Nam cum Chriſtus tot & tantorum peccatorum pœnas luebat, oportuit illum hoc modo tractari. In Iobo quidem & aliquot aliis perpaucis ſecus fit, ut gravius cæteris plectantur, tametſi eorum ſcelera aliorum piorum peccatis minora exiſtant (cujus plures cauſæ aſſignari poſſunt) ſed maxima parte ſecus fit. *Deinde* conſolationem habet: ſi quando piis & fidelibus hoc accidat, eos Chriſti perpeſſionibus tanto propius & arctius communicare.

MATTH. 38. *Quæ triſtitia* ad mortem.

Anima mea triſtis eſt ad mortem.] Id eſt, hic dolor nunquam finietur aut intermittetur niſi per mortem. Sæpe autem dolore correptus, illum poſt depoſuit. Sed hic dolor alius eſt.

Cur Chriſtus tres illos à ſe ſeparet.

Μείνατε ὧδε.] Se prius diſcipulis nudaverat, quos à ſe ſepoſitos eſſe voluit. Iam vero urgente eum & pungente animi mærore, tres reliquos à ſe abjunxit, hoc conſilio ut liberius cum Deo ageret & vota ſua coram Deo proferret. Quod tametſi alienius apparet, cum convenientius videatur iſtos in ſocietatem precationis adhibere; tamen cum communis cauſa non eſſet, ſed Chriſti propria, operæ pretium eſt ut ipſe hoc ſolus faciat. Huc accedit interfuiſſe noſtra ne ullus Chriſto laboranti ſuccurreret. *Eſai.*63,3.

Precandi neceſſitas,

Notandum porro Chriſtum Dei Filium doloribus obſeſſum, nullum perfugium inveniſſe præter Dei nomen, ad quod ſe recepit, & quod ei inſtar arcis & propugnaculi extitit. Quod, ſi Chriſto exitus è malis non patuit niſi Deum precando, nedum nobis. *Ioëlis cap.*2,*verſ.*31,32. *Sol obſcurabitur, &c. Sed qui nomen Dei invocat ſervabitur.* Simul etiam *notandum*, nulla tanta & tam gravia tormenta eſſe poſſe, quæ nos à precibus impedire debent; neque ulla tam atrocia eſſe, quorum in invocatione nominis Dei remedium non ſit paratum; cum Chriſtus à timore ſuo exauditus ſit. *Hebr.*5,7. Vide *Pſal.*130. 1 *Ionæ cap.*2.

Præſertim in difficultatibus,

Γρηγορεῖτε.] Iuſſerat prius, ut diſcipuli omnes, ut eſt apud *Luc.* precarentur, ne intrarent in tentationem; nunc tribus ſpeciatim mandat, ut in precibus vigilarent & excubias agerent. Cujus ratio eſt, quod ad perpeſſionum Chriſti ſpectaculum propius admiſſi, tanto magis debebant precibus decertare, ne à tentatione vincerentur. Quamobrem quo gravius nobis onus incumbit, eo ferventius eſt precibus inſiſtendum, ne ex tam edito loco decidentes, prorſus obteramur & in particulas comminuamur. Sic videmus Paulum aſſiduum fuiſſe in precibus & frequentem in jejuniis. Sic David. Ideo vero vigiliarum præcipue meminit, quod nox eſſet & tempus quieſcendi.

Cum Eccleſia Chriſti.

Μετ' ἐμοῦ.] Argumentum complectitur cur vigilarent, à majore: cum enim ipſe hoc faciam, qui herus & magiſter veſter ſum; nedum vos hoc præſtare debetis. Si ego hoc facio, qui propria virtute conſiſto; nedum vos, qui aliena, id eſt, mea conſiſtitis. Et quidem quod ad Chriſtum attinet, extra telum tentationis, eoque laborem vigiliarum exiſtit. Sed in corpore ſuo quod eſt Eccleſia tentatur, jactatur, agitatur, & excubias agit. Eoque æquiſſimum eſt ut noſipſos comites Eccleſiæ excubias agenti præbeamus. Precandum pro fidei domeſticis, maxime pro Ioſepho afflicto. Vide Hiſtoriam Vriæ, qui noluit lecto cum uxore una cubare, dum populus Dei in caſtris ageret. 2 *Sam.*11,11. Cum igitur Eccleſia jam tanquam Ioſephus gladio, compedibus, fame divexetur, nos pro ea & cum ea ad orationes & jejunia vigilare oportet.

Verſ.39,& LVC.41. *Idque ardore inſuperabili.*

Lucas notat eum lapidis jactu à ſuis avulſum fuiſſe. Vbi *notandum* quod Euangeliſta avulſum fuiſſe narrat, quo indicat illud deſiderium precandi & ad Deum confugiendi Chriſtum inceſſiſſe, ut illum quodammodo truderet, ut non tam abſceſſerit quam avulſus fuerit. Quod nos erudiat afflictiones nobis debere illum precandi ardorem injicere, qui reſtingui nequeat, ſed veluti effractis repagulis & impedimentis omnibus erumpat. Atque illud indicatur Proverbio Salomonis *cap.*18,10. ubi dicitur juſtum ad arcem invocationis nominis divini acceleraturum. Si

quis

quis amicum habens gravius prematur, nihil ei magis in votis est, quam ut amico in occursum prodeat, ut suum in sinum amici dolorem exoneret. Quod si amicis facimus, qui nullam sæpe medicinam malo afferre possunt, nedum Deo, qui illud potest. Huc etiam spectat, quod præ nimio ardore Deum accedendi non potuit longius progredi, antequam coram Deo precibus se sisteret.

Peccati in Christo sensus gravissimus; Ἔπιπτεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ.] *Lucas* habet eum prius positis genibus precatum: post autem interiore sensu miseriæ pronus terræ incumbit. Quod nos docet quantopere Christus sensu peccatorum dejectus est; ut is qui cœlis altior esset, se ad ima quæque prosterneret, tanquam profiteretur se indignum esse, qui cœlum aspiceret; dignissimum, qui in barathrum inferorum demergeretur propter peccata nostra. Quod etiam nos docet quomodo afflicti & percussi sensu peccatorum nostrorum, testimonia etiam quæramus veræ nostræ humilitatis & abjectionis. Hinc est quod Iobus in pulvere & cinere se volvat: item quod qui olim jejunabant, capiti pulverem aspergebant. Sic David affirmat pulverem sibi pro cibo fuisse, lachrymas pro potu. *Psal.* 102,10. *Lament.* 3,16. Hoc quidem Christus non fecit in Ecclesia, quoniam externi gestus ibi ordinarii & præstituti sunt, sed privatim, &c.

Et pondus. *Notetur* pondus peccati, quod Christum ad terram stravit; quod nos leve plerumque ducimus.

Precatio Christi vitii expers. *Sequitur precatio.* In qua primum sciendum est, non esse in vitio, si quis malum ingruens & adventans declinare studeat, cum illud naturæ humanæ incorruptæ congruum sit.

Hic si *objiciatur* Christi voluntatem Patris voluntati contrariam esse: *Resp.* diversam esse, non contrariam, potest autem diversa esse sine peccato: ut filius ingenuus optat vitam patris, cujus mortem Deus vult. Vide *Actor.* 16,6,7.

Deinde quod illud non pure deprecatur, sed ὑποθετικῶς, si Deo ita visum fuit: quod est dignissimum Christo & Christiano: ut contra alienum, immunitatem à malis petere, invito Deo.

Hactenus igitur extra controversiam est, nihil contra officium fieri. Reliquum est, ut, si qua culpa sit, in eo versetur & consistat, quod cum probe noverat consilium Dei fuisse ante jacta mundi fundamenta lege & Prophetis, atque adeo suo ipsius testimonio clarissime consignatum & frequentibus repetitionibus ingeminatum, ut hunc calicem exhauriret, hac tamen petitione, illud videatur in dubium vocare. Perinde enim est ac si dicere videretur, si fieri possit, irritum sit tuum consilium, tuæ per Prophetas atque adeo meipsum principem Prophetarum prædictiones; eaque (si fieri potest) non sint vera, quæ ipse veritas pronunciavi. Hic igitur replicandum est, quod prius de obstupefactione Christi Euangelista narrat, & de gravitate incomparabili malorum, quibus premebatur & quæ memoriam ejus finitam (humanam scilicet) opprimebant, ut ad temporis momentum illius consilii aliquantulum dubius fuerit, & in illam partem propenderet, quæ illi commoda & salutaris fuit. Videbatur enim prima specie veluti indignum Deo, suum Filium ad tantam abjectionem redigere.

Hinc iterum colligitur quam incomparabilis & summe infinita fuerit pœna, quam Christus pro nobis pendebat, quæ Christum adigebat ut hanc petitionem proferret. Legimus enim Paulum & Mosen æternum corporis & animi exilium sibi ipsis præoptasse, ut Dei gloriam, populique salutem procurarent. *Rom.* 9. *Exod.* 32. Si igitur hi viri gloria Dei & salute populi permoti extremum exitium minime destinatum sibimet accersere sponte voluerint; oportuit graviorem pœnam esse, quam aliquis damnatorum in omne ævum perlaturus erat, quæ Christum perpellebat multis gradibus divinæ gloriæ & humanæ salutis sitientiorem quam aut Moses aut Paulus ut pœnam sibi à Deo impositam declinaret. *Infinita peccatorum in Christo pœna.*

Hinc etiam *discimus* nihil tam acerbum & tam amarum esse, quod non subire nos oporteat, dummodo intelligamus nobis hoc voluntate divina sustinendum esse. Nam omnes afflictiones, quæ pios manent, cum his compositæ & collatæ, vix pulicis morsu æquant. Nullus ergo calix tam amarus & acerbus est, quem commentatio calicis Christi & amaritudinis ejus (tanquam saccharum injectum & maceratum) non facile demitigaverit, & quodammodo dulcem reddiderit. Vide *Hebr.* 12,1,2,3. *Promptum voluntatis divinæ obsequium à nobis exigit.*

Hinc etiam *liquet* duas esse in Christo voluntates, unam quoad homo est, alteram quoad Deus. Luc. 43.

Apud *Lucam* Angeli è cœlo apparitio priori petitioni subjungitur, & verosimile est, ad singulas tres vices Angelum apparuisse, ut *Quoties, Angelus Christo apparuerit.*

ut illum lassum & pertæsum dolorum, consolaretur & corroboraret. Cujus hæc ratio est, quod *Lucas* hoc scribens, perinde commune adjunctum tribus precandi vicibus attribuit, atque discipulorum dormientium visitationem atque expergefactionem atque adeo hanc Angeli corroborationem visitationi præponit. Huc accedit quod ab Angelo recreatus aptior erat ad discipulos confirmandos.

Hoc itidem Christo accidit cum in deserto esset, ubi ab hominibus auxilium & opem consequi nequivit: itidem & nunc in horto fit, ubi cum toto inferorum exercitu luctatus est. Quod idcirco factum videtur, quod nullum ei in terris ab ullis hominibus, (ne à discipulis quidem suis) suppeteret. Eoque sperandum in Deo est, eum nos non deserturum, cum simus ab omnibus humanis subsidiis nudati. Vide exemplum Eliæ à rapacibus corvis aliti & nutriti. Sicut enim adversus primum mandatum peccatur, cum subsidiis, quæ Deus dedit, præterito Deo adhærescimus; sic non minus adversus illud mandatum peccatur, cum cessantibus aut sublatis subsidiis, ilico labascimus; ac si Deus non perinde nos sine mediis servare posset, atque adminiculis, quibus ad nos servandum aut consolandum usus est. Atque hoc tantum abest ut Christi cruciatus & angores minuat, ut illos magis exaggeret, quod tanti & tam incredibiles fuerint, ut illis perferendis Dei filio hoc subsidio opus fuerit.

In ipsa repulsa Deus nos sublevat. *Notemus* porro, nos repulsam in his quæ non tam commoda expetimus patientes, tamen à Deo sublevari, & viribus & fortitudine armari, quibus resistendo & perrumpendo simus. Tametsi Christus, quem Pater semper exaudit, *Iohan.* 11,41,42. repulsam non est passus, quandoquidem suam voluntatem Patris consilio permisit. Et hoc est quod Apostolus ait, Christum exauditum fuisse. *Hebr.* 5,7.

Vers. 44. *Grumi sanguinei.* Dicitur grumos, tanquam sanguinis, ea copia emisisse, ut ad terram deciderent, non tantum genas fœdarint & in illis se sisterent; ita ut particula ὡσεὶ sit ut Hebræorum *Caph.* item ut illud *Iohan.* 1,14. *ut gloriam unigeniti.* Primum illud notum est, homines in summis angoribus & cruciatu incalescere, & incalescendo sudorem emittere, unde solemne moribundis sudorem quendam excernere. Hinc est quod sanguis altari aspergebatur ante oblationem. Illud etiam notum est, corpus suis aquosis humoribus exhaustis & exsuctis post sanguinem perspirare tenuem. Sed Christum magnitudine dolorum ita pressum fuisse constat, ut ejus vis & acrimonia non tantum aquosum humorem, sed & sanguinem, eumque magna copia & veluti congelatum extruserit; nam guttæ tam confertim & tanta celeritate emittebantur, ut priusquam corpore excernerentur, aliquot guttulæ in unum quasi sanguinis corpusculum coalescerent. Cum autem sit συμπάθεια animi cum corpore, animo incomparabiliter affecto dolore, non mirum est si corpus in summam quassationem adduxerit.

Hoc etiam gravissimum testimonium est, *Summi doloris indicium.* infernalis Christi perpessionis. Ingens dolor erat quæ fœminæ extorsit tantam vim aquarum quanta Christi pedes lavit, *Lucæ* 7. Quantus igitur hic qui tantam vim sanguinis expressit? Hoc, ut nos docet ad quam pœnitudinem nosipsos adigere & extimulare debemus, ita, & singularem consolationem affert, ut, cum pœnitudine nostra indignationem atque adeo vindictam non eam sentiamus, quam peccatorum magnitudo efflagitat, meminerimus Christum perfectissimam pro nostris peccatis pœnitudinem explevisse. Propheta, fontes & rivos aquarum exoptavit, quibus populi delicta plangeret: præterquam autem quod una Christi lachrymula, cum fontibus & rivis lachrymarum Prophetæ, non tantum æquanda, sed & præponenda est, quia lachrymæ sunt Dei veri; videmus illam copiam vel sanguinis manasse, quæ admirabilis est; & non tantum oculos fontes lachrymarum extitisse, sed totum corpus Christi veluti in rivos sanguinis conversum esse.

Vere igitur hic is est, quem Ecclesia miratur vestibus sanguine respersis, ex hostium regione, & ex Metropoli inferorum. Sed tamen hoc interest, quod Propheta intelligit Christi vestimenta hostium sanguine fædata fuisse. Hoc autem loco Christus proprio sanguine perspergitur. Verum quidem est, sed interim hæc proprii sanguinis respersio, causa est cur vestimenta ejus sunt veluti hausta sanguine hostium suorum, tanquam qui torcular calcasset; causa etiam cur pedes nostros in sanguine impiorum ponemus, imo vero cur equis ad fræna usque in sanguinem illorum admissis inequitabimus.

MATTH. vers. 40. *Christi erga suos charitas.* Hujus ad discipulos itationis causa colligitur ex ipso rei eventu, nempe ut illos quo loco essent, & quibus ad tentationi resistendum viribus intelligeret, & quod deesset id suppleret.

suppleret. In quo illud *notandum* est, singularem & incredibilem fuisse Christi erga suos charitatem, qui in tanta dolorum infinitate, quibus obsessus erat, quæ ejus pro seipso curam merito vendicare poterat, non tamen suorum curam abjicit, sed eos veluti secum in mediis malis (cæteroquin onustus) circumgestat. Quod nos *doceat* ut curæ & fidei commissos, nunquam ne in acerrimis & acerbissimis nostris temporibus deseramus. Sic videmus Iohannem carcere inclusum & jam morti crudeli proximum, sollicitum fuisse ut discipuli sibi plus æquo addictiores Christo firmius & arctius adhærerent. *Matth.* 11. Sic videmus Paulum vel in maximis suis afflictionibus. 2 *Cor.* 11, 28, *&c.* Hic igitur Ioabi exemplum nobis proponendum, qui cum certam provinciam bellandi accepisset, & fratri alteram attribuisset, pollicetur se laboranti fratri succursurum: eandem ab illo operam exigens cum ipse hostibus inferior futurus erat. 2 *Samuel. cap* 10, *vers* 11.

Ab hominibus nunquam præstita.

Quod si quis *excipiat*, Charitatem, ex hac parte, in Christo non tam luxisse, cum alii hoc præstitisse inventi sint; hi in errore versantur. Nam quod alii hujus officii sunt memores, inde fit quod ne millesimam partem earum afflictionum perferant, quas Christus subiit; quibus Christus, pro modulo virium, quas concedit, afflictionis calicem admetitur.

Hinc nascitur singularis consolatio, Christum jam solutum omnibus curis, quæ illum circumsistebant, nostri non posse oblivisci, aut curam de nobis abjicere.

Christi angores ex Apostolorum securitate majores.

Quod dicitur venisse ad discipulos, id intelligendum videtur de omnibus, tam octo illis remotioribus, quam tribus propius admotis: quos dicitur omnes dormientes offendisse; loci enim circumstantia indicat, præter exspectationem hoc illi accidisse: illa enim inventa dicuntur, quæ præter exspectationem accidunt. Quamvis igitur secundum divinam ejus naturam omnia sciret, nec quicquam illi novum fuerit: tamen, &c. Hic igitur dolor Christi recrudescit, cum octo discipulos dormientes, & in tantis periculis securos offendit. Quod cum tanto magis percussit, quo hic tam intempestivus somnus inexspectatus fuit. Quod cum illi magnopere displicuit, eoque dolorem graviorem Christo accersebat; quantum & quam acrem illum dolorem putabimus, quem accepit ex reliquorum trium somno, quos & arctius complectebatur, & quibus plus credebat? Quod quidem cum eum ob eam causam punxit, quod Deo hæc somnolentia ingrata esset; tum ipsum angere necesse erat, quod hujus somnolentiæ pœna ipsimet luenda esset, & illius porro defectionis, quam hæc somnolentia attraxit. Quamobrem, Christus à suis conjunctissimis non tantum in agone adjutus non est, sed etiam vulneratus, & veluti confixus, & tum quidem, cum scirent illi, suorum peccatorum pretium dependendum esse. Quod tametsi eorum gravi peccato factum sit, singulari tamen Dei sapientia, hoc ipsum rectum & administratum est, ut constaret magis nos nihil ad salutis nostræ rationem attulisse. Cum igitur æquum fuisset, sanguinis grumos, ab his, veluti sudando abstergi, illi sua securitate plus sanguinei sudoris ex ejus corpore exprimebant.

Cur Christus Petrum sigillatim compellet.

Quod Petrum dicitur alloquutus, & illo tamen sermone, qui pluribus competit, intelligendum est tum omnes hujus peccati admonuisse generatim, sed Petrum sigillatim compellasse, eoque apud Matthæum ea oratio Christo attribuitur, quæ in Petrum seorsim directa est. Qua in re quæritur cur potissimum Petrum pervellit. *Ratio* manifesta est, cur Petrum potius quam alios discipulos perstringeret, ut qui plus honoris illi habuisset, quam illis in hoc negotio. Sed cur illum magis vellicaret quam Iohannem & Iacobum, illud adhuc non elucet. Atque ejus etiam rei rationes aliquot sunt. *Prima*, quod gravius illi periculum impendere & imminere præsciverit Christus. Quo docemur, si quando gravius à Domino per Ministros verbis aut aliter factis castigemur, reputandum esse Deum prospicere nobis grave malum & periculum incumbere adversus quod nos hac castigatione munire constituit. *Secunda ratio* est, quia ejus peccatum hac in re tanto gravius fuerat, quo ipse de se liberalius cæteris pollicitus erat, se ne in morte quidem à Christo disjunctum & diremptum iri, sed ad mortem usque se comitem Christo præbiturum. Perinde ac si diceret, tunc mecum vel in morte participabis, qui ne in momentanea quidem vigilia socium te adjungi pateris? Quo docemur tanto gravius nos peccare, & ut durius castigemur nos promereri, quo majorem pietatem profitemur & præ nobis ferimus, quo digniorem locum obtinemus. Contra apud *Pontificios*. *Tertia ratio* est, ut hac tam severa reprehensione pro peccati gravitate & immanitate (est

enim grave peccatum, non potuisse jussum ne ad horam unam cum Christo vigilare: Ex quo etiam *liquet* infra horam Christum preces suas finivisse:) occurreret Christus immoderatæ de Petro existimationi, qua futurum prævidebat, quod caput Apostolorum & Ecclesiæ habendus erat. Hæc una causa est cur & ceciderit & tam acerbe à Christo acceptus sit. Et hæc causa est, cur ubi aliquid præcipui illi tribui videtur, ilico aliquod ejus gravius peccatum subjicitur, *Matth.* 16,17,23, & 14,29, 30. item *Luc.* 9, 28,33. *Iohan.* 21,15,21. Quam vim μετ' ἐμοῦ habet, vide supra.

Vers. 41. *Lucta carnis & spiritus.* Iterum igitur monet ut vigilent in oratione: grave enim Christo non erat sæpius rem eandem, quoties opus erat, repetere. Sed hoc loco rationem adhibet, qua, tanquam infixo stimulo, illos experrectos servet. In quo primum anticipat illud, quod illis imponere potuit, quod Spiritum Sanctum in se sentirent ad omnia præclara officia probe excitatum: cujus promptitudine confisi de omnibus præclaris officiis à se præstandis sibi pollicebantur: si fuissent ut vetus mundus nihil nisi caro, *Genes.* 6,5. causa subesset illos sollicitandi. Sed cum, &c. Hinc respondet Christus, verum quidem esse, eos Spiritu Sancto imbutos esse, & eundem Spiritum perquam esse ad res præclare gerendas alacrem: sed parum eos reputare carnem illis penitus adhærescere (puta originale peccatum) quæ caro, ad peccandum non minus proclivis est, quam Spiritus ad bene faciendum; eamque omni facultate destitui bene agendi, imo vero contra niti *Galat.* 5,17. *Rom.* 7,17,18. (ut hic μείωσις sit) atque tam esse in nobis validam & valentem hanc carnem ut Spiritum qui in nobis est subactura sit, nisi Dei virtute precibus & vigiliis impetrata coërceatur & dometur. Non dubium enim est quin Apostoli admoniti de hac re secum penitus constituerint deinceps sibi ab hac somnolentia cavere & cum se vel mortem pro Christi nomine oppetere velle dicebant, certum est illos ex animo loquutos; sed, &c. Quamobrem, non satis est si motus bonos, & studia, & desideria præclara, atque adeo deliberationes certissimas nobis Deus indiderit, nisi etiam vires à Deo flagitemus, quibus quod animo designavimus facto exprimamus. *Trahe me & curram post te. Cant.* 1,3. Sicut igitur qui in stadio currit, non tantum pedibus obnixe laborat, sed manus etiam extendit, ut palmam quam citissime prehendat: Sic nobis etiam currentibus manus expandendæ sunt & in cœlum tendendæ, ut hoc modo patriam obtineamus. Nec vero (quod fit) nobis hic sub umbra infirmitatis nostræ segnescere fas est, & carni tam ad malum armatæ succumbere, sed meminerimus *Iacobi* 4,5,6,7.

Quod eandem petitionem iterat iteratque, amplificatio est gravitatis & atrocitatis supplicii de Christo pro nobis sumpti. Si enim vel semel hoc deprecatus esset quo humani generis salus deplorata est, infinitatem pœnæ & cruciatus prodat necesse est. Terna enim petitio alicujus rei indicat vehementissimum desiderium aliquid vel adipiscendi vel declinandi. Confer hoc cum 2 *Cor.* 12, 7,8. *Hoc* nos *docet*, preces nostras sæpius repetendas esse, nec existimandum illas à Deo rejectas esse, aut illi ingratas quod primo quoque tempore earum fructum non percipiamus. Quandoquidem exaudiuntur quidem primo, tametsi ilico executioni non mandentur: exauditus est enim à metu suo. Vide *Dan* 9,24. Vbi videmus preces Danielis primo tempore exauditas fuisse, tametsi non ilico exsequutioni mandatæ sunt. Simul etiam *notandum*, petitiones nostras nequaquam repulsum iri, dummodo possint per ejus fidem & sanctitatem præstari. Si igitur postulata non consequimur, eo fit, quod Deus illa, salva gloria propria, aut nostra & aliorum salute, non potest concedere. Vers. 42, &c. *Preces iterandæ.*

Tametsi vero eandem orationem habuisse dicitur è *Matthæo*, tamen videtur aliquid discriminis hic esse collatum, ut quamquam idem prorsus argumentum tractaret, eandem propemodum petitionem repetierit; tamen aliquid hic discriminis in forma orationis collatum, qua verecundius & levius illud deprecatur, quod prius fecerat intentius. Sed ita ut & majore fervore, & diuturniore tempore, secundo precatus sit, quam prima vice, ut est apud *Lucam*.

Mirum videatur, quod Christus, prius tam cupidus mortis pro nobis obeundæ, quod multis suis dictis & factis testatus est; jam tanquam alius à se mortem tantopere exhorreat. Quamobrem alia ratio est Christi pace utentis, alia in gravi afflictione & tentatione versantis. Quod idem de piis sentiendum qui tranquille agentes pleni sunt fiducia in Deum: in tentatione vero ad desperationem sollicitantur, & nihil minus quam Dei erga se propensionem sentire possunt. *Alia est ratio piorum in pace, alia in afflictione.*

Quin

Voluntati divinæ obtemperandum. Quin etiam, si fieri illud nequeat, ut prætereat, &c. petit porro ut pro voluntate Patris fiat. Quo *docemur*, nullam crucem esse, quantumcumque acerbam, quam vel expetere non debemus, cum illam nobis incumbere voluntate divina intellexerimus, eoque docemur precari ut voluntas Dei fiat. Sic Ecclesia Cæsariensis *Actor.* 21, 14. Sic docemur precari, *Matth. 6. fiat voluntas tua:* tametsi hoc esset cum jactura animarum nostrarum; Ut non modo bibamus sicut impii *Ier.* 25, 17, *&c.* sed sponte calicem quasi accipiamus, & ori admoveamus.

Sola morte Christi à peccatis liberamur. *Notandum* etiam nullam aliam viam & rationem fuisse, qua à peccatis & promerita damnatione liberaremur, nisi Christi morte, & morte tam formidabili. Quod tametsi inde constet, quod Pater nunquam cæteroqui suum filium huic cruci adjudicasset præ amore quo illum complectitur, tamen hic vel maxime elucet, quod Christus Patris ἀγάπη hoc ab illo petens non tamen petitioni ejus id concedit.

Discipulorum oscitantia. Quod etiam secundo & tertio, discipulos dormientes præter exspectationem offendit, non modo illius pro eis sollicitudinem testatur, (quod suum dolorem auxit,) sed insignem in discipulis oscitantiam arguit, quæ merito stuporem moveat, quod ne bis quidem admoniti, in tam necessario tempore, & summa difficultate vigilant. Cujus rei, quamvis causæ aliquot assignantur, ut quod oculi illorum gravati essent, & illius oculorum gravitatis alia causa apud *Lucam* indicatur, animi dolor, qui spiritus exhauriens tardiorem & magis stupidum hominem reddit, & concoctionem impediens, vapores & exhalationes ad cerebrum transmittit: tamen cum à Christo ob hanc somnolentiam castigantur, certum est illos excusatione vacare. Nihil enim doloris illis obtigit, quod somnum attrahat, quod Christo magis abunde & prolixe, idque infinitis partibus non obvenit. Ergo apud *Marc.* dicitur, secunda vice discipulos nihil habuisse quod responderent, sed omnino obmutuisse. Et videmus, homines venando, & alea ludendo, aut aliis suis voluptatibus inserviendo, multas noctes insomnes agere. Quamobrem si vigiliis his oblectati & precandi fructu capti suos animos ad eam rem adjecissent, non dubium, &c.

Hic igitur *notetur*, summa hominum in rebus cœlestibus socordia & securitas, quomodo instar ebrii dormimus in ipso mali fastigio per medium mare. Christus dicit patremfamilias excubias acturum, si sciret furem noctu parietem perfossurum, &c. Nos tamen, &c. Atque in his vitæ periculis, si dormientes offendamur; tamen Cornicis voce aut Campanæ pulsatione excitabimur: hic autem, tametsi argentea, vel potius aurea Christi vocis tuba insonuerit, & sonantissimus qui unquam extitit præco, tamen, &c. Quamobrem videmus, quanta vi, & impressione, & quanto studio & contentione decertandum nobis erit, ut hanc securitatem nobis ingenitam excutiamus & procul abjiciamus. *Hominum in rebus divinis socordia.*

Notandum porro, quomodo Apostoli, hujus temporis secunda vice ita convicti ut quod respondeant nihil haberent, tamen denuo in illud peccatum incidunt.

Ad extremum *notandum*, Christum discipulos ter in idem peccatum impingentes, acerbissimo σαρκασμῷ & acri & mordaci irrisione perstringere, eaque ter (ut videtur) repetita. 1. *Dormite*, 2. *requiescite*, 3. *Marc. sufficit.* quasi dicat satis somni scilicet, quandoquidem adventantibus copiis & militibus non potestis etiamsi maxime velletis amplius dormire: Quo docemur quomodo & quibus gradibus ad correctionem cundum sit. Nec inique ferre oportere homines aliorum fodicantes admonitiones; siquidem peccatis sæpius iteratis. Nemo enim mansuetior Christo, &c. *Notandumque* est, hoc vel tum factum esse, cum discipuli mœsti essent. Tametsi igitur hoc plerisque importunum & intempestivum videri potuit: tamen discamus, &c. *Gradus ad correctionem.*

Hic videmus singularem fructum precationis Christi, quod ea mirifice confirmatus fuerit, ut qui antea pugnam detrectabat, nunc adversarium veluti quærat, & illi obviam procedat. Simul etiam, quam tempestive hæc animi alacritas submittitur eo ipso vix momento quo, &c. Quod nos admoneat non esse metiendas vires nostras ex præsenti sensu infirmitatis nostræ antequam ad prælium accedamus. Sicut enim Duces non prius arma militibus dant, quam ad ipsam pugnam & conflictum ventum fuerit: Sic, &c. Vers. 46. *Precationis fructus.*

MATTH. *cap. 26, à vers. 47, ad dimidium versus 50.*

47 Et adhuc eo loquente, ecce, Iudas unus ex duodecim, venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à primariis Sacerdotibus & Senioribus populi.

48 Is vero qui prodebat eum, dederat eis signum, dicens; Quem osculatus fuero is est, prehendite eum.

49 Itaque statim quum venisset ad IESVM, dixit; Ave rabbi. Et deosculatus est eum.

50 At IESVS dixit ei; Amice, quorsum ades?

IOHAN. *cap. 18, à vers. 4, ad 10.*

4 IESVS itaque sciens omnia quæ ventura erant in se, prodiens, dixit eis; Quem quæritis?

5 Responderunt ei; IESVM Nazarænum, dicit eis IESVS; Ego is *sum. Stabat autem cum eis etiam Iudas qui prodebat eum.*

6 Vt ergo dixit eis; Ego is *sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt humi.*

7 Iterum igitur rogavit eos; Quem quæritis? Illi autem dixerunt, IESVM Nazarænum.

8 Respondit IESVS; Dixi vobis me eum esse: ergo si me quæritis, sinite hos abire.

9 Vt impleretur sermo quem dixerat; Ex iis quos dedisti mihi, non perdidi quemquam.

ANALYSIS.

DEscribitur studium prehendendi Christum ab efficiente causa principali Iuda, & adjuvante turba. Iudas describitur ab adjuncto numero duodecim Apostolorum. Turba ab adjunctis gladiis & fustibus: utrorumque cum Iudæ tum turbæ convenientis ad prehendendum Christum. Efficientes causæ assignantur, principes sacerdotum & seniores populi, adjunctum tempus notatur, cum hanc prehensionem aggressi sunt, nempe cum Christus vix dum sermonem absolvisset superiore versu comprehensum.

Vers. 48. Iudas describitur ab effectis, 1. quod signum dedit quo Christum ab aliis internoscerent: species signi erat, quem ego osculabor; item quod jubet ut fortiter illum manibus prehendant: denique apud turbam ut tuto illum abducant:

Vers. 49. Alia effecta notantur, nempe quod salvere jussit cum appellatione Rabbi, eaque apud *Marcum* reduplicatur: deinde quod illum deosculatus est: cujus adjunctum est.

Vers. 50. Christi ad Iudam responsum: cujus forma est, *amice, quorsum ades.*

IOHAN. *Vers.* 3. Prompta Christi ad crucem profectio arguitur diverso, nempe quod quamvis omnia sciret sibi eventura, tamen illis in occursum ivit; deinde Christi effectum notatur, quæstio scilicet *quem quæritis?*

Vers. 5. Cujus effectum est turbæ responsum, se quærere Iesum Nazarenum: cujus responsi effectum est aliud Christi responsum, se eum esse, quem quærebant: eorum autem ignorantia, vel potius scotoma in persona Christi, exaggeratur argumento diversorum, tametsi Iudas, qui prius illum familiariter norat, præsens interfuit.

Vers. 6. Effectum responsi Christi est quod abierunt retrorsum & humi ceciderunt.

Vers. 7. Eadem quæstio Christi & responsum Iudæorum quæ prius.

Vers. 8. Insuper additur Christi admonitio ut Apostolos abire sinant; quod arguitur ab adjuncto responso Iudæorum, nempe quod Iesum propria sua confessione quærerent non Apostolos.

Vers. 9. Quod Christi postulatum suo fine arguitur, nempe ne quis eorum pereat, quos Pater illi servandos tradidit.

METAPHRASIS.

QVam prope instaret Iudas, congruenter MATTH.
Christi dicto liquido constat quod vix 47.
dum illud dictum protulit, cum ecce Iudas,
qui unus esset ex duodecim Apostolis illum accessit & cum illo magna cohors contracta non
tantum ex Romano & conductitio milite, sed
& ex Sacerdotum & seniorum satellitio eademque armata partim fustibus, partim gladiis, una cum laternis seu facibus, quæ secum
ad noctem & tenebras illustrandum gestabant. Quæ omnes copiæ sacerdotum, Scribarum
& seniorum partim authoritate, partim gratia coactæ conscriptæ sunt: quorum aliqui ad
promovendum hoc negotium ejus comprehensioni interfuerunt. Qui vero eum prodebat Iu- 48.
das, ut certius Christum dignoscerent, armato militi signum dederat: dicens; Advertite
animum & oculos ad eum quem ego osculatus
fuero, is est quem quæritis; eum maxima vi
adhi-

adhibita comprehendite & cum summa cau-
tione abducite, alioqui illa virtute & poten-
49. *tia est ut facile elabatur. Nec citius hoc mo-*
nuit quam ilico ad Iesum festinans, Bene tibi
sit, mi præceptor, inquit, & illum de more ser-
vorum non sine subjectionis nota, puta genu-
50. *flexionis, osculatus est. Ad quem Iesus: ô tu*
quocum ego consilia & arcana communicavi
& haud secus quam amico familiarissimo usus
sum, cui rei te non solum ministrum & præ-
bitorem, sed etiam ducem antesignanum præ-
IOHAN.4. *bes! Quamobrem tametsi Iesus oculo divinæ*
prospicientiæ omnia sibi eventura probe norat
& in numerato haberet; tamen illis in occur-
sum confidenter procedens, dixit, tanquam iis
qui scotomate divinitus admirabiliter percussi
5. *essent, quem quæritis? Cui illi, tanquam igno-*
to (post indicium à Iuda factum) respondent
Iesum Nazaranum: ad quos rursum Iesus; Ego
is sum. Adstitit etiam illis Iudas, qui cum
prius Christum familiariter noverat; nunc
tamen eodem cum illis scotomate percussus, il-
lam omnem notitiam, quam vel ex corporis fi-
gura, vel ex veteri consuetudine hauserat (ut
6. *videtur) amiserat. Non citius hoc dictum (ego*
sum) ex sacro Christi ore emissum est, quam
retroacti humi tanquam mortui ceciderunt.
7. *Postquam autem (annuente Christo) sese col-*
legissent, Christus illos iterum interrogavit,
quem quæritis? cui illi, (ut prius) Iesum Na-
8. *zaranum respondent. Respondet Iesus atque*
ego vobis dixi me eum esse. Quamobrem si
(quod dicitis) me modo quæritis, sinite hos
9. *meos Apostolos abire. Quod quidem eo dixit, ut*
impleretur sermo, quem supra in precatione
habuerat, se neminem ex illis perdidisse, quos
Pater illi servandos dedit.

PRAXIS.

Summa, Christus indignissime comprehendi cœptus, sese promptissime in sceleratorum manus hac lege dedi patitur, si primum discipulos intactos dimiserint.

Partes sunt,
- Promptissima ad indignissimam captivitatem profectio.
- Sollicita de discipulorum immunitate & effugio cura.

In priore duo potissimũ notantur,
- Indignissima Christi comprehensio.
- Promptissima Christi in hostium manus deditio.

In priore notantur,
- Causæ efficientes.
- Adjuncta.

Causæ efficientes magis principales, Præfecti Ecclesiæ in Verbo tantum *Scribæ*, in Sacramentis etiam, Principes Sacerdotum, & Seniores Populi: Itemque Romani. Minus principales ab istis missi, Principes, Iudas Apostolus, Cohors, Ministrorum Ecclesiasticorum. Instrumenta, arma, gladii, fustes. Adjuncta, nox, ad cujus subsidium, lampades, laternæ.

Ex his omnibus illud primum statuendum est, nostris peccatis promeritum esse, ut Christi comprehensio ita institueretur, quo maxime ignominiosum esset Christo, & illi acerrimum dolorem inureret. Nam quod omnes proceres & primores Ecclesiæ hujus rei autores sint, maximum odium Christo conflabat & illum vehementer punxit. Grave erat à Iudæis populo suo ita excipi, sed gravius ab Ecclesiæ primoribus, idque tanto consensu: omnium vero gravissimum fuit à Iuda, quem tantopere dilexit, tradi. Accedit etiam, quod ad illum noctu accedant, hora scilicet justitiæ exequendæ insueta & incommoda: qua circumstantia (sicut & post observatur) illum in furti aut latrocinii aut cujuspiam alterius facinoris suspicionem vocant. Hic *docemur*, nullam captivitatem aut comprehensionem, tam indignam, aut tam malevole, & horribiliter instructam & comparatam esse posse, quam non æque feramus, cum Christi comprehensio genere ipso comprehensionis tam fuerit gravis, ut si, &c.

Matth. vers. 47.

Ignominia summa in Christi apprehensione.

Notetur etiam summa confusio, & justitiæ convulsio, clam omnia faciendo. Vide *Matth.* 14. quomodo Herodes Iohannem capite truncat in carcere, cum in portis & meridie omnia sint peragenda.

Quod & Iudæi simul cum Romanis ad comprehensionem Christi adhibiti sunt, eo & impletum est vaticinium; *Psal.* 2. & nostrum, qui gentes sumus; scelus notatur.

Iam in singulis partibus *notandum* aliquid, & primo in primoribus Ecclesiæ, quomodo propemodum omnes, (si Nicodemum exceperis) hujus sceleris rei sunt. Quo docemur, non semper acquiescendum in decretis Ecclesiasticorum, qui in vera Dei Ecclesia præsunt, sed eorum etiam judicium est examinandum quod non tantum generalium Conciliorum firmitatem ἀνυπεύθυνον convellit, sed nostrorum hominum levitatem & inconsiderantiam arguit, qui satis firmitatis esse constituunt ad rem aliquam confirmandam, si ab his, qui in Ecclesia præsunt, aliquid communi calculo feratur. Quod si quis dicat non mirum esse si erravit, cum homines

Ecclesiastici ab errore non immunes.

nes fuerint ab omni pietate alieni, age, fero illis consilium quod ab universa Ecclesia agitabatur de reducenda Arca, 2 *Sam.*2,6. ubi ne vir quidem inventus est, qui non erraverit, cum multi fuerint qui pietatem colerent; & *Levit.* 5, 15. si Ecclesia per imprudentiam erraverit, &c.

Impiis dominis servire periculosum. Deinde in Ministris & Presbyteris observandum est, quam periculosum sit impiis Dominis servire, unde periculum sit operam tuam in rebus illicitis collocare, & gravissimorum scelerum reum esse. *Primum* igitur danda opera, ut hujusmodi heros, quoad fieri potest, fugiamus; quod si minus possumus, quod obligatione aliqua teneamur, aut à Parentibus hoc nobis impositum est; diligenter circumspiciamus ut illorum primum mandata scienter, & perite ex Dei verbo discernamus. *Deinde* ne ullis aut eorum pollicitationibus aut minis nos abduci ab officio patiamur, quod illorum autoritate minime tecti sumus à Dei formidabili judicio. Vide exemplum servorum Saulis, qui jussi in innoxios Sacerdotes ruere, nec Regi, nec hero obsequi voluerunt. Hoc nostris hominibus accommodetur, qui omnes se absolutos putant dummodo Principis autoritate muniantur, cum interim rem injustam esse probe norint.

Vers.48, *In Iudæ facto apparent 1. nequitia.* *Sequitur de Iuda*, cujus summa impietas diversis circumstantiis notatur. Et quidem, quod hujus comprehensionis, non se tantum Ministrum & præbitorem, sed ducem præbeat. Vnde & nota admirationis ἰδοὺ, nam *Lucas*, & *Petrus* in Actis, illum ducem notant. In quo insignis nequitia liquet. Quod cum per se (etiam justissima caussa) scelus fuisset, nedum facinus esse oportet, cum hæc malitia in causa injustissima fuerit.

2. impietas. Hanc impietatem auget simulatio, qua per speciem & nomen amicitiæ illum prodidit. Cujus porro sanguinolentus animus eo ipso proditur, quod non tantum comprehendi jubet, sed ut accurate abducatur admonet, non contentus præstitisse quod nefarie pollicitus est de Christo tradendo, nisi etiam innoxium ejus sanguinem funderet. Tametsi, si, quod quidam affirmant ex illis verbis (*promiserant se daturos*) nondum mercedem acceperat, nec accepturus erat, nisi prius Christum in manibus haberent: tum patet avaritiam esse omnium malorum radicem & sanguinolentam. Primo cum Sacerdotes adibat visus est illud fecisse tantum, ut pecuniolam aliquam inde colligeret: nunc autem semel hanc rem ingressus crescit in illo malitia, & subveritus ne si Christus mortem effugeret de se pœnas sumeret, omni ratione sanguinem ejus expetit.

Admirabilis porro cordis durities, quæ nec tam suavibus Christi verbis frangitur, aut mollescit; nec duriore castigatione, qua ad terram resupinus sternitur, emendatur. Vide similem Christi suavitatem & incomparabilem humanitatem erga Iudam. *Iohan.* 13, 26. Vide *Matth. cap.*26,23. confer cum *Psal.* 55,22. *3. cordis durities.*

Notetur etiam incredibilis cæcitas, quæ neque præteritorum quæ viderat miraculorum experientia, nec præsentis judicii sensu, sed nec certissima notitia, Christum fuisse Dei Filium, *Matth.16.* commonefieri potuerit Christi omnipotentiæ, qua omnia hæc consilia & conatus facile dissipare potuerat, & omnem hostium tum cautionem tum vim superare. *4. cæcitas.*

Notetur autem incredibilis Christi potentia, qui unico verbulo, tanquam fulmine, aut turbine, tantam multitudinem hominum humi stravit, idque in dorsum retroactam: quid faciet glorificatus, qui hoc in summa infirmitate fecit? *Christi potentia.*

Denique, hoc loco *notandum*, intestinum Ecclesiæ hostem periculosissimum esse, à quo uno plus incommodi capitur, quam à mille aliis externis: hujus enim opera plus factum est ad Christi comprehensionem, quam reliquis omnibus. Hic enim locum noverat, ubi futurus erat, tempus noverat, quo ibi futurus etiam de nocte, eum potuit ab aliis discernere. Quo accedit, quod hac cum Christo familiaritate, aditus ei ad Christum patebat, ut eum deoscularetur de more illius regionis, 1 *Cor.*16,20. cum quis alteri occurrebat, quem intermisso spacio non vidisset. Quod quidem non tantum æquales æqualibus, sed subditi suis principibus præstabant, cum aliquo discrimine, proculdubio genuflexione, &c. Atque ne videretur ex consortio hostium esse *Lucas* narrat eum aliquantulum hostes præcessisse; atqui postquam osculum porrexisset, proculdubio retrocessit ad Iudæos & cum eis constitit. Quamobrem adversus hos cautius versemur, & intensius oremus, ut David adversus Achitophelem. Plus enim sollicitum illum habebant Achitophelis adversus se consilia, quam aliorum omnium, quod illi à consiliis fuisset. Multi sunt qui Christo osculum præbent, id est, externus signum venerationis & amoris, *Intestinus Ecclesiæ hostis periculosissimus.*

amoris, *Psal. secundi versu duodecimo, &c.*

Impii ad maleficia experrecti. *In adjuncto temporis notandum est* impios ad maleficia perquam experrectos esse. Cum pii in precando perquam somnolenti extiterint. Iudas non dormivit cum discipuli somno sopiti fuere. Hi enim, inquit Salomon, somnum non capiunt nisi scelus patraverint. Pudeat igitur nos, &c. ubi non est prætermittendum aliquot ex primariis Sacerdotibus & Presbyteris huic negotio interfuisse. *Luc.* 22, 52.

JOHAN. 4, &c. *Prompta Christi obedientia.* Atque hactenus de indignissimæ prehensionis studio. *Sequitur* de promtissima Christi ad hanc captivitatem profectione: quæ ex multis cum dictis, tum factis Christi arguitur, quæ hoc loco ab Euangelistis non obscure indicantur. Quorum *primum* est, quod ad eum locum precatum profectus est, qui & Christo consuetus est, & Iudæ probe cognitus. *Secundum*, quod ipsum momentum noverat, quo cohors in conspectum venit suum & discipulorum: at fuga sibi consulere potuisset si voluisset. *Tertium*, quod cohorti in occursum procedit, tametsi, ut inquit Iohannes, probe norat omnia, quæ illi adventura erant. *Quartum*, quod interroget eos quem quærant. Apparet autem eos (ut olim Sodomitæ & post Syri) Christum, tametsi indicatum à Iuda, non agnovisse, & ne Iudam quidem ipsum, non tantum quod illi manus non injiciunt, sed quod quærenti Christo, quem quærerent, non respondent, te quærimus, sed, quærimus Iesum Nazarenum. *Quintum*, quod se eum esse fassus est, quem illi quærebant; quod tamen confiteri non necesse fuit. *Sextum*, quod jam comprehendendus illos ad terram resupinos stravit, quo vel stratos conficere potuit, vel interim dum illi ad se redeunt aufugere, vel eos, ut nunquam se attollerent, efficere, vel denique alias cohortes isti submissas, ad millesimam vicem interficere, multo magis quam Elias. *Septimum*, quod cum illis de sua comprehensione pacificatur, si discipulos suos dimiserint. Qui enim de sua comprehensione pacificitur, is eam vitare potuit.

Hic igitur notetur Christi obedientia summe voluntaria & alacris ad acerbissimam mortem: cujus cum doctrinam, tum consolationem pete supra

Non tamen per omnia imitanda. Sed hic *quæritur*, an hoc Christi exemplum *hostibus Ecclesiæ* obviam occurrere, &c. nobis imitari liceat? *Respondeo*. Non licet: quia Christo explorata Dei patris voluntas erat & consilium, quod nobis ne tum quidem indubitato constat, cum comprehensi mortis sententiam acceperimus.

Hic discamus primum, nobis conatus & studia suscepta, ad examen esse revocanda, si Deus se nobis duriore aliqua castigatione opponat, qua nos retardat. Vide exemplū Bileami. *Deo obstante ab opere suscepto desistendum.* Præterquam quod casus gravior, qui in dorsū reflexus erat ipsa resupinatio, & retroactio, hos non obscure admonebat ut domum re infecta reverterentur & regrederentur. Hic videmus tantam esse naturæ nostræ pravitatem, ut Dei flagris obfirmemur, nisi cum his Deus Spiritus operationem & veluti institutionē adjungat, ut hoc loco & in Pharaone.

Deinde aliquando fieri, ut Deus postquam obstaculum objecerit illud etiam subtrahat & viam stratam & veluti aggestam ad nequitiam relinquat; ne existimemus Deum propterea nobis favere quod obstacula perrumpimus, sed gravissime nobis succensere, quod ad objectū obstaculum non resipuimus; nosque nobis ipsis permittere, quod est maxime formidabile. *Qui alioquin nos labi permittit.* Quod ipsum in historia Balaamis liquidissime perspicitur. Estque tritum hominibus putare Deum illorum improbitatem aut impietatem aut probare aut non improbare, si res quam parant illis probe succedat. Vide Saulem qui gloriatus est Deum in manus suas Davidem conclusisse. 1 *Sam.* 23, 7. Sic etiam inveniuntur, quibus Deus olim remoram aliquam ingerit, propriæ conscientiæ morsu & stimulo, qui post sensum omnem conscientiæ amittunt, tanquam cauterio conscientiam resectam habeant. Quibus, tametsi aliter illis videtur, multo pejus est quam cum conscientiæ aculeo fodicabantur.

Vers. 8, 9. *Pactum Christi mandatum est.* *Sequitur pars altera* de Pacto, quo cum hoste depactus est ut discipuli discederent. Nec vero hoc precario obtinet, sed mandato; quod etiam, velint, nolint, facere coactos facile dignoscetur, si quantus fuerit Iudæorum in Christi Apostolos furor, cogitetur, & quantum studium universam Christi doctrinam extinguendi. Vbi *notetur* quod prius est observatum, Christum per media mala suorum singularem curam egisse. Ratio autem hujus Curæ indicatur, *ne perirent*; prout ad patrem pollicitus est. Hæc autem perditio, tametsi videatur ad præsentem hujus vitæ salutem referri, tamen cum superior locus æternam perditionem indicet, palam est & hoc loco evidenter intelligi.

Docet igitur Christus discipulos ex præsenti periculo vitæ ereptos fuisse ne in æternum perirent, si in hanc tentationem inci-

incidissent. quod ad has perpessiones nondum Spiritu Sancto armati essent Unde illud eximiæ consolationis eruitur, Deum & Christum nos ab hujus vitæ periculis tantisper erepturum, quoad saluti æternæ noxia esse possint. Nec nos ad certamen educturos antequam oleo Spiritus nos probe & prolixe unxerit; antequam ad justam ætatem pervenerimus & animis valentioribus & magis confirmatis simus; antequam probe armati simus. Si enim Agricola bovem jugo non subjicit nisi provectiorem; si belli dux non nisi justæ staturæ & ætatis milites adhibet; nedum, &c.

MATTH. *cap. 26, à medio versu 50, ad 57.*

Tunc accesserunt, & manus injecerunt in IESVM, & prehenderunt eum.
51 *Et ecce, unus ex iis qui* erant *cum IESV, extensa manu distrinxit gladium*
suum: & percusso servo Pontificis maximi, abstulit auriculam ejus.
52 *Tunc ait ei IESVS; Converte gladium tuum in locum suum, quicumque*
enim acceperint gladium, gladio peribunt.
53 *An putas me non posse nunc precari Patrem meum, qui huc sistat mihi plures*
quam duodecim legiones Angelorum?
54 *Quomodo ergo implerentur Scripturæ,* quæ dicunt *sic oportere fieri?*
55 *In illa hora dixit IESVS turbæ; Vt adversus latronem exivistis cum gladiis &*
fustibus, ut comprehenderetis me, quotidie apud vos sedebam docens in templo, nec
prehendistis me.
56 *Hoc autem totum factum est ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc*
discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

MARC. *cap. 14, à vers. 46, ad 53.*

46 *Illi vero injectis in eum manibus prehenderunt eum.*
47 *Quidam autem ex iis qui adstabant stricto gladio percussit servum Pontificis*
maximi, & abstulit ejus auriculam.
48 *Respondens autem IESVS, dixit eis; Vt adversus latronem existis cum gladiis*
& fustibus ad comprehendendum me.
49 *Quotidie eram apud vos in templo docens, nec prehendistis me. Sed* oportet
ut impleantur Scripturæ.
50 *Tunc relicto eo, omnes fugerunt.*
51 *Quidam autem juvenis sequebatur eum, amictus sindone super nudum* cor-
pus, *& prehenderunt eum juvenes.*
52 *Ipse vero derelicta sindone, nudus effugit ab illis.*

LVC. *cap. 22, à vers. 49, ad 54.*

49 *Videntes autem ii qui circa ipsum* erant, *quod futurum erat, dixerunt ei; Do-*
mine, percutiemusne gladio?
50 *Et quidam ex ipsis percussit servum Pontificis maximi, & abstulit aurem ejus*
dexteram.
51 *Respondens autem IESVS, dixit; Sinite huc usque, Et tacta illius auricula, sa-*
navit eum.
52 *Dixit autem IESVS iis qui adversus ipsum venerant,* nempe *primariis Sa-*
cerdotibus, & præfectis templo, & senioribus, Siccine *ut adversus latronem existis*
cum gladiis ac fustibus?
53 *Quum quotidie vobiscum essem in templo, non extendistis manus in me: sed*
hæc est hora illa vestra, & potestas tenebrarum.

IOH. *cap.*18, *à verſ.* 10, *ad* 12.

10 Simon autem Petrus quum gladium haberet, eduxit eum, & ferii: ſervum Pontificis maximi, & abſcidit auriculam ejus dextram. Erat autem nomen ſervo Malchus.

11 Dicit ergo IESVS Petro; Reconde gladium tuum in vaginam. Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater?

ANALYSIS.

DEſcribitur comprehenſio, retentio & ligatio & vinculorum injectio ab adjuncto temporis, nempe poſtquam Chriſtus variis argumentis ſpontaneam ſuam deditionem declaraſſet, ut ex Iohanne liquet, deſcribitur etiam ab efficiente cauſa *Iohan.* 18, 12. nempe cohorte, tribuno & miniſtris Iudæorum.

Verſ. 51. Cujus comprehenſionis adjunctum erat, quod Petrus, ut ex Ioanne liquet, extenta manu & diſtricto ſuo gladio feriebat unum ex ſervis Pontificis maximi: apud Ioannem ſpecies notatur, nempe Malcus: effectum autem illius plagæ erat abſciſſio dextræ auris.

Verſ. 52. Cujus percuſſionis effectum aliud eſt mandatum Chriſti ad Petrum, ut ſuum gladium in locum ſuum reconderet; quod confirmatur ab adjuncta pœna ejus qui gladio ferit, nempe quod gladio peribit: hanc temerariam porro percuſſionem apud *Iohannem Cap.* 11. *verſu* 18. coarguit à diſparato, nempe quod hoc conatu pugnavit Petrus adverſus Patris ſui voluntatem, qui ſe comprehendi & vinciri voluit.

Verſ. 53. Alio argumento refellit hanc Petri percuſſionem à comparatione majoris, nempe quod certius præſidium & defenſio adverſus hanc comprehenſionem in ſubmittendis plus quam duodecim legionibus Angelorum eſſet; quod amplificatur ab adjuncta facilitate, ſcilicet ſua ipſius petitione & oratione ad Patrem: confirmatur porro à teſtimonio, nempe conſcientia Petri, quam Chriſtus appellat.

Verſ. 54. Alio etiam diſparato Petri conatum convellit, nempe quod Scripturæ non implerentur, ſi vi & armis obſiſteretur ſuæ comprehenſioni.

Verſ. 55 Aliud effectum comprehenſionis Chriſti eſt ſermo ejus ad turbam, forma declaratur, nempe reprehenſio, quod ad illum tanquam ad latronem exierunt cum gladiis & fuſtibus; quod ſcelus amplificatur à libera ejus inter Iudæos converſatione & doctrina in Templo; quæ amplificatur ab adjuncto tempore, nempe quod claro die hoc fecit, deinde à ſubjecto loco, nempe quod in Templo ab omnibus frequentato docere conſuevit.

Verſ. 56. Offendiculum autem tollit ab adjuncta neceſſitate, quam confirmat quod ita à Scripturis Prophetarum prænunciatum ſit: deinde aliud adjunctum notatur hujus comprehenſionis, venditionis, ligationis Chriſti, nempe fuga diſcipulorum. *Marc.* 14, 51. ſpeciatim deſcribit acceleratam cujuſdam diſcipuli fugam; qui deſcribitur ab adjuncto à juvenili ætate, item alio adjuncto, veſtitu, quod amictus fuit ſindone ſuper nudum corpus: ejus autem fuga diverſo illuſtratur, nempe quod fuga nihil profecit manibus comprehenſus à quibuſdam.

METAPHRASIS.

TVm cum Chriſtus de ſuis diſcipulis tuto MATTH.
dimittendis pactus fuiſſet, & Iudæi hanc 50.
conditionem congruenter accepiſſent nec manus
violentas in diſcipulos ejus injicere tentaſſent,
tunc, inquam, Chriſtus ſe capi à Iudæis & re-
tineri paſſus eſt. Ecce Chriſto autem à qui- 51.
buſdam diſcipulis an gladio ferirent interroga-
to rem admiratione & ſtupore dignam: unus
enim ex duobus illis Chriſti diſcipulis, quos ante
gladiis cinctos accepimus, iniquiſſime Chri-
ſti hanc comprehenſionem ferens, ira & indi-
gnatione abreptus, priuſquam reſponſum à
Chriſto tulit diſtricto gladio totam Iudæorum
cohortem aggredi non veritus, in quendam
ſervum Pontificis maximi incidit nomine Mal-
cum, eique dextram auriculam abſtulit, forte
quod illum aut primo, aut ferocius in Chri-
ſtum manus injeciſſe conſpexerat, qui quidem
Malcus (ut veriſimile ſit) eo magis impetuoſe
Chriſtum petebat, ut ſuam hero induſtriam
in comprehendendo Chriſto probaret. Tum Ie-
ſus ſuos diſcipulos alloquens, dixit; hanc etiam
injuriam mihi indigniſſime illatam ferte. Ad 52.
Petrum autem ſigillatim dixit; reconde gla- LVC. 51.
dium tuum in locum gladio tuo deſtinatum,
id eſt, vaginam, ut qui in Malci aurem vi-
bratus extra locum ſuum excurrebat: omnes
enim, qui injuſſi ab illis quorum intereſt, gla-
dium ad feriendum diſtringunt, eodem modo
& menſura ferientur, quo ipſi ferierint. Quam IOHAN.
autem ab officio tuo alienum hoc eſt, facile tibi 18, 11.
conſtare poteſt, quod hac tua pro me propu-
gnatione, pro virili tua impoſitas mihi à Pa-
tre pro humano genere pœnas, tanquam pocu-
lum vini furoris ſui mihi admenſum & ad bi-
bendum quaſi propinatum, avertere conaris.
Hæc autem temeraria tua & præpropera per- MATT. 53.
cuſſio non aliunde fluxit, niſi à mentis tuæ er-
rore, qui niſi humana ope & viribus nullam
ſalutem paratam mihi exiſtimas: atque tuam
ipſius conſcientiam paulum modo experrectam
appello, num unico verbo ad Patrem orationis
formula ejaculato, mihi protinus ad propu-

 gna-

gnationem plus quam duodecim legiones Angelorum non sit daturus. Sed illud fieri iniquum esset: quomodo enim implerentur Scripturæ, quæ me comprehendi & captivum teneri debere longe ante prædixerunt.
Lvc.22, 51. *Atque ut non verbis tantum, sed reipsa hanc plagam Pontificis servo impositam improbare se testaretur, tacta illius auricula eum sanavit.*
55. *Eademque ipsa hora, ne Petrum de plaga imposita corripiendo Iudæorum indignissimum in ejus comprehensione facinus comprobare videretur, universam turbam, quæ ad illum prehendendum accessit, atque adeo (ut est apud* Lucam 22.) *Principes Sacerdotum, præfectos templo & seniores ad hunc fere modum allocutus est; Factum plane indignum, qui ad me comprehendendum tanquam ad latronem exiistis noctu, cum gladiis & fustibus, perinde ac si sceleris mihi conscius latebras & latibula conquisivissem: atqui ego in ipsa meridie, & locus longe celeberrimis ipsoque templo quotidie apud vos publice Doctoris partes agens à vobis tactus non sum, nec me prehendistis.*
56. *Hoc autem totum factum est ut implerentur Scripturæ Prophetarum; quin ne nunc quidem comprehendere nedum retinere valuistis, si non fuisset hora vestra.*
Lvc.53. *Hoc enim est tempus illud in quo tenebricosa vestra consilia & conatus, nocturna hac comprehensione aliquousq; adumbrata effectum accipere debent: Quod nisi esset, nullam mei nunc comprehendendi aut retinendi*
Marc.14, 50. *copiam habere potuissetis. Discipuli omnes postquam intellexissent Iesum penitus cum animo suo constituisse seipsum Iudæorum libidini permittere, relicto eo fugerunt.*
51. *Vt autem Iudæorum immanitas conjuncta cum tumultu facilius appareret tum ex tumultuatione juvenis quidam è somno excitatus amictus tantū sindone super nudū corpus exilut: ea autem erant crudelitate ut hunc etiam comprehensum tenere voluerint, ut liquidius elucescat Christi insignis erga discipulos providentia, cum admirabili potentia conjuncta, quod hunc tam avide insectantes, discipulos Christi, quos majore odio prosequebantur, fuga sibi consulentes non persequebantur.*

PRAXIS.

Svmma, Christus comprehensus & retentus, præposteram sumet per suos discipulos defensionem sic reprehendens, ut interim Iudæos ob indignissimam sui comprehensionem acriter perstringeret; tandem à suis sibi fuga perquam accelerata consulentibus deseritur.

Partes sunt, { Christi comprehensio & retentio. Discipulorum fuga acceleratior.

In Christi comprehensione & retentione, considerantur, { Quomodo Christus objecta obstacula repulit. Quomodo illatam sibi vim sponte tulit subiitque.

Postquam de discipulorum effugio & dimissione depactus esset, Iudæis (ut videtur) conditionem accipientibus, quod nemo illis manus primo injicere conatus sit, illico Christus sibi manus injicere patitur, & injectis se captivum tenere sustinet, qui alioqui omnes majori facilitate excutere norat, quam leo minutissimos quosque catulos. Sicut ex *Luc. cap. 4, vers.* 30. liquet, ut per medium agmen invitis omnibus perruperit. Comprehensus igitur est, quia comprehendi voluit; tenetur, quia utique teneri voluit: Alioqui, de Christo vere enuntiari potest quod scribitur *Iob.* 40,19, & 41,1,2, *&c.* de Leviathane. Matth. 50. *Christus captus quia voluit capi.*

Cum sui prospicerent quid Christo futurū erat, quomodo vinciendus, & abducendus non multo post ad crucem rapiendus esset (*Luc.* 22,49.) ecce res miranda & stupenda, unus ex Christi discipulis nomine Petrus, qui alter ex duobus erat qui gladio accingebantur (*Ioh.* 18. 10.) districto gladio ministrum summi Sacerdotis, nomine Malcum, quod ipse (ut se hero probaret) omni verisimilitudine in Christo prehendendo præcipuam operam posuit & aut primus aut ferocius Christum aggressus est, feriit, & illi auriculam dextram præscidit. Vers. 51. *Cur Petrus Malcum ferierit.*

Hic paulisper commorandum est, quod nota admirationis & adversionis Spiritus Sanctus nobis veluti manum injicit, ut non nihil ad hanc rem contemplandam consistamus. Et primum quidem apud Lucam observatione dignum est, quod prius consilium à Christo petit an gladio feriturus esset. Equidem prius siluerunt, cum videbant Christum sui defensionem stratis copiis suscepisse. Nunc vero cum vident Christum sui comprehendendi copiam facere, quærunt, &c. Nam quod de gladijs comparandis eos admonuit, adferre suspicionem poterat, an, &c. Quod autem Christus tam alienus semper fuerit à retaliatione dubitationem movere potuit, &c. Quod certe observari ab omnibus debet, ut nunquam gladium distringant nisi petita prius a Deo in Scriptura venia; ubi Deus, non minus nos clare de sua voluntate certiores facit, quam si per Christum oraculo *Notanda in Petri facto.*

raculo responsum ederet. Quod quidem ut in omnibus causis sic in causa religionis & Christi accuratissime & diligentissime factitari debet. Quod etiam ut semper, ita maxime sub Euangelio observari debet. *Zach.* 14, 20. Hic peccatur à Nobilium satellitibus, & alias sicariis, qui non tantum Deum de suis districtis gladiis non consulunt, sed ipso invito & vetante, gladios suos vibrant. Armantur enim plerumque à vino & sicera; aliquando à suis libidinibus; sæpius ab ira temeraria.

In eo laudanda. Deinde & illud *notandum*, Petrum, cum altero discipulo armato gladio penitus constituisse adversus totam cohortem in prælio stare, dummodo illud ipsis à Deo imperatum fuisset. Nec certe illud frustra aut sine fructu fecissent, cui perinde est duobus vincere ac decem millibus. Quo aspirante non tantum quinque centum, sed unus mille profligat. Vide bellum Abrahæ. item Simsonis pugnam, & bella adversus Philistæos, qui maxilla asinina mille interfecit. Quod nos recreet mirifice adversus turbam impiorum, ne animis concidamus, *Ne timeas pusille grex.* Non tamen hinc sequitur ut semper jubente hero satelles gladio feriat, quia, &c.

Et reprehendenda. Sed illud in reprehensionem cadit, quod Christum consulens, ejus sententiam, plaga imposita antevertit nec Christi responsum præstolatur. Vide 1 *Sam.* 14, 19, 20, 21. *Iohan.* 18, 38. Tametsi Petri peccatum non est, ut istorum, ex contemtu aut neglectu intelligentiæ veritatis profectum, sed duntaxat ex præcipitio animi, hac in Christum indignitate permoti. Ex quo videmus quam vere dicitur, iram non operari justitiam; quæ Petrum perpulerit, ut illud fecerit, de quo rectene an secus fieret dubitavit. Duplice ergo ratione peccavit, *primum*, quod rem illicitam fecit: privatus enim contra magistratus autoritatem pugnat. *Secundo*, quod dubitanter & fluctuante animo id fecit. Hoc igitur nos admoneat, ne nos subito abripi patiamur perturbationibus, quæcumque species boni objecta fuerit; sicut hoc loco Petro non defuit gloriosus, quem obtenderet prætextus, quod Christo laboranti & indignissime affecto suppetias tulit. Hujus autem facti peccatum tanto constat magis, quo periculum hoc pacto sibi & saluti suæ struxit, & Christi fidei Patri datæ de omnibus suis discipulis (excepto Iuda) ex præsente tentatione ob eam causam eruendis, ne in æterna perirent, cum tentationi perferendæ impar futurus esset.

Atque hoc loco incredibilis Dei in servandis promissis fides elucet, & in suis è tentatione eripiendis. Quod enim Petrus, aut non captus, aut in mille frusta dissectus sit cum ad Iudæorum in ipsum odium hæc contumelia accessérit, nunquam satis digne considerari posset. Atque nisi incomparabili divinæ providentiæ pharetra tectus fuisset, non potuit unquam constitisse. Quod nos merito confirmet & consoletur; nulla pericula quantumvis maxima, illis exitialia esse posse, quos Dominus ad sui nominis cultum stabiliendum superstites fore constituit. Quod si Petrus sese temere his periculis immiserit, illa tamen perrupit: nedum nos dummodo caute & circumspecte ambulaverimus, & divinæ providentiæ in nobis servandis inserviamus. Vide simile exemplum in Iacobo post cædem Sechemi patratam. *Dei in servandis promissis fides.*

Notandum porro nullos omni verisimilitudine acerbiores & contumeliosiores in Christum fuisse Ministris & Presbyteris Archisacerdotum. Sic *Iohan.* 18, 22.

Christus ad propositam quæstionem responsum aptat, quo omnibus discipulis imperat, ut ne hanc quidem contumeliam sibi illatam, ut ut indignissimam, vindicent, sed hæc fieri sustineant. Atque quo liquidius constet hanc vim & in hostes irruptionem & obluctationem sibi non placere, attactu auriculam præcisam veteri sanitati restituit: docens sibi displicere ut fundantur, in terram sternantur & obtruncentur, quibus ne auriculam quidem adimi velit. Interim per mediam abjectionem, divinæ gloriæ suæ specimen egregium edit, quo & labantem suorum fidem, & infidelium animos convictos abunde teneat. Eoque docuit, in promptu illi fuisse, illis omnibus manus & aures adimere, & vitam ipsam si voluisset. Nam qui sanat multo magis vulnerare potest. Atque ut hæc Christi clementia erga infestissimos hostes insignis fuit, quæ ferream & lapideam duritiem comminuere poterat, ita improborum hominum occæcatio & obduratio non minore animadversione digna, quæ non tantum non emendatur hac Christi suavitate & mansuetudine, sed obfirmatur magis. *LVC. vers. 51. Christi gloria specimen in media humilitate.*

Prius eos severitate aliqua pertentaverat, dum illos resupinos in terram prostravit, jam etiam mansuetudine & benignitate illos aggreditur, sed utrobique in pœnas ruunt. Vt nihil mirum sit si Pontificii nullis his admirabilibus Ecclesiæ liberationibus commoveantur ad resipiscentiam; sunt enim *Nec severitate, nec benignitate Ecclesiæ hostes mitigantur.*

tanquam rabidi canes & efferati, aut veluti serpentes, qui nullis incantationibus, quantumvis artificiosis, è suo specu cæcitatis, &c. educi possunt.

Matth. vers. 52.
Reprehensio cum doctrina conjungenda.

Postquam totum discipulorum cœtum de suo in hoc negotio officio commonefecisset, ad Petrum, qui aliquid adversus hoc mandatum admisisset, & ut videtur porro admissurus erat, orationem convertit. Eumque jubet ut districtum & eductum gladium denuo recondat. Eoque docet non satis esse delinquentem in genere admissi peccati admonere, nisi specialius admonitionis medicina illi admoveatur, ita est natura nostra sui lena, ut quod omnibus dicitur, cuivis potius dici, quam nobis existimare parati simus. Deinde adhortationi rationes & argumenta eaque & frequentia & varia, hæc minacia, illa informantia, adnectit. Quo *docetur* quod Paulus ad Titum ait, reprehensionem cum doctrina conjungendam. Si enim reprehendatur, non etiam coarguatur & doceatur peccator, admonitio instar sagittæ cujusdam est, quæ ferro non obducitur & stimuli, cujus cuspis retusa est & obversa.

Gladii abusus damnatus propter pœnam talionis.

Primum argumentum est, ab adjuncta pœna eorum, qui gladio temere utuntur, & illegitime; fore ut prout gladio percusserint, seu ad mutilationem, seu ad cædem, &c. sic & ipsis fiat: Quod ut præcipue de magistratu intelligitur, cujus *partes* sunt hoc Dei judicium exsequutioni mandare etiam adversus mutum juvencum: sic etiam & ipse Deus vel sua & propria manu, qua sanguinarios immatura morte plerumque tollit, vel alterius sicarii manu illud exsequitur. Hoc igitur nos cautos reddat. Cum enim ne in hac quidem Christi defensione eximitur peccator, nedum, &c. Quod si Deus illum non puniat, sed illi diuturnam vitam indulgeat, tamen ita illum & conscientiam irritat, qui sanguinem fudit, ut satius illi fuerit semel perire, quam quotidie, veluti morte quadam, terrore percelli, ut in Caini exemplo. Quam vellem igitur vox ista sicariorum aures assidue personaret, *reconde gladium tuum in vaginam*, qui levissimis de causis gladios distringunt. Quin potius illud primum optandum, ut ne educatur quidem, aut distringatur, nisi imperante Christo in verbo. Quod si præcipiti ira circumventi præveniantur, secundum est ut quam citissime desistant.

Hinc apparet usum gladii non tolli à Christo, adversus *Anabaptistarum* errorem.

Vers. 53.
Cujus abusus origo in Petro.

Fontem & causam temerariæ hujus percussionis indicat Christus, quod Petrus nuspiam Christum eripi potuisse ex hostium violentis manibus crederet nisi ipse Christo laboranti gladio opitulatus esset. In quo falsum Petrum esse, non tantum superiore potentiæ divinæ in prosternendis hostibus documento liquet: sed hoc ipso, quod cœlestes copiæ unico precum verbulo ad Christi defensionem armari poterant. In quo illud *perspicitur*, quid *primum* sit, quod nos ad injustam pugnam seu dimicationem impellit: ignoratio, aut certe indebita reputatio potentiæ divinæ, quæ nobis opportune subveniendis parata est, quoties illud ex divinæ gloriæ, & nostræ salutis usu futurum sit. Nos enim, quibus nullæ legitimæ rationes sensibus obviæ, aut rationi humanæ congruentes occurrunt, idcirco ad illegitimas, quæ promtæ & ad manum sunt, confugimus. Vt ergo in repellenda vi nihil illegitimum tentemus, ante oculos obversari debet & menti penitus instillari, multiplicem esse Dei erga suos defensionem, furorem hostium avertendo, vel hostes inter se committendo, vel fulmine propriæ vocis sternendo, vel Angelos propugnatores submittendo. Hinc est quod *Psal.* 34, *vers.* 7, 8. doctrinæ de Angelorum castrametatione subjungitur doctrina de pace persequenda, præteritis & obtritis injuriis, quibus afficimur.

Vers. 54.
Piorum passiones non arguunt in Deo potestatis aut amoris defectum.

Hoc autem se jam facere non posse docet ab adversis, Angelorum enim patrocinio ad vitæ & libertatis custodiam uti, pugnat cum Prophetis, qui mortem mihi ad hoc tempus & captivitatem obventuram prædixerunt. *Ex quo* illud etiam *liquet*, statuendum nobis esse, cum Euangelii hostibus nos comprehendi potestas fit, illud nullo aut voluntatis Dei erga nos defectu aut impotentia in propulsandis hostibus fieri, sed tantum quod Deo gloriosum hoc sit, Ecclesiæ utile, nobis ipsis salutare. Nec enim semper patiuntur pii ut Prophetiæ impleantur, ut in Christo factum. Tametsi enim de bestia Romana prædictum sit, illam sese imbuturam sanguine sanctorum: tamen id ad singulos homines & individuos non accommodatur. Auget consolationem quod tam amplum & copiosum nobis in promptu præsidium sit, ut cum unus Angelus hostium infinitis millibus prosternendis sufficiat, nobis tamen numerosos milites cœlestes suppeditet. Vide exemplum Elizæi, & *Psal.* 34, 8. *castrametantur Angeli.*

Iohan-

Ioan. vers. 11. *In quibus etiam non homines, sed Deus respiciendus.*

Iohannes vers. 11. aliam rationem adhibet ab adjuncta Patris voluntate, qui non tantum hoc fieri decrevit, & per Prophetas fore prædixit, sed illi ut hoc patiatur & subeat in mandatis dedit. Cujus detrectationem & declinationem quo magis Petro invisam, & sibi ejusdem admissionem & suspensionem minus injucundam redderet, comparat hanc perpessionem calici in manum à Patre porrecto. Quod si iniquum sit filium calicem à patre propositum & in manum inditum à se repellere; præter rationem esse, ut ipse hunc à cœlesti Patre admissum calicem, aut ipse propellat, aut ab aliis propelli & emandari patiatur. Atque hoc modo Christus hujus indignitatis acerbitatem mitigat & emollit dum animum a Iudæis abducens eum totum ad Deum Patrem refert. Dum non tam reputat quid Iudæi crudeliter admittunt, quam quid Deus erga homines misericorditer faciat: non tam quid illi furenter, quam quod Deus sapienter: non tam quod illi proditorie quam quod Deus fideliter faciat. Non tam quid illi scelerate, quam quid Deus juste facit. Cui si etiam hoc addiderimus nobis calicem à Deo propositum pharmaci vim habere, non dubitabimus illum placide ab illo accipere.

Luc. v. 52. *Magistratuum officium.*

Quod principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores huic negotio præerant, ad cautionem majorem factum est, & ut militum, & satellitum diligentiam & audaciam acuerent incenderentque. Quod Magistratus admoneat uti in rebus gravioribus ipsi intersint, nec rem servorum fidei permittant. Quod Christus (apud *Lucam*) hos primores præcipue perstringit, Magistratus & Ministros docet ut in corripiendis delinquentibus, præcipue illos premant, qui in scelere duces extiterunt.

Principum sacerdotum turpe factum.

Notetur Principes Sacerdotum, &c. oblitos quietis suæ cui proculdubio nimium dediti erant, oblitos honoris & dignitatis, sese, in hoc facinore, cum turba & ignobili vulgo permiscuisse. Hujusmodi aliquid vide in Saule, qui justo exercitu & paratis copiis Davidem tanquam muscam, canem, aut perdicem persequutus est; quo etiam nomine à Davide perstringitur. Eundem vide plebei hominis habitum induentem, ut Pithonem consuleret: idem vide de Zedechia per speciem bajuli fuga sibi consulente. Cum igitur principes & primarii viri spretis voluptatibus & honoribus, tanquam deposito diademate aut sceptro suis affectibus serviant: nedū nos, &c.

Matth. vers. 53.

Discipulos primum officii & præsentis negotii commonefaciens ne videatur Christus his verbis, & hac discipulorum reprehensione Iudæorum indignissimum factum probare, Apostrophe ad milites, maxime vero principes Ecclesiæ qui intererant & præerant huic Christi comprehensioni, se convertit. Et sicut discipulos docuit omnino necesse esse ut Iudæorum in manus incidat, ita istorum stultitiam, vel insaniam potius, arguit, quod gladiis & fustibus & hac cohorte ipsum sibi subjicere & subjugare posse existimarint: non secus atque furem, qui copiis se circumvenientibus obsistere nequit. Cujus quidem insaniæ eos convincit, quod interdiu cum in medio ipsorum esset, vel in maximo studio illum opprimendi se comprehendere, sibi manus injicere non poterant; nedum noctu, cum nullis aut urbis aut templi muris circumseptus teneretur. Nec dissimilis est horum insania illi, quæ olim fuit Syrorum 1 *Reg.* 20, 23. qui dicebant Israëlitarum Deum fuisse Deum montium eoque pugnam in montibus initam illis propitiam fuisse. Sed in planitie tamen pugnantes vincendos esse. Sic isti, &c. Sic, hostes Ecclesiæ, tametsi intelligant, se suis technis aut crudelitate nihil efficere posse ad lucem Euangelii extinguendam, & experientia discant, hac illorum crudelitate Ecclesiam incrementum accipere, tamen ab illis ad alia consilia, eaque minus ad illud quod parant idonea, transeunt.

Perstrictionis in Seniores ratio.

Hinc est quod *Pontificii* relicta cæde sanctorū, quæ per speciem justitiæ fiebat, proditione & repentina & inexpectata morte indicta causa pios trucidant. Sed si priori machina, quæ speciem quandam justitiæ & honestatis habebat non profecerunt, nedū, &c.

Impii votorum compotes sibi Deum favere putant.

Hinc constat, subiisse mentem horum sicariorum, hanc Christi comprehensionem à Deo ob eam causam probatam fuisse, quod eorum nefariis conatibus ex animo successerat; quodque Christus remoras objectas submoverat: ut sive Deus obstacula opponat, ut in Eliæ comprehensione; sive illa submoveat, ut hoc loco, tamen in impietate semper obfirmentur & pergant. Si ex sententia illis cadat, ilico Deum impietatis suæ suffragatorem autumant, ut in Saule constat, qui indicato à Ziphæis Davide statim acclamat: benedictus Dominus qui conclusit eum, &c. quod si objectis impedimentis illis obsistat, non ad Deum tanquam causam assurgunt, sed in fortunam ut Philistæi vel in artem Magicam, ut Pharao in Mose, derivant, nedum

dum,&c. vel in locum, ut Syri. Vel in rem quampiam aliam; ne Dei manum & digitum videant, obcæcantur.

Luc. vers. 53. Christus non vi hostium comprehensus, sed permissione Dei.

Deinde *notandum* Christum argumento à diversis arguere, non fustibus, aut gladiis, aut copiis militaribus comprehendi in præsentiarum, non magis, quam si juncis aut arundinibus & puerulis trimis armati & instructi procederent. Sed ob eam causam duntaxat, quod tempus & momentum ipsum advenerit, quodque jam tenebræ, seu tenebricosi homines hanc potestatem sibi à Deo concessam habent.

Hæc hora vestra.] Docet ab adjuncto tempore, nullis illorum copiis aut armis se comprehendi; sed quod eorum hora advenerit, quam etiam alibi suam & propriam horam appellat, sed longe diverso respectu. Suam enim horam cognoverat à Deo præstitutam, à Prophetis prædictam, & proinde à se expetitam & amplexatam. Eorum autem horam quod Deus hoc ipso tempore ut illis in manus objiciatur permisit, quod singularem consolationem habet, persequutores ne manum admovere posse ad comprehendendum nos, priusquam,&c. Vide *Apocal.* Vbi duos testes comprehensos esse dicitur, quum Ministerii sui tempus explevissent. Vide etiam exemplum Petri *Actor.*12,11. Sed Pauli præcipue, qui tot veluti mortibus circumclusus, toties è mortis faucibus ereptus est. Sed omnium illustrissimum exemplum in Ieremia existit, si promissionem factam 1. *cap.*18. eum reliqua de eo historia conferas. Quod nos etiam adversus illam offensionem instruat, quæ potentia & licentia hostium Euangelii quidvis pro arbitratu perpetrandi oculos nostros perstringit. Cujus rei insigne documentum. Vide *Matth.*10,17,18. præsertim si ille locus conferatur cum *Luc.* 22,54. apparet. Constabit enim inermes discipulos in medio luporum sævorum conversantes nihil ab illis damni accepisse.

Secus tamen illis sentientibus.

Deinde *notandum* illos secum statuisse penes se esse Christum comprehendere, tot sæpe priorum temporum experimentis confutatis. Vide exemplum *Daniel* 3,17,*&c.* Nabuchadnezeri ad tres adolescentulos: item post in oratione Pilati ad Christum. Idem (sed falso) videtur horum temporum persequutoribus nostris: atque hæc illorum insania refellitur à Christo; non tantum totius Ministerii documentis, ut *Iohan.*7,46. cum missi ad illum comprehendendum inanes redirent, & quantumvis in errore persistente, non tamen præ sermonis Christi incredibili gratia, illum vel attrectare permissi. Item *Iohan.*8,59. cum sublatis lapidibus quos in illum jactarent, eosdem tamen emittere nequibant. Item *Luc.*4,30. per medium agmen perrumpebat, postquam eum in prærupti montis verticem, præcipitii causa adduxissent. Non tantum, inquam, superioris vitæ documentis, sed in illius etiam septimanæ, in qua comprehensus est experientia, cujus in singulis diebus à mane ad vesperam in templo docebat. Idem dici potest de nostrorum temporum persequutionibus.

Simul etiam subinnuit Christus non mirum esse, si noctu tanquam ad furem processerint, cum sint ipsæ tenebræ, eoque tenebras consectantur. Quod tamen non ita accipiendum est, ac si quæ noctu gerantur omnia in vitio essent. Nam Gedeon noctu Idolum evertit, & lucum succidit. Sed tum demum jure coarguantur, cum interdiu res administrare valentes, noctu tamen illud faciunt. Vt qui noctu judicia exercebant Athenis, &c.

Reprehendit Christus seniores à temporis circumstantia.

Horæ vero, seu temporis jam completi causam notat Prophetarum oracula, quæ hæc prædicebant & tempus ipsum designabant. Hic *notetur* simul & pios & impios operam suam navare implendis Prophetiis. Sed longe aliter atque aliter. Nam pii hoc sæpe faciunt scientes, ut hoc loco Christus; impii inscientes. Pii ut Deo obsequantur, impii ut suis pravis affectibus obsequantur. Quod nos in veritate Dei confirmet, cum omnes & pii & impii adeoque impiorum caput diabolus ad prædictiones Dei explendas a Deo adhibeantur.

MATTH. vers. 56. Omnes homines prophetiis implendis operam dant.

Ad extremum adjectum est discipulos in fugam versos esse. In quo videmus impletum quod Christus ante dixerat, & quod Prophetæ prædixerant, percusso pastore, oves dissipatas iri. Quod tamen secus fieri debebat: Christi etenim & pastoris constantia & magnanimitas eos debebat animosiores ad pugnam spiritualem reddere. Nec enim debemus hac ex parte oves referre & timidas pecudes, ut pudore Euangelium & Euangelicos suffundamus, & pastoribus nostris majorem dolorem creemus, & etiam periculum, dum sic animos hostibus addimus. Hoc igitur non ideo ab Euangelista dicitur tanquam reprehensione careret: sed partim ad veritatem Prophetiæ & prædictionis Christi, ad tollendam offensionem destitutionis Christi, partim ad discipulorum ignaviam

Discipulorum fuga culpanda.

ignaviam cum inani confidentia conjunctam, ut vidimus, detegendam. Videmus etiam singularem fuisse hoc loco discipulorum ignaviam, qui fugiebant cum periculi nihil esset. Certissimum enim esse illis debuit, ex eis neminem periturum: eoque potuerunt se honestius subducere, nec tantam labem vel sibi vel Christi professioni intulisse. Simul etiam culpandi quod non discesserant cum primum illis copia facta est.

Putida autem fuga illius, qui nudus aufugit, nisi quod nox illi aliquousque tegumento erat. Sed intelligimus quanto in metu versabantur discipuli, & quam indigne relictus est Christus etiam cum summo pudore discipulorum. Marc. vers. 52.

IOH. *cap. 18, à vers. 12, ad 17.*

12 Cohors igitur & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & vinxerunt eum.

13 Et abduxerunt primum ad Annam, erat enim socer Cajaphæ, qui erat Pontifex maximus anni illius; is vero misit eum vinctum ad Cajapham Pontificem maximum.

14 Erat autem Cajaphas is qui consilium dederat Iudæis expedire ut unus homo moreretur pro populo.

15 Sequebatur autem IESVM Simon Petrus, & alius discipulus; Discipulus vero ille notus erat Pontifici maximo, & simul introiit cum IESV in aulam Pontificis maximi.

16 Petrus autem stabat extra ad ostium; Exivit ergo discipulus ille alter qui erat notus Pontifici maximo, & loquutus est ostiariæ, & introduxit Petrum.

ANALYSIS.

Effectum cohortis, Tribuni, & ministrorum declaratur, quod comprehenderunt eum & vinxerunt: cujus efficiens causa videtur, quod Christum intellexerunt mandare suis ne illorum conatibus obsisterent: forte etiam quod ex Christi ore audivissent hoc esse illud tempus, in quo illis à Deo permissum sit ut illum comprehenderent: illud enim videtur illativa nota innuere.

Vers. 13. Aliud effectum notatur, quod illum abduxerunt ad Annæ principis sacerdotum domum; quæ abductio adjuncto tempore describitur, quod primum eum eo duxerunt: cujus efficiens notari videtur, quod socer esset Cajaphæ; qui describitur ab adjuncto munere summi sacerdotis; quod munus alio adjuncto annuæ mutationis explicatur.

Vers. 14. Describitur porro ab effecto, quod consilium Iudæis dederat, ut unus homo pro populo moreretur.

Vers. 15. Adjunctum hujus abductionis est, quod duo ex discipulis Petrus & alius discipulus Christum sequuti sunt: discipulus ille describitur adjuncta noticia, qua summo sacerdoti innotuit; item adjuncto tempore, quo ingressus est summi sacerdotis ædes, nempe cum Christus eo introductus est: qui ingressus videtur inde patuisse, quod erat notus principi sacerdotum, ut noticia causa assignetur tam facilis ingressus; qui hujus discipuli promptus & confidens ingressus illustratur Petri lento gressu ad ædes summi sacerdotis, apud alios Euangelistas.

Vers. 16. Petri effectum narratur, quod ad portam stetit, nec pulsare tamen ausus: deinde notatur effectum alterius discipuli, qui gratia, qua valebat in illa familia, Petrum in domum introduxit; finis vero ingressus discipulorum ab aliis Euangelistis narratur ut viderent quid Iesu fieret.

METAPHRASIS.

12. *Cum Cohors, Tribunus & Ministri à Sacerdotibus & senioribus submissi audivissent, Christi sermonem ad discipulos, quo sui propugnationem inhibuit, & ad illos itidem, quo hoc esse tempus & horam confirmarat, cum Deus se illorum sceleratis manibus tradendum permitteret, ut calicem sibi à Patre admensum exhauriret; ilico eum comprehendunt, eumque, tum ad majorem cautionem & securitatem (de qua Iudas illos commonefecerat) tum ad majorem ignominiæ notam illi inurendum, funibus, latronum instar, vinciunt.*

13. *Vinctum ad Annæ ædes primum ducunt, quem, quod Caiphæ (qui gratia aut pecunia, aut utraque summum sacerdotis munus ad illum annum perquisiverat) socer esset, hoc calamitatis Christi spectaculo oblectatum iri probe norant.*

14. *Idem vero hic Caiphas est, qui Iudæis consuluerat expedire, ut unus homo pro populo moreretur; ut non difficile fuerit animo præcipere, quam inique ex animi sui præjudicio se erga Christum gesturus sit.*

15. *Petrus autem & alius discipulus, qui in fugam se verterant cum se à Iudæis minime insectatos vidissent, mutato fugæ consilio regressi se in viam ad ædes Caiphæ*

phæ dant Christum sequuti. Quod autem dis-
cipulus ille pontifici notus fuit & gratia aliqua
apud illum valuit, intrepide cum Iesu aulam
16. *pontificis ingressus est. Petrus vero amore*
Christi ductus eum sequutus est, sed perterri-
tus suspenso gradu longiore intermisso inter-
vallo Iesum sequutus est, quoad ad portam
pontificis pervenit, ubi pulsare non audens, sub-
stitit. Alter vero discipulus pontifici notus (sic-
ut Petro cum illo omni verisimilitudine con-
venerat) aula egressus, cum Ostiaria agens, Pe-
trum gratia, qua valebat, introducit: uterque
tam Petrus quam alter discipulus hoc consilio
ingressi sunt, ut quid Christo fieret intellige-
rent.

PRAXIS.

SUmma, Christo vincto, & ad Annam ducto, ab eodem vincto ad Caipham misso, à duobus discipulis observatur, quid eo futurum erat.

Partes sunt,
- Christi vincti adductio ad
  - Annam socerum.
  - Caipham generũ.
- Duorum discipulorum in Caiphæ ædes quid Christo futurum foret videndi causa subingressio.

Vers. 12. *Impiorum durities cordis.*

Notandum Christum ab impiis tum vinctum, postquam verbo illos ad terram stravisset, & Malchi amputatam aurem capiti rursus restituisset, unde durities cordis ipsa incude, quæ malleo tunditur assidue, durior colligitur, ut quæ nec verbis nec factis Christi, nec pœnis, nec beneficiis mollescere novit. Quare ab illa sollicite cavendum. Hæc vincula in victima umbratili ad altare cordis & funiculis sistenda figurantur. Sed ante legem in Isaco ad mortem ligato repræsentata & adumbrata sunt.

Christi exinanitio in vinculis.

In priore parte notandum, Christum, qui totum orbem terrarum manu sua tenet; sustinere à paucis sceleratis comprehendi. Eum qui montes veluti bilance aut trutina appendit majori facilitate, quam homines res levissimas & pondera, paucorum homunculorum & nanorum in manus conclusum tradi. Hæc igitur magna Christi exinanitio: Sed major sequitur de vinculis ei injectis; quod quidem duobus nominibus fecerant. *Primum* quo majori securitate illum prehensum tenerent. *Deinde* ut illi majorem ignominiam inurerent, dum cum illo non secus quam cum latrone fieri consuevit, agerent. Et quidem insignis Christi dejectio erat, cum se usque eo dimisit, ut fasciolis se illigari passus sit, cum in cunis vagiret. Ne vero parum nobis videri debeat quod se incunabilis permiserit, vincula jam aucto & ad justam staturam provecto injiciuntur & ille non tantum infirmitatis infantiæ, sed & ignominiæ pudendæ vinculis oneratur.

Quæ propter nostra peccata, ut olim Samson, non disrupit.

Quid autem causæ est cur cum Samson septem restibus viridissimis & virentibus, item funibus recentibus constrictus, illa perinde atque filum stupeum igne subustum disrupit; Christus tamen ligatus mansit? An quod robore & viribus inferior extitit, qui plus roboris in unico digito habebat, quam Samson in omnibus lumbis, cujus unico pilo plus virium inerat quam in omnibus Samsonis cincinnis & capite. Quid an illum ut Samsonem somno oppressum offenderunt? nequaquam, ut qui noctu per aliquot horas in precibus pernoctavit. An cedo illi comam præciderunt quam ex Dei instituto nutrire debebat? Nihil minus, cum universam Nazireatus sui legem impleverit. Sed nos, nos dico tanquam Philistæ & incircumcisi hujus tantæ imbecillitatis & ἀδυναμίας causa sumus. Nos illius caput rasimus. Nostra peccata tanquam restes & funes recentes & virides extiterunt, quibus illius vires, non quidem ut Samsonis, exhaustæ aut exarefactæ erant, sed intus veluti a se obsignatæ & occlusæ ne emanarent. Dictum est olim à Davide in Abneri laudem, ejus manus instar insipientis non fuisse ligatas, id est, facinorosorum more suo maleficio non fuisse plexum. 2 *Sam.* 3, 33, 34. Atque de Christo idem quidem quoad propriam dignitatem multo verius dici potest. Sed si meritum nostrum, quod in se transtulerat reputemus, vere de eo dici potest, eum instar stulti manibus vinctum fuisse. Et instar stulti ad cippum, denique instar bovis ad macellum ducendi, ut est apud *Salom. Prov.* 7, 22. Qui omnes compeditos solvit *Psal.* 107, *versu* 10. qui catenas ferreas & portas chalibeas perfringit, qui omnes libertate donat, & datam illis libertatem tuetur, captivus tenetur: qui omnibus viam & iter monstrare norat qua insistant, pro aliorum arbitratu ducitur: qui cingit & discingit Reges, cingitur ab aliis: ne pigeat nos cingi ab aliis & abduci quo nolumus, cum, &c.

Hic igitur, in Christi indignissima tractatione, reputemus peccatorum nostrorum turpitudinem: reputemus pudendam rationem, denique meritum nostrum. Sed una consolemur nos ipsos, quod ejus vinculis à pec-

peccati & satanæ captivitate solvimur. Hac tamen conditione, ne nos denuo his peccati & satanæ compedibus implicemus.

Vnde in nobis excitari debet patientia crucis;

Hinc discimus, nullos carceres tam tetros, tam pudendos esse: nulla vincula tam ignominiosa, quæ non æque perferamus: nullos carnifices seu apparitores tam aut fœdos & abjectos, aut necessitudine nobis conjunctos & beneficiis devinctos, à quibus nobis manus injici non gravate patiamur: nullum tempus tam ad ignominiam inurendam commodum, quod non libentes subeamus, cum, &c. Discipulus enim supra præceptorem non est, nec servus supra herum: satis est, &c.

Christus in potestate tenebrarum potentiam suam cohibet.

Ad primum aggressum & conatum Christum comprehendendi, Christus suam virtutem mirifice declaravit, resupinam ad terram totam cohortem sternendo, auriculam resectam restituendo, & nutu sanando. Nunc autem (quod & deinceps per totam ejus passionem fit) tanquam brachium, quod aridam manum restituit, ipsum arefactum aut emortuum; tanquam nervi contracti essent. Nullum specimen potentiæ suæ editur, quid ita? quia jam tempus & hora tenebrarum advenerat, jam tempus extremæ Christi exinanitionis & humilitatis erat. Eoque ut olim Isaacus ab Abrahamo vincitur, ut agnus ad occisionem sine oblectatione ducitur. Nos vidimus & sensimus singularem Dei potentiam in asserenda Euangelii veritate. Eximiam porro Dei providentiam & sapientiam in hostium Ecclesiæ consiliis anticipandis & antevertendis. Quod si semper illud non fiet, id est, si hora hostium venerit & potestas tenebrarum, si tempus, quo Deus vel peccata nostra castigare vult, vel fidei nostræ periculum capere, non tamen hac Euangelii destitutione offendamur, ut illius veritatem in dubium vocemus. Oportet enim nos ita divinæ potentiæ, quam experti sumus confidere, ut, si Sol ejus, objecta nubecula, ad tempus occultetur, non minus tamen illi confidamus, quam cum illum oculis conspeximus & veluti manibus contrectavimus; & tametsi quotidianum illud pabulum fidei nostræ defecerit, in virtute tamen superioris veluti panis ambulare. Quis existimasset, unctum Domini Davidem, cum veluti perfuga in desertis famelicus oberravit, pro uncto Domini agnoscendum, tamen Abigaël per mediam ejus abjectionem hanc in Davide præstantiam agnovit, cum Nabal stolidus ejus maritus ob Davidem contemtum mortis pœnam luebat.

Vers. 13. Illudendus circumducitur.

Quod Iohannes solus eum ad Annam ductum affirmat, id eo factum ut Annæ hoc spectaculo comprehensi & vincti Christo gratificarentur, cujus Pontificiam scilicet sanctitatem sciebant hac Christi calamitate oblectatum iri: & qui (ut verisimile est) in multam noctem vigilaverat, ut quid hoc incepto fieret, antequam cubitum iret, resciret. Vere enim dictum est à *Salom. Proverb.* 4, 16. impiorum ab oculis fugere somnum, nisi concupitum scelus perfecerunt. Sicut igitur Samson olim coram Philistæis sistebatur ut illo tanquam morione oblectarent se; Sic, &c. Nam post etiam ad Herodem eodem consilio ductus est. Et sicut imperatores eos, quos in bello devicerunt, captivos huc illuc ad currum vinctos circumducunt: Sic isti tanquam Christum sua virtute & sapientia cepissent, in Christum triumphos agunt. Et ut Philistæi olim arcam captam, & post corpora Saulis & filiorum circumduxerunt: Sic, &c. Hinc est illud Apost. 1 *Cor.* 4, 9. Quanta & quam acris hæc sit afflictio, apparet ex Saule, qui sibi potius manus inferre voluit, quam ut sibi hoc pacto illudi pateretur. Apparet etiam piorum illusionem pretium esse non tantum reconciliationis impiorum invicem distractorum, sed eorundem arctiore vinculo amicitiæ devincendorum.

Hic nihil memorabile factum esse narrat Euangelista: tantum post indicat, Annam illum ligatum ad Caipham dimisisse: eo ipso declarans se hæc vincula & hanc tyrannidem probare: quod facile omnes crediderint, cum socerum Caiphæ intelligerent: ut magnopere dubitandum non sit, quin affinitatis vinculum utrumque & socerum & generum firmius in hujus sceleris societate conjunxerit: Eoque cavendum esse ne affinitatem cum, &c.

Caiphæ descriptio & ejus ratio gemina.

Hic Caiphas idem fuisse describitur, qui supra commemoratus est, idque duabus de causis. *Vna* ut intelligeretur ejus virulentam in Christum tunc temporis sententiam non tam à Prophetico, quam à sanguinolento spiritu profectam; cui exsequendo via nunc parari cœpit: *altera* ut intelligeretur, quæ æquitas ab illo in judicio exspectanda esset, qui ita animatus in Christum erat, & qui sui consilii perficiendi ergo omnem operam navaret, ut quod consilium dedit exsequutioni mandaretur. Sic si coram judicibus

sistamur, qui præiudicio quodam innocentiam nostram indicta causa damnant & sententiam domi cœptam in tribunal afferunt, &c.

Apparet *Marc.* 14, 53. Principes Sacerdotum, Seniores, & Scribas, valde mane ad Caiphæ ædes consilii causa convenisse. Hic præter Catilinariam vigiliam & laboris ad Christum opprimendum patientiam, notetur ratio in hac causa progrediendi ut quod esset Ecclesiasticum de hæresi aut blasphemia, ad Ecclesiam referant. Sic Ecclesiarum causis a, &c.

Hic etiam notetur quam (si unquam ante hac) impletum sit, quod à Salomone in Ecclesiaste dicitur, *Dominum esse à pedibus, &c.* Vide *Ecclesiast.* 10, 7.

Factum Petri & alterius discipuli reprehensum.

Sequitur pars altera de discipulis duobus *Iohanne* & *Petro*, qui cum aufugissent, ex cursu respirantes, & se colligentes, postquam animadvertissent Iudæos se non esse persequutos, consilium capiunt de reditu ex fuga, ut quid Christo futurum foret viderent. Iohannes autem fretus Sacerdotis summi notitia & familiaritate se tutum fore confidit. Petrus etiam se latiturum, noctu præsertim, existimat. Hoc inceptum, tametsi in speciem videri possit officiosum, tamen re ipsa secus erat. Nam quorsum quis exitus futurus foret speculatum venirent, cum Christus omnia prius semel atque iterum non tantum in genere & summatim, sed speciatim prædixisset. Hoc igitur primum tenuitatem fidei arguit. Deinde temerarium factum erat, quia cum Christus illos dimittendos propter imbecillitatem censuit, non debite illam, cujus prius jam timida fuga periculum cœpissent, reputarunt. Interim tamen, Deus eorum opera abutitur ad testificandum illa quæ in passione gesta sunt, quemadmodum Iohannes illud diserte notat.

Quod a longe sequitur Petrus, indicat in Christo perfectum, quod David de suis maxime necessariis prædicat. Quare cum hoc nobis, &c.

Vnde gratia Ioanni apud Pontificem:

Quod autem Iohannes notitia Pontificis maxime fretus ingressus est, mirum adeo videtur, ut quidam hac occasione Iohannem fuisse negent; alii inepta quædam confingant quibus confisus ingressus est & Petrum introduxit, ut quod Sacerdoti prædium vendiderat. Sed nos nec dubitamus Iohannem fuisse, nec audemus aliquid statuere eorum, quæ Spiritus Sanctus cælavit. Tametsi autem Iohannes pauper piscator tutus fuerit, & ignobilis, & à Caipha religione diremtus, tamen multæ causæ esse potuerunt cur aliqua apud illum gratia fuerit. Si nihil aliud esset, hoc tamen ad obligandum Epicureum Sacerdotem, satis esse possit, quod ipse prius (& post pater Zebedæus) illi de optimis & lautissimis piscibus semper prospiciebant. Tametsi hoc in causa fuisse non ausim dicere. Sed eo *docemur & admonemur* ut sobrie de fratribus judicemus, qui aliqua gratia apud religionis iniquos aut adversarios valent, ne illos ilico aut parasitos aut defectores judicemus.

Hic *notandum* est ne nostra gratia aut amicitia apud alios ad aliorum perniciem abutamur, illis eadem ratione perniciem struentes qua illis gratificari existimamus.

IOH. *cap.* 18, *à vers.* 17, *ad* 25.

17 Dixit ergo Petro ancilla ostiaria; Nonne & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille; Non sum.

18 Adstabant autem servi & ministri qui prunas congesserant, quia frigus erat, & sese calefaciebant: erat vero cum eis etiam Petrus adstans, & sese calefaciens.

19 Pontifex maximus ergo interrogavit IESVM de discipulis ejus, & de doctrina ipsius.

20 Respondit ei IESVS; Ego palam loquutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo, quo undique Iudæi conveniunt, & in occulto loquutus sum nihil.

21 Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid sim ipsis loquutus; ecce, hi sciunt quæ dixerim ego.

22 Hæc autem quum ipse dixisset, unus ex ministris qui adstabat, bacillo cecidit IESVM, dicens; Ita ne respondes Pontifici maximo?

23 Ec-

23 *Respondit ei IESVS; Si male loquutus sum, testificare de malo: sin bene, cur me cædis?*

24 *Miserat igitur eum Annas vinctum ad Cajapham Pontificem maximum.*

A N A L Y S I S.

Deest Analysis versuum 17, & 18.

INtroducti in aulam Pontificis adjunctum est, quæstio Christo proposita: cujus efficiens est summus sacerdos: subjectum quæstionis est de doctrina Christi & ejus discipulis, quæ tandem erant.

Vers. 20. Cujus quæstionis effectum est, quod Christus propositæ quæstioni respondere renuit; quod confirmat ab adjuncta publica prædicatione; quam confirmat à subjecto loco publico, Synagogæ & templi; item ab adjuncto tempore, nempe quod nunquam non hoc fecit: item alio subjecto, nempe Iudæis; qui illum concionantem audiverunt. Quam apertam prædicationem sui adversi negatione illustrat.

Vers. 21. A diverso probat se non esse interrogandum, sed auditores ejus; quod etiam confirmat ab adjuncta auditorum cognitione quid docuerit.

Vers. 22. Christi responsi adjunctum Christi contumeliosa tractatio; cujus efficiens est unus ex pontificis ministris; cujus tractationis indignæ partes sunt, colaphus & accusatio inofficiosæ locutionis.

Vers. 23. Contumeliosæ tractationis effectum est ministri coargutio per Christum à distributione effectorum: sive enim bene, sive male Christus loquutus fuit, illius non fuisse percutere. Ne si male quidem: debebat enim tantum de malo testificari; nedum si bene.

Vers. 24. Huic Christi in domo pontificis contumeliosæ tractationi, quæ præcessit, sicut abnegationi Petri, quæ sequitur, occupatione tacita à disparato occurritur. Objicitur enim quomodo hæc in domo pontificis fiant, cum Christus ad Annam deductus dicitur: respondet Euangelista ab effecto Annæ, qui Iesum ad Cajapham miserat.

METAPHRASIS.

17. *PEtro jam in aulam pontificis introducto,*
18. *eadem quæ illum intromisit ostiaria Petrum igni (qui tum adversus frigoris injuriam instructus fuit) adsistentem & se per medium ministrorum & satellitum inferentem, ut ex illis esse videri possit, illum defixis oculis inverecundius intuens, interrogat, dicens; Nunquid & tu ex discipulis istius hominis es? Cui Petrus, quamvis fœmina ancillæ & ostiariæ abjectæ conditionis, respondet se non*
19. *esse. Christum vero ad pontificis κριτήριον jam comparentem pontifex cum de doctrina, tum de discipulis hoc (procul dubio) consilio interrogat, ut innoxium & crimine vacantem verborum laqueis indueret & aliquid expiscaretur, quo sibi viam ad ejus condemnationem*
20. *muniret. Cui Iesus: Palam & publice loquutus sum, non semel atque iterum, sed omni tempore, quo ministerium meum obivi, idque in locis hominum frequentia celeberrimis, Synagogis & templo, ubi Iudæorum omne genus conveniunt; nec quicquam in privatis parietibus docui. Quamobrem inique facis, qui me de* 21.
doctrina interrogas: eos qui me audiverunt interroga, ut qui probe norunt quam doctrinam proposui. Vix dum hoc suum responsum ex sa- 22
cro ore emiserat, cum ex ministris unus (ut heri gratiam captaret) Christum bacillo feriit. Nec contentus vim Christo intulisse, cum illo porro, tanquam inofficiose pontificem alloquuto, expostulat. Ad quem Christus; sive be- 23.
ne sive secus respondi, tu magno vitio non cares: te enim partes modo manent testandi quod videris aut audiveris. Hic si quis quærat 24.
quomodo hæc quæ præcesserunt de Christo & quæ sequuntur in domo Cajaphæ gesta sint, cum superius ad Annæ ædes ductum Iesum meminerimus: is velim intelligat Annam Iesum vinctum ad Cajapham ante misisse, postquam se paullum intuitu vinculorum & miseriæ Christi, oblectasset.

P R A X I S.

S*Vmma* est, Christi indigna tractatio.

Partes sunt indignæ Christi tractatio in { Petri negatione. / Pontificis Tribunali.

Hic versus hoc loco inseritur à *Iohanne*, non quod hæc Petri negatio tum acciderit cum intromissus erat; nam ad ignem assidentem hoc fecisse constat, sed quia ancillæ ostiaria quæ illum admisit, prima erat cui Petrus se eum esse negavit, qui revera erat, ideo Euangelista illius ancillæ mentionem ingressus, totam de illa historiam simul & semel expedit. Quamobrem hanc negationem ad illum locum reservabimus. Vers. 17.

Petrus se intulit & injecit in medium servorum & satellitum Sacerdotis & Iudæorum agmen, ut hoc pacto, tanquam ex illis unus qui idem cum illis sentiret reputatus, lateret. Hic, tametsi Euangelista hoc non exprimat, considerandum, & commentandum nobis relinquit Petri peccatum non leve, quod tamen non diserte & expresse notat: velle enim post apertam Christi per aliquot annos professionem, jam suam professionem dissimulare, & pro amico, hostem Christi haberi, gravi vituperio non caret. Hæc igitur quædam negatio extitit. Quæ tanto tertior est, Vers. 18. *Petri è satellitibus immiscentis factum damnatum.*

quod nullo hic milite premitur & urgetur. nullus hic gladius vibratur, ſed ad vocem fœminæ, imo ancillæ atque id oſtiariæ (id eſt, abjectiſſimæ conditionis) negat ſe diſcipulum Chriſti eſſe.

Notandum Chriſtum hic negari, cum non negarit Ieſum eſſe Chriſtum illum, ſed tantum, ſe non eſſe in cenſu diſcipulorum Ieſu.

Falſam religionem ſimulare illicitum

Cavendum igitur, ne vel oblique *Pontificiam* religionem ſimulemus, neque beſtiæ notam vel manu vel fronte geramus, nec vel genu Baali flectamus; ne ſi nobis mors ipſa oppetenda ſit. In vicinis regionibus decretum erat in Catholica piorum & fidelium cæde, eos omnes interficere qui crucis imaginem non geſtarent, & *Pontificii* noſtri (ut dicitur) decreverunt omnes truncandos qui crucem, aut agnum, aut aliquid *Pontificiæ* religionis monumentum & inſigne non geſtarent. Sed qui hoc in nos conjurarunt pro figuratæ crucis contemtu, in veram crucem acti ſunt. Nos autem ſciamus mille mortibus redimendam eſſe talem & tam indignam Chriſti negationem.

Reprehenſio Petri amplificata.

Prioris quidem negationis veſtigium paulo clarius apparet, cum dicitur Petrus ſe intuliſſe in medium agmen ſervorum & ſatellitum. Sed eſt & alia negatio, cujus leviſſima impreſſio aut ſignificatio exiſtit. Nemo autem ignorare poteſt, interim dum Petrus igni aſſidebat, multas & enormes in Chriſtum blaſphemias & dicteria conjecta fuiſſe, Archihæreticum, impoſtorem, &c. quibus Petrus ne gry quidem reſpondet. Quod eſt Chriſtum negare, cum vel metu vel pudore patimur Chriſti gloriam prodi. Quis enim ſervus paulo fidelior, &c.

Notandum porro Petrum dum ſe ſimulat ex ſceleratorum hominum farina eſſe, ſcelus graviſſimum admiſiſſe, & pene factum fuiſſe ſceleratum.

Hic adverſus eos dicitur, qui conſortium habent cum improbis, idque cupide & certo quodam judicio; cum hic tantum ut ſibi bene conſuleret, huc ſe adduci patiatur. Vide quæ alibi de hoc negotio ſcripta ſunt.

Sequitur *pars altera* de Chriſti indigna tractatione in tribunali Pontificis.

Summa eſt, Chriſtus à Pontifice inſidioſe interrogatus, & ab ejus ſervo indigniſſime cæſus, utrique graviſſimum & ſe dignum reſponſum edit.

Partes ſunt Chriſti cum { Pontifice / Pontificis ſervo } geſta.

In *priore* conſiderantur { Sacerdotis quæſtio. / Chriſti reſponſio.

Verſ.19.

Quæſtionis ſubdolæ à Pontifice propoſitæ finis.

In quæſtione primum ſpectatur finis, cur quæſtionem propoſuit: deinde ipſa quæſtio. Et quidem quod ad finem, liquet, eum hac de cauſa moviſſe quæſtionem, cum nihil haberet cujus illum inſimularet, ut his quæſtionum & interrogationum laqueis aliquid expiſcaretur, quo Chriſtum ſpecie tenus reum ſceleris ageret. In quo legitima judicii ratio convellitur, quod prius reum prehendunt, quam cauſam nacti ſunt, cui judicium condemnationis aut certe vehementioris ſuſpicionis confidat. Vnde fit ut aliquid elicere ex ſermone conentur, quod illi objiciant, & quo reum peragant. Hanc judicii perverſitatem prophanæ gentes improbarunt. *Actor.*25,27. Tribunal igitur Eccleſiaſticum, quod caſtiſſime ſervari debet, violari & adulterari, idque ab eo, qui ipſius juſtitiæ & ſanctitatis typus erat, indigniſſimum fuit: atque ubi videas jus omne violari & pedibus proteri, non niſi ab his, qui ſummam in judiciis religionem ſe colere profitentur, tum demum illud inique feras.

Iniqui in Chriſtum judicii fructus.

Sed hic præcipuus *fructus* eſt ut noſtrum hic reatum agnoſcamus, cujus pœnam hic Chriſtus luit: qui quod ſpreta Dei lege per fas nefaſque res gerimus; hoc indigniſſimum judicium, & hunc iniquiſſimum Iudicem adverſus Chriſtum arceſſivimus. Simul etiam non debere inſolens & novum videri, ſi eandem aut judicii aut Iudicis indignitatem ſubeamus. Satis enim fuerit ſervo & diſcipulo ſi ſit ut herus, aut præceptor.

Miniſtrorum officium ex quæſtione propoſita.

Deinde in quæſtione *obſervandum* eſt, iſtos nefarios dextre & opportune quæſiviſſe de doctrina, cum doctor eſſet, etiam de diſcipulis, quorum etiam curam habere convenit, ut doctrinæ congruenter vivant, poſtquam illam perceptam habent. Sic *Matth.*9. Ratio facti diſcipulorum Chriſti a Chriſto exigitur. *Act.*20,28. Quidam enim ſatis eſſe putant, ſi conciones habeant, ſanam doctrinam proponant: perinde ac ſi Patrifamilias ſatis eſſet cibum infantibus aut ægrotis apponere, ac non requireretur etiam, ut videret & diſpiceret quomodo vires illo cibi genere creſcant, &c. Iudicis eſt non tantum ſententiam ferre, ſed providere ut exequatur. Cum Miniſtris procurandum ſit; ne qui doctrinam agnoſcunt & profitentur, ſua aut inſcitia aut morum corruptela doctrinam in invidiam & contemtum vocent. Huc etiam accerſe quod eſt, 1 *Tim.* 4, 16.

Chriſtus

Verſ.20, 21. Chriſti exemplo

Chriſtus reſponſo ſuo docet, perperam fieri, quod ipſe de doctrina ſua interrogetur, quæ palam & publice propoſita fuit. Hanc autem publicam promulgationem arguit ab adjuncto tempore, quod ſemper hoc docuerit, non ſemel tantum: tum enim forte vox ſemel emiſſa facile prætervolare poterat: deinde quod locis celeberrimis hoc fecit, templo & Synagoga: denique quod omnibus gentibus & omnis generis hominibus undique confluentibus: ut tolerabilis futura fuiſſet hæc quæſtio, ſi vel ſemel, aut occulto & obſcuro loco, aut paucis doctrinam propoſuiſſet; quod etiamnum confirmat ab adverſa negatione, quod nihil clam dixerit.

Omnia quantum fieri poteſt, palam agenda.

Hic diſcimus dandam eſſe operam, ut quoad fieri poteſt omnia palam & publice omnium in oculis & auribus agantur. Vide *Prov.*8,1,2,3. geſtit enim veritas ab omnibus audiri, nullius judicium reformidans, ut pleræque hæreſes, nominatim Anabaptiſmus, &c. quæ lucifugæ ſunt. Non tamen quod non liceat Eccleſiæ ſe à perſequutorum conſpectu ſubducere. Sed, &c.

Non tamen ubique.

Sciamus tamen, hoc Chriſti exemplum non per omnia imitandum, ut omnibus & ubique prædicemus. Erat enim Apoſtolus circumciſionis. Atque in tanta libertate & incircumſcripta concionandi apud Iudæos poteſtate tamen certis quibuſdam cancellis tenebatur. Semel enim atque iterum cum ab oppidanis ſui cupidis retineri tentatum ſit, reſpondit ſe non poſſe per vocationem hoc facere, quia miſſus etiam erat ad alias, &c. vide *Actor.*16,7. cum Apoſtolus Bythiniam ingredi voluit.

Vbi danda ratio fidei noſtræ.

Sed hic *quæri* poſſit, quomodo Chriſtus culpa vacat, quod fidei & doctrinæ ſuæ non fuit paratus rationem ponere; cum illud omnibus piis incumbere doceat Petrus, quoties ad eam rem à quocumque adiguntur. *Reſp.* Petrum eos duntaxat intelligere, qui doctrinam cognoſcendi ſtudio ducuntur. Cum igitur eo conſilio quærunt, ut laqueis interrogationum nos obruant, poterimus illos cælare; atque adeo etiam videmur hoc facere oportere, ne margaritas porcis, aut canibus ſanctum demus. Niſi forte hi interſint examinationi, quorum adverſus veritatem odium ex inſcitia potius, quam malevolentia proficiſcitur. Nam de ſacris myſteriis legimus Chriſtum apud perditiſſimos & profligatiſſimos Phariſæos diſceptaſſe: ſed id fecit ut rudioribus prodeſſet; quorum non erat tam inflammatum in veritatem odium. Sic videmus Ieremiam Iehoshaphati cauſa ad Ioramum acceſſiſſe, & utriuſque regis copiis unius tantum gratia aquam ſuppeditaſſe, qua cum vitæ diſcrimine deſtituebantur. Sic Chriſtus multa præclara documenta coram perditionis filio Iuda protulit, quod alioqui ſuos inſtituere & informare nequibat.

Notetur Chriſtum de diſcipulis nihil reſpondiſſe, nos docens non eſſe hoſtibus Euangelii prodendos & indicandos eoſdem.

Sequitur pars altera, de Chriſti geſtis, cum ſervo Pontificis; Vbi primum *notemus* cæſum fuiſſe Chriſtum bacillis per Pontificis ſervum. Ponit ob oculos ſingularem Chriſti dejectionem & exinanitionem, cum in faciem cædi valde probroſum ſit, tum a vili mancipio percuti vilius & abjectius: de quo *Iobus cap.* 30, 1, 2, *&c.* queritur ſe, qui olim ab honoratiſſimis quibuſque honorifice excipiebatur, poſt a contemtiſſimis nebulonibus conſputum eſſe. Hic videmus peccati meritum, ut a contemtiſſimis quibuſque nebulonibus, honoratiſſimi quique & excellentiſſimis dotibus præditi ludibrio & contemtui habeantur, cum filius Dei infinita ſapientia & virtute ſuis omnibus virtutibus ſe à contemtu non vindicavit, quod peccata noſtra in ſe tranſtulit. Simul etiam diſcamus & nos, &c.

Verſ.22, 23. Chriſti dejectio & peccati meritum.

Hic videmus etiam fieri quod dicitur *Proverb. Salomonis* 29,12. Eoque cavendum *primum*, ne impiis nos in ſervitutem addicamus: *deinde* ſi qui impium aut improbum Dominum nacti ſint, caveant ne ſtudio illis gratificandi aut obſequendi ſe contra Chriſtum jactent & contra veritatem, ne pro heri mercedula ſtipendium mortis à Domino auferant. Simile aliquid vidimus prius in Malco Sacerdotis item ſatellite, quem Petrus gladio petiit, quod inter primos & acerbiſſimos Chriſti hoſtes extitit.

Impiorum ſervitus fugienda.

Nec ſervus contentus Chriſtum bacillo cecidiſſe, illum porro falſo inſimulat, ac ſi contra officium boni & modeſti viri Pontifici reſpondiſſet, qui tamen modeſtiſſime reſpondit. Poterat enim Sacerdotem ſummum accuſare, quod doctrinæ ſuæ, quam docuerat in templo, ubi ille præerat, ignarus extitit. Poterat dixiſſe eum nullo veritatis ſtudio quærere, ſed tantum ut laqueos ei tenderet. Poterat dixiſſe Pontificem præjudicio quodam ad illum damnandum acceſſiſſe, ut qui priore concilio tanquam προ-

Chriſti reſponſum juſtum.

βύλη

[illegible] sententiam mortis in illum dixerat. Denique poterat vere dixisse sui fuisse typum, & quod habuit honoris & existimationis in Ecclesia id a se duxisse. Sic videmus quam indigna hæc accusatio sit, in qua nulla vel levissima species veritatis apparet. Vt facile videre sit, improbos suæ improbitatis patrocinium quærentes gravius & atrocius peccare. Vnde tamen conspicitur, quanto in honore in Ecclesia fuerit Pontifex qui typum tantum Christi gerebat; nedum Christum ipsum summo honore afficiendum esse necessum sit.

Officium ministri continens. Christi responsum docet, quid illi incumbebat tanquam ministro, ut sive reus, sive sicus fuerit, manus tamen à vi cohibere debuerit. Est enim privati duntaxat testimonium dicere, de rebus perperam gestis, non etiam ultionem sumere, ne tum quidem cum ultionis justa causa subest. Vbi porro *notandum* est mansuetum Christi ad hunc sicarium responsum. Quod nos admonet ne hominum indignitate per impatientiam abripiamur ad illa patranda, quæ indigna sunt spiritu mansuetudinis Euangelicæ. Non tamen obvertit maxillam alteram ut est *Matt.* 5. Quo de impius Apostata Iulianus Christo illusit; cum mens Christi sit, duplicem potius injuriam perferendam, quam ad talionem veniendum.

MATTH. *cap. 26, à vers. 59, ad 69.*

59 *Primarii vero Sacerdotes & Seniores & totus consessus quærebant falsum testimonium contra IESVM ut eum morte afficerent:*

60 *Et non invenerunt; etiam quum multi falsi testes accessissent, non invenerunt. Postremo vero advenientes duo falsi testes,*

61 *Dixerunt; Iste dixit; Possum destruere templum Dei, & triduo ipsum ædificare.*

62 *Et quum exsurrexisset Pontifex maximus, dixit ei; Nihil respondes? quid* est quod *isti adversum te testificantur?*

63 *IESVS autem silebat; Et respondens Pontifex maximus, dixit ei; Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis an tu sis Christus ille Filius Dei.*

64 *Dicit ei IESVS; Tu dixisti, quinetiam dico vobis; Ab hoc tempore videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ* Dei, *& venientem in nubibus cœli.*

65 *Tunc Pontifex maximus dirupit vestimenta sua, dicens; blasphemavit: quid amplius egemus testibus? ecce, nunc audistis blasphemiam ejus.*

66 *Quid vobis videtur? Ipsi vero respondentes, dixerunt; Tenetur mortis pœna.*

67 *Tunc inspuerunt in faciem ejus, & colaphos ei inflixerunt: alii vero bacillis eum ceciderunt.*

68 *Dicentes; Vaticinare nobis, Christe, quis sit qui te percussit.*

MARC. *cap. 14, à vers. 55, ad 66.*

55 *Primarii vero Sacerdotes, & totus consessus quærebant testimonium adversus IESVM, ut eum morte mulctarent: nec inveniebant.*

56 *Nam multi falsum testimonium dicebant adversus eum: sed non erant paria ipsorum testimonia.*

57 *Tunc quidam surrexerunt, & falsa testati sunt adversus eum, dicentes;*

58 *Nos audivimus eum dicentem; Ego destruam templum hoc quod est manibus factum, & intra triduum absque manibus factum aliud ædificabo.*

59 *Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum.*

60 *Tunc Pontifex maximus quum assurrexisset in medium, interrogavit IESVM, dicens; non respondes quicquam? quid* illud est quod *isti adversum te testificantur?*

61 *Ipse vero silebat, & nihil respondit; Rursum Pontifex maximus eum interrogavit,*

gavit, & dixit ei; Tu ne es ille Christus filius illius Benedicti?

62 IESVS autem dixit; Ego sum: & videbitis filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, *& venientem cum nubibus cœli.*

63 Pontifex maximus vero disruptis vestibus suis dixit, quid adhuc nobis opus est testibus?

64 Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Illi vero omnes contra eum judicarunt, ipsum teneri mortis pœna.

65 Et cœperunt quidem inspuere in eum, & obtegere faciem ejus, & colaphos ei infligere: & dicere ei; Vaticinare: ministri vero bacillorum ictibus eum cædebant.

ANALYSIS.

QVæritur falsum testimonium adversus Christum: cujus efficiens est totum concilium, maxime principes sacerdotum & seniores: qui conatus suo fine exaggeratur, ut Iesum morte afficerent.

Vers. 60. Effectum hujus conquisitionis est, quod irritus erat eorum conatus: cujus causa apud *Marc.* adjungitur, quod aut secum ipsi, aut cum aliis dissidebant: quod amplificatur diverso, tametsi plures subornarant: Ex illis omnibus speciem unam falsorum testium explicat.

Vers. 61 Proponitur falsorum testium quorundam testimonium.

Vers. 62. Adjunctum falsorum testium est, quod Pontifex Christum interrogando redarguit quod nihil ad hæc testimonia respondit. Cujus interrogationis seu redargutionis adjunctum est, quod ex cathedra surgens interrogavit.

Vers. 63. Effectum interrogationis est Christi silentium: silentii effectum est quod Pontifex adjuret Christum per Deum viventem, ut dicat libere, an sit Christus Dei filius.

Vers. 64 Effectum adjurationis est affirmatio Christi se esse eum de quo quærit: ubi ad occupationem tacitam concilii (ab adjuncta Christi infirmitate, in qua erat & coram illis consistebat) Christus subjectione respondet, altero adjuncto gloriæ & potentiæ, qua jam indicatus olim Iudex erit vivorum & mortuorum.

Vers. 65. Hujus professionis Christi adjunctum est laceratio vestium per pontificem: cujus causa assignatur sacerdotis affirmatio quod Deum Christus blasphemasset. Cujus adjunctum est desistendum à testium conquisitione.

Vers. 66. Aliud effectum pontificis collectio suffragiorum de pœna dicti & professionis Christi de se: Cujus effectum est concilii responsio Iesum mortem hoc dicto commeritum.

Vers. 67, 68. Hujus condemnationis adjuncta sunt indignissimæ contumeliæ in factis & dictis, & quidem omnium ministrorum & satellitum communes, ut quod illius in faciem inspuebant, faciem ejus obvolvebant: Deinde hi colaphis, alii bacillis eum cædebant: postremo commune adjunctum est, quod divinare illum jubent, quis eum percussit.

METAPHRASIS.

59. *CVm Concilium insidiosis Christo propositis quæstionibus eum irretire nequiverant, nec aliquid percunctando expiscari, quo mortis sententiam adversus illum ferrent: consilium ceperunt de conquirendis hinc illinc testibus, qui confictis criminibus illum mortis reum agerent, in quod tam nefarium scelus tanto consensu conspirarunt, ut totum Concilium (ne uno quidem excepto) consensum præberet: tametsi principes Sacerdotum & seniores, qui hoc facinus vel maxime abhorrere debuerant, in hoc negocio Duces & Coryphæi erant. Deo* 60.
vero vigilantissima sua administratione de tuenda filii sui (ad nostram summam consolationem) innocentia solicite excubante, eorum consilium irritum effectum est; ut, quos præoptabant, nullos invenire potuerint qui aliqua probabilitate sua falsa testimonia munire potuerunt. Quod quidem tanto magis animadversione dignum est, quoad per hos frustrati, alios, idque magno numero, adsciscebant. Studium quidem non defuit falsis testibus concilio obsequendi: sed Deus consilio supra memorato eorum linguas ita confuderat, ut aut secum ipsi dissentirent, aut suis in eo scelere sociis parum consentientes reperti sint. Vt alias calumnias omittam, indignas quæ vel nominentur, illam unam exempli causa proponam, quæ & postrema veritatis quandam speciem & fucum in se habere visa est. Exhibebant 61.
duo falsi testes, qui dicebant; Iste impostor nobis audientibus de se hoc professus est; Possum dissolvere Dei templum & idem tot annis extructum triduo restituere: sed ne sic quidem conveniebat eorum testimonium: alter enim potentiam Christi ad destruendum, alter voluntatem Christi in destruendo testatus est: deinde alter dixit Christum templum non manu factum destructurum, alter manu factum. Christo vero tacente & hæc commenta silentio 62.
potius quam verbis refellenda judicante, pontifex commotior, aut saltem iratum se simulans, relicta sede, in medium processit, & mentis insaniam motu corporis prodens; Christum accusatorie alloquitur: Nihil ne ad tot & tam atroces criminationes respondes? Iesus

sciens pontificem & reliquum consessum sua & propria conscientia convictum de vanitate accusationum, in suo silentio perstitit. Pontifex igitur pertentatis omnibus tandem sic Iesum aggreditur. Adjuro te per Deum viventem vindicem falsitatis & perjurii, ut nobis dicas
64. *si tu sis Christus ille, Filius Dei. Ad quem Iesus: sum equidem quod tu dicis, nempe Christus ille Dei Filius. Quod quidem ut tibi & tuis incredibile videatur, quod jam vinctus ad vestrum tribunal reus sistar, veniet tamen tempus, cum me filium hominis summa potentia & authoritate prædatum videbitis, haud secus quam si Dei Patris assessor sim & illi etiam (quoad homo) secundus: Quod tum fiet, cum me in cœli nubibus venientem, extremo die,*
65. *conspicietis. Hoc dicto pontifex magnum dolorem & animi indignationem simulans, vestimenta dirupit sua, in hanc vocem erumpens: Deum blasphemia affecit tantam gloriam sibi vendicans: quid amplius de testibus conquirendis laboramus? ecce vobis ipsis testibus, qui illum jam audivistis, blasphemiam in Deum*
66. *jactavit. Dicite ergo; quid vobis videtur? Concilium vero unanimi omnium consensu illum*
67. *mortis reum condemnarunt. Tum Ministri, qui Iesum vinctum tenebant, ne elaberetur, videntes Iesum morti adjudicatum, tanquam heris suis gratificaturi, cœperunt Iesum contumeliis omne genus onerare. Illuserunt enim illi, & in faciem inspuerunt. Quod cum fecissent, facie panno aut pallio obvolutum, hi qui-*
68. *dem colaphis, illi bacillis cædebant. Quo non contenti ludificantes illum prophetare jubent, quis sit qui illum ferierit, quandoquidem Prophetæ partes sibi vendicavit, multa præterea hujus generis ludibria petulantissime in eum conjecerunt.*

PRAXIS.

SUmma, Christus nullo falsorum testium testimonio (quod male cohærens esset) convictus, sed proprio veritatis de divinitate sua testimonio condemnatus, à servis & ministris indignissime excipitur.

Vbi considerantur adversus Christum, gesta pro { Concilio / Turba } { Seniorum. / Ministrorum. }

In priore consideratur: { Criminatio ex suppositis testibus. / Condemnatio ex proprio Christi de Deitatis suæ veritate testimonio. }

Vers. 59. *Primorum* — Vix credibile est in primoribus populi, Dei Ecclesiæ præsertim Præsulibus, quod studio conquirerent falsos testes, tanquam Christi consilio acquiescentes, qui dixit interrogandos qui eum audierunt. Plus satis erat illum prehendere indicta causa, aliquid ex ejus verbis aucupari quo illum irretitum tenerent, admittere falsos testes, qui se ingererent: sed conquirere & corrogare undique spe aut pretio, qui hoc facerent, id demum portentosum est. Sed sic impleri oportuit quod scriptum est: *Insurgunt testes injurii, quæ ignoro repetunt à me, Psal.* 35,11. Vbi iterum consideratur quantam abjectionem Christus pro nobis passus est, ut non tantum iniquissimi Iudicis sententiam, sed testium falsissimorum adversus se testimonia subiret. *portentosa injustitia.*

Docemur & nos, non mirum aut novum videri oportere, si nostra innocentia impiorum calumnias & injustas accusationes non effugiat, & verborum flammas extinguat: cum ne Christi quidem integritas hoc potuit, qui non tantum à malo, sed ab omni vel minima mali specie abstinuit. Cum enim maximæ aquæ innocentiæ Christi has faces & flammas non extinguebant; novum non debet videri, si innocentiæ nostræ rivuli aut stagna illud non præstent. Sed quo magis aliena ab omni veritate de nobis prædicantur, tanto magis lætandum erit, quod hoc pacto magis Christo conformes efficimur. *Non admirandum si in similes calumnias incidamus.*

Præterea & illud consolationi est, falsa testimonia, non posse illo artificio adversus Christianos concinnari & instrui, quin facile illorum vanitas ab omnibus deprehendatur, qui oculum vel unum tantum aperient. Nec enim tantum nulla causa accusationis subest, sed ne fucus quidem & species, quæ Christi iniquos & hostes fallere potuit. Quod singulari quadam ratione nos ex splendente Christi innocentia consolatur, & aliquousque & aliquoties (cum ita Deo videbitur) in piis non obscure deprehenditur. Imo sæpe illos rumores disseminari, quibus tametsi hostes veritatis lætantur, illis tamen ipsi nullo modo credunt. Deus enim (quod semel Babyloni fecit) sæpe præstat ut linguas impiorum calumniatorum confundat & diffindat. ut est in *Psal.* Nam testimonia non cohærebant, nec erant congrua, aut unius cum altero, aut unius & ejusdem cum seipso. *Quarum vanitas semper apparet.*

Contra conciliorum absolutam & irrefragabilem authoritatem hic locus militat, etiam generalia & œcumenica. Nullum enim unquam extitit aut ne extabit quidem ulla verisimi- *Vnde absoluta conciliorum authoritas refutata.*

verisimilitudine Concilium hoc magis œcumenicum, ubi totius Ecclesiæ primores & Præsules coacti sunt.

Totius concilii in Christum conjuratio; *Notandum* etiam quomodo ne unus quidem in his reperitur qui se huic conjurationi in Christum opponat. Cujus ratio est quod dederant operam ne quis advocaretur, quem non se adversus Christum stare probe norant: nec enim aderat Nicodemus aut Iosephus, &c. ut non mirum sit, si concilia Pontificia perverse summo cum consensu adversus Euangelium decernant, cum nulli ex nostris sine vitæ periculo ad eorum concilia admittantur, sed duntaxat hi, qui in verba Papæ jurarunt.

Secum tamen pugnantis. *Notandum* etiam istos, pugnantibus inter se judiciis & sectis, adversus Christum summa concensione statuere; sic, &c.

Sed in malis obstinati. Deinde *notanda* obfirmata istorum in malis & perversis consiliis obfirmatio & obduratio, qui nullum finem faciunt illa tentandi & procurandi, quibus Christum è vivis tollant. Eoque primum ex ore ipsius aliquid venantur, deinde testes surrogant non unum aut alterum, sed plures: post etiam ad illum examinandum redeunt: nec unquam videntur desituri quoad, &c. Quod nos *doceat* constantiam & fiduciam in rebus bonis, ut nunquam abjiciamus præclare suscepta, tametsi in obstinatissima quæque obstacula incidamus. Hic enim pii sæpe culpantur, qui si aliquid præclari aggressi sint in quo bis terve repulsam passi sunt, arbitrantur se officio defunctos, tametsi post rem cœptam abjiciunt. Vide 2 *Reg.* 3, 27.

MARC. vers. 59. *Sed nec sic quidem par erat, &c.*] Id ita intelligendum videtur ac si illud Euangelista adscripserat ut testimoniorum in ea re disparitatem & inæqualitatem notaret. Vide exemplum Doëgis: quanquam apparet hoc testimonium utrinque & in *Matth.* & *Marc.* depravatum & corruptum, non sensu tantum, sed verbis ipsis. Nam non dixit Christus, *possum destruere*, sed *solvite vos, &c.*

MATTH. vers. 60. Quod autem Christus renuebat illis testimoniis respondere, in caussa fuisse videtur, quod sine cujusquam refutatione ipsa testimonia diffluebant sponte, & mutuis ictibus se concidebant.

Vers. 61, 62. *Pontificis injusta in Christum tacentem ira.* Tametsi Pontifex probe sciret, testimonia quæ dicerentur, non tantum falsa esse, sed porro ab invicem dissentientia, tamen tanquam momenti aliquid haberent & ponderis, Christo irascitur, quod illis non respondeat, & quidem ex solio suo seu cathedra surgens suam in eâ re indignationem declarat: eo, ut videtur, consilio, ut ex Christi, ad illa quæ dicebantur, responsione aliquid erueret unde accusationem instrueret.

Vers. 63. *Pessimus homo in juramento tamen religiosus.* Illud animadversione dignissimum est, quod sceleratissimus hic & perditissimus Pontifex, hac in re vestigiis veritatis & accuratæ observantiæ præcepti divini institit; quod non nisi omnibus viis & rationibus prius pertentatis, quibus veritas investigari solet, ad juramentum descendit. Adversus eos qui leviter & temere ad juramenta prosiliunt.

Alio loco hæc dicta sunt: præterquam quod videtur juramentum hoc à Christo non fuisse postulatum, aut si postulatum fuisset, verisimile est Christum hoc non admissurum fuisse, cum res aliter expediri potuit, perinde igitur est ac si Sacerdos dixisset; Per Dei gloriam, & debitam abs te obedientiam, exigo à te ut dicas, &c.

Num Ministris juramentum exigere liceat. Hic *quærat* aliquis an liceat Ecclesiæ Ministris homines ad veritatis investigationem juramento interposito adigere, an potius hoc magistratui proprium sit, hanc jurandi necessitatem imponere? Tametsi enim Sacerdos hoc faciat, tamen alia est hujus, qui typum Christi regis gerebat, ratio, alia Ministri Ecclesiæ, qui nullo in alios principatu institutus sit. Verum enimvero non video, cur, cum causæ Ecclesiasticæ non minus atque adeo magis graves sint & magni ponderis quam civiles; non liceat etiam in illis omnem honestam & legitimam (quæ à civilibus pœnis aut præmiis remota sit) veritatis inveniendæ rationem & inire & persequi. Sed præstiterit hic ἐπέχειν, quandoquidem Paulus ad Timotheum nonnisi duorum testimonio adversus Presbyterum accusationem admitti patitur: eoque ipso pro rata parte adversus alios Ecclesiæ cives eadem homines revincendi ratio tenenda est. Quanquam hic etiam responderi potest, hoc duntaxat intelligi debere de illa decisione, quæ fit per testes; rem vero secus habere, cum lis per testes dirimi nequeat. Nam idem prorsus in lege præcipitur de civilibus causis, in quibus tamen est, ubi ad hanc veritatis expiscationem confugitur.

Vers. 64. *Quis sensus verborum, tu dixisti.* Quid hoc sit (*tu dixisti*) *Marcus* interpretatur *cap.* 14, 62. esse scilicet tantundem atque si affirmasset, se eum esse, de quo quæstio instituebatur. In quo, egregium testimonium de Christo Dei Filio extat, quo (in-

 terpo-

terposito à Sacerdote juramento) se confirmat Dei Filium esse. Singulare columen & fulcimentum, quod Christus in judicio & coram tribunali Sacerdotis hoc de se profiteatur, idque disertis verbis. Sicut igitur fidei nostræ columna firmissima est, quod Deus Pater juramento confirmavit Christum esse Sacerdotem, sic etiam columna insignis est, cui nostra fides innitatur, Christū hoc professum esse adhibito juramento.

MATTH. 11. *Christus coram æquioribus obscure, coram sceleratis clare se Dei Filium profitetur.*

Rogatus à Iohanne per ipsius discipulos ad Christum legatos, ita respondet se esse Messiam & Servatorem mundi, ut illud non diserte, sed oblique tantum affirmarit, *Iohann.* vero *cap.* 8, *vers.* 12. & palam minime rogatus, profitetur esse mundi lucem. Hoc etiam loco adjuratus an esset Dei Filius, respondet pure & aperte se esse; item rogatus *Ioh.cap.*10,24,30. sic respondet. *Quærat* aliquis, cur apud homines æquiores & minus a veritate alienos hoc obscurius dicit, quod apud sceleratos & obfirmatos tam diserte & pure affirmat. *Respondeo:* infirmiorum habuisse rationem ne illos proprio sui testimonio & laude offenderet, impiorum & perditorum hominum & penitus à veritate aversorum eandem rationem non habuisse. Hinc est quod illis hujus apertæ professionis incapacioribus tam clara veritatis luce affulgeat, ut, cum ad veritatem oculos clauserint, eos justo Dei judicio extrema cæcitate percuteret, simul & omnem illis eadem opera excusationem eriperet.

Quod aliquando imitandum in arcanis Dei revelandis.

Sicut igitur ad declinandum periculum proprium & non necessarium à prophanis hominibus nonnunquam arcana Dei mysteria subtegimus *Matth.* 7, 6. Sic incidunt tempora, cum apud impios & prophanos homines liceat liberius & confidentius de veritate loqui, quam apud eos de quibus bene speratur. Nec tamen intercidit propterea hæc veritas, qua Deus arcana sua cum suis largissime & familiarissime communicat, ut legimus *Ioh.*3,36,37. Nullus enim est, cui Dei penitissima consilia intime nota sunt magis quam illis, dummodo ad illa accipienda idonei sunt, ut cæcus ille ad eam rem probe comparatus erat quod synagoga propter Christum & veritatis testimonium ejectus esset.

Anticipatio objectionis ad responsum Christi.

Πλὴν.] Videtur concisa oratio, qua tacite anticipatur quod Sacerdos adversus hanc professionem exciperet. Quasi diceret, video aut ridiculam, aut blasphemam hanc meam de me prædicationem vobis videri, quod me hic captivum, pauperem, & in specie abjectum cernitis: sed veniet tempus, cum oculorum vestrorum aspectui tanta & majestas & gloria objicietur, quæ Dei unigenito filio competat; cum scilicet venturus est sub mundi finem.

Fides contemplatione gloriæ Christi sustentanda.

Hinc liquet, quomodo fides nostra in Christi despicabili & abjecta conditione vacillans & nutans, Christi infinitæ gloriæ contemplatione sustentanda est: abjectæ igitur conditioni ejus in summos cœlos elationem, ignominiæ incredibilem gloriam, verberibus quibus affectus est & suos affici sivit, opponamus præmia, quibus pios afficiens, impios pœnis & suppliciis constringit: contumeliis quibus eum impii afficiunt, honorem quem infiniti Angeli illi habent.

Similiter in piorum afflictionibus.

Hoc pacto armemus nos adversus piorum in mundo destitutionem & contumelias, quod quales futuri simus, adhuc ne nobis quidem, nedum mundo constat. 1 *Ioh. cap.*3,2.

Quod impiis terrorem incutit.

Sicut vero singularem piis consolationem, sic impiis terrorem & trepidationem incutit vel sola cogitatio, nedum rei intuitus. Nam si *Genes.*45,3. fratres Iosephi illum semel atque iterum injuria paulo graviori lædentes illius honore aucti atque amplificati vel solo intuitu ita stupefacti & tremefacti sunt, ut ne verbum quidem edere potuerint; quid illis fiet, qui toties gravissime Christum cruentarunt & veluti mucrone pupugerunt? atque si illi fratrem suum blande illos alloquentem metuerint, quid illis fiet, quos Christus irato vultu contuebitur? Quid fiet? quid aliud nisi quod Propheta docet, illos exoptaturos ut montes & petræ eos obtegant & obruant.

Quomodo impii Christum visuri.

Hic *quæritur* quomodo impii visuri sunt Christum sedentem ad dextram potentiæ: in cœlum enim nunquam admittentur, sed judicium in aëre capientes ad inferos detrudentur. *Respondeo:* non asseri hoc loco eum sessurum in cœlo, sed sessurum ad dextram Dei; id est, infinita gloria præditum pro tribunali sessurum. Tametsi enim Christus (quoad humanitatem) non sit ubicumque est dextra potentiæ, tamen ubicumque Christus quoad humanitatem est, ibi est dextra potentiæ.

Vers. 65. *Pontificis multiplex in ficta indignatione peccatum.*

Sacerdos hoc responso accepto summam indignationem ob læsam Dei majestatem vel conculcatam potius præ se fert. In quo multipliciter ab eo peccatur. *Primo* quod blasphe-

blaſphemiam Chriſto imponit, qui nihil ſibi præter jus arrogat, & cui rapina non eſt ſe Deo æqualem conſtituere. Tametſi aſſumpta carne noſtra ſe exinanivit. *Deinde* quod acerrimum dolorem & veluti cordis ipſius diſcerptionem ſimulaverit, cum (quæ erat hominis in Chriſtum malevolentia) ſumme lætatus ſit hac Chriſtum damnandi opportunitate. Et quæ, malum, eum divinæ gloriæ cura tenere potuit, qui Dei timore excuſſo per fas nefaſque Chriſtum perimere conatus eſt; qui falſos teſtes adverſus eum ſubornans, & inſtruens, prudens & ſciens eos ad falſitatem teſtandam perpulit. Hujus igitur veſtimentorum laceratio illam referebat Ioabi, quæ eſt apud *Samuelem lib.2. cap.* 3,31. qui à Davide juſſus in funere Abneri laceratis veſtibus cilicio ſe induit, cum tamen ex morte Abneri ſummo gaudio perfuſus eſſet. Nec in funere pullatis his diſſimilis extitit, qui ſub triſti veſte animum lætum geſtant & hilarem: ſicut perditi filii in funere parentum, & perfidioſæ fœminæ in maritorum juſtis defungendis. Quod ex *Levit.* 10,6,& 21. docent fas non fuiſſe ſummo Sacerdoti veſtimenta lacerare, eoque Caipham hoc nomine legem violaſſe: falluntur; cum illa laceratio prohibita ſit ob defunctos tantum ſanguine conjunctos, non autem ob blaſphemiam, utpote cujus officium eſt præter cæteros ſuam indignationem oſtendere.

Quo animo eſſe oporteat, cum Dei nomen blaſphematur. Interim tamen hoc loco *docetur,* quo nos animo eſſe oportet cum Dei nomen blaſphemiis petitur, cujus ut hic ſimulatio nefaria eſt, ita in Ezechia & ſuis legatis exemplum extat longe religioſiſſimum & ſinceriſſimum, 2 *Reg* 18,37. & 19,1. Quid, quod hoc nomine totus Eccleſiæ conventus eo loci ubi blaſphemia admittitur, ad jejunium & planctum convocandus ſit, quod unus aliquis inter illos inventus fuerit qui ſanctiſſimum Dei nomen transfixerit. 1 *Reg.*21,13. His temporibus cum horrendis blaſphemiis tanquam acutiſſimis mucronibus Deus confoditur, quis vel quotuſquiſque eſt, qui ſignum indignationis vel minimum edat. Non exigo ut veſtes lacerent, ſed quis pedem complodit, frontem perfricat? quam pauci ſunt, qui vultu aut verbo, quam indigne ferant, oſtendunt. Interim volunt videri Dei amantes & indigne ferrent, ſi quis eos Dei amoris expertes inſimularet. Sed ſciant ſe charitatis in Deum inanes eſſe, qui has blaſphemias tam æque ferant. Cujus rei convictos illos habent eorum in Principis convitio & ignominioſa, nedum blaſphema, exceptione, voces indignabundæ vel cum ſanguine conjunctæ. Quamvis autem hic populus corruptiſſimus & degener fuerit nec procul à Dei incredibili ira, tamen apud eos laudi datum eſt ſerio ſuccenſere & indigne ferre Dei blaſphemiam. Quid igitur nobis fiat qui, &c. niſi, &c.

Blaſphemorum pœna horribilis. Quod ſi ex aliorum in Deum conjectis blaſphemiis tam nos triſtes eſſe ex officio eſt: quanto dolore torqueri par eſt eos, qui ipſi Deũ blaſphemiis appetierunt, aut eorum corrupta vita & moribus depravatis multorum ora in Deum & ſanctiſſimam religionem & omnes ejus ſtudioſos ſolverunt, hic ſua libidine, alter avaritia, tertius ambitione, &c.

Verſ.66. Injuſtiſſimum concilii judicium. Quærit igitur quid animi & ſententiæ de Chriſto ob hoc dictum habent. Illi, partim ut ſuæ in Chriſtum malevolentiæ facerent ſatis, partim ut impio Sacerdoti gratulentur, ilico pronunciant eum mortis reum eſſe; quod non tantum falſo, ſed & temere & præcipitanter faciunt, quod nullam dicti Chriſti rationem poſcentes illum inauditum condemnant. Tametſi enim inter nos nihil opus fuerit in iſta ulterius inquirere, tamen cum non ignorarent à Chriſto tam multa incredibiliter geſta eſſe, & incomparabilem in toto ejus cum ſermone, tum geſtu ſapientiam deprehenderent, debebant certe, &c.

Ubi tria notanda. Hoc loco *notetur* univerſalis concilii error turpiſſimus & quidem (ut ante oſtenſum eſt) univerſalis magis, quam ullum unquam extitit. *Notetur* II. etiam Pontificem quantumvis Chriſti perſonam referentem, non tamen pro ſuo arbitratu omnia potuiſſe, ſed ex aliorum, perinde ut ſui ipſius, judicio ſententiam pronunciare debuiſſe. Denique *notetur* juſtam futuram fuiſſe mortis ſententiam, ſiquidem crimen illud blaſphemiæ admiſſum fuiſſet, ut in Egyptio apud Moſem cernitur *Levit.*22. Unde gravitas ſceleris intelligitur, & ſimul etiam proditur & convincitur mundus maximæ in Deum impietatis, qui nuſquam, quod novi, hanc pœnam infligit, alicubi vero (ut apud nos) nullam: Nam ex gravitate ſupplicii ſceleris atrocitas colligitur, unde adulterii & fornicationis crimen furti crimine tetrius eſt, &c. Nec deſunt apud nos qui hoc ſcelus exprimant & imitentur. Nam blaſphemiis ſuis & exſecrandis juramentis & ludibriis Chriſtum veluti in faciem petunt. Deinde tanquam oculi illi clauſi eſſent & facie obvolutus illos non videret, peccatis

suis indormiunt. Quod quid aliud est quam illi insolenter insultare, propheta vel conjecta quis te percussit.

Non satis fuit istis hominibus injustissimam sententiam mortis in illum ferre, nisi etiam præter & jus, & juris omnem formulam patiantur indignissime illudi Christum, & eum contumeliosissime tractari; præsertim cum in ordine Ecclesiastico nihil civilis supplicii irrogari debuit. *Observa* formosissimum inter filios hominis. *Psalm.* 45, 3, 4. ita deformem habitum fuisse ut tanquam à leproso faciem suam averterent. Indignum est vere reum hoc modo tractare, nedum innocentem, maxime Deum. Sed hæc nostra peccata commerita sunt.

LUC. *cap.* 22, *à vers.* 55, *ad* 63.

55 *Quumque accendissent ignem in medio aulæ, atque una consedissent, sedit &*
Petrus inter eos.

56 *Quum autem eum vidisset ancilla quædam sedentem ad ignem, intentis in*
eum oculis dixit; Et iste cum eo erat.

57 *Ipse vero abnegavit eum, dicens; Mulier, non novi eum.*

58 *Et paulo post alius videns eum, dixit; Et tu ex ipsis es. Petrus vero ait; Heus*
tu, non sum.

59 *Et interposita quasi hora una, alius quidam* id *asseverabat, dicens; Vere & iste*
cum illo erat: etenim Galilæus est.

60 *Ait autem Petrus; Heus tu, nescio quid dicas. Et illico, adhuc ipso loquente,*
vocem emisit gallus.

61 *Tum conversus Dominus intuitus est Petrum: & recordatus est Petrus ser-*
monis Domini, quomodo nimirum *dixerat ipsi; Priusquam gallus vocem emiserit,*
ter me abnegabis.

62 *Et egressus foras Petrus flevit amare.*

MATTH. *cap.* 26, *à vers.* 69, *ad finem Capitis.*

69 *Petrus autem sedebat extra in aula: & accessit ad eum quædam ancillula, di-*
cens; Et tu cum IESV Galilæo eras.

70 *Ipse vero negavit coram omnibus, dicens; Nescio quid dicas.*

71 *Eum autem egredientem in vestibulum vidit alia* ancilla: *& dixit iis qui*
erant *illic; Et iste erat cum IESV Nazareno.*

72 *Tunc rursus negavit cum jurejurando,* dicens; *non novi hominem.*

73 *Paulo post autem accesserunt qui astabant, & dixerunt* Petro; *Vere & tu ex*
ipsis es, nam & loquutio tua te manifestum facit.

74 *Tunc cœpit seipsum devovere & jurare,* dicens; *Non novi hominem; Et sta-*
tim gallus misit vocem.

75 *Et recordatus est Petrus verborum IESV, qui dixerat ei; Priusquam gallus*
vocem mittat, ter me abnegabis. Et egressus extra, flevit amare.

MARC. *cap.* 14, *à vers.* 66, *ad finem Capitis.*

66 *Quum vero Petrus esset in aula inferius, venit quædam ex ancillis Pontificis*
maximi:

67 *Et quum vidisset Petrum se calefacientem, intuita in eum, dixit; Et tu cum*
Nazareno IESV eras.

68 *Ipse vero negavit, dicens;* Non *novi* illum, *neque scio quid tu dicas; Et exivit*
extra in vestibulum, & gallus vocem emisit.

69 Tunc ancilla quum rursus vidisset eum, cœpit dicere iis qui adstabant; Hic est unus ex ipsis.

70 Ipse vero rursum negavit. Et rursus paulo post qui adstabant dixerunt Petro, vere ex ipsis es: etenim Galilæus es, & loquutio tua similis est.

71 Ipse autem cœpit exsecrari & jurare, dicens; Non novi hominem istum quem dicitis.

72 Tunc secundo gallus vocem emisit, & recordatus est Petrus verborum quæ dixerat ei IESVS; Priusquam gallus vocem bis miserit, ter me abnegabis. Et quum se proripuisset, flevit.

ANALYSIS.

NOtatur adjunctum ingressus Petri in ædes Caiaphæ, nempe quod igni accenso assidebat (ut alius Euangelista) adstitit; quod alio adjuncto describitur, societatis ministrorum & satellitum eorum, qui adversus Christum convenerunt; item subjecto loco arguitur, nempe quod sese in medium illorum intulit.

Vers. 56. Aliud adjunctum ingressus est, quod ancilla, quæ illum intromisit, in illum oculos defigebat; deinde interrogabat, num esset discipulus Christi (ut est apud *Ioannem*) post aliis indicavit esse illum discipulum Christi.

Vers. 57. Hujus interrogationis & indicii effectum est negatio se esse discipulum; quod confirmat comparatione minoris, quia illum ne norat quidem.

Vers. 58. Secunda negatio arguitur ab adjuncto tempore, nempe paulo post primam negationem: cujus efficiens instrumentale apud *Marcum* est altera ancilla, quæ his, qui adstabant, indicavit illum ex Christi discipulis esse, apud *Lucam* vero aliud instrumentale efficiens indicatur, vir scilicet, qui ex indicio puellæ affirmavit illum esse discipulum Christi: cujus effectum est negatio Christi; quam confirmat testimonio juramenti.

Vers. 59. Tertia negatio describitur ab adjuncto tempore, nempe horæ spatio intermisso post secundam negationem; cujus efficiens instrumentale sunt, qui adstabant, apud *Matthæum* & *Marcum*: præcipua vero quadam ratione vir unus vehementer affirmabat eum unum ex Christi discipulis fuisse; quod confirmat ab adjuncto, quod Galilæus esset, id porro arguit ab effecto, quod Galilæo idiomate uteretur.

Vers. 60. Cujus effectum est tertia Petri negatio, quam apud *Marcum* corroborat duplici testimonio, scilicet juramento & exsecratione; cujus tertiæ negationis adjunctum est galli cantus; qui adjuncto tempore describitur, nempe simul ac execrationis vocem emisisset.

Vers. 61. Describitur resipiscentia Petri ab efficiente, vultu Christi in eum converso; deinde alio efficiente, quod Petrus recordatus esset sermonis Christi; qui sermo sua forma declaratur, scilicet *priusquam vocem bis miserit gallus, ter me negabis.*

Vers. 62. Quorum effectum est, quod Petrus foras proruit; quod suo fine declaratur ut lachrymaretur; quæ lachrymatio suo adjuncto declaratur, nempe acerbitate.

METAPHRASIS.

*PEtrus jam in aulam pontificis introductus 55.
igni (qui tum adversus frigoris injuriam
instructus fuit) nunc adstitit, nunc (exemplo
Ministrorum) assidebat, haud secus quam si
ex eorum numero fuisset. Hunc quæ eum in- 56.
tromisit Ostiaria ignis flammantis beneficio
videns, & defixis in illum oculis inverecun-
dius intuens cum illum interrogavit an esset
ex Christi discipulis, tum aliis adstantibus
eum ita esse indicavit. Huic Petrus quamvis 57.
fœminæ, ancillæ & Ostiariæ, seu abjectæ con-
ditionis ancillæ, respondet tantum abesse ut
sit ejus discipulus, ut illum ne norit quidem.
Quo facto Gallus cantum primum edidit, quo
admonitus Petrus se clam ex aula subducere
(ut videtur) conatus est hoc consilio, ne se por-
ro in captam perfidiam præcipitem daret. Pau- 58.
lulum temporis intercessit cum superiorem ne-
gationem secunda conduplicat. Alia enim an-
cilla ex circumsistentibus illum ex Christi di-
scipulis esse indicante, vir quidam exilit, qui
partim ex indicio puellæ, partim ex propria no-
titia illum asseverabat ex Christi discipulis es-
se. Cui Petrus tantum abesse respondit, ut sit
discipulus Christi, ut plane nesciat quid hæc
oratio velit. Cujus rei porro ut fidem faceret,
laxatis magis adhuc pietatis habenis, jura-
mento rem sic habere confirmavit. Hora inter- 59.
missa ex adsistentibus quidam inter cæteros
præcipue cognatus Malci, cujus auriculam
Petrus præciderat magna voce & vehemen-
ter confirmavit, eum & in horto visum ex
Christi discipulis fuisse: Cujus asseverationis
suæ rationem adjungens, quod patria Galilæus
esset; hoc ipsum porro adstruens, quod Galilæo
idiomate uteretur. Cui Petrus, ut vehementi 60.
ejus asseverationi parem inficiationem oppo-
neret; equidem hominem (inquit) non novi,
quod juramento & diris execrationibus, quibus se
obstrinxit, impie confirmavit. Quo facto protinus, cum vix sermonem absolvisset, Gallus
secundum cantum edidit. Tum Dominus vul- 61.
tu*

tu

tu à Concilio ad Petrum converso eundem in-
tuitus simul & se conscium hujus abnegatio-
nis, & porro mœstum insinuavit. Quo Christi
aspectu commotus, sermonis Domini recorda-
tus est, quo dixerat, priusquam Gallus vocem
62. *miserit, ter me abnegabis. Quamobrem pœni-*
tudine ductus citato gradu & confidenter (non
ut prius cum se ex aula timide subducere vo-
luit) foras proruit, ægre lachrymas tenens,
quoad sacerdotis ædibus se eripuisset. Quo facto
in lachrymas ex animi dolore acerrime com-
puncto profluentes, solutus est.

PRAXIS.

SVmma, Petrus teterrimè & horribiliter Christum abnegans sceleris admissi acerbissimam pœnitudinem agit.

Partes sunt, Petri { Turpissimus lapsus. / Ad frugem reditus.

LVC. 55. MATT. 69. *Petrus se satellitibus ingerendo Christum ex parte abnegavit.*

Petrus extra aulam sedebat, subaudi illam, in qua Pontifex Concilium agitabat, distinctam illam quidem nullo intergerino pariete (qui enim tum potuit Iesus Petrum intueri) sed desterminatam forte gradibus, aut re hujusmodi alia: ubi foco aut pyra ob frigus instructa, Petrus non tantum se calefecit, sed in medium ministrorum & Pontificis satellitum se ingessit, hac spe fortasse, ut eorum in numero & fautoribus habendus foret, qui tam audacter & confidenter se illis ingereret. Atque si rite expendamus hoc Petri factum, & ad normam Scripturæ, tanquam aurificis stateram, hoc examinemus, intelligemus profecto defectionis & abnegationis quædam initia in hac Petri actione delitescere: quandoquidem Dei lex non tantum verba & facta, sed vultus & gestus sub legem divini cultus & fidei, quam Christo dedimus, cadunt. Si enim in parentes pietas vultu violatur, nedum in Deum. Huc accedit quod motus & capitum agitationes reatus peraguntur sæpe, atque adeo in hac passionis historia. Qui enim bestiæ characterem in manu aut fronte accipit, execrationi divinæ obnoxius est. Hæc accommodentur ad nostrorum temporum praxin, quibus si quis crucis gestatione se Pontificium simularet, defectionis reus haberetur.

Impiorum sodalitium periculosum.

Hic igitur videmus quam periculi plenum sit inter impios consuescere *Prov.* 13, 20. *Socius stultorum evadit stultus.* & *Psalm.* 119, 63. *Socius fui omnium timentium te*; Dum enim manus calefecit ad Pontificis focum, spiritu refrixit.

Vers. 56. Accedit primum ancilla quæ ex *Iohanne* ostiaria fuisse docetur Pontificis, illa (ut ex *Luca* constat) Petrum luculento foco illustratum deprehendit tanquam alienum ab hero suo & Christo devotum: Eaque tanquam impii heri improba ancilla, cum odio in veritatem, tum etiam perfrictæ frontis & audacioris ingenii, quam aut sexum, aut virginalem pudorem decuit (quod adhuc liquet magis, quia illum defixis oculis intuita dicitur) Petrum primum aliis indicans, post adoritur, eumque ex Christi discipulis unum esse accusatorie asseverat, cum illius sexus modestia flagitabat, ut illum alteri potius indicaret, qui cum illo de hac re ageret.

Ostiariæ impudentia & improbitas

Hic videmus rursus impietatem heri, tanquam virus quoddam, se ad omnes vel minimas familiæ suæ partes diffundere & tanquam in præcipitio ab hero ad suos domesticos dilabi & diffluere. Vt enim herus Christum, sic serva Christi discipulos persequitur. Vt servi sibi caveant ab impiis & sceleratis Dominis; caute adversus eorum contagium incedant; Dei in se gratiam prædicent, si eadem impietate non involvantur; sese denique extricent ab illo jugo, quam primum commode possint. Et verisimile est puellam existimasse se hero gratum aliquid facturum, cujus non futurus fuisset immemor, si Christi discipulum irretire & in discrimen judicii adducere potuisset: maxime vero quod constat herum ejus quæstionem habuisse, non tantum de Christi doctrina, sed etiam de ipsius discipulis.

docet heri impietatem se ad omnes familiæ partes diffundere.

Petrus pelli suæ timens, respondet se Christum nescire, tantumque abesse ut ejus sit discipulus, ut quid hac quæstione sibi velit prorsus ignoret. Hæc prima est ex tribus Christi apertis abnegationibus. Quæ tametsi admodum perfidiosa sit verbis ipsis, dum negat eum Christum vel cognovisse tantum, cujus primarius quidam & præcipuus non tantum discipulus, sed Apostolus extitit: tamen circumstantiis quibusdam gravatur crimen & exaggeratur: *primum* quod hoc tam cito fecit, post tam solennem & ingeminatam constantiæ promissionem, etiam cum vitæ extremo discrimine. Eadem enim ipsa nocte Christo dixerat se nunquam illum negaturum, &c. Illius enim tam recens factæ promissionis, idque coram omnibus sociis suis, recordatio, illum à tanto scelere cohibuisse debere. Et quod gravius est Christo ipso in aula præsente. Hinc Israëlitarum peccatum aggravatur, quod tam cito defecerunt ad vituli cultum, item *Gal.* 3, *cap.* 4.

Vers. 57. Petri primæ abnegationis amplificatio.

Quod

Quod in secunda negatione adhuc gravius & atrocius est. Perinde est enim ac si unico spiritu & halitu Christum profiteretur & negaret,& uno halitu calidum & frigidum spiraret: ut qui victoriam sibi ante pugnam pollicitus est, post vixdum inflata tuba in fugam vertitur. Nam tempus aliquid hic potest,&c. *Secundo,* Quod coram toto cœtu satellitum & ministrorum hoc facit. *Tertio,* Quod Christi dolores alioquin intolerabiles auxit: unde Iohannes perpessiones Christi graphice & ad vivum depingens, hujus tanquam insignis cruciatus meminit absque ulla resipiscentiæ ejus vel levissima significatione; quod ejus institutum ibi videatur esse Christi dolores persequi & unice veluti insectari. Et quidem omnes hæ circumstantiæ tribus omnibus abnegationibus conveniunt. *Quarta* est quod ad vocem ancillæ succubuerit tam ignave, non subjectus quæstioni aut in eculeo collocatus, sed, &c. *Quinto,* Hæc Petri ignavia augetur adhuc, quod cum mortem proChristo obire fas non erat, gladium in horto distringendo, sese certæ (ut videbatur) morti exposuit: Nunc autem cum ex vocatione periculum subire debet, terga dat Christo & pugnam detrectat. Sic est comparatum ut homines pro Christo absque legitima vocatione mortem adeant intrepide, quam refugiunt cum eam ex vocatione oppetere debent. Plerique sunt, qui Christi causam gladio defendere parati sunt, qui tamen carcerem non perferent veritatis causa. Atque si gladiis pro Christo (ut sæpe fit) depugnandum ex vocatione esset, verendum est, &c.

Humanam imbecillitatem indicans. *Videmus* hoc loco incredibilem hominis imbecillitatem & ad defectionem a Deo propensionem, cum tam strenuus miles vel dux potius fortissimus à tam imbelli fœmina, tanquam à scarabæo aquila, aut tanquam ab elephante musca superaretur. Sed videmus hic quid hominibus sibi & suis viribus fidentibus accidat. Nam Petrus in opimis existimavit penes se esse adversus tentationem consistere. Videmus etiam quid hinc accidit, quod in precibus securus & oscitabundus extitit, quod seipsum & vires suas non melius exploravit, propositis omnibus ante oculos periculis, quæ illi ob Christi professionem obtingere poterant. Quamobrem, &c.

Marc. 68. Petri in impietate Deinde ex *Marco* constat, eum inferius ad vestibulum contendisse ut se clam subduceret: quo facto ilico gallus cecinit: quod cum illum admonere debuerat suæ *perseverantia.* perfidiæ & Christi prædictionis, qui illum ter se negaturum dixit antequam gallus bis caneret: tamen surdus hunc cantum audit & veluti somno peccati oppressus ad hoc gallicinium non experrectus est. Nam illud audivisse Petrum constat ex Euangelista, qui diserte affirmat Petrum sese ex tumultu subduxisse, quo facilius constaret galli cantum ab eo exauditum fuisse. Nam tametsi ex Aruspicum disciplina non debemus ex avium volatu aut cantu, resipiscentiam inire, tamen cum Christus gallicinium peccati sui indicem proposuisset, nulla tam abjecta creatura est, quæ ad nostrum nos officium excitare non debeat. Videmus igitur hic in Petro non dissimilem in peccato callum quam olim in Iona extitisse legimus Quod si peccatum Petri grande fit, quod gallicinio non profecit, quid illis fiet, qui ad Euangelii præconium sonantissimum non se recipiunt aut ad frugem redeunt.

Secunda negatio sequitur, quæ initium habuit à puella alia non minus in infestandis Christi discipulis, quam prior curiosa, sed (ut videtur) paulo verecundiori, ut quæ illum non adit nec alloquitur, sed aliis adstantibus indicat. Hæc autem illum eo facilius detexit, quod prius ad focum sedens nunc pedibus consistebat & foras se proripiebat. *Luc. vers. 58. Matth. vers. 71. Petri secunda abnegatio,*

Priore deterior, Ad puellæ autem indicium videntur alii circumstantes permoti ut illum compellarent, in quibus unus scilicet eminebat, cui potissimum Petrus responsum aptat, non tantum illud affirmans quod prius, & quidem locutione magis emphatica & figurata (*ó homo non sum*) sed etiam pejerando, imo duabus pejerationibus sese constringendo. Nam juravit se non esse ejus discipulum, & se eum non scire. Tanto fortius hac vice quam priore Christum abnegandum ducens, quod nunc à pluribus accusaretur quam ab uno, & à viris jam, qui prius tantum à fœmina. Hic *videmus* quod tempore contractum exaggeratur crimen, quia pusillum intervalli intercesserat inter hanc & priorem abnegationem, ita ut (sicut Propheta loquitur) peccatum peccato contiguum esset. Sed maxime omnium crimen crescit duplici pejeratione; maxime vero, quod sponte, minime adactus hæc juramenta præstans se hoc scelere constrinxit.

Ostendit periculosam esse impietatis viam. Hic videmus quam periculosum sit viam impietatis inire, unde cum regressio non datur & magna progressio consequitur; ut

qui semel in hanc viam ingressus sit, post in illa currat præceps, & veluti secundo vento & flumine, donec veluti stationem suam in illo capessat: imo vero donec in ea conquiescens considea t, nisi Deus admirabili virtute Spiritus sui illum retrahat, & veluti titionem & facem pœne ustam ex igne eximat.

Et carnis prudentiam male cedere. *Videmus* porro quam male successit Petro carnis prudentia, quo enim modo se maxime occultum iri sibi persuasit, eodem se magis omnium notitiæ exposuit, qui debebat se potius primo ex Pontificis ædibus subducere. *Discamus* igitur sapere ex verbo Dei, non autem inniti propriis consiliis, quæ in summa specie sapientiæ, sunt insipientissima sæpe, & pæne semper à Deo maledicta, cum spreta Dei in verbo sapientia ad illam confugimus. Quo refertur quod semel se subducens, cum ancilla secundo illi obstreperet, cœpisse consilium videtur iterum revertendi, ne reus prorsus haberetur.

Vers. 59, 60. *Tertia Petri abnegatio,* Sequitur hic tertia abnegatio, quæ circiter horam secundam insequuta est, cujus item initium vir quidam, qui circumstantibus (ut puella posterior) indicavit Petrum procul dubio fuisse ex Christi discipulis, cum esset Galilæus. Cujus sermone forte alii permoti Petrum ipsum adorti denuo sunt, & affirmarunt extra controversiam eum esse Galilæum, quod sermone & idiomate facile declararet.

prioribus multo horribilior; Demum cognatus Malchi, cui aurem Petrus præciderat, Petri ad alios responsionem prævertens illum ita interrogat, an non in horto cum Christo fuerat; ut hac interrogatione magis certo confirmet eum ibi fuisse. Petrus autem cum videret illos tam confidenter & indubitato illud confirmare, existimavit jam non satis fuisse ad retundendam illorum de se opinionem si ut prius pejeraret; execratione, diris & extremo anathemate se constringit: ac si dicat; dehiscens terra me absorbeat, aut ignis cœlo demissus me consumat: quæ suprema & summo gradu abnegatio illi superfuerat. Pii cum rem gravem & maximi momenti, quam aliis persuasam & probatam esse cupiunt, confirmare velint, hoc Anathemate utuntur. Vide *Nehem.* 10,29, *&c.* Hoc Petrus in se longe scelestissimum usurpavit. Hic commodus locus dicendi adversus dejerationes, quæ tam pervulgatæ sunt.

Quanquam ex vano metu profecta; *Notandum* etiam quam nullo momento impulsus Christum negavit. Nam ex satellitibus nemo illi manus injicit, tametsi illum pro discipulo cognitum haberent: *Ex quo liquet* fieri nonnunquam ut vanus sit metus, qui homines ad veritatis abnegationem trudit.

Quod si quis dicat hanc abnegationem & pejerationem, &c. in causa fuisse cur elaberetur. *Respondeo:* parum verosimile fieri, satellites contra tot testium asseverationem Petri de se testimonio fidem habituros: saltem nolle eum tanquam pro suspecto habitum obtorto collo ad tribunal Concilii trahere, maxime cum non ignorarent inquisitionem de discipulis Christi institutam esse. Si ergo quis *quærat* quo modo Petrus eorum manus evasit. *Respondeo:* non alio, quam quod Christus suos sibi à Patre traditos amittere noluit: qui ex specula providentiæ probe perspectas habuit vires discipuli sui nondum satis armati ad ea perferendum, quæ Iudæorum immanitas Petro intulisset. Vnde singularis consolatio, Deum non passurum nos tentari, &c. 1 *Cor.* 10, 13. *Et Petro non profutura.*

Hic videmus quo non tantum electi, sed pii eximiis donis præditi proruunt, siquidem Deus illos sibimetipsis permittat; ut nullus sit, quantiscumque donis & gratia polleat, qui sibi non necesse putet caute & submisse adversus peccati insidias versari: ut item caute de aliorum peccatis judicemus, ne illos ilico pro deploratis & desperatis habeamus, qui fœdissime & crassissime prolabuntur. Meminerimus igitur 1 *Cor.* 13, 7. charitatem omnia sperare: item nos nobismetipsis promittere veniam & misericordiam etiam post gravissima & numerosissima scelera: Si resipiscamus. *Electorum sibi permissorum lapsus.*

Hic si quis *excipiat*, Petri non tantam esse culpam, cum necesse erat eum peccare. *Resp.* Necessitatem culpam non tollere, sed coactionem. Deinde prædictionem Christi non fuisse causam culpæ Petri ut effecti. Non enim negavit Petrus, quia Christus prædixit: Sed ideo Christus prædixit, quia Petrus negaturus erat. *Petrus infallibilitate prædictionis Christi non excusatur.*

In resipiscentia Petri incredibilis Dei & incomparabilis misericordia notatur, qui Petro primo impingenti, post in faciem proruenti, tertio veluti ad Christum Petram se atterenti, denique quarto tanquam præcipitem ex rupe se projicienti, manum tamen ita supponit & subjicit, ut in particulas, fragmenta & minima quæque mansa non confringatur, aut potius ut instar pollinis & policiarium in modum non commolatur. Cujus quidem ex tanto malo ereptionis ut præcipuam Vers. 6. *In Petri resipiscentia spectatur Dei benignitas.*

cipuam & primariam causam quærimus in in Dei electione quæ falli & frustrari nequit: sic secundam in fide, quæ amitti nequit, neque ab inferorum portis expugnari, constituimus: quæ tamen ipsa nulla sua & propria vi constitit, sed Christi precibus, ne omnino deficeret, sustentata est. Verum quidem est eam ad tempus sepultam & sopitam fuisse, sed nec mortuam, nec exstinctam, tametsi Petrus non modo nullam fidei vocem ad tempus edens, quam plurimas perjuras & perfidiosas evomuit.

Ejus modus. Iam expendamus quibus rationibus ad se rediens resipuit. Primum quidem dicitur intermisso unius horæ spatio secundum gallicinium extitisse: Cujus cantu Petrus veluti ex peccati sui somno profundissimo excitatus est, adjuncta Christi in Petrum oculi adjectione. *Ex quo* etiam primum *illud elucet* fidei pristinæ quasdam scintillas superfuisse, à qua si Petrus penitus excidisset, illam denuo nunquam ex aspectu Christi & gallicinio concepisset, ut quæ non nisi prædicatione verbi concipi potest. Quod si *excipiatur,* gallicinium memoriam dicti Christi refricasse, illud autem dictum Christi in Petri mentem revocatum fidem ingenerasse: *Respondeo,* dictum illud Christi (*Antequam gallus bis cecinerit, ter me negabis*) non fuisse verbum promissionis, eoque ex illo fidem nequaquam ingenerari potuisse, aspectus igitur Christi & gallicinium poterant equidem somno peccati sopitum excitare, sed mortuum vitæ restituere certe non potuerunt.

Quid gallicinium & Christi aspectus Petro significarint. Gallicinum Christi dicto corroboratum à Petro exauditum, gravitatem & atrocitatem peccati & defectionis Petri in mentem ingerebat; perinde ac si diceretur Petro, ô indignum facinus, te tantulo spatio toties & quidem tam horribiliter peccare. Christi vero ad eum respectus perinde est ac si illi à Christo dictum fuisset: tu me clam hæc fieri arbitraris, ego autem hoc aspectu & hac commiserationis oculi in te defixione tibi innotescere volo me hæc omnia intuente & bene conscio gesta esse, adde etiam mærente & afflicto admodum.

Deum sibi proponere, magnum ad bene agendum momentum. Hinc præterquam quod superius de peccati atrocitate ex temporis angusti circumstantia dictum est: *observandum* porro magnum momentum esse ad nos in scelera impellendum; quod Deum & Christum procul à nobis dissitum consideremus. Sicut contra, magnum est ad permansionem in officio compendium, si quis Deum semper sibi ante oculos statuit. *Psal.16,7,8 Proverb.7,9. &* 5,20,21. Quod si Christi aspectus, cum humilis & abjectus esset, tantopere Petrum commovit: nedum gloriosi ejus oculi & infinita majestas, quæ omnium facta & cogitata assequitur, nobis fræno esse debet, ne in peccata, &c.

Hic videmus summum discrimen inter fideles & reprobos. Nam pii sæpe minimis momentis admonitionum, ad resipiscentiam proficiunt, cum impii & reprobi nullis, quantumvis maximis, nisu & molimine à maleficiis retunduntur. Confer stuporem & impœnitentiam Balaami cum hac Petri resipiscentia: qui tot objectis obstaculis, & demum asinæ suæ sermone non resipuit. Et quidem nos tametsi gallicinia nunc dierum non tam sonoram vocem auribus nostris personent, ac olim in Petri auribus Christi dicto percussis: tamen etiam ex illis & aliis ejusdem generis cum visis, tum auditis nos proficere ad pœnitentiam vult Deus. Nam cum gallum naturæ legem sibi impositam constanter servare reputemus, eoque hominibus usui esse & materiam Dei laudandi illis præbere: nos certe pudeat & hominibus inutiles & noxios esse, & in Deum scelestos, dum nominis sui violandi occasionem præbemus. Meminerimus porro ejus, quod Apostolus dixit, *sol ne occidat super iram vestram,* aut ullum aliud peccatum. Quod si peccatum cubitum feramus, tamen meminerimus cum primo gallicinio illud deponere & ablegare. *Fidelium & reproborum discrimen.*

Quod irruens exit, satis indicat quam magnus eum dolor, & quantus impetus invasit, qui ita eum premebat ut lachrymas cohibere non potuerit tantisper donec ex aula excederet, nisi gradum properasset. Prius exiturus regressus est in aulam Sacerdotis, ne suspectior esset metu clam se subducere tanquam conscium illius professionis & fidei, quam Pontificii oderant & persequebantur. Sed nunc vera pœnitentia ductus, non modo non se recepit, sed citatius hoc facit, cum cautio & circumspectio ferebat. Dolor igitur hic omnem superiorem carnis prudentiam excutit. Sic Iosephus olim impotens fletus tenendi, proruebat, &c. Dolorem acrem intus conceptum salsis & amaris lachrymis foris testatur, & ut punctus mucrone ilico sanguinem mittit: sic Petrus corde compunctus lachrymas tanquam sanguinem emittit. *Vers. 62. Petri verus dolor & resipiscentia lachrymis testata.*

 Quod

Nobis imitanda. Quod etiam nobis imitandum proponitur, ut maxima quæque peccata magna mensura lachrymarum defleamus, ut his omnem illam turpitudinem penitus ablatam esse testemur. Plerique sunt qui sibi callum in peccando induunt, & peccato indormiunt exemplo prolapsi Petri. Sed ut inde consolationem arripiant, Petri resipiscentiæ similitudo cum peccati & defectionis ejus imitatione conjungenda & consocianda est. Qui igitur exiguo temporis spatio formidabilem in modum peccarunt, hi, nisi atteri peccati onere & gravitate velint, cito redeant oportet. Petrus gallicinio, & uno ictu oculi & nutu rediit; hi multorum ministrorum concionibus non revocantur. Petrus unico Christi oculo (tametsi abjecti) resipuit; illi continuis & assiduis gloriosi Dei oculis in se defixis non ducuntur pœnitudine. Petrus se ilico his locis & opportunitatibus eripuit, quibus ad peccandum inductus est, hi in suis corruptelis congelantur, nec se his laqueis expediunt, quibus primum irretiti tenebantur. Petrus contento gradu ab illis se subduxit peccandi inescationibus & irritamentis: hi vero aut in illis consistunt, aut lente aut pedetentim hoc faciunt. Petrus dolorem suum amarissimum lachrymis testatum fecit: hi dolore se quidem pungi affirmant, sed eum foris non produnt, nec in oculorum sensum adducunt.

* *Notetur* hoc exemplum adversus *Papistarum* satisfactionem & oris confessionem.

LVC. *cap. 22, à vers. 66, ad finem Capitis.*

66 Et ut ortus est dies, congregatum fuit presbyterium populi, & primarii Sacerdotes & Scribæ, & adduxerunt eum in suum concessum.

67 Dicentes; Num tu es ille Christus? dic nobis. Dixit autem eis; Si vobis dixero, nequaquam credetis:

68 Quod si vos etiam interrogavero, nequaquam respondebitis mihi, neque me *absolvetis.*

69 Ab hoc tempore erit Filius hominis sedens ad dextram potentiæ Dei.

70 Dixerunt autem omnes; Tu ergo es Filius ille Dei? Ipse vero dixit eis; Vos dicitis: nam is ego *sum.*

71 At illi dixerunt; Quid amplius egemus testimonio? Ipsi enim audivimus ex ore ipsius.

ANALYSIS.

Concilium secundum coactum describitur ab adjuncto tempore, nempe mane, cum sol illuxisset: item ex partibus quibus constabat concilium, quæ sunt presbyterium populi, Pharisæi & Scribæ: item ab effecto, quod Christum ad concilium reducunt; item alio effecto, vel potius fine, ut ab illo sciscitarentur, an esset Christus ille per Prophetas promissus.

Vers. 67, 68. Hujus quæstionis effectum est Christi responsum: nullo jure teneri ut illis respondeat; quod Syllogismo concludit. Non teneor illis respondere, qui nec mihi vera narranti credent, nec mihi percunctanti respondebunt, nec innocentem dimittent. Hi vos estis: ergo, &c. propositio deest: assumptio exprimitur.

Vers. 69. Ab adjuncto proprio declarat se esse Christũ illũ; quod post sessurus sit ad dextram Dei.

Vers. 70. Hujus responsi effectum est quæstio, an sit Dei Filius: Cujus effectum est Christi responsum, se esse Dei Filium.

71. Responsi Christi adjunctum est Concilii sententia condemnationis adversus Christum absque testibus: quæ arguitur ab adverso, quia ex propria confessione reus tenetur.

PRAXIS.

Summa, Post missam Concionem, concilium secunda sessione, illucescente die, coactum, Christum iterum interrogatum, & quod res erat respondentem, iterum condemnat.

Partes sunt,
- Concilii sub auroram secunda coactio.
- Ipsius concilii actio.

Concilium de nocte solutum, vel ut se ad ignem calefacerent, vel ut Christi ab omnibus ludificati probris, convitiis, insultationibus, oculos & aures pascerent. Cum luce autem iterum concilium cogitur. Partim ut nocturni judicii tanquam nimis obscuri & præproperi invidiam declinarent: partim ut aliquid ab illo elicerent quod cum priore testificatione pugnans & contrarium esset. Vers. 66. *Concilii de nocte soluti probabiles causæ.*

Adversus judicii amplitudinem & dignitatem peccatur primum, quod privatis ædibus concilium cogebatur: deinde quod nocto *Ejus reprehensio.*

ctu hæc tam gravis causa disceptata & definita erat. Nam si in rebus civilibus vituperio sit, &c. Nedum in divinis causis, præsertim divinæ Majestatis violatæ. Hæc ergo angulorum & noctis insectatio illos malæ conscientiæ coarguit, tanquam lucem oderint quod eorum opera mala essent. Quocirca Ecclesiæ judicia imitentur Christi extremum judicium, quod in editissimo theatro, tanquam in latissima porta & maximo comitatu & strepitu legatorum fiet.

Concilii actio duplex, } *Prior* concilii cum Christo. *Altera* concilii cum seipso.

Vers. 67, &c. *Cur Christus se ipsum hominibus patefaciat,* *In priori,* responsio Christi, quoad separatum aliquid à priori habet, notanda venit: quæ fere sic habet. Vos à me quæritis an sim Dei Filius, equidem respondebo, quod res est, me filium hominis sessurum ilico ad dextram potentiæ. Quod equidem respondeo nulla spe vos ex errore liberandi, sed ut cum vos graviore & formidabili magis judicio teneamini, & ut, si qui hic sunt, qui per inscitiam & ignorationem hoc faciunt, ut sunt forte ex servis & ministris, hi tandem aliquando resipiscant. Nam ad vos quod attinet, scio mihi veritatem dicturo, vos fidem nullam adjuncturos Sed nec mihi eam à vobis quæstionem sciscitanti, ex cujus responsione facile convincam me esse Dei Filium, quicquam respondebitis, sicut olim fecistis, cum quærerem unde Baptisma Iohannis esset, cœlitu sue, an ab hominibus acceptum: tantum abest, ut me dimittere velitis, cum ne respondere quidem ausi eritis.

In Christi responsione notanda. Hoc responso Christi intelligimus sæpius accidere, ut adversarii veritatis inquisitionem obtendentes penitus se adversus veritatem obfirmarint: eoque prudentiam serpentis nobis à Deo petendam, &c. *Secundo,* hoc responso Christus ab effectis se Dei Filium esse confirmat, quod quid futurum illis esset jam ante certo novisset. Tametsi enim adversarius veritatis secum constituerit se & vultum suum adversus veritatem obfirmare: tamen nisi in his sit, qui adversus Spiritum Sanctum peccasse dignoscuntur, nemo mortalium certo statuere possit eum non crediturum. Quamobrem hoc dicto ab effectis Christus se Dei Filium comprobat.

Ex futura gloria solatium Quod cum se consolatur futura gloria tum hostibus terrorem injicit, id nobis est faciendum, ad quos hujus gloriæ pro nostra parte communicatio olim devolvetur.

Quicquid est in Deo est ipse Deus. *Δυνάμεως* dictione *notetur* Potentiam & cæteras omnes in Deo proprietates Deum esse, utpote quæ sunt non qualitates, sed Dei essentia. Nam quod apud *Matthæum* *δύναμις* dicitur, hic *δύναμις Θεοῦ* dicitur, tanquam idem sit potentia Dei, & potentia quæ est Deus.

MATTH. *cap. 27, à vers. 1, ad 11.*

MAne autem quum esset, consilium ceperunt omnes primarii Sacerdotes & Seniores populi adversus IESVM, ut eum morte afficerent.
2 *Et vinctum eum abduxerunt, ac tradiderunt Pontio Pilato præsidi.*
3 *Tunc Iudas, qui eum prodiderat, quum vidisset eum damnatum esse, pœnitens,*
retulit triginta argenteos numos *ad primarios Sacerdotes, & Seniores.*
4 *Dicens; Peccavi, prodito sanguine innoxio. At illi dixerunt; Quid ad nos? tu*
videris.
5 *Ipse vero projectis* illis numis *argenteis in templum secessit: & profectus strangulavit* sese:
6 *Primarii autem Sacerdotes acceptis* numis *illis argenteis, dixerunt; Non licet*
eos immittere in corbanan, quoniam pretium sanguinis est.
7 *Consilio autem capto, emerunt ex eis agrum illum figuli, ad sepulturam hospitum.*
8 *Quapropter vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.*
9 *(Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem; Et*
acceperunt triginta numos *argenteos, pretium æstimati, qui æstimatus fuit à filiis*
Israël.
10 *Et dederunt eos ad* emendum *illum agrum figuli, sicut injunxit mihi Dominus.)*

ANALYSIS.

Cognita à Iuda proditore Christi condemnatione, effectum ejus declaratur, nempe quod sui facti pœnituit. Cujus pœnitentiæ adjunctum est primum, quod triginta nummos argenteos ad principes sacerdotum & seniores retulit.

Vers. 4. Aliud adjunctum est quod innocentiæ Christi palam confessione proditionis suæ testimonium reddit. Cujus adjunctum est principum, sacerdotum & seniorum populi incuria vel resipiscendi de suo scelere, vel Iudam oppressum onere proditionis, levandi.

Vers. 5. Aliud effectum pœnitentiæ Iudæ, quod triginta argenteos nummos in templum projecit: aliud item, quod laqueo vitam finivit.

Vers. 6. Projectæ in templum pecuniæ adjunctum est ejusdem acceptio per principes sacerdotum: aliud adjunctum eorundem sententia non in sacrum thesaurum reponendam: quod arguitur à disparato, quia pretium sanguinis esset indebite fusi.

Vers. 7. Cujus effectum est consilium ut quid ea fieret decernatur; cujus effectum erat, agellum esse coemendum à figulo; qui extraneorum sepulturæ destinaretur.

Vers. 8. Agellus ille describitur ab adjuncta appellatione, nempe agello sanguinis; quæ appellatio amplificatur ab adjuncta duratione.

Vers. 9,10. Cujus emptionis illo pretio & destinationis ad sepulturam extraneorum finis est, ut impleretur prædictum per Prophetam.

METAPHRASIS.

1. *Concilio de nocte soluto & ejus missione fa-*
cta, vel ut se ad ignem calefacerent, vel ut
ex intuitu contumeliarum, quibus eorũ satelli-
tes Christum onerarunt & ludificabantur, se
oblectarent, cum jam mane eluxesseret secunda
quadam sessione iterum in concilium coacti sunt.
Convenerunt autem omnes Sacerdotum prin-
cipes cum senioribus populi Pharisæis & Scri-
bis, hunc sibi scopum proponentes, ut post Chri-
stum denuo examinatum, & aliquid, quod
speciem criminis & reatus præ se ferret, insi-
diose elicitum, illum mortis reum civili magi-
2. *stratui morte afficiendum traderent. Quam-*
obrem Iesum vinculis tanquam maleficum
constringentes, quod unice civilis imperii poli-
teia illis concessum erat, illum Pontio Pilato
3. *præsidi morte plectendum tradiderunt. Quod*
cum Iudas vel ut inspector, vel fama & audi-
tione intellexisset, Deo illi ante oculos suum
scelus & sceleris atrocitatem expressa imagine
& vivissimis coloribus repræsentante, pæni-
tentia correptus ob mala, quibus tum urgeba-
tur & quæ deinceps illi imminere sine omni
controversia prospiciebat, retulit triginta ar-
genteos nummos ad principes Sacerdotum &
Seniores. Quod quidem ut Deus illi veluti in
eculeum conjecto, ad Filii sui innocentiam te-
standum omnibus, extorsit: sic ut Sacerdotum
principes & Seniores aut ad resipiscentiam ad-
duceret, aut in peccato obduratos graviore
condemnatione feriret, hanc argenti restitutio-
nem extare voluit. Quæ pecuniæ restitutio, 4.
tametsi per se Iudæ proditoriam nequitiam
una cum Christi purissima innocentia & inte-
gritate abunde testata sit: tamen sceleris sui
volentem confessionem clarissime edidit, dicens;
peccavi prodito sanguine innoxio. Ad quem
peccati onere oppressum illi, omni cura de illo
consolando vel admonendo abjecta, respondent
sua non interesse nocensne an innocens fuerit,
illi hoc videndum esse. Cum autem vidisset 5.
principes sacerdotum argenteos nummos nolle
ab eo accipere; tædio & odio pecuniæ, quam
tantopere prius adamaverat, projectis in tem-
plum nummis, vitæ pertæsus & mortem tan-
quam thesaurum expetens, secessum quærebat,
ubi nullis objectis impedimentis, seipsum
strangulavit. Principes Sacerdotum collectis, 6.
quas Iudas projecerat nummis, primum secum
plane & è vestigio decernunt fas non esse pecu-
niam tam nefarie datam ab illis, & acceptam
à Iuda, in sacrum thesaurum ad pios usus re-
condere: quandoquidem nummi erant, qui-
bus innoxius Christi sanguis effusus est. Perite 7.
vero de non conferenda in sacrum thesaurum
pecunia protinus decernentes, ad quem usum
illam insumerent in concilium & deliberatio-
nem rem vocantes, agrum à figulo emendum
constituerunt, qui peregrinis inserviret, & his
qui fundo ad sepulturam apto destituebantur. 8.
Qui quidem ager, quod ista pecunia redem-
ptus est, quæ tam nefarie data & accepta est,
admirabili Dei providentia pro innocentia
Christi testificatione excubante, agri sangui-
nis nomen passim apud omnes, etiam Christi
infestissimos hostes, ad illum usque diem, quo
hæc scripta sunt, obtinuit. Quorum omnium ut 9.
certa fides & indubitata sit, intelligendum
nihil hic in toto hoc negotio factum esse, quod
non aliquot ante seculis per Prophetam Iere-
miam, alias dictum Zachariam, prædictum
est, cujus hæc fere verba sunt: Et acceperunt
triginta argenteos nummos, pretium scilicet
pulchellum, quo Dei Filius ob incomparabiles
virtutes & infinitos, quos exantlaverat, labo-
res æstimatus est. Cujus pretii vilitas vel inde 10.
liquet, quod eandem pecuniam dederunt, ut
figuli agellum acquirerent: quemadmodum
etiam Dominus mihi, ut hoc prophetice signi-
ficarem, injunxit.

PRAXIS.

SUmma, Judæ ex condemnati ad mortem Christi occasione, pœnitentia cum ejusdem effectu exponitur.

Partes sunt: { Judæ ex Christi condemnationis intuitu pœnitentia. Pœnitentiæ ejus multiplices effectus.

In priore spectantur: { Pœnitentiæ occasio. Ipsa Pœnitentia.

Vers. 3. *Peccati fructus suos edentis fœdior species.* In occasione, *observatu* dignum est, peccatum Judæ, primo quo admisit tempore, nondum impietatis fastigium & apicem contingens neque ullis extrinsecus adventitiis eventibus auctum, non ita fœdum apparuisse, & magis tum sentiri peccatum à peccatore, cum ejus peccati fœtus in lucem editi in peccatoris oculos & aures incurrunt. Sic inveniuntur qui ex gravi vulnere fratri inflicto læti sunt, quos post sanguinis ejus missio contristat; qui ex alienæ uxoris contrectatione gaudio perfunduntur, quos mæstos habet quod ex illa spurios susceperunt, quos assiduè intueri coguntur, quos forte post mendicos aut fures stipendium petere, aut laqueo vitam finire conspicere adiguntur. Quod nos admoneat ut omnia, quæ peccati admissionem consequi possent, simul & semel ob oculos ponamus, id est, ut illius omnibus incommodis ab ejus patratione deterreamur: quot enim incommoda inde nascuntur, tot habet cum testes, tum accusatores qui peccatorem apud Dei judicium reum peragant. Sed peccatum subdolum & insidiosum suam veluti caudam (ubi stimulus est) complicat, & contegit, ne ad odium deprehendatur.

Omnis peccati eventus lethalis. Sed hoc magis adhuc mirum videtur, quod nihil hic Judæ aut inopinatum, aut non expetitum & exoptatum accidit. Nam cum monuit ut Christum comprehensum semel caute & circumspecte abducerent ne elaberetur, apparet illum mortem Christi vel maxime expetivisse. Quo enim vultu Christum (si effugisset) intuitus fuisset, quem tam nequiter, & indigne prodiderat, Achitophel 2 *Sam.* 17, 23. quod ipsius in Davidem molitionis nullus concupitus successus esset, frustrati conatus indignatione & angoribus sibi vim intulit. Judas vero contra vel inde occasionem arripit desperationis, quod illi ex voto in Christi ad mortem adjudicatione cessit: ut sciamus omnem peccati eventum lethalem peccatori esse: sive enim ex voto nobis succedat, sive secus; tamen utrinque nobis præcipitii in barathrum offensaculum objicitur. Deum enim novit mel nostrum illicitum & inconcessum in fel & amaritudinem amarissimam convertere, & efficere ut illud vehementius detestemur, quod impensius adamavimus.

Pœnitentia piorum & impiorum discrimen. Sequitur Judæ pœnitentia, quæ voce quadam notatur ab ea significatione diversa, qua piorum pœnitentia describitur: significat autem cura quadam animum confectum & cruentatum ex re aliqua admissa. Unde etiam minime ejus quod fecimus pertæsi, dicimur nulla ejus pœnitudine duci. Est igitur dolor ex re admissa non propter rem ipsam admissam, sed propter incommoda, quæ inde nascuntur & eam comitantur. quod etiam locus 2 *Corinth.* 7, 8. evincit; ubi inde se pœnitudine non duci profitetur Apostolus, quod nihil ex suo facto incommodi in Corinthios redundasset. Cum vera resipiscentia præcipue & recta fertur in peccati, quibus gravatur, circumstantias. Sic Petrus dolore percitus quod eum offenderit, qui in illum tam benignus fuisset, quod tam angusto temporis spatio, tam horribiliter Christum negasset. Dolor in resipiscentia piorum maxime alios respicit, ut quod Deum ad iram concitarint, quod Euangelio obloquendi argumentum præbeant; quod alii inde occasionem arripiant aut dolorem, unde laborant. Sed dolor impiorum suos tantum respicit & in suis malis & incommodis lugendis totus versatur. Pii dolent Deum misericordem offensum esse: Impii dolent Deum justum lacessitum. Pii dolent Deum bonum irritatum esse: Impii dolent potentem in se commotum esse. Atque de priore parte hactenus. Sequitur *pars altera* de pœnitudinis effectu.

Qui quidem varii sunt & multiplices { Ab hominibus effecti. A Deo dispositi & ordinati.

Vers. 3, 4 *Judæ peccati sui confessio frustranea.* In hominum effectibus, Judæ profectio ad Concilium ut suum peccatum confiteretur palam, primum occurrit; quæ hoc consilio facta esse videtur, si forte aliquam inde levationem infernalium tormentorum consequi posset. Maxime si hac confessione sua illos ab incepto contra Christum consilio abduceret. Deus enim illum veluti in eculeum conjectum habuit, ut illi vel invito hanc confessionem extorqueret. Quanquam vero apud illos hanc confessionem ediderat, apud quos eam fieri cum primis oportebat, & quos maxime intererat Dei gloriæ & Christi

Christi existimationis hanc Confessionem intelligere; tamen nullum inde solamen ob eam causam accipit, quod illam prius apud Deum non edidit, a quo tanquam ab hoste abhorruit. Contra *Psal.* 32, 5. David docet se ilico recreatum fuisse, postquam peccatum confessus fuerat.

Concilii iniquitas in Christum;

Concilium respondet, sua nihil interesse nocens an innocens sit, se sententiam mortis adversus illum tulisse, partim ex ipsius accusatione, partim ex propriæ divinitatis professione: hanc sententiam non iri retractatam. Ob eamque causam culpam penes illum hærere si hominem innoxium prodiderit. Vnde intelligitur Concilii in Christum insignis militia, cui perinde est nocens an innocens fuerit. Grave peccatum est cum muneribus & corruptelis sapientum in judicio configuntur oculi: sed multo gravius est, cum manentibus oculis & acie judicandi intacta, iniquam sententiam ferunt. Videtur igitur hoc concilium in Spiritum Sanctum peccasse, quod Christi oratio (*Pater condona, nesciunt, &c.*) in hos non quadret. Fateor quidem non esse Iudicis sententiam revocare, quam ex testimonio alterius tulit, simulatque testis seipsum retexuerit. Fieri enim potest ut quod vere prius dixerat, post corruptela muneris aut timore illud perneget: sed tamen debebant in rem accuratius inquirere, & prorsus sententiam ad incudem revocare. Vnde cum ex Iudæ proditoris dicto, tum ex Concilii responso magis liquet Christi innocentia, quæ ab infensissimo Christi hoste Iuda scilicet asseritur & ab ipso concilio testimonium habet; quo profitetur sibi nihil curæ esse in culpa ne sit an secus.

Inhumanitas in Iudam.

Notanda etiam est, ut malitia Concilii in Christum, sic inhumanitas & crudelitas in Iudam, quem jam laborantem & cum summa desperatione conflictantem, ne verbulo aut admonitionis aut consolationis sublevant: quin potius cum acrius pungunt & veluti mucrone jam moribundum transverberant, & sponte sua in baratrum ruentem manu sua veluti impellunt: tametsi illis Iudas summe gratificatus fuerat Christi proditione.

Sic justo Dei judicio fit, ut qui Satanæ & satellitio ejus inserviunt, non tantum rebus afflictis nullum solamen sentiant, sed acerbius & magis lethaliter vulnerentur. Primo equidem illos aliqua illecebra vel pecuniæ, vel voluptatis inescat, postea vero cum urgentur manu Dei, & veluti in mare afflictionum demerguntur, non modo utres non porrigit quibus enatent & emergant, sed asinariam etiam collo suspendit, ne unquam eluctentur. Et hæc est ratio eorum qui pythones, ariolos, præstigiatores adeunt. Vide exemplum Saulis. 1 *Sam.* 28.

Vers. 5. Peccati voluptas brevis.

Omnis voluptatis, quæ ex peccato percipitur, ἀπόλαυσις πρόσκαιρος existit. *Hebr.* 11, 25. Eoque comparatur cum dulcedine cibi, qua quis oblectatus quamdiu in palato hærens huc illuc volutatur, post instar Scorpionis est illum pungens qui illum deglutit. Sunt enim, ut experimur, potiones & cibi, qui palato arrident, quos ventriculus ut amari aut mali saporis respuit. Et quidem hoc vere enunciari potest de omnibus, vel maxime duraturis peccati voluptatibus. Sed quo magis Deus nos à peccando exterreat, & nos à peccati lacte veluti depellat, nonnunquam efficit Deus, ut quæ nos mirifice expetimus & adamamus, illorum subito & veluti uno momento nos tædeat, nec tantum fastidio & satietate eorum ducamur, sed porro illa detestemur, nec eorum vel aspectum æquis oculis feramus. Hujus rei egregium exemplum in Iuda, qui pecunia tantopere delectatus, ut ejus studio Christum vendiderit, eadem ipsa quam tantopere sitiverat, ita protinus satiatus est, ut carnificinæ instar fuerit eam penes se retinere. Hujus rei alterum non minus excellens exemplum existit, atque adeo, ut videtur, illustrissimum in Ammone, qui amore suo quo sororem deperierat perfruitus, ilico ejus infensissimo odio correptus est. Hoc nos doceat honestas & licitas utilitates sectari, illicitas vel oblatas respuere.

Horrenda Dei in reprobos judicia.

Horribile judicium Dei quo oppressus fuit Iudas, facinus scelestissimum strangulationis suæ arguit: & simul eminentiam Filii Dei supra omnes creaturas ostendit, eumque esse verum & æternum Deum cujus proditio tam horribiliter aspectabilem in modum in hac vita punita est. Quod & genere supplicii eminuit, dum non tantum laqueo ipse suo vitam finivit, sed & medius crepuit & viscera sua effudit, cui nulla viscera misericordiæ essent. Sic etiam persona supplicio coërcita confirmatur, dum in summo fastigio & culmine dignitatis constituta, quale par non reperitur, ad tam ignominiosum mortis genus devolvitur. Huic suo etiam loco, & pro rata portione respondent judicia quæ Deus exercuit in Euangeliorum proditores, quorum nonnulli sibi violentas manus intulerunt. Qua tam horribili morte, Deus

Euan-

Euangelii pretium indicat. Simul liquet quanta damnatio reprobos manet, quorum primitię & prælibatio tam formidabiles sunt, ut mortem tanquam thesaurum quærant & nusquam foras invenientes sibi manus afferant.

Papias refutatus. *Hinc liquet* quanti æstimantur traditiones (quas vocant) Apostolicæ à Papia earum veluti summo & principe parente relictæ, qui, quod Apostolorum tempore vixerat, autor & testis omni exceptione major existimatur. Tradit enim Iudam laqueo rupto supervixisse: quod non tantum Matthæi fidem illud reticentis suspectam reddit, sed Lucam in Actis mendacii convincit.

Vers.6. *Recta sacerdotum primariorũ sententia de turpi lucro Deo non offerendo.* *Non licet,&c.*] Recte illud ex lege docuerunt. Vetans enim lex meretricis aut canis pretium Deo offerri; eadem opera, omne turpe lucrum & inhonestum inferri prohibuit. *Deut.*23,18. Plerique sunt qui cum emptione, venditione, fraudulentis munerum corruptelis rem suam auxerint, tamen probe se expedituros sibi in animam inducunt cum aliquid in Ecclesiæ aut pauperum usum erogaverint: quo facto Ecclesiam Dei veluti speluncam Leonum & latronum faciunt, in quam spolia & prædam & manubias suas inferant. Si fraus admissa ejus generis sit, ut nesciat fraude ditatus, à quibus pecuniam injuste emunxerit, Deus vult, ut ad Dei cultum cum additamento restituatur. Sic queritur Deus apud *Ierem.* 7, 11. tanquam Deum existimarent furtorum & rapinarum socium & fautorem fore, dummodo ipse prædæ particeps fiat. Perinde ac si Deum negarent velle furari, sed fures recipere non detrectare: renuere in furto & latrociniis principem esse, sed non recusare furti (ut loquuntur) accessorium esse. Sed hic *excipiatur* Idola & anathemata in Dei thesaurum ab Israël, & Davide allata esse. *Resp.* non fuisse illa ab his oblata Deo, qui idolatriæ rei erant illius, sed ab aliis quorum opera acceptissimũ erat in deturbandis & evertendis Idolis.

Vers.7,8. *Dei providentia in testificanda Christi innocentia.* Mira autem hoc loco Dei providentia & virtus apparet, qui hac sententia Sacerdotum in malitia etiam obfirmatorum & à vera peccati confessione maxime remotorum, Christi innocentiam magis asserit, quam si mille testes in Christum propensos ad illam testificandam adhibuisset. Maxime si reputemus horum calliditatem & vafritiam; in qua tamen irretiti tenentur. Et quoniam eodem spectat quod de agri nomine post attexitur, huic & illud adjungamus. Est enim res stupenda agrum non appellatum fuisse figuli, sed *agrum sanguinis*, id est, agrum sanguinis innocentis pretio comparatum. Multi sunt agri, qui sanguinis pretio acquiruntur, ut qui agrum emunt ex sanguine eorum expressum, quibus prædia sua elocant: sed non appellantur hoc nomine tamen: tametsi hi, quorum sanguis exsugitur, quam maxime illud cupiant: quia sibi metuunt ab eo qui agrum emit. Hic vero ager non à Christi discipulis, sed ab his ipsis, qui maxime ne hoc fieret cautũ voluissent. Perinde ac si ipse, qui sanguinem pauperum excepisset, agro quem ejus pretio comparasset, nomen sanguinis indidisset. In quo Deus egregie nostræ fidei, & filii debitæ existimationi prospexit; ut *discamus* non timere à falsis hominum calumniis & insimulationibus, cum talem innocentiæ patronum habeamus, qui, pro nostro modulo hoc erga nos perficit, quod erga filium suum: quod & multiplicibus experimentis evincitur. Hinc est illud Davidis, Deum suos abdere à flagello linguæ. *Psalm.* 31, 21.

Sed quæritur hic cur non ad proprium usum illam pecuniam convertebant. *Respond.* Scilicet & hoc recte & legitime fecerunt, ut quibus non est permissum, ut illa ipsa spolia in domum suam, quibus turpissime abusi sunt, inferrent.

Notandum vero est, istos in culice percolando hærere, qui vel camelum deglutiunt. *Primorum hypocrisis.* Non enim permoti sunt indignissimo facinore Christum prodendi, & eum ad mortem damnandi: tamen, &c. Sic plerumque fit, ut qui totum Sabbatum potando, ludendo consumere non dubitabant, grave quid se commisisse arbitrentur, si aliquid operis in eo fecerunt: cum sicut hoc declinandum, ita illud magis detestandum esset.

In sepulturæ peregrinorum sumptu, præter sepeliendi curam ab impiis procuratam, *notandum* erit etiam sub lege homines non tam fuisse, ut nunc sunt cæremoniis addictos & superstitiosos. Nam singuli quibus suberat possessio, agro suo & proprio sepeliebantur: unde peregrinis & pauperibus nullus sepulturæ locus relictus est, nisi dono collatus: apud nos tamen ea ratio & consuetudo prava est, ut nisi quis aut templo aut Cimeterio condatur de se actum esse putet: quæ superstitio à *Pontificiis* inducta, adhuc hæret. Verum quidem est, olim pios, cum majoribus piis tumulari expetivisse, & adhuc pium studium est cum piis humo mandari cupere. Sed

pietatem aliquam, aut insignem præ cæteris locis utilitatem in eo collocare, frivolum est.

Vers. 9, 10. *Prædictione proditionis Christi Deus offensionem cavit.*

Prophetia hoc modo impleta dicitur, quæ primum prædicebat Christum Pastorem Israëlis totidem argenteis pro infinitis suis in illum laboribus & beneficiis æstimandum fore: qui etiam jussus argentum illud figulo dare mandatum accepit rem ita ab Israëlitis perficiendam prædicere: quod & factum est cum in templum projectum colligebatur, ut figulo ad emendum agrum traderetur. Qua prædictione Deus omnem offensionem, quæ ex indignissima Christi & vilissima proditione nasci potest, sustulit. Nam cum ita fore prædictum sit, non modo ita fieri necessum fuit, sed expedire porro nostræ saluti: cæteroquin Deum, qui illud tam multis seculis præviderat, illud facile declinare potuisse. Cujus præcipuus fructus, ut hac veluti indubitata nota Iesum Christum esse certissime cognosceremus.

Circa hanc prophetiam triplex quæstio.

Sed *quæritur primo*, quomodo dicitur Christum a Iudæis triginta argenteis æstimatum esse, apud quem ne homo quidem sed potius vermis reputatus est, ut qui nihilo pejus illum esse indicant. Nec enim ejus præclaras virtutes hoc pretio æstimarunt, sicut qui mancipium emit quod sibi emolumento fore putat. *Resp.* Deum illos hoc pacto acerbiore & atrociore illo scelere non absolvere, sed hujus accusare, quia ad præsentem locum accommodatum erat.

Deinde quæritur de quibus hoc intelligitur, an de Iuda tantum, an vero etiam de Concilio, quod cum Iuda de proditione Christi transegit. Nam si de Iuda intelligeretur, quomodo ab Israëlitis admissum dicetur quod ab uno tantum factitatum est. Si autem à Concilio, quomodo hoc illis probro dari potest, quod in laude potius esse videtur, cum quo plus aliquis in hominis cædem distrahit, eo gravius peccat, ut qui tanto magis suum in illum odium declaret. *Resp.* Videntur omnino utrique tum Iudas, tum concilium comprehendi. Et quidem quod ad Iudam attinet, in promtu est eum idcirco graviter peccasse, qui tantillo vendidit Christum, cujus levius peccatum extitisset, si nonnisi majori summa illum prodere voluisset. Sed & in Concilio tanto gravius peccatum erat, quo hoc modo majorem Christo contemtus notam inusserunt, quod omnes ejus tantopere laudatas virtutes, quas ejus discipuli magni faciunt, illi quam minime faciebant, ac si cum Iuda noluissent transigere, nisi tantulam pecuniam accepisset. Seque tam parum sibi ob illius potentiam aut sapientiam timere, ut ejus intermissionem & è medio sublationem non amplius quam triginta argenteis redimere voluerint. Quot hodie reperiuntur, qui Christum in ejus Euangelio & ministris minus triginta argenteis æstimant? Imo quot sunt qui Euangelium profitentes, qui totidem atque etiam amplius argenteos darent ut Euangelium & Ministri exularent? Hostes autem Ecclesiæ quam nullis sumptibus parcunt? ut, &c.

Denique quæritur quomodo de Ieremia dicitur quod in Ieremia non invenitur, sed in Zacharia duntaxat. *Resp. Primum* Ieremiam binominem fuisse, ut plerique hac ætate. Item fieri potuisse, ut hoc primum à Ieremia pro concione dictum, post per Zachariam scriptis sit mandatum, cum satis sit per eorum alterutrum hoc scriptis mandari. Vt nihil hinc *Pontificiorum* traditionibus stabiliendis possit accedere.

IOH. *cap.* 18, *à vers.* 28, *ad* 39.

28 Ducunt ergo IESVM à Caipha in Prætorium, erat autem mane: & ipsi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha.

29 Prodiit ergo Pilatus ad eos, & dixit; Quam accusationem adfertis adversus hominem istum?

30 Responderunt & dixerunt ei; Nisi iste esset facinorosus, non tradidissemus eum tibi.

31 Dicit ergo eis Pilatus; Accipite eum vos, & secundum legem vestram condemnate eum. Itaque Iudæi dixerunt ei; Nobis non licet interimere quemquam.

32 Vt sermo IESV impleretur, quem dixerat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.

33 Regressus est ergo in Prætorium Pilatus, & vocavit IESVM, dixitque ei; Tune es rex ille Iudæorum.

34 Re-

34 *Respondit ei IESVS; A te ipsone tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?*
35 *Respondit Pilatus; Num quid ego Iudæus sum? gens tua & primarii Sacerdo-*
tes tradiderunt te mihi: quid fecisti?
36 *Respondit IESVS; Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo es-*
set regnum meum, ministri mei certassent ne traderer Iudæis: nunc autem regnum
meum non est hinc.
37 *Dixit ergo ei Pilatus; Ergo rex es tu? Respondit IESVS; Tu dicis me regem*
esse: ego ad hoc genitus sum, & ad hoc veni in mundum ut dem testimonium verita-
ti. Quisquis est ex veritate, audit vocem meam.
38 *Dicit ei Pilatus; Quid est veritas? Et quum hoc dixisset, rursum prodiit ad*
Iudæos, & dixit eis; Ego nullum invenio crimen in eo.

LVC. *cap.* 23, *à vers.* 1, *ad* 5.

TVm surgens universa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum.
2 *Cœperunt autem eum accusare, dicentes; Comperimus istum pervertere*
gentem, & vetare tributa dare Cæsari, dicendo se Christum, id est, *regem esse.*
3 *Pilatus autem interrogavit eum, dicens; Tune es Rex ille Iudæorum? Ipse vero*
respondens ei dixit; Tu dicis.
4 *Ait vero Pilatus ad primarios Sacerdotes & turbam; Nullam invenio noxam*
in hoc homine.

ANALYSIS.

ADjunctum condemnationis in concilio est deductio Iesu ad Pilatum; quæ efficiente arguitur apud *Lucam* vigesimo tertio, nempe tota multitudine eorum qui in concilio conveniebant; item ab adjuncto tempore, nempe mane, & à subjecto loco, nempe ab ædibus Cajaphæ ad prætorium. Hæc deductio ad prætorium suo diverso arguitur, quod tametsi ad prætorium illum deducebant, tamen prætorium ingredi nollent; quod suo fine arguitur, ne polluerentur; quod etiam alio fine arguitur, ut Pascha celebrarent.

Vers. 29. Hujus recusationis ingrediendi prætorium adjunctum est, Pilati ad eos è prætorio egressus: qui suo fine declaratur, ut illos interrogaret quam accusationem contra illum afferrent.

Vers. 30. Cujus quæstionis effectum est responsum illum esse reum capitis, quod confirmant testimonio, suamet nempe authoritate, scilicet illos nolle Iesum in discrimen capitis vocare nisi sceleratus fuisset.

LVC. *Vers.* 2. Partes accusationis sunt quia offenderunt illum populum pervertentem; item prohibentem Cæsari tributum dare; quod arguitur disparato, quod dicebat se esse regem.

IOH. 31. Cujus accusationis adjunctum est Pilati adhortatio ut ipsi causam hanc cognoscerent & judicarent ex præscripto legis eorum: cujus item effectum est Iudæorum responsio, hoc judicium ad se non pertinere; quod arguunt disparato, quia capitale crimen esset, in quod illi jus non habebant.

Vers. 32. Hoc suo fine arguitur, ut impleretur Iesu sermo, quem prædixit de genere mortis quam obiturus esset.

Vers. 33. Adjunctum accusationis Iudæorum adversus Christum est regressio Pilati in prætorium; quæ suo fine declaratur, ut Christum examinandum ad se vocaret; cujus examinationis pars est quæstio Christo proposita, an esset Rex Iudæorum.

Vers. 34. Christi responsio est à distributione adjuncti in subjecta, dum quærit an ex sua scientia aut ex aliorum indicio hoc quæreret.

Vers. 35. Responsio Pilati est se ex sua scientia hoc non quærere; quod arguitur à disparato, quod Iudæus non esset, eoque de Iudaicis rebus non esset solicitus; quod etiam altero disparato confirmat, quod à propria natione accusatus esset; quod etiam amplificatur comparatione majoris, quod principes sacerdotum illum accusarint; cujus criminationis effectum est, ut respondeat quid fecerat.

Vers. 36. Responsio Christi est distinctione à diversis, se regem esse & Regnum habere, sed non ejus generis de quo accusatus est, id est, non ex hoc mundo; quod arguitur ab adjuncta propugnatione, quam ministri ejus suppeditassent siquidem regnum ejus ex hoc mundo fuisset.

Vers. 37. Cujus responsi effectum est alia quæstio Pilati generalior quam quæ præcessit, nempe an esset Rex? cujus quæstionis effectum est, Christi affirmatio se esse regem; ubi ex effecto declarat qualis Rex esset, cum dicit se in hoc venisse ut veritati testimonium præberet; proprium autem subjectum notat quod auscultat illi, nempe omnis qui est ex veritate.

Vers. 38. Responsi Christi effectum est quæstio Pilati quid sit veritas: deinde narratur alterum effectum Pilati, scilicet egressio ad Iudæos; quod suo fine arguitur ut Christum innocentem pronuntiaret.

METAPHRASIS.

28. CHristum in Concilio condemnatum, à
summi sacerdotis Caiphæ ædibus, ubi con-
cilium coactum erat, vinctum ad prætorium
summo mane ducunt, non sine magno omnium
ordinum summorum & infimorum comitatu,
hoc consilio ut nec è manibus illorum elabere-
tur, & ut majorem gratiam & authorita-
tem Civili condemnationi (quam parabant)
conciliarent, tametsi illi per fucatam speciem
religionis prætorium ipsum ingredi recusarunt,
ne sua opinione, quam sibi superstitiose affin-
xerunt, polluti ad Paschatis celebrationem
29. minus idonei essent. Illis autem prætorium in-
gredi detrectantibus, Pilatus facilitate qua-
dam ingenii, se illis conformans, ad ipsos de
prætorio egressus, dixit; Video equidem vos hunc
Iesum tanquam mortis reum huc judicandum
adducere: dicite ergo quam accusationem ad-
30. versum illum fertis. Cui respondent: spera-
mus doctrinæ & sanctimoniæ merito, nos illam
existimationem acquisivisse, ut ne levissima
suspicio animum tuum subire debeat, nos il-
lum morti adjudicandum tradituros, nisi ma-
31. leficus mortem promeritus fuisset. Ad quos Pi-
latus, siquidem vobis tam liquido constat
de illius reatu, quin igitur ipsi de eo senten-
tiam dicitote, & supplicium sumite; quod
ipse facere prohibeor, nisi de rei veritate pe-
nitus constet. Tum Iudæi: non ignoras nobis
fas non esse quemquam mortis supplicio affi-
32. cere. Qua in re accuratissima Dei providen-
tia hoc eorum responsum rexit: ut sermo im-
pleretur, quo Christus mortis suæ genus signi-
ficaverat: scilicet non lapidibus obruendum,
quod Iudæis familiare erat; sed Cruci suffi-
gendum, quod erat Romanis consuetum. Lu-
cæ 23, vers. 2. Tum Iudæi qui illum prius γε-
νικῶς accusarunt, ad species quasdam accusa-
tionis descendunt; & primum quidem illum
populi & gentis Iudaicæ perturbatorem esse
obtendunt: deinde quod Pilatum vel maxi-
me inflammare posse putarunt, insimulant
illum id egisse, quo censum & tributum a
Cæsare aversum ad se tamquam regem con-
33. verteret. Cum Iudæi tam & acriter & gra-
viter Christum accusassent, Pilatus inte-
grum & tutum sibi non putavit silentio illa
præterire, præsertim cum ex objectis crimini-
bus quædam læsam Cæsaris majestatem con-
tinebant. Quamobrem in prætorium regres-
sus & pro Tribunali sedens, Christum advo-
cans, præterita de populo pervertendo calumnia,
tamquam quæ sua non interesset, sic Iesum
alloquitur; Tune Iudæorum Rex es, prout te
de teipso profiteri dicunt? Ad quem Iesus, cæ-
teroquin ejus quod interrogavit & quod Pi- 34.
latus responsurus erat probe conscius, dixit;
Quæro abs te vicissim, an hoc quæris propria
animi suggestione, an aliorum indicio & in-
formatione? utrinque etenim legem juris &
æquitatis violas. Nam si ex teipso hoc dicis,
simul & testis, & judicis partes (quod iniquum
est) agis: sin aliorum accusatione me hic in
jus vocas, in os culpandus es, quod accusato-
res foris consistentes coram & in os sisti non
compellis. Tum Pilatus commotior, respondit;
Nunquid ego Iudæus sum, ut de his sine alio- 35.
rum informatione sollicitus sim aut curam
agam? Populares tui atque adeo religionis ve-
stræ summi principes & moderatores, te mihi
reum sistunt. Quamobrem authoritas eorum,
qui te accusant, te, ut quid abs te factum sit
respondeas, commonefacit. Ad quem Iesus:
Regnum meum quod ego plane vendico, non 36.
est (ut accusatores falso calumniantur) ex hoc
mundo: cujus firmissima ratio est, quod si ex
mundo esset, infiniti Angeli beati sunt, &
iidem Ministri mei, qui jus meum propugna-
rent, nec Iudæorum in manum & potestatem
me tradi sivissent: sed nunc, cum illi ne digi-
tum quidem movent, palam est meum regnum
ex hoc mundo non esse. Tum Pilatus: Video 37.
igitur plane te Regis nomen & dignitatem
vendicare. Ad quem Iesus: Est ita ut dicis.
Atque ut intelligas, cujusmodi regnum est:
quod ego administro, scias velim sceptrum
Regni mei prædicationem verbi, excipienti ve-
ro meum de me testimonium suspectum esse;
respondeo me officio, ut hoc faciam, duci. Ad
hoc enim natus sum & in mundum veni ut
veritati testimonium perhiberem. Sicut au-
tem regia administratio mea, magna sua par-
te in verbi præconio consistit; ita veri mei
& germani subditi sunt, qui ex veritatis
prædicatione geniti, verbum auditum obser-
vant. Quod si excipias testimonium meum
irritum esse, cum nemo mihi dicenti fidem ha-
bet: respondeo eos, qui destinati sunt, omnes
ad unum obedire. Tum Pilatus quæ tandem 38.
est illa, quam dicis veritas? quod neglectim
vel contemptim potius rogitans, non expe-
ctato Christi responso, prætorio exiens & se su-
perstitioni Iudæorum submittens, ad illos re-
dit, & clara voce Christi innocentiam pro-
fessus, dixit: Ego Iesum hunc diligenter &
accurate excutiens atque explorans, nul-
lius criminis quod illi imponitis, reum in-
venio.

PRA-

PRAXIS.

S*Vmma*, Christus coram Pilato atrocium scelerum à Iudæorum principibus accusatus, ab eodem, causa cognita, absolvitur.

Cujus partes sunt, { Iudæorum apud Pilatum adversus Christum informatio. Pilati cum causæ cognitione de Christi innocentia sententia.

IOHAN. vers. 28. LVC. vers. 1. *Totius multitudinis summus adversus Christum conatus;* In Christi ad Pilatum deductione animadversione dignum est, quod *Lucas* 23. *vers.* 1. notat, totam multitudinem eorum scilicet, qui in Sacerdotis ædibus erant tam ex Concilii Assessoribus, quam ex Ministris & satellitibus qui Christum comprehenderunt in horto & in Sacerdotis Aula ludificati erant, eum ad Præsidem duxisse. Quod quidem non eo tantum factum est ne Christus effugeret (id enim per satellites, Ministros, & milites sine concilii opera perfici potuerat, ut illi existimabant:) sed ut Christum omnibus rationibus morti acerbissimæ tradere conarentur. Quamobrem non satis illis fuit causam accusationis munire duobus aut tribus, qui suo testimonio intentatum crimen confirmarent: sed omnes ad unum ad causam hanc agendam confluunt, & omnium & singulorum autoritate, gratia, suasione, ingeniosis excogitatis, denique importunitate, quod de Christo interimendo cupiebant, extorquerent. Voluerunt igitur magnam & ingentem pharetram secum ferre; ut si minus eum una aut altera sagitta transfigerent, omnibus tamen transverberarent, & quod proverbio dicitur, duobus nervis instructum arcum habere voluerunt. Sic fit inter nos, ut cum rem aliquam valde expetimus aut ab ejus possessione ægre nos avelli patiamur, ut in communi omnium civium supplicatione non acquiescamus, nisi omnes etiam iter ad Principis aulam suscipiant. Quod nos pudeat cum in rebus honestis istis concedimus, nec tam ad glorificandum Christum, ut hi ad illum crucifigendum incitati simus.

Hypocrisis. Christum deducentes Prætorium ingredi per speciem religionis recusarunt: ne ingressi se polluerent, eoque se ad Paschatis celebrationem ineptos redderent. In quo iterum suam insignem hypocrisin produnt, qui hujus rei conscientia ducebantur, cum interim nullum interficiendi innocentis scrupulum admittunt: sic culicem percolant, & camelum deglutiunt. Sic fit sæpe in impiis mandatorum contemptoribus, ut fere sint cæremoniarum mordacissimi cultores. Vide quæ annotantur in *Matth.* 15. Hypocrisis eorum in eo consistit, quod scelus existimantes die Parasceves Prætorium, ubi jus dicebatur, ingredi, de falso in innocentem testimonio & illum occidendi studio nullum scrupum movebant. Sic *Pontificii* grave scelus putarent, si vel os aqua colluissent ante cœnæ communicationem, cum tamen adulterii, maledicentiæ, &c. conscientia non pungantur.

Quamobrem verosimile est eos per Ministrorum aut militum aliquem ad Pilatum misisse ut illum convenirent. Qui quidem tametsi ab illis pro prophano usque eo habitus sit, ut vel ædes suas intrare renuerint: tamen hanc in se injuriam non persequitur, sed humaniter illos accedit, qui religione ne eum accederent prohiberi se existimarunt. Vbi in Ethnico & prophano homine, singularis æquitas & facilitas se aliis accommodandi apparet; & nos illis dimittamus, maxime cum religionis opinione ne quid faciant ducantur. Vide *Rom. cap.* 14, *vers.* 23. Quamobrem, Magistratus officium est, in rebus his quibus subditi paulo superstitiosiores sunt, se illis accomodare. Vers. 29. *Pilati humanitas,*

Ex vinculis & captivitate Christum capitalis criminis in judicium tractum esse, sine Principum & Sacerdotum indicio poterat cognosci: sed ipse ilico justi judicis officium sequutus de causa mortis interrogat; perinde ac si diceret: Tametsi magno numero adsitis, & iidem autoritate valentes, tametsi etiam videam ex his vinculis vos istum pro jure condemnatum habere: tamen velim intelligatis me non posse sententiam adversus eum dicere nisi gravem aliquam causam subesse intellexero. Vide *Act.* 23, 30. & 25, 16, 27. quanto igitur pudori est Christianis Magistratibus, alicujus in gratiam aliquem damnare, aut illius in odium de rei crimine nolle cognoscere. *Iustitia.*

Responsum simul & injustum est & superbum. Volunt enim sibi in re tanta, inaudita causa, fidem haberi. Atque ita justitiam & jus omne conculcant, qui in Deum perfidiosi sunt. *Roman.* 1, 29. Nam non nisi re penitus cognita & perspecta, sententia ferenda est. Hinc Salomoni interdictus est vini prolixior usus. Quod quidem, ut in omnibus etiam βιωτικοῖς, sic maxime in capitalibus, æqua lance, omnia libranda sunt & justissima pondera adhibenda. Neque enim fidejussoria securitas hic secura & tuta est, quantalibet pietate sint, qui sponsionem adhibent. Merces quantumvis pretiosas licet equidem nobis aliorum fidei subnixis accipere; sed justi- Vers. 30. *Multitudinis responsum iniquum.*

tiæ merx excellentior est, quam ut ullius in in ea responsionem admittamus, nisi re explorata.

Religio nisi penitus discussa, non admittenda.

Cum autem indignum sit jus ex alterius commendatione amplecti, re non disceptata; nedum absurdum fuerit religionem admittere, quæ non est penitus discussa & rationibus firmis & indubitatis dijudicata; in quo tamen homines crasse impingunt. Vide *Act.* 17,22,23. *&c.*

Papæ superbia.

Superbiam autem hanc non imitatur, sed multis parasangis superat *Pontificis Romani* fastus, quo ita turget ut in judicium suum ne tum quidem vel inquiri æque ferat, cum infinitam animarum multitudinem in barathrum detruserit.

Vers. 31, 32.

Pilati injustitiæ Iudæorum suggillatio.

Accipite eum vos, &c.] Quasi dicat, si vobis tam constat de hujus causæ veritate, quin igitur ipsi de eo sententiam dicite, & supplicium de eo sumite; quod ipse facere nolo nisi de rei veritate penitus constet. Atque hoc modo eorum injustitiam suggillat, dum causæ judicium ad eos defert, penes quos illud non esse probe cognoverat. Ac si diceret, tam vobis licet de eo supplicium sumere, quibus nulla hoc faciendi potestas facta est, quam mihi, qui ejus rei potestatem habens, causam tamen non cognosco.

Summa populi potestas divini favoris signum.

Hic observandum Deum iratum Iudæis, illis judiciorum paulo graviorum jus & potestatem abstulisse, ut hac plaga tanquam prænuncia & anteambulone sibi viam sterneret ad totius Gentis summam & severissimam ultionem, dum ad labefactæ reipub. deformitatem simul etiam Ecclesiæ vastitatem & eversionem importaret. Atque hoc modo sceptrum è Iudæ manibus (ex Iacobi prædictione) excuti & extorqueri cœpit, dum virgæ, fasces, secures, aut gladius illis amplius præferri desierint. Est igitur ad fontem liberalitatis divinæ referendum, cum Deus populo juris omni modo exercendi potestatem facit. Contra etiam iræ divinæ signum & indicium est, cum extranei juris apud nos dicendi & exercendi potestatem ad se devolutam habent. Cujus quidem causa non alia existimanda est ex *Ier.* 22, 5, 6, *&c.* quam quod Iudæi jus & æquitatem perverterant, & per fas nefasq; omnia humana miscuerant, quod pauperem in judicio oppresserant, peregrino, viduæ & pupillo jus non dixerant. Atque ut per se grave est Dei populum alieno jugo & judicio premi: sic pœnæ acerbitatem auget quod Civilis juris è medio sublatio & ad alienigenas translatio, regni etiam cœlorum & juris divini non ita multo post auferendi interminationem continebat.

Pontificiorum in patriam ἀστοργία.

Quo est *Pontificiorum* detestabilior in patriam *ἀστοργία* & animorum abjectio, qui hujus regni sceptrum & Tribunal ad externam gentem, Hispanicam præsertim, traducere cupiunt, tanquam cordi illis esset exterorum & quidem sevissimæ gentis imperium. Sperant quidem se rerum sub illo potitos jus dicturos. Sed stulte hoc sibi persuadent, præsertim cum non tantum ratione, sed quotidianis experimentis edocentur tam *Pontificios* quam *Euangelicos* omni jure & autoritate paulo majori exarmari, nec rerum summam non nisi Hispanis permitti in Indiis & inferiore Germania, atque tam *Pontificium* quam *Euangelicum* expilari & bonis exui.

Hoc etiam oppidis Prætorio jure præditis documento sit, ut jus & æquitatem colant, ne, &c. Crucis scandalum & ignomina hoc pacto destinatur, quod Deus sic fore prędixerat.

Rerumpub. eversarum finis.

Deinde *notandum* est Rerumpub. eversiones & vicissitudines omnes Dei fidei & veritati probandæ inservire, & simul ad electorum bonum & fęlicitatem tanquam ad suum finem referri. Hoc modo enim impletum est quod de Christo Cruci suffigendo prædictum est, cum cæteroquin Christo lapidibus obruto Dei de Christi morte fides intercidisset.

Tempus & genus mortis prædefinita.

Ex quo illud *liquet,* quod magnam consolationem habet, ut tempus mortis, ita etiam genus mortis à Deo omnibus præstitutum esse, tametsi non sit prædictum: atque ut fieri nequit, ut ante illum diem aut etiam momentum mortem oppetamus; ita neque fieri posse, ut alio genere mortis pereamus quam quod à Deo præfinitum est. Qui igitur morbo in lecto moriturus destinatur, is violenta morte non extinguetur, qui uno genere violentæ mortis Dei decreto opprimendus præfinitur, is ut alio extinguatur nullo conatu suo efficere queat. Vere igitur illud Proverbio dicitur, *eum qui suspendio vitam finire destinatus est, nunquam posse aquis mergi.* Et mirum est eandem doctrinam communi omnium Proverbio celebratam valde placere, quæ ex verbo Dei & Sacra Scriptura proposita magnopere displicet & exosa est. Nam Proverbium quod jactatur *conjugium & suspendium prædestinatione definiri:* item hoc, quod prius citavi, omnium calculis comprobatum est. Cum tamẽ eadem doctrina ex verbo Dei proponitur, ab omnibus improbatur & convitiatorie repellitur

repellitur *Actor.* 15, 18. *omnia Dei opera sibi ab omni antiquitate cognita sunt & præscita.* Hoc porro confirmatur genere mortis, quo Deus improbos sæpe afficit, quod ejusmodi est ut flagitium admissum maxima affinitate attingat; ut supplicio scelus admissum veluti insculptum certas. Nec tamen idcirco Deus tentandus erit, ut nos in pericula præcipitemus, sed caute conversandum est; ut videmus Christum ipsum fecisse: declinavit enim lapidem jactum & præcipitium ex rupe, tametsi sciret fieri non potuisse, ut alio mortis genere periret, quam crucis. Sed tamen hoc commodi habet, ut nos in legitima vocatione & præscripto tramite contineat atque corroboret. Vt Christum confirmavit ne à Galilæa discederet metu Herodis, antequam præfinitum à Deo officium explevisset, quod non nisi Ierosolymis opprimendus fuerat: quod etiam *docet* non tantum tempus & genus, sed & locum mortis præstitutum à Deo mutari non posse *Luc.* 23, 1, 2.

Lvc. vers. 2. Falsa accusatio Christi. Hic inserendus est versus secundus apud *Lucam*, in quo Christus pervertendi populum, avertendi à Cæsare tributum, sive Regium nomen vendicandi reus agitur. Sed non peragitur tamen. Nam ex illa accusatione Pilatus sequentem quæstionem proponit. Vbi *primum notetur* non tantum falsitas accusationis, sed etiam quod nulla veritatis verisimilitudine perfunditur, imo ejus contrarium verissimum existit. Nec enim populum pervertebat, sed à perversis eorum & tortuosis viis depulsos ad rectas & æquas semitas convertebat: disertis verbis etiam confirmaverat, quæ Cæsaris sunt Cæsari reddenda omnia. Et expetitus & exquisitus ad regnum Iudaicum administrandum sese abdidit & subduxit. Ne quenquam nimis molestum habeat falso accusari, cum, &c. Nec illos pigeat dependere, quod non debent: restituere, quod non abstulerunt, aut eorum insimulari, quæ non modo non admiserunt, sed non per somnium cogitarunt. Si enim Christus, in quo non modo nullum crimen nec criminis levissima species, sed nec abditissima de peccato cogitatio, tantorum scelerum accusetur, non est inique ferendum, &c.

Et in ea hypocrisis. *Secundo*, hoc loco *observetur*, eos non tantum falsum dicere, sed cum falsitate & mendacio hypocrisin conjunxisse: ut cum fere fiat ut vera & justa per hypocrisin gerantur, hi cum injustitia & falsitate hypocrisin adjunxerint. Nam ejus rei Christum accusabant, quam illi vel maxime accidere præoptabant, ut nec Cæsari tributum redderetur & ut Iudæus aliquis exoriretur, qui Cæsari reipub. gubernacula eriperet. Perinde enim faciunt ac remiges, qui antrosum respicientes, retrorsum tamen navem remis impellunt. Vnde *Act. 16, vers.* 17. Hujus generis plerique apud nos inveniuntur, qui ad tribunalia pios Ministros pertrahunt per speciem studii erga Principem Elizabetham, & studio legum ejus; qui tamen Principem extinctam & leges antiquatas & rescissas cupiunt, & aliam Mariam habeant, quæ Euangelium loco moveat. Atque hi sunt, qui si legem, vel levissimam speciem animadvertant aliquid tuendi, quod olim in *Papatu* obtinuit, illico illam arripiunt, apertissimas leges silentio prætereuntes, quæ *Papatus* monumenta convellunt.

Iohan. vers. 33. Quod Christus vocatus Prætorii ingressum non detrectat Iudæorum inscitiam & hypocrisin prodit: nec enim nisi coactus ingressus fuisset, si ingredi piaculum fuisset.

Vers. 34. In Christi responso Pilatus injustitiæ accusatus. Christus dissimulans divinam suam naturam de intentatis adversus se a Iudæis criminibus, Pilatum se interrogantem an esset rex Iudæorum, interrogat an hanc quæstionem sua suspicione, an aliorum indicio proponat. Eumque tantum insimulat judicii & æquitatis violatæ. Perinde ac si diceret: Si ex te hoc facis iniquum est te simul & testem & judicem agere: præsertim cum non noscas, nec ullis meis aut sermonibus aut concionibus interfueris: sin aliorum judicio me examines, injuriam facis, qui testes coram non sistis, quo commodius objectis criminationibus respondeam. Vide hujus rei æquitatem *Act.* 23, 30, 35. maxime vero *cap.* 25, *vers.* 16. Hinc constat quænam æquitas vigere debeat inter Christianos. Nec tamen ideo sequitur in privatis admonitionibus semper coram sistendum, aut etiam judicio prodendum eum, qui alterum insimulavit; unde admonitionis occasionem dedit; sed ad condemnationem nec civilem, nec Ecclesiasticam progrediendum erit, nisi testibus coram adductis. Sed, &c.

Vers. 35. Impii peccata confiteri recusant. Pilatus paulo commotior factus, respondit, non ex se, sed ex Iudæorum indicio & accusatione dicere, atque adeo inter Iudæos indicio principum, quorum fides sacrosancta apud Iudæos (ex quibus Christus oriundus erat.) Vbi *notandum* impios quandoque pro defensione & patrocinio sui afferre, quod ipsi tanquam iniquum & injustum censuerunt, & palam

palam prædicant ; quidvis ut dicere malint, quam in quo ab illis peccatum sit, confiteri.

Vers.36. *Regni cœlestis & mundani discrimen.* Christus quoniam regni multiplex acceptio sit, & Iudæi illius generis usurpati regni Christum insimularant, quod ipse sibi non solum non vendicarat, sed delatum & veluti obtrusum recusarat ; ideo regnum distinguit, tecte confirmans se quidem regem esse, & regnum & sceptrum sortitum ; sed quod sit toto genere à Cæsaris regno diversum & dissociatum. Regnum enim terrenum à cœlesti distinguitur multis & pæne infinitis divortiis. Ibi enim rex mortalis est, qui hic æternus Dei Filius existit : ibi subjectio externa, quæ foris justa habetur, satisfaciat regi ; hic non item : ibi leges conscientias non constringunt, quod hic faciunt : illud curribus, equis, & alio apparatu administratur ; hoc in speciem humile & abjectum est, re tamen & ἐνεργείᾳ potens per Spiritum Sanctum, ait Zacharias. Ibi commoda hujus vitæ procurantur & hujus vitæ tranquillitas ; hic vero æterna bona & pax conscientiæ. Hoc ad nostra accommodetur ad refellendam Ecclesiæ gubernationem, quæ in *Papatu* locum obtinens, & adhuc etiam permanens apud quosdam Euangelicos nostros cum primis tenetur.

Hinc intelligitur vanus timor, & zelotypia Magistratuum & Regum, qui in gubernatione Ecclesiæ & Christi regno sua regna peti & sua privilegia violari autumant. Vide plura *Matth.2.*

Hinc etiam *refelluntur* nostrorum errores, qui existimant Christi regnum imbecillum & abjectum, nisi externam pompam & civilem gladium sibi adjunctum habeat: existimantque ministerium Ecclesiæ elumbe & enervum fore, nisi magno apparatu & autoritate civili, tanquam necessario apparatu & subsidio, fulciatur. Vide historiam equitantis Christi Hierosolymam, quam plenus dignitatis fuit, cum fuerit specie externa abjectissimus. *Ier.1,10. 2 Cor.10,3,4,5,6.* Atque hæc cum potentia fuerint & valida cum nullus in Ecclesia Magistratus Christianus extiterit, pudere eos debet dicere nunc invalida esse, cum civili auctoritate armati ipsi sint.

Pontificis iniquitas. Hoc etiam adversus *Pontificem* facit, qui quod verbo nequit, viribus & armis tentat ; quod Petri clavibus nequit, Pauli gladio, id est, gladio Cæsaris, quem Paulus docet, perficere nititur ; imo vero gladio illicito subditorum, quem cum Petrus, tum Paulus distringi vetant.

Hujus rei rationem affert quod Ministri ejus Angeli eum non vindicant ab improborum hominum vi & impressione, quod certe facerent, si, &c. Idem & nos cogitemus, quo nos adversus hanc tentationem armemus, quæ animum nostrum subintrare parata est ; quod periclitantibus pro veritate, alicunde aut divinitus, aut humanitus subsidia non suppeditantur, quibus à præsenti morte liberemur: judicare quidem poterant, ut Christus ipse professus est, an nescis quod rogans, &c. *Matth.26,53.* Et quidem hoc fecit in Iacobo adversus Esavum, in Elisæo adversus Syros, in Petro adversus Herodem ; idem præstiturus quoties expedierit. Vnde de Abraham, Isaac, &c. dicitur, reges eorum causa coërcitos fuisse. *Quid in afflictionibus, ubi nulla suppetunt subsidia, cogitandum.*

Deinde *notandum* nos subrustico quodam pudore non debere veritatem inficiari, ut hominibus consuetum est, ne scilicet inanis gloriæ avidi videantur.

Consolationem habet Pios omnes Regem habere, qui illos & vult & servare potest : sicut terrorem quod impios & rebelles perdet.

Occupatione anticipat quod objici illi poterat, & quod olim illi semel atque iterum Iudæi opposuerant : nempe suum de se testimonium suspectum esse, & fidem non promereri. Hinc enim tantæ objectioni occurrit: quod ad hoc natus sit, ut veritati testimonium reddat, sive illud suo aut commodo, aut incommodo, laude aut vituperio fiat. Vide *Iohan.8,55.* Hoc etiam de piis omnibus vere dici potest, nos ad hoc natos esse ut veritatis testimonio Deum glorificemus, hominibus utiles simus : tametsi non pari ratione, ut subrusticus quidam pudor nos ipsos laudandi, cum Dei gloria & vocatio nostra postulant, impedire non debeat quo minus quod verum est dicamus. Atque huc pertinet Salomonis celebre dictum, *noli esse nimium justus.* Verum quidem est illud etiam Salomonis dictum *laudent te aliena labia : non propria :* Sed, &c. Est autem insignis stimulus, quo ad veritatem dicendam perpellamur, cum reputaverimus nos ad hoc natos esse ut, &c. Homines enim libenter ea amplexantur ad quæ nati sunt, & ægre ab illis avelluntur : ut qui ad amplum patrimonium hereditate possidendum nati sunt, vel ad honorem, citius vitam cum morte commutabunt quam ut sibi illa Vers.37. *Christus ad veritatem dicendam natus ; ut & pii omnes.*

illa adimi patiantur: cum igitur, &c. Atque eodem momento rationis, quod ad veritati dicendum testimonium natus est, ad eandem testificandam etiam educatus est, ad honorem (si quo utatur) evectus est. Atque non tantum hoc ad veritatem dicendam accommodatur, sed ad alias omnes veritates exercendas transferri potest.

Christi labor in veritate dicenda non inanis.

Quisquis est ex veritate, &c.] Alia anthupophora, qua aliam objectionem tacitam antevertit: excipere enim poterat Pilatus, Christum nulla magna verisimilitudine veritati testimonium dicere, cum nullus ei fidem prope habeat; aut certe irritum ejus esse & inanem laborem, quem insumit in veritatis testimonio. Hinc Christus respondet, fidem non abrogari veritati hoc modo, cum vitium non sit in veritate, sed in hominum vanitate, qui veritatem odio habent: deinde etiam operam & oleum non perdi, quandoquidem qui ex veritate sunt, veritati acquiescant.

Quid sit esse ex veritate.

Esse ex veritate est idem, atque filium esse veritatis, id est, ad accipiendam veritatem destinatum. Similis loquendi ratio est *Ioh.* 8, 46, 47. *qui ex Deo est, verbum Dei audit.* de qua re vide in illum locum adnotatata. Similis item loquendi ratio est. *Ioh.* 6, 65.

Quid audire veritatem.

Audire autem *veritatem* est, non tantum exterius auribus audire, sed illi auscultare & illi obedire; cujus generis auditores sunt illi quorum aures Deus terebrat. *Psal.* 40, 6, 7.

Vers. 38. *Frigidum veritatis studium.*

Notandum hoc loco frigidum studium veritatis agnoscendæ, quod passim obtinet. De veritate enim quærunt, parum solliciti an illam intelligant necne. Confer hunc locum cum eo qui est 1 *Samuel.* ubi Saul jubet Dei oraculum consuli, & ante acceptum responsum in aciem copias educit. Hæc etiam accommodentur.

Notandum vero hic est, quod præcipuum est, nempe Christi innocentiam ab ipso iniquo judice hic defensam fuisse, &c.

Deinde consolari Ministrum debet, quod venient qui sunt ex veritate, quæcunque obstacula objiciantur.

Hic opportune de Christi deportatione à loco in locum & à foro in forum dici potest: vide 1 *Cor.* 4, 9.

LVC. *cap.* 23, *à vers.* 5, *ad* 13.

5 *At illi invalescebant, dicentes; Concitat populum, docens per universam Iudæam, exorsus à Galilæa huc usque.*

6 *Pilatus vero, audita Galilæa interrogavit num homo iste Galilæus esset.*

7 *Et quum cognovisset eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per eos dies.*

8 *Herodes autem viso IESV, gavisus est valde: nam à multo* tempore *cupiebat eum videre, eo quod audivisset multa de eo: & speraret se signum aliquod visurum ab eo fieri.*

9 *Interrogavit autem eum multo sermone: sed ipse nihil ei respondit.*

10 *Adstabant autem primarii Sacerdotes & Scribæ, magna contentione eum accusantes.*

11 *Herodes autem cum militibus suis, quum eum pro nihilo habuisset, & illusisset ei; amictum veste splendida remisit ad Pilatum.*

12 *Et facti sunt amici inter sese Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inimici erant inter sese.*

ANALYSIS.

ADjunctum absolutionis Christi Pilati sententia est importunior Iudæorum accusatio adversus Christum: forma accusationis amplificatur subjecto loco, nempe à Galilæa Hierosolymam usque.

Vers. 6. Hujus accusationis effectum est quæstio Pilati, an esset Galilæus.

Vers. 7. Cujus quæstionis effectum est, quod intellexit Iesum ad Herodis ditionem pertinere; ejusque effectum est, quod illum misit ad Herodem; quod sua occasione arguitur, quia Herodes tum forte Hierosolymam diverterat.

Vers. 8. Hujus missionis adjunctum est Herodis insigne gaudium; quod causa efficiente declaratur, quia illum videre longe prius expetiverat: quod suo efficiente arguitur, quia multa de illo audiverat; item suo fine, quod sperabat fore ut in gratiam suam aliquod miraculum coram & in conspectu ederet.

Vers. 9. Alium finem studii Christum videndi notat,

notat, ut multa ab illo percunctaretur; quod & fecisse testatur Euangelista. Cujus percunctationis adjunctum est Christi ad omnia altum silentium.

Vers. 10. Aliud adjunctum missionis Iesu ad Herodem, quod principes Sacerdotum & Scribarum illuc convolantes Iesum accusarunt; quod etiam adjuncta contentione amplificatur.

Vers. 11. Adjunctum silentii Christi est contemptus & ludificatio Herodis & militum ejus; item quod indutum veste splendida iterum Iesum ad Pilatum remisit.

Vers. 12. Effectum hujus missionis aliud est quod Pilatus & Herodes reconciliati sunt; quod suo adverso illustratur, quia prius inimicitias exercebant.

METAPHRASIS.

5. *Tantum abfuit ut principes Sacerdotum & populus audita Pilati sententia de Christi innocentia, aliquid de furore in Iesum remitterent, ut intentius illum accusarent, illum seditiosa doctrina insimulantes, quam per totam Iudæam (initio sumpto à Galilæa regione ad rebellionem propensa) disseminaverat.*

6. *Pilatus audita Galilæa mentione, an Patria*
7. *Galilæus esset percunctatus est. Cum vero intellexisset Iesum ad Herodis ditionem pertinere, cupiens hinc se ex hoc negotio extricare, istinc Herodis gratiam conciliare, ad Herodem eum transmisit. Dei vero singulari providentia factum est, quod Herodes Paschatis celebrandi causa Hierosolyma advenerat, ne si longius abesset, Christus die passioni à Deo destinato & per Prophetam Danielem prædicto suam mortem non obivisset: sine cujus præcisa & accurata observatione Servator no-*
8. *ster agnosci non potuit, nec debuit. Herodes cum Iesum vidisset, oppido gavisus est: prurritu etenim & curiositate quadam animi nova & rara videndi & audiendi à multo tempore Iesum videre expetiverat, quod multis præclare ab illo facinoribus gestis (sicut fama acceperat) in spem venit fore, ut aliquod miraculum à se præscriptum & postulatum coram in suam*
9. *gratiam ederet. Quamobrem multis quæstionibus certatim propositis, Iesus (prout discipulos docuerat ne sanctum canibus projicerent)*
10. *nullum prorsus responsum reddit. Ad Herodis porro aulam una cum Christo convenerant Pharisæi & scribæ, qui Iesum acrius quam ante & contentissime apud Herodem criminati*
11. *sunt: sed ne sic quidem Herodes vel verbulum à Iesu extorquere potuit. Herodes vero se à Iesu spretum hoc silentio existimans eum ludificatus, militibus suis ut idem facerent exemplo suo perpulit. Quo non contentus illum tanquam morionem splendida veste amictum*
12. *ad Pilatum remisit. Atque illo ipso die ob hoc studium gratificandi Herodi Pilatus, quocum Herodes prius inimicitias exercuerat, in gratiam cum illo redit.*

PRAXIS.

Summa, Christo à Pilato ad Herodem gratificationis causa misso, & post omne genus ludibrii rursus ad Pilatum ab Herode remisso, uterque Pilatus & Herodes, deposita veteri inter eos inimicitia, invicem conciliantur & in gratiam redeunt.

Partes sunt, { Christi à Pilato ad Herodem, & rursus ab Herode ad Pilatum missio. | Reconciliata inter Principes gratia. }

Hoc loco ingenium reproborum describitur, qui repagulis & obstaculis improbitati suæ objectis, acrius & incitatius in cœpto scelere pergunt, & illis obnituntur. Debebat enim illos movere quod paganus & Iudaicæ nationis hostis, idemque Cæsareæ majestatis studiosissimus, illum ab objectis criminibus absolveret. Tametsi enim impia consilia cœpissent, & illis diutius institissent, nunc tamen, &c. Sed tanquam effrænes & cataphracti equi in bellum irruentes sisti nequeunt, & tanquam aquarum rapidissimus cursus, qui ad objectos obices & obstacula magis insolescunt & impetuosius feruntur, atque ut calx, quo magis restinguitur eo accenditur magis, tamquam oleum infunderetur. Neque verosimile fit eos centum hujusmodi obstaculis à suis consiliis depelli aut detrudi potuisse: quod liquet adhuc magis dum pro temporis progressu crescit adhuc eorum rabies, ut ex *vers.* 10. liquet. Atque ut pondus adderent suæ criminationi, dicunt illum per totam Iudææ provinciam, populum ad seditionem impulisse: hoc pacto indicantes, quantum periculum Cæsareæ Majestati incumbat ex Christi Ministerio. Ac si dicerent; siquidem in una aut altera duntaxat urbe aut oppido hoc fecisset, equidem ferendum magis esset; sed cum, &c. Videmus hanc esse pervetustam calumniam, qua Euangelium, & Euangelicos gravant, seditionis & tumultus illos insimulantes. Sic in omnes partes se vertunt hostes: blasphemiæ eum damnarunt: quo nomine cum parum infensum Pilato Christum fore animadvertissent, illa causa deserta, quæ unica speciem criminis habebat, transeunt ad calumniam hanc de Repub. turbanda. Apud *Danielem* 6. videmus primum hostes Danielis in illud incubuisse,

Vers. 5. *Reproborum ingenium.*

buisse, ut illum in publici muneris administratione deprehenderent: id cum non assequuntur, ad religionis causam confugiunt: Hic contra fit. Nam à religionis causa ad civilem transvolant. Quod tanto indignius erat, quo hi rebus sacris præfecti singulari religionis cura duci debebant. Nominatim Galilæam urgent, quod ad seditiones proclivis esset, unde oriundus erat Iudas, de quo *Act*.5. item ut quidam putant Theudas; unde etiam erat quod Galilæorum sanguinem cum sanguine sacrificiorum Pilatus miscuerat.

Quam autem impudens mendacium hoc extitit, facile cognoscitur, cum nusquam hoc fecerit, quod passim ab illo factitatum prædicant. ut nos non moveat, si calumniis impiorum hominum nos Deus exponat, nec possimus dentatum impiorum aut stylum, aut linguam effugere.

Vers.6,7. *Causæ Christi ad Herodem missi.*

Causæ Christi ad Herodem mittendi duorum generum sunt: { Hæc simulata / Istæ veræ.

Simulata causa, quam Pilatus præ se tulit, est quod sub ditione Herodis ageret, & quod initium intentati criminis ibi cœptum sit. Quod certe si verum fuisset, justa translationis litis causa fuisset: æquum enim est ibi causam definiri ubi gesta est; quod non minus, atque adeo magis in rebus Ecclesiasticis locum habet. Veræ causæ, sed eædem injustæ, extiterunt, partim ut Herodi gratificaretur, partim etiam ut se difficultatibus exemeret: quas sibi ex hac condemnatione metuebat.

Tribunalia impiorum ipsis inserviunt.

Hic videmus improborum Tribunalia ad sua commoda accommodari, sibi inservire, quæ tamen Dei gloriæ & Reipublicæ inservire debent. Sic *Act*.24. Festus Iudæis gratificaturus Paulum à Cæsaris foro Hierosolyma traducere voluit. Sic sacratissimum Dei tribunal in mercatum aut nundinationem transfertur. Sic aureum Sceptrum in plumbeum convertitur. Sic aureum cingulum, quo Iudices cingi oportet (*Apoc*. 1.) disrumpitur. Sic ut *Isai*.1. argentum in scoriam vertitur, vinum generosum aqua non diluitur, sed corrumpitur.

Impii dum sibi consulunt, aliis prodesse videri volunt.

Deinde *notandum* est, hominum hujus seculi artificium, qui dum aliis gratificari videri volunt, sibimetipsis vel maxime consulunt; imo vero qui dum aliis nocituros se sibi persuadent, tamen suum studium aut beneficium ostentant. Apparet enim Pilatum perplexum fuisse, hinc ne horribile judicium Dei cœlitus in se devocaret, istinc vero ne Iudæorum offensionem incurreret, aut Cæsaris potius, cujus causam Iudæi agere videri volebant, ingratus foret.

In hac autem Christi missione potissimum consíderandum proponitur, quomodo Christus Dei Filius vinculis peccatorum nostrorum illigatus huc illuc circumducitur, sicut solent captivi in bello currui victoris alligati per civitatem circumduci. Atque hoc modo non uno tantum theatro contenti sunt, in quo illum spectandum proponunt, sed ad principes quosque tanquam in editissimos montes, ubi maxima frequentia & corona spectari potuit, eum traducunt, ut simul prius coram duobus Iudicibus Ecclesiasticis, nunc duobus Iudicibus politicis sisteretur. Quorum Herodes etiam tunc temporis singulari Dei providentia Hierosolymis interfuit, ne Christi mors ultra tempus à Prophetis & à se præstitutum extraheretur. Occasio autem illius adventus videtur fuisse Paschatis celebratio. *Christus tanquam in triumphum ductus.*

Est equidem hominum naturæ insitum, ut rerum novarum & admirandarum videndarum desiderio ducantur: ut mirum non sit, si hic impius Tyrannus eodem desiderio tenebatur. Nec tantum videre voluit, sed illum porro audire & spectare aliquid miraculi, quod potissimum expeteret. Sic impii plerique hac ætate cupiunt videre & audire eos de quibus magni aliquid audiverint & concionibus quandoque tanquam cantionibus capiuntur. Ne quis sibi imponat, si, &c. Sed eorum oratio eorum nequitiam prodit, cum sæpe aperte profiteri eos non pudet se animi sui causa illos videre aut audire velle, Pii etiam magno studio videndi tenentur, ut ex Zachæo patet, & *Rom*. 1. Sed plurimum interest inter hos & illos: nam hi viso & audito Dei servo, majori desiderio videndi & audiendi capiuntur, ut *Act*. 20. male Ecclesiam habebat, quod amplius eum videre non poterant. Deinde pii nulli labori parcunt, aut honori suo, aut sumtibus, aut precibus, ut eos videant per quos proficiunt, ut in Zachæo videmus, qui honoris & principatus sui oblitus currit & arborem scandit; & in Paulo; qui precibus à Deo contendit, &c. Hic autem tametsi valde Christum videre cupiebat, ut ex magno gaudio liquet quod inde accepit; tamen existimabat parum sibi aut honorificum aut tutum esse Christum accedere, &c. (quem Regina Sabæ damnavit) & semel visum, post contemptui habebat, Vers.8. *Impiorum curiositas.*

bat : quod & in reprobis aliis usu venire solet. Atque sunt ex nostris curiosuli, qui *Pontificios* etiam audire cupiunt, tametsi eos hæreticos esse sciant, quod aliquando Deus defectione horribili puniet.

Vers. 9. *Sanctum canibus non dandum.* Quod Christus responso Tyrannum non dignatur, sicut etiam coram Anna eum fecisse verisimile idcirco est, quod nulla ipsius verba ab Euangelista referuntur, id egregiam *doctrinam* continet. Nempe doctrinam Euangelii, Sacramenta, aut disciplinam, aut preces non esse gratiæ aut timori alicujus permit tenda, quantuscumque sit. Hoc enim fidelis servi est: cujus eximium exemplum extat in Elisa, qui à tribus regibus accersitus profitetur se prorsus miraculum nullum editurum, unde illis de potu prospiceretur, nisi prius Rex Iehoshaphatus ibi adfuisset. Huc spectat laus Levi, qui parentum suorum rationem non habuit. Herodes enim sibi persuaserat fore ut aut dignitatis suæ causa, aut ut Christus se judicio expediret, ea dicturus & facturus esset: quæ, &c.

Vers. 10, & 11. *Humani ingenii inconstantia.* Quod tam subito ex admiratione, atque quod magis est metu, (ut apparet ex *Marc.* 6.) in contemtum dilapsus sit, miram humani ingenii vanitatem & inconstantiam arguit, qui levissimo temporis spatio in tam contrarios affectus impelluntur, idque nullo momento rationis. Nihil enim viderat quod jure contemtum moveret; potius quod majorem Christi admiratioñe concitaret, quod illa magnanimitate animi esset, ut nihil Principis & Iudicis gratiæ concederet : vnde & Pilatus eum admiratus dicitur : quod etiam magis admirandum quod nullis Sacerdotum accusationibus hoc facere adduceretur. Sed quia illum captivum & calamitosum videbant, ideo, &c. Sic etiam sunt, qui Ministros plurimi faciunt, donec veritatis causa affligantur, quod illorum amorem & studium etiam accendere debebat.

Deinde etiam quo genere contemtus eum despicatus est subjecit, quod pro morione illum habere voluit, cum verbis tum factis, dum eum purpura induit. Quem etiam contemtum amplificat Euangelista, quod nullam Sacerdotum eum criminantium rationem habuit. Sicut fit ut in insanis & morionibus nullum capitale judicium exerceatur, quod mentis compotes non sint. Hic *reputandum*, eum qui est Patris sapientia, pro fatuo habitũ, eum qui solus Rex regum est pro persona to Rege habitum. Quod autem nequiter & malevole fecerunt isti Christum purpura induentes, id studio quidem & amore in Christum, sed perverso & inconsulto, fecerunt principes Christiani, qui Episcopos Dominos constituerunt, & immodice locupletarunt : unde Christi religio, quæ hoc modo honorari quæsita est, in contemtum venit. *Christus pro morione habitus.*

Sequitur pars altera : ubi notatur hostes Ecclesiæ à se invicem divulsos Christi odio conciliari; ut & in Pharisæis & Saducæis cernitur, qui adversus Christum commeant : item in discipulis Pharisæorum & Iohannis. Vers. 12. *Ecclesiæ hostes Christi odio reconciliantur.*

Notandum porro quomodo Herodi tametsi vafro & callido à Pilato imponitur, qui hic beneficium Pilati agnoscit, quod Pilatus ut sibi prospiceret fecit ; imo quod Pilatus ideo fecit ut invidiam hujus causæ in illum devolveret. Sic fit quod Proverbio dicitur, *cæcum multas muscas deglutire*.

LVC. *cap.* 23, *à vers.* 13, *ad* 18.

13 *Pilatus vero, convocatis primariis Sacerdotibus & primoribus ac populo,*

14 *Dixit eis; Obtulistis mihi hunc hominem, tanquam avertentem populum : & ecce, ego in vestri conspectu quæstione habita, nullam noxam inveni in homine isto, ex iis de quibus accusatis eum.*

15 *Sed ne Herodes quidem : nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte factum est ab eo.*

16 *Castigatum ergo eum dimittam.*

17 *Necesse autem habebat dimittere eis singulis festis unum* quempiam.

ANALYSIS.

Pilati effectum proponitur, convocatio: quæ distributione subjectorum declaratur, principum populi Ecclesiasticorum & civilium.

Vers. 14. Finis hujus convocationis notatur, ut Christum innocentem pronunciaret: quod suo diverso amplificat ; tametsi accusatus fuerat seditionis excitatæ : item ab adjuncta diligenti ejus examinatione: præterea comparatione majoris, tantum abesse ut sit reus eorum quorum accusatur, ut ne vel reus peractus sit.

Vers. 15. Hoc confirmat à testimonio Herodis, qui

qui illum remisit nullum capitale crimen Christo impingens.

Vers. 16. A distributione pœnarum maleficis impositarum concludit virgis cædendum syllogismo disjuncto: si reus est, aut mortem aut virgas promeretur: mortem non meretur: ergo virgis cædendus.

Vers. 17. Alio argumento, testimonio consuetudinis conatur Christum morte eximere.

METAPHRASIS.

13. *Pilatus ut omnibus ordinibus satisfaceret, tum etiam quod populum & principes reipublicæ æquiores & moderatiores fore putabat sacerdotibus, quos invidia motos Christum detulisse cognoverat, cum sacerdotibus populum*
14. *etiam & reip. proceres coëgit. Ad quos coactos dixit: Hunc hominem detulistis tanquam populum ab obsequio Cæsaris abducentem & ad seditionem concitantem: considerate vero & iterum atque iterum cum animis vestris reputate me accurate eum (vobis spectantibus) excutientem & sollicite examinantem, nihil in hoc homine invenisse dignum mortis supplicio,*
15. *quo illum teneri obtenditis. Sed neque Herodes vestræ legis & rituum non ignarus (ad quem cum illo vos misi) aliter sentire comperitur: qui utcumque ludibrio dignum existimet, nihil tamen fecit, quo mortis reum vel mini-*
16. *mo indicio significaret. Quamobrem cum illum tanquam levioris delicti reum castigavero, illum infamem & capite veluti diminutum di-*
17 *mittam. Consuetudine vero tanquam tyranno, necessitas illi incumbebat, ut festo Paschatis ad memoriam liberationis ex Ægypto conservandam, captivum aliquem sontem ad illorum petitionem dimitteret.*

PRAXIS.

Summa, Pilati ad Christum à capitali crimine absolvendum studium.

Partes sunt, { instrumenta ad eam rem externa, } Licita. / Illicita.

Vers. 13. *Impii quo sublimiores eo deteriores.* Quod non tantum summos Sacerdotes cogit, ut quid factum sit ad eos referat, sed simul & civiles principes & plebem coactos in suffragium mittit, ut quid Christo fieri velint expiscaretur, id hoc consilio factum putandum est, quod majorem ab his erga Christum æquitatem sibi pollicitus est, quam ab illis, scilicet Sacerdotibus. Videbimus enim post, Pilatum probe intellexisse principes Sacerdotes invidia suffusos Christum accusasse, & ad supplicium postulasse: ut vere hic dicere liceret, quod per Prophetam Esaiam dixit Dominus, *quis cæcus nisi servus meus, aut surdus sicut nuncius meus.* Quod nos admonet, homines, quo editiore loco à Deo constituti sunt, eo deteriores evadere, & omni scelere præter cæteros cooperiri, nisi si fidem & scientiam rerum bonarum, quas percepere, bona conscientia tanquam arcula inclusam gerant. Quod Ministros & Magistratus cautos & circumspectos merito reddat, item Dominos & omnis generis institutores. Quo enim vocatione & munere propius Deũ accedunt, eo longius à salute & salutis spe absunt, nisi, &c. Hujus rei egregium exemplum, aut exempla potius, hic habentur. Nam in populo major æquitas quam in Sacerdotibus, & in Ethnico & pagano homine major & scientia & conscientia, quam in tota gente sancta, qui tamen non viderat admirabilẽ in Christo sapientiam & potentiam, quam illi contuiti erant: quod plerisque locis in hujus causæ disceptatione elucens hic semel & simul adnotetur. Huc accersatur *Ier.* 26, 11. Ieremiam semel à populo, altera vice (populo furente) à principibus morte ereptũ; utrobiq; à Sacerdotibus ad mortẽ postulatũ.

Quod autem rem hanc ad illos refert, non hoc consilio facit ut rem nondum perceptam satis longiore & attentiore investigatione perquirat, sed tantum ut hoc modo illos placet, dum Christũ sententia absolveret. Quod quidem per se in judice non est illicitum, ut litigatores, qui injusta lite disceptant, de causæ injustitia aut merito edoceat, quo non tantum causam deserant, sed pœnitudine ducantur. Quanquam vero hoc, ut dixi, externa specie honestum sit, tamen cum Pilatus hoc fecerit ne in illorum odium incurreret, aut malam gratiam apud Cæsarem iniret, si causam (ut obtendebatur) Cæsaream acrius non persequeretur, illum parum justi Iudicis munere perfunctum esse in promptu est. Quod omnes *doceat*, maxime Magistratus & Ministros, ut sibi non satisfaciant externa justitiæ aut pietatis specie, quæ apud homines inculpata etiam in laude est, nisi conscientiæ etiam testimonium habeant se hoc juste & animo ad pietatem & justitiam incitato facere. Vers. 14. *Non recte à Pilato causa Christi ad priores & populum delata.*

Hic secundo Iudicis ipsius sententia absolvitur. Testes sua discordia & mutua repugnantia pro Christo testimonium dicebant; Iudas proditor ejus innocentiam prædicat, Sacerdotes pretium in templo reponere nefas statuentes, quod sanguinis pretium esset, luculentum primo Christi justitiæ præconium ediderunt; nunc Iudex suo & alterius Principis nomine: ut si diabolus accuset, si Vers. 15. *Christi innocentia toties testata nos consolatur.*

peccata nostra contra nos testimonium dicant, si flagella Dei nos nostræ improbitatis convincant, si conscientia tanquam Iudex sententiam damnationis adversus nos ferat, eamque iteret & ingeminet, tamen tot testimoniis & sententiis innocentiæ Christi, qui peccata nostra portavit, reficiamur.

Vers. 16. *Impiorum misericordia crudelis.* *Sequitur pars altera*, de illegitimis instrumentis, &c. ubi quod dicit se illum flagris & virgis cæsurum, cum mortis reus non sit ex Herodis sententia. Quasi diceret, in criminibus quæ sub judicium meum cadunt, cum alii morte plectuntur, mulctantur virgis, eumque perceptum sit mortem non esse promeritum, castigatum primum virgis, eoque capite diminutum & inhonoratum illum dimittam. Sed cædo cur virgis cæderetur, adversus quem nulla hujusmodi causa adhuc intentata est, quæ virgas & flagra promereatur. Hic igitur perspicitur quod *Prov.* dicitur, viscera & misericordias impiorum miserationes crudeles. Sicut enim in severitate piorū est misericordia; sic in misericordia impiorū est crudelitas. Vide exemplū huic simile *Act.* 5, 39, 40.

Iudicum plurimorum corruptela. Deinde *videmus* Iudicum multorum in hac parte corruptelam, qui quidem in caussis vitam & mortem complectentibus ægre adducuntur ut justitiam violent: qui iidem in minoribus caussis, ubi supplicium levius constituitur, non dubitabunt ab æquitate discedere, ut si mulcta pecuniaria sit, aut nota tantum ignominiæ inuratur. Sed iidem meminisse debent ejus, quod est *Luc.* 16, 10. qui fidelis est in minimo, fidelis erit in maximo; contra qui infidelis est in minimo, tandem eo delabetur, ut in maximo infidelis futurus sit: cujus eximium exemplum habemus propositum ipso Iudice. Quamobrem, &c.

Vers. 17. Alterum instrumentum est quo illis gratificaturus Christi eorum beneficio liberandi viam commonstrat, quod & Christo inhonoricum, illis honorificentissimum futurum sit. *Pilatus cum Christi ignominia vitæ ipsius consulit.* Quod consilium arripuisse videtur ex populi petitione, qui sibi maleficum de more ad festum Paschatis dimitti postulabant: hac carnali prudentia cum summa Christi ignominia vitæ ejus consultat. Vbi *primum notandum* est quod apud Iohannem de more & *consuetudine* fuisse, hoc loco apud Lucam dicitur *necesse* fuisse, ut consuetudinem humanam esse non sine causa dictum sit; hoc accommodetur ad præsentem consuetudinem epulandi & se ingurgitandi istis carnivoris diebus.

Perversa festorum celebratio. II. *Notandum* porro quomodo hoc ipso, quo festum suum honorare cogitant, inhonestant valde: sontes enim absolvere & justo judicio eximere perinde est atque hominem interficere. Sed sic solebant tamen sua festa celebrare. Hujusmodi aliquid est in natalitio festo Pharaonis, cum promo gratia principis carcere liberato & veteri dignitati restituto, pistor suspendio vitam finivit. *Genes.* 40, 21, 22. Vide etiam quomodo Herodes sua natalitia Iohannis Baptistæ sanguine fædavit. Sic olim principes suas in Regno inaugurationes carcerum evacuatione celebrant, & hominibus commendant. Atque hoc modo peccatur gravissime à nostri seculi hominibus, qui festa, quæ maxime solemnia habent & venerantur, gula, ebrietate & luxus omni genere prophanant.

Pilatus vero cum Iesum cum Barraba conjungit ut alterutrum ad liberationem postularet, subdole quidem hoc, sed iniquissime tamen facit, dum Christum proprio judicio innocentem hoc modo cum insigni malefico conjungit.

MATTH. *cap.* 27, *à vers.* 19, *ad* 22.

19 *Sedente autem eo in tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens*; *Nihil tibi* rei
sit *cum justo illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.*

20 *Primarii vero Sacerdotes & Seniores persuaserunt turbæ ut peteret Barabban, IESVM vero perderet.*

21 *Respondens autem præses dixit eis; Vtrum è duobus illis vultis ut vobis dimittam? Ipsi vero dixerunt Barabban.*

LVC. *cap.* 23, *à vers.* 20, *ad* 24.

20 *Rursus ergo Pilatus alloquutus est* eos, *volens dimittere IESVM.*

21 *Ipsi vero reclamabant, dicentes; Crucifige, crucifige eum.*

22 *Ille autem tertio dixit eis; Quid enim iste mali fecit? nullam noxam capitalem*

pitalem inveni in eo: castigatum ergo eum dimittam.

23 *At illi instabant vocibus magnis, petentes ut ipse crucifigeretur: & invalescebant voces eorum ac primariorum Sacerdotum.*

IOH. *cap. 18, à vers. 39, ad finem Capitis.*

39 *Est autem vobis consuetudo ut unum dimittam vobis in Pascha: vultisne ergo dimittam vobis regem illum Iudæorum?*

40 *Clamitarunt autem rursum omnes, dicentes; Nequaquam istum, sed Barabbam: Erat autem ille Barabbas latro.*

ANALYSIS.

IVdex arguitur à relato, scilicet uxore; item ab adjuncta speciali sessione; item nuncio & à forma nuncii, ne rem haberet cum justo illo; quod à testimonio divino confirmat, quod multa passa esset per insomnium, quod item amplificatur ab adjuncto tempore, nempe interdiu.

Vers. 20. Deinde, proponitur persuasio ut Barrabbas ad vitam & libertatem postularetur; subjectum occupans hujus persuasionis est plebs, causa efficiens principes Sacerdotum & Seniores: persuasio distributione totius in partes describitur, ut Barabbam ad vitam & libertatem, Christum ad mortem postularent.

Vers. 21. Cujus persuasionis effectum est quod plebs ex hac persuasione Christum ad mortem expetebat absoluto Barabba: cujus petitionis occasio proponitur, quod alterutrius eis optionem dedit:

Lvc. *Vers.* 20. Pilatus advocat Iudæos; quod suo fine arguitur, ut Christum liberarent: & amplificatur adjuncto tempore, quod secundo hoc fecit.

Vers. 21. Cujus convocationis adjunctum est quod in priori sententia manentes illam vehementius, quam prius, urgent.

Vers. 22. Pilati studium Christum à morte eximendi amplificatur, quod tertia vice hoc tentavit: quod ab adjuncta Christi innocentia, quod ad capitale crimen attinet, confirmat syllogismo disjuncto: si, ut vos dicitis, reus sit, aut capitis, aut virgarum reus est: Non est capitis; quamobrem virgis cæsus dimitendus: propositio deest: assumptio & conclusio exprimuntur.

Vers. 23. Hujus sententiæ adjunctum est pertinacior, quam prius, plebis & principum importunitas.

METAPHRASIS.

Ioh. 39. *Pilatus igitur cupiens Christum morte eximere, & suspicans Iudæos non tam absurdos fore, ut summe facinorosum Christo præferrent, Christum cum Barabba conjugavit, dicens: Ex duobus istis Barabba & Iesu utrum vultis vobis ut dimittam, Iesum regem Iudæorum? illi vero clamabant; non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui cum seditiosus, tum homicida fuit.*

Matth. 19. *Ipsomet illo tempore (quo Pilatus pro tribunali in Christi causa & judicio incorruptum*
& integrum se redderet) uxor ejus, quæ illi
tam arcto vinculo conjuncta non nisi ejus bonum expetere judicari potuit, ad illum misit hoc fere nuncio: Cave sis non modo ne tradas, sed ne minima injuria afficias illum tam insigniter justum, qui jam reus coram te consistit: multa etenim per insomnium magno jam die (quod insolens est) propter illum
inique tractatum passa sum. Sacerdotum vero 20.
principes & populi seniores subolentes Pilatum
ad Christum absolvendum vel hoc nuntio
factum propensiorem, plebi (cujus auram
Pilatum sciebant captare) sedulo suadebant ut Barabbam ad vitam & libertatem,
Christum ad mortem postularet. Quibus 21.
præses respondens, dixit; quem ex duobus liberatum vultis; quid fiet Christo? Absurdum
enim foret, Barabba dimisso tam nobili latrone, Christum ad mortem usque persequi. Pila- Lvc. 20,
tus secunda veluti visitatione ex studio Chri- 21.
stum morte eximendi, illos iterum advocat,
qui de eorum voluntate in Christum interrogans illos obstinatiores offendit, quod ingeminato clamore illum crucifigendum testati sunt.
Repulsam patiens, tertio illorum animos exci- 22.
tat, & illorum conscientias pulsat appellatque,
dicendo; Siquidem nihil morte dignum ad-
miserit castigatum illum dimittam. Tum 23.
principes cum plebe conjunctis vocibus, iisque
magis adhuc quam hactenus intentis, pertendebant ut in crucem ageretur; quorum importunitate victus Pilatus est.

PRAXIS.

SVmma, Deo divinitus Filii sui innocentiam testificante, contraria Iudæorum & Pilati, de Christo aut morte damnando, aut ab eadem absolvendo studia ostenduntur.

Partes sunt, { Dei divinitus de Filii sui innocentia testimonium.
Contrarium Christum morte damnandi & absolvendi studium. }

In priore considerandum, quam amplum testimonium hoc est de Christi innocentia, Matth. vers. 19. *Egregium*

Quod

uxoris Pilati de Christo testimonium, Quod enim nuncio misso significat uxor ejus nihil Pilato esse debere cum Christo, non modo ut illum morti non adjudicet, sed ut ne minima ex parte eum violet; occurrit Pilati mariti corrupto judicio, qui illum morte indignum pronuncians, tamen tanquam temeritatis & imprudentiæ reum condemnare constituit & flagris afficere, quod regem se dixerat esse. Huc accedit formula loquendi δικαίῳ ἐκείνῳ, qua eximiam & singularem ejus esse justitiam indicavit; ut non tantum eum insontem in judicio pronunciarit, sed à peccatoribus exemptum, eorumque censu & albo expungendum.

Quamvis à muliere, eaque gentili, Iam vero cum quod fœminæ, & quidem gentilis, testimonium sit, ipsius testimonii fidem elevare & imminuere posse videtur; Euangelista ejus autoritatem tuetur, quod divinitus emissum sit. Nam cum illa testimonium dicat, quæ Christi ignara fuit, non alio referendum est, quam ad Deum, qui arcana retegit. Nec fidem labefactat quod fœminæ testimonium sit, cum Saræ semel Deus quid ab Abraham fieri velit revelavit, potius quam Abrahæ, de ejectione Ismaëlis: & Sampsonis matri potius quam patri: cum etiam Annæ de Christo testimonium undique plenum autoritatis sit. Sed fidem auget quod conjux in imperio mariti manens adversus virũ suum pro peregrino testificata est. Sed nec fidem labefactat testimonii, quod gentilis hoc facit, cum illud ipsum potius fidem augeat, quod externum testimonium gloriosum esse solet, cum ab hostibus infensis (quales erant Romani Iudæis) redditur.

Et per insomnium prolatum. Quod autem per insomnium hoc accidit, illud (tantum abest ut fidem detrahat) divinum esse confirmat: cum Deus Nabuchodonosori & Pharaoni hostibus Ecclesiæ per somnium se revelarit. Apparet etiam ex *Nummer* 12, 6. & multis exemplis esse hunc ex duobus alterum revelandi sui modum.

Ideo insigne quod Pilato pro tribunali sedente, sit datum. Denique fidem auget & autoritatis pondus addit, quod hoc Pilato pro tribunali sedente factum sit. Perinde enim est, ac si Deus inclinatis cœlis descenderet, ut pro Filii sui innocentia testimonium diceret. Verum quidem est Pilato & aliis in promptu fuisse hoc testimonium eludere, dicendo fœminæ sententiam fuisse, & somnium fuisse, & illam somniatricem. Sed interim pii & fideles omnes solidum hinc gaudium & consolationem habent, quod sciunt Christũ pro nostris, non suis & propriis peccatis mortuum esse, ipsis veritatis adversariis hoc testificantibus.

Hinc etiam consolationem eximiam percipimus, Deum, qui pollicitus est nostram justitiam & justam causam tenebris demersam in apricum & meridiem educere, multas rationes habere quibus hoc perficiat, etiam per veritatis juratos hostes: ut non sine causa Christus dixerit, si hi taceant, ipsos lapides de se testificaturos. Quamobrem tametsi nullæ rationes apparent, &c. tamen, &c. *Unde consolatio.*

Deinde *videmus* hoc loco uxorem à Deo divexatam fuisse pro peccato viri. Vide historiam exitus filiorum ex Ægypto: item *Matth.* 15. mulierem Cananeam.

Denique, & illud *notandum* est, Dominum, relictis Iudæis, delegisse sibi testem inter gentes, & quidem fœminas, quod indicio erat gloriæ ipsius & veluti propitiatorii discessum parantis. Vide *Ezech.* Sic cũ Deus sæpius cum fœminis communicat quod viros celat; cum iis qui ex media plebe sunt, quæ illis subducit, qui rerum in Ecclesia potiuntur, nos pudefacere debet & causam resipiscentiæ præbere.

Sequitur pars altera de contrariis studiis, &c.

Interim dum hæc aguntur, primores Ecclesiæ, populum aut ad Christum absolvendum propensum, aut certe quo se verteret nescium, sollicitant ut Barraba absoluto, Christum ad mortem postularent. *Marc.* 15, 11. Sciebant enim Pilatum fuisse popularem & populi gratiam aucupasse, eoque nullam esse ad Christum interimendum viam magis compendiosam, quam si populum adversus Christum exulcerarent. Et hoc quidem vitio fere Principes laborant, qui vero timore Dei perfusi non sunt, ut à populo sibi timeant, & illi placere studeant. Vide Herodem *Actor.* 12, 3. Hinc est ut populi studiis vel ad bonum aliquod magnum utantur, vel abutantur ad singulare aliquod malum perficiendum. Et cum dicit populum ab illis concitatum esse, illos videtur fluctui maris comparare, qui impellitur quolibet venti momento & impulsione vel in hanc vel in illam partem, vel antrorsum, vel retrorsum: item utribus recte comparantur, qui inflati intumescunt, & rursus semoto spiritu flaccescunt & inanes redduntur. Quamobrem caute plebi circumspiciendum est, ne se à suis cujuscumque generis ducibus abduci patiatur: atque ut Iehosuæ exemplum principibus proponendum est, qui affirmat se minime à cultu Dei defecturum, utut alii omnes hoc faciant: sic populi exemplum imitandum apud *MATTH. 20. Principes Deum non vere timentes à populo fere pendent.*

Ieremiam, qui cum à proceribus damnatum liberarunt; item qui Ionathanum morti à patre rege addictum vindicarunt ab exitio.

Vers. 21, 22. *Populi levitas.* Postquam populus in Sacerdotum sententiam pertractus fuisset, rursus ab iis submissus videtur ut Christum ad mortem postularent: quibus à Pilato conspectis, statim Pilatus illos anticipat & quærit quid tandem definierint de optione illis data: mallentne Barabbam an Christum dimitti; hi cum Barabbam, non Christum absolvi cuperent, ilico Pilatus regerebat ab illis percunctans, quid Christo fieri velint;ac si diceret; Tametsi eo injustitiæ processeritis, ut Barabbam potius liberandum judicetis: tamen spero non tam iniquos & crudeles esse vos, ut Christum morte coërcendum esse judicetis. Hic respondent se cupere Christum crucifigi: quod summæ & crudelitatis & levitatis fuit, præsertim cum sit verisimile (imo certum & explicatum; quandoquidem Pilatus hoc populo attribuat Christum ab eo Regem appellatum fuisse) quosdam ex his fuisse, qui Christo paulo ante tanquam Iudæorum regi acclamarunt: ne quis plurimum spei ponat in populi & plebis erga se studiis. Sed quod quærit, *quid vultis faciam?* injustissimi vox Iudicis est, &c.

Lvc. vers. 20, 21. *Et auram popularem captantium vanitas.* Hac sententia ab illis data se subduxisse videntur, quos Pilatus revocandos duxit, hac spe forte, ut quemadmodum levi momento in illam sententiam de Christo ad mortem postulando adducti sunt, ita non dissimili ab eadem deduci possent. Hic eorum vanitas coarguitur, qui tantopere sudant ut populi rudis & Deum minime timentis auram avide captent & insectentur, quæ tam facile & tam cito mobilis est. Sicut etiam vituperandi sunt, qui nimis ægre ferunt si illorum in gratia non sunt.

Sed illi majori vehementia & ingeminatis verbis Christum ad mortem quærunt. Naturæ minime instauratæ insignis corruptela & depravatio, quæ veritati tanto magis obsistit quo illa magis defendi tentatur. Vbi denuo *notandum*, populum mobilem & volubilem in malo tamen pertinaciorem, quam in bono constantiorem reperiri; ut duplici nomine illis cavendum sit, cum quod mobiles sint, cum quod in illa mobilitate ad pejorem partem magis propendeant. Vide *Act.* 3, 14. Quomodo Petrus hoc illis exprobrat. Si igitur iniquius nobiscum agatur quandoque quam cum furibus & latronibus, consolemur nos hoc exemplo Christi.

Vers. 22, 23. Quod autem tertio dicatur Pilatus illos allocutus ut Christum morte eriperet, id eo consilio ab Euangelista notatum est, ut eo Iudæorum insignem pervicaciam notante, omnibus elucesceret, quam justo Dei judicio Iudæi ab Euangelii notitia resecti & abdicati sunt. Interim Pilatus de Christo flagris castigando cogitat, & ad prius illud consilium suum animum adjicit.

IOH. *cap.* 19, *à vers.* 1, *ad* 12.

TVnc ergo assumsit IESVM Pilatus & flagellavit.
2 Et milites contexuerunt coronam è spinis, & imposuerunt ipsius capiti, & pallio purpureo induerunt eum.
3 Et dicebant; Ave rex Iudæorum. Et bacillis eum cædebant.
4 Prodiit ergo rursum Pilatus foras, & dixit eis; Ecce, adduco vobis eum foras, ut noveritis me nullum in eo crimen invenire.
5 Prodit ergo IESVS foras, gerens spineam illam coronam, & purpureum illud pallium. Et dixit eis Pilatus; *Ecce homo.*
6 Quum autem intuiti essent eum primarii Sacerdotes & eorum *ministri, clamitarunt, dicentes; Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus; Accipite eum vos, & crucifigite, ego enim non invenio in eo crimen.*
7 Responderunt ei Iudæi; Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.
8 Quum ergo audivisset Pilatus hunc sermonem, magis metuit.
9 Et rursus ingressus est in Prætorium, & dixit IESV; Vnde es tu? IESVS autem responsum ei non dedit.

Qqqqqq *10 Di-*

10 *Dicit ergo ei Pilatus; Mihi non loqueris? nescis me potestatem habere crucifigendi te, & potestatem habere te dimittendi?*

11 *Respondit IESVS; Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi hoc tibi datum esset superne: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

ANALYSIS.

EFfectum Pilati erga Christum narratur, quod illum per suos lictores virgis cædebat.

Vers. 2. Per milites ludificabat: quod suis partibus declaratur; primum quod plexa corona spinea illam capiti imponebant, quod purpura eum induebant.

Vers. 3. Quod regio titulo illum salutabant, apud *Matth.* flexis genibus, ubi etiam indunt illi in manum dextram arundinem. Apud *Marc.* eadem caput illi feriunt: item illum conspuebant. Quæ omnia exaggerantur, quod in prætorio hæc facta sunt.

Vers. 4. Aliud effectum Pilati, egressus ex prætorio arguitur, ut illum Iudæis innocentem declararet.

Vers. 5. Aliud effectum Pilati, eductio Christi ex prætorio: quod suo fine declaratur ut virgis cæsi & ludificati commiseratione moverentur.

Vers. 6. Cujus adjunctum est importunus clamor principum sacerdotum & satellitum eorum, ut Christus in crucem agatur. Cujus item adjunctum quod Pilatus hujus pœnæ exsequutionem ad Iudæos rejicit; quod arguitur à dissentaneo, quia ipse hoc præstare nequit: quod item arguitur ab adjuncta Christi innocentia, quæ confirmatur à testimonio, nempe conscientiæ suæ.

Vers. 7. Cujus responsi adjunctum est Iudæorum responsum, illum mortis reum esse; quod confirmant testimonio legis, quod blasphemus esset; quod conantur probare forma, quia Filii Dei honorem sibi vindicavit.

Vers. 8. Cujus accusationis effectum est, quod Pilatus magis timuit.

Vers. 9 Cujus metus effectum est reductio Christi in prætorium; quæ suo fine declaratur, ut porro à Christo quæreret unde esset: cujus adjunctum est silentium Christi.

Vers. 10. Silentii adjunctum est alia quæstio, cur non respondet; quæ arguitur ab adjuncta Pilati potestate condemnandi aut absolvendi Christum.

Vers. 11. Cujus effectum est Christi responsum à disparato, esse in potestate Patris, non igitur in illius potestate: Cujus voluntatis Dei in tradendo filium ad mortem adjunctum arguit, Iudæ & sacerdotum peccatum qui Christum prodiderunt; & amplificatur comparato minori, peccato scilicet Pilati.

METAPHRASIS.

1. *CVm Pilatus hoc artificio conjugandi Iesum cum Barraba non profecisse se intellexit, ad Christum morte eximendum, aliam viam, qua illud obtineat aggreditur, non minus injustam, si Pilatum spectès: tametsi ad Deum oculos convertendo, qui nostra peccata in persona filii sui expiare voluit, justissimam. Quamobrem Iesum acceptum in prætorium, locum juri exercendo sacrum, induxit. Et primum quidem nudatum & exutum vestibus virgis crudeliter cædendum curavit: post militum cohortem coëgit, quorum singuli in Iesu ludificando suum veluti symbolum conferrent.*
Hi primum coronam ex spinis contortam con- 2.
ficientes illam venerando ejus capiti non sine
vi adhibita imposuerunt. Deinde veste pur- 3.
purea (qui color Regibus peculiaris esse solet) illum induunt, Matth. *in dextram manum sceptri nomine arundinem inferunt, qua evulsa illius caput feriunt, faciem conspuunt, & flexis*
poplitibus illũ Regis titulo salutant. Christo ad 4.
hunc modum crudeliter & ignominiose accepto, Pilatus iterum è prætorio prodiens, dixit illis; ecce eum foras duco, ut intelligatis me nul-
lum capitale crimen in illo deprehendere. At- 5.
que ita Iesum foras ducens corona spinea redimitum & purpurea veste indutum coram illis sistit, illos sic alloquens; Spectate hominem misellum, quo nihil contemtius esse potest, ut nihil sit cur à regio titulo, quem vendicat, vobis timeatis, unaque intelligatis vobis honori non futurum homuncionem tam abjectum & omnibus modis miserum & calamitosum porro persequi: videtis etenim sanguine madentem
non alio quam morionis loco haberi. Quem cum 6.
principes Sacerdotum una cum illorum satellitio vidissent, tantum abest ut commiseratione ducerentur, ut in inconditos clamores erumperent Iesum ad crucem postulantes. Quibus Pilatus: Si quidem tanto studio ferimini illũ crucifigendi, agedum vos illum in crucem agite: me quod attinet, religio mihi est hoc facere, cum mortis causam nullam in illo comperiam.
Ad quem Iudæi: si tibi parum justa causa vi- 7.
deatur illum morti adjudicandi, quod regiam dignitatem arrogans, læsæ in Cæsare majestatis reus sit; age illum porro recriminamur: ex lege enim nostra, quæ eadem Dei est, mori debet, quod se Dei Filium profitens in eum bla-
phemus extitit. Quo audito Pilatus magis 8.
quam antea timuit, ne sententiam mortis in illum dicens, in aliquem deorum suorum humana forma cœlitus descendentem eadem sen-
tentia incurreret. Quamobrem in prætorium 9.
regressus, à Iesu unde esset percunctatur. Cui Iesus, ut agnus coram tonsore suo mutus agnosceretur, & ut nobis libertatem loquendi apud

Deum

Deum acquireret, ne verbum quidem reſpon-
10. *det. Ad quem Pilatus; mihi non reſpondes?*
meam authoritatem tantilli non facis? an
ignoras penes me eſſe te aut abſolvere, aut
11. *morte afficere? Ad quem Ieſus; Vtcumque in*
alios, qui facinoroſi ſunt, poteſtatem haberes,
in me tamen, niſi à Patre conceſſam, nullam
habiturus eſſes; eoque ipſo utcumque tu pœ-
nam injuſtæ tractationis non effugies, tamen
Iudas & Iudæi, quorum opera in manus tuas
concluſus ſum, gravius hoc ipſo judicium ſubi-
bunt, quo majora mei cognoſcendi adminicula
acceperunt.

P R A X I S.

S*Vmma*, Pilatus Chriſtum mortis ſententia per flagellationem & ludificationem liberari cupiens, reclamantibus Iudæis & novum crimen (quod ſe Filium Dei dixerat) intentantibus; novum de Chriſto examen init.

Partes ſunt,
- Sinuoſus (ſed irritus) Pilati de Chriſto à morte liberando conatus.
- Pilatus novum examen cum Chriſto init.

Verſ. 1. Chriſti flagellatio injuſte à Pilato, juſte à Deo inflicta.

Tametſi Iudæi in Pilati ſententiam de Chriſto flagellando ut morte liberaretur non conceſſerint, ſed contra magnis lateribus & valido clamore reclamarint: Pilatus tamen aliqua ſpe ductus, fore ut re perfecta, aut miſeratione adverſus eum commoverentur, aut certe ita contemtui haberent, ut de eo interficiendo non amplius laborarent; Chriſtum virgis cædendum curat, quæ cum ſecuri Romano Prætori à lictoribus præferri ſolebant, ad duplicem pœnam capitis & flagellationis adverſus criminoſos indicandam. Hæc eſt igitur alia inſignis injuria, qua Pilatus Chriſtum affecit. Prior eſt, qua illum cum Barabba conſociaverat, & Iudæis optionem dederat illumne an Chriſtum dimitti vellent. Altera eſt quam Euangeliſta impræſentiarum commemorat. In quo tametſi Pilatus ſingularem Chriſto injuriam facit: tamen Deus ſummus Iudex (cujus perſonam hic improbus referebat) nullam facit, cum Chriſtus noſtram perſonam ſuſtinens hanc inſequentem de morte pœnam commeritus erat, utpote qui noſtram perſonam, peccata & reatum induerat; adeo enim calicis ejus exſugendi pars fuit, ut niſi illam hauſiſſet, plenam redemptionem conſequi non potuiſſemus. Quapropter incomparabili providentia Deus juſtiſſime hanc pœnam Chriſto imponit, quam Pilatus injuſtiſſime inflixit. Cum enim commeriti eſſemus ut & hac vita inhonorati viveremus, & poſt futura periremus: Chriſtum oportuit utrumque facinoroſorum ſupplicium ſubire, ut nos ab ira Dei cum hac tum futura vita eximeremur. *Eſai.* 53,5. ut enim pro ſceleribus attritus eſt, ſic iniquitatibus noſtris vulneratus eſt. Et quidem reputandum eſt has virgas ira divina tinctas ipſam etiam Chriſti animam pertranſiſſe & veluti ſcorpionibus afflictam, penetraſſe.

Vnde conſolatio ad pios redit.

Deinde pii ſingularem hinc conſolationem habent. Cum enim alterutro vel utroque ſupplicii genere propter Chriſtum mulctentur, hinc capitis diminutione, flagris, carceribus, aliiſque probroſis & turpioribus cruciatus generibus, iſtinc morte plectantur, aliquando etiam utroque ſimul, conſolari & confirmare eos debet, nos utrobique Chriſto ſimiles eſſe & illi conformari; eoque nos beatiores eſſe quo veritatis ergo ad illum perpeſſionum gravitate & conformitate accedimus. Nec dubium eſt quin Apoſtoli, *Act.* 5,41. & Paulus *Act.*16,25. mirificam ex ſuis verberibus lætitiam inde ſuxerint, quod Chriſtum eodem modo exceptum fuiſſe recordati ſunt, adeo ut media nocte cantarent. Hinc eſt quod Paulus *Gal.*6,17. gloriatur ſe geſtare in corpore ſuo ſtigmata Chriſti. Hinc ſumma gloriatio. 2 *Cor.*11,24, 25. Vulnera accipere Regis cauſa in bello honori ducitur, eoque paſſim oſtentantur cicatrices: ſed cum Rege vulnus accipere & in vulneribus ei conformari glorioſius eſt.

Verſ. 2. Indigna Chriſti ludificatio,

Poſt ut contemtum aut commiſerationem adhuc majorem Iudæis moveret, inſtar morionis aut inſani illum tractare militibus mandat, aut certe permittit. Docet enim Davidis apud Achizum Regem Philiſtæorum ementita inſania viam eſſe compendioſam (carnis judicio) ad miſerationem commovendam & mortis periculo eximendum, ſi quis pro morione aut inſano habeatur. Hoc idem declarat fratrum Chriſti in ipſum machinatio, qui quo cum illum, cum ſe præcipue, quos in Chriſto periclitari arbitrantur, periculo liberarent: manus Chriſto tanquam inſano injicere conati ſunt. Primum igitur tota cohors in prætorium ad Chriſtum ludificandum cogitur.

Euangeliſta igitur ſummam & indigniſſimam Chriſti ludificationem notat
- Adjuncto.
- Effecto.

I. In cohortis congregatione &

Primum igitur ut Chriſti animam ſannis & ludibriis ſatiarent, totam cohortem cogunt,

gunt,ut unusquisque ad hanc ludificationem veluti symbolum suum conferret, ne quid deesset quod Christum contumelia afficeret. Alterum adjunctum est habitus,qui ita institutus & compositus est, ut parte una Regium numen referente, altera omnia per ludibrium fieri intelligeret quisque.Nam coccineam seu purpuream, quod hi colores finitimi essent, seu paludamentum induentes, qua veste Reges solent vel armati superindui, prima specie illi regium honorem deferre videntur. Sed cum spineam coronam, lignum scilicet pro auro, spinas pro gemmis capiti imponunt, & calamum arundineum manu dextræ instar sceptri inserunt, ilico produnt omnia per ludibrium fieri.

Vers.3. *In militum gestibus & factis.* Sequuntur effecta, quæ sunt item, ut habitus, misti & duplicis generis.

Nam quædam sunt ejus generis quæ cum subditorum erga suum Regem officio { Conveniunt. / Pugnant.

Prioris generis sunt, quod { Illum regis titulo salutant. / Illi ad genua advolvuntur.

Posterioris generis sunt, quod { Illum conspuunt. / Eum cædunt bacillis in facie.

Quorum omnium summa & scopus est illum Regem ridiculum esse & Scenicum,regnum ejus somnium esse & veluti phrænesim. Denique tantum abesse ut pro rege honorandus sit, ut etiam contumeliis omnibus onerandus sit; ut vere impletum sit, quod scriptum est illum potius vermem fuisse, quam hominem, & ejus faciem tanquam lepra infestam velatam fuisse, ut nos, qui Deo & Angelis ludibrio expositi esse commerebamur,his irrisionibus eriperet. Vide *Genes.* 3,22. quam salse Deus Adamum irridet. Vide *Iob.*27, *vers. ult.* Quomodo complodat manus suas in impium Deus & eum exsibilet.

Vnde nostra in cruce tolerantia augeri debet. Cum vero Christus sic illusus sit, qui est sapientia Dei; cum ejus de regno spes vana & inanis habita sit, cum nihil minus mundo visus sit, quam quod revera erat, in quo tamen tam insignes gloriæ & splendoris divini radii relucebant; cum denique Christi gloria à mundo abdita sit: mirumne nobis videri debet, si nostra de æterna vita spes, si nostra in cœlo hæreditas & adoptio impiis hominibus deridenda proponitur? Vide exemplum Ismaëlis deridentis spem Isaaci. Consoletur igitur nos, vitam nostram in Christo abditam esse: meminerimus igitur quod scribitur 1 *Ioh* 3,1,2.

Hæc cum præcipue notanda sint, tum alia pleraque sunt, quæ non inutiliter (tanquam in transitu) notari possunt. Nempe Ethnicam esse impiorum hominum consuetudinem, præter jus vel sontem ludificari: milites solere vel maxime in hoc genere insolentiæ peccare, & sicarios: unde illud Baptistæ, μηδένα διασείσητε. *Luc.*3,14. Christi regnum spirituale, & Christi Ministros purpura coccinoque aut splendidis vestibus, ut Herodes fecerat Christo, vestire, esse Christum ludificari. Sed longum esset iter ad ista omnia persequenda. *Insolentia in sontes impiorum est.*

Pilatus denuo Christum educit,& alio testimonio innocentiæ absolvit, ut plurimis Christi à mortis merito absolutionibus nos plurimas meritissimas condemnationes effugeremus. Sicut prius dictum est. Vers 4. *Iterata Christi absolutio.*

Deinde eodem carnali consilio,id est, diabolico, quo prius ad Christum plagis cædendum & ludificandum impulsus est,pergit adhuc Christum novis injuriis onerare,dum eum coram toto populo spinea corona redimitum & purpura & coccino indutum ludificandum sistit, ut qui prius à cohorte Romana irrisus sit, unus ab universis Iudæis sannis & dicteriis configeretur, si qua populum sedare posset & eum ad commiserationem flectere. Sed quam male hæc omnia consilia illi cesserunt ilico indicatur,cum Iudæi non minus acriter & inimice eum jam ad mortem postulent quam prius,atque adeo, ut videtur, vehementius. *Vnde videmus* hominum consiliis contra jus & justitiam captis non modo successum non præberi, sed a Deo maledici, & eos ea ipsa ratione sibi gravius judicium accersere, qua Dei judicium adversus se depellere conantur: nam dum Pilatus Christum absolvere sinuosis & flexuosis viis & rationibus conatur, quo Dei formidabilius judicium effugeret,& Christo majorem & atrociorem injuriam infert, & sibi horribilius judicium accersit. Lvc.3,14. *Pilatus Christum dimittere cupiens majore eum injuria afficit.*

Simul etiam & illud *notandum venit,* eum qui sibi ad minimam injustitiam patrandam fræna laxat, post justo Dei judicio eo delabi, ut nulla tanta crudelitas aut injustitia sit à qua ipse abhorreat. Sic Paulus qui sibi primum permisit ut eorum vestes asservaret qui Stephanum occidebant, post vel in mulieres ipse manus injecit & ad mortis supplicium traxit. Sic Prophetæ docent (Amos præsertim) eos, qui primo nonnisi magno pretio & ægre adducuntur ut justitiam corrumpant & judicium prostituant, post vel veteri- *Iustum Dei in peccatores judicium.*

veteribus calceamentis id ut admittant adduci. Quamobrem danda opera est ut ne vel fenestram aut etiam fenestellam iniquitati aperiamus, ne post jamjam valvas & portam reseremus.

Verſ.6. *Alia Pilati injuſtitia.*

Instantibus & urgentibus Sacerdotibus & Ministris ut Christus crucifigeretur, Pilatus ad prius effugium suum revolvitur, ut ipsi Christum crucifigant, si illum crucifigi velint: eoque etiam prius ad Herodem ablegaverat ut aliqua ratione se à Christi ad mortem adjudicatione extricaret. Quamobrem hoc aliud injustitiæ genus est quod plerumque exercetur ab hominibus, qui tamen sibi in sua injustitia abblandiuntur tanquam egregii justitiæ cultores essent. Primum genus fuit, quod leviorem pœnam imponunt quam quæ ab actoribus efflagitatur, ut hic sibi visus est justus, quod Christum flagris affecit ut à morte eum liberaret. Alterum genus est, quod ipsi injustitiam facere renuentes aliis tamen ut eandem injustitiam faciant permittunt, existimantes se absolvi, cum causa in alios traducta ipsi se subducunt. Atqui justi Iudicis est non tantum injuriam alteri non facere, sed ne fiat cavere pro sua virili: ut si non obsistat injuriæ, tam sit vere in vitio quam qui infert. Hinc est quod *Iobus cap.29,verſ.17.* ut se justum judicem probet, dicit *se fregisse molares iniqui & prædam vel è dentibus ejus extraxisse.*

Pontificiorum *error.*

Hinc liquet quanta est impietas *Pontificiorum*, qui ut Dei justitiam defendant scilicet, dicunt, ipsum peccatum permittere. Nam si injustitia sit in homine permittere ut injuria fiat, quam non potest nisi aliquo sui incommodo declinare; quanto magis Deus injustus censendus esset, si peccatum quatenus peccatum est permitteret, quod nullo suo incommodo facile propulsare posset. Quod si excipiant nos pejus facere, qui Deum peccati autorem & actorem affirmare solemus; egregie mentiuntur: nam tametsi affirmemus ea quæ ab hominibus mala fiunt à Deo fieri: tamen tantum abest ut Deus illa faciat quatenus mala & peccata sunt, ut illa hoc modo ne permittat quidem: sed duntaxat quoad gloriæ ejus vel in exsequenda justitia, vel in misericordia præstanda inserviunt, & ab ipso destinata sunt.

Iudæorum impietas & prava conſcientia.

Cum Iudæi animadverterent Pilatum pro ludibrio & re joculari habuisse quod Christus sibi Regium nomen vindicasset, & eo nomine magis irrisione quam capitali judicio dignum esse; deserta veluti priore accusatione ad novam prosiliunt & eum blasphemiæ accusant, quod sibi nomen Filii Dei vendicasset, & cum mortalis esset, se pro immortali Deo venditaret. Simul etiam legem obtendunt suam, *Levit.24,14.* de blasphemo lapidibus obruendo. Quod quidem, ut videtur, hoc consilio fecerunt, ut si ulla falsorum Deorum suorum religione teneretur, Christum, quem illi ignorarunt, odio persequeretur, qui se pro Deo statuens eorum Idola aperte damnabat. Vbi primum proditur illorum impietas & prava conscientia, qui non quod gravius in Deum admissum putabant, Christo primum objiciebant, sed quod illis opportunissimum videbatur ad Christum apud Pilatum opprimendum, illud demum intentarunt. Sic plerique hoc tempore faciunt, qui cum judicem majore cura duci tuendæ regiæ, quam divinæ Majestatis, vident, accusationem concorditer instituunt & eum pacis vastatæ aut turbatæ potius insimulant, quam cultus divini corrupti.

Blaſphemorum debita pœna.

Deinde *hinc perſpicitur* quomodo blasphemi & qui Deum execrantur tractandi sunt, etiamsi illud faciant iracundi & inter pugnandum, nedum cum sedato animo & deliberato hoc faciunt, ut facile hinc sit intelligere quanto reatu terra distineatur, quæ nullam ultionem, certe nullam capitalem, de istiusmodi blasphemis sumit.

Antitrinitarii *rejutati.*

Denique, *hinc liquet*, adversus *Antitrinitarios*, receptam fuisse apud Iudæos de Trinitate sententiam. Nam non inficiantur nec hic, nec *Ioh.5,18.* esse Dei Filium, qui idem Deus sit; Sed Christum eum esse, qui homo sit, illud demum pernegant, & blasphemiæ eum insimulant.

Verſ.8. *Pilati metus ejus de deitate Christi ſuſpicionem arguit.*

Hoc timore & metu Pilati apparet Christi majestas. Cum enim timore perculsus erat hoc dicto, necesse est Pilatum aliquid in Christo vidisse, aut ex sermone Christi audivisse, quod divinæ sapientiæ, aut prudentiæ saltem specimen & indicium præberet. Cum enim multa ab eo sapientissime dicta & constantissime perpessa esse comperisset, quæ humanas vires superent, & his concorditer & congruenter jam ipsum proprio testimonio Deum esse intellexisset, cœpit Deitatis de eo opinionem aliquam induere, eoque magis timere quod illum tot injuriis onerasset, nedum ut morti eum addiceret; ne, non tantum innocentis sanguine se pollueret, sed θεομάχος vel potius

θεοκτόνος evaderet. Nam vel etiam apud Idololatras illud obtinuit, Deos quandoque hominum specie cœlitus in terram dimitti. Hic igitur divinæ Christi majestati cæcus paganus & infidelis testimonium aliqua ex parte reddit. Quod si hanc Christi divinitatis opinionem non imbibisset, hoc illud Christi de sua Deitate testimonium non modo non timuisset, sed illud ludibrio & irrisioni habuisset.

Quem tamen metum post excussit. Sed simul etiam *videmus*, quomodo impius iste hunc timorem non ita multo post excussit, aut certe pro virili repellere conatus est, ne eum usque eo premeret ut Christum morte liberaret. Cum debebat potius hunc timorem quem gustarat largius imbibere, ut omnibus animi sui facultatibus penitus insideret, qui fræni loco & lupati instar esse potuisset ut illum ab hoc maleficio cædis Christi absterreret. Sic plerique sunt qui aliquam guttam timoris in Deum peccandi & veluti scintillam aliquam timoris divini acceperunt, quam tamen mundi curis & voluptatibus suffocant, ut timor Dei veluti in fimbriis & superficie cordis hæreat, qui deberet ad ima & penetralia & veluti fundum cordis dimitti, vel potius tanquam aqua omnes animi partes irrigare, & veluti oleum ad animi ima veluti ossa, id est, peccato obduratissimas partes pertingere & penetrare.

Vers. 9. Iterum igitur ducens Christum in Prætorium & ab illo unde veniret percunctatus, cœlitus ne, an (ut cæteri mortales) è terra, nullum à Christo responsum tulit. Cujus quidem causæ prius visæ & examinatæ sunt, unde petendæ & repetendæ erunt.

Vers. 10. *Pilati de Christi silentio falsa suspicio, & superbia.* Cum hæc causa extiterit silentii, quæ prius commemorata est; Pilatus tamen alienam causam imaginatus est, ac si Christus nullam sui rationem duceret, nec ejus autoritatem suspiceret aut revereretur. Sicut etiam consuetum est his, qui autoritate excellunt, contemtum objicere, cum pii aliquid religione prohibiti tacent, cujus notitiam illi discutiunt. Simul etiam cristas suas attollit, & suam autoritatem ostentat multo majorem quam revera erat, dum penes se esse prædicat Christum aut morti addicere, aut eundem absolvere Eodem modo venditavit se Nebuchadnezar. *Danielis capite* 3, *versu* 15.

Vers. 11. *Adversus quam pro Dei gloria & electorum salute Christus respondet.* Christus hoc dicto commotus, quo Dei gloriam & salutem electorum labefactari intellexit, silentium abrumpit. Nam quid aliud est gloriam Dei pedibus obterere, quam sibi hanc potestatem vendicare Dei ipsius pro arbitratu tractandi? Simul etiam actum esset de salute humana, si Pilati arbitratu, non Dei decreto & sua summa voluntate Christus mortem oppetiisset. Sic enim Petrus *Actor.* 2, 23. Semel atque iterum Dei decreto & consilio hoc factum affirmat & Christus *Iohan.* 10, 17, 18 *nemo aufert animam meam à me, potestatem habeo deponendi illam & rursus eam assumendi.*

In qua responsione emphasis observanda. Christus igitur respondet longe secus esse quam ille arbitratur; nullam eum habere potestatem, &c. Quod non illud tantum significat, Magistratum à Deo constitutum esse & vires & potentiam principibus à Deo subministrari ut judicium de reis ferant: nam illud in omnibus reis & sceleratissimis captivis locum habet: Sed Christus aliquid de se peculiare affirmat quod sontibus non convenit. Eoque non dicit potestatem non haberes pure, sed addit *in me* potestatem non haberes. Vnde etiam post subjungit; ideo quoniam nullam nisi indultam potestatem in me, sicut in sontes, habes, gravius peccavit, qui me prodidit tibi & quidem atrocius, quam tu, qui tamen reus sanguinis mei es. Idemque est, quod alibi dicit. *Princeps hujus mundi venit & in me nihil invenit.*

In Christum nihil juris habebat Iudex. Atque vide quam falsus sit Pilatus: nam quoad Christi innocentiam nullam in eum potestatem habebat Pilatus: ubi enim peccatum nullum est, ibi mors nulla locum habeat. Quoad vero nostra peccata ejus tergo imposita & impacta sunt & quoad Deus decreverat & per Prophetas prædixerat & Christum morte hoc tempore Hierosolymis afficere constituerat, fieri non potuit, quin illum morti addiceret. Sic Christus, *filius hominis abit ut scribitur, sed, &c.*

Quod etiam de martyribus dici potest. Tametsi hoc in Christum unum & unicum cadat, ut nulla adversus illum in terris potestas sit nisi cœlitus indulta, ut qui solus peccato carens, solus a peccati pœna morte etiam liber est: tamen aliquousque Dei Martyribus pro veritate depugnantibus competit, ut non eandem potestatem habeant tyranni in illos sicut in maleficos: Sicut docetur *Dan.* 5, & 6. Sicut in Eliæ & Elizæi exemplis in Petro, Paulo cæterisque Apostolis. Hinc etiam est quod pii sæpe ad mortem & supplicium diligenter exquisiti & veluti canibus insectati, tamen Dei providentia tanquam in pharetra & secreto loco teguntur, cum tamen scelerati & flagitiosi comprehenduntur moderata insectatione. Vide exemplum

plum Ieremiæ & Baruchi; item Eliæ, qui passim diligentissime ab Achabo quæsitus non prius inventus est, quam sese Achabo videndum stitit, non quod, &c.

Qui me tradidit tibi,&c.] *Hinc liquet* non tantum quam grave peccatum sit innocentem ad judicem pro reo deferre, sed aliquando gravius ab accusatore & delatore peccari quam à judice; cujus peccati gravitas & exacerbatio potissimum pendere videtur ab amplitudine cognitionis, quæ in uno magis quam in altero elucet, & quod initium sceleris dedisse aliquid hic ponderis ad peccati gravitatem afferat.

IOH. *cap. 19, à vers. 12, ad 16.*

12 Ex eo tempore *studebat Pilatus eum dimittere: Iudæi vero clamabant, dicentes; Si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris, quicumque se regem facit, contradicit Cæsari.*

13 Pilatus ergo quum audisset hunc sermonem, eduxit foras IESVM, consedit-que in tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.

14 Erat autem parasceve Paschæ, hora vero quasi sexta: tum dicit Iudæis; Ecce rex vester.

15 Illi vero clamitarunt; Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus; Regem vestrum crucifigam? Responderunt primarii Sacerdotes; Non habemus regem nisi Cæsarem.

MATTH. *cap. 27, à vers. 24, ad 27.*

24 Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepta aqua abluit manus coram turba, dicens; Innoxius ego sum à sanguine hujus justi: vos videritis.

25 Et respondens universus populus dixit; Sanguis ejus super nos & super filios nostros.

26 Tunc dimisit eis Barabban: IESVM autem quum flagellasset, tradidit ut crucifigeretur.

ANALYSIS.

EFfectum responsi Christi ad Pilatum est Pilati auctum studium Christũ à morte liberandi. Cujus conatus adjunctum est auctum studium Iudæorum illum crucifigendi: quod à disparato arguunt, non esse scilicet amicum Cæsaris, si illum dimittat; quod confirmant ab effecto Christi, nempe quod contradicit Cæsari; quod etiam porro confirmant à genere, quia omnis contradicit Cæsari qui regiam dignitatem sibi vendicat.

Vers. 13. Hujus Iudæorum dicti effectum est quod Pilatus se ad condemnationem Christi accingit. Cujus condemnationis adjunctum unum est, quod Christus tanquam reus educitur ex aula, solium judicii sub dio statuitur; quod suo loci subjecto describitur, & adjuncto nomine loci Græce & Syriace.

Vers. 14. Describitur etiam adjuncto tempore præparatione Paschatis Iudaicæ; quod tempus ex lege tamen ipsum Paschatis festum erat: tempus magis particulare ponitur hora sexta: aliud item adjunctum acclamatio Pilati, ut Iudæi suum spectarent regem.

Vers. 15. Cujus adjunctum est Iudæorum importunissimus clamor ut crucifigeretur. Cujus item effectum est Pilati responsum à disparato, indignum esse suum regem ad crucem efflagitare. Cujus item effectum est Iudæorum assertio: Iesum illorum regem non esse; quod arguitur à disparato, quod regem præter Cæsarem non agnoscant.

MATTH. 24. Pilati conatus Christum morte eripiendi irritus: quod etiam comparato majore amplificatur, nempe quod tumultus major esset, quam prius; deinde adjunctum notatur sententiæ contra Christum dicendæ, ceremonia lotionis manuum; quæ subjecto describitur, coram tota multitudine Iudæorum; quæ ceremonia sua adjuncta interpretatione declaratur, nempe se esse innocentem in condemnatione justi Christi; quod etiam disparato confirmare conatur, quia Iudæi sua importunitate eum impulerunt.

Vers. 25, 26. Cujus dicti effectum est Iudæorum in se & suos vindictæ divinæ imploratio *Marc.* 15. alia causa efficiens mortis Christi in Pilato est, quod turbæ Iudæorum gratificari voluit: Cujus effectum est liberatio Barabbæ & Christi ad crucem adjudicatio: Cujus adjunctum antecedens est quod flagris prius mulctatus est.

METAPHRASIS.

12. *HAc opinione divinitatis Christi Pilatus leviter tinctus, magis quam prius timore Christum*

Christum condemnandi perculsus majori quam
ante studio Christum absolvere satagebat.
Quod Iudæi percipientes inconditos clamores
tollentes dicebant, si hunc absolveris, non tan-
tum Prætoris Romani ab officio discedes, sed
porro Cæsari te inimicum & perfidiosum sub-
ditum probaveris. Atque ut intelligas, nos
nulla invidia perfusos hunc Iesum ad mortem
postulare, profitemur omnes, quicunque sunt,
Cæsari contradicere, qui Regiam potestatem
vendicant. Hoc cum Pilatus audivisset, majo-
13. *ri Cæsaris quam Dei metu ductus se ad sen-*
tentiam ferendum accingit. Eoque Iesum ex
prætorio tanquam reum sub dio judicandum
educi curavit, in solio & tribunali consedit,
quod situ erat in editiore (pro more Iudicũ) lo-
14. *co lapidibus strato. Erat autem (si Iudæorum à*
divino instituto aberrationem consideras) dies
in quo omnia præparantur, quæ in sequenti fe-
sto celebrando idonea forent, ne quid operis in
ipso festo, quod quietem turbaret, aggredi co-
gerentur. Tempus autem magis speciale erat
hora pene sexta, id est, cum tres diei horæ pene
abiissent, quando secundus quadrans diei, qui
nomine sextus dictus est, initium sumpturus
erat. Quo tempore ad Iudæos Pilatus dixit;
Advertite & detegite oculos in hunc captivum
Regem vestrum, si forte miseriæ suæ intuitu
ad verum testimonium in hac causa dicen-
15. *dum permoveamini. Iudæi vero aucta adhuc*
magis insania & majori in Iesum furore per-
citi occlamabant, dicentes: Tolle illum è me-
dio; iterum clamabant, hunc è medio tolle, at-
que non nisi morte crucis maxime ignominio-
sa. Tum Pilatus; Quid? an Regem vestrum in
crucem agam? Ad quem principes Sacerdo-
tum; Nos nullum regem præter Cæsarem agno-
scimus, eoque hunc regem nostrum esse perne-
gamus.

Matth. 24. *Cum Pilatus sua, quam sibi affinxit, opi-*
nione apud se judicatum haberet omnes cona-
tus Christum morte eripiendi vanos & irritos
esse, maxime cum Iudæorum inconditi clamo-
res sua cum Iudæis de hac causa conflictione
magis aucti & intensi essent, quodque seditio-
nis periculum ex conflictione hac ingruere vi-
debatur, quam quavis conditione, etiam ini-
quissima politici iidemque Religiosi redimere
parati sunt, qui Iudæorum pertinaciam con-
stantia & magnitudine animi vincere debe-
bat, eorum furori cessit. Quamobrem umbram
innocentiæ & justitiæ magis, quam rem ipsam
affectans aquam afferri jubet, & lotis in con-
spectu turbæ manibus, dixit clara voce: me,
quod attinet, cum tot & toties rationes inivi
quibus hunc innocentem morte liberarem, me
nullum reatum ex hujus justi comdemnatione
contraxisse profiteor. Quamobrem vos Iudæi
videritis in quos omnis hac culpa recidet. Ad 25.
quem una voce universus populus respondit:
Nos autem accusationi nostræ adversus eum ita
confidimus, ut non dubitemus nobis & posteris
nostris omnia dira imprecari, si reus mortis
(prout eum accusavimus) non sit. Tum Pila- 26.
tus hac voce populi aliquanto audacior factus
& populo gratificaturus Marc. *in Barabbam*
absolutionis, in Christum condemnationis sen-
tentiam tulit, & impiorum libidini permisit.

PRAXIS.

Summa, Pilati & Iudæorum de condemnando & absolvendo Christo certamen.

Partes sunt, gesta in { Prætorio. Platea.

Noverat Pilatus prius Christum per invidiam apud se traductum: Secundo animadvertit admirabilem constantiam & gravitatem in Christo; quam reveritus Christum libentius absoluturus erat: Tertio accepit ab uxore nuncium, quo divinitus de Christi innocentia per insomnium admonita est. Postremo Iudæis illum blasphemiæ insimulantibus quod se Deum esse prædicavit ex Christi responso, quod fide dignum existimavit, comperit Christum illud sibi non temere assimulasse. Quod autem postrema hac ratione motus dicitur Pilatus ut Christum absolveret operam dedisse, hunc sensum habet: Pilatum hoc majore quam prius contentione, majore studio hoc fecisse, ut qui sibi metuebat ex reatu non tantum sanguinis mortalis innoxii, sed Dei ipsius.

Vers. 12. Studium dimittendi Christi in Pilato unde excitatum.

Ex quo videmus quam malus custos officii est metus. Nam quod hic fecit, fecit tantum metu judicii divini, nullo in justitiam aut innocentiam Christi amore, eoque studium hoc languidum & debilitatum facile evanescit cum ut solidi aliquid sit illud ex charitate manare debet: unde etiam qui Christum non amat, eum certum est mandata Christi non servare *Iohan.* 15, 10, 14. Nam ut omnes actiones bonæ pullulant ex fide tanquam radice; sic omnes itidem pullulant ex charitate tanquam trunco. Unde liquet cujusmodi sunt opera quæ *Pontificiis* probantur; qui expressam & extortam metu divini judicii obedientiamvalde prædicant. Nec tamen calumniatorum notam effugiũt, quod nos dicunt omnemDei cultum damnare qui præstatur cum metu & timore divini judicii

Quatenus ex metu judicii divini agere liceat.

judicii

judicii. Nam tametsi damnemus ea quæ ex mero metu divini judicii profluunt: tamen non negamus timorem ex divino judicio natum licitum esse: ut qui ad constringendam illam partem, quæ adhuc regenita non est, opus habemus judicium Dei ob oculos nostros ponere.

Judæorum levitas, ejusque causa. Quod Judæi non restiterunt solum huic Pilati studio & conatui, sed sublatis clamoribus repugnarunt, qui non ita pridem illi Hierosolyma equitanti regium nomen attribuerunt & regios honores; id sicut singularem levitatem designat, quæ prius exagitata est, dum se instar pilæ aut globi rotari & jactari sustinent; sic vel inde natam hanc levitatem & vanitatem contractam esse existimandum est, quod Christum jam afflictum & vinctum comperissent. Pudet enim illos vincti Christi, qui in soluto exultabant: magisque illos movet quod Christus ab illis externis viribus superatur, quam quod illi à Christo argumentis & rationibus subacti sunt. Vide *Epist. Pauli 2 Cor.* & *Philip.* & *2 Thessal.* & *Timoth.* 2. quantam vim hæc habeant.

Ratio eorum futilis. Rationem afferunt, quod tantum abest ut bonus Proconsul sit, ut ne amicus quidem Cæsaris aut ei fidelis sit, si hunc dimiserit. Cujus itidem rationem ab adversis afferunt. Non enim posse esse amicum Cæsaris, qui sit amicus Christi sese pro Rege venditantis. Nemo enim duobus Dominis inter se pugnantibus, & suam conditionem mutuo tollentibus servire potest. Quid hoc loco dicendum sit de his qui Christi regnum principum principatibus contrarium esse semper somniant vide prius. Quanquam contrarium hujus verum est; nam hoc ipso quod Christum non absolverit, hostis Cæsaris & Romani imperii erat, quod hoc uno gravissimum reatum contraxit, quod Christus Romæ crucifixus sit. Vide *Apocal.*

Impiorum adversus pios summa indulgentia. Hoc loco vide quomodo priorem accusationem, quam deseruerant, repetunt, cum animadvertunt nova criminatione illis non succedere. Ab una causa ad aliam saltant, &c. Sic impiis adversus pios agendi semper summa libertas extitit, ut illos antrorsum, retrorsum, supra, infra ferire concedatur. Non incommode hoc ad nostros homines aliquousque accommodari potest, qui si quis pro reo aliquid, quod ad ejus purgationem spectat, dicat, acclamant illum adversus Principem loqui, quasi beneficium Principis non esset singulare ut bonus civis & subditus in vivis conservaretur.

Hoc sermone perterritus Pilatus reputavit secum sibi integrum non esse amplius in hac causa moram ducere & effugia quærere, nisi pro perfidioso subdito a Cæsare vellet haberi; & se periclitari magnopere putabat, si Judæos exauditum esset Cæsareæ majestatis magis studiosos ipso, qui gente Romanus erat. Quamobrem penitus secum constituit judicium accelerare, Christum (si placare Judæos poterat) absolvendo; sin minus eum condemnando. Eoque è prætorio Christum educit ut sub dio de more sententia alterutra, aut absolutionis, aut condemnationis ferretur. Vide *Job.* 29,7. *Vers. 13. Pilati ratiocinatio.*

Hoc loco *notatur* quo Dei metu ducuntur impii. Nam tinguntur timore quidem Dei & leviter inficiuntur. Sed metu mortalium penitus imbuuntur & tanquam dibaphum in illum veluti immerguntur & tanquam muria macerantur. Quamobrem quamdiu hominum timor illis non objicitur, pleraque specie bona metu divini judicii faciunt. Sed adventante metu hominum (tanquam clavo fortiori) Dei timor illi cedit. *Timor Dei in impiis levis.*

Hinc igitur qualis sit verus Dei timor in piis *liquet*, scilicet firmus & in Dei potentia & justitia ita fundatus & radicatus, ut nihil perinde timeat, & præ judicio divino omnia alia crepitacula puerorum sint si cum tonitru divini judicii comparantur. Atque hic cultus Dei tantum in hoc mundo durat. Cujus effectus indicatur apud Jobum recedere à malo, eoque ipso facere bonum. Vide *Matth.* 10,28. *In piis verus.*

Quod autem sententia olim sub dio dicta est, id ad dignitatem & majestatem judiciorum Dei spectat. Sicut enim verbum Dei prædicari & Sacramenta celebrari debent quoad fieri potest locis maxime celebribus, *Prov.* 8,2. *Matth.* 10,11. Sic, &c. Olim Athenis noctu exercebantur judicia, &c. Sed ut Judices melius in officio contineantur, illis ante oculos obversari debet Dei ipsius & Angelorum præsentia. *Cur mortis sententia olim sub dio dicta.*

Quod illis Jesum videndum sistat, eo fecit ut illius intuitu commiserationem moveret. Non omnino nostris dissimiliter, qui testes & juratos jubent ut captivum aspiciant priusquam testimonium aut sententiam adversus eum dicant. Quod certe fecit magis quod adhuc sanguine ex vulneribus respersus est, quodque procul dubio colaphis quibus cædebatur facies & caput miserabi- *Cur Pilatus Jesum conspiciendum sistat.*

serabiliter deformata sunt; quæ res gravius judicium in caput Iudæorum accersebat, quod afflicto & attrito afflictionem accumulabant; cum communis humanitas hoc prohibeat: ut mirum non sit judicium absque misericordia illis admensum esse, qui misericordiam non præstabant *Psalm.*109. *vers.* 16.

Vers. 14. *Unde factum ut eum Regem Iudæorum appellet.* Quod vero eum *Regem Iudæorum* appellat, indignitatem auget, ut qui in proprium regem sævirent, quos neque calamitas Christi, nec vocationis amplitudo, ab hoc illum crucifigendi consilio deterrere poterat. Vbi *notandum* est non sine numine factum esse, ut Pilatus qui Cæsaream majestatem studio prosequebatur, quique sibi vehementer timuit à Iudæorum accusatione, qua illum Cæsaris hostem fore confirmabant, nisi gravius in Christum animadverteret, non tantum innocentiæ Christi, sed & regni testimonium dixerit. Quod eo admirabilius est, quod illud iterum ingeminavit, cum diceret, num Regem vestrum crucifigam? illud enim hoc pacto testificatus est, à quo vel maxime, propter periculum quod illum maxime sollicitum habuit, refugiebat. Quod nos non confirmat solum in officio mediationis Christi, cum incircumcisum & illotum os Pilati hoc affirmet, sed simul docet, Deo, occultas & admirabiles rationes non deesse, quibus veritatis & veritatis professorum existimationi consulat. Hinc est quod inter *Pontificios* infensissimi hostes veritatis Euangelicæ in præcipuis capitibus testimonium illi perhibuerunt, ut in re Sacramenti cœnæ Scotus, &c. in Iustificationis causa Pighius: in autoritate Conciliorum Panormitanus, &c. ut si nulla humanitus ratio appareat veritatis à calumniis liberandæ: tamen, &c.

Quod autem populus, ter jam acclamat interficiendum & crucifigendum Christum, cum prius bis tantum hoc iterarunt, *docet* impietatem vires cum tempore acquirere, & invalescere magis & instar hospitis rustici & inhumani esse, cui si facultas fiat una aut altera nocte acquiescendi & pernoctandi, post hospitio excedere recuset. Simul etiam *videmus*, impiis solemne esse cum argumentis nequeunt, importunis clamoribus rem peragere. Vide *Act.*19,28. Vers. 15. *Impietas cum tempore invalescit.*

Notanda iterum singularis principum Sacerdotum hypocrisis, qui, ut Christum ad crucem adigant, præ se ferunt se neminem regem præter Cæsarem expetere: cum tamen compertum erat eos nihil minus quam hoc cupere: imo omnibus rationibus contendisse ut Cæsaris jugo excusso aliquem ex sua gente præficerent. Sic etiam Iudæi in *Actis* Paulum accusabant quod alium regem præter Cæsarem prædicabat. Sic plerique reperiuntur, qui ad gravandos pios sæpe Principis studium & obsequium obtendunt, quo certum est illos non duci. *Principum Sacerdotum hypocrisis.*

MATTH. *cap.* 27, *à vers.* 24, *ad* 27.

24 *Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepta aqua abluit manus coram turba, dicens; Innoxius ego sum à sanguine hujus justi: vos videritis.*

25 *Et respondens universus populus, dixit; Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

26 *Tunc dimisit eis Barabban: IESUM autem quum flagellasset, tradidit ut crucifigeretur.*

MARC. *cap.* 15, *vers.* 15.

15 *Pilatus igitur volens turbæ satisfacere, dimisit eis Barabbam, & IESUM flagellatum tradidit ut crucifigeretur.*

PRAXIS.

SVmma, Pilatus Iudæorum importunitate victus, & sibi in sua injustitia abblandiens, & a Iudæis abblanditus; absoluto Barabba, & adversus Christum sententia mortis dicta, eundem Iudæis permittit.

Partes sunt,
- Pilatus morem Iudæis gerens, & suam innocentiam præ se ferens, absoluto Barabba, adversus Christum mortis sententiam dicit.
- Pilatus damnatum Iudæis (eisdem gratificaturus) crucifigendum permittit.

Cum

Vers.24. *Adversus pertinacem impietatem in pietate confirmatos esse decet.* Cum Pilatus animadverteret, se nihil suis ingeniosis inventis & callidis consiliis profecisse ad Christi absolutionem; quinetiam animadverteret tanto importuniores Iudæos fuisse ad Christum crucifigendum quanto ipse fortius eorum furori obstitit: tandem tanquam re desperata eorum pertinaciæ concedit. Qua re admonemur ut pro ratione obfirmatæ impietatis eorum, quibuscum consuescimus aut rem habemus, nos etiam in pietate confirmatos & radicatos esse debere, ut omnibus eorum in nos impressionibus fractis, ipsi salvi consistamus. Meminerimus igitur quod est apud *Ieremiam: convertantur ipsi ad te, tu autem ad illos ne convertaris. cap.15, vers.19.* Quamobrem si illi in impietate frontem ferream gerant, nos in pietatis defensione geramus æneam; si illi æneam, nos adamantinam; si illi adamantinam, nos petream. Quod quidem tanto nobis diligentius expendendum est, quod in illa secula perdita & deplorata, incidimus, quibus illa pietas & robur animi non sufficit, quæ olim sufficiebat: Sicut enim armatura prisca propter tubarum & tormentorum inventionem tanquam papyrus transverberantur, & sicut arietis machina, quæ olim portas & muros quatiebat, instar plumæ est, si cum tormentorum vi componatur: Sic, &c. Eoque hoc magis & sollicitius cogitandum, quod inventi sunt improbi qui primam impressionem fortiter repulerunt, ut in Balaamo patet, qui Balaco restitit. *Num. 22.* Vide Sampsonem qui Dalilæ sæpius restitit. *Iudic.16.* etiam qui piis scelus patraturis se opposuerunt, ut in Ioabo visum est, qui Davidi lustraturo populum dissuasit 2 *Sam.24.* Longe autem maximum stimulum addat nobis ad perseverantiam, quod sine ea non tantum non assequimur concupitum exitum, sed quod pejore loco sunt defectores, quam si nunquam manum aratro admovissent. *Galat.* 3,1,2,3. Pilatus ut tumultum & seditionem declinaret, Christum condemnat. Atqui ut tumultus declinandi, sic justitia colenda ut cœlum & mundus ruat.

Cæremonia ablutionis manuum. Iubet afferri aquam, ut hac cæremonia lotionis manuum coram multitudine profiteretur suam in condemnando Christo innocentiam. Perinde ac si diceret: Non magis Christi innoxium sanguinem sibi attribui posse, quam manibus ejus adhæreat ex sordibus quidpiam, quod aqua abluitur. Hujusmodi cæremonia extat *Deut.* 21, 6, 7. Ejus etiam generis videtur esse quod est, *Act.*18, 6. Perinde ac si diceret Paulus; Non magis mihi adhæret vestri sanguinis reatus, quam pulvisculus platearum, quem pedibus excussi. Atque si causas intueamur, quæ Pilatum ad hanc cæremoniam usurpandam impulerunt, intelligemus, non id tantum fuisse ut populo testatum relinqueret se ab hoc reatu absolvi (quorsum enim hoc faceret apud eos, qui Christum mortem commeritum esse affirmabant) sed præcipue hoc consilio fecit, ut animo suo scrupulum & stimulum eximeret, qui conscientiam ejus pungebat, & scelus (ad judicii divini horrorem) conscientiæ oculo repræsentabat.

In quo *nota* incredibilem, palpabilem & contrectabilem hominis hypocrisim, qui cum manus ad cubitum usque in Christi sanguine demersas habuerit, hac tamen cæremoniola defunctus, sibi de sua innocentia persuasit, qui tamen proprio testimonio refellitur. Ad Christum etenim dixit; nonne potestatem habeo te dimittendi? Vide quam in uno hoc judicio sanguine madet. *Primum* quod innocentem damnavit judicio mortis: *Secundo* quod Barabbam præ eo absolvit, atque ita se reum sanguinis etiam illius, quem Barabbas obtruncaverat, effecit. Quo accedit, quod perinde injustum est & abominabile, nocentem absolvere, atque innocentem judicio damnare. *Tertio* quod in Christi delatores mortis sententia non animadvertit, quod lex talionis (cujus æquitas illi ignota non fuit) præcipit, eadem scilicet pœna plectendum accusatorem falsum, qua plectendus erat reus, siquidem reatus in judicio convinceretur. *Et in ea Pilati hypocrisis.*

Hujus autem tam crassæ hypocriseos & propriæ assentationis causa una assignatur, quod ceremoniam hanc lotionis obibat. Sic enim comparatum est ut homines existiment re & veritate non omnino privari, quamdiu ejus aliquam umbram retineant, insigne exemplum est. 2 *Sam.*12. in Bathsheba, quæ studiosa & sollicita sese exterius purgandi, de adulterio cum rege non fuit sollicita. Sic nunc dierum cæremoniam accipiendi cœnam Paschatis tempore sollicite & studiose obeunt; cum interim de vera cum Christo participatione per fidem, quam pœnitentia comitatur, nullam curam agunt. Huic opponendum illud Davidis in *Psa.*26, 6. *Lavo manus meas,* non tantum aqua, sed *in* ipsa *innocentia,* quam aqua adumbrat, & *circumeo altare tuum.* Finis condemnationis ad Pilati tribunal est, ut nostris peccatis in *Homines veritatis umbra contenti.*

Christi condemnatione condemnatis, nos coram cœlesti tribunali absolvamur. Quamobrem cum omnes nos coram Dei tribunali sistendi simus, demus mature operam, ut externis signis non contenti, hanc absolutionē Spiritu obsignatam in animo geramus, sine cujus testimonio tremuli & horribiliter expavefacti stabimus. Si quis reus majestatis sciret posse diploma absolutionis ulla opera aut pretio procurari; qua contentione, aut dijudicatione potius, in illud incumberet? partum quam sollicite illud obseraret, subinde cum summa animi oblectatione inspiceret? Atque hæc nostra conditio eo est infinite deterior, quo majestas Dei regum majestatem superat.

Et superiorum exemplo se tuto peccare existimant. Alterum argumentum erat, quo sibi imposuit, quod sceleris sui socios habebat alios & eosdem in scelere superiores: quam fraudem auxit quod Iudæi erant & primores Iudæorum, qui doctrina & pietate alios præcellere videbantur, ut illi merito condonandum videri possit, si quid coactior fecit à religione Iudaica alienus: videtur quod hoc etiam non minimum in ea opinione eum confirmavit, quod tanto omnium consensu in Christi mortem conjurarunt. Sic etiam hodie fit; quotus enim quisque est qui se non in peccato tutum à divino judicio autumat, si ministrum aut Magistratum in flagitio præeuntem habeat, aut vitiis conniventem; neque sollicitum eum habet Dei judicium, dummodo multitudinem sceleris sociam habeat? Iterum *nota*, Pilatum testimonium innocentiæ Christo perhibere, ut uno veluti flatu eum simul & nocentem & innocentem pronunciaverit.

Vers. 25, *Iudæorum imprecatio posteris ipsorum incumbens.* Ne reatus scrupulus Pilati judicium vel minimum retardaret, respondent se Christi reatum hunc probe perspectum habere, ut non dubitent in se & suam (quod fit) posteritatem pœnam devocare, si quæ pro Christi morte luenda sit: qua imprecatione sese & posteros suos inevitabili Dei judicio constrinxerunt; in quo etiamnum detinentur, ut nos doceat ab imprecationibus cavere in nostros, quæ tamen pervulgatæ sunt. Iudicia enim divina ita peccatoribus incumbunt, ut bene cum illis agatur si qua interpositis precibus illa avertere possint. Cum igitur propriis imprecationibus tanquam admotis calcaribus vel pennis inditis ea accelerant, & sibi arctius applicant, non mirum est, si vehementius & violentius ingruant. Atque hoc testimonium est fuisse Filii Dei sanguinem effusum, quod tam horrenda pœna Deus filii sui mortem ultus est. Quis hic adversus Dei justitiam insurgat qui pretium peccati in posteros? &c. Deinde omittendum non est, quam stulte faciunt qui ad peccandum audaciores fiunt, si qui sunt qui profitentur in se recepturos pœnam aut periculum quod ex maleficio, quod patratur, proveniet. Hoc enim dicto Iudæorum Pilatus minus timide ad mortis sententiam devenisse videtur.

Sequitur *pars altera ex Marc.* 15. *vers.* 15. ubi dicitur illum sententia, ut videtur, lata Iudæis Christum crucifigendum tradidisse, cum de more hoc à Romanis exsequutioni mandari debebat, idque hoc consilio ut multitudini gratificaretur. Hoc alterum injustitiæ genus est & judicii corruptela & veluti eversio. Causa autem assignatur quæ perquam in principibus dominatur. Vide *Actor.* 12, 3. in Herode; item *Act.* 24, 27. in Felice *Actor.* 25, 9. in Festo. Est autem summa indignitas principes viros Dei personam sustinentes se ad popelli miseri auram captandam abjicere. Perinde ac si Deus in eis gratiam ab hominibus emendicaret. Quam autem abjectum est si herus servi sui gratiam aucupetur, & omnia agat ut se illi probet. Cum ad fideliter munus obeundum requiratur, recta Dei gloriam & populi, quem regit, utilitatem spectare. Vide quomodo Deus Davidi & Eli Sacerdoti objiciat quod studebant placere suis filiis, 1 *Sam.* 2, 2, *&c.* 1 *Reg.* 1, 6. Quod idem Magistratui objici rite poterat. MATTH. vers. 26. MARC. vers. 15. *Popularis auræ captatio in Principe culpanda.*

Eorum autem, quamvis antiquorum, opinio, qui ajunt Christum denuo flagris cæsum fuisse & illud in more positum fuisse Romanis ut crucifigendos prius flagello castigarent, cum omni aut historiæ Romanæ aut Græcæ testimonio destituatur, pro nulla habenda est, & inde tantum arrepta, quod Euangelistæ *Matth.* & *Marcus* hanc flagellationem per φραγελλώσας narrent, qui tamen aoristo utentes temporis præteriti non obscure indicant prius hoc gestum fuisse quam à se narratur. *Christus semel flagris cæsus.*

IOH. 19, *à dimidio vers.* 16, *ad* 18.

Assumpserunt autem IESVM, & abduxerunt.

17 ***Et ipse portans crucem suam prodiens venit in eum locum qui dicitur Calvariæ, Hebraice autem Golgotha.***

LVC. *cap.* 23. *à verſ.* 26 *ad* 32.

26 Quum igitur abducerent eum, prehenſo Simone quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, impoſuerunt ei crucem ferendam pone IESVM.

27 Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum: quæ & plangebant & lamentabantur eum.

28 Converſus autem ad eas IESVS, dixit; Filiæ Hieruſalem, ne flete de me, verum de vobis ipſis flete, & de liberis veſtris:

29 Nam ecce venient dies quibus dicent; Beatæ ſteriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 Tum incipient dicere montibus; Cadite in nos: & collibus; Operite nos.

31 Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet?

MATTH. *cap.* 27. *à verſ.* 32, *ad* 34.

32 Exeuntes autem invenerunt quemdam Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut attolleret crucem ejus.

33 Et quum veniſſent in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt calvariæ locus,

MARC. *cap.* 15, *à verſ.* 21, *ad* 23.

21 Præterea angariarunt prætereuntem quemdam Simonem Cyrenæum (venientem rure, patrem Alexandri & Rufi) ut attolleret crucem ejus.

22 Duxeruntque eum in locum Golgotha: quod eſt, ſi interpreteris, Calvariæ locus.

ANALYSIS.

ADjunctum condemnationis quod Chriſtum milites aſſumpſerunt; quod ſuo fine declaratur, ut illum ad locum exſecutionis abducerent.

IOH. *verſ.* 17. Qui locus adjuncto homine deſcribitur, nempe Calvaria; quod altero adjuncto nomine Hebræa lingua confirmatur: locus porro deſcribitur ab adjuncto ſitu extra urbem Hieroſolymorum. Adjunctum abductionis eſt quod Chriſtus ſuam crucem bajulavit.

LVC. *verſ.* 26. Aliud adjunctum abductionis Chriſti ad locum exſequutionis, quod milites alium per vim corripiebant, qui deſcribitur adjuncto nomine, ſubjecto patria, & relato filiis apud *Marc.* & adjuncto tempore, cum ex agro veniſſet, & fine ut Chriſto laſſo & fatiſcenti ſub onere ſuppetias in ferenda cruce ferret; quæ crucis portatio ſuo ſubjecto loco declaratur, pone Chriſtum.

Verſ. 27. Aliud adjunctum abductionis Chriſti ad locum Calvariæ comitatus magnus: qui diſtributione ſubjectorum exponitur, plebis & mulierum: quæ ſuis effectibus plangendi & lamentandi Chriſtum deſcribuntur, & poſt ſubjecto loco Hieroſolymorum.

Verſ. 28. Cujus lamentationis effectus Chriſti admonitio ut pro ſe non lamentarentur; quod diverſo arguitur, nempe ut ſe & ſuos filios plangant.

Verſ. 29. Quod arguitur ab adjuncto tempore inſequenti calamitoſo; quod ſuis effectibus, miſeria prægnantium & lactantium; quæ comparatione majoris declaratur, quia potior erit conditio ſterilium; quæ deſcribuntur duobus privantibus, non pariendi & lac infantibus non præbendi; & confirmatur teſtimonio, ſuffragio omnium.

Verſ. 30. Item alio effecto, optione ut montes cadant ſuper eos & ut colles operiant illos.

Verſ. 31. Hæc tam triſtia effecta confirmat à comparato minori; quod illuſtrat ſimilitudine aridi ligni facile concipientis ignem, cujuſmodi Iudæi erant, & viridis, quod ignem non admittit, cujuſmodi Chriſtus erat.

METAPHRASIS.

ATque hactenus de condemnatione Chriſti dictum eſto: ſequitur exſequutio. Vbi primum Chriſtus tanquam urbis purgamentum, utque indignus illa urbe civis, extra urbem educitur, crucem ſuam tenerrimis & cruentis humeris ſuis impoſitam omnium in conſpectu bajulans: educitur autem ad locum carnificinæ, qui à facinoroſorum, qui ibi in crucem acti ſunt, oſſibus Calvariæ nomen obtinuit. Lingua autem Syra Golgothæ nomen ſortitus eſt. In itinere vero ad Calvariam, cum Chriſtus ex ſuperioribus perpeſſionibus ita viribus exhauſtus eſſet, ut cruci portandæ impar exiſteret; milites ſua quadam militari licentia injectis in Simonem gente ſeu patria Cyrenæum manibus, eundum ex agro domum redeuntem eoque ipſo aliquantulum labore confectum corripiunt, & ad portandam Chriſti crucem vel invitum & reluctantem adegerunt. Hic autem Simon (honoris cauſa hoc refero) pater fuit Alexandri & Rufi, IOH. 17. MATTH. 32.

virorum sua pietate in Ecclesia non incelebrium. Tametsi autem militum sævitia non esset vulgaris, tamen hac æquitate in Christum utebantur, ut crucem à tergo gestari curarent.
Lvc.27. *Magna autem multitudo populi (ut in damnatorum exsequutione fieri solet) Christum præeuntem sequitur, dispari tamen & dissimili procul dubio animo: illi læti condemnatione Christi, hi vero mœrentes; in quibus erant aliquot numero fœminæ, quæ illum plangebant & lamentabantur.*
28. *Ad quas Iesus conversa facie, sic dixit: O vos filiæ Hierosolymitanæ, nolite me tanquam miserum & deploratum plangere, potius vestram & liberorum vestrorum vicem plangite.*
29. *Nam (ad quod, quæso, advertite animum) veniet tempus, vel potius jam advenit, utpote quod ante unius ævi decursum executioni mandabitur, quando omnium unanimi consensu profitebuntur, & propter urgentes calamitates, beatas prædicabunt (contra quam fieri solet) fœminas steriles, quæ non pariunt, aut lactantes enixum partum suum fovent.*
30. *Vsque autem eo prementur angenturque, ut cavernas & latibula quærentes in has optiones erumpant, ut montibus dicant, obruite nos & collibus abdite nos.*
31. *Nam si in me tanquam viride & virens lignum propter innocentiam ad ignem iræ divinæ accipiendum ineptum & inidoneum ita sævierunt, quid vobis fiet, qui tanquam sarmenta & cremia igni iræ divinæ fovendo, apti estis?*

PRAXIS.

SVmma, Gesta in itinere à Tribunali seu loco condemnationis lapidibus strato & in altum elato, usque ad craniorum locum.

Partes sunt, quæ intervenerunt { Facta. / Dicta.

In factis sunt, { Crucis Christi gestatio per { Se. / Alium. ; Quæ sunt à multitudine, maxime fœminis Hierosolymitanis, acta.

Ioh. vers. 17. *Christi in cruce ferenda depressio:* Quod Christus crucem ipse humeris bajulabat, insignis est Filii Dei dejectio depressioque, ut non desint qui suspendium ipsum crucis deportationi præferrent, si optio alterutrius daretur. Perticam aut tignum humeris ferre indignum tanto principe. Alterius crucem ferre perquam deforme erat; suam vero crucem sibi impositam ferre erat res multo maxime deformis & ignominiosa. 1 *Reg.*20. Beuhadad rex Syriæ, qui collo suo ut salutem compararet laqueum circumduxit, non usque eo se depressit quo Christus se dimisit, ut salutem nobis pararet. Reges qui præcisis pollicibus sub mensa Adonibesec alimenta colligebant. *Iudic.* 1. non tam abjecti erant, quam Christus rex regum & æternus Deus. Nam ut perquam abjectum illud erat instar canis sub mensa micas & fragmenta lambere & corrogare, ita si illud non nisi coacti fecerunt, & vi adacti, ignominiam minuebat: maxime vero quod hoc sub tecto fiebat, cum istud sub dio spectante infinita multitudine actum sit. Hujus autem si non figura, at certe effigies quædam & repræsentatio in Isaaco legitur, cujus humero imposita sunt ligna quibus ipse cremandus erat. *Gen.*22,6. Quo accedit quod extra urbem, tanquam sordes & ejectamenta urbis, egressus sit. Vide mysterium quod inde scriptor ad Hebræos colligit, *cap.*13, *vers.*11,12.

Hinc discimus nihil tam humile, abjectum, deforme aut contemtum esse, quod libenter nobis impositum non feramus Christi causa, cum ille nostra causa usque eo detrusus sit. *Et ex ea officium nostrum.* Atque ex hac crucis gestatione natum est illud solemne Christi & memorabile dictum, eum qui Christi discipulus esse velit, debere crucem suam tollere & Christum quotidie sequi. Quod quidem cum de hujusmodi cruce intelligatur, quæ nobis Dei manu imponitur, palam est eos qui sponte sua hoc sibi accersunt voluntaria aut paupertate, aut sui flagellatione, cultum peregrinum inducere in Ecclesiam, eoque Deo exosum. Nam Christus crucem suam non nisi ex lege & more Romanorum impositam bajulabat. Quo pertinet quod Christus non tantum crucem ferendam & sustollendam doceat, sed etiam eum qui hoc facit, se sequi jubet: alludens ad Simonem Cyrenæum, qui crucem Christi gestans, Christum à tergo sequebatur.

Hinc etiam *liquet* quam ridiculi *Pontificii* sunt, qui officium Christiani hominis constituunt non parvum, si quis lignum transversum gestet, aut ob oculos habeat. *Pontificiorum error hac in parte.* Quanquam hoc alienum sit à Christi charitate, quam hac crucis gestatione & adoratione præ se ferunt. Vide alibi in annotationibus adversus Iesuitas.

Sequitur de Crucis gestatione per vicarium Simonem quendam: qui describitur ab adjuncto nomine proprio, nomine patriæ, professionis & ætatis, quod duos filios habuerat, quem ex agro redeuntem & prætereuntem corripuerunt & adegerunt, ut Christi Matth. vers. 32. Marc. vers. 21. *Ex infamia apud homines nobilitas apud Deum.*

Christi crucem ferret, quam nemo ex comitatu illo & turba pro rei infamia in se transferri passus est. Hunc autem descripsit tam diligenter Euangelista, non tantum propter rei certitudinem, sed ut eum ex hac re nobilitaret, unde eum infamia notare studebant. *Ex quo* illud *liquet* eadem ratione homines à Deo nobilitari, qua homines impii eos obscurare & deprimere conantur: nec vero illum tantum, sed filios ejus Rufum & Alexandrum ad Ecclesiam aggregatos & inter discipulos (ut ex hoc loco colligitur) probe notos. Cum autem non nisi coacto hoc obtigerit, illustratur inde singularis Dei gratia, qui homines invitos & reluctantes ad sui notitiam pertrahit. Inde enim verosimile est virum hunc occasionem & ansam arripuisse de tota hac causa inquirendi, eademque investigatione thesaurum invenisse. Hujusmodi aliquid existit *Iohan.9.* de cæco, qui primum parum aut nihil de Christo noscens, post Iudæorum in se sævitia ad ejus notitiam perductus est. Sic enim comparati sumus, ut eos qui pro nobis aliquid vel invite perpessi sunt amemus; ut in puero qui pro Rege vapulat, tametsi invitus hoc faciat: sed & eos quorum caussa aliquid pertulimus, non difficulter benevolentia prosequimur, ut in mulierum partu videre est. Quanto magis diligemus, si quid sponte pertulerimus.

Causam translatæ crucis in Simonem.

Causam vero inquirentibus hujus translationis in alium, vix alia videtur occurrere, quam quod Christus antegressis animi & corporis perpessionibus, sudoribus sanguineis, & flagris exhaustus fractusque, illi ferendæ inidoneus esset. Quo docetur cruciatus Christi infinitos & interminatos fuisse, qui unius noctis & semidiei spatio illius vires adeo labefactarunt.

Deus suis laborantibus succurrit.

Hinc etiam *liquet*, quomodo suis laborantibus Deus subvenit & manum ne labantur subdit, ut certo constituamus illum nobis insperato auxilium submissurum aliunde quam expectamus, cum nullus ex his qui prope sunt hoc facere paratus sit; ut hoc loco factum est. Eum enim, qui de asinis sub onere succumbentibus recreandis præcepta dedit, fieri non potest ut oblivio capiat, quin mature afflictis succurrat.

Cur Simon à tergo Christi crucem gestarit.

Quod autem à tergo Christi crucem gestavit, idque Romano milite aut Iudæis aut jubentibus, aut certe permittentibus, eo factum est ne cruce ob oculos Christi semper obversante, majorem aut terrorem aut angorem ingeneraret. Quo *docemur* crudelitatem in judiciis exsequendis declinandam esse, cum hanc humanitatem in istis efferis hominibus fuisse animadvertimus. Hinc est quod in crucem agendis aut truncandis facies obducimus ne plagam carnificis inferendam videant. Eoque crudelitas illa detestata est, qua primum liberos Sedechiæ interfecit Nabuchodonosor spectante parente, post oculos ei perforavit. 2 *Reg.*25,10.

Luc. vers.27. Ad supplicia raptum videre utile.

Gesta à multitudine sequuntur, maxime ab Hierosolymitanis fœminis. Atque de tota multitudine dicitur, illam Christum sequutam esse; ut fere fit cum crimine plectuntur, maxime qui aliquo nomine aut nota sunt: & certe ut hoc non inutile est, sed magni fructus; ita quam rari inveniuntur, quorum oculi aperti sunt ut quod pœna illa docet attendant. Quot sunt, qui secum reputant num illi hujusmodi aliquid aut etiam gravius admiserunt eo, cujus nomine captivi plectuntur; eoque Dei erga se patientiam, qui illos præteriens in istos animadvertit, ut nos ad resipiscentiam ducat? *Luc.*13. Quot, qui si nihil patrarunt, cogitant hoc nullo eorum merito fieri, sed Dei tantum benignitate; qui illos sibimet relinquens aut in difficultates & tentationis angustias ex paupertate conjiciens eis non itidem fræna laxavit, aut paupertatis telo feriri passus est, aut maleficiorum consiliis communicare? Quot sunt deinque qui cum innoxium ad supplicium rapi intuentur, secum reputant; quam illis quos propria conscientia reatus coarguit, formidandum sit Dei judicium, nisi mature resipiscant?

Vers.28. Fletus mulierum reprehensi I. causa indigna de Christo cogitatio.

Christus streperis & clamosis earum vocibus exauditis, se ad eas convertens, illas alloquitur. Vbi *disquirendum* quid sit quod Christus in his fœminis requirit; quandoquidem deflere innocentis hominis supplicium, pium semper habitum est; sicut contra ferrei & lapidei habendi sunt, qui nulla adversus illos commiseratione ducuntur, maxime si ad suplicium rapti, spectatorum causa & vitio plectuntur: & gladium virginis cor transfixurum ex hac Christi perpessione prædicitur. *Luc.*2,35. *Respons.* primum in istis fœminis damnari quod Christum benedictum & beatum in omne ævum miserum & commiserandum duxerunt, quem invitum forte ad crucem raptum existimarunt. Quod ut per se nefarium erat, sic ob eam causam illum miserum judicare, quod Patri obsequium præstitit, mundi peccata redemit,

mit, magis adhuc alienum erat: quandoquidem coram Deo hoc nomine gloriosus, nostro judicio miserabilis & inglorius esse non debebat. Sic Iobi amici illius sortem lachrymis deflentes, ac si atrociore scelere admisso hanc Dei in se iram devorasset, suo dolore Iobi dolorem auxerunt. Hujusmodi est commiseratio & lachrymæ multorum qui Martyres Christi tanquam miseros & infelices plangunt, aut non satis consultos quod se & sua periculo aut internecioni exponunt; quibus non venit in mentem beatitatis quæ mox hanc crucem insequetur. De quibus omnibus dici aliquousque potest, quod Salomon de improborum commiseratione scribit, esse eorum viscera crudelitatem. *Prov.*12,10. Quod si peccatum sit lugere piorum conditionem tanquam miseram, quanto gravius scelus erit eorum calamitati insultare & illam irridere.

II. causa oblivio propriæ calamitatis: Altera causa hujus reprehensionis indicatur, quod totæ defixæ in Christi calamitate propriæ & suæ, quæ majorem fletum & planctum promerebatur, oblitæ sunt. Sic ergo lamentari aliorum calamitatem, ut tuam secure prætereas nec ad calculum revoces, in vitio est, maxime vero peccata, quæ calamitatis causam & semen continent. Sic deflevit Ieroboamus mortem Abija filii, cujus conditio morientis multo potior erat, quam viventis patris 1 *Regum* 14. Sic defleverunt Hierosolymitani captivam turbam quæ primo abducta est Babylonem, cum eorum conditio potior erat, quam illorum qui in urbe remanserant. Vide *Ierem.* 29. & alibi. Cum enim ægre ad luctum & lamenta adducamur, tum vero tardius & invitius ad propria peccata deflenda adducimur. Quamobrem ut nostræ lachrymæ acceptæ sint, priusquam pro aliis, nostra & propria plangamus. Homines sibi de se boni aliquid persuadent, quod aliorum delictis condolent, cum illi sua crimina & flagitia non lugeant. Tanquam si quis alterius reduvias lugeret, cum interim proprii capitis diminutione non commoveatur. Cujus quidem mali hæc causa est, quod nostri amantes magis simus quam aliorum, eoque promptius mala propria quam aliena lugeamus; tamen nobis ipsis magis abblandimur & difficilius aliquid mali nobis eventurum credimus, ne tum quidem, cum alios improbitate aut æquamus aut vero etiam superamus.

Vers.29. *Cujus magnitudo arguitur à sterilium præ aliis felicitate.* Luctum earum arguit ex causis, calamitosis temporibus quæ obtingent: quæ tempora arguuntur ab adjuncta concordi & consentiente omnium, qui tum vivent, testificatione, de earum fœminarum felicitate, quæ neque uterum tulerunt, neque parvulos lactarunt; quod tamen in hujus vitæ commodis principem locum, præsertim apud Iudæos, obtinere solet. Tempus vero quod intelligit, est excidium Hierosolymorum, quo tempore præ fame parentes delicatuli in propria viscera sævituri essent; à gladio suos liberos confodi & atteri & iterum præ fame in plateis inedia confici oculis tenerrimis inspicere cogerentur. Simul etiam indicat hostem viris & fœminis non parciturum cum in infantulos nulla clementia utatur.

Vnde apparet Dei dona propter peccatum noxia esse. Sic *videmus* nullum tantum & tam excellens Dei beneficium esse (si illa excipias quæ sunt regni cœlestis) quod peccati contagione & pœna, quæ peccatum comitatur, non modo non inutile reddatur, sed nobis etiam quam maxime adversum: ut hoc loco non tantum deficimur consolatione ex liberis, sed majorem calamitatem nobis accersimus, quam si sine liberis mansissemus. Sic in captivitate Babylonica principes & qui ex semine regio oriundi erant, item artifices & melioris notæ omnes deportati sunt, relictis his qui nulla singulari præstantia erant. Item in extrema captivitate cum templum incensum conflagravit, divitibus abductis pauperes remanserunt ut terram colerent. Quo facto perinde facit Deus, ac si quis fortis alteri sua instrumenta, quibus confidit eripiens, illis ipsis in quibus acquievit, eum conficiat aut contumeliose tractet. Quod nos doceat ne aut tam avide ista sectemur, aut parta tam cupide & arcte retineamus aut amplexemur; sed illa potius sectemur, quæ semper commoda, tum vel maxime nobis profecerint, cum in angustiis versabimur. Videmus ergo liberos, qui nobis pro scipione dati sunt, cui senectus nostra innitatur, instar arundinis esse quæ nos innitentes pungat, eosdemque instar sagittarum, quæ in hostium latera excutiuntur, in propria latera veluti intorqueri; & qui oculorum nostrorum oblectamenta erant, fieri veluti spinas in oculorum pupillis defixas. Hinc est quod Hoseas populo beneficii loco à Deo sterilitatem apprecatur.

Eadem nutrix quæ mater. Hic *videmus* ejusdem olim fuisse parere & lactare, alioqui enim si alia quam mater fuisset, quæ infantem lactaret, nunquam væ illis Christus dixisset, ut quæ non ita ægre ferant puellorum, quos lactant, interitum.

Deinde

Excidii Hierosol. appropinquatio indicata. Deinde *notandum* est quod Christus dicat dies venire potius quam venturos. Illa enim loquendi formula significat Deum moram in judiciis exsequendis non ducere, sed Deum veluti in itinere ad judicium esse & singulis non tantum annis, sed diebus & horis aliquid spatii emetiri, quoad nos assequatur, qua ratione 2 *Petri* 2. dicitur non dormire impiorum interitum. Tametsi enim illi secure indormiant suis peccatis & sibi abblandiantur, ac si eodem modo cras futurum esset atque hodie, atque adeo melius, tamen divina interim non cessat propius assistere vindicta. Vide *Rom.* 2,5. *secundum cordis duritiem colligis tibi iram in diem iræ, &c.*

Vers. 30. *Quod amplificatur I. à morte frustra expetenda.* Pergit malum hoc exaggerare, dum docet tantam fore calamitatem, tantos animi cruciatus, ut mortem expetituri sint, eamque fugientem persequuturi. Vide *Hoseæ* 10, 8. & *Esai.* 2,19. ubi hæc & hujusmodi attribuuntur his in quos judicium Dei vel in hac vita exercitum est. *Apocalyps.* 6. vero attribuitur impiis & reprobis, qui die extremi judicii præsentiam justi Iudicis exhorrescent: ut hoc sermone deploratam & ineluctabilem impiorum in omne ævum perditionem describere videatur. Ac si diceret; vos excipiatis: quid nos his territas? quod est maxime formidabile, mors est; extrema omnium linea, quam nos obire necessum est. Imo vero, inquit Christus, pejus vobiscum agetur: eo enim angustiarum & cruciatuum deducemini, ut præclare vobiscum actum iri existimaturi sitis, si res morte transigeretur. Sic impii homines adversus Dei judicia & ingruentes calamitates se consolantur & obfirmant, quod morte omnia perficienda & absolvenda sint: Sed hæc sunt malorum initia, nam mortis periculum simul etiam tanquam meta divini judicii horrorem impiis inducit, dum qui est mortis idem etiam inferni, quod mortem comitatur, nuncius. Mortem igitur exorta tempestate pii simul & impii exoptant, sed pii ut per mortem, tanquam per portam, vitam ingrediantur; impii vero mortem perpetuam & animi & corporis expetunt, & hic in terris semper putrescere præoptant, ut ne in judicio sistantur.

Vers. 31. *II. à comparatione peccatorum cum Christo innoxio.* Hoc confirmat à comparatione minoris: Nam si in me, inquit, hoc admiserunt, qui tanquam lignum viride ad ignem divini judicii concipiendum ineptus & inidoneus sum; quanto magis hoc vobis & liberis vestris facient, qui tanquam sarmenta aut cremia illum facile accipitis: hanc autem formulam loquendi descripsit Christus ex *Ezech.* 21,3. Vbi Hierosolymis (ut hoc loco) minatur Deus, se justum simul & injustum igne divini judicii consumturum, est autem elegans similitudo, qua pii ligno viridi, impii arido comparantur. Sic apud Ioëlem impii comparantur maturis frugibus falcem veluti expetentibus, & maturis uvis torculari subjiciendis assimulantur. Eoque ipso pii segetibus nondum ad maturitatem perductis & uvis seu botris, quæ nondum vindemiæ aptæ sunt. Hæc igitur nobis accommodemus: videmus enim vicinos nostros nobis meliores judicio divino undique conflagrasse, quid nobis igitur fore speremus?

Quibus peccatoribus infantes annumerati. *Notandum* porro sugentes infantulos hoc loco cremia & arida ligna reputari & idonea in quæ Dei ira exerceatur, unus ut Christus inter homines viridis sit. Tametsi enim inter homines alii sint virides, alii aridi, ut est apud *Ezech.* tamen nemo est tam innocens quin divinæ iræ fulmini subjiciatur. Hoc notetur adversus *Pelagianos, Pontificios, Semipelagianos*, & adversus tritum apud nos sermonem, quo infantes innocentes reputamus.

MARC. *cap.* 15, *à vers.* 22, *ad* 25.

22 *Duxeruntque eum in locum Golgotha; quod est, si interpreteris; Calvariæ locus.*

23 *Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse vero non sumsit.*

24 *Quumque crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus, jacta sorte super ea, quis quid tolleret.*

IOH. *cap.* 19, *à vers.* 18, *ad* 25.

18 *Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem IESVM.*

19 *Scripsit autem etiam titulum Pilatus, & imposuit cruci; Erat vero scriptum,*

ptum, IESVS NAZARENVS REX ILLE IVDAEORVM.

20 *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus erat: & erat scriptum Hebraice, Græce, & Romane.*

21 *Dixerunt igitur Pilato primarii Sacerdotes Iudæorum; Ne scribito, Rex ille Iudæorum: sed illum dixisse; Rex sum Iudæorum.*

22 *Respondit Pilatus; Quod scripsi, scripsi.*

23 *Milites ergo quum crucifixissent IESVM, acceperunt ejus vestimenta, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam: erat autem tunica insutilis, à summo contexta tota.*

24 *Dixerunt ergo inter se; Ne findamus eam, sed sortiamur de illa cujus futura sit: ut Scriptura impleretur, dicens; Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super veste mea jecerunt sortem. Milites igitur hæc fecerunt.*

ANALYSIS.

DEscribit subjectum locum, ubi Christus crucifixus est, ab adjuncto nomine & nominis notatione.

MARC. *vers.* 23. Adjunctum notatur eorum qui in crucem agi solent, nempe quod myrrhatum vinum captivo bibendum proponebatur; cujus item adjunctum est, quod Christus bibere vinum illud recusavit.

IOH. *vers.* 18. Aliud adjunctum crucis Christi quod comites habuit supplicii duos facinorosos; qui describuntur subjecto loco, quod unus fuit à dextris Christi, alter à sinistris ejus; quod suo relato arguitur, quia Christus medius erat inter duos.

Vers. 19. Aliud adjunctum crucis Christi, nempe inscriptio criminis, cujus nomine supplicio afficiebatur. Hæc inscriptio describitur à subjecto loco (quod pro more suffixa erat cruci Christi) & forma sua.

Vers. 20. Cujus adjunctum est, quod multi hanc inscriptionem legebant; quod arguitur ab adjuncta propinquitate Hierosolymæ & loci, ubi Christus passus est; item ab adjuncta varietate linguarum quibus scripta est.

Vers. 21. Cujus inscriptionis lectæ effectum erat, quod principes hanc inscriptionem è medio tolli cupiebant, & aliam substitui.

Vers. 22. Hujus petitionis adjunctum est responsum Pilati, non omnino mutandam; quod confirmat testimonio, quia ipse ita scribi jussit.

Vers. 23. Aliud adjunctum crucis Christi, corporis denudatio; quod suo efficiente declaratur, nempe milite Romano, qui pallio & tunica eum exuerunt: quorum aliud effectum narratur, nempe quod pallium in quatuor partes dividebant; item quod sortes jecerunt, cujus futura esset tunica; cujus sortis ratio ducitur à forma tunicæ: quod inconsutilis esset.

Vers. 24. Finis hujus cum divisionis, tum sortitionis est impletio Prophetarum, qui hæc prædixerunt.

METAPHRASIS.

IOH. 21. P*Rincipes vero Iudæorum cum hanc inscriptionem legissent, rogabant Pilatum, ut eam tolleret & aliam ejus loco substitueret: nolebant enim ut eum profiteretur regem Iudæorum, sed ut ostenderet Christum hunc ementitum titulum sibi falso arrogasse, ut arguerent fuisse impostorem. Regem ipsis à Deo missum & hoc solum titulo à Romano præside ornatum nuper repudiantes. Pilatus vero co-* 22.
gnito eorum in Christum injusto odio, respondit se nolle inscriptionem illam mutatam: non enim expedire ut quæ non impie, nec injuste magistratus authoritate facta sunt, sine justa causa, tantum ut libidini aliorum satisfiat,
mutentur. His ita peractis postquam Iesum 23.
crucifixissent milites, detractis corpori vestibus, inter se partiti sunt quatuor partes, pro numero militum dividentium: excepta tunica, super quam, quia inconsutilis erat, sortem projecerunt: sic scilicet Christus redemptor noster vestibus exui voluit, ut nos sua justitia indueret: tunicam impartibilem portans, ut significaret quam inter suos colere oportet virtutem: una enim est Ecclesia, sicut una Fides, una Iustitia, una Spes, unus Spiritus, unum corpus, unus denique Dominus & unus Deus.
Hæc autem omnia evenerunt secundum præ- 24.
dictionem divinam per Prophetas, præsertim per Davidem Psal. 22. *Vt magis liquido omnibus constaret hunc esse verum illum à Deo patribus promissum Messiam, atque inter alia hoc etiam signum ad eum rite cognoscendum à Deo datum suum haberet complementum.*

PRAXIS.

SVmma, Christi perpessionum in loco patibuli primordium & veluti prælibatio.

Partes sunt, perpessiones { Antequam in crucem sublatus est. | Postquam suffixus cruci erat. }

In *priore* erat primum triste spectaculum cra- MARC. vers. 22.

Dolor Christi ex craniorum aspectu, craniorum, quod eum non tantum eo nomine pulsavit, quod eorum aspectus hominibus melancholicus sit; sed quod illi peccati acerrimum sensum injecit. Nam si unius Lazari sepulchri intuitus lachrymas illi expressit. *Iohan.*11,11. maxime quod tyrannide peccati tam pulchra Dei Imago perdita esset: quid hic fecisse existimabimus, ubi tot cadaverum crania in oculos incurrebant? Maxime autem eum pungebat quod tempus jam advenisset quo peccata eorum quorum illa essent, à se jam exigenda erant, ut illis ad pristinum statum redire liceret. Non secus ac si latroni suspendio vitam finituro & pœnitudine cædis admissæ ducto ob oculos adducerentur eorum hominum trunci, quorum nomine plectendus esset. Nam Christum, tametsi homines ipsi homicidæ essent, tamen non minus pœnas pro illis pendere oportebat, quam si ipse illos interfecisset: vel fingite potius præcisa capita liberorum patri morituro spectanda afferri: quis non ad spectaculum hoc cohorresceret? Atque Christi servatoris viscera non minus tenera erant atque adeo multo magis in homines, nedum suos. Hoc igitur tanquam mucrone eum vulneratum fuisse gravissime, animo percipiendum est.

Quod nos *doceat* peccati tyrannidem & deformitatem cogitare, quoties sepulchreta præteriverimus & crania inspexerimus, ut eorum intuitu & commentatione peccatum nobis horridum & fætidum sit, quod alioqui amplectimur & exosculamur. Rem magni pretii exosam videmus his, quorum liberi aut uxor re illa quantumvis pretiosa perierunt: quanto magis peccatum nobis exosum esse debet, quod præterquam quod in se vile & fætidum sit, tantum nobis damnum apportat.

Vers.23. *Ex siti.* Tritum est, dolorem & mærorem, siccum & sitibundum esse. Vnde non mirum est si Christus angoribus confectus valde sitiverit, maxime cum tantam sanguinis copiam (seu profluvium) partim sponte sua, partim impositis ei plagis effudisset: Vere ut de eo dici potuerit, eum instar testæ aridæ fuisse. *Psal.*22,15. aut clibani. *Psal.*102,3. Quamobrem sive de more potandi erant malefici, sive matronæ miseratione poculum illi miscuerant, dubium non est quin avidissime potum expetiverit, quo tantam & incredibilem sitim & ardorem restingueret. Sed cum gustata potione intelligeret, ita comparatam & compositam fuisse, ut mortem partim acceleraret, dum acetum & fel sanguinem desiccaret, & attenuatum copiosius distillare & fluere faceret; partim minus sensibilem & acrem redderet, dum stuporem quendam myrrhatum vinum & cerebri perturbationem induceret; nihil ex illa potione combibere & in stomachum transmittere voluit.

Quamobrem quod Marcus *myrrhatum vinum*, Matthæus autem *acetum cum felle* notat, id multifariam dissolvi potest. Et *primum* quidem si pro ὄξος substituas οἶνον, quod Græci exemplaris autoritate non caret, atque ita vinum myrrhatum idem prorsus sit cum vino felle permisto, quod Myrrha sua natura vinum leviter amarum reddat. *Deinde* dici potest utramque potionem illi præbitam fuisse: hanc quidem indicio prius proditam, quam non accepit: illam vero secus, unde illam gustatam repudiavit: vel *denique* potionem ex vino, myrrha, aceto, felle mixtam & temperatam fuisse, ad illos, quos dixi, usus: nec multum interest, quem ex his sensum sequamur, tametsi postremus optime convenire videtur. *Ubi Matthæus & Marcus conciliantur.*

Hic *consideretur* quomodo Christus vinum respuit tum, cum mæroribus infernalibus conflictaretur: cum *Proverb.*31,5. jubeantur vinum bibere, qui perituri sunt, & qui animo sunt amaro: quam autem gravis cruciatus sit tantum siti premi, constat inde, quod cum infernalibus tormentis componitur. *Luc.*16,24. Sed quod maxime hoc loco spectatur causa est, cur Christus hanc potionem, cujus tantopere eguit, & cujus desiderio eum urgeri & pungi necessum erat, repudiavit: scilicet ut vitam sibi prorogando pœnas omnes ad extremum usque quadrantem pro nobis exsolveret; nec prius è vita migraret, quam omnem iræ divinæ guttulam exhausisset, & fæces epotasset, & minimam furoris divini scintillam extinxisset, ne in nos arderet. Hic igitur non tantum spontanea pro nobis perpessio, sed sollicita cura elucescit; ne quid nostro dispendio fieret, quod ei summo compendio fuisset. *Quam sitim restinguere Christus recusarit.*

Quod nos *doceat* quomodo ad deflenda peccata nostra vocati, omnia hujus vitæ solatia & refrigeria declinemus. quæ justi mæroris cursum retardent in cibo, potu, vitæ consuetudine, &c. Quod secus fit ab hominibus qui à Deo ad planctum & pœnitudinem vocati, id agunt ut ludis, jocis, consuetudine amicorum, sensum peccatorum suorum & divini ob peccata judicii excutiant & *Docens in recordatione peccatorum omnia vitæ solatia declinare.*

procul à ſe amandent. Hinc eſt ut qui olim peccata ſua lugebant, עצורים appellati ſint ut qui ſe ab omnibus hujus vitæ ſolatiis ſubducebant. Sic enim lugenda ſunt peccata ut fœminæ ſolent primogenitorum ſuorum mortem deflere, & ut mulieres Iſraëliticæ, quæ infanticidium Herodis tempore ita planxerunt, ut conſolationem nollent admittere. Huc ſpectare videtur factum Davidis, qui Shimæum ſibi oblatrantem & lapides & pulverem adverſus ſe jactantem noluit percuti, ſed ut in maledictis jaciendis pergeret permiſit: 2 *Sam.* 16. quod ſecum reputaret diem & tempus illud humiliationis eſſe, quo eum Deus ad peccati ſui pœnitudinem ducere voluit: ob eamque cauſam noluit quicquam fieri, quod illam abrumperet. Hinc Ieremias exoptavit deſertum, ubi libere ſine aliqua interpellatione peccata populi ſui lugere concederetur. *Ierem* 9,1,2. Sicut enim qui ſe ad lætitiam componunt, nihil in conſpectum ſuum admittunt, quod gaudium minima ex parte minuat (ut conſtat ex Hiſtoria Eſteræ ubi Mardochæo ante aulam ingredi non eſt datum, hoc ipſo quod pullatus incederet.) Sic & lugentes, quod luctum impediat.

Genus mortis Christi, ejusque generis necessitas.

Atque hæc de priore parte, de his nempe, quæ loco patibuli geſta ſunt priuſquam Chriſtus in crucem elatus eſt. *Sequitur altera:* ubi primum conſideratur genus mortis quo Chriſtus obiit, crucis ſcilicet, quod aptiſſime Servatori mundi competebat, & in qua, tanquam nota quadam, Servatorem Chriſtum agnoſcimus. Primum enim non potuit Chriſti mors naturalis eſſe, ſed violentam oportuit eſſe, ut vita illi injuria erepta nobis jure reſtitueretur. Nec veneno, aut igne, aut lapidibus eum extingui fas erat, cum ſanguinis effuſionem fuiſſe ad peccatorum remiſſionem oportuit, ſicut ſacrificia Chriſti umbræ ſatis clare docent: ſed neque quamlibet ſanguinis effuſionem gratam Deo futuram conſtat, cum capitis obtruncatione mori non debuit, quod ſic os ejus comminueretur, contra quam decebat, ſicut & Paſchatis ſacrificio & avium mactatione prædictum & præfiguratum erat: ſupererat crucis mors, quæ ideo delecta eſt ex ſupplicii generibus tum uſurpatis, *primum* quod ſacrificii à Sacerdote agitati & ſerpentis ænei elatione adumbrabatur: *deinde* quod ſumme cruenta & cruciatus pleniſſima eſſet, omniumque ignominioſiſſima, *Hebr.* 12,2. *Tertio* (& quidem maxime) quod execratione & diris horrenda exiſteret, non ſua natura, aut opinione hominum, aut lege civili, ſed Dei ordinatione: execrabilis enim erat omnis in cruce pendens: ut ſic Chriſtus Dei execrationem perferens nobis benedictionem acquireret: Cujus quidem execrationis, quam ipſe in ſe beatus pertulit, ſignum & teſtimonium eſt crux. Nam ipſa execratio gravius quiddam eſt, nempe plenus totius divini in noſtra peccata judicii ſenſus. *Galat.* 3,13.

Unde officium nobis geminum.

I. Hic igitur peccatorum noſtrorum horror & fervor nobis ad fletum & planctum ob oculos verſari debet: quorum peccata lanceæ erant quibus ſanctiſſimum ejus latus, & quæ clavi erant, quibus ſacerrimi pedes & manus transfigebantur. Vide *Zach. cap.* 12, *verſ.* 10.

II. Quæ igitur mors tam plena cruciatus & ignominiæ ſit, quam non libenter Chriſti cauſa adeamus? Nam fidelibus nulla execrabilis eſt: ut ſolent ſtulte & impie caninam mortem ſuſpendium appellare; cum profiteantur ſe quidem ad moriendum paratos eſſe, tantum detrectare hoc genus mortis.

Christus primarius inter maleficos habitus,

Sequitur quod cum maleficis in crucem actus ſit: quo etiam ſpectat quod prius poſitum eſt, illum ſimul cum illis ductum eſſe ut impleretur illud *Eſa.* 53. *cum impiis habitus eſt.* Quod nos admoneat ne deſpondeamus animos, ſi cum latronibus & furibus veritatis cauſa conſociemur. Vide Pauli exemplum & Ioſephi. Conſoletur enim nos cauſæ noſtræ diſſimilitudo; & Deum pulchre diſtinguere quæ homines confundunt. Maximam vero conſolationem habet, ſi reputemus nos commeritos eſſe. *Notandum* autem non tantum Chriſtum cum impiis habitum, ſed primarium maleficum habitum eſſe, & veluti Regem maleficorum. Hoc enim jam ſecundo declarare volunt, cum Chriſtum in medio duorum maleficorum ſtatuunt: prius hoc in Barabba prodiderunt.

Quo in loco pii apud impios sint ostendit.

Notandum quam ſit conſummatum & inflammatum impiorum in pios odium; ut non tantum pro impiis eos habeant, ſed in impiis ſummum locum illis attribuunt. Sic olim Paulus mundi peſtis habitus. *Actor.* 24,5. item de ſe & ſociis ſuis tanquam de περικαθάρμασι & περιψήμασι loquitur. 1 *Corint.* 4, 13. Quod nos ferventiores faciat, dum odium noſtrum ut in omnia peccata accenſum & acerbatum, ſic præcipue in impietatem eſſe debet. Quod ſecus fit. Nam ſi quis

in

in furtis & homicidiis infamis sit, ejus consuetudinem refugiunt, tametsi religionem profiteatur: Cum ex adverso ab ejus consuetudine non ita refugiant qui alienus est a vero Dei cultu, dummodo justitiam & honestatem civilem colat.

Nihilominus tamen ipsum esse Messiam ex eo manifestum est.

Quod autem illum hoc pacto collocabant, tametsi hoc consilio fecerunt, ut nihil minus, quam quod profitebatur, illum esse declararent, tamen vel hoc ipso eum talem demonstrant qualem se esse omnibus proposuit. Nam sic impletum est quod de Messia prædictum est, eum impiis adnumerandum fore. Quod ipsum in omnibus reliquis indignitatibus intelligendum, de quibus Prophetæ prædixerunt, totidem scilicet argumenta certissima esse, quibus Iesus Christus esse comprobatur.

Vers. 19. De inscriptione cruci affixa dubium.

Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος.] Particula καὶ, quæ amplificationis notam continet, dubitationem movet, num hæc inscriptio adversus omnes ad crucem damnatos usurpari solita est. Videtur enim aliquid hoc loco singulare notare. Quod si ita sit, tum confirmatur quod de infensissimo mundi in pios & pietatem odio dictum. Sed quicquid est, illud certum est, rem plenam ignominiæ esse (sicut usus apud nos docet) chartam crimen complectentem, aut in fronte gerere, aut capiti suo appensam habere. Cujus ignominia crescit a subjecto loci præalti, ubi hæc charta affixa est ut ab omnibus videretur, item ab adjuncta varietate linguarum, quibus descriptus erat titulus, ne ullus esset quem hoc lateret.

Pilati in ea consilium,

Consilium vero Pilati erat hoc titulo Christi de regno suo spem traducere & falsò irridere. Perinde ac si diceret: En pulchellum regem. Annon vobis verisimile sit hunc esse regem futurum, qui cruci suffixus est? Scilicet pro solio, in quo regia majestas considere solet, cruci affixus tenetur: pro sceptro & clavo aureo, quem Reges manu tenent, clavos ferreos habet; non quos tenet, sed quibus tenetur. Diadematis loco quo ejus caput redimiatur, chartam criminosam.

Durissimam piorum tentationem exhibens.

Atque hæc est piorum durissima tentatio & veluti spiculum venenatum, quo Satan illorum fidem & spem de regno cœlesti transverberare studet. Hoc modo fides Davidis agitata fuit, cum accepto regni promisso, nonnisi satellitio eorum, qui fide conciderant, & ob æs alienum familias suas deserere coacti erant, stipatus esset; cum in deserto Maonis eo paupertatis redactus esset, ut panem & victum emendicare à Nabale coactus sit. Hoc modo jactatus Iosephus, qui accepto promisso de præfectura & principatu in totam familiam paternam, post pro vilissimo mancipio venditur. Sic etiam nunc dictum durum & difficile creditu est, cum esse hæredem cœlorum, cui propter paupertatem ne vestigium quidem hæreditatis in terris est; cum fore Dei & Angelorum consortem, qui hic cum furibus & latronibus aggregatur, lucis filium esse, qui in cimmeriis hic tenebris demersus est; cum tanquam Iudicem & Christo in judicio πάρεδρον fore, qui ad iniquorum tribunal judicandus sistitur.

Cui remedium exaltationis Christi meditatio.

Quamobrem ad retundendum hoc satanæ spiculum, meminerimus Christum ad spem summæ & cumulatissimæ felicitatis vocatum, summe tamen afflictum & depressum, non idcirco spe sua excidisse; imo vero non tantum non excidisse hac ignominiosissima tentatione, sed porro in spe futuræ gloriæ confirmatum fuisse, ut qui cæteroquin cœlum scandere nequiret, nisi hæc illi nostra causa obvenissent. Cum igitur natura Dei filius, & qui ampliorem dignitatem assequutus est, quam quisquam mortalium aut Angelorum, abjectior & depressior fuerit quam quivis alius: ne terreamur aut animum despondeamus, idem nobis si contigerit. Meminerimus item 1 *Ioh.* 3, 2. & *Coloss. cap* 3, *vers.* 3, 4.

Quam exaltationem aliud cogitante Pilato, in hac inscriptioni elucere Deus voluit.

Tametsi autem Pilatus huc respexerat, ut Christum hoc pacto traduceret & ludificaret, tamen Deus ita temperavit & moderatus est huic titulo & tituli descriptioni, ut Christo Domino honori fuerit. Imprudens enim, quod res erat, scripsit, Iesum Nazarenum regem Iudæorum esse: ut non ita pridem Caiphas Prophetam egit, cum dixit necesse esse ut unus pro populo moreretur ne totus populus interiret *Ioh.* 11. Cum igitur crux erat veluti currus triumphalis unde Christus omnes suos hostes, mundum, diabolum, & peccatum fudit & stravit suis pedibus; tum hæc inscriptio ejus veluti signum erat, & veluti statua & columna marmorea, in qua Christi adversus hos impios triumphus inscriptus & insculptus est. Sic etiam videmus in Iosephi carcere sontico umbram quandam principatus fuisse quam Deus illi promiserat, dum aliis captivis invisendis & custodiendis præficeretur. Sic etiam in herili domo tametsi mancipium esset, tamen cum ei familiæ procuratio commissa sit, super-

perfuit vestigium aliquod illius principatus, &c. Sic etiam Davidis servis illæ notæ animositatis & fortitudinis impressæ à Deo sunt, ut illi non vanam spem tandem emergendi afferre possent. Haud secus procul dubio in piorum animi depressione maxima aliquam significationem sui erga eos amoris Deus etiam exterius relinquit, ex qua sese adversus desperationem confirment: dummodo oculos apertos geramus lucem (quod dicitur) strictim & veluti per transennam videndi. Ad eam rem sæpe judicium Iudicibus adimit, ut quos traducere conentur, clam sæpe cohonestent inviti.

Vers. 20, 21. *Quod & factum esse primarii sacerdotes indignati sunt.*

Atque hunc fuisse effectum hujus tituli docet Euangelista. Nam cum Principes Sacerdotum Pilatum accederent peterentque ut titulum mutaret, in promtu est intelligere illam hujus tituli frequentem per Iudæos lectionem, cujus ante meminit Euangelista, hunc effectum sortitam esse, ut hac ratione cœperint de Christo magnificentius sentire. Cum igitur ipsi infensissimi hostes in nobis abjectissimis aliquid videant, cujus nomine illis oculi dolent: quanto magis nos.

De stolida & inepta *Pontificiorum* pro peregrina lingua ex hoc loco defensione, vide quæ alibi à me observata sunt.

Vers. 22. *Illis tamen Pilatus morem non gerit.*

Ad istam mirificam & oculatam Dei in procurando Christi honore providentiam accedit, quod Pilatus, qui in damnando Christo se ad eorum nefariam voluntatem confirmasset, idque (ut ex superiore historia patet) perinvite fecisset, nunc tamen in re non ita magna illis gratificare recusat: & qui ante serviliter illis se attemperavit, nunc regale aliquid spirare incipit. Tametsi notandum est rationem nullam ab illo afferri, cur titulum mutare renuat. In quo imitatur eos, quibus voluntas est pro ratione, quod vitium ut sæpe Principum Aulas frequentat, *Dan.* 6. Sic etiam eorum mentes occupat, qui quam proxime ad eorum conditionem vel opibus, vel honore, vel authoritate accedunt, ut se errantes nolint retexere, ne errasse videri possint.

Luc. vers. 34. *Christi exemplo pro persecutoribus nostris orandum.*

Hic inseratur ex *Luc.* 23, 34. Precatio Christi pro suis persequutoribus; quod nos doceat quomodo affici nos oporteat in afflictionibus nostris, ut illis benedicamus, qui nobis maledicunt, ut pro illis precemur qui nos persequuntur. Quod si Christus hoc fecit, qui tanta & tam indigna ab illis passus est; nedum nos. Nec dubitemus quin, quemadmodum Christi preces & Stephani exauditæ sint, ut patet *Act.* 2, & 9. Sic & nostræ, cum usus erit, exaudiantur. In ratione autem quam adjecit, restringit preces ad eos qui per ignorantiam hoc fecerunt, exclusis his qui per malitiam eum persequuti sunt. Vide 1 *Timoth.* 1, 13. Memorabilis & prædicanda Christi charitas, qui morti appropinquans, & grumos sanguinis undique emittens præ immenso dolore, quo exercebatur, tanquam sui oblitus de discipulis adversus tentationes muniendis sollicitus erat. Sed major & magis incomparabilis hæc est, qua in inferos profundius demissus & demersus quasi sui oblitus hostium suorum acerbissimorum summam curam agit.

Milites postquam Christum Cruci, titulum etiam supremæ crucis parti affixissent: ilico se ad ad spolia Christi accingunt: ut in bello fit cum hostes stratos & cæsos habent. Vbi primum ignominiæ maxima nota fuit Christum nudum in cruce pependisse, quod maleficis non solet usu venire. Nam si indumenti superioris ad tempus abjectio Davidem ludibrio apud suos exposuit; nedum omnium vestimentorum despoliatio. Vide Historiam legatorum Davidis ab Ammonitis ludibrio habitorum ex nudatione partis corporis. 2 *Sam.* 10. Hoc igitur eos consoletur quorum corpora ad flagellationem veritatis ergo nudantur.

Ioh. vers. 23, 24. *Nuditatis Christi in cruce pendentis ignominia.*

Quod Christus nudus Cruci affixus est, ideo factum ut nostram ignominiam, quam ex peccato Adam contraximus, ipse perferret: unde gloriari de spoliandorum vestibus, perinde est, ac si latro gloriaretur de stigmate in manu aut de pedicis. Hinc arguuntur quæ se inverecunde nudant fœminæ. Deinde ut nostram spiritualem nuditatem operiat: ad quam allusisse videtur *Paul.* 2 *Cor.* 5, 3. & *Apoc.* 3, 18. Tertio ut è vita migrantes nudi non inveniamur sed vestiti immortalitate.

Causæ.

Deinde insolentiæ singularis erat vestes Christi partiri, qua quæ uni utiles futuræ forent nulli prodessent, ut facile liqueret illis per ludibrium factum esse. Indignissimum etiam erat vivo & vidente Christo hoc factum fuisse. Sed hoc peccata nostra promerita sunt. Nam lex transgressoribus minatur, illorum bovem illis intuentibus mactatum iri, de quo tamen ipsi non gustabunt. *Deut.* 28, 31.

Militum vestes Christi dividentium,

Idem in tunica facturi cum fuissent, objectum est obstaculum quod inconsutilis erat. Quod quidem quantumvis leve admodum & nullius momenti obstaculum esset,

Et super tunica sortientium insolentia.

Dei

Dei tamen providentia ita eorum animos rexit ut satis ponderis habuerit ad illos ab ejus dissectione prohibendum. Quamobrem ab insolentia partiendi ad aliam sortiendi transvolant: ut hoc etiam ludibrio duo nobis argumenta suppeditarent, quibus Christum Messiam & mundi Servatorem esse constaret. Nam quod olim David de se dicens pro mortuo habitum esse, pro cujus vestibus sortiantur & indumenta partiantur, id de Christo prædictum vere & historice impletum est. Sic Siceræ uxor olim spolia Israëlitarum spe dividebat. *Iudic.* 5,30. Sic Syri & Israëlitæ de regno Iehudæ & de gubernatoribus ante transigebant, quam regnum subjugarunt. *Esai.* 7,6. Nos etiam parati esse debemus ad omnium quæ habemus amissionem, etiam vestium.

Hic de sorte dicendi locus, & illius ad res minimas & ludicras translatio exagitanda.

Hic vide quomodo non omnino dissimiliter hoc tempore Christi vestimenta partiantur & de tunica ejus sortiantur, dum prædia pauperum ptochotrophiorum & decimas ministrorum subducentes illa in proprium usum convertunt, haud dubie Christum ipsum denuo crucifixuri si in terris esset, potius quam illorum inexplebilem avaritiam non exsatiarent. Quanquam quid ni dicantur Christum ipsum crucifigere, cum hoc modo pauperes fame pereunt, & alii in inferis inopia ministrorum suspendio quotidie pereunt. *Quam multi hodie imitantur.*

Ad istam de militibus historiam spectat *Matth. cap.* 27,36. ubi sedisse milites dicuntur ut illum servarent. Quod non tantum vanum eorum metum arguebat, sed Iudæorum calumnias adversus Christi resurrectionem præripuit: alioqui enim dicturi erant Christum vivum è cruce sublatum esse, &c.

MATTH. *cap.* 27, *à vers.* 39, *ad* 45.

39 Qui vero præteribant conviciabantur ei, moventes capita sua.

40 Et dicentes; Tu qui destruis templum, & triduo ædificas, serva temetipsum: Si Filius Dei es, descendito è cruce.

41 Similiter autem etiam primarii Sacerdotes illudentes cum scribis & senioribus, dicebant;

42 Alios servavit, seipsum non potest servare, si rex Israëlis est, descendat nunc è cruce, & credemus ei.

43 Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si placet ei, dixit enim; Filius Dei sum.

44 Id ipsum autem etiam latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

LVC. *cap.* 23, *à vers.* 34, *ad* 38.

34 IESVS autem dicebat; Pater, remitte hoc *ipsis, nesciunt enim quid faciunt. Partientes vero vestimenta ejus, jecerunt sortem.*

35 Et stabat populus spectans: sannis autem excipiebant eum etiam primores cum eis, dicentes; Alios servavit, servet seipsum, si hic est ille Christus electus ille Dei.

36 Illudebant autem etiam ei milites, accedentes, & acetum ei offerentes.

37 Dicentesque; Si tu es Rex ille Iudæorum, serva temetipsum.

ANALYSIS.

Aliud genus passionum Christi in cruce, est ludificatio Christi: quod describitur ab efficiente, primum prætereuntibus. Hoc suis partibus arguitur, nempe factis ex capitis agitatione.

Vers. 40. Deinde verbis: quorum prius illi suam in verbis & dictis, ut illi falso cogitarunt vanitatem, alterum impotentiam exprobrat.

Vers. 41. Aliud efficiens ludibriorum erant principes sacerdotum, scribæ & seniores, qui illi stultitiam & impotentiam impingunt; quod alios servans seipsum servare nequit: deinde falsitatem, quod filium se dixit Dei; quod confirmant à disparato, quod à cruce non descenderet: quod porro amplificant ab adjuncto, fide in eum siquidem descendat.

Vers. 42. Non esse Dei filium porro conantur probare ab adjuncta illius per Deum desertione, quia illum laborantem non eripuit à morte tam ignominiosa: quod item à disparato: pugnant enim (ut illi existimabant) fiducia in Deum & à Deo non eripi.

Vers. 43. Aliud efficiens ludibrii erant latrones cum Christo suspensi; qui pari arguuntur, quia ut principes sacerdotum, &c. ludificabant Christum.

ME-

METAPHRASIS.

Matt. 39. *Nec satis fuit ita Christum Dominum sceleratis manibus cruci affigere inter sceleratos; nisi tum factis, tum verbis etiam insultarent praetereuntes omnes generis, ei illudentes, gestu tum subsannantium, tum applaudentium & comprobantium ejus supplicium, quasi impostor fuisset & merito poenas lueret, id quod significatum volebant capitis insolenti*
40. *agitatione. Praeterea verbis acerbissimis, vanitatem simul & impotentiam, ut illi false cogitarunt, probrose ei objiciunt, quod ausus fuerit jactare se templum demolitum tridui spatio reaedificaturum; idque sibi merito videntur objicere, nisi jam seipsum à praesenti mortis periculo liberaret: praeterea quod ausus sit se Dei Filium profiteri, qua in re mentitum volunt nisi illis hoc miraculo hujus rei veritatem confirmet, scilicet descendendo de cruce, ut hoc facto divina ejus potentia notescat: hac in re Diabolum imitati, qui eadem ratione Christum se praecipitando Filium Dei esse confirmare volebat. Nec ista solum à plebe ignava pas-*
41, 42. *sus est Christus: quinetiam sacerdotes, Scribae, Seniores, & Pharisaei, qui aliorum duces & ductores erant, debuerantque, si qui alii, Christum suscepisse & aliorum impietatem prohibuisse; illudendo & subsannando probare volunt non esse salvatorem aliorum, cum seipsum non liberet à poculo ad quod bibendum venerat: etiam suam infidelitatem justificare volunt, quasi justam, nisi eodem miraculo illis credendi causam praebeat, quasi omnia ab illo prius dicta & facta nullius essent momenti ad probandam Christi divinitatem: ita sibi videntur juste illi infidelitatem, impotentiam & falsitatem impingere, contra veritatem illis probe cognitam; cum tamen nec si hoc fecisset, in eum credidissent: cum hoc facto, longe majora illis conspectis antea praestitisset.*
43. *Acerbius adhuc in illum invehuntur & firmo, ut scilicet ipsis videtur, argumento probare volunt illum non esse Dei Filium, sed falso hoc sibi arrogasse; quia si Dei Filius esset Deus illum in hoc periculo non desereret: non enim ista simul constare posse putant, ut quis fiduciam in Deum collocet & Deus hujusmodi hominem ei fidentem non eripiat periculo: nescientes, aut potius scire nolentes, debuisse Christum pati, atque ita intrare in gloriam.*

PRAXIS.

Summa, Convitia & dicteria acerbissima vibrata in Christum sub suspendii initiũ, nulla non modo causa (quae nulla esse potuit) sed ne occasione quidem (quam post ex ejus verbis arripuerunt) à Christo Domino praebita.

In his omnibus generaliter *notandum* est omnia ista ludibria proxime in divinitatem Christi vibrata fuisse, cum quae prius indignissime in illum facta fuerant, propius humanitatem ejus attingebant: ut quod clavis transfixus & transverberatus erat, & quod ipsius corpore nudato vestes ejus sorti & aleae subjiciebantur. Tametsi enim in Deum etiam ferebantur, quod manus & pedes transfossae Dei pedes & manus essent; vestesque sic proscriptae Dei vestes essent: tamen haec ludibria propius in Deum dirigebantur quod omnium generum convitiis Christi potentiam exagitabant, eumque ἀδυναμίας insimulabant. *Convitia in Christum ejecta propius divinitatem ejus tangebant:*

Haec procul dubio magis aculeata & acuta erant quam superiora, & veluti veneno tinctae magis sagittae, quia quo magis gloriam Dei sugillabant, eo gravius Christi animam vulnerarunt, & veluti lancinarunt. Sic David queritur se gravissime omnium punctum fuisse cum Dei gloria in falsanda ejus fide impetebatur. Sic Moses, Iosua, *quid magno tuo nomine fiet? Exod.* 32, 12, & *Iosua* 7, 9. Quod si hi qui guttula amoris divini tantum exarserunt prae Christo, tantopere vexati fuerint, ut eorum alter maluerit condemnationis sententiam apud impios perferre, quam ita transfigi Dei gloriam: quot inferos Christum hic passum fuisse existimabimus, qui ipsa Dei charitas erat? Oportet igitur majus quiddam & gravius hoc loco concipi, quam non tantum quod exprimatur verbis, sed quam possit animo concipi. Nam sciendum est, illa omnia quae in Deum convitia jaciebantur, in Christi humanitatem recidisse. *Rom. cap.* 15, *vers.* 3. Hic etiam admonendi sumus ex Apostoli verbis ne nobis ipsis placeamus, sed aliis ad bonum: quandoquidem & Christus sic fecerit. *Ideoque acerbissima ipsi erant.*

Partes sunt, convitia conjecta in Christum a { Praetereuntibus. Circũsistentibus.

In praetereuntibus *notandum* est eam fuisse omnis generis hominum alienationem propter peccata nostra, ut cum illi in hac causa actores adversus Christum non essent, tamen sese huic causae adversus Christum immiscuerint; & cum in itinere existentes non facile retardentur, tamen negotium utcumque acceleratum intermittere voluerint, ut aliquod in Christum convitium, tanquam Vers. 39. *Omne genus hominum propter peccata nostra se Christo opponunt.*

quam lapidem conjicerent aut clavum infigerent. *Lament. Ierem. cap.*1,*vers.*12. Ecclesia afflicta affatur viatores, etiam gentes & à fœdere Dei alienos, ut intuitu tantorum malorũ commiseratione ducerentur. Quanto magis debebant isti commiseratione in Christum duci qui illius fœderati essent. Sed omnium animos veluti ferreos & lapideos Deus reddiderat, ut Christus peccatorum nostrorum justas pœnas persolveret. Nam in Prophetis sæpius videmus, populo illos insectante, principes affuisse; & contra Principibus refragantibus populum illis acclamasse, &c. ut in Ieremia. Sed hic omnes æque obstinati sunt: omniumque commune est scelus & singularis crudelitas, quod afflicto & misero homini, cujus sanctissimi pedes & manus sanguinem stillant, afflictiones addunt & accumulant: de quo vide *Psal.*109.

Cum ergo Christum totius terræ & cœli gemmam cum omnibus suis thesauris contemni & despectui haberi videamus, quomodo iniquius ferendum erit, si nos, qui cum illo compositi silices simus, contemtui habeamur. Si purissimum aurum pedibus obtriverunt, ne nobis grave videatur, si nos qui ad illum scoriæ sumus, foras tanquam quisquiliæ & rejectamenta mittamur.

Vel quoad ejus personam, vel quoad ejus officium.

Deinde illud etiam commune erat omnibus ut fidem Christi oppugnarent, hi quidem in persona, alii vero in officio. Quod nobis indicio est hostium Christi per omnes ætates, qui alterutrum horum aut utrumque oppugnant. Omninoque nobis *discendum* est tentationes in eam partem potissimum vibratas iri, ut nos non esse Dei filios eique dilectos credamus. In ministros vero arma etiam parantur, quibus illos de sua vocatione dubios reddant. Quo magis nobis danda est opera ut adversus ista bene muniti & instructi prodeamus.

In prætereuntibus notantur ludibriorum duo genera, in { Gestu. / Verbis.

In gestibus etiam peccatum.

In priore *notandum* etiam vultuum & gesticulationum adversus pios, sive illæ truculentæ sint & minaces, sive joculatoriæ sint, rationem iniri & veluti in acta referri. Vide *Esai.*37,22. Vbi hunc corporis gestum à contemtu provenire docet & plane irrisorium esse, quod etiam plenius constat ex *Ma. c.*15. ubi dicitur eos acclamasse. Hinc Labanus in Iacobum in grata animi labe notatur, quod ejus vultus non esset ut pridie & nudiustertius. *Genes. cap.*31,2. Quamobrem excubiæ agendæ non tantum ne quid loquamur aut faciamus, sed ne vel frontem injuste rugemus.

Ludibria vitanda, & placide ferenda.

Hic *notandum* ludibria nobis declinanda, ut quæ homines ad extrema quæque adigunt; ut in Saulis exemplo, qui ludibriorum metu se interfecit, 1 *Sam. cap. ult.* liquido constat: quæ etiam gravi pœna in puerulis Elizæum ludificantibus Deus ultus est 2 *Reg.* 2. Hic porro *discimus* quomodo nos erga ludificantes & in nos conviciantes gerere debeamus: nempe ut Christus, qui adhæc omnia siluit; aut respondeamus placide, quantum ad nos purgandum satis est.

*Vers.*40. *Prætereuntium παραλογισμὸς geminus.*

In convitio prætereuntium παραλογισμὸς duplex est, unus ἀμφιβολίας, alius à dicto simpliciter ad dictum secundum quid. Nam cum Christus dirutum templum erigere se velle dixit, de templo corporis sui intelligebat, quod illi ad templum Hierosolymitanum transferunt. Deinde cum Christus de templo tum demum per seipsum instaurando loquutus esset, cum illud à Iudæis penitus dirutum futurum erat; sive de corpore suo, sive de templo lapideo intelligebant, tamen nihil hic dicitur quod Christum vanitatis arguat. Quod autem inde argumentum suum petant, eum qui templum collapsum tribus diebus reficeret, se nondum mortuum multo magis à morte exemturum; verum quidem illud est, siquidem quemadmodum de priori, sic etiam de hac voluntatem suam declarasset. Sic videmus quam stolide & insulse disputant, qui sibiipsis acutissime proculdubio concludere visi sunt.

Deinde omnes isti Christum propterea non posse concludunt, quia non vult. Sicut in missatico Idolo *Pontificii* velle eum concludunt quod possit. Quod tamen falsum est; cum non possit seipsum negare, quod faceret tamen, si Deus ex pane crearetur: si humanitas Christi in plerisque locis simul existeret.

Non temere de afflictis judicandum.

Docemur autem hoc loco, ne quid temere de afflictis effutiamus. Nam proprium hoc prætereuntium peccatum erat, quod de Christo ut falso, sic temere (ut videtur) pronunciabant, cum nihil aut parum in causam inquisivissent, sed ex aliorum sermone, quem arripuerunt, de re tota judicassent.

Quod tamen Euangelio sæpe evenit.

Atque hoc modo cum Euangelio hodie agitur, ut inaudita & incognita ejus causa condemnetur à prætereuntibus, qui templum concionis causa nunquam subeunt, sed ab iniquis aut plane hostibus Euangelii de

eo falsos rumores captantes in illis acquiescunt. Quod si regno cœlorum excludatur, qui adversus proximum quantumvis unicum homuncionem calumniam admittit, quid illo fiet, qui adversus totum Ecclesiæ cœtum, atque adeo adversus Deũ ipsum calumniam accipit? Si quis virginem aut filiam in Israële falso intimulet, flagris cædetur, nedum qui totam Ecclesiam Israëlis tanquam matrem.

Vers. 41, 42.
Doctrina & autoritas sine sanctitate noxia.

Principum dicteria sequuntur; in quibus erant Principes Sacerdotum, Scribæ, & Seniores: atque hæc & ipso genere acerbitatis, ut notantur à Luca verbo ἐξεμυκτήριζον, & copia, quemadmodum à Matthæo indicantur, graviora erant. Atque cum ἐμυκτήριζον, quod significat strepitu narium aliquem subsannare, insignem irrisionem notet, tum compositio præpositionis ἐξ significationem auget. In quo *videmus* ut quisque vel doctrina, vel autoritate magis pollet, eo nequiorem & infensiorem veritatis hostem esse: nisi quas accepit doctrina & autoritas sanctitate tanquam sale condiantur: ut doctrina & autoritas illis armorum instar sint, quibus in veritatem primo ejaculatis, post in se recidentibus sese ipsi transfigant. Nec vero Christi mærorem minuit, quod hæc Christo non dicta sunt, sed apud se invicem. Cum enim Christo spectante & audiente gesta sint, non potuit non affligi. Et quod hæc inter se fecerunt, indicant se summa confidentia hoc affirmare.

Deinde *videmus* quomodo eorum in Christum odium gravitatis & dignitatis senilis aut Sacerdotalis oblivionem omnem inducat, ut scurras agant.

Primores adversus Christi omnipotentiam disputant.

Ex tribus autem dicteriis quibus Christum impetebant, primum erat, cum alios servantem seipsum servare nequire, hoc proverbio Nazaræi illum prius incesserant; *Medice cura teipsum: Luc. 4.* tanquam dicerent: Ingrati Medici est alienos à se curantis, suos & populares non curare: sed alios curare, seipsum non curare, aut inepti est, aut certe imperiti Medici: Sed nolle se liberare, si posset incredibile est, ergo sequitur ἀδυναμίᾳ hoc fieri. Atque cum majestas Christi lædatur vel sapientiæ vel potentiæ defectu, malunt tamen pro Iudæorum veteri morbo & inveterato Christi potentiam in edendis miraculis desiderare, quam sapientiam: Iudæi enim signa petunt, ut Græci sapientiam. 1 Cor. 1.

Sed satis crasse & imperite.

Notetur autem quam crasse & jejune adversus Christi omnipotentiam disputant. Nam ex eo quod alios servavit, apparet seipsum multo magis servare posse: cum ad par effectum salutis par causa potentiæ in servando sufficiat; & absurdum sit eum qui fontem domi habeat, unde vicinis aquam ad sitim restinguendam porrigat, sibi ipsi non posse aquam præbere: absurdum, flumen irrigando feracem reddere agrum procul dissitum, & tamen agrum maxime contiguum sua fœcunditate non afficere. Sed longe absurdissimum est Christum alios à mortuis, & quidem cum jam quatriduum mortui fuissent, suscitare potuisse; seipsum non posse servare. Videmus igitur quomodo invidia & odium (ut de muneribus dicitur) sapientum oculos configant, ut ne ea quidem quæ ante pedes sunt videant. Denique contrarium verum est ejus quod dicunt; Nam si seipsum hoc pacto servasset, alios certe servare non potuisset.

Observandum est ratiocinationem hanc justam futuram, siquidem verum fuisset Christum seipsum servare non potuisse, eoque videndum Ministris primum, deinde aliis pro sua vocatione, ut se veros cum Ministros, cum sinceros Christianos comprobent, dum alios servando seipsos etiam servent. Quod tum fiet si alios docentes & admonentes, seipsos etiam doceant & admoneant. Tametsi etiam & illud vere dici potest, eum qui non potest alios servare, ne seipsum quidem servare, sive de Ministris hoc intelligatur, seu de privatis hominibus: quandoquidem unusquisque tenetur aliqua facultate instrui alios admonendi & docendi. Tertio & illud etiam certum est, eum qui seipsum servare nequit, ne alios quidem servare posse.

Argumentis plus contra, quam pro ipsis validis.

Deinde etiam captionem nectunt. *Rex Israëlis affixus cruci de cruce descendere potest: hic non potest; non est igitur Rex Israëlis:* Quod etiam alio argumento amplificant. *Qui non descendit signum est quod facere nequeat: Sed hic non descendit, hoc compendio permotus nos & eadem opera alios ad se lucrandi: ideo non potest descendere.* Atque hoc ipso quod pendens in cruce se cruci non subtraxit, rex Israëlis comprobatur. Singula ut hic argumenta contra Christum allata, totidem sint τεκμήρια eum unicum esse mundi Servatorem.

Temere se credituros spondent.

Simul etiam sibi ipsis imponunt quod se credituros spondent, si, &c. Cum hoc illorum in potestate non sit; & certissimum sit

quod

quod qui Mosi & Prophetis non credunt, eos ne tum credituros si aliquis vel ex mortuis excitatus fuerit. *Luc.16, versu ultimo.* Quod satis declararunt cum Christo è mortuis resurgenti non crediderunt, quod majoris potentiæ fuit, quam è cruce cum adhuc in vivis esset descendere.

Vers.43. *Et non tantum Christum, sed Deum quoque blasphemiis lacessunt.*

Denique à Christo Domino & Messia, ad Deum transcendunt, & illum blasphemiis impetunt. Vbi incredibili & incomparabili Dei providentia factum est, ut eandem non sententiam solum, sed etiam verba adversus Christum usurparint; quæ Propheta *Psal. 22.* in Messiam ab incredulo populo usurpanda & jactanda prædixit; qua ratione illustrissimum testimonium Mediatoris illi reddunt. Atque hoc dicterium inde arreptum est, quod Christus se Dei Filium esse, pronunciarat. Perinde ac si argumentum ita instruerent: ***Deus in se fidentem & filium suum liberat; sed hunc non liberat: non est igitur Dei filius.*** Est autem paralogismus ab eo quod est secundum quid, ad illud quod simpliciter. Nam servat quidem Deus suos ab exitio & æterna morte; sed non servat ab omnibus malis quæcumque illa sunt. Simul etiam ab effectu, quem attribuit Psalmus hoc loco filiis Dei, illud liquet: fidem filiorum Dei non esse nudam fidem, quæ Deum esse omnipotentem & misericordem apprehendit, sed esse illam quæ cum fiducia in Deo conjuncta est, quæ est nos totos in Deum devolvere ut est in *Psal.22.* Cui *Pontificii* tantopere adversantur.

Luc. verf.35. *Quorum exemplum sequitur populus,*

Sequitur apud *Lucam* populum fixis oculis intuentem Christum, principum exemplo allectum, eum subsannasse. Vbi impletur iterum Scriptura *Psal.22.* & simul exponitur qualis tandem hic intuitus, nempe cum voluptate quadam ex Christi malis percepta; ut tametsi Christi ossa partim præ macie, partim etiam distentione numerari possent; quod illis commiserationem movere debebat; tamen hoc spectaculo se oblectarent. Vbi etiam iterum *notanda* est levitas & inconstantia populi, qui principum exemplo Christum subsannat, quem haud ita pridem Hierosolymos adeuntem honorifice deducebat.

Verf.36. *Et milites.*

Lucas addit milites denuo hic se cum primatibus in hoc genere ludibrii conjunxisse, & simul singulare aliquid & suum attulisse, quo Christum subsannarent, dum acetum illius gustui submittunt, quod prius respuerat. Perinde ac si Christi spem de regno exspectato subsannarent; quod cum regibus generosum vinum propinari solebat, ipsi tamen acetum pro vino præbitum aut porrectum sit. Deinde sciebant hoc illum vexaturum, cum quod aversabatur illi in os offerebatur: ut non sine causa, Iohannes Baptista illud milites monuerit, ne quempiam concuterent & contumeliose tractarent. *Lucæ cap.3.*

Sequitur latronum convitium, de quo pluribus agendum est ex *Luca*, qui omnem hanc de latronibus causam copiosius persequitur.

LVC. *cap.23, à verf.39, ad 44.*

39 Vnus autem ex facinorosis illis suspensis, conviciabatur ei, dicens; Si tu es Christus ille, & teipsum & nos serva.

40 Respondens autem alter objurgavit eum, dicens; Ne Deum quidem tu times, quum in eadem sis damnatione?

41 Et nos quidem juste: (nam digna factis recipimus) iste vero nihil indecens fecit.

42 Dixitque IESV; Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.

43 Tum dixit ei IESVS; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

ANALYSIS.

Alia causa efficiens ludificationis Christi, unus ex maleficis: qui describitur adjuncta suspensione cum Christo: Cujus ludificationis species est irrisio officii Christi & regiæ præsertim dignitatis; quam confirmat à disparato, esse eum ridiculum regem, qui nec se, nec suos socios eripiat.

*Verf.*40. Adjunctum hujus ludificationis est reprehensio; quæ suo efficiente arguitur, nempe altero latrone: item causa impellente, vacuitate à timore Dei; quam arguit à disparato, quod non convenit illi, qui hoc pacto vituperator idem supplicium cum Christo perfert.

*Verf.*41. Hanc reprehensionem exaggerat à diverso, quod quamvis idem supplicium cum Christo, tamen dissimili ratione perferunt; quod probat à contrariis effectis, quia ipsi supplicium proprio scelere suo promeriti sunt; Christus contra nihil dignum supplicio admisit.

Verſ. 42. Aliud effectum latronis reſipiſcentis, precatio ad Chriſtum quamvis in cruce ſuſpenſum. Cujus forma proponitur; ubi conſideratur petitio, ut ſui meminiſſe miſericorditer velit: fides qua ſe ſuſtentat fore, ut petitionem exaudiat, eſt primum quod illum Dominum appellet: deinde quod agnoſcit illum regnum manere.

Verſ. 43. Effectum petitionis eſt petitionis conceſſio, illum Paradiſo excipiendum: quod adjuncto tempore declaratur, nempe eodem ipſo die, & comparatione ſimilium illuſtratur, nempe haud ſecus quam ipſius Chriſti anima. Quod teſtimonio, juramento, ad tollendam omnem dubitationem, confirmatur.

METAPHRASIS.

Lvc. 39. *ET ne quicquam deeſſet ad ſummam ignominiam (quam etiam in ſummo gradu ad nos in ſummam gloriam exaltandos ſubire voluit Chriſtus) latronum cum Chriſto ſuſpenſorum alter nulla ſui ſceleris & juſti ſupplicii conſcientia tactus, exemplo ſacerdotum inductus, quia nemo illum liberaret, eadem Chriſto in os objecit: ſic conatus illi veram laudem & honorem officii, præſertim vero dignitatis regiæ detrahere, quaſi ridiculum eſſet eum pro rege aut Servatore agnoſcere, qui nec ſe nec ſocios ſuos periculo eripiat.*
40, 41. *Alter vero ex latronibus divinitus edoctus & Sancti Spiritus afflatu actus ſolide reprehendit ſocii ſui ludificationem, quam à corde vacuo timoris Dei profectam arguit, cum ipſe idem cum Chriſto ſupplicium perferat, & propterea non debuiſſe tam profano ore in Chriſtum debacchari, cum etiam impiorum animos calamitatis ſocietas unire ſoleat, ubi par & eadem eſt cauſa ſupplicii: multo magis ubi quis immerito ſuſtinet quod nobis jure infligitur: propterea eo magis peccaſſe illum, quod Chriſto juſto nulliuſque criminis reo, & ideo injuſte mulctato, ille ſceleratus & ob nefaria peccata punitus illudere auſus eſſet.*
42. *Quare ut ſuo exemplo illum ad meliorem mentem revocaret, aut ſaltem gravius pungeret, fide perſuaſus Chriſtum Regem, licet nunc in ſumma ignominia cruci affixum, regnaturum in cœlis apud Patrem in gloria atque etiam hic in terris per Spiritum in electis ſalutari gratia: confidenter illum alloquitur ſuæ reſipiſcentiæ conſcius, & Dominum ſuum agnoſcendo petit ut in Regno ſuo ejus miſericorditer meminiſſe vellet, qui nunc licet peccator eſſet & ob peccata merito pateretur mortem; firmiter tamen agnoſceret in Chriſti morte & paſſione poſitam eſſe peccatorum expiationem, quem finita redemptione pro certo ſciret reſurrecturum, & Regnum ſuſcepturum æternum, eumque ſe fide ei inſitum illius regni participem facturum.*
43. *Hanc petitionem exauditam eſſe oſtendit Chriſtus, qui nunquam rejicit peccatores ad ſe venientes, ſed benigne ſuſcipit & ineffabili gaudio afficit, exponendo felicitatem ei conceſſam, à loco in quem ſit eum recepturus, Paradiſo: deinde à tempore quod eadem die ſit hoc facturus; tandem à conſortio Chriſti, qui eundem locum ſit ingreſſurus volens ut ubi ille eſt, ibi etiam ſint omnes qui ad illum pertinent. Ita apparet quam gratioſus ſit Chriſtus erga peccatores, quandocumque vera reſcipiſcentia & fide firma ad illum veniunt: & ne dubitet hac de re miſer iſte in faucibus mortis conſtitutus, ſolita affirmatione vehementi confirmat beatam hanc promiſſionem.*

PRAXIS.

SVmma eſt; Chriſtum blaſphemiis ab altero latronum impetitum, ab altero defenſum.

Partes ſunt, dicta { Latronum. { Illius quidem reprobi. Hujus vero reſipiſcentis & electi. } Chriſti. }

Verſ. 39. *Alterius latronis improbitas.* In priori tametſi conſcientia proprii ſceleris præſertim tam atrocis merito illi capiſtri loco eſſe debuit, quo blaſphemum os conſtringeretur, cum culpa carere debeat, qui in alterum dicere paratus ſit: tametſi etiam acutus crucis ſenſus eum merito in propriæ calamitatis commentatione & moderata perpeſſione retinere potuerit: denique tametſi ejuſdem calamitatis ſocietas & conformitas homines alioqui diſtractos devinciat & ad mutuam commiſerationem exuſcitet; tamen maleficus iſte hæc omnia obſtacula & repagula perrumpens, linguam in Chriſtum virulentam ſtringit; ne ullus eſſet tam perditæ & abjectæ conditionis qui in Chriſtum tanquam ſibi inferiorem & ſe deteriorem non inſultaret: ut facilius conſtaret eum ne in hominum quidem cenſu habitum eſſe, ſed potius ut vermem ab omnibus calcatum & pedibus attritum eſſe. Vide *Pſal.* 35, 15, 16. & *Iob.* 10, 1, 2. Quod nos *doceat*: non tantum quo ſe Chriſtus pro nobis dimiſit; ſed quomodo nimis inique ferendum non ſit, ſi a fece hominum ludificemur, & à catonibus & eiſdem improbis & ſceleratis nebulonibus.

Chriſtum Meſſiam eſſe negantis niſi ſe & ſocium liberet. In latronis reprobi blaſphemia hoc ſingulare & proprium fuit, quod Chriſto Meſſiæ officium & munus deneget, niſi ſe & ſocium ſceleris ſui præſenti malo & cruce eximeret. Quod quidem tantum abeſt ut illum

Meſſiam

Messiam esse confirmaret, si sontes præsenti pœna eripuisset, ut hoc ipso ipsum Messiam non esse omnino coargueretur. Non enim venit solvere legem, sed eam implere: nec venit Respublicas evertere, sed potius constabilire & roborare politias.

Quod dictum licet absurdum, patronos tamen invenit.

Atque hoc dictum, tametsi summe absurdum, magnos tamen patronos nactum est: qui dicunt sub Euangelio & Christi beneficio perempta esse sceleratorum supplicia, aut certe plurimum mitigata. Dicunt enim hæreticos non esse morte plectendos, utcumque hoc sub lege factum. Item adulteros non esse morte multandos: Christum enim legis severitati moderatum. Quo dicto quid absurdius dici aut cogitari possit? Christum maleficis impunitatem & immunitatem à suppliciis apportasse? quod quid aliud est quam peccandi licentiæ indulgere, & ineffræni hominum in maleficiis patrandis cupiditati habenas laxare? id est, eum qui venit ut opera diaboli dirueret, id agere, quo ipsius regnum amplietur; & eum cujus est judicium in mundum introducere & principem seculi exturbare, omnia confusione complere. Cum vero peccata sub Euangelio & pleniore rerum intelligentia, & copiosire Spiritus effusione & largitione crescant & augeantur, certe Christi adventu criminum pœnas crescere potius quum minui (nedum è medio tolli) æquum est. Qui igitur hanc impunitatis sententiam sequuntur, hi se ad infamis istius latronis sententiam improbissimam adjungunt.

Aliorum Euangelistarum cum Luca conciliatio.

Quod alii Euangelistæ dicunt latrones in Christum perbacchatos esse, id συνεκδοχικῶς dicitur. Nam si socius ejus similiter conviciatus fuisset, promtum erat improbo nebuloni excipere, se nihil facere quod ipse prius non fecerat, ob eamque causam ejus in se reprehensionem parum aut nihil autoritatis habere.

Vers.40, 41. *In altero latrone spectatur mutua reprehensio, & à quibus instituenda.*

In altero latrone resipiscente scilicet, consideratur ejus ad socium reprehensio. In quo *notandum* est officium mutuæ reprehensionis: de quo vide alibi. Hoc autem loco *observandum* plurimum interesse, quis reprehendat; & in quem reprehensio instituatur. Nec enim omnes omnibus reprehendendis tam apti & idonei sunt; sed nisi aliquis sit cui ratione ministerii aut principatus reprehendendi partes competunt, optime fieri per eos qui ejusdem ordinis sunt & similis conditionis. Latro hic multos audiverat in Christum debacchantes, sed quia ejus adversus principes oratio absona & ridicula futura fuisset, ad illorum convitia obmutuit, qui hic os suum aperuit.

In reprehensione ipsa

Reprehensionem ita instituit. Impii sunt quotquot sunt qui in Christum hunc convitia jaciunt, & nullo se Dei timore teneri produnt; sed tua impudentia magis adhuc projecta est, qui eidem condemnationi, cui ille, obnoxius existens, tamen excusso omni Dei timore, in illum insurgis. Quod autem dico te eidem condemnationi subjacere, non ideo dico quasi par esset ratio ejus & nostri; nam, &c.

Hominis judicio Dei oppressi nequitia;

Hoc loco *notandum*, primo projectam esse & perditam hominis nequitiam, qui Dei judicio oppressus, tamen in sua nequitia pergit. Vide *Esai.*1,5. item Ieremiæ locus est insignis: perditissimum scilicet fuisse populum & deploratum, qui sub ipsa ferula & virga Dei pergebant recalcitrare. *Ierem.* 5,3. Vide Pharaonis exemplum.

Et de Christi innocentia testimonium.

Deinde hoc modo Deus vel in ipsa cruce & summa Filii sui abjectione testimonium reddit Filii sui innocentiæ, sed testimonium afflictissimæ ejus conditioni analogũ, nempe latronis. Cujus testimonio cum nos nostramque fidem Spiritus Sanctus fulcire & sustentare cogitet, facile intelligimus nullius de veritate testimonium contemnendum esse; neque (ut fit) fidem veritati abrogandam esse, quod à teste parum idoneo aut certe parum augusto & ornato fidem & confirmationem accipiat; neque fidem Christo derogandam cum ab ipsis malignis spiritibus veritati testimonium redditur: Sicut legimus apud *Marc.*7,5. ut justa sit eorum condemnatio, qui Christum Dei Filium propterea credere abnuunt, quod hoc ipsum clare affirmarint, hi qui scelerati sunt, imo vero quod aliquando sceleribus cooperti sunt, tametsi resipuerint.

Vers.42. *In petitione latronis boni exempli utilitas:*

Sequitur ad Christum petitio; qua traducta à socio ad Christum oratione, eum longe secus quam socius suus alloquitur, cum petitione Christo perhonorifica: ut hæc petitio secunda socii sui veluti condemnatio jure haberi possit. Vnde illud præclare ab Apostolo dictum *Ephes.*5,11,13. Vt non tantum verbis ad peccatores directis, sed reliquo vitæ cursu & innocentia tanquam luce aliorum tenebras coarguamus & illustremus. Hæc enim reprehensio & redargutio, quæ factis fit, majorem vim habet apud infideles præsertim & alienos, quam quæ verbis instituitur, ut 1 *Petr.* 3, 1. Plus enim proficiunt

exemplis quam verbo, cujus autoritatem nondum agnoscunt.

Ordo in petitione servatus, In petitione primum *ordo observandus* est, quem ordinatissimum latro hic tenuit. Nam antequam ea petit quæ salutis ipsius intererant, primum blasphemias in Deum conjectas refellit, majore se cura gloriæ divinæ duci demonstrans quam propriæ salutis: ut certe nos pudeat, qui Christiani dicimur, quod vix per somnium de gloria Dei quærenda cogitamus, de qua hic latro tam sollicitus fuit; ut illam propriæ saluti prætulerit. Nostri enim fere se insigniter pios autumant, si propriæ salutis cupiditate tangantur ut nunquam Dei gloriam procurent. Hanc Dei gloriæ oblivionem induxit *Pontificia* religio, in qua omnis de Dei gloria mentio repulsa jacet, quam tamen vel maxime vera Dei religio nobis commendat, docens Deum omnia ad gloriam suam fecisse, etiam impium ad diem malum; *Proverb.* 16,4. Omniaque nos itidem ad Dei gloriam facere oportere, sive edamus, sive bibamus, sive quid aliud faciamus. 1 *Cor.*10,31. Sic etiam Angeli *Luc.* 2,14. *Gloria in excelsis Deo, & pax hominibus in terra.* Perinde ac si filius ei qui se simul & patrimonio fraudasset, & parentem ignominia obruisset, parentis ignominiam ignosceret, dummodo illi patrimonium restituat. Quid putamus facturum parentem illum si revivisceret? Quamobrem non tantum officii nostri est Dei gloriam procurare, sed plurimum nobis profuerit ad fidem de adipiscenda salute æterna confirmandam, ut prius in gloria Dei vindicanda fervorem nostrum declaremus.

Petitionis genus, Deinde *notandum genus* petitionis de salute æterna: non ut socius suus, qui de præsenti sollicitus fuit. Cogitavit enim, quod res est, Iesum appellari quod populum suum à peccatis servaturus esset. *Matth.*1. Eoque docet quæ sunt ea quæ à Christo præcipue quærenda sunt: quod plerumque secus fit, ut homines Euangelium ob terrena commoda profiteantur, alioqui in fæcibus Pontificiæ religionis subsessuri, nisi aut emolumenti assequendi, aut incommodi declinandi studio ducerentur. Verum quidem est Christum hujus vitæ commoda nobis, quoad profuerint, suppeditare. *Pietas enim ad omnia utilis est, & promissiones habet præsentis & futuræ vitæ:* 1 *Tim.* 4, 8. Sed nec vitam ab eo (quod cæteroquin licitum fuisset) si illi videbatur, petiit: quod ne illud quidem sibi licere putavit, qui merito suo civiliter morti adjudicatus fuisset. Quod rursus priorem doctrinam confirmat, Christum non venisse, ut à civilibus suppliciis sontes absolveret.

Forma etiam precandi digna animadversione est, nam primum *Dominum* eum, secus quam prior, appellat. Atque ne vulgaris hæc appellatio censeatur (quod ea sæpius hominibus non admodum honoratis attribuatur, ut cum Maria eum quem putabat olitorem Dominum appellavit. *Ioh.*20.) regnum illi attribuit, & quidem hujusmodi, in quo ipse absolutum imperium habeat; ut eo non ipse tantum utatur, sed aliis fruendum distribuat. In quo fides latronis nobilitatur, qui in summa ignominia non modo fidei oculo ejus majestatem vidit, sed eam etiam coram omnibus confessus est. Quid igitur illis fiet, qui ei jam in gloria ad dextram Patris sedenti, aut non credunt, aut eum confiteri suppudet? *Forma.*

Hactenus de latronibus: Nunc de Christi ad latronem alterum responsione. In qua ei suam petitionem annuens, fidem ejus, ut illam plene amplectatur, confirmat. In quo *videmus* Christi singularem ad homines servandum propensionem, qui in Cruce pendens, & jam peccatorum pœnas perferens, non repellit ejus petitionem, cujus concessio & admissio carissime illi constituta erat. Quanto igitur magis hoc nunc faciet, cum pretium dependerit & sumptus omnes fecerit. Nam qui restrictiores in excipiendis hospitibus sunt, cum tamen sumptus fecerint & labores in parando convivio omnes exhauserint, & exantlaverint, tum demum ægre etiam ferunt non venire convivas qui paratam mensam gustent. Vide *Rom.*5,9,10. & 8,34. Nec tantum annuit, sed brevissimum tempus præfinit suæ ad portum regni cœlorum appulsionis: simul etiam tempus cum suæ tum latronis mortis definiens, se in ipsa morte, mortis imperium habuisse indicat, nec tantum caducæ mortis, sed & æternæ, dum cum se tum illum securum reddit, fore ut ad extremum spiritum fide & patientia persistentes, tandem vitam æternam sortirentur; simul etiam gloriæ suæ specimen edit, dum hac veluti legatione se cœli imperatorem esse testatur. *Vers.43. Christi propensio ad homines servandos.*

Hic locus eximius adversus *Pontificiorum* ex operibus justificationem, cum Christus impium hoc loco justificaret. Et *Pontificii* quidem fatentur hominem sola fide sine operibus justificari, cum spatium operandi *Ex hoc loco refutatur I. justificatio ex operibus.*

non

non datur, ut hoc loco: quasi vero non sit communis piorum salus: aut vero etiam quasi iste latro nulla bona opera fecisset, ut illi stulte dictitant: cum primum certum sit eum socii blasphemia indignatum, deinde eum ex legis præscripto præclare reprehenderit, post peccata sua confessus sit, denique petitionem fidei apud Christum instituerit. Cum igitur hunc latronem, non obstantibus ejus operibus, gratis servatum esse fateantur, quid ni idem in reliquis concedant?

II. Purgatorium. Est præterea hic locus propugnaculum munitissimum, unde Purgatorium *Pontificium* expugnetur. Nam si qui mediocriter boni sunt, igne purgatorio expiandi sunt, ubi pœnæ expetuntur admissorum in hac vita scelerum, quanto illud magis in hoc latrone præstari debuit. Cum autem ipse recta in cœlum profectus sit, quid ni idem de cæteris sentiendum?

III. Descensus animæ Christi ad inferos. Hic item locus insignis est adversus descensum animæ Christi ad inferos; nec quicquam soliditatis habet, quod contra excipitur, latronem cum Christo quoad divinitatem in cœlum futurum, non autem quoad humanam ipsius animam. Nam cum in confesso sit Christum latroni petitionem suam annuisse, qui petebat, ut ejus recordaretur cum in regnum suum venturus esset: Certum est Christum de anima sua respondisse, cum de illa petitionem latro instituisset: Christi enim divinitas jam tum in cœlo extitit, nec unquam à regno suo abfuit.

Atque ut *Pontificii*, sic etiam securi & carnales Euangelici hoc loco abutuntur. Nam hoc exemplo armati audaces in peccando pergunt, semper in ore hoc latronis exemplum usurpantes, qui extremo vitæ momento misericordiam consequutus est: parum memores unicum hoc esse in hoc genere exemplum, ne peccatores gravitate scelerum onerati succumberent, & veluti deliquium animæ paterentur: cum nullum aliud Scriptura propterea suppeditet, ne homines spe remissionis elati, de gratia Dei præsumentes sibi exitium accerserent: unde etiam vita æterna messi comparatur, quæ non est exspectanda, nisi cum bonorum operum satio & sementis præcesserit. Verum quidem est aliquando panem cœlitus dimissum esse sine terræ cultura, sed quis ob unicum illud exemplum divinæ providentiæ tam admirabilis, sementis & agriculturæ consilium abjiciet? *Hujus loci abusus reprehensus.*

Hanc promissionem de vita æterna mox accipienda, quæ latroni & scelerato parum credibilis extitit, magna asseveratione confirmat: in quo non tantum Christi in cruce pendentis ad liberandum peccatorem & sceleratum, incitatum studium perspicimus: sed simul etiam, quam difficile sit peccatori, qui totum vitæ cursum in peccando consumpsit, de perfruenda vita æterna spem suam fovere. *In Christi asseveratione notanda.*

IOH. *cap.* 19, *à vers.* 25, *ad* 28.

25 *Stabant autem juxta crucem IESV, mater ejus & soror matris ejus, Maria Cleopæ uxor, & Maria Magdalene.*

26 *Quum vidisset ergo IESVS matrem ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ; Mulier, ecce filius tuus.*

27 *Deinde dicit discipulo; Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus ille domum suam.*

ANALYSIS.

NOtantur adjuncti comites commiserationis Christi in cruce tres, Maria mater, altera Maria, (quæ describitur relatis, hinc sororis matris Christi, illinc uxoris Cleopæ) & Maria Magdalene, quæ omnes describuntur subjecto loco, nempe quod prope crucem stabant.

Vers. 26. Hujus stationis cum matris cum Ioannis (qui proprio adjuncto interioris cujusdam dilectionis describitur) effectum est, quod Iesus utrumque vidit: visionis vero adjunctum est mandatum matri datum, ut se Ioanni committeret; quod pari illustratur, quod haud aliter, quam mater se committeret amanti filio.

Vers. 27. Aliud mandatum discipulo, ut studiose matrem suam tueretur: quod pari illustratur, haud aliter quam charus filius matrem complecti solet. Cujus mandati effectum narratur, quod uterque dicto Christi obtemperat.

METAPHRASIS.

ETiamsi ab omnibus derelictus videri potuisset Dei Filius, aderant tamen etiam infirmioris sexus fœminæ quædam, quæ tam indigni supplicii commiseratione ductæ, prope crucem stabant, dolorem lachrymis aperte testantes; hæ erant Maria ipsa Christi mater & 26.

ejus

ejus soror Maria Cleopæ uxor, & Maria Magdalene, quæ insignem constantiam in Discipulorum metu ostenderunt, præcipue Mater, cum jam gladius ille acutus de quo Luc. 2. *ani-*
26. *mam ejus penetraret. Christus matrem videns una cum Ioanne discipulo ei imprimis charo astantem, eam Ioanni commendavit ut instar filii eam tanquam matrem susciperet; & matrem voluit eum tanquam filium colere, ut mutuo inter se ac casto amore conjuncti illa se ei committeret tanquam amanti filio, & ille eam tanquam charissimam matrem sublevaret: sic Christus nobis exemplum est pietatis in parentes, quos nec in ipso mortis articulo negligere debemus, & quod magis est docet, ne unquam officia secundæ tabulæ ab officiis primæ separemus: cum ipse in negotio gravissimo à Patre ei imposito jam in agone mortis constitutus Matrem caram haberet: ut discamus simul amare Deum & proximum; in matre vero & Ioanne debitum obsequium laudandum & imitandum proponitur.*

[Huc usque *Analysis* & *Metaphrasis* reperta.]

PRAXIS.

Summa, Christo post inspectam matrem cruci cum duabus aliis fœminis adsistentem, eam discipulo, & ei vicissim discipulum commendante; Christi voluntati concorditer obtemperatum est.

Partes sunt,
- Christi imperium de nova matris cum discipulo, quem ipse diligebat, mutua necessitudine.
- Vtriusque Christi imperio obsequium

In priore considerantur:
- Occasio commendationis aut imperii Christi.
- Ipsa commendatio seu imperium.

Vers. 25. *Pauci Christo afflicto fideles,* In tanta & multitudine hominum, & varietate omnis generis ordinum, quæ Christum in cruce pendentem omnibus indignissime conviciis & contumeliis conscelerarunt; Deus paucos exemerat, qui honesta officia & debitum ei honorem præstarent. Sed ut numero erant pauci, sic conditione & ordine infimi erant, & abjectissimi. Nam ex latronum numero unus extitit. Sequuntur tres mulierculæ. Denique ex discipulis unus; qui tametsi in Ecclesia Apostolatu nobilis existeret, tamen apud reliquos pro pauperculo habebatur. Christus autem quanquam lachrymantes cernens, non tam consolationem in earum constantia, quam dolorem in illarum lachrymis & calamitate accipiebat.

Ostendunt quid in persecutione sit expectandum. Hoc nos doceat, quid fere nobis exspectandum sit sæviente persequutione, ut pauci arrecti & intrepidi persitent: & hi quidem ejus generis, qui condolere quidem possint; ex periculo vero sua paupertate & ignobilitate nos eruere & explicare nequeunt. Viderunt enim ligatum quem solvere non possent; saniem in faciem distillare, quam abstergere non possent; corpus vulneratum, cujus vulnera obligare nequirent. Quis ergo ægre & indigne ferat, sua dona, quibus hominibus utilis fuit, flocci fieri; cum Christus qui omnes homines & omnes hominum ordines tantis, & tam prolixe collatis beneficiis oneravit, jam periclitatus deseratur? Quis non putarit hunc in tot non homines solum, sed familias, atque adeo provincias munificum, magnis beneficiariorum suorum examinibus circumseptum fore, ut acceptam ab illo gratiam reponerent, certe quidem agnoscerent?

Inter quos fœminæ eminent. In istis fœminis Christiana virtus; & veluti virilitas extitit, ut hæ magis viros egerint, viri vero in fœminas transformati fuerint. Nam nec pudore tam afflictæ conditionis Christi, nec timore furoris hostium Christi impeditæ sunt, quominus hoc officium Christo præstarent. Sic plerumque fit ut Deus viros pudefaciat, & eos non tantum sua ignavia, sed fœminarum animositate & virtute ad humilitatem erudiat. Sic Baracum Deboræ & Iaëlis fortitudine ad animi submissionem instituit: tanquam Leoni damæ aut lepusculi animum inderet, & contra. Sic viros in Iudæa omnes unius fœminæ Cananeæ eximia & invictissima fide pudefecit. *Matth.* 15, 28. Sic *Deus eligit mundi infirma ut pudore afficiat fortia, stulta ut pudefaciat sapientia, quæ non sunt, ut quæ sunt, ignominia afficiat.* 1 *Cor.* 1, 27, 28. Sic *virtus in infirmitate perficitur.* 2 *Cor.* 12, 9. Quod quidem Deus hoc consilio facit, ut viros hoc exemplo vel expergefaciat, vel graviore condemnatione opprimat.

Ex quibus Mater Christi matronalis pudoris exemplum, Deinde Matris Christi pudor & matronalis virtus hic notatur, quæ foris prodeundi cupiditate incensa, ut Christum filium debito officio prosequeretur, non tamen hoc facit, nisi adjunctis itineris sui honestissimis comitibus. Fœminas quidem οἰκουργοὺς esse debere docet Apostolus. *Tit.* 2, 5. Sed si quando prodeundi causa sit, neque cum suis viris hoc faciunt, qui illis instar veli & pepli sunt quo operiantur, & quo veluti domi suæ sunt, testes adhibeant sui pudoris idoneos. Religio vera docet fœminas modestas & ca-

& castas esse. Sic in republica Israëlitica videmus fœminas, si quando foras victoriæ alicujus ergo processissent, ut vel Deum aut, victores in bello dilaudarent; semper gregatim & sepositas à viris hoc fecisse: sic etiam virgines si quando saltatum & animi causa foras procedebant, solas sine virorum consortio hoc fecisse. Contra quam apud nos fit. Vidimus ante irreligiosæ puellæ impudentiam in Petri compellatione; ut certo statuendum sit pietatem à fœminis exulare, cum pudor exulat.

Nec non temperantia. Huic pudoris & verecundiæ virtuti accedit altera temperantiæ, seu affectuum cohibitionis & coërcitionis; quod ad eum modum afflicta & cruentata ut illius animum gladius pertransisse dicatur. *Luc.* 2. Vtque facilius sit cogitatione complecti quam verbis explicare; clamoribus tamen & ejulatibus omnia non compleverit, nec indecóre perstrepuerit: quod inde percipitur quod Euangelista doceat Christum aspectu & oculis eam præsentem non auribus deprehendisse. Hæc virtus fœminæ illustratur exemplo contrario Davidis pro perdito suo filio Absolone ejulantis, 2 *Sam.* 19,1. Atqui fœminis nostri seculi clamose strepere veluti in laude ponitur.

Vers. 26, 27. *Ita dolendum ut officio fungamur.* *Sequitur commendatio.* Vbi *primum notandum* est, in summis angoribus pro universi generis humani peccatis versatum, sui tamen privati in matrem officii non fuisse oblitum. Quo *docemur* primum, ne nos ita opprimi patiamur ut ad obeundum munus nostrum minus idonei simus: in quo sæpe ab hominibus peccatur. Vide Abrahæ exemplum, qui ita luxit Saræ mortem ut funus procuraret, *Gen.* 23. Sed præcipue Aaronis, qui interemtis filiis lachrymas etiam ipsas & fletum cohibuit; quod officii sui ratio illud postularet. *Levit.* 10. Contra in Davide videas, quem ita dolor amissi Absolonis occupavit, ut exercitui victori gratulari & gratias agere oblitus sit. 2 *Sam.* 19.

Nec per publica negotia privata negligenda. *Deinde* & illud *discendum* est, sicut maximo vitio datur, studio rei familiaris aut familiæ Rempub. & publicas causas deserere: Sic non carere reprehensione, si quis ita rebus publicis sit intentus ut privatas obliviscatur aut negligat.

Filiorum erga parentes officium. Est autem eximium quod Christus hoc loco filii officium præstat, dum sicut in vita matri legitime imperanti paruit, ita moriens de ea sustentanda & fovenda sollicitus fuit, & illi prospexit. Nec enim satis est, si filii genu flectant, caput aperiant, de via discedant, &c. nisi & cætera pietatis officia præstiterint: qualia sunt. 1 *Timot.* 5,4. ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, & scipionis loco parentibus esse: atque ut parentes liberis, cum ipsi sibi prospicere nequibant, consuluerunt, sic ipsi parentibus. Sic Iosephus vetulo patri veluti in os cibum ingessit. *Gen.* 47,12. Sicut aves suis pullis facere solent. Vnde illud ἀντιπελαργεῖν.

Cur Christus matrem Ioanni commendet. Deinde quod illam Iohanni commendat, eo factum est, quod cum Iohannes in interiorem amicitiæ locum à Christo admissus esset, & alter idem; pro jure amicitiæ, quæ Christo mater erat, Iohanni pro matre esse debebat. Sunt enim omnia amicis communia. Sic videmus in Ionathane factum, qui sua omnia Davidi antequam occubuit commendavit. Vt non sine causa amicum Salomon fratri primum æquat *Prov.* 17,17. Post præponit 18,24. Ex quo elucet quam parum solidum sit quod *Pontificii* aliqua antiquitate freti dicunt Christum matrem suam virginem discipulo dilecto, quod virgo esset, commendasse. Nos Christi amici sumus, si quæ præcipit, fecerimus. *Ioan.* 15,14. Quamobrem meminerimus Christum his verbis nobis suas matres, sorores, fratresque commendare, præsertim cum hi, qui illos curare debent, pro Euangelii testimonio occubuerint. *Matth.* 12. *ult.*

Idque extremo vitæ momento. Sed hic *quærat* aliquis, cur ad extremum hoc consilium sustentandæ matris distulerit, quod maturius fieri oportuit: & quid si mater & discipulus pariter cruci non adstitissent? poterat tum periisse incuria Christi. Hoc ut exemplum hominibus exemplo esse posse videatur testamenta sua differendi ad extremum mortis articulum. Sed intelligendum est Christum ex specula divinæ suæ providentiæ & præcepisse animo utrumque & discipulum & matrem ibi affuturum. Quamobrem ad hoc tempus illud reservavit, ut exemplum hoc pietatis in parentem & infracti animi per medios inferos de officio cogitantis luceret magis.

Cur eam fœminam vocet. Quod etiam *fœminam*, Mariam, non matrem vocat, illud non facit objurgatorie aut iracunde ut *Iohan.* 2, 4. Sed vel ut cælaret matris nomen, ne ei gravius periculum crearet: vel ne tam suavi & dulci appellatione animum ejus tenellum & jam plus satis afflictum frangeret. Cogita enim quantum vulnus Isaacus patri inflixit, cum illum jam filii sui cædem ex Dei præscripto cogitantem

patris nomine affatus est. *Genes. cap.* 22, 7.

Sequitur *pars altera* de utriusque obsequio: hujus quidem quod illam admisit; illius vero quod se ad eum recepit.

Mutua Ioannis erga Christum amicitia. Vidimus ante ex *Ioh. cap.* 13. quanta & quam varia amici officia Christus Iohanni, præterquam quod cæteris fecit, exhibuit: Nunc videmus Iohannem Christo in amore & fide amicitiæ illi respondere. Vt qui eum nunquam, ne in extremo quidem vitæ periculo, deseruerit: aderat enim ei cum esset in Pontificis aula, aderat cum coram Pilato sisteretur, aderat etiam cruci. Nunc etiam amicos & parentes Christi tanquam suos amplectitur. Exemplum aliud nobilis in amicitia paris; ut non sit necessum quærere exempla in Tito, Lælio, Fabio, Damone & Pythia, &c.

Hoc modo etiam refelluntur *Pontificii*, qui dicunt Apostolos omnibus suis bonis nuncium misisse, cum Christum sequerentur. *Pontificii refutati.*

Item & illud probabilitate nititur Iohannem, quemadmodum à quibusdam confirmatum est antiquioribus, conjugatum fuisse, tametsi maxima pars historicorum refragetur & dicat omnes præter hunc fuisse maritos. Alioqui enim parum honestum videri potuit matrem Christi in illius ædibus degere, qui cœlebs esset. *Vtrum Ioannes conjugatus an cœlebs.*

Nec vero contemnendum est hac in re matris Christi obsequium, quæ ad pauperis se tugurium recipere contenta est, cum magna verisimilitudine potuerit in ampliores familias cooptari.

MARC. *cap.* 15, *à vers.* 33, *ad* 38.

33 Quum vero advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam regionem usque ad horam nonam.

34 Et hora nona clamavit IESVS voce magna, dicens; Eloi, Eloi, lamma sabachthani? quod est, si quis interpretetur, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?

35 Et quidam adstantium quum audissent, dicebant; Ecce, Eliam vocat.

36 Cucurrit autem quidam, & impleta spongia aceto, & arundini circumposita dedit ei potum, dicens; Sinite: videamus an veniat Elias ad eum detrahendum.

37 IESVS vero emissa voce magna, exspiravit.

PRAXIS.

SVmma, Christus extremum pro nobis damnationis baratrum perferens, post Dei nomen invocatum ex inferorum faucibus eluctans animam suam in Dei, tanquam fidelis custodis, manus deponit.

Partes sunt,
- Extrema Christi pro nobis perpessio, testata clarissimo testimonio.
- Eluctatio ex imis inferorum faucibus singularis fiduciæ oratione obsignata.

Vers. 33. *Solis eclipsis extraordinaria iræ divinæ signum fuit.* Apparet Christum paulo ante meridiem in crucem actum esse, & interim, dum hæc, quæ superius dicta de contumeliis omnium ordinum, & latronis & muliercularum in Christum officiis, gesta sunt, plenum meridiem advenisse. Quo ipso meridiei momento solis, quod nunquam ante factum, Eclipsis facta est. Lunæ quidem Eclipses certis annorum temporibus subinde recurrunt, sed Solis Eclipsis non item. Denique si proprie Eclipsin intelligas, præterea quod plenilunio hoc factum sit, cum, quæ Eclipsis Solis natura existit, in novilunio duntaxat fiat; item quod tres horas præter solitum duravit: item quod ut olim Ægyptiis tenebræ erant cum Israëlitis illucesceret, sic contra Iudæis, &c. Huc accedit quod ipsa meridie hoc factum cum minime omnium id fieri posse credibile sit, quod Sol suos tunc temporis radios lucidissime & splendidissime explicat. Quæ quidem Solis obscuratio & obtenebratio extra omnem dubitationem iræ divinæ certissimum & amplissimum testimonium habet. *Amos* 8, 9. *Ioel.* 3, 15. *Actor.* 2. Vide exemplum in Aegyptiis. Vide Ciceronis exemplum, qui quadam ad Atticum Epistola testatur tum sibi visum esse solem è cœlo excidisse, cum angoribus animi victus violentas sibi manus afferre paratus erat.

In Christum flagrantis. Sed hoc loco *quæritur* quibusnam Deus hunc iræ suæ æstum testandum præbet & quorum potissimum causa hoc tam insolito judicio utitur. Hic plerique aberrant, cum istas tenebras ad Iudæos ulciscendos immissas fuisse prædicent: cum palam sit Deum hoc tam formidabile judicium in filium suum horribiliter intonuisse de cœlo. Nec enim satis fuit Deum Christo contrarium fuisse, dum omnium ora & manus in illum laxat:

laxat: nisi ipsemet etiam cœlitus iram suam in peccata nostra quæ ipse pertulit revelasset. *Rom.*1,18. Cum enim tenebræ electis debitæ sint, quorum personam ipse sustinuit, etiam hæ illi perferendæ fuerunt. Vt hac tam crassa caligine in terræ superficiem effusa, non tantum Christi cruciatus cumularet, quam sensibili signo ostenderet Christum inferorum pœnas pro nobis extremas luisse, cui in terris, ubi lucere natus est, & quidem ipso meridie, Sol occubuit. Huc nos veluti manu ducat scopus Euangelistarum, quibus propositum est pœnas quas Christus pro nobis luebat describere, non vindictam, qua Iudæos ultus est. Ex quo quam tristis fuit casus Filii Dei apparet. Cum enim Deus Solem suum super justum & injustum exoriri facit, *Matth.* 5. tamen Christo tanquam injustorum injustissimo solis aspectus negatus est.

Vers. 34. Quæ Christo formidabilem clamorem expressit.

Cum Christus peccatorum nostrorum pondere oneraretur, quorum notitiam certissimam clarissimamque, sensum vero acerrimum & acutissimum habebat, etiamsi nullæ afflictionum faces admotæ fuissent, sine quarum adminiculo nos ægre peccatorum gravitate tangimur: cumque ad ipsa peccata imposita accesserint hinc corporis vulnera, istinc animi exulceratio indignissimis convitiis & insolentiis circumsistentium: Cumque tota inferorum manus & cohors tanquam Leones, Tauri, Vnicornes, Canes in eo cruentando occuparentur *Psalm* 22. *Coloss.*2,15. *Hebr.*2,14,15. Ad hæc cum Deus ipse cœlitus immissis crassissimis tenebris suam è cœlis indignationem testatus fuisset: denique postquam trium horarum spatio maximo silentio cum istis omnibus conflictatus; illismet ipsis omnibus veluti animæ suæ venis & arteriis tanquam muria quadam penitus imbutus & infectus esset: tandem non ultra se continere valens, ad horam diei circiter nonam magna voce clamavit, *Eloi, &c.*

Ineffabilis cruciatus testimonium;

Ex hoc formidabili Christi clamore tanquam effectu, liquet quanta illa fuerint, quæ Christus nostri causa est perpessus, & quomodo tenerrimum Christi animum veluti adacta sica pupugerit, quod Deus cœlitus hanc suam iram tenebrarum inductione revelasset. Hæc autem oratio vox est hominis cum desperatione certantis, & inter spem & metum dubio eventu pendentis. Quod enim quærit *cur sit derelictus à Deo*, dubitationem habet divinæ erga se voluntatis. Quod vero *Deum suum* vocat, idque duplicata oratione, eo satis declarat suam in eum fidem constantissimam; quod illa vox, dummodo sincera sit & simulatione carens, (quæ in Christum præsertim tam afflictum cadere nequivit) propria sit filiorum Dei. *Ex quo* iterum *liquet* quam extrema Christus passus sit, cum perpessionum acerbitas Filium Dei unigenitum unice illi dilectum eo perpulerit, ut de Dei in se amore secum disceptaverit.

Et nobis consolationis materia.

Quod quidem ut nobis magnum & amplum meritum salutis peperit, ita & singularem consolationem afflictis conscientiis affert, ne cum desperatione certantes ab illa vincantur: ne illa pressi opprimantur: ne in ejus faucibus hærentes absorbeantur: aut vero etiam absorpti ita conficiantur, ut desperationis balæna illos regurgitare non cogatur. Cum enim fortis in die iræ Dei, ut est apud Prophetam, clamet, quid nobis homuncionibus fiet? cum leo ex tribu Iudæ, qui omnibus dæmonibus tanquam bestiolis formidabilis existit, metuerit; quid magni est, si nos, veluti agni, aliquando manu Dei pressi timeamus? Si ille, qui unice sua causa dilectus est, cum dubitatione de Dei erga se amore luctatus sit, nedum hoc nobis, qui in nobis ipsis exosi Deo, in illo tantum diligimur, obtingat?

Circa clamorem Christi dubium.

Hinc *objicitur* aut Deum Christum dereliquisse, quod perfidiæ in Deo esset; aut Christum hoc non vere dixisse, se à Deo suo derelictum esse. Quod ad prius attinet; certum est unigenitum Dei Filium à suo Patre deseri non posse. Cum enim Deus eos, quos amat, puros & nudos homines ad extremum & constanter amet, nedum Filium unigenitum. Atque cum divinitas Christi ipsius humanitati personaliter & indissolubili vinculo conjuncta est, non potuit à Deo deseri, qui Deum in se corporaliter inhabitantem habuit. Quod ad alterum attinet asserendum est, Christum non plane affirmasse se à Deo derelictum, sed cum hac opinione certasse, & certando superiorem fuisse; ut ex duplicata *Eloi* repetitione constat, tametsi enim carnis sensu & rationis discursu derelictum se sensit, tamen fide non derelictum fortiter credidit. Non autem esse in vitio, si quis, cum desperatione certet, dummodo eluctetur, maxime si disceptatio non excedat mensuram tentationum, quas Deus nobis immittit, ut de nostra Fide periculum capiat: quod à piis nunquam plene & exacte observatum, à Dei Filio tamen accurate perfectum

 est.

est. Huc accedit quod pœnarum quas dependit infinitas ei (ut prius) memoriam perimere potuerit & intelligentiam conditionis suæ, quam cæteroquin plene cognitam habuisset. Nam cum jam calicem divinæ iræ exhausisset, & jam superatis tempestatibus portum appetere cœpit, ut mox apparet, tamen ac si in medio mari jactaretur, & jam ad scopulum allidens naufragium facturus erat, exclamat. Nam illum proximo veluti momento terram & littus conspexisse sequentia declarant. Quod si secus erat, intelligebatque jam adesse ultimum cruciatum, illud vel maxime coarguit cruciatus infinitam acrimoniam, quod dira patientes æque illa ferunt, si jam jam exantlata iri rescifcant. Christus igitur non valens se vel ad momentum continere quin in istum formidabilem clamorem prorumperet, eo declaravit æstum furoris divini, quem jam tum senserat.

Cum hic sit effectus tenebrarum, danda opera ut intus Solem & lucem in conscientiis circumgestemus, ne cum Sol obtenebrescet, quod sub mundi finem omnibus, in senectute singulis *Eccl.* 13. fiet, nos animis cadamus & desperatione deglutiamur.

Hic porro *notandum* non ex sensu benignitatis divinæ salutem pendere, sed ex fide: Christus enim sentiens Dei iram, suum tamen Deum illum appellat.

Vers. 35. *Reproborum ingenium.* Hac voce emissa, ilico eam torquent in alium sensum, quam vel à Christo dicta, vel ab ipsis adstantibus & illum vexantibus intellecta est. Quanquam illorum calumnia omnibus conspicua esset, tamen tanquam in re percepta & explorata omnium circumsistentium aures tanquam illius rei testes citant. Non quod circumsistentibus ejus rei fidem facere designarant, sed ut salse hoc pacto Christum irriderent, & religiosissimam ejus nominis divini invocationem sannis exciperent. In quo *primum animadvertere licet* ingenium reproborum, qui in peccatis suis obfirmati & obdurati sunt. Simul enim atque Deus manum, qua illos urgebat, subducit, statim ad suum ingenium & consuetos malefaciendi mores redeunt. Hi enim effusis tenebris conticuerunt & timore judiciorum Dei tanquam lupato retinebantur, ne in Christum ferocirent. Sed simul ac lux rediit, ilico ad suas blasphemias recurrunt. Sic videmus in Pharaone & Aegyptiis factum esse. Non secus accidit vectoribus in mari, qui exorta tempestate & fluctibus intumescentibus moderatiores sæpe sunt; qui mox ut tranquillitas insecuta sit, ad impietatis exercitium revertuntur. Stultum igitur tametsi mortario pertundas, non tamen à stultitia recedet. Quamobrem ut nos horum numero exemtos esse nobis ipsis persuadeamus, danda opera ut subducta ferula caute adversus peccata ambulemus. Quid igitur de his sentiemus, qui mediis tenebris Deo obstrepunt & obganniunt.

Deinde notandum est istos perimmites & feros fuisse, & immanem crudelitatem in Christum exercuisse, qui nulla tantæ calamitatis & tam lamentabilis vocis commiseratione ducuntur. *Iudæorum immanis feritas.* Vt qui non tantum nullam consolationem afferunt, sed eum porro à Deo dejectum & ab hominibus calcatum petulantissimis linguis tanquam pedibus obterunt, idque fidem & religionem ejus deridendo, quod grave erat: ut justissimo Dei judicio factum sit, quod ira Dei in illos & illorum posteros efferbuerit, impletumque sit quod *Psal.* 109. canitur.

Denique hoc loco *notandum* est in populo Dei magnæ impietatis fuisse, defunctos aut justorum animas, aut etiam (quod in Elia qui translatus est, factum est) justos corpore & anima gloria cœlesti utentes invocare. *Sanctorum invocatio à Iudæis damnata.* Hac enim Ironia eum defectionis à Deo insimulant, quod à Deo ad homines transierat.

Hic porro respondendum *Pontificiis*, qui hoc Christi ludibrio abutuntur, ut peregrinam linguam in cultu Dei stabilire conentur.

Sequitur in historia quod scriptum est *Iohan.* 19, 28. unde *altera pars* hujus περικοπῆς de Christi eluctatione initium capit. IOH. vers. 28. Iesum omnia jam perfecta & consummata esse certissime cognoscentem suam sitim & simul studium bibendi professum esse, qui ante oblatum potum repulit, tametsi siti graviter premeretur; idque fecisse non tam impotentia sitim ferendi, quam ut *Psal.* 69. impleretur, qui Iudæorum nequitiam perstringit; quod Christo potum petenti acetum præbuerunt. *Cur Christus se sitire questus sit.* Atque ne nunc quidem tantopere urgebatur studio potus, cui veluti in manu jam prope erat calix musti quem bibiturus erat in regno cœlorum, & quidni facile ad mométum temporis hac levatione carere potuerit, qui aliquot horas illa sponte & delectu suo eo caruisset: Sed hoc vel maxime spectavit, ut Scriptura impleretur, cujus impletione aliam notam dignoscendi Christi consequeremur.

Quod dicit perfecta omnia fuisse, intelligendum *Quomodo*

gendum

omnia consummata. gendum est perexiguum fuisse quod superesset. Nam aceti bibitio & salsa Iudæorum sanna, *sine, videbimus si Elias veniet ut illum è cruce deponat*, adhuc ex perpessionibus supererant.

Christi obedientia & charitas. Sed quod Iesus perpessionum suarum numerum & gravitatem noverat, suam erga Patrem obedientiam, erga nos charitatem commendat, ut qui opus hoc redemtionis nostræ ingressus est, probe sciens quam chare hoc illi constiturum esset. Pleriq; etenim inveniuntur, qui graviora pro amicis passi, quam quantum putarunt, non dubitant profiteri se noluisse illa aggredi, si illas difficultates, quas sint experti, præsensissent.

Potentia Dei admiranda. Vbi & *notatur* inprimis admirabilis mutatio, quam dextra Dei effecit, qui tantulo temporis spatio ex tam profundo impiorum baratro Christum ad summam spem & consolationem attollit. Non secus, quam cum Christus turbulentum mare & sævos ventos subito pacavit, ac si nullam procellam aut fremitus maris vestigium maneret.

Vnde consolatio. Quod nobis singulari consolationi est: quo *docemur* Deum advocatum & invocatum nos uno momento ex profundissimis malis extractos super petram & aggestam viam collocare posse, & sæpe facere; eumque, si moram fecerit, tamen veniendo venire. Sicut enim Christus exhausto calice subito recreatus est, sic consummata indignatione in suos, ipsos denuo consolatur Deus. Vide *Esai.*10,24,25. Sicut enim impios uno die & hora ex summo solio in extremam miseriam detrudit, ut in Nabuchodonozero, &c. Sic & suos subito etiam in momento oculive ictu ex angustiis eripit, sicut *Iohan.*7,21. Discipuli in alto & medio pelago periclitantes uno momento ad portum appulerunt.

Christi obedientia & charitas amplificatur. Illud autem *memorabile* est, Christum non prius sui rationem habere, nec refectionis aut relaxationis suæ, quam omnes molestias & cruciatus obivisset, quibus nostræ paci consuleret. Adeo enim nostri memor extitit, ut sui veluti oblitus sit. Vide *Ioh.* 4,34. *meus cibus est facere voluntatem Patris*, & Hierosolymam proficiscens, tametsi inter eundum esuriens, quo fami subveniretur nihil invenit, tamen Hierosolymam perveniens recta templum petit ut Patris voluntatem exequeretur. Vide *Nehem.*4.22,23. Quod tanto majore æquitate nititur, quod cum Idololatræ & impii fuerimus, nullam conditionem quamvis durissimam recusavimus, ut scelus patraremus.

Vnde nostrum officium. Quod nobis *documento sit*, nos his obeundis, quæ vitæ necessitas postulat, non tam id facere nostro commodo, & ut animo & appetitioni nostræ pareatur, quam ut hoc modo Deo obsequamur, qui nobis imperavit ut commodius illi inserviamus.

Certissima Christi victoria. Simul etiam videtur aliquousque innuere certam Christi fuisse & minime ancipitem adversus peccatum & inferos victoriam, ut qui cæteroquin hujus vitæ adminiculis carere potuerit. Quo etiam spectat quod integris viribus & cum tam vegeto & vivido corpore esset, mortis imperio se submisit: non secus quam si vir strenuus & bellicosus, certus de suo exitu & effugio, se in hostis sui manus dederet, eo ostensurus singularem & invictam non animi tantum, sed virium suarum potentiam. Hinc etiam est, quod nos non tantum è malis exitum consequimur, sed eum etiam in hac vita sæpe non difficilem accipimus: Sic Israëlitæ in summis difficultatibus excelsa manu ex Aegypto discesserunt, per acies instructi, non tumultuarie. Sic Petrus etiam non perfossione muri, sed reclusis portis è carcere liberatus est, ut non sine causa. *Rom.* 8, 37. dicatur ὑπερνικῶμεν. Maxime vero hoc in liberatione spirituali conspicitur, ubi plenior triumphus nobis conceditur: unde illa in mortem insultatio, ubi tuus stimulus, ô inferne? ubi tua victoria ô mors? ubi tuus aculeus, ô peccatum? ubi tuum jugum seu virga, ô lex? Hinc celebris ille triumphus. *Rom.*8,38. *Scio quod neque gladius, nec fames, nec nuditas, nec præsentia, nec futura, nec supera, nec infera, nec ulla omnino creatura separatura nos sit ab amore Dei, qui est in Christo Iesu.* Cujus quidem confidentis triumphi cum basis & fundamentum sit Christi in cruce triumphus; apparet *Pontificios* omne illud Christi triumpho detrahere, quod nostræ de salute certitudini detrahunt.

Vers. 29. *Christum aceto potasse cur Iudæis probrosum.* In potus præbitione illud *quæritur*, quomodo hoc Iudæis probro attribuatur, quod Christum sitientem aceto potarunt, quandoquidem ex more illud fiebat omnibus in crucem actis, maxime vero cum videbatur ex re & usu in cruce affixorum esse potius acetum quam vinum bibere, utpote quod mortem accelerabat. *Respondeo*, liquidum esse vel hoc ipso damnandos esse, quod Christum eo perduxissent, ut instar latronis aceto potandus fuerit. Huc forte accedit; quod cum supra cæteros vegetum viderent, sibi me-

metuerint, ne non è vivis excederet, eoque acetum porrexisse, non hoc consilio ut mortem ejus tolerabiliorem redderent, sed veriti ne non moreretur tempestive, præsertim antequam eorum Pascha initium caperet, & ante occasum solis, quo tempore eorum lege de cruce deponendus erat.

Vers. 30. *Satisfactio Christi perfectissima.* Huic aceti bibitioni succedit continuo vox illa apud *Iohan.* 19, 30. plenissima consolationis τετέλεσται; qua testatur se omnibus defunctum perpessionibus, quæ illi incumbebant ex salute electorum, ne guttulam reliquam fuisse è vasto mari iræ divinæ, quam ille non veluti exhauserat & veluti lamberat, persolvisse jam illum nomina nostra ad ultimum quadrantem, confixisse omnes nostras syngraphas, stravisse omnes hostes ut non superesset vel canis, qui linguam suam exereret. Quo etiam declarare voluit, sibi adhuc vires superfuisse, quibus plus cruciatus perferre potuerit, si illius ullus usus fuisset. Hoc recreentur afflictæ conscientiæ & consternatæ, quæ ex gravi ære contracto dubiæ & sollicitæ sunt, quomodo divino judicio satisfaciant.

Pontificios refellit qui suam ipsi salutem perpessionibus suis acquirere constituunt.

Expiratio Christi longe differt ab expiratione aliorum. Alii paulatim exhaustis viribus tandem expirant: Christus vero ut suam mortem voluntariam doceret, & potuisse in vita mansisse, si voluisset, ingenti clamore animam reddidit: unde & Centurio illum Dei Filium esse concludebat. Deinde alii postquam animam efflarunt, caput ad latus demittunt: Christus demisso prius capite, post exspirat. *Expirationis Christi & aliorum discrimen.*

Postremum est quod Christus apud *Lucam* magna voce clamans spiritum suum Patri, tanquam fidelissimo depositario, committens, ilico expiravit: quo tanquam sigillo victoriam suam adversus diabolum & inferos obsignavit, nobisque plenam fidem fecit, se de vita æterna certum esse. Hoc nobis imitandum appetente morte ex certa victoria fidei in Christo 1 *Iohan.* 5. *Luc. vers. 46. Anima in articulo mortis Deo commendanda.*

MATTH. *cap. 27. à vers. 51, ad 57.*

51 Et ecce, velum templi fissum est in duas partes à summo usque ad imum: & terra mota est, & petræ fissæ sunt.

52 Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt.

53 Qui egressi è monumentis post resurrectionem ejus, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis.

54 Centurio vero & qui cum eo servabant IESVM, viso terræ motu & iis quæ facta fuerant, timuerunt vehementer, dicentes; Vere Filius Dei erat iste.

55 Erant autem illic mulieres multæ è longinquo spectantes, quæ sequutæ fuerant IESVM à Galilæa, ministrantes ei.

56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria mater Iacobi, & Iose, & mater filiorum Zebedæi.

LVC. *cap. 23. à vers. 46, ad 49.*

46 Quumque clamasset voce magna IESVS, ait; Pater, in manus tuas depono spiritum meum. Et quum hæc dixisset, exspiravit.

47 Quum vidisset autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens; Vere hic homo justus erat.

48 Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quæ facta fuerant, cædens pectora sua revertebatur.

PRAXIS.

SVmma, Validi in expiratione Christi clamoris ejus effectorum testes adhibentur.

Partes sunt, { Effecta mortem consequuta. / Effectorum testes.

In priore considerantur, quæ sunt { Effecta mortis Christi, ut sunt aliarum rerū causæ. / Effecta tantum.

Prioris generis sunt, quæ tribus prioribus versibus continentur. Vbi *primum* in universum *Dissimilitudo mortis*

Christi & aliorum Heroum. sum *notatur* dissimilitudo mortis Christi, & aliorum Heroum & virorum strenuorum. Alii enim quantumcumque in vita rerum gestarum fama nominati & celebres, tamen post mortem omnia eorum præclara facta silent, & ipsi in sepulchrum deducti, tanquam ad locum silentii, conticescunt. Verum quidem est quod arma eorum (ut est apud *Ierem.*) cum eis in sepulchrum descendunt: sed vires & virtus bellica perierunt. Secus in Christo factum est, qui defunctus vita res præclarissimas fortissime gessit. Vnus Sampson repertus est, qui in ipso momento, quo occubuit, Philistæorum templum cum eorundem cæde & internecione deturbavit. Sed qui post mortem potentiam & virtutem exercuit, nemo præter Christum repertus, qui tum potentissime & efficacissime operatus est, cum jam animam exhalaret. Reliqui enim vita defuncti dicuntur suæ ætati inserviisse. Nam quod de Elizæi putribus ossibus narratur, ad Dei, non autem Elizæi virtutem referendum esse notum est. Nec aliunde quam ex hac Christi morte est, quod eorum mors, qui veritati testimonium perhibent, tam efficax sit, ut ex eorum cineribus multi pullulent veritatis patroni & amantes: ut verissime de illis dici posset, quod Ieremias olim de Chaldæis & Iehudæis dixit *Ierem.*37,10. Hinc est quod sanguis Abelis clamare dicitur *Gen.* 4, 10. & *Ap.*6,9,10. sub altari occumbentes clament. Hi enim mortui mordent & infixo stimulo hostes cruciant, qui illos prius interemerant & oppresserant. Item ignominiam ilico gloria & splendore excipi hic observetur.

Atque hactenus de effectibus in universum. Iam de singulis seorsim.

Vers. 51. *Scissio veli I. cæremonias sublatas notat,* *Primum* vero est veli diffissio: ubi in genere *notanda* est cæremoniarum ad crucem Christi suffixio *Ephes.*2,14,15. Quod quidem aptissime hac cæremonia indicatur. Nam sanctum sanctorum erat res sacratissima, omnibus occlusum præterquam summo Sacerdoti, quem semel in anno illud ingredi fas erat. Cum igitur illud omnibus pateat, &c. una etiam Chirographum tollitur, quod erat adversus nos, cum singulæ ceremoniæ fere nostræ immunditiæ totidem testimonia existerent. Quod autem à summo ad imum diffissum velum sit, argumento est totam legem cæremonialem, quanta fuit, sublatam. Non est perforatum aut attritū aut laceratū, sed penitus dissectum & diffissum fuisse affirmat, ut sciamus penitus sublatos illos ritus.

Nec vero cæremoniæ à Deo introductæ ideo adventu Christi loco motæ sunt, ut aliæ ab humano cerebro excogitatæ sufficiantur, χάλκεα scilicet χρυσείοις, &c. Dupliciter igitur *Pontificii* rei tenentur: partim quod inducentes cæremonias veteris legis, Christi passionis extenuant vim & virtutem: partim quod novas excogitant. Nostri illo vitio non carent, qui tam sunt cæremoniarum tenaces. *Et nunquam restituendas.*

Specialior *doctrina* hæc est: Patefactam esse jam viam sanctorum, quæ prius obstructa & interclusa fidelibus fuit *Hebr.* 9,8. Vt major sit fiducia & aditus facilior. Hoc etiam indicabatur velo ad Mosis faciem appenso. 2 *Cor.*3,13. *Pontificii* igitur, qui trepidationem astruunt & ignorantiam fovent, hoc modo Christi mortem, quantum in se est, irritam faciunt. Nostri etiam, qui eum refugiunt in precibus & in ignoratione mysteriorum regni cœlestis jacent, hoc pacto se declarant sortem aut partem in Christo non habere. *II. Sanctis liberum esse ad Deum aditum.*

Secundum est de terræ motu. Terra enim veluti attonita contremuit. Sic impletum est, quod *Agg.*2,7. Vt citatur *Hebr.*12,16. Quod indicat novam veluti totius orbis terrarum formam, quam terra ex Euangelii prædicatione induat. Vide *Act.*4,31. Quo *docemur* de admirabili Dei potentia in Euangelii prædicatione totum terrarum orbem concutiente. Major ut hic virtus appareat quam in tonitruum sonitu *Psal.*29. quam olim etiam cum mons Sinai commovebatur; quo tempore montes ut arietes, colles ut agni subsiliebant: *Psal.* 114. Quo admonemur rem prorsus admirandam esse Ecclesiæ ut ædificationem, sic instaurationem: ut nostræ fidei imbecillitati occurratur, qui nihil nobis polliceri aut sperare possumus, nisi cujus probabilis ratio ante oculos nostros appareat. *Ex prædicatione Euangelii nova mundi forma:*

Tertium est diffissio Petrarum: Sicut enim nihil est tam immobile, quod virtute mortis Christi & prædicationis Euangelii, quæ inde virtutem & vires ducit, moveri nequeat; sic nihil tam durum quod virtute passionis ejus, ex qua Spiritus confertur, non mollescat & disrumpatur. Quod etiam nostram de aliorum salute desperationem corrigat, præsertim cum illos videmus adversus veritatem obfirmatos & obstinatos esse. Vnde verbum Dei comparatur malleo petram atterenti. *Ierem.*23,29. *Et ea dura quævis mollescunt.*

Denique *docetur* efficacia mortis Christi *Efficacia*

non

mortis Christi etiam ad mortuos spectat.

non tantũ ad vivos sed & ad mortuos etiam spectare, dum sepulchra recluduntur. Quo docere voluit obstacula ad vitam merito mortis Christi remota, sicut merito resurrectionis vires conferuntur & vita. Nam tametsi alicui vita & vires resurgendi essent, tamen nisi aditus ei pateat exeundi & emergendi, semper in sepulchro mansurus est. Morte igitur Christi quasi fores & janua mortis effractæ sunt ut ad vitam prodeatur. Quod autem non nisi Christo exsuscitato surrexerunt, id propriam virtutem resurrectionis Christi indicat, & simul ostendit Christum primitias esse. Sed ipso resuscitato alii etiam secum ipso tempore excitati sunt, ut specimen ederet suæ adversus mortem in reliquis electis victoriæ. Sicut victor præcipuos quosque captivos ad currum suum alligatos habet, ut in eis de reliquis tametsi absentibus triumphum agat; vel potius imitatur Mercatores prædivites, qui, ut divitias suas ostentent, quasdam merces prælibant, ut earum intuitu de cæteris judicetur.

Hæc autem ab Euangelista intelligi probatur.

Hunc vero esse genuinum sensum, quem adduximus, Euangelista ipse ex effectis horum miraculorum plane declarat. Nam quod Centurio, homo Ethnicus Deo gloriam dedit, indicavit velum scissum fuisse & terram ipsam veluti concussam. Quod plebs circumstans pectora sua percussit, docet petras veluti diffindi cœpisse, eoque magis quo hoc in Centurione potius quam in Principibus Iudæorum usu venerat: quod etiam mortui resurgerent, docet quid sibi voluerit apertio monumentorum.

Quod autem Ierosolyma adibant, ideo factum est quod esset totius orbis veluti theatrum, ubi hoc memorabile opus multos testes acciperet. Maxime vero illud factum est, quod Christus ipse non nisi suis præsertim appariturus erat. *Act.* 10, 40, 41.

Christi resurrectio ad electos spectat.

Notandum quod nulli nisi sancti excitantur, ut intelligamus resurrectionem Christi non nisi ad electos spectare; cæteros communi Dei potentia excitandos. Nam si Christus non venisset in mundum, omnes ad resurrectionem mortis excitandi fuissent.

Sequitur *pars* altera, qua testes citantur aliquot fœminæ horum miraculorum: ut earum pietatem plene remuneratam esse constaret, &c.

IOH. *cap.* 19, *à vers.* 31, *ad* 38.

31 *Iudæi ergo, ut non manerent in cruce corpora Sabbatho, quoniam erat Parasceve, (erat enim magnus dies illius Sabbathi) rogaverunt Pilatum ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur.*

32 *Venerunt ergo milites, & prioris quidem* latronis *confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo.*

33 *Ad IESVM autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura:*

34 *Sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua.*

35 *Et qui vidit, testatur, & firmum est testimonium ejus: ille,* inquam, *scit se vera dicere, ut & vos credatis.*

36 *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur,* dicens; *Non conteretur* ullum *os ipsius.*

37 *Et rursus alia Scriptura dicit; Intuebuntur quem transfixerunt.*

PRAXIS.

Summa, Eorum quæ Christo inter mortem & sepulturam obvenerunt, confirmatio certissima.

Partes sunt, { Quæ Christo inter mortem & sepulturam obvenerunt. / Eorundem confirmatio certissima.

In priore parte spectantur, quæ à { Iudæis / Militibus } { Facta sunt.

In Iudæis corpora crucifixorum tolli volentibus.

Vers. 31. Iudæi tametsi impotenti furore in Christum & ejus defædationem lati sint: tamen studio externam ceremoniam legalem observandi, tum quod magnus Paschatis dies appeteret, tum vero etiam, quod corpora suspensorum ante occasum solis ex lege deponi oportebat; Pilatum adeunt petituri ut illis suffractione tibiarum suspensorum mortem accelerare liceret: Quod hinc inhumanum esset & immane semivivos sepulturæ tradere, istinc religione prohiberentur plus tempo-

temporis in illis cruciandis & cruentandis consumere.

Apparet sceleratissimos nonnunquam de externo Dei cultu valde sollicitos esse.

Ubi *primum observandum* est; reperiri teterrimos & sceleratissimos, qui ut externum aliquem Dei cultum observent, magnopere solliciti sunt, idque dispendio eorum quæ cæteroquin quam maxime desiderantur; cum tamen legem pietatem & bonos mores præcipientem contemnant. Sic vidimus Iudæos pretium sanguinis noluisse in Dei thesaurum comportari, camelum deglutientes & culicem percolantes. Quod illos admoneat, qui sibi adblandiuntur, quod in certo Dei cultu externo defungendo sumptum & operam ponant, ejusque obeundi ergo his abstineant, quæ cæteroquin illis perquam grata existerent, & qui aliquot ceremoniarum observatione hypocrisin palliant. Nos vero docet pietatis veræ testimonio in se destitui, qui ex intimis animi affectibus ad cultum Dei præstandum non sunt anxii. Illis enim vere alioqui imponi potest, quod Servator Christus dixit de Iudæis, eos exterius patinæ & canthari purgare, interius vero illorum relinquere. Quod si Iudæos hos oppressit Dei judicium formidabile, quid plerisque nostrum fiet: qui hoc ipso Iudæis inferiores sumus, quod ne externi quidem cultus à Deo præcepti studiosi sumus; ut in Sabbathi violatione & prophanatione spectatur: quique omnem nostram curam & studium conferimus, ut quæ Principes aut Ecclesia præcipiunt exterius observemus, de externo autem Dei cultu non simus tam solliciti: maxime vero si (quod fit) non hoc conscientia dictet, sed vel ut nobis ipsis commodent, vel aliis, qui illud improbant, incommodent? Nam hi qui conscientia dictante vel principis vel Ecclesiæ legibus mordicus adhærent, aliis longe potiores sunt, quam, &c. ut qui sunt mere & pure ἄθεοι, quorum nec interiora nec exteriora munda existunt, sed qui veluti candenti ferro conscientiam resectam habent. Genus hominum est invisum Deo, quod eum ex animi sui sententia aut hominum præscripto colit, tametsi illud ex animo & conscientia approbante faciat. Magis est exosum quod Deum ex præscripto quidem sed non sincere colit. Sed maxime omnium detestabile est, quod Deum ex præscripto hominum colit, nec tamen ex animo hoc facit.

Privato non licet sceleratorum pœnam exacerbare Magistratus injussu.

Alterum est quod *observatu dignum* est, nihil hic tentare ausos esse in crurum suffractione nisi interposita magistratus autoritate: quo *docemur* privatis hominibus cavendum studiose, ne quid vel ad leniendum, vel ad exacerbandum sceleratorum crucem & pœnam suscipiant legis aut magistratus injussu. Hinc est quod Moses magistratum jubet, ut intersit verberoni, cum plagas pro meritis adjudicatas accipit. *Deut.*25.2,3. Si enim justa pondera in commerciis præcise imperantur, quanto magis hoc in hominis persona observetur.

Sequitur de his quæ à militibus facta sunt: quorum { Hoc æquius factũ est, Dei singulari providentia. Illud vero crudelius, malevolentiæ impulsu. }

In militum circa Christum mortuum gestis admiranda.

Et primum quidem accedunt ad alterum ex sceleratis, quem à dextris pependisse ex eo liquet, quod prior dicitur, & ei adhuc viventi crura suffringunt; quod alteri ex maleficis itidem faciunt. In Christum vero quanquam furenter affecti sunt, nihil tamen fecerunt; quod illum jam expirasse compertum haberent. Quod quidem tanto admirabilius est, quod in eo Christo parcitum est, in quo illum inhonorare Pilati autoritate instructi sunt: in eo autem sævitum adversus illum, in quo neque consuetudo, neque Magistratus autoritas intercesserat. Poterant enim prætexuisse se incertos an Christus penitus extinctus fuerat, ut dubitationem omnem tollerent, crura illi suffregisse. Vers. 32, &c.

Dei erga Fideles cura.

Quod ossa Christi non fracta sunt à militibus; *docemur*, ossa piorum omnium Deo curæ esse, nec posse pro libito impiorum frangi: *Psal.*34,20. Nec mirum, cum capitis etiam capilli numerati sunt. *Matt.*10,30.

Fluxus sanguinis & aquæ ex latere Christi naturalis.

Quod autem puncto & perfosso Christi latere sanguis & aqua effluxit; illud nihil miraculi habet, sed naturale duntaxat. Nam cor æstuans pericardium circumdat aqua completum, qua ingens cordis æstus refrigeretur: ut priusquam cor confodiant ad sanguinem educendum pericardium transeundum fuerit. Deinde etiam illud notandum est, hunc sanguinem non esse illum præcipue sanguinem quo redemti sumus à peccatis nostris, & crucis sanguinem: cum præcipue in horto, item coram Pilato, & denique in cruce effuderat: sed esse potius certissimum sigillum & veluti mortis suæ in cruce obsignationem luculentissimam: fit enim ut homines, qui speciẽ mortis omnium judicio præ se ferunt, quandoque tamen ad se redeant; unde nunquam vere mortuos fuisse arguitur; sed cum narretur Christi latus apertum fuisse & pericardium perpun-

ctum fuisse, extra omnem controversiam est, illum è vivis excessisse. Quo etiam spectat militum testimonium, qui illi tanquam mortuo crura non comminuebant.

Vnde consolatio. Hinc igitur summa consolatio ad nos redit, hac militis crudelitate Dei viscera in nos constare. Videmus enim eos qui vindictæ cupidi sunt, nunquam acquiescere nisi præfecto ejus capite, cujus vitam deposcunt. Sic Deus Pater pœnas pro nobis à Christo expetens nunquam acquievit, quoad clarissimo omnium testimonio de certissima & indubitatissima Christi morte constaret.

Quæ vero veteres mysteria hic confingunt, quæ Baptismi aquæ & Cœnæ accommodant, nihil attinet dicere, ut quæ ad minimum ἀπροσδιόνυσα sunt. Notetur turpis *Pontificiorum* lapsus in *Longino*, & inscitia Græcæ linguæ.

Vers. 35. *Harum rerum confirmatio I. ab αὐτοψίᾳ.* Hæc quæ postremo dicta sunt de cruribus non comminutis, & de lateris apertione, quia ab aliis tribus Euangelistis non narrantur; sed à Iohanne duntaxat, ipsius testimonio specialius, quam cætera, & majore studio confirmantur. Quasi dicat: Horum ego testis oculatus sum.

II. *A testimonio Spiritus S.* Atque exceperitis fortasse hominem etiam acutissimæ aciei nonnunquam in his quæ videt hallucinari & decipi. Sed velim intelligatis, me alio quam oculorum testimonio hæc scribere, ut cui Deus dictet Spiritu suo, hæc vera esse omnia quæ scripsi. Quod nos docet certitudinem Scripturarum; quæ nituntur majori certitudine, quam quæ aut auribus aut oculis percipi posset. Nam ut non negliguntur hæc adminicula cognitionis ab his, quos Christus suos amanuenses & notarios adhibuit; quod voluit omnes Apostolos illum simul & spectare & audire: tamen longe certioribus autoribus incumbunt, nempe testimonio Spiritus, qui eorum spiritui testificabatur, vera fuisse quæ scribebant. Vnde etiam Mosem intelligimus de illis scripsisse, quæ non modo ille non viderat aut audierat, sed ne ullus quidem mortalium: unus ut testis sacer mille aliis testibus tametsi fide alioqui dignissimis præferendus sit.

Suum in se certissimum testimonium altero scripturarum testimonio luculentissime confirmat. Cum enim hæc, quæ dico, futura prædicuntur, non evenire illa fieri non potuit. Quod si Iohannes Apostolus Scripturas advocet ut fidem veritati faciat, quanto id magis à nobis fieri convenit? Et quidem ait, mirum videri non debet si in his militibus, qui omnes æque Christum odio habuisse existimari possint, tam diversi effectus fuerint, ut hi Christo parcerent, in quo specie autoritatis sævire poterant, iste autem sæviat, qui nullo legis aut consuetudinis adminiculo vel incitamento hoc fecit: Nam Scriptura ita prædixit futura. Vers. 36, 37. III. *A testimonio Scripturæ.*

Notandum est Christum verum Pascha esse, qui pro nobis oblatus est, ut judicium Dei in reliquum mundum irruens avertat, quod nullum ex ossibus ejus confractum sit.

Notandum item quæ natura sua fragilia sunt, verbo Dei tamen ita conservari, ac si essent æterna & incommutabilia.

In altero etiam testimonio incredibilis Dei misericordia, Deum vel illis etiam mortis Filii sui beneficium exponere, qui illum pupugerunt: nam hanc visionem promissionis, non autem comminationis loco additam esse, evincit locus *Zachariæ* 12,10.

IOH. *cap.* 19, *à vers.* 38, *ad finem Capitis.*

38 Post hæc autem rogavit Pilatum Iosephus Arimathæensis (ut qui esset discipulus IESV, sed occultus propter metum Iudæorum) ut tolleret corpus IESV: quod permisit Pilatus. Venit ergo, & sustulit corpus IESV.

39 Venit autem & Nicodemus, (is qui venerat ad IESVM nocte primum) ferens misturam myrrhæ & aloës libras quasi centum.

40 Acceperunt ergo corpus IESV, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis funerare.

41 In eo autem loco ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.

42 Ibi ergo, propter Parasceuen Iudæorum, quod monumentum illud prope esset, posuerunt IESVM.

MATTH. *cap. 27, à vers. 57, ad 62.*

*57 Quum autem serum diei esset, venit homo dives Arimathæensis, nomine Iose-
phus, qui & ipse discipulus fuerat IESV:*
58 Is adiit Pilatum, & petiit corpus IESV. Tunc Pilatus jußit reddi corpus.
59 Et Iosephus quum accepisset corpus, involvit illud sindone pura:
*60 Posuitque in monumento suo novo quod exciderat in petra: & advoluto saxo
magno ad ostium monumenti abiit.*
*61 Erat autem illic Maria Magdalene & altera illa Maria, sedentes contra se-
pulchrum.*

MARC. *cap. 15, à vers. 42, ad finem Capitis.*

42 Quum autem serum diei *jam esset, (quoniam erat parasceue, hoc est, ante
Sabbathum.)*
*43 Veniens Iosephus Arimathæensis, honoratus Senator, qui & ipse exspectabat
regnum Dei, fidenti animo introiit ad Pilatum, & petiit corpus IESV.*
*44 Pilatus autem miratus est si jam mortuus esset; & advocato Centurione, in-
terrogavit eum: an jamdudum mortuus fuisset.*
45 Et re *cognita ex Centurione, donavit corpus Iosepho.*
*46 Is autem emit sindonem, & detractum eum involvit sindone: deposuitque in
monumento quod erat excisum è petra: & advolvit saxum ad ostium monumenti.*
47 Maria Magdalene vero & Maria mater *Iose spectabant ubi poneretur.*

LVC. *cap. 23, à vers. 50, ad finem Capitis.*

50 Tum ecce quidam nomine Iosephus, senator, vir bonus ac justus:
*51 Qui non assensus fuerat consilio ac facto eorum ortus Arimathæa civitate Iu-
dæorum: qui & ipse exspectabat regnum Dei,*
52 Hic, inquam, *adiens Pilatum, petiit corpus IESV.*
*53 Et detractum illud involvit sindone, posuitque illud in monumento quod erat
in saxo incisum, in quo nondum quisquam positus fuerat.*
54 Porro dies erat Parasceues, & Sabbathum succedebat.
*55 Subsequutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant ex Galilæa, spectarunt monu-
mentum, & quomodo positum esset corpus ejus.*
*56 Reversæ vero paraverunt aromata & unguenta: ac Sabbatho quidem quiere-
runt, secundum præceptum.*

PRAXIS.

S*Vmma* est, honorata Christi contumulatio.

In funeris procuratione spectatur, quid fecerint Iosephus Arimathæus & Nicodemus { Seorsim. / Conjunctim.

IOAN. Vers. 38. MARC. Vers. 43.

Christi honesta sepultura amplificata à Iosephi titulis politicis.

Et quidem quod ad Iosephum attinet, variis titulis & adjunctis ab Euangelistis describitur. Quorum hæc spectant ad hominis civilem politeiam; ista vero pietatis rationem habent: utraque suo loco ad ornandam Christi sepulturam momentũ afferunt. Nam externa & adventitia, cum sint Dei dona hominibus gratuito collata, omnino ad actionis alicujus amplitudinem in rationem venire æquum est. Hic ergo spectatur primum quod ex Aramathæa oppido in Iudæa prodiit, quæ tribus ex omnibus nominatissima. Deinde quod dives & opulentus; denique quod Senator honoratus & merito suspiciendus extitit. Quæ duo postrema tametsi de Nicodemo hoc loco diserte non dicantur, tamen opulentum fuisse inde constat, quod tantam vim aromatum ad Christi condituram attulit. Item in Ecclesiastico

ordine principem extitisse (ut Iosephus in civili) superius a Iohanne testatum est.

Testatur plenam peccatorum expiationem.

Quamobrem ilico a morte Deus Filii sui sub ignominia crucis jacentis honorem cogitat, eoque istorum animis indit, ut de Christi tumulo solliciti essent: ut verum sit, Christi *παθήματα* à gloria excepta fuisse. 1 *Pet.* 1,11. Quod nobis primum testimonio est, omnium peccatorum nostrorum pœnam Christum in cruce dependisse. Quod ni fecisset, nunquam illi hic sepulturæ apparatus instructus fuisset. Hic igitur honos Christo habitus nostrorum peccatorum plenam expiationem obsignat. Cum in cruce penderet, amici ejus intimi & longe fidelissimi fere omnes Christum reliquerant; nunc vero adsunt illi, tum qui illum prius hostiliter oppugnarunt, tum hi ipsi, qui prius procul abstiterunt. Quod & nobis documento est, verum esse quod scribitur *Prov.* 16,7. *Quum benevolentia prosequitur Iehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Simul etiam nos confirmare debet adversus crucis acerbitatem & offendiculum. Nam vel tum maxime honos piorum repullulat, cum omnia extincta esse creduntur, sicut hyemi vernum tempus succedit.

Hoc *docemur*, qui sunt qui se ad piorum laborantium recreationem & solatium addicere maxime tenentur: nempe qui gratia & opibus valent.

Ex descriptione Iosephi à titulis pietatis

Sequuntur Epitheta quæ pietatem habent. Quorum primum est, quod discipulus Christi fuerit. Secundum quod bonus & justus esset; quod arguitur ab effectis, scilicet quod Iudæorum nec sceleratis consiliis, nec flagitiosis factis & facinoribus assensum præbuisset. Tertium est, quod vel regnum ipsum Dei in Christo quantumvis mortuo stabiliendum credidit, & quidem hoc vel Iosephus ipse, ne tum quidem sperare & præstolari destitit, cum ex timore Christum profiteri ausus non est. Et quidem hujus spei & exspectationis indicium extare voluit in hac tam clara & præfidenti Christi professione. Quæ omnia de Iosepho diserte dicta, de Nicodemo analogice intelligenda erunt.

Liquet, qui ad gloriam Christi procurandam idonei sint.

Hic universe *observandum* est aptos illos demum & idoneos esse, qui Christi res & gloriam procurent, qui professioni Christianæ congruenter vivunt. Honori esse cum divites & Senatores Christiano favent nomini. Sed majori honori Christo & Euangelio esse, si piis & honestis, quam opulentis & honoratis manibus tractentur: ut præstabilius sit à paupere & privato, qui idem pius sit, sacra tractari, quam a divite & glorioso, qui a vera pietate alienior existit. Divitiæ enim & honos, si virtus & pietas adsit, illam nobilitant & spectabiliorem reddunt; a quibus si pietas abiit, omnia fucata sunt, eoque brevi momento disparent, aut deformem aspectum habitura sunt.

Discipuli nomen gloriosum, sed timoris labe aspersum.

In singulis etiam istis Epithetis aliquid notandum occurrit. Et *primum* quidem quod Iosephum discipuli Christi honorifica appellatione, tanquam veste candida exornans, eundem, tanquam aspersa macula aut pannis aliquot superinjectis, mox clancularis nominis Christi professionis insimulat. Turpe autem fuerat herum metu conservi sui agnoscere & profiteri non audere, & ab edentulo potius caniculo sibi quam à Leone timere.

Docet pavidiores non esse damnandos.

Deinde & illud *notandum*; non esse abjiciendos qui pavidiores sunt, aut de illorum integra & sincera Euangelii professione desperandum; cum videamus hos ab hoc malo non penitus immunes.

Eorumque esse metum, priorem sequenti animositate pensare.

Sed simul etiam *notandum* est, illis pavidulis cavendum, ne sibi nimium indulgeant, sed ut intelligant vel tum illis Spiritum & animos sumendos, cum res maxime dubiæ & difficiles existunt: ut qui prius se modica pluvia humectari passi non sunt, nunc sæva tempestate & immoderatis imbribus sese immergi patiantur, ut hoc modo superioris cunctationis & cessationis compensatione sibi testimonium ingenuæ professionis comparent. Eoque *notandum* est hoc loco ab istis occultis discipulis illud susceptum esse, quod ne hi quidem ausi sunt, qui recte & aperte Christum profitebantur.

Luc. Vers. 50. Quæ studia justum arguant.

Alterum est quod bonus simul & justus appellatur: cujus cum probationem afferat quod, &c. *Discendum* nobis est; quibus studiis nos justitiæ cultores comprobemus, ut scilicet nec ambulemus in via impiorum, nec stemus in consiliis peccatorum, &c. *Ps.* 1,1. Plerique enim inveniuntur, qui tametsi injustitiæ autores & consultores esse nollent, tamen publicum decretum, tametsi iniquum, exsequi non dubitant. Alii quod consilium occultius dare possint, quam, quod consultum male est, exsequutioni mandare: hoc potius, &c. Sed nec isti, nec illi justitiam ex animo colunt.

Vers. 51. Qui à malo non recedunt, nul-

Aliud Epitheton est, quod exspectaret etiam ipse regnum Dei à Christo promulgatum: quod quidem ut timorem peperit,

ne

Iam vitæ æternæ spem foverent.

ne quid aut consuleret aut ageret a fide alienum, sic fiduciam addidit Pilatum adeundi, &c. Quo *docemur*, nulla eos spe aut exspectatione duci regni cœlestis, qui a malo non recedunt, quique præ timore nihil ne tum quidem audent, cum incidunt tempora difficilia. Vnumquemque eo spei & exspectationis æternæ vitæ pleniorem esse convenit, quo minus de temporaria ista spe & expectatione reliquum sit. *Psal.116,10. credidi, propter quod loquutus sum.* Quem vero non sustentaret regni præsertim cœlestis spes & exspectatio, siquidem certa & indubitata sit. Cum enim plerosque videamus opinione duntaxat & probabili verisimilitudine res mediocres consequendi in obeundis laboribus & adeundis periculis impigros & indefatigabiles esse; quid in certa spe & fiducia præmiorum tam amplorum faciendum? Et quidem de titulis hactenus: Nunc dicamus quæ fecerit.

Vers. 52. *Iosephi Arimathæi confidentia imitanda.*

Vbi primum occurrit, quod Pilatum libere & audacter accessit, nec illius iram aut indignationem reveritus est, qui Christum inhonorarat, quem ipse honore prosequi palam & in os profitebatur; nec Iudæorum furorem, qui Christum furenter & virulente insectabantur. Tametsi igitur totus mundus in nos insurgat, & cum domestici, tum exteri fremant; tamen hujus boni viri exemplo non dubitemus, quæ officii nostri sunt persequi, ne tum quidem, cum & honoris & divitiarum periculum & discrimen subire videmur.

Pilati sollicitudo nobis mortem Christi confirmat.

Pilatus sermone hoc, quo Christum mortuum esse audivit, attonitus est; quod eum paucarum horarum spatio mortuum intellexerat, qui (si mori obtemperatum fuisset) aliquot dies ægre hanc vitam prorogasset. Videtur enim hæc petitio instituta, antequam suffractio crurum ante concessa exsequutioni mandari potuit: Eoque centurionem advocavit, ut an hæc ita essent intelligeret, veritus ne Iosephus Christum semivivum è cruce detrahens, eum fomentis & aliis vitæ subsidiis vitæ penitus restitueret. Hic igitur timor & sollicitudo proconsulis, ne Christus non penitus mortuus de cruce deponeretur, nostram de morte Christi in cruce fidem confirmat. Quod autem corpus Christi donat Iosepho, & eum sepultura honorifica ornari fert, quem ad tam ignominiosam mortem adegerat; quodque unius Iosephi majorem rationem habebat, quam reliquorum Iudæorum, quorum tamen auram captavit; nos confirmare & animare debet, ut res præclaras, tametsi arduas & incredibiles judicio humano, aggrediamur.

Ioan. Vers. 39. *In Nicodemo animositas & liberalitas imitanda.*

Nicodemus quoque nobis imitandus proponitur, cum ob animositatem, qua Christi se discipulum retecta facie professus est, præteritis periculis, quæ illi in oculos undique incurrerunt, tum ob liberalitatem seu munificentiam in Christi mortuum corpus. Non fuisset contemnendum, si ipse duntaxat palam ad Christi sepulturam accessisset, vel si domi manens per legatos aromatum tantam vim misisset: utrumque vero præstitisse cumulatæ cujusdam virtutis erat. Quæ quidem ambo cum in se illustria sint, tum hoc ipso lucem & splendorem accipiunt, non secus quam in pictura colores vividi ex circumfusis coloribus lucem accipiunt, quod mortuo Christo hæc officia præstitit, qui vivum & doctrina & miraculis florentem non nisi clam & noctu invisere ausus sit: contra *Pseudonicodemitas*, qui istius exemplum obtendunt ut suam occultam Christi in persequutione professionem tueantur, cum tamen palam se Ecclesiæ hostibus aggregant; cum hic per metum ad tempus se subducens post aucto periculo & ingravescente tempestate palam Christum professus sit. Contra ***Antinicodemos*** etiam, qui in primordiis Euangelii, cum ejus professio a periculo libera non fuit, ipsum tamen profitebantur, cum hac tempestate in qua aliquanto commodius Euangelium profiteri possunt, ab illo tamen procul absistunt. Cum enim sine vitæ discrimine Euangelium profiteri nequibant, ipsum professi sunt: nunc cum illud liceat sine vitæ dispendio, aut vero etiam bonorum jactura, illius tamen liberiorem professionem detrectant, ne ab honoribus nondum adeptis arceantur.

Atque hactenus de his quæ seorsim à Iosepho & Nicodemo facta sunt. Sequuntur quæ conjunctim procurarunt:

Quæ sunt, { Ἐνταφιασμός. Τάφος.

In Christi sepultura mortis ejus testimonium.

Hoc loco *notandum* est aliud esse longe testatissimum testimonium veræ Christi mortis, quod viri prudentes & experti Christum condiunt aromatibus, & linteis de more involvunt. Nec enim solent suos amicos hoc modo ἐνταφιάζειν, nisi prius eos mortuos esse constet.

Iudæorum consuetudo sepeliendi sumptuosa jam non imitanda.

Quod autem dicitur hoc ex more Iudæorum factum esse, ut in Iacobi sepultura constat: id intelligendum de honoratioribus viris, quibus hic sepulturæ honos habitus est.

est. Quod quidem eo majori cum pompa & sumptu faciebant, quo spem resurrectionis, quæ tum tenuior erat, foverent, dum hac ratione se resurrectionis spe teneri indicant, quod in corpora prorsus peritura talem sumptum facturi non essent. Quod si quis *excipiat* idem nunc magis præstandum, quandoquidem majori spe resurrectionis sustentamur ab excitato Christo. *Resp.* Non tam hoc factum esse ut spem resurrectionis declararent, quam ut eam in ipsis imbecillam foverent. Cum igitur nostra spes firmior multo quam illorum sit, non est committendum ut sepulturis extra modum magnificis & sumptuosis spem hanc enervatam aut nutantem declaremus. Quæ quidem spes ut nimio luctu, sic nimio sumptu eliditur. Verum quidem est concessam esse sepulturam magis honorificam viris illustribus, quam obscuris, &c. sed tamen ita, ut facile discrimen internoscatur sepulturæ Iudæorum & Christianorum.

Quorsum Deus in sepeliendo Christo aromata adhiberi voluerit. Deinde & illud *animadversione dignum* est, aromata ista tanto pondere ad Christi corpus condiendum allata, Dei consilio longe secus quam Nicodemi & Iosephi, corpori Christi applicata esse. Nam illi ob eam potissimum causam aromata habuerunt, ut Christum in sepultura honore prosequerentur. Deus vero tametsi illud aliquousque respexerit, tamen potissimum id spectavit ut corpus Christi, prout David prædixerat *Psalm.* 16. à corruptione seu putrefactione vel minima vindicaretur. Poterat quidem Deus hoc fecisse, si voluisset, absque aromatis: sed hoc veluti medio usus est. Sicut poterat ossa Christi intacta & infracta conservasse, tametsi milites in crurum Christi comminutionem incubuissent: sed maluit potius mediis ad eam rem humanis uti. Quod nos vel maxime doceat ne Deum tentemus, media humana ad aliquid nobis præceptum prætereundo. Cum enim Deus qui sine mediis hoc efficere posset, mediis tamen utatur: quanto nos magis præstare debemus, quibus nulla est sine mediis efficiendi facultas à Deo concessa. Et de ἐνταφιασμῷ quidem hactenus. Sequitur τάφος.

Vers. 41. *Et in novo sepulchro eum sepeliri.* Quod sepulchrum in horto extructum & excavatum erat, id ex more quorundam in Iudæa Principum factum est 2 *Reg.*21,18. Huzziæ & Manassis. Quod autem novum fuisse dicitur, in quo nemo unquam sepultus erat, tametsi hoc illi fecerunt honoris causa; tamen (ut supra) Deus huc potissimum respexit, ut Christi resurrectionem indubitatam redderet. Nam quod nemo præter Christum ibi sepultus sit, consequitur neminem præter illum inde resurgere potuisse: cum si in sepulchro cum aliis consociatus fuisset, suspicio oriri potuit, Christi cadaver, ut olim Elizæi, suo attactu alium excitasse, &c. Quod autem sepultus aliquot dies & noctes in sepulchro remansit, mortis ejus testimonium omnium locupletissimum evidentissimumque existit, de quo quid notandum est, vide alibi.

Quod autem propter appetentem quietis & Sabbathi diem Christum ibi sepelierunt, Vers. 42. *Sabbathi religio.* cæteroquin honoratius sepulchrum quæsituri; indicat qua religione Sabbathum observandum, & quæ cuique potius omittenda, quam ipsum violandum; quandoquidem aliquid honori sepulturæ Christi detraxerunt ut Sabbathum servarent.

Huc accersendum est quod *Matthæus* & *Marcus* habent de lapidis advolutione, quo MATTH. Vers. 60. MARC. Vers. 46. sepulchrum occlusum est; qui quidem lapis cum ostium sepulchri appelletur, elegantissime metaphoræ persequendæ occasionem præbet, dum hoc pacto sepulchrum tuguriolo aut casæ comparat & domicilio mortuorum.

Hic *quæritur* quomodo apud *Lucam* Sabbathum *illucescere* dicatur, cum jam tantum LUC. Vers. 54. *Quomodo Sabbathum* illucescere *dictum.* vespera Sabbathi appeteret, totaque nox inter matutinum crepusculum interjectum esset. *Resp.* Illucescere dicitur quod jam tum incipiebat: initium enim rei veluti mane ejus dicitur, ut puerilis ætas apud Ecclesiastem matutino tempori comparatur.

Huc etiam accersatur *Luc.*23,55,56. de LUC. Vers. 55, 56. *Mulieres sepulturæ Christi testes.* mulieribus quibusdam, quæ interfuerunt huic sepulturæ. Quarum duæ præcipuæ à *Matthæo* & *Marco* nominatim exprimuntur, quibus hic honos etiam habitus est, ut sicut ante passionis, & post resurrectionis, sic & sepulturæ testes essent. Quod sexum illum valde confirmare possit.

Quo autem consilio hoc fecerint apparet, nempe ut jam exclusæ Sabbathi appropinquatione, ne corpus Christi ungerent, locum ubi positus est ideo observarent, ut post exacto Sabbatho ad illud officium obeundum recurrerent.

Vbi iterum notanda religio Sabbathi.

Quod autem de comparandis aromatis ante inceptum Sabbathum scribitur, ut prima die Sabbathi seu septimanæ illa in promtu haberent, nec tamen Sabbathum violarent,

rent, illud ad sequentem historiam de illarum ad sepulchrum reditu reservetur: ut novam ansam dicendi præbeat adversus Sabbathi prophanos contemtores.

MATTH. *cap. 27. à vers. 62. ad finem Capitis.*

62 Postero autem die; qui est post Parasceuen, coacti sunt primarii Sacerdotes & Pharisæi ad Pilatum.

63 Dicentes; Domine, meminimus planum illum dixisse quum adhuc viveret; Tertio post die suscitabor.

64 Iube ergo muniri sepulcrum usque in diem tertium: ne quando veniant discipuli ejus nocte, & furentur eum, dicantque populo; Suscitatus est è mortuis: & erit ultimus error pejor priore.

65 Dixit eis Pilatus; Habetis custodiam: abite, munite sicut scitis.

66 Ipsi autum profecti munierunt sepulcrum, obsignato lapide, cum custodia.

PRAXIS.

SVmma, Iudæorum pariter & Gentilium studium & conatus Christum in sepulchro detinendi.

Hostium Christi diligentia & potentia Dei sapientiam & omnipotentiam illustrant.

Vbi in universum *notandum* est, diligentiam & vafritiem hostium Christi, ejus sapientiam; eorum vero potentiam & vim ejus incredibile robur & vires illustrare *Psal.* 76, 12. & *Iob.* 5, 13. & 1 *Cor.* 3, 19. Quod singularem consolationem dabit nobis, dummodo Christo per fidem adjungamur, non modo impiorum apparatu non lædi, sed gloriosiores evadere. Quo igitur illi versutiores sunt, tanto nos magis Dei sapientiæ; quo diligentiores, tanto magis ejus pro nobis sollicitudini; quo potentiores, tanto magis ejus viribus confidere debemus. Sic quod nobis materiam tristitiæ & abjectionis affert, quod nos pauci sumus, illi numerosi; quod nos imbecilli, illi robusti; quod nos aperti, illi insidiosi sint; si rem recte reputaremus, materiam & argumentum lætitiæ præberet. Nam hic mira diligentia apparet, quod ipso Sabbatho hoc petierint; quod non mittunt, sed ipsi Pilatum adeunt: Sapientia, quod tot numero eum adeunt, ut sua veluti autoritate Pilatum renitentem frangerent; robur quod excubias urbis & præsidia penes illos sunt, &c. Atque, ut hoc perpetuo verum est, sic in hoc negotio. Nam Christi resurrectio hoc pacto & certior & testatior & illustrior erat. Sic fit ut Deus per alienum, suum & proprium opus conficiat; ut hoc loco Iudæorum conatu in impedienda resurrectione, eandem testatam procuravit; sicut illa dira Caiphæ sententia de extinguendo Christo, vitam attulit.

Partes sunt, { Postulatio Iudæorum de muniendo adversus Christi resurrectionem sepulchro. / Postulationis complementum. }

In *priori* etiam generatim *notandum* est quam sint isti impii Iudæorum primores formidolosi, & quomodo suæ conscientiæ carnificina exagitentur: antequam ad mortem eum adegerant, putabant illo interemto nihil illis periculi ab eo imminere. Nunc vero sublato Christo non desinunt inquietis animis esse *Esai.* 57, 24. 25. *Iob.* 15, 20, 21, 22. Vide exemplum Caini: *Genes. cap.* 4. & Herodis post occisum Ioannem. *Matth. cap.* 14. ut facilius appareat etiam in hac vita potiorem esse conditionem fidelis quam infidelis. Nam si improbi non efficiunt quod cupiunt, somnus ab illis fugit: sin efficiant & illis succedat quod conantur, tamen priore scrupo expedito, alius ilico nascitur. Hinc etiam liquet falsum esse quod jactatur, *mortuum non mordere.* *Impiorum sollicitudo perpetua.*

Tametsi animi inquietudine & toto hoc conatu Sabbathum violabant, idque fædissime: tamen si fingamus quod obtendunt, illos erroris declinandi causa hoc fecisse; nemo illos jure violati Sabbathi insimulare potest: ut hic etiam externam quandam pietatis larvam retinuerint. Vers. 62. *Primarii sacerdotes an Sabbathum violent.*

Quod dicunt se meminisse Christum hoc dixisse, se quidem morte detrudi posse, sed tamen non hoc modo fugari, quod tertio die excitandus foret; quod quidem ipsis Christi verbis ob eam causam proponunt, ut Pilatum magis afficerent: *Notandum* est, quam sunt impii ad malum memores, & quam firmiter animis hominum adhæreat, quod Deo inglorium & illismetipsis perniciosum existit. Vers. 63. *Impius malorum pertinax recordatio.*

Christus

Christus hæc non nisi discipulis communicavit, quod legimus, nisi forte ex eo hoc collegerint, quod *Matth.*12,40. dixit; aut Iudas illos de hac re admonuisset: & tamen ecce quam illi mordicus hoc retinent suo malo, quod ne unus quidem discipulorum Christi suo bono & consolatione recordari potuit, imo vero quod ne intelligere quidem poterant. *Marc.*9,32. Primum igitur *notemus*, quomodo natura depravata & minime reformata nobis quod malum est, tametsi semel dictum, penitus memoriæ insidet, ut illud vel cum maxime velimus, pellere nequeamus; cum nobis centies bene dicta effluant.

Dum vel sua natura salutaria ad exitium percipiunt.

Deinde illud etiam *notandum* bona & salutaria sua natura à nobis adhuc depravatis facilius ad mortem & exitium æternum percipi & hauriri, quam ad commodum & usum cui deputantur, ut ex hoc loco clarissime patet, & ex communi usu. Plerique enim inveniuntur, qui plus ad suam æternam condemnationem norunt, quam plerique intelligunt aut recordantur, qui tamen vitæ destinatur æternæ. Quamobrem ut nos regeneratos & reformatos comprobemus, excutiamus nos, quam ad bona retinenda memoria valeamus; quam item malorum immemores simus, &c. Neque vero in nuda rerum sacrarum recordatione acquiescamus, quandoquidem hoc & improbis reprobisque contingit quandoque. Nam hoc modo fit ut non tantum quod sua natura virus est, nobis exitiale sit, sed etiam quod sua natura Antidotus, est in fortius venenum nobis convertatur. Et sicut priore nos ipsos indies infirmiores reddimus & magis ad pugnandum inhabiles, sic posteriore nos adversus nos armamus & roboramus.

Qui proximum nomine suo appellare dedignatur, is ad summam pervenit malitiam.

Quod *planum* & *Impostorem* nominant, perinde est ac si profiterentur se sibi in animum non posse inducere, ut illum vel Messiam vel Iesum appellent; ita se ab illo abhorrere. Sic fratres præ invidia & malevolentia Iosephum suo nomine appellare nequibant, cum dicunt; *ecce somniatorem:* item, *vide an sit tunica filii tui*, non dicunt, fratris nostri. *Genes.*37,19,32. Sic Saul præ malitia Davidem nec suo, nec affinitatis, qua sibi conjunctus erat, nomine appellare potuit, sed per contemtum *filium Isaiæ*: 1 *Sam.* 20, 30. ut sciamus malitiam ad magnum fastigium crevisse, cum fratrem nostrum de nomine appellare nequimus.

Vers. 64. *Primario-* Hic petunt ut muniatur sepulchrum apposita custodia, quod ut facilius obtineant, rationes afferunt: *primam*, quod non necesse fuerit hoc diu fieri, ne illis hoc præ sumptu abnueret: *alteram* ab adjuncto periculo graviori quam ante, tum imperio, tum Ecclesiæ, si, &c. fieri enim posse ut aut mandata discipulis dederit de se furtim auferendo, aut ipsi sua sponte hoc facturi sint.

rum sacerdotum petitio duabus rationibus fulta.

Ubi quis sensus verborum Tertio post die suscitabor.

In priore ratione *notandum*, illa verba, *post tres dies resurrecturum*, non ita accipienda, ac si non nisi exactis & transmissis tribus integris diebus excitandus esset, quandoquidem hoc loco dicunt, usque ad tertium diem hoc faciendum esse, eo indicantes tertio die excitandum.

Eorum vanus metus.

Deinde etiam & illud *notandum*, quam vanus & futilis eorum metus extitit. Nam Christo suam tertio die discipulis resurrectionem prædicente, nisi illud effectum dedisset, eum proculdubio pro impostore habentes ab ipso defecissent. Deinde tametsi corpus ejus asportassent, tamen nisi testimonia resurrectionis attulissent, quis illis fidem adhibuisset, præsertim idiotis & obscuris hominibus? Habent quidem impii justissimam timendi causam; sed veris timoris causis sæpe præteritis sibi vanas affingunt umbras, *impius enim fugit nemine persequente.* *Proverb.*28,1.

Quod dicunt posteriorem errorem priori deteriorem futurum, id quidem recte dixerunt, siquidem error fuisset. Ex quo discamus veritatem semel amplexati eam mordicus tenere. Vide 2 *Pet.* 2, 20, 21, 22. & *Matth.* 12,45. Vide & quæ alibi de hac re notata sunt.

Hactenus de *priori*.

Posterior de complemento, *duo* habet membra,
- Pilati autoritatem.
- Sacerdotum & Pharisæorum cum custodibus operam & executionem.

Vers. 65. *Sepulchri custodia Iudæis commissa auget Christi resurrectionis fidem.*

Pilatus se omnibus Christi cum amicis tum inimicis accommodans, ut gratiam undique colligeret, illis suam petitionem annuit, eos jubens ut accepta communi urbis custodia ipsi sepulchrum quam tutissimum reddant, ad eamque rem omnem suam in ea re peritiam & circumspectionem conferrent. Momento non caret ad amplificandam fidem resurrectionis, quod Pilatus hoc sibi aut suis Romanis non assumat; ut sepulchrum muniant, qui Christi officium tanquam rem nihili ludificabantur potius & aspernabantur quam persequebantur; sed Iudæorum principibus, quorum vel maxime intererat, ut Christus quem ad mortem persecuti

secuti essent, vanus in hac parte deprehenderetur.

Vers. 66. *Diligentia in rebus sacris adhibenda.* Quod autem ipsi hanc rem procurabant, nec aliis hanc rem credere voluerunt; quod etiam custodia non contenti, sepulchrum suis sigillis (ut *Daniel. 6.*) obsignarunt, ne quid à custodibus pecunia corruptis tentaretur; id sicut ad resurrectionem illustrandam eximium est, ita nos doceat quam & diligentiam & circumspectionem ad res sacras promovendas & ad fugandos errores adhibere debeamus.

MATTH. 28. *à vers. 1. ad 8.*

EXtremo autem Sabbatho, quum lucesceret in primum diem *hebdomadis, venit Maria Magdalene & altera illa Maria ut spectarent sepulcrum.*

2 *Et ecce, terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini quum descendisset è cœlo, accessit, & avolvit saxum ab ostio, sedebatque super illud.*

3 *Erat autem visus ejus ut fulgur, & vestimentum ejus album sicut nix.*

4 *Custodes autem perculsi sunt præ ipsius timore, & facti sunt sicut mortui.*

5 *Respondens autem Angelus dixit mulieribus; Vos* vero *ne timete, scio enim vos IESVM crucifixum quærere.*

6 *Non est hic: resurrexit enim prout dixit. Adeste, videte locum ubi jacebat Dominus.*

7 *Et cito profectæ dicite discipulis ejus eum resurrexisse à mortuis. Et ecce præit vobis in Galilæam: illic eum videbitis: ecce dixi vobis.*

MARC. 16. *à vers. 1. ad 8.*

ET exacto intercedente Sabbatho Maria Magdalene & Maria Iacobi mater *& Salome emerant aromata, ut venientes ungerent eum.*

2 *Et valde mane, primo die hebdomadis, veniunt ad monumentum, exorto sole.*

3 *Dicebantque inter sese, quis avolvet nobis saxum ab ostio monumenti?*

4 *Intuitæ vero conspiciunt saxum esse avolutum: nam erat magnum valde.*

5 *Ingressæ igitur in monumentum, viderunt juvenem sedentem ad dexteram, amictum stola candida: & expaverunt.*

6 *Ipse vero dixit; Ne expavescite: IESVM quæritis Nazarenum illum qui fuit crucifixus, suscitatus est, non est hic: ecce locus ubi posuerant eum.*

7 *Sed abite, dicite discipulis ejus &* Petro, ipsum *præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.*

LVC. *cap. 24. à vers. 1. ad 9.*

PRimo autem die *hebdomadis, profundo diluculo iverunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata: & nonnullæ cum ipsis.*

2 *Invenerunt autem saxum avolutum à monumento.*

3 *Et ingressæ non invenerunt corpus Domini IESV.*

4 *Et factum est ut dum in ea re hæsitarent, tum ecce, duo viri supervenerint eis, induti vestibus fulgurantibus:*

5 *Quum autem expavefactæ inclinarent faciem in terram, dixerunt eis; Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?*

6 *Non est hic, sed suscitatus est: mementote ut loquutus sit vobis quum adhuc in Galilæa esset,*

7 *Dicens; Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & cruci-
figi: & die tertio resurgere.*
8 *Recordatæ sunt igitur verborum illius.*

IOH. *cap.* 20. *vers.* 1.

PRimo vero die hebdomadis Maria Magdalene venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: cernitque lapidem illum sublatum à monumento.

PRAXIS.

SVmma, Consternatis metu cum custodibus impiis tum piis fœminis ex Angelorum Christi resurrectionem procurantium & testificantium aspectu; fœminæ ab eisdem Angelis simul & recreantur, & de resurrectionis fide edocentur.

Generalis doctrina est de certitudine resurrectionis ab Angelis & hominibus testata abundantissime.

Partes sunt,
- Visio Angeli unius, qui Christi resurrectionem simul & procurabat, & testificabatur.
- Visio Angelorum duorum, qui fidem resurrectionis Christi porro confirmabant.

In priori considerantur Angeli gesta,
- Communiter ab impiis custodibus & piis fœminis percepta.
- Specialiter à fœminis.

MATTH. Vers. 1. MARC. Vers. 1. LVC. Vers. 1. *Fœminarum in observando Sabbatho cura*

Fœminæ, quæ testes resurrectionis primariæ citantur, sunt Maria Magdalene, Maria Iacobi Alphei filii mater & Maria Salomæ, quæ fuit mater filiorum Zebedæi. Matth. & Marc. & Ioanna uxor, ut videtur, procuratoris Herodis *Luc.* 24. His etiam sese adjunxerunt aliæ fœminæ quæ de nomine non appellantur, quæ partim ex Galilæa cum Christo, partim aliunde Hierosolyma venerant, ut colligitur ex *Luc.* 23, 55. & 24. *vers.* 1. Harum autem fœminarum pietas dupliciter cõmendatur. Et primo quidẽ à religiosa Sabbathi observatione quæ indicatur duobus argumentis, scilicet, quod aliquam partẽ aromatum ante Sabbathum ceptũ inchoatumque coëmerant, quibus Christum exacto & transmisso Sabbatho ungere designarant. *Luc.* 23, 56. reliquam, quam Sabbatho exclusæ comparare nequibant, eousque reservabant, quoad Sabbathum penitus absolutum foret. *Marc. cap.* 16, 1. Quod idem à *Matth.* indicatur, cum dicat vesperi, &c. perinde enim est ac si diceret hoc factum fuisse vespera quæ incipit & inchoat primum diem septimanæ, quod initium est quasi prima lux diei. Sicut enim prima luce diei dies artificialis inchoatur: sic etiam vespere dies naturalis illucescit vel inchoatur.

Minime superstitiosa. Hoc si quis excipiat scrupulosius & superstitiosius factum esse, is intelligat Spiritum Sanctum apud *Luc.* 23, 56. earum causam adversus hanc calumniam asserere: dum dicit hoc illas ex mandato fecisse.

Ubi Sabbathi religio Ex quo quanta sit Sabbathi religio, *notandum* venit, quæ non patitur ut vel Christum Sabbatho ungant, aut vero etiam aromata quibus eum condirent, Sabbatho coëmant. Non dissimile est quod vetatur *Exod.* 31, 13. & 35, 2. ne in opere tabernaculi Sabbatho occuparentur.

A nostris prophane negligi solita. Ex quod facile colligitur, quam prophani nostri sæculi homines sunt, qui Sabbatho carnes & alia esculenta vendunt & emunt, quæ tamen ante parari & potuerant & debuerant. Hic quid respondeant ut se hac nota eximant. Equidem dicent se pecuniam profestis diebus non accepisse, qua victum emant. Sed sese hic sistant coram Dei tribunali & ejus ignitis & flammantibus oculis qui omnia pervidet. Sic & venditores sese excutiant, si non plus sum questum intueantur quam illorum commodum qui emunt. Atque ut uterque hac ex parte innocens sit, tamen qui officinas suas Sabbatho aperiunt, inexcusabiles sunt, ut qui speciem quandam contemptus Sabbathi palam ostentare videntur: quocirca morte multandi essent, si cum illis ex merito ageretur, ut cum eo qui ligna Sabbatho colligebat. *Num.* 15, 34, 35. Atque ut hi formidabilem in modum à Deo punientur, sic cum primis magistratus, qui ista non coërcet, ut fecit pius ille Nehemias *Nehem.* 13. *cap.* 16, 17, 19, 20.

Earum etiam pietas commendatur amore in Christum,

qui arguitur earum
- Liberalitate & sumptu.
- Diligentia cum tam mane quærendi.

Earundem fœminarum Hoc etiam exemplo *docemur* amorem nostrum, quo Christum complecti præ nos ferimus,

liberalitas amorem erga Christum factis exprimens.

ferimus, factis exprimere, eum unguendo in suis pauperibus, præsertim Ministris; atque adeo eos exquirendo & diligenter de eis & eorum inopia percunctando. Sed qui ne panem quidem esurienti Christo damus, aut sitienti potum, quomodo unguentum & aromata ad eum ornandum & ad ejus amplitudinem celebrandam adhibebimus? ungere enim Christum non fuit necessitatis aut indigentiæ, sed munificentiæ & singularis honoris. Vt ergo nostrum in Christum amorem testemur, non nobis satis fuerit Christo necessaria subministrare, sed etiam illi non deesse in his quæ ad ejus decus & dignitatem & splendorem spectant: maxime cum in nos Deus non tantum liberalis sed munificus fuerit; nec nobis tantum illa quæ necessaria sunt suppeditavit, sed porro quæ ad decus spectant, suggerit. In quo etiam illud *notandum* est, non esse præstolandum aut exspectandum, donec hæc à nobis petantur & emendicentur, sed prævenienda & anticipanda vota pauperum & ministrorum.

Vbi earum zelus obstaculorum immemor.

Huc accedit singularis fervor, qui illas ita abripuerat ut illis prorsus lapidis revolvendi cura & recordatio exciderit. Hominibus in cultu Dei tepidis multa vana & inania obstacula occurrunt, quæ ab officio depellant; scilicet leonem aut ursum in media platea esse. Contra vero fervor & zelus in religione hominibus potius oblivionem quandam difficultatum inducit, & eos prætergredi obstacula facit, quæ humanitus eos ab incepto deterreant: ut veræ pietatis fuerit potius justa obstacula præterire, quam sibi vana & inania pericula accersere.

Marc. Vers. 2. Ioh. Vers. 1.

Earum diligentia à circumstantia temporis matutini.

Iam tempus etiam notatur quo egressæ sunt ad monumentum, *valde mane*, *Marc.* 16, 1. *Ioan.* 20, 1. *cum adhuc tenebræ essent.* Cui quanquam repugnare videtur, quod est apud *Marcum*, exoriente sole hoc factum esse, tamen facile conciliantur hæc: quia fieri potuerat ut egredientibus illis ante solem exorientem, ad monumentum tum demum venirent, cum sol exortus esset, aut quod sol nondum exortus esset, sed exorietur tantum, & quosdam radios (ut fit magno mane) præmitteret, quibus tenebræ non erant penitus dispulsæ. Cum præterea concessum esset, ut Sabbatho duo milliaria conficere potuerint, verosimile est, illas antequam Sabbathi nox penitus exacta esset, se in viam dedisse.

Vbi notatur tempus resurrectionis Christi.

Ex quo etiam probabili ratione colligitur Christum circiter hoc diei tempus resurrexisse. Nam videtur ideo Euangelista hanc de fœminarum egressu historiam præfixisse narrationi de resurrectione Christi, ut indicaret illam interea temporis accidisse, dum fœminæ iter ad sepulchrum facerent. Alioqui verosimile est eum nunquam voluisse hanc de fœminis historiam interpositione historiæ de resurrectione abrumpere & veluti intersecare. Illud certe extra omnem controversiam est inter mediam noctem, unde dies artificialis inchoatus est, & exortum solis hoc factum esse. Quod quidem eo factum est ne aut nimium accelerata resurrectione, non satis constaret de veritate mortis Christi; aut nimis sera, non satis honori & gloriæ Christi, & suorum, qui in angoribus jam versabantur, consolationi prospiceretur. Quo etiam accedit quod ista Christi resurrectio submatura Dei promissioni de Christo à corruptione & putredine conservando inserviit.

Matth. Vers. 2, 3.

Angelus qui Christo in sua excitatione inserviit, describitur argumentis cõsentaneis,

- Quodam modo:
  - Subjecto cœlo, unde descendit,
  - Adjuncto,
    - Terræ motus.
    - Habit⁹
      - Faciei coruscantis.
      - Vestiũ nivearum.
- Absolute, scilicet effectis,
  - Lapidem sepulchri devolvit.
  - Super lapidẽ devolutum consedit.

Angelorum apparitionis finis,

Angeli Dei ministri assiduo quidem cœlorum ascensu & descensu occupantur, & Christo ejusque electis administrant *Ioan.* 1, 51. Sed cum spiritus sint & spirituales substantiæ à nobis non visuntur; verum enimvero cum Deus operæpretium aliquod & maximi momenti rem edit, tum demum illis certam hominis formam attribuit, cujus intuitu homines ad majorem sollicitudinem excitentur, & ejus rei animadversionem, quam patefaciet. Sic in conceptu & nativitate Christi factum est. Sic in promisso Danieli facto. Sic Reges suos habent satellites aut cursores, quos mittant ad communia & pervulgata obeunda, ordinarios. Cum vero aliquid insigne & commemorandum aggrediuntur, suos legatos aut feciales mittunt; quos magno apparatu splendoris & comitatus

tus exornant, ut omnium animos ad rei, quæ agitur, amplitudinem expergefaciant. Maxima igitur parte Angeli, tanquam operæ subterraneæ, occulte sua munia in mundi administratione perficiunt, sed aliquando etiam fit ut eorum actiones & opera, semper in se illustria, splendore spectabili decorentur.

Hoc loco etiam observatus.

Hoc autem ut ad gloriosam Christi resurrectionem refertur, sic etiam ad nostri experrectionem pertinere docet particula ἰδοὺ, quæ attentionem summam postulat, non minorem quam si hanc visionem ipsi spectassemus. Crucis igitur scandalum aliquantulum honorifica Christi sepultura depulsum ipsius resurrectione illustri penitus profligatur. Sed hoc quicquid est melius partium enucleatione patebit.

Eorumque potentia.

Et primum quidem occurrit terræ motus & concussio, quæ veluti adjunctum aut effectus Angeli notatur lapidem devolventis & super lapidem considentis, quasi tanta esset molitio Angeli in devolutione lapidis & tanta virium exertio, ut terram concusserit, tantaque esset Angeli potentia & virtus, ut Angelo terræ superposito lapide insidente, ilico terra contremefacta sit; sicut enim robustus injecta manu in hastam, non illam partem duntaxat agitat quam manu prehendit, sed totam hastam; & quemadmodum magnæ molis vir & grandis staturæ uni parti scamni insidens totum scamnum commovet, sic isthic Angelus uni particulæ telluris insidens, reliquam undique concussit. Sic etiam Angelis in monte Sinai consistentibus, montes & colles tremefacti sunt & instar arietum & agnorum subsiliebant. Vide 2 *Reg.* 19, 35.

Mundo mutationem Euangelium inducit.

Hinc *docemur* Deum Euangelii præconio eam mutationem inducere ut veluti nova & loco suo mota terra videatur, ut Scriptor ad Hebræos *cap.* 12. locum Aggæi exponit. Multi Euangelium accusant quod omnia innovat & veluti cœlum terræ misceat, quo etiam nomine homines ab illo abhorrent. Nam non tantum in religione superstitionem penitus evertit, sed Respubl. quatenus illæ à moderatis & placidis gubernaculis, aut ab humanitate aut à Christiana professione recedunt, corrigit & ad moderationem & mediocritatem revocat. Rerumpublicarum autem formas legitimas aut leges honestas & utiles non solum non rescindit: sed si quid vel ab humanitate aut à Christiani hominis gravitate, æquitate, mansuetudine aut modestia, &c. alienum est, id demum subruit.

Cujus propagationi nihil obstare potest.

Hinc etiam colligitur, nullum tantum obstaculum aut difficultatem objici posse Euangelii curriculo, quod Deus non sit superaturus: potius enim terram concutiendam & cœlos exagitandos, quam ut Euangelio sua propagatio non constet. Cœlum & terram periturum citius, quam ut verbi divini punctum excidat. Si enim uno duntaxat Angelo terram tremefacit, &c. quid tot myriadibus effecturus sit facile percipi possit. Quod hominum nostrorum ignaviam & animi abjectionem merito reformet, qui si magna impedimenta cernant objecta Euangelii libero cursui, statim tanquam re deplorata omne conandi studium deponunt, nec quidquam in Euangelio effectum iri sibi polliceri possunt, cujus perficiendi humana media non prospiciant; parum memores ejus quod semel Zacharias de toto Christi regno pronunciavit, ***neque in exercitu aut in viribus, sed Spiritu meo***, *Zach.* 4, 6. Quo declarant se nihil videre fidei oculo, sed carnis tantum oculo singula intuentes de illis sententiam ferre.

Angelus quoque à loco descriptus.

A subjecto loci, unde descenderat, describitur, ut intelligatur eum ex electis Angelis fuisse, utpote qui non venerat ex aëre, sed ex cœlo, unde reprobi Angeli expulsi sunt, idque ad fidem resurrectionis: quia Satan se sæpius in Angelum lucis transformat ut hoc modo imponat hominibus.

Deinde Angelus describitur ex adjuncto splẽdore in { Vultu, qui coruscabat. / Vestibus, quæ albedine cum nive certabant. }

MATTH. Vers. 3.

Ex Angeli ornatu Dei majestas & nostra futura gloria apparent.

Hinc gloria & majestas Dei elucet, qui unum duntaxat Angelum tanto decore & ornatu instruit. Unde facile intelligitur quam incomparabilis majestatis ipse sit. Nam ex servorum splendore apparatuque facile de herorum magnificentia conjicimus. Et simul illud liquidum evadit, quales nos futuri simus, qui referente Christo in resurrectione Angelis pares futuri sumus, *Matth.* 22, 30. Quod nos exsuscitet, ad hujus seculi splendorem contemnendum, qui cum isto compositus idem est, ac si personatum Regem cum vero conferamus, ad verum qui futurus est consectandum.

Corporis & resurrectionis Christi veritas.

Hinc etiam *notatur* veritas, cum resurrectionis, tum corporis Christi, quod nonnisi devoluto lapide exiverit & quidem non à se, sed ab Angelo, cum ipse tamen lapidem submovere potuisset; adversus spiritus fanaticos,

eos, qui multa somniant de Christi corpore jam immortali & spirituali facto, ac si eisdem dimensionibus quibus ante non contineretur. Quo facto videtur velle Spiritus Sanctus hujusmodi figmentis occurrere. Maxime si illud reputemus, quod ab Euangelista factum esse narratur, qui docet tempore resurrectionis sanctorum sepulchra sponte sua diffissa & aperta fuisse; cum tamen ostium & repagula sepulchri Christi ab Angelo reserata esse testetur. Et quidem de visione hactenus.

Sequitur apparitionis effectus, qui cum duplex sit; hic quidem erga fœminas pias, iste vero erga reprobos custodes. De effectu erga custodes primum agendum erit.

Terror hic custodu dicitur ingenitus partim ex { Contactu in terræ motu. Aspectu splédoris { Vultus. Vestium. }

Vers. 4. *Hominum adversus Deum irriti conatus.* Hinc *discimus* quam ludicri sunt omnes hominum adversus Deum & Christum conatus, quam irridenda & aspernanda potentia, qui tam levi momento dissipantur & franguntur penitus, qui vel præsentia Angeli consternantur & aspectu pro mortuis jacent, qui, ut est in *Psalmo 76, 5. manus suas non inveniunt, quibus arma è manibus excidunt*, ut illa extorquere non sit necesse, quorum genua invicem colliduntur, & quibus pallor & mors in vultu est. Quid facerent, si illos Angelus allocutus esset illa voce qua potest, sicut Leo rugiens? Quid si illos percussisset, ut aliquando fecit? Quid, quod Balthasarem cum principibus tremefecit manus tantum in pariete scribentis intuitus? Quid igitur istos tyrannos metuamus, quorum maximæ copiæ & potentia summa tantulo momento funduntur? Hic igitur ut consolationis argumentum habemus, quod Deum habemus, cujus satellitium tantum est, sic & timoris ne illum irritemus, qui istiusmodi potentum copiis instructus prodit, de quo recte dici potest quod blasphemus Rabsace dixit *Esaiæ 36, 8, 9.* Quo pertinet etiam quod super lapidem consedit quasi ludibrio habens omnia arma quæ ad sepulchri custodiam compararant.

Cur homines, præsertim impii, angelorum conspectum non ferant. Hic expendatur causa cur non ferant homines aspectum Angelorum, maxime impii; nempe quod tenebræ cum sint & veluti peccati nox, lucem sanctitatis Angelorum, nedum Dei, ferre nequeant: olim enim ante lapsum Adam cum Deo sine terrore colloquebatur, sed post lapsum ad vocem evocantis præ metu se abdidit. Nec mirum si impii ad Angelorum aspectum cohorrescant, cum etiam sanctitatem hominum utut peccati contagione implicitorum revereri cogantur; & nostrummet ipsorum, cum in eorum consuetudine versamur, quorum sanctitas eminet, suppudet. Quid igitur illis tum fiet, cum pleno onere peccatorum suorum onusti, & indubitata persuasione propriæ condemnationis constricti Christum ipsum Angelorum Dominum intuebuntur.

Denique ut nulla potentia vigiliæ aut consilium contra Christi resurrectionem efficere poterant, quo minus Christus præstituto tempore resurgat: sic nec veritatem utcumque oppressam tanquam vasto lapide, aut excubiis asservatam ne exsurgat, aut claustris obsignatam, impedire aut remorari quis possit, quo minus tandem exsurgat & prævaleat, etiam invitis omnibus hominibus. *Veritas tandem victrix.*

Sequitur effectus alius hujus visionis in piis fœminis, qui quidem in quibusdam superiori effectui similis, in aliis perquam dissimilis existit. Nam utrique & impii custodes & piæ fœminæ terræ motum sentiunt, & Angeli fulgorem vident; utrique timent: sed discrimen est, quod fœminæ neque tantum consternuntur, quantum custodes; & ab Angelo confirmantur adversus timorem illis ex hoc Angeli descensu injectum. Ex quorum priore *observandum*, fœminas natura formidolosas & tremulas minus terreri custodibus, qui cum sexu masculo, tum vero professione militari animosiores esse debuerant. Hic igitur fit quod à Propheta dicitur, ut fortes bellatores instar muliercularum trepident, mulieres vero pro viris se gerant. *Ex quo* illud *liquet*, impios, quibus nihil audacius est, & qui sua animositate quidvis fere aggrediuntur, qui cum ipso diabolo manum conserere profiteri non dubitabant, quique adeo in Deum ipsum suis viribus freti insurgunt, animis tamen abjectissimis esse si vel uno Dei digitulo feriantur, cum pii qui natura & educatione timidi sunt, imperterriti consistant. Quod quidem tametsi in hujusmodi visionibus, quæ raræ sunt, non perspiciatur; tamen in morbis quos inique & impatienter ferunt; maxime autem in morte, quam à Deo immissam horrescunt, dignoscitur. Videas enim qui accepto gravi vulnere aut morte certa objecta non commoventur, qui tamen, &c. Vers. 5. *Fœminarum præ custodibus fortitudo.*

Quæ tamen timent, quamvis piæ: Quod vero fœminæ piæ timent, causam vide in annotatis *Luc.* 1, *vers.* 12. & alibi. quæ causa etiam est cur impii piorum consortia refugiunt, imo vero cur pii ipsi aliorum piorum qui plus pietate profeceruut consuetudine pudefiunt. Quod si pii Angeli aspectum timent, quid impii facient? si creaturæ aspectum horrescunt, quomodo horrescent creatoris? Interim vero hoc utile fœminis fuit, ut excussa vana fiducia ad nuncium reverenter accipiendum compararentur.

Sed ab Angelo consolationem accipiunt. Aliud discrimen est quod fœminæ vocem Angeli vereantur. Nam tametsi Angelus hoc loco custodes non alloquitur, tamen cum alibi Balaamum affetur, pios ab impiis Angelorum alloquutione non discerni palam est. Sed hoc distinguuntur, quod Angeli pios dejectos consolentur. Singularis igitur consolatio est, illos nec,licet impii terreantur, perterrefieri, & adversus timorem illis injectum confirmari. Perinde ac si Deus pios febricula pertentans, illis etiam Medicinam porrigeret; cum impios in comitialem morbum conjiciens illis nullam medicam manum adhibeat. Hanc autem consolationem adhibet ut deposito metu attentius post dicenda acciperent.

Cujus consolationis ratio. Deinde ratio *notanda* est, cur metum deponere adhortetur, quod, &c. Quasi diceret, custodes equidem justam timendi causam habent, qui ad Christi regnum & resurrectionem impediendam armati sunt; vobis vero Christum crucifixum quærentibus nullum timendi argumentum præbetur. Timeant Pontiani, Herodiani, Pontificii, qui in Dominum conspirarunt: sed vos alacri & læto animo esse oportet,quæ in Christum creditis; utpote quæ recte facitis quærendo, tametsi ex ea parte non recte quaillum hic quæritis,quem jam resurrexisse meminisse debebatis. Angelus Zachariam confirmat *Luc.*1. adversum arreptum timorem, quod preces ejus exauditæ essent; quæ res illum merito exhilarare debebat, quod quæsitum assecutus esset: sed istæ fœminæ cum quæsitum non inveniunt, videntur nullam justam lætandi causam nactæ. Quamobrem hoc notatu operæpretium est, nos rebus bonis & præclaris etiam ad votum non succedentibus lætari oportere, tametsi alias videamur operam & oleum perdidisse, tametsi etiam nobis occurrant quæ carni ingrata sunt & metum inferunt. Peccatur enim in spem primo mandato imperatam,si in bona causa concidimus aut alacres non simus. Tametsi enim Christum hic non invenerint, tametsi unguentorum, quæ magno compararunt, nonnullum dispendium fecerint; tamen bono animo estote,inquit ad eas Angelus, gratus enim eorum odor ad Dei nares pervenit, &c. Ex adverso timeant impii cum malefecerint, utcumque illis ex animo omnia succedunt. Si enim jubetur maleficus Magistratum timere, *Rom.*13, 4. qui gestat gladium, qui tamen sæpe connivet aut vero etiam cui oculi caligant, nedum Deum metuere æquum est,si quid perperam admittimus.

Sed memorabile est quod illas solatur de Christi inquisitione,tametsi aliter eum quærebapt quam decuit. Quod nos admoneat peccati nostri, qui idcirco à bonis operibus in procuranda religione abstinemus, quia nihil effectum damus. *Bonis operibus studendum licet non perfectis.*

Ex quo intelligitur,quam benignus & clemens sit Dominus, qui ad nævos suorum connivens, illorum opera utcumque contagione peccati & ignorationis aut oblivionis infecta grata habet. Nec pondere caret quod addit crucifixum ab illis quæri, quo indicat probari Deo earum fidem, quæ ad afflictam Christi conditionem non impingebant, sed pergebant plurimi illum facere, quem mundus nihili fecit. Quod etiam nos pudefaciat si Christum jam gloriosum & ad dexteram majestatis sedentem non quærimus. Si etiam veritatem contemptu & odio hominum veluti crucifixam non inquirimus. *Quia Deus ad ea connivet.*

Quod si *quærat* aliquis quo modo quis Christum jam quærat. *Responde* ex libro *Cantic.* 1, 6. illum scilicet quærendo in concionibus & in Ecclesia ubi pascit. Maxime hoc nobis contendendum est, cum sciamus eum in verbo inventum iri, probeque nobis casurum, dum in verbo eum quærimus. *Quomodo Christus quærendus,*

Quod si porro *quæratur*,quomodo crucifixum quæramus qui jam gloriosus est. *Respond.* Si veritatem ejus sectemur, quam mundus odit & contemtu odioque veluti in crucem agit. Nam Christus conjunctam cum Euangelio causam habet; ita ut sicut fœminæ hæ se & fidem suam hoc ipso probarunt maxime, quod crucifixum quærebant; sic etiam certissimum specimen fidei nostræ edimus apud Angelos & homines, si veritatem exosam & insectatam sequamur. Parum enim fuerit si veritatem amplexatam & exos- *Et quidem crucifixus.*

exosculatam ab omnibus amplectamur, cum hoc plerique hypocritæ faciant.

Actionum nostrarum in Angelis notitia quem usum habeat. Vnum illud restat quod Angelus se hoc nosse dicat. Quod quidem ut nobis plenam consolationis materiam præbet dum cogitamus Angelos ad ea quæ recte gesta sunt animos advertere. Sic etiam monere nos debet, primo quidem ut inanem gloriam hominum non captemus, cum tam nobili & celebri theatro Dei & Angelorum utamur. Deinde etiam ut caveamus ne quid indignum admittamus, quod Angelorum aspectu fœdum & turpe est 1 *Cor.*11,10. Nec tamen inde sequitur Angelos comprecandos esse tanquã conscios cordis & cogitationum, cum quæ hic se scire profitentur, sint illa quæ foras emanant.

Postquam illas confirmasset, ilico resur-
Vers.6. rectionis Christi testimonium edit, Christum ibi non esse: cujus rationem assignat ab adversis, quod resurrexisset, ejusque rei cum Christi ipsius dictum, tum eorum oculos testes & arbitros appellat. Vbi præter certitudinem resurrectionis illud etiam *notari* potest, Christum simul pluribus locis esse non posse contra *Vbiquitistas* & alios, cum *Pontificios* tum *Lutheranos*. Quod etiam oculos testes adhibet, eo declarat corpus Christi nusquam esse ubi spectabile non sit. Alioqui excipere poterant fœminæ, fieri potuisse ut adhuc in sepulchro jaceret tametsi oculis non conspiciebatur, adversus insulsam eorum distinctionem qui Christum & Christi corpus à veris ejus dimensionibus & proprietatibus abjungunt.

Resurrectionis certitudo, & corporis Christi veritas.

Notandum porro non pugnare cum fide, si quis veritatem dictorum Dei exploret oculis, &c. Vide pastores *Luc.*2, 15. qui præsepe adibant, ut viderent num ita se res haberet ut dixerant Angeli, item *Act.* 17, 11. de Berœensibus. Deus enim, cujus sermo est expurgatissimus & septies veluti in catino defæcatus, æquissime patitur atque adeo gaudet, cum sermo ejus ad lydium lapidem & ad βάσανον adigitur. Sicut præclarus & peritus artifex opus suum ab omnibus lustrari & exquiri gaudet. Quo enim magis in opus ejus inquirunt, eo majus artificium deprehendunt.

Veritatem sensibus explorare, cum fide non pugnat.

Hic etiam opportune de Sacramentorum usu disseritur: imo vero fidei defectus est, si quis externa ista adminicula contemtui habet.

Postquam vero resurrectionis ipsius cer-
Matth. tiores factæ fueritis, ilico sine omni mora
vers.7. renunciate hoc discipulis, qui ex ejus morte tristes sunt: maxime vero Petro, qui gra- Marc.
vissimo defectionis & abnegationis suæ o- Vers.7.
nere pressus succumbere vel maxime paratus erit, nisi hoc nuncio, quo ejus Christum adhuc peculiarem curam gerere intelligat, recreetur & sustentetur. Hic primum *notandum* quomodo Deus istas fœminas honorat, dum illas resurrectionis Christi primas inter mortales præcones constituit. Neque tamen illis prædicandi Euangelii ministerium commendat, cum longe aliud sit Euangelium prædicare, & aliquot verba profari.

In nuncio resurrectionis I. honor fœminis à Deo delatus.

Sed hic *notemus* incredibilem Dei sapientiam, qui tam obscuros delegit, quorum opera Christi resurrectionem promulget. Sic prius Pastoribus nativitatis præconium credidit. Nec secus in instauratione Euangelii. Priusquam enim per doctos cepit promulgari, cepit per artifices obscuros potius quam per Academicos propugnari, per pueros potius quam senes, per fœminas potius quam per viros, ne scilicet invalesceret opinio, Euangelium se propagasse fretum literis & nobilitate sapientiaque.

II. Sapientia Dei per infimos quosque Euangelium promulgantis.

Deinde & illud *notandum* quibus potissimum Euangelium Christi prædicandum proponitur, nempe gravissimis & atrocissimis peccatoribus, scilicet Petro: sicut enim docetur *misericordiam abundare ubi peccatum abundat*; Sic etiam media & instrumenta misericordiæ communicandæ abundare convenit. Sic Christus cum publicanis & peccatoribus conversatus est, ut in morbis & vulneribus fit, ut medicamenta & emplastra exquisitiora adhibenda sint, ubi morbi graviores & vulnera magis letiferã.

III. Quibus Euangelium prædicandum.

Hoc loco *docentur* Ministri se tanto magis ad curandi curam & sollicitudinem excitare, quanto peccatores gravius prolapsos viderint; non autem illos aut contemnere, aut tanquam deploratos abjicere. Boni enim pastoris est errantem & palantem ovem per montes quærere. Imo vero reliquas veluti ad tempus deserere præ studio perditam ovem conquirendi. Quo in negotio ut facilius se sustentet, reputandum ei erit, plus fructus ad eum ex unius conversione redire quam ex multarum salute quæ nunquam de via declinarunt. Tametsi vero Angelus hic nihil mandavit, nisi quod in mandatis à Deo accepisset, tamen quam cupide hoc dixerit vel ex eo intelligi potest, quod magis gaudent ex conversione unius peccatoris, quam, &c. *Luc.*15,7,10. Quod autem vel maxime nos movere debet est Dei gloria, quæ major elucet

Ministrorum major cura esse debet circa peccatores prolapsos.

elucet in peccatoris conversione, quam in justorum ædificatione. Vnde etiam ab omnibus fidelibus gratiæ illi magis ex hac parte confertim redduntur.

Pontificii *perperam ex hoc loco primatum Petri asserunt.*

Hic refellantur *Pontificii*, qui hinc Petri primatum astruunt: Quare haud secus faciunt, quam si ex mendicis is qui amplissimam eleemosynam (quod maxime mancus esset) accepisset, ilico gloriaretur se dignissimum esse, qui princeps inter mendicos constituatur.

In peccatoribus curandis mora periculosa.

Quod actutum hoc fieri jubet, docet moram omnem in his periculosam esse: metuendum enim ne aut hinc peccator desperatione concidat, aut istinc obducto vulnere & securitate invecta obduretur, & obfirmetur animus ejus, ut in acutis morbis moram omnem periculosam esse certum est, ut qui totam medendi rationis historiam ferre nequeunt. Quod quidem ut diligentiæ Ministros admonet, sic etiam residentiæ. Quomodo enim cito accurrant graviter vulneratis, qui longius ab illis absunt? Peccator enim expiraverit & veluti in peccato suo mortuus fuerit, antequam malum ad Pastoris aures perferri possit, nedum antequam accurrere possit. Hinc est quod Pastori comparetur: quod etiam speculatori, &c. Hæc celeritas & diligentia in Euangelio promulgando illustratur egregie historia leprosorum 2 *Reg*.7,9,10. Nam si contra officium erat unam noctem celare Euangelium, quod salutem momentaneam continebat, nedum illud, quod æternam continet.

Euangelium nulli loco astrictum.

Quod dicit Christum illos in Galilæam præcedere, ubi se conspiciendum suis præbeat: *notandum* est Christum Ierosolyma consulto declinasse totius & regni & Ecclesiæ Metropolim, ubi omni verisimilitudine sese exhibiturus erat; idque ut in Galilæam concederet, locum omnibus maxime invisum, & unde nihil boni proventurum putabatur. Nullus igitur locus tantis privilegiis firmatus est, ut Christum sibi addictum & obnoxium habeat, nisi quoad suam Deo fidem & obsequium probaverit: Potius vero ignobilissima loca delecturum Deum, ubi sedes suas figat, quam ut illis se mancipari patiatur. Adversus *Romanistas*.

Cur Christus se piis videndum præbeat.

Quod etiam non nisi piis & discipulis se vivum exhibuerit, qui ante promiscue omnibus se conspiciendum dedit, id eo fecit, partim ut suis hunc honorem haberet. Nam quemadmodum Apostolos præ aliis honoravit, quod se illis sæpius quam aliis piis patefecerit; sic pios præ impiis, quod illis se aliquousque communicans, ab impiorum aspectu se penitus subduxit: partim vero hoc fecit, quia fructus resurrectionis ad illos pertinuit.

Consortii angelorum dulcedo.

Quod addit ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν; Perinde est ac si diceret, nihil habeo amplius quod vobis dicam; legationem obivi, quamobrem aliorsum quam in me respicite. Ex quo illud liquere videtur, fœminas primo Angeli aspectum horrentes, nunc demum ita confirmatas fuisse, ut ægre ab Angelorum voce depelli potuerint, adeo illius sermone capi videri possint. Quod si ita fit, inde facile colligere est quanto gaudio perfundemur eorum & aspectu & sermone, cum illis gloria & immortalitate conformabimur.

Lvc. 24. Vers. 3. *Rationi inniti in rebus fidei periculosum.*

Iussæ ab Angelo accedere ad monumentum, ut explorarent Christi resurrectionem & certo intelligerent sensibus edoctæ eum è mortuis resurrexisse; illud faciunt. Sed cum ad monumentum accedentes Christum in sepulchro jacentem non cernerent, sepulchrum ingrediuntur, si forte in angulo aliquo eum delitescere offendant. Cum vero diligentius perquirendo nihil prorsus invenirent, ceperunt de hac re dubiæ esse & anxiæ: aliquantum enim commovebat illas Angeli nuncius: sed rei magnitudo & difficultas illas in contrariam sententiam rapiebat. *Ex quo videmus*, quam periculosum sit in rebus fidei, rationi nostræ inniti, & illam veluti regulam & judicem rerum sacrarum constituere. Nam hoc pacto in dubium vocabant piæ fœminæ certissimum Angeli oraculum, quod penitus tanquam anilem fabulam repudiassent, nisi fide aliquousque imbutæ fuissent.

Vers. 4, 5. *Pii Deum quærentes nunquam destituti.*

Interim vero dum de hac re dubiæ & hæsitantes essent, supervenerunt duo alii Angeli. Sic Deus pios Deum quærentes nunquam destituit. Sic opportune Iosephum Angelus sua difficultate expedivit. *Matth*. 1,20,22. Est enim eorum consiliarius. Hæc autem tarditas in credendo, ut illa Thomæ, plurimum profecit. Nam sic duorum aliorum cœlestium Angelorum testimonio confirmatur. Quorum aspectu quod mulieres consternatæ faciem suam in terram declinant, ut radiorum splendorem, quem ferre nequibant, subterfugerent; nostram, ut prius dictum est, peccati contagionem arguit. Quod si ad Angelorum aspectum capita in terram dejicimus, nostram vilitatem agnoscentes, quanto hoc magis fieri debet,

dum

dum Dei infinitam majestatem animi oculis intuendam proponimus?

Piorum errores castigandi. Earum autem hæsitantiam verbis paulo acrioribus castigat, quod nullum modum in quærendo Christum inter mortuos statuerent. Quod durum videatur; præsertim cum tam piæ essent, & Christum quærerent. Quod documento est, ne piis quidem in suis peccatis indulgendum, sed corripiendos esse, ut sine exceptione laudentur, vel in illis potius Deus prædicetur: esse enim indicium amoris divini, cum ab eo verbis aut plagis corripimur. Videmus etiam parentes vel minima errata aut flexus reprehendere.

Quod autem Angelo verba ipsa Christi commemorante fœminæ ilico eum eadem dixisse meminerunt: videmus ex usu esse integra Scripturæ loca recitare, non tantum sensum & summam perstringere. Hoc enim idem prior Angelus dixerat, sed summatim illud fecit præteritis Christi verbis. Sic rebus dubiis non acquiescimus nisi scripta, monumenta, literæ aut inspiciantur aut recitentur: nec nudo sensu contenti sumus. *Vers. 6. Integra Scripturæ loca recitanda.*

MATTH. *cap. 28, vers. 8.*

8 Tunc egressæ cito à monumento cum timore & gaudio magno, currebant ut renunciarent discipulis ejus.

MARC. *cap. 16, vers. 8.*

8 Tunc digressæ cito, fugerunt à monumento, tenebat enim eas tremor & stupor, neque cuiquam quicquam dicebant, timebant enim.

LUC. *cap. 24, à vers. 9, ad 12.*

9 Et reversæ à monumento annunciaverunt hæc omnia illis undecim, & reliquis omnibus.

10 Erant autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi mater, *& reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant Apostolis.*

11 Sed visa sunt apud eos quasi deliramentum verba ipsarum, neque crediderunt eis.

PRAXIS.

SUmma, Fœminis ex præscripto Angeli revertentibus, & Apostolis quæ gesta sunt referentibus, Apostoli fidem illis derogando, nuncium irrisioni habuerunt.

Partes sunt,
- Obsequium fœminarum.
- Apostolorum in illis excipiendis pravitas.

In priori consideratur quid fecerunt
- Redeuntes.
- Reversæ.

MATTH. vers. 8. LUC. vers. 9. *In resipiscentia promptos esse decet.* Primum confirmatur ilico fœminas ab Angelo reprehēsas, quod vivum inter mortuos quærerent, monumento egressas esse. Hæc prōptitudo laudatur in fœminis, quod dictum ilico factum sit. Vide *Psal. 119, vers. 60.* Est enim æquum ut qui in patrandis malis alacres & experrecti fuerimus, eandem promptitudinem in resipiscentia præstemus. *Rom. 6, 19, 20. 21, &c.* Quoties nobis ab Angelo Domini dictum est, ut exeamus è sepulchro peccati, verbi contemtus, ebrietatis, maledicentiæ, immisericordiæ in pauperes? Atque quam pudendum est fœminas, quæ suis affectibus impotentius feruntur, sese tam cito colligere, & affectuum suorum lumbos accingere; cum viri, quorum est hac ex parte viros vel maxime agere, in suis affectibus mollescant & veluti discincti incedant.

Affectus in fœminis laudati; quorum I. timor. Deinde *videndum* quomodo affectæ discedebant. Ex affectibus vero primus commemoratur timor atque adeo tremor apud *Marc.* Quem quidem tametsi non inficior injectum partim fuisse ex glorioso intuitu Angeli; tamen non est dubium, quin cum primis inde fluxit, quod ad correptionem Angeli trepidarint *Esai. 66, 2. Leone enim rugiente quis non timeret? Amos 3, 8.* Hic igitur commendantur fœminæ, quod reprehensæ timuerint & quod ex timore ilico ex monumento fugerint. Hinc etiam dicitur timens Deum a malo recedere *Iob 1.* Et quo quis fortius Deum timet, eo longius à malo recedit. Contra vero qui à malo non recedunt, hi Dei timoris expertes sunt.

II. Gaudium. Alius affectus erat gaudii, quod quidem

ex grato nuncio, quem fide apprehenderant, profectum est. Fides igitur Euangelii non potest non magnum gaudium animis inferre, maxime resurrectionis Christi; nedum ascensus & sessionis ad dextram. Christum enim vivere, quem deamabant, non potuit non illas plurimum recreare. Maxime vero si reputemus ejus vitam nostram esse vitam, illius fælicitatem nostram beatitatem *Rom.*8,33,&c.

III. *Stupor.* Tertius affectus erat stupor, qui quidem sicut aliquousque reprehendendus est, quod hac Christi resurrectione tanquam re nova & inaudita attonitæ essent: sic ex ea parte laudandus est, quod rei magnitudo illas penitus affecit. Est enim sanctitatis pars, res admirandas & inusitatas admirari, atque adeo cum res postulat, earum magnitudine obstupescere. Vnde & Christus ipse admiratus est fidem Centurionis *Matth.*8,10.

Vbi Stoici refutati. Quod non tantum Stoicos convincit vanitatis, qui in virtute ponunt nũquam commoveri, sed æquabili ratione in omnibus quantiscunque commutationibus affici: sic etiam nostram oscitantiam coarguit, qui rebus minime novis obstupescimus, cum tamen in his ex quibus nos obstupescere æquum est, secus fiat. Nam si quando afflictiones nos exerceant, statim miramur & obstupescimus, tanquam novi aliquid nobis obvenerit, quod & Dei prædictione & peccato nobis inhærente & afflictiones accersente novum & alienum videri non debet. Ad Dei vero judicia, quæ exercet in quosdam ad patientiam, quæ in alios ad resipiscentiam, non obstupescimus.

Cursus Fœminarum, Quod currunt, id ex mandato Angeli prioris faciunt, qui illas festinare jussit. *Matth.*28,7. Solenne est his, qui lætum nuncium afferunt, accelerare; qui veluti onusti incedunt donec nuncium pertulerint. Vide *Iohan. cap.* 4, *vers.*28. de muliere quæ relicta hydria in urbem cucurrerat, nuncium de Christo civibus suis allatura.

Quod nemini quidquam dicebant, illud intelligendum est de earum in itinere silentio, cujus etiam causa redditur, quod sibi metuebant, non equidem à Deo, ut in timore de quo prius dictum est, sed à Iudæis, qui Christi mortem exquirentes ejus resurrectionis nuncium perferre nequibant. Quod prudentiæ erat ne quibusvis lætum hunc nuncium proderent. Sic enim fieri potuit, ut in itinere sisterentur, & quo minus gratum nuncium Apostolis referrent impedirentur. *Et taciturnitatis causa*

Atque hæc de fœminis. Sequitur de Apostolorum in illis excipiendis pravitate.

Vbi expenditur primum { Causa. / Deinde effectus.

Causa est fidei defectus, qui augetur, quod ne fœminis quantumvis numerosis in eo credant, in quo illos citra ullius nuncium confirmari oportebat, & qui alios & mulieres debebant in eo confirmare. Sed hic fidei defectus crescit, dum rem hanc non tantum ut dubiam, sed ut ridiculam prorsus & nugatoriam rejiciunt. Cujus quidem irrisionis inde occasionem desumebant, quod fœminæ essent, quæ hoc nunciabant; quibus facile imponi posse sibi persuadebant, & quibus tremulis præsertim quidvis in animos subrepere posset. Quod cum Apostolis tanquam grave scelus objiciatur; cavendum nobis est, ne quacumque occasione ejus qui Euangelium prædicat, ei vera dicenti fidem detrectemus, vel nobis obstacula comminiscendo, quod sæpe fit; vel etiam objecta ab ipso ministro arripiendo. Vers.11. *Euangelium prædicanti nullo prætextu fides deneganda.*

Hinc etiam *discant* hi, quorum est Ecclesiæ de ministris prospicere, ne sua temeritate in illis deligendis, qui vel scientia vel moribus inepti sunt, Ecclesiæ offendiculo sint, & homines ab Euangelii fide absterreant, quæ querela hoc tempore justissima est. *Quid cavendum in Ministrorum electione.*

LVC. *cap.* 24, *vers.* 12.

12 *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & quum se inclinasset, cernit lintea sola* illic *jacentia: abiitque apud semetipsum mirans factum.*

IOH. *cap.* 20, *à vers.* 2, *ad* 11.

2 *Currit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quem amabat IESVS, & dicit eis; Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum.*

3 *Exivit ergo Petrus, & alter ille discipulus, & venerunt ad monumentum.*

4 Cur-

4 *Currebant autem duo simul: sed alter ille discipulus præcucurrit citius Petro, venitque prior ad monumentum.*

5 *Et quum se incurvasset, cernit posita lintea: non tamen introivit.*

6 *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & conspexit lintea* ibi *posita:*

7 *Et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsum iuvolutum in unum locum.*

8 *Tunc ergo introivit etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit.*

9 *Nondum enim noverant Scripturam, videl icet quod oporteret eum ex mortuis resurgere.*

10 *Redierunt ergo illi discipuli ad suos.*

PRAXIS.

S*Umma*, Petrus & Iohannes ex Magdalenæ nuncio de Christi corpore è sepulchro asportato ad sepulchrum accurrentes, & an ita se haberet pertentantes: minimo fructu ad suos redeunt.

Partes sunt, { Exploratio sepulchri ad Magdalenæ indicium. / Explorationis fructus. }

In *priori* notatur, { Magdalenæ de asportato Christo duobus discipulis indicium. / Discipulorum ad eam rem explorandam studium. }

IOAN. Vers. 2. *Quomodo Magdalena Christi corpus ablatū queratur, quem resurrexisse credidit,* In Magdalenæ indicio mirum videatur, quomodo quæ Apostolis Christi resurrectionem ex Angelorum autoritate nunciasset, eadem tamen affirmat Christum asportatum esse: utraque enim hæc consistere nequeunt. *Resp.* Priore indicio illa tantum nunciasse quæ viderat & audiverat ab Angelis: posteriore vero quid ipsa sentiebat; quæ non pugnant. Qua re una facile elucet quanta in bonis illis fœminis credendi tarditas esset, quæ neque Prophetarum, neque Christi verbis, neque Angelis hoc duplici visione confirmantibus fidem adjungunt. Quod quidem atrocius quod ex Angelorum verbis ceperunt ipsissima Christi de sua resurrectione verba recordari, ut de resurrectione dubitare aut illam implicite negare perinde sit atque si Christum Dominum mendacem judicarent.

Et ex nuncio de resurrectione ejus læta fuit. Verum hoc loco difficilis *quæstio* suboritur, quomodo hoc vere de illis dicatur, quæ Angelorum nuncio de resurrectione Christi ob eam causam credidisse convincuntur, quod lætæ & hilares admodum ex monumento redierunt. Nec enim aliud erat quod illas exhilarare poterat. *Respond.* Verum quidem esse illas credidisse; sed tamen in fide fundatas & radicatas non fuisse; eoque ab hac fide abductas fuisse levi momento, scilicet quod Apostoli ipsi earum nuncium tanquam delirium judicarunt. Sic enim proculdubio secum statuerunt: Nos quidem fœminæ misellæ eo adductæ fuimus, ut resurrectioni Christi fidem adhiberemus: cum autem comperimus Apostolos Christi hoc tanquam fabulam anilem rejicere, omnino nobis impositum esse facile liquet.

Ex quo primum *observandum* est, quam periculi plena sit Ministri & ducis populi à veritate aberratio; quomodo etiam in interitum etiam illos rapit, qui cæteroquin sponte sua ad bona propendent. Vnde *Matth.* 23, 31. *Nec ipsi ingredimini, nec alios ingredi volentes ingredi sinitis.* Quo major cura habenda est, ne aut cæcum ducem, aut mercenarium nobis præfici patiamur. *Ministri error periculosus.*

Notetur quomodo Idololatræ suam plebem non ferunt ad aliud ministerium transire.

Deinde etiam illud *observetur*, quanta infirmitas & levitas hujus sexus sit: quam ægre veritatem admittat, quam facile & levi momento à veritate dimoveatur. Quod fœminas admoneat ut sedulam operam dent regni cœlestis mysteriis perdiscendis. Vide Saræ in credendo tarditatem, &c. *Gen.* 18. Loti uxoris ad urbem Sodomorum respectationem. *Gen.* 19. *Muliebris sexus infirmitas.*

Sequitur duorum discipulorum ad eam rem explorandam studium. Qui quidem sive reliquorum suffragiis, sive sponte sua hanc operam adhibuerint, omnino singulari Dei providentia ut hoc facerent effectum est. Nam numerus binarius testimonio ferendo aptus est. Deinde sunt ex discipulis qui ho- Vers. 3, &c. MATTH. Vers. 12. *In duorum Discipulorum exploratione Dei*

 nore

providentia conspicua. nore cæteris præcellebant. De quibus *notanda* sunt primum quæ conjunctim, deinde quid seorsim agebant. Currebat uterque, uterque monumentum accessit, in illud (inclinato capite) introspexit, sepulchrum ingressus vidit linteamenta & sudarium seorsim & separatim posita & convoluta.

Celeritas eorum in cursu reprehensa: In cursu quædam sunt reprehensione digna, alia in laude ponenda. Quod enim in cursu tam celeres sunt, illorum in fide tarditatem arguit. Nam accurrunt tanquam ad inexspectatum quiddam & insolens, dum audiunt Christum in sepulchro non esse. De quibus vere dici potest, *qui credit non festinet. Isai.* 28, 16.

Perversitas eorundem perstricta: Atque hîc *notetur* insignis perversitas discipulorum, qui ad nuncium de resurrectione, qui certissimus erat, & Angelorum autoritate nitebatur, ne pedem quidem efferunt ut ejus veritatem explorent, sed illum tanquam fabulam rejiciunt: sed ad nuncium de asportato Christo, quantumvis ab unica fœmina temere proponebatur, nec ullo Angelorum testimonii subsidio nitebatur, atque adeo veritati penitus contrarius erat, tamen ilico accurrunt. Mirum igitur quam simus in rebus sacris hebeti & occæcato judicio.

In veritate inquirenda studium laudatum. Quod autem sedulam & sollicitam operam in veritatis inquisitione dant, & spreta dignitate Apostolica currunt quantum contendere poterant, in eo sunt laude digni. Vide *Marc.* 10, 17. & *Luc.* 19, 4.

Linteamina inventa certum resurrectionis Christi signum. Quod offenderunt linteamina & sudarium, &c. argumento certissimo erat Christum resurrexisse. Nam si quis illum transferre voluisset, nunquam eum suis linteaminibus exuisset. Si quis etiam illum furto asportare voluisset, nunquam temporis tantum sumpsisset ad illum suis integumentis exuendum, præsertim unguentorum tenacitate ejus corpore mordicus adhærentibus: nunquam etiam sudarium convolvisset & complicasset; sed omnia tumultuarie & per festinationem fecisset. Christus enim ex sepulchro exiit, non ut Israëlitæ ex Ægypto, sed potius ut ex Babylone migrarunt, singulari securitate; & tanquam Leo surgens & prædam abducens, spretis & contemptis custodibus cum summa fiducia incedit. Linteamina igitur & sudarium testimonium dicunt resurrectionis Christi, siquidem attente quis illa consideret.

Vnde sit quod Iohannes Petrum in cursu superaverit: Quæ seorsim fecerunt sunt, quod Iohannes Petrum in cursu superavit, sive quod ætate junior magis expeditus esset, sive quod amore in Christum pedes ejus tanquam damæ aut capreæ pedes expediti & accelerati magis sint; sive (quod verisimilius est) utraque ratione. Ex quo illud intelligitur, amorem in Christum membra etiam corporis agiliora reddere: corporis enim infirmitas animo alacri sustentatur, &c. *Proverbior.* 18, 14.

Et tamen Petrus prior sepulchrum ingressus sit. Quod Petrus ingressus est prior, cum posterior ad sepulchrum accessit: inde factum videtur, quod natura audacior existeret, ut sæpius vidimus: ideoque non tam ingressum sepulchri metuebat, quem Iohannes forte reformidavit, quod à fœminis audiverat, illis ingressis Angelos duos apparuisse, & illas attonitas & tremefactas reddidisse. Vnde & illud *liquet* audaciam & animositatem, quam natura hominibus inesse conspicimus, tum demum utilem esse, & singularem usum in Christiana vita sortiri, cum illa Spiritus Sancti nova confidentia animatur. Sicut enim natura formidolosus idemque fide imbutus strenuissimum quemque, qui fide caret, animositate & fiducia aliquid aggrediendi superat: ita si ad illam, quæ à natura est animositatem, fortitudo Spiritus accesserit, suam non contemnendam utilitatem habet.

Explorationis in Discipulis fructus exiguus. Sequitur *pars altera* de fructu, qui perexiguus aut nullus est, eoque discipulorum vel lectissimorum in credendo tarditatem coarguit. Nam quod dicitur de Iohanne, eum credidisse, non alio referendum est, quam ad Christi corpus quod è sepulchro surreptum & alio deportatum prædicabatur, non tantum quod Iohannes illius nuncii tantum meminit, prætérita narratione quam fœminæ ex Angelorum mandato pertexuerunt: sed quod affirmet *sequenti versu*, nondum illis certi aliquid ex Scripturis de Christi resurrectione constitisse: Petrus autem admirabundus abiit suspenso animo, quid hac re fieret, &c.

IOH. *cap.* 20, *à vers.* 11, *ad* 19.

11 *Maria vero flens stabat ad monumentum, foris. Dum ergo fleret, incurvavit se in monumentum.*

12 *Et conspexit duos Angelos albatos, sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes,* illic *ubi jacuerat corpus IESV:*

13 Qui

13 Qui etiam dixerunt ei; Mulier quid fles? Dicit eis; Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerint eum.

14 Et quum hæc dixisset, convertit se retrorsum, conspexitque IESVM stantem, nec sciebat IESVM esse.

15 Dicit ei IESVS; Mulier quid fles? quem quæris? Illa putans olitorem esse, dixit ei: Domine, si tu ipsum asportasti, dicito mihi ubi posueris eum, & ego eum tollam.

16 Dicit ei IESVS; Maria. Illa se convertens dicit ei; Rabboni, quod dicitur Magister.

17 Dicit ei IESVS; Ne me tangito: nondum enim adscendi ad Patrem meum: sed proficiscere ad fratres meos, & dic eis; Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum.

18 Venit Maria Magdalene annuncians discipulis quod vidisset Dominum, & quod *ea sibi dixisset.*

PRAXIS.

SVmma, Magdalena Christum quærens, cum in resurrectione & ascensu ejus confirmatur, tum discipulos undecim eadem ex Christi mandato annunciat.

Partes sunt, { Confirmatio in Christi { Resurrectione. / Ascensione.
Magdalenæ { Vtriusque mysterii Apostolis ex Christi mandato annunciatio.

In *priore* consideratur ipsius quærentis confirmatio per { Angelos. / Christum.

Vers. 11. *Magdalenæ studium quærendi Christi.* Magdalena duos discipulos ad Christi inquisitionem extimulans, ipsa otiosa & deses non est, sed, ut liquet, iterum se viæ ad sepulchrum cum aliis mulieribus dat, ut ex *Matthæo* constat, qui dicit Christum occurrisse mulieribus: & cum duos discipulos cursu & celeritate assequi nequiret, videtur illos tum attigisse, dum adhuc in exploratione sepulchri essent, & ibi substitisse cum illi domum redirent una cum aliis mulieribus quibus Christus post apparuit in via, cum se primum vivum conspiciendum præbuisset Magdalenæ in horto ad monumentum.

Ejus fletus causa. Quod autem sepulchrum adveniens ilico in fletum erumpit, omnino videtur ex duorum discipulorum nuncio de Christi asportatione confirmata fuisse. Hinc igitur illi lachrymæ effluxerunt, quod Christi corpus inhonoratum & probro expositum animo conceperat: quod quam honoratissima sepultura condecorari præoptarat.

In multiplici ejus errore aliquid tamen laudandum. Primum quidem in eo peccatum ab ea est, quod Christum resurrexisse non commeminerat, præsertim bis admonita ab Angelis. Deinde Christum in mortuis adhuc esse concipiens illud potissimum lugere debebat, se cum electis omnibus perituram, quorum salus in Christi resurrectione consistebat. In multiplici tamen Magdalenæ errore unum illud laudi ducendum est, quod Christi corpus quantumvis mortuum ignominia affici ægerrime tulit. Vide 1 *Samuel.* 31. exemplum incolarum Iabesh. Item 2 *Samuel.* 21. exemplum Ritspæ. Cum autem nullum nostrum erga Christi corpus officium constare possit, fidei nostræ experimentum demus in procurandis funeribus sanctorum, cum pro Christo moriuntur. Maxime vero operam demus mystico Christi corpori, quod in terris est, quod adhuc ungere, lavare & aliis officiis colere conceditur. Exilem igitur pietatem nostram esse coarguitur, qui vivum Christi corpus in plateis jacere & oberrare patimur.

Quod sepulchro adstans, tandem caput suum in sepulchrum inserit, ut an Christus ibi esset cognosceret, ut ex ea parte fidei insignem tarditatem prodit, quæ nec Angelorum nuncio, nec suis sensibus, nec discipulorum duorum de asportato Christo fidem adhibet: sic ex ea parte incredibilem ex amore curam quærendi Christi coarguit. Maxime si meminerimus, quomodo sepulchri inspectione prius exterrebatur objecta Angelorum visione: unde Iohannes videtur sepulchri ingressum reformidasse, quoad Petrum præeuntem viderat. Experimento autem certissimo comperimus studium aliquid inveniendi nos impellere, ut ibi aliquid quæramus, ubi diligentissime & attentissime perscrutati illud non invenimus. Ex quo illud elicitur, quam est hominum erga Christum amor perexiguus, quandoquidem eorum est in illo quærendo tam languidum & tam frigidum *Ejus in fide tarditas, & cura quærendi Christi simul apparent.*

gidum

gidum studium. Quod tanto liquet magis, quod illum non inquirimus in Scripturis, ubi certissime reperitur, cum hæc illum quæsiverit ubi nec reperiri poterat, nec inveniendi spe sustentabatur. Denique quod fœmina non sine periculo & timore hinc hostium Ecclesiæ, istinc gloriosæ apparitionis Angelorum eum quærente, nos ne ibi quidem illum indagamus, ubi citra periculum & timorem se nobis conspiciendum præbet. Hæc accommodentur nostris præsertim mulieribus.

Vers. 12. *Perseverantiæ in Christo quærendo præmium.* Quod Angelos duos simul & videt & audit, quos tamen duo Christi discipuli non viderunt, nec illis ostensi sunt; in eo conspiciendum præbetur, quod tandem præmium est singularis amoris & ex amore curæ & sollicitudinis & ex cura & sollicitudine permansionis & perseverantiæ in Christo quærendo. Quod nos ad hoc officium merito animare potest & debet. Quid numerus binarius nos doceat dictum est: quod vero unus ad caput, alter ad pedes sedebat, signo erat Christum non ibi fuisse, utpote quod spatium à Christi capite & pedibus occupatum sit corporibus, quæ Angeli ad legationem obeundam acceperunt.

Pontificii *refutati.* Quod egregie *Pontificios* convellit, qui Christi corpus sine justa quantitate & corporis conformatione somniant, cum Iohannes idcirco in sepulchro non fuisse confirmat, quod locus, ubi jacuerat, ab alio quam à Christi corpore occupabatur. Cum igitur nec locus sit capiti nec pedibus Christi in crustaceo *Pontificiorum* Deo, certum est illud Idolum esse.

Vers. 13. *Ignoratio Scripturæ sæpe tristitiæ injustæ caussa.* Quod quærant quid fleret, non eo hoc fecerunt, quod causam ignorabant, sed illam hoc modo molliuscule & tenello brachio castigant: ac si dicerent; Nulla justa causa subest, cur flere in hunc modum debeas, quæ potius de Christo excitato summe lætari debeas. Ex quo illud *liquet* ignoratione Scripturarum & oscitantia in perdiscenda Dei voluntate sæpe fieri, ut homines istis contristentur, ubi lætari eos deceret; istic fleant, ubi ridere deberent; istic perplexi & anxii sint, ubi fideles illos esse oporteret. Vnde illud liquet, quam præclarum sit Dei pleniore notitia illustrari, sine qua etiam pii ipsi sæpius mœsti sunt. Falsum igitur est quod a plerisque jactatur, *ἥδιστος βίος μηδὲν φρονεῖν.* tametsi enim ad tempus dormiant, tamen experrecti & sonitu peccatorum excitati, quo se vertant nesciunt.

Quod sciamus Christum ad dexteram Patris esse solidi gaudii nobis caussa est. Responsio causam doloris sui *duplicem* subindicat. *Prior*, quod Domini corpus certi asportassent. *Altera*, quod nesciret quo abductum esset ut illud reportaret, aut loco commodo reponeret. Quod nos doceat, quanto nos gaudio perfundi oporteat, quod sciamus Christum ad dexteram Dei Patris sedere, unde detrahi non potest. Huc igitur oculos & animum attollamus.

Vers. 14. *Hominum ministerio Euangelium cognoscere summum beneficium.* Quod autem hoc dicto ilico se retro convertat, nec ab Angelis percunctatur, an scirent ubi esset: ideo factum esse apparet, quod Angelorum splendore perculsa eorum aspectum ferre diutius non posset. Quod autem illud sciscitatur a Christo, quem hortulanum esse animo conceperat, quod non ab ipsis Angelis, qui certius hoc indicare poterant quam hortulanus, documento est, quantum beneficium sit hominum ministerio uti, quibuscum absque formidine & trepidatione familiariter agere conceditur; multoque conducibilius esse à Ministro Ecclesiæ mysteria regni percipere, quam vel à Deo, vel ab Angelis. Vide *Exod.* 20. & *Iob.* 39. Vide etiam Cornelii exemplum *Actor.* 10. Quod etiam Angeli nihil illi de Christo excitato respondent, hoc idcirco fecerunt, quod Christum præsto esse cognorant, qui totum hoc negotium commodissime expediret.

Vers. 15. *Quærentes inveniunt.* Christus quæstione hac inde orditur, ubi Angeli desierunt: rogat enim quid fleret. Hic igitur primo *notandum*, quam verum sit quærentes invenire, petentes accipere, pulsantibus aperiri. Tametsi enim huc illuc discursando videntur operam & oleum perdere; tametsi civitatis custodes nobis Christum ubi sit indicare nequeant, tamen dummodo perstemus in Christi perscrutatione, illum tandem certissime inveniemus. Cum igitur exploratum sit Christum, quem quærimus rem pretiosissimam esse, sitque perinde perceptum nos gemmam hanc inventuros; (quos enim invenit cum eum non quærerent, his certe se quærentibus se exhibebit; & si Paulum se persequentem quæsivit, nedum nobis diligentibus ipsum se ostendet:) pudeat certe nos tam esse in quærendo frigidos & languidos. Cum aurum quærant ubi sæpe illud non inveniunt, & gemmas per littora ubi non sunt. Maxime vero cum Christus semel inventus amitti nequeat, rebus omnibus aliis caducis existentibus.

Piorum lachrymæ Christo pretiosæ. Quid fleret, aut quem quæreret rogitans, sibi non placere docet hunc mœrorem, quem

quem ex sui absentia conceperat. Commiseratione enim motus, non æque fert hunc ploratum. Piorum enim lachrymæ coram illo pretiosæ sunt: unde illas veluti collectas in utre reponit. Falsum ergo quod proverbio celebratur, non magis moveri nos oportere mulieris fletu, quam anseris nudis pedibus incessu. Quod quidem ut improbe dicitur, tamen sæpe piis ipsis in mentem venit hoc ipsum in Christo usuvenire; dum suos patitur in luctu & lachrymis jacere & ita illachrymari, ut eorum corpora veluti clibanus fiant, & ossa arida sint, imo vero ut lugendo videant jecur penitus effudisse, ut est in *threnis*. Et quidem illud verum est Deum hoc sæpius facere ut suos in squalore & luctu jacere patiatur, sed maximo eorum compendio ut 2 *Cor.*7. Non quod lachrymis suorum delectetur, qui opportune veluti strophiolo omnes lachrymas detergit. Quod si Christus sollicitus sit illas lachrymas sistere, quæ citra & contra officium funduntur, nedum hoc faciet cum jure & debite & ex verbi præscripto hoc fit, cum peccata nostra lugemus: nam Magdalena lugebat Christi asportationem, quam non debebat.

Pii sæpe Christum jam inventum quærunt. Quod existimavit Hortulanum esse qui illam alloquebatur, discimus sæpius fieri ut pii Christum invenerint cum illum se invenisse nesciunt, ut qui veluti per transennam pios inspiciat à quibus non agnoscitur. Sicut enim plerique ex impiis sibi persuadent se Christum invenisse & veluti manibus tenere, quem nunquam ne è longinquo quidem viderunt, ita pii plerique præsertim tentationibus obnoxii ne tum quidem attigisse putant, cum jam comprehenderint. Responso autem suo tametsi aliam quæstionem proponit, tamen satis ad illud quod quæsitum est, commode respondisse deprehenditur. Perinde enim est ac si diceret: tu pulchre nosti quem quæro: quem enim istic in horto & prope sepulchrum Christi quærerem nisi Christum? (unde etiam illum non nominatim indicat) quamobrem si tu eum hoc consilio deportasti, ne ab impiis Iudæis corpus ejus contumelia afficiatur, indica, quæso, mihi, ut ego eum tollens, sumptum in illum faciam. Atque hac quæstione proposita, antequam responsum accepit, ilico se avertit, persuasa nihil inde potuisse elici, quo Christum inveniret. Quod ex eo cognoscitur quod Christo illam nominatim compellante se reflexisse dicitur, & faciem ad Christum prius aversam convertisse. Vnde & illud liquet, pios sæpe Christum invenire vel tum cum minime omnium se inventuros credunt. Nam Maria se a Christo averterat tanquam operam & oleum perditura, si cum illo ulterius de Christo inveniendo confabularetur.

Quod Christo illam nominatim appellante vocem ejus agnovit, & Christum esse certo cognovit: nos primum *docet* Christi cognitionem melius & certius peti ex ejus verbo & sermone quam ex aspectu & corporis forma & lineamentis. Nam priore sermone ob eam causam se Christus non manifestavit, ne perinde & ex æquo tribueretur ejus aspectui Christi atque ipsius auditioni, aut vero plus etiam tribueretur aspectui Christi & visibili formæ quam sermoni. Nunc autem duntaxat sermone se patefaciens docet potiorem & rectiorem Christi notitiam & magis salutarem eam esse, quæ ex verbo petitur. Hinc est illud *Iobi* 22,21, 22. *notitiam inito cum Deo, & ejus sermonem ex ore ejus accipias.* & *Prov.*2,6. Adversus *Pontificios*, qui quærunt illum in picturis: item qui nunquam acquiescunt nisi in corporali Christi præsentia, in qua spes suas collocant. Vers. 16. *Salutaris Christi notitia ex ejus verbo petenda.*

Deinde & illud *notandum* Christo optimo Pastore illam de nomine appellante, illam tanquam obsequentem ovem Christo annuisse & ejus vocem agnovisse *Ioh.* 10. Est igitur veri Pastoris non tantum gregem generatim docere, sed cum singulis speciatim agere. Hic igitur contra Non residentes agatur, quorum absentia fit ut non tantum singulos ex grege non norint, sed ne greges quidem ipsos aliquando quot numero sint meminerint. *Pastoris veri officium.*

Simulatque Christum esse agnovit, ilico proruens ad pedes ejus se advolvit, illum complexura ne unquam abscedat denuo. Vide *Cant.*3,4. Quod autem Christus illam sui contactu prohibet, quem illa non tantum tangere, sed ulnis tenere avebat, videtur inhumanitatis cujusdam esse, præsertim cum in Christo quærendo tam fuerit sollicita & mœsta. Videtur igitur humanitatis fuisse pati ut illa se aliquandiu sui complexu satiaret. Deinde apparet alias fœminas illius pedes amplexas fuisse: cur non idem Mariæ conceditur? *Resp.* quod videret illam nimium corporis præsentiæ affixam, & sibi in animum induxisse fore ut ejus lateri, sicuti prius ante mortem, adhæsura esset. Quo magis igitur illam videbat corporis præsen- Vers. 17. *Cur Christus Mariam contactu suo prohibeat.*

præsentiæ affixam, eo magis illam prohibebat, ne vel illum tangeret. Ex quo videmus naturæ nostræ depravatæ penitus insitum esse à corporali Christi præsentiâ pendere, & illi mordicus adhærere.

Quæ in proponendo Dei verbo diligentia adhibenda. Hinc *lique:* quanta diligentia Dei verbum proponendum sit, cum ut festinationi consuleretur, Christus Mariæ sui contrectationem non permisit. Vide *Matth.* 10. ubi discipuli jubentur neminem in via salutare. Idem etiam Elizæus suo servo præcipit cum ad excitationem pueri illum mittit. Et certe, sicuti videmus eos qui diploma regium obtinuerunt, ut morti adjudicatum condemnatione eximant, dispositis equis omni celeritate diploma illud afferre, sic & quibus munus à Deo mandatum est de peccatorum remissione diploma divinum perferendi, multo magis ad id obeundum prompte oportet se accingere; ne, si moram fecerint, ante à laqueo diaboli vitam finiant, quam quidquam de cœlestis regis absolutione & indulgentia inaudiverint.

In Christi nuncio consolatio. Nuncius quem per illam ad discipulos mittit consolatorius est, utpote quod sciebat illos anxios & mœstos esse. Perinde igitur est ac si dicat, tantum abest ut me mortuum somniare debeatis, ut non tantum me à mortuis excitatum vos velim intelligere, sed porro illud quoque scire me jam in procinctu esse ut in cœlum ascendam. Quod ne vos mœstos habeat, mementote me ad Patrem meum proficisci, ibi glorificandum; ut si me ametis meo bono lætemini. Quod si excipiatis, bene quidem mecum actum esse; sed interim quid nobis miseris fiet? scitote me quoque ad Patrem vestrum proficisci, utpote qui eodem jure quo fratres mei estis; eodem etiam Dei filii existitis, eoque ad eum estis aggregandi, non secus atque ego ad illum proficiscor. Atque ut est pater meus, sic etiam respectu humanitatis Deus meus est, eoque major me & ad me ornandum potens (ut *Iohan.* 14, 28. eadem ratione usus est) atque ob eam ipsam causam Deus vester est. Cum igitur simul & Pater sit, qui nos charissime complectitur, & Deus, qui omnia nobis præstare potest, nihil est quod non nobis ab illius clementia & charitate polliceamur.

Hic de singulari Christianorum privilegio dicendi locus, qui talem & Patrem & fratrem habent. quod nos mœstos & dejectos erigere debet. Vide *Cantica*, ubi Ecclesia vocatur *soror Christi*. *Piorum privilegium.*

Hic etiam fructus ascensus Christi docetur.

Quod Maria Christo obtẽperans ab ipsius contactu abstinet, ut se ilico viæ det: *observandum* est, quomodo affectus suos cinxit, & illis perquam impetuosis quasi vim attulit, ut illos ad Christi obsequium traduceret. *Vers. 18. Affectus coercendi.*

MARC. *cap.* 16, *à vers.* 9, *ad* 11.

9 *Quum autem resurrexisset IESVS, mane, primo die hebdomadis apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat septem dæmonia.*

10 *Illa profecta annunciavit iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.*

MATTH. *cap.* 28, *à vers.* 9, *ad* 11.

9 *Vt autem proficiscebantur ut* hoc *renunciarent discipulis ejus, ecce, IESVS occurrit eis, dicens; Avete. Illæ vero accesserunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*

10 *Tunc ait eis Iesus; Ne timete: abite, renunciate fratribus meis ut abeant in Galilæam, illic me videbunt.*

PRAXIS.

SVmma, A Christo confirmatis in fide piis mulieribus quibus se conspiciendum præbuit: eædem discipulos ex ipsius mandato confirmant.

Partes sunt, Christi manifestatio { Magdalenæ. / Reliquis fœminis.

In quarum utrisque consideratur confirmatio { Fœminarum per Christum. / Discipulorum per fœminas ex præscripto Christi.

Marco solemne est, quæ alii Euangelistæ fuse describunt strictim perstringere; sed tamen cum fænore & incremento non vulgari. Vnde historiam Magdalenæ, quam *Iohannes* latius exposuit, peranguste resarciens, *Marci Euangelistæ consuetudo.*

ciens, hoc singulare habet, ut Christum ante omnes Magdalenæ apparuisse doceat, & causam simul cur hoc faceret adscribat.

Marc. vers. 9. *Deus non est acceptor personarum.*

In *priori notandum*, non esse personarum acceptionem apud Deum; ut qui mulieres diligentius Christum requirentes quam Apostoli, ipsis cum viris, tum Ecclesiæ præcipuis ministris præfert, & quidem ipsi Iohanni amico suo intimo secundum carnem. Atque inter fœminas illud magis conspicuum est, ut qui non primum suas consanguineas, sed nec matrem sanctissimam fœminam primo adiit aut immisit, sed illis se primum videndum præbuit, quæ in se quærendo magis assiduæ & sedulæ erant.

Pontificiorum *fabulæ ἄγραφοι de B. Virgine.*

Quo est insectanda magis *Pontificiorum* audacia, qui adversus disertum Euangelistæ, id est, Spiritus Sancti testimonium Christum à virgine primum visum fuisse blaterant. Sic cum Scriptura omnes homines in universum sub peccato concludat, illi beatam Virginem excipiunt: cum omnes in peccato conceptos pronunciet, illi itidem eam eximunt: cum omnes extremo die resurrecturos confirmet, his exceptis quos Scriptura translatos & excitatos dicit, illi virginem subtrahunt, ut quam assumptam fabulantur, sine ullo Scripturæ testimonio. Absurdum enim censent hunc honorem virgini non habitum esse ut primum eum videret.

Media salutis pro ratione misericordiæ divinæ dispensanda.

Alterum est, quod causam assignat, cur primum ei apparuerit, quod scilicet ex horribili Dei judicio illi promtum erat peccatorum suorum atrocitatem colligere, eoque etiam timore percelli ne se Dei ira obrueret & obtereret. Hic igitur eadem nobis doctrina proponitur, quæ prius in Petro, ad quem nuncium de resurrectione lætum præcipue perferri mandavit. Id est, media salutis nostræ pro ratione auctæ misericordiæ divinæ adhibenda esse à Ministris. Vide supra.

Pontificii *suo gladio jugulati.*

Quamobrem *Pontificii*, qui ex priore loco de Petro, ejus optimatum supra Apostolos subinferunt, non minus concludunt Magdalenam omnium fœminarum principem & primariam esse, eoque ipsius sanctissimæ Virginis, quod præ omnibus se primum illi videndum præbuit.

Charitas erga Deum remissioni peccatorum signum.

Præterea & illud *notandum* ei plurimum tribui, qui plurimum accepit. Huic enim, cui multa condonata sunt, multum confertur. Vide *Matth.* 13, 12. Ad hæc causam fuisse, cur hæc plurimum dilexit, quod plurimum ei condonatum esset, ut *Lucæ* 7, 47. Hic igitur excutiamus nos. Nam cum nostra peccata plurima esse negare non possumus, omnino intelligendum nobis est, aut nos amare plurimum, aut nondum peccatorum remissionem accepisse. Reputemus nobiscum, si nulla sit Magdalena, nullum scortum, nullus impurus, qui suas aut vires aut formam olim prostituit. Quod si, &c.

Securitas ex integritate externa aperto scelere deterior.

Qui vero se ab hujusmodi corruptelis intactos servarunt, nisi hoc ad Dei singulare beneficium referant, ut se hoc pacto ad Dei amorem accendant, omnino pejore loco sunt sæpe, quam malefici & omnibus sceleribus cooperti; quod illorum externa integritas ipsos securos reddat. Tametsi enim castitas tanto præstantior est immunditia, placidum ingenium & pacificum rixoso, &c. quanto lux præstat tenebris: tamen cum his Dei donis ad securitatem abutimur, pejus nobiscum agitur, quam cum protritis scortis. Vnde etiam Christus affirmat meretrices & publicanos populi expilatores Pharisæis justiores fuisse, & regnum cœlorum illis patuisse, quod istis occlusum & obseratum fuit. *Matth.* 21, 31, 32.

Charitatis erga Deum syncerae τεκμήριον.

Amore vero, sicut prius diximus, Christi investigationem definimus. In quo quoniam facile nobis ipsis imponimus, alia hic nota est, qua nostram hypocrisin Deus prodit: se etenim amantibus se familiariter patefacit. Quamobrem si Christus se nobis non patefacit, certum est illum à nobis plurimum non amari. Quod enim hic de corporali manifestatione verum comperimus, illud de spirituali sui manifestatione liquidissime docet *Iohan.* 14, 21. Qui igitur diu Christum professi illius adhuc ignari sunt, hi frustra & falso de suo in Christum & Deum amore gloriantur.

Vers. 10. *Quid viso sepulchro Discipuli de Christo crediderint.*

In obedientia describenda quam hæc Christo præstitit de renunciatione resurrectionis Christi ad discipulos, peculiare est apud Marcum, quod illos offendit mœrentes & lamentantes. Ex quo primum illud confirmatur, quod superius dictum est, duos discipulos, de quibus illos credidisse à Iohanne confirmatur, non credidisse resurrectionem Christi, sed tantum illud, quod falso dictum est de Christi è sepulchro asportatione. Simul etiam & illud liquet, quam opportune Mariam à sui contactu idcirco abarcuit, ut ad discipulorum consolationem properaret.

Eorum ex tarditate

Denique *observanda* est Apostolorum ex oblivione doctrinæ Christi & tarditate cre-

credendi & oblivione miseria. dendi quod prius audiverant, tristitiã & miseram conditionem. In vitio est, instar arundinum levi vento agitari: sed agitari cum ne levissima aura perflati essent, imo vero cum Sol divinæ lucis lucidissime affulgebat magis in vitio est. Rachelis non solatilis luctus ferendus erat, cum ejus liberi non extarent: sed lugere & lamentari, cum justissima causa lætandi suberat, tam est in vitio, ac lætari cum tristia affici cum officio conjunctum sit. Quo major est Christi pietas illos in luctu tam turpiter errantes tam studiose confirmantis.

MATTH. vers. 9. *Quomodo Christus à tergo relictus mulieribus obviam factus sit.* *Sequitur pars altera.* Vbi primum *notandum* est, quod Euangelista animos particula admirationis attollit, quod Christus illas euntes non est consequutus, sed illis obviam factus est. Cum tamen ex historiæ serie constat, illum fœminis à tergo relictum esse, utpote qui ad sepulchrum substiterat pone illas: ut vel se in aërem sustulisse, vel alia ratione admirabiliter eo advectum esse indicaret. Sicut & post clauso ostio se patefecit.

In salutatione, qua Christus utitur, notanda. Deinde tametsi communi & pervulgata salutatione usus videatur, cujus generis plurimas formas suffecisse facile colligi potest, tamen illam non temere sed ex novi beneficii intuitu usurpasse videtur; quod ex ejus resurrectione, unde omnibus peccatis abolitis justitia restituta esset, plenam gaudendi materiam haberent. Quam igitur nos & quam ingentem lætitiam merito agitemus, cum sciamus Christum glorificatum sedere ad dextram Patris?

Quod prociderunt ad ejus pedes, reverentiam; quod vero illos complexi sunt, simul & reverentiam ostendebant, unaque declarabant se certissime credidisse eum resurrexisse, simul atque eum viderunt, & vel verbulo alloquutus esset. Quod eo magis laudem meretur, quo Apostoli magnopere, postquam se illis conspiciendum præbuerat, dubitarunt. Quod si illum adorabant fœminæ nondum glorificatum, nedum nos jam in gloria constitutum. *Fœminæ facilitate credendi Apostolis prælatæ.*

Quod etiam Christus hunc cultum admittit, declaratur eum esse Dei Filium. Hic contra *Pontificem* dicatur. Vide *Actor. cap.* 10, *vers.* 25, 26.

Quod autem jubet ut in Galilæam abeant, id eo factum videtur, ut se indignissimis Hierosolymitanæ urbis incolis subducens, Galilæis, qui illum inter cæteros agnoscebant, se patefaceret. *Cur Christus Apostolos in Galilæam mittat.*

MATTH. *cap.* 28, *à vers.* 11, *ad* 16.

11 *Euntibus autem ipsis, ecce, quidam ex custodia venerunt in urbem, & renunciarunt primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.*

12 *Ipsi vero congregati cum Senioribus, consilioque capto, numos multos dederunt militibus,*

13 *Dicentes; Dicite; Discipuli ejus nocte venerunt, & eum furati sunt, nobis dormientibus.*

14 *Quod si hoc auditum fuerit apud præsidem, nos persuadebimus ei, & securos vos præstabimus.*

15 *Ipsi vero accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti: & divulgatus est ille sermo apud Iudæos usque ad hodiernum diem.*

PRAXIS.

SVmma, Principes Sacerdotum post nuncium à custodibus acceptum, & concilium inde coactum, conductitia militum opera fidem resurrectionis Christi apud Iudæos evertunt.

Partes sunt,
- Principum Sacerdotum cum militibus transactio.
- Ejusdem transactionis effectus.

MATTH. vers. 11. *In priori* consideratur primum nuncius custodum, qui proculdubio justo numero & ad nuncium confirmandum bene idoneo à suis sociis legati sunt, ut rem, sicut gesta est, narrarent, atque hoc modo se culpa expedirent. Quod autem dicitur, hunc nuncium perlatum esse interim, dum nuncius certissimus de resurrectione Christi ad discipulos, idque in primo, ut videtur, à sepulchri reditu mulierum ministerio perferebatur (nam nisi hoc primo reditu factum fuisset, Petrus & Ioannes custodes ad sepulchrum jacentes offendissent) id eo videtur ab Euangelista positum, ut innotesceret hoc testimonium custo- *Modus & tempus nuncii à custodibus allati.*

custodum de resurrectione Christi non fuisse arreptum a Christi discipulis & fautoribus, unde aliquid ei autoritatis detraheretur; sed quod ipsi victi veritatis luce confiteri coacti sunt. Nam nisi custodes prius hoc retulissent, quam illius rei fides ad discipulos pervenisset, excipere potuerant iniqui, custodes accepta fama gloriosæ resurrectionis Christi ilico hoc arripuisse & suæ defensioni opposuisse, cæteroquin omni excusatione destituendos.

Deus tempora ad Ecclesiæ commodum moderatur. Ex quo illud *liquet* tempora Deum moderari ad suam gloriam & Ecclesiæ ædificationem. Est quidem doctrina præstans, singula suo & proprio tempore obvenire. *Eccles.*3,1. Sed longe majoris consolationis est, si reputemus Deum temporum momenta Ecclesiæ commodo metiri. Qui horologiis observandis præficiuntur, solent horologia ad suum & amicorum commodum temperare, ut non aut citius aut tardius insonent, quam illis inservire posse judicatur. Deus vero qui præest temporibus, id multo magis suorum bono præstat. Quamobrem tametsi tempora & temporum opportunitates in nostra facultate non sint, ut illa curiosius perscrutemur, tamen diligenter, non tantum quid facit Deus, sed quo tempore id facit spectandum, ut debitum inde fructum colligamus.

Custodum testimonium fide dignissimum, Quod præcipue hic spectatur est custodum de Christi resurrectione testimonium; tametsi autem quod improbi erant, fide elevari videri possit; tamen quod hostes Christi sunt, testimonio pondus affert, utpote quo indicatur tantam fuisse lucem resurrectionis Christi, ut ne ipsi quidem Christi jurati hostes illam inficiari potuerint. Quo accedit, quod hi rem hanc testantur, qui ejus rei oculati testes existunt. Vide *Deut. v.*32. ubi hostium Ecclesiæ judicium appellatur. Nativitas Christi non itidem ut Christi resurrectio improbis innotuit. Quod eo factum est, quia res alioqui incredibilis visa est: quo accuratius Spiritus Sanctus hanc rem testatam reliquit.

Deum ostendit ex hostium veritatis ore testimonium piis utile eruere. Singularis igitur est Dei sapientia cum potentia conjuncta ex ore inimicorum veritatis testimonium eruere, quod piis prosit. Quamobrem profuerit intelligere, quid ipsi *Pontificii* de re religionis scribant. Quantaque & quam omni exceptione superior veritas Euangelii existat, cui in præcipuis controversiis & primariis viri ex ipsis aliqui acclamant, ut Papam non esse jure divino sed humano universalis Ecclesiæ Episcopum. Quod idem in Transsubstantiatione, &c. spectari possit.

Denique hoc loco *observatur* Dei amorem non omnino ex nuda mysteriorum regni aut cognitione, aut fide pendere: quandoquidem impii Christi hostes plus de Christi resurrectione & cognoverunt & tradiderunt, quam duodecim Apostoli, quibus tamen pietate nullo modo comparandi erant. *Nuda cognitio mysteriorum regni Dei inutilis.*

Quod Pontifices concilium cogunt ut veritatem illis probe cognitam opprimant, utpote qui jam intelligant Christum dicto suo consentienter tertio die resurrexisse, & partim odio veritatis, partim etiam studio dignitatis suæ tuendæ in suscepta Christi & Euangelii oppugnatione pergunt. Ex eo quanta virtus sit resurrectionis *intelligitur,* quod Pontifices illi tantopere resistunt, eamque pernegant; tanquam quod Iesum filium Mariæ Christum & Messiam esse liquidissime coargueret. Hinc est quod Paulus affirmat cum ex resurrectione, tam gloriosa præsertim, potenter declaratum esse Dei filium. *Rom.* 1, 4. In nativitate, Euangelii prædicatione, miraculorum editione, atque adeo in cruce certissima mediationis atque adeo divinitatis indicia constabant. Sed in resurrectione omnium clarissima. Perinde enim est ac si dicerent, si hanc resurrectionem pervulgari patiemur, frustra illum Messiam non esse acclamabimus. Vers.12. &c. *Resurrectio Christi certissima Messiæ signa continet.*

Quod pecunia corrumpendos in concilio statuunt, eo insignem pertinaciam & obstinationem produnt, qua adversus tam splendentem veritatis solem obnituntur; cum tamen quibusdam parum verisimile fit tantam cuipiam, præsertim docto, inesse posse malitiam, ut agnitam veritatem sciens & prudens oppugnet; atque adeo statuant alienum esse à Christiana charitate, tam duriter de illis sentire; qui admonendi sunt parum illos reputare fœditatem peccati, quod natura nobis penitus adhæret. *Pontificum insignis pertinacia.*

Simul etiam cavendum à peccati fraude & laqueis, quibus semel irretitis difficile fuerit inde se expedire. Nam qui primo pecuniæ studio aut honoris, aut vero etiam consortii causa aliquid scelesti admiserint, post in cœpto scelere aliis peccati retinaculis restringuntur, ut quod alioqui leves aut inconstantes habebuntur. Quinetiam sæpe fit ut quidam nulla magna aviditate peccatum admittentes, & siccine an secus res habeat *A peccati laqueis cavendum.*

 beat

beat perinde habentes, tamen post in cœno ejusdem peccati ita hærent, ut inde magnis conatibus extrahi nequeant.

Et potissimum istius, cui maxime dediti sumus. *Notandum* etiam quam callide milites aggrediuntur pecuniarum corruptela, quam noverant aptissimum esse ad inescandos milites irritamentum. Ac si dicerent; Novimus vos bonos socios pecunia egere, quam vobis largiter dabimus, ut hoc quod vos edocturi sumus, pervulgetis. Quamobrem videndum quibus potissimum vitiis dediti simus, ut adversus illa circumspecte & caute incedamus, quia Satan suas illecebras pro ingenii nostri ratione parat.

Notandum etiam quomodo sumtui non parcant, ut veritati obsistant. Quod nos admonet, &c. & quomodo periculo se objiciunt omnia in se recipientes. Hic etiam de Conciliis Ecclesiasticis dicendi locus.

Vers. 25. *Pontificum commentum nullā probabilitatis speciem habet.* Sequitur *pars altera* de effectis: scilicet quod hac fraude obtinuerunt, ut huic tam putidæ & tam inverisimili fabulæ fides à Iudæis habita sit. Nulla enim verisimilitudine nititur, discipulos, qui Christum sepeliebant, eundem è sepulchro suffuraturos: Nec probabilitate nititur, Christi discipulos, siquidem Christus eos fefellisset non resurgendo, prout se facturum prædixerat, eum honore amplius prosequuturos fuisse præsertim magno suo periculo; quod tamen præstare potuissent prima nocte absque periculo, cum nulla dum custodia apposita fuisset: nec verisimile sit omnes sepulchri custodes tam alto somno sepultos & oppressos fuisse, &c. Nec enim hoc factum legimus nisi inusitata & extraordinaria Dei administratione, ut cum Saulis milites alto somno oppressi erant. Quod si etiam somno oppressi sunt, quomodo de furto per discipulos testari possunt? Simul etiam liquet quomodo nobis profuit custodiam appositam esse, sine qua hoc figmentum fuisset verisimilius. Sed hic videmus justo Dei judicio fieri, ut qui veritati credere nolunt, eos Deus judicio justissimo tradat, quo mendaciis etiam crassissimis credant. 2 *Thessal.* 2, 11, 12.

LVC. *cap.* 24, *à vers.* 13, *ad* 28.

13 Et ecce, duo ex iis ibant eo ipso die in vicum distantem stadiis sexaginta ab
Hierusalem, cui vico *nomen* est *Emmaus:*
14 Et colloquebantur inter se de istis omnibus quæ evenerant.
15 Et factum est ut dum colloquerentur, & se *mutuo rogitarent, ipse IESVS ac-*
cederet, & una iter faceret cum ipsis.
16 Oculi autem eorum retinebantur ne ipsum agnoscerent.
17 Dixit autem eis; Qui sunt hi sermones quos confertis inter vos ambulantes?
& quid *estis tetrico vultu?*
18 Respondens autem alter, cui nomen Cleophas, *dixit ei; Tu solus commoraris*
Hierosolymæ, & non nosti quæ in ea facta sunt his diebus?
19 Ipse vero dixit eis; Quæ? At illi dixerunt ei; Quæ facta sunt *IESV Naza-*
ræo, qui fuit Propheta, potens reipsa & verbis, coram Deo & toto populo.
20 Quomodo eum tradiderunt principes Sacerdotum & primores nostri ut morte
damnaretur, & crucifixerunt eum.
21 Nos autem sperabamus illum esse qui redemturus esset Israëlem, atqui præter
hæc omnia, tertium hunc diem agit hodie ex quo hæc facta sunt.
22 Sed & mulieres quædam ex nobis perculerunt nos, quæ diluculo venerunt ad
monumentum.
23 Et non invento ejus corpore venerunt dicentes se etiam apparitionem Angelo-
rum vidisse, qui dicunt eum vivere.
24 Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum, ad monumentum, & ita inve-
nerunt prout mulieres dixerant, ipsum vero non viderunt.
25 Tum ipse dixit; O *amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ lo-*
quuti sunt Prophetæ.

26 Nonne

26 *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?*

27 *Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de se* scripta erant.

MARC. *cap. 16, vers. 12.*

12 *Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit alia forma, quum rus proficiscerentur.*

PRAXIS.

SUmma, Christus propria duorum discipulorum in via confabulantium confessione, eorundem inscitiam & infidelitatem pernoscens, eidem remedium adhibet.

Partes sunt,
- Duorum discipulorum inscitia & infidelitas propria ipsorum cõfessione elicita.
- Remediũ illis curandis adhibitũ.

LUC. vers. 13. *Discipuli duo, quod resurrectione Christi nondum bene cognita ad negotia se cõferunt, reprehensi.*

Interim dum duæ fœminæ, quæ Christum viderant, ejus rei nuncium ad discipulos perferunt, duo isti discipuli, die Sabbathum insequente iter Emauntem ineunt, septem milliaria cum dimidio ab urbe Hierosolymitana dissitum. Quod si quis *quærat* quid hoc miri est, si homines peracto Sabbatho ad negotia sua redeunt, ut Lucas illud cum particula *Ecce* proponat, tanquam animum auditoris exuscitaturus? *Resp.* omnino credibile vix videri discipulos cum à Prophetis, tum a Christo, tum vero fœminarum nuncio de resurrectione Christi edoctos, ita tamen rem illam præterire, ut ne quidem certiorem cognitionem exspectantes se ad sua negotia conferant. Optandum ut hujus generis discipuli non duo sed bis mille tantum existerent. Maxima enim hominum pars eorum, qui profitentur se spe rerum cœlestium duci, ita tamen rebus terrestribus præterito regno cœlorum, se addicunt, ac si nullum esset regnum cœlorum. Cujus quæ alia ratio assignari potest, quam quod volatilis quædam cogitatio de regno cœlorum ad se spectante animos eorum occupat, nec ulla certa ejus rei persuasione imbuuntur. Audiunt quidem esse regnum cœlorum; sed quia illud corporis oculis non vident, quia manibus non tractant & corporeis sensibus non usurpant, ideo ad illud parum omnino attendunt. Contra vero mundi hujus fœlicitatem quoniam sensibus percipiunt, idcirco illius incertitudine, quam vel nolentes confiteri coguntur, ab ejus insectatione tamen non absterrentur. Moses oculo fidei futuram beatitatem prospiciens, præsentem repellens, contrariam eamque certissimam & gravissimam amplexus est, *Hebr. 11.* Hi autem, quas non habent, nec habere se posse certi sunt, mundi voluptates & commoda sectantur, illis præteritis, quæ semper duratura sunt.

Vers. 14. *Quod tamen de ea in via loquuntur, laudati.*

Quod de toto hoc negotio in itinere loquebantur, in eo aliquousque laudem promerentur, quod illud ex obsequio legis faciant, *Deuteronom. cap. 6.* tametsi enim terrenis negotiis addictiores essent quam par erat, non tamen ita in cœno mundi demersi erant quin cœlestia meditarentur & de illis loquerentur. Atque ut in priore multos socios habent, sic in hoc per paucos, qui eos imitentur. Sic enim plerique sectantur sua, ut Christum excludant in verbo suo: satis enim abunde Deo satisfactum autumant, si in templo res sacras tractent; non necesse esse, ut quæ præsentis seculi sunt tractantes illis sacra admisceamus: quinetiam tanta est illorum aut improbitas, aut inscitia, ut illud parum convenire dicant, quod nobis tantopere commendavit Apostolus *Coloss. 3, 16. sermo Christi in vobis copiose inhabitet.* Atque sæpe fit ut non modo Christum in verbo excludant, sed diabolum etiam porro adsciscant, dum fabellas quasdam, quibus tempus fallant, & commenta narrant, aut fædi aliquid; contra regulam Pauli, qui tempus redimendum monet. *Ephes. 5, 16.* Suam autem hoc pacto in Christum inimicitiam produnt, ut qui animo læto esse nequeunt, cum ipse adsit; sicut fit in his qui inimicitias exercent. Contra vero pii lætantur hoc comitatu.

Vers. 15. *Quomodo inter se disceptare potuerint.*

Quod disceptasse invicem dicuntur, cum uterque resurrectionis nulla aut exigua spe duceretur, tametsi alienum videatur; tamen tenendum est utrumque dissentientem potuisse tamen de hoc negotio disputare: poterant enim disceptare, an in sepulchro adhuc esset nec ne, an è sepulchro deportatus, ut fœminæ dicebant. Item disputare poterant an ab hoste, an vero ab amicis asportatus fuerit. Deinde veritatis inquirendæ gra-

tia unus sustinere potuit eum resurrexisse, & rationes afferre, cur sic sentiret: alter contra instare non resurrexisse, quia se nondum discipulis patefecerat, quibus tamen omni verisimilitudine se patefacturus erat. Sed utrumque deceptum esse constat ex Christi, quæ post adhibetur, reprehensione.

Quomodo se Christus illis adjunxerit, & quibus etiamnum adsit.

Quod Christus se illis adjungit, id videtur aliter fecisse quam ante fecit, illos scilicet consequendo, non autem obviam procedendo. Nam alioqui illos obstupefecisset, si quis illis obviam procedens, non prius ab illis perciperetur, quam se illis conjunxisset: fieri autem potuit ut illis serio & contenta voce disceptantibus, Christus illis imprudentibus facile obrepere potuerit. Hic autem diligenter *notandum*, Christum se illis adjungere, qui se in verbo exercent, neque hoc officium infructuosum esse. Sic *Act.* 8. idem Eunucho obtigit. Atque hoc tametsi nunc non præstatur, nec præstari potest Christi corporea præsentia, tamen Spiritu suo certissime & utilissime illis adest.

Vers. 16. *Quomodo oculi eorum retenti.*

Quod dicitur eorum oculos ita perstrictos esse ut illum non agnoscerent, interpretatio est illius dicti quod est apud *Marcum*, quod illis *alia forma* apparuit. Non, ut *Pontificii* dicunt, illum aliam atque aliam pro re nata formam induisse, &c. Sodomitæ & Syri Scotomate percussi sunt ut eos, quos videbant, & alioqui agnoscebant, non potuerint discernere, idque singulari Dei judicio. Sed hoc Scotoma non aliunde natum videtur, quam ex mentis caligine, quam adversus fidem resurrectionis obfirmaverant, ut quamvis præsentem cernebant, tamen non agnoscerent. Nec mirum, &c. Vide quæ ex hoc loco adversus *Iesuitas* observavi.

Vers. 17. *Christus tanquam inscius eos interrogat. I. ut ipsi inscitiam suam fateantur.*

Christus tametsi probe nosset qua de re loquerentur, tamen hoc ab illis audire cupit, ut propriæ inscitiæ & infidelitatis indicio magis proficerent, & ut materiam illos reprehendendi & acerbioribus verbis castigandi arriperet. Sic Nathanus Davidis scelus admissum pernoscens, ejus rei indicium ab ipso inscio & nihil tale cogitante exprome & extorquere voluit, ut propria oris confessione tanquam laqueo, quem ipse collo suo circumposuisset, constrictum facilius ad Dei tribunal (quo illum ducere expediebat) traheret.

Vide confessionis usus.

Ex quo facile *liquet*, usum confessionis peccatorum non in eo tantum versari ut admissum peccatum illi innotescat, cui sive Deo, sive hominibus illud aperimus, & Medicinam ab illo auferamus: sed ut Medicina libentius admissa commodius vim suam exerceat. Perinde ac si Medicus percepto morbo illius tamen acerbitatem & gravitatem à laborante expiscaretur.

II. Ut eorum infirmitati se accommodaret.

Deinde Christus hoc ab illis percunctatus est, ut certis quibusdam passibus & gradatim se patefaciens eorum modulo se attemperaret. Lippis enim oculis maximus solis splendor plurimum officit, præsertim si subito & uno momento incurrat, nam si Christus sibi hoc sumpsisset ut absens eorum se sermones scire professus fuisset, admirabundi & in ea re suspensi hæsissent, nec tam quid ab illo proponendum erat, quam quis hoc proposuit attendissent. Atque hinc est quod sui agnitionem usque ad panis fractionem distulit. Nec aliunde est quod duodecim discipulis non prius sese conspiciendum præbuit, quam multis indiciis & resurrectionis suæ testibus suam resurrectionem comprobasset. Nam qui post tot indicia & testimonia resurrectionis restitabant fœminarum nuntio, duorum discipulorum in sepulchro perscrutationi, secundo fœminarum nuntio quæ Christum vidissent, denique horum duorum liquidissimo testimonio; quid fecissent, nisi Christi apparitioni hæc testimonia tanquam anteambulones præmissa fuissent. Hinc etiam est quod Christus toties jubet, ne se Iudæis Messiam esse evulgarent.

Christus fidelium tristitiam ægre fert.

Quod vero addit καὶ ἔστε σκυθρωποί, eo indicat scopum quo respexit, dum se illis adjunxit, ut illos scilicet mæstos consolaretur: de qua re vide supra. Si enim Iosephus inique tulit suos captivos quantumvis prophanos & infideles tristiores videre, nedum Christus suos fideles tristiores esse ægre feret.

Vers. 18. *Stultorum inanis gloria.*

His verbis Christo Domino tanquam pervulgato & ignobili viatori insultant, & earum rerum inscitiam objiciunt, quarum se probe gnaros existimabant. Sic fere fit ut stolidi & inscii homines se plurimum scire putent, si aliis quibusdam rerum sacrarum notitia superiores sint; cum tamen ipsi sua ignoratione miseri & infelices sunt. Lippus aut monoculus inter cæcos se perspicacem in videndo jactabit. Vide 2 *Cor.* 10, 12. cum tamen operæpretium foret ut nos ad eorum exemplum exigeremus, qui omnium instructissimi sunt, vel potius ut præteritis hominibus, ad normam verbi divini

vini & legis nos revocaremus. Absurdum illis videbatur aliquem vel unum extare in urbe Hierosolymitana, qui de Christo & à Christo gesta ignoraret. Quam autem multa millia sunt apud nos, qui in Ecclesia tanquam urbe Hierosolymis habitantes tantumdem de Christo norunt, ac si in Babylone nati essent. Imo vero *Pontificii* in eo plerisque præferendi sunt.

Vers. 19. *Dissimulatio quorundam Christiano licita.*

Quod quænam illa sunt quærat, nec se illa nescire dicit, quod ipsum dicere veritatis studio prohibitus est: docet fas esse homini Christiano quædam dissimulare, & illa oratione uti, qua animus audientis à veritate illi ad cognoscendum non necessaria abduci possit. Vide quid *Martyr* in hunc sensum scribit.

Christi virtus omni exceptione major, cujus exemplo nos Deo & hominibus probare debemus.

In hac narratione primum occurrunt elogia Christi, quæ tametsi magna sint; tamen ejus magnitudine longe inferiora sunt. Prophetam enim prædicant, non vulgarem & plebejum, sed multis miraculis clarum; quique se non tantum Deo, qui recte & syncere judicat, sed hominibus, nec tantum æquioribus, sed omni populo, etiam iniquissimis ejus osoribus approbasset. Sicut enim Moses potens sermone & factis *Actor.* 7. se & excellentiam suam ipsis etiam Aegyptiis cum in aula tum alibi probavit. Sic & Christus, qui est verus Moses. Atque hoc loco ut singularem confirmationem fides nostra consequitur, quod Christi virtus omni exceptione major esset, utpote cui ipsi hostes jurati testimonium dixerunt, cum eum ita loquentem affirmabant, ut nemo unquam ante. *Iohan.* 7. Sic etiam *docemur*, primum quidem dare operam ut Deo nos probemus; cui nisi accepti sumus, irrita est omnium hominum approbatio. Deinde conandum, ut non Deo tantum sed & coram hominibus honesta, procuremus. *Rom.* 12, 17 2 *Cor.* 8, 21. Vtrinque peccatur. Quidam enim sunt qui hominum gratiam captant præterito Deo: alii Deo se probantes, quid homines sentiant non laborant nec solliciti sunt, &c. Nam cum omnia ex Dei benedictione pendent, curandum ante omnia ut ipse nobis propitius sit. Deinde cum & hominibus prodesse & simul illos ad Dei gloriam prædicandam pellicere nobis propositum esse debeat, danda opera est, ut illis rem, quam paramus, quoad datur, probemus. Qui autem prius negligunt, perinde faciunt, ac si quis operarius operam suam infantibus quibusdam probare conaretur, neglecto Domino cujus opus facit & a quo mercedem exspectat. Qui autem homines negligunt, idem faciunt atque opifices qui nulla cura ducuntur quam speciem aut aspectum habiturum est quod faciunt, unde prætereuntes operis deformitatem intuentes deinceps eorum operam conducere desinent.

Vers. 20. *Quid in Christi passione Discipulorum fidem concusserit.*

Versu 20. declarant, quid illud tandem sit, quod illos perturbat & quod eorum spem & fidem in Christo concutit; nempe quod morti à Principibus adjudicatus ab eisdem ignominiosissima morte affectus sit. In quo duo subindicant, quæ illorum fidem tremefaciunt; prius, quod illis indignum visum sit cum morte opprimendum, qui alios è morte vindicaturus erat. Alterum quod illi hæc ignominia à principibus illata est. Vide *Act.* 10. & 13. ubi utrique huic difficultati occurritur. De his vide prius annotata. Hunc autem sensum esse hujus versus declarat satis Christi responsio *v.* 26.

Vers. 21. *Quam de eo spem conceperint.*

Hujus in Christo exinanitionis hic effectus extitit, ut spem omnem pæne his eximeret, qui prius in Christum crediderant. Vide *Ephes.* 3, 13. & *Philip.* 1, 12, 13. Spes autem est veluti anchora in cœlum porrecta, quæ nos jactatos in mundo sustentat ne mergamur, *Hebr.* 6, 19. & *Rom.* 5, 5. & 10, 11. *spes non confundit.* Quomodo igitur illis hæc spes excitata? *Resp.* aut hanc non fuisse penitus in animis defixam, sed tantum illam rem sperasse ut verisimilem, aut hanc spem labefactatam tantum non etiam extinctam fuisse.

Sequitur *pars altera* de remedio *vers.* 25, 26, 27.

Quod constat { Acerba reprehensione. / In Scripturis informatione.

In reprehensione *duo* sunt, quorum insimulātur { Inscitia. / Tarditas fidei.

Vers. 25. *Reprehensionis usus.*

Et quidem quod ad inscitiam attinet, in eo collocat, quod tanquam alienum & absurdum posuissent Christum à principibus in crucem actum esse. Fidei autem tarditatem inde taxat, quod dixerant se olim quidem sperasse ipsum populi sui vindicem futurum. Hic *videmus* reprehensionis singularem usum, ut qui à mitissimo & mansuetissimo homine qui unquam extitit, adhibetur, quam nunquam plane usurpasset, nisi illam perutilem pernovisset. Nam Moses, qui omnium, quos terra sustinuit, mitissimus habitus est, cum Christo compositus, iracundior censeri jure potuit. Hoc est illud

lud unguentum pretiosum, quod David ne à capite suo avertatur vehementer desiderat. *Psal.* 141, 5. Sicut enim corrosiones lenibus emplastris præmittuntur, ut quod est mortuæ carnis exedatur: sic & reprehensiones. Vide *Galat.* 3. una etiam liquet, quam Euangelii præconem hoc deceat, cum Christus omnium Euangelicorum Præconum princeps hoc ipso tempore illud fecit, quo Euangelium de perpessione, resurrectione & ascensu Christi pluribus proposuit. Quod illos coarguit, qui legalem Doctorem hanc acerbitatem olere potius quam Euangelicum dicunt. Reprehenditur item inscitia & fidei tarditas in Prophetarum scriptis cognoscendis & credendis, non autem quod patrum scita, decreta aut constituta non scirent aut crederent.

Prædicatio Euangelii hominibus stultitia est. Est autem *notandum* Christum illud summæ inscitiæ, &c. damnare, quod illi summæ sapientiæ ducebant, scilicet quod indignissimum judicarent Christum qui alios damnatione eximeret, condemnatum esse: eum qui alios morte liberaret, mortuum esse: eum qui alios servitute vindicaret, captivum ductum esse. Vnde etiam Apostolus stultitiam crucis appellat, quod sic ab hominibus existimetur: cum re ipsa stultum & insanum sit nescire & non credere Christum cruce ignominiosa mactandum fuisse. Quo etiam spectat quod illud quæstione seu interrogatione elatum proposuit.

Pontificii *& mundi sapientes reprehensi.* Hic adversus *Pontificiorum* armatam & propugnatam ignorationem dicendi campus præbetur. Item adversus mundi sapientes, quibus sapere est si ad credendum tardiores sint, nec quidquam admittant, nisi quod aut rationis discursu, aut sensuum usurpatione verum esse comprobaverint. Quinetiam plerique sunt qui ut veritatem è tenebris micantem cernant, eam tamen non ilico admittunt aut agnoscunt, ne inconstantiæ & levitatis suspicionem subeant. Vide *Philip.* 1, 5. Vide exempla commentariensis *Act.* 16. & Purpurissæ.

Sequitur informatio, in qua considerantur { Propositio. / Propositionis probatio.

Vers. 26. *Christus per crucem ad gloriam ivit; quod & nobis incumbit.* Propositio duas partes habet: *Prior* est de perpessionibus, *altera* de gloria Christi, quæ non nisi per crucem perfici potuit. *Vide 1 Petr.* 1, *v.* 11. quo docet illos Christo & Servatori gloriam adimere, & adversus ejus gloriam viam intercludere, qui perpessionibus ejus locum non cedunt. Cum autem Christi membra sumus, non alia nos via cœlum ingrediendi manet, nisi per crucem. *Si enim cum illo patimur, cum illo etiam regnabimus.* 2 *Tim.* 2.

Vers. 27. *Quo sit collimandum in legis & Prophetarum lectione.* In probatione notemus Mosem veluti fontem, & Prophetas reliquos tanquam rivulos testimonium Christo dicere *Act.* 3, 18. & 13, 43. Quo *docemur*, quo collimandum in lectione legis & Prophetarum, nempe ad Christum, tanquam scopum tum legis tum Euangelii: Quisquis igitur nos in Scripturarum expositione à Christo abducit, is pseudodoctor arguitur.

Deinde & illud *observandum*. Non tantum Christum se intra Prophetas, sed intra Prophetarum Scripturas continere, nec nisi ab his veritatis confirmationem petere.

Simul & illud *liquet*, qualem oportet esse Euangelii Præconem, similem scilicet Patrifamilias, qui veteribus & novis abunde instructus, ex omnibus, quod ex usu est, expromit.

LVC. *cap.* 24, *à vers.* 28, *ad* 36.

28 Appropinquarunt igitur vico in quem proficiscebantur, & ipse simulabat se longius ire.

29 Sed ipsi adegerunt eum dicentes; Mane nobiscum: quoniam advesperascit, & inclinavit dies. Ingressus est igitur ut maneret cum eis.

30 Et factum est quum discubuisset cum eis, sumpto pane benedixit, & fractum dedit eis.

31 Adaperti sunt autem oculi eorum, & agnoverunt eum: sed ipse ablatus est ex eorum conspectu.

32 Tum alter ad alterum dixerunt; Nonne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & dum adaperiret nobis Scripturas?

33 Et

33 *Et surgentes eo ipso momento, reversi sunt Hierosolymam, & invenerunt congregatos illos undecim, & eos qui cum ipsis erant,*

34 Et *qui dicebant; Suscitatus est Dominus vere, & conspectus est Simoni.*

35 *Tum ipsi exposuerunt* eis *quæ* gesta erant *in via, & ut fuerat à se agnitus in fractione panis.*

PRAXIS.

SVmma, Duo discipuli Christum adhuc ignotum ad hospitium quodammodo adigentes & eundem in panis fractione agnoscentes: post mutuam sui inter se ex colloquio confirmationem Apostolos porro confirmant.

Partes sunt,
- Christi ad hospitium adacti in fractione panis agnitio.
- Duorum discipulorum cum mutua inter se primum, tum condiscipulorum confirmatio.

In priore consideratur
- Christi ad hospitium adactio.
- Ejusdem in fractione panis agnitio.

Lvc. 24. vers. 28. *Quibus & quousque simulatio licita.* Priori occasionem dedit Christi simulatio, qua se ulterius progressurum præ se tulit, cum tamen cum illis divertere apud se constituisset. Superius exemplum habuimus Christi dissimulantis quod erat: hoc autem loco exemplum proponitur Christi simulantis quod non erat. Atque cum prius durum visum sit, tum hoc multo durius, quod tamen justum esse hoc Christi exemplo confirmatur: item illo Iosuæ, *Ios.*8,5,6. Salomonis 1 *Reg.*3,24,25, &c. Quod si Salomoni licuit illa simulare, quæ ad faciendum illicita erant, nedum nobis hoc facere licebit in his quæ adiaphora sunt. Quinetiam Deus ipse præ se tulit, se velle Isaacum sibi mactari, quod tamen fieri nunquam constituit. Quamobrem ne nimium hic habenæ laxentur, intelligendum est hanc semper ab illis usurpatam esse, qui autoritate in alios pollerent, ut hoc modo nihil privatis accedere videatur: deinde nonnisi singulari aliorum commodo factum esse; ut hic nihil patrocinii habeant, qui suo commodo aliud præ se ferunt, quam facere constituunt. Illud unum obstat, quod peccare in veritatem videtur, qui præ se fert hoc facturum quod non faciet; maxime si ut Salomon, quæ falsa & injusta sunt, se facturum diserte prædixerit. Intelligendum igitur est, *mendacium esse falsi significationem cum voluntate fallendi.* Tametsi igitur his vel dictis vel factis hoc mihi propono ut is aliter de meo aut dicto aut facto sentiat, quam res est; tamen cum hoc non faciam eo respiciens ut illi imponatur, sed potius ut veritatem eliciam, mendacium non dico. Alioqui Parabolis uti non liceret, ut Nathanus fecit 2 *Sam.*12. & Christus *Lucæ* 7.

Quod illum adigunt, idque non precibus tantum & rationibus adhibitis, sed, ut videtur, manibus injectis, eo indicant non tantum humanitatem & charitatem, qua illum à noctis infestatione avertere conantur, sed pietatem singularem, quod ejus retinendi tam cupidi sunt, qui illos in Scripturis docuerat. Quod etiam declarant certius, quod à Christo tam acerbe morsi & correpti, non tamen desinunt ejus contubernio oblectari. Denique eorum hac ex parte pietas tanto illustrior existit, quod tam æque & grate hanc correptionem acceperunt ab eo, quem peregrinum & nulla in eos autoritate præditum existimarunt. Hoc enim est veræ pietatis si quis asperam castigationem æque accipiat. Plerique enim ex impiis libenter amplectentur eos, qui doctrinam Euangelii proponunt, si illam non accommodent, nec illos coarguant. Sunt etiam qui hoc ab eo ferant æquius, qui autoritate præditus sit, quod tamen repudiabunt, si à privato, peregrino præsertim, adhibeatur. David autem *Psal.* 141. vel ab hoste jure reprehendi non recusat, imo vero valde expetit & beneficii loco ducit. *Proverb.*27,6. vulnera amantis potiora esse osculis inimicorum. Contra improbi sibi omnia placentia proponi exoptant: & Achab hoc nomine Micheam aversatus est, quod nunquam illi prospera proposuit. 1 *Reg.*22. Hinc facile intelligitur quo loco habendi sunt, qui ne à Ministris quidem suis reprehendi æque ferunt. Vers. 29. *Discipulorum erga Christum pietas & castigationis patientia.*

Deinde & illud etiam *notandum*, quid importunitas aliquando facit & quantum commodum affert. Simile exemplum existit in Lotho, qui Angelis ut apud se diverterent quodammodo vim fecit. *Genes.* 19. Quod etiam eos coarguit, qui per speciem sinceritatis Euangelii fas non esse ducunt ut oppido & importune aliquem rogent ut *Magnum aliquando importunitatis commodum.*

apud se maneat. Quod si minus hoc Christi & Angelorum exemplo probatur, quod forte illi hoc prius facere constituerant: tamen illud Lydiæ *Act.* 16, 15. hoc satis confirmat. Aliquando enim pii non invite apud aliquem manere cupientes, eos tamen una aut altera recusatione explorant an magno desiderio eos retinendi ducantur, sine quo quamvis alioqui cupidi apud illos manere nolunt.

Vers. 30, 31. *Ante cibi sumptionem precandum; & à quo preces pronuncianda.*

Vt viatores confecto itinere pastum in diversorio accipiunt, sic isti ilico atque diversorium subeunt pastum vel cœnam parari & apponi curarunt. Cumque in alienis ædibus versentur, præsertim diversorio, quod omnibus illis perinde commune erat, non sibi benedicendi mensæ eminentiam vendicant, sed Christo tanquam honoratiori viro & ad precandum Deum magis instructo deferunt. Nam ut senior in familia hoc præstare debet, ita ab alibi agentibus ei hic honos habendus est, qui suis donis senior veluti in Ecclesia est. Hoc loco *notetur* mos in Ecclesia Dei precandi antequam cibus sumatur. Vide *Act.* 27.

Vnde Christus à Discipulis agnitus.

Deinde quod hac ratione agnitus est, videtur colligi posse eum eam in precando formulam adhibuisse, quam solebat in gratiarum actione ante sumtum cibum. Nam tametsi postea dicitur agnitum esse in fractione panis, tamen illud synecdochice dicitur. Nam quæ notitia illis obtingeret ex fractione panis, quandoquidem cum placentæ essent, ab omnibus æque frangebantur. Sed in ipsa precatione non erat difficile Christum agnoscere. Ex quo illud etiam verisimile est Christum eam precationem usurpasse, quam solitus erat in pastu adhibere. Nam cum doceret, quia doctrina alia atque alia pro re nata adhibetur, illis in doctrinæ traditione agnoscere non perinde facile fuit. Sed cum ad benedictionem mensæ ventum esset, quia pro eodem beneficio eadem etiam gratiarum actio adhiberi potuit, factum est ut facilius ex precandi ratione agnitus sit, quam ex docendi.

Adversus *Pontificios* vero quid dicendum sit, qui ex hoc loco Sacramentum cœnæ sub specie panis astruere conantur, vide quæ scripsi adversus *Iesuitarum* annotationes in hunc locum.

Cur agnitus se subduxerit.

Quod autem Christus postquam agnitus erat ilico se subduxit & disparuit, id eo factum est, ut hac admirabili sui subductione fidem illorum de resurrectione obsignaret, ut de Philippo scribitur *Act.* 8.

Papistarum error.

Quo etiam facilius deprehenditur *Papistarum* error, qui arbitrantur Christum aliam formam eamque invisibilem accepisse, quandoquidem illud eos non de resurrectione Christi confirmasset, sed illam potius labefactasset.

Vers. 32. *Piorum ingenium sese reprehendentium.*

Post Christi abitum cœperunt inter se suam inertiam accusare, qui illum non prius recognorant, præsertim ex tam efficaci ejus & potenti sermone. In quo iterum *videmus* piorum ingenium non tantum placide & æque accipere aliorum adversus se reprehensionem, sed etiam seipsos accusare & condemnare & suam inscitiam admirari. Sic *Psal.* 73, 22. David se brutum appellat, quod non melius perspexerat, neque acutius considerarat infelicem impiorum conditionem.

Quo loco habenda prædicatio verbi divini.

Deinde & illud *notandum* quo loco habenda est verbi Dei prædicatio, nempe veluti clavis quædam, qua Scripturæ aperiuntur. Scripturæ enim antequam explicantur tanquam complicatæ & clausæ manent, & tanquam unguentum in Alabastro.

Quam efficaciam in cordibus fidelium habeat.

Deinde etiam & illud *notandum*, quam efficaciam habeat in cordibus fidelium: est enim veluti ignis eorum animos accendens per Spiritum. Vnde etiam super Apostolos descendit Spiritus ignea forma. *Actor.* 2, 3. Nec enim pios patitur somnolentos & frigidos esse. Sic *Actor.* 2, 37. pungebat eos. Spiritum quidem hi antea acceperant, sed veluti sepultus jacebat in illis. Verbi autem prædicatione veluti cineres, qui ignem Spiritus operiunt, dissipantur. Quanquam aliquid præterea hoc loco indicant, nempe tam inusitatam & tam potentem fuisse Spiritus operationem in sermone Christi, ut illis facile fuisset cognoscere eum Spiritu & igne baptizare, nisi valde occæcati fuissent.

Vers. 33. *Discipulorum zelus & charitas.*

Quod autem de via fessi & quidem de nocte, à cujus itinere Christum prius deterrebant, Hierosolyma redeunt, ut rem hanc suis sociis aperirent & illos hæsitantes confirmarent, id zelum & charitatem eorum in fratres coarguit. 2 *Tim.* 4. *insta importune, &c.* Vide Samaritanæ exemplum *Iohan.* 4.

Vers. 34, 35. *Quando Christus à Petro visus.*

Veluti convivium instruunt sibi ipsi, quibusque suum Symbolum ad fidem & confirmationem resurrectionis conferentibus. Atque ex hoc loco videtur colligi Petro Christum apparuisse interim, dum duo isti Hierosolymis Emauntem eunt, & inde Hierosolyma redeunt. Sed num illud Christus fecit

cit antequam duos istos consequutus sit in via, an postquam sese ab illis subduxerat; fracto pane, non videtur facile constare posse.

LVC. *cap.* 24, *à vers.* 36, *ad* 44.

36 *Hæc autem ipsis loquentibus, stetit ipse IESVS in medio eorum, & dixit eis; Pax vobis.*

37 *Consternati vero & expavefacti putabant se spiritum conspicere.*

38 *Tunc dixit eis; Quid turbati estis, & quare disceptationes subeunt corda vestra?*

39 *Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum: contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere.*

40 *Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.*

41 *Adhuc autem ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis; Habetis hic esculentum aliquid?*

42 *Tum ipsi dederunt ei partem piscis assi, & aliquid ex favo apiario.*

43 *Quæ* ille *accepit, & edit in eorum conspectu.*

MARC. 16, *vers.* 14.

14 *Postremo vero una sedentibus ipsis undecim conspicuum sese præbuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & cordis duritiem: eo quod iis qui ipsum conspexerant suscitatum non credidissent.*

IOH. *cap.* 20, *à vers.* 19, *ad* 21.

19 *Quum ergo vespera esset, die illo primo hebdomadis, & fores essent clausæ* illic *ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS: stetitque in medio* ipsorum, *& dixit eis; Pax vobis.*

20 *Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.*

PRAXIS.

SVmma, Christus decem discipulis suis in unum coactis fidem plenam suæ resurrectionis faciens, eosdem acerbe infidelitatis & duritiei cordis insimulat.

Partes sunt,
- Christus decem discipulis coactis suæ resurrectionis plenam fidem facit.
- Eosdem jam in fide confirmatos, graviter infidelitatis & duritiei accusat.

In *priore* consideratur sui patefactio argumĕtis petitis à natura { Divina. / Humana.

LVC. vers. 36. IOHAN. vers. 19. *Cur Christus tam sero se Discipulis patefecerit.*

Cum Christus sibi aliorum nuncio & indicio, qui partim de illo audiverant, partim illum viderant, aditum ad discipulos confirmandos viamque comparasset, tandem ipse extremam huic operi suo manum impositurus accedit. Noverat enim probe duritiem cordis illorum, adeo ut quot ictibus illa expugnanda erat perceptum haberet; ut tardior hæc Christi decem discipulis sui patefactio illorum commodo mensurata sit. Hominibus enim in tenebris demersis si subito sol tanquam meridie luceret, cæcitas attraheretur potius quam tenebrarum illustratio, nisi sensim & gradibus quibusdam ascendat & augeatur. Sicut igitur alicubi dictum est, Christum docuisse prout illum percipere potuerunt hi qui illum audierunt, sic & suis ita se patefacit. Hinc est quod Christus discipulis vetuit ne quis esset aliis aperirent. Magna enim & vehementi sonitu homines surdi fiunt & radiante splendore occæcantur.

Ex *Luca* constare videtur duos illos, qui nuncium de Christo excitato attulerunt, huic cætui jam tum interfuisse, quod dicat illis adhuc loquentibus Christum intervenisse. Nec obest quod undecim apparuisse dicitur, tametsi Thomam abfuisse ex Iohanne constat, cum maxima pars pro toto *Patefactionis circumstantiæ.*

 capia-

capiatur. Sed nec pugnat, quod *Iohannes* vesperi diei Dominicæ hoc factum scribat, cum *Marcus* hoc novissime factum commemoret. Nam novissime omnium discipulos invisit, si suam manifestationem eo ipso quo resurrexit die spectemus. Nam primo apparuit Magdalenæ, post aliis mulieribus; deinde duobus discipulis, post Petro, ut videtur, novissime autem reliquis discipulis.

Quid in Discipulis congregatis laudi, & quid vitio ducendum.

Quod dicuntur simul coacti, ut se mutuo instruerent & confirmarent, in laude est. Quod etiam conclusos se tenebant metu Iudæorum, qui Christi discipulos persequebantur & odio habebant, non usquequaque damnandum est, præsertim cum nulla jam Apostolicæ prædicationis necessitate tenerentur. Nec in vitio est, quod visi sunt paulo antequam cœnam sumpsissent. Sed quod se conclusos tenebant metu Iudæorum, ut tot tubis de Christi resurrectione excitati ne pedem quidem ad illum disquirendum moverent, id demum vitio dandum est. Nam quamvis non recte illis objici poterat, Leonem in platea aut Vrsum in compitis illos ne egrederentur non inhibuisse, tamen vel hoc ipso culpandi erant, quod Christum in sylva & saltu feris referto non quærebant.

Cur metum eorum Iohannes prodat.

Deinde etiam hujus metus idcirco *Iohannes* meminit, ut discipuli, qui jam erant, cum seipsis quinquaginta post diebus compositi, admirabilem Christi gratiam, quæ illos tantulo tempore intrepidos reddiderat, illustraret. Vt nemo existimaret eosdem fuisse in morte, quos post Pentecostes diem comperti sunt. Quinetiam ut olim Israëlitæ dubitabant cum liberarentur an somnium esset *Psalm.* 126, 1. & Petrus *Act.* 12. Sic illi secum addubitare poterant, an cum animis & robore seipsos permutassent. Quod singulari confirmationi esse debet, ut Deum vocantem sequamur, tametsi nihil eorum sentiamus, quæ in nobis ad munus obeundum requiruntur.

Quomodo & quem in finem Christus clausis foribus ingressus.

Quod clausis ostiis ingressus est, sive illud fuerit effractis foribus, quod non fit verisimile, cum nullo ostii crepitu de ejus adventu præmoniti sint, aut noluerit hospitem damno in ostii effractione afficere; sive quod seræ & vectes seu clausura alia submota sunt, quod verosimilius est: huc spectat & refertur, ut suam mortis perpessione potentiam non esse imminutam doceret. Quod etiam magis liquet ex piscium captura collata cum priori, quæ Petri & aliorum vocationem præcedebat. Sic enim docuit veritatem Christi minime quidem in se auctam, magis tamen & liquidius se exeruisse à morte, quam ante mortem. Quod si potentia Christi se exeruit magis a Christi resurrectione, nedum suam virtutem, exercebit magis ad suorum salutem & hostium internecionem, cum ad dextram Patris considet. Vide *Rom.* 8, 33, 34. Sciamus igitur quibuscumque in carceribus & claustris tenemur inclusi, Christum eo perrupturum, ut nos consoletur, & contra tremefaciat hostes in munitissimis arcibus. Vide quæ observata sunt in annotationibus contra *Iesuitas* hunc locum torquentes.

Cur in medio se sistat.

Quod autem in medio se stitit, id eo fecit, ut facilius cum conspiceretur, tum etiam audiretur à decem discipulis, sicut Petrus, *Act.* 1, 13. Quo *docemur*, omnia in Ecclesia ad ædificationem & intelligentiam eorum, qui adsunt, facienda esse, non tantum statione aut situ corporis, sed multo magis, dum omnia lingua nota & facili sermone efferantur, cujus usu Minister æquis passibus docto simul & indocto appropinquet.

Pacis annunciatio resurrectionis Christi indicium.

Secundum indicium & testimonium resurrectionis suæ quod pacem illis annunciat, quæ nulla futura fuisset, nisi Christus è mortuis excitatus fuisset: cum enim ex resurrectione justificatio nascitur, ex justificatione pax: pacem nullam subesse, nisi admissa resurrectione, palam est. Nam tametsi communis & pervulgata sit omnium salutatio, qua alii bona omnia apprecantur, tamen à Christo profecta, qui pacis autor extitit, non tam pacis apprecatio extitit, quam pacis in animos eorum datio & perfusio. Atque non fuisse communem salutationem, sed pacis annunciationem solennem, vel ex eo apparet maxime, quod post aliquot Christi sermones & commercia cum illis, iterum hanc illis pacem offert. Et quamvis primo Christi sermone minus apparet illos hac pace, quam illis dedit præditos fuisse; tamen dubio procul aliquid momenti habuit ad retinendos & sedandos eorum animos, ne metu plus quam expediret percellerentur. In quo singularis Christi erga suos humanitas & clementia apparet, qui omnibus eorum sceleribus, cum fuga & desertione, tum abnegatione, tum vero infidelitate voluntaria oblivione obtritis, pacem illis cum proponit, tum re ipsa exhibet. Atqui, inquit aliquis, hoc Apostolis peculiare fuit; nobis autem non competit, qui Christo in cœlis sedente

dente hanc ab illo vocem audire nequimus. Atqui (inquam) Apostolus eandem nobis in Christo ipso etiamnum offerri docet *Ephes.* 2, 17. Nam cum vere potuisset dicere eum mittere suos legatos ut pacem nobis afferant, tamen ad majorem piorum consolationem maluit dicere Christum venire & prædicare pacem prope admotis & longe dissitis. His autem vel maxime aut unice potius, qui afflicti, dejecti & solliciti sunt, ut hoc loco Apostoli.

Vers. 37. *Discipulorum in credendo tarditas.*

Quod subito & ex improviso se coram illis stitit, cum neminem illi ostium reclusisse sibi conscii essent, ilico obstupescunt & formidine percussi sunt, quod spiritum esse credebant, qui illic tam stupendum in modum se intulisset. Vide *Marc.* 6, 49. Qua re docet eorum inusitatam in credendo tarditatem, qui neque scripturarum testimonio, nec Christi prædictionibus, nec tot virorum & fœminarum nuncio, & ne nunc quidem sui ipsius ostensione crediderunt; nec credere solum renuerunt, sed tam à credendo alieni extiterunt, ut spiritum eum esse somniarent. In quo illud jure *quæri* posset, cur Christus qui hujus stuporis & formidinis, qua correpti sunt decem discipuli, præscius erat, ad hunc se modum manifestare voluit, ac non potius ut fœminis & duobus discipulis. *Resp.* hunc timorem & abjectionem illis utilem fuisse ut illi ad humilitatem eruditi aptiores deinceps essent ad doctrinam illam imbibendam quam post proponit. Sic vidimus in Daniele & Ezechiele aliisque præclarissimis Dei servis; qui ad cœlestes visiones admissi prius dejecti & prostrati sunt. Quid, quod Paulus fassus est ex re sibi fuisse, ut postquam in tertium cœlum raptus fuerat, ab ipso Sathana colaphis cæderetur. 2 *Corint.* 12. Hoc modo igitur nos recreemus & consolemur, si quando durius nobiscum Deus agat, eum hac ratione sibi viam munire ut se nobiscum communicet.

Vers. 38. *Christi omniscientia ipsius resurrectionem testatur.*

Tertium argumentum à divina Christi natura ductum, quo suæ resurrectionis fidem facit, nempe cordium perscrutatione, quod quid secum cogitabant probe norat. Vos quidem vel ex vultu turbatos esse facile est agnoscere; sed ego porro compertum habeo, quæ cogitationes ex corde vestro pullulent & excitentur tanquam ex prunis ardentibus scintillæ. Scio etenim mentes vestras subire hanc cogitationem, me esse spiritum: nec tantum nunc scio cum hæc cogitetis, sed præscivi ante resurrectionem; eoque vestigia clavorum & lanceæ retinui, ut illorum indicio vobis occurrerem & vulneri vestro Medicinam facerem. Hic *videmus* Christum omnium rerum conscium, ut nobis subveniat & succurrat non tantum in his quæ petimus, sed in his etiam quæ petere nescimus: ut benignus pater non illa tantum parat, quæ filius ab eo petit, sed & alia quæ ipse non cogitat. Et ut peritus Medicus, qui ægroti morbum pernovit quem ipse nescit, nedũ indicare potest. Videmus etiam Christi in dando prolixitatem, qui non tantum petitiones nostras prævenit sæpe, sed & illa dat de quibus ne per somnium quidem cogitare potuimus. Hoc igitur nos consoletur quod nobis cum hujusmodi mediatore commercium sit, &c. Et simul admoneat, eum solum idoneum esse Mediatorem ut qui corda solus scrutatur.

Vers. 39, 40. *In Christo manus & pedes suos contrectandos præbente*

Vt illis hanc de se dubitationem auferret, jubet primum ut manus suas, pedes & latus intueantur, ut intelligant eundem esse qui resurrexit, qui ante crucifixus est. Quod si forte excipiatis spectrum aut spiritum esse, qui speciem quandam mei præ se ferat nec sit, tamen agite; me porro vobis contrectandum præbeo, ut cum ossa & carnem sentieritis, errore de spiritu aut spectro liberemini. Debebatis unico verbo & prædictionibus Prophetarum credidisse. Cum autem me coram cernitis & dicentem auditis, mirum est vos me non agnoscere: sed cum me ex totius corporis conformatione non agnoscatis, tamen ex pedum, lateris & & manuum stigmatis agnoscatis: non secus atque parentes, qui ad multos annos liberis ita privati, ut omnis liberorum notitia illis deperierit, tamen se secretiore aliqua nota, struma, aut cicatrice agnoscunt: & ut olim obstetrix *Gen.* 38. ex circumligatione coccinei fili Zerachum agnovit eum esse qui prior manum exeruit.

Spectatur eximia ejus erga nos charitas.

Hinc ut Christi prospicientiam divinam, sic etiam incredibilem pietatem & charitatem erga nos colligimus, qui cum tempus advenisset, quo omnibus nostris infirmitatibus positis perfectum decus corporis sui indueret, nostra tamen caussa etiam in resurrectione quædam vestigia ignominiæ retinere voluerit, ut nobis consuleret: perinde ac si Rex die inaugurationis suæ, ut subditis suis gratificaretur, in sacco aut cinere incederet; aut perinde ac si sponsus ut sponsæ infirmitati subveniret, nuptiarum die pullatus incederet.

Nobis imitanda.

Quo facto non tantum ad illum redamandum accendendi sumus, sed porro ejus exemplo nos ipsos ad aliorum imbecillitatem cum nonnullo honoris nostri dispendio & jactura accommodandi voluntatem induere admonemur.

Pontificiorum error de vulneribus Christi adhuc sanguine madentibus.

Nec tamen hinc sequitur, quod *Pontificii* & alii stulte comminiscuntur de Christi vulneribus adhuc veluti sanguine madentibus. Illud enim utut resurrectioni convenit, tamen Christi glorificationi non item. Quo commento Christi amorem erga nos extenuant. Si enim Christus etiamnum ea retineat, cum nullus eorum usus; ejus nec amor nec sapientia erga nos tam illustris erit, quod nostri confirmandi causa illa reservavit.

Crucis Christi utilitas.

Deinde ex hoc loco *liquet*, quam nobis utilis crux Christi, qua non tantum nostra peccata expiata sunt, sed qua etiam Christi resurrectio nobis certa & indubitata redditur. Nec enim nisi his tecmeriis ad veram Christi excitati notitiam pervenissemus. Tantum igitur abest ut pudore suffundamur ex ejus ignominia, ut in illa vere exultare liceat, sine qua Christi ipsius gloria nunquam nobis profutura fuisset.

Christus, qui audiri, videri, contrectari non potest, non est verus Christus.

Quo spectat quod agnitus est Christus & recognitus non in potentia quam exercuit, quæ tamen certissimum erat resurrectionis tecmerion, sed vestigiis & impressionibus infirmitatis suæ. Hinc colligitur quod prius est observatum, non esse Christum vere, qui non & audiri & spectari & contrectari possit, cujus caro & ossa non sentiuntur. Adeo ut si verum esset, quod *Pontificii* impudenter fabulantur, Christum in Missa intra Sacerdotis manus visum fuisse veluti puerum: tamen cum nec loquatur, nec contrectari possint ejus ossa & cætera membra; vere Christum non esse, liquido constat.

Sacramentorum usus.

Ex hoc loco etiam *apparet* usus Sacramentorum: plurimum enim conducere si quæ in verbo audimus salutaria Dei in Christo promissa, eadem in Sacramentis & videmus & tangimus & gustamus.

Vers. 41, &c. *Quando Discipuli præ lætitia non crediderint.*

Apostoli non sunt admirati admirabilem Christi in se excitando potentiam, quod non est infidelitatis, sed veræ fidei effectus. Sed mirati sunt si aliquid hujusmodi accidisset. Hinc enim attoniti indiciis resurrectionis certissimis, istinc quod omnem fidem superare existimarunt, Christi resurrectionē admirati sunt. Interim tamen tam apertis indiciis vocis, formæ & vulnerum convicti ceperunt in eam sententiam vel opinionem propendere, ut crederent ipsum resurrexisse. Ex qua opinione seu fidei vacillatione tantam lætitiam ceperunt ut Christi demonstrationibus parum attenti fuerint. Tametsi enim gaudium ex resurrectione nullum plus satis cumulatum merito videri posset; tamen gaudium Apostolorum, quod magis constabat in carnali Christi fruitione, quam in fructu justificationis & sanctificationis, in vitio ponitur; eoque illis ad fidem obstaculo fuit, quod illo impediebantur ne rem attentius & majore cum diligentia reputarent. Nam ut parentes in amissum diu filium ruunt præ nimio amore, antequam illum undique perscrutati sunt & eum ex omnibus notis, quibus internosci possit, recognorint, quod se diutius continere nequeant; sic, &c. Atque ut ante videmus Discipulos nimio dolore ex discessu Christi præpeditos parum intellexisse ex his quæ Christus planissime & apertissime proposuit; sic, &c. Quamobrem danda opera est ne laxemus affectus nostros, nec sinamus diffluere, ne nobis ipsis remoras intelligentiæ eoque etiam fidei nectamus. Hujus rei exemplum spectatur in Aarone, cui in sacris agenti fas non erat duorum filiorum mortem lugere. *Lev.* 10.

Christi se esu cibi Discipulis probantis benignitas.

Apostoli adhuc hæsitantes nesciebant quid porro peterent ad fidei obsignationem. Christus autem & quid illis deesset & quomodo suppleretur pernoscens, illos de cibo aliquo appellat. Cum enim neque actionibus divinis, nec habitu corporis cognosci plene potuit, supererat illud unum ut actionibus humanitati competentibus se Christum eundem qui crucifixus erat probaret: delegit autem eam potissimum, quæ & tempori, quo accessit, & illorum infirmitati aptissima erat, & ex qua à duobus discipulis agnitus est. Nec tantum se eo dimisit, ut comederet nullo suo fructu, sed ut ex abjectissimo cibo comederet. Hoc primum ad *Papistarum* deastrum accommodetur, qui editur vel ab ipso mure, sed edere nihil potest.

Deinde & illud *notandum* assiduitate nostra in mensa sua Christum nobis plenius innotescere.

Marc. vers. 14. *In quem finem Discipulorum infidelitas à Christo reprehensa.*

Sequitur *pars altera* de illis ob infidelitatem perstringendis, cum jam essent fide cōfirmati. Videtur hoc intempestivum esse: cum enim jam crederent, nec infectum esse posset, quod ab illis ex hac parte factum est, quorsum attinebat eos reprehendere? *Resp.* interfuisse ut reprehenderentur, ut gravitate deli-

delicti cognita Christi patientiam & misericordiam melius notam haberent. Deinde etiam hoc modo ad consimile tardiores essent. Denique quod cum infidelitas eorum esset, fides donum Christi esset, ne existimarent fide hac se priorem infidelitatem compensasse. Quæ præterea ad hunc locum spectant prius vide.

I O H. *cap.* 20, *à vers.* 21, *ad* 24.

21 Dicit autem eis iterum; Pax vobis: sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.
22 Et quum hæc dixisset, afflavit eos: & dixit eis; Accipite Spiritum Sanctum.
23 Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.

P R A X I S.

S*Umma*, Christus decem Apostolos adhuc sensu judicii divini ex peccatis percussos, de sua erga eos charitate securos facit.

Cujus *partes* sunt quod { Pacem illis tribuit. / Eandem indubitatis argumentis obsignat. }

Iohan. Vers. 21. Cur Christus secundo pacem offerat.

Quod pacem, quam prius obtulit vel exhibuit potius, ea mensura quæ illi commoda visa est, denuo repetat, id eo fecit, quod illorum animos tremulos esse cognovit: prius equidem pavebant, quod spectrum aut spiritum se vidisse putarunt, jam vero cum Christum resurrexisse compertum habebant, pulso timore ex spectro, subit alius, ne scilicet Christus eorum aut defectionem, aut in credendo tarditatem, aut utramque ulcisceretur. Quorum Christus probe conscius illis superiorem consolationem ingeminat. Quod etiam tanto fecit opportunius, quod ex acri & acerba incredulitatis insectatione insequuturam etiam aliam suspicari poterant.

Christus per reprehensionem peccatorum pacem largitur.

Ex quo illud *liquet* Christum peccatorum exprobratione nolle nos perdere, sed illa sibi ad pacis nuncium & promulgationem viam sternere. Ne igitur animum abjiciamus, siquidem nobiscum Deus verbi sui ministerio acerbius egerit, & nec reprehensionem contemtui habeamus. *Proverb.* 3, 11. Christus enim, tanquam Iosephus, diutius se suis fratribus iratum ne vultu quidem & specie præbere potuit, sed si mæror apud nos pernoctaverit, illucescente die illucescit serena Dei frons.

Ministro pax apud Deum necessaria.

Hic prius *notandum*, peropus esse ut pacem apud Deum habeat qui ministerium adit. Nam alioqui quomodo adversus mundi inimicitias consistat? Sic Christus superius; *in mundo afflictionem, sed in me pacem habebitis. Ioh. cap.* 16, *vers. ult.* Est enim præcipua ministri consolatio rebus afflictissimis Deum ab illo stare, ut sæpe legimus.

Ministerii dignitas,

Sequuntur *argumenta* quibus hanc pacem illis obsignat. Quorum prius est, quod illos præcipua ministerii statione dignatur, illisque eum honorem habeat, quo in terris major nec extitit nec extare potest. Sic etiam Paulus 1 *Timoth.* 1, 12. Sicut enim pocillatorem Pharao veteri dignitati restituens testatus est eum in gratiam recipi; sicut etiam Principes suam erga subditos gratiam & charitatem testantur dum illos in intimis habent, & sibi quam proximos adjungunt, tanquam illos in secreto, quod vocant, cubiculo collocarent: sic etiam fit cum Deus aliquem in Ministerium arcessit. Dicuntur enim prope Deum esse, & coram illo versari. Sanctificabor in his qui mihi appropinquant. *Levit.* 10. Hinc etiam Ionas egressus dicitur à præsentia Iehovæ cum se à ministerio sibi commisso subduxit. Quis non expetit à consiliis Regi esse aut semper coram illo consistere. Quamobrem utcumque vile in hominum oculis ministerium videatur; coram Deo tamen valde honorificum est.

Utilitas.

Atque ut singularem honorem affert, sic etiam utilitatem insignem. Vtcumque enim germanum & nativum verbi Ministerium ex omnibus professionibus minime quæstuosum videtur: tamen si rem recte reputemus, nulla vocatio magis fructuosa est: quandoquidem præterquam quod nos semper retinet in rerum cœlestium commentatione, ipsa fides, quæ nobis à Deo habetur, singularis usus ad peccatorum veniam plenius testandam: ut quoties suggestum conscendat, manus ad precandum attollat, Sacramenta administret, toties sibi nova pignora remissionis peccatorum in os veluti delata reputet.

Se in illud ingerentes noxium.

Vnde etiam & illud *liquet*, eos qui Ministerio se ingerunt, quotidie secum gestare testimonia & sigilla iræ divinæ, quoties suggestum

gestum ascendunt, &c. & continuum quendam terrorem aures illorum personare, quo illos damnatos esse & morti adjudicatos magna & canora voce pronunciatur.

Quod & in muneribus politicis locum habet.

Hoc etiam aliquousque verum est in aliis quibus aliquid in Repub. commissum est. Eoque illa in Republ. munera ut per ambitionem captanda non sunt; sic neque per pigritiem aut laboris fugam declinanda, ut quæ quietum & placidum pacis conscientiæ fructum afferant.

Summum ministerii beneficium,

Beneficium autem in eo consistit, quod Christi locum & munus obeunt: singulari honori est munere Prophetis conformes esse; sed Christo Prophetarum Domino conformes fieri præstantius quiddam existit. Vnde minimus in regno cœlorum vel Iohanni Baptistæ, quod ad Ministerii rationem, præfertur. Quod nos admoneat quanto in pretio ministerium Ecclesiæ habendum est, & quam magna ratio habenda, ne hi adhibeantur, qui claudi, manci, monstrosi, cæsi, surdi, aut muti sunt. Nam si Ministerium legis gloriosum extitit: nedum Euangelii.

Autoritas.

Deinde etiam & illud *notandum* non minore autoritate instructum prodire Christi legitimum ministerum, quam Christus ipse prodiit. Vt non sine causa dictum sit à Christo, qui vos audit, me audit, qui vos rejicit, me rejicit, & eum qui me misit. Hinc etiam legatione pro Christo fungi dicuntur ac si Christus per illos nos de rebus salutis nostræ obsecraret. 2 *Cor.*5. *vers. penult.*

Vers.22: *Testimonium pacis acceptæ Spiritus S. afflatus.*

Alterum argumentum donatæ pacis, quod illis Spiritum Sanctum afflat: cujus indicium est sanctissimus Christi halitus Spiritus operationem adumbrans: quod non secus nos fructuosos reddit, quam salubres venti, qui hortos nostros perspirant, ut est *Cantic. cap.*4,16. Testimonium igitur pacis acceptæ hominibus est, si Spiritu Sancto afflentur. Sic *Galat.*3,2. probat nos fide justificatos, quod fide Spiritum Sanctum accepimus. Qui igitur caro sunt, nec Spiritu perfunduntur, hi pacem cum Deo nullam habent.

Quos Christus mittit, eos Spiritu S. ungit.

Hoc autem vel maxime huc spectat, ut declaret à se missos non nisi Spiritus unctione perunctos procedere. *Luc.cap.*4,18. & *Es. cap.*61,1. Qui igitur oleo cognitionis mysteriorum Dei, oleo facultatis docendi, prudentiæ, sanctitatis non sunt à Spiritu delibuti, hi ad certandum & Athletas Christi agendum inepti sunt.

Christi divinitas.

Hic etiam *notetur* Christi divinitas, tum ex missione Apostolorum, tum vero ex Spiritus datione: & simul notetur κακοζηλία *Pontificiorum* & nostrorum hominum, qui hæc Christi facta imitantur; *Pontificii* cum verbis, tum sufflatione, nostri vero verbis tantum. Quamvis autem nostri formulam precandi dicunt esse, non autem jubendi; tamen verborum formam imperatoriam declinari ex usu esset.

Vers.23. *Ministerii finis & fructus.*

Hujus autem cum institutionis ad Ministerium, tum vero etiam Spiritus collationis fructum & effectum constituit in eo, quod prædicatione verbi & Euangelii promulgatione peccata fidelium condonabunt, retentis impiorum & infidelium peccatis. Quo dicto eos etiamnum certiores facit pacis à Deo acceptæ: qui enim aliis peccatorum remissionem ex vocatione proponent, ejusdem quam aliis afferunt participes futuri sunt. Vt quoties aliis pii Ministri remissionem proponunt, toties & sibi ipsis confirmatam accipiant: quoties aliis Sacraméta administrant, toties etiam duplex veluti sigillum suæ salutis in Christo recipiant: quoties pro Ecclesia precantur, toties Christi pro se intercedentis testimonia referant. Quod contra fit in impiis Ministris sese ingerentibus.

In annunciatione remissionis peccatorum error Pontificiorum.

Hinc etiam *liquet* veniæ per Ministrum pronunciationem non esse aliquot verborum memoriæ mandatorum recitationem, ut *Pontificii* somniant, qui confitentes peccata absolvunt. Quorsum enim Spiritus Sanctus illis tam abunde ad Ministerii functionem concessus & collatus est, siquidem vel Missæ dictione, aut aliquot verborum recitatione niteretur? Non quod illicitum sit hujusmodi formulam usurpare, aut non etiam magnopere utile, sed quod in illa acquiescere, ut *Pontificii* faciunt, prorsus ridiculum & puerile sit.

Hic patet Ministerium Euangelii esse suavem odorem ad vitam & ad mortem. Quomodo autem dicuntur retineri peccata Euangelii prædicatione, quæ sine illius prædicatione retenta sunt. Vide supra *Matth.*16.

IOH. *cap.* 20, *à vers.* 24, *ad* 30.

24 Thomas autem unus, ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venerat Iesus.

25 Di-

25 *Dixerunt igitur ei alii discipuli; Vidimus Dominum. Ille vero dixit eis; Nisi
videro in manibus ejus vestigium clavorum, & immisero digitum meum in vestigium
clavorum, & immisero manum meam in latus ejus, nequaquam credam.*
26 *Octo vero post diebus rursus erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Iesus foribus clausis, & stetit in medio* ipsorum, *& dixit; Pax vobis.*
27 *Deinde dicit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum, & ne esto incredulus, sed credens.*
28 *Respondit autem Thomas, & dixit; Domine mi, & Deus mi.*
29 *Dicit ei Iesus; Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.*

PRAXIS.

SVmma, Thomas se obstinatius adversus fidem resurrectionis Christi obfirmans à Christo ad resipiscentiam adducitur.

Partes sunt: Thomæ obstinata adversus fidem resurrectionis Christi obfirmatio. Ejusdem ad frugem reditus.

In priore notatur: Causa infidelitatis. Infidelitas ipsa.

Ioh. Vers. 24. *Neglecti conventus Ecclesiastici damnum grave.* In priore videmus quanti intersit adesse Ecclesiæ exercitiis ex contrario damno, quod accipiunt, qui absunt, viri alioqui cum boni tum clari: imo vero qui zelo quodam veritatis flagrabant, ut ex *Iohan.*11. constat, ubi Christum cum mortis discrimine tum ipse sequi voluit, tum socios ut hoc facerent cohortatus est. Vnius vero conventus Ecclesiastici intermissione, vide in quantum & quam grave malum trahitur; atque illud justo Dei judicio. Nam tanquam pœna proponitur suæ à sociis præstituto tempore absentiæ. Et quanquam illum à reliquo cœtu non quavis de causa abfuisse existimandum est: tamen causam non satis aut gravem, aut justam fuisse ex eo deprehenditur, quod illam tam severe Deus ultus sit. Hinc igitur patet quam nos ad portas sapientiæ excubare convenit, ut ad Advocati aut Iudicis portas clientes. *Proverb.*8,33. Quam nos ad hujus aquæ agitationem experrectos esse convenit, ut frequenti tanquam septima lotione à peccati nostri lepra expurgemur. Atque ut Minister 2 *Timoth.*2. magna tolerantia excubare debet, si quando homines expergiscantur, &c. Sic etiam auditores diligenter se concionibus in Ecclesia sistere, si quando ipsi è peccatis exuscitentur. Deus enim non simul & semel omnium hominum animos illuminat, sed distributis temporibus: neque præconis & Ministri lingua vel ex contextus sui tractatione, vel ex alia Dei directione semper illud potissimum pulsat, quo nos vel maxime egemus: sed ut Sol, nunc hos, nunc illos illuminat per vices. Non quod piis non semper prosit verbi prædicatio; sed quod certis quibusdam temporibus multo nobiscum efficacius solito agit. Hoc notetur adversus eos qui levissima de causa sese subducunt, &c. Comparatur verbum pabulo. Atqui minore corporis dispendio quis pastu careat, quam concionem tanquam spiritualem mensam desideret. Nec vero sibi adulentur hujusmodi homines, quod pii sint: tametsi enim pii excidere nequeunt; tamen illud ex negligentia periculum & ignominiam contrahunt, quam infinitis periculis & lachrymis redimerent.

Sequitur Thomæ obduratio tristis plane & horrenda: quæ arguitur primum ex adjuncto testimonio reliquorum Apostolorum, qui illi Christi resurrectionem propriorum sensuum indicio confirmarunt. In quo ut fidelis opera condiscipulorum nobis imitanda proponitur, illa communicandi quæ didicimus his qui illa ignorant aut illis non adfuerunt: sic etiam singularis pertinacia indicatur, quæ tam amplo & luculento testimonio nõ acquiescit. Et quod ad *primum* quidem attinet, longe alia ratio est hujus communicationis aut cibi aut thesauri quam mundani; nam ex gemmis terrestribus & cibo corpora pascendo idoneo tantum tibi decedit, quantum liberalitate tua alteri accedit. Sed hic contra. Quod ad *alterum* spectat, *notandum* est tanto majorem reatum nos contrahere, quanto pluribus præconibus lætus Euangelii nuncius ad nos perfertur. Si enim in ore duorum & trium testium plene convincuntur, nedum tot, &c. Atque hic perstringe eos & proprio gladio jugula, quod jactent se præclaros in Euangelio institutores & patres olim habuisse. Vers. 25. *In Apostolorum indicio & Thomæ obduratione notanda.*

 Quid,

Quid, quod etiam pleraque unius & ejusdem testimonia in una eademque re pro diversis testibus à Paulo reputentur. 2 *Cor.* 13, 1.

In Thomæ obstinatione multiplex peccatum. Hæc etiam obstinatio arguitur ex inconsultissima obstinationis suæ professione. Cujus quidem sicut caput & summa est horribilis oblatæ Dei gratiæ & contumacissima repudiatio: ita si minutim illa excutiantur, facile liquebit in uno hoc malo multa mala veluti compacta & complicata esse. *Primo* enim singularis ignoratio est, qua statuit se non crediturum nisi, &c. quasi vero in ejus potestate esset credere, siquidem Christus sui tantum exhibitione & ostensione se illi patefacere voluisset. Tametsi enim fides non nisi voluntaria est, tamen oblatam gratiam quoties aut quocunque modo offertur, recipere nemo potest, nisi quando Christus illam suo Spiritu obsignare & exhibere vult. *Deinde* mira in eo inscitia est, quod statum corporis è mortuis excitati eum sibi affingit, in quo vestigia superiorum vulnerum apparent, cum illud nonnisi peculiari dispensatione in Christo accidit ut fidei obstaculis occurreret. Et quanquam verisimile est Apostolos illi indicasse se vidisse illa vulnera & cicatrices, tamen Christus jure optimo illis eam sanitatem adducere potuerat, quæ nullius imbecillitatis aut nævi vestigium & impressionem reliquisset. *Tertio*, insignis superbia hic elucet, qua Apostolos omnes levitatis in credendo damnavit, quos Christus tarditatis coarguerat: quod seipsum tanquam sagaciorem & oculos in fronte gerentem prædicabat, qui non nisi certissimis tecmeriis in fide resurrectionis non tantum non acquiescere, sed nec minima ex parte eam amplecti vellet. Hujusmodi plerique homines sunt, qui ut suam sapientiam & animi gravitatem & constantiam venditent, veritati aut sinceritati Euangelicæ non cedunt facile, ne levitatis suspicionem incurrant. Accedit præterea, quod in Deum ipsum se attollit, dum eum angustiis quibusdam circumscribit; ut cum multas rationes Deus haberet, quibus eum ad agnitionem veritatis pertraheret, se tamen nullis nisi hac ratione unica adduci passurum profitetur, & Christum etiam arctat, ut nisi eum denuo quæsitum redeat, nolit ipsum requirere. Cui adjungitur, quod illam rationem imbibendæ fidei resurrectionis deligebat, quæ verbo Dei non continebatur. Hoc illis accommodetur, qui nunquam credent, nisi in Generali concilio de religionis summa decernatur. Alius se quidem profecturum in Euangelio arbitratur modo hunc aut illum ministrum consequatur, cum interim præsens Ministerium, quod Deus ad suam salutem destinavit contemtui habeat. Verendum est etiam, ne sint quos expetunt illegitimi, id est, qui illis abblandientur & in peccatis demulcebunt.

Tempus notat proximi, ut apparet, cætus Ecclesiastici, nempe octiduo post priorem congressum. Dominica enim prima, qua resurrexit, videntur convenisse, ut viderent qui exitus futurus foret, quod eo die resurrecturum dicebatur. Insequenti autem Dominica, quæ octavus dies erat, si primam Dominicam connumeres (fortasse à Christo de Christiano Sabbatho edocti) iterum quisque è suis ædibus ad destinatum ab illis locum accedunt, ut mutuis adhortationibus & consolationibus se confirmarent. Nam Apostolos non perpetuo in una domo conclusos simul mansisse, apparet, cum alibi, ubi dicitur singulos ad suos se recepisse, tum vero etiam ex *vers* 10. hujus capitis. Quod si ita sit, hic locus est stabiliendo Sabbatho accommodus. Quicquid est, illud certe constat, vel cum periculo cætus Ecclesiasticos celebrandos esse & vitæ discrimine, etiamsi vel longis itineribus hoc faciendum esset, loca frequentando ubi conciones habentur. Vide locum 2 *Reg.* 4, 23. de noviluniis in historia Sunamitidis. Vers. 26. *Cætus Ecclesiastici vel cum periculo frequentandi.*

Hoc loco *docetur* Christum verum Pastorem esse, qui ovem errantem & palantem sequitur & exquirit, tametsi unam, in spinis, in quibus illa se abdit; nec dedignatur illas modestissime tractare, & se illis & eorum infirmitati accommodare, qui se illi accommodare aut nolint aut non possint. Vers. 27. *Christus verus Pastor,*

Atque ut ejus φιλανθρωπίαν videmus, sic incredibilem scientiam, qui optime novit quæ illis medicina & quod pharmacum aptum & appositum est. Vnde etiam ad ipsa Thomæ verba alludit, quibus constaret eum omnia ejus verba percepta habuisse. *Et omniscius.*

*Quod autem addit, *sis fidelis, &c.* hunc sensum habet. Tu quidem existimas tuæ potestatis esse nunc credere tandem, cum me videris, tractaveris, & manum in latus intuleris; sed falleris. Nam nisi ego mandato meo, cui omnia parent, efficerem ut crederes, tantum abest ut remedium abs te excogitatum tibi commodaret, ut etiam gravius judicium & callum obstinationis durio- *Quomodo Deus fidem operetur.*

duriorem induceret: Sed ego, qui Deus sum, te non adhortor solum ut fidelis sis, sed fidelem te esse jubeo & jubendo efficio.

Contra Pontificios. Hic illud statuitur, quod *Pontificii* negant, Deum non tantum gratiam offerre, sed pius exhibere, nec posse eos exhibitam gratiam non accipere. *Nemo venit ad me nisi quem Pater trahit. Iohan. 6,44 Cantic.1,3. Rom. 9, 16. non est volentis, &c.* idque ut omnis gloria Deo cedat, qui simul & incipit & perficit. hoc igitur adumbratur illis, qui à diabolo detenti Christi liberationem a se depellunt. Non quod nolentes hoc faciant, sed quod hanc Deus voluntatem illis indat.

Quæ præterea in his versibus notanda sunt, prius sunt observata, ut quæ hic ingeminantur. Nisi quod doctrina Sacramentorum, quibus Christum videmus, tractamus, &c. commode hoc loco subjungatur.

Vers. 28. Christus verus θεάνθρωπος. Hoc loco clarissimam Christi & plenissimam confessionem edit, cum humanitatis, quod illum suum herum & Dominum vocat, qui illum ad Apostolatum delegit, quandoquidem illum eundem esse tot indiciis & cicatricibus confecisset; tum Deitatis, quod cum admirabiliter portis clausis ingressus est, tum ejus verba absens notissima haberet: non minus ac si ejus obfirmatæ credendi recusationi interfuisset: denique quod animum ejus Spiritus sui ἐνεργείᾳ ita percutit, ut dictum ilico factum sit.

Optima ratio Christi cognoscendi. Sicut igitur prius vidimus corda illorum arsisse, qui illum differentem & Scripturas explicantem audierant, sic & Thomæ hoc loco. Atque hæc cognoscendi Christi optima ratio & longe certissima quando prædicatione de Christo nos Spiritum Sanctum accipere in nobis experimur. Sic Paul. *Gal. cap.3,2.* probat illud demum verum fuisse Christi Euangelium, cujus præconio Dei Spiritum acceperant.

Pro ratione lapsus resipiscentia major requiritur. Deinde & illud *notandum* pro ratione lapsus & pertinaciæ nostræ, & pro ejus gravitate, ita etiam conversionem & in conversione resipiscentiæ professionem ejusque fructus omnes crescere oportere. Cui enim multum condonatum est, is plurimum diligit, & plurimum diligendo plurimum obsequitur. Tametsi igitur perfidiosæ abnegationis nulla ab hominibus compensatio institui possit, tamen plena & plana veritatis professio cum prioris defectionis retractatione singularem hunc fructum habet, ut abnegationem nostram nobis remissam esse liquido confirmet.

Divinitas Christi ex hoc loco propugnata. *Notandus* hic locus est ad propugnationem divinitatis Christi. Sic scilicet fuisse Deum, ut fuit Thomæ Dominus, id est, verissime. Ad quam rem articulus singularis momenti est; ut notet eum verum Deum esse, nec plures Deos Thomam magis habuisse, quam Dominos plures.

Vers. 29. Christus extollendo eorum fidem qui in ipsum non visum credunt, Cum Thomas dicto Christi obsequens, quod jussus erat, Christum exploravit, tum ad eum Christus: tu quidem credis quod me videris, contrectaveris & in latus manum intuleris (est enim manifesta συνεκδοχὴ in ἑώρακας) eoque non nego quin beatus sis, quandoquidem beati sunt qui in me credunt: sed illos hac ex parte longe beatiores esse statuo, qui in me nec visum, nec tactum credunt. Et tu tanquam insipientes damnas omnes, qui in Christum minime aut visum aut tactum credunt: Ego vero hoc non tantum sapientiæ sed & beatitati duco. Quo dicto ut Thomam perstringit, quod tam fuerit ad credendum tardus: sic fidem nostram, qui in Christum minime visum credimus, cõmendat, cum ipsa per se credentium fide, tum vero etiam composita & comparata cum tarditate fidei Thomæ Apostoli.

Nos adversus Atheorum insultus munit. Hoc igitur dicto Christi tanquam clypeo ignitas *Athecrum* hastas extinguimus, qui Christianorum simplicitatem in credendo tanquam levem & temerariam ducunt, & qui sibi nihil credere in animum inducunt, nisi quod sensibus usurparint. Vide 1 *Pet.*1,8. Verum quidem est oculatum testem in rebus humanis præstantissimum: sed in rebus cœlestibus non item. Tametsi in Apostolorum intuitu & contrectatione nos illum vidimus, contrectavimus, & cum illo comedimus; quandoquidem Apostolis non tam sua causa tam clare & testate se Christus revelavit, quam nostra, qui eorum prædicatione credituri essemus. *Hebr.*2,3,4. Sicut enim speculatorum oculis olim Israëlitæ terram Cananæam lustrabant: sic & nos oculis Apostolorum Christum. Cum etiam verbum præteriti temporis usurpet, non est alienum ad Patrum sub lege fidem hoc dictum extendere.

IOH. *cap.* 20, *à vers.* 30, *ad finem capitis.*

30 Multa vero etiam alia signa edidit Iesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.

31 *Hæc autem scripta sunt, ut credatis IESVM esse Christum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.*

PRAXIS.

SVmma, Tantum ex rebus Christi gestis literarum monumentis consignatum est, quantum ad fidem, & ex fide salutem satis est.

Partes sunt, { Mandata literis Christi acta. Scriptionis finis.

Vers. 30, 31. *S. Scriptura usus.* Cum Christus superiore ad Thomam sermone fidem piorum non esse ex sensibus aut visu mensurandam docuisset: subjungit Apostolus, quæ illa demum sunt, quibus nostra fides innitatur & confidat. In quo primum sciendum, in quem usum Scriptura nobis relicta est, nempe ut in ea fides nostra solide fundetur & radicetur pulsa omni dubitatione; atque, ut quod sensibus nostris deest, scripto verbo suppleatur. Vide *Iohan.*5,47. *Si Mosis scriptis fidem non habetis, quanto minus dictis meis?* Tametsi eadem erat autoritas dicti Christi, & Mosis, per quem Christus loquutus est: tamen ad fidei firmitatem singulare præsidium est Scriptura. Cum igitur plus momenti sit in Scriptura ad fidem ingenerandam, quam in dictis Christi ipsius: quam impie faciunt, qui asserunt fidem Scripturæ ab Ecclesiæ dictis pendere. Hic *excipi* potuit, peropus fuisse ut omnia Christi cum dicta, tum facta literis consignarentur, quandoquidem illis duntaxat fides nostra incumbat. *Respondet* Apostolus, hæc satis esse ad fidem firmandam, satis esse ad vitam æternam. Quid enim porro quæris præter vitam æternam, quæ tibi his scriptis certa redditur? Vide 2 *Timoth.*3,15,16.

Hic subjectum ut hujus libri, ita reliquorum omnium notatur, Christus: item scopus quem sibi omnes servi Dei Prophetæ & Apostoli proposuerunt, ut tantum scriberent quantum satis est. *Subjectum librorum sacrorum, & scriptorum scopus.*

IOH. *cap.*21, *à vers.*1, *ad* 15.

POstea sese conspiciendum præbuit rursus IESVS discipulis apud mare Tiberiadis: sic autem sese conspiciendum præbuit.

2 *Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat ex Cana* urbe *Galilææ, & filii Zebedæi, aliique ex discipulis ejus duo.*

3 *Dicit eis Simon Petrus; Abeo piscatum. Dicunt ei; Imus & nos tecum. Exierunt, & ascenderunt in navigium statim: & illa nocte nihil ceperunt.*

4 *Mane vero jam exorto, stetit IESVS ad littus: nesciebant tamen discipuli IESVM esse.*

5 *Dicit igitur eis IESVS; Pueri, num quid obsonii habetis? Responderunt ei; Non.*

6 *At ille dixit eis; Conjicite rete in dextram navigii partem, & invenietis. Conjecerunt ergo, & nequibant amplius illud trahere præ multitudine piscium.*

7 *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat IESVS, Petro; Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset Dominum esse, amiculum præcinxit, (erat enim nudus) & abjecit se in mare.*

8 *Alii vero discipuli navigio venerunt (non enim longe aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) trahentes rete* plenum *piscium.*

9 *Vt autem descenderunt in terram, cernunt prunas positas, & piscem impositum, & panem.*

10 *Dicit eis IESVS; Adferte ex piscibus quos modo cepistis.*

11 *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: & quum tot essent, non est fissum rete.*

12 *Dicit eis IESVS; Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare; Tu quis es? quum scirent Dominum esse.*

13 Venit

13 *Venit ergo IESVS, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.*
14 *Ista jam tertia vice conspicuum sese præbuit IESVS discipulis suis, postquam suscitatus fuerat ex mortuis.*

PRAXIS.

SVmma, Christus se tertio discipulis ad mare Tyberiadis conspiciendum sistens, eos adhuc in fide suæ resurrectionis clam labantes, multis humanæ & divinæ naturæ effectis confirmat.

Partes sunt, { Generalis propositio summã complectens. *vers.*1. Specialis ejusdem explicatio. *versibus reliquis.*

Ioh. Vers.1. *Generalis historiæ summa.* Nam quod in genere *primo versu* dicit, se discipulis manifestasse, *versu* 2. specialiter exequitur, cum docet septem ex discipulis se patefecisse, quorum quinque de nomine exprimuntur, tacitis duorum appellationibus. Deinde quod *vers.* 1. dicitur ad mare Tyberiadis apparuisse, id speciatim exsequitur à *vers.* 3, ad 14. ubi piscantibus nihil tota nocte consequentibus conspiciendum se præbens, eos multitudinis piscium comprehensione, retentione, ignis accensione, &c. in fide resurrectionis confirmat. Denique quod *primo versu* dicitur rursus, *vers.*14. præcise exprimit tertiam vicem fuisse, qua se Christus discipulis exhibuit videndum.

Vers.2. *Quorum discipulorum nomina expressa.* In speciali enumeratione discipulorum *notandum* est quinque de nomine expressos fuisse ex illis qui præcipuis quibusdam laudibus in Scriptura ornantur. Quod ad Petrum, Iacobum & Ioannem, controversia vacat, illos aliis omnibus discipulis à Christo antehabitos esse. Vnde etiam factum est, ut Christus illos ad interiorem rerum notitiam præ cæteris admiserit. De Thomæ luculentissima & longe testatissima de Christo confessione nuper accepimus. Nathanaëli (qui & Bartholomæus à quibusdam nuncupatur) Christus sub initio professionis suæ testimonium pietatis & simplicitatis reddidit.

In provectissimis fidelium reliquiæ infidelitatis. Quo *docemur* nõ tantum in piis & fidelibus reliquias quasdam infidelitatis manere, sed in lectissimis quibusque & provectissimis maximeque confirmatis, ut sciamus nostræ staturæ adulti Christi aliquid deesse, cui supplendo non minus sollicitos nos esse oportet, quam quisque est de justa corporis statura assequenda anxius, ne quid vel altitudinis vel latitudinis desideretur, cujus præsens corporis conditio spem facit: ut si in trimatu duorum cubitorum esset altitudine, nec reliqua ætate illam altitudinem duplicaret, res omnino absona videretur. Tam enim altum esse viginti annos natum quam fuit cum sex aut septem annos natus esset, monstri quiddam simile est, & pro nanis plane reputabuntur hujusmodi. Tantoque hoc studiosius curandum erit, quo in statura corporis parum est si quis alterum cubito superat: *Matth.* 6. cum tamen permagni intersit, si quis ab alio hac in parte plurimum superetur. Quamobrem cum parentes operam dant sedulam, ut pleniore pastu liberi ad corporis staturam perveniant: sic, &c. Et ut solliciti sunt ne incurvatione corporis aliquid illis depereat: sic, &c. Sed quam hic justus quærendi locus sit, &c. Hoc unum interest quod consolationem habet, quod tametsi vigesimum sextum annum superans in corporis statura incrementum accipere nequit, tamen &c.

Huc accedit quod duo discipuli, qui sua ignobilitate non nominantur, in fide resurrectionis cum istis principibus viris æquantur: ut sciamus sæpius inveniri, ut qui alios excellunt in multis, in aliquibus tamen iisque maximi momenti articulis, cum infimis æquentur. *Ignobiles præcipuis fide pares.*

Cum vero nihil sit in primo *versu* quod in sequentibus non habeatur, idque clarius, melius fuerit ad specialia transire, si prius illud observaverimus, quod in tota hac historia summum est: scilicet Christum discipulos suos, ipsorum judicio in resurrectione Christi satis confirmatos, tanquam plane adhuc vacillantes & fluctuantes confirmare. Non enim plene confirmatos fuisse docet *v.*12. Quo indicatur illos ita Christum agnovisse, ut interim tamen quis esset percunctaturi fuissent, nisi pudore & reverentia tantæ majestatis prohibiti fuissent. Apostoli omnes (excepto Thoma) Thomæ ipsi resurrectionem testificati sunt. Thomas claram & liquidam Christi excitati confessionem ediderat, unde sibi præfidebant se satis de ea re instructos fuisse ut illis jam piscatui vacare liceret. Cum à Petro dicitur, *piscatum vado*, perinde est ac si diceret, hactenus equidem de Christi resurrectione, unde nostra salus & consolatio pendet, dubius, anxius & suspensus fui, ut non nisi illi rei investigandæ vacare potuerim: nunc vero re *Vers.* 3. *In Petro ad piscaturam se accingente*

hac plane comperta & explorata consultum est ut piscatum eam, ut unde victus suppeditetur, subolit Christus autem, qui cordibus eorum major erat & omnes infidelitatis angulos & recessus pernotos habebat, dat operam ut porro in fide resurrectionis radicentur, ne tempestatibus agitati moverentur loco. Quod tanto facit magis quo ministerium eorum potissimum in resurrectionis Christi testificatione versaturum cognovit: unde testes resurrectionis appellantur. Quo etiam accessit, quod maxime nomine resurrectionis Christi illos ludificandos & omni ratione oppugnandos prospexerat.

[illegible] nimis sibi confidere.

Ex quo illud *efficitur*, pios fere quosq; sibi præfidere, & plus sibi quam par est tribuere, putantes secū præclare tum fieri, cum tamen parum tuto & certo loco sunt. Est enim falsa quædam spiritualium rerum securitas, non tantum in hypocritis, quales Laodicenses describuntur *Apoc.*3,16,17. Sed etiam in ipsis piis. Vide exemplum Gedeonis *Judicum* 6, & 7. tametsi enim miraculis duobus se ita confirmatum ad prælium existimaverit, ut se amplius aliquid non desiderare profiteretur: tamen Deus timorem illi in animo insedisse satis ostendit, dum alio signo illum confirmat. Nam ut olim Israëlitæ sibi præfidentes pauciore quam par erat militum numero contra urbem Ay profecti sunt. *Jehos.*7,3, & 8,1. Sic etiam nos nobis ipsis præfidentes & hostem contemtui habentes minus parati ad hoc spirituale prælium accedimus. Videmus enim hoc loco non tantum reliquias infidelitatis fuisse, quas omnes pii sibi adhærere non ignorant, sed Petrum deceptum ab animo suo & ipsum sibi imposuisse dum melius & perfectius aliquid de se sentiret, quam veritas ferebat. Quod si in tam provectos Christi discipulos cadat, nedum in illos, qui principia & elementa religionis vix degustarunt. Quomodo igitur certissime non sunt perituri, qui dicunt se probe tenere, &c. Quare meminerimus *Prov.*14,16. & 28,14. Ergo quodque Christianæ religionis mysterium & documentum ut est majoris momenti, aut oppugnatur magis; sic etiam diligentius & majori contentione docendum & discendum est.

Sollicitudo hujus vitæ Petro securitatis causa.

Deinde *notandum* est qua ratione securus cepit accuratiorem resurrectionis fidem neglectui habere; nimia scilicet hujus vitæ tuendæ sollicitudine. Hujus enim studio petractus est, ut ad retia, quæ ex præscripto Christi reliquerat, recurreret vel tum, cum non tantum ministerio imperato abdicatus non fuisset, sed porro novo mandato ad illud obeundum instructus. Tametsi enim sua abnegatione se indignum Apostolatu reddiderat: tamen nisi a Christo rejectus ab eo ministerio deficere non potuit: nedum hoc licebat cum in ministerio Christi autoritate confirmatus fuisset. Hæc igitur vitæ superflua cura, tanquam spinæ, suffocat semen fidei. Nec enim quævis cura rerum terrenarum hoc facit, nec quivis labor, sed immodica & non necessaria. Hæc enim Petri immodica & non necessaria fuit, quandoquidem tot experimentis Christi erga se providentiæ edoctus in illa penitus acquiescere debebat, nec vel minimum a fiducia recedere. Quod si cura victus acquirendi nos a rerum f[illegible]arum studio abducere non debet, nedum ut genio indulgeamus, aut lusui vacemus, aut compotationibus.

Ministrorum officium.

Hic admoneantur Ministri, ne cura rerum terrenarum aut ulla occupatione quæcumque illa sit à ministerii exsequutione abstrahantur. Quod plerique faciunt nulla necessitate pressi; alii inedia impulsi, quod fieri non debet: potius enim ministerium deserendum si victum non, &c. Quod si autem vacare non debent Ministri artificiis, nedum Magistratui gerendo, utpote quod non tantum majus studium requirit, sed magis pugnat cum Ministerii submissiore conditione.

Petri delicta accurate prodita.

Hic etiam *adnotari* potest, quod prius pluribus est expositum, quomodo Spiritus Sanctus veluti majusculis literis Petri ulcera & κακοχυμίας prodit, ad deprimendum nimiam (quam ex specula præscientiæ suæ prospexit) de illo existimationem.

Malum exemplum cavendum.

Deinde *notandum* est, quomodo illo ad rem intempestivam & Apostolis illicitam digitum attollente, ilico alii proruunt; ut sciamus non tam scelere, quam exemplo nocere homines, præsertim melioris in Ecclesia notæ, qui tanquam funibus alios etiam fortissimos in suas peccatorum nassas pertrahunt *Galat.cap.*2,13. Vide quomodo multi, etiam Barnabas, ad Petri simulationem allecti sunt. Quod Ministris, Magistratibus & patribusfamilias maxime notandum erit.

In reliqua historia quædam sunt communia cum historia quæ habetur. *Luc.* 5. unde illa petenda sunt: alia vero hujus sunt propria.

In quibus primum est quod prius in ipsa Vers.4. nave

Christus non præsens tantum, sed & absens quidvis potest.

nave fuerat Christus super mare: hic vero ad littus ducentis cubitis ab illis remotus constitit. Quod quidem momentum habet ad miraculum illustrandum. Nam propius admotus videri potuit facilius aliquem numerum piscium deprehendisse. Quo etiam pertinet quod videri posset præsens facilius id miraculi præstare, quam nunc cum absens esset. Cujus cum hic contrarium cernimus, admonere nos debet Christum non esse Deum ex propinquo tantum, sed ex longinquo etiam; adversus *Pontificios* & alios, qui Christi virtutem nullam in Sacramentis sentiunt, nisi ipsum præsentem habeant.

Vers. 5. *Quis finis interrogationis Christi.*

Quod quærit, ecquid edulii habeant, id de more facit patrumfamilias piscatores transeuntium, qui ad illos acclamant tanquam aliquid piscium mercaturi, quo familiam alant. Quærit autem non tanquam nescius, sed ut eorum responso aditum pararet ad insequentem capturam.

Vers. 6. *Miraculi amplificatio.*

Alterum momentum hujus miraculi est, quod ad dextram rete jacere jussit, locum ad quem conventuri essent pisces articulatius circumscribens. Cui etiam obtemperant, non tanquam Christo, sed tanquam ei qui piscium forte eo loci confluentiam animadverterat. Adhæc tertium est, quod tantam multitudinem complectebatur rete, ut ne septem quidem rete extrahere potuerint, sed coacti fuerint per medium mare ad littus pertrahere. Superiore enim historia quinque tantum, ut videtur, extrahebant; hic vero septem hoc præstare non potuerunt. Huc accersantur quæ post ad magnitudinem miraculi illustrandam adjiciuntur, de certo numero grandium piscium, & quod rete tanta magnitudine & multitudine disruptum non sit.

Christi virtus post mortem manifestior.

Quo *docemur* nihil decessisse Christo ejus morte, atque adeo robur & potentiam ejus, tametsi aucta non sunt, tamen sese liquidius & manifestius exeruisse, quam ante mortem. Hoc ergo testatissimum est resurrectionis Christi argumentum. Simulque eo *docemur* persequutione non minui Euangelium, aut Ecclesiam, sed ejus virtutem clarescere & fulgere magis.

Vers. 7. *In Iohanne Christum primo agnoscente notanda.*

Quod Iohannes primus omnium Christum esse agnovit, idque non ex vultu & corporis effigie, ut videtur, sed ex sensu potentiæ, quam in captura expertus esset, laudi ei ducitur; qui se non sine fructu & profectu ad interiorem cum Christo amicitiam admissum esse declaravit. Nec vero tam ejus diligentiam & perspicaciam notat, quam Christi erga illum charitatem, qui pro amico se erga eum gessit, quod primo omnium sese Iohanni communicavit. Quorum priore *discimus*, quemque ut instructior est mediis & rationibus, quibus ad Dei notitiam pervenitur, ita etiam aliis notitia & perspicacia rerum cœlestium anteire debere. Altero vero *discimus*, quemque ut a Christo plus amatur, ita plus de Christo scire, & acutiorem esse debere in illo pernoscendo. Vide *Iohan.* 14, 21. Adversus illos qui jactant Dei erga se amorem, cum tamen parum aut nihil de illo sciant.

Vers. 8. *In Petro tardius eum agnoscente notanda.*

In Petro ad Christum agnoscendum tardiore, videmus singularem animi affectum, qui à Iohanne accipiens quod Christus esset, ilico amiculo se cingens ad majorem honestatem & decus, quod nudus esset, id est, interula tantum indutus aut alio quopiam leviore indumento, in mare exilit, impatiens moræ donec navis appelleret: ut sciamus dona Dei varie distributa esse & miremur πολυποίκιλον Dei σοφίαν. Vbi etiam *notandus* est diversissimus animi affectus ab eo qui prius fuerat. Ante enim sensu potentiæ Christi permotus Christum rogavit ut à se abscederet; nunc contra in interiore & majore sensu potentiæ ejus illi conjungi præoptat. Tantum discrimen est hominis in fide remissionis peccatorum confirmati, & illius qui de voluntate Dei erga se hæsitat. Nam antequam fide firma remissionis peccatorum imbuimur, tanto magis contremiscimus, quanto magis ejus gloriam, vel potentiam, vel scientiam, vel sapientiam haurimus. Atque hinc est quod diaboli contremiscant, impii homines obstupescant, & Dei potentiam & judicium vereantur.

Vers. 9, 10. *Alterum miraculum.*

Quod ad littus accedentes, invenerunt ignem ex carbonibus structum potius quam ex lignis, quæ hinc inde colligi possent, idque cum ad pisces parandos, tum etiam ad illos desiccandos, item pisces & panem; illud auget miraculum, vel potius illud miraculum novum constituit: & simul docet Christum hoc miraculū in captura piscium edidisse non ulla necessitate comparandi edulii vel sibi vel suis, sed duntaxat ut illos in fide resurrectionis conservaret. Tamen ne hoc suspicionem moveret capturam illam fanaticam & imaginariam fuisse, jubet ex captis piscibus adferri ut illis gustatis & per-

pertentatis de veritate etiam miraculi constaret; quo certius constaret de resurrectionis veritate.

Vers. 11. Quomodo Petrus rete traxerit.

Quod autem Petrus dicitur traxisse rete, non ita intelligendum est, ac si solus hoc fecisset, hoc enim parum appositum fuisset ad veritatem miraculi comprobandam. Potius adversum fuisset & imaginarios pisces arguisset; sed quod ipse solus ad littus trahebat, reliqui in nave.

Vers. 12. Christum etiam illi cognoscere dicuntur, qui aliquatenus dubitant.

Quod autem dicitur, neminem ex illis interrogasse quis esset, cum scirent esse Iesum: docetur eo Christum ita illis cognitum fuisse, ut interim tamen scrupus aliquis dubitationis in animis eorum superesset, etiam nunc post editum hoc miraculum: quanto magis antequam hoc miraculo confirmati essent? Quam dubitationem illis eximere conatur dum cum illis cibum sumit & convescitur. Quod etiam consolationem habet, dum hinc intelligimus, quod pro Christum cognoscentibus habeantur, in quibus aliqua hæsitatio hæret. Simulque notitiam nostram de Christo debere indies incrementum sumere.

Fides augetur communicata cum Christo mensa.

Hinc etiam *notatur*, quomodo fides nostra in Christo confirmatur, nempe si Sacræ præsertim mensæ cum Christo communicamus. Nam si quotidiano victu hoc factum sit, nedum sacro futurum est.

I O H. *cap.* 21, *à vers.* 15, *ad* 20.

15 Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro IESVS; Simon, fili Ionæ, diligis me plus quam hi? Dicit ei; Certe, Domine, tu nosti quod amem te. Dicit ei; Pasce agnos meos.

16 Dicit ei rursum secundo; Simon, fili Ionæ, diligis me? Ait illi; Certe, Domine, tu nosti quod amem te. Dicit ei; Pasce oves meas.

17 Dicit ei tertio; Simon, fili Ionæ, amas me? Tristitia fuit affectus Petrus quod tertio dixisset ipsi; Amas me? Dixitque ei; Domine, tu omnia nosti: tu nosti quod amem te. Dicit ei IESVS; Pasce oves meas.

18 Amen, amen dico tibi, quum esses junior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles.

19 Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei; Sequere me.

P R A X I S.

S*Vmma*, Sinceri & ferventis Petri in Christum amoris certissima documenta & argumenta τεκμηριώδη.

Partes sunt de { Amore Petri in Christum ferventi & sincero. / Amoris ejus certissimum argumentum.

Prior pars declaratur { Christi ἐρωτήμασι. / Petri responsis.

Iohan. vers. 15, &c. Cur finito prandio Christus quæstionem proponat.

In quæstione consideratur primum tempus, quo proposita est: nempe postquam Christus suo cum discipulis convictu sui notitiam plene patefecisset. Importunum enim fuisset de amore percunctari, antequam ipsis plene innotuisset. Nec enim quis eum amare potest, quem prius notum non habeat, & cujus præclaras dotes & virtutes non novit. Verum quidem est nos eum amore complecti, quem nunquam corporis oculis aspeximus. 1 *Iohan.* 4, 20. & 1 *Pet.* 1, 8. Sed ut eum diligamus, quem mentis & intelligentiæ oculo non cernimus, fieri nequit. Vnde etiam & hoc efficitur, multos sibi imponere, qui arbitrantur se Christi amore duci & Dei, cum illum non norint; qui non modo ejus egregia facta ignorant & in se beneficia, sed ne personam quidem Christi ex duabus naturis constantem cognoscunt.

Et quidem Petro,

Deinde quod quærit à Petro quem è medio septem discipulorum evocat, id non illius tantum causa fecit, sed & reliquorum qui tum forte affuerunt; sicut *Matth.* 16. Quod documento est, orationem aut sermonem Ministri in aliquod hominum genus remissum non debere in illo duntaxat terminari ut non latius pateat.

Eamque tertium repetat.

Quod ter quærit à Petro, id facit, ut cum triplici mandato pascendi illum restitutionis ad Apostolatum certiorem faciat adversus triplicem negationem; tum vero ut

ut totidem ejus de amore in Christum responsis & solemnibus promissionibus arctius Petrum obligaret ad sui constantem in omne tempus confessionem. Sic olim post Apostasias Catholicas pii Reges Sacerdotes & populum & totam Nobilitatem novo fœdere omnes Deo obstrinxerunt. Atque hoc pie aliquousque à Regibus nostris est ad imitationem tractum: sed neque tam Catholice factum est, ut oportuit; utpote quod tantum ab iis exigitur qui publicum munus obeunt: nec vero ab his hoc requiritur tam universim in omnibus fidei præcipuis articulis quam decet. Qui etiam ratione diversorum munerum quæ obierunt, sæpius jurarunt in Academia, in Ecclesia & Republica, tanto magis & sollicitius se debent ad fidem hanc servandam excitare. Hi præcipue, qui temporibus servientes ter aut etiam amplius Christum negarunt.

Quis fidelis Minister.

Quod amorem Christi fontem fidelis & assidui ministerii designat, eo *docemur*, non esse fidele & Deo acceptum ministerium, ad quod quis Dei amore non fertur; neque fidelem Ministrum, nisi quem Christi amor constringit. Hinc est quod Paulus dicat se amore Dei commotum in Ministerio pro insulso aut insano habitum, 2 *Cor.* 5, 13. Hic igitur quisque cum animo suo agat ut Dei amorem alte animo suo insculptum gerat, sine quo nihil unquam præclari geret, præsertim quod illi usui sit.

De expositione verborum, *diligis me plus his*, vide in annotationibus adversus *Iesuitas*.

Unde Petrus præ cæteris amet Christum.

Atque unde illud quod dicitur Petrum plus Christum amasse cæteris omnibus? An aliunde quam quod plus peccavit omnibus? ut hic gloriæ argumentum non sit. Neque sequitur eos semper ad Ministerium maxime idoneos esse, qui plus cæteris amant. Nec enim Maria Magdalena, quod plus Simone Pharisæo amavit, aptior erat ad Ministerium, nedum ad Principatum in ministerio. Neque in viris, qui plus amat, ad ministerium semper aptior est. Atque ut amans supra alios par aliis sit in donis Ministerii, tamen non inde sequitur præponendum aliis. Nam si qui alios donis ad ministerium obeundum propriis excellunt, non idcirco suis sociis quos superant præponuntur: nedum præstantia donorum, quæ communia sunt, in ministerio principatum obtineat.

Quæstiones Petro propositæ nobis etiam proponuntur.

Hoc toties à singulis percunctatur, quoties ad illa opera & officia nos vocat, quæ non sine aliqua jactura aut famæ aut amicorum præstare possumus: quæ si facere renuimus toties etiam Christo respondemus nos Christum non amare. Atque si in minimorum amissione & jactura hoc re & actu respondemus, quid responsuros censemus, cum illud à nobis officii exiget, quod non sine bonorum, liberorum & propriæ vitæ dispendio expleri & exhauriri potest?

Atque hactenus de Christi quæstionibus: sequitur & de Petri responsionibus dicamus.

Ista erga Deum charitas requiritur, quæ Deo se probet.

In primo & secundo Petri responso, sicut etiam in tertio *observandum* est, eam oportere ostendi amoris sinceritatem & veritatem, quæ se Deo & Christo omnium inspectori, non hominibus probet: quæ non tantum apud hominum tribunal, sed ipsius ad Dei solium se sistat, parata ejus sententiam & examen subire. Homines enim faciem & externa tantum respiciunt: cum Deus cor ipsum & renes perscrutetur. Vide 1 *Thess.* 2, 4, 5. Sic etiam Samuel probat se populo, 1 *Sam.* 12. alioqui enim est ὀφθαλμοδουλεία. Adversus illos qui abunde se probos Ministros putant, si legibus quantumvis mancis & claudis satisfaciunt: cum ne hoc quidem satis sit si piis ipsis & legibus à Deo præscriptis usque eo satisfaciant, ut ab hominibus coargui & convinci nequeant. Vide quomodo Paulus 1 *Cor.* 4. pro minimo ducit ab hominibus damnari: eoque perinde leve est & parvi momenti, si ab hominibus absolvamur. Nec tamen hominum approbatio aspernanda est. Vide 1 *Thess.* 2, 5. item 1 *Sam.* 12. *Rom.* 12, 17. 2 *Cor.* 8, 21. Adversus eos qui profitentur se non curare quid homines de se aut loquantur aut sentiant. Cum reputandum illis esset, quam formidabili Dei judicio obruentur, cum judicium hominum ferre nequeunt. Hoc etiam ad omnes homines transferendum est, utpote quod Abrahæ mandatur, ut coram Deo sincere & & integre converssetur. *Gen.* 17, 11.

Petri interrogationem Christi ægre ferentis reprehensio.

In Petri responso tertio notanda veniunt Euangelistæ verba, quibus affectum ejus & animum subindicat, quod scilicet ægre tulit toties de amore suo interrogari, ab eo præsertim cui intus & in cute cognitus est, maxime cum sibi sui erga Christum amoris probe conscius esset. In quo peccasse Petrum quis dubitet? idque graviter, ut qui Christum Patris sapientiam imprudentiæ aut incogitantiæ tacitus insimularit. Caven-

dum igitur nobis ne hujus temeritatis arguamur, cujus plane rei sumus, quoties ad amoris nostri testimonia vel graviore aliquo opere aut perpessione vocati illud detrectamus. Arbitramur enim Deum satis superque nostræ obedientiæ & obsequii periculum fecisse, si semel atque iterum testimonium veritati aliquo damno aut labore nostro perhibuisse visi sumus: cum tanto magis gaudendum nobis erat, quanto aut sæpius aut majore cum labore & periculo adhibemur. *Iacobi* 1, *vers.* 2. Sic enim δόκιμοι futuri sumus, & tanto magis apud Deum & Angelos honorati, quanto plura stigmata & vulnera Christi causa gestamus: sicut militis gloria est, si multas cicatrices ostentare possit in bello acceptas.

Atque de *priore parte* hactenus. Sequitur ut dicamus de amoris argumentis.

Amor erga Christum Ecclesiæ bono declarandus.

Vbi primo *notandum* quod nostrum in Christum amorem effectis & officiis in Ecclesiæ bonum redundantibus declarari postulat. Nec enim bonum nostrum ad Deum pertingit. *Psal.* 16. *Prov.* 9, 12. *si sapis, tibi sapis: si impie feceris, tu damnum feres. Iobi* 35, 5, 6, 7, 8. Nec enim ut mortali, Deo prodesse potes. Cum autem amorem ministrorum pascendo testatum fieri postulet, eo docet, nihil illum facere, nec Christum vel gry quidem amare, qui non pascit gregem sibi commissum, etiamsi omnia bona pauperibus distrahat, assiduus sit precibus, & corpus combustioni pro Christo tradat: nedum si in his rebus occupetur, quæ ministerii non sunt; ut cum quis Magistratum gerat, legationem obeat, consiliarii locum impleat. Quod non tantum adversus idola nostra, sed etiam adversus illos, qui donis ad prædicandum instructi alio respiciunt, dictum putemus.

Stimulus ministris additus à Christo.

Stimulum addit Ministris, quod *suas oves* & *suos agnos* vocet, pretio longe maximo emptos & redemtos, non auro, &c. Sed pretioso sanguine. Eoque rationem ab illis repetendam. Nam si mortales suorum gregum & singulorum in grege rationem reposcunt: nedum Christus de ovibus suis quæ aureis velleribus induuntur. *Gen.* 31, 39.

Vers. 18. *Veritas etiam sanguine defendenda.*

Alterum argumentum amoris est, ut pro veritatis defensione resistat ad sanguinem usque, siquidem eo vocetur: veram enim & sinceram verbi prædicationem sequitur persequutio, & ejus sigillum est. 2 *Timoth.* 2, 3. 2 *Cor.* 12, 12. *Matth.* 10, 16. *mitto vos tanquam agnos inter lupos.* Hic fiat comparatio cum pastoribus ovium, ex *Gen.* 31, 40. quomodo æstum & frigus tolerare soleant, item *Luc.* 2, 8. præterea periculorum consideratio habeatur ex leonibus & ursis, ut liquet in exemplo Davidis 1 *Sam.* 17, 34. ut appareat non esse bonum & fidelem Dei Ministrum ubi nihil turbinum contra Ministerium ejus excitetur. Sed cum turbæ oriuntur, mala etiam perpeti convenit: alioqui pro mercenario habebitur. *Iohan.* 10, 12.

Petri mors violenta.

Tu quidem olim te cingebas, sed nunc extentis manibus his (ut in pueris fieri solet, cum à pedissequis accinguntur) alius te cinget. Olim proficiscebaris; nunc autem transfereris: olim quo volebas incedebas, nunc autem quo nolles deportaberis. Quod dixit ut violentam Petri mortem indicaret, non autem, ut *Pontificii*, genus mortis, crucis videlicet. Nam loquitur de illa extensione manuum, quæ vincula, nedum mortem præcedit: ubi & illud *observandum*, homines minus ad se regendum & sibi imperandum instructos seipsos tamen regere: tum autem cum & ætate & Spiritus Sancti veneranda canitie ad sibi temperandum & moderandum aptiores & magis idonei sunt ab aliis regi: ut Salomonis querelam hic renovare detur, *vidi servos equitantes & Dominos pedites. Eccles.* 10, 7. Sic parva declinatione queri licet: vidi servos liberos, & libertate donatos in servitutem & captivitatem redactos: ut nos non tædeat ab hominibus insanissimis regi & gubernari, quantacumque sapientia præditi simus.

Vers. 19. *Adversus eam consolatio.*

Hanc mortis asperitatem mitigat insigni consolatione, quod Deum hac violenta morte glorificaturus erat. Sic Christus *Iohan. cap.* 17. *Pater, glorifica filium tuum.* Vnde etiam mortem suam exaltationem vocat. Quanti enim ducitur pro Rege, pro patria in bello oppetere? nedum pro Deo magnum ducitur: si quis Regis Athleta sit, qui pro Regni & Regis jure depugnet, multum est: quanti ergo ducendum, munus hoc Deo ipsi obire?

Christum relictis omnibus sequi oportet.

Quod dicit, *sequere me*, id refertur ad iter quod cum Christo ingressurus esset relictis retibus, piscibus, &c. Vt videatur *tertium argumentum* esse, quo amorem suum erga Christum comprobare imperatur, ut stultum sit ad genus mortis, qua Christo conformabatur, referre. Perinde ac si diceret, olim amoris erga me tui argumentum edes violenta quam subibis morte; nunc autem

tem quo & certior de omnibus fias, quæ tuum Ministerium continent, & ut specimen edas tui erga me amoris, volo ut his relictis me in itinere sequaris.

IOH. *cap.* 21, *à vers.* 20, *ad* 25.

20 Conversus Petrus cernit illum discipulum quem diligebat IESVS, sequentem, qui & recubuerat in cœna illa super pectus ejus, & dixerat; Domine, quis est ille qui te prodit?

21 Hunc ergo quum vidisset Petrus, dicit IESV; Domine, hic autem quid?

22 Dicit ei IESVS; Si velim eum manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23 Exiit ergo sermo iste inter fratres, discipulum illum non moriturum: sed non dixerat ei IESVS; Non morietur: sed; Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?

24 Hic est discipulus ille qui de his testatur, & hæc scripsit: & scimus firmum esse testimonium ejus.

PRAXIS.

SVmma, De Iohannis morte, & Ministerio in hujus libri scriptione.

Partes sunt de Ioannis { Morte. / Ministerio in hujus libri scriptione.

IOHAN. vers. 20, 21. *Occasio quæstionis à Petro propositæ.* Petrus ex Christi mandato ipsum præeuntem sequens, & se viæ dans, strepitum pedum se insequentium audiens respectavit, ut quis esset, qui injussu Christi eum sequeretur, intelligeret. Intellexit autem esse Ioannem, discipulum scilicet quem Christus singulari amore complexus arguitur, quod usque eo suam erga illum interiorem cum factis tum dictis benevolentiam communicavit, ut illa fretus auderet cum in Christi pectus in cœna recubare, tum vero etiam de ea re eum percunctari, quam neque cæteris discipulis communicavit, neque reliqui eum ea de re interrogare poterant. Cum autem reputaret secum, Iohannem intime & mire diligi, cui nulla violenta mors denunciata erat, subiit animum ejus suspicio, an ex amore hæc prædictio profecta fuit, aut si ex amore illa fluxit, videri tamen non tam ferventis erga se amoris, quandoquidem Ioannem, quem unice dilectum noverat, in societatem hujus gloriæ accipiendum minime prædixerat.

In qua depravata hominis natura elucet. Hic *docetur* depravata hominis natura, quæ moras nectit & impedimenta accersit quando iter ingrediendum & stadium decurrendum est. In impedimentis hoc unum est, quod nostrum Deo obsequium aliorum obsequio definitur & suspensum tenetur. *Gen.* 42, 1. & *Iudic.* 5, 16. Perinde ac si servi erga Dominum officia à voluntate & studio conservi penderent, quod indignum est; atque si re deliberata & indubitata in eam sententiam discedatur ut à cultu abstineamus & ab officio deficiamus, quid aliud est quam adversus Deum & dominum conjuratio? Contra fieri oportet *Phil.* 2, 3. *Psalm.* 119, 60. & *Esai.* 8, *vers.* 12. *Iacob.* 5, 9. Vbi hic ipse Petri affectus reprehenditur. Imo vero contra fit in servis hominum, qui quodammodo lætantur si conservi officia debita detrectent, ut suum ipsorum obsequium illustrius reddant.

Hinc etiam *liquet* parum firmum esse quod asserunt *Pontificii* de Christi præcipuo amore in Petrum supra alios omnes Apostolos: quandoquidem Petrus ipse suspicetur Ioannem illi in amore prælatum esse etiam tum, cum Christus illi infinitam, quam fabulantur, potestatem indulserat. Pontificii *refutati.*

De amore Christi erga Ioannem vel de amicitia potius quam cum illo inire Deus ipse dignatur, vide prius ad *cap.* 16, *vers.* 23, 24.

Christi responsum autoritatem sibi debitam asserit & Petrum perstringit, quod oblitus proprii officii in aliorum conditionem, quæ nihil ad eum attineret, curiosius inquirebat. Et primum quidem *docet* satis nobis esse oportere ad exequenda obsequia quæ nobis imperantur, quod Christus illa à nobis fieri velit. Si enim mortalibus concessum sit illud in servos imperium, ut quid faciant præscribant heri, nedum Christo hoc convenit magis. Vide 1 *Tim.* 2, 1. *Rom.* 12, 1. Vers. 22. *Christi autoritas,*

Deinde illud etiam *discimus* licere Domino, dummodo ipse velit, de servorum suo- *Et jus de morte suo-*

rum dispensandi. suorum morte, quos intime complectitur, diversissime & pæne contrarie decernere. Impediri quidem suo consilio & decreto ne quem ad vitam cœlestem intromittat, nisi per ignem afflictionum transeat; sed genus afflictionis liberrimum esse; fierique quandoque ut plura pro veritate subeant, qui martyrio non devoventur, quam qui mortem pro veritate obeunt: quam autem potissimum mortis speciem Deus cuique præstituit, illud nostra non interesse. Eoque Petro iterum imperat ut eum in via sequeretur, ut qui iter suum aliquantisper abrupisset respectatione ad Iohannem.

Vers. 23. *In Apostolorum errore notanda.* Hic *videmus*, quam proclive est hominibus etiam piis, atque adeo ipsi Ecclesiæ (nomine enim fratrum designatur Ecclesia) in proposita veritate aberrare, quum in multis Apostoli ipsi stupidi erant, nihil eorum quæ apertissime dicebantur percipientes. Vide supra. Hic autem in re omnium tristissima quomodo inopia attentionis hallucinantur? Quod nos primum admonet ut nos ad auditum verbi probe comparemus precibus & invocatione nominis divini.

Deinde etiam & illud *observatur*, non impios semper judicandos, qui secus de Ministris loquuntur, quam ipsi merentur.

Præterea Ecclesiam ipsam posse errare, atque de ipsius Christi verbis secus, quam oportet, judicare: nedum ut illius verbi semper fideles Iudices sint.

Præterea hoc factum sine Christi aliqua culpa, qui planissime loquutus est.

Denique *Pontificiorum* translatio hic refellitur, qui hunc errorem Ecclesiæ tuentur.

MATTH. *cap.* 28, *à vers.* 16, *ad finem capitis.*

16 Vndecim autem illi discipuli profecti sunt in Galilæam in montem ubi constituerat eis IESVS.

17 Et quum vidissent eum, adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt.

18 Et quum accessisset ad eos *IESVS, loquutus est eis, dicens; Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:*

19 Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.

20 Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis: & ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, Amen.

PRAXIS.

S*umma*, Christus ex condicto, in monte Galilææ ab undecim repertus & adoratus, eosdem amplissima in universum mundum legatione pro summa autoritate & jure suo instruit & confirmat.

Partes sunt de undecim discipulis { Christum ad montem Galilææ adorantibus. Ad Apostolatū totius mundi summa cum autoritate instructis & confirmatis.

MATTH. 16. *In Christi in Galilæam profectione, & Discipulorum consecutione* Christus *Marc.* 14. prædixerat se præiturum discipulis in Galilæam & ibi se ostensurum: unde & Angelus *Matth.* 28. Christum quærentibus fœminis mandavit ut discipulis de Christi in Galilæam profectione renunciarent: locus vero peculiaris ubi se videndum illis præberet, tametsi expressus non sit, condictum tamen & à Christo præstitutum fuisse hoc Euangelistæ testimonio constat. Cujus quidem profectionis in Galilæam causa fuit non tam fastidium Hierosolymorum & Iudææ, quam quod plerique omnes discipuli Christi Galilæi essent & in illis Regionis partibus hærerent. Vt igitur suam illis resurrectionem testatam faceret, illuc se contulit. Omninoque verosimile fit, ibi demum Christum à plus quam quingentis fratribus visum esse, ut Paulus testatur 1 *Cor.* 15, 6.

Hic igitur *notetur* officium Pastoris, qui præit ovibus suis ut *Matth.* 26, 32. istinc ovium, quæ eum sequuntur. Et quidem in Christo Iesu tametsi mortali, singulare exemplum existit Pastoris ad oves suas se recipientis & illa loca sectantis, ubi ipsæ degebant, eoque ipso locorum celebritatem & nobilitatem prætereuntis; adversus Pastores vel lupos potius, qui locorum celebritatem & nobilitatem captantes suos greges in obscuris & ignobilibus pagis agentes deserunt. *Officia Pastoris & ovium notanda.*

Quod Christum conspicantes, ilico proni & ad terram strati eum adorarunt, suum in fide Filii Dei profectum indicant & singularem erga eum reverentiam, qua non, ut Vers. 17. *Discipulorum in fide profectus,*

Maria

Maria olim, accurrunt & genua illius amplexantur, sed qua procidentes illum immortalem quidem, sed nondum glorificatum cultu divino justo & debito prosequuntur. Quo nostræ fidei tarditatem & nutationem coarguunt, qui gloria & honore redimitum religiosius & ferventius non adoramus.

& dubitatio:

Vbi quod quosdam restitantes Christum veneratos legimus, singularem consolationem habet, quod veneratio Christi censetur quæ cum aliqua hæsitatione exhibita est. Verum quidem est cultum repudiari, qui non est ex fide; fidem etiam à Deo rejici, quæ instar fluctus maris huc illuc incertis sedibus fertur: sed illa demum fluctuatio Deo exosa est, quæ ab animo duplici & simulato proficiscitur, non illa quæ ex graviore aliqua tentatione, quacum pii luctantur, proficiscitur.

Quæ cum cultu Dei quatenus consistere possit.

Omnis igitur dubitatio irritum Dei cultum non reddit, sed quæ ex sedato & tranquillo animo, tanquam ex habitu, profluit: cum fluctuatio, quæ ex graviori tentationis tempestate subito nascitur, in ipsos Dei fideles cadat. Calamum enim quassatum Deus non confringet, linum fumans non exstinguet. Quemadmodum filius ingenuus non propterea esse desinit, aut conjux mariti sui peramans, si gravius accenso & inflammato durioribus aut verbis aut verberibus cum alterutro agat: sed si rebus placidis & sereno parentis vultu de parentis tamen in se voluntate dubitaverit, se spurii potius spiritum quam germani filii gerere demonstrat. Quamobrem ne dubitemus Patrem vel tum invocare, cum propter iræ divinæ aperta signa de ejus in nobis exaudiendis voluntate subdubitamus.

Infidelitatis deponendæ difficultas.

Hic denuo comperimus quam arduum & difficile sit istas infidelitatis fibras in intimis animorum penetralibus tam alte defixas radicitus evellere; ut sciamus strenuam operam navare nos oportere.

Atque hæc de *priore parte*. Sequitur *altera*.

Vers. 18. *Deus adest ipsum invocantibus.*

Christus propius illos accedit; ut, qui procul dissiti illum non tam distincte internoscere potuerant, propius admotum clarius cernere & discernere poterant. Sic re compertum est Deum prope esse illum colentibus & invocantibus.

In ista autem Apostolorum legatione duo spectantur. *Prius* est de Christi autoritate & potentia, qua fretus undecim Apostolis tam amplam & augustam legationem demandavit. *Alterum* de ipsa Apostolorum legatione.

Christi ad creandos Apostolos autoritas.

In priore primum suam ad eos creandos autoritatem proponit. Cum enim cœli & terræ imperium acceperit à Patre tanquam mundi heres, dubiumne esse possit quin autoritate instructus sit omnes nationes, quæ terræ superficiem incolunt ad regni cœlestis participationem vocandi? Quod autem præcipuum hoc loco, est quo argumento illis animum addit munus impositum obeundi, quod illorum labores irriti futuri non sint: quod quidem illativa nota οὖν versus sequentis plenius declaratur.

Hic *notandum* istam ad ministerium Apostolorum restitutionem, tanquam sigillum remissionis peccatorum adhiberi. 1 *Tim*.1,12. *qui me fidelem judicavit, & in ministerium adscivit.*

In legatione duo imperantur, { *Prius*, quid faciendum erga alienos à Deo. *Posterius*, erga adscitos in familiam Ecclesiæ. }

Quid sit creare discipulos.

Primum jubentur discipulos creare, quod fit fide in Christum: eoque semel atque iterum dicitur, numero discipulorum additos fuisse tot, postquam promulgato Euangelio crediderunt. Discipulos autem creare idem est, quod post in *Actis* docetur, atque Christianos reddere. Hinc est quod *Iohan*.4,1. discipulos creare distinguatur à discipulorum baptizatione.

Hic est amplus dicendi locus adversus *Pontificios* & ignaros Euangelicos, qui Christianum non agnoscunt nisi prius baptizatum. Vide *Act*.10,47.

Discrimen inter Apostolos, Pastores & Doctores.

Hic *notatur* discrimen inter Apostolos & Pastores & Doctores. Nam Apostoli discipulos gignunt; Episcopi genitos nutriunt & alunt. Vide 1 *Cor*.2,15. Nam tametsi multos gignunt Pastores, tamen hoc illis adventitium est, quod scilicet alieni à fide conciones eorum accedant, aut adire à Magistratu cogantur.

Formulæ Baptismi explicatio.

Hic *quærendum*, quid sit, *Baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti*: est autem baptismus hic solennis tessera & sigillum, quo credentes & credentium liberos in communionem & societatem unius veri Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti adscitos & adscriptos esse testatum relinquitur. Nam cum baptismus nostram cum Christo, quem induimus, unitatem obsignet, Christusque unius cum Patre & Spiritu Sancto sit essentiæ, sequitur baptismo nos in Deum ipsum

insitos & adscitos esse, declarari. Plus igitur ἐνεργείας habet cum dicimus *baptizari in nomen* quam *in nomine*, *&c.* Cum hoc posterius nos autoritate & jussu Trinitatis baptizari significet potius, quam ut cum illis personis fide in Christum in unum coalescamus. Sic olim baptizabantur in Mosem, id est, Christum quem Moses referebat. 1 *Corinth.*10,2. Baptismus igitur nos commonefacit ne ulli rei innitamur aut confidamus præterquam Deo, sed illi uni tanquam clypeo & parmæ fidere; ne nos etiam ab ejus cultu & obsequio subducamus, cui uni sacri & devoti sumus. Deinde nos adversus omnes tempestates confirmat, à quibus labefactari aut concuti nequimus quamdiu nostram cum Deo unitatem tuemur.

S. S. Trinitas probata. Hic *observandum* est liquidissimum testimonium S. S. Trinitatis.

Vers. 19. Alterum officium erga adscitos in Ecclesiam, ut doceantur ea facere, quæ Deus præcipit Apostolis: ut scilicet vitam dignam professione filiorum Dei transigant. Sicut qui in familiam aliquam aut societatem allegantur, ilico instituuntur in illius domus aut πολιτείας legibus. Atqui hæc ab omnibus neglectui habentur fere, utpote qui in nudo baptismo acquiescunt & ejus sub umbra se adversus omnes æstus tutos esse putent. Vide 1 *Cor.*10. *Officium Apostolorũ erga adscitos in Ecclesiam.*

Hic etiam cavet Christus adversus traditiones & inventa hominum.

Sed quia ex hac cum doctrina Ministrorum, tum Ecclesiæ praxi discrimen & periculum oritur, ideo adjungit Christus, se, utcumque corpore absentem, Spiritu tamen præsentem fore, ut illis omnia suppeditet quorum opus habent. Atque dummodo ille adsit, quid nostra refert, qui nobis adversarii existant? *Vers. 20. Christi promissio consolatoria.*

MARC. *cap.16, à vers. 16, ad 19.*

16 *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

17 *Signa autem eos qui crediderint, hæc consequentur, Per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:*

18 *Serpentes tollent: & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: ægrotis manus imponent, & bene habebunt.*

PRAXIS.

SVmma, Fructus prædicationis Euangelii per Apostolos ordinarius & extraordinarius.

Ordinarius item *duplex,*
- Credentium & suam fidem baptismi signaculo testantium salus.
- Incredulorum condemnatio.

Vers. 16. *Stimulus auditoribus Euangelii additus.* Ministros Ecclesiæ cum confirmasset in munere prædicationis, dum se illis debite Euangelium promulgantibus affuturum pollicetur; stimulos etiam adjicit eorum auditoribus, qui ad fidem & obsequium adducuntur; tametsi etiam Ministri diligentiam acuat quod sciat se animas servare & multitudinem peccatorum operire. *Ioan.* 5.*ult.* Docet enim operam & oleum non perdituros, qui illos audiunt, dummodo auditis fidem adjungant; utpote qui salutem consequentur, hic quidem inchoatam, in seculo vero futuro absolvendam.

Omnes homines in se perditi. *Ex quo* illud *liquet:* Omnes homines in se perditos & damnatos esse, & in tenebris & umbra mortis desidere, quoad Deus illis Euangelii prædicatione affulgeat; vinctos esse in carcere *Luc.*4,18. non absimili illi, in quem Ieremias *Ierem.*38. demersus erat, ubi ita hærebat, ut non nisi funibus extrahi potuerit: atque adeo in ipsis diaboli faucibus & inferorum gurgite *Coloss.*1,13. ut vere hic affirmari possit, nos ne unius quidem pedis intervallo ab inferis distare. Quotusquisque est qui hoc secum reputat se perditum esse filium?

Sed illud etiam non minus nobis commentandum est, non alio quoquam pacto nos extrahi & expediri posse ex his malis, nisi Euangelii prædicatione. *Rom.*1,16. *est potentia Dei ad salutem:* est *semen* quo renascimur: 1 *Petr.*1,23. *gladius Spiritus Ephes.* 6,17. quo vetus homo conficitur: est *verbum vitæ: quomodo credent nisi audierint? Rom.*10,14. Hoc major est hominum stupor, qui existimant se facile posse cum Deo transigere: satis esse si semel atque iterum audiverunt; se facile percipere & retinere posse quod ad vitam sufficiat, ut ordinario ministerio destituantur. Cum vocati ad Euangelium *Qui non aliter quam per Euangelium servari possunt.*

lium plus opus habeant Ministerio verbi quam prius, quod Leo tum rugiat, qui quietus erat quamdiu in tenebris versabamur.

Cujus auditores tamen non omnes servantur. Tertium est, non continuo salvos fieri, qui Euangelium audiunt; sed nec qui illud libenter audiunt, & intelligunt, ut terra petrea; imo vero ne hi quidem, qui aliquod obsequium præstant, ut terra spinosa; sed qui credunt. Sermo enim non prodest nisi admixtus fide *Hebr.* 4, 1. quæ quidem *fides non est omnium* 2 *Thess.* 3,2. Hic igitur plerique sibi egregie imponunt, dum, &c. Docet autem Christus his verbis quomodo discipuli seu Christiani creantur.

Utrum baptismus ad salutem necessarius. Sed illud duriusculum videtur, quod Baptismum adjungit tanquam ad salutem adipiscendam necessarium, cum tamen ante docuimus, & ex his colligitur, fide nos Christianos fieri: hoc autem ideo subnectit, quod plerique, Iudæi præsertim, à baptismo tanquam re nova abhorrebant. Deinde addit baptismum tanquam sigillum, quo fides obsignatur, non quo salus perficitur. Nam cum Abrahamus plene justificatus sit antequam circumcisus esset. *Rom.*4. quid ni & Christiani fiant antequam baptizati sunt. Huc etiam spectat, quod subjungit damnandum esse, qui non crediderit, non autem eum qui baptizatus non sit.

Anabaptistæ *refutati;* Hic etiam error *Anabaptistarum* est refellendus, qui hinc astruunt neminem baptizandum, qui non prius crediderit.

Verbum Dei infidelibus odor mortis ad mortem. Alter fructus prædicationis infidelium condemnatio. *Sermo enim Dei efficax penetrantior bipenni gladio Hebr.*4,12. item 2 *Cor.*2,16. *odor mortis ad mortem.* Atqui, inquit aliquis, absque verbi prædicatione perditi & damnati prius dicuntur. Sed gravius judicium hoc modo sibi accersunt. *Matth.* 11,21. *Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaida.* observetur quod est *Iohan.*12,48.

Sequitur *pars altera* de fructu extraordinario. Cujus quidem finis aut effectus indicatur post *vers.*20. *Hebr.*2,3,4. Hoc modo enim cum Apostoli, qui prædicarunt, tum fideles, qui credebant certi fuerunt illam fuisse veritatem, quam amplectebantur: mirus aculeus est cum ad persequendam, tum vero etiam ad retinendam Euangelii doctrinam, quod sciamus eam certissimam & germanam Dei doctrinam esse. 2 *Petr.*1,16,17, 18. his enim signis Deus ipse veluti de cœlo testimonium perhibet veritati suæ & veluti totidem ei sigilla apponit. Atque ut eadem dona jam non dentur, tamen alia comitantur Euangelii prædicationem, quibus non minus certi reddimur, quam si illa adhuc darentur. Vide 2 *Pet.*1,16,17,18. item 1 *Thess.* 2,13. Quid, quod linguæ, scientiæ, ingenuæ & liberales artes Euangelii adventu aut excogitatæ, aut excultæ sint. Vers. 17. *Dona extraordinaria nostris temporibus cessant.*

Hic etiam *Pontificii* taxantur, qui putant hæc ordinarie Euangelii prædicationem sequi, eoque præ se ferunt ejectionem dæmoniorum. Quod si hoc faciant, cur non etiam linguis loquuntur eorum rudes & idiotæ sacrificuli; quare est Monachus ille mortuus, qui Ioanni regi Anglorum cyathum veneni propinavit? &c. Singulos fideles ista omnia dona hæc non esse subsequuta, vide *Ioel.*2,28. *juvenes vestri visiones videbunt, senes somnia somniabunt, &c.* item 1 *Cor.*12,28. *non omnes, &c.* sed indefinite dicit fideles hæc subsequutura dona, quia ad singulorum commodum & ædificationem hæc collata sunt. Pontificiorum *miracula elusa.*

LUC. *cap.*24, *à vers.* 44, *ad* 50.

44 Dixitque eis: Hi sunt sermones quos loquutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.

45 Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas.

46 Et dixit eis; Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere ex mortuis tertio die.

47 Et prædicari ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes Gentes, incipiendo ab urbe Hierosolymorum.

48 Vos autem estis horum testes.

49 Et ecce, ego emittam promissum Patris mei in vos: vos autem residete Hierosolymis usquequo induamini virtute ex alto.

PRA-

PRAXIS.

SVmma, Christus ad Apostolorum hæsitantium confirmationem, passionis & resurrectionis suæ necessitatem & fructum proponens, undecim ad munus Apostolicum munit instruitque.

Partes sunt,
- Ad dubitantium Apostolorum confirmationem de passionis & resurrectionis Christi necessitate & fructu informatio.
- Vndecim ad munus Apostolicum communitio.

In *priore* docentur de passionis & resurrectionis Christi
- Necessitate.
- Fructu.

Quorum in *priore* informatio *duplex* est,
- *Hæc* externa, vocis videlicet Christi.
- *Illa* interna, Spiritus videlicet.

Vers. 44. *Causa infidelitatis Scripturæ ignoratio.* Sensus est, mirum est vos de hac re tantopere dubitare, cum nihil mihi in his acciderit quod non prædixerim fore, idque ex Scripturarum omnium testimonio, cum in lege tum in Prophetis, maxime vero Psalmis, ut qui ex omnibus Prophetarum scriptis mysterium hoc passionis & resurrectionis meæ planissime proponunt. Hic *videmus* causam infidelitatis & hæsitantiæ nostræ non aliunde provenire, quam quod quæ in sacris Scripturis comprehensa tenentur, parum à nobis solide degustata & percepta sunt, eoque ipso adversus infidelitatem nostram Scripturarum meditationem veluti antidotum adhibendum esse, & facem Scripturarum nobis præferendam esse, cujus luce illustretur, via alioqui obscura & tenebricosa quarum luce destituti ad quemque passum impingimus, & in rebus alioqui certissimis turpiter hallucinamur.

Dogmata fidei Scripturæ autoritate confirmanda. Vbi & illud *animadversione dignum* est, Christum, ut fidem doctrinæ suæ faceret & majus pondus verbis suis adderet, Scripturarum testimonio niti. Merito quidem periissent discipuli, si in Christi nudis verbis & pura affirmatione non acquievissent. Sed Christus magnum hoc in Scripturæ autoritate fidei præsidium non neglexit: ut plane in Ecclesia ferendi non sint, qui nudis suis aut dictis, aut ratiunculis alios acquiescere volunt; cum Scripturarum testimoniis non muniantur. In quo genere tamen plerique reperiuntur, nominatim doctores Parisienses, qui *Magistri nostri* nominantur.

S. Scripturæ partitio. Sicut *vers.* 27. Sic etiam hoc loco totum corpus veteris Scripturæ in duo membra partitur, Mosen & Prophetas; hoc tantum discriminis est, quod Psalmos hic à Prophetis disjunxit, & quasi membrum divisionis ex se constituere videtur: sed res non ita est: nam Psalmi Prophetarum titulo comprehenduntur, quandoquidem Prophetæ erant, qui illos scripserunt: illud tantum indicat, omnes quidem Prophetas de Christi passione & resurrectione testari, sed præcipua quadam ratione Psalmos: ut qui hoc mysterium redemptionis nostræ apertissime & liquidissime prædicant. Quamobrem hoc encomio libri Psalmorum, libellus ille nobis commendatissimus esse debet, ut in illis ediscendis & excutiendis diligentiam & assiduitatem adhibeamus. Vnica enim hæc Servatoris nostri sententia liber hic commendatior existit, quam omnibus omnium præfationibus & præconiis quibuscumque.

Humanæ naturæ perversitas exoptata repudiantis. Neque prætereundum est Apostolos non minus in resurrectionis fide tardos fuisse, cujus tamen resurrectionis percupidi erant, quam in doctrina de passione Christi, a qua tantopere abhorrebant & quam vel audire aversabantur. Existimarit aliquis eos adeo promptos & paratos ire ad imbibendam de resurrectionis doctrina fidem, ut non prius annunciaretur quam ab illis avide arriperetur. Quamobrem hic animadvertere licet perversitatem humanæ naturæ, quæ in cœlestibus rebus repudiat, quæ avide expetit. Et quidem in rebus terrenis ita comparati sumus, ut quod valde cupimus, facile & præpropere credamus: in rebus autem futuri sæculi natura proclives sumus ut ominosa & infausta ilico arripiamus, læta & fausta non perinde facile & cito hauriamus. Et quidem de externa vocis informatione hactenus: sequitur interna Spiritus.

Vers. 45. *Externa prædicatio sine interna illuminatione inefficax.* Christus discipulorum aures externa voce verberans, Spiritu suo internas mentis aures perforat; sine quo externas aures perforare non solum inutile, sed etiam noxium foret. Mentes autem illorum aperit pro mensura propriæ glorificationis. Tametsi enim nondum ascenderat in cœlum; tamen quia glorificationis suæ in resurrectione jacta sunt fundamenta, Spiritum suum pro modulo glorificationis suæ communicat. Quo facto clarissimum testimonium edidit Deitatis suæ & resurrectionis, de qua hærebant Apostoli. Vide an hæc mentium apertio sit eadem illa, quam Iohannes *cap.* 20, 22. meminit.

nit. Hinc *docemur*, nullam cujusque doctoris esse seu notitiam rerum cœlestium, seu facultatem dicendi, seu sanctimoniam, seu denique quicquid est, quod in Ecclesiæ doctore exoptari possit, quod non tantum nobis non prosit, sed vel non obsit etiam, nisi dona illa Deus Spiritu suo fæcundaverit & fructuosa reddiderit. Cum enim Servatoris Christi dona & ad docendum *ἱκανότης* perfectissima hominibus non commodent, nisi à Spiritu Sancto irrigentur, & perpluantur næ nos ipsos fallemus, si ab aliorum doctrina fructum & messem sine Spiritus operatione præstolemur. Quemadmodum enim nullius periti coloni opera & solertia segetes lætæ proveniunt, nisi cœlitus demisso rore & pluvia, sic etiam, &c.

Simul etiam & illud *notandum* est Scripturæ enucleatione & explicatione Spiritum Sanctum fidelibus dari. Vide *Actor. cap.* 10, *vers.* 44.

Notandum etiam non tantum cæcos & infideles mysteria regni non percipere sine Spiritus operatione; sed ne pios quidem ipsos, quantumvis Spiritu Sancto imbutos, eoque opus habere Dei Spiritum suppliciter petere, nisi velint inanes à concionibus redire: quod ut hoc loco, sic etiam sæpe in Apostolis experti sumus: nam nisi adsit Spiritus, Scripturæ utcumque explicatæ veluti clausus & obsignatus liber sunt. Atque hactenus de necessitate Passionis & resurrectionis Christi: Sequitur fructus.

Priore *vers.* articulatim & sigillatim explicatus quod *vers.* 44. generatim & confuse dixit, causam indicat *vers.* insequente, cur hæc fieri & impleri oportebat: ac si diceret, hæc quidem impleri oportebat, quod Scriptura sic fore prædixit; sed graves causæ existunt cur hæc futura Scriptura prædixit; nempe ut pœnitentia & remissio peccatorum Christi causa, omnibus omnium regionum & linguarum nationibus annuncientur; ita tamen ut prædicationis illius initium sumatur ab Hierosolymis; non quod illius urbis cives aliis præstant, cum omnium nequissimi existant, sed cum ut Scriptura, quæ hoc prædixerat, impleatur, nec Dei fides, hominum perfidia irrita fiat: tum etiam ut Iudæorum rejectio Euangelium primum illis oblatum repudiantium justior existat. Quamobrem si vestro judicio alienum est, gentes omnes sine omni spe salutis penitus interire: hæc mea passio & resurrectio vobis nova & aliena videri non debet, sine qua omnes mortales in omne ævum periissent.

Vers. 46, 47. Fructus passionis Christi.

Hic *notemus* unicam esse viam ad salutem per pœnitentiam & remissionem peccatorum. Et quidem pœnitentiam, tametsi effectum remissionis peccatorum, remissioni præposuit, quia prædicatione ipsa, ut Christi verba declarant, non re & natura præcedit: oportet enim nos Dei misericordiam ex remissione peccatorum degustare, antequam vero & acri sensu scelerum & peccatorum nostrorum feriamur. *Notandum* etiam hæc beneficia non nisi per nomen Christi ad nos derivari; nec aliud esse nomen sub cœlo per quod oportet nos servari, nisi nomen Christi *Act.* 4, 12. Quibus verbis non merita tantum nostra, sed omnium aliorum opera excluduntur.

Vnica via salutis.

Neque prætereundum est, quod pœnitentiam & peccatorum remissionem conjunxit ut individuos comites; adversus quorundam doctorum & discipulorum perversitatem, qui aut pœnitentiam solam tonant, aut blandiora Euangelii promissa duntaxat expetunt. Atque de priore parte hactenus.

Pœnitentia & remissio peccatorum individui comites.

Sequitur *altera* de communitione undecim Apostolorum ad munus Apostolicum.

Docet qui sit finis tam diligentis & solicitæ institutionis discipulorum, ut de cruce & resurrectione Christi plene edocti & in utriusq; fide radicati & fundati, eas aliis proponant. Vbi illud primum *notandum* est: Ministros oportere de his rebus apud populum docere, quas perceptas & exploratas habent: unde Christus *Ioan.* 3, 11. *Quod scimus loquimur.* & *Psal.* 116, 10. *Credidi, propterea locutus sum.* 2 *Pet.* 1, 17. Quo etiam refertur, quod testes appellantur, quorum est nihil nisi quod certum & exploratum est proferre: tametsi enim testium nomen peculiari quadam ratione Apostolis conveniat, qui illa testati sunt tantum quæ audierunt, viderunt, contemplati sunt, atque adeo contrectarunt; tamen omnibus fidelibus Christi ministris usque eo competit, ut de sua quam tradunt doctrina certi sint. Testium etiam appellatio Ministros etiam admonet, ut fideles sint, nihil proferentes nisi quod acceperunt.

Vers. 48. Ministrorum est sibi cognita docere.

Ex illis Christi verbis de Euangelio in universum mundum promulgando, difficultas eorum mentes subintravit, quomodo tanto operi pares futuri essent, qui unam tantum linguam callerent & aliis Spiritus donis destituerentur, quorum fiducia & adminiculo munus illud obirent. Huic difficultati occurrit Christus, dum pollicetur

illos promissionem Patris accepturos, *Act.* 2, 17. ut virtute Spiritus Sancti cœlitus demissi induerentur.

Vers. 49. Ministrum oportet iis donis instructum esse, quibus alios docere possit.

Ex quo illud *liquet*: Non satis esse, si quis veritatem Euangelii certam & exploratam habet, nisi illis donis excultus sit, quibus alios etiam in cognita veritate commode instituat: ob eamque causam hujusmodi dona vestimentis assimulat, ac si nudum reputaret illum, qui illis destituatur. Scimus enim legatos principum vestium synthesin sibi traditam habere, qua legationis suæ aliquo usque fidem faciunt. Quo etiam refertur mandatum de Hierosolymis non prius relinquendis, quam istiusmodi donis instructi forent. Hoc adversus mutos & inidoneos Ministros vel maxime facit, quorum ea est impudentia, ut non tantum inornati prodeant, sed etiam vel tum de rebus sacris in se disserere suscipiunt, cum doctrinam certam & exploratam non habent. Hoc tamen interest inter Dei & Ecclesiæ vocationem, ut cum neuter ad Ministerium nisi idoneos extrudat, Deo tamen fas sit idiotas & inidoneos vocare, quos postea uno momento formet fingatque, cum Ecclesiæ non liceat nisi edoctos prius & instructos ad ministerium vocare.

LVC. *cap.* 24, *a vers.* 50, *ad finem capitis.*

50 *Eduxit autem eos foras ad Bethaniam usque: & sublatis manibus suis, benedixit eis.*

51 *Et factum est, ut dum ipse benediceret eis, disjunctus ab eis sursum ferretur in cœlum.*

52 *Ipsi autem adorato eo reversi sunt Hierosolymam cum gaudio magno.*

53 *Erantque omni* tempore *in templo, laudantes & benedicentes Deo. Amen.*

MARC. *cap.* 16, *à vers.* 19, *ad finem capitis.*

19 *Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis, sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dextram Dei.*

20 *Illi vero profecti prædicarunt ubique, Domino cooperante, & sermonem* eorum *confirmante per signa subsequentia.*

IOH. *cap.* 21, *vers.* 25.

25 *Sunt autem & alia multa quæ fecit IESVS, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Amen.*

PRAXIS.

S*Vmma*, Christi ascensu in cœlos & sessione ad dextram Dei descripta, cum Apostolorum, tum Christi acta summatim perstringuntur.

Partes sunt,
- Descriptio ascensus in cœlos & sessionis ad dextram Dei.
- Apostolorum & Christi actuum brevis comprehensio.

In *priori* dispiciendum, primum de
- Ascensu.
- Sessione ad dextram Dei.

Ascensus primo describitur à subjecto, loci unde migravit: qui notatur,
- Communior, ut Iudæa.
- Magis propius, ut Ager Bethaniæ.

Et quidem quod ad prius attinet duplici ratione à Christo factum videtur, ut cum
- Apostolos solum testes haberet.
- Veritatem corporis sui confirmaret.

Lvc. vers. 50. Cur solis Apostolis præsentibus Christus in cœlum ascenderit.

In priore *notandus* est ordo dispensationis divinæ, quod se certis quibusdam manifestat, quorum opera se aliis communicat: poterat eadem opera suum ascensum & ascensus aspectum cum multis millibus communicare, atque cum undecim discipulis. Et videbatur futurum magis ex usu Ecclesiæ, ut Ecclesiæ, quæ tum in vivis erat, homines universi ad ascensus spectaculum admissi fuissent, quam aliunde ex aliorum sermone illud haurire. Sed Deus, ut Ministerium Ecclesiæ stabiliret, aliter constituit: ut si omnes paribus & scientiæ & sermonis donis exculti essent, quod non fit, tamen Ministerii usus è medio non tolleretur. Hoc confirmatur miraculis pastionis populi in deserto, ubi discipuli modo panem & piscem accipiunt, quem post populo distribuant; populus enim tam potuit panem & piscem ex Christi manibus accipere, quam ipsi Apostoli.

Veritas

Veritatem corporis sui confirmavit adversus

corporis Christi.

versus Apostolorum falsam de fanatico corpore opinionem: quod in domo versans, si in cœlum commigrasset, aut tecti tabulatum perrupisset, quod ab hospitii humanitate alienum futurum erat; aut si corpore sic penetrasset tabulatum, ut ipsum continuum & integrum permansisset, Spiritum & spectrum fuisse, non verum corpus, omnes acclamassent. Adversus nostrorum temporum prodigiosas hæreses hoc observetur.

Ascensionis Christi circumstantiæ.

Tempus hoc loco non notatur, ut quod aliunde constat, nempe quarto à resurrectione die eum in cœlos ascendisse.

Locus magis proprius, Ager Bethanicus, ad quem è Galilæa reversus se recepit, propterea delectus videtur, primum quidem ut Mariæ, Marthæ & Lazaro intimis suis amicis vale ultimum diceret.

Deinde alter, id est, specialior locus montis olivarum notatur, ut inde ad gloriam proficisceretur, unde ad crucem & ignominiam profectus fuerat: unde & singularem Christi humanitatem & facilitatem colligere promptū est, vel tum cum immortalis factus mox glorificandus esset. Deinde ita comparatum fere a Deo esse, ut sicut impii eo ipso loco quo se efferunt dejiciantur: Vide Achabum cujus sanguinem linxerunt eodem loci canes, quo ipse insontem fudisset prius. 1 *Reg.* 21,19. *Genes.* 4.10,11. Cainum, &c. Sic pii eo loci ubi ignominia affecti sunt erigantur & excolantur.

Confirmatio fidei nostræ ex benedictione Apostolorum per Christum.

Ascensus item describitur ab adjuncta benedictione Christi ascensum antecedente, qua mala deprecans, omnia illis fausta, præsertim in Ministerio, apprecatur, idque fecit non tantum Iacobi & Mosis exemplo, *Gen.* 49. qui mox expiraturi Israëlitis benedixerunt, *Deut* 33. sed maxime Sacerdotalis muneris ratione, qua post concionem finitam benedictione emissa populus dimittendus erat. *Numer.* 6, *v.* 23, *&c.* Quod non tam nos admonet, quomodo relicturi amicos & domesticos illis bene precari debemus; quam nos confirmat in fide Ministerii Apostolici, omnia ab illis præclare gesta esse, nihil omissum, vel admissum quod nostram salutem remoretur aut retardet. Si enim qui ab Isaaco benedictus semel erat, benedictus remansit, *Gen.* 27,32. nedum à Christo benedictus; qui non tantum verbis hoc petebat, sed virtute & ἐνεργείᾳ Spiritus idē præstitit.

In qua benedictione notanda manuum elatio.

Hæc Christi precatio commendatur ab utriusque manus in cœlum elatione, qua singularis fervor & animi contentio significatur. Quod ut nobis ad exemplum proponitur; ita Episcoporū Pontificiorum in precando & benedicendo remissionem & dissolutionem subindicat, qui una tantum manu & ejus manus aliquot digitis elatis, suis benedicunt. Nec juvat illos, quod *Levit.* 9,22. Aaron manum benedicendo tollat: præterquam enim quod συνεκδοχὴ est unius manus pro ambabus; si detur unam manum sustulisse, tamen Christi potius sub novo testamento benedicendi ritus imitandus erat, quam Aaronis sub veteri testamento.

Ascensus actio describitur disjunctione ab Apostolis, & sursum sublatione, quod mirabili Dei prospicientia factum est, ut erroribus in Ecclesia insequente ætate pullulaturis occurreretur. *Pontificii* enim & *Lutherani* ita in cœlis subvectum somniant, ut tametsi specie à nobis non percipiatur, tamen reipsa apud nos corpore maneat; quod diserte refellitur, cum ab illis spatio disjunctus dicitur. Vers. 51. *Ascensus Christi qualis.*

Tametsi vero sublatus dicitur, sicut ex mortuis excitatus, tamen intelligendum hoc est, 1. maxime proprie de humanitate Christi, quæ ab ipsius divinitate excitata & subvecta est: 2, de divinitate, cujus divinitatis ratione ipse resurrexisse & ascendisse vere dicitur. Ipse enim sibi currus & equi fuit: non ut Elias aut Henochus. *Secundum quam naturam ei conveniat.*

Causas ascensus Christi aliunde pete, cum prius ex 1 *Timoth.* 3,16. ejus mysterium admirable attenderis. Quod quidem si uno verbo expedire velimus idcirco factum est, ut nobis viam in cœlum muniret. Specialius vero respicit partim Christum, partim nos. *Ejus causæ.*

Christum, ut { Coram Deo pro nobis appareret. *Hebr.* 9,12,24. & 10,19,20. Captivam captivitatem ducens dona daret hominibus, &c. *Ephes.* 4,10,11, }

Nos: ut excitati cum illo à mortuis superna { Quæramus. Sapiamus. } *Col.* 3,1,2.

Marc. 16,19. adjungit sessionem ad dextram Dei, alium fidei articulum. Vbi primum considerandum, quid his verbis indicatur. Et primum quidem ex sessione. Christi in judicando & moderando autoritatem addiscimus, quod qui Iudicis locum obtinet pro tribunali sedeat. Christus enim à Patre judex totius mundi constitutus est. *Act.* 17, 31. Non est igitur somniandum Christum solio aut throno ita affixum esse, ut nunquam *Marc.* 19. *Quid significet sessio ad dexteram Dei.*

quam nec stare, nec in cœlis ambulare illi fas sit, cum hoc pro arbitratu suo faciat: unde etiam Stephanus eum ad dextram Dei stantem vidit *Act.*7,56.& in Apocalypsi dicuntur pii Christum comitari quocumque se confert. *Apoc.*14,4. Sed quod *sedere* dicitur, eo *docetur*, Christum assidue & sine omni interruptione aut temporis intermissione judicium exercere, nunquam sive sedeat, sive pedibus consistat, seu deambulet à tribunali discedere; atque adeo vel tum judicium justissime & severissime exercere, cum summe quietus & placidus apparet. *Psal.* 9,6,8. & *Psal.*7,11. Vbi docet Deum justum Iudicem exagitare impios quotidie. Hic vide dissimilitudinem Iudicum terrestrium.

Quid dextera Dei. In *dextera* autē Dei, metaphora est ducta à regibus, qui suos filios aut maxime sibi conjunctos sibi ad dexteram asciscunt; eo declarantes illos sibi in Iudicis aut regis officio successuros: eumque indicat qui proximus Regi existit. Vnde liquet, nullam aut dexteram aut sinistram esse in Deo, ut nunc & olim utraque apud Christum reperitur, cui à dexteris statuuntur justi, à sinistris vero impii. *Matth.*25,33.

Christi autoritas. Hinc intelligitur principatus & autoritas Christi quatenus homo aut Mediator est, nempe qua multis parasangis omnes creaturas, Angelos, potestates, &c. superat, & soli Deo inferior est.

Vbi Charitas Dei erga nos & humanitatis Christi veritas. Ex quorum priore ut singularem Dei charitatem erga humanum genus colligere promptum est, qui ad tantum dignitatis fastigium naturam nostram extulit: Sic ex posteriore refellimus eos, qui ex hac sessione ad dexteram Dei colligunt Christi humanitatem Deitate perfusam esse, & eam ubiq; esse comminiscuntur, & omnipotentem & omniscientem; cum tamen Deus suam gloriam alteri non daturus sit. Christi autem humanitas est aliud quiddam à Deo, tametsi Christus homo alius à Deo non sit.

Hujus item fructus respicit { Christum. / Nos.

Sessionis ad Patris dexteram fructus. Quomodo Christum respiciat, vide supra. Nos spectat, ut quemadmodum ipse in cœlis conversans non amplius in terras se demittit; sic nos semel subvectos nostros in cœlos affectus ibi illos figamus, nec patiamur amplius inde deduci ad res terrenas. *Colloss.*3,1,2. *Ephes.*2,6. *Phil.*3,20. Vt inde subjugatis affectibus nostris pravis Spiritus Dei in nobis præsideat.

Luc. Vers.52. Christi divinitas agnita. Quod eum Apostoli adorasse dicuntur, idque sine omni hæsitationis mentione, quod superius adjectum est: eo docetur cum discipulorum profectus, tum Christi divina prorsus majestas.

Gaudium ex Christi sessione ad dexteram Patris. Quod Ierosolyma redierunt gaudio perfusi, tametsi illa urbs Christi nomini infensissima esset, eo *docemur*; Hinc quidem Deo obsequi in his quæ caro facere abnuit; istinc vero quanto nos gaudio impleri convenit, si Christi sessionem & ascensum vere & solide cognitum habemus. Hinc est, *Deus regnat, tumultuentur gentes, &c. Psal.*93,1. & 99,1. *Psal.* 2,1,2,*&c.* Quod eo magis *notandum* est, quod Apostoli de ejus commigratione in cœlum tam anxii & mœsti erant.

Vers.53. In Dei laudes solutum. *Vers.*53. *Summa* est eorum quę Hierosolymis gesserunt; ubi illud *notandum* gaudium eorum in sanctas cantiones & Dei laudes solutum esse. Vide *Ephes.* 5,18,19. Atque hoc indicio discernitur gaudium spirituale à terrestri.

Marc. Vers.20. Miraculorum usus. *Marc.*16,20. *Summam* continet eorum, quæ Apostoli gesserunt, postquam relictis Hierosolymis in omnem orbem terrarum egressi sunt. Vbi etiam *notatur* usus miraculorum: de quo vide *Matth.*10. Simul veritatem considera promissionis Christi, qui se illis affuturum pollicitus est.

De *Iohan.* 21. *Vers.*25. vide quæ prius annotata sunt. Huc accedit doctrina *Ecclesiastis. Cap.*12. *Vers.*10,11,12.

FINIS.



INDEX

Rerum præcipuarum, inprimis doctrinarum, redargutionum, institutionum in Commentario Practico comprehensarum, cum fide & cura concinnatus.

Litteræ a. b. *numeris fere subjunctæ columnas paginarum distinguunt.*

A.

Aqua

B.

D.

E.

M.

Mali

N.

O.

Q.

R.

S.

V.

Z.

FINIS.

